ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN OCTO LIBROS APHORISMORVM Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

Ad serenissimum & inuictissimum HENRICVM Britanniæ Regem.

Cum duobus Indicibus copiosissimis.



BASILEÆ IN OFFICINA FROBENIANA
ANNO M D XLI

Non sine gratia & priuilegio Imp. Maiestatis ad annos IIII

AD SERENISSIMVM ATQVE INVICTISSIMVM HENRICVM BRITANNIÆ REGEM, ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS MEDICVS FERRARIENSIS.

HANC NOSTRAM LVCVBRATIONEM, QVAlifcunq; ea fit, Sereniffime, atque Inuictiffime Rex, tuæ maieftati non uti pulchram, aut ornatam, aut te tanto rege dignam offerimus, neq; quod ex ea decus aliquod faftigio regio acceffurum fperemus: id enim de noftro tam exili ingenio, de noftrisq; tã tenuibus uiribus polliceri non audemus: fed ut his tam magnis laboribus, his tam longis uigilijs celeberrimo tuo numini dicatis, quod iure optimo literati omnes colunt, uenerãtur, atq; fufpiciunt, gratiam aliquam, ac patrocinium aucupemur. Vnde enim gentium maiorem nancifci poterunt authoritatem, aut plus fplẽdoris adipifci, quàm ab eo qui amplifsimo uirtutũ faftigio inter mortales, ut fol inter aftra, omnes excellit? Nam quis in re literaria HENRICVM ferenifsimum regem atq; inuictifsimũ æquare poteft? qui inter Græcos atticiffimus eft, inter Latinos facũdiffimus. Nullæ etenim funt liberales difciplinæ, quas ad unguem propè non perdidicerit: & ita perdidicerit, ut in unaquaq; fola laboraffe uideatur. nam fi difciplinas omnes fingulatim in illo contemplor: mirum in modum grãmaticæ uarietates tenet, rhetoricæ flofculos quafi apis undecũq; collegit, poetarũ uireta amœniffima penetrauit, finuofos dialecticæ gyros, & obliquos Mæandros excufsit, philofophiæ facraria perluftrat, geometriæ figuras callet, arithmeticę numeros peruestigauit, muficæ fuauitates omnes exhaufit, ut tanta felicitas ingenij nullam præftantifsimarum difciplinarum intactam reliquerit: potifsimum uerò in eam partem philofophiæ incubuerit, quæ ad rei Medicæ theoriam fpectat. Etenim ferè Britannorum regibus peculiare femper fuit, huic philofophicæ medendi peritiæ in primis fauere. Quin & ab Italis quandoq; harum rerum initia petiere. Extat uulgatus Salernitarum De tuenda ualetudine libellus, in regis Angliæ honorem atque decus æditus, cuius initium eft,

Anglorum Regi fcribit fchola tota Salerni.

libellus quidem qui politiores literas non redoleat, tamen his qui legunt non parum utilitatis præftat: illisq; multo maiorem, qui libelli præcepta obferuant. In uirtutibus autem moralibus clementifsime Rex, cui es fecundus? Neq; enim folo nomine ac titulo tenus regem agis: nempe conftantia Scæuolam uincis, magnitudine animi Catonem, pietate Numam, in agendarum rerum dexteritate ac prudentia Neftorem. De tua illa integra ac inuiolata fide quid dicam? de tua pura fimplicitate, de tua fapientia atq; magnanimitate? Certe nullus eft, aut prioribus feculis fuit tam omni uirtute exaggeratus, qui cum HENRICO Rege aut conferri pofsit, aut exæquari: tantũ abeft, ut quifpiam pofsit præferri. Prætereo uolens amplam tanti Regis munificentiam & liberalitatem, quæ in ipfo adeo fplendida eft atq; prolixa, ut optimos quofq; uiros & literarũ cultores in primis fummis honoribus decoret,

& maximis præmijs inuitet, atque alliciat. Nullus est tam eminens, aut pusillus, qui à liberalissimo Rege non amplis muneribus ornatũ se ambitiose prædicet, quæ Rex sapientissimus, idemque omnibus fortunæ bonis præpotens cunctis pro ingenij ac uirtutis modulo dimetitur ac dispensat. In his autem bonis, quæ à philosophis naturæ bona dicuntur, serenissimum HENRICVM laudare non ausim: nempe si præstantem illam corporis symmetriã intueor, si egregiam & plenam regiæ dignitatis formam contemplor, & illa ad naturæ normam ducta lineamẽta, quàm recta sint, quàm honesta, quàm decora, uenerabilis me quidam horror incessit: nec hominem, sed heroem planè mihi uideor intueri, in quo multum diuinitatis effulgeat. Quid uerò de Britannia antiqua auorum patria, cui præes, cui imperas, aggredi incipiam, quæ & diues opum est, & studijs (ut ille inquit) asperrima belli, inter Septẽtrionem Occidentemque proiecta grandi angulo (Mela teste) Rheni ostia prospicit: deinde obliqua retrò latera abstrahit, altero Galliam, altero Germaniam spectans. Tum rursus perpetuo margine directi littoris ab tergore abducta iterum se in diuersos angulos cuneat triquetra, & (ut inquiunt authores) Siciliæ maxime similis: sed multo ipsa dignior, cui uel propter amplitudinem, uel rerum omnium optimarum ubertatem, Sicilia ipsa comparetur, plana, ingens, fœcunda, fert nemora, saltus, ac prægrãdia flumina, alternis motibus, modo in pelagus, modo retrò fluentia. Quis gemmas & margaritas enumeret? ex quibus Iulij Cæsaris thoracem consutum præstantes authores prodidere. Hæc est serenissime Rex tua inclyta patria, & amplissima illa prouincia, quam possides, & quã antiquiores præ magnitudine & separatione à continenti, & quia sub alio uideatur esse cœlo, nouum quendam orbem esse existimarunt: unde & à poetarum parente Virgilio decantatum est,

Et penitus toto diuisos orbe Britannos.

Imò recentiores quidam, eam extra hunc orbem futuram testati sunt, nisi cœlestis tauri pes extra signiferum circulum prodiret, quo etiam nobilissima hæc insula uix attingitur. Sed hi & mundi situm ac positurã, & signorum dispositiones in cœlesti ambitu, atque productiones ignorant. Nam pes hic tauri citra primum cancri gradum prodire non potest, quum uerò cancer Britãniam non attingat, pes ille quem fingunt hi authores, uel fabulantur, minus attinget. Solinus hæc dicit, Gallici littoris ora uidebantur mundi fines, nisi Britãnia insula nomen penè orbis alterius mereretur, octingentis & amplius millibus passuum longa porrigitur: in qua etiã nullum esse anguem testantur authores, sed miri lapidis feracissima, quem Gagatem nũcupant: is enim in aqua ardet, oleo restinguitur. HENRICVS dignus equidem princeps est, ut huic orbi dominetur: dignior, ut ampliori: dignissimus, ut uniuerso. O quot bellicosissimis populis, atque ditissimis imperat. Ex hac enim insula, & ex hoc ferè altero orbe multi robustissimi uiri prodeunt, & multa humano usui necessaria, per totam Asiam, Africam atque Europam deferuntur, tam est fortunæ bonis abundans & copiosa. Sed quid opus est nos ea laudare, & eorum Encomio fatigari, quæ amplissima fama per hominum ora uagantur, quorum neque sexcẽtesimam partem attingere posse confidimus. Horum igitur copia obruti, huic nũcupatoriæ epistolæ finem facere decreuimus, Inuictissimæ Celsitudini tuæ sponte promittentes, multo maiora in suam gratiam æedituros, si hæc non dicam placuisse, sed certe non displicuisse, nouerimus. Vale.

AVTHORES ANTIQVI QVORVM MEMINIT GALENVS IN HIS COMMENTARIIS.

Archigenes	aphorismo primo libri sexti
Aristophanes	aph. 44. lib. 7
Ariston	aph. 1. lib. 6
Artemidorus	aph. 38. lib. 6
Asclepiades	aph. 47. lib. 7
Bacchius	aph. 65. lib. 7
Diocles	aph. 34. lib. 2
Dioscorides	aph. 38. lib. 6
Dionysius	aph. 69. lib. 4
Erasistratus	aph. 27. lib. 6. & aph. 1. lib. 25
Eudemus	aph. 1. lib. 6
Euripides	aph. 44. lib. 7
Herodotus	aph. 51. lib. 7
Herophilus	aph. 1. lib. 6. & aph. 65. lib. 7
Heraclides	aph. 65. lib. 7
Hipponax	aph. 44. lib. 7
Homerus	aph. 34. lib. 4. & aph. 44. lib. 7
Marinus	aph. 13. lib. 7. & aph. 55. lib. 7
Mimisianus	aph. 69. lib. 4 & lege Numesianus.
Mnesisteus	aph. 16. lib. 3
Numesianus	aph. 44. lib. 5
Pherecides	aph. 1. lib. 6
Philotimus	aph. 1. lib. 6
Philistion	aph. 1. lib. 6
Plato Comicus	aph. 45. lib. 7
Plato in Theæteto	aph. 59 & 62. lib. 5
Polybus	aph. 1. lib. 6
Praxagoras	aph. 45. lib. 5. & aph. 1. lib. 6. & aph. 15 & 35. lib. 7
Zeusis	aph. 65. lib. 7

AD ILLVSTREM GALEATIVM GONZAGAM ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.

SVPERIORIBVS MENSIBVS Galeati illustris, quum tu qui & nouarum & pulcherrimarum rerum semper es cupidus, earumq; praesertim quae ad rem literariam spectant, de his lectionibus mecum ageres, quas publici lectores tunc passim in Ferrariensi gymnasio profitebantur, de scholasticorum frequentia interrogasti. Nos uero id tibi reddidimus, magnam quidem numero non esse frequẽtiam, sed talem, ut merito cum omni alia amplissima & confertissima turba conferri possit, & concertare, ut de ijs Vergilianum illud dici possit:

Pauci numero, sed uiuida uirtus.

Quum uerò in praesentiarum primum hoc nostrorum laborum onus, in tuae illustris doctrinae gratiam inscribendum pararem, ut tuo titulo decoratum felicius in publicum exeat, id nobis succurrit quod tunc tam sedule percunctabare, nunc cumulatius explicare. Propterea uisum est non ab re fore, si omnes quot qualesue fuerint auditores nostri, recensere studeamus, qui his nostris Aphorismorum lectionibus interfuere: inter quos nonnulli à principio in finem usque, omnia hausere quaecunq; in his nostris lucubrationibus scripta sunt: alij, aliquibus libris interfuere: quidam pluribus aphorismis: inter quos plerosque adeo profecisse constat, ut iamiam diuinam hanc artem uel celebriter profiteantur, uel feliciter exerceant. Nullus uerò est, qui non norit Hippolytum Constabilem, & Franciscum Brusantinum Ferrarienses, tum èx publica professione, tum ex medendi diatriba: nam & sacra naturalis philosophiae arcana publice profitentur, & medicam artem egregie exercent. De te uero quid dicam Maureli Sancte, qui quum publice obliquos dialecticae gyros profitebaris, citra omnem ambiguitatem palmam ferebas. Nunc apud reuerẽdissimum Hippolytum Cardinalem Ferrariensem artem medicam adeo prudenter exerces, ut multos homines à morte uendicasse liqueat. Huc accedant tres illi noui municipes nostri, Ioannes Frãciscus Rubeus Mediolanensis chirurgus, qui publice profitetur, & in ea arte Chironi centauro non cedit: Ioannes Leo Dorzanus Vercellensis, acri iudicio uir: & Philippus Parthenius Saxellus Nouocomensis, non minus doctrina, quàm pietate insignis. Proh pudor duos illos Ferrarienses argumentandi & respondendi fulgura, incuria praetermiseram, Caesar Caprilis, & Marcus Antonius Florius, quorum disputationes & publicae lectiones, eos omni encomio dignos faciunt. Tuq; cum his accedas Ioannes Beccharie chirurge cum quouis antiquorũ conferende. Non minori laude digni sunt Franciscus Seuerus Argentinus, Camillus Grilinzonus Carpensis, Hercules Papazonus Mirãdulanus, Nicolaus Viadanensis, Troilus Cabeus, qui nostri huius almi gymnasij ductor quandoq; fuit, & noster Nicolaus Crottus Laudensis, Cassianus Armanascus Nouocomensis, Nicolaus Giringellus Vitellianensis, Stephanus Burgus Mutilianensis, Nicolaus Chizola Brixiensis, Iacobus Turinensis: Henricus, Iacobus, & Federicus Germani: Augustinus Ricius nobilis Lucensis. Hi omnes summo cum decore artem hanc diuinam & scite, & prudenter exercent. Cur & tu non accedis Ioannes Bacchanelle Regiensis? nam & si corpore pusillus sis, animae uiribus plurimum praestas. Et noster Ioannes Sinapius Germanus, uir utraque literatura grauissimus, & huius artis professor acerrimus, pedem huc conferat. Neque silentio praetereundus est insignis philosophus Gaspar Cabriellus nobilis Patauinus, qui naturalem philosophiam ex Graeca academia publice profitetur. Cur latitas mi Georgi de Ortona Cretensis? accedas huc utraque lingua disertissime, & medica professione expertissime. Hi omnes quos hoc catalogo enumerauimus, Galeati doctissime, iam summũ illud culmen & fastigium doctoratus (ut inquiunt) suis amplissimis uirtutibus acquisiuere. Non defuere & alij plures, qui his nostris lectionibus interfuere, tamen laurea corona ornari nondum uoluere: inter quos unus est Vincentius Lancettus Caesenas, iuuenis mira ingenij dexteritate praeditus: Iacobus Romandiolus noster, Ferrariensis: Alexander à ciconia, chirurgus: Ioannes

Agrigen-

Agrigentinus Siculus, & noster Sanctus de Sanctis Recanatensis, quem bonarum literarum columen futurum esse speramus. Nec hi iuuenes prætermittendi sunt, digni ut immortalitate donentur, tanto ingenij splendore pollent, Cæsar Bezecharinus Pisaurensis, Petrus Pergulensis, Ioannes Baptista Susius Mirandulanus, Camillus Pontremolensis, Gaspar Herminius Tridentinus, Stephanus Crassus Brixianus, Hieronymus Gratianus Cotignolensis, Cæsar Forosemproniēsis, Iulius Genuensis, Matthæus Mediolanensis, Archangelus Vtinensis, Petrus Cabriellus Patauinus, & noster dominus Ioannes Gallus presbyter, ossium reparator egregius. Accedatis & uos duo Canani, Iacobe & Ioannes Baptista, iuuenes cum quibusuis nostra ætate in hac arte conferendi. In eodemq; comitatu accedat & Hieronymus Aldigerius. Doleo tamen, atq; uehemēter discrucior, familiaria negotia adeo rem medicam defraudasse, ut Ludouicum Paulucium, & Antonium Mariam Montaclesium Ferrarienses, post tot uigilias, post tot perpessos in his euoluendis Aphorismis labores, abduxerint, & medio fere in cursu represserint. Duo præterea illi Hieronymi in hunc ordinē ueniant, Canabatius unus, alter à Tabula Ferrarienses. Cæterum nūquam te defraudabo Lazare Frisce Hebræe, sed ut Aphoristicis lectionibus interfuisti, ita ab hoc catalogo non repellaris. Hi sunt Galeati illustris, quos potui in memoriam reuocare, ex his qui publicas nostras scholas frequentarunt, qui & si pauci numero sint, tamen sunt omni uirtutum genere cumulatissimi. Nunc uerò quum nostros hos labores sub Britanniæ Regis auspicio in publicum æedituri simus, uisum est nobis, tibi uiro doctissimo, & qui omni uirtutum genere splendes, & quem summè colo & obseruo, primum laborem dono mittere, uti illi à quo auram aliquam, & eam non mediocrem captabit: simulq; noscat, non multos quidem fuisse Aphorismorum auditores, sed ingenio præditos, & qui tum sua industria, tum nostra assiduitate magnos in re medica progressus perfecerint.

Vale.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS

IN PRIMVM LIBRVM APHORISMORVM HIPPOCRATIS & Galeni, Commentaria & Annotationes.

NON POSSVM NON VALDE LÆTARI atq; gestire, auditores benignissimi, post tot perpessos labores, nos hodie hoc solium conscendisse, in quo iam diu publice interpretari, & uos edocere assueti sumus. nam superioribus mensibus illustrissimus & excellētissimus Dux noster Hercules coegit nos publicas lectiones intermittere, ut illum Romam ad Paulum tertium Pontificem maximum, & Neapolim ad Carolum imperatorem quintum comitaremur. In qua re opus fuit patrono atq; bene merenti principi obtemperare. Sed quoties intermissarum lectionum memoria subibat, mentis oculi à lachrymis temperare non poterant. & si nunquam in hoc quatuor mensium spatio otiosus fuerim: nempe inter publicas bibliothecas atq; priuatas, inter bonorū uirorum consessus atq; disertationes, inter res nouas inquirendas continuò uersatus sum. At nihil unquam uisum est conducibilius, quàm publicis lectionibus insudare, & in publicam disertandi arenam descendere, & eo præsertim si auditores probi sint, atq; seduli, quales uos esse iam nouimus. Nemo igitur uestrum admiretur, si in antiquam sedem reuersus gestiam, & ea interpretaturus quæ nondum antea publice aggredi tentauimus. Nam octo annis in hoc almo Ferrariensi gymnasio Dialecticæ gyros interpretati sumus. Deinde philosophiam naturalem nouem annis. Nunc uerò eandem naturalem philosophiam sub alio nomine interpretari auspicabimur, nempe Medicæ rei theoriam, naturalis philosophiæ partē summi uiri censuerunt: propterea à naturali philosophia nec gry quidem discedemus. At Hippocratis Aphorismos interpretandos elegimus, atq; suscepimus. quoniam nullum opus æque utile inueniri potest eo, qui Hippocraticas sententias amplectitur, & aphoristicas præsertim. Nosq; interim tarditatem lectionum, sedulitate compensabimus, inutiles disputationes omittentes, & solam integram authoris ueritatem, quantum uires nostræ suppetent, exprimentes. Etenim quum in primo lectionum limine interpretes addubitare soleant, An res medica, ars sit, uel scientia: & an practica, uel speculatiua: & de eius obiecto, quæ ambiguitates potius dialecticæ sunt, quàm ad hanc artem spectantes, quippe ad curandos ægros nihil proficiunt: sed ad quandam apparentiam potius, & garrulitatem faciunt, propterea eas nos relegabimus, dicentes Medicinam & artem esse atq; scientiam & practicam solam, ut in quæstionibus de hoc proposito alias ostendere tentauimus. Quum uerò & hi qui in publicis scholis hoc opus profitentur, aut Iacobum, aut Vgonem, aut alium ex recentibus imitari soleant: nos ex his nullum imitabimur, utpote qui ad ueritatem exprimēdam plus obsint, quàm prodesse possint. At Hippocratem ipsum, & Galenum, ac reliquos antiquiores authores totis uiribus imitari studebimus. Nempe ex Hippocrate Hippocratem, & ex Galeno, non solum in huius libri commentarijs, sed in alijs etiam suis uoluminibus interpretabimur: nullus enim est, qui aptius mentē suam se ipso intelligat. Sed ut ad rem ipsam descendamus, quia necessarium est artis medicæ intentionem præscire, scito Græcos omnes, & Aristotelem potissimum Artem definire, esse rectam rationem rerum à nobis factibilium. At quum medica facultas ars sit, erit recta ratio rerum, quæ in ipsa fiunt. At quæ sint illa quæ fiunt, & in quibus fiant, per hunc modum edocere tentabimus. In omni arte tria à Græcis authoribus inueniuntur, ὑποκείμενον, τέλος, & σκοπός. Nam in omni arte, artifex ipse subiecto indiget, circa quod eius operatio uersatur. ut lignarius faber si scamnum effingere studeat, ligno indiget, in quod scamni formam introducat, idq; scilicet lignum, ὑποκείμενον, idest huius artis subiectum

uocatur. σκοπὸς uerò, uel πρόθεσις, hoc est intentio & propositum, est ipsa scamni forma. eius uerò possessio est scamni τέλος, idest finis, hoc est iam facto scamno ad sedendum uti posse. Idem in re medica cõtingit, eius ὑποκείμενον, idest subiectum, circa quod medici actio uersatur, humanum corpus est, ut magister artis Hippocrates in libro De locis in homine docuit, inquiens, Corpus humanũ materiam esse medici. σκοπὸς uerò, idest intentio est ipsa sanitas, quam medicus summo studio intendere debet. At τέλος, idest finis est sanitatis possessio, Galeno statim in primo De sectis uestibulo dicente, Medicæ artis scopus sanitas est. finis, ipsius possessio. quamuis in primo De arte curatiua libro, uarios medicæ artis fines apud diuersos authores enarret. quippe nonnulli plerunq; sanare medicinæ finem censuerunt: alij ea facere quæ sint ad sanitatem conducibilia: alij morborũ causas adimere. Sed hæc ad rem nihil faciunt, quippe Galenus ipse Medicinæ finem, sanitatis possessionem esse iudicauit, scopum uerò sanitatem ipsam, quod ita intelligere oportet, medici intentionem esse sanitatem inducere, si absit: si uerò adsit, conseruare. finis uerò est ipsa sanitas possessa secundum quam operamur. Nec putes medicinæ subiectum esse corpus humanum, ut recentiores in suis disputationibus subiectum accipiunt, pro eo scilicet quod uirtualiter omnem scientiæ ueritatẽ continet, Sed solum subiectum est, circa quod medici actio uersatur, & in quod illud inducitur, quod à medico intenditur scilicet sanitas. Vnde nos dicimus, sanitatem subiectum esse, eo modo id uocabulum accipientes, quo recentiores accipiunt, quum de subiecto attributionis ab ipsis uocato uerba faciunt. Et si dixeris, sanitatem ob corpus humanum considerari, ideo potius humanum corpus esse hunc scopum, uel saltem uitam ipsam, ob quam omnia fiunt, & considerantur: ad hoc de humano corpore Galenus in penultimo capite libri De partibus artis medicinalis respondet, quum inquit, humanum corpus per accidens considerari, & non per se: sanitatem uerò per se, ad quam omnia alia ducuntur, quæ consideranda sunt. Est enim ars factiua, immò, ut dicit Galenus in libro De constitutione artis medicinalis, est ars refectiua. Ad id uerò quod de uita dictum est, sanitas ob uitam quidem consideratur. Sed hoc arti extrinsecum est, nempe fieri potest σκοπὸν, idest artis intentum ad multos extrinsecos fines ordinari. At in ipsa arte illa non intẽdentur: ut in re medica propositum est ipsa sanitas, quæ ad hunc extrinsecum finem respectu huius artis ordinatur, scilicet ad uitam & ad operationes quæ per sanitatem fiunt, uel quæ sunt ipsa sanitas. Ex his scire oportet, subiectum attributionis rei medicæ, idest σκοπὸν esse sanitatem, non corpus humanum: nam ut Aristoteles docet, finis operatiuæ artis est subiecti proprij constitutio. At ars medica humanum corpus non constituit, sed sanitatem: idq; uere scopus est, uel attributionis subiectum, per quod ars medica ab omnibus alijs distinguitur, quod sanitate fit, & non humano corpore: nam circa humanum corpus multæ artes uersantur, tanquam circa materiam in quam agant. Vt igitur receptui canamus: Subiectum rei medicæ, est humanum corpus. Intentio, est sanitas. Finis, est sanitatis possessio. Hæc uero diffusius in quæstione De medicinæ subiecto explicauimus. Nunc autem ne ab his nugis institutum nostrum impediatur, eius libri quem interpretandum suscepimus, inscriptionem contemplemur. Illa autem hæc est,

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΚΩΟΥ ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ

Id est,

HIPPOCRATIS COI APHORISMI.

ANTONII MVSÆ BRASAVOLI COMMENTARIVM

IN HAC inſcriptione opus non eſt, de Hippocratis uita, moribus & conditione quicquam diſſerere, quoniam à Galeno in uarijs locis explicatur, à Suida & ex Sorani hiſtorijs facile ſumi poteſt. Nec opus eſt dubitare, cur Coi dictum ſit: nam eius patria hoc nomine denotatur, quæ in Theſſalia eſt: ad aliorum quorũdam antiquorum differentiam, qui & ipſi Hippocrates uocati ſunt. An uerò Hippocrates Cous is fuerit, qui hunc librum compoſuerit, nonnulli dubitarunt, & alium fuiſſe teſtantur. Alij in templo Apollinis inuentum fuiſſe fabulantur. Nos ab alio quodam authore ex Hippocratis libris collectum iudicaremus: quoniam nullus eſt ferè aphoriſmus, quem in Hippocratis operibus inuenire non poſſimus, niſi, ſummi uiri, & inter alios Galenus tam cõſtanter ab Hippocrate Coo æditum eſſe teſtarentur. Id uerò ſpeculatione dignum offertur, cur hic liber Aphoriſmi inſcriptus ſit, & uerè ac propriè quid hoc nomine Aphoriſmus ſignificetur. ἀφορίζω apud Græcos diuido eſt atq; ſeparo, & ἀφορισμός diuiſio & ſeparatio eſt. Propterea non immeritò Arabes quidam Aphoriſmos, librum Diuiſorum ſermonum nuncuparunt, ut Meſue in libro De conſolatione medicinarum fecit. Ita uerò de aphoriſmi ratione diſſeruit Philotheus: τί ἐστιν ἀφορισμός; ἀπόκρισις. ἀφορισμός ἐστι λόγος σύντομος, αὐτοτελῆ διάνοιαν ἀπαρτίζων. ἢ λόγος κατὰ μὲν τὴν προφορὰν ἤτοι τὴν φράσιν πενόμενος, πλουτῶν δὲ τοῖς ἐνθυμήμασιν. πόθεν εἴρηται ἀφορισμός; διὰ τὸ περιορίζεσθαι ἐν αὐτῷ τὸ νόσημα. ἀφορίζεσθαι δὲ καὶ διΐστασθαι ἀπό τε τῶν πρὸ αὐτοῦ καὶ τῶν μετ᾽ αὐτό. ideſt, Quid eſt aphoriſmus? Reſponſio. Aphoriſmus eſt ſermo conciſus per ſe plenam ſententiam perficiens: uel ſermo per enuntiationem, uel per locutionem pauper, diues autem ſenſibus. Vnde dicitur aphoriſmus? ab eo quod eſt circunſcribi in ipſo morbum. Diuiditur autem atq; diſtinguitur ab his qui ante ipſum ſunt, & ab his qui poſt ipſum. Oribaſius eodem modo Aphoriſmum definiuit. At ſi ſecundum Galenum huius uocabuli uim exprimere tentemus, ea conſiderare oportet quæ ipſe medio ferè commẽtationis primi aphoriſmi primi libri, huius doctrinæ formam docens, ſcripta reliquit, ubi inquit, forma doctrinæ aphoriſtica omnes rei proprietates quàm breuiſſimis uerbis circunſcribit. Verba Galeni hæc ſunt, ὥσπερ διὰ βραχυτάτων ἅπαντα τὰ τοῦ πράγματος ἴδια περιορίζει. Vnde aphoriſmus omnes rei (de qua ſcilicet loquitur) proprietates dicit quàm breuiſsimis uerbis. Propterea aphoriſmi ratio in hoc non conſiſtit, quòd ſermo ſit diuiſus & ſeparatus: ſed quòd breuiſsimis uerbis rei proprietates circunſcribat. Idem in fine illius partis animaduertit Galenus, imò hoc uerum eſſe apertè demõſtrat ſupra aphoriſmum quartumdecimum primi libri. Idq; eſt poſt medium commenti, quum enim Hippocrates dixiſſet, Qui creſcunt plurimum habent caloris innati: Galenus de puerorum calore & iuuenum abunde diſſerit, & eorum differentiam oſtendit. At ne quis Hippocratem reprehendat, utpote qui de his mentionem non fecerit, inquit, Hippocrates igitur quum hoc in libro propoſuiſſet compendioſam & aphoriſticam doctrinam facere, non ita ſermonẽ ampliauit, ut ego nunc. Quibus uerbis manifeſte elicitur, doctrinam aphoriſticam in breuitate cõſiſtere, & non in hoc quòd ſit ſermo ſeparatus. Hoc idem ab eodem Galeno oſtenditur uigeſimooctauo aphoriſmo ſecundi libri, ubi dicitur, febricitanti non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, uel etiam magis quàm ratio poſtulat, contabeſcere malum: Galenus in commento inquit, Melius autem fuiſſet, ſi hoc quod ait, magis quàm ratio poſtulat, quibus finibus iudicetur, aperuiſſet. Sed quia doctrinæ modus eſt aphoriſticus ſummam ſequens breuitatem, nos exponentes uerbum ſecundum rationem ad febris magnitudinem referemus,

& reliqua. Ex quibus manifestum est, aphoristicam doctrinam penes breuitatem considerari. Quod luce clarius ostenditur libro quarto, aphorismo quadragesimoseptimo, ubi Hippocrates inquit, Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ & biliosę: & si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per urinas, bonæ: si uero non aliquid eorum quæ iuuant per hæc loca excernitur, malum. Galenus in principio huius Aphorismi Hippocratem reprehendere uidetur, inquiens, Fortè conueniens fuerat doctrinæ aphoristicæ dici compendiosius, omnes prauas excretiones quum bene exeunt, ad bonum terminari. Ex quibus uerbis manifeste colligi potest, doctrinam aphoristicam in breuitate potius consistere, quàm in sententiarum separatione. Idem potest ex Galeno aphorismo sexagesimoquarto libri quinti confirmari, ubi Hippocratem reprehendit, qui aphoristicam breuitatē non seruauerit. Idem Galenus in commentarijs quarti libri De ratione uictus in morbis acutis, sectione decimanona, miratur cur sermo ille non sit inter Aphorismos positus, quum in paucis uerbis uis magna reperiatur, quod aphorismis usu uenire solet. Quod testimonium esse potest, aphoristicam doctrinam in breuitate consistere. Eo adhuc addito quod in sexto De simplicium medicamentorum facultatibus capite primo dicit: in aphoristica doctrina conceditur, ut multa concise dicantur. Ex his igitur cum Galeno dicamus, aphoristicam doctrinam sermones omnes atq; sententias breuissime complecti, quæ totam rem de qua agitur, explicant: & aphorismum sermonem illum esse, qui breuibus sententiam uniuersam de qua agitur, explicat. Habes igitur cur hic liber, Aphorismorum liber nuncupetur, quia uniuersam artem medicam breuissimis uerbis cōplectitur. Propterea illud scire oportet, quæ ab Hippocrate octoginta uoluminibus extenduntur atq; explicantur, in hoc uno breuibus comprehendi. Nam nullus est in hoc libro Aphorismus, qui apud Hippocratem in alijs libris non inueniatur: unde hic liber est omnium librorum Hippocratis epitome, & ueluti enchiridion, ut inter legendum uidere licebit. Oribasius uero huius doctrinæ modum quadruplicē facit, inquiens: Modus doctrinæ si quæritur est quadruplex: intellectualis, complexorius, diuidens & diffinitiuus. Intellectualis dicitur, eo quòd intellectu, idest contemplatione, tam uirorum quàm mulierum ægritudines exequatur, & consideret. Complexorius, quòd omnia complectatur, seu comprehendat, nihilq; relinquat. Diuidens, eo quòd corpus humanū in partes diuidat, earumq; ægritudines particulatim declaret. Definitiuus, quòd cuncta definiat, recteq; determinet. Habent quoq; hunc ordinem, ut prior sit intellectualis, deinde complexorius, inde etiam diuidens, ad ultimū definitiuus. prius enim rem intellectu tenemus, pòst uerò intellectam, sicut est, totam complectimur. Inde etiam ac si per intellectum comprehensam diuidimus, ad ultimum autem comprehensione diuisam definimus & determinamus. Hæc Oribasius. Reliquis autem quæ à recentioribus disputantur omissis, & quæ lectorem potius onerant, quàm instruant, ad Hippocratis sententias exponendas descendemus.

Hippo-

HIPPOCRATIS APHORISMORVM

LIBER PRIMVS,

APHORISMVS PRIMVS

VITA BREVIS, ars uerò longa, occasio autem præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum se ipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & asſidentes, & exteriora.

Voy. la bonne traduction Gazette médicale de Dijon 8bre 1843. p. 128.

ANTONII MVSÆ BRASAVOLI COMMENTARIVM.

NOn pauci fuere huius libri antiquiores interpretes, qui ante Galeni tempora has sententias interpretati sunt: quod ex ipsomet Galeno uarijs in locis colligi potest. Nam in principio huius libri inquit, Apud omnes expositores pro cõfesso haberi, hunc aphorismum esse procemium huius operis. Ex quo facile habetur plures fuisse Aphorismorum interpretes: quod etiam ex uarijs Galeni commẽtationibus colligitur, ut Aphorismo sexagesimoquinto & septuagesimosecundo quarti libri, & aphorismo tertiodecimo quinti libri, & aphorismo trigesimotertio sexti libri, & in procemio septimi libri, & aphorismo sexto & trigesimoseptimo & quinquagesimoquarto & sexagesimoquinto & septuagesimoquinto eiusdem septimi, imò in aphorismo sexagesimoquinto mentionem facit Herophili, Bacchij, Heraclidis & Zeusis empiricorum, qui Aphorismos interpretati sunt: dixeratq; aphorismo sexagesimosecũdo quinti libri, Hippocratem in hoc libro habuisse probatissimos expositores. Adde, Galenum sepe Marini mentionem facere, ut aphorismo tertiodecimo, uigesimoquarto & quinquagesimoquinto septimi libri. Oribasius uerò omnes Aphorismorũ interpretes quos nouerat, in ordinem redegit, quos hoc modo in ordinem disponemus. Pelops, qui fuit Galeni præceptor, ut ipsemet in quarto De locis affectis libro, capite septimo docet, & alibi. Lycus, qui quum occasio datur, Hippocratem reprehendit, in quem Galenus scripsit De naturali calore. Rufus, qui sub Traiano principe uixit. Galenus in libro De atra bile, inquit ipsum de eadem materia egregiè scripsisse. Nunc multa eius opera in lucem prodiere. Soranus Ephesius Troiani & Herodiani & Galeni tẽporibus, ut ipse in Methodo medendi, & in libro De compositione medicamentorũ secundum loca, & in libro De sectis docuit. Domnus, de quo nihil certi apud aliquẽ inuenire potui. Attalus. De his nullam mentionẽ facit Galenus, quod Aphorismos interpretati sint, dempto Lyco, qui à Galeno reprehenditur in praua intellectione illius aphorismi Qui crescũt. Apud Galenum uerò hi reperiuntur Aphorismorum interpretes. Marinus, cuius ter meminit in septimo libro Galenus. Herophilus empiricus, de quo in eodẽ septimo, aphorismo sexagesimoquinto. Bacchius, de quo eodẽ loco meminit, & ipse empiricus Milesius fuit. Heraclides, de quo in eodem loco, empiricus & ipse fuit Tarentinus: Galenus sexto libro De locis affectis, eius mẽtionem facit capite quinto. Zeusis, de quo in eodem septimo Aphorismorum à Galeno, empiricus fuit. Quintus, de quo Galenus primo libro in primum Epidemiorum Hippocratis, & in præfatione tertij libri Aphorismorum. Galenus & ipse Aphorismos commentatus est, cuius commentationem unà cum Hippocratis sententia interpretabimur. Oribasius Sardianus, cuius extant commentaria, & quem sæpe in nostra hac cõmentatione adducemus. Philotheus, cuius etiam extant commẽtaria, & quem adducere non pigebit. Hi sunt antiquiores, qui & ante Galenum & post Galenum in Aphorismos commentaria scripsere. Nos quoq; supra easdem sententias, nostras speculationes in medium afferre non uerebimur: eò præsertim, quia nullus extat Latinus, qui hunc librum ex bonis authoribus aggressus sit. Barbari etenim sunt Iacobus Forliuiẽsis, Vgo Senensis, Sermoneta, & reliqui recentes, qui summi uiri alioqui extitere, & appri-

me perspicaces: at bonos authores, quos imitari possent, non habebant, & tempora incidere, quibus perpulchrum uidebatur dialecticā rei medicæ & sophisticam artem commiscere. Ad rem igitur redeuntes, quum multi fuerint antiqui Aphorismorum interpretes, in hoc primo Aphorismo inter se dissentiũt: quippe nõnulli inquiunt duos esse aphorismos, ut secundus sit illa pars, Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem. de qua re nunc opus non est uehementer digladiari, quoniā in una ex nostris interpretationibus clarum erit ad aphorismum pertinere. At quicquid sit, uel unus sit, uel duo aphorismi, nullus est qui dubitet esse prooemiũ uel ad hunc librum, uel (ut alij) ad totam rem medicam. Hos tamē non probamus, quia inter Hippocratis libros hic primus non est, quamuis prooemium hoc omnibus cõmune dici posset. In libro autem De medico, medicíue officio, ad uniuersam artem medicam prooemiũ sumi potest, & ille liber hunc præcedit, & multi alij. Sed res eo ordine tractanda non est, ut Oribasius docet. inquit enim, Cæterum si quo ordine legendus sit, quæras, certe quantum ad candidatos medicinæ attinet, tertio loco legi debet: sed quantum ad doctos, etiam ultimo. Etenim qui initiantur arti, primo legant Sacramentum ipsius Hippocratis: Inde librum præceptorum: Tertiò librum hunc, in quo totius artis speculatio continetur. Docti hunc postremum relegant, ut ea quæ in alijs legerint, hic omnia remetiantur & recognoscant. Hæc Oribasius. At nos suo loco ordinē omnium Hippocratis operum alio modo trademus. nunc uerò satis sit, hunc librum multa Hippocratis opera sequi. At quia istud parum refert ad huius partis intellectionem, propterea hac disputatione nunc omissa, dicamus præsentem Aphorismum ad hunc librum prooemium esse, quamuis non multi referat si quis uniuersæ rei medicę præfixerit. In quo prooemio secundum Galeni & antiquorum interpretum sententiam, docet Hippocrates, commentationes in re medica constituendas esse, & aphoristicam doctrinam, idest compendiosam & breuem faciendam. Vt tota huius prooemij intentio hæc sit. In re medica opus est aphoristicos libros fieri, idest qui breuissime totam rem medicam de qua agitur, complectantur. Alicui etenim absurdum uideri poterit, ab Hippocrate in hoc libro tot digeri & describi, quæ nulla cõtinuatione, nulla ordinata serie iungi possint atque necti. Propterea huic Hippocrates occurrit, inquiens necessarium esse aphoristicos libros describere, quia uita breuis est, & ars longa. Est autem ars longa, quia experimentum periculosum, & iudicium difficile. In hoc igitur prooemio duorum alterum ab Hippocrate innuitur, aut medicas commentationes scribendas esse, quia uita breuis, & ars longa, & reliqua: aut hoc modo doctrinæ scilicet aphoristicæ rem medicam tradendam atq; enucleandam, quoniam uita breuis, ars uerò longa ob experimentũ periculosum & iudicium difficile. Opus igitur est, & mire conuenit in hac tam celebri, tamq; necessaria arte breues libros atq; cõcisos describere: quoniam medica ars longa est, & uita nostra breuis ad hāc tam longam artem capessendam, nisi uel commentationes ab authoribus perscriptæ sint: uel breues & aphoristicæ sententiæ: nempe si quis per seipsum tentet, uel etiam ab uno adiutus rem medicam addiscere, quantumcunq; summus uir sit, ingenio præpotens, & qui philosophiæ arcana perquisiuerit, tamen longissimā artem esse experietur. etenim occasiones præcipites sunt & momentariæ, idest opportunitates ad agendũ circa ægri corpus. continuò enim nostra hæc ex elementis constituta moles fluit. Nunc enim opportunum tempus incidendi uenam occurrit. Si parum immoremur, fugit occasio, ut amplius fieri nõ possit. Quum ergo occasio præceps sit, tamen opus est medicum illam addiscere, quæ nisi scripta sit, diu insudabit prius quàm occasiones arripere sciat: unde ars longa est, quam & duo instrumēta, quibus ad inueniendas artes ducimur, longam faciunt: experimentum inquam, & iudicium: primum sensu fit, secundum ratione & intellectu, quæ difficilia & longa existunt: propterea & ars ipsa longa erit. Hic est huius prooemij, uel primæ partis prooemij breuissimus sensus à Galeno acceptus. Nunc particulas omnes quæ in ipso continentur, singulatim percurramus. Hunc enim ordinem in tota nostra commentatione obseruabimus: primò aphorismi sententiam breuibus adducemus, deinde singulas eius particulas contēplabimur, eas & Græcè & Latinè adducentes: ut cuiq; Hippocratis uerba in promptu sint, nec illa apud eius Græcos codices quærere cogatur.

quand la vie est en danger

O Βίος βραχύς. Ideſt, Vita breuis.] Vitam breuem dixit Hippocrates, & ſimpliciter ratione temporis, & illam comparādo ad artem medicam, quæ longa eſt. Hic uerò per uitam animæ permanentiam in corpore intelligit. Philotheus uerò hoc nomen uita in multa ſignificata diſtribuit, inquiens: τὸ τοῦ βίου ὄνομα πολλαχῶς εἴρηται. λέγεται γὰρ βίος ὁ τόπος καθ' ὅν φαμεν, ἀμφίβια ζῶα, ἃ καὶ ἐν τῇ χέρσῳ καὶ ἐν τῷ ὕδατι βιοῦν δύνανται, ὡς αἱ φῶκαι, καὶ οἱ κροκόδειλοι, καὶ τὰ λοιπά. βίος καὶ τὸ ἐπιτήδευμα καθ' ὃ φαμὲν τὸν ἄνθρωπον ἰατρικὸν βίον μετιέναι, κἀκεῖνον φιλόσοφον. βίος καὶ ἡ ζεῦξις τοῦ γάμου, καθ' ὃ λέγεται, ὅτι βίον ὁ ἄνθρωπος οὗτος μετηγάγετο. βίος καὶ τὸ ἦθος τῆς ψυχῆς, καθ' ὃ φαμὲν, ὅτι σώφρονα βίον ἔχει καὶ κόσμιον, ἢ τὸ ἀνάπαλιν ἀκόλαστον. βίος καὶ ὁ χρόνος τῆς ζωῆς ἡμῶν. διὰ τοῦτο γὰρ τὴν ἀποχώρησιν τῆς ψυχῆς ἀποβίωσιν προσαγορεύομεν. οὗτος οὖν ὁ βίος ὁ κατὰ τὸ πέμπτον σημαινόμενον βραχύς ἐστιν, καθ' ὃ εἶπεν τῇ τέχνῃ παραβαλλόμενον. hoc eſt, Nomen uitæ multipliciter dicitur, nempe uita locus uocatur, ſecūdum quem dicimus ambigua animalia, quæ & in terra & in aqua uiuere poſſunt, ut uituli marni, & crocodili: & reliqua. Vita & inſtitutum ſignificat, ſecundum quod dicimus hominē medicam uitam aggredi, & illum philoſophicam. Vita & iugatio nuptiarū eſt, ſecundum quod dicitur quòd uitam iſte homo commutauit. Vita & mos animæ dicitur, ſecundum quod dicimus, ſapientem uitam habere & ornatam, uel econuerſo intēperantem. Vita & tempus uitæ noſtræ ſignificat: ob hoc enim diſceſſum animę euitationem, aut uitæ priuationem uocamus. Hæc igitur uita ſecūdum quintum ſignificatum breuis eſt: quod in artis comparationem dixit. An uerò breuis uita ſit, non eſt opus præter ullam utilitatem diſputare: quoniam & ſi homo inter animalia temperatiſſimus ſit, tamen uitæ principia longæua non habet: præſertim ad artem medicam comparantes, quam quiſpiam addiſcere tentet, & non per aphoriſticos libros, uel per commentaria ab alijs collecta: ſed ex ſeipſo. Reſpectu etiam temporis quod apud philoſophos infinitum eſt, momētaria eſt humana uita: quæ etſi multa animalia excedat, breui tamen ſpatio excedit: quid enim aliud eſt uitæ noſtræ ſpatium, quàm ſeptuaginta anni ſecundum ſapientem, uel in potentioribus octuaginta, & hoc totum labor eſt & dolor. At quot homines id ſpatium attingunt? nempe rariſſimi ſunt quos æquus amauit Iupiter, uel fortè odio habuit, in hac tenebrarū ualle ueluti in carceribus præſeruans. Galenus in nono libro Methodi medendi tres illas animas, quas in noſtro corpore Plato ponit, tres uitas ipſe uocat, quę his nominibus explicantur, uitalis, altrix, & ratiocinatrix. Prima ſedem habet in corde: ſecunda in iecore: tertia in cerebro. & paulopoſt dicit uitam noſtram aut ipſas uires eſſe, aut earum actiones. hæc autem ab anima fiunt per illa organa ſecundum ſuas potentias operante. Vnde hic uita erit permanentia atq; perſeuerantia animæ in corpore.

la puissance de l'art doit etre invoquée.

Ἡ δὲ τέχνη μακρή. Ideſt, Ars uero longa.] Longa quidem, niſi per compendia addiſcatur. Eſt uerò ars (ut Hippocrates in principio libri De arte, docet) aliquid nouum inuenire, quod quidem optimum ſit: hocq; eſſe ſapientiæ officium: quæq; perfecta non ſunt, perficere. Malis autem uerbis aliorum inuēta uituperare, ars non eſt: unde optimè dixit, Ars longa, quia apud ipſum ars in inuētione conſiſtit. Velle autem inuenire, longum eſt. Eſt etiam longa, ut Galenus dicit in principio libri De plenitudine: quia ſi notiones plenitudinis noſcere uoluerimus, ſi animalis facultates, ſi humorū ſpecies, oportet eſſe optimum medicum: quæ ſi poſſent uno libro ſcribi, ars longa non eſſet. In hoc igitur De plenitudine libro, artem longam eſſe iudicat, ob omnia quę in medica arte diſcuntur, & non ſolum quia occaſio ſit præceps. In principio autem huius aphoriſmi artem longam dicit, ob occaſionem præcipitem. Idem uero Galenus in principio tertij libri De differentijs pulſuum, artem longam facit propter res ipſas, inquit enim. Nam rerum quum ſit ea obſcuritas, ut ſi uel in triplum hæc uita noſtra prorogetur, ne tūc quidem exactè nos omnia cognoſcamus, & hac adductus re dixerit Hippocrates, Vita breuis, ars longa: quomodo, qui in his quæ ab re ſunt, tempus ſuū ponit, importunitatis propulſabit uitium? quaſi uero tam ei multum ſuperet temporis, ut & hunc liceat ei cumulum addiſcere, & neceſſaria per otium indagare. Adde eundem Galenum libro primo De dignoſcendis pulſibus, pro ſola arte pulſus multos annos requiri uoluiſſe: unde & tota ars longa eſt, quum una eius pars multos annos exigat: & idem Galenus in principio ſexti libri De ſimpliciū medicamētorum facultatibus, Pamphilum quendam reprehendit, qui de herbis diſſerens,

ad aniles fabellas sermonem uertit, incantationes scribens, quas admurmurant dum colligunt. Inquit uerò esse dictum ab Hippocrate protinus in principio Aphorismorum, Vita breuis, ars uero longa: ut tempus in inutilia non expenderemus, uerum quàm maximo studio festinaremus uiam incedere compendiosissimã, nempe per ea quæ sunt in arte utilissima: unde & illos reprehendit, qui in herbis tradendis omnia nomina sequuntur. Est ergo huius partis apud Galenum in isto loco hic sensus, Vita breuis, ars uero longa. Ideo per compendiosam uiam rem medicam addiscere debemus, & tantum utilia sequi. Oribasius quoque ita dicit, Sicuti enim nutrices infantibus recens natis, quos alendos acceperunt, continuò solidum non offerunt cibum, sed eum quidem seruant dum fuerint prouecti, Sic Hippocrates altioribus cessans quæstionibus, protinus uitam dixit esse breuẽ, & artem longam, rem mediocrem sciens & reticens, quod scilicet medicina speculatiua esset & actiua, & quod multis modis diuidatur speculatio, multis & actus, qui illa maior. Ideoque longam artem uitæ cõparauit breui, ut auditores attẽtiores redderet. Philotheus & ipse hanc partem ita aggressus est: ἡ τέχνη δὲ μακρὰ, καὶ ὁ βίος βραχὺς, ἢ διότι πολλὰ τὰ οἰκεῖα αὐτῆς μέρη, καὶ οὐδέποτε εἰς πέρας ἔρχεται. πόσα εἰσὶ τὰ πρῶτα μέρη τῆς ἰατρικῆς; δύο, τό, τε θεωρητικὸν, καὶ τὸ πρακτικόν. ἑκάτερον δὲ τούτων εἰς πλείονα διαιρεῖται. τὸ μὲν θεωρητικὸν εἰς φυσιολογικὸν, αἰτιολογικὸν, καὶ σημειωτικόν. αὐτὸ δὲ τὸ φυσιολογικὸν, εἰς στοιχεῖα, κράσεις, μόρια, δυνάμεις, ἐνεργείας. ταῦτα δὲ ἀλλαχοῦ διαιρεῖται, εἰς πλείονα. τὸ δὲ αἰτιολογικὸν διαιρεῖται εἰς προκαταρκτικὸν αἴτιον. εἰς προηγούμενα. καὶ εἰς συνεκτικά. τὸ δὲ σημειωτικὸν, εἰς τὴν τῶν παρόντων διάγνωσιν, καὶ εἰς τὴν τῶν μελλόντων πρόγνωσιν, καὶ τῶν προεληλυθότων ἀνάμνησιν. πάλιν τὸ πρακτικὸν διαιρεῖται εἰς ὑγιεινὸν, θεραπευτικόν. τὸ δὲ θεραπευτικὸν εἰς διαιτητικὸν, φαρμακευτικὸν, χειρουργικόν. τὸ δὲ διαιτητικὸν, εἰς γηροκομικὸν, ἀναληπτικὸν καὶ προφυλακτικόν. καὶ ἁπλῶς πολλαὶ ζητήσεις περὶ τούτων. μακρὰ τοίνυν ἐστὶν ἡ τέχνη, διὰ τὴν εὕρεσιν, διὰ τὴν μάθησιν, διὰ τὴν τελείωσιν τῶν μερῶν. οὐ γὰρ δύναται ἄνθρωπος εἷς εὑρεῖν πάντα, καὶ μαθεῖν, καὶ τελειῶσαι. καὶ μάρτυς αὐτὸς ὁ ἱπποκράτης, εἰπὼν, ὅτι τὸ τῆς ἰατρικῆς τέχνης μάθημα, μέγα ἐστὶ καὶ μακρὸν, ὥς τε εἰς πέρας ἐλθεῖν ταύτης, καίπερ γηραλέος καθεστηκώς. idest, Ars autem longa & uita breuis, uel ob id quod multæ sunt ipsius propriæ partes, & nunquam in finem uenient. Quot sunt primæ medicinæ partes? Duæ; speculatiua, & actiua. At utraque istarum in plura diuiditur. Speculatiua quidem in naturalium sermonem, in causarum, & in signorum: ipse uerò naturalium sermo, in elemẽta, temperaturas, partes, potentias & effectus partitur. hęc uerò alibi in plures partes dissecantur. At causarum sermo, in extrinsecam causam, in præcedentem & in continuam diuiditur. Signorum uerò sermo, in præsentium cognitionem, & in futurorum præuidentiam, & in præteritorum memoriam. Rursus actiua pars in salubrẽ, & in curatiuam. Curatiua uerò in diæteticam, pharmaceuticam & chirurgiam. At diætetica in senum nutritiuam, resumptiuam & conseruatiuam partitur. Multæque de iis simpliciter quæstiones. Longa igitur ars est ob inuentionem, ob institutionem, ob partium perfectionẽ: non enim unus homo omnia inuenire potest, & discere, atque perficere. & Hippocrates ipse testis est, inquiens, quòd medicæ artis disciplina magna est & longa: quamobrem in finem eius deuenire, & senex quidem scilicet, non satis est.

ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς. Idest, Occasio autem præceps.] Galenus ob hanc præcipitem occasionem, artem longam dicit. Est autem occasio, agendi aliquid opportunitas, quæ momentanea est. nam materia, idest humanum corpus, continuò fluit, & temporis momento transmutatur. Tamen Galenus duodecimo De usu partium libro, post principiũ, hanc partem aliter intelligere uidetur, quàm dictum sit. Ibi enim considerat neruos, cartilagines, & ligamenta, inquiens in istis esse artem admirandam, in quibus tamen exacta inest commoderatio, ut siue addideris minimum, siue abstuleris, euertatur totum corpus: nam quæ habent sufficientem latitudinem in creatione, etiam idiotæ audent tentare. Si uerò aliquid strictum fuerit absque latitudine, neque quacunque, & uulgari sapientia, neque negotiatione uersationeque modica indiget. propterea ipsam medendi artem longã præfatus Hippocrates intulit, Occasio autem præceps: tanquã ars longa non foret, si occasio præceps non esset, sed sufficientem haberet latitudinem. Ac si iste sit Galeni sensus, Quum medicus neque ante opportunũ tempus, neque post agere debeat: opportunitas uerò in momento cõsistat: ideo ars longa est: uel etiam ad illa referamus, quæ humano corpori applicantur

Le temps presse

tur, quoniã illa dare oportet, quæ nec in tali caliditate, nec in tali frigiditate excedant, aut deficiant. hoc autem modo intelligi posse exẽplum quod in Galeno sequitur, testatur. inquit enim, in fabricãdi arte symmetriã in angusto esse, quam si excesseris, uel si ab ea declinaueris, non est amplius symmetria. propterea Græce dicitur ὀξὺς, quod proprie acutũ significat, ex quo minimum quoddam significatur, à quo si uel per excessum, uel per defectum deflectas, errabis. Ob hanc causam ueteres pingebãt τὸν καιρὸν, idest Occasionis deũ cum nouacula, ut constat ex Græco epigrãmate Posidippi. Hippocrates in libro De probitate, occasionẽ præcipitem esse docet, ubi iubet medicũ crebrò ingredi ad ægrum: nam quæ in humidis locis gignuntur, stata non sunt: quapropter facilè, & suapte natura, & fortuna mutantur. quæ nisi suo tempore considerẽtur, quodam impetu præcurrunt & præueniunt, tolluntq́ʒ, quum non est quod succurrat & opituletur. Quod idem est ac si dixerit, Occasionem præcipitem. In principio præterea libri De præceptis, inquit. In tempore esse occasionem temporis, & occasionẽ temporis esse illam, in qua non est multum tempus: unde curatio fit in tempore, aut in temporis occasione, ut pro comperto habeatur, occasionem secundum ipsum esse momentaneam opportunitatem agendi in tempore. De hac etiam occasionis breuitate, in qua agere debet medicus, nõnihil tractat in primo libro De morbis Hippocrates, exemplum ponens parturientis percussæ, quam citò conseruare debes. nam hæc celerrimũ auxilium petunt: nec sufficit paulopost agere, quia pereunt plurimæ, si paulopost agas. In fine etiã libri De sacro morbo, ab Hippocrate docemur, Medicum omnem temporis occasionem cognoscere debere, an hoc, uel id dandum, & quando dandum. & prope finem libri De locis in homine inquit: Temporis autem occasio est, tantum cibi suo tempore porrigere, quantum corpus cui datur cõficere & superare potest: nam tunc, quod mouere debet & bilem & pituitam mouebit, quodq́ʒ inflammare, inflammabit. Quare si cibos intestina conficient superabuntq́ʒ, morbus nullus cõtrarietasq́ʒ nulla suscitabitur: quam temporis occasionem medicus & potest & debet scire: quam si præterijt, nec obseruet, omnia in contrarium delabuntur. Adde quæ ab eodẽ Hippocrate in epistola ad Crateuam scripta sunt, ubi dicit, Nam ab omni arte, aliena est perendinatio & procrastinatio, potissimumq́ʒ à re medica, in qua prætermissio, uitæ periculum & animæ est. temporũ enim occasiones, medelarum sunt animæ, quarum negligens obseruatio & custodia finis est. Si præterea naturæ uel temporis, uel alicuius occasionis error aliquis fit, mortales enim nos multa latent, & prætereunt, utpote ueritatis exactæ, & rerũ non penitus perspicaces, ut ex his omnibus aperte habeatur, difficile esse & longum occasiones addiscere, unde & ipsa ars longa est. Præcipitem occasionẽ dixit Oribasius, quia omne quod immutatur, nisi uelocitatem habuerit, immutari non potest. Sumas in exemplum fluuium currentem sine intermissione, in quem si uolueris digitum ponere, & releuare, iterumq́ʒ deponere, non eandem aquam tangit, sed modo unam, modo aliam. Quatuor itaq́ʒ sunt tempora, siue generalia, siue specialia morbis cognoscẽdis, uel præsidijs adhibendis, uel cibo dando, initium, augmentum, status & declinatio. Hæc Oribasius. Philotheus uerò in hac parte dicit: ὁ μὲν τοι καιρὸς ὀξὺς, ἤ τοι τῶν βοηθημάτων, καὶ νοσημάτων. ἐπειδὴ παρατρέχει, καὶ λανθάνει τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν, καὶ τῶν δυσχερῶν ἐστι διαγνωσθῆναι αὐτὸν, ὥσπερ καὶ τὸ κατὰ λόγον προσάγειν τὰ βοηθήματα. πολλάκις γὰρ ἐλθών τις πρὸς τὸν ἄῤῥωστον, συνεβούλευσεν αὐτὸν λαβεῖν τόδε ἢ τὸ φάρμακον ἐπειδὴ ἔδει. καὶ εἰσελθὼν μετὰ δύο ὥρας, οὐκ ἠδυνήθη αὐτὸ δοῦναι. ἄλλη γὰρ ὥρα γέγονεν. ἢ οὖν διὰ τοῦτο, ἢ διὰ τὸ ῥευστὸν τῆς ὕλης, ὀξύς ἐστιν ὁ καιρός. ἀδύνατον γὰρ τῷ αὐτῷ σώματι δὶς ὡσαύτως περιτυχεῖν. πολλάκις γὰρ δεῖται τροφῆς ὁ ἄῤῥωστος, καὶ μελλόντων δοῦναι περὶ τὴν ἐπίδοσιν, εἰσέβαλεν ὁ παροξυσμὸς, ἢ σύμπτωμά τι, καὶ ἐκώλυσεν θρέψαι. idest, Quod quidem occasio præceps, uel præsidiorum & morborum, quoniam prætercurrit, & latet nostrum sensum, & illam cognoscere difficile est. Sicut & secundum rationem admouere præsidia. Sæpe enim quispiam ad ægrotum profectus, consulit ipsum uel hoc uel illud medicamentum accipere, quoniam oportebat, & si post duas horas accesserit, ipsum dare non poterit. alia enim hora facta est. uel igitur ob hoc, uel ob materiæ defluxum præceps est occasio: nam impossibile est idem corpus bis eodem modo contingere: sæpe enim æger nutrimento indiget, & circa incrementum dare debentibus accessio superuenit, uel aliquod symptoma, quod dari alimentum prohibuit. Breuibus igitur inferamus, temporis opportunitatem ad agẽdum circa ægrum esse præ-

cipitem

cipitem, quam Græci καιρὸν appellant: unde & M. Cicero primo Officiorum libro, ubi de decoro à loco ac tempore agit, inquit, Tempus autem actionis opportunum, Græce εὐκαιρία, Latinè appellatur occasio. Sic fit ut modestia hæc quam interpretamur, ita (ut dixi) scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum, unde probe à Leoniceno καιρὸς occasio interpretatur.

Η δὲ πεῖρα σφαλερή. Idest, Experimentum uerò periculosum.] Ob subiecti nobilitatem: quoniam in alijs artibus etsi experiamur, nihil aliud mali contingit, quàm subiecti pretium amittere, quod facile potest in aliud cōmutari: sed in re medica subiectum est corpus humanum, quod si amittatur, amplius regredi non potest, unde in homine experiri tentare periculosum est. Experimentum uerò est alicuius rei particularis probatio, an alicui ægritudini conueniat, an non conueniat: idq; sensu percipitur, deinde ex multis experimentis sensu conceptis uniuersalis propositio inducitur. Est ergo longa ars, quia occasio præceps, & experimentum periculosum. Oribasius hoc modo ambigit, Quæstio hic uenit contra Hippocratem, si experimentum est quare fallit? Et occurrit talis solutio: Pone esse podagricam passionem, & inuenit medicus præsidium expertum in podagricis, & nescit utrum initijs conueniat, an in augmento, an in statu, an in declinatione, & si conuenit in statu, dat illi in augmēto, & fallit. Omne enim quod fallit, tribus modis fallit, aut ex opifice, aut ex materia, aut ex organo: si opifex peccat, medicina non peccat, materia uerò peccat. Hactenus Oribasius. Philotheus etiam dicit, ἡ πεῖρα δὲ σφαλερὴ, τουτέστιν ἡ ἀπόπειρα τῶν ὠφελούντων, διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ ὑποκειμένου, ἤτοι σώματος. οὐ γὰρ πλίνθοι, καὶ πηλὸς, καὶ σκύτη, καθάπερ ἄλλων τεχνῶν ἡ ὕλη τῆς ἰατρικῆς ἐστιν. ἐν οἷς ἄλυπον τὸ πειρᾶσθαι πολυειδῶς. ξύλον μὲν γὰρ ἢ σκύτος κακῶς μεταχειριζόμενον, οὐδεὶς κίνδυνος. ἀνθρώπου δὲ σῶμα πειρᾶσθαι τὸ ἀπείρατον οὐκ ἀσφαλὲς, εἰς ὄλεθρον τοῦ ζώου τῆς κακῆς πείρας τελευτώσης. ἄλλως τε ἡ πεῖρα σφαλερὴ, διὰ τὸ τὴν κρίσιν εἶναι χαλεπήν. idest, Iudicium autem difficile, hoc est experientia eorum quæ iuuant, propter subiecti uel corporis dignitatē: non enim lateres & lutum & corium, sicuti in alijs artibus, medicæ rei materia sunt, in quibus multipliciter experiri nihil affert molestiæ: in ligno enim uel corio male pertractando nullum est periculum: in hominis autem corpore, quod inexpertum est experiri, non est tutum: Malo enim experimento in perniciem animalis desinente. Alioquin experimentum periculosum, quia iudicium est difficile.

Η δὲ κρίσις χαλεπή. Idest, Iudicium autem difficile.] Galenus per iudicium rationem intelligit, per quam quicquid agēdum est, iudicatur. Est autem uera ratio nō facilis, quod per opinionum multitudinem quæ in arte medica sunt, ostendi potest. Idem Philotheus sentit, inquiens: πάλιν δὲ ἡ κρίσις χαλεπὴ, τουτέστιν ὁ λόγος διὰ τὸ δυσκατάληπτον. καὶ γὰρ μέχρι νῦν ἀμφιβάλλουσιν οἱ φιλόσοφοι περὶ τοῦ οὐρανοῦ, εἴτε σῶμα ἐστιν, εἴτε ἀσώματον, καὶ εἴτε πεπερασμένος, εἴτε ἄπειρος. οὕτως οὖν καὶ ὁ τῆς ἰατρικῆς λόγος, ὡς δηλοῖ τὸ πλῆθος τῶν περὶ τὴν ἰατρικὴν τέχνην αἱρέσεων. idest, Rursus autem iudicium difficile, hoc est ratio, ob comprehensionis difficultatē. Etenim usq; ad præsens tempus philosophi de cœlo disputant, siue corpus sit, siue incorporeū, & an finitum, an infinitum. Sic igitur & de re medica sermo, ut opinionum multitudo circa medicam artem ostendit. Oribasius uerò dicit, iudicium difficile, ad fallax experimētum: iudicium enim duobus modis fit, aut ad uitam, aut ad mortem. Sed ipse nimis arctat hic iudicium, quàm fieri debeat. Empirici per iudicium id intelligunt quod ex experimentis colligitur, quod & difficile est. Nam si alicui ægro clysma impositum sit, & emplastrum adiectum, & cibi cōuenientes sint exhibiti, adeo ut sanetur, iudicium difficile est, scire inquam quod'nam horū iuuerit, an clysma, an emplastrum, an cibus: & ideo secundum empiricos, iudicium quod ex experimentis ducitur, difficile est: tamen à Galeno suademur, per iudicium rationem potius intelligendam esse: quia Hippocrates dogmaticus fuit, non empiricus: hocq; de difficultate iudicij ab Hippocrate in libro De prisca medicina edocetur, quum inquit, Multæ enim res sunt in arte medica, ad quas exacta diligentia, peritia & obseruatio usquequaq; non potest penetrare. Ideo opus est iudicium difficile esse, quæ omnia artem longam ostendunt. De iudicio differit Galenus nono libro De decretis Hippocratis & Platonis, quod sensu & ratione fieri ostendit: nam ut intelligibilium iudicium ratione fit, ita sensibilium sensu. Nihil tamen impedit, & huic parti hunc sensum accommodare, Vita breuis, quia ars longa: ars

uero

uero longa ob occasionem præcipitem. Quum uero duæ fuerint antiquorũ medicorum sectæ, Dogmatica, & Empirica (nam rationalem ad dogmaticam nonnulli deducebant, quãuis differre certum sit) & si ipse dogmaticus sit, tamen artem longam esse per utrasq; sectas probat, per empiricam, ob experimentum, quia experimentum periculosum, ideo ars longa est. Deinde per dogmaticam hoc probat, quæ rationẽ sequitur: nam iudicium, idest ratio agendorum difficilis est, ut has duas particulas ponat, Experimentum periculosum, & Iudicium difficile, ad artis longitudinem, in quacũq; secta detegendam. uel intelligamus per has duas sectas Rationẽ & Empiricam, quia ipse dogmaticæ author fuit, inter utrasq; mediæ: rationalis enim rationẽ solã sequebatur, empirica solum experimentum. Ipse uero & experimentum & rationem in sua dogmatica secta complexus est. Et si quis dubitet, si hæc pars ad hunc librum procemium sit, ubi erunt tres illæ procemij partes ab Aristotele in tertio Rhetoricorum positæ, & à Boetio in libro Topicorum Ciceronis repetitæ: Beneuolentia inquam, docilitas & attentio. At hæc omnia hic inueniri facile possunt, si quis recte Hippocratis uerba contempletur. Nos uero hæc potius rhetoricis consideranda omittemus, ut breuius institutum nostrum prosequamur.

Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα. Idest, Oportet autem non solum seipsum præbere opportuna facientem.] Hæc est huius aphorismi secunda pars, quam nonnulli aphorismum esse iudicarunt: alij, aphorismi partem. Philotheus uero in præfatione sua aliud procemium esse putauit, quum inquit, ἴστεον δὲ ὅτι δύο προοιμία ἔχει ἡ παροῦσα πραγματεία, καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἐστιν ἀποφαντικὸν, ἢ ἀποτρεπτικὸν ἢ προτροπικὴν τοῦ, ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρά. τὸ δὲ δεύτερον συμβουλευτικὸν τὸ, δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν, καὶ τὰ ἑξῆς. idest, Sciendum uero quòd præsens tractatus duo procemia habet, & primum quidem enuntiatiuum est uel dehortatorium per admonitionem hanc, Vita breuis, ars uero longa: alterum uero consultiuum, hoc inquam, Oportet autem non solum se ipsum prebere. & reliqua. Vnde & Galenus hic dicit, hanc partem non esse similem pronuntianti, sed consulenti. & ideo in hac parte Philotheus non dicit amplius esse procemium: sed οὗτος συμβουλευτικός ἐστιν ὁ ἀφορισμός. idest, Hic aphorismus consultiuus est, facitq; hanc partem secundum aphorismum. Idem fecit Oribasius, inquiens, In primo aphorismo de longitudine artis & breuitate uitæ locutus est: ut hi qui futuri sunt medici, cum omni fortitudine atq; constantia animi studio incũbant: ideoq; merito eam arduam & longam esse dixit: deinde uolens animos eorum fatigatos recreare, sedulitatem discendi addidit. Non solum, inquiens, medicus debet esse cautus apud seipsum, sed & omnia rationabiliter agere, ut ægri animum oblectet: unde qui omnia, quæ in hoc libro scripta sunt, considerare uoluerit, non solum oportet seipsum præstare opportuna facientem, & nihil prætermittere quod ægro conducere possit, sed & ægrum & assidentes & quæ extrinsecus sunt, se ipsa eodem modo præstare oportet: quæ omnia ad procemium spectare uidentur, quia unius hominis uita breuis est, ratione totius artis medicæ. Propterea aphoristicos libros facere debemus, & medicus omnia agere debet, ægri, assistentesq;, ut in finem intentum perueniatur. Hanc partem non solum hic Galenus, sed etiam primo De diebus decretorijs libro, de medico intelligit, quem seipsum præstare oportet opportuna facientem, idest totam eius mentem ponere debet, ut conuenientia condecentiaq; circa ægrum agat. Et Hippocrates post principium libri De medico, qualis nam debeat esse medicus ostendit, ut sciat præcepta quæ ad medicam artem pertinent, per quæ eius artifex dicendus est. hæc sunt, uti quum discere, medicamq; artem exercere cœpit, studeat, discat, sciat, quę ad munus medicum pertineant, & ea circa ægrum agat quæ paulatim ab Hippocrate numerantur. Tu illum eodem locó cõsidera. Philotheus uero exponit quid sit præbere seipsum opportuna facientem, inquiens, τουτέστι κόσμιον εἶναι, καὶ πρᾶον καὶ φρόνιμον, καὶ εἰσιέναι πρὸς τὸν κάμνοντα κοσμίως, καὶ κατὰ λόγον τὰς ἰατρείας ποιεῖν. idest, Hoc est sapientem, mansuetum & decentem, & ad ægrum modeste ingredi, & secundum rationem res medicas exercere.

Ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα. Idest, Sed & ægrum.] Non satis est medicum iubere, ut quæ conueniant agantur, sed necesse est & ægrum parere, & ea agere quæ à probo medico iubentur. Plerunq; enim accidit ægri uitio, & non medici, ut moriatur, quia obedire noluerit ueris & utilibus medici præceptis, ut Hippocrates loco præcitato libelli De medico

ostendit; idq; mihi indies contingit, ut qui salubria præcepta contemnunt, desiderentur. Galenusq; in primo De diebus iudicatorijs præcitato libro, iubet ægrũ in omnibus præcipienti scilicet medico obtemperare, nihilq; ex intemperantia peccare. Hippocratesq; in libro De arte, idem ostendit: nam quum ea enodauerit quæ ante curationem à medico considerãtur, addit: Languentes uero nec cur langueant, nec cur non langueant, sciunt; nec ex præsentibus præteritis ue uentura prænoscunt, nec cur ea facere iubeantur quæ medici mandant: præsentia quidem dolent, futurumq; metuunt, sed tamen morbo pleni, cibarijs uacui, potius ea captant quæ placent & morbum augeant, quàm quæ salutem pariant: non quòd mori cupiant, sed quia malum ferre nequeũt: ideo opus est eos parere, aliter moriuntur. Nec medici propterea damnandi sunt: quod tamen apud nostrum uulgus plerunq; usu uenit, ut medicos damnent, quũ culpa ipsa in ægros morosos & inobedientes reijcienda esset. Hippocrates in fine libri De probitate, idem asserit.

Καὶ τοὺς παρεόντας. Idest, Et assistentes.] Per quos, ministros intelligit, qui ægros gubernant, qui omnia etiam agere debent quæ medico conueniunt & à medico præcipiuntur. Vnde Hippocrates in fine libri De probitate, de his assistentibus loquens, inquit; Quisq; harum rerũ peritus præsit & adsistat, qui mandata non aspere exequatur, quodq; mandatur subministret. Deinde inquit: Nihilq; rudibus concesseris mandaueris q; quòd si feceris, malefacti uituperium ad te ueniet. In libro etiam De arte, iubet assistentes ea agere, quæ agenda sunt. Et Galenus in primo De diebus decretorijs, inquit: Postea ij qui adsunt ei, nihil erroris committant, ut uel iram ideo concitent, uel tristitiam ex intempestiuis nuntijs adferant, uel offensam, quod imperfectius in re administranda se gerant; sed apparatus omnis ante iudicij tempus prompte statuatur, obsonia pulchre parentur, ministerium uitæ exhibeatur. Quæ omnia ab Hippocrate etiam fine libri De probitate, multis etiam alijs additis enumerantur. Philotheus hic dicit, καὶ τοὺς ὑπηρετοῦντας ἐπιτηδείους πρὸς τὰς αἰτήσεις, καὶ τὰς ἀποκρίσεις, πρὸς τὸ μὴ ἀπαγγέλλειν τι θλιβερὸν τῷ κάμνοντι. idest, Et ministros idoneos ad petitiones & responsiones, ne ægro quicquam quod animum affligat annuntient. Vnde & Oribasius dicit, Sed & ministri ægrũ obseruent, ut in nullo peccent, & ea quę foris sunt, nihil impediant, hoc est nuntius malus, aut strepitus aliquis, aut sonus, aut pluuia, aut torrens. Ista enim omnia nocere infirmo, & crisim futuram impedire solent, quæ non solum ad ministros referri possunt, tanquam ea quæ ab ipsis prohiberi debeant, ne ab ægro sciantur: sed etiam ad ea quæ exteriora sunt, iungi possent.

Καὶ τὰ ἔξωθεν. Idest, Et exteriora.] Quæ sint exteriora non solum hic à Galeno referuntur, sed longius etiam in primo De diebus decretorijs, quum dicit: Insuper quartum genus eorum quæ recensuimus, apposuit: nominat ipsum uno complexus nomine exteriora, diuersum licet existat, ac hac culpa uacet. etenim pluuiæ, tonitrua, fulgura, uicinorum tumultus, canum latratus, grassationes latronũ, domus ruina, defluens aqua, fluuius irruens, incendia, ictus, atq; huius generis uniuersa exterioribus attribuuntur. Et Hippocrates in fine libri De probitate, exteriora enumerat, præsertim habitationes, quæ pro languentium qualitate mutari debent. Et in libro De medico, lumen considerat, luxum, instrumenta, fascias, linteola, & plura alia extrinseca, tamen ægro necessaria. In libro etiã De arte, ab Hippocrate exteriorum mentio fit. Galenus igitur in primo De diebus iudicatorijs libro, hæc quatuor enumerat, quæ hic ab Hippocrate scripta sunt: Medicus, æger, assistentes, exteriora. Si hæc recte tractata fuerint, & quæ agi debent, probe agantur: iudicationes suis statutis diebus sequũtur. At si unum horum aberrabit, impedientur, nec rite medicus prædicere poterit. Philotheus hic dicit, καὶ τὰ ἔξωθεν συμφωνοῦντα. ἔξωθεν δὲ ὀνομάζει τὴν τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος φύσιν, καὶ τὰ περὶ τὰς οἰκήσεις ἐνοχλοῦντα. εἰ γὰρ θέλει γενέσθαι ὑγίεια, ταῦτα πάντα θέλουσιν εἶναι σύνδρομα. idest, Et exteriora conuenientia. exteriora autem nominat, aeris ambiẽtis nos naturam, & ea quæ circa domicilia conturbant: si enim sanitas fieri debeat, hęc omnia concurrere oportet. Oribasius Hippocratem intelligit, quod per exteriora id uelit, ut hi qui ueniũt ægrum uisitatum, unà sint cum medico, & omnia illa etiam intelligit quæ superius dicta sunt. Si uero extrinseca ad certa genera deducere uolueris, sex erunt, quæ non naturalia uocantur, scilicet cibus & potus, somnus & uigilia, euacuatio, repletio, aer ambiens, motus & quies, animi perturbationes: hæcq; ad huius aphorismi interpretationem satis sint. Tamen ne quidquam sponte

præter-

pretermittere uideat, ex his quæ ad huius partis intellectionem facere uidentur, dicamus præter rem non esse, huic Aphorismo talem sensum condonare. Mens Hippocratis est discentes hortari, ut omnia ad unguem perdiscant, & totis uiribus pro sanando ægro insudent: & unaquæq; harum particularum, quæ in secunda aphorismi parte est, uni correspondeat ex his quæ in prima parte scripta sunt, hoc modo, Quia uita breuis est, & ars longa, ideo seipsum præstare oportet opportuna facientem: & hoc non est satis: sed quia occasio præceps, ideo & æger seipsum præstare debet opportuna facientem, ut medicus suo tempore agat quæ recte agenda sunt, ne præceps occasio fugiat. Sunt enim plures ægri, qui medicorũ præcepta quantum fieri potest, euitare nituntur. At quia experimentum periculosum, ideo assistentes præstare se debent opportuna facientes, ne uelint & ipsi præter medici præcepta, quandoq; magno ægrorum incommodo experiri, nec illi molesta dicant, nec ex his quæ à medico dicta sunt, quicquã mutet. & quia iudicium difficile, propterea & ipsa exteriora opportune applicata sint, & opportune facta. In his enim iudicio, idest ratione indigemus. Si hic sensus placet, illum sequaris: sin minus, præcedentem interpretationem perleges.

GALENI PERGAMENI IN APHORISMOS HIPPOCRATIS LIBER PRIMVS

Nicolao Leoniceno Vicentino interprete.

HANC ORATIONEM siue unus sit aphorismus, siue plures, esse procœmium totius operis, pro confesso habetur apud omnes ferè eius expositores. Quid uerò sibi Hippocrates uolens tali utendum procœmio censuerit, non parum sententiæ ambigunt. Fortè uero id ipsum inueniemus, si singulas orationis partes prius diligentius considerauerimus. Quod quidem igitur uitam dixerit breuem, artis cõparatione, omnibus libri expositoribus est manifestum. Artem uero ipsam hac ratione arbitror longam existimare: quoniam omnium ferè operationum occasionem habeat momẽtaneam, & ob id difficulter comprehensibilem, ut nemo eam possit agnoscere, nisi qui diu in hoc fuerit exercitatus. Et quum duo sint instrumẽta ad artes inueniendas necessaria, alterum, scilicet experimẽtum, periculosum est: alterum uero, ex ratione iudicium, haud quaquam facile existit, imò sicuti aliquod aliud, maximam habet difficultatem. Est igitur occasio præceps, quia materia circa quam uersatur ars, continue fluit, corpus siquidem nostrum mutationibus obnoxium est, neq; à causis extrinsecis tantum, sed etiam ab intrinsecis faciliter alteratur. Experimentum uero periculosum, propter materiæ dignitatẽ, non propter transmutationis facilitatem: hæc enim in momentanea occasione continetur. Iudicium uero, si quis (ut ego assero) pro ratione audiat, liquet ipsam esse difficillimam, quum ad hoc usq; æui, ambigua permanserit. Si uero, ut nonnulli, qui se ab experientia empiricos nominant, opinantur, per iudicium intelligat, eorum quæ ex experiẽtia eueniunt diiudicationem, sic quoq; non est obscura eius rectitudinis difficultas. Sed authorem libri esse dogmaticum, in tota ostenditur commentatione. Prima itaq; procœmij particula ad hunc usq; locum terminatur. Secundam autem scribit non pronuncianti similis, sed consulenti. Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. Quorum uerborum uis talis existit, si debes exquirere, & eorum quæ in hoc libro scribuntur, examinare ueritatem. Non modo te ipsum medicum oportet omnia quæ conuenit agere, sed & ægrum, atq; ministros, & præterea exteriora omnia in nullo delinquere. Prima itaq; pars orationis hoc unum caput complectetur. Vita breuis, ars uero longa. Nam reliqua quæ sequuntur, artẽ esse longam demonstrant. Post hanc secunda pars, quoddam ueluti consiliũ affert, uel pactum, ad eos qui librum lecturi sunt, ac diiudicaturi. Sed quid nam sibi uult, statim in libri principio hoc scribẽs, breuem esse uitam, si ad artis magnitudinem conferatur? Nam & hoc ipsum indagare ab initio proposueramus. Sunt ergo nonnulli qui uolunt, id egisse Hippocratem, exhortandi homines gratia ad artem nauiter exercẽdam. Nonnulli contrà, dehortandi causa. Quidam uero ad hunc finẽ, ut experiretur atq; discerneret eos qui nauiter, & eos qui secus, artem

essent exercitaturi. Alij autē & in hoc uolunt, ipsum causam attulisse, ob quam oportuit scribere commētationes. Quidam adijciunt aphoristicas. Quidam uerò & hoc sermone uolunt ipsum causas assignasse, propter quas hæc ars sit coniecturalis. Alij autem ex quot causis contingat medicos suo fine frustrari. Hi igitur, ut à postremis incipiam, mihi omnino uidentur nihil consonum dicere. Qui enim hoc esset sapiens inuentum, aut dignum Hippocratis sententia, statim circa initia operis docere, uel quod ars quædam coniecturalis sit medicina, uel quòd eius frustramur fine, siue hoc fiat ex nobis ipsis, siue ex magnitudine artis. Sed & uerba illa. Nec solum oportet præstare se ipsum oportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora, contrarium omnino demonstrant. Hæc enim omnia, illi magis scribere conuenit, qui profiteatur omnia quæ in libro continentur esse uera, quam qui fatentur ob plurimas causas non sortiri finem. Neq; enim dixisset, Oportet autē; sed post illa uerba, Vita breuis, ars uerò longa, occasio præceps, experimentum uerò periculosum, iudiciū aūt difficile, hæc alia subiunxisset: Et medicus ipse etiam delinquit, & ægri, & eorū ministri. Sed neq; illi qui aiunt uoluisse ipsum auertere à studio medicinæ, cum dicat, Vitam esse breuem, artem uerò longam, uidentur mihi conuenientia dicere. Nam extrema foret dementia simul scribere commentationes, & tradere posteritati ad uitæ utilitatem, & simul ab initio, non solum à legendo, atq; discendo ea quæ scripseris dehortari, sed ab arte uniuersa cuius doctrinam profitearis, abalienare. Qui uerò aiunt uoluisse ipsum homines ad artem impensiori studio capessendam excitare (neq; enim aliter potest tota tempore breui, quum sit longa, perdisci) Hi & si aliquid ueri dicunt, non tamen mihi uidentur, uel uiri sententia dignum, uel his quæ in libro scribuntur, procœmium congruens satis ostendere. Sicuti neq; quicunq; arbitrātur, hoc genus sermonis fuisse ab Hippocrate usurpatum, tentandi gratia illos, qui ad artem accedunt. Verum enim est, quod etiam à Platone dicitur, hac maximè uia periculū fieri illorum animi, qui quamuis artem sunt percepturi, si magnam, atq; difficilem esse eius perceptionem ostendamus: at hoc haud quaquam per librum, sed per mutuos sermones agitur. Neq; mihi congruens uidetur præsenti commentationi, si quidem procœmium oportet his quæ sunt in libro scribenda cohærere. Nisi forte quis sentiat, omnium librorum primos esse legendos aphorismos, atq; ideo in procœmio commentationis, communem fecisse de uniuersa arte sermonem, per hunc uolentem ostendere, non posse unumquenq; pro suo arbitrio artem discere medicinalem, quæ longa sit, sed illos tantū quibus suppetat tempus ad discendum, & sit natura ad hoc aptior. Quod si omnino probabile appareat, hanc totius artis communem esse præfationē, neq; illi sunt reprehendendi qui aiunt Hippocratē causam assignasse, ob quam commentationes scribere oporteat. Fecit autem & in libro qui *κατ' ἰητρεῖον* inscribitur, omnium lectionum cōmune procœmiū quemadmodū in eiusdem libri expositione fuit à nobis ostensum. Quicūq; igitur uel doctrinæ modi, uel omnino commentationū necessitatis, uolunt causam in procœmio assignari, mihi uidetur eorū sententia præferenda. Nam forma doctrinæ aphoristica, quę omnes rei proprietates q̃ breuissimis uerbis circunscribit, est illis utilissima, qui uolunt breui tempore artem docere longam. Atq; hoc omnino, uidelicet scribere cōmentationes, ob id q̄ uita sit breuis, si ad artis magnitudinem conferatur, summā habet prę omnibus alijs rationem. Nemo enim nostrum sufficiat, ad artem simul & constituendā & absoluendā, sed satis uideri debet, si quę multorum annorū spatio priores inuenerint, posteri accipientes, atq; his addentes aliquid, illam aliquando compleant, atq; perficiant. Vel enim propter istorum alterum, uel propter utrumq;, mihi uidetur tali esse usus procœmio, ac si ita scripsisset. Quoniam artis magnitudo uitam excedit hominis, adeo quòd ab homine quantumuis diligēti, ac laborioso, non possit, & inchoari, & ad finem usq; perduci, propterea operæ pretium est, quæ quisq; cognouit ea mandare literis, & tradere posteritati commentationes, quæ rerum docendarum naturam omnem diligenter, ac cito, & sermone dilucido interpretētur. Quod uerò ars longa sit, uerba hæc quæ subsequuntur ostendunt. Occasio præceps, experimentum uerò periculosum, iudicium autem difficile. Quasi ita dixerit. Vita breuis, ars uerò longa, quoniam occasio præceps, & experimentum periculosum, & iudicium difficile. Propter hoc enim & ars longa, quoniam occasio agendorum in ipsa est admodum præceps, hoc est angustissima, & ferè momentanea. Et præterea cum sint duo instrumenta per quæ remedia

media inueniuntur, ratio scilicet, & experientia, hæc quidem est periculosa, ratio uerò difficilis, hoc est non facilior altera cognitu. Vera autem esse quæ dicuntur, non est difficile paucis ostendere. Occasio enim præceps est, propter materię fluxum, dico autem corpus, quod continue fluit, & momēto temporis transmutatur. Experimētum autem, & ipsum periculosum, materiæ ratione: neq; enim lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, & coria, ita artis medicinalis, sicuti aliarum materia sunt, in quibus multis modis impune licet experiri, & circa materiā exercitari, & in omni theorematum meditatione uersari. Quod in lignis fabri lignarij faciunt, in corijs coriarij: ligna enim & corium, si male tractando destruxeris, nullum exinde periculum. In corpore autem humano illa experiri quæ non sunt experientia comprobata, non est citra periculū, cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. Et quidem iudicium (est autem ratio ipsa iudicium, quoniam per eam quæ sunt faciēda iudicantur) difficile est, & uerum iudicium, seu uera ratio non facile inuenitur, quod multitudo hæreseum in arte ostendunt medicinali. Neq; enim si ueritas esset inuentu facilis, tot ac tanti uiri qui illam perquisierunt, unquam fuissent in tam contrarias sectas dispartiti. Empiricis uerò non uidetur ratio dici iudicium, sed ea quæ fit, illorum quæ per experientiam inuenta fuere, auxiliorū diiudicatio. Nam ut uerum fateamur, & hæc difficilis est, & non facilis exploratu, quando multa remedia adhibita fuerunt ægrotanti, & aliquod illorum in causa fuisse dicatur, ut æger uel melius se habeat, uel deterius, quem si forte cōtigerit, uel dormisse, deinde unctum fuisse, & postea emplastrū adhibuisse, deinde clysterem, uel spontaneam habuisse uentris deiectionē, & deinde comedisse, & tales assumpsisse cibos, & post hæc omnia, sensisse iuuamen, uel detrimentum, non facile dictu est, quidnam eorum quæ circa ipsum facta sunt, aut iuuerit, aut nocuerit. His igitur ex causis omnibus, iudicium perdifficile est. Iam enim sermonem totum uno capite colligamus. Ars quidē longa fit, si eam unius hominis uita metiamur. Expedit autem relinquere posteris cōmentationes, præsertim compendiosas, atq; aphoristicas. Nam talis doctrinæ modus, & ad primam disciplinam, & ad illa quæ didicerimus memoria retinenda, uel si forte obliuio interciderit, ad memoriam reuocanda, utilissimus est. Consonant aūt his & uerba sequentia: nam ut qui procemium fecerit ad commentationem, & ad ea quæ in ipsa scribenda erant, conuenienter subinferens, hæc protulit uerba: Non solum oportet præstare se ipsum opportuna facientem, sed & ægrum & assidentes & exteriora. Si quis, inquit, aliquando diiudicaturus est quæ in hoc libro scribuntur, quantū habeant ueritatis, non solum se ipsum præstare debet opportuna facientem, & nihil quod ægro possit conducere prætermittentem: sed & ipse æger parere medico, & in nullo propriæ indulgere uoluptati, ministri etiam idonei assidant oportet, & ut exteriora omnia adsint apparata. Nam propter illa plerunq; uel præcognitionem, uel curationem interrumpi contingit. Exteriora autem sunt habitationes idoneæ, uel turbarum plenæ, uel omni turba uacantes, & præter ea quæ nuntiantur aut aguntur, quæ iram, tristitiam, aut aliquem alium affectum infligunt ægrotanti. Sicut & illa quæ soporem nocturnum abrumpunt aliquando, quæ milia super milia possunt contingere. Si igitur, inquit, hæc omnia bene & recte se habuerint, nihil eorum quæ in hoc libro scribuntur, falsum esse inuenietur.

ANTONII MVSÆ BRASAVOLI ANNOtationes in Commentarium Galeni.

IN HIS nostris in Galenum commētarijs hunc ordinem seruare statuimus, primò per partes Galeni sententiam referemus. Interim si quæ erunt annotatu digna exponentes, & (ut fieri poterit) ampliantes. Deinde si aliquæ ambiguitates incident, eas breui, & quo facilius fieri à nobis poterit, dissoluemus. Nempe statuimus rei medicæ tantum uacare, & non inutilibus disputationibus, quæ potius tanquam ad sireneos scopulos remorantur lectores, quàm utilitatem discentibus præstent.

PRIMO Galenus docet, uel hæc oratio sit unus aphorismus uel plures, apud omnes ferè interpretes pro confesso haberi, esse præfationem ad hunc librum. At dubium est quid uoluerit Hippocrates per hoc procemium: quod facile dissoluetur, si singulas

orationis partes prius diligentius conſiderauerimus. Principium huius commenti, in prima noſtri antiqui codicis lectione ita legitur, ὅτι μὲν οὗτος ὁ ἀφορισμὸς, εἴτε εἷς ἐστιν, εἴτε δύο προοίμιόν ἐστι. In ſecunda uero lectione, & in Aldino contextu eodem modo habetur, ut Leonicenus interpretatus eſt, ſcilicet, ὅτι μὲν οὗτος ὁ λόγος, εἴτε εἷς ἀφορισμός ἐστιν, εἴτε δύο, προοίμιον ὑποδέχει. Hanc ſecundam lectionem magis probamus.

Quod legitur, Quid uero ſibi Hippocrates uolens, tali utendum prooemio cenſuerit, non parum ſententiæ ambigunt. Græce eſt, τί δὲ βουλόμενος ὁ ἱπποκράτης ἐχρήσατο τοιούτῳ προοιμίῳ, τῶν ἀπορωτάτων ἐστί. ideſt, Quid uero uoluerit Hippocrates, quum tali uſus eſt prooemio, ex iis eſt quæ ſunt maxime dubia.

SECVNDO, aphoriſmi particulas contemplatur: nam omnes huius libri interpretes uitam breuem dicunt, per comparationem ad artem. Ars uero longa eſt, ob occaſionem operandi, quæ eſt momentanea: unde non eſt facile eam aſſequi, ut nullus ſit, qui illam poſſit agnoſcere, niſi in hac arte diu fuerit exercitatus.

Quod legitur, Omnibus libri expoſitoribus eſt manifeſtum: in noſtro antiquo contextu duæ ſunt lectiones: una eſt, ἄντικρυς δῆλον, ideſt, ſtatim manifeſtum: alia eſt ea, quam Leonicenus habebat, ἅπασι σχεδὸν τοῖς ἐξηγησαμένοις τὸ βιβλίον, γνώριμον. Tamen Aldinus contextus, non γνώριμον, ſed πρόδηλον habet: quod mihi egregius arridet.

Quod etiam legitur, Et ob id difficulter comprehenſibilem: Græce eſt, καὶ διὰ τοῦτο τὸ δυσληπτόν.

TERTIO docet, duo eſſe inſtrumenta ad inueniendas artes neceſſaria, experimentum, & iudicium: primum fit ſenſu, ſecundum ratione: primum periculoſum eſt, ſecundum difficile.

QVARTO docet, occaſionem eſſe præcipitem, quia ſubiectum id, circa quod ars medica uerſatur, continuò fluit. eſt enim corpus humanum, quod in continuis mutationibus uerſatur, & ab extrinſecis cauſis, atq; à ſeipſo facile alteratur.

Quod legitur, Quia materia circa quam uerſatur ars, continuò fluit: Græce habetur, διὰ τὸ τῆς ὕλης ῥευστόν, ἥν τινα ἡ τέχνη μεταχειρίζεται. ideſt, Quia defluit materia, circa quam ars uerſatur.

Quod etiam legitur, Sed etiam ab intrinſecis: Græce eſt, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἑαυτοῦ. ideſt, ex ſe ipſo.

QVINTO docet, experimentũ eſſe periculoſum, propter dignitatem materiæ, quia humanum corpus cæterorum nobiliſsimum eſt: hoc uero periculum non eſt ob tranſmutationis labilitatem, quæ in momentanea occaſione continetur.

SEXTO docet, iudicium eſſe difficile, ſi quis per iudiciũ rationem intelligat, ut ipſe facit. nam ad hoc uſq; tempus utrinq; rationes ſunt, & res incerta permanet. At ſi ſecundum empiricos per iudicium iudicationem eorum quæ ex experientia eueniunt intelligamus: hoc etiam modo certum eſt artem hanc eſſe difficilem. tamen non putamus hoc uoluiſſe Hippocratem, qui in tota hac commentatione dogmaticus fuit, imò & ubique, non autem empiricus, hicq; finis eſt primæ huius aphoriſmi particulæ.

Quod legitur, Difficillimum: in prima lectione noſtri antiqui contextus legitur, τὸ χαλεπόν. In Aldino uero, τὸ χαλεπώτατον. At in ſecunda lectione habetur πάνταθεν.

Quod etiam legitur, Ad hoc uſq; æui ambigua. Illa particula ambigua Græce eſt, ἐστὶ ἀμφισβητουμένον in prima noſtri antiqui contextus lectione: in ſecunda uero, ἑκατέρωθεν ἀμφισβητούμενον, ideſt utrinque.

Quod etiam legitur, Sic quoq; non eſt obſcura eius rectitudinis difficultas. Græce eſt, καὶ οὕτως εὔδηλον τὸ δυσκατόρθωτον αὐτῆς.

SEPTIMO, ad ſecundam aphoriſmi partem conuertitur, quam non pronuntianti, ſed conſulenti ſimilem eſſe dicit, Nec ſolum ſe ipſum præſtare opportuna facientem. ſed & ægrum & aſsidentes & exteriora: ut hic ſit ſenſus, Si ea quæ in hoc libro ſcripta ſunt, diligenter examinare uolueris, non ſolum oportet te ipſum medicum omnia agere quæ conueniunt, ſed & ægrum, miniſtros & exteriora.

OCTAVO, iterum ad principium reuertitur, docens primam huius orationis partem hoc unum caput cõplecti, Vita breuis, ars uerò longa. Reliquæ uerò ſecundæ quæ ſequuntur, artem longam eſſe probant. Deinde ueluti conſilium affert, in ſecunda aphoriſmi

rissimi parte, uel pactum ad illos qui librum lecturi sunt, atque iudicaturi.

NONO dubitat, quid uoluerit Hippocrates per hęc uerba, Vita breuis, ars uerò longa: multasq; diuersorũ sententias affert. nam quidam putarunt id uoluisse Hippocratem, exhortandi gratia homines ad artem ἀξιολόγως, idest digne exercendam. Alij uerò dehortandi causa: unde & hic ab Oribasio dicitur, Statim per initia sermonis Hippocrates propulsare uidetur magis, quàm inuitare audientes. Non tamen ut omnes qui artem uel disciplinã medicam aggredi desiderant, profugos reddat: sed ut quantum candidatorum aures possint percipere, hoc memorię commendent. Aliqui uerò dixere, Hippocratem usum esse illis uerbis, ut experiretur qui nam gnauiter, & qui secus artem essent exercitaturi. Alij dicunt, ob hæc causam attulisse, ob quam oportuit scribere commentationes. Alij dicunt, non simpliciter commentationes, sed commentationes aphoristicas. Alij dicunt, per hæc uerba ostendere hanc artem esse coniecturalem. Alij dicunt, ostendisse ex quot causis contingat medicos suo fine frustrari. Galenus statim aliquas harum sententiarum reprehendit, & primò duas ultimas: nam fatuum uidetur, & Hippocrate non dignum, in principio operis ostendere medicam rem uel cõiecturalem esse, uel suo fine frustrari, quomodocunq; hoc contingat, siue ab ipsa arte, siue ex nobis ipsis. Adde secũdam aphorismi partem hos reprehendere. nam illa pars potius ei conuenit, qui putat omnia quæ in libro scripta sunt, uera esse. Sed oportuisset in hunc modum, hanc secundam partem protulisse, & medicus ipse etiam delinquit, & ægri, & eorum ministri. Mox illos reprehendit, qui ex illis uerbis ipsum à studio rei medicæ auertere uolunt. Quoniam extrema est dementia, commẽtationes scribere, & posteritati tradere ad uitæ utilitatem, & statim in principio lectores abigere, & abalienare à doctrina quam tu profiteris. Illi etiam qui dicunt, lectores excitare ad artem capessendam impensiori studio, etsi uerum dicant, tamen Galeno non placent, utpote qui sententiam non ponant Hippocrate dignam, & quæ pro procemio poni posſit. Nec etiam illi placent, qui tentandi gratia hæc ab Hippocrate dicta esse testantur: nam & si hoc idem fieri debere à Platone dicatur, id intelligere oportet per mutuos sermones fieri debere, & non per libros. hoc autem non conuenit, quia procemium his quæ in libro scribenda sunt, conuenire debet. At aliquis putare posset, Aphorismos omnibus Hippocratis libris esse prælegendos: & ideo in procemio huius commentationis communem fecerit de uniuersa arte sermonem. Et ex hoc ostendere uoluerit, non quemcunq; pro suo arbitrio aptum esse ad hanc artem addiscendam, sed illos solum, quibus suppetat otium ad addiscendum, & naturam aptam habeant. At Galenus dicit, Et si qui ita dicunt, probabiliter loqui uideantur, quod hęc sit totius artis præfatio. Illi etiam reprehendendi non sunt qui inquiunt, Hippocratẽ causam assignasse, ob quam commentationes scribere oporteat. Illos uero hoc ferè argumento reprehendere uidetur, quia in libro qui κατ' ἰατρεῖον inscribitur, omnium lectionum commune procemium fecerit Hippocrates, ut in expositione illorum librorum Galenus docuit.

Quod legitur, Nihil consonum: Græce est, οὐδὲν πρὸς ἔπος. id est, Nihil ad uerbum, & propositum.

Quod etiam legitur, Impensiori studio: Græce est, φιλοπόνως.

Quod etiam legitur, Neque enim aliter potest tota tempore breui: Græce est, Neque enim aliter posse totum tempore breui. Græce quoq; in infinitiuo est, δυνηθῆναι.

Quod etiam legitur, Si magnam atq; difficilem eius perceptionem ostendamus. hæc particula Perceptionem, Græce est τὴν διδασκαλίαν, idest doctrinam.

Quod etiam legitur, Sed per mutuos sermones: Græce est, ἀλλὰ ἐν ταῖς συνουσίαις. idest, sed in conuentibus.

Quod etiam legitur, Cohærere: Græce est, οἰκεῖον εἶναι. idest, proprium esse.

Quod etiam legitur, Artem discere medicinalem. illa particula Artem, Græce habetur μάθημα.

DECIMO, illorum sententiam laudat atq; recipit, qui dicunt, in hoc procemio assignari causam necesſitatis huiusmodi doctrinæ, & commentationum: nempe forma doctrinæ aphoristica, idest quæ omnia quæ ad rem attinent breuisſimis uerbis circũscribit, ad illos utilisſima est, qui breui tempore artem longam docere uolunt: & istud etiam quia uita est breuis, ideo commentationes scribere oporteat, summam habet præ omnibus ra-

tionem. Nullus enim est qui satis esse posit ad artem constituendam & absoluendam. Sed hoc satis uidetur, si quæ priores annorum spatio inuenerint posteri acceperint, & alia his addentes, denique illam compleant atque perficiant. Vel enim ob alterum istorum, uel ob utrunque: idest uel ob modum doctrinæ, aut commētationum, uel ob hæc duo simul, putat Galenus Hippocratē hoc procemio usum esse: ac si ita scriptum reliquisset, quia magnitudo artis medicæ uitam hominis excedit. ab homine enim quantumuis laboris amatore, nō potest incohari, & in finem usque perduci. Vnde necesse est, quæ quisque cognoscit, literis mandare, & posteris commentationes tradere, quæ omnem naturam docendarum rerum diligenter citò & perlucido sermone interpretentur.

Quod legitur, Quæ omnes rei proprietates: Græce habetur, ἅπαντα τοῦ πράγματος τὰ ἴδια. idest, Omnia quæ ad rem attinent.

Quod etiā legit̄, Sed satis uideri debet: Græce est, ἀλλ' ἀπαρκεῖν. idest, Sed sufficiēter.

Quod etiā legitur, Diligenti ac laborioso: Grece est φιλόπονος, Et laboris amatore.

Quod etiam legitur, Diligenter ac citò & sermone dilucido: Græce habetur, ἀκριβῶς τε ἅμα καὶ ταχέως καὶ σαφῶς.

VNDECIMO, iterum redit ad exponendum aphorismum, quòd ars longa sit, particulæ consequentes ostendunt, occasio præceps, experimentum periculosum, & iudicium difficile: ac si ita dicat, Ars longa est, quia occasio agendorum in ipsa est multum præceps: idest angustissima est, & ferè in momento pertransit. Adde que, quum sint duo instrumenta, per quæ præsidia inueniuntur, ratio, & experientia: experientia est periculosa, & ratio difficilis. & quòd hæc sint uera, statim ostendet.

Quod legitur, Et ferè momentanea: Græce est, καὶ ὀλιγοχρονιώτατος. idest, Breuissimi temporis.

Quod etiam legitur, Hoc est, non facilior altera cognitu: Græce est, τουτέστιν, οὐ ῥᾴδιον γνωσθῆναι θάτερον.

DVODECIMO, suadet occasionem esse præcipitē ob artis materiam, quæ est humanum corpus, quòd continuò fluit, & breui tempore transmutatur. Experimentum quoque periculosum est, ratione eiusdem materiæ: nam huius artis materia non est lapis, lignum uel corium, in quibus sine magna noxa licet experiri quicquid in mētem uenerit artifici, ut seipsum exerceat: nam si hæc male tractentur, solum eorum precium amittitur. Sed in corpore humano illa experiri, quæ experientia comprobata non sunt, non est citra periculum: & cuius? Vitæ. nam experientia mala ad hominis interitum finit.

Quod legitur, Propter materiæ fluxum: Græce est, διὰ τὴν τῆς τέχνης ὕλην. idest, Propter artis materiam.

Quod etiam legitur, Et momento temporis: Græce est, καὶ ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ.

Quod etiam legitur, Impune: Græce est ἄλυπον, sine molestia.

Quod etiam legitur, Et in omni theorematum meditatione uersari: Græce est, ἀσκοῦντα καὶ μελετῶντα τὰ θεωρήματα.

DECIMOTERTIO, iudicium, idest rationem difficilem esse ostendit ex multitudine opinionum, quæ in hac arte sunt. Nam si ueritas esset inuentu facilis, tot & tanti uiri qui illam perquisiuerunt, non essent in tam contrarias sectas diuisi. Aut quia empirici non intelligunt per iudicium rationem ipsam, sed iudicationem auxiliorum quę per experientiā fuerint inuenta. Sed re uera & hæc difficilis est: nam multa præsidia uni ægro adhibita sunt, difficile est cognoscere quodnam profuerit: ut si dormiat, unctus sit, emplastrum habuerit, postea clysterem, uel spontinam euacuationem, deinde comedisse cibos conuenientes, deinde persensisse iuuamen uel detrimentum, non est facile iudicatu quidnam horum profuerit uel obfuerit: unde ex his, iudicium etiam secundum empiricos est difficile.

Quod legitur, Quòd multitudo hæreseum in arte ostendunt medicinali: lege, In arte ostendit. Nam Latine bene dici non potest, Multitudo ostēdunt. Et Græce dicit, δηλοῖ.

Quod legitur, Difficile est & uerum iudicium, seu uera ratio non facile inuenitur: Græce est, χαλεπὸς καὶ δυσθήρατος ἐστὶν ὅ γε ἀληθής. difficilis & arduæ inquisitionis.

Quod etiam legitur, In tam contrarias sectas dispartiti: Græce est, εἰς τοσοῦτον ἥκουσιν ἀντιλογίας ἀλλήλοις.

Quod

Quod etiam legitur; Et hæc difficilis est, & non facilis exploratu: Græce est, καὶ τῶν χαλεπῶν καὶ δυσθηράτων.

Quod etiam legitur, Vel dormisse: legendum est, Bene dormisse: non, uel. Græce enim adest particula, καλῶς.

DECIMOQVARTO, iterum totam aphorismi sententiã repetit, ut finem faciat. Ars longa est, si uitæ unius hominis comparetur, unde expedit commentarios parare, præsertim breues & aphoristicos: quoniam hic doctrinæ modus, & ad primam disciplinam, & ad illa quæ didicerimus, ut memoriæ retineantur, conuenit: & si è memoria dilapsa sint, ut in illam facile deducantur. Vnde & quæ consequuntur, conueniunt, quod opus est seipsum medicum, ægrum, assistentes & exteriora, præstare se opportuna: si quis omnia quæ in hoc libro scripta sunt, an uera sint, dijudicaturus sit. Vnde medicus agere debet, quæ conueniunt: æger parêre: ministri, iussa medici prosequi: & exteriora, apparata esse.

Vbi legitur, Vel præcognitionem uel curationem interrumpi contingit: addi debet, Vel utraque. Nam Græce est, ἤτοι τὴν πρόγνωσιν, ἢ τὴν θεραπείαν, ἢ ἄμφω συνέβη διακοπῆναι. idest, Vel præcognitionem, uel curationem, uel utraque interrumpi contingit.

Denique, quid sint exteriora Galenus edocet. Sunt autem idoneæ habitationes uel turbarum plenæ, uel omni turba uacantes: & præterea quæ nuntiantur, aut aguntur, quæ tristitiam, uel iram, uel gaudium, uel aliud simile ægrotanti infligere possunt: & præterea illa quæ nocturnum soporem abrumpere possunt, quæ enumerare propè infinitum est. Si igitur hæc omnia bene & recte se habuerint, nihil falsum inuenietur, ex his quæ in hoc libro scripta sunt.

Quod legitur, Aut aliquem alium affectum: Græce est, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον. In aliquibus etiam contextibus deest particula ἕτερον, & legitur ἤ τι τοιοῦτον.

Quod etiam legitur, Sicuti & illa: Græce est, καὶ πρὸς ἔτι. idest, Et præterea illa.

APHORISMVS II

IN perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis, si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Sic & uasorum inanitio, si talis fiat qualis fieri debet, confert, & bene tolerant: sin minus, contra. Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non.

BRASAVOLVS

IN HAC parte Aphorismos incipere multi interpretes fatentur, quum præcedens pars procemium fuerit. Diuiditurque secundum Galeni incessum liber hic in septem particulas: quamuis Soranus in tres, & Rufus in quatuor diuiserint, ut Oribasius testatur, qui etiam dicit tot esse libri partes, quot sunt aphorismi. In hoc autem libro potest hæc generalis intentio colligi de uictus ratione, tam in ægris, quàm in sanis, & in omni ætate, & de euacuatione tractari. In hoc autem aphorismo, in quo noster antiquus contextus inscriptionem habet, περὶ τῆς αὐτομάτου ταραχῆς τῆς γαστρός, idest, de spontanea uentris perturbatione, Hippocrates comparationem facit euacuationum spontinarum, ad illas quæ arte fiunt: nempe in euacuationibus, medicus naturam recte operantem imitari debet: sed natura recte operans, si talia euacuet qualia euacuari debent, ęgro confert: sin minus, econtra. Ita medicus recte operans, si talia euacuet, qualia euacuare oportet, confert, & leuiter ferunt: sin minus, econtra. Propterea ut talia purgentur, qualia purgari oportet, regionem inspicere debemus, tempus, ætatem & morbos, in quibus conueniat aut non. Vt hæc sumi possit pro huius aphorismi summa, Medicus recte operans, talia purgare debet, qualia purgare oportet: ita enim æger leuiter fert. At si nõ purgentur qualia purgare oportet, non leuiter fert. Vnde medicus summo studio incũbere debet, ut talia purget, qualia oportet purgare: quoniã semper studere debet, ut ægro conferat. Non ab re igit̃ interpretes omnes dicũt, de euacuatione hic tractari, quæ fieri debet

ratione qualitatis humorum, & non ratione quantitatis.

Hippocrates in Epistola ad Democritũ, de ueratri purgatione, de spontinis euacuationibus hæc dicit: Si in uentris motionibus & purgationibus & uomitionibus sponte factis, quemadmodum oportet purgentur, confert, & facile ferunt: sin minus, contrà.

In omni euacuatione duo considerare oportet, unum est qualitas eorũ quæ euacuantur, aliud quãtitas: nam unum absq; alio reperiri potest: nempe quispiam sola quantitate peccare potest, & bonam humorum qualitatem habere: & econtrario, mala existente qualitate, humores in æquilibrio habere.

In hoc aphorismo, de sola qualitate uerba facit. Quod Galenus in commento manifestissime aperit, inter purgare & euacuare differẽtiam ponens: nam purgare, est de humoribus qui sua qualitate molestant: euacuare, etiam de his est qui sua quantitate. At euacuare, etiam usurpatur ad humores, qui sua qualitate molestant: imò & purgare, ad eos qui sua quantitate, in nostro communi usu loquendi: non tamen apud antiquos, apud quos καθαίρεσθαι, idest purgari, nunquam dicitur, nisi de humoribus sua qualitate peccantibus. Duo autem sunt uerba, quæ ostendunt, de sola humorum qualitate hunc aphorismum agere: unum est, Quale & tale: aliud, uerbum Purgare. Idem dicit Philotheus per hæc uerba, διαφέρει γε μὴν κάθαρσις κενώσεως. ὅτι ἡ μὲν τῆς κατὰ ποιότητα βλάβης ἀπαλλαγὴ, κάθαρσις ὀνομάζεται. κένωσις δὲ, ἡ ἀπὸ τῆς κατὰ ποσότητα. ἐνταῦθα οὖν περὶ τῆς κατὰ ποιότητα φυσικῆς κενώσεως ὁ λόγος ἐστὶ τῷ ἱπποκράτει. τὸ γὰρ οἷα ποιότητός ἐστιν σημαντικὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ καθαίρεσθαι, ἀπὸ τῆς κατὰ ποιότητα ἔρχεται κενώσεως. idest, Differt autem purgatio ab euacuatione: quoniã hæc quidem quæ à noxa circa qualitatem liberat, purgatio nuncupatur: euacuatio uerò, ab eo quod est secundum quantitatẽ. Hic igitur euacuationis naturalis, quæ est secũdum qualitatem, sermo Hippocratis est. nam hoc quod dicitur Qualia, qualitatis est significatiuum: uerum & hoc quod dicitur Purgari, de euacuationibus quæ secundum qualitatem sunt, dicitur.

Εν τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίας. idest, In perturbationibus uentris.] Sunt autem motus ad excernendum per inferiora & secessum: qui quum fiunt, perturbant, non solum eo tempore offendentes, sed etiam rugitibus & magnis motibus perturbantes. deinde leuiter ferunt, si qualia oportet purgari, purgentur. Ipse uerò utitur uerbo κοιλία, quo frequẽtissime utitur ad significandũ uentriculum. Nunc pro inferiori uentre accipit, quem & γαστέρα nuncupat. Tamen hæc uocabula γαστὴρ & κοιλία, quandoq; pro omni corporis cauitate accipit: de qua re Galenus agit libro quarto De ratione uictus in morbis acutis, sectione centesima duodecima. Sed hic dubium facit Oribasius, quare à uentre incipiat potius, quàm ab alio principio. Respondet: Recte illum fecisse non latebit. Nam quis nescit uẽtrem ab oculis remotum, conspicuè uarios nobis morbos indicare. Et Philotheus eodem modo dubitasse uidetur: quia inquit, περὶ κενώσεως φυσικῆς καὶ τεχνικῆς διαλαβεῖν προθέμενος, ἠναγκάσθη ὑπὸ τῆς ἀκολουθίας τοῦ λόγου τῆς γαστρὸς μνημονεῦσαι. ἄλλως τε ἀπὸ γαστρὸς νῦν ἤρξατο, τουτέστιν ἀπὸ τῆς σιτοδόχου κοιλίας, ὅτι καὶ τὸ πρῶτον ἡ τῆς τροφῆς πέψις, ἐν τῷ μορίῳ τούτῳ γίνεται. idest, De euacuatione naturali & artificiali disserere proponens, per sermonis consecutionem, conuenienter de uentre cõsecutionem facere coactus est. Alioqui à uentre nunc cœpit, hoc est à cauitate cibos recipiẽte: quoniam & primum, nutrimenti coctio in hac parte fit.

Καὶ τοῖς ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν. idest, Et uomitibus spontinis.] Per quos illos intelligit, qui à natura fiunt, nullo extrinsecus iritante, idest nullo medicamento, nulla potione, nullo decocto ad uomitum impellente: tamen & perturbationes uentris supradictas spontinas esse intellige, ut id uocabulum αὐτομάτως, idest per seipsum, & spontinum, uentris perturbationi deseruiat, & uomitui.

Hic uerò à recentibus dubium fit de uomitu, An recte dici possit spontinus & naturalis, an non. Verum nos prius in perturbatione uentris hoc idem perquiramus: nempe uentris perturbatio nũquam fit, nisi aut aliquo humore infestante atq; iritante, aut multis cibarijs incoctis in corpore congestis, idem efficientibus. Propterea spontanea non uidetur, aut naturalis, sed potius per huius praui humoris iritamentum facta.

Respondemus, Prouidam naturã semper humores optimos seruare, nisi cogatur: malos uero expellere, aut ad benignum conuertere, si fieri possit: tamen hos nũquam expellit, nisi

lit, nisi irritetur, etiã si mali sint. Propterea hos humores natura persentiens ueluti infensissimos hostes & ad nocendum paratos, eos expellit, & hic motus spontinus dicitur, quia ab ipsa natura fit, nullo extrinsecus occurrente, id est nec medicamẽto, nec re alia, quam per artem exhibemus. est ergo uentris perturbatio naturalis, id est à natura facta, & non per artem.

Ambigunt uero recentes, an uomitus aliquis, naturalis dici possit.

Respondemus & breuibus, Omnem uomitũ qui non fit ab arte, naturalem dici posse: quisq; enim euomere potest, uel quia ita illi placeat, digito uel penna uentriculum irritans, aut re aliqua quam bibat, & hic uomitus arte factus nuncupatur, & à propria uoluntate prouocatus. Reliqua uomituum genera, etiam per uiam symptomatis facta, naturalia dici possunt. At de uomitus causis, Galenus sexto libro De symptomatũ causis agit, inquiens, Vomitum fieri interim grauato ob multitudinẽ uentriculo, ut quum plurimum cibi ingestum est: interim ob rem mordacem, quemadmodũ ubi per cruditates cibus ingestus uel acidum ructum uel nidorem uel amarorem uel acrimoniam refert. Eodem genere continentur & biliosa & pituitosa & serosa excrementa, tum inibi nata, tum ex uniuerso animantis habitu in ipsum deriuata. Est præterea tertium causarum genus, quibus uentriculus ad uomendi impetum concitatur, nulla uel graui uel mordaci re ipsum irritante: sed ob id duntaxat, quod præter naturam quippiam in eo continetur. Est autem communis omnium quæ præter naturam sunt, definitio. Si postea quàm concocta sunt, alere non possint, hac ratione (ut arbitror) nõ solum acida pituita aut salsa, uerum dulcis quoq; nonnunquam in uentriculo consistens, ipsum ad uomitum prouocat, haud aliter sanguis ubi in uentriculum effusus est, ipsum ad uomitionem impellit. Galenus hactenus. Ex quibus educere potes, ob tria nos euomere, uel ob multitudinem, uel ob mordacitatẽ, uel quia aliquid præter naturam in eo est. hi uero omnes sunt naturales uomitus, & non arte facti. In eodem etiam libro docuerat, per uomitionem ea quæ in spatio continentur, eijci: per singultum ea quæ uentriculi corpus imbuerunt.

Sed Galeni uerba libro quinto De arte curatiua, huic determinationi repugnare uidentur: in ea enim parte de locis tractans, quibus nostri corporis partes expurgantur, inquit. Hinc etiam fit, quod uentriculus utrinq; expurgari possit, sursum per uomitum, deorsum secũdum naturam. Igitur uomitus motum, motui secundũ naturam opponi facit.

Respondemus, Superiores partes, ut os, œsophagum, & reliquas, factas esse ad ingerendum: anus uerò & partes inferiores, ad egerendum. Vnde secundum naturam est, quod egeritur: quod uerò euomitur, non est secundum naturam: imò oppositum operationi naturæ, ratione finis partium: & ideo ratione officiorum partium, uomitus est præter naturam: sed ratione qua naturam deaggrauat, naturalis est, & etiam ratione qua non fit ab arte. Quod uerò recentes dicunt, naturalem dici non posse, quia graue ascendit: hoc non est uera ratio, cur sit præter naturam. Aliter, si hominem suspenderemus pedibus superne & capite inferne conuersis: quia tunc graue descenderet, esset motus naturalis. Voco igitur uomitum præter naturam, quia fit per partes, à natura ad hoc non destinatas, nisi per accidens. Nec etiam dicendus est præter naturam, quia uentriculi fundum eleuetur: nam uentriculi officium, per musculorum uim est nocua expellere: & quamuis graue ascendat, tamen non est præter naturam ratione motus, sed tantum ratione grauis. Hic uero dubium intercideret, postquàm sanguis in nobis factus est, & ad membra distribuitur, nunquid sit motus naturalis, quia sanguis omnino grauis est, tamen una pars à iecore ad caput ascendit, & ad alias superiores partes: sed animaduertere oportet esse motum naturalem, quia fit à uirtutibus intrinsecis ita à natura constitutis & determinatis, ut per totum corpus nutrimentum distribuant, quod & si graue sit supra ipsum potentiam habent: forte ratione grauis præter naturam est, sed non ratione uirtutis mouentis, ut quando aliquis ignis accensus rem grauem secum ducit, ut in uocatis radijs uidere licet, quos pueri accensos iaciunt: nos pyrobolos nuncupare possumus.

Nec omittenda est una, quæ à recentibus fit in hoc loco difficultas, nempe arguunt uomitum non esse naturalem, quia est uoluntarius. Respondent, aliquem uomitum esse uoluntarium, aliquem non uoluntariũ: qui fit per intrinsecam materiam, uoluntarius non est. In hos autẽ hoc modo argumentamur, Omnis motus qui fit per musculos uolũtarius

est, ut Galenus non raro testatur, sed uomitus per musculos fit, igitur uoluntarius est.

Respondemus: motus musculorum, qui fit non coacte, & nullo cogẽte, uoluntarius est, & non aliter: sed aliquis musculorũ motus inueniri potest, qui non erit uoluntarius, quoniam & musculus ipse cogetur à materia aliqua uel maligna uel acuta cõtra uoluntatem nostram moueri, ut in mictione experimur. Mictus est uolũtarius motus, tamen acuta urina adueniente, etiam præter uoluntatem fit motus. Idem in uomitu contingit, qui & si à musculis fiat, quandoq; tamen uoluntarius non est.

Adde uomitum per imaginationem quandoq; fieri, & ex quadam naturali proprietate, ut in nonnullis contingit, qui quum ranam uel murem uel buffonem nominare audiunt, ad uomitum prouocantur. Sed de hac re alias sermonem habebimus, causam cur ita sit, assignantes.

ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται. idest, Si qualia oportet purgari, purgentur.] Hoc est ut Philotheus dicit, τὰ λυποῦντα κατὰ ποιότητα. idest, per qualitatem infestãtia. Quomodo autem illa cognoscantur, quæ οἷα, idest qualia, ab Hippocrate dicuntur: Oribasius his uerbis edocere uidetur, inquiẽs: Innuit etiam author in præsenti, initiandis arti esse obseruandũ, utrum rubrum, an nigrum, siue alterius coloris sit quod deijcit. Alia uero ratio est, quòd uenter receptaculum sit potus atq; cibi, quibus unà uenientibus in uentriculum & calefactis à iecore, succulenta quædam fit substantia, & sicut lacte coagulato butyrũ supernatat, sic excocto succo fit putredo phlegmatis, quæ ipsi stomacho nutrimentum præstans, inde ad cerebrum pergit. Mundissimũ uero quod remanet, ministratur hepati, contrahitur per meseraicas uenas, quæ ab hepate egrediuntur, ubi conficiuntur quatuor humores, & unusquisq; illorum per riuulos quosdam ad suum principalem meat locum. At quoties perturbationem aliquam substineat natura, per ipsos riuulos, eaq; orificia uenarum & meatuum per quæ exierunt, de uentriculo ad hepar recurrunt humores, & sic ab hepate & orificijs meatuum & uenarum uentri ministrãtur, forasq; proijciuntur.

Quod uero ait, Si tale purgetur quale purgari oportet, & reliqua, tale est, Ipsa perturbatio uarie accidit, aut enim artificiosa est, aut naturalis, aut ex accidenti. Artificiosa est quum medici catharticum præbent. Naturalis, quoties leuat se natura, & superflua expellit: nũquam enim natura aut maius aut minus uult, sed semper gaudet moderamine. Ex accidente uero fit; quum casu aliquo fit, aut qualitate, aut quantitate. Ex accidenti enim duobus modis fit. Qualitas uero est, ut cibi uentrem emollientes. Quantitas oppressio, aut corruptio est. Hæc Oribasius.

Ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσιν. idest, Confert, & leuiter ferunt.] Quando illi humores purgantur, quia sua mala qualitate infestant: nam ut Philotheus dicit, εὐφοροῦσι γὰρ οἱ κάμνοντες ἐλευθερούμενοι τῆς κακοχυμίας. idest, Etenim bene ferunt ægrotãtes à praua humorũ qualitate liberati. hocq; intelligere oportet post factã euacuationẽ. in ipsa enim euacuatione is qui euacuaẽ lassus est, & quodãmodo patitur, postea uero leuior efficiẽ.

ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. idest, Si uero non, econtra.] Scilicet, si non purgentur qualia purgari oportebat: nam & Philotheus dicit, εἰ μὲν τοι ἄλλων τινῶν χυμῶν κάθαρσις γένηται, καὶ μὴ τῶν λυπούντων, τοὐναντίον οὔτε συμφέρει, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον δυσφοροῦσιν οἱ κάμνοντες. idest, Siquidem purgatio aliorum quorundam humorum fiat, & non infestantiũ, econtra non confert, sed & magis grauiter ferunt ægrotantes. Oribasius tale exemplum dat huius aphorismi: Sicut cloaca maximæ ciuitatis, quæ multos in se recipit riuulos, quum clausa fuerit, stercus in ciuitate redũdat, aperta uero superflua reiectat. Similiter tunc facile fert natura, quando superflua deponit: utputa reperio tertiana laborãtem iuuenem, do illi præsidium, quod ipsum proprie deponat humorem, abscisa causa facile tulit. Sic & natura, quoties sponte facit, considerare debet medicus, quale sit, aut quantum, aut si uires sufficiant. Tunc enim facile fert natura, quando superflua proijcit, siue per uomitum, siue per uẽtrem. Perturbatio enim comparata est mari, quod nisi perturbationem habuerit, superflua à se expellere non ualet.

οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη. idest, Sic & uasorum inanitio.] Philotheus dicit, περὶ τῆς φυσικῆς κενώσεως πρότερον διαλαβὼν, νῦν καὶ περὶ τῆς τεχνικῆς διαλαμβάνει. idest, De naturali euacuatione quum prius disseruisset, nunc & de artificiali pertractat.

Docet

Docet deinde quid ſit uaſorum inanitio, inquiens, *κενεαγγεῖα δέ ἐστιν ἡ κένωσις τῶν ἀγγείων τῶν περιεχόντων τοὺς χυμούς. ταῦτα δέ εἰσιν, τά τε ἀρτηριώδη καὶ φλεβώδη ἀγγεῖα.* ideſt, Vaſorum autem inanitio, eſt euacuatio uaſorum humores continentium : hæc autem ſunt arterioſa uaſa & uenoſa. Oribaſius dicit Hippocratẽ nunc ſequi inanitiones, quæ fiunt ab hepate: inanitio enim dicta eſt, eo quod inane faciat corpus, uel uenas noſtras, ut eſt ſanguinis miſſio, clyſter purgans quæ eſt ſubductio uentris. Iſta enim omnia inanire ſolent corpus. Erant ergo nonnulli, qui per uaſorum inanitionem inediam intelligebant: alij uenæ ſectionem: Galenus uero euacuationem intelligit, quam dicit Hippocratẽ ab euentu uaſorum inanitionem nuncupare ſolere. An uero ſub uaſorum inanitione, ideſt euacuatione, uenæ ſectionem intelligere poſſimus, non dubitamus, quoniã & ſectio uenæ, eſt uaſorum inanitio & euacuatio. Quod autẽ hoc uelit Galenus, facile probari poteſt ex commentario ſecundi aphoriſmi quarti libri, ubi inquit, In medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia utilia : quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Galenus hunc aphoriſmũ exponens, inquit, prius ideſt in primo libro, Hippocratem generalius de euacuatione locutum eſſe: propterea dixit, Vaſorum inanitio: hic autem, ideſt in quarto libro, de ſola purgatione uerba facit, ut manifeſte colligatur, euacuationem cõmune uocabulum eſſe, ad purgationem & uenæ ſectionem. imò ut interius Galeni mentem explicemus, quum dicit, Vaſorum inanitio communiter omnem euacuationem intelligit, quod in præcitato loco explicans, uomitũ nominat, ſeceſſum, palatum, nares, euacuationẽ per tuſsim, per urinam, per clyſterem, per uenæ ſectionem, per hæmorrhoidas, per uterum, per exercitia, per frictiones, per motum, per calorem, per balnea, per inediam : ſed hunc ultimum euacuationis modum ex accidenti eſſe dicit. per omnia hæc opus eſt uaſorum inanitionem intelligere.

Ἢν μὲν οἷα δεῖ γίγνεσθαι, γίγνηται, ξυμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσιν. ideſt, Si qualis oportet fieri, fiat, confert, & leuiter ferunt, ſi humores infeſtantes euacuentur. Cognoſcẽs autem, ut Oribaſius dicit, conferre, non aliunde, quàm ex ipſo ægrotante, ſi facile fert, ſi gaudet, ſi non deficit, & ſi non conqueritur. Adde ſi melius ſe habeat poſt purgationem, & ſibi ipſi leuior uideatur.

Ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. ideſt, Si uero non, è contra.] Ideſt, Si non purgentur qualia oportet purgari, ſed purgẽtur boni humores, qui potius in corpore permanere deberẽt, non confert, neq; leuiter fert: quod cognoſcitur (ut Oribaſius inquit) quia non gaudet, & natura offenditur. Hic dubitationem quandam remouet Philotheus inquiens, *πρὸς δὲ τοὺς λέγοντας ὅτι διατί τὴν φυσικὴν προέταξεν τῆς τεχνικῆς; φαμὲν ὅτι ἡ τέχνη τὴν φύσιν μιμεῖται, οὐχ ἡ φύσις τὴν τέχνην.* ideſt, Ad eos uero qui dicũt, propter quid præpoſuerit euacuationẽ naturalem artificiali: Dicimus quòd ars naturã imitatur, & non natura artem.

Ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ χώρην. ideſt, Inſpicere itaq; oportet & regionẽ.] Galenus in commentatione hanc partem hoc modo intelligit, Medicus euacuare intendens, naturã recte operantẽ imitari debet, ut ea euacuet, quæ ſi euacuauerit, ægris prodeſt, & leuiter ferunt. Si medicus cognouerit quæ ſint euacuãda, ut bilis, uel atra bilis, hęc euacuet: nam leuiter ferent. Sciet autem ſi euacuanda ſint, quia luteum bilis colorẽ uidet, aut nigrum atræ bilis. At ſi hæc non uiderit, imò dubitet de humore euacuãdo, tunc inſpicere oportet regionem : an ſcilicet calida ſit, uel frigida, quia in ea tales humores ſuperabundant, qualis ipſa eſt. Oribaſius hic dicit, Hippocratem memorẽ ſermonis de inanitione quæ à medico fit: contemplatus etiam, quantum ipſi medicinæ opus ſit, coactus eſt caute & ſolicite admonere nos, ut ante quàm opus aggrediamur aliquod, ſciamus ſi bene poſſit fieri, ſi lædi ægrotus, aut iuuari queat: ſi offendi, aut melius habere. nõ enim oportet incertum experimentũ in homine fieri, unde regionem conſpicari oportet, in qua debeat operari, in qua nõ: ſi ualde eſt frigida, ſicut Scythia, Thracia, uel aliæ earum ſimiles, aut ualde calida, ſicuti Aethiopia, uel India. Adde etenim, In primis partibus abundare pituitam, in alijs bilem.

Καὶ ὥρην. ideſt, Et tempus anni.] Quia in diuerſis anni temporibus diuerſi humores abundant: nam (ut Oribaſius dicit) ſi hyems ſit ualida, non debet inaniri ægrotus, quia omnis effuſio extra rationem duntaxat infrigidare corpora ſolet: ſi æſtas eſt maxime ardens, item fugiẽda eſt inanitio, quia omniũ corpora tunc ſoluta ſunt & debilia, ſed uere

& autum

& autumno, sine solicitudine inanimus, quia sunt tempora medio criter temperata sine calore sine frigore.

Καὶ ἡλικίην. idest, Et ætatem.] Nam etiam secundum ætates humores in nostris corporibus uarij sunt.

Καὶ νούσους. idest & morbos.] Quia diuersi morbi à diuersis humoribus fiunt. morbi autem cognitio, nos in humoris peccantis cognitionẽ ducit, & ut Oribasius inquit, morbos inspicere oportet, ut scias in quibus debeas facere inanitiones, ut est pleuritis, phrenitis, colica, uel alij, in quibus est plenitudo, In talibus enim bonæ sunt inanitiones: statimq; idem Oribasius dubitat, cæterũ in dysenterijs, cholera, cardiacis, sudantibus, spiritu difflatis, aut inedia confectis, aut alijs causis, quæ per diuturnitatẽ adducunt infirmos ad tabem, an non inimica est inanitio? Vides quare dixit, Conspicari oportet, ut antequàm inanitio fiat, ista omnia quærantur à medico.

Ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ. idest, In quibus conueniat, aut non.] Hæc particula omnibus prædictis particulis accommodanda est, scilicet regiones, ætates, tempora, morbos, in quibus conueniant, aut non. Philotheus uero totam hanc partem hoc modo exponit. εἰ γὰρ ταῦτα πάντα διορίσοιτό τις, βεβαιότερον ἤδη τὴν τοῦ λυποῦντος χυμοῦ κένωσιν ἀφίξοιτο. οἷον εἰ οὕτω ἔτυχεν ἐν σώματι χολῆς ξανθῆς πλεονεκτούσης γνωρίσματα. συνεπιβλέπειν δὲ αὐτὴ δεήσει, εἰ ὥρα θερινὴ, καὶ ὁ κάμνων ἀκμάζων, καὶ εἰ τὸ χωρίον θερμόν, οὕτω δὲ καὶ ἤδη τοῦ φλέγματος, εἰ χειμὼν ἦ, καὶ τὸ χωρίον ψυχρόν, εἰ πρεσβύτης ὁ ἄνθρωπος. ἀλλὰ καὶ πρὸς τούτοις, αὐτὸ τῆς νόσου τὸ εἶδος, οἷον ὁ τριταῖος, ὑπὸ ξανθῆς χολῆς ἐπικρατούσης γίνεται. τεταρταῖος δὲ, ὑπὸ μελαίνης. ἀμφημερινὸς δὲ, ὑπὸ φλέγματος. ἐὰν οὖν ταῦτα πρεπόντως περισκέψοιτό τις, ἀκριβῶς πρὸς τὴν κένωσιν ἀφίξοιτο. τὸ δὲ ἐν οἷσι δεῖ, ἢ οὔ, τοιοῦτόν ἐστιν, ἐν οἷς προσήκει, ἢ μὴ προσήκει τοιοῦδε χυμοῦ ποιεῖσθαι τὴν κένωσιν. ἰστέον δὲ, ὅτι ἱπποκράτης ἐνταῦθα κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος, τὴν νόσον κατὰ πάντων λέγει, τουτέστιν αἰτιῶν, συμπτωμάτων, καὶ νόσων. idest, Si enim hæc omnia quispiam speculatus fuerit, in humoris molestantis euacuationem certius deueniet, ut si flauæ bilis in corpore plenitudinis signum contingat, inspicere ista oportebit, si tempus æstiuum & æger in summo ætatis uigore sit, & si regio calida: sic autem & in pituita, si hyems sit & frigida regio, si homo sit senex: sed & ipsa morbi species accedit, sicut quod tertiana à flaua bile dominante fit, quartana uero à nigra, quotidiana autem à pituita. Si igitur quispiam hæc decenter considerauerit, ad euacuationẽ diligenter descendet. Hoc autem in quibus conueniat uel non, tale est, in quibus conueniat uel non conueniat, talis humoris euacuationem fieri. Sciendum uero, quòd hic Hippocrates secũdum antiquum morem, morbum per omnia dicit, hoc est per causas, per symptomata & per morbos. Galenus in secundo quarti libri aphorismo multa alia addit, constitutionem, scilicet ęgrotantis naturam, industriam & uictum.

Hæc autem Aphorismi pars ex Hippocrate in principio libri De humoribus sumi potest, & ex eodem Hippocrate in libro De natura hominis, ubi morborum obseruationes describit.

Scito etiam spontinos uomitus, & euacuationes, ut plurimũ esse criticas, Quod à Galeno in calce ultimi libri de usu partium ostẽditur, ubi utilitates ponit, Cur de usu partium pertractare fuerit opus, Dicitq;: tertia utilitas, ultra prædictas, huius operis est aduersus sophistas, quicunq; crises ægritudinum non concedunt nobis, à natura fieri, & prouidentiam eiusdem ad animalia, auferunt. proponentes enim per sæpe ipsi utilitates particularum (quas ignorant) tanq; non existentes, interimere in hoc putant artem naturæ, deinde derident Hippocratem, quæ critice natura assueuit facere, ea suadentem imitari, quod ex hoc aphorismo sumitur.

Interpretes in hoc aphorismo dubitant, an possibile sit humorem peccare in quali, & non in quanto. Pro utraq; parte sua argumenta, ueluti tela acuta faciunt. Nos uero huc Galenum adducemus in commento secundi aphorismi quarti libri, qui exponens illam particulam, Si qualia oportet purgari, purgentur: inquit superabundantiam significat superfluitatum sua qualitate infestantium ægrotantem, unde nos ita Hippocratem secundum Galenum intelligimus, quod de euacuationis qualitate loquatur, idest in euacuãdo solam qualitatem respicit, non quia simul & semel ibi non adsit quãtitas, sed quia tantum qualitatem respicit. Galenus enim id considerat, quod molestiam affert: molestiam uero affert

affert ipsa qualitas, quia & si talis materia multa sit, tamen nisi esset mala qualitas non infestaret. Quod uero magis infestet, si maior sit quantitas, certum est, sed hoc est ratione qualitatis, quia etiam sub illa quantitate, nec sub maiori læderet, nisi esset mala qualitas. Ideo & si hic Galenus dicat, de qualitate euacuationis Hippocratem loqui, non negat tamen, quantitatem euacuari debere, quia id quod euacuatur semper est quantitas, tamen euacuatio principaliter non fit ob quantitatem, sed ob lædentem qualitatem, imò si recte consideremus, hæc duo repugnant, qualitas & euacuari. nam euacuatio, quæ uacuum facere dicit, semper quãtitatem respicit. Qualitas uero numquam proprie euacuari dicitur, sed remitti & alterari: tamen euacuatio fieri potest propter ipsam qualitatem, quæ in tanto humore fundata lædit. Ex quibus uides quid faciant recentiorum argumenta, humor peccans in quali, peccat in quãto. Igitur &c. Concedimus. Sed euacuatio fit ratione qualitatis, non autem ratione quantitatis. Propterea nos ita secundum Galenum dicimus, Semper quantitas euacuatur. Sed ipsa quandoque ratione qua quantitas lædit, uel lædere apta est, & ita dicimus quantitatem solam euacuari, quandoque euacuamus, non quia de se quantitas lædat, sed quia læsio fit in qualitate, & ita peccatum est in quali, & euacuatio ratione qualitatis fieri dicitur, & qualitatem euacuamus, non quia quantitas non euacuetur. Quandoque uero & quantitas lædit & qualitas, tuncque ratione utrorunque euacuamus.

GALENVS

NOn de quantitate eorum quæ euacuantur sermo ipsi est, ut nonnulli sunt arbitrati, sed de qualitate tantum, ut manifestant duo uerba, Qualia scilicet, & Qualis. Nam in his quæ sponte fiunt euacuationibus, ita dixit, Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & leuiter ferunt. In alijs uero quę à medico, Si qualis fieri debet ita fiat, atqui potuisset dicere, si quantum purgari oportet, purgetur: & rursus, si tanta fiat, quanta debet fieri. Hoc idem ostenditur, & ex uerbo purgari, neque enim simpliciter dixit, Si qualia oportet euacuari, sed si qualia oportet purgari. Est autem purgatio, humorum qui sua qualitate molestant euacuatio. In his itaque multi delinquunt expositores, qui neque uerba, neque hominis mentem recte percipiunt. adhuc autem magis peccant, quum uasorum inanitionẽ alij pro inedia accipiunt; alij pro uenæ sectione. Hippocrates siquidem euacuationem solet, ab euentu nominare uasorum inanitionem, quoniam in omnibus euacuationibus contingit uasa inaniri. Sermo quidem nunc ipsi est de qualitate eorum quæ euacuantur. Sicuti autem semper adhortatur, ut quæ recte à natura fiunt, etiam in artis operibus medicus imitetur: sic & nunc idem egit, à spõtinis euacuationibus, suam exorsus orationem: in quibus si qualia oportet purgari purgentur (hoc est ea quæ corpus infestant) confert, & leuiter ferunt. quod si aliorum fiat euacuatio, & non eorum quę corpora nostra molestant, contrarium euenit: neque enim confert, & grauiter ferunt ægrotantes. Eodem pariter modo, si medicus moliatur aliquam facere euacuationem, eorum esto quæ corpora nostra molestant: quemadmodũ & in alijs locis humorem noxium præcipit euacuari, neque alterum illi in euacuatione preferri. Si igitur pituita superabundet, hanc omnino oportet euacuari: flaua autem bile, uel atra infestante, abstinendum est à pituita, & bilem infestantem euacuandum. Sic & si humor sanguineus in corpore modum excesserit, sanguinẽ euacuari oportet, sicuti & serosam eius partem, si hæc fuerit superabundans. Humorem autem superabundantem, ex colore debemus coniectari, nisi aliqui forte in profundum recesserint. Color enim similis efflorescit humoribus, si non regurgitauerint. In his ergo præcipue, qui retrocesserunt, & non sunt æqua portione per totum corpus diffusi, oportet inspicere regionem, & anni tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non, hoc est in quibus conueniat, aut non talis, uel talis humoris facere euacuationem. Habet enim & unus quisque humor in corpore super excedens indicia propria, de quibus deinceps plenius dicemus, perfectę tamen gratia cognitionis, inspicere oportet tempus anni quod pręsens est, & regionem in qua degunt ægrotantes, & eorum ætatem, & speciem ægritudinis. Sint enim, si ita contigerit, flauæ bilis in corpore abundantis indicia, simul cum ipsis inspiciẽdum erit, si tempus æstiuum, & si æger in ętatis uigore consistit. Eodem modo & in pituita considerandum,

si adsit hyems, si regio frigida, si homo senex. Et præter hæc omnia ipsam morbi speciē inspicere oportet, ueluti quòd tertiana (si ita contigerit) fit à flaua bile modum excedente, quartana ab atra, quotidiana à pituita, cancer ab atra bile, erisipelas à flaua, atq; singulæ aliæ morborū species. Si enim hæc omnia distinxerimus, firmius atq; stabilius ad noxij humoris euacuationē perueniemus. Illi autem expositores præ alijs (ueluti absurda dicentes) repudiandi, qui putant ipsum de sola inedia quæ adhibetur in febribus, sermonem habere: quum tamen febres non nominauerit, & sermo fiat de omnibus quæ sunt præter naturam, quorum nos docet intentiones, ad quas respicientes nos oportet inuenire, non quantitatem, sed qualitatem euacuationis, nam de quantitate sequens disseret aphorismus. Quo autem morbi tempore aggredi oporteat euacuationem, & quo modo ipsa sit facienda, in alijs deinceps dicet aphorismis. Quare neq; nunc mihi de his dicere est necessariū: sic enim nostra doctrina non foret sapientior, & nostræ commentationes ad immodicam & minime necessariam prolixitatem peruenirent.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, ab Hippocrate sermonē fieri de qualitate eorum quæ euacuantur, non de quantitate, ut quidam arbitrati sunt, & hoc probat per usum horū duorum uerborū, qualia & qualis: nam in euacuatione naturali dicit, Si qualia oportet purgari. In artificiali etiā dicit, Si qualis fieri debet fiat. At si Hippocrates de quantitate intelligeret, dicere potuisset, Si quantum purgari oportet, purgetur: & si tanta fiat, quanta fieri debet. Hoc idem ostenditur per uerbum, purgari: non enim Hippocrates simpliciter dixit, euacuari: sed usus est uerbo, purgari. Purgatio uero est humorum qui sua qualitate infestant, euacuatio. Multi ergo interpretes hic aberrāt, qui Hippocratis uerba & mentem non recte percipiunt.

SECVNDO docet, illos magis peccare, qui intelligunt per uasorum inanitionē uel inediam, ut aliqui faciunt, uel uenæ sectionem, ut alij. Nam Hippocrates ab euentu solet omnem euacuationem uasorum inanitionem nominare, quia in omnibus euacuationibus contingit uasa inaniri.

Quod legitur, Vasorum inanitionem: Græce est, τὸ δὲ κενaγγείης ὄνομα. idest, Hoc nomen uasorum inanitio.

Quod etiam legitur, Hippocrates siquidem euacuationē solet ab euentu, legendum est, Hippocrates siquidem omnem euacuationem solet ab euentu: Græce enim est, ὁ γὰρ ἱπποκράτης ἅπασαν κένωσιν.

TERTIO ad rem ipsam regreditur, dicens: Nunc Hippocratis sermonem esse, de qualitate eorum quæ euacuantur, differere. semper uero Hippocrates medico suadet, ut naturam imitetur in his quæ bene agit, quod & nunc repetit: nam in spontinis & naturalibus euacuationibus, si illa purgentur quæ corpus infestant, confert, & leuiter fert is qui euacuatur. At si fiat euacuatio eorum quę nostra corpora non perturbant, non confert: imò ægri grauiter ferunt. Ita medicus, si euacuationē facere tentet, illa euacuare debet, quæ corpora nostra molestant, ut Hippocrates aliàs etiam edocuit: humorem noxium, & (ut eius uerbo utar) λυποῦντα, idest dolore afficientem euacuari præcipit, & nullum alium illi in euacuatione præferri. Vnde si pituita superabundet, hanc euacuato: si uerò flaua bilis, aut atra infestent, à pituita abstinere oportet, & bilem infestātem euacuare: ita si humor sanguineus in corpore modum excesserit, sanguinem euacuabis: & si eius serosa pars superabundauerit, eam euacuato.

QVARTO docet, quibus indicijs peccans humor cognoscatur, & primo ex colore, qui humorū superabūdantiam ostendit, nisi in profundum corporis recesserint: nam quales humores sunt, talis efflorescit color, nisi regurgitauerint. de hoc autē colore quo modo humores significet, & quod ad profundum non accedunt, nisi ob aliquā causam accidentalem, ut frigus, uel timorem, uel aliud simile, in quarto De sanitate tuēda libro, agitur. At si contingat humores retrocessisse, & non posse ex colore signum certum sumi, quia per totum corpus non sunt diffusi, tunc regionē inspicere oportet, & anni tempus, & ætatem, & morbos, in quibus cōueniat aut non, talis uel talis humoris fieri euacuationem

cuationem. Tamen quiſq; humor in corpore ſuperexcedens propria indicia habet, de quibus deinceps plenius dicet: tamen perfectæ cognitionis gratia, tempus anni, quod præſens eſt, inſpicere oportet, & regionem & ætatem & ægritudinis ſpeciem.

Quod legitur, Et regionem in qua degunt ægrotantes: Græce eſt, καὶ τὸ χωρίον ἐν ᾧ νοσοῦσιν οἱ κάμνοντες. ideſt, Et regionem in qua ægrotant laborantes.

QVINTO, ad exemplum deſcendit, quo intellectio facilior euadat. Sit aliquod corpus, in quo flauæ bilis abundantis indicia ſint, tunc ſimul inſpicere oportet, ſi tẽpus æſtiuum, ſi calidus locus, ſi æger in ætatis uigore ſit. Eodem modo & in pituita conſiderandum, ſi hyems adſit, ſi regio frigida, ſi homo ſenex. Adde & his omnibus morbi ſpeciem, ut tertiana febris à flaua bile fit modum excedente, quartana ab atra, quotidiana à pituita, cancer ab atra bile, eryſipelas à flaua: itaq; omnes morborũ ſpecies fiunt. His igitur omnibus diſtinctis, firmius atq; ſtabilius ad noxij humoris euacuationẽ ꝑueniemus.

Quod legitur, Si tempus æſtiuum. ſtatim adde, Et calidus locus. Hanc particulam chalcographus omiſit. Græce enim eſt, καὶ ἡ ὥρα θερινὴ, καὶ τὸ χωρίον θερμόν.

SEXTO, illos iterum arguit, qui putant ipſum de ſola inedia quæ adhibetur in febribus, intelligere: quum tamen febres non nominauerit, & de omnibus agat quæ præter naturam ſunt, nos intentiones docens: ad quas reſpicientes, licet non quantitatem, ſed qualitatẽ euacuationis inuenire: quoniam in aphoriſmo ſequenti de quãtitate aget.

Quod legitur, Et ſermo fiat de omnibus quæ ſunt præter naturam, quorum nos docet intentiones, ad quas reſpicientes nos oportet inuenire non quantitatem, ſed qualitatem euacuationis: Græce eſt, ὅτι λόγος ἐστὶ πάντων δὲ καθόλου τῶν παρὰ φύσιν, ἐκδιδάσκων ἡμᾶς σκοπούς, οἷς προσέχοντες εὑρίσκειν προσήκει τὸ ποιὸν τῆς κενώσεως, οὐ τὸ ποσόν. id eſt, Et ſermo fiat in omnibus quæ uniuerſaliter præter naturã ſunt, nos intentiones docens, ad quas reſpicientes inuenire licet non quantitatem, ſed qualitatem euacuationis. In aliquibus contextibus legitur, περὶ φύσιν: ſed nos potius probamus legendum eſſe, παρὰ φύσιν.

Deniq; Galenus excuſat ſe, ſi non edoceat quo morbi tempore, & quo modo ſit facienda euacuatio: nam hoc faciet in alijs aphoriſmis: ideo non eſt neceſſarium quod hic prædicantur: nam hoc modo doctrina noſtra non foret ſapientior, & noſtræ commentationes eſſent immodicæ, & abſque neceſſitate prolixæ.

APHORISMVS III

Habitus exercitatorum qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi ſi in extremo conſtiterint: neq; enim poſſunt in eodem permanere, neq; quieſcere, quum uerò non quieſcant, neq; poſſunt proficere in melius. Reliquũ eſt igitur, ut decidant in deterius. His de cauſis, bonum habitum ſtatim ſoluere expedit, ut corpus rurſus nutriri incipiat: neq; compreſſiones ad extremum ducendæ, periculoſum enim. Sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculoſæ. Et rurſus, refectiones quum extremæ fuerint, periculoſæ.

BRASAVOLVS

GALENVS & plures huius libri interpretes, Hippocratem de euacuationis quantitate in hoc Aphoriſmo agere teſtantur, & etiam in quibuſdam conſequẽtibus. Ab immoderata uerò inanitione, & repletione incepit, ut reliquas deinde inanitiones & repletiones cognoſcamus. Duo autem ab Hippocrate proponuntur: primum, bonum exercitatorum habitum, ſi in extremo ſit, ſtatim ſoluendum: ſecundum, non eſſe omnino ad extremum ſoluendum. Vnde in genere euacuationes omnes, quæ in extremo ſunt, periculoſæ exiſtunt, & refectiones ipſas quæ extremæ ſunt, periculoſas eſſe oportere.

Oribaſius uerò hoc modo aphoriſmum introducit: Poſtquàm uerba fecit Hippocrates de effuſione ſiue ſpontanea, ſiue quæ ab artifice fit, ſubiunxit quibus fieri debeat, &

quibus non. Consideremus, inquiens, ætates & regiones & morbos: & alia quæ sequuntur. Inde agit de exercitationibus.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν, αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. idest, In ijs qui se exercent boni habitus ad summum periculosi, si in extremo cõstiterint. Hic Oribasius dubitat contra Hippocratem, quare exercitium ualetudini præponat: quum nisi ualetudo fuerit, exercitium esse non possit. Valetudo enim duobus modis dicitur: bona ualetudo, quæ uirtus: & aduersa ualetudo, quæ est ægritudo. Sed Hippocrates sciens istud exercitium ualetudinem facere, dum causam dicit, curationem significat, ut est in athletis, qui perunctο corpore & perfricato exercitantur. Sed hæc dubitatio logica est, potius quàm medica, & talis quæ contextui Oribasii magis accommodatur, quàm nostro, quem Galenus interpretatur: nempe hoc modo legit, Exercitatio summa, bona ualetudo est. Hic Hippocrates similes habitus intelligit athletarum habitibus, qui corporis habitum multis cibis & ualde nutrientibus confectum habebant: quippe hi in publicum & in spectaculum uirorum omnium & mulierum in arenam nudati descẽdebant, ut uel palæstricam artem, uel cęstuum exercerent: uerũ ut publicitus pulchri, membrosi atque musculosi uiderentur, ut musculos dilatarent atque pectora, multum comedebant, & ea cibaria quæ optimi essent nutrimenti. Itaque impinguabãtur, & non solum carnosi efficiebãtur, sed & uenas ipsas humoribus plenas habebant, atque uasa omnia, in quibus humores seruantur. Hic igitur Hippocrates hunc habitum intelligit ex multis cibis probi nutrimenti in bonos humores uersis factum, uel modo sint athletæ, uel altero exercitio utantur, hi (inquam) habitus ad summum bonitatis uenisse dicuntur, quando uenas omnes & omnia uasa plena habẽt, & adeo sint pingues, ut propè sua cuticula cõtineri non possint: hique & in extremo, & prope extremum esse possunt. In extremo, si nullum uas habeant quod impleri possit, sed omnia sint ad conculcationem plena, hic habitus ab Hippocrate periculosus iudicatur, qui ad extremum deuenerit. Non enim simpliciter εὐεξία, idest bonus habitus, est periculosus: sed bonus habitus in extremo. de qua re Galenus in libro De bono corporis habitu, copiose egit, inquiens: Cæterum ex eorum numero sunt, quæ cum appositione dicuntur, etiam athletarum salui habitus. Nec iniuria de ijs uerba facit Hippocrates, exercitatorum habitus qui ad summam bonitatem perueniunt, periculosi. Non enim simplici uocabulo, καχεξίαν quum ad summum uenerit, periculosam esse scribit: nam idem est ei Ad summum uenire, quod Omnium corporis statuum esse periculosissimum. sed illa qua athletæ, uel exercitati, uel quomodocunque appellare lubet, fruuntur: quoniam neque simpliciter εὐεξία, optima est corporis dispositio, ad summum ueniens periculo maxime exponi ratio est. Dispositione siquidem (ait) athletica, uere salubris habitus præstat. Itaque sanæ habitudinis perfectio, euexia dicitur. Athletarum status non simpliciter, sed adiecto nomine pronuntiatur, ut formosa simia, cubitus magnus, statera iniqua, reproba drachma. Hæc Galenus de hoc habitu qui ad summum bonitatis attingit, in quibus uerbis ostendit, Summum bonitatis esse omnium statuum periculosissimum. Philotheus hic dicit, γυμναστὰς καλεῖ τοὺς ἀθλητὰς, εὐεξίαν δὲ τὴν πολυσαρκίαν, ἄκρον δὲ τὸ ἔσχατον. idest, Exercitatos athletas uocat, bonũ uero habitum multã carnem, at summũ extremũ. Oribasius uero hoc intelligit & de athletis, & de his qui in iuuẽtute sunt, quia in ipsis uiget uirtus naturalis, & ideo fortes sunt. quos necesse est omnẽ cibũ bene concoquere, unde multũ quoque assumere coguntur, ex quo sanguis quotidie generatur, & ex multo sanguine corpora eorũ incrassantur. Erit ergo apud Galenum duplex bonus habitus: alter exercitatorũ, qui simpliciter nõ est bonus habitus, nisi ratione bonæ qualitatis, de quo Hippocrates in libro De ratione uictus, tractãs, inquit: Natura uero hæc acris est, celeriterque in utraque uertitur, parũque hic bonus habitus in his corporib. durat. Alter est bonus habitus nõ pinguiũ & musculosorũ, sed naturalis: quẽ, ut dicit Galenus, plurimi agricolę habent in fodienda terra, metẽdis segetibus & alijs laborib. exercitati. hic est uere bonus habitus, de quo prędicto loco dicit Hippocrates. Rara aũt carne cõpacti & hirsuti, cibũ necessariũ magis suscipiunt, & laborib. magis durãt, diutiusque bonũ habitũ cõseruant. Propterea & Galenus in Exhortatiõe ad bonas artes, ubi poetarũ exẽplis athleticã artẽ reprehẽdit, addit, omnia ab Hippocrate dãnari. Nam inqt, habitus athleticus nõ est secundũ naturã, melior est habitudo salubris: ac si uideat

Galenus

Galenus ita Hippocratẽ in hoc loco intelligere, quod de athletica natura loquatur ad ſalubrem comparans, duplicemq; habitum innuit athleticum & ſalubrem. Athletasq; eodem loco ubertim pingit Galenus, inquiens: Quapropter ego ſanè dixerim, iſtã exercitationem non facere ad bonam ualetudinem, ſed morbos potius accerſere: nam id, ni fallor, ſentit Hippocrates, quum ait, affectio athletica non eſt ſecundum naturã, ſed habitudo ſalubris melior. His dictis, non ſolum palàm negauit illorum exercitationẽ eſſe naturalem: uerum ne habitudinem quidem appellauit illorum affectionem, ſpoliãs illos etiam nominis honore, quo cuncti ueteres appellare ſolent homines, qui uere eſſent bonæ ualetudinis. Siquidem habitus eſt affectio quædam ſtabilis ac perpetua. Contrà athletarum ad ſummũ progreſſa bona corporis habitudo quum obnoxia periculo eſt, tum facile in diuerſum mutabilis: neq; enim recipit acceſsionem, eo quod ad ſummum peruenit: tum ex eo quod eodem in ſtatu conſiſtere non poteſt, nihil reſtat niſi ut uergat in deterius: atq; hoc quidem in ſtatu corpus eſt ipſis dum athleticam exercent. Cæterum ubi diſceſſerint ab exercitijs, multo peius habent. Etenim nonnulli paulopoſt emoriuntur: alij uerò diutius quidem uiuunt: at ne ipſi quidem perueniunt ad ſenectutem: & ut iam perueniant, nihil differunt à litis illis Homericis, claudi, rugoſi, luſcioſi, oculis orbi. Quemadmodum enim mœnium partes tormentis concuſſæ, quouis incommodo corruunt, nec terræ motum, nec alium ullum grauiorem inſultum ferre poſſunt: Itidem & athletarum corpora, corrupta, & imbecillia facta, plagis ac uulneribus in exercendo acceptis, facile ad quamlibet leuem occaſionem læduntur. Et multa alia addit de athletarum incõmodis, quæ tu in hac exhortatione ad bonas artes legere poteris. Imò deniq; addit, athletas dici, quaſi ἄθλιοι, ideſt miſeri, uel ab athliotete, ideſt miſeria: unde in libro De bono corporis habitu, docet, ſemper ab Hippocrate athletarum euexiam eſſe damnatam, & à Platone in libro De republica tertio: quando ſcilicet eſt ad ſummũ bonitatis: datq; exemplum de cubito, qui non eſt uere cubitus, ſi magnus appelletur, ut ſi dixerimus, Cubitum magnum, non amplius eſt cubitus, ſi magnus eſt: & bonum habitum, ſimpliciter & per reſpectum dici. per reſpectum, ut cum altero ſubſtantiuo iungitur: ut ſi dixerimus, Bonus habitus Dionis. ſimpliciter uerò, Bonus habitus Milonis & Herculis dicitur: & in formoſo Achilles, ſimpliciter formoſus dicitur: ſed ſimia, non dicitur ſimpliciter formoſa, ſed formoſa ſimia. Eodem modo, bonus habitus de quo hic agit, non dicitur ſimpliciter euexia, ſed athletarum euexia. Galenus etiam in libro De ratione uictus priuatorum, quem aliqui Hippocratis, alij Polybi eſſe uoluerunt, ubi author dicit: Hæc autem natura celeriter: & cætera. Galenus dicit: Bonum habitum uocauit, naturam eorum qui denſam carnem obtinẽt: hic autem bonus habitus exiguo tempore uiget. Deinde Galenus ſequitur, Oſtenſum autem eſt commentarijs in aphoriſmos, quòd exercitatorum habitus probus cum ſanguinis & carnium repletione naturalium facultatem cuſtodit: ſed quemadmodum illic habitudinem in ſummo bonam, iudicauimus eſſe periculoſam, quæ non citò raris corporibus aduenit, ita quoq; in denſioribus quàm celerrimè, quod haud ex facili feratur, accidit: quippe quum relabi cogatur, repente tum oritur, tum perit.

οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν. ideſt, Neq; enim poſſunt in eodem permanere, neq; quieſcere.] Hæc eſt Hippocratica ratio, cur bonus ille habitus periculoſus ſit, quia in eo permanere non poſſunt, neq; quieſcere: nam natura ſemper concoquit, diſtribuit & aſsimilat. quũ uero non quieſcant, & pleni ſint, adeo ut nihil addi poſſit, tamẽ ſemper noua cibaria appetant & comedant, id neceſſarium eſt conſequi, quod à Galeno dicitur in libro De bono corporis habitu, Vas aliquod iocinoris aut pulmonis aut thoracis confringi. ſunt enim molliora tunicis hæc uaſa, & ob multam horum membrorum caliditatem feruescit ſanguis & ebullit, uaſaq; frangit: ut dolia muſto plena quandoque facere ſolent. uel innatus calor ſuffocabitur, quia à proſpiratu remotus eſt. Galenus uerò in libro De reſpirationis uſu, docet, quòd uenis ſanguine affatim abundantibus calor innatus ſuffocetur: quod autem uenæ rumpantur, in anatomicis inſtitutionibus poſitum eſt à Galeno. Non poſſunt ergo in eodem permanere, quia ex nimio appetitu edere coguntur & nutriuntur: non habent autem uaſa, quo hoc nutrimentum recipiant, ideo non poſſunt in eodem ſtatu permanere, nec hic quieſcere: quod quieſce-

re intelligi potest, quo ad hunc statum, in quo sunt. Sed etiam apud Galenũ in Exhortatione ad bonas artes, intelligere possumus, quòd non quiescant: quia quotidie supra quàm conuenit, laboribus exercentur, & ingurgitant sese nonnunquã, & ui ad mediam usque noctem proferentes cibi sumptionem, ut aliquis (inquit Galenus) in illos torserit illud Homeri:

ἄλλοι μὲν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ,
ἀλλ᾽ οὐκ ἀθλητὰς κακοδαίμονας ὕπνος ἔμαρπτεν.

Quem si interpretari lubeat, hic ferè sensus est:

Dormibant reliqui diuiq; hominesq; per omnem
Noctem, prædulci resoluti corpora somno,
Ast nullus miseros athletas somnus habebat.

Vt uideas non posse quiescere, intelligi non debere: quòd si comedere noluerint, ob calorem accendantur inflammenturq;, & febrem incidant. imò unus est hic istos soluendi modus, scilicet per inediam, sed tamen conuenientem. At permanere non possunt, quia ualde appetunt, concoquunt & distribuunt. Iste igitur bonus habitus non quidem simpliciter, sed exercitatorũ, qui ad summum bonitatis attingit, idest in summo est, quo ad bonum, ut nihil amplius addi posit, quia uasa omnia sint plena, ideo est bonus ratione humorum & roboris, malus ob nimiam plenitudinem: propterea non potest in eodem statu permanere, neque quiescere.

Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον. idest, Quum uerò non quiescunt, neq; possunt proficere in melius, reliquum est igitur ut decidant in deterius.] Qui enim in melius proficere non possunt, nec in eodem statu permanere, quia continuò appetunt, edunt, concoquunt, distribuunt, asimilant, ideo necessariò decidunt in deterius. Duo uerò sunt, in quæ incidere possunt: unum est uenę disruptio, alterum suffocatio: nam innatus calor prospirare non potest, & ideo Galenus in libro De usu respirationis, dicit, calorem innatum suffocari, quando uenæ affatim sanguine plenæ fuerint: unde & Oribasius dicit, aut uenæ, aut arteriæ eis rumpuntur, aut ipse spiritus uitalis, uel calor naturalis ex constipatione extinguitur. sæpius & in apoplexiam multos uidimus incidisse, & præfocatos momento temporis defecisse. Philotheus uero dicit, non quiescere naturales potentias, ἡ γὰρ στάσις αὐτῶν θάνατος. idest, quoniam status ipsarum mors. Sequiturq;, ἐπεὶ οὖν οὐκ ἠρεμοῦσιν, ἀνάγκη γίνεται χυλοποίησις, ἐξαιμάτωσις, ἀνάδοσις. ποῦ δὲ ἔχει γίνεσθαι πρόσθεσις, οὐκ ἔχει. ὅπου δὲ οὐ πρόσθεσις, οὐδὲ πρόσφυσις. ὅπου δὲ οὐ πρόσφυσις, οὐδὲ ἐξομοίωσις. τί οὖν ὑπολείπεται; ἐπὶ τὸ χεῖρον αὐτὰς ἐπιδιδόναι τῇ πλεονεξίᾳ τοῦ αἵματος καταβλαπτομένας. idest, Quum igitur non quiescunt, necessariò fit humorum generatio, in sanguinem commutatio, distributio. ubi autem adiectio fieri debeat, non habetur. At ubi nõ est adiectio, ibi agglutinatio esse non potest: ubi uerò non fit agglutinatio, neq; assimulatio. Quid igitur reliquũ est? Ipsas in deterius decidere sanguinis plenitudine læsas.

Τουτέων ἕνεκα τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει, μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λαμβάνῃ τὸ σῶμα. idest, His de causis bonum habitum statim soluere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat. Solutio uerò fieri debet, ut corpus receptacula habeat ad nutrimentum suscipiẽdum. Intelligeq; statim, idest antequàm incidant præenumerata discrimina. Solutio uerò hæc, quum sit simplex plenitudo & proborum humorum, & si per medicamentum & inediam fieri posit, tamen ut plurimum per uenæ sectionem fieri debet, Oribasio etiam dicente: & quomodo potest solui, nisi per inanitionem sanguinis? Continuò ergo uena diuidatur adacto scalpello. Et Philotheus dicit, τούτων οὖν ἕνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν χρὴ διὰ φλεβοτομίας, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λαμβάνῃ τὸ σῶμα. μὴ βραδέως δὲ διὰ τὸ μὴ καταλυθῆναι τὰς δυνάμεις, ἢ διὰ τὸ μὴ ἐπελθεῖν τὰ ἐπὶ πλεονεξίᾳ τοῦ αἵματος γινόμενα πάθη, οἷον πλευρῖτιν, ἢ συνάγχην, ἤ τι τῶν τοιούτων. ἐπὶ τῶν γυμναστικῶν δὲ κακίζει τὴν πολυσαρκίαν, διὰ τὸ σφριγᾶν ἐν αὐτοῖς τὰς δυνάμεις. idest, His igitur de causis statim bonum habitum soluere oportet per uenæ sectionem, ut rursus principium nouę nutritionis corpus accipiat: neque id tarde, ne potentias dissoluat, uel ne sequantur quæ ex plenitudine sanguinis fiunt ægritudines, ut lateralis morbus, uel angina, uel aliquid

talium

talium: in exercitantibus uero carnis multitudinem improbat, quod in ipsis potentiæ extumescant. Oribasius medicos admonet, hæc quæ ab Hippocrate in athletis dicuntur, de omni crasso & obeso intelligenda. Debent ergo hi solui, ut relinquatur capacitas & locus recipiendi nutrimentum: quod & bis & ter & sæpe agere oportebit, ut conueniet.

Μὴ δὲ τὰς συμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γάρ. idest, Neque compressiones ad extremum ducendæ, periculosum enim. Quum bonum habitum soluere uolueris, iubet Hippocrates, ne id ad extremum facias: quia nō minus periculosum hoc est, quàm sint extremæ repletiones: nam per extremam compressionē natura transit de extremo in extremū sine medio. Adde, quod uires adeo imbecilles reddi possunt, ut amplius resisti nequeant. Vnde & Oribasius dicit, Compressio dicta est à cōprimendo corpus, hoc est ab extenuando, quia omnis effusio uel inanitio comprimit & inanit corpora nostra: ergo non debet fieri usque ad extremū, hoc est præter naturam. Considerabit enim medicus, ut si cui secundum rationem expedit extrahere tres libras, ei subtrahat duas, & octo uncias: quatuor enim uncias relinquit naturæ, unde possit consistere & sustentari. Etenim medicus secundum rationem faciens, ultra modum non debet subtrahere, ne incipiat nimia inanitio periculum facere, & non possit uirtus reparari. quia sicuti nimia plenitudo præfocat uel stringit: sic nimia inanitio, uel præfocat, uel occidit. Quia si ipsa uirtus & calor noster naturalis, qui est cum sanguine, effunditur: cibus qui pòst datur, quomodo poterit concoqui, & sanguis inde generari? Et si sanguis & concoctio non administret, necesse est ut tabescat corpus & deficiat. Nam sunt quatuor uirtutes operatiuæ in nobis, quæ siue uigilantibus, siue dormientibus nobis, semper operantur: & dum non habuerint quod consumant, ipsum corpus cessando consumunt. ipsa enim earum cessatio, corporis consumptio est. Hæc Oribasius. Philotheus etiam ita hanc partem exponit, ἐνταῦθα περὶ μέτρου τῆς κατὰ ποσότητα κενώσεως διαλέγεται καὶ φησι, μὴ εἰς ἔσχατον ἄγειν τὴν κατὰ ποσότητα κένωσιν. ὥσπερ γὰρ ἡ ἄμετρος εὐεξία οἶδε καταλύειν τὴν δύναμιν καὶ βαρύνειν καὶ καταπνίγειν αὐτήν, οὕτως καὶ ἡ ἄμετρος κένωσις οἶδε διαλύειν διαφορεῖν καὶ διαφθείρειν. αὕτη δὲ ἡ κατὰ ποσότητα κένωσις, ὁρισμὸν ἐχέτω ἐκ τῆς τοῦ κάμνοντος δυνάμεως, καὶ μὴν καὶ ἐκ τῶν λοιπῶν στοιχείων, οἷον ὥρας καὶ χώρας καὶ ἡλικίας καὶ τῶν λοιπῶν. ἀπὸ δὲ τῆς συμπτώσεως τῶν ἀγγείων ἐδήλωσε τὴν κένωσιν. καὶ γὰρ κενούμενον τὸ περιεχόμενον ἐν ἀγγείοις, καὶ ἐξογκοῦν αὐτά, τὸ τῆς συμπτώσεως ἕπεται πάθος. idest, Hic de euacuationis mensura penes quantitatem disserit, & inquit, non ad summum faciēdam esse penes quantitatem, euacuationem. Sicut enim immoderatus bonus habitus potentiam dissoluere nouit, & aggrauare, atque ipsam suffocare: Sic & immodica euacuatio dissoluere, discutere & corrumpere. Ipsa uerò penes quantitatem euacuatio ex ægrotantis potentia terminum habeat, & etiam ex aliis enarratis elementis, ut tempore & regione & ætate, & reliquis: ex compressione autem uasorum euacuationem declarat: etenim contentum in uasis & ipsa intumescere faciens euacuatum, concidentiæ euentus sequitur.

Ἀλλ' ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν. idest, Sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit.] Nunc edocet Hippocrates, ad quem terminum euacuare liceat. Ad talem, inquam, terminum, ut is qui euacuatur, ferre possit, nec imbecillis fiat, nec de extremo ad extremum sine medio pertranseat. Quòd si dixeris, Galenum quandoque sanguinis missionem & euacuationem usque ad animi defectum iubere, Respondemus, uerum esse, quando morbus exigit, ut intensissimus dolor, & natura eius qui euacuatur ferre potest. Imò quum euacuat, aut usque ad animi defectum uenam secat, usque ad hoc facit, ad quod æger perueniens ferre potest: non enim iubet, usque ad animi defectum euacuandum, ipsum animi defectum includens, sed excludens. nam si amplius euacuatio procederet, animi defectum incideret. imò quum ad animi defectum sumus, etiam si ampliori sanguinis extractione indigeremus, amplius euacuare non debemus. Hoc totum ad ægrotantis uires Oribasius refert: ad hoc enim ducendum, quantum uires tolerare possunt. Et hæc est uera Hippocratis intentio.

Ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες, αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι σφαλεραὶ, καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι σφαλεραί. idest, Sic & euacuationes quæ ad extremũ deducunt, periculosæ: & rursus refectiones quæ ad extremum ueniũt, periculosæ.] Hæc est huius aphorismi præcipua cõclusio. Sicuti in exemplo de athletis, plenitudines quæ ad extremum deueniunt, periculosæ: & euacuationes ad extremum periculosę. Ita in uniuersum dicere oportet: Omnes extremæ euacuationes, periculosæ: & omnes refectiones extremæ, periculosæ. Philotheus hanc partem ac si sit unus distinctus aphorismus, exponit: sed expositio similis illi, quam nuper dedimus. Inquit enim: οὗτος ἀνεξήγητος παρά τινων σοφῶν καταλέλειπται ὁ ἀφορισμὸς, διὰ τὸ δοκεῖσθαι αὐτὸν, ταυτολογίαν εἶναι. οὐκ ἔστι δὲ οὕτως. ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ ἱπποκράτης περὶ ποσοῦ ὕλης διαλεγόμενος παραδείγματι ἐχρήσατο τῇ εὐεξίᾳ, καὶ ταύτην ἐθεράπευσε. νῦν μετὰ παραδείγματος ἑαυτὸν ἀνάγει ἐπὶ τὰ καθόλου, λέγων, ὅτι οὐκ ἐπὶ εὐεξίας μόνον λέγει τοῦτο. ἀλλ' ὅτε δή ποτε [illegible] παραλάβῃς κένωσιν, μὴ εἰς τὸ ἔσχατον αὐτὴν ποιήσῃς, μήτε μὴν τὴν ἀνάθρεψιν, ἐπειδὴ οὐδὲν ἄμετρον ἐπαινεῖν. idest, Hic inenarratus aphorismus apud quosdam sapientes derelictus est, quoniam repetitus esse uideatur. Non est autem sic. Sed quoniam Hippocrates de materiæ quantitate differens pro exemplo quodam bono habitu usus est, & hunc curauit: nunc post exemplum, seipsum ad uniuersale conuertit, dicens, quòd in solo bono habitu hoc non dicit: sed si quandoque euacuationem feceris, ipsam ad extremum non facito, neque refectionem: quoniam nihil immodicum laudare conuenit. Vnde & ab Oribasio dicitur, Quicquid enim amplius fuerit inanitione congrua, malum est. Nonnulli uerò antiquiores aphorismorum interpretes hanc aphorismi partem ad athletarum exemplum conferre uolentes, inquiunt, Hippocratis sensum esse in hac parte, Euacuationes esse periculosas, quia refectiões in ipsis euacuationibus sunt periculosæ: ut id solum probet, euacuationes esse periculosas, ob refectiones quæ post euacuationes immodicas periculosæ sunt: tunc enim uires imbecilliores effectæ sunt. Galeno autem hæc intellectio non placet, tum quia exẽplum de bono exercitatorum habitu auferretur: nam refectiones extremæ non demerentur, sed illæ solum quæ post extremas euacuationes fiunt. Certum uerò est athletarum refectiones soluendas esse, quæ tamen post ultimas euacuationes factæ non sunt.

Præterea Galenus addit id uerbum, Rursus, de re diuersa sermonem fieri ostendere. Adde tu, præcipuam intentionem esse de refectione: ut quisque etiam mediocriter eruditus noscere potest. Ideo uanum uideretur de ipsis non tractare. Diuus etiam Hieronymus in tertio Contra Iouinianum libro, hunc aphorismum suo modo, sed non multum differente intelligit. Ibi enim ganeam & epularum exuberantiam arguens, inquit: Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora quæ crescendi mensuram impleuerint, nisi citò ablatione sanguinis imminuãtur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere, & idcirco esse necessariam demptionem, ut rursus habeant in quæ possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere: nec posse uiuere animal, nisi crescendi capax sit. Postea idem Hieronymus sequitur: Vnde Galenus uel doctissimus Hippocratis interpres, athletas quorum uita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec uiuere posse diu, nec sanos esse, animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus quasi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & uentris ingluuie cogitare. Hæc diuus Hieronymus, in quibus disce ipsum omnia corpora intelligere adeo obesa, ut crescendi mensuram impleuerint. Quod intelligi posset, quæ ad ætatem peruenere, ubi crementum desinit. Tamen nos illum potius intelligimus, ut dicere uelit ea corpora adeo plena esse, ut in sua cuticula contineri non possint, tunc paralysim incidunt, uel apoplexiam, uel morbum comitialem, uel alterum ex his morbis, qui ad plenitudinẽ summam sequuntur, ut est suffocatio, & alicuius uasis disruptio: de quibus in commentatione sua Galenus. Celsus libro secundo, capite secundo, huius aphorismi sententiam ponere uidetur: nam hoc loco de signis aduersæ ualetudinis futuræ, agit, & inquit, Ergo si plenior aliquis & speciosior & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. Quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, ferè retro quasi ruina quadam reuoluuntur. Si uerò petas, quid peius sit, an esse plenum ad extremum, an esse extenuatũ ad extremum, Celsus eodem loco respondet, inquiens, Peius tamen

signum

signum est, ubi aliquis contra consuetudinem emarcuit, & calorem decoremque amisit: quoniam in his quæ superant, est quod morbus demat: in his quæ desunt, non est quod ipsum morbum ferat.

Dubitant recentes, Nunquid athletica corpora, quæ in summo plenitudinis sunt, extreme euacuare oporteat.

Nos pro huius dubij solutione Galenum adducemus in libro De plenitudine, qui totus ad huius aphorismi propositum deduci posset. docet eo loco, euexiam esse bonum habitum: ad bonum uero habitum, εὐτροφία, idest proba solidarum partium nutritio spectat, & εὐσαρκία, idest eusarcia, quæ est bona carnificatio. Corpulentia præterea ad auctam carnem spectat. Ita in sanguine adest εὐαιμία, idest euæmia, & sanguinis copia, quam Græci πολυαιμίαν uocãt. In athletis, inquit Galenus, humores & caro & uires, proportione mutua in ipsis increscunt: quare athletæ euexiam habent, eutrophiam, eusarciam, corpulentiã, euæmiam & polyæmiam. Ideo euacuandi sunt: sed adeo euacuandi, ut rursus corpus nutriri posit. potest autẽ nutriri facta euacuatione tolerabili: est uero tolerabilis, si is qui euacuatur, bene ferat, & imbecillis non fiat. Hanc totam plenitudinem empirici syndromen, idest uniuersorum implentium congeriem uocabant, nolebantque purgare, aut uenam secare per suos canones, nisi syndromen uidissent. At eos optime Galenus reprehendit. Ad rem igitur, Non sunt ad extremũ euacuandi, ut Hippocrates docuit. Quòd si recentiorum argumentum adduxeris, scilicet curationem per contrarium æquale in gradu fieri debere: igitur immoderatam repletionem per immoderatam euacuationem curare oportebit, quia suum contrarium est in gradu æquale.

Respondemus, repletionem & euacuationem omnino contraria esse, sed immoderatam repletionem & immoderatam inanitionem non esse cõtraria, nisi hoc modo intellexerimus, quum aliquod immoderate repletum est. Euacuare immoderantiam est eius oppositum, quod ad curam exigitur. Quum uerò pertransimus, & magis euacuamus, quàm sit extremum in plenitudine: tunc hoc non est contrarium extremæ plenitudini: ut si corpus aliquod naturaliter decẽ humoris libras habuerit, & adeo impleatur, ut nũc ad uiginti excreuerint, euacuatio huic repletioni contraria esse debet, quæ euacuat usque ad decem. Si uero decem pertransiuerit, illi plenitudini uiginti cõtraria non est, quæ decem per decẽ excedit. Sed erit opposita ueræ constitutioni naturali, quæ est habere decem, unde plenitudo illa est præter naturam, quæ ad summum est: euacuatio est secundum naturam, quæ hoc quod est ad summum, euacuat, in eo quod est secundum naturam quiescens. Si uero ulterius procederet euacuatio ultra id quod exuperabat, tunc in aliud euacuationis genus pertransit, & præter naturam efficitur: nam quod naturaliter exigitur in hoc corpore euacuat. Ex his ad recentiorum argumẽtum dicimus, Euacuationem immoderatam immoderatæ plenitudini simpliciter cõtrariam non esse, sed euacuationem quæ immoderatum euacuat, immoderatæ plenitudini contrariam esse. nam hæc particula Immoderatũ, quæ plenitudinem determinat, est illa quæ euacuationi dat quantum euacuare oporteat, ut plenum immoderatum amplius immoderatum non sit. Contraria enim hanc naturam habẽt, ut uno posito aliud absit. Quum igitur aberit immoderata repletio, euacuatio introducta est, tunc uero est introducta, quum immoderatum abest. Ideo euacuatio immoderata repletioni immoderatę contraria non est: sed bene euacuatio quæ immoderatum euacuat, ad repletionem immoderatam.

At quod à recentibus additur, nisi ultimò soluerentur, plenitudinem iterum incurrerent, Nos dicimus, ultimò soluendos non esse: & fatemur iterum plenitudinem incurrere, atque iterum esse euacuandos: ob id enim soluuntur, ut corpus receptaculũ habeat ad sanguinem suscipiendum atque humores.

Dubitant etiam recentes, An in corpore nutrimento & laudabili sanguine repleto, ut est athleticum corpus, uerus appetitus atque naturalis fieri possit.

Nos breui dicimus, In hoc corpore bilem atram à liene ad os uentriculi transmitti, quia corpus hoc naturaliter constitutum est, & hoc est naturæ opus: propterea hic uir appetet, quamuis membra nullo nutrimento egeant, & erit naturalis appetitus.

GALENVS

ILLVM QVI antecedit sermonem esse de eorum quæ euacuantur qualitate, docuimus

cuimus. In hoc autem & sequentibus uult de quantitate docere, & ab immoderata repletione, atque euacuatione initiũ sumit, in hoc quoque aphorismo proposito, sicuti in alio praecedente, quoddam exemplum supponens, & ad hoc, ut consueuit, suum sermonem dirigens. Exemplum autem ipsi est, exercitatorum bonus habitus. Vocat autẽ bonum habitum exercitatorum, illorum scilicet quorum hoc est totius uitae institutum, assidue operam dare exercitationibus, ut alios deijciant, more athletarum. Qui enim simpliciter bonus habitus nominatur, quem plurimi agricolae habent, in fodienda terra, metendis segetibus, & alijs ruralibus laboribus occupati, ad immodicam repletionem non attingit. Athletarum autem bonus habitus, non mediocrẽ hanc culpam habet, quod student tumoris molem corpori adijcere, & ut liquere potest, humorũ multitudinem. Hi enim apparatus quidã sunt totius corporis nutritionis. Et nisi ipsi praesto sint, fieri non potest, ut corpora ad tumorem immodicum non perducantur. Quare necessarium est huiuscemodi dispositionem esse periculosam. Quum enim uasa cibis ac potibus fuerint supra modum repleta, periculũ est, ne disrumpantur, aut calor natiuus stranguletur, aut extinguatur. Sicuti & nonnulli athletę, qui ad immodicã uenerunt repletionem, eadem ex causa subita morte interierunt. Qui autem ad naturę opera utilis est bonus corporis habitus, nulli tali periculo obnoxius est, quia nunquam ad extremam peruenit repletionem, quare neque ipsum soluere oportet, sicuti alterum athletarum, quum ad extremum peruenit. Hunc enim soluere oportet, haud quaquam morantes, sed anticipantes solutione periculum. Causam uero ob quam soluere oporteat, talem ipse subiecit, dicens: Neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Nam quum semper natura coctionem, alimenti distributionem, sanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem, atque assimilationem operetur, quando nihil adijci solidis corporis partibus potest, neque uenae amplius habent conceptaculum in quod alimentum distributum recipiatur, tunc periculum imminet, aut disruptionis, aut mortis repentinae. Vt igitur corpus rursus habeat locum quo nutriatur, bonum habitũ oportet sine mora soluere. Eius autem solutio est euacuatio, ut liquet. Et hanc quoque oportet non ultra modum facere, quum sit immodica euacuatio, non minus immoderata repletione periculosa. Intentio autem quantitatis euacuationis, non solum humorem respicit superabundantem, sed & uires hominis qui debet euacuari. Alij enim minus, alij magis perferunt euacuationes. Haec quidem ab ipso de bono habitu athletarum dicta fuere, quę ipsa per se ipsa possunt conducere, his qui tale uitae institutum elegerunt, & sunt medicis ueluti exemplum sermonis postea subiungendi. Inquit enim sic: Et euacuationes quae ad extremum deducunt periculosae. Et rursus refectiones quum extremae fuerint periculosae. In quo sermone toto summa sententiae haec est, quod neque euacuare, neque replere supra modum oporteat, cuius rei documento esse potest, bonus habitus athletarũ, qui alioquin inculpabilis existens (ut qui & bonis abundet humoribus, & uires habeat robustas) hoc solum malum permaximum gerit, quòd ad extremam uenit repletionem. Quapropter statim eum soluere oportet: & sicuti rursus qui sunt tali natura praediti, non sunt ad extremam euacuationem perducendi: sic & qui alia quauis egent euacuatione, non sunt supra modũ euacuandi. Nam ut in uniuersum dixerimus, in omni euacuatione uires aegroti oportet attendere, & donec tolerat, & nondum laborat, tentandum est humorem exuperantem educere: quum uerò dissoluuntur, etiã si restent superfluitates, cauere oportet earũ euacuationem. Quod autem ait, & rursus refectiones si in extremo constiterint periculosae: Si quis debeat sermonem hunc ad exemplum retribuere, ne sit decurtatus, in ultima dictus repletione uidebitur, quam iubeat caueri, & non usque adeo refici corpora, ut ad extremam ueniant repletionem. Si uerò sermonis figuram attenderis, ut nonnulli expositores fecere, de eadem re bis ipsum dicere, sed aliter atque aliter, cogitabis. Quum igitur ita dixerit, sic & euacuationes, quae ad extremum perducunt, periculosae, hoc solum putabis, praecipere fugiendas esse immodicas euacuationes, quoniam sint admodum periculosae. Quum uero subiungens dixerit, & rursus refectiones, quum in extremo constiterint periculosę, ob hoc uetare immodicas euacuationes, quoniã & refectiones in ipsis haud quaquã securae existunt, quũ sit natura iam facta imbecillis, & neque iam possit sufficienter coquere, neque distribuere alimentũ, neque assimilare. Verum si quis ita sermonem

acceperit

acceperit, altera doctrinæ pars, de superflua repletione relinquetur, & frustra exemplum de bono exercitatorum habitu erit allatum. Quid? quòd & hoc ipsum uerbum, rursum, in tota adiectum oratione, sententiam quam diximus uidetur manifestare, quum ita dicat, Et rursus refectiones, quum in extremo constiterint, periculosæ. Vt enim qui de altera re sermonem faciat, ita uerbum rursus apposuit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quum in præcedenti aphorismo de qualitate eorum quæ euacuantur, disseruisset: nunc in hoc, & in sequentibus uult de quantitate edocere: incipitque ab immoderata euacuatione atque repletione: & sicuti in præcedenti aphorismo exemplo quodam usus est, ita & in isto, exemplo quodam utitur: exemplum uerò in bono exercitatorum habitu ponit. Hic uerò bonus exercitatorũ habitus est in illis, qui totum uitæ suæ tempus in exercitationibus conterunt, ut alios deijciant, sicut sunt athletæ.

Quod legitur, More athletarum: Græce est, ὥσπερ οἱ ἀθληταί. idest, Sicuti athletæ. Hocque magis conuenit: nam si, more athletarum, legamus, uidebitur non esse ipsos athletas.

SECVNDO, Galenus docet bonum habitum simpliciter, qualem habent multi rustici terram fodientes, arantes, & segetes metentes, ad immodicam repletionem non attingere: sed bonus athletarum habitus uehementer peccat, quoniam student corporis molem accrescere, & humorum multitudinem: nam cibi sunt apparatus ad totius corporis nutrimentum: & nisi succurrant, quum corpora ad tumorem immodicũ perduci non possint, necessarium est hanc dispositionem esse periculosam.

Quod legitur, Et (ut liquere potest) humorum multitudinem: Græce est, καὶ δηλονότι καὶ πλῆθος χυμῶν. idest, Et uidelicet etiam humorum multitudinem.

Quod etiam legitur, Hi enim apparatus quidam sunt totius corporis nutritionis: Græce est, παρασκευὴ γὰρ οὗτοι τῆς τοῦ παντὸς σώματος εἰσὶ θρέψεως. idest, Hi enim, scilicet cibi, præparatio sunt totius corporis nutritionis.

Quod dicitur, Corpora ad humorem immodicũ non perducãtur: illa particula Non, obelo confodienda est.

TERTIO dicit, Quum uasa fuerint supra modum repleta, periculum est, ne uel ipsa uasa disrumpantur, uel calor natiuus strangületur aut extinguatur: sicuti nonnullis athletis contigit, qui ad immodicam repletionem uenientes subita morte interierunt.

QVARTO docet, Bonum habitum naturalem non timere hæc dispendia: nũquam enim ad extremam peruenit repletionem: unde non est opus hunc soluere: sicuti opus est athleticum bonum habitum soluere, quum ad extremum peruenit, nam hic statim soluendus, ut hac solutione præoccupemus incommoda quæ consequi possent.

QVINTO dicit, Hippocratem causam subijcere, quare soluendus sit hic bonus athletarum habitus, quia non possunt in eodem permanere, neque quiescere: quia semper natura concoquit, distribuit, sanguinem generat, adijcit, adglutinat & assimilat. Quum nihil adijci posit solidis corporis partibus, & uenæ non habeant conceptaculum, in quod distributum alimentum recipiatur, necesse est aut uas aliquod disrumpi, aut repentinè mori per suffocationem. Vt igitur sit in corpore locus nutrimentum recipiens, statim bonum hunc habitum soluas, quod euacuatione fit, & per medicamentum, & per uenæ sectionem: sed & hæc euacuatio ultra modum fieri non debet, aliter non esset minus periculosa immodica repletione.

Quod legitur, Tunc periculum imminet, aut diruptionis, aut mortis repentinæ: Græce habetur, ἀνάγκη κίνδυνον καταλαβεῖν, ἢ ῥήξεως ἀγγείου τινὸς, ἢ ἐξαιφνιδίου θανάτου. idest, Necessariò periculum imminet, aut diruptionis alicuius uasis, aut repẽtinæ mortis.

SEXTO docet, unde accipi debeat intentio quãtitatis euacuationis: nam & ab humore ipso, & à uiribus eius qui debet euacuari, sumi debet: aliqui enim magis, aliqui minus euacuationes perferunt. Hæcque ab Hippocrate dicuntur de athletis, quæ conducere possunt ijs, qui tali uitæ instituto utuntur, & nos debemus istos pro exemplis in re medica adducere.

Quod legitur, Sed & uires hominis qui debet euacuari: Græce est, ἀλλὰ καὶ ἡ φύσις οὖν ἐη, τουτέστιν, ἡ δύναμις τοῦ κενουμένου ἀνθρώπου. idest, Sed & natura, hoc est uires hominis qui debet euacuari.

SEPTIMO ad aliam aphorismi partem exponendam, quæ tamen principalis est, se conuertit. Hippocrates dicit, euacuationes ad extremum, & repletiones ad extremum, esse periculosas: ut in summa hoc dicat, neq; euacuãdum, neq; replendum ad extremum esse. Quod exemplo probari potest, ex bono athletarum habitu, qui alioqui inculpabilis existit: nam & bonos habet humores & uires robustas, ac peruenit ad extremam plenitudinem, & ideo statim soluendus est. Vnde ex his regulam accipe, Sicuti athletæ in bono habitu non sunt extreme euacuandi: sic nulli alij, qui euacuatione indigeant, sunt ad extremum euacuandi: unde hoc perdiscatur, In omni euacuatione uires ægroti attendendas, & quousq; ferre possit, humorem superabundantẽ educere tentãdum. At si hi quos euacuas dissoluantur, etiam si excrementa & superfluitates supersint, earum euacuationem cauere oportet.

Quod legitur, Neq; replere supra modum oporteat. Id uerbum oporteat, Græce est προσήκει, idest conueniat.

Quod etiam legitur, Et nondum laborat: Græce est, καὶ μὴ κάμνῃ.

OCTAVO illam particulam exponit, Et rursus refectiones si in extremo constiterint, periculosæ. Dicit autem, si quis uelit hæc uerba ad exemplum athletarum deducere, ne sit decurtatus, ita intelligere debet. Quod de ultima repletione loquatur, quam iubeat caueri, & corpora non usq; adeo refici ut ad extremam ueniant repletionem. At expositores quidam figuram uerborum considerantes, de eadem re bis loqui dicunt: sed aliter atq; aliter, ut statim apparebit.

NONO per comparationem ad euacuationes exponit secundum aliquos expositores, dicens per hæc uerba, Euacuationes ad extremum periculosæ sunt: docet solum immodicas euacuationes fugiẽdas esse, quia periculosæ admodum sunt. Quum uero addit, Refectiones extremæ periculosæ: ex hoc uoluit Hippocrates (secundum istos) immodicas euacuationes prohibere, quia post has euacuatiões, refectiones sunt periculosæ, quia natura iam imbecillis facta est, adeo ut non possit sufficienter coquere, neq; distribuere alimentum, neq; assimilare.

Quod legitur, Quum igitur ita dixerit: Græce est, ὅταν μὲν εἴπῃ. idest, Quum quidem dixerit.

Quod etiam legitur, Hoc solum: Græce est, κατ᾽ αὐτὸ τοῦτο μόνον. idest, Ex hoc solum.

Quod etiam legitur, Quoniam & refectiones in ipsis: lege, Post ipsas: ἀπ᾽ αὐτῶν.

Deniq; Galenus horum interpretum sententiam refellit: primò, quia altera doctrinæ pars, scilicet de superflua repletione relinquetur: secundò, solius boni habitus exercitatorum, & non aliorum mentionem faciet: tertiò, uerbum rursus ostendit, quod de re altera sermo fiat.

Quod legitur, Et frustra exemplum de bono exercitatorum habitu erit allatum: Græce est, καὶ μάτην ἔσαι τῆς γυμναστικῆς εὐεξίας μεμνημένος. Tamen contextum uidimus, qui ita incipit, καὶ μονῆς ἔσαι: & reliqua. Tunc; hoc modo interpretari debet, & solius boni habitus exercitatorum, erit mentionem faciens.

APHORISMVS IIII

Victus tenuis, atq; exquisitus, in morbis quidẽ longis semper, in acutis uerò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus qui ad extremum, deuenit tenuitatis, grauis est. Nam & repletiones, quæ ad extremũ deueniunt, graues sunt.

BRASAVOLVS

APHORISMVS præcedens de quacunq; immodica euacuatione & repletione intelligebat, uel is ægrotaret, uel sanus esset, qui euacuaretur aut impleretur, imò de sanis potissimum agebat, ut de athletis exemplum ostendit. Nunc de ægrotantium uictu sermonem

monem habet. Pro hoc autem aphorismo & eius intellectione perfecta totus liber De uictu acutorum, in medium afferendus esset, & omnia etiam essent addenda quæ à Galeno in commentarijs scripta sunt. Tamen hac congerie omissa, quæ intentionem nostram prorogaret, ut hunc aphorismũ sufficienti expositione interpretemur; scire oportet, apud Galenum hæc alimentorum genera inueniri, alimentum plenum, alimentum modicum, alimentum tenue. Alimentum plenum, est sanorum cibus, qui non solum uires conseruat, sed etiam auget. Alimẽtum modicum, ad sanos etiam spectat; nam uires quidem conseruat, sed non auget. Alimentum tenue, id est quod uires imbecilles reddit. Hoc uero alimentum quod tenue dicitur, ab authoribus in multas partes diuisum est; nempe in tenue sine aliquo addito, in tenue exquisitè, in tenuissimum, & in tenuissimum in extremo. Tenuissimum in extremo alimentum est, nihil penitus dare. Et si dubitabis, quomodo alimentum dici potest, quum nihil datur: Respondemus, ita esse illius uocabuli apud medicos usum. Tenuissimũ uero est, dare melicratum solum. Tenue est, ptisanæ succus: qui si etiam in pauca quantitate sumatur, est exquisitè tenuis. Sanos homines non solum conseruare debemus, sed etiam augere: propterea uictus plenus illis cõpetit. Qui uero ægritudine longa laborant, uires augere non debent, sed bene conseruare: aliter usq; in finem non sufficerẽt: propterea hi modico uictu cibandi sunt, qui etiam sanis cõuenit, in quibus uires augere non cupimus. Sed illas solum conseruare animo est, quos etiam in longo morbo totis uiribus seruare studemus. Quum uero ægritudo breui terminatura est, si quarto die finire debeat, aliquid dare non est opus: imò si uires sufficerent, & in septimo terminatura esset, nihil penitus dandum esset, nisi post illum terminũ. Vnde Hippocrates in quarto De ratione uictus in morbis acutis libro, de angina loquens, iubet dandum non esse iusculum, nisi post iudicationẽ: sed si quid dandum sit, aqua egelida uel aqua mulsa concedatur. In pleuritide uero & pneumonicis, ante septimam quicquam dari non uult: si post septimã æger in tuto esse uideatur, uult dari exiguũ tenuemq; cremorem, eumq; melle conditum in primis exhibere. Vt manifestissime appareat, antiquiores extremo tenuissimo uictu in prima etiã septimana usos esse, idest nihil dedisse. Tamen ex Galeno habetur: Si ęgritudo primis quatuor diebus iudicari debeat, quod ex acucie & symptomatum sęuicie cognoscitur, tunc nihil dandũ est: nam his tenuissimus uictus in extremo conuenit, ut in angina fit, quæ si acuta sit, quartum diem non excedit. Propterea nos, hoc anno in quo anginæ epidemicus morbus fuere, multos ad quartũ diem absq; ullo edulio perduximus, non tamen absq; aquæ potu, quamuis & nonnulli uel minimam aquæ guttulam deglutire non possent. Si uerò morbus prima septimana iudicari debeat, solum melicratum dandum est, quod est tenuissimus uictus, sed non in extremo: tamen si in uiriũ robore non fideremus, ptisanæ succum dabimus, qui non erit tenuissimus, sed tenuis uictus: tamen si in pauca quãtitate exhibeatur, tenuis exquisitus erit. At si ad secundam septimanam morbus prorogari debeat atque iudicari, tenui, aut tenui exquisitè uictu uti debemus. Philotheus etiam ita uictus genera enumerat: ἰστέον δὲ, ὅτι αἱ γενικαὶ διαφοραὶ τῆς διαίτης, δύο εἰσὶν, λεπτὴ, καὶ ἁδρά. ἀλλ' ἡ μὲν λεπτὴ, ἡ ἐσχάτως ἐστὶ λεπτοτάτη, ἥτις ἐστὶν ἀσιτία, ἢ λεπτοτάτη ἁπλῶς, ὅπερ ἐστὶ μελίκρατον. ἢ λεπτὴ, οἷον πτισάνης χυλός. ἡ δὲ, ἁδρὰ ἐστὶν, ὡς ὅλη ἡ πτισάνη. ἢ ἁδροτέρα, ὡς ἰχθύες, ἢ ὠά. ἢ ἁδροτάτη, ὡς κρέας. ἔστι δὲ μέση τούτων, ὡς ἄρτος πλυτὸς ἢ ἰτρίον. idest, Sciendum uero quòd generales uictus differentiæ duæ sunt, tenuis, & plena. Sed tenuis quidem, aut extremè tenuissima, quæ est inedia: aut tenuissima quidem, ut est melicratum: uel tenuis, ut ptisanæ succus. Plena uero est, ut tota ptisana: uel plenior, ut pisces uel oua: uel plenissima, ut caro. Est autem media hoc, ut panis perlotus, uel placenta ex melle & sesamo. De morbis uerò, is chronicus uel diuturnus appellatur, qui quadragesimum diem pertransit. Acutus autem simpliciter, qui in quatuordecim diebus iudicatur. Qui uerò quartumdecimum diem pertranseũt, in quocunq; sint die, etiam si ad quadragesimum diem perueniant, sed non excedant, à recentibus acuti tropici nuncupantur. Ab Hippocrate, acuti, qui in quadraginta diebus, idest intra hoc spatiũ iudicantur: à Galeno aphorismo decimotertio secundi libri, acuti ex decidentia. quos tamen ex decidentia acutos, & si in loco citato usq; ad quadragesimum à Galeno iudicari dicantur, tamen in fine secundi libri De diebus decre-

torijs scriptum est, ab Hippocrate dici hos quãdoq; ad quadragesimum, quandoq; ad sexagesimũ terminari. Peracutos uerò Galenus uocat illos qui in quarto, quinto, sexto uel septimo iudicantur. At recentes eos, qui in septimo iudicantur, peracutos: qui uerò in quarto, perperacutos dicunt. Tamẽ si de hac distinctione secundũ Galenũ loqui uelimus, ea referãtur quæ ab ipso propè finem De diebus iudicatorijs scripta sunt: inquit enim, Vocetur iam peracutus morbus, qui ad septimum usq; diem extenditur. qui longius procedit, simpliciter acutus. At hic quoq; differentiæ in peracuto memoria tenendæ sunt. Etenim exacte peracutus is est, qui quartum diem attingit: non exacte, qui ad septimum usq; producitur. Eadem ratione inter acutos, alius exacte acutus, qui ad usq; quartũdecimum diem porrigitur: non exacte uero, qui ad uigesimum usq; durat, quanquam & ipse acutus sit. Adhuc aliud morborum genus, quod ex coincidẽtia acutum, ad quadragesimum usq; diem peruenit. Satius enim est ita uocare ipsum, quod acuto quodam imperfecte iudicato, intra diem uigesimũ, deinde uehementia eius confracta, reliquum eius intra quadragesimum diem dissolui cõsueuit. Nonnulli autem statim ab initio uelut prohibiti, tardeq; moti, & nullam interea subitã mutationem moliti, ad quadragesimum producuntur. Duplex autem horum quoq; natura est, uel enim accessionum remissiones in exactam integritatem finiunt, uel cõtinua febris semper perdurat, atq; huiusmodi de acutorũ natura intelligenda sunt. Alij manifestò sunt diuturni. Hæc Galenus. Oribasius uero ægritudinem quadrifariam diuidit, in acutam, & peracutam, mediam, & longam. Quadrifariã uero (inquit) & uictus rationem: ergo necesse est dinumerari unicuiq; ægritudini suam propriam uictus rationem. Peracutæ ęgritudini, ut est apoplexia, quæ quarta die terminatur, tenuissima percipienda est, uti est calida aqua. Et istam quando debeo dare? Prima & secunda die noli exhibere: quia adhuc ualida est ægritudinis uirtus. tertio uerò die dabis duobus modis: uno, cibi nomine: alio, uirtutis: ut quarta die inueniatur ualida uirtus ad expellendos humores. Acutæ ægritudini, qualis tertiana, tenuem uictum dari iube, ut est cremor ptisanę: & inter acutam & peracutam quę media, usq; ad septimum diem determinatur. Huic melicratũ dari conuenit, primũ pro uirtute, deinde quia superflua purgat. Et ut scias, qualis sit uirtus melicrati, superflua purgat, & naturalia conseruat. Philosophus autẽ refert, Ad odorẽ mellis quadraginta dies uixisse quendam. Longa uero ægritudo est, ut quartana, cui solidũ uictum dari conuenit, ut halicam & piscium gara. Hæc Oribasius. At Galenus de hac re certius & perfectius disseruit. Philotheus hoc modo aphorismum istum introducit: ὁ παρὼν ἀφορισμὸς, διαιτητικός ἐστιν, καὶ κατὰ τάξιν εἴρηται. ἀπεργασάμενος γὰρ ἐργασάμενος ὁ ἱπποκράτης τὸ σῶμα, ἐλευθερώσας αὐτὸ τῆς κατὰ ποιότητα πλεονεξίας καὶ βλάβης, ἐπὶ τὴν δίαιταν ἐχώρησεν. διὰ τὸ τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁκόσα ἂν θρέψῃς μᾶλλον βλάψεις. idest, Aphorismus præsens ad uictus rationem spectat, & secũdum ordinem dictus est. nam quum Hippocrates expurgatũ corpus fecerit à plenitudine & offensa quæ est secundũ quantitatem ipsum liberans, in uictus rationẽ processit, ob id quod non pura corpora, quanto nutries, magis lædes.

Αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται. idest, Tenuis atq; diligens uel exquisitus uictus.] Victus tenuis est ptisanæ succus, exquisite tenuis est idẽ succus, si in pauca quãtitate sumatur.

Καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν ἀεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, ὅ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. idest, In longis quidem morbis semper, & in acutis, in quibus non cõuenit, periculosus.] Nam in aliquibus acutis cõuenit, in alijs non cõuenit. Quod duobus modis intelligi potest: unus est, uictus tenuis periculosus est in acutis in quibus non conuenit, ut peracutos morbos intelligamus, in quibus tenuis uictus non conuenit: nam is uictus naturam aggrauat. Sed Galeno hic sensus non placet: non enim uult ob peracutos morbos dictũ esse, quia de illis statim dicet Hippocrates, ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo uictu utendũ est. Alter sensus est: Quum sint aliqui acuti morbi ex decidentia, quibus uictus tenuis non cõpetit, sensus erit, Victus tenuis semper in morbis lõgis periculosus est. Est etiam periculosus in illis acutis, in quibus eiusmodi uictus non competit. Philotheus totius huius sententiæ causam hoc modo reddit, ὅτι γὰρ ἀπαλλάττεται τὸ νόσημα, ἀλλὰ καὶ ἡ δύναμις ἀρκνήσασα, ἀσθενὴς γίνεται, καὶ θάνατος ἐπακολουθεῖ. ἀλλὰ μὴν καὶ ἐν τοῖς ὀξέσι νοσήμασιν, ὃ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλερά ἐστιν.

γὰρ δεῖν ἡ ἀσιτία. τὰ ὀξέα ἢ ὁμωνύμως ὀξέα εἴρηται, τὰ μέχρι τῆς ἑβδόμης, ἢ τῆς ἐννάτης, ἢ κατόξεα, τὰ ἕως τῆς τετάρτης. ἐπὶ μὲν οὖν τῶν ὁμωνύμως ὀξέων, καὶ τῶν ἁπλῶς σφαλεραὶ αἱ ἀκριβεῖς καὶ λεπταὶ δίαιται, τουτέστιν αἱ ἀσιτίαι, διὰ τὸ ἀδύνατον μένειν τὸν κάμνοντα ἀσιτοῦντα τοσοῦτον χρόνον. ἐπὶ δὲ τῶν κατοξέων, οὐ σφαλεραί, διὰ τὸ ὀλίγον τῶν ἡμερῶν. τὸ δὲ ὃ μὴ ἐπιδέχεται, τοιοῦτόν ἐστιν, ἐφ᾽ ὧν μὴ ἁρμόζῃ, καὶ ὧν ἂν ἁρμόζῃ, οὐχ ἁρμόζει εἴρηται. idest, Quoniam neq; decedit morbus, & uis ad pigritiam redacta imbecillis fit, & mors consequitur: sed & in acutis morbis, in quibus non conuenit, periculosa est inedia. Acuti morbi, uel æquiuoce acuti illi dicuntur, qui usq; ad septimum diem uel nonum pertingunt: peracuti uero illi, qui usq; ad quartum diem. In acutis quidem æquiuoce & simpliciter acutis periculosi sunt exquisiti & tenues uictus, hoc est inediæ, quoniam impossibile est ęgrotantem tanto tempore in inedia permanere. In peracutis uero non periculosi, quoniam paucis diebus permanent. Id autem quod dicitur in quibus non conuenit, tale est; in quibus non congruit: & in quibus si congruit, non congruit dictum est. forte intelligendum, quod quo ad morbum congruit, quo ad tempus non congruit.

Illa particula Periculosus, in aliquibus contextibus legitur σφαλεραί, idest periculosæ: in aliquibus, χαλεπαί, idest molestæ & graues.

Καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται χαλεπαί. idest, Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est atq; molestus.] In altero uictus genere idem docet, Non solum (inquiens) uictus tenuis periculosus existit in morbis longis & in acutis, in quibus non cõuenit. Sed adde, quòd uictus qui ad extremum deuenit tenuitatis, in eisdẽ longis morbis & in acutis in quibus non conuenit, grauis est. Vnde Oribasius hic uult, ab Hippocrate medicum edoceri, quid in uictu debeat obseruare.

Καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι χαλεπαί. idest, Nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.] Videtur Hippocrates hoc loco probare, uictum qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauem esse, hoc modo: Repletiones quę ad extremum deueniunt, graues sunt: ut pręcedens aphorismus docuit. Igitur & uictus graues sunt, qui ad extremum deueniunt tenuitatis in morbis quidem longis & in acutis, in quibus non conueniunt. Præcedentem partem & hanc ita exponit Philotheus, καὶ ἐνταῦθα διαβάλλει τὴν ἀκριβῶς λεπτὴν δίαιταν, ἤτοι τὴν ἀσιτίαν, καὶ τὴν ὑπερπλήρωσιν, ἤτοι τὴν ἁδρὰν. ἑκάτερα γὰρ ξενισμὸν ἐμποιεῖ τῇ φύσει, ἐν ἀμετρίᾳ θεωρουμένη. idest, Et hic exquisite tenuem uictum uel inediam criminatur, & plenitudinẽ summam scilicet & plenam: utraq; enim naturæ nouitatem facit, si supra modum considerentur.

Quandoq; nobis in mentem uenit, præsentem aphorismum hoc modo introducere. Quum in præcedẽti aphorismo, de euacuatione quę per potiones & per uenæ sectionẽ fit, sermonem habuisset: docueritq; tam repletiones, quàm euacuationes extremas esse periculosas: hoc idem nũc docet in una euacuationum specie, quæ per uictus rationem fit, docẽs & hanc esse periculosam: ut sensus sit, Victus tenues & in extremo tenues, in illis in quibus nõ conueniũt, periculosi sunt: quoniã & repletiones ipsæ, periculosę sunt.

GALENVS

QVVM in superiori aphorismo de qualibet immodica repletione, atq; euacuatione locutus fuerit, in hoc de ægrotantium uictu sermonem habet, præcipiens nobis, in morbis longis semper uictum cauere tenuem, in acutis uerò non semper. Plurimi enim horum uictum tenuem exigere uidentur, quidam uerò eorum, & illum qui ad extremum tenuitatis deuenit: esset autem uictus tenuis in extremo, qui per solam inediam, uel melicratum, usq; ad crisim, siue iudicationem procedit. Tenuis uerò, qui per pauca, aut parum nutrientia edulia, quale est ptisanæ succus. eius autem terminus est, uirium exolutio, quarum gratia nutrimus. In sanis quidem corporibus semper oportet robur seruare naturæ, uel augere alimentis, non demoliri. Et est quidem augere potens alimentum, quod plenum uocatur, conseruans uerò quod modicum existit, quod uerò cõminuit tenue. Hunc igitur semper fugere oportet: alijs uerò, ut pręsentia exigunt, uti. In ægrotantibus autem raro accidit, ut robur corporis maius reddere, quàm acceperimus studeamus. Magna uerò ex parte properamus, in longis quidem morbis fouere uires, in acutis uerò parũ debilitatas conseruare. Nam si eas tales, quales accepimus, properemus in istis seruare, uel etiam augere, semper addemus ad morbum. Qui uerò sint

morbi acuti qui uictum exigant tenuiſſimum in extremo, & qui tenuiſſimum quidem, non tamen in extremo, qui etiam tenuem, in libro De uictu acutorum (qui de ptiſana à nonnullis inſcribitur) plenius Hippocrates docuit. Et nos in noſtris in eundem librum expoſitionibus, totum ſermonem abſoluimus. Nunc uerò tãtum dixiſſe ſufficiat, quòd in omnibus morbis, quibus maximus uigor, & iudicatio primis quatuor diebus futura ſit, modo natura ſit fortior, integram inediam ſeruare debemus. In quibus uerò non ultra primam ſeptimanam protrahantur, forti exiſtente natura, ſolo utendum eſt melicrato: ſolus autem & hic ipſe uictus tenuiſſimus eſſet, non tamen in extremo. Quòd ſi naturæ robori non ſatis fidamus, ptiſanæ utemur ſucco. Rationabiliter autem huiuſcemodi uictus tenuis diceretur, ſicuti qui per ptiſanam hordeaceã, non eſt quidem tenuis exquiſite, niſi omnino pauca aſſumpta fuerit, non tamen propterea plenus, qualis qui fit per oua, & alicam, & piſces, atq; alia huiuſcemodi. Quod igitur adiectum eſt ſermoni de acutis, in quibus non conuenit, haud quaquam dicitur propter peracutos: de his enim ipſe inquiet, Vbi igitur morbus peracutus eſt, ſtatim & extremos labores habet, uictu etiam in extremo tenuiſsimo utendum eſt.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus hunc aphoriſmũ introducit, inquiens, quum in pręcedente aphoriſmo de qualibet immodica euacuatione atque repletione ſermonem feciſſet: nunc de ægrotantiũ uictu pertractat, nobis pręcipiens, in morbis longis ſemper uictum tenuem cauere: in acutis uerò non ſemper: nam multi horum tenuem uictum exigere uidentur, quidam uerò eorum & illum qui ad extremum deuenit tenuitatis.

SECVNDO, docet Galenus quidnam ſit uictus tenuis in extremo: nam hic uictus eſt, nihil penitus comedere: fit enim per ſolam inediam, uel damus ſolum melicratum uſq; ad iudicationem. Vnde & à Philotheo dicitur: ἰστέον δὲ, ὅτι πολλάκις τὸ μελίκρατον, καὶ ὀλίγος χυλὸς πτισάνης ἀσιτίαι λέγονται, ὡς ἐγγὺς ὄντα τῆς κυρίως ἀσιτίας. ideſt, Sciendum uero quòd melicratum, & paucus ptiſſanæ ſuccus ſæpe inediæ dicuntur, tanquã ea quæ propinqua ſunt proprie inediæ.

TERTIO docet, uictum tenuem illum eſſe, qui fit per pauca edulia, aut per parum nutrientia, quale eſt ſuccus ptiſſanæ, qui ſecundum Philotheum in multa quantitate intelligendus eſt.

QVARTO, generalem quandam regulam ponit de uictus ratione, inquiens, terminum rationis uictus eſſe uirium exolutionem, quarum gratia nutrimus: unde hic à Galeno recẽtiorum dubium abſoluitur, quo illi dubitant, utrum in uictus ratione inſtituenda ratio ſumi debeat à uiribus. At quis hoc ignorat? imò Galenus hic dicit, nos gratia uirium nutrire, nempe in morbis nunquam daremus nutrimẽtum, ſi uires ferre poſſent.

QVINTO docet, in ſanis uires ſemper ſeruandas uel augendas, & hoc fit alimẽtis: nunquam uero ſunt demoliendæ. Alimentum uero illud quod uires augere poteſt, plenum uocatur: quod uero conſeruare, modicum: at quod comminuit, tenue. In ſanis hominibus hoc tenue alimentum ſemper fugere oportet: modico uero & pleno, ut pręſentia exigunt, uti debemus. In morbis uero rariſsimum eſt, aut nunquam, quòd uires maiores reddere ſtudeamus, quàm acceperimus: ſed hũc morem ſeruamus, quòd in longis morbis uires ſeruare nitimur, in acutis uero mediocriter debilitatas, quoniã ſi in his tenemus illas in eodem gradu ſeruare in quo accepimus, uel etiam ſi augere uoluerimus, ſemper ad morbum addemus.

Quod legitur, Hunc igitur ſemper fugere oportet legi debet, Hoc igitur. nam refert Alimentum, quod eſt neutri generis.

Quod etiã legitur, In longis quidem morbis fouere uires. Illa particula Fouere, Græce eſt φυλάττειν, ideſt ſeruare.

SEXTO, Galenus lectorem remittit ad librum De uictu acutorum, in quo hæc uictus genera & ab Hippocrate & ab ipſo egregie diſtinguũtur, & quibus morbis acutis competat in extremo tenuiſsimus, quibus ſimpliciter tenuiſsimus, & quibus tenuis.

SEPTIMO, ut nihil prætermittat quod ſuo propoſito conducere poſsit, inquit: In omnibus morbis, qui uigorem habent & iudicationẽ primis quatuor diebus, modo uires ferre poſsint, integram inediam, ideſt uictum in extremo tenuiſsimum ſeruare debemus

mus. Sed si eædem uires constent, & morbus ultra primam septimanam non protrahatur, melicrato uti debemus: nam melicratum est uictus tenuissimus, non tamen in extremo: at si in naturæ uiribus non fidimus, ptisanæ succo utemur, & hic uictus rationabiliter tenuis diceretur: sicuti & ille qui fit quidem per ptisanam hordeaceam nō est tenuis exquisite, nisi omnino pauca accipiatur, tamen non potest dici plenus, qualis is est qui fit per oua, halicam & pisces, atque eiusmodi generis alia.

Quod legit, Quod in omnibus morbis quibus maximus uigor & iudicatio. hæc particula Maximus uigor, Græce est ἡ ἀκμὴ, idest uigor, & non adest particula Maximus.

Quod etiam legitur, Modo natura sit fortior, ultimā inediam seruare debemus: Græce est, ἢν δύναμιν ἰσχυρὰς ὑπαρχούσης, τῶν ἀσιτίας παντελοῦς τούτους φυλάξομεν ὁπόταν ἐστιν ἐσχάτως λεπτοτάτης διαίτης. idest, Modo potentia sit fortis, omnes istos in inedia seruamus, quæ est uictus tenuis in extremo.

Quod etiam legitur, Solo utendum est melicrato: Græce est, ἀρκέσει μελικράτῳ μόνῳ χρῆσθαι. idest, solo melicrato uti sufficiet.

De halica quid sit, hic differendum uideretur, nisi illam in secundo huius uoluminis libro abunde pertractauissemus in commētatione decimaoctaua Galeni. Plinius libro uigesimosecundo capite uigesimoquinto, rem Romanam esse dicit, non excogitatam à Græcis, quam forte Galenus Romæ didicit.

Deniq; illos reprehēdit, qui per morbos acutos, in quibus non conuenit, peracutos intelligūt: nam Hippocrates de peracutis dicet. ubi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & uictu in extremo tenuissimo uti oportebit.

APHORISMVS V

IN tenui uictu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Quicunq; enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quàm in paulò pleniori uictu: propterea etiam sanis periculosus existit ualde exquisitus uictus & constitutus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis uictus, atque admodum exquisitus, eo qui fit paulò plenior, magis periculosus.

BRASAVOLVS

ANTE hunc aphorismum in nostro antiquo contextu hæc inscriptio præfixa est, περὶ καιροῦ διαίτης, idest de uictus occasione. Omnes uerò recētiores interpretes hoc modo aphorismum intelligunt, quod ab Hippocrate uictus tenues crassioribus comparentur, uoluerítq; magis peccare ægrotantes in uictu tenui, quā in crassiori, idest maius peccatum sit tenuiorē uictum quàm oporteat exhibere, quàm crassiorem, Idq; ex hoc probant, quia in tenuibus uictus generibus maius peccatū est, quàm in crassis, quod ex peccati correctione ostenditur: nempe plenioris uictus peccatum facilius corrigitur, quoniam euacuatione facta, statim plenitudinis uitium correctum est: sed in tenui uictu uirium imbecillitas fit, quæ ita facile non restauratur, sicuti facile plenum euacuatur.

Nos uerò hic ostendamus, hanc non posse esse Hippocratis sentētiam, aliter sibi ipsi expressissime contradiceret, immò & Galenus ipse sibimet opponeretur. Hippocrates enim libro secundo De ratione uictus in morbis acutis, cum diffusis uerbis exposuerit, quantum ad rationem uictus recte metiendam faciat consuetudo, & præter consuetudinem uirium robur, morbi modum, & naturam considerandam docuerit, statim consequentia uerba describit. Multo autem minus uersus adiectionem eundum est, detractio enim omnino frugalis plerūq; confert, ubi superfuturus est ægrotans, donec morbi status concoquatur. hæc Hippocrates. Galenus uerò prædicta uerba exponens inquit, quum cognosceret certam cuiusq; remedij quantitatem coniectura quadam egere artificiali, non esse autem cuiusuis artificiose coniectari, sed eius tātum uiri, qui omnia quæ ad artem attinent, & perdidicisset, & in memoria teneret, essetq; laboris amator, & in operibus artis attentus, quales pauci admodū reperiuntur, ea quæ in præsenti sermone dicta sunt, merito perscripsit: uidelicet ubi peccandum, & à decente mensura recedendum sit, omnino laudabilius fore, ad id quod quātitate minus est potius, q̄ ad id quod

plus est inclinare. Id enim quod plus est, oblęsiones interdũ inemendabiles faciũt: id uero quod est minus, facile corrigitur uolentibus nobis, si uis labi uideatur, parum dare nutrimenti: eius autem quod antea in uentre concoctum est, superfluitatẽ auferre, & alias difficile est, & multo magis in acutis morbis. Hoc in loco adeo certe colligere potes, Hippocratem & Galenum prædictæ recentiorũ in hoc aphorismo interpretationi contradicere, ut nulla sufficiẽs posſit esse excusatio, Galenusq́; & Hippocrates sibi ipsis opponerentur, si recentiorum interpretatio uera esset: nam in citato loco expresse dicunt, tutius esse ad uictum tenuem declinare, quàm ad crassum. At recentes oppositum in hoc aphorismo illis imponunt, tutius scilicet esse ad crassiorem uictum inclinare, quàm ad tenuiorem. Nunc alium Hippocratis locũ audire non pigeat. In eodem secundo De ratione uictus in morbis acutis libro, post locum pręcitatum addidit. Deterius quidem est, si ei qui ob laborẽ morbiq́; acutiem imbecillis est, potum quis offerat, multam ue sorbitionem aut cibum, putans eam imbecillitatẽ ob uasorum cõtingere uacuitatem. Sed & indecens est, eum qui ob uasorum uacuitatem imbecillis est, nõ ignoscere, rationeq́; uictus opprimere. affert enim & hoc periculum quoddam atq́; peccatum, lõge quidem minus quàm alterũ, sed quod magis subiaceat irrisioni. ubi enim alius uel medicus uel idiota superueniens, accidentiaq́; cognoscens, ea ad esitandum potãdumq́; dederit, quæ prior ille prohibuerat, aperte uidebitur auxilium attulisse, cum magno alterius dedecore, putantibus hominibus superuenientem medicum, ueluti mortuum suscitasse. In quibus uerbis illos reprehendere uides, qui plus dant quàm conueniat. Sed & Galenus ipse eũdem locũ interpretans inquit: plerunq́; ægrotantes ob dolores absq́; pulsu fiunt, animoq́; deficiunt, ac nullo motu moueri possunt, simile & ob morbi acumen cõtingit. Nonnulli non ob hęc uiribus laborant, sed ob uasorum quomodolibet hoc fiat, euacuationem: siue ob manifestam sensibus excretionem, siue ob cæcam dissolutionẽ, siue ob famis agoniam. Exigunt igitur hi quidem, ut cibus q̃ celerrime exhibeatur: econtrario uerò alij, qui dolore uel morbi acutie premuntur, uacuatione magis interdum egent, q̃ repletione. Et si quis eis nutrimentum dederit, maximum malum operabitur. Illos uero qui ob uasorum uacuitatem debiles sunt, si tenui oppresserit uictu, nocebit quidem, sed non æque uehementer & manifeste. Ex his ab Hippocrate & Galeno oppositum expresse sentiri cõstat, quàm in hoc aphorismo ab interpretibus dicatur. In hunc etiam ordinem aphorismum decimumseptimũ secundi libri adducito, qui id quod prædictum est, approbare uidetur, inquiens, Vbi cibus plus pręter naturã ingestus est, hic morbum facit, ostendit autem sanatio. Hippocrates in sanis loqui uidetur, in quibus dicit cibum plus facere morbum: quanto magis in ęgro faciet, si plus q̃ conueniat, exhibeatur. Nec opus est argumenta euitare per illam particulam Præter naturã, quia multi interpretes quibus Galenus assentit, per naturam, potẽtiam illam intelligunt, à qua animalia gubernantur: unde si plus cibi, q̃ naturali potentiæ conueniat, homini sano nocet, quanto magis ægro nocebit? Ob hęc aphorismum sano modo intelligere opus est: non enim dicit Hippocrates, nos debere potius ad uictum crassiorem, quàm ad tenuiorẽ inclinare. Sed hic sensus est: Aegri quibus tenuis uictus debetur, & peccant, quomodocũq́; peccent, uel per uictum ipsum, uel per aerem, uel per animi passionem, uel medici causa, uel assistentium, uel ipsius ægri, qui salutaribus medici præceptis parêre noluerit, magis læduntur, quàm si pleniori uictu usi sint: nam quicunq́; error magnus committitur, in his qui hoc uictu tenui utuntur, maior est quàm si in paulo pleniori factus sit. Vnde quum Hippocrates superius in longis morbis uictum tenuem damnasset, & in morbis etiam acutis, in quibus non cõuenit: ut nos admoneat, quando opus est uti uictu tenui, aliquẽ errorem cõmittendum non esse: sed optime attendendũ est, ne fiat aliquis error, quicunq́; sit ille, quando æger tenui uictu utitur, quàm quãdo paulò pleniori, & non multum pleniori, quia hic magis læderet. Cur uero errores maiores sint, causa est, quia iam habent imbecillam uirtutem, ideo error ille magis nocet: unde Hippocratis sententia est, admonere medicũ, quando suos ęgros tenui uictu cibat (quia ratione morbi ita opus sit) bene attendere debere, ne error incidat, cuiuscunq́; generis ille sit: nam hic error magis lędit, q̃ in paulo pleniori uictu. Sensus ergo est, In tenui uictu, ægri delinquunt: idest quando tenui uictu utimur, & uti conueniens sit: si ægri peccant, aliquo scilicet peccati genere, quod-

quodcunq; sit id peccatũ, magis læduntur: idest, quum ægrotantes qui uictu tenui utun tur delinquunt, magis læduntur q̃ si pleniori uictu usi essent: quicunq; enim error com mittitur, magnus in hoc, idest in tenui uictu, maior est q̃ in paulo pleniori: unde & uictus ualde exquisitus in sanis, est periculosus: quia sani si errẽt aliquo erroris genere, & uictu tenui utant, errores grauius ferunt: propterea tenuis uictus & exquisitus in plurimis est magis periculosus, eo qui sit paulo plenior, nisi integrã mentem exhibuerimus. Et si di xeris, uideri Hippocratem suadere, nos pleniorem uictum exhibere debere, Responde mus, hoc uerum non esse, imò potius admonere, quum tenui uictu uti opus sit, mẽtem adhibeamus, ne aliqui errores fiant: unde præcedentis aphorismi series & huius præsen tis talis est, Victus tenuis in morbis longis & in acutis, in quibus non conuenit, est peri culosus, & etiã tenuissimus est grauis: propterea quãdo uictu tenui uteris, caue ne ægri delinquant: quia si delinquunt, magis lęduntur: nam omnis magnus error, in hoc est ma ior, q̃ in uictu paulo pleniori, unde & sanis periculosus est hic tenuis uictus, quia si er rent, grauius ferunt errores. Ideo tenuis uictus est periculosior paulo pleniori, si errata fiant: quia grauius errata feruntur, & difficilius in tenuiori uictu q̃ in paulo pleniori. Et ideo Galenus non ab re in sua cõmentatione dicit, non coguntur delinquere ob uictus tenuitatem: sed quia si errent, errata grauius ferunt. Hic est uerus Hippocratis sensus, in quo nusquam sibi contradicit. At alios etiam Græcos interpretes, præter Galenũ, hoc sentire certum est, si quis Philotheum ita dicentem legat: ἐν ταῖς λεπταῖς διαίταις ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσοῦντες ὀλιγωροῦντες ἐκ τῆς ἀσιτίας, καὶ μὴ λαμβάνοντες λεπτὴν δίαιταν, ἀλλὰ τὴν ἐμπίπτουσαν, τουτέστιν κἂν ἄρτος ξηρὸς ᾖ, κἂν κρέας. καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον βλάπτονται. εἴ τι γὰρ δή ποτε γίνεται ἁμάρτημα, χαλεπώτερον γίνεται ἐν ταῖς λεπταῖς, ἢ ἐν ταῖς ὀλίγον ἁδροτέραις διαίταις, διὰ τὸ τῷ ξενισμῷ τῆς τοιαύτης τροφῆς, τὴν φύσιν ταράττεσθαι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ ἐσχάτως λεπταὶ δίαιται χαλεπαί. ὅτι δὲ χαλεπαί εἰσιν, δείκνυται καὶ ἐκ τῶν ὑγιαινόντων. εἰ γὰρ ἐπ' ἐκείνων, ὥς φησιν ἱπποκράτης, κακαί εἰσι διὰ τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρειν, πολλῷ μᾶλλον ἐφ' ὧν αἱ δυνάμεις ἀσθενοῦσιν. διὰ ταῦτα οὖν πάντως αἱ ἐσχάτως λεπταὶ δίαιται χαλεπαί, ἁδροτέρου δὲ τὰ πλεῖστα πρόκειται. ἐπ' ἐνίων γὰρ δεῖ χρῆσθαι αὐτῇ, ἐπὶ τῶν κατοξέων, ἐὰν μηδὲν κωλύῃ, τουτέστιν ἐὰν μὴ ἡ δύναμις ἀσθενῇ, ἢ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ταχέως ἐκχολοῦται. idest, In tenui uictu ægri delinquũt ex inedia deficientes, & uictum tenuẽ non accipientes, sed incidentẽ, exempli gratia & si panis aridus sit, & si caro, & ob hoc ma gis lædũtur. Si quid enim peccatum fiat, grauius fit in tenui, q̃ in paulo pleniori uictu: quoniam talis cibi nouitate natura perturbatur. propter hoc igitur tenues uictus immo dici graues sunt. Quod uerò graues sint, & ex sanis ostenditur. Si enim in illis (ut dicit Hippocrates) mali sunt, quoniam peccata grauius ferunt, multo magis in his, in quibus uires imbecilles sunt. Ob hæc igitur omnino immodice tenues uictus graues sunt, ple nior uerò ad multa propositus est. In quibusdã enim eo uti oportet, in peracutis inquam si nihil impedierit, hoc est si uires non sint imbecilles effectæ, uel os uentriculi cito bilio sum fiat. Videtur ergo Philothei sensus, quod hi errent, quia uti debeant tenui uictu, ta men illo non utantur, sed ut contingit comedant, uidelicet panem aridum, uel carnem.

Non uidetur etiam ex Oribasio uel nostra sentẽtia, uel illa recentiorum perfecte col ligi, tamen in nostrã potius inclinat, siquis eius uerba consideret: quibus fingit sibi, dum aggrediens medicus ægrotum, præcipit ut succum accipiat, ille aliquando obtemperat, aliquando non: & dum acceperit, dicit, hic me uult occidere: postea aduenientes amici ad uisitandum, dicunt ei, accipe halicam: & dum acceperit, e duobus alterum cõtingit, aut bene, aut male. Si bene, dicet medico, quare me occidere uoluisti? qui me solo succo tractabas, & me iam occidisses, nisi aliud accepissem: & statim iratus repudiat tenuem uictum ac consilium medici, & utitur pleniore. At si male contigerit, dicit, tu me occi disti, qui me solo succo substentare uoluisti, culpatq; amicos, & ultra præceptum medi ci nimis tenui utitur, Ideoq; afficiuntur, idest male offendũtur, Quicquid enim commit titur grauius eis obuenit, idest aut magnũ malum aut magnũ bonum, hoc est non leues sunt casus qui eis contingunt, ut est animę defectus, sudores frigidi, & spirituũ digestio. Hæc Oribasius, quẽ si bene contẽpleris, in nostrã sententiã potius inclinare decernes.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες. idest, In tenui uictu ægri delinquunt.] Est autem tenuis uictus, ille per quem uires aliquo pacto minuuntur: non tamen adeo minuuntur, ut non possint usq; ad statum perdurare. Sensus est: Ægri qui delinquunt,

idest errant, in quocunque genere erroris uel à medico fiat, uel ab ægro, uel ab assistentibus, uel per ea quæ applicantur exteriora. In uictu tenui, idest dum uictu tenui utuntur, & qui ratione morbi illis competat.

Δι' ὃ μᾶλλον βλάπτονται. idest, Propterea magis læduntur.] Per errorem scilicet illum qui fit dum utitur tenui uictu.

πᾶν γὰρ ὃ ἂν γίνηται μέγα, γίνεται μᾶλλον, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. idest, Quicquid enim committitur magnum, magis fit quàm in paulò pleniori uictu.] Ita habet noster antiquus contextus. Sed Aldinus legit, πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα ὃ ἂν γίνηται, μᾶλλον γίνεται ἐν τῇσι λεπτῇσι, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. idest, Quicunque enim error committitur, in tenui magis fit, quàm in paulo pleniori uictu: tamen in sensu hi contextus conueniunt: & optime dicit In paulo pleniori, & non simpliciter In pleniori, quoniam aliquis plenior uictus magis lædere posset.

Διὰ τοῦτο οὖν καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι, σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσι. idest, Propterea etiam sanis periculosus existit ualde tenuis, constitutus, & exquisitus uictus: quoniã errores grauius ferunt.] Quàm scilicet illi qui paulò pleniori uictu utuntur. Oribasius dicit, bene ceu naturæ peritum, seriem orationis sequi Hippocratem: Non solum, inquiens, inimica est ægrotis tenuis uictus ratio, sed & sanis. uerbi gratia, Aliquis consueuit uti cibo pleniore, idem ad nauigationem aut carcerem missus, nihil comedendo conglutinationẽ facit intestinorũ: postea uerò ubi dimissus fuerit (uult nimirum ad pristinam cõsuetudinem redire) largiorẽ tum potum, tum cibum assumit, cõcoctio non obitur, morbi oriuntur, sic & tenuis uictus sanis tutus non est: egrotis uero quando non pro morbi ratione assumunt, sed alio modo sanis, alio modo ægrotis. Sanorum facit initium ægritudinis, illorum initium mortis. Hæc Oribasius.

Διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐν τὰ πλεῖστα τῶν σμικρὸν ἁδροτέρων. idest, Ob hoc igitur tenuis uictus atque exquisitus, eo qui sit paulò plenior, ut in pluribus magis periculosus.] Quoniam ut Oribasius dicit, sequitur animi defectio, & macies corporis. Notaque in Leoniceni interpretatione deesse hanc particulã, ut in pluribus. Quod uerò à recentibus dicitur, uictum crassiorem robur augere, tenuiorem uerò diminuere: propterea conuenientius esse cibare crassius, quàm tenuius, non est secundum Hippocratis mentem: nam ipse non uult in morbis augeri robur, sed cum morbo simul diminui. nulla enim est febris etiam lõgissima, in qua robur augere intẽdamus, sed bene conseruare. in acutis enim robur minuere debemus, ut morbus etiã absit: quia uictum crassum dantes morbus augetur, & plerunque ægri ex eo moriuntur atque suffocãtur, unde uires augere putant, & suffocantes auferunt. Verum quidem est, tenuem uictum calorem dissoluere, ex eoque spiritum consumi, & humiditatem totumque corpus exinaniri: tamen per hoc pleniori deterior non est, nisi in eo erraueris: & id absurdũ est, quòd facilius errores qui fiunt in pleniori uictu corrigantur, quàm qui in tenuiori: nam sententiæ, quas superius adduximus, oppositum ostendunt.

Dubitant recentes, an peius sit declinare ad uictum tenuiorem, quàm crassiorem, quando corpus per uictus rationem gubernamus: Respondemus, Medium seruandũ esse, & secundum morbum nos tali uictus genere uti debere. At si contingat fieri errorem, cuiuscunque generis sit, melius est illum in pleniori uictu fieri, quàm in tenuiori.

GALENVS

HVIVS INITIVM aphorismi etiam aliter scriptum inuenitur, hoc modo scilicet. In tenui uictu magna ex parte duo peccant qui ægrotant, quo fit ut magis lædantur, & hanc scripturam plerique magis altera probant: hoc putantes Hippocratem uoluisse dicere, quòd in tenui uictu bifariam ægri delinquentes magis læduntur: nam inscijs medicis ob hoc ipsum cogũtur cibari, quoniam tenui uictu ab ipsis reguntur, & hinc maius detrimentum suscipiunt, quàm si uictu tenuiore non regerentur. Adhuc autem delinquunt, scilicet & iam natura existente imbecilli, ut quæ antea alimenti inopia laborauerit. Mihi autem uidetur prior scriptura melior, ut quæ hanc quoque complectitur, & sermonem facit generaliorem. quum de omni delicto doceat, siue uolentibus, siue inuitis ægrotantibus accidat, adeo ut talis sit sermo. Quicunque error accidit ægrotantibus

tantibus, qui tenui uictu reguntur, hic maximum affert periculum, & quia natura à tali uictu debilitatur, & quia ad eum transitus est insuetus. Confirmāt antea dictam scripturam, ea quæ de sanis dicuntur, in quibus tenuem ait uictum esse periculosum, quoniam errores grauius ferunt: non quia propter uictus tenuitatem cogantur delinquere. Quæ uero de aphorismo sequuntur sunt manifesta.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, initium huius aphorismi uario modo scribi in diuersis codicibus. nam aliqui codices ita legunt, In tenui uictu magna ex parte duo peccant, qui ægrotant, in quæ læduntur: & multi antiqui scripturam istam magis laudant, putantes Hippocratē dicere, in duobus, in tenui uictu ægros delinquentes lædi. Primò, quia medicis inscijs cibari coguntur, quoniam tenui uictu à medicis reguntur: unde maius detrimentum suscipiunt, quàm si uictu tenuiore non regerentur. Præterea delinquunt etiam natura existente imbecilli, ut quæ prius alimenti inopia laborauerit. Sed Galenus probat potius primam scripturam, quàm istam: quia prima hanc cōplectitur, & generalior est, siue uolentibus, siue inuitis ægrotantibus accidat.

Quod legitur, In tenui uictu magna ex parte duo peccant, qui ægrotāt, quo fit ut magis lædantur. Græce ita legitur: ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσι τὰ πολλὰ ἁμαρτάνοντες. Alij contextus habent, ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, δύο μᾶλλον βλάπτονται. idest, In tenui uictu magna ex parte peccantes qui ægrotant, duo in quæ læduntur.

Quod etiam legitur, Quod in tenui uictu bifariam. Hæc particula Bifariam, Græce est δύο, idest duo: hoc est in duobus, ægri scilicet delinquentes magis læduntur.

Quod etiam legitur, Quum de omni delicto doceat. Hæc particula in aliquibus codicibus posita est, in aliquibus non est posita.

SECVNDO, Galenus uulgatam huius aphorismi scripturam sequitur & interpretatur, inquiens, Quisq; error qui ægrotantibus contingit, quibus tenuis uictus cōuenit, & eo utuntur, maximum affert periculum, tum quia natura à tali uictu imbecillis facta est, tum quia ad hunc uictum transire hic est insuetus.

Quod legitur, Et quia natura à tali uictu debilitatur. Hoc uerbum Debilitatur, Græce est ἀσθενὴς γέγονεν, id est, debilis facta est: ut iam imbecillam factam denotet, & non esse in fieri.

TERTIO, per exemplum de sanis dicit prædictam scripturam communem confirmari. In ipsis enim dicit uictum esse periculosum, quia errores grauissimi, non quia ob uictus tenuitatem cogantur delinquere: sed si in huius uictus usu delinquant. Reliqua, quæ in aphorismo scripta sunt, manifesta esse dicit Galenus.

Quod legitur, Quoniā errores grauius ferunt. In nostro antiquo contextu, & in Aldino, ita ad uerbum legitur, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπώτερον φέρουσιν. In alio uerò habetur, ὅτι ἁμαρτανόμενα χαλεπώτατα. idest, Quoniam errores grauissimi.

APHORISMVS VI

EXtremis morbis, extrema exquisitè remedia optima sunt.

BRASAVOLVS.

POTEST hic aphorismus ex secundo De ratione uictus in morbis acutis libro sumi. Dictum est in præcedenti aphorismo, ægros qui tenui uictu utuntur peccare, & uictum exquisite tenuem, esse magis periculosum pleniore. Ne ex his dictis quispiam putaret, quòd præciperet (ut nonnulli recentes faciunt) tenuem uictum nunq; adhibendū esse: propterea hunc aphorismū addit, inquiens, Extremis morbis extreme exquisite remedia optima sunt. Quod intelligere oportet nō solū in alijs remediorū generibus præter uictum, sed & in ipso uictu, de quo potissimū hic loquitur: nam extremi morbi uictum exquisite extremū expetunt. est uero extreme exquisite uictus, tenuissimus extreme, qui est nihil penitus dare: nam ut Galenus in cōmentatione docet, extremos morbos nominauit Hippocrates summos, ultra quos non sunt alij: hi autem sunt peracuti: propterea tenuis uictus in extremo illis competit, qui est nihil dare. Sed hoc statim in sequenti aphorismo admonebit. Oribasius quoq; dicit, Summos morbos dicit acutissimos

mos, qui aliquando usque ad septem dies perseuerant. Istos ergo summos morbos curare ad perfectum perducit: hoc est, admodum tenuis uictus salutem & perfectionẽ in ipsis obtinet. Curationem enim Hippocrates uictum uocauit, quia per uictum morbi curantur, & non solum acuti, sed & tardi soluuntur. Sicut enim princeps logicæ sectæ, & non sicut empiricus ad medicamina properauit. Galenus libro quinto Methodi medẽdi, parum ante finem, docet non semper curationem esse à minoribus inchoãdam, sed quandoque à maximis, dicitque: Nam in morbis, in quibus periculum non impẽdet, uera ea opinio est. At ubi moriendum ægro prorsus est, si phthoe semel exceptus sit, alienissimum à ratione est, à minoribus inchoasse. Nam sicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita illa quoque sententia recte est dicta, Nempe ad ultimos morbos ultima prorsus remedia maxime ualere: ut in Erasistratum probet Galenus ex hoc aphorismo, quandoque à summis curationem esse incohandam, & non semper à minoribus. Cicero quoque hunc ferè aphorismum in exemplum duxit primo Officiorum libro, ubi docet quatenus pericula uiro forti suscipienda, inquiens: Quapropter in adeundis periculis, cõsuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter ægrotantes leuiter curant; grauioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur.

Ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται. idest, Ad extremos morbos extremæ exquisite curatiões optimę sunt.] Per morbos extremos acutissimos intellige, & quo ad uehementiam sui & uelocitatem, & quo ad symptomata, qui breui finire debent. Vnde & à Philotheo dicitur: ἔσχατα νοσήματά εἰσι τὰ κάτοξεα. ὧν οὐκ ἔστιν ἐπινοῆσαι ὀξυτέραν ἐν νόσῳ κίνησιν. ἔσχαται οὖν θεραπεῖαι. εἴτ' οὖν διαιτῶν ἀσιτίαι. κράτισται μὲν οὖν εἰσιν αὗται ἐπὶ τῶν κατοξέων νοσημάτων. ἀλλ' εἰς ἀκρίβειαν, διὰ τοῦτο δὲ ἐνδείκνυται, ὅτι καὶ τὸ νόσημα ἀπεπτεῖ, ἕτερον δέ τι κωλύει. ζητῆσαι δὲ τὸ κατεπεῖγον, καὶ οὕτως ἢ ἀσιτίας παραλαβεῖν, ἢ τροφήν. idest, Extremi morbi peracuti sunt, quorum in morbo acutiorem motum excogitare nõ licet. Extremæ igitur curationes siue uictus, sunt inediæ, quæ in acutis quidem morbis optimæ. Sed ob hoc quod dicitur, exquisite, ostẽditur & morbum incoctum esse, & aliud quid prohibere. Quærendum uero quid illud sit quod urget, & sic uel inediam uel cibum adsumere. Galenus intelligit per curationem omnia ad summum agenda esse quæ conueniunt in his extremis morbis, quoniã non dant inducias, sed opus est accelerare præsidia: ne ægri prius morte præueniantur quàm remedijs. Intellige uero per præsidia illa potissimum quæ per uictum fiunt, quoniam in præcedentibus & sequentibus aphorismis de uictu uerba facit Hippocrates. Ei uero quod à nonnullis dicitur, Superius Hippocratem dixisse, corpus ad extremum euacuari non debere: ideo nec extremè tenuissimo uictu uti conuenit, Respondemus, nec opus esse tam diu tenuissimo uictu uti, quod corpus ad extremum inaniatur.

Quæ uero à recentibus dubitantur, An in acutis morbis competat tenuissimus uictus, & an in acutissimis conueniat: facile dissoluuntur: nam in aliquibus acutis conuenit, in aliquibus non conuenit. In peracutis enim, & exacte peracutis conuenit. In alijs qui simpliciter acuti dicuntur, uel ex decidentia non conuenit.

GALENVS

EXTREMOS morbos nominauit Hippocrates summos, ultra quos nõ sunt alij. Quare præcipit in ipsis fieri exquisitissimam curationem, & uictum pariter adhiberi tenuissimum. Essent autem omnino morbi huiuscemodi peracuti. Vnde sequẽtem subiungens aphorismum, ait.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, qui nam morbi ab Hippocrate extremi nominantur: Illi, inquam, qui sunt summi, scilicet in acutie & in symptomatum sæuitie.

SECVNDO docet, Hippocratem præcipere in his totam curationem exquisitissimam fieri debere, & eam uidelicet quæ per uictum fit.

Quod legitur, Quare præcipit in ipsis fieri exquisitissimã curationem. hic deest particula Totam: nam legi debet, Exquisitissimam totam curationem. Græce enim est, καὶ τοίνυν κελεύει τὴν θεραπείην ὅλην ἐπ' αὐτῶν ἀκριβεστάτην εἶναι.

Quod etiam legitur, Et uictum pariter adhiberi tenuissimum. Græce est, καὶ δηλονότι καὶ τὴν δίαιταν λεπτοτάτην. idest, Et uidelicet uictum tenuissimum.

Tertio

TERTIO dicit, hos morbos qui extremi sunt, esse peracutos, uel exacte peracutos, quos recentes perperacutos uocant: de quibus statim dicet.

APHORISMVS VII

VBi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo uictu utendum est: ubi uerò non, sed pleniorem uictum contingit adhibere, tantum cibi indulgẽdum est, quanto morbus extremis est mollior.

BRASAVOLVS

HVIVS aphorismi rationem atq; seriem colligere poteris apud Hippocratem in libro De ratione uictus in morbis acutis. Est autem aphorismi sententia hæc: In peracutis morbis à principio extremè tenuissimo uictu uti oportet. Hoc probat, quoniam peracutus morbus statim habet extremos labores: idest statim habet summum morbi uigorem, quem statum uocant, in quo cibus subtrahendus est, potius quàm addendus. imò (ut Hippocrates in secundo De ratione uictus in morbis acutis libro, docet) semper de subtractione potius cogitãdum est, quàm de additione. Prosequitur Hippocrates, ubi morbus peracutus nõ est, extreme tenuissimo uictu uti nõ debemus, sed opus est pleniorem uictum adhibere. At quia morbus qui non est peracutus, ad uarios terminos finire potest: nam uel est simpliciter acutus, uel acutus ex decidentia, uel diuturnus, & inter diuturnos etiã gradus assignari possunt: propterea certam uictus formam non dedit, ubi morbus peracutus non est: quia morbi uarijs temporibus summũ uigorem quem statum uocant, habent. Dixit igitur, Quum pleniori uictu uti opus erit, tantum cibi dare oportet, quãtum uides morbum à summo uigore distare. nempe in summo uigore semper subtrahere oportet. His autem ægris plus cibi dandum est, quibus summus uigor distans est: quibus autem minus distans, his minus cibi dandum. Itaque generalem canonem effingit Hippocrates: Summus uigor is est, qui de cibo exhibendo & submouẽdo indicium tribuit: ubi sit propinquus, cibus etiam minuendus, ubi remotus, augendus. Hæc est aphorismi summa.

ὅπου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα. idest, Vbi igitur morbus peracutus.] Legenda est particula Igitur, ac si ex præcedente aphorismo hoc inferat. Galenus intelligit peracutum morbũ, qui intra septẽ dies terminatur, uel in tertio sit, uel quarto, uel quinto, uel ipso septimo. Philotheus uero dicit, κάτοξυ νόσημα καλεῖ τὸ τέτρασιν ἡμέραις πεδιορίζομενον. idest, Peracutum morbum illum uocat, qui in quatuor diebus finit. Aliàs à Galeno hic exacte peracutus uocatur. Oribasius autem hoc modo ad præcedentẽ continuat. Post eaquàm absoluit sermonem Hippocrates de tenui uictu, inquiens, Peracutos morbos tenui uictu & exquisitissimo curari, necesse habuit differentias ęgritudinum dare. Acutæ dicuntur, quæ finiunt quartodecimo die: aut si multum, usq; ad uigesimumprimum diem durant. Acutissimæ uerò ægritudines sunt, quæ quarto die soluũtur, uel etiam occidunt: aut si multum, usq; ad septimum diem perdurant. de his loquitur hic Hippocrates, quos peracutos uocat.

Αὐτίκα καὶ τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει. idest, Statim etiam extremos habet labores.] In præcedenti aphorismo Galenus extremos morbos illos uocabat, ultra quos non sunt alij in acutie. Nunc uero quod ab Hippocrate dicitur extremos labores, à Philotheo exponitur, τὰ μέγιστα συμπτώματα. οἷον ἀγρυπνίας, συγκοπάς. idest, Magna symptomata, ut uigilias, animi defectus. & Galenus per labores uel accessiones uel symptomata, quæ Leonicenus interpretatur casus, intelligit: nam hoc genus morbi, statim in uigore est. Quod nihil aliud est, quàm esse in labore extremo & in symptomate. Propterea ab Oribasio dicitur, Statim summi labores fatigãt, hoc periculosi & graues casus urgent. Hæc autem particula Statim, ut Philotheus dicit, significat τὴν χρονικὴν ἀρχὴν τὴν ἐν τρισὶν ἡμέραισιν θεωρουμένην. ἐφ' οἷς οὖν ἐστὶν κάτοξυ νόσημα, ἐν τούτων μέχρι τριῶν ἡμερῶν οἱ ἔσχατοι πόνοι γίνονται, καὶ ἐκ τούτων ἡ διάγνωσις δηλοῦται. idest, Temporarium principium in tribus diebus uisum. In quibus igitur peracutus morbus est, in his usque ad tres dies extremi labores fiunt, & ex his iudicium ostenditur.

Καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. idest, Et extreme tenuissimo uictu necessario utẽdum est.] Leonicenus, uel librarius, præterijt illam particulam Necessario: quæ tamen in omnibus Græcis codicibus inuenitur. Hic autem uictus est, nihil penitus dare: unde à Philotheo dicitur, necessarium esse hunc uictum extreme tenuissimũ: quoniam ἐντὸς τῶν τεσσάρων ἡμερῶν ἀπαλλάττεται τὸ νόσημα, καὶ ὁ κάμνων δύναται τὰς τέσσαρας ἡμέρας τὴν παντελῆ ἀσιτίαν ὑπενεγκεῖν, ἢ διότι αὐτὸς ὁ χρόνος ὅλος ἀκμῆς ὀξύ. idest, Intra quatuor dies morbus discedit, & æger potest quatuor diebus integrã inediam ferre, uel quoniam ipsum tempus, summus uigor est. Oribasius uerò dicit, extremè tenuissimo uictu uti oportere, idest aqua calida, deinde causam affert, inquiẽs: Sed si multũ occupata est natura ad agonem & pugnam, hoc est crisim, & multus feruor est in alto, tunc si dederis aliquem cibum ægroto, iam non ob nimium feruorem naturæ concoquitur: neq; uirtus aut corpus augmentatur, sed potius inimica & contraria fit ægritudo, magisq; intenditur febris.

ὅπου δὲ μή, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν. idest, Vbi uerò non, sed pleniorem uictum contingit adhibere.] Hoc est, ubi morbus non sit peracutus, sed aut simpliciter acutus, aut ex decidentia acutus, aut diuturnus: in his enim indigemus pleniori uictu, non quidem uictu pleno qui sanis conuenit, sed uictu qui sit amplior quàm extreme tenuissimus. Oribasius exprimit hunc uictum esse cremorem ptisanæ aut halicæ aut uitella ouorum.

τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ. idest, Tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.] Galenus hoc modo exponit: Quantum distat à summo uigore, tantum cibo indulgendum est. Tamen posset & hoc modo intelligi, quanto morbus est mollior, idest mitior extremis morbis, scilicet peracutis, tantum cibi indulgendum est. Quam sententiam Philotheus sequitur, inquiens: Tantum cibi indulgẽdum, quantum morbus ab extremis abest, τουτέστι τῆς ἀκμῆς, ἢ τῶν ὀξέων. idest, Hoc est, à summo uigore, uel ab acutis. Vel dicere possemus, quòd extremos morbos diuturnum uocet, & peracutum. sensusq; sit, Tantum cibi indulgendum esse, quantũ ab his extremis morbus euariabit. Et hæc uidetur esse Oribasij sententia, qui dicit, Quantum morbus leuior est: idest quantum acutissimus morbus, qui finitur quarto die aut septimo, ab eo qui finitur quartodecimo aut uigesimo, & (si multum) uigesimoseptimo: tantum tenuis uictus à pleno distabit. Tamen hæc non uidet esse Hippocratis sententia, sed potius illa quã superius explicauimus.

In nostro antiquo contextu, & in alijs multis, in huius aphorismi fine consequens aphorismus scriptus est. Nos superfluè poni arbitramur.

Recentes interpretes ob prauè interpretatum contextum, hanc conclusionem ab Hippocrate fieri dicunt, In omni ægritudine ultima (ut eorum uerbis utar) & continua nocumenta causante, oportet uti diæta tenuissima.

Galenus in fine primi libri De diebus decretorijs, hunc aphorismũ integre exponit, inquiẽs: Quum enim morbus peracutus, statim etiam extremos labores habet, in quo tenuissima uictus ratione utendum est: quum autem secus est, paulò pleniorem uictum, tantum admittere conuenit, quanto morbus extremis mollior clementiorq; sit. Extrema statum morbi appellat, siquidem peracutũ quoq; morbum extremos labores statim habere dicit, hoc est accessiones & symptomata. In secundo etiã De diebus decretorijs, hunc casum ponit Galenus: Adulescens iam quis ualido morbo correptus est, qui in primo quaternione discutietur. Aphorismum in hoc maximè illum imitandum puta, quum peracutus morbus fuerit, statim etiã extremi dolores adsunt, tenuissimo omnium uictu utendum est, nec alimẽtum quoduis huic adhibueris, nec melicratum, aut huic simile: imò etiam ab aqua, quantũ potes abstinere iubeto. Postea sequitur: Hunc ipsum adulescentem ubi septimo die crisim habiturũ statueris, paululum prædictam uictus rationẽ immuta, uel melicratum exhibens, uel aliam huiusmodi quandam potionem morbi naturæ familiarem. Ex quibus etiam colligere potes, modum exhibendi uictum in his morbis. Sed omnia accepta sunt ex libro De uictus ratione in morbis acutis. Galenus uerò aphorismum referens, ubi hic Hippocrates labores dicit, dolores refert. Id uero in causa est, quia Græci eodẽ uocabulo ad do

lores

lores & labores significandos utuntur. Adest & in fine secundi libri De diebus decretorijs, huius aphorismi sententia: & intelligit morbos in septimo terminaturos, uel breuiori spatio. Idem Galenus circa medium octaui libri Methodi medendi, quum diatriton reprehendisset, in hæc uerba prorūpit: Illud prius æstima quod Hippocrates monuit, homo aliàs ingenio maximè philosophico, Quum in acumine morbus est, statim tum ultimos labores infert, tum tenui ad ultimū uictu necesse est uti: ubi uerò non, sed licet liberalius cibare, tantum est de ultimo remittēdum, quanto morbus ultimis est mitior. Labores nanque dicit, omnia quæ hominem offendunt: ultimos uerò maximos, quales utique in summo uigore fiunt. Iubet autem reseruari in id temporis summam uictus tenuitatem: nihil profecto docens diuersum, ab eo quod alibi dixit, Quum in summo uigore morbus est, tum uictu uti tenuissimo est necesse. Ex his uerò Galenus inferre uoluit, In morborum initijs, summum morbi uigorem præuideri. Tuque si in omnibus his locis Galenum spectabis, per Extremum, morbi uigorem intelligere cognosces: idest, statum ipsum, in quo sunt extremi labores & sæuissima symptomata, & ratione cuius tota uictus ratio ordinatur, & quod morbi tempus medicus statim in principio curationis prænouisse debet.

GALENVS

SIcuti extremos morbos summos nominauit, ita & nūc extremos labores summos appellat: labores autem uel accessiones uel simpliciter casus uniuersos. Etenim accessiones, atque omnes simpliciter casus maximos possidet morbus peracutus, statim in primis morbi diebus: nam in ipsos statim morbi incidit uigor, qui nihil aliud est, quàm morbi in casibus summum. Et quidem morbus ille est peracutus, qui statim in summo uigore consistit. Statim autem est intelligendū, circa primos quatuor dies, uel paulò ulterius. Idcirco autem extreme tenuiter uictum adhibere conuenit, quoniam uictus tenuissimus morbis iam consistentibus est necessarius, quēadmodum docuit in libro De uictu acutorum, & in hoc ipso aphorismo. Consistit autem morbus peracutus statim in primis diebus. Quod autem sit rationi cōsonum in morbi uigore, tenuissimo uti uictu, alibi est à nobis plenius ostensum. Nunc id tantum dixisse sat erit, quòd si quis propter inflammationes uel febres, quæ à morbis acutis sunt inseparabiles, quispiam uereretur essatu dignum afferre alimentum, hoc ipsum morbo in suo uigore consistente magis uerebitur facere. Tunc enim phlegmasiæ maxime existūt, ut ipse inquit in libro De uictu acutorum, siue quis per phlegmasias, uelit intelligere illas quæ proprie dicuntur inflammationes, siue etiam libeat febres unà complecti, secundum antiquam uocabuli acceptionem. Accedit ad hæc, quòd melius est naturam permittere uacare circa morbi coctionē, morbo in suo uigore consistente, neque distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos: hac quidem ratione quum morbus consistit, uictu tenuissimo oportet uti. Hoc ergo supposito, in alijs morbis qui suum uigorem sunt posterius accepturi, non licet afferre statim ab initio tenuissimū uictum. Nam prius homo morietur, quàm morbus in uigore cōsistat. In quibus uerò morbi uigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor diebus, in his possumus uictu extreme tenuissimo uti: quum uero etiam uires toleret inediam omnimodam, & solius melicrati exhibitionem, & ptisanæ succum, paucum omnino, licet adhibere. Talis quidem est tenuissimus uictus. Qui uero hoc minus tenuis existit, quem etiam pleniorem nominauit, illis cōuenit morbis qui posterius in suo debent uigore consistere, in quibus pręcipit tantum à uictus tenuitate declinare, quantū morbus ab extremis recedit, hoc est à uigore summo. Hoc enim proximo existente, paulò pleniorem uictum afferemus: longius uerò distante plus, & quanto tardiorem fore summū morbi uigorem expectabimus, tantū uictus figuram cōmutabimus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Sicuti in præcedenti aphorismo extremos morbos summos & maximos nominauit: ita in pręsenti, labores extremos, summos & maximos uocat. Intelligit uero per labores, quos Græce πόνους dicit, uel ipsas accessiones, uel simpliciter omnia symptomata, quæ à Leoniceno casus uocantur. nam peracutus morbus statim primis diebus maximas accessiones habet, & omnia symptomata sunt maxima. nec istud mirum est, quoniā idem morbus statim est in uigore: uigor autem nihil aliud

est, quàm summum morbum in symptomatibus.

Quod legit, Sicuti extremos morbos summos nominauit. legendũ est, Sicuti prius extremos morbos, maximos nominauit. Nam Græce est, ὥσπερ ἐμπροσθεν ἐσχάτα νοσήματα τὰ μέγιστα προσηγόρευσεν. Et quod sequitur, Labores summos, Græce est πόνους τοὺς μεγίστους. idest, labores extremos.

Quod etiam legitur, Nam in ipsos statim morbi incidit uigor. Verbum Incidit, Græce est συνεμπίπτει, idest coincidit.

SECVNDO docet, morbum peracutum illum esse, qui statim in suo uigore consistit. Opus uero est intelligere Statim, idest circa primos quatuor dies. Vel paulò ulterius, scilicet usque ad septem.

TERTIO docet, in his morbis statim uictum extreme tenuem adhibendum, quia uictus hic morbis in summo uigore consistentibus conuenit, ut in locis citatis docuit. Morbus uero peracutus statim in primis diebus in summo uigore est. Qđ uero in morbi uigore uictu tenuissimo uti oporteat, alibi scilicet in libro De uictu acutorum, à Galeno demonstratum est. Sed nunc istud præscire satis est: si ob inflãmationes uel febres, quæ à morbis acutis semper inseparabiles, quispiam dubitet afferre alimentũ, tanto magis dubitabit morbo in suo uigore cõsistente: nam tunc phlegmasiæ potissimum fiunt, ut Hippocrates in libro De uictu acutorum dicit. Vel ergo per phlegmasias proprie inflammationes intelligat; uel simul etiam febres secundum antiquam uocabuli acceptionem, nihil refert. Addeq; quũ morbus in suo uigore est, melius est permittere naturam circa morbi coctionem, neq; illam distrahere ad cibos: unde hæc est ratio, cur tenuissimo uictu uti oporteat morbo iam consistente.

Quod legitur, Quod si quis propter inflammationes. Illa particula Quis, uacat. nam statim additur Quispiam. Et illa particula Inflammationes, Græce est φλεγμονάς. De phlegmone autem in alijs libris ubertim egimus.

Quod etiam legitur, Vel febres, quæ à morbis acutis sunt inseparabiles. Græce est, ἢ τοὺς πυρετοὺς τοὺς ἀχωρίστους τῶν ὀξέων νοσημάτων. idest, Vel febres morborum acutorũ inseparabiles. Hic dubium incidit, quoniam uidetur à Galeno dici, morbos acutos inseparabiles febres habere. Ideo acutus morbus absque febre inueniri non poterit, tamen in quinto libro, aphorismo trigesimo, nonnullos acutos morbos absq; febre refert, ut comitialis, apoplexia. Respõdemus, à Galeno simpliciter non dici, morbos acutos omnes inseparabiles febres habere, sed aliquas esse febres ab aliquibus inseparabiles.

Quod legitur, Tunc phlegmasiæ maxime existunt. Noster antiquus codex in prima lectione legit φλεγμασίαι, ut etiam facit Aldinus. In secunda uerò habet θερμασίαι, idest caliditates & incensiones. Quam dictionem reprobare non audeo: tamen & phlegmasiæ non à pituita, sed à phlegmone, idest inflammatione atq; accensione dicuntur.

Quod etiam legitur, Ad cibos recenter assumptos conficiendos. Hęc particula Conficiendos: Græce est, κατεργασίαν. Integra enim Græca series hæc est, εἰς τὴν τῶν ἀρτι ληφθέντων σιτίων κατεργασίαν.

QVARTO, his suppositis quæ prædicta sunt, in alijs morbis qui non sunt peracuti, sed summum uigorem posterius habent, statim in principio tenuissimus uictus adhibendus est: quoniam prius morietur cum hoc uictu, quàm possit ad summum uigorem peruenire. Sed quum morbi uigor primis quatuor diebus fit, possumus uti uictu extreme tenuissimo, & si uires ferant, omnimoda inedia, & solius melicrati exhibitione, & pauco ptisanæ succo, quia hic est tenuissimus uictus, secundum quod uires expetent.

Quod legitur, Quum uerò etiam uires tolerent inediam omnimodam. hæ particulæ Vero etiam, superfluæ sunt. Græce enim est, φερούσης δὲ δυνάμεως καὶ ἀσιτίαν παντελῆ. idest, Quum uires tolerent inediam omnimodam. At quum de uocabulo ἀσιτία, superius ab Hippocrate & Galeno mentio facta sit, & deinceps futura sit, scito ἀσιτίαν esse inediam. ἀσίτους uerò Græci illos uocant, qui appetẽtia carent. Vnde Galenus in primum librum Epidemiorum Hippocratis, sectione uigesimanona, inquit. Appellant Greci appetentia carentes, qui cibum non sumunt ἀσίτους, qui uero oblatos fastidiunt ἀποσίτους. Illa etiam particula Licet adhibere, uacat.

QVINTO docet, uictum tenuissimo minus tenuem, quem pleniorem uocauit, illis morbis

morbis cõuenire, qui suum uigorem posterius habebunt, in quibus iubet tantum à uictus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis, idest à summo uigore recedit. nam si cito summus uigor futurus sit, non tamẽ ut in peracutis, tunc uictum paulo pleniorem dabimus. si uerò longius distet, magis plenum dabimus: & quanto summus uigor est tardior, tanto uictus figuram ad magis plenum commutabimus.

Quod legitur, Longius uerò distante plus. hæc particula Plus, Græce est πλέον ἁδροτέρως, idest magis plene.

Sed tu hic forte dubitabis, quia pleniorẽ uictum his qui posterius consistere debent, exhibendum præcipiat, at plenus uictus is est qui non solum uires seruat, sed etiam auget: Verum nullus est morbus, in quo uires augere oporteat: Igitur nec uictus plenus adhibendus. Respondemus, in hoc loco non intelligi uictum plenum ut superius fecimus, sed comparando ipsum ad tenuem & tenuissimum.

Dubitant recentes an status sit quũ symptomata sæuiora fuerint. Distinguunt ipsi statum quo ad materiam, & quo ad symptomata, quam distinctionem nos absurdam esse putamus, quia tẽpora morbi symptomata faciunt, & in omni morbo in statu semper sunt sæuiora symptomata, & in laterali morbo, & in quocunq; altero. Intelligo autem statum quo ad materiam (ut eorum more loquar) uel quo ad morbum, esse etiam statum quo ad symptomata.

APHORISMVS VIII

QVando morbus in suo uigore cõstiterit, tunc uictu tenuissimo utendum est.

BRASAVOLVS

ANTIQVI interpretes in huius aphorismi ordine dissentiũt, nam aliqui præcedenti iungebant, alij seorsum scribi uoluerunt: tamẽ quicquid sit, cum Galeno dicamus esse partẽ quandam artis, quæ uictum conuenientẽ adhibere docet. Dictum est enim in precedenti aphorismo, ubi morbus pacutus est, statim summos labores habere, idest statim esse in uigore, ideo tenuissimo uictu utendũ. At ne quis putaret solũ esse usum tenuissimi uictus, quando morbus peracutus est: propterea in omni morbo regulam quandam uniuersalẽ proponit, inquiens, In omni morbo opus est tenuissimo uictu uti, sed non in omni morbi parte: at solum in ea in qua est summus morbi uigor, tũc enim est maxima materiæ pugna cum natura. ne igitur à cibis natura impediatur, abstinere oportet, & solum melicratum exhibẽdum est, uel aliquod simile, quod naturã non impediat. Quum igitur morbus in suo uigore, idest in statu constiterit, tunc tenuissimo uictu uti debemus. Hunc aphorismum ad uictus rationem pertinere Oribasius dicit. uult enim ut cognoscant medici, non solum morborum habendam esse solicitudinẽ, & præcautionem, sed & temporum distinctiones in omnibus affectibus prospiciẽdas. Nam omnis ægritudo, siue tarda, siue acuta est, quatuor tempora sua habet, Initium, augmentum, statum, & declinationem. Atq; id Hippocrates innuit: ubi non est acuta, inquiens, aut peracuta sed longa, non coerceas ægrum à cibo, in initio, sed dum uenerit ad statum, tunc ipsum abstrahe. Quod si illum uolueris per initia cibo abstinere, non poterit per uires ad statum uenire. In statu cibo interdicito, ut uacet natura ad expellẽdos humores, & non coctionem ciborum. Hæc Oribasius. Philotheus quoq; eandem sententiam sequi uidetur inquiens, ἐνταῦθα περὶ τῶν καιρῶν τῶν νοσημάτων ὁ ἱπποκράτης διαλέγεται. καιροὶ δέ εἰσι τῶν νοσημάτων τέσσαρες, ἀρχὴ, ἀνάβασις, ἀκμὴ, καὶ παρακμή. ἐν μὲν οὖν τῇ ἀρχῇ, καὶ τῇ ἀναβάσει ἁδροτέρᾳ διαίτᾳ κελεύει χρῆσθαι. ἐν δὲ τῇ ἀκμῇ, λεπτοτάτῃ, οὐ παχυτάτῃ. ἐπειδὴ τὰ σιτία ὑπὸ δυνάμεως πέπτεσθαι πεφύκασιν. ἐὰν οὖν ἐν τῇ ἀκμῇ, ὅτε ἡ φύσις ἀγωνίζεται, πρὸς τὸ νόσημα παράσχῃ ἁδροτέραν τροφὴν, περιφρονεῖ τοῦ νοσήματος. φέρεται δὲ πρὸς τὴν τροφὴν, καὶ διὰ τοῦτο ταλαιπωρεῖται. εἰ δὲ πάλιν τῆς τροφῆς καταφρονήσει ἀγωνιζομένη περὶ τοῦ νοσήματος, ἀπεπτουμένη ἡ τροφὴ, συνεργὸς γίνεται τοῦ νοσήματος. idest, Hic de morborum temporibus Hippocrates disserit, morborum autem tempora quatuor sunt, principium, augmẽtum, status, inclinatio. In principio quidem, & augmẽto pleniorem cibum adhibere oportet, in statu uerò tenuissimum non crassissimum, quoniã cibus à potentia cõcoqui aptus est. Si igitur in statu quando natura contra morbum pugnat, cibum pleniorem præbueris,

morbum negligit. fertur aũt ad cibum, & ob hoc defatigatur. Si uerò rursus cum morbo pugnans nutrimentum despexerit, incoctum nutrimentum cum morbo cooperatur, idest fert suppetias morbo, & illum auget.

Hic aphorismus ab Hippocrate post principium libri De humoribus, sumi potest. Aphorismus uerò in omni morbo salubri intelligi debet, quia status semper est inter tempora breuissimus. propterea uti possumus uictu tenuissimo, idest uel dare melicratum, uel nihil penitus. Non autem ut recentes dicunt, quod intelligi oporteat tenuissimum uictum quo ad alia tempora, quoniam Hippocrates & Galenus, quando dicunt tenuissimum uictum, eundem uictum secundũ suam formam semper intelligunt. Aphorismus quoq; intelligitur cõstante uirtute, non quidẽ ut prius, sed parũ etiam debilitata.

Idem aphorismus à Galeno refertur in octauo Methodi medendi, ex quo infert, in principio curationis non esse probum medicum, qui morbi statum non cognouerit. immò & in decimo Methodi docet, in initio morbi duo spectanda esse, à quibus cibandi consilia petuntur, morbi summus uigor, & ægrotantis uires. In secundo etiam De ratione uictus in morbis acutis libro hæc sententia proponitur, & Galenus sectione decimaquinta interpretatur, inquiens: quod in aphorismis scripsit Hippocrates, id & in præsentiarum persequitur, in morbi omnis uigore, tenuissimo utendum uictu præcipiens.

ὅταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νόσημα. idest, Quando morbus in suo uigore cõstiterit.] Hoc est, in statu & in tali tẽpore, à quo si recedat, inclinat, & est summa pugna morbi cum natura.

τότε τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρῆσθαι. idest, Tunc uictu tenuissimo utẽdum est, qui est uel dare melicratum, uel succum ptisanæ, uel nihil penitus.

GALENVS

HIc pariter sermo pars quædam est artis, quæ docet uictum conuenientem adhibere, qui à nonnullis seorsum scribitur per uerba nuper dicta; ab alijs uerò antecedenti annectitur aphorismo, eo modo quo antea scriptus est. Docet autem nos, utcunq; scribatur, unam & eandem uictus rationẽ antiquo magistro præcipiente: Vbi morbus in suo uigore consistit, uictu tenuissimo utendum est, tum propter casuum magnitudinem, tum propter morbi coctionem. Neq; enim distrahere oportet naturã ad alteram nouam coctionem, cum eo tempore uni humorum noxiorum coctioni fortiter uacet, & haud ita multo post ipsos sit euictura. Sic enim ostendimus & in tractatione De crisibus. Nunc uerò de his tantum morbis sermo transigitur, in quibus omnino, & curationem, & uictus intendimus rationẽ: hi uerò sunt in quibus post uigorem sequitur declinatio. Nam quorum summum uigorem excipit mors, in his parte artis utimur, quæ prognostica nominatur, id quod futurum sit prænunciantes, ne euentus rerum nostro adscribatur errori. Hæc igitur tibi sit una indicatio sumpta ex morbi tẽporibus ad uictus rationem, altera uero à uiribus ægrotantis, quam in sequenti docet aphorismo.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismũ esse partem artis, quæ docet uictum conuenientem adhibere, qui sub eadem scriptura à nonnullis præcedenti aphorismo iungitur, ab alijs seorsum scribitur.

SECVNDO docet: quicquid sit, uel seorsum scribatur, uel præcedenti iungatur, una & eadem speculatio ab Hippocrate præcipitur: quæ est, ubi morbus in uigore summo est, ob duo tenuissimo uictu uti oportere. unum est symptomatũ magnitudo, aliud morbi coctio. quia si cibum demus, naturã distrahimus, quæ distrahi non debeat ad alteram nouam coctionẽ, quum circa humores morbũ faciẽtes sit occupata, & cito sit euictura.

Quod legitur, Docet autẽ nos utcunq; scribatur, unam & eandem uictus rationem, antiquo magistro præcipiente: hæc particula, uictus rationẽ, legi debet, speculationem. Græce enim est ἕν τι καὶ κατ' αὐτὸν θεώρημα. idest unam & eandem speculationem.

Quod etiam legitur, Humorum noxiorum, Græce est τῶν νοσοποιῶν χυμῶν. idest humorum morbos facientium.

TERTIO docet, quod in libro De crisibus sic ostendit de his morbis, in quibus & curationem & uictus intẽdimus rationem: unde in solis salubribus morbis intelligit, & qui ad inclinationem perueniunt. nam hi qui in statu moriuntur, debent solum prædici, & prognosticari ad mortem, non autem curari, ne ignari existimemur, si non prædixerimus

timus futuram mortem, & morbum ad declinationem non peruenturum.

Quod legitur, Nunc uero de ijs tantum morbis sermo transigitur: Græce est, κατ' ἐκεῖνα δηλονότι τὰ νοσήματα τῷ λόγου παντὸς συνοψιμένου. idest, De ijs uidelicet morbis sermo totus perfectus.

Quod etiam legitur, In his, parte artis utimur, quæ prognostica nominatur. legi debet, In his parte artis utimur sola, quæ prognostica nominatur. ubi uides deesse particulam Sola. Græce enim est, τῷ προγνωστικῷ μέρει τῆς τέχνης προσχρώμεθα μόνῳ. Parte artis quæ ad prognostica pertinet, sola utimur.

Dubitatur, Nunquid ægri in statu moriantur. Respondemus, Aliquos in augmento mori, aliquos in statu, ut alibi Galenus sentit: nullus in principio, uel declinatione.

Dubitatur præterea, An morituri sint solis prognosticis relinquendi. Respondemus, Amicis & affinibus prædicenda mors est, postea uictu regendus æger, & aliqua parua adhibenda, ne à medico desertus esse uideatur: qui tamen egregia præsidia agere non debet, ne illa quidem uera, & suis temporibus adhibita, utilia infamentur: quod à multis fit artis ignaris, illam in derisum protrudentibus, quum omnium pulcherrima sit & necessaria. Deniq; infert, Hanc esse unam indicationem ad uictus rationem ex morbi temporibus sumptam. Altera uero erit ex ægrotantis uiribus, quam in sequenti aphorismo docebit. De quibus etiam duabus ad uictum exhibendum intentionibus, Galenus ubertim in decimo Methodi medendi libro agit.

APHORISMVS IX

CONiectari autem oportet, an æger cum uictu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum uictu perdurare, uel morbus ante deficiat atque hebetescat.

BRASAVOLVS

NE PVTES ægro morbi ratione cibum unquam exhibendum, sed solum ratione uirium, nempe morbus ut morbus est, continuam inediam expostulat. At quia æger in hac inedia perdurare non posset, ideo si quid adhibetur, est ratione seruãdarum uirium: unde hic aphorismus est fere omnium horum aphorismorum modus & ratio: nempe dictum est, quãto morbus est summo uigore mollior, tantum uictui addendum: dictumq; est, In peracutis etiã nos extreme tenuissimo uictu uti debere: & in uigore, tenuissimo uictu utendum: unde prædictos aphorismos nunc modificat, inquiens, Victum ratione uirium exhibendum esse, nam opus est omni morbo coniectari, an æger quum tali uictu, quem cepimus, usq; ad statũ perdurare possit, uel potius si eo uteretur uictu, prius desiceret, noc posset cum uictu perdurare, uel morbus prius deficiat: idest considerare oportet, an uictus possit ægrum usq; ad statum seruare, uel non seruare: nam si seruabit, morbus deficiet: si non seruabit, tamen eo uictus genere uti uoluerit, deficiet ipse antequàm perueniat ad statum. Oribasius uult hoc cognoscendum esse ex urinis atq; egestionibus: nam si coctę sint, cognosces uirtutes naturales ualidas esse: similiter & pulsus si sunt fortiores, & respirationes thoracis rationabiles, scies uirtutes cordis fortes esse. Pari modo, si memoriam uel cogitationem integram habet æger, uel facillime in lecto mouetur, uel surgit sine animi defectu, cognosces uirtutes animæ ualentes esse, & per hæc omnia deprehendes, poterit ne tolerare morbum, an non. At quia si uolumus uirtutes nutrire, simul nutrimus & humores, melius est continere uirtutes & nutrire affectum usq; ad statum, ne ante statum deijciatur uirtus: uerbi gratia, Aliquis domũ suam nutantem statuit deijcere, sed artifices qui hic consuluntur, subijciunt ei fulcimina, atq; sic tuti domum tollunt, nam sciunt continere. Sic itaque & medicus debilem naturam nutrit cibo, & sic molitur præsidia. Hæc Oribasius.

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νόσου. idest, Coniectari autem oportet, an æger cum uictu possit perdurare, donec morbus ad summum uigorem perueniat.] Cum illo scilicet uictus genere, quod ipsi à principio instituit.

Καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει, καὶ ἀμβλυνεῖται. idest, Et nunquid prius ille deficiat, & non possit cum uictu perdurare, uel morbus ante deficiat atque hebetescat: quum enim potest perdurare in illo uictus genere, seruandus est: quum non possit, aliquid addendum. Philotheus dicit, quod hic aphorismus τοιαύτην ἔχει τὴν ἔννοιαν. παραμετρεῖν δεῖ τὴν δύναμιν τῷ νοσήματι. καὶ εἰ μὲν ταύτην πρὸς τὸ εἶδος τοῦ νοσήματος εὕροις αὐταρκοῦσαν, ὀλίγον διαιτᾶν λεπτῶς ἴσως. εἰ δὲ τὸ ἀνάπαλιν, τὸ μὲν νόσημα ἐπὶ πολὺ ἐξαρκοῦν, τὴν δὲ δύναμιν ἀπολήγουσαν, ἁδροτέρως, ὡς τὸ δυνηθῆναι τὴν δύναμιν ἀνταγωνίσασθαι τῷ τοῦ νοσήματος. idest, Talem habēt sentētiam, Vires cum morbo metiri oportet, & siquidem has ad morbi speciem sufficientes inueneris, equaliter, paucum uictum tenuiter exhibere poteris. Si autem econtrario, morbus quidem diu sufficiens, uires autem deficientes plenius, ut uires possint cum morbo pugnare.

Dubitatur, An quandoque ratione morbi pleniorem uictum dare conueniat. Respondemus, id fieri posse in morbo pestilenti, ut cibus humori uenenoso mixtus naturam suam perniciosam remittat.

GALENVS

QVia in superiori aphorismo tantum iussit ab eo, qui extreme tenuis uictus nominatur declinare, quāto morbus mollior extiterit, quàm sit eius uigor, nunc in hoc loco alteram adijcit intentionem, ut quantitatem declinationis exquisite noscamus. Est autem hæc intentio uis ipsa ægrotantis, cuius gratia nutrimus, neque enim morbi causa. Quum enim uis ita robusta fuerit, ut speremus ipsam posse perdurare totū tempus intermedium, usque ad summū morbi uigorem, cum tali uictus forma, tunc exquisitam habebimus declinationis (quam diximus) quantitatem. Quòd si imbecillior extiterit, adijciendum aliquid uictui, & plenior est adhibendus, tantum scilicet, quantum natura imbecillior expostulat. Quocirca aliquando in ipso morbi uigore, ubi casus aliquis interuenerit, robur naturæ dissoluens, nutrire cogimur. Esset autē hic sermo pars totius offerendi alimenti rationis. Vnde si quis, & hunc & priorem atque sequentem aphorismum unum fecerit, non aberrabit. Ego uero in partes secans expono, quoad fieri potest, doctrinæ gratia clarioris.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno edocemur, in hoc aphorismo alterā intētionem adijci, ut quantitatem declinationis uictus, exquisite noscamus. Intentio uero est uis ægrotantis cuius gratia nutrimus, nam morbi causa non nutrimus, imò potius morbus ut morbus indicat cibi ablationem.

SECVNDO docet, quum ægrotantis uis robusta fuerit, ut speremus posse perdurare usque ad summum morbi uigorem, cum uictu iam cœpto: tūc habebimus exquisitam uictus declinationem. At si uis imbecillior fuerit, aliquid uictui adijcere oportet, tantumque adijcere, quantum imbecillior natura expostulat.

TERTIO docet, quandoque in summo uigore exhibendum esse cibum & nutriendum, quando symptoma aliquod superuenerit, robur naturæ dissoluens.

QVARTO dicit, & hanc sententiam esse partem totius rationis afferendi alimentum, unde putat præcedentem, præsentem & sequentem aphorismum pro uno accipi posse, & continuari: tamen ipse distinxit gratia clarioris doctrinæ.

APHORISMVS X

QVibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis uictus adhibendus est: quibus uero posterius debet consistere, his & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus, prius uero uberius agendum, ut æger sufficiat.

Brasauo-

BRASAVOLVS

HIC aphoriſmus eandem ferè ſentētiam habet cum illo, ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet laborés: tamē Galenus notat, hunc eſſe uniuerſaliorem: quia ille in peracutis, hic in omni morbo ſimpliciter intelligit. Tamen ſi conſideremus, quinam ſint morbi qui ſtatim conſiſtant, peracutos eſſe deprehendemus: unde ſola eſt in uerbis differentia, quia hic uerbis ad peracutos non ſe determinat Hippocrates, quāuis re ſint illi qui ſtatim cōſiſtunt: ſuperius uero ad peracutos uerbis & re ſe determinat. In illis igitur morbis, in quibus ſtatim à principio futurus eſt ſummus uigor: in his etiam ſtatim & à principio tenuis uictus adhibēdus eſt. Vel intelligamus in ſimpliciter acutis, ut ſenſus nō ſit, Quibus ſtatim, ideſt primis diebus: ſed breui tempore, ut ſunt ſimpliciter acuti, in quibus breui tempore ad ſummum uigorem peruenitur, & quibus tenuis uictus competit: nam peracutis tenuiſsimus eſt neceſſarius, non autem tenuis. Itaq; uniuerſalior erit hic aphoriſmus, quàm ille ubi morbus peracutus eſt. Illis uero quibus poſterius ſtatus eſt futurus, his & in tempore conſiſtentię, & parum antè cibus ſubtrahendus eſt, ut natura tunc maxime occupata circa duas materiæ coctiones non occupetur: materiæ, inquam, peccantis & cibi. ſed ante ſummum uigorem uberius nutrire debemus, ut æger uſq; ad hunc ſummum uigorem perdurare poſsit. A Philotheoq; hic aphoriſmus eodem modo exponitur, dicente: ἔτι περὶ τοῦ καιροῦ διαλέγεται, καὶ φησι, δεῖ σκοπεῖν, ἐφ᾽ ὧν μὲν ἐστὶν εὐθέως ἡ ἀκμὴ, καὶ λεπτῶς διαιτᾶν, διὰ τὸ ταράττεσθαι τὴν φύσιν. ἐφ᾽ ὧν δὲ μὴ εὐθέως, ἀλλ᾽ ὕστερον, ἐν ταύτῃ δὴ τῇ ἀκμῇ, καὶ σμικρὸν πρὸ αὐτῆς, τουτέστι πρὸ δύο ἢ τριῶν ἡμερῶν, παύειν τὴν τροφὴν, ἐν δὲ τῷ πρόσθεν χρόνῳ τῆς ἀκμῆς, πιοτέρως, τουτέστιν ἁδροτέρως διαιτᾶν. καὶ ἡ λύσις καθ᾽ ἱπποκράτην, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων. ἔστιν οὖν καθολικὸς λόγος περὶ πάντων νοσημάτων ἀποφαινόμενος. οὐ μόνον γὰρ ἐπὶ τῶν κατοξέων νοσημάτων, ἢ ὀξέων ἐν τῇ ἀκμῇ δεῖ λεπτῶς διαιτᾶν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν χρονίων, καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν. ideſt, Amplius de tempore diſputat, & dicit, Oportet conſiderare, in quibus eſt ſtatim ſummus uigor, & tenuiter cibum exhibere, ne natura perturbetur. In quibus autem non ſtatim, ſed poſterius, in his in ſummo uigore, & parum ante ipſum, hoc eſt ante duos uel tres dies à cibo abſtinere oportet. In tempore uero ante ſummū uigorem, uberius, hoc eſt plenius cibum dare. Et ſolutio ſecundum Hippocratē, ut æger ſufficiat. Eſt igitur uniuerſalis ſermo de omnibus morbis demōſtratiuus. Non ſolum enim in peracutis uel acutis in ſummo uigore, tenuiter cibum exhibere opus eſt, ſed & in diuturnis atque reliquis.

Hic aphoriſmus ex tertio De ratione uictus in morbis acutis libro, ab Hippocrate elici poteſt, & ex libro De humoribus, eiuſdem.

Galenus in libro De humoribus, huius aphoriſmi meminit & ſequentis, inquiens: Quum Hippocrates prædixiſſet conueniēter, Quibus ſtatim uigor adeſt, ſtatim tenuis uictus adhibendus. Quibus uero ad illum & ante, tenuis, prius liberalior conuenit, ut æger morbum ſubſtineat.

Οἷσι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα καὶ λεπτῶς διαιτᾶν. ideſt, Quibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, ijs ſtatim tenuis uictus adhibendus eſt, quia in ſtatu hoc genere uictus uti debemus.

Οἷσι δὲ ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐν ἐκείνῳ καὶ πρὸ ἐκείνου ἀφαιρετέον. ideſt, Quibus uero poſterius debet conſiſtere, ijs & in ipſo cōſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus. Subtrahendus uero, ut dicit Oribaſius, ne ſubminiſtrent naturæ ad concoctionem ciborum, ſed uacent ad expellendos humores.

Ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾶν, ὡς ἂν ἐξαρκέσει ὁ νοσέων. ideſt, Prius uero uberius agendum, ut æger ſufficiat, ſcilicet peruenire uſque ad ſtatum. Oribaſius hoc intelligere uidetur poſt morbum: nam dicit, Superiore autem tempore ſolutoq; morbo, propter uirtutem refice uberius, ut poſsit ſufferre is, qui poſt tantum laborem ad ſuam priſtinam properat ſanitatem; qui ſi ita intelligat, non conſentit Hippocrati.

GALENVS

HIC pariter sermo eandem sententiam habet cum priore, nisi quòd est uniuersalior. Prius enim in peracutis morbis dicebat, quòd statim in ipsis tenuissimo uictu uti oporteret. Hic uero simpliciter de omnibus morbis pronunciat, quibus statim consistendi tempus futurũ est, hoc est non multo post primam accessionẽ, iubens ob id tenuẽ adhibere uictum. Quæ uero sequunt̃, manifesta, quum eidem hęreant sententiæ.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum præcedentis sententiæ, non tamen immediate præcedentis inhærere, & illo uniuersaliorem esse. unde prius dicebat, In peracutis morbis statim tenuissimo uictu uti oportere: hic uero simpliciter de omnibus morbis pronuntiat, quibus statim, idest non multo post primam inuasionẽ, consistendi tempus futurum est, ijs tenuis uictus adhibendus est.

Quod legitur, Hic pariter sermo eandem sententiam habet cum priore, nisi quod est uniuersalior. Græce habetur, καὶ οὗτος ὁ λόγος τῆς αὐτῆς ἔχεται γνώμης, εἴρηται δὲ καὶ καθολικώτερον τοῦ πρόσθεν. idest, Et hic pariter sermo eidem inhæret sententiæ, dicitur autem & uniuersalius priore.

Quod legitur, Non multo post primam accessionem. hoc uocabulum Accessio: hic est εἰσβολῆς. quod interpretandum putamus Inuasionem, non multo post primam inuasionem, uel aggressionem.

APHORISMVS XI

IN accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

BRASAVOLVS

HIPPOCRATES in libro De humoribus, hunc aphorismum ad uerbum scripsit, inquiens, Nec in accessionibus quæ certis statis ue diebus, circuituq; fiunt, cibaria porrigito, neq; sumere cogito: sed potius prioribus ante decretorium demito. Potest etiam ex quarto De ratione uictus in morbis acutis sumi: & Celsus capite sextodecimo secũdi libri dicit, Initia morborum primum famem sitimq; desiderant: ipsi deinde morbi moderationem, ut neq; aliud quàm expedit, neq; eius ipsius nimium sumatur. Hic uero docet Hippocrates, quomodò medicus particulariter & conuenienter cibum ægro offerre possit, & sensum facit, In accessionibus semper à cibis abstinere iubeto, nam cibum dare nocuum est: nempe naturam circa materiam morbi occupatam repellit, & materiam ipsam auget. Quod non solũ in morbis non intermittentibus intelligito, sed etiam in illis morbis, in quibus accessiones per circuitum fiunt. In his enim in ipsa accessione à cibis abstinere oportet: nocuum enim esset in illa cibum præbere.

Philotheus ita aphorismum introducit, Διδάξας πότε δεῖ τρέφειν, νῦν διδάσκει πότε οὐ δεῖ. idest, Quum edocuerit quãdo nutrire opus sit, nunc docet quãdo non est opus.

Ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή. idest, In accessionibus abstinere oportet, scilicet à uictu: nam in ipsis accessionibus, Galenus per accessionem in sequẽti aphorismo id tẽpus circuitus intelligit, in quo æger affligitur. Imò idem Galenus in libro De morborum temporibus, hunc aphorismum & præcedẽtem adducit, inquiens, Quum enim prædixisset conuenienter, quibus statim uigor adest, statim tenuis uictus adhibendus, quibus postea ad illum & ante, tenuis, prius liberalior conuenit, ut æger morbum substineat, intulit, In accessionibus abstinendũ esse: docens nos, uidelicet solum id tempus, quod accessionem uocat, obseruãdum esse: nunquam enim in hoc nutrimus, uerum in reliquo omni tempore remissionis: interdum in alia eius parte, quia ex simplici interim declinatione, interdum ex declinatione & interuallo cõpositum est. Certum est, in hoc loco Galenum per accessionem, principium, augmentum, & statum intelligere: nam statim unum circuitum in duas partes diuidit: in accessionem, quam παροξυσμὸν uocat, & remissionem uel decessionem: ut manifeste appareat, remissionem contra accessionem distinguere. Quum uero remissio, declinatio sit: accessio, reliquum circuitus,

idest

idest principium, augmentum, & statum complectetur. Sic hic Galenum recte conside res, uult primum accesionis insultum, quo periodus idest circuitus incipit, esse principium: ideo dicit, à Græcis ἐπισημασίαν nuncupari, idest febris significationem.

Pro huius autem aphorismi & quorundam sequẽtium intellectu, necessarium est de morborum temporibus secundum Hippocratem & Galenum nonnulla tractare. Galenus in libro De morborum temporibus, uult καιρὸς, idest morborũ tempora ætatibus comparari. Sicut enim animal principium habet, cremẽtum, statum, & declinationem: eadem in morbis inueniuntur, sed modo diuerso. Vt autẽ hunc modum cognoscamus, scire oportet, apud Galenũ & omnes antiquiores medicos, esse duplex genus febrium: nam aliquæ sunt intermittentes, aliquæ non intermittẽtes. Intermittentes illæ sunt, quæ diem uel dies uel horas quietis habent, non intermittẽtes continuò affligunt. Nunc de intermittentibus primo agemus, quæ sunt uel quotidiana uel tertiana uel quartana. In istis, à Græcis περίοδος dicitur, quod Latini circuitũ uocant, totum illud spatium à primo insultu unius febris, usque ad primũ insultum alterius febris: ut in quotidiana est spatium uigintiquatuor horarum, in tertiana spatium quadragintaocto horarum, in quartana spatium septuagintaduarũ horarum. Nunc exemplum de temporibus in tertiana febre assignemus, ut Galenus facit. Quod fiet commodius, si prius animaduertemus aliqua esse uniuersalia tempora, alia particularia. Vniuersalia totum morbum in partes distinguunt: particularia singulares circuitus. In tertiana igitur quando corpus adeo algescit, ut sensus frigoris habeatur, initium uel principium nuncupatur à Græcis ἀρχὴ dictum, quamuis & huius frigoris primus insultus à Grecis etiam ἐπισημασία, idest febris significatio nominetur. Cum uero paulatim frigus deponi incipit, ut inter calorem & frigus conflictatio quædam sit, tempus inæqualitatis à Latinis, à Græcis καιρὸς ἀνωμαλίας uocatur. Cum uero calor crescit, incrementum est uel augmentum uel ascensus, à Græcis αὔξησις, ἐπίδοσις, & ἀνάβασις dicitur. Postea cum stare uidetur, consistentia est στάσις, idest status, uel ἀκμὴ, idest summus uigor. Deinde calor incipit auferri, tuncque inclinatio uel declinatio uel remissio, à Græcis παρακμὴ & μείωσις appellatur. Denique tota febre ablata, tempus illud usque ad alium circuitum, interuallum, uel integritas, uel quies, à Græcis ἀπυρεξία, idest infebria dicitur. Omne uero tempus ex his sex præcitatis tres partes habet, principium, medium, & finem: cuius rei exemplum in augmẽto condonemus. Principium augmenti naturam sapit principij totius morbi, uel temporis inæqualitatis: finis augmenti status naturam sapit: mediũ augmenti ab extremis multum distat. Hæc secundum Galeni sententiam dicta sint. Tamen est alter modus uniuersalior diuidendi hæc tempora, ut in accessionem & inclinationẽ diuidatur: & accessio tria tempora capit: principium, augmẽtum & statum. Inclinatio uero declinationẽ & interuallum cõplectitur. Itaque duæ erunt totius circuitus partes. Huic uidetur cõsentire Philotheus, cum accessionẽ definiens, inquit: παροξυσμός ἐστιν τὸ σφοδρότερον μέρος τῆς ὅλης περιόδου. περίοδος δέ ἐστι ἡ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτὸ ἀποκατάστασις. idest, Accessio est pars uehementior totius circuitus: circuitus uero est ab eodem ad idem restitutio. Secundum præcedentem uero diuisionem, circuitus sex partes habebit, initium, tempus inæqualitatis, incrementum, uigorem, inclinationem, integritatem, uel interuallum. Et hæc omnia tempora in morbis omnibus intermittentibus reperiuntur, ut est quotidiana febris, tertiana & quartana, quando intermittẽtes sunt: nam & hæ non intermittẽtes esse possunt, quãuis Galenus hoc loco admoneat, raro esse quartanas non intermittentes. Archigenes uero declinationem partiebatur, & ultimam eius partem remissionẽ uocabat, quod nihil referret, modo non posuisset illam esse distinctam partẽ à declinatione. Propter hoc à Galeno reprehẽditur, quia remissionẽ à declinatione tempus distinctum fecerit: cum tamen sit declinationis pars: hæcque de temporibus particularis circuitus in febribus intermittẽtibus dicta sufficiant, quæ ne gry quidem à Galeni dogmate dissentiunt. In morbis uero non intermittentibus quinque partes inuenit Galenus. Interuallum in his abest, quia nunquã perfecte finiunt. In aliquibus etiam non recte percipitur tempus inæqualitatis. In alijs augmentũ solum, statum & inclinationẽ percipere licet. Hæc autem in simplicibus ægritudinibus dicta sint: nam in cõpositis, ut in semitertiana, & in his febribus, quarũ una accedit antequàm alia decesserit, temporũ certitudo atque ratio non habetur.

Post

Post periodi, idest circuitus particularis tempora, Galenus librum alterũ facit de uniuersalibus morborum temporibus, quæ tempora animalium ętatibus comparat, & quatuor esse facit, principium, ascensus, uigor, & declinatio: hocq; in ægris superfuturis intelligitur: nam si mori debeat, id fit in augmẽto uel statu: propterea in his declinatio inueniri non poterit. Est autem in omni morbo uniuersale principiũ quoties materia cruda est, uel phlegmon sit, uel ulcus, uel destillatio, uel febris, uel quodcunq; aliud. Quum uero concoqui incipit, augmentum est, & principij finis, uel quum signa coctioni opposita uidentur: sed quum concoctio maxime fit, tunc status est, & declinatio nũcupanda erit, quando cõcoctio facta fuerit. In hoc eodem libro à Galeno notatur, in multis morbis tempora adeo breuia esse, ut percipi non possint, sicuti in apoplexia, & morbo comitiali, imò in eo cui truncatur caput, hæc tempora inueniri docet, dempta tamẽ declinatione. Vnde in aliquibus morbis principium & augmẽtum latent, quum in omnibus sint: in morituris augmentum non est in concoquendo, sed in cruditatis & letalibus signis: principium, augmentum & declinatio in omotenis latent, quæ sunt febres à principio in finem in eodem tenore permanentes. In acmasticis, principium, status & declinatio latent: nam febres sunt, quæ continuò in crementum proficiscuntur. In paracmasticis, principium, augmentum & status latent: febres enim sunt, quæ in inclinationem continuò perseuerant: tamen Galenus præcitato loco de omotenis solis mentionem facit, quas sub synocho intelligit, tamen tempora habere, sed breuissima ostendit.

Ad rem igitur: In accessionibus à cibo abstinere oportet, per has illas intelligẽs quæ in febribus non intermittentibus sunt. Vnde & à Philotheo dicitur, λέγων, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή, τουτέστι μὴ τρέφειν. καὶ διὰ μὲν τοῦ εἰπεῖν, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν, ἐδήλωσεν ὅτι οὔτε ἐπὶ τῶν συνεχῶν δεῖ τρέφειν, οὐδὲ ἐπὶ τῶν διαλειπόντων, ἁπλῶς εἰπὼν τοῖς παροξυσμοῖς. τὸ δὲ ἐπαγόμενον δοκεῖ ὅμοιον εἶναι τῷ ἀνωτέρῳ, οὐκ ἔστι δὲ ὅμοιον. πῶς; ἐπειδὴ εἰπὼν ἱπποκράτης, ὅτι δεῖ ὑποστέλλεσθαι τοὺς παροξυσμούς, ἵνα μὴ περὶ ἐπὶ τῶν πυρετικῶν νοσημάτων μόνον λάβῃς, τοῦτό φησιν, ὅτι καθόλου δεῖ ἐπὶ πάσης περιόδου ὑποστέλλεσθαι, κἄν τε κωλικῆς ὀδύνης ᾖ παροξυσμός, κἄν τε νεφρικῆς, κἂν ἄλλης οἵας δή ποτε περίοδος ᾖ. ἀλλ' ἰστέον, ὅτι ἐπὶ τῶν συνεχῶν ἐπὶ ταῖς μεσοπυρεξίαις δεῖ τρέφειν. ἐπὶ δὲ τῶν διαλειπόντων πυρετῶν ἐν ταῖς ἀνέσεσιν. οὐχὶ δὲ ἐν τοῖς παροξυσμοῖς, διὰ τὸ μὴ ἐμετήσεσθαι τὰς τροφάς, καὶ πλέον ταραχθῆναι τὴν φύσιν. id est, Dicens, in accessionibus abstinere oportet, hoc est non nutrire: & ob hoc quod dicit, in accessionibus, ostendit, quod neq; in iugibus & cõtinuis nutrire oportet, neq; in intermittentibus, accessibus simpliciter dixit. Quod uerò inductum est, superiori simile esse uidetur, non est autem simile. Quomodo? quoniam Hippocrates dixit, in accessionibus abstinere oportet, ne in febrilibus morbis solum accipiat, hoc dicit, quod uniuersaliter in omni circuitu abstinere oportet, siue cũ dolore colico accessio fuerit, siue cum renali, siue cum alio, qualis aliquo modo circuitus fuerit. Sciendũ uero est quòd in non intermittentibus, scilicet morbis uel febribus: minoribus febribus, idest quando febris imminuta est, nutrire oportet. In intermittentibus uero febribus, in remissionibus: non autem in accessionibus, ne nutrimentum euomatur, & magis perturbetur natura.

τὸ προσθῆναι γὰρ βλάβη. idest, Nam cibum dare nocuum est.] Quia impeditur natura à suo opere, & cibus in humorem prauum cõuertitur. Vnde Oribasius dicit esse nocuum, quippe tunc inimicũ est & malũ, quãdo infestatᷣ natura maxime ab humoribus. Καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή. idest, Et quibus per circuitum accessiones fiunt, in ipsa accessione abstinere oportet: ut non solum uerus sit aphorismus in non intermittentibus, sed etiam in intermittentibus, ut sunt quotidiana, tertiana, quartana. In his in ipsa accessionis die abstinendum: idest, ut Oribasius inquit, hi nullo modo reficiendi sunt. Sequiturq; Oribasius: Merito in hoc aphorismo, tum in secundo eadem repetijt, quia maius peccatum ægrotis nascitur, si se refecerint, non solum in accessionibus ipsis, sed & paulo ante etiam, quum hora ipsius uenturæ constet. Solicitus ergo sis, ut ieiunus, uel uacuus ægrotus, ad accessionis horam ueniat. Hæc Oribasius.

Galenus

GALENVS

TOTIVS quidem uictus rationem in uno quoq; morbo à duabus intentionibus iussit assumere, ex summo totius morbi uigore, & ex uiribus ægrotantis. Quomodo uerò quispiam particulatim cibum offerat conuenienter, in hoc docet sermone, caueri iubens morborum accessiones: ipse uerò manifestius in libro De uictu acutorum dixit, Quod neq; quum iam adsunt, neq; haud ita multo post affuturę sunt accessiones, cibus dandus est, sed quum declinant aut cessant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quum Hippocrates totius uictus rationem, in omni morbo accipere iussisset, ex uigore totius morbi, & ex uiribus ægrotãtis, nunc docet quomodo quispiam medicus particulatim cibum conuenienter offerre debeat, iubetq; caueri morborum accessiones.

Quod legit, Ex summo morbi uigore legi debet, ex futuro morbi uigore. nam Græce habetur, ἐκ τε τῆς μελλούσης τοῦ ὅλου νοσήματος ἀκμῆς. possemus etiam notare uerbum προσθεῖναι, quod significat apponere, ut sensus fieret, aliquid apponere illi cibo qui prius dabatur, nocuum est: tamen potius laudo modum superius positum, quia semper Hippocrates & Galenus in accessionibus cibum dare uetant.

SECVNDO, notat Galenus Hippocratẽ in quarto libro De ratione uictus in morbis acutis manifestius dixisse, neq; dandum cibum, quum iam adsunt accessiones, neq; quum non multo post sunt affuturæ, sed solum est dandus quum declinant, aut cessarunt. Ex quibus colligere potes, accessionem, principium, augmẽtum, & statum solam complecti.

Quod legitur, Quum declinant, aut cessant. Græcè est παρακμαζόντων τε καὶ παυομένων, nos interpretandum duximus, quum declinant & cessant. ut duo tempora notentur, Inclinatio, & tempus integritatis. παυομένων præsentis temporis est, quod bene procedit, quia tunc declinat, quando in nihilum abit; cessat autem quando iam abijt, & penitus desijt.

APHORISMVS XII

ACcessiones uerò, & constitutiones, morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex his quæ mox apparent, indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat; si uerò postea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & sudores, quæ tuncq; apparuerint, uel bonam morborum iudicationẽ, uel malam, uel breues, aut longos fore morbos ostendunt.

BRASAVOLVS

VT in huius aphorismi sententiã perfecte ueniamus, quid accessio sit, & quid constitutio scire oportet. de accessione uerò superius ample dictum est ex Galeni sentẽtia, & hic, & in libro De morborum temporibus, quod sæuiora circuitus tempora complectitur, principium, augmentum, & statum. Reliqua tempora, ut inclinatio, & integritas sub accessionis nomine non intelliguntur. Et hoc intelligitur in particularibus circuitibus, quoniã in uniuersalibus morbi temporibus non dicitur accessio. Constitutio uerò est totius ægritudinis uniuersalis status, & summus uigor. Sed ut Aphorismi uim perfectius assequamur, scire oportet, ægros ex tribus in uictu gubernari, ex uiribus, ex uniuersali morbi uigore, & ex particularibus accessionibus. primum in nono Aphorismo positũ est, secundũ in septimo, in octauo & in decimo. Tertiũ in undecimo. Vires statim ex pulsu cognoscũtur, nec percipere difficile est, an æger imbecillas, an robustas uires habeat, quæ usq; ad summum uigorem cum eo uictu perdurare possint. Sed duo forte occurrent medicis, quæ obscura esse uidebuntur atq; ignota. primum quomodo

possimus

poſsimus cognoſcere conſtitutiones in uniuerſalem morbi ſtatum. Secundũ, quomodo poſsimus cognoſcere particulares acceſsiones. Propterea ut Hippocrates huic negotio de ratione uictus & his à quibus indicationes ſumuntur, ſummum colophonem imponat, in præſenti aphoriſmo per intrinſeca ſigna, & per extrinſeca docet, quomodo in particularium acceſsionum & in ſtatus uniuerſalis cognitionẽ peruenire poſsimus, quę duo ad uictus rationem recte inſtituendum optime ualent. Philotheus uero hoc modo aphoriſmum introducit, ἐν γὰρ τῷ πρὸ τοῦδε ἀφορισμῷ διδάξας, ἐν τοῖς παροξυσμοῖς μὴ τρέφειν, ὥς τινος ἀκροωμένου, καὶ πόθεν ἔχω γνῶναι τὸν παροξυσμόν, νῦν ἐπιφέρει λέγων. ideſt, Quum in eo qui hunc præcedit aphoriſmo edocuerit, in acceſsionibus nutriẽdum non eſſe: Nunc ac ſi aliquis dubitauerit, Et unde acceſsionem cognoſcere poſſum? Infert, dicens. Oribaſius uero ad Hippocratis intentionem tendere non uidetur, nempe dicit, Tanquam rogatus Hippocrates, quomodo cognoſcamus longos uel acutos morbos, reſpondit dicens, Iudicantur acceſsiones & conditiones: hoc eſt, declarantur & oſtenduntur. Conditiones uero nominauit ſpecies uel agnitiones morborum, qui quales ſint uel quomodo agnoſcantur oſtendunt. Hæc Oribaſius, quæ quiſq; ex ſe ipſo Hippocratis mentem effugere, facile percipere poteſt. Nos igitur dicamus, Hippocratem particulares morborum acceſsiones, & uniuerſalem ſtatum edocturum eſſe, & hæc per multa ſigna oſtendit, inter quæ hoc primum eſt.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς, καὶ τὰς καταστάσιας δηλοῦσιν αἱ νοῦσοι. ideſt, Acceſsiones autem & conſtitutiones morbi indicabunt.] Per morbos, morborum genera intelligit: nam hæc acceſsiones indicant: quoniam ſi morbus tertiana ſit, ſcimus acceſsionẽ de tertio in tertium ſuperuenire: ſi angina, ſcimus ut plurimum à bile fieri, quæ tertianarũ motum conſequitur. Ab eiſdem morborum generibus conſtitutiones, ideſt morborum uniuerſales ſtatus, indicantur. Quum enim anginam eſſe cognoſcimus, peracutum morbum eſſe iudicamus, qui ſtatim habet extremos labores, ideo tenuiſsimo uictu utẽdum eſt. Si morbus lateralis ſit, acutum morbum eſſe cognoſcimus, qui in quatuordecim diebus iudicatur: ideo ſtatum poſterius habebit: propterea tenui uictu, & non tenuiſsimo utemur. In acceſsionibus uerò abſtinebimus, unde morbi genus cognoſcere, in acceſsionũ & conſtitutionum cognitionẽ nos inducet, & in uictus rationem recte inſtituendam. Propterea & Philotheus dicit, quòd morbi ita nos inducent in horum cognitionem: οἷον εἰ μὲν τριταῖος ὅτι ταχὺ κρίσιμος, καὶ διὰ τρίτης ὁ παροξυσμός. εἰ δὲ ἀφημερινὸς χρόνιος, καὶ καθ᾽ ἑκάστην ὁ παροξυσμός. εἰ δὲ τεταρταῖος, ὅτι καὶ τοῦδε χρονιώτερος, καὶ διὰ δύο ὁ παροξυσμός. οὕτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων νοσημάτων δηλοῦνται, οἵ τε παροξυσμοὶ καὶ αἱ καταστάσεις. ideſt, Vt ſi tertiana, quod cito iudicatorius dies, & per tertiũ acceſsio: ſi uero quotidiana, longior, & ſingulis diebus acceſsio. At ſi quartana, quod hac longior, & per duos dies acceſsio. Sic autem & in alijs morbis acceſsiones, & conſtitutiones indicantur.

Καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος. ideſt, Et anni tẽpora.] Scilicet acceſsiones & cõſtitutiones indicabunt: nã diuerſis anni tẽporibus uariæ ægritudines regnãt, ut in tertio libro edocebit Hippocrates, & citius ac tardius diuerſis tẽporibus iudicanẽ. Æſtate biles in noſtro corpore generãtur & augenẽ, propterea acceſsiones de tertio in tertiũ ut plurimũ uexant, citiuſq; æſtate finiunt q̃ hyeme: & ideo ſcimus conſtitutionẽ citius ſuperuenturã, unde tẽpora cognoſcẽtes ægrũ cõuenienti uictu ſeruabimus. Philotheus quoq; oſtendit anni tẽpora ſic acceſsiones & cõſtitutiones indicare, εἰ συμβῇ γενέσθαι τεταρταῖον ἐν θέρει, βραχυχρόνιος γενήσεται. ὁ δὲ ἐν χειμῶνι, πολυχρόνιος. ἐπὶ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἑκάστων νοσημάτων. τάχος μὲν τὸ θέρος, βραδύτητα δὲ ὁ χειμὼν προστίθησιν. ἀλλὰ καὶ οἱ παροξυσμοὶ διὰ τρίτης μὲν τὸ πλεῖστον ἐν θέρει, διὰ τετάρτης ἐν φθινοπώρῳ, καθ᾽ ἑκάστην δὲ ἡμέραν ἢ νύκτα χειμῶνος. ideſt, Si quartana in æſtate fieri contingit, breuis fiet: ſi uero in hyeme, longa: & in alijs quibuſcũq; morbis celeritatem quidem ęſtas, hyems autem tarditatem apponit: ſed & acceſsiones per tertium quidem plerũq; in æſtate, per quartũ in autumno: ſingulis autem diebus uel noctibus in hyeme.

Καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἐπιδόσιες, ἤν τε καθ᾽ ἡμέρην, ἤν τε παρ᾽ ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίνονται. ideſt, Et circuituum ſucceſsiua incrementa, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue per maiora interualla fiant: hęc enim acceſsiones & cõſtitutiones indicabunt.] Eſt autem circuitus, tempus ab initio unius acceſsionis uſq; ad initium alterius, ut in præcedente aphoriſmo dictum eſt. Si autem circuitus uel quotidiani ſunt, uel

tertiani, uel quartani, uel etiam quintani, uel adhuc per maiora interualla superueniant, quicquid sit, si accesio uel tertiana uel quartana eundem modum seruabit secunda uice & tertia & deinceps, qualem seruauit prima, morbum è longinquo statum habere iudicato. At si circuitus crescunt, signum est statum prope esse: nam uehemẽs morbi motus significatur, præsertim quando accesiones anticipant, & longius atq; uehemẽtius affligunt. Si uero accesiones in eodem statu perseuerent, aut saltem non crescant, longius distare uigorem pernoscemus: & etiam qua hora ęgritudo sit inuasura, primum cibandi modum ratione uniuersalium temporum edocebit, secundum ratione particularis accesionis. Vnde & à Philotheo dicitur, ὅτι εἰ συντόμως ἀναβαίνει τὸ νόσημα, δηλοῖ ἐγγὺς εἶναι τὴν ἀκμὴν, καὶ ὅτι οἱ παροξυσμοὶ ὀλίγον χρόνον κρατήσουσιν. εἰ δὲ κατὰ μικρὸν, πόῤῥωτέρω τὴν ἀκμὴν, καὶ τοὺς παροξυσμοὺς οὐκ ὀλίγον χρόνον κρατεῖν δηλώσει. ἐπίδοσις ἐστὶν ἀνάβασις τοῦ νοσήματος. idest, Quòd si breuiter crescit morbus, uigorem prope esse ostendit, & quod accesiones pauco tempore uigebunt. Si uero parum, scilicet crescat morbus, uigor longius erit, & accesiones non pauco tempore uigere ostendet. Incrementum est morbi augmentum. Hanc ultimam partem Philotheus posuit, ut quid esset incrementum ostenderet.

Præter hæc indicia in hoc loco ab Hippocrate numerata, alia ab eodẽ in libro De ratione uictus in morbis acutis referuntur, & à Galeno in libro De crisibus. Sunt autem hæc: ægri tẽperatura, ætas, locus, assuetudo, industria uitæ, aeris nos ambiẽtis constitutio, & qui morbi tunc regnent, ac populares sint. Hæc omnia in cognitionẽ accesionum & cõstitutionum nos inducunt, & ex consequenti in bonam & rectam uictus rationem. Sed Hippocrates prædictis signis non contentus addit,

Ἀτὰρ καὶ τοῖσι ἐπιφαινομένοισιν. idest, Sed ex ijs quæ mox apparent, indicia sumuntur, per quæ in cognitionẽ accesionis & constitutionis deuenire possumus. Sunt uero illa quæ mox apparent, illa quæ post factum morbum consequuntur. A Philotheo autem dicitur, τὰ δὲ φαινόμενα τριττά. ἢ γὰρ σωτηρίας καὶ ὀλέθρου ποιοῦνται τὴν δήλωσιν, ἢ κρίσεως καὶ ἀκρισίας, ἢ πέψεως καὶ ἀπεψίας. ἐνταῦθα οὖν τὰ τῆς πέψεως καὶ ἀπεψίας σημεῖα μεταχειρίζεται. ταῦτα δὲ ἐν τοῖς ἐκκρινομένοις θεωρεῖται, τὰ δὲ ἐκκρινόμενα θεωρεῖται ἐν πτύσμασιν, ἐν διαχωρήμασιν, καὶ ἐν οὔροις. idest, Quæ uero mox apparent, tria sunt: uel enim salutis & interitus declarationẽ faciunt, uel iudicationis, & non iudicationis, uel coctionis, & cruditatis. Hic igitur coctionis & cruditatis signa pertractat, hæc uero in his quæ excernũtur, speculatᷣ. At illa quę excernunt̃, in sputis, in alui excrementis & in urinis cõsiderat. οἷον ἐν πλευριτικοῖσι, πτύελον αὐτίκα ἢν ἐπιφαίνηται, ἀρχομένου μὲν βραχύνει, ἢν δ᾽ ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. idest, Quemadmodum in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat. Si uero posterius appareat, producit. Vt in cognitionem signorum mox apparentium ueniamus, & per ipsa accesiones & constitutiones cognoscamus, Hippocrates in uno morbo exẽplum ponit: In morbo inquã laterali, inquiens, si statim in principio morbi sputum apparuerit, ut in primis quatuor diebus, indiciũ est morbum cito terminaturum. Philotheus exponit statim, τουτέστιν ἐντὸς τριῶν ἡμερῶν. idest, hoc est intra tres dies. At si mox, idest post principium per aliquot dies, constitutio tarda fiet. Philotheus intelligit mox, idest περὶ τὴν δεκάτην τετάρτην, hoc est circa decimum quartũ diem. Galenusq; exemplum de Anaxione describit, in quo sputum mox apparuit. Oribasius sputum in quatuor partes diuidit: aut enim aquosum est, aut sanguinolentum, aut rubrum, aut nigrum. Rubrum, si est collectum in initio, bonum est: sanguinolentũ, si est collectum in initio, non est malum, unde frequenter uenam incident: aquosum, si est tardum & nigrũ, malum est. ob quam causam? quia significat nobis uirtutem debilem, quæ illud non potuit maturare & expellere. Nam quicquid nigrũ in interioribus partibus decurrit, si ad pulmones migrat, mortem infert. Philotheus uero inter sputum & excreatum differentiam ponit, inquiens, πτύελον δὲ, καὶ πτύσμα οὕτω διαφέρει. πτύελον μὲν γάρ ἐστιν τὸ πεπεμμένον, τὸ δὲ ἄπεπτον πτύσμα. idest, Sputum autem & excreatus sic differunt: sputum quidem est concoctum, excreatus uero crudus.

Καὶ οὖρα. idest, Et urinæ accesiones & constitutiones iudicant: de quibus Actuarius longe disserit, edocens quænam longum, & quæ breuem morbum significent.

Καὶ ὑποχωρήματα. idest, Et alui excrementa, eadem indicabunt.

Καὶ ἱδρῶτας. idest, Et sudores. Et omnia alia quæ per quemcunque locum excernuntur, accessiones & constitutiones ostendent. Si enim, ut Philotheus dicit, ἐντὸς τῶν τριῶν ἡμερῶν ἡ πέψις ἐν τούτοις φανῇ, δῆλον ὅτι πλησίον καὶ ἡ ἀκμὴ, καὶ εὔκριτον τὸ νόσημα. εἰ δὲ μὴ, πορρώτερον δῆλον ὅτι καὶ δύσκριτον. idest, Intra tres dies coctio in his apparuerit, manifestum est uigorem prope esse, & morbum boni iudicij esse. Si uero non, certum est longiorem esse morbum & mali iudicij.

Καὶ δύσκριτα καὶ εὔκριτα καὶ βραχέα καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα ἐπιφαινόμενα δηλοῖ. idest, Et bonam morborum iudicationem & malam, & longos & breues fore morbos ostendunt, ea quæ mox apparent. In aliquibus contextibus adest hæc particula ἐπιφαινόμενα, in aliquibus abest; nos abesse probamus, ut hæc pars ad signa etiam superius posita referatur, quæ ex morbis & anni temporibus, & reliquis consequentibus sumuntur, tamen nihil etiam impedit ad ea sola quæ posterius apparent, referri.

Quod etiam in aphorismo legitur, Vel bonam morborum iudicationẽ, uel malam: aliqui contextus non legunt Malam, sed Nullam: alij habent & malam & nullam: nempe antiquus noster habet, καὶ δύσκριτα καὶ ἄκριτα καὶ εὔκριτα.

Est ergo huius aphorismi summa breuis hęc: Quum uictus ratio ex tribus sumi possit, ex uiribus, ex accessionibus, & ex constitutionibus: Vires, ex pulsu cognoscuntur, præsertim uitales: ex excremẽtis, naturales: ex sensuum & intellectus uiribus, animales. Accessiones uerò & constitutiones, ex morbis cognoscuntur, & ex anni temporibus, ex circuituum incrementis, ex ætatibus, ex assuetudinibus, ex aere ambiente, ex exercitio, ex naturali temperatura, ex apparentibus post factum morbum, ut ex sputo, urina, alui excrementis, sudoribus.

Potest hic aphorismus ex uarijs Hippocratis locis colligi, præsertim ex libris Epidemiorum, & ex libro De ratione uictus in morbis acutis, & Galenus ipsum ad unguem exponit in libro De crisibus. Aetius quoque de pòst apparẽtibus in morbo laterali, mentionem facit libro quinto, capite sexto. Refert quoque in hoc aphorismo Hippocratem: & in quinquagesimoprimo eiusdem libri, capite De sputorum significatione disserens, exemplum hoc de morbo laterali, & eius sputo secundum Hippocratem adducit.

GALENVS

SI quæ prius dicta fuerũt ab eo de uictus ratione ad memoriam reuocemus, eorum quæ nunc dicuntur, utilitas fiet nobis manifestior. Quæ autem prius dicta fuerunt, hæc sunt: Totius uictus figuram ad duas respiciens intentiones faciebat, quarum altera erat uis ægrotantis, & constitutio morbi. Nam si morbus sit acutus, uel peracutus, uel longus. & quando maxime in uigore consistet, nihil aliud est, nisi morbi cõstitutionem considerare: particulares autem ciborum oblationes ex accessionibus coniecturabatur. Quum igitur tres essent intentiones, ad perfectam & indeficientẽ uictus rationem, prima quidem sumpta est ex uiribus ægrotantis, secunda ex morbi constitutione, & tertia preter has ex particularibus accessionibus. Vires quidẽ sub primo statim ingressu comprehendere medicus potest, ex pulsibus scilicet, & alijs, quæ ipse in libro Prognostico latius scriptitauit: quamuis fortè quis dixerit uirium magnitudinem esse incomprehensibilem. At si non possumus earum quantitatem exquisite cognoscere: posse nos tamen artificiosa quadam coniectura ad ueritatem proxime accedere, nemo inficiabitur. Sed morbi constitutionem qualis nam sit, & particulares accessiones, multi medici existimarunt non posse dignosci: non tamen idem sensit Hippocrates: sed & in hac parte, sicuti & in alijs sæpe quidem exquisite, & ut quispiam dixerit, perite, atque scienter, sæpe uerò coniecturaliter, non tamen inartificiose, neque longe à ueritate, sed prope atque proximius perueniemus ad cognoscendum futurum consistendi tempus, & accessionum successiuas reciprocationes. Verum hæc omnia latius, & in libris qui prognostica, & in alteris qui Epidemiæ inscribuntur, Hippocrates docuit: & nos, iuxta antiqui magistri sententiam ipsius uerba cum decenti expositione apposuimus in libro primo De crisibus, in quo ostendimus quomodo quispiam futurũ morbi uigorẽ possit præcognoscere. Nunc uerò omnia sunt ab Hippocrate per capita tradita. At nos quàm breuissime fieri poterit ipsa dilucidabimus. Quibus uerò curæ est omnem de his disciplinam diligenter perdiscere, ad librum De crisibus à nobis scriptum, legendum accedat. Ipsi quoque morbi, & accessio-

& accessionum similes proportiones, & suas etiam constitutiones nihilominus ostendent, ueluti in intermittentibus, quod tertiana cito terminatur, quotidiana uerò longa est, quartana autem etiam hac longior existit. In continuis uerò, incendentes quidem acutæ sunt, quæ uerò typhodes, idest succendentes nominantur, longiores, mediæ uerò inter has semitertianæ. Quomodo uerò quispiam has omnes febres statim inuadentes dignoscat, secundo libro De crisibus plenius edocuimus. Quare non oportet ad hunc transferre sermonem quæcunque bene dicere in alijs anticipauimus, neque sæpius eadem in pluribus libris sunt repetenda, sed solum ad memoriam reuocandum, si possibile fuerit tertianam inuadentem statim ab initio cognoscere, ex ea comprehendere quimus, quòd cito terminabit, & quòd per tertium diem fient accessiones, & hoc est quod ab Hippocrate dicitur. Accessiones autem, & constitutiones morbi indicabunt: nos quidem quum statim prima die febrium quartanarum initia sæpe cognouissemus, non expectata secunda accessione, formã uictus ab initio constituimus, tanquam ad morbum qui longo post tempore ad suum uigorem foret peruenturus: sic in quotidiana, & tertiana fecimus, tempus futuri uigoris in utrisque secundum proprium terminum metientes. Sicuti autem in febribus, itidem in alijs morbis est faciendum. Morbus enim lateralis, & qui peripneumonia, & phrenitis à Græcis nominantur, morbi acuti sunt. Angina autem, iuxtangina, & cholera, & distentio neruorum, peracuti. Aqua intercutẽ, atra bilis, & suppuratio, & tabes, diutini. Et morbo quidem laterali, & phrenitidi magna ex parte per tertium accessiones fiunt, suppurationibus autem quæ uentri eueniunt, aut hepati, & tabi, quotidie, & magis ad noctem: qui uerò ex liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Quod autem subinde dicitur de anni temporibus, ad ea quæ antea dicta sunt habet relationem: nam & morbi constitutiones, & accessiones, possunt ab anni temporibus unà cum morbo indicari: neque enim sufficit hoc tantũ scisse, quòd quartana inuasit hoc die, ut ab initio precognoscamus instituendam esse uictus rationem, ut ad morbum futurũ diutinũ: sed etiam si hieme, aut uere, uel æstate, uel autumno, suum fecit initium, prospicere oportet, id cognoscentes quòd æstate quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales longæ, & quæ magis hiemem attingunt: nam hæc eadem ipse nos in sequentibus edocebit. & quidem tertiana febris, quum alioquin cito terminetur, citius tamẽ æstate quàm hieme: & alijs pariter singulis morbis æstas addit celeritatem, hiems uerò tarditatem. Sed & accessiones, per tertium quidem magna ex parte æstate fiunt, per quartum uerò autumno, singulis uerò diebus aut noctibus hieme. Sicuti autem in anni temporibus, sic & in temperaturis, ex proportione se habet, de quibus & ipse Hippocrates sæpe disseruit, non tamen hic quidquam dixit, ut qui ex uno alia nobis ad memoriam reuocanda reliquerit. Quæ enim tempus æstiuum, eadem & ægri temperatura, si fuerit calidior, & siccior, & ætas, si in suo uigore constiterit, & locus, si calidus, & siccus, una indicabunt. Liquet autem quòd & industria uitæ, & assuetudo eodem modo se habent, & præsens aeris nos ambientis constitutio, de quibus postea docebit. Sic & quæcunque de tempore autumnali ad morbi constitutionem, & accessionum reciprocationem assumebantur, hæc eadem & de ætate ægrotantis, atque natura, & uitæ industria, & assuetudinibus, & regione in qua ægrotat, & aeris ambientis (quæ tunc uagatur) temperatura, assumere licet. Ex his quidem iam constare potest, quòd & morbi constitutionem & accessiones cognoscemus. Constitutionem quidem, si morbus fuerit peracutus uel diutinus, quod ad consistendi tempus agnoscendum est necessarium. Accessiones uerò an per tertium uel per quartum uel singulis diebus, siue qua hora diei aut noctis sunt inuasuræ. Quod uero circa finem aphorismi scribit, deinceps uideamus, si ad eorum quæ nos diximus faciunt declarationem: sic enim Hippocrates inquit, Et circuitũ successiua incremẽta, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Clarum est autem ipsum intelligere per circuitũ incrementa, accessionum augumenta, quæ in ipsis eueniunt, ex quibus ostendi & morbi augumentum, & futuri uigoris tempus præfinitum, hinc discere possis. Secundę accessionis ad primam, accrementum in hisce tribus conspicitur, in hora qua fit accessio, in longitudine accessionis, & in magnitudine: nihil autem differt, si etiam in uehementia dixeris, quia hæc duo nomina sunt apud medicos usitata, & sæpius ea de re eadem pronun-

tiantur, cum aliquando dicunt maiorem fuisse febrem ea quæ præcessit, aliquando uehementiorem. Contingit autem hanc febrem uehementem, uel æquales horas tum præcedente obtinere, uel pauciores, uel plures, quòd ad magnitudinem non pertinet, siue uehementiam accessionis, sed prolixitatem. Per accessionem autem te oportet intelligere deterius tempus totius circuitus, quod est à primo insultu usq; ad tempus consistendi, sicuti reliquũ tempus declinationis est melius. Cum itaq; accessio, siue per tertium, siue per quartum, siue quotidie fiat, similem anticipauerit proportionem, atq; ita anticipando ad longius extẽditur tempus, atq; insuper uehementius afflixerit, tunc manifestum est morbi augumentum, quantum autem augeatur unum ex dictis sua quantitate monstrabit. Si quidem accessio pluri tempore anticipans, & longius atq; etiam uehementius affligens, effatu dignum indicabit augumentum, & uelocem esse morbi motum, atq; haud ita multo post in suo uigore futurũ. Neq; enim fieri potest, ut magna incrementa suscipientibus accessionibus non proxima sit morbi consistentia. Contraria autem accessio, quæ scilicet parua faciat incrementa, omniũ eorum quæ diximus, quantum ad hoc attinet, longius distare futurum morbi uigorem ostendit. Hoc igitur ipsum per circuituum incrementa discemus, coniectura scilicet assequi potest quantũ tempus morbus in suo uigore consistet, ac præterea horam præfinitã qua accessio inuasura sit. Conducit autem prima cognitio ad formam totius uictus constituẽdam. Secunda uerò ad temporum particularium cognitionem, in quibus cibus est dandus, quorum intentiones ipse ab initio docere proposuit. Quod autem circuitũ uocet similem ad idem reditum, neminem puto dubitare. Sed & ex his quæ mox apparent ait coniecturandum esse de accessione, & totius morbi cõstitutione. Siue autem casus, siue signa, uelit quispiam illa quæ mox apparent nominare, nihil retulerit. Illud autem de omnibus casibus signis ue est cognoscendũ, quòd nonnulla quidem eorum significant passionem, aliqua assident, aliqua decernunt, ac iudicant, aliqua coctionem, aliqua cruditatem, aliqua salutem, aliqua perniciem ostendunt. Passionis significatiua sunt quæ unà cum morbo inuadunt. Quæ uerò assident, aliquando simul inuadunt, aliquando superueniunt, nonnunquam uero neq; omnino ueniunt. Neq; enim sunt à morbo inseparabilia, neq; eorum substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Quæ uerò ab Hippocrate decernentia, siue iudicantia uocãtur, cum primo exquisitè morborum principio, non sunt apta natura inuadere. Cum duobus alijs autẽ apta natura sunt. De quibus paulo postea dicemus. Aliquãdo uerò neq; in his, sed cum morbi augentur, aut iam cõsistunt apparẽt. Signa uerò coctionis inuadũt quidẽ, & ista nunq; in primo statim morbi principio. Terminãt aũt illud principiũ quod est pars totius morbi. Signa uerò cruditatis cum primo morbi principio statim inuadũt, & nonnunquã posterius apparent, sicuti & mortis signa. Nam & horũ generatio morbi principiũ subsequitᵣ. Morbi aũt principiũ intelligi uolumus, ut in cõmentarijs De crisibus manifestauimus, & primũ eius insultũ, ꝙ nullã habere latitudinẽ dicitur, & id quod est sicuti pars totius morbi, quando in principiũ diuiditur, augumentũ, & tempus consistendi, & declinationẽ, & aliud, quod usq; ad tertiũ extenditur diem. Sed & in eadẽ tractatione docuimus, omniũ casuũ potestates, & simul quæ expositione indigere uidebanᵣ uerba Hippocratis ad hoc pertinẽtia, exposuimus. Sed & nũc per modũ cõpendij de ipsis à nobis diceᵣ: qui uero uoluerit totã Hippocratis artẽ circa ista perdiscere, ad illã uadat tractationẽ. Ex apparẽtibus igiᵣ totã iubet morbi constitutionẽ coniectari, deinde quandã morbi speciẽ in mediũ adducens ita inquit, Veluti in laterali morbo, si circa initia statim sputũ appareat, morbũ inchoantẽ breuiat, si uero postea appareat, ꝑducit. Quod aũt scribit possis discere manifeste, si tibi apposuerim ex tertio libro Epidemiarũ, quæ ipse de Anaxione scribit, morbũ lateralẽ patientẽ, quẽ etiam ægrotũ ego in primo libro De crisibus mea expositione patefeci, uerba autẽ Hippocratis hæc sunt. In Abderis Anaxiona ꝗ iuxta portas Thracias habitabat, febris acuta inuasit, lateris dextri dolor cõtinuus, tussis sicca, neq; primis diebus expuebat aliquid, sitibũdus, peruigil, urinę bene coloratæ, multę, tenues, sexta die delirauit, neq; calefaciẽtia aliquid proficiebant: septima die magis laborabat, quia febris intẽdebatur, neq; dolores cõminuebantur, & tusses infestabant, & difficulter spirabat: octaua uenã in cubito secui, sanguis plurimus fluxit, & qualẽ oportuit, dolores aliqua ex parte cessarunt,

uerum tusses siccæ subsequebantur. Vndecima die febres decreuerunt, parum circa caput sudauit, tusses & quæ à pulmone humidiora, die decimo septimo cœpit paucum quid coctũ expuere. Vigesimo die sudauit, & desiit febricitare. Post crisim leuatus est, & siti premebatur, & quæ ex pulmone purgationes, non erant admodum bonæ. Vigesimo septimo die febris rediit, tussiit, multa concocta educebat, urinis plurimum sedimen album, sitis cessauit, & bene spirabat. Trigesimo quarto die sudauit totus, & post crisim omnino ex febre conualuit. Hic igitur Anaxion ab initio morbũ lateralem patiebatur, non tamen ab initio expuebat, sed & octauo die adhuc tusses siccæ subsequebantur, ut inquit Hippocrates. Quare rationabiliter totius morbi solutio ad trigesimum quartum diem extenta est, cum tamen magna ex parte lateralis morbus terminum suæ iudicationis habeat quartum decimum, & si non hunc, saltem omnino uigesimum. Quod si ante tertium diem expuisset, uel circa septimum, uel nonum, uel undecimum diem, iudicatio esset subsecuta, & si in ipso die tertio spuere cœpisset, quartũ decimũ diem nõ transcendisset. Hoc enim accidit in omnibus inflãmationibus, quæ non teguntur operculo densiore, uti in his quæ exteriorem occupant cutem, quãdam saniem resudare, ab initio tenuem: postea uero si coctionem accipiãt, & ad melius proficiant, crassiorem, & ex hac ipsa crassiore aliquã esse magis concoctã, aliquã uero minus. Hoc idem in omnibus inflammationibus, quæ uel os uel oculos infestant, licet intueri: nec minus in quacũque alia corporis parte, quando pars aliqua interior simul cum cutis diuisione patitur inflammationem, Nam ex huiuscemodi ulceribus sanies profluit talis, qualem ego dixi. Quando igitur aliqua fuerit inflãmatio cum tanta meatuũ angustatiõe, ut nihil extra effundatur, necesse est illam esse & coctu difficilẽ, & longo tẽpore perdurare. Hac igitur ratione & in morbo laterali (qui & ipse est ex genere inflãmationũ) attendere oportet signa coctionis. Nam crudissimus morbus est, in quo nihil omnino expuitur. Secundũ ordinẽ obtinet ille, in quo sanies tenuis est. Tertium, in quo crassior. Et quartum in quo perfectam habet coctionem. Verum si hæc circa tertium uel quartũ diem apparuerit, non contingit morbum transcendere septimũ diem: in aliis uero singulis necesse est, ut pro coctionis modo, mensura temporis consequatur. Sicuti igitur sputum, perfectæ coctionis est signum, quando album fuerit & lene & ęquale consistentia, neque nimis humidum, neque nimis crassum, eodem modo integram cruditatem ostẽdit, quod nullo modo expuitur. Quod si expuatur, & tenue adhuc fuerit, debilis coctionis est signum. Quod si impermixtum fuerit, uel flauum, uel ruffum, haud quaquã bonum. Quod si liuidum fuerit, aut ærugini simile, aut nigrum, perniciosissimum existit. Cum itaque à nobis distincta sint signa coctionis & cruditatis, & præterea tertium genus exitialium, illud scire oportet, quod signa coctionis semper sunt bona, ut quæ morbi solutionem haud ita multo post futuram ostendunt, sicuti & genus signorũ exitialium mortem ægri citam prænũciant. At uerò signa cruditatis diutinum quidem ex necessitate morbum significant, sed quantum in ipsis est, neque moriturum, neque euasurum è morbo hominem ostendunt. Tibi uero prius ratiocinãti, & ægroti uires expendenti, etiã ex his licet præcognoscere. Aliud est signorum genus quę crisima, idest iudicatoria ab ipso nominantur. Sunt autem hęc, sudores, sanguinis fluxus, & rigores, multum alui profluuium, & similis uomitus, dolor capitis repente inuadens, difficultas spirandi præter rationem & uehemens, uel cordis morsus, ilia citra dolorem extenta, uigiliæ plurimæ, delirium, & nox absque ratione molesta, & accessio anticipans, & lachrimæ inuoluntariæ nihil patientibus oculis, neque ex tristitia prouenientes, rubor faciei, & labrum inferius agitatum, lucida, uel obscura, & tenebrosa quædam ante oculos obuersantia, & allucinationes quædam, & malæ, uel nasus repente rubescentes, parotides, aut omnino materiæ alicuius in articulum decumbentis generatio. Hæc igitur omnia, & præter hæc alia multa huiuscemodi secundum propriam eorum substantiam casus nominata, quatenus uerò subitam mutationẽ ostendunt signa crisima, idest iudicatoria appellata, duplicẽ tibi præstabunt pręcognitionem. Siquidẽ morbo iam cocto superuenerint, futuram statim sanitatem denũciant. Si uero crudo adhuc morbo, iudicationem non bonam, quæ scilicet aut ad perniciem agat, aut in longum tempus morbum producat. Quod uero alia sit natura horum signorum quę crisima, idest iudicatoria nominantur: alia uero eorum quæ coctionem significant, hinc

discere possis. In primo libro Epidemiarum inquit Hippocrates. Coctiones, iudicationis celeritatem, securitatem salubrem significant. Cruda uero & incocta, & quæ in abscessus malos conuertuntur, iudicationum carentias, dolores, uel tempora, uel mortes, uel recidiuas ostendunt: si quidem in uniuersum collaudauit morbi coctionem. In libro aũt qui Prognostica inscribitur, particulatim in hunc modũ simul docẽs ipsius indicia. Vrina autem optima quando sedimentum album, leue, & æquale fuerit, in tempus omne donec morbus terminetur. Significat enim salubrem securitatẽ, & morbum pauco tempore duraturum. Sic rursus laudauit urinam monstrantem coctionem in uenoso genere. Rursus autem cum dicit, alui excremẽtum optimum esse, quod molle, consistens, & hora excretum, qua solet cum sanitas adest, indicia coctionum uentris simul collaudat, & docet. Sic & eam, quæ fit in membris respirationi seruientibus coctionem simul collaudans, ac docens, in hunc modum scribit. Sputum oportet in omnibus doloribus, qui pulmonẽ, & costas infestant, celeriter, ac facile expui, flauitiem fortiter sputo commixtam apparere. Coctionis igitur signa semper bona sunt, iudicationis uerò signa non semper. Sic ergo inquit, signa crisima, ideſt iudicatoria, non iudicantia aliqua mortem, aliqua difficilem iudicationem portendunt. Et quidem cum ait, quæ ad melius iudicant non confestim apparere, per hæc uerba eandem profert sententiam. Nam coctionis signa quo tempore apparent, bona sunt, semper enim eorũ uniuersum genus optimum existit. Non ergo repugnat illud quod nunc dictũ est, in morbo laterali sputum statim apparere, illi alteri quod dicitur, signa iudicantia ad melius non statim apparere: nam signa iudicatoria nonnunquam mala fiunt, signum uerò coctionis nullum unquam prauum fuit, sed omnia optima semper, & tanto citius ægrum sanitatem recuperaturum ostendunt, quanto citius apparuerint. Hæc dixisse sufficiat per modũ compendij, quantum ad præsentem attinet locum. Totam uero de istis antiqui magistri sententiam, in libro De crisibus exposuimus. Vt uero ex me sermo quem nuper dixi secundum diuisionem perfectus habeatur, quomodo à dictis differant, & quæ passionis significatiua, & quæ assidentia dicuntur signa, iam uolo transigere, unam in medio adducens pro exemplo passionem, hanc ipsam uidelicet, quam Hippocrates nominauit. In morbo igitur laterali, acuta quidem febris, unà cum spirandi difficultate, & tussi, & dolore lateris pungenti simili, signa passionis significatiua nominãtur. Quod autem dolor, aut ad ilia, aut ad clauim perueniat, assidentia dicuntur, sicuti quòd facilius in latus patiens, quàm in alterum decumbat æger, ad idem genus assidentium attinet. Scripsit autem & Nicandro Praxagoras duo uolumina de assidentibus signis. De his autem quæ superueniunt alterum, sicuti si de mox apparẽtibus inscriberetur. Hæc igitur Mox apparẽtia inquit Hippocrates, & bonam morbi iudicationẽ, & malam, morbumq́; uel longum, uel breuem futurum ostendere. Meminit autẽ non solum sputorum, sed & urinarum, & excrementorum alui, & sudorũ, ea scilicet quæ sunt in libro Prognostico scripta, nobis exemplo subijciens, quæ ad hunc locum transferre sit superuacuum: nam de his in libro De crisibus diximus, & in commentarijs in Prognostica, in quibus adhuc magis magistri antiqui sententiam explanauimus.

BRASAVOLVS

GALENVS in hoc amplissimo commento, & per exempla, & per rationes quibus accessiones & constitutiones cognoscantur, edocet. primo autem iubet, in memoriam reuocanda esse illa quæ de uictus ratione prius dicta fuerunt: nam ad duo uictus rationem & figuram referebat, ad ægrotãtis uires, & ad morbi constitutionẽ: nam quicunque sit morbus quando est in uigore, in consistentia esse dicitur. Hæcq́; sunt uniuersales uictus rationes, sed particulares ciborum oblationes ex accessionibus coniecturabuntur.

Quod legitur, Quarum altera erat uis ægrotantis, & constitutio morbi. legẽdum est, Quarum altera erat uis ægrotantis, reliqua, uel altera constitutio morbi, Græce uero legitur τήν τε δύναμιν τοῦ κάμνοντος, καὶ τὴν κατάστασιν τοῦ νοσήματος.

SECVNDO docet, cum ad perfectam uictus rationẽ tres intentiones sint, uis ægrotantis, morbi constitutio, & particularis accessio, Vires, ex pulsu statim comprehenduntur, & ex alijs quæ ipse in libris Prognosticorum edocuit. Aliquis fortè dicere posset, uirium magnitudinem esse incõprehensibilem. At isti saltem hoc concedent, Si non poterunt

terunt ad libellam haberi, quadam artificiali coniectura habebũtur ueritati propinqua.

TERTIO, dubitationem quorundam ponit, qui putarunt morbi cōstitutionem & particulares accesſiones, quales nam ſint nō poſſe dignoſci. Sed Galenus his reſpōdet, Hippocratem non id ſentire quod ipſi ſentiunt: nam & in horum cognitionem ſępe uenit exquiſite & ſcienter, ſæpe coniecturaliter: non tamen inartificioſe, neq; longe à ueritate. Hæc autem ab Hippocrate in Prognoſticorum libris, & Epidemiarum latius ſcripta ſunt, & in noſtris commentarijs à nobis illorum librorum, & in libro primo De criſibus. Sed iſta ab Hippocrate nunc per capita tradũtur, nos uero quàm breuius fieri poterit eadem capita enodabimus. At ſi quis omnia diligentius habere ſtudeat, noſtrum De criſibus librum perlegat.

QVARTO, ad id quod promiſerat, peragendum accedit: Morbi inquiens acceſſiones & conſtitutiones oſtendent, ut (exempli gratia) in intermittentibus febribus, tertiana ταχυκρίσιμος idest citi iudicij eſt, uel (ut Leonicenus dicit) cito terminatur. Quotidiana uero longa eſt: quartana uero longiſſima. In non intermittētibus uero, καυσώδεες, ideſt incendentes, uel incenſæ, acutæ ſunt: nam ex materia biliosa fiunt. Typhodes aũt, ideſt ſuccendentes longiores ſunt. Inter has mediæ ſunt ἡμιτριταῖοι, ideſt ſemitertianæ.

Quod legitur, Ipſi quoq; morbi & acceſſionum ſimiles proportiones, legendum eſt, Ipſi igitur morbi & acceſſionum proportiones, nam Græce eſt, αὐτοί τε οὖν αἱ νοῦσοι, καὶ τὰς τῶν παροξυσμῶν περιόδους ἀναλόγως.

QVINTO docet, ſi quis cognoſcere uoluerit hæc febrium genera ſtatim in primo inſultu eius, ſecundum De criſibus librum legat: nam non ſunt repetenda quæ alibi bene relata ſunt: ſed ſatis eſt, illa ad memoriam reuocare. Ad rem igitur. Si quis in principio tertianam inuadentem cognouerit, etiam ſciet & cito terminaturam eſſe, & ſuas acceſsiones per tertium habiturã: & hoc eſt quod ab Hippocrate dicitur, Morbos, acceſſiones & conſtitutiones indicaturos: docetq; Galenus, quod ſtatim prima die & prima inuaſione quartanam febrem cognouit, tertianam & quotidianam. Itaq; prima die conuenientem uictus rationem ordinauit, in omnibus his futurum uigorem metiens.

Qđ legit̃, Secũdũ propriũ terminũ metiẽtes, hæc pars, ſecũdũ ꝓpriũ terminũ: Græce eſt, κατὰ τὴν οἰκείαν προθεσμίαν. ideſt, ſecũdũ ꝓpriũ præfinitũ tẽpus, uel ſecũdũ ꝓpriã legẽ.

SEXTO docet, idem eſſe in alijs morbis quod & in febribus eſt: nam morbus lateralis, peripneumonia & phrenitis, acuti morbi ſunt. Angina uero, cholera, neruorũ diſtentio peracuti ſunt: aqua inter cutem, atra bilis, ſuppuratio & phthiſis diutini ſunt, ex quibus conſtitutionem cognoſcimus. Acceſsiones uero, quia morbus lateralis & phrenitis, ut plurimũ de tertio in tertium uexant. Suppurationes uero quæ uentri eueniunt, aut hepati & phthiſi quotidie, & præſertim accedunt febres uerſus noctem. Qui uero ex liene laborant, & ex atra bile, per quartum acceſsionem habent.

Quod legitur, Angina autem & iuxtangina. Græce eſt, συνάγχη δέ, καὶ κυνάγχη. ideſt, ſynanche & cynanche. Hæ ſunt duæ anginæ ſpecies, prima in intrinſecis œſophagi muſculis, ſecunda in intrinſecis faucium uel gutturis. Sunt duæ aliæ ſpecies, παρασυνάγχη, & παρακυνάγχη, ideſt paraſynanche & paracynanche: omnium deterrima eſt cynanche: hic non poſſumus interpretari per κυνάγχην iuxtanginam: ſed melius eſt uti Græco uocabulo, ut res melius exprimatur. De his uero quatuor ſpeciebus in tertio libro horum commentariorum à nobis ubertim ſcriptum eſt.

SEPTIMO docet, quod illa quæ de anni temporibus adduntur, ad morbos & ad acceſsiones & cōſtitutiones referenda ſunt: nam non eſt ſatis quod quiſpiam cognouerit primum quartanæ inſultum ad uictus rationem inſtituẽdam, ſed opus eſt ſcire an uere uel æſtate uel autũno uel hyeme cœperit: quoniam (ut inferius edocebit) æſtiuę quartanæ magna ex parte breues ſunt, autũnales longæ, & maxime quæ hyemem attingũt, imò & tertiana febris, quæ ſuapte natura cito terminatur, citius in æſtate quàm hyeme finem habet: nam æſtas morbis celeritatem addit, hyems tarditatem. Adde ꝙ acceſsiones per tertiũ magna ex parte æſtate fiunt, per quartum autumno, quotidie hyeme.

OCTAVO docet, id quod dictum eſt de anni tẽporibus, etiam intelligendũ eſſe per proportionem in temperaturis: quãuis nihil hic dicat Hippocrates, ſed alibi: & de induſtria uitæ, ſiue exercitio, & de aſſuetudine, & de ambientis aeris tẽperatura, & de ætate

ægrotantes. Ex his omnibus & morbi constitutionẽ & accessiones cognoscemus: constitutionem quidem si morbus fuerit peracutus uel diutinus: ex hoc enim summum uigorem deprehendimus. Accessiones uero, an per tertium uel per quartum, uel singulis diebus, uel qua hora diei aut noctis sint inuasuræ.

Qđ legit, Industria uitæ: Græce est τὰ ἐπιτηδεύματα, idest instituta, exercitia, studia.

Quod etiam legitur. Et aeris ambientis quæ tunc uagatur, temperatura. Græce est, καὶ ἡ τοῦ περιέχοντος ἐπιδημούσης κράσεως.

NONO Galenus ad illam partem exponendam se conuertit, & circuituum ad inuicem incrementa: per circuituum incrementa, accessionum augmenta quæ in ipsis eueniunt, intelligit: ex quibus & morbi augmentum, & præfinitum uigoris tempus intelligit. Scito tamen secundæ accessionis ad primam augmẽtum in tribus consistere, in hora in qua fit accessio, in longitudine accessionis, & in magnitudine uel in uehementia: nam apud antiquos est hic usus, ut quandoq; dicant uehemẽtiorem febrem, quandoq; maiorẽ. hæc autem febris uehemens quandoq; æquales horas habet cum præcedente, quãdoq; pauciores, quãdoq; plures: hocq; nõ spectat ad uehementiã, sed ad prolixitatẽ.

Quod legit, Contingit aũt hanc febrem: Græce est, συμβαινόμενον, idest cum cõtingat.

DECIMO, notat Galenus in hoc aphorismo intelligendum esse per accessionem deterius tempus circuitus: principium scilicet, augmentum, & statum. Reliquum enim est declinatio. Cum ergo uidebis sequentes accessiones anticipare, & ad longius tempus extendi, etiam si anticipent, & uehementius affligere, iudica morbi augmentum: quantum uero augeatur unumquodq; prædictorum sua quãtitate ostendet: nam accessio multum anticipans, & longius atq; uehementius affligens, effatu dignum augmentum significabit, & uelocem esse morbi motum, & cito in statum peruenturũ: nam fieri non potest, si magna sint incrementa, quod uigor propinquus non sit: econtrario, si accessio habeat in omnibus parua cremẽta, distabit morbi uigor. Vnde per circuitum incrementa discemus assequi coniectura: post quãtum tempus morbus in suo uigore consistet, & præfinitũ horum accessionis: primaq; cognitio ad uniuersalem uictus formam instituendam conducet: secunda ad cognitionem particularium temporum, in quibus cibus est dandus: nam ab initio hæc edocere proposuerat. Notaq; in hoc loco per circuitum intelligere similem ad idem reditum.

Quod legitur, Per accessionẽ autem te oportet intelligere. Adde particulam Nunc, hoc modo: Per accessionem autem te nunc oportet intelligere. nam Græce est, παροξυσμὸν δὲ ἀκούειν σε νῦν χρή.

Quod etiã legitur, Vnum ex dictis sua quantitate monstrabit. legendum est, Vnumquodq; ex dictis sua quantitate monstrabit. uel, Vniuscuiusq; dictorum quantitas monstrabit. Græce enim est, τὸ καθ᾽ ἕκαστον τῶν εἰρημένων πόσον.

Quod etiam legitur, Parua faciens incrementa. hæc particula Incrementa, Græce est, τὰς προσθήκας.

Quod etiam legitur, Coniectura scilicet assequi potest, quantum tempus morbus in suo uigore consistet. hæc particula Potest, legi debet Post, & debet coniungi cum sequentibus, ut sensus fiat, Post quantum tempus morbus in suo uigore consistet. Nam Græce dicitur, μετὰ πόσον ἔσται χρόνον ἡ ἀκμὴ τοῦ νοσήματος. Ex quo uidere potes quantam differentiam fecerit interiecta literula in sensu.

VNDECIMO ad ea quæ mox apparent, exponenda Galenus descẽdit: nam & ex his siue symptomata nomines, quæ casus à Leoniceno interpretantur, siue signa, nihil refert, modo scias ad accessiones & constitutiones cognoscendas proficere: Galenusq; omnia signa, siue symptomata, in tres partes diuidit: in παθογνωμονικά, in συνεδρεύοντα, & in κρίσιμα, idest in passionis significatiua, in assidentia, & in decernentia siue iudicantia, quæ uel coctionem uel cruditatẽ uel salutem uel mortem ostendunt. Passionis significatiua, cum morbo inuadunt. Assidentia quandoq; simul cum morbo inuadunt, quandoq; superueniunt, quãdoq; omnino non ueniunt: nam possunt à morbo separari, neq; morbi substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Iudicatoria uero non sunt apta cum primo exquisite morborũ principio inuadere, sed cum duobus alijs sunt apta natura: aliquando uero in augmẽto & statu apparent. Signa autem coctionis nunquam

quam in primo statim morbi principio inuadunt, sed προσδιορίζει, idest determinăt principium uniuersale morbi. At cruditatis signa cum primo morbi principio apparent, sicuti signa etiam mortis: horum enim generatio morbi principiũ sequitur. Intelligit uero Galenus per morbi principiũ, & primum morbi insultum indiuisibile, ut in libro De crisibus docuit, & morbi partem, ut cum morbus in quatuor tẽpora distinguitur, principiũ, augmentũ, statum, inclinationẽ, & spatium trium dierum. At si quis hæc & omniũ symptomatum potestates recte percipere uoluerit, ad illum De crisibus tractatum se conferat. Hic igitur ex mox apparentibus totam iubet morbi constitutionem coniectari.

Quod legitur, Neq; eorum substãtiam constituunt. legi debet, Neq; eius ueluti substantiam constituunt. nam illa particula Eorum, refert morbum in singulari; quãuis contextus Græcus Eorum, dicat: nam ita habetur, οὐδὲ τὴν οἷον οὐσίαν αὐτῶν συνιστᾶσιν. Vel fortè illa particula Eorum, debet referri ad ipsa signa.

Quod etiam legitur, Nam & horum generatio, morbi principium subsequitur. Græce est, καὶ γὰρ καὶ τούτων ἡ γένεσις ἐξ ὑστέρου τῆς τοῦ νοσήματος ἀρχῆς.

Quod etiam legitur, Ex apparẽtibus autem. legi debet, Ex mox apparentibus. Græce enim est, τοῖς οὖν ἐπιφαινομένοις.

DVODECIMO Galenus refert, casum Anaxionis, tertio Epidemiorum libro ab Hippocrate positum, qui primis diebus non expuebat: cœpit autẽ expuere humidiora undecimo die: septimadecima die nescio qd cocti expuere cœpit, uigesima die à febre leuatus est: tamẽ rediјt uigesimaseptima die: trigesimaquarta die totus sudans liberatus est, Galenus eundem casum refert in libro De crisibus, & in secundo De diebus decretorijs. Cum ergo primis diebus non expuisset: nõ mirum si morbus prorogatus est usq; ad trigesimumquartũ diem, quum eius natura sit in quatuordecim diebus iudicari, uel saltem in uiginti: nam hoc semper inuenies in inflãmationibus quæ non teguntur operculo densiore, ut in ijs quæ exteriorem occupant cutem, primo sanies quędam resudat, deinde paulatim coquit, & crassior fit: itaq; aliqua est magis cocta, aliqita minus. Idem euenit in intrinsecis nostri corporis partibus: quando uero aliqua fuerit inflãmatio cum tanta meatuum angustatione, ut nihil extra effundatur, necesse est illam esse coctu difficilem, & longo tempore perdurare. Eadem est ratio in morbo laterali, qui est ex genere inflammationũ. Crudissimus est morbus, in quo nihil expuitur: in secundo ordine est ille, in quo sanies tenuis: in tertio ordine, in quo crassior: in quarto, in quo perfecta coctio. Si hæc circa tertium diem appareant, uel circa quartum, morbus septimum diem non transit: in alijs autem, secundũ coctionis modum mensurã temporis accipere oportet. Sed alicui forte dubium uideretur, quomodo Anaxion absq; febre fuerit, eo adhuc in laterali morbo persistente: nam uigesimo die cessauit. Respondendum, concocta materia in laterali morbo febrem desinere: deinde quia locus lęsus est, materia aliqua in loco colligitur, quæ corrupta, antequam concoquatur, febrem iterum inducit: experientia enim uidemus, in laterali morbo, nondum expurgata materia febrem cessare.

Quod legitur in casu Anaxionis, Vrinæ bene coloratæ: Græce legitur in prima nostri antiqui contextus lectione, οὖρα δὲ ἄχροα. idest, Vrinæ autẽ sine colore. Sed in secunda lectione, & in Aldino contextu, & in contextu Hippocratis in tertio Epidemiarum legitur, οὖρα δὲ εὔχροα. puto Leonicenũ hunc contextum habuisse, quem magis probo.

Quod etiam legitur, Sexto die delirauit. Græce est, ἕκτῃ παράληρος.

Quod etiam legitur, Septimo die magis laborabat, quia febris intendebatur. Græce legitur, ἑβδόμῃ ἐπίπονος, ὅτι γὰρ πυρετὸς ἐπέτεινεν.

Quod etiam legitur, Non erant admodum bonæ. simpliciter legendum est, Non erant bonæ. οὐ χρηστά.

Quod etiam legitur, Et bene spirabat. ὕπνωσε legitur in aliquibus contextibus: in alijs, εὔπνους. In Epidemijs scriptum legimus, ὕπνοι.

Quod etiam legitur, Quandam saniem. Græce est, τινὰς ἰχῶρας. Plerunque uero in hoc nostro commẽtario scriptum est, aquosam illam substantiam, quæ ulcera exit, ἰχῶρ à Græcis nuncupari.

DECIMOTERTIO de sputis differit, ostendens quæ perfecte cocta, & quę non. Album, lene & æquale, neq; crassum, neq; humidum perfecte coctum est. Quod non

expuitur cruditatem omnimodã ostẽdit. Si tenue sit, debilis coctionis est signum. Si impermixtum fuerit, uel flauum, uel ruffum, non bonum: tamen non significat perniciem. Si liuidum, aut ærugini simile, aut nigrum, perniciosissimũ existit. Notaq́ signa coctionis semper esse bona. Signa exitialia, semper mortem significant. Signa uero cruditatis sunt indifferẽtia: nam quantum in ipsis est, neq; salutem, neq; mortem ægri significant: sed tu in hoc deuenire poteris, uires ægroti expendens. De sputis uero apud Hippocratem multa habentur in primo libro De morbis, & in tertio.

Quod legitur, Quòd si impermixtum fuerit, uel flauum, uel ruffum, haudquaquã bonum: Græce est, εἰ δ' ἄκρατον εἴη, ἢ ξανθὸν, ἢ πυῤῥὸν, οὐκ ἀγαθόν. Nota id uocabulum ἄκρατον, quod impermixtum Leonicenus interpretatus est, significare purum, immixtum. Intellige uero sputum esse humorem unum solum, & alijs non mixtum. Sicuti & in septimo libro, aphorismo uigesimotertio, uocat deiectionem syncerã illam, quæ non est permixta aquosæ humiditati, sed est purus humor.

DECIMOQVARTO Galenus aliud genus signorũ iudicatoriorũ enumerat, quę sunt sudores, sanguinis fluxus, rigores, multum alui profluuium, multus uomitus, dolor capitis repente inuadens, difficultas spirandi præter rationem, & uehemens cordis morsus, hypochondria citra dolorem extenta, uigiliæ multæ, deliria, nox absq; ratione molesta, accessio anticipans, lachrymæ inuoluntarię nihil patientibus oculis, neq; ex tristitia prouenientes, rubor faciei, labrum inferius agitatũ, lucida uel obscura & tenebrosa quędam ante oculos obuersantia, & hallucinationes quędam, & malę uel nasus repente erubescentes, parotides, aut materia aliqua decumbens ad articulos. Hæc omnia quæ symptomata uocantur, ut mutationem subitam ostendunt, signa iudicatoria nuncupantur, quæ duplicem præcognitionem præstant: nam si morbo iam cocto superueniant, futuram sanitatem ostendunt. Si uero crudo adhuc morbo, iudicationem non bonam ostendunt, nempe uel mortem, uel morbi longitudinem.

Quod legitur, Multum alui profluuium: Græce est, καὶ γαστὴρ καταῤῥήξασα πολλά. Alter contextus habet, πολλῷ.

Quod etiam legitur, Ilia citra dolorem extenta, lege Præcordia: nam Græce dicitur, ὑποχόνδρια. Celsus uero hypochondria, præcordia interpretatur, non ilia: nam ilia sub præcordijs sunt, ut in tertio libro ubertim ostendimus.

Quod etiam legitur, Vigiliæ plurimæ: Græce est, ἀγρυπνίαι σφοδραί.

Quod etiam legitur, Et labrum inferius agitatũ: Græce est, καὶ τὸ κάτω χεῖλος σεισθέν.

Quod etiam legitur, Lucida uel obscura & tenebrosa quædam oculis obuersantia & hallucinatiões quędã: Gręce est, ὀρφνώδη τε προφαινόμενα τῶν ὀφθαλμῶν, ἢ μαρμαρυγαί τινες.

Quod etiam legitur, Quatenus uero subitam mutationem ostendunt: Græce est, καθότι δὲ μεταβολὴν ὀξύῤῥοπον δηλοῖ.

Quod etiam legitur, Futuram statim sanitatem denuntiant. Hæc particula Statim, Græce est ἐπίγυον, idest propinque.

DECIMOQVINTO Galenus ex Hippocratis uerbis ostendit, signa iudicatoria aliam naturam habere, quã illa quę coctionẽ significant. nam Hippocrates in primo Epidemiorum dicit, coctiones iudicationis celeritatẽ, securitatẽ salubrem significãt. Cruda uero & incocta, & quæ in abscessus malos cõuertuntur, iudicationũ carentias, dolores uel tempora uel mortes uel recidiuas ostendunt. In hoc loco Hippocrates uniuersaliter morbi coctionem laudauit. In libro uero Prognosticorũ particulariter, ita ipsius indicia scribens: Vrina optima est, quãdo sedimentũ album, lene & æquale habuerit, & semper est optima, donec morbus terminetur: nam significat salubrem securitatẽ, & morbum breui terminaturũ. sic rursus urinam laudauit, quæ in uenis & uenosis locis coctionem demonstrat. Quum etiam addit, alui excrementum optimum est, quod molle est consistens, & hora consueta excretũ. eodem modo in membris respirationi seruientibus laudat coctionem, dicens, sputum in omnibus pulmonis, & costarum doloribus debet celeriter expui atq; facile, & flauitatem fortiter sputo commixtam apparere: unde potest habere hanc differentiam, quod signa coctionis semper sunt bona, sed signa iudicatoria non iudicantia, aliqua mortem, aliqua difficilem iudicationem portendunt. Additq́ illa quæ ad melius iudicant, non confestim apparere. Ex quibus uerbis idem colligitur.

De signis

De signis autem coctionis quocunq; tempore apparent, semper bona sunt. Nec putes id quod in aphorismo dicitur, in morbo laterali sputum statim apparere, illi repugnare, quod dicitur, Signa iudicantia ad melius, non statim apparere, quia signa iudicationis quandoq; mala sunt. Signa uero coctionis semper sunt bona: & tanto citius ægrum sanari debere ostendunt, quanto citius apparuerint. Hæc uerò nunc breuibus satis sint, quæ explicatius in libro De crisibus à nobis exposita sunt.

Quod legitur, Cruda uero & incocta, & quæ in abscessus malos conuertuntur: illa particula In abscessus malos, in aliquibus contextibus legitur ἐς μακρὰς ἀποστάσιας. idest, in abscessus longos. At in nostro antiquo contextu, & in Aldino, & in libro Epidemiorum legitur, ἐς κακὰς ἀποστάσιας, ut Leonicenus legebat.

Quod etiam legitur, Alui excrementum optimum esse, lege Optimum est: nam Grece legitur, διαχώρημα δὲ ἄριστον ἐστί.

Quod etiam legitur, Flauitatem fortiter sputo comixtam apparere. Græce habetur, ξυμμεμιγμένον τι φαίνεσθαι τὸ ξανθὸν ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ. idest, Flauum quid sputo fortiter commixtum apparere.

Quod etiam legitur, Nam coctionis signa, quo tempore apparent, bona sunt: Græce est, τὰ γὰρ τοι πέψιος σημεῖα καθ' ὃν ἂν ἐπιφαίνηται χρόνον ἀγαθά. idest, Nam coctionis signa, quocunq; tempore fiant, bona.

DECIMOSEXTO, ut Galenus per exemplum ostendat, quæ nam sint signa illa superius ab ipso passionis significatiua nuncupata, & quæ assidentia, quum de iudicatorijs dictum sit, accipit exemplum Hippocratis in laterali morbo, inquiẽs, Acuta febris, tussis, spirandi difficultas, lateralis dolor pungitiuus, signa passionis significatiua uocantur: sed dolorem peruenire ad hypocondria uel ad clauem, aut ægrum in ægrotante latere iacere non posse, signa assidentia sunt. Praxagoras duo uolumina fecit de assidentibus signis, de superueniẽtibus uero unum: qui idem est, ac si de mox apparẽtibus scriberetur. Hæc igitur mox apparentia, ut ab Hippocrate dicitur, & bonam morbi iudicationem & malam, & longitudinem uel breuitatem morbi ostendunt.

Quod in hac parte legit̃, Ilia: legendũ est Præcordia. nam Græce habet̃ ὑποχόνδρια.

Quod etiam legitur, Scripsit autem & Nicandro Praxagoras duo uolumina de assidentibus signis. Postea sequitur, De ijs autem scriberetur. In hac parte desunt multa uerba: nam Græce ita habetur, τῶν δὲ ἐπιγινομένων ἓν ἕτερον, ὡσεὶ καὶ ἐπιφαινομένων ἐπιγέγραπτο. idest, De ijs autem quæ superueniunt unum alterũ, ac si de mox apparentibus scriberetur. Deniq; Galenus refert, Hippocratem non solum de sputis mentionem fecisse, sed & de urinis, & de alui excrementis, & de sudoribus: quæ omnia in libro Prognosticorum scripta sunt. Superuacuum uero esset illa nos huc afferre: propterea tu ad nostrũ De crisibus librũ te conferas, & ad nostra in libros Prognosticorũ cõmentaria.

APHORISMVS XIII

SEnes facillime ieiunium ferunt, secundo loco qui ętatem consistentem habent, minus adulescentes: omnium minime pueri, pręsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores.

BRASAVOLVS

DE ætatum cognitiõe plura ab Hippocrate in libro De uictus ratione scripta sunt, quem tamen librum Galenus ab Herophilo æditum putauit: at cuiuscunq; sit, nos eius uerba referre nõ pigebit: inquit enim, Puer quidem calidis & humidis commixtus est, quoniam ijs constitit & creuit: nam calidissima & humidissima sunt, quæ proxima generationi sunt, plurimumq; crescunt, hisq; accedentia similiter. Calidus quidem est adolescens, quod ignis aquam superauit: siccus autem est, quod puerile humidum consumptum iam est, partim in corporis incrementum, partim in ignis motum, partim etiam laboribus. Vir autem siccus est, & frigidus, quod calor amplius non superat, corpusq; non crescit, propterea friget: siccitas enim prioris ætatis inest, sequentisq;: & aquæ accessus nullam habet humectationem, quod siccis & humidis superatur. Senes uero frigidi

frigidi & humidi sunt, quod ignis discessit, aqua accessit, quæ sua humiditate sicca pepulit, humida confirmauit. Hæc Hippocrates uel Thessalus (si is liber Thessali sit) uel Herophilus, ex quibus huius aphorismi ratio haberi potest. In hoc igitur aphorismo uolēs Hippocrates ex omni indicio, rationis uictus formam edocere, ad ætates conscendit, ratione quarum & uictus rationem quādoq; immutare oportet, inquiens, senes facillime ieiunium ferre atq; inediam, deinde per gradus ætates aliæ consequuntur: nam qui in ætate consistenti sunt, quæ senio propinqua est, difficilius quàm senes ieiunium ferunt: sed adolescentibus facilius. Omnium uero minime pueri ieiunium ferunt, & inter pueros illi præsertim qui uiuidiores sunt, & loco stare nesciunt.

Sed ut huius aphorismi sententia clarius elucescat, ab re non erit, si ætatum ordinem edocere studeamus. Quod fiet cōmodius, si prius uniuersum humanę uitæ spatium metiri tentemus. Salomon omnium sapiētissimus, uitam hominum septuaginta annorum esse iudicat: in potentioribus octuaginta: & hoc totum labor & dolor (non ut diui Hieronymi interpretatio legit, Amplius autem labor & dolor.) Eandem sententiam in secundo De generatione, sectione quinquagesimaoctaua Auerroes probauit, ubi Aristoteles aperte dicit, Vitę omnino statutū tempus esse propter motus solis & planetarum.

Aegyptij, ut Plinius libro secundo capite trigesimoseptimo testatur, hominem centum annos transigere non posse iudicarunt: propterea hominum uitam centum annorum esse profitentur. Argumentū refert Plinius, quo mouebātur, & ante Plinium Varro, ut Censorinus in libro De die natali scriptum reliquit. Est autem hoc, quod Varro à Dioscoride astrologo Alexandriæ scriptum inuenit. Cor hominis incremento & diminutione conseruari, unde anniculi cor duas drachmas pendet, bimi quatuor, trimi sex, quadrimi octo: & sic in annos singulos usq; ad q̄nquaginta accedere binas. Ab his centum drachmis, atq; anno q̄nquagesimo, itē decedere in unoquoq; binas, ex quo perspicuū sit cētesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius posse producere. Alios legimus, dicentes ob hanc causam factos esse seculares ludos, qui quibuslibet centū annis fiebant. Solon uero humanam uitam in decem hebdomadas & ipse distinxit, unicuiq; hebdomadæ septem annos tribuens, propterea hominis uitam septuaginta annorum fecit. Sed Staseas peripateticus in duodecim hebdomadas partitus est, & ideo hominum uitam ad octuagintaquatuor annos produci uoluit: quem uitę terminum si quis præterierit, idem facere quod stadiodromi ac quadrigæ faciunt, quum extra finem procurrunt. Et Varro ipse tradit, in Hetruscorum libris legi, fatalem ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi. Alij nouem septimanis hominis uitam produci uoluere, amplius uitā non esse, hos numeros Pythagorice considerantes & dicentes, ut Censorinus in libro De die natali refert, septem pertinere ad corpus, nouem ad animū: hinc annus iste sexagesimus tertius uulgò ad nostra usq; tempora fatalis nuncupatur, ab antiquioribus crisimus & climatericus & genethliacus & scalaris dictus est, in quo plurimi moriantur. Alij cōsiderant hunc annum, quod sit ex ter tribus hebdomadibus: uolūt enim obseruandos illos annos, quos ternæ hebdomadę cōficiunt, ut uigesimusprimus, quadragesimus secūdus, sexagesimus tertius, octuagesimus quartus. Alij uero inquiūt, solum esse unum difficillimū climactera, scilicet quadragesimum nonum, utpote quem complent septies septeni, alij octuagesimum primum, quem complent nouies noueni. Plato uerò humanam uitam quadrato annorum numero consummari putauit, scilicet nouenario, unde humanam uitam ad nonagesimum primum annum peruenire censuit. Nonnulli tres annos climacteras esse iudicant, nonagesimū primum, quadragesimum nonum, sexagesimum tertium, qui inter duos medius est: nam primū ex quadrato nouenario, secundum ex septenario, sexagesimum uerò tertium, ex nouenario & septenario, quem hebdomades nouem, uel septem enneades conficiunt. Est autem periculosissimus, quia ad corpus, & ad animam pertinet: septimū ad corpus, quia est medicinæ corporis, & Apollini attributum: nouenarium Musis, quia morbos animi, quos appellant pathe, Musica lenire ac sanare consueuerit. Censorinus tamen in libro De die natali, hunc annum malum non iudicat: nos uero arbitramur id iudicare, ut applauderet suo Cerello, qui hunc annum iam transegerat.

Sed his omissis ad ætatum distinctiones in hac tota uita conscēdendum est, quomodocunq; sumatur, uel sit spatium centum annorum, uel nonaginta unius, uel octuaginta quatuor, uel septuaginta, uel sexagintatrium. Certum uero est, qui seculū transit, similem esse stadiodromo, quādo metam excedit. Sed ó miseram humanam uitam, qui sunt hi qui hæc spatia attingant? Nempe inter quinquaginta hominum millia qui nascūtur, mille ad quinquagesimum annum non perueniunt. De ætatibus autem uerba facturi scire oportet, apud diuersos philosophos, diuersas esse ætatum distinctiones. Auicenna in prima Fen primi, doctrina tertia, capite tertio, ætates in quatuor distinxit, In adulescentiam, quæ usq; ad triginta annos perdurat: in consistentiam, usq; ad trigesimūquintum, uel quadragesimum: in ætatem senectutis, quæ est usque ad sexaginta annos; & in ætatem senum, idest ultimum senium, quæ usq; in finem uitæ perdurat. Adulescentiam uero in infantiam diuidit, quam ipse Auicēna esse dicit cum membra pueri nondum ad motiones, & ad ambulandum sunt apta, & in ętatem aptam ad ambulandum, & in ætatem in qua dentes fiunt, quæ deambulationem sequitur. Postea (ut Auicennæ uerbis utar) sequitur ætas concussionis, quæ est post ortum dentium, sed antequam poliantur. Deinde est ætas alguadi, quando semen emittunt quousq; barbescant. Deinde est ætas fortitudinis, quousq; crescere desinant. Hæc Auicenna de ætatibus præcitato loco.

Galenus in libro cui titulus est Definitiōes medicæ, ipsi adscripto, ætates in quatuor partes diuidit: in pueritiam, pubertatē, mediam ætatem, & senectam: tamen quibus temporibus fiant, non determinat, sed id solum dicit, Pueritiam esse calidam & humidam: pubertatem, calidam & humidam, sed minus quàm pueritia: media ętas, calida & sicca: senectus, frigida & sicca. Deinde adulescētiam docens, inquit esse illam ætatem quamdiu augetur animal: uigor autem est, cum animal auctum est & perfectum. Ex his habere potes, adulescentiam, pueritiam & pubertatē continere, uigorem autem esse post trigesimum annum. Adest & distinctio ætatum astronomica in septem partes ex ratione septem planetarum accepta: & nos illam hoc modo distinctam inuenimus in quodam authore Græco ἀδήλῳ & incerto, cuius uerba hæc sunt: ἑπτὰ εἰσὶν αἱ τοῦ ἀνθρώπου ἡλικίαι. idest, Septem sunt hominis ætates: quas deinde per hunc ordinem disponit:

Βρέφος ἀπὸ γεννήσεως μέχρι τεσσάρων ἐτῶν, ἀναλογεῖ δὲ τῇ Σελήνῃ.
Εἶτα παιδίον μέχρι δεκαετίας, ἀναλογεῖ δὲ τῷ ἑρμῇ.
Μεῖραξ δὲ ἀπὸ δεκαετίας μέχρι ὀκτωκαίδεκα, ἀναλογεῖ δὲ ἀφροδίτῃ.
Ἀπὸ τῶν δεκαόκτω μέχρι τῶν κε νεανίας, ἀναλογεῖ δὲ τῷ ἡλίῳ.
Ἀπὸ τῶν κε μέχρι τῶν νβ ἀνήρ, ἀναλογεῖ δὲ ἄρει.
Ἀπὸ νβ ἕως ξδ πρεσβύτης, ἀναλογεῖ δὲ Διΐ.
Γέρων ἐπ' αὐτοῖς μέχρι ζωῆς ἐσχάτης, ἀναλογεῖ δὲ τότε, τῷ ψυχρῷ χρόνῳ. idest,

Infans, à generatione usq; ad quatuor annos: proportionem uerò habet cum Luna.
Postea puer, usq; ad decem annos: proportionem autem habet cum Mercurio.
Adulescēs aūt, à decimo anno usq; ad decimūoctauū: proportionē habet cum Venere.
A decimooctauo usq; ad uigesimumquintum, iuuenis: proportionem habet cum Sole.
A uigesimoquinto anno usq; ad quinquagesimum, uir: proportionē habet cum Marte.
A quinquagesimo usq; ad sexagesimumquartum, senior: proportionatur Ioui.
Senex, post hos usq; ad extremū uitæ: proportionatur frigido tempori, idest Saturno.

At M. Varro quinq; gradus ætatis æquabiliter putat esse diuisos, unumquenq; scilicet præter extremum, in annos quindecim. Itaq; primo gradu usq; ad annum quartumdecimum pueros dictos, quòd sint puri, idest impubes. Secūdo, usq; ad annum trigesimum adulescentes, ab adulescendo sic nominatos. In tertio gradu, usq; ad quadragintaquinq; annos iuuenes appellatos, eo quòd rempublicam in re militari possent iuuare. In quarto, usq; ad sexagesimū annum seniores nuncupatos, quòd nunc primum senescere corpus incipiat. Inde usq; in finem uitæ uniuscuiusq; quintum gradum factum, in quo qui esset, senex appellatur, quòd ea ætate corpus senio laboret. Censorinus uero in libro De die natali, Hippocratem refert, ætates in septem gradus distinguentem: locum tamen Hippocratis uidere nondum licuit. Primi gradus finem, septimum annum esse putauit: secundi, decimumquartum: tertij, duodeuigesimum: quarti, trigesimumquintum: quinti, duodequadragesimum: sexti, sexagesimumptimum: septimi, nouissimum uitę hu-

manæ annum. Non deſuere præterea, qui ætatem humanam in decem hebdomadas partirentur, ut Solon fecit: qui in prima hebdomada, dentes homini cadere dicit: in ſecunda, pubem apparere: in tertia, barbam naſci: in quarta, uires: in quinta, maturitatem ad ſtirpem relinquendam: in ſexta, cupiditatibus tentari: in ſeptima, prudentiam, linguamq; conſummari: in octaua, eadem manere: in nona & in decima, hominem fieri morti maturum. Sed Staſeas peripateticus duas alias ætates addebat, ut annum octuageſimumquartum uitæ finem faceret. His uero omiſsis, quæ ab his authoribus utcunq; dicta ſunt, nos ex Hippocrate & hic & in libro De ratione uictus, & alibi, quatuor ſolum eſſe ætates inuenimus, pueritiam, adoleſcentiam, conſiſtentiam, & ſenectutem. Tamen Galenus in ſex ætates diſtinguit, & in aphoriſmo ſex ætates ſubintelligi iubet: nam inter conſiſtentiam & adoleſcentiam, iuuentutem ponit. Senium uero in duas partes diuidit: in primam partem, quæ primum ſenium dicitur: & in ſecundam, quæ ſecundum ſenium, & decrepita nuncupatur. Nonnulli uero his ætatibus certa tẽpora ſtatuere tentarunt. Nos uero intelligimus Hippocratem, ſub adoleſcentia iuuẽtutem complexum eſſe. Pueritia eſt uſq; ad decimũquartum annum, quæ tamen in ſe habet infantiam, quæ ad ſeptimum uſque durat. In decimoquarto anno craſsiorem uocem faciunt pueri, & inæquabilem, quod Ariſtoteles appellat τραγίζειν, Latini antiquiores hirquitallire: & inde ipſos putant hirquitallos appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat. Deinde ſequitur Adoleſcentia uſque ad trigeſimum annum, in qua continetur iuuentus, quæ eſt à uigeſimo anno ad trigeſimum, uel paulo plus, uel minus, ut temperaturæ & corporum diſpoſitiones merent. Conſiſtentia à trigeſimo anno, uel à trigeſimo quinto, uſq; ad quadrageſimum uel quadrageſimũquintum, uel quinquageſimum perdurat. Primũ ſenium à quadrageſimoquinto, uel quinquageſimo, uſq; ad ſexageſimum uel ſexageſimumquintum prorogatur, ut corporis temperatura cõdonabit. Decrepita, uitæ finem attingit. An uero ſit illa ætas, quæ conſiſtentia appellatur, in qua homo in eodẽ ſtatu permaneat, hic dubitare non eſt opus, cum in tertio libro Galenus eam eſſe inficietur: nam cum homo ad ſummũ ætatis uigorem peruenerit, ſtatim in deterius inclinari incipit. Nunc uero ad Hippocratis uerba exponenda conuertemur, ſi prius edoceamus, in noſtro antiquo contextu ante hunc aphoriſmũ hanc inſcriptionem præſcriptam eſſe, περὶ τῆς καθ' ἡλικίαν διαίτης. ideſt, De uictus ratione ſecundum ætates.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείαν φέρουσι. ideſt, Senes facillime ieiunium ferunt.] Per ſenes, hic primos ſenes intelligit: quoniam ultimi ſenes frequenti cibo reficiendi ſunt, licet tenuiori. Philotheus etiam primos ſenes intelligit, inquiens, γέροντας καλεῖ οὐ τοὺς ἐν ἐσχάτῳ γήρᾳ ὄντας, ἀλλὰ τοὺς ἑξηκόντας μικρὸν πλεῖον ἢ ἔλασσον. ideſt, Senes uocat, non in extremo ſenio exiſtentes, ſed ſexagenarios, aut parum plus uel minus. Idem ad uerbum ferè dicit alter Græcus interpres, quem habemus, incertus & ſine nomine. At ieiunium ferre, ex duobus cognoſci iudicat Galenus: unum eſt ex eo quod non facile famem incurrunt: aliud, quod & ſi famem incurrant, nihil mali ex hoc conſequitur. Quæ duo in primis ſenibus inueniuntur: nam frigidi ſunt & humidi, ratione frigiditatis bene concoquere non poſſunt (nam concoctio eſt opus caliditatis) nec etiam appetunt. Et quamuis appetentia ex frigido fiat, tamen ex illo non fit quod per ætatem acquiritur, ſed ex naturali frigido. At quia humidi, propterea nocumenta quæ ab inedia fiunt, facile non incurrunt, quæ ſunt uirium imbecillitas. Eſt uero ieiunium, abſtinentia penitus à cibis, quam primi ſenes bene ferunt: nam multos humores craſſos habent, & non appetunt, & ab inediæ nocumentis facile releuantur. Oribaſius dicit, facile ferre ieiunium ſeniores, quia frigidum habent corpus, & non exercitantur: etenim quanto frigidiorem craſſioremq; humorẽ habent, tanto minor eſt illis appetitus, ut qui ex ipſo humore nutriuntur. Vnde ſi amplius illis offeras, quàm poſsint concoquere, ex ipſo extinguũtur. Quemadmodum lucerna quæ ſolet oleo ſuppetente lumen clarum facere, ſi plus olei immittas, quàm conuenit, continuo claritas luminis extinguitur. tamen hoc exemplum Galenus pro ultimis ſenibus poſuit. Philotheus etiam ſenes iſtos inediam ferre dicit: διὰ τὸ ὀκλάσαι σχεδὸν ἐπ' αὐτῶν τὴν δύναμιν, καὶ διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς ψυχροτέρους. ideſt, Quoniam ferè in ipſis uis labefactata eſt, & quoniam ipſi ſunt frigidiores, quàm ſcilicet conſiſtentes. Eandem ſententiam habet incertus author huius libri interpres, imò & eadem uer-

ba

ba. Galenus quoq; in libro De renum affectibus, de senibus loquens inquit; In his paucum nutrimentum desideratur, ob uirtutis imbecillitatem.

Sed hic Oribasius dubitat, inquiens, Interrogandus hic uenit Hippocrates, quare cum de ætatibus agat, prius protulerit senes quàm infantes, aut iuuenes: quum nisi infans fuerit, senex esse non possit. Respondet, Sed bene Hippocrates prius seniorem dixit: nam omnis finis initium habet, non omne initium finem. Probe ergo Hippocrates prius nominauit seniorem, ut cõtinuò omnes significaret ætates: sed nos putamus à senio incepisse tanquam ab ea ætate, in qua conuenit tenuior uictus ratio, ut deinde ad crassiorem procedat: nam de uictus ratione secundum ætates pertractaturus est; Philotheo dicente, ἀκολούθως οὖν ἐπὶ τὰς ἡλικίας χωρεῖ, βουλόμενος καὶ δι᾽ αὐτῶν ἔνδειξιν τοῦ εἴδους τῆς διαίτης ποιήσασθαι. idest, Consequenter igitur ad ætates procedit, uolens & ex ipsis speciei uictus demonstrationem facere.

Δεύτεροι οἱ καθεστηκότες. idest, Secundo loco qui ætatem consistentem habent, scilicet sunt in tolerantia ieiunij: nam & ipsi facile ferunt inediam, sed non adeo facile ut senes iam dicti. Est autem consistentia, tempus propinquum, & ætas affinis primo senio. Philotheus dicit, eos consistentes uocari, τοὺς ἐν παρακμῇ τυγχάνοντας. idest, In uigore ætatis existentes: uel in declinatione à uigore, ut notat uocabulum παρακμή. Idem dicit interpres incognitus. Qui in hac ætate sunt, amplius non crescunt, nec decrescere uidentur, sed in eo statu permanent (saltem quo ad sensum) in quo sunt. Hi uero sunt illi qui trigesimum, trigesimumquintum, uel quadragesimum annum agunt: hanc ætatem ad quinquagesimum, quadragesimũquintum, uel quadragesimum prorogantes secundum eius qui perfert temperaturam. Etenim temperaturarum diuersitas ætates accelerat atq; retardat: qui in hac ætate sunt, in uitæ summo uigore & robore esse putantur, & humidum densius habent, quod difficilius soluitur, quàm puerorum humidum: propterea hi facilius ieiunium ferunt, quàm qui in minoribus ætatibus degunt. Decipiuntur uero qui consistentiæ duas partes faciunt, primam & secundam, dicentes, hic Hippocratem de consistentia, idest secunda consistentię parte loqui. Nam de ipsis consistentibus agit, quos dicit post senes secundum locum tolerantiam ieiunij ferre.

Ἥκιστα τὰ μειράκια. idest, minime adulescentes, scilicet ieiunium ferunt, quàm uel consistentes, uel senes. Hippocrates in toto De uictus ratione libro, de ætatibus bis terq; atq; quater agens, de iuuenibus mẽtionem nullam facit, sed uocabulo adulescẽtia ubiq; utitur, ut sub adulescentia iuuentutem intelligere uideatur. Et nisi Galenus in commentatione distingueret, dicerem Hippocratem per adulescentes, iuuenes semper intelligere: nam adulescentia trigesimo finit anno, pueritia duodecimo: tamen Galenus iubet, ætatem iuuentutem inter adulescentiam & consistẽtiam subintelligendam esse: quæ ratione extremorum intelligatur. Vnde pueri sunt usq; ad decimumquartum annum: adulescentes, usq; ad uigesimum, uel uigesimumquintum: iuuenes ad trigesimum, uel trigesimumquintum: ut hic sit ordo, Iuuenes in tertio loco tolerantiæ ieiunij sint, difficilius enim ferent, quàm consistentes, sed facilius quàm adulescentes, quia eorum humidum crassius est, & difficilius resoluitur. Adulescentes uero humidum habent, quod facilius resoluitur, ideo ieiunium minus ferre possunt: tum quia famem citius incurrunt, tum quia difficilius nocumenta famis ferre possunt, in eaq; statim incurrunt. Vbi contextus dicit, Minus adulescentes: recentiores interpretes legunt, Minus pueri: quæ particula eos errare fecit: nam coacti sunt in pueris & in infantibus intelligere, quod Hippocrates in adulescentibus & pueris dicit. & quod ita sit, Græcus contextus ostendit, in quo habetur, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. idest, Minus adulescentes, omnium autem maxime pueri. Antiqua uero Constantini interpretatio legit, Minus pueri, omnium autem maxime infantes. Philotheus dicit, Adulescentes minus ferre ieiunium, διὰ τὸ αὔξειν ἐν αὐτοῖς τὸ ἔμφυτον θερμόν. idest, Quoniam in ipsis naturalis calor augetur. Oribasius quoq; eodem modo legit, ut faciunt recentes. ubi enim Hippocrates habet Adulescentes, ipse legit Pueri: & ubi habet Pueri, ipse legit Infantes.

Πάντων δὲ μάλιστα παιδία. idest, Omnium maxime pueri, scilicet ieiunium ferre non possunt, quoniam (ut in aphorismo sequenti dicetur) plurimum habent calidi innati, & plurimum consumũt, & ideo inediam ferre non possunt, nempe cito famem incurrunt,

& ab inedia læduntur, difficiliusq; in hac ætate inediæ errores corriguntur. nam eorum calor tenui humido inhæret, & ideo facillime resoluitur, unde & famē & famis incommoda facile incurrunt. Philotheus dicit, pueros minime omnium ferre inediam, διὰ τὸ εὐδιαφόρητον ἔχειν τὸ σῶμα, καὶ διὰ τὸ πλούσιον τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ. idest, Quoniam bene perspirabile corpus habent, & quoniam habent plurimum calidi innati.

τουτέων δὲ αὐτέων ἃ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν, προθυμότερα ἐόντα. idest, Horum autem ipsorum, præsertim qui inter ipsos sunt promptiores & agiliores.] Hic (ut Galenus inquit) non docet Hippocrates ætatum, sed naturarum differentias. Pueri, qui uiuidiores sunt, idest quorum uita ad motum est magis procliuis, & stare loco nesciunt, hi cæteris alijs minus ieiunium ferunt: quia plus habent caloris innati, quàm alij. Antiqua translatio legit Animosiores, quod non ab re dicitur: nam & contextus Græcus habet προθυμότερα, idest qui animo sunt propensiores: uel cum προθυμία promptitudinem & alacritatem significet, intelligendum, præsertim qui sunt promptiores & alacriores. Hæc enim promptitudo (ut ex libro Artis medicinalis colligi potest) non potest esse, nisi ex caliditate: imò Galenus in illo libro, ex promptitudine caliditatem arguit. Oribasius ita intelligit, maxime illos uexari, qui animo sunt ad epulas propensiores, uel qui multum esuriunt, uel petunt. In istis uero multus feruor cognoscitur, qui eos exacuit, & corpora desiccat, facitq; famem & multi cibi appetitum. Merito igitur plus ipsi quàm alij uexantur ieiunio. Philotheus uero dicit hos inediam non ferre, ἐπειδὴ προθυμότερα ὄντα, καὶ εὐκινητότερα γινόμενα μᾶλλον ἐκθερμαίνονται. ἐφ' ὅσον δὲ ἐπικρατεῖ τὸ ἔμφυτον θερμὸν, ἐπὶ τοσοῦτον οὐδὲ τὴν ἀσιτίαν φέρουσιν. idest, Quoniā promptiores facti, magis incalescunt, in quantum enim crescit naturalis calor, in tantum inediam non ferunt.

Celsus libro primo capite tertio, ubi de obseruationibus quibusdam agit, hunc aphorismum his uerbis refert: Quod ad ætates uero pertinet, inediam facillime substinent mediæ ætates, minus iuuenes, minime pueri, & senectute confecti. Necessariū uero est per senectutem cōfectos decrepitos intelligere, & Acherontios illos quibus parum & sæpe cibus dandus est, non autem primos senes, nam illos sub media ætate intelligit.

GALENVS

DIFFERENTIA etiam ætatum confert aliquid ad capiendam uictus rationem. Senes si quidem facile ferunt inediam, pueri difficulter. Est autē facilitas in non appetendo, & nihil inde mali sustinendo. Difficultas autē ex contrarijs oritur. Et enim pueri magis appetunt, & plus offendūtur in longis inedijs. Mediæ uero ætates inter senes, & pueros, quanto alteri ipsorum proximiores existunt, tanto minus, aut magis molestantur, atq; offenduntur ex longis inedijs. Huius autem aphorismi causam ipse in sequente docet, qui ita incipit. Quæ augentur corpora plurimum caloris innati habent. Ita quòd si quis uelit ipsum priori adiungere, & cum, enim, coniunctione proferre, tunc sermo unus fieret, & manifestus, in hunc modum se habens. Senes facilime ieiuniū ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes, minime uero pueri. quæ enim augentur corpora plurimum caloris innati habent. Dicit autē ætatem habentes consistētem, eos qui mediam ætatem habent inter iuuenes, ac senes, ita quòd ab ætate uigente recedunt, nondum tamen sensum habent senectæ manifestum. Sic & Thucydides dixit quosdā in ætate cōsistente esse. Verum inter hanc ętatē & adolescentiam, altera quædam est, quæ sicuti medium ætatum obtinet ordinem, ita etiam facilitatis, & difficultatis: ita q neq; ita facile ferre inediam potest, sicuti qui in ętate sunt consistente atq; senili: neq; difficulter, sicuti adolescentes & pueri. Eius tamen non meminit Hippocrates, ut quā possit unusquisq; ex illis quas dixit intelligere. Nam cū inquit, pręsertim qui sunt inter ipsos uiuidiores, naturarū differētias manifestat. Qui enim pueri calorem innatū plurimū habēt, promptiores sunt ad cibos assumēdos, & ipsos magis possunt cōcoquere, & si non assumpserint, plus offendunt. Talis est sermo Hippocraticus. Indiget & quadam parua additione ad perfectionē. In his quidem qui sunt in principio senilis ætatis, recte dictum est, Senes facilime ieiuniū ferūt. In his uero qui ad extremā peruenerunt, non recte, quia neq; hi possunt tolerare longas inedias. Vel igitur addere

oportet

oportet aphorismo breue aliquid, & hoc modo ipsum pronuntiare: Senes facillime ieiunium ferunt, præter eos qui ad extremam senectam peruenerunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent. Vel uerbum Ieiunium, in paucos cibos transponendum, atque ita dicendum: Senes ciborum tolerant paucitatem, secundo loco qui ætatem consistentem habent. Nam & qui ad extremam senectam attingunt, inuenientur, & si non possint longam inediam tolerare, paucis tamen cibis indigere. Tale enim quid patiuntur, quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuã exigunt olei suffectionem, multam autem & subitam simul, nequeunt sustinere: sic & his exhibere oportet uniuersam multitudinem paucam, & hanc ipsam cibi paucitatem in multas partiri portiones. Neque una illis longa inedia est iniungenda.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, differentiam ætatum multum conferre ad capiendam uictus rationem: nam senes facile ferunt, & pueri difficulter.

SECVNDO docet, facilitatem ferendi ieiunium in duobus cõsistere, primo in non appetendo, deinde in nihil inde mali substinendo. Difficultas uero κατὰ τὰ ἐναντία, id est, per contraria fit: pueri magis appetunt, & plus offenduntur: senes ecõtrario. Mediæ ætates quanto sunt propinquiores pueritiæ, tanto minus inediã ferunt: quanto sunt propinquiores senectuti, tanto magis illam ferunt. Et causa huius aphorismi in sequẽti condonatur, qui simul cum isto coniungi posset, & unus fieri aphorismus.

TERTIO docet, illos esse consistentes qui ætatem mediam habent inter iuuenes & senes: inter hos autem consistentes & adulescentes alia ætas est, scilicet iuuentus, cuius non meminit Hippocrates, quoniam ex extremis facile intelligi potest.

QVARTO docet, id quod dictum est, Præsertim qui inter ipsos sunt iuuidiores: naturarum differentiam manifestare, & non ætatum: nam pueri qui multum habent calidi innati, promptiores sunt ad cibos assumendos, & ad motus omnes, & illos possunt magis concoquere, & si non assumpserint, plus offenduntur.

Quod legitur: Nam cum inquit. legi debet, In eo quod inquit, aliter non esset perfecta contextus continuatio: & contextus Græcus ita dicit, ἐν μὲν τοι τῷ φάναι.

Denique ut omnes ambiguitates Galenus dimoueat, dicit aphorismum uerum esse in primis senibus, sed non in secundis, quia longas inedias ferre non possunt. Vt igit̃ aphorismũ in rectum sensum ducat, inquit, Intelligẽdum esse in primis senibus: sed ut etiam secundos senes accõmodet, aliam expositionem tribuit, quod per ieiunium ueram inediam non intelligamus, sed ciborum paucitatem: tunc senes tam primi, quàm extremi ciborum paucitatem ferunt: nam & si non possunt inediam ferre, non possunt etiã multos cibos assumere. Aliter ipsis idem cõtinget quod lucernis, quæ prope extinctionem sunt, oleo indigent, at si copiose & subito adhibeatur, extinguuntur. Idem contingit ultimis senibus.

Quod legitur, Indiget & quadam parua adiectione ad perfectionem. lege, Indiget tamen, uel Indiget quidem. nam Græce est, δεῖται μὲν τοι.

Quod etiam legitur, In his uero qui ad extremam peruenerũt. addi debet senectam. Græce enim est, εἰς ἔσχατον γῆρας.

Quod etiam legitur, Olei suffectionem: Græce est χορηγίας, idest contributionem, suppeditationem.

Quod etiam legitur, Et subitam simul. Galenus utitur uocabulo ἀθρόος, quod totum aliquod una uice appositum significat. In lucerna uero semiextincta, si totum simul una uice ponatur, extinguitur.

APHORISMVS XIIII

QVi crescunt, plurimum habent calidi innati. Plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus uero parum innati calidi inest: paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus præcipua est & uera præcedentis ratio: unde & Philotheus dicit, οὗτος ὁ ἀφορισμὸς τὰς αἰτίας παραδίδωσιν τοῦ πρὸ αὐτοῦ ἀφορισμοῦ. idest, Hic aphorismus, præcedentis aphorismi causas præbet. Et Oribasius dicit, Sciens Hippocrates obscurius se in pręcedente aphorismo locutum, uoluit hoc ipsum clarius exponere. Superius enim edocuerat senes & consistentes ieiunium facile ferre, minus tamen cõsistentes senibus, deinde adulescẽtes & pueros non facile ferre, sed pueros minus. Nunc uero duorum solum extremorum meminit, senum & crescentium: sub senibus uero consistentes intelligit: ab his tamen nescio quid dementes, quando senibus comparantur. Sub crescentibus etiam pueros intelligimus: tamen suam proportionem & his pueris cõcedentes. Simpliciter ergo ab Hippocrate dicitur, Omnes crescentes plurimum calidi innati habere, ideo plurimo egent alimento: quod si non exhibeatur, corpus eorum consumitur: senes uero & qui non crescunt, parum calidi innati habent, & ideo pauco egent alimento. Si uero his plurimum alimenti tribuatur, extinguuntur & suffocantur: & hic calidi innati defectus causa est, cur senibus non superueniant acutæ febres, quia ubi modicus calor, ibi multum humidi fit: consequenter acutæ febres fieri non possunt, nam corpus frigidum habent: calor uero is est, qui acutiem in febribus facit. Si autem cõtingat senem acutam febrem incidere, est ætati improportionata: ideo ut plurimum ferre nequeunt, sed in perniciem ducuntur. Hic est breuis huius aphorismi sensus.

Τὰ αὐξανόμενα τὸ θερμὸν ἔχει πλεῖστον τὸ ἔμφυτον, πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς. idest, Qui crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento.] Per eos qui crescunt, totum adulescẽtiæ tempus usq; ad consistentiam intelligit: tamen potissimum cremẽtum primis annis fit. Quid uero per calorem innatum intelligere oporteat, multi ambigunt: nos quid sentiat Hippocrates, & quid Galenus, exponemus. Hic notat Galenus, & in libro De temperaturis, hoc uocabulum Calidum, quandoq; sumi pro ipsa qualitate, quæ est caliditas, quandoq; denominatiue accipitur, ut corpus calidum denominat: unde calidum, non caliditatem, sed ipsum corpus calidum significat. Propterea Aristoteles in Prædicamento substantiæ dicebat, album solam qualitatem significare, quod est secundum primum significatum. In hoc igitur loco cum ab Hippocrate mentio fit caloris innati, intelligit corpus ipsum & subiectum caloris, non autẽ caliditatem: est uero substantia & subiectum innati caloris aerea & aquea, ut ex semine coniectari possumus: nam de terrena substãtia parum habet: plurimum uero aeris calidi & humidi participat. Adde etiam, Sanguinem menstruum, quod est nostrum principium, natura humidum existere. Cum ergo animal crescit, & à primo ortus principio recedit, paulatim eius corpus terrestre efficitur, & quamuis in processu corpus uehementer calidum sit & igneum: tamen substãtia innati caloris, quæ humida est, paucissima efficitur, unde calidi innati substantia bene tẽperata est, sed calidi aduentitij substantia est ignea, & aduentitius calor qui per totum corpus est, per totum effluxus facit fumeos, fuliginosos, aridos & acres, sed innatus calor suaues & bene tẽperatos habet defluxus: & ideo puerorum calor innatus, idest substantia sua est multo maior, quàm iuuenum substantia. Simile enim est in puero & iuuene, quale humidis rebus & siccis euenit: nam si humidas res acceperis, ut aquã, oleum, & siccas, ut æs, ferrum, lapis, & omnia eodem calore afficiuntur, ut si soli exponãtur, ex humidis plurimum exhauritur, ex siccis aut nihil aut parum: in iuuene, subiectum caloris siccum est, ideo parũ consumitur: in puero humidum, propterea multum consumitur: & quanto magis sunt ortui propinqui, tanto magis consumitur. Oribasius ex hoc consumi dicit, quia adhuc ex utero matris continent calorẽ. Philotheus quoq; ad naturalem calorem hoc refert, & ad eius uehementiam: imò addit, αὕτη γὰρ μὴ ὑποκειμένης τροφῆς αὐτὴν τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος ἐξαναλίσκει. idest, Ipsa enim scilicet caliditas, non supposito nutrimento, ipsam corporis substãtiam consumit. At Hippocrates non intelligit θερμασίαν, idest caliditatem, sed substantiam calidam, unde dicit, Pueri habent multum calidi innati, idest multum substantiæ calidæ innatæ: uocatur autem innatus calor, quia ab ortu uitæ complantatus, & ex semine atq; menstruo sanguine acceptus. Quum igitur pueri, calidi innati plurimum habeant (& bene

plurimum

plurimum, & non magis, quoniam substantiam calidam intelligit) ideo plurimo egent alimento: nam hæc tenuis substantia facile consumitur: propterea nisi cibaria subministrentur, eorum corpora absumuntur & resoluuntur. In nobis enim quatuor uirtutes sunt, teste etiam Oribasio, quæ siue dormientibus siue uigilantibus suo funguntur officio, ἑλκτικὴ, καθεκτικὴ, ἀλλοιωτικὴ, ἐκκριτική. idest, Attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix. Hæ quatuor facultates, ubi non habuerint quod conficiant, corpus ipsum absumitur. Vnde & peregrinus interpres adilos, quem habemus, ita dicit: τὸ δὲ θερμὸν ἀναλώματα μὴ εὑρὸν, τὰς σάρκας πάντως δαπανᾷ. idest, Calor autem quæ consumat non inueniens, carnes omnino consumit.

Scito autem Hippocratẽ potius dixisse Qui crescunt, quàm Pueri: quia per hoc uocabulum Qui crescunt, & pueros & etiã adulescentes intelligit. Si uero dubites de crescentibus, quod plurimum calorem non habeant, quia crementum fit in membris seminarijs, quæ frigida sunt. Respondemus, calorem esse substantiam ipsam calidam quæ in sanguine & spiritu consistit, & quæ pabulum præbet omnibus membris.

ην δὲ μὴ, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. idest, Si uero non, si exhibeatur nutrimentum, corpus consumitur, ut dictum est.

γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμὸν, διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται, ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. idest, Senibus uero parum calidi inest, paucis propterea fomitibus egent, à multis enim extinguuntur.] Senes igitur calidi innati, idest huius substantiæ aqueæ parum habent, imò eorum caloris subiectum ualde siccum est: propterea paucis fomitibus egent, idest pauco egent nutrimento, & parce dari debet: aliter, eorũ calor à multis cibarijs extingueretur. Sicut in lampadibus semiextinctis, si oleum ἀθρόως, idest, simul totum imponatur atque infundatur, extinguuntur: ut Galenus in commentatione refert, & Philotheus etiam.

Galenus in libro De renum affectibus, ubi docet quomodo calculum eximemus, de senibus loquens, inquit, In his paucum nutrimentum desideratur, ob uirtutis imbecillitatem. Id quod ab Hippocrate diuinè (ut omnia) traditum est, Quæ crescunt, plurimum innati calidi habent: pleniori itaq; alimento opus est, ne corpus eorum absumatur. Senibus calor paucus inest: paucis ergo fomentis indigent. Et rursus: Senes facillime ieiunium ferunt.

Nota etiam, hunc aphorismum ad omnia uiuentia ampliari posse.

Idem Galenus edocere statuens libro octauo De decretis Hippocratis & Platonis, naturalem calorem omnium naturaliũ operum authorem esse apud Hippocratem, & à Platone nuncupari ignem, & naturalem calorem esse temperatum, non igneum, nec febrili similem, inquit: Nam si ab igne ciborum concoctio, digestio, sanguificatio, & nutritio fieret, melius & citius etiam in febrientibus omnia hæc conspicerentur absolui. Sed insitus calor temperatus quum sit, quo ad substantiam, in sanguine & pituita subsistit: quo ad caliditatem, est congrue ex caliditate & frigiditate contemperatus. Verius igitur ab Hippocrate dicitur, Quæ augentur corpora, plurimum insitum calorem habent: unde plurimo etiam alimento indigent. Sin minus, absumuntur. Senibus uero parum inest caloris, atq; idcirco paucis indigent fomitibus, à multis enim extinguuntur. Eadem causa est, ut quum corpus frigidum habeant senes, non ita acutis febribus infestentur. Hic & in libro De natura hominis, in prima ætate hominem ait calidissimum esse, sicuti frigidissimum in extremo senectutis. Non absolute tamen calidissimũ, quemadmodum in ardentibus febribus, sed insito calore calidissimum esse substantia, nuper genitum infantem diximus. Propterea in aphorismis, Quæ augentur (inquit) corpora: & reliqua. Hæc Galenus, qui plura alia de hoc innato calore deinceps differit.

Idem Galenus libro tertio De causis pulsuum, ubi de pulsuum mutatione pro anni temporibus agit, hunc aphorismum citat, ostẽdere uolens alium esse calorem innatum puerorum, & illorum qui crescũt, alium acquisititium & iuuenum. Nam calor natiuus temperatus est: acquisititius autem intemperatus & quasi igneus.

Celsus præterea De his qui crescunt libro primo, capite tertio, inquit: Quo minus fert facile quisque, eo sæpius debet cibum assumere, maximeq; eo eget qui increscit.

Διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖς γέρουσιν, οὐχ ὁμοίως ὀξέες, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα. idest, Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorũ corpus.] De senum febribus incidenter pertractat, ut eorum frigiditatem ostenderet, inquiens, hanc esse causam, scilicet paucitatẽ caloris innati in senibus, ut febres acutas simili modo non subeant, sicuti iuuenes faciunt, nempe eorum corpus frigidum est: acutæ uero febres ex calidis humoribus fiunt, quales senes generare non possunt, qui parum calidi innati habeant. At si contingat senem acutam febrem incidere, ut plurimum ex ea in mortem adducitur. Ex his duabus extremis ætatibus, alias medias intelligere oportet: nam quanto magis ad ortus principium accedunt, tanto calidiores sunt, idest tanto magis calidi innati, idest substantiæ calidæ innatę, quæ aquea est & aerea, habent. Cum magis recedunt, tanto minus calidi innati habent. Quod uero per calorem innatum, calidam substantiã intelligere oporteat, expresse à Galeno edocemur libro quinto De simplicium medicamentorum facultatibus capite octauo, ubi docet, quod pus mouentia etiam emplastica esse conueniat: ubi dicit ea cataplasmata quæ aut detergentia aut ualidius excalfacientia sunt, halitus difflari permittere & exiccare, sed pus nõ mouere: ut sunt farinæ hordei, ciceris, fœnigræci, fabæ, erui, panici, lupinorum, milij: hæc reserant meatus, & simul naturalis calor euaporat: ideo naturalis commoderatio non seruatur, unde naturalis calor minuitur, & qualitas intẽditur: propterea opus est intus detinere spiritũ halituosum calidum, qui est in pueris copiosissimus, & in ipsis omnes actiones naturales auget. unde Galenus dicit: Sed sunt quos id fugit, & cum hoc quod ignorent, Hippocratem insuper accusare non uerentur, quod dixerit, Crescentia plurimum habere caloris innati. Sed nos dicta eius haud perperam capere oportet, ac cognoscere innatum dixisse calorem, quem in quoq; animantium, spiritum nominamus: de quo & Aristoteles scriptum reliquit. Verum nihil prohibet, sanguineam substãtiam, simulq; aeream unà cum spiritu calidum inaudire innatum. Ac Stoici quidem hũc ipsum spiritum animę esse substantiam autumant: nos sane de animæ substantia non admodũ pronuntiare quippiam audemus, & ad præsens superuacaneum arbitramur: quãquam nos iam ante, spiritum innatum etiam si non sit animæ essentia, saltem primum eius esse instrumentum, in commentarijs De Hippocratis Platonisq; placitis demonstrauimus: & certe dicimus eum spiritũ in omnibus animantis cõtineri partibus, sed non undequaq; esse sui similem: ueluti nec sanguinem esse necesse. Hactenus Galenus. In quo loco manifeste apparet, Hippocratem hic per calorem innatum, spiritum & sanguineã substantiam, simulq; aeream intelligere. Ideo cum ab Hippocrate dicitur, Pueri habent plurimum calidi innati: intelligere oportet, plurimum habere substantiæ sanguineæ, aereæ, & spiritus: qualia non licet in senibus inuenire: quia per ætatis processum hæ substantiæ aereæ, & spiritus paulatim consumuntur, & in senioribus in ultima resolutionis parte sunt, quia morti propinque accedunt.

Dubium hic à recentioribus fit, Nunquid pueri calor, iuuenum calore maior sit, uel minor, uel æqualis. Quod dubium non solum hoc tempore agitatur, sed & antiquitus per philosophorum ora inuulgabatur: unde Lycus quidam rabida gloriolæ fame correptus, Hippocratem (quem non intellexit) reprehendit: tamen & hic à Galeno & in libro huius propositi in Lycum inscripto, Hippocrates defenditur. Vt autem quid in hac re antiqui senserint, edoceamus, scire oportet, antiquissimos philosophos arbitratos esse puerilem ætatem, utpote eam in qua crementum fit, magis frigidam esse: iuuenilem uero magis calidam & siccam: quam sententiam & rationibus quibusdam & signis probabant. Rationibus inquam, quia in simplicibus calidum non est ita intensum cum humido sicuti cum sicco, uerum in puerili ætate, humido aqueo aereoq; abundamus: nam hac ætate seminali humido abundamus, quod in iuuentute non exuberat, sed exiccatum est. Ideo hac ætate calor est intensior, quàm in puerili ætate, in qua calor in aqueo fundatur: in iuuentute uero in sicco est, unde tota eorum ratio est, quia in iuuene caloris fundamentum siccum, in puero humidum est. Signis etiam probant, iuuenem puero magis calidum esse: sed hæc signa probant, pueros humidos esse: nam in pueritia superfluitas pituitosa abundat, & puerorum febres pituitosæ sunt, & quæ ab eisdem euomuntur, pituitosa esse constat, & quæ excernuntur, humida esse nemo dubitat. De-

niq;

hic uoraciores sunt alijs ætatibus: sed hic caninus appetitus ex superflua frigiditate ortum habet: nec etiam sanguis è puerorum naribus sponte & per se emanat, quod frigiditatis naturæ indicium est. In iuuene uero opposita sunt caliditatis indicia: ideo iuuenis, puero multo calidior est. Ex alia parte non defuerunt Peripatetici, qui puerilem ætatem iuuenili calidiorem esse existimarent, de qualitate calida loquentes: nempe, inquiũt, nulla ratio est cur illa ætas alijs ætatibus calidior non sit, quæ principijs uitæ proximior existit. Principia autem uitæ sunt calidum & humidum. Constat uero in principio uitæ, aut nihil aut parum calidi expirasse. In iuuenili autem ætate fieri non potest, quin multum expirauerit, unde ex hac ratione pueros iuuenibus calidiores esse iudicarunt. Addunt & nonnulla signa, quibus hoc idem probare conantur, quia puerorum appetentia melior est, quàm sit illa iuuenũ, & liberalius crescunt, quàm iuuenes faciant, eisdemq; iuuenibus mobiliores sunt, & optime ac cito concoquunt. nam si eorum appetentia ex frigido esset, naturalis non esset, nec proba cõcoctio sequeretur, & si nonnunquam pueri nauseam & abominationem incidant, non est ex defectu calidi innati, sed potius ex superfluo nutrimento. His omnibus indicijs Albertus magnus in libro De iuuẽtute & senectute, tractatu primo, capite quarto, aliud addit, Pueros calidiores esse, quia superiora puerorum membra (secũdum proportionem) inferioribus maiora sunt, hoc autem oculis percipitur. Addit etiam in libro De somno & uigilia, primam ætatem somniferam esse, ex multo calido in multum humidum agente. Ex his igitur omnibus inferunt, puerorum caliditatem multo maiorem esse iuuenum caliditate.

At Galenus has sententias in libro De temperaturis, nullius momenti esse iudicat. Nempe si de calore ipso qui est qualitas, loquamur: certum est, iuuenis caliditatem puerorum caliditate intensiorem esse. Quod Galenus expreßißime sentiret. At si de innato calido uerba faciamus, ipse per hunc calorem, aqueum & aereum calidum intelligit, ut superius dictum est. Constat uero hunc calorem in puero maiorem esse, quàm in iuuene, quia in iuuene paulatim humiditas natiua, quę ex semine ducitur, consumpta erat. Nec credere oportet, calorem iuuenum puerorum calori æqualem esse, ut recẽtes putant: sed puerorum calor, iuuenum calore intensior est: præsertim per calorem, substantiam calidam, aqueam & aeream intelligentes. Vnde comparantes calorem pueri pro qualitate ad subiectum suum, & calorem iuuenum pro qualitate ad subiectum iuuenum: calor pueri de suo subiecto magis resoluit, quàm iuuenis calor: quia pueri subiectum, humidum aereum est: iuuenis uero subiectum, siccum: ut Galenus in calore respectu corporum siccorum & humidorum exemplum ponit. Si uero calores penes solam qualitatem comparentur, certum est, Iuuenis calorem magis mordacẽ esse, quia in subiecto sicco calor est intensior, quàm in humido. Ex hisq; omnia illa facile solues, quæ à recentibus dicuntur in hac materia, & dubitantur. Hippocrates etiam (ne quicquam omittamus huic negotio cõmodum) prope finem libri De hominis natura, de crescentibus inquit, Non alienum est scire, hominem prima die supra quàm poßit esse calidißimum, nouißima autem frigidißimũ: necesse enim est calere corpus quod adolescit, & ad uires incrementumq; tendit: è diuerso illud supra modum frigere, quod cœperit aboleri, & tanquam maturum ac uictum atq; caducum, in ruinam præceps festinare. Atq; hac ratione homo prima die quanto maximum suscipit incrementũ, eo magis calescit: & reliqua quæ sequuntur ad hoc propositum maxime facientia.

GALENVS

DICTVM est à nobis plenius, etiam in cõmentarijs De temperaturis, quomodo nonnullis medicis uisum est, eos qui in iuuentæ uigore consistunt: nõnullis uero pueros esse calidiores. Habent enim hi quidem calorem acutiorem, hi uero abũdantiorem. Nunc uero etiam necessariũ est dicere, quãtum ad præsentem locum conducit, sermones quoad fieri potest in pauca conijciẽtes. Hoc igitur uerbũ ipsum Calidũ, aliquando transferimus ad qualitatẽ, cuius propriũ nomen est caliditas: aliquãdo uero denominatiue totũ corpus dicimus calidũ, à caliditate, cuius modi loquẽdi uel plurimus in omni uita usus est, qui etiã fuit apud antiquos, ueluti Theophrastus ostẽdit in eo libro qui De calido & frigido inscribit. Nam cũ substãtia corporea cõtrarias qualitates, caliditatem, frigiditatẽ, humiditatẽ, siccitatẽ, uicißim recipiat, secũdũ substantiã quidẽ recipientem

tem, cum corpus calidum nominamus, multum, uel paucum dicimus esse calidum, ad quantitatem substantiæ referentes. Et hoc dupliciter facimus, uno quidem modo in substantijs impermixtis, alio autẽ in mixtis. In impermixtis quidem, ueluti si duo haberent aquam æqualiter calidam in duobus inæqualibus labris cõtentam, alterum diceremus plus habere calidi qui maius labrum possideret, alterum uero minus. In mixtis uero, ueluti si essent æqualia labra, sed inæquali mensura ex uino & aqua temperata, alterum ipsorum plus uini cõtinere, alterum uero plus aquæ diceremus. Cui modo etiam ille esset persimilis, si duo labra inæqualia supponeremus, æqua proportione tẽperari. Nonnunquam uero non ad substantiæ multitudinem sermonem referentes, sed ad qualitatẽ solam, huic quidem alicui dicimus plus calidi inesse, huic uero minus: sicuti si ex duobus labris parem habentibus ad unguem magnitudinem, alterum quidem calidius, plus habere calidi diceremus, frigidius uero, minus. Non tamẽ proprie uerbo, plus, utentes in hoc loco, cum melius sit dicere, uel magis, uel minus, uel uehementius, atq; debilius, & similia uocabula, quæ nos solemus qualitatibus accommodare. Nam paucum, & multum in sola decet substantiæ quantitate seruare. Verum non in hoc tantum huiusmodi fiunt nominũ abusiones, sed in pluribus alijs, quæ per uitam sermone usurpamus, quod maxime fit in ipsa arte medicinali. Omnes si quidem morbos magnos, aut paruos nominant, quamuis substantiæ non sint, febrem magnã, febrem paruam, apoplexiam magnam, apoplexiam paruam. Sic & pleuritidem, phrenitidem, peripneumoniam, & omnes itidem alios morbos. Aduertere igitur oportet æquiuocationes, & cõsiderare quid sibi uelit semper unaquæq; dictio dicentis. Si enim in altero significato nomen protulerit, nos uero in alio accipientes, sermonẽ redarguimus, non illum qui protulit (si uerum fateri uelimus) sed nostram potius existimationem redarguimus. Quod nonnulli uidelicet agunt, hoc loco, qui Hippocrati student contradicere. Nam ad qualitatem nomen calidi transferentes, conantur ostendere, hanc esse uehementiorem, his qui in ætatis uigore consistunt. Verum Hippocrates non ad hanc scilicet qualitatẽ, sed ad substantiã, in præsenti sermone refert id nomen. Nam substãtia innati caloris aerea est, & aquea, sicuti ex semine licet cõiectari, quod paucũ omnino terrenã substãtiã participat, plurimum autem aeris calidi, humidiq; in se ipso continet, quemadmodum in cõmentarijs nostris de semine ostendimus. Et quidem alterũ nostræ generationis principium sanguis menstruus uidelicet, humidum natura est. Cum igitur magis terrestre efficitur animalis corpus, tale autem quotidie efficitur, dum augetur, tunc licet ualde uehemẽter calidum extstat, & igneum, substantiam tamen innati caloris paucissimam habet. Alioquin febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatum, qui ne dum plus, neq; priori habent æqualem. Bene enim temperata est caloris innati substantia. Ignea autem aduenticij. Et qui caloris aduenticij sunt per totum corpus effluxus fumei, fuliginosi, aridiq; & acres. Contrà suaues, & bene temperati caloris natiui. Et tu hæc potes tactu discernere. Nam sanorum calor uaporosus est, atq; suauis, & tactu conueniens, nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præ se ferens. Eorum uero qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, ac mordax, & nostrum corrodens tactum. Salubris uero eius qualitas in pueris exquisita habetur. Sicuti plures eorum qui in ætatis uigore consistunt inuenire contingit, calorem habentes mordacem, & non amplius humidum, ac uaporosum, neque aereum. Neque mirum uideri debet. Oportet enim similem esse defluxum subiectæ substantiæ, ut quando humida atque aerea substantia existit, tunc quod ab ea defluit, uaporosum est, atque suaue. Quum uerò terrestris atque arida, tunc & quod effluit, fuliginosum est, & acre, quod & in exterioribus euenit. Nam quæ ex aqua dulci, & calida euaporant, optima sunt, & uaporosa: quæ uero ex aliquo corpore solido exusto, fumea sunt, & acria. Quum igitur duæ substantiæ sint, & hæc quidem suauem habeat caliditatem, hæc uero tristem, alteram quidem plurimam habent pueri, alteram uero hi qui in ætatis uigore consistunt, ut ad totius uidelicet corporis proportionem. Vt autem sermo sit naturalior totum ad elementa transferens, in hunc modum transigam. Quum quatuor sint elementa, ex quibus omnia corpora sunt temperata, Puerile quidem corpus multum in se ipso continet aereæ, atque aquosæ substantiæ, minimum terrestris. Contrà uero eorum

tum qui in ætatis uigore consistunt, à terrestri siccitate obtinentur, deficit autem aquosa, atque aerea substantia. Adeo ut si quartum in utrisque elementum, ignem scilicet pari portione posuerimus, atque æqualiter calida corpora esse uoluerimus, non tamen similem substantiam calidam in ipsis esse dixerimus, cum puerorum quidem substantia humida sit. Eorum uero qui in ætatis uigore cõsistunt, sicca. Humida si quidem est maxime innati caloris affinis, quia ex humido nostra est generatio. Sicca uero aduẽticij caloris est propria. Sic quidem infantes recenter nati substantiã calidam aquosam plurimam participantes, plurimum dicerentur habere calorem innatum. Qui uero ætate uigent, & iam declinant, quantũ istæ deficiunt, terrestris uero superabundat, tantum habere minorem substantiam natiui caloris, & ipsi putarẽtur. Quod uero ex aquosa, & aerea substantia plus defluere sit necessarium, quàm terrestri, etiam si ambæ sint æqualiter calidæ, secundum qualitatem, neminem arbitror dubitare. Hoc tibi etiam in exterioribus liquido licet intueri. Nam ex corporibus quæ ad similem perueniũt caliditatem, non æqua portio uidetur defluere, sed ex siccis quidem minimũ, ex humidis uero plurimum. Statim igitur aqua, & oleo mediocriter calefactis, plurimum defluit, atq; dissoluitur. Ex ferro uero, & ære, atq; lapidibus, minimum. Adeo quòd si tibi libuerit exponere ad solem ardentem aquam, si ita contigerit, & ferrum æqua mensura, deinde transacto die ambo perpendere, aquam quidem inuenies multo seipsa minorem effectam, ferrum uero æquale. Sic & si uelis oleum, æri, & ferro, & lapidi comparare, illud quidem absumptũ inuenies, hæc uero æqualem substantiæ molem retinentia. Hinc uero ad cæram, & picem bitumenq;, & resinam transcendens, & quæcunq; alia plurimam substantiam humidã obtinent, uidebis & hæc sub sole calente multo magis absumi, atq; defluere, quàm lapidem, æs, & ferrum, & alia admodum sicca. Quare si necessariũ est alimentum, ut quod effluxit ex corpore suppleatur, ex humidioribus uero, & plus aeris participantibus, multo plus effluit, fit ut huiusmodi corpora pluri egeant alimento. Puerorum uero corpus tale existit, plus humidæ, & aereæ substãtiæ obtinens, non sicuti iuuenum, & declinantiũ, ac senum, siccæ, atq; terrestris. Hippocrates igitur cum hoc in libro proposuisset compendiosam, atq; aphoristicam doctrinã facere, non ita sermonem ampliauit, quemadmodum ego nunc, sed loco illorum uerborum: Quæ augentur corpora, & si æqualem habeant substantiã calidam, atq; igneam, cum his qui in ætatis uigore consistunt. Aquosæ tamẽ, atq; aereæ substantiæ plus habent, quæ augentur, dixit: Plurimum habent innatum calorẽ: simul memoriæ subijciens ipsorum substantiam, & simul etiam propositum demonstrans. Quia enim humidam, & calidam habent substantiam, quæ augentur, idcirco plurimum ab ipsis defluere fit necessarium: plurimo autem egent alimento, alioquin corpus, inquit, absumi. & recte inquit. Vbi enim id quod defluit plurimum est, quod uero influit paucum, hic necesse est subiectam corrumpi substãtiam. Senibus uero paucum inest calidum, siue quis ad qualitatem sermonẽ referat, siue ad substantiam. Nam & qualitas debilis, & substantia minima est, si quidem eorum meminimus quæ supra diximus. Ob hoc igitur inquit, quòd paucis fomentis indigent. Nam fomenta alimenta nominauit, suo & aliorum nobilissimorum philosophorum dogmati consentanee, qui eorum quæ animalia constituunt elementorum, ignem maxime uitæ esse causam existimarunt. Sicuti enim lucernarũ flammæ, quarum tamen oleum est alimentũ, si quis id totum simul superinfundat, extinguuntur potius q̃ nutriantur, Eodem modo & in senibus, calidum sui fomentũ quidem habet alimenta: si uero multis & totis simul opprimatur, ac quodãmodo stranguletur, periculum est ne extinguatur. Sicuti & si paruæ scintillæ ignis lignorum multitudinẽ superacerues. Quod autem subinfertur: Et propterea febres senibus non similiter acutæ sunt: signũ est & hoc ipsum, quòd corpora senum frigida sunt, & quòd ob innati caloris maxime conuersionẽ ad igneam naturam accẽditur febris. Verum tantam euenire senibus conuersionẽ, ut æqua sit ei quæ iunioribus accidit, uix fieri potest. Multum enim calidum prompte in immensum attollitur, paucum uero non facile, sed maximam exigit causam quæ cogat ad hoc. Ob hanc igitur causam neq; senes magna ex parte febricitant acutas febres, sicuti iuniores, & si quando rarenter talis his accidit febris, qualis iuuenibus, omnino hæc ad interitũ ægrotantis terminat. Indicio est enim immensam quandã esse causæ febrem facientis magnitudinem

tudinem. Hæc sufficere possunt his, qui secũdum naturam se habent, ad intellectionem & fidem eorum quæ scripsit Hippocrates. Ad eos uero qui per calumniam Hippocratem reprehẽderunt, è quorum numero unus fuit Lycus, nos unum integrum uolumen scripsimus aduersus ea quæ contra aphorismum perperam obijciuntur. Huic talem titulum fecimus: Ad Lycum, quòd nihil erratum sit in aphorismo cui principium, Quæ augentur, plurimum habent innatum calorem. Datus autem est mihi Lyci liber, post scriptos à me commentarios, unde ego postmodum his hæc uerba subiunxi, quæ non sunt in his quæ prius ædideram. Seorsum autem in alio uolumine defendi Hippocratem, in his in quibus fuerat à Lyco reprehensus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quod in libro De temperaturis, in secundo potissimũ, de his disseruit, ostendens nõnullos medicos putasse iuuenes calidiores, alios uero pueros; sed iuuenes calorem habent δριμύτερον, idest acutiorem. pueri uero πλέον, idest abundantiorem. Nunc etiam eadem repetenda sunt, quæ & si longissima sint, tamen quanto breuius fieri poterit, illa contrahemus. Scito etiam quòd hæc eadem in libro aduersus Lycum copiosissime referuntur.

Quod legitur, Habẽt enim hi quidem calorem acutiorem. lege, Illi quidem calorem acutiorem: nam refert iuuenes, qui longius dicti sunt.

Quod etiam legitur, Sermones quoad fieri potest, in pauca conijciẽtes. addenda est particula Longos: nam Græce tota sententia ita legitur, ἀναγκῆ δὲ καὶ νῦν εἰπεῖν ὅσον ἐς τὰ παρόντα χρήσιμον, ἐν ὀλίγαις λέξεσιν, ὡς οἷόν τε μακροὺς περιλαβόντας λόγους. idest, Nunc uero etiam necessarium est dicere, quantum ad præsentem locum cõducit, sermones longos quoad fieri potest, in pauca conijcientes.

SECVNDO Galenus docet, hoc nomen Calidum, quãdoq; significare qualitatem ipsam puram, quandoq; subiectum ipsum calidum. quod ostendit & ex cõmuni loquendi usu, & ex Theophrasto in libro qui De frigido & calido inscribitur.

TERTIO docet, cum subiectum uel substantia quatuor qualitates recipiat, si consideremus substantiã ipsam quæ recipit, dicentes, Corpus calidum: possumus & multum & paucum calidum dicere, ad substantiæ quantitatẽ referentes. Sed hæc relatio ad substantiam potest duobus modis fieri, in substantijs impermixtis & simplicibus, & in substantijs permixtis. Exemplum in substantijs impermixtis, si quis haberet aquam æqualiter calidam, sed in duobus labris contineretur, altero maiore, altero minore, loquentes de substantia calida diceremus, maius labrum habere plus calidi, minus labrum, minus calidi. Exemplum deinde ponit in substantijs permixtis: si essent duo æqualia labra, sed in uno essent duodecim libræ uini & octo aquæ, in alio duodecim libræ aquæ & octo uini: in primo diceremus plus uini esse, in secundo plus aquæ. Tertium exẽplum: si duo labra essent inæqualia, sed plena essent aqua & uino æqualiter mixtis, in maiori diceremus esse plus uini & plus aquæ, in minori minus.

Qđ legit̃, Vicissim recipiat. illa particula Vicissim, Græce est ἐν μέρει, idest In parte.

Quod etiam legitur, In duobus inæqualibus labris. hæc particula Labris, Græce est ἐν δεξαμεναῖς. δεξαμενὴ uero cisternam significat.

QVARTO docet, uocabulum Calidum, quãdoq; referri ad qualitatem, & non ad substantiam: itaq; dicimus, Huic quidem plus calidi, illi minus: ut si sint duo labra ęqualia magnitudine, & in uno sit intensior caliditas, in alio remissior: illud in quo est intensior, dicimus habere plus calidi: in quo uero remissior, minus calidi. Tamen notat Galenus, quòd non est proprius huius uocabuli Plus, uel Minus, usus: sed melius esset dicere, uel Magis, uel Minus: uel Vehementius, uel Debilius: aut alio simili uocabulo, quo utimur in qualitatibus: quia Paucum & Multum, proprie in substantiæ quãtitate dicuntur. Tamen hæc nominum abusio in multis alijs rebus est, potissimumq; in re medica: nam omnes morbos, magnos & paruos dicimus, & febrem magnã & paruam, & morbum lateralem & phrenesim, & alios similes multos: unde semper ęquiuocationes sunt considerandæ: nam si quis in altero significato nomen proferat, nos uero ipsum in alio accipimus: tunc hunc uirum redarguentes, sermonem redarguimus, non ipsum hominem: sed potius nos ipsos, qui male intellexerimus.

Quod legitur, Sicuti ex duobus labris parem habentibus ad unguem magnitudinem illa particula Parem Græce est ἀκριβῶς.i.diligenter.

Quod etiam legitur, Sed nostram potius existimationem redarguimus. Hæc particula Existimationem Græce est ὑπόληψις.quod significat opinionem, suspitionem.

QVINTO docet nonnullos esse, quibus curę est Hippocratē reprehēdere, nomen calidi ad qualitatem transferentes, & ostendentes hunc esse in iuuene uehementiorem: sed Hippocrates in hoc loco non ad qualitatem, sed ad substantiā refert sermonem, quia innati caloris substantia aerea est & aquea, ut ex semine apparet, in quo parum quid terrei est, multum aeris calidi & humidi continens, ut in libro de Semine ostendit. Adde alterum nostrę generationis principium, quod est sanguis menstruus, esse humidū. Cum ergo animal magis procedit in ætate & crescit, tunc & si uehementer calidum existat & igneum, tamen habet paucam innati caloris substantiā. aliter nos diceremus, febricitantes plurimum habere calidi innati, qui non solum plus, sed neq; priori habent æqualem. nam calidi innati substantia temperata est, calidi autem aduentitij ignea, Et effluxus caloris aduentitij, qui per totū corpus sunt, fumei, uaporosi, aridiq;, & aeres sunt. effluxus autem caloris innati suaues, & bene temperati sunt. Quod tu potes actu discernere. nam sanorum calor uaporosus est, atq; suauis, tactu cōueniens, nihil imprimēs triste, nihil asperum, nihil mordax: sed febricitantium calor, præsertim eorum, qui hectica, aut putrida affecti sunt, acris est, & insuauis ac mordax, & nostrum corrodens tactum. In pueris eius qualitas est salubris. In aliquibus iuuenibus calor est mordax, & non humidus, nec uaporosus, nec aereus, neq; istud est mirum. nam oportet defluxum similem esse substantiæ à qua defluit. nam si substantia sit aerea & humida, id quod ab ea defluit, uaporosum est, atq; suaue. At si lapidea sit atq; arida, quod effluit fumosum est, fuliginosū, atq; acre. Hoc idem in extrinsecis rebus uideri potest, nam ex aqua dulci & calida uapores qui eleuantur, optimi sunt, & uaporosi: qui uero ex aliquo corpore solido exusto fumei sunt, & acres. Ad rem igitur, Cum duę substantiæ sint, una suauem habens caliditatem, altera tristem, primam habent pueri, quæ & plurima est: alteram ætate uigentes, secundum tamē suorum corporum proportionem.

Quod legitur, Qui nedum plus, neq; priori habent æqualem, Græce est οἵ τινες οὐχ ὅπως πλέον, ἀλλ᾽ οὐδὲ τῷ πρόσθεν ἴσον ἔχουσιν, i. qui nedum plus, sed neq; priori habent æqualem.

Quod etiā legitur, fumei, fuliginosi, aridiq;, & acres, Græce est καπνώδεις καὶ λιγνυώδεις, καὶ ξηραὶ, καὶ δριμεῖαι.

Quod etiam legitur, & tactu conueniens, Græce est, καὶ οἰκεῖον τῇ ἁφῇ.

Quod etiam legitur, Salubris uero eius qualitas in pueris exquisita habetur, hæc particula, exquisita habetur, Græce est ἀκριβοῦται.

Quod etiam legitur, Cum uero terrestris atq; arida, in aliquibus contextibus eodem modo legitur ἡνίκα δὲ γεώδης καὶ ξηρὰ, in alijs legitur λιθώδης καὶ ξηρὰ. i. lapidea, atq; arida.

In eo quod statim sequitur, Tunc & quod effluit fuliginosum est, & acre, deest particula, fumosum. nā Græce legitur τηνικαῦτα καὶ τὸ ἀπορρέον, καπνῶδές γίγνεται καὶ λιγνυῶδες καὶ δριμύ. i. tunc & quod effluit, fumosum fit, & fuliginosum & acre.

SEXTO Galenus ut magis naturalem faciat sermonē, ipsum ad elementa transfert quæ cum quatuor sint, ex quibus omnia corpora fiunt, puerile corpus multum in se habet aereæ atq; aquosæ substantiæ, minimū terrestris, è contrario se habent qui in uigenti sunt ætate. Si quartum elementū. i. ignem in utrisq; pari portione posueris, atq; æqualiter calida corpora in ipsis dixeris, cum puerorū substantia sit humida, uigentium sicca, humida est natiui caloris affinis, quia nostra generatio ex humido est. Sicca uero aduentitij caloris est propria. hoc modo pueruli nuper nati, qui substātiam calidam & aquosam plurimum participant, plurimū calorem innatū habere dicerentur. Sed qui in uigore sunt, & iam declinant, quantum istæ deficiunt, terrestris uero superabundat, tanto ipsi minorem habere natiui caloris substantiā putarentur. At quod plus resoluatur de aquosa & tenui substantia, q̄ de terrea & sicca, etiam si in caliditate sint æquales, nulli dubium est. Immo hoc possum in exterioribus facile cōmonstrare. nam si aqua & oleum calescāt, & æs, ferrū, & lapides, ex aqua & oleo plurimū defluit, atq; dissoluitur, ex ferro, ære, & lapidibus

minimum. Si enim soli hæc exposueris, deinde uesperi pōderes, ex aqua & oleo plurimū cōminutum esse, ex ferro & ęre nihil. Immo si acceperis & illa quę sunt quidem humida, sed aqua crassiora, ut cera, bitumen, pix, & resina, hæc soli exposita multū cōsumuntur. Ad rem igitur, cum necessariū sit dare alimentum, ut id quod è corpore defluxit, restauretur, ex humidioribus autē & plus aeris participantibus, ut sunt pueri, multo plus effluit quam in uigentibus, & senibus, Ideo pueri quia plurimum habent calidi innati. i. substantiæ aereæ aquæ, plus cōsumunt, & pluri egent nutrimento, Quod breuissime ab Hippocrate dictum est, quia aphoristicam doctrinam tradit.

Quod legit, plurimū defluit atque dissoluitur, Gręce est πλεῖσον ἀπορρεῖ καὶ διαφορεῖται.

Quod etiam legitur ad solem ardentem, aquam, Græce est εἰς ἥλιον θερμότατον ὕδωρ .i. ad calidissimum solem; aquam.

SEPTIMO ad senes sermonē conuertit, qui ratione utriusque significati calidi. s. qualitatis, & substantię calidæ paucū habent calidū innatum. nam qualitatē debilem habent & substantiā minimā, & ideo paucis egēt fomitibus. nā ὑπεκκαύματα. i. fomenta, προφὰς .i. nutrimenta uocant Græci philosophi & maximi, putantes calorem esse uitæ causam. sicuti enim lucernarum flāmæ, quarū oleum est alimentū, si quis ἀθρόον. i. collectū totum infundat oleum, extinguuntur potius, quàm nutriantur, Eodem modo in senib. eorum calidū, pro fomento alimenta habet. At si multis & una uice simul alimentis nutriatur, opprimitur, & periculū est ne stranguletur, & extinguatur, sicuti si paruæ scintillæ ignis lignorum congeriem superacerues.

Quod legitur, Senib. uero paucū inest calidū, hic desunt multa uerba. nam tota sententia hæc est, γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν. τούτοις μὲν γε κατ᾽ ἄμφω τὰ σημαινόμενα τῆς προσηγορίας ὀλίγον ὑπάρχει τὸ θερμόν, εἴτε ἐπὶ τὴν ποιότητά τις αναφέρει τὸν λόγον, εἴτε ἐπὶ τὴν οὐσίαν. .i. Senibus uero paucum inest calidum, his enim iuxta utrūque nūcupationis significatum paucum adest calidum. Siue quis ad qualitatem sermonem referat, siue ad substantiam.

Quod etiam legitur, Ignem maxime uitæ esse causam. Illa particula, Ignem, Græce est τὸ θερμόν. i. calidum.

OCTAVO Galenus docet Hippocraten dixisse non fieri acutas febres in senib. ut ostenderet senes frigidos esse. Febris enim fit ex conuersione caloris innati in igneū, ex quo loco habetur nō esse duos calores in febre, naturalem & pręter naturam, sed esse naturalē auctum. Cum ergo senes sint frigidi, difficile uidetur, quod eorum naturalis calor adeo crescere possit, ut in igneum uertatur, sicuti iuuenibus cōtingit, unde acutas febres raro patiuntur senes. Et si quandoque illis corripiantur, in interitum ducuntur.

Quod legitur, & totis simul opprimatur, lege & totis simul coaceruatis opprimatur.

Quod etiam legitur, Signū est & hoc ipsum. Græce habetur τεκμήριον οὕτως ἐστὶν αὐτῷ .i. Signum est hoc ipsi.

Quod etiam legitur, sicuti iuniores. Græce est ὁμοίως τοῖς νέοις.

Quod etiam legitur, Indicio enim est immensam quandam esse causæ febrem facientis magnitudinem, Græce habetur ἐνδείκνυται γὰρ ἐξαίσιόν τι μέγεθος τῆς ἐργαζομένης αὐτὸν αἰτίας.

Denique Galenus dicit hæc quæ dicta sunt sufficere posse ijs qui recte dispositi sunt ad bene dicta Hippocratis capienda. Sed cōtra eos qui reprehendunt Hippocratē, quorū unus fuit Lycus, integrum librū fecimus. nam Lyci librum nactus sum postquàm Aphorismos interpretatus sum, unde uerba ista ultima subiunxi in hoc commentario, quæ in alijs non sunt, & in alio uolumine defendi Hippocraten in ijs, in quibus fuerat à Lyco reprehensus.

Quod legitur, post scriptos à me cōmentarios. Lege post scriptos à me hosce cōmentarios. nam Græce habetur ἤδη γεγραμμένων τῶν δὲ τῶν ὑπομνημάτων.

APHORISMVS XV

VEntres hyeme, & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Et enim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimentis. indicio sunt ætates, & athletæ.

Brasauolus

BRASAVOLVS

ÆTATES ad rectam uictus rationem instituendam præcedẽtes Aphorismi osten dere. Nunc anni tempora ad eandem uictus rationẽ conferre demonstratur. Nempe cibis copiosius indulgendũ est, cum innatus calor intensior fuerit. At hyeme & uere innatus calor intensior est, cum ob tẽpus, tũ quia somni eo tempore sunt lõgissimi. In somno enim fit natiui caloris cõtractio, ideo his tẽporibus corpora plenius alenda sunt, ex qua sententia uictus rationẽ in quocunq; casu suscipere potes hyeme & uere. præter iã dictas uictus cõditiones, ratione aliorũ temporũ corpora sunt plenius cibanda. Huius rei rationem reddens Hippocrates inquit: tunc enim. i. his tẽporibus calor innatus plurimus est, propterea pluribus egent alimentis. Quod uerò calor innatus causa sit, cur alimenta copiosiora præbere oporteat, ex ætatibus, & athletis probari potest. nẽpe ætates, ut pueritia pluri alimẽto indiget, quia plurimũ habet calidi innati. Athletæ quoq; ob nimium motum, eorum corpora calida reddunt, ideò pluri cibo indigent: unde & Hippocrates post principiũ tertij libri De ratione uictus docet, in frigore nõn esse multũ defatigandũ, & rationẽ reddit inquiẽs. Cum hoc tẽpus frigidum sit & cõpactum, tardumq;, simile quid & animalia patiuntur, corporaq; tardè labore necessario calescunt, humorisq; minimũ excernitur. deinde tempus quo laboret, paruũ datur, quo cesset multum: dies nanq; breuis est, nox lõga, propterea tempus laborq; modũ non excedit. Tũ reliqua perlegas, quibus docet secundũ temporum uarietatem uictus rationẽ uariare, & tempora per signa singulatim enumerat. Galenus quoq; in cõmentarijs De natura humana, sectione trigesima septima, eadem repetit ostendens hyeme uberius cibandum. Idem Galenus in libro De renũ affectibus eadem repetit. Oribasius hoc modo dubitat, Rogãdus est nobis Hippocrates, quum dixerit coctionẽ non nisi caloribus fieri, quomodo hic ponit hyeme, & uere multũ nos appetere, multumq; concoquere, cum tẽpus per se frigidũ euaserit, & quid somnus ad uentrẽ faciat. Bene autẽ Hippocrates hoc subiunxit, qui sciret non solũ ætates, sed & tẽpora conuenire, docetq; nos uictus rationẽ. Etenim hyeme & uere plus appetitur & coquitur, quàm æstate, uel autumno, quia calor naturalis in uentriculi cõcauitate, in qua maxime cõtinetur, sicut dictũ est, hyeme, & uere plurimũ abundat, eo quòd hyems frigida sit, & uer est ei uicinum: hanc ob rem necesse est, ut meatus illi inuisibiles, quos poros appellãt, concludantur, & omnino cõstipentur. Atq; hinc feruor noster naturalis non inuenit per quod exhalari & egredi possit. Continet ergo omne quod est intrinsecus, & celeriter obit ciborum concoctionem, ceu princeps & dominus qui cuncta disponat. Merito ergo plurimum cibi appetimus eo tempore, quod ut dictum est, feruor maximus, uel spiritus uitalis intrinsecus abũdet. Philotheus & ipse posteaquam huius Aphorismi introductionẽ posuerit (quæ hæc est νῦν δ' ἱπποκράτης μετάγει τὴν ἑαυτοῦ διδασκαλίαν ἐπὶ τῆς ὥρας, καὶ διδάσκει ποῖαι θερμοτέρας ποιοῦσι τὰς κοιλίας, καὶ ποῖαι ψυχροτέρας, καὶ πῶς δεῖ εἰς ταύτας ἀποβλέποντας διαιτᾶν. idest, Nunc Hippocrates sui ipsius doctrinam ad tempora deducit, & docet qualia nam calidiores faciant uentres, & qualia frigidiores, & quomodo ad hæc respicientes uictum ordinare oporteat,) interposita etiam huius uocabuli, uenter, significatione eadem dicit, quæ ex Oribasio præscripta sunt, inquiens, αὗται οὖν αἱ κοιλίαι ἐν τῷ χειμῶνι θερμότεραι εἰσὶν ἑαυτῶν φύσει, ὅτι διὰ τὴν ψῦξιν τοῦ περιέχοντος ἀέρος, πίλησις καὶ πύκνωσις γίνεται τῶν πόρων. τὸ οὖν ἔμφυτον θερμὸν ἔρχεται ἐπὶ τὸ διαφορηθῆναι, καὶ οὐχ εὑρίσκει διέξοδον. πυκνὸν γὰρ τὸ σῶμα, κἀντεῦθεν φέρεται ἐπὶ τὰ ἔσω, πάλιν χωρεῖ ἐπὶ τὰ ἔξω. καὶ τῇ πολυειδεῖ ταύτῃ κινήσει ἐκθερμαινόμενον πολυπλασιάζεται, καὶ θερμότερον ἑαυτοῦ γίνεται, ἐν δὲ τῷ θέρει οὐχ οὕτως θερμαὶ διὰ τὸ ἐναντίον. πάλιν ἐν τῷ ἔαρι θερμαὶ κατ' ἀρχάς, καὶ ἐν τῷ μέσῳ. ἐν μὲν ταῖς ἀρχαῖς, διὰ τὸ ἐπικρατεῖν τὸ ψύχος. ἐν δὲ ταῖς μέσαις διὰ τὴν εὐκρασίαν. idest, Ipsi igitur uentres in hyeme seipsis natura calidiores sunt, quoniam ob aeris ambientis frigiditatem, meatuum constrictio, & densitas fit. naturalis igitur calor ad difflationem accedit ut discutiatur, & exhabet, & exitum non inuenit, quoniã densum corpus est, & hinc intrò defertur, rursus progreditur ad exteriora, & multiplici specie motus calefactum,

multiplicatur, & seipso calidius fit. In æstate autem, ob contrarium ita calidi non sunt. Rursus in principio, & in medio ueris calidi sunt uentres, In principio quidem quoniam frigus pollet, in medio autem ob bonam temperiem. Eadem præcise à peregrino interprete referuntur.

Αἱ κοιλίαι, idest, uentres, per quos omnem intrinsecam cauitatem intelligit, in qua est coctio fiat, & spiritus atque sanguis immorentur, tamen præcipue uentriculus, quem στομάχον, idest, ciborum receptaculum Græci uocant, intelligendus est. in ipso enim prima fit coctio. Eodem modo exponit Philotheus uocabulum uentres, inquiẽs, κοιλίας λέγων τὴν σιτοδόχον καὶ πᾶσαν κοιλότητα ἐν βάθει κειμένην, οἷον ἐγκεφάλου, καρδίας, καὶ ἥπατος, καὶ τῶν λοιπῶν. idest, uentres uocans ciborum receptaculum, & omnem cauitatem in profundo positam, ut cerebri, cordis, & iecoris, & reliquorum.

χειμῶνος καὶ ἦρος. idest, Hyeme & uere, de his temporibus quando secundum astrorum ortus & occasus fiant, secundum Hippocratem in tertio libro ostendimus, & ipse Hippocrates in tertio libro De ratione uictus hæc perplane differit, simul edocens quæ cibaria exhibenda sunt, & quo modo.

θερμόταται φύσει. idest, natura calidissimi sunt, hoc est calido naturali. est autem naturale calidum, innatum calidum. Calidum uerò innatum (ut superius dictum est) sanguis est, aerea substantia, & spiritus, unde Galenus notat uentres non esse calidos simpliciter, sed natura, idest, naturali calore calidos: & ideo in octauo libro de Decretis Hippocratis & Platonis, ubi eundem Aphorismum adducit, probat de naturali calore Hippocratem intelligere. Idem facit in tertio De causis pulsuum libro, ubi addit, immo ne hi quidem scilicet uentres calidissimi sunt absolute, sed calore natiuo. Causa uerò cur naturalis calor augeatur, à Galeno ita refertur, quæ & ab Aristotele in Meteororum libro sumi potest. nam calor natiuus extrinsecum frigus persentiens, intus remeat, & uires colligit, ut extrinseco frigori obsistat: sed æstitio tempore naturalis calor ad extrinsecum calorem, sibi fere in calore affinem proficiscitur. Ob hanc igitur causam hyeme coctiones, sanguificationes, & nutritiones potiores fiunt, quam causam Aristoteles antiperistasim uocat. Eadem ratione uidemus puteorum aquas hyeme calidas esse, æstate frigidas, calore in hyeme ad centrum refugiente, æstate uerò ad suum affinem proficiscente.

Καὶ ὕπνοι μακρότατοι. idest, & somni longissimi. hoc, inquit Galenus, contingens est, etenim quia noctes lõgiores, & somni longiores sunt. In somno uerò naturalis caloris contractio fit, & ideo fortior efficitur, atque intensior: non solũ intensior, eo quòd calidũ corpus, idest, sanguis & spiritus contracta sint, sed etiã uehementior, ob collectionẽ undique huius innati caloris, idest, sanguinis, aereæ substantiæ & spirituum. De somni uerò longitudine, & alias diximus, Hippocratem longitudini noctium attribuere. nam si noctes longiores non essent, somni longi non essent, quia noctu pro maiori parte tantum dormimus, die aliqui solum dormiunt. Calor uerò innatus in somno & tempore noctis contrahitur, unde tempore hyemis est triplex contractio, & quælibet calidissimos uentres facit. Vna est contractio ob anni constitutionem, quæ frigida est. Secunda contractio ob noctes: noctu enim naturalis calor contrahitur, interdiu exit: etenim tenebræ frigidæ sunt, lux calida. Est & tertia contractio propter somnum, quia ubi sunt longiores noctes, somnos etiam longiores esse oportet. Philotheus uerò causam longitudinis somni talem assignat, inquiens, διότι ἐκ πολλῆς προφῆς τῆς διδομένης ἀτμοὶ χρηστοὶ γίνονται, διὰ τὸ κατὰ λόγον γενέσθαι τὰς πέψεις. οἵτινες ποῦ τὸν ἐγκέφαλον ἀνιόντες καθυγραίνουσιν αὐτόν, καὶ τὸν ὕπνον φέρουσιν. idest, Quoniam ex multo nutrimento exhibito, boni uapores fiunt (quippe coctiones per rationem fiunt) qui circa caput ascendentes, ipsum humectant, & somnum faciunt. Oribasius ex longitudine noctium multos somnos fieri arguit. Additq; somnum requiem esse totius corporis, in quo conquiescunt consuetæ operationes. At quia in somno natura cum uirtutibus obit cõcoctiones, unde nutrimẽtũ necessario accedit corpori, ratio est pro his omnibus cõcoctionẽ ciborũ magnã fieri: & si quid superfluũ uel alienũ in corpore nostro permanserit, in somno coquitur, uel desiccatur. Nam sicut dictũ est, natura cũ uirtutibus in somno &

quiete operatur ea quæ ad ipsam pertinent, sicut in uigilijs anima cum suis uirtutibus. ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον, καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πολὺ, τροφῆς οὖν πλείονος δέονται. i. Quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibẽda, etenim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimẽtis. Ex hoc Galenus uoluit ostendi quid sit uentres esse calidissimos natura, idest calore innato. Est uero conclusio quę infertur ex tempore, & somno, quia uentres hieme & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, ergo copiosiora alimenta exhibenda sunt: quod probatur, quia innatus calor est plurimus, ideo pluri cibo indigent.

σημεῖον δὲ αἱ ἡλικίαι καὶ οἱ ἀθληταί. i. Indicio sunt ætates, & athletæ) hoc indicio probat, quòd ubi calidum superabundat, plura opus sit exhibere alimenta. Est autem indicium ex ætatibus, & athletis sumptum. ex ætatibus, quia quæ plus calidi innati habent, pluri egent alimento: ex athletis, quoniam ex multo exercitio calorẽ naturalem augent, propterea multis cibis uti possunt, & eisdẽ utuntur. Philotheus etiam dicit quod hoc de ętatibus & athletis ὡς παραδείγματι κέχρηται, ἐπὶ τούτων γὰρ πολὺ τὸ ἔμφυτον θερμόν. i. Ac si exemplo utatur. In his enim multis calor innatus. Oribasius etiam dicit, pro hac re coactus est Hippocrates addere, & ætatum, & athletarum testimonia, ut sua in omnibus uera testaretur, & confirmaret.

Hippocrates in principio libri De uictus ratione priuatorũ inquit, hyeme plurimum esse, minime bibere cõducit, posteà quæ sint sumenda cõmonstrat, inquiẽs. Sed potioni uinũ ꝙ meracissimũ, cibo panis exhibendus est, obsonia erunt assa omnia, oleribus paucissimis hoc anni tẽpore uti expedit. Sic em̃ potissimũ corpus, & calidũ & siccũ euadet. Galenus uerò prope cõmentationis finẽ inquit, edere nãq; plurimũ & ad alias anni partes, per hyemẽ concedendũ. Haud ignarus probe in Aphorismis esse dictũ, Aestate & autũno cibos difficillimè ferunt, per hyemẽ facillimè, mox uere. Quod si iã condiscere cupias, quare hæc fiãt, docuit & hoc Hippocrates in Aphorismis ad eũ modũ, Vẽtres hyeme & uere natura calidissimi, quoniã aer nos ambiens frigidus cõstringendo cutẽ ingenuũ calorẽ repellit, & in alto corpore concludit, qui æstate prospiratu euaporat, respiratione uerò calidus aer attrahitur. Hippocrates deinde de uere agens, cibũ respectu hyemis diminuendũ esse docet, & Galenus in cõmentatione inquit. Ver ut in summorum medio temperaturam habet, ita quoq; mediam uictus rationem requirit.

Si uerò dicas in hoc Aphorismo ab Hippocrate nullam fieri differentiã hyemis, & ueris in cibi exhibitione, Respondemus id quidẽ uerum esse, sed tamen opus esse ipsum sano modo intelligere, nempe opus est per recessum ab hyemis frigiditate, qua innatus calor contractus est, etiã paulatim remitti innatum calorem, & uẽtres non esse adeo calidos. unde Galenus in fine cõmentationis huius Aphorismi, uer in tres partes distinguit, in primã partẽ hyemi proximã, in ultimã æstati, & in mediã. primã de natura hyemis esse dicit, tertiam de natura æstatis, mediam in medio constitutã. Tamẽ semper admonet, quod in prima hyemis frigiditas seruetur, si debeat ut in hyeme cibari. Si uerò cõtingat & secundam partẽ hyemis frigiditatẽ habere, tunc eadẽ ratione ut in hyeme cibare oportet. Immo & si tertia pars eandem rationẽ seruaret, eodẽ modo cibari oporteret. nam Galenus non ex tempore, sed ex qualitate hoc iudicat. Cum etiam hyems tres partes habeat, si in ultima, quæ est ueri propinqua, non sit frigiditas suæ naturæ correspondens, sed iam inceperit aer caliditate ueris incalescere, ut apud nos sæpe fit, copiosiora alimenta exhibere non oportet.

Ex his cognosci potest, atq; percipi, hunc Aphorismũ apud illos Indos obseruari nõ posse, qui perpetua æstate fruuntur, & qui sub æquatore uitã ducunt. Nam cum hyemẽ non habeant, nec etiam lõgas noctes, sed perpetuũ æquinoctium apud illos sit, dici non potest, quod hyeme uentres natura calidissimos habeant, & quòd plurimus cibus illis exhibendus sit. Adde nec ista probari ab illis qui sub polo inhabitant, nam perpetuam hyemẽ habent. Semper enim sub eodem cibandi genere seruantur, nec dicere oportet, quod hi habeãt aliquid hyemi proportionale, illi aliquid æstati. nã in aliquibus locis hæc perpetua sunt. Adde in temperatis regionibus, quales sunt multę à Lusitanis nauigationibus nuper inuentæ, hunc Aphorismum obseruari non posse, qui tamen in tota Europa, & in magna Asiæ, atq; Aphricæ parte comprobari potest.

GALENVS

NON parum etiam tempora anni conducunt ad uictus rationem inueniendã. Nam hiberno tẽpore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt, contra in æstate, cuius rei causam ipse Hippocrates reddidit inquiens, Ventres hieme, & uere calidissimos esse. Quid autẽ sit, quod natura dicitur, & quod non frustra id uerbum adiecerit in hoc aphorismo, ipse paulò post explanauit, inquiẽs, Et enim calor innatus multus. Plurimo igitur indiget alimento. Ventres itaq; hieme, & uere calidissimi sunt, non simpliciter, sed calido naturali, cuius substantiam antea ostendi. Causam uerò ob quam hic idem calor hieme augeatur, etiam Aristoteles dixit, refugit enim propter circunstantem extrinsecus frigiditatem, sicuti rursus æstate ad sibi affinẽ protẽditur. Atq; ita contingit dissolui quidem, ac dissipari eius substantiã tempore ęstiuo: contineri, ac cohiberi, & in profundũ secedere hiemali. Ob hoc igitur & coctiones, & sanguificationes, & nutritiones, hisce tẽporibus sunt meliores. Addidit aũt & aliud ipsis contingẽs, quod uidelicet somni lõgissimi fiunt ob noctiũ uidelicet longitudinẽ, ꝙ neq; ipsum parũ cõfert ad naturę opera. Quòd uero in fine adijcit. Indicio sunt ętates, & athletę, pro argumẽto ponit, ꝙ plurimũ alimentũ sit necessariũ, ubi calidũ superabũdat. Pueri siquidẽ, quia calidũ plurimũ habẽt, idcircò & pluribus indigẽt, & plura cõcoquũt, Athletę uerò quia exercitijs augent calorẽ natiuũ, ob id multis frui possunt alimẽtis. Quæ igitur per aphorismũ dicũtur, sufficienter exposuimus. Si quis uerò de ipsis ueritatẽ diligẽtius examinet, non ad omnia animalia sermonẽ extendat, sed ea excipiat, quæ in latibulis degũt. Hæc enim cũ se recondunt, non egent plurimo alimento, si quidem & sine cibo possunt perdurare. Et si supposuerimus ea tanto uti cibo, quanto anteꝗ̃ reconderetur, male ipsum concoquerent. Quòd enim hominibus cõtingit, ex aqua frigida lotis, id etiam animalibus accidit hieme. Contingit autẽ hominibus, qui aqua frigida perluuntur, si debile corpus habuerint, refrigerari, atq; offendi. Si uerò robustum, primum quidẽ innatum calorẽ ad interiora refugere, & se ipsum colligere, postea uerò ad exteriora remeantẽ, multo ꝗ̃ prius erat, fieri fortiorem. Sic & animaliũ quæcunq; sunt natura frigidiora, his calor innatus à frigore hiberno superatur, adeo ut ferè extinguatur, quare plurima ipsorum similia mortuis apparent, cum sine sensu ac motu, in latibulis iacent, quædã uerò omnino, & in hoc ipso affectu moriuntur. Quæ autẽ plurimo sanguine abundant, atq; calore, tale quid hieme patiuntur, quale accidit corporibus fortibus aqua frigida lotis. nam calor eorũ ad interiora se colligit (non per Iouem carnibus ad hæc, prima sede derelicta, refugientibus) sed spiritu unà cum sanguine. Tria autem erant corpora, quæ primæ nostræ naturæ substantiam compleuerunt, spiritus, sanguis, & aerea humiditas, ex qua in primo ortu, uelut in libris De semine diximus, fiunt partes animalis solidiores, mox uerò augmentum in istis perficitur. Quod igitur melius hieme cibum concoquimus, sanguine, ac spiritu ad profundum corporis retrò cedentibus, unicuiq; est manifestũ. Non modo igitur hoc ipsum dicit Hippocrates, sed ꝙ plura accipere cõfert. Hisce enim temporibus inquit, hoc est hieme, & uere, plures cibi dandi sunt. At qui si parum defluit, ac difflat hiberno tempore ad exteriora, plurimum alimentũ non est corporibus necessariũ, si quidem nutritio est eius quod euacuatur repletio. Oportet igitur alimenti quantitatẽ esse, eius quod difflat quantitati, proportionalem. Verum igitur esse, ꝙ quidam hieme non modo melius concoquunt cibum, sed etiã ꝙ pauca assumentes refrigerantur, atq; ideo offenduntur, si uerò plura assumpserint, in nullos plethoricos incidũt morbos, ipse euentus ostendit manifeste. Causæ uerò inquisitio in commune proponatur, neq; enim adeo Hippocratem, quantum omnes alios, huiusmodi inquisitio fatigat. Nemo itaq; est, qui non consentiat, difflari corpora animaliũ, ea quæ fit per sensui occulta foramina difflatione. Idcircò enĩ ad hoc deueniunt, ut egeant alimento, quoniam euacuantur. Quod si nihil à corporibus nostris efflueret, sed semper æqua moles substantiæ seruaretur, nulla foret alimenti necessitas. Tu uerò animaduerte, si hac in parte alijs quidem omnibus ratio est inexplicabilis, soli uerò Hippocrati, atq; eius sectatoribus est explicabilis. Neque enim aliud quicꝗ̃ animal ab initio afformauit, sicuti neq; rursus adauxit, aut usq; ad mortem enutriuit, præter ꝗ̃ iste calor innatus, de quo nunc habetur sermo. Hic enim est omnium operum naturalium causa. Quia uerò plurimus est hiberno tempore, idcircò cibi appetentiam intendit,

coctiones auget, & plus sanguinis cumulat, & crassius efficit corpus, & ut superfluitates excernantur prouidentiā habet. At calor circunfusus, non modo superfluitates, sed omnia euacuat æqualiter, materiam inutilem, & ea etiam quæ in corpore secundum naturam continentur unà dissoluens, per eam quæ à medicis occulta difflatio nominatur, quam calor innatus operatur. Neq; enim aliud quicquàm est natura animalium præter hoc calidum, secundum Hippocratis opinionem. Ostensum autem à nobis est in commentarijs De uiribus naturalibus, non solū appetens, atq; conficiens, agglutinãsq;, singulis partibus proprium natura alimentū, sed & huius dissoluens superfluitates, & quanto fortius extiterit calidum innatū, tanto magis difflatio effugit sensum. Et ob hanc causam Diocles inquit, sudores esse prẹter naturam, quoniam omnibus quæ ad corpus attinent, recte administratis, & alimento à natura subacto, nunquam sensibilis humor per cutē excerneretur. Quæcunq; enim in balneis, uel uehementibus exercitijs, uel propter æstiuum calorem, exsudant homines, ex causis uiolentis originem habent. Bene igitur omnia tempore hiberno in corpore animalis administrãtur, quando hyems mediocritatem seruauerit. Nam immoderatas intēperaturas & ipse Hippocrates in sequentibus damnat. Quod autem omnia bene hyberno tempore in corpore animalis administrentur, indicio sunt naturæ opera fortiora, nam cibi in uentriculo concoquuntur, quoniam calor innatus plurimus est, & in somnis longioribus superfluitates expurgantur. Quæ quidem exquisite extenuantur, per cutem: quę uerò in uapores conuertuntur, per expirationem: quæ uerò sufficientem habent crassitudinem, per urinas. In his enim plus est sedimēti, quàm per æstatē, præter id q etiam tota urinarum multitudo hyeme sufficienter augetur, & quidem nutriuntur, & secundū carnem augētur corpora hyeme magis, & plus optimi sanguinis cumulant, nisi malo omnino utantur uictu. Nam si consideraueris quòd corpora nostra paucum habentia sanguinem autumni tempore, atq; extenuata, suscipiēs hiems bonis implet humoribus, & crassiora efficit, hinc (ut puto) percipies, nos gubernantis robur facultatis, quæ est calor innatus. Verùm nisi hic abundãs habeat, quo fruatur, alimentū, primus ipse à circunstante frigore superabitur, tam ab eo quod extrinsecus ingruit, quàm ab illo quod per inspirationē attrahitur. Cū ipso uerò, & coctio ciborum debilitabitur, & optimi sanguinis generatio, & partium animalis enutritio, & superfluitatum expulsio. Si uerò tantum habuerit alimentū, quantum potest peruincere, hoc copiose perfruetur, & ipse magis augebitur, atq; omnia quæ antea diximus circa corpus animalis perficiet. Verum quòd ex plurimo alimento oblato, quod non solum bene in uentriculo conficiatur, sed etiam in uenis, & toto animalis corpore, unumquodq; animal carnosius reddatur, & plus sanguine abundet, habent homines satis ipsa experientia compertum, non in se ipsis tantum, sed etiam in iumentis. Nam ante ęstatis initium, circa ultimā ueris partem, & sibi, & illis sanguinem detrahunt, quoniam ad memoriam reuocant, quibus capiantur morbis, quando repente calor æstiuus superuenerit. hic enim amplius sanguinem extēdit, atq; diffundit & quodammodo efferuere facit, adeo ut quòd hactenus modicum fuerat, non possit amplius in uenis contineri, sed uel disrumpat ipsas, uel exedat: & quãdo impetum fecerit ad aliquam corporis partem, alijs debiliorem, uel in ipsa inflãmationem, uel erysipelas, uel aliquod aliud morbi genus operetur. Nam multo plures, ac grauiores morbi quibus plenitudo dedit occasionem, ex humorū fiunt fusione. Hæc igitur omnia alijs adstipulãtur, quæcūq; in præsenti aphorismo Hippocrates docuit, & hoc quoq; probãt, non solū posse per id tēpus multos coquere cibos, sed etiā multis indigere. Sēper eīn oportet alimenta esse innati caloris multitudini proportionalia, nisi forte aliquãdo ex aeris ambientis qualitate fusio aduenieñs (ut dixi) cogat subtrahere. Quare cū de uere Hippocrates sermonē fecerit indistinctum, ego distinguã. Primū q suum habeat initiū hyemi simile, magis quàm ęstati, & finē cōtrà. Deinde quòd nōnunquam talem habeat frigiditatē, qualem tempus hibernū. Aliquando talem qualem tempus æstiuum caliditatē. In primis igitur partibus eius, & si quando frigidum fuerit, hibernæ similem rationem uictus adhibebimus. In posterioribus autē, & si quando fuerit calidius, æstiuæ similem. Quod si mediam seruauerit temperaturam, illi uictum proportionalem instituemus. Hæc quidē omnia de uictus ratione quam sanis oportet adhibere dicuntur. Deinceps autem de illa quæ ægrotis cōuenit sermonem faciemus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet anni etiam tempora ad uictus rationem inueniendam conducere. Nam hyeme plus appetunt homines, & melius concoquunt. è contrario æstate, & est ratio, quia uentres hyeme sunt calidissimi. Intellige autem calidissimos esse naturali calore, & nō simpliciter, & causa cur sit intensior hyeme hic calor, ab Aristotele etiā dicitur in libris Meteororū, quia persentiēs frigiditatem extrinsecam contrahitur, æstate autem ad sibi affinem pertenditur, unde æstate dissoluitur eius substantia, hyeme uero continetur & uehementior efficitur. Vnde hyeme hæc opera naturæ quæ se consequuntur, coctio quæ fit in uentriculo, sanguificatio, quæ fit in iecore, & nutritio, quæ fit in toto corpore, meliora sunt.

Quod legitur, Cuius rei causam ipse Hippocrates reddidit, inquiens, uentres hyeme & uere calidissimos esse, græce habetur, αὐτὸς ὁ ἱπποκράτης εἰπὼν ἀφηγνάμενος τὰς κοιλίας χειμῶνος καὶ ἦρος θερμοτάτας εἶναι φύσει.

Quod etiam legitur, Atque ita contingit dissolui quidem ac dissipari eius substantiā tempore æstiuo. græce est, καὶ οὕτω συμβαίνει διαφορεῖσθαι μὲν αὐτοῦ καὶ σκεδαννύσθαι τὴν οὐσίαν ἐν τῷ θέρει .i. Atque ita contingit discuti quidem ac dispergi eius substantiā tēpore æstiuo.

Quod etiam legitur: Contineri ac cohiberi, græce est, συνέχεσθαι δὲ καὶ σφίγγεσθαι .i. Contineri ac constringi.

SECVNDO docet, addi ab Hippocrate longissimos esse hoc tempore somnos, ob noctiū .s. longitudinem, quod etiam plurimum confert ad naturæ opera .i. ad opera uirium naturalium.

TERTIO docet, Athletas, & ætates pro exemplo posita esse, ut ostendatur plurimum alimentum esse necessarium, quando calidum est plurimum. nam pueri, quia plurimum habent calidi innati, plurimo egent alimento. Athletæ, quia exercitiis natiuum calorē augent, ideo multis alimētis uescūtur. Hæcque pro Aphorismi expositione satis sint.

Quod legitur, & plura concoquunt, græce est καὶ περιγίνονται .i. & conficiunt.

QVARTO nota medicam facultatem de omnibus animalibus esse. nam hic illa excipit animalia, quæ in latibulis degunt, ut sunt Alpini mures, Marmotæ uulgo dictæ, Glires, quæ animalia per totam hyemem sine alimento uiuunt. Ipsis enim idem contingit, quod hominibus aqua frigida aspersis, si debiles sint, refrigerantur & offenduntur. Si uero fortes, in primis calor quidem contrahitur, sed postea uehementius influit: ita illis animantibus euenit, quia hyberno frigore aspersa superantur, & offenduntur, unde sine sensu & motu latent, & aliqua moriuntur. Sed hoc idem hominibus contingit. Imbecilles enim ab hyeme offenduntur. Mediocres calorem habent intensiorem, sed contractum. Robustissimi uero inueniuntur, qui calorem habent intus & foris ingentem, ut illis contingit robustis qui aqua frigida perluuntur, & non contrahitur calor. hoc cuique uidere licet in aliquibus robustissimis (& nos frequenter experti sumus) qui in profundissima hyeme nedum intrinsecas partes, sed & extrinsecas calidas habebant. Interim uero Galenus docet innatū calorē esse sanguinem & spiritus. Nam tria esse corpora ostēdit quæ primæ nostræ naturæ substantiam complent, Spiritus, Sanguis, & Aerea humiditas, ex qua fiunt partes solidiores, & in istis augmentū perficitur.

Quod legitur, Quæ in latibulis degunt, græce est τὰ φωλεύοντα .i. latitantia.

Quod etiam legitur, Multo quàm prius erat, fieri fortiorem. Lege multo pleniorem, quàm prius erat fieri. Nā græce legitur πολὺ πλείονα γίγνεσθαι ἢ ἐν ἀρχῇ αὐτοῖς ὑπάρχοντος.

Quod bis legitur in hac parte, ad interiora. græce est ἐν τῷ βάθει .i. in profundo.

Si Galeni locum de reuerberatione caloris innati in his qui aqua frigida abluūtur, scire percupias, ipsum lege in tertio libro de temperaturis capite penultimo.

QVINTO Galenus infert. Vnicuique notum esse, nos in hyeme melius cibum concoquere, Sanguine ac Spiritu ad profundum corporis retrocedentibus. Sed præter hoc addit Hippocrates, plura insumi posse alimenta, & plura danda, tamen cum nutritio sit eius quod euacuatur repletio, Si hyeme parum defluit, parum dandum, Si multū defluit, multum dandum. Opus enim est alimenti quantitatem quantitati eius quod defluat esse proportionabilem.

SEXTO docet, quosdam esse, qui non solum hyeme melius concoquunt, sed etiā

si quæ

si quæ pauca cibaria insumpserint, refrigerantur & offenduntur. At si plura acceperint alimenta, in nullos plenitudinis morbos incident. Quod ex euentu perdiscere poteris: nam Hippocrates non fatigatur hac inquisitione, ut alij faciunt.

SEPTIMO docet, Nullum esse qui non fateatur animalium corpora per insensibiles meatus difflari, unde quia euacuantur, alimento indigent: propterea si nihil ab humano corpore efflueret, nulla esset alimẽti necessitas. Tuq; cõsidera, si in hac parte alijs omnib. ratio est dubitabilis, soli uero Hippocrati non dubitabilis. nihil enim est, quod ab initio animal afformauerit, uel adauxerit, uel usq; ad mortẽ enutriuerit, præter quàm calor innatus, de quo nunc agit Hippocrates. Hic igitur est omnium operum naturalium causa, qui cum hyeme plurimus sit, cibi appetentiam incendit, coctiones auget, sanguinem cumulat, crassius efficit corpus, & excernendi superfluitates prouidentiã habet, sed calor præter naturam omnia tam bona, quàm mala æqualiter euacuat: unde apud Hippocratem nihil aliud est natura animaliũ, quàm hic calor. Immò & aliqui putarunt hunc calorẽ esse animam, sed nos ostendimus in libro De uiribus naturalibus naturam appetentem, conficientem, & singulis partibus proprium alimentum adglutinantem, & has superfluitates dissoluentem. & quanto uehementior est innatus calor, difflatio tanto magis sensum effugit. unde Diocles inquit, sudores esse præter naturã, ob hanc causam, quia omnibus quæ ad corpus attinent recte administratis, & alimento à natura subacto, nunquam sensibilis humor per cutem excerneretur. Nam sudores, qui in balneis fiunt, uel uehementibus exercitijs, uel ob æstiuum calorem fiunt, ex causis uiolentis originẽ habent. Igitur cum hyems mediocritatẽ seruabit, omnia recte in animalis corpore administrãtur, nam si hyems immoderatam habuerit intemperaturam, hæc euariabit, & ipsam Hippocrates damnat.

Quod legitur, Iccirco enim ad hoc deueniunt, ut egeant alimento, quando euacuantur, grece habetur. φανερὸν γὰρ ἐν τῷ εἰς χρείαν τροφῆς ἥκειν ὅτι κενοῦται, id est, manifestum enim est quod euacuantur, & in eo quod ad indigentiam cibi deueniunt.

Quod etiam legitur, Aequa moles, grece est ἀρχαῖος ὄγκος, id est, antiquus tumor.

Quod etiã legitur, Inexplicabilis, postea explicabilis, græce legitur ἄπορος & εὔπορος, id est dubitabilis, & indubitabilis.

Quod etiã legitur, Hic enim est, lege hic οὖν, id est, Igitur est. Melius enim est coniungi per notã illationis, quàm per particulã continuatiuã. & quod sequitur, hic igitur est omnium operum naturalium causa, adde, existens, ὑπάρχον.

Quod etiam legitur, Idcirco cibi appetentiam intendit, coctiones auget, græce est καὶ τὰς ὀρέξεις ἐπιτείνει, καὶ τὰς πέψεις αὔξάνει, id est, & cibi appetentiam intendit, & coctiones auget.

Quod etiam legitur, secundum Hippocratis opinionem, græce est, κατὰ τὸν ἱπποκράτειον uel ἱπποκράτους λόγον, id est, secundum Hippocraticum, scilicet morem, uel Hippocratis sermonem, aut etiam rationem.

Quod etiam legitur, Non solum appetens atq; conficiens, adglutinansq; singulis partibus proprium natura alimentum, græce est, οὐ μόνον ὀρεγομένη καὶ κατεργαζομένη, καὶ προσφύουσα τοῖς μορίοις ἡ φύσις ἑκάστῳ τὴν οἰκείαν τροφὴν.

Quod etiam legitur, Sed & huius dissoluens superfluitates, grece est ἀλλὰ καὶ διαφοροῦσα τὰ περιττώματα ταύτης, id est, sed & has discutiens superfluitates, tamẽ in prima nostri contextus lectione habetur ταύτης.

Quod etiam legitur, Et alimento à natura subacto, græce est, καὶ κρατουμένης τῆς τροφῆς ὑπὸ τῆς φύσεως, id est, & alimento à natura euicto & edomito.

Quod etiam legitur, Nam immoderatas intemperaturas, lege; nam immoderatas ipsius intemperaturas. Græce enim habetur τὰς γὰρ ἀμέτρους αὐτοῦ δυσκρασίας.

OCTAVO probat ex operibus naturæ fortioribus hyeme, quod omnia bene in animalis corpore administrentur. nam cibi in uentriculo probe concoquuntur, quia innatus calor plurimus est, & ex longioribus somnis superflua expurgãtur, & quæ sunt exquisite extenuata, per cutẽ exeunt. quæ uero in uapores cõuertuntur, per expirationẽ: quę autẽ sunt crassiora, per urinam. nam urina hyeme plus habet sedimenti, quàm æstate, & urina etiã hyeme amplior est. unde hyeme nutriuntur corpora, & augẽtur secundũ carnem,

& multitudo

& multitudo boni sanguinis cumulatur, nisi malo utantur cibo. Adde si consideres humana corpora in autumno extenuata, hyeme crescere, inde argumētum habere potes, facultatem nos regentē id est, calorem innatum robustū esse. Tamen & nisi hic calor alimentum habuerit quo fruatur, à frigore circūstante superabitur, & ab eo qui per inspirationem attrahitur, tuncq; concoctio fiet, & optimi sanguinis generatio, & partiū animalis nutritio, & superfluitatum uacuatio. At si habuerit alimentum, quantum potest concoquere, hoc perfruetur, & ipse augebitur, nec omnia opera in animalis corpore perficientur.

Quod legitur, Indicio sunt naturæ opera fortiora, hæc particula Indicio, græce est γνωρίσματα οὐ σμικρά id est cognitio non parua.

Quod legitur, & in somnis longioribus superfluitates expurgantur, græce est ὕπνοις τε ἅμα μακροτέροις ἐκκαθαίρεται τὰ περιττώματα τοῦ σώματος id est Simulq; somnis longioribus superfluitates expurgantur.

Quod statim sequitur, quæ quidem exquisite extenuantur, per cutem, lege quæ quidem exquisite extenuatæ sunt, per cutem. nam græce λελέπτυνται.

Quod etiam sequitur, quæ uero in uapores conuertuntur, græce est, ὅσα δὲ ἀτμώδη, quæcunq; autem euaporosa.

Quod etiā legitur, & plus optimi sanguinis cumulant, græce habetur, καὶ πλῆθος αἵματος ἀθροίζεται χρηστοῦ, id est, & multitudo boni sanguinis cumulatur.

Quod etiam legitur, & superfluitatum expulsio, græce habetur, καὶ τῶν περιττωμάτων κένωσις, id est, & superfluitatum euacuatio.

NONO docet, quod ex plurimo alimento hyeme oblato, non solum fiat coctio in uentriculo, imò & in omnibus uenis, & in toto corpore animal crassius reddatur, non solū in seipsis homines experti sunt, imò & in iumētis statim in fine ueris ante æstatē, & sibi, & iumentis iubent secari uenas, quoniā sciunt, in quę discrimina per æstiuū calorem incidant. De his etiam agit Galenus libro sexto, Aphorismo quadragesimo septimo. nam tempore æstiuo efferuescit sanguis, & in uenis dilatatur, easq; disrumpit, uel exedit, uel ad debiliorem partem delatus inflammationem, uel erysipelas, uel aliquod tale morbi genus operatur. nam multi morbi fiunt ex fusione humorū in plenitudine. hæc igitur omnia aliis adstipulantur, quæ in hoc Aphorismo dicuntur, non solum posse tunc multos concoquere cibos, sed etiā multis indigere. Semper enim opus est alimenta esse naturali calori proportionalia, nisi quandoq; ex aeris ambientis caliditate facta debilis subtrahere cogat.

Quod legitur, Vnumquodq; animal carnosius reddatur, lege multo carnosius, Græce enim dicit πολὺ μὲν εὐσαρκότερον.

Quod legitur, Vel aliquod aliud morbi genus operetur, lege, uel aliquod aliud tale morbi genus operetur. græce enim legitur ἤτι ἄλλο ἕτερον τοιοῦτο νόσημα ἐργάζεται.

Quod etiam legitur, plenitudo dedit occasionem, græce est τῶν πληθωρικῶν.

Illa particula, & hoc quoq; probant, in græco contextu abest.

Quod etiam legitur, ex aeris ambientis qualitate fusio adueniens, In græco contextu sunt duæ lectiones, una in antiquo nostro contextu, quæ talis est, & quam Leonicenus habuit, scilicet, πλὴν εἴποτε ὡς ἔφην, ἐκ τοῦ τοῦ περιέχοντος θερμότητος ἀσθενὴς ἐγγινομένη φύσις. Secunda lectio habet πλὴν εἴποτε ὡς ἔφην, ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος θερμότητος ἀσθενὴς ἐγγινομένη φύσις ἀφαιρεῖν ἀναγκάζει, id est, Nisi forte aliquando ex aeris ambientis caliditate natura facta debilis (ut dixi) subtrahere cogat.

Deniq; Galenus de uere distincte agit, cū de illo indistincte locutus sit Hippocrates. Ipsumq; in tres partes distinguit, in propinquam æstati, quæ æstatis naturam sapit, in hyemi propinquam, quę hyemis, & in mediam. Quando habebit æstatis naturam, cibus exhibendus ut in æstate. quando hyemis ut in hyeme. quando mediam, seruanda erit uictus ratio secundum naturam.

Quod legitur, Primum quod suum habeat initium, lege habet, tamen dicitur per uerbum ἔχει ab Hippocrate.

Quod etiam legitur, Deinde quod nonnunquam talem habeat, lege habet. tamen ab Hippocrate dicitur per uerbum γίνεται.

APHORISMVS XVI.

VIctus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè uero pueris, & alijs qui tali uictu uti consueuerunt.

BRASAVOLVS

POTEST hic aphorismus uario modo introduci. apud Galenum uerò ita dicere oportet, Cum superius uictus quantitatem edocuerit, nunc eiusdem uictus qualitatem exorditur. ut exquisitam uictus rationem habeamus. nam satis non est cibi quantitatem præbendam nouisse, nisi simul & qualitatem ipsam prænouerimus, de qua qualitate respectu etiam sanorum, & in libro De uictus ratione priuatorum, & in libro primo De uictus ratione pertractatur. Alij uero dicunt, cum superius de uictus ratione sanorũ egerit, nunc ad uictus rationem ægrorum uerba conuertit, unde & Philotheus hic dicit, ἐν τῷ πρὸ τούτου ἀφορισμῷ δίαιταν ὑγιαινόντων ὁ ἱπποκράτης παρέδωκε, ἐνταῦθα δὲ ἀκολούθως περὶ διαίτης νοσούντων ποιεῖται τὸν λόγον. id est, In præcedẽti aphorismo rationem uictus sanorum Hippocrates tradidit. hic uero consequenter de uictus ratione ægrorum sermonem facit.

Dicit autem Hippocrates, humidum uictum omnem febricitantibus conferre. cum enim febris calor sit præter naturam & siccitas, de frigore nulli dubium est quin febri cõueniat, quoniã tota febris essentia in calido consistit. Cum uero contraria cõtrarijs curentur, cuilibet febri ut febris est, frigida competunt. unde proloquium adeo certũ est, ut nullus in eo dubitet, frigida scilicet febricitantibus conferre. De humidis uero ita inuulgatũ est. propterea inquit Hippocrates uictum humidum febricitantibus conferre. Ratio aũt in promptu est, quia non modo febris essentia in calido seruatur, imò & in sicco. Et si contingat ratione materiæ, febrem esse humidam, sicca est ratione sui. quoniam ad febrilem caliditatẽ siccitas consequitur, siccitati uero humidum obstat. unde & Oribasius hic dubitat inquiens, quæstio nobis oboritur in initio Aphorismi, quare prius humida ad febrẽ præceperit? Nam quia febris calida est, & sicca, frigida potius dicere debebat, quod à contrario remediũ est. Sed præuidens Hippocrates, quod plus offendit, extenuatq; siccitas, quàm calor, uictum præcepit humidum, hoc est oua sorbilia, lactucas, ptisanam, & cetera similia. Philotheus idem dubium facit, inquiens ἀλλὰ τινὲς ἀποροῦσι λέγοντες, ὅτι πυρετὸς οὐ μόνον ξηρός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ θερμός, οὐκοῦν ἔδει τῷ ἱπποκράτει, τὸν πυρετὸν θεραπεύοντι, μὴ μόνον ὑγρῷ, ἀλλὰ καὶ ψυχρῷ χρήσασθαι. πρὸς τοῦτο λεκτέον, ὅτι ὁ ἱπποκράτης, ὡς βραχύλογος τῆς μιᾶς μνησθεὶς ἀντιθέσεως, περὶ τὸ ὑγρὸν καὶ ξηρὸν μαχομένης, καταλέλοιπεν προσυπακούεσθαι τὴν ἑτέραν ἀντίθεσιν τὴν περὶ τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν πολεμοῦσαν. id est, Sed quidam dubitant, dicentes quod febris non solum sicca est, sed etiã calida. Hippocrati igitur febrem curanti non solum humido uti decebat, sed etiã frigido. Ad hoc dicendum, quod Hippocrates tanq; breuiloquus, unius contrarietatis mentionẽ faciens secundũ humidũ & siccũ pugnantis, alterã contrarietatẽ secundũ caliditatẽ & frigiditatẽ pugnantẽ, subaudiendum dereliquit.

Αἱ ὑγραὶ δίαιται, πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, id est, uictus humidus, omnib. febricitãtib. cõfert.] An uero ita legendũ sit, uel potius αἱ ὑγραὶ πᾶσαι δίαιται, τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, id est, Omnis uictus humidus febricitantibus cõfert, dubium uidetur. antiquus noster cõtextus primã lectionem sequitur. Idem faciunt. Philotheus, & Oribasiu s, & antiqua translatio: & Leonicenum in suo contextu ita habuisse, certum est. Deinde seipsum correxit, & legit, uictus humidus omnis, quam lectionem Theodorus etiam habuit, & in Aldino codice, atq; in secunda lectione nostri antiqui contextus scripta est. itaq; legendum iudicarunt, uictus humidus omnis febricitantibus confert, non tamen omnibus febricitantibus, sed bene humidus omnis, ratione qua humidus febricitantibus confert. Et causam refert Philotheus, ἐπειδὴ πᾶσα θεραπεία διὰ ἐναντιώσεως γίνεται. ἐναντίον γὰρ τὸ ξηρὸν τῷ ὑγρῷ, id est, quoniam omnis cura per cõtrarietatem fit, contrariũ enim siccũ humido. Quid uero per humidum uictũ intelligere oporteat, apud philosophos dubitatum est. nõnulli humidũ uirtute intelligunt. alij humidũ actu, & liquidum. Cui sentẽtiæ Celsus adstipulari uidetur libro tertio ca. sexto, ubi de febricitantiũ cibo loquẽs inquit: his

autem

autem febricitãtibus humidus est aptissimus, aut humori certe quàm proximus, utiq; ex materia quàm leuissima, maximeq; sorbitio, eaq; si magnæ febres fuerunt, quàm tenuissima esset debet. Nos de humiditate intelligimus, sed potissimum de uirtuali.

Μάλιστα δὲ παιδίοισι, id est, Maximè uero pueris, scilicet humidi uictus conferunt.

Quod de pueris intelligere oportet tam febricitantibus, quàm non febricitantibus, unde à Philotheo dicitur ἐπειδὴ καὶ τρέφει αὐτὰ, καὶ τὸν πυρετὸν ἀπομάχεται. κανὼν γὰρ δὴ ὁ λέγων, ὅτι τὰ κατὰ φύσιν ὑπὸ τῶν ὁμοίων φυλάττεται. τὰ δὲ παρὰ φύσιν ὑπὸ τῶν ἐναντίων ὠφελοῦνται, id est. Quoniam & ipsos nutrit, & febrem expugnat. regula enim est dicẽs, quod quæ sunt secundum naturam, à similibus conseruantur: quæ uerò præter naturam, à contrarijs iuuantur. Oribasius uero dicit, puerorum ætatem ideo commemorasse, quia plus siccitate infestantur. Hippocrates in secundo libro De ratione uictus, de puerorum uictu agens, inquit, pueri uero & his accedentes, sanissimi uictus, qui calefaciendo humectent. Ratio autem cur humidi uictus pueris conferant, est, quia eorum natura est humida, nostræ autem naturæ simili conseruantur, & contrario alterantur. Idem Hippocrates in libro De uictus ratione priuatorum, cum de iuuenum & seniorum uictu agit, à Galeno in cõmentarijs hæc dicuntur. Puerorum humidam esse ætatem conuenit, quod in alio tẽperamento corpora increscere nequeant. Paulo post inquit, Nam si in confesso est, pueros plus humiditatis habere, quàm integre sanis cõferat, plus item caloris (haud enim simpliciter calidi sunt ut iuuenes, sed innata caliditate, quæ temperata est ex probo sanguine profecta) media inter pueros & iuuenes, quæ est puberum & adulescentium ætas, in optimo nimirum temperamento consistet. Quod cum ita se habeat, etiam uictum temperamento medium adhibere conuenit, qui neq; humidius, neq; siccius, uel calidius, uel frigidius ipsorum corpus efficiat. puerorum sane corpus, & si humidius, quàm salubris habitus exigit, non tamen exiccatum oportuit: hoc enim modo ne crescerent, prohiberemus. Vt argumentum simul, & eius solutio ex Galeno in hac parte colligi possit. argumentum quidem probans nõ esse exhibenda pueris cibaria humida, cum humiditate pluri abundent. Solutio uero est, dari debere, quoniã crescunt, ne crementum impediatur.

Καὶ τοῖσι ἄλλοισι τοῖσιν οὕτως εἰθισμένοισι διαιτᾶσθαι, id est, & alijs qui tali uictu uti consueuerunt, uictus humidus scilicet est exhibendus, cum febrem patiuntur, uel etiam cum sani sunt. cõsuetudo enim est altera natura. natura uero similibus seruatur, ideo uictus humidus exhibendus his qui uictu humido non raro, sed diu uti consueuerunt. Oribasius dicit, consuetudinem quoq; requisiuit, ut si quis dum sanus esset, tali usus est uictu, hic maximè ipsi in febribus conuenit. Philotheus etiam dicit uictum humidum conferre consuetis, διότι τὸ ἔθος τῶν ὁμοίων δεῖται, τὴν φύσιν μιμούμενον, id est. Quoniam consuetudo similibus indiget, imitans naturam.

Dubium fit à recentioribus, an humidi uictus omnibus febricitantibus conueniant, arguunt de pituitosa febre, & alijs à materia humida factis, Respondent, ratione febris conuenire: at ratione materiæ facientis febrem non conuenire. Sed Hippocrates non cõsueuit suas propositiones hoc modo intelligere, propterea dicamus, legendum esse febricitantibus, non autẽ omnibus febricitantibus. Aliud dubium est, an omnis uictus humidus conueniat. nam si conuenit, tunc lac dare febricitanti opportunum erit, & fructus dare conueniet, quæ omnia febricitantibus prohibentur. Adde multas herbas humidas uenenosas inueniri, quæ humidæ sunt, & uinum humidum est, & agnina atque suilla caro humidæ sunt, & multa alia sunt humida nocua, quę tamẽ omnia febricitãtibus præbenda essent, si omnis uictus humidus febricitantibus conueniret. Verũ in tertio De ratione uictus hæc enumerata à febricitãtibus remouentur, iubetq; lõgius abijciẽda esse.

Recentes inquiunt, omnem cibum humidum simpliciter, ratione qua humidus, conuenire, tamen conditiones alias habere posset, secundum quas non cõueniret, quoniam per illas reprobatur. At hoc à nullo probo uiro recipiendum est, quoniam hoc modo cibaria, quæ conueniunt, incerta essent.

Propterea nos dicamus, à Galeno superius uictus formam propositam esse, quæ talis est, Exacte peracutis morbis, nihil damus. Peracutis non exacte, melicratũ, uel aquã ordei damus, qui est tenuissimus uictus. Acutis simpliciter morbis uictũ tenuem exquisitum damus, idest, ptisanę parum, aut quid simile. Acutis uerò exquisite tenuem uictum

damus, id est, ptisanæ satis. Sensus Hippocratis est. Omnis uictus humidus, id est, Qualibet uictus forma quæ humida sit (humidæ autẽ sunt omnes dictæ) febricitantibus conferunt. nam in nullo uictus genere ponuntur fructus, in nullo suillæ, uel agninæ carnes, in nullo reliqua, quæ ad plenũ uictũ spectant, & ita de lacte, & de omnibus alijs discurrẽtes.

GALENVS

IN præcedentibus aphorismis de uictus quantitate doctrinam nobis tradidit, nunc uerò de qualitate transigit, multa sane quæ in arte conducunt breuissimo sermone docens. Primũ quidem qualis sit adhibendus uictus febricitãtibus. Deinde quòd uictuum sanorum indicationes, in his quidem quæ præter naturam sunt, contrarias, in his autem quæ sunt secundum naturam, similes, facere oporteat. Febri enim, quoniã calida, & sicca passio est (est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneam) uictum humidum consulit. Humidioribus uerò naturis, siue propter ætatem, siue propter cõsuetudinem, non cõtrariam, sed magis affinem seruandã statuit. oportet enim naturam eorum fouere per humida, non eodem quo morbos modo demoliri. Qui uerò aquam intercutem (cui febris adiungitur) in mediũ adducentes, sermonem Hippocratis student per cauillum reprehendere, quoniam hic morbus non humidũ exigit uictũ, sed magis siccum, ignorant hi artis curatiuę caput, in primis necessarium, quod nos uberius in illa tractatione transegimus. Quod una quæq; simplex ægritudo, simplici eget curatione. Si uerò inuicẽ copulentur; tantum habebunt cõmunem curationis indicationẽ, quantum copulabuntur, nobis scilicet ad id quod magis urget obuiantibus, non tamen alterius cura omnino posthabita, cum etiam aliquãdo omnibus pari studio auxiliemur. Quod aũt de aqua intercute, & simul febre, laborantibus meminere, non est absimile morbo laterali, in quo sanguis expuitur. Nã & in his cõtrarias exigunt morbi curationes, eductio sanguinis & passio lateralis: quæ ubi cupiã simul contigere, ad id quod magis urget obuiare oportet, non omnino posthabita etiã alterius curatiõe. Sic itaq; si quis simul febricitauerit, & ea laboret dispositione quæ aqua inter cutẽ nominatur, ad ambos affectus respicientes, qui contrariam exigunt curationem utriq; eorũ probe resistimus. Sicuti & alijs omnibus pari modo copulatis. Neq; igitur ipsi tale quicquam dixerimus, neq; alterum talia dicentẽ admiserimus. Verum si quid per uerba sua Hippocrates in aphorismo non dixit, quod tamen idem habeat iudicium cum his quæ ab ipso dicuntur, hoc quoq; fuisse dictũ potentia, debemus existimare. Nam & ætatis meminit, & consuetudinis. Tu uerò & naturalis temperaturæ, & temporis anni, & regionis, non absq; ratione memineris, quæ & ipse Hippocrates adijcit aliquando. Nõnunquam uerò unius, aut duorũ mentione facta, reliqua quæ sunt eiusdem naturæ atq; ordinis prætermittit. Fiunt autem & ab his indicationes, queadmodum suprà, & ab ætate, & à morbo fieri diximus, seruantibus nobis, quæcunq; probari merentur per similẽ uictum tẽperaturæ. Quæcunq; uerò improbanda sunt, per contraria corrigentibus. Diximus autem plenius de omnibus indicationibus in libris quibus ars curatiua docetur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus Aphorismũ continuat, cum in pręcedentibus aphorismis de uictus quantitate uerba fecisset, nunc de qualitate transigit, & multa docet, quæ in re medica conducunt. Primo inquam qualis nam uictus febricitãtibus exhibendus sit. Deinde unde sumendæ sint indicationes in sanatiuis uictibus. nam in his quæ præter naturã sunt indicationes à contrarijs sumere oportet. In his uerò quæ sunt secundum naturam, à similibus indicationes sumendę sunt.

Quod legitur, Deinde quod uictuum sanorum, hæc particula, sanorum, Græce est, ὑγιαινόντων, id est, sanatiuorum, uel bene ualentium. tamen in nostri contextus prima lectione scriptum est ὑγιανῶν.

Quod etiam legitur, In ijs quidem quę præter naturam sunt, contrarias: In ijs autem quę sunt secundum naturam, similes facere oportet: potius legendum est, ab ijs quàm in ijs. nam commodius est, & græcus contextus legit ἀπὸ μὲν τῶν παρὰ φύσιν ἐναντίας, ἀπὸ δὲ τῶν κατὰ φύσιν ὁμοίας, χρὴ ποιεῖσθαι, id est, Ab ijs quidẽ, quę præter naturam sunt contrarias,

ab ijs autem quæ sunt secundum naturam, similes facere oportet.

SECVNDO Galenus docet, febrem esse calidam & siccã passionem. nam est conuersio naturalis caloris in igneũ, ex quo constat in febre unum solũ esse calorem, & non duos. s. natiuũ calorem ad igneum & præter naturam auctum, propter siccitatem. Igitur consulit Hippocrates humidum uictum esse adhibendum, humidis uerò naturis, uel ob ætatem, ut pueri sunt, uel ob consuetudinem, ut in his qui assueti sunt uti cibis humidis, humida etiã sunt danda. nam seruanda est affinis humiditas, nam humida natura per humida fouetur, morbus uerò per contraria demolitur.

Sed hic duo intercidũt dubia: primũ, Si febris caliditas sit naturalis in igneã cõuersa, quomodo in sanitatẽ homo reddetur? Respõdemus, quoties ablata fuerit causa, seipsam in pristinũ statum deducet, ut aqua calefacta facit, quæ seipsam in pristinam frigiditatem deducit. Secundũ dubium est de pueris, & consuetis uti humidis, qui humidis seruentur, cũ in tertio libro aphorismo tertio oppositũ dicat. Inquit enim, de uictus ratione agens, Nam calidiores ad frigidiora, frigidiores ad calidiora, & sicciores quidẽ ad humidiora, humidiores uerò ad sicciora bene se habẽt. Et ut simpliciter dixerim, Contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male, præter quàm si ætas temperata, & uictui, & regioni, & loco temperato comparetur. hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur. Respondemus, Cum medicus semper ad symmetriam & mediocritatem corpora deducere studeat, propterea corpora, quæ ad unam extremitatem delabuntur, semper oppositis reficit, ut ad symmetriam deducat. propterea in tertio libro contrarijs seruat, ut ad symmetriam semper inclinet. hic uerò ut naturã seruet in illo esse, in quo à natura constituta est, similibus utitur, tamen in tertio libro de hac re ubertim egimus.

Quod legitur, est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneam, in Aldino contextu legitur, ἔστι γὰρ τροπὴ τῆς ἐμφύτου θερμασίας ἐπὶ τὸ πυρῶδες, idest, est enim conuersio natiuæ caliditatis in igneam. In nostro uero antiquo contextu legitur, ἔστι γὰρ τροπὴ τοῦ κατὰ φύσιν θερμοῦ ἐπὶ τὸ πυρῶδες, idest, est enim cõuersio calidi secundum naturam in igneum.

TERTIO Dubium quorundam antiquorum Hippocratem reprehendentium refert, & soluit, Dicebant enim non semper humidis curandam febrem, quia in Ascite, id est, aqua intercute aquosa, cum qua sit iuncta febris, sicco uictu uti debemus, & non humido. Imò & aliud dubium non absimile ponit Galenus de eo qui sanguinem expuit, & morbum lateralem patitur: sanguinis sputum adstringentibus indiget, morbus lateralis aperientibus. In hoc morbo contrarijs indigemus, sicuti in ascite febriente contrarijs indigemus. Verum hi non intelligunt artem curatiuam. nam in arte curatiua, si sit ægritudo simplex, simplicibus & simpliciter curatur. Si composita, id considerare debemus quod magis urget, altero non despecto. unde si febris intensissima esset in ascite, febrem præcipue curaremus, non despecta ascite. Si autem essent æqualia, cura quadam media uti oporteret, & ideo Philotheus hic dicit, ἰστέον δὲ ὅτι ὁ Ἱπποκράτης περὶ τῶν ἁπλῶν πυρετῶν διαγορεύει τὸν λόγον, ἐπὶ γὰρ τῶν πεπλεγμένων, οἷον ἐπὶ ὑδρωπικῶν, πρὸς τὸ κατεπεῖγον δεῖ ἀνίστασθαι, idest, Sciẽdum uerò, quod Hippocrates de simplicibus febribus sermonem facit, in complicatis enim, ut in hydropicis, ad id quod urget insurgere oportet.

Quod legit̃, Nobis. s. ad id q̃d magis urget, lege uel nobis, nã Græce adest ꝑticula ἤ.

Quod legitur. Cum etiam aliquando omni pari studio auxiliemur, Græce est ἢ ὁμοτίμως ἅπασι βοηθούντων, idest, uel omnibus pari studio auxiliantibus.

Quod etiam legitur, probe resistimus, illa particula, probe, Græce est εὐμηχάνως, id est, ingeniose.

Quod etiam legitur, Neque alterum talia dicentem admiserimus, Græce est οὐδ' ἑτέρου λέγοντος προσησόμεθα.

QVARTO excusat Hippocratem Galenus, qui si non dixerit omnia, quæ subintelligenda sunt, nihil refert, quia potentia dicta fuisse existimandum est. nam & ætatis meminit, & consuetudinis. Tu uerò mentionem facere debes & de naturali temperatura, & de anni tempore, & de regione, & de consuetudine, de quibus quandoꝗ mentionem fecit Hippocrates. Sed quandoꝗ unius, aut duorum mentionem faciens omnia subintelligenda esse uoluit, quæ uel eiusdem naturæ sunt, uel eiusdem ordinis. nam & ab his indicationes fiunt, sicuti & ab ætate, & à morbo fieri diximus, semperꝗ hoc obseruamus,

mus, ut illa quæ conseruare cupimus, per similia conseruemus: quæ uerò corrigere statuimus, per contraria id facimus. Sed de omnibus indicationibus plenius in libro de arte curatiua egimus.

Quod legitur, Quæcunque probari merentur, Græce est ὅσα μὲν ἀπεμπτὰ, idest, quæcunque admittenda sunt, uel melius legendum est ἀμεμπτὰ, idest, irreprehensibilia. Sic puto eum legisse, qui interpretatus est: quęcunque probari merentur. Quod deinde sequitur. Quæcunque uerò improbanda sunt, Græce est ὅσα δὲ πεμπτὰ. Quæcunque uerò mittenda, uel abijcienda, uel reprehendi possunt.

APHORISMVS XVII

ET quibus semel, aut bis, & quibus plurá ne, an pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini.

BRASAVOLVS

DE quantitate, & qualitate uictus præcedentes Aphorismi disseruere. nunc uerò eorum modum proponit. Vel hoc modo introducamus: superius uictus quantitatem in genere, & qualitatem edocuit: nũc discretam quantitatẽ edocere statuit. Tu uerò ad abundantiorem huius loci doctrinam Hippocratem lege in libro De ratione uictus, ubi docet quando semel, & quando bis, & quando pluries cibandi sint ægri. Oribasius uerò dicit Hippocratem hic addere indagandam esse à medico consuetudinem comestionis sanorum atque languentium, ut possit congruum offerre cibum. Verbi gratia, aliquis solitus est comedere mane, & uesperi, alius uerò quater die, alius septies, alius decies, ut agricolæ: idque intelligendum quadrifariam. aut enim edit multum & rarius, aut multum & sæpius: modicum & rarius, modicum & sæpius. Seruatis consuetis horis, imminuta tamen quantitate ciborum. Finge laborantem causone, aut synocho, qui non habet declinationem. huic si uolumus addere cibum, ægritudinem augemus: si non damus, uirtutem minuimus. Quid ergo faciendum est? Interrogemus quibus horis solitus sit refici, & eadem hora eum reficiamus tenui cibo. Nam natura cum operationibus suis requirit consuetudinem, & conseruatur ab ea. Hactenus Oribasius, Philotheus hunc aphorismum à præcedente non distinguit, propterea in expositione præcedentis Aphorismi ita consequitur, εἶτα ἐπιφέρει διδάσκων ἐπὶ ποίων ὀφείλομεν ἅπαξ τῆς ἡμέρας διδόναι τροφὴν, ἐπὶ ποίων δεύτερον, ἢ πλέον, ἢ ἔλαττον τοῦ δὶς, idest, postea infert docens in qualibus semel in die cibum dare debemus, in qualibus iterum, uel plus, uel minus quàm bis. Iubet ergo hoc loco Hippocrates, cum aliquos uictu curamus atque gubernamus, considerare oportet an bis cibandi sint, uel semel, in die, uel in nocte, uel in die & nocte simul: & etiam considerandum quibus particulatim plura exhibenda sint cibaria, uel pauciora semel in die, uel bis. hoc autem commode fiet si anni tempora contemplemur. nam si hyems fuerit, huic tempori aliquid condonandum est: Si uerò æstas, ab hoc tempore aliquid auferendum. Nec ætates prætermittere oportet, quia si pueri sint illi, quibus uictus rationem iniungimus, cum plurimum habeant innati caloris, ipsis multum cibi damus: si uero seniores, cum parum habeant innati caloris, aliquid auferimus. Et consuetudo ipsa consideratione digna est, quoniam si ille assuetus sit multum comedere, & id bis, ter ue fecerit in die, etiam huic magis cõdonamus, quàm alteri qui parum quid sumere assuetus sit. Hæc sunt quæ Hippocrates nunc docet, Considerandum esse an semel uel bis exhibendus sit cibus. Sed considerationis initium à tempore sit, ab ætate, & à consuetudine.

Καὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς καὶ πλείω ἢ ἐλάσσω καὶ κατὰ μέρος, idest, Et quibus semel aut bis, & plurâ ne, an pauciora particulatim oporteat afferre considerandũ. Sunt tamẽ aliqui cõtextus, in quibus omnes hæ particulæ copulatiue leguntur, ut est secunda lectio nostri antiqui, in qua scriptum est, καὶ οἷσιν ἅπαξ καὶ δὶς καὶ πλείω καὶ ἐλάσσω καὶ κατὰ μέρος, idest, Et quibus semel, & bis, & plura, & pauciora, & particulatim. Quod hoc loco bis dicitur, pro sępius intelligere oportet. Illę uerò particulę, plura, an pauciora, possunt cum illis particulis, immò & debent copulari, quę dicunt plurá ne, an pauciora, ut sensus sit, Consideran-

dum quibus semel pauciora, & quibus bis pauciora exhibenda sint, uel quibus semel plura, uel quibus bis, idest, sæpius plura exhibenda sint. Quomodo autem, & quibus ita dandum sit, Galenus in commentarijs docet inquiens, Nempe si laborans debiles uires habuerit, & dispositio, quam habet, sit ex humorum corruptione, uel defectu. Istis parum alimenti, & sæpius dandum: parum, quia uires debiles non possunt totum una uice substinere: sæpius uerò, quia dispositio multis indiget: nam est corruptio, quæ temperamentum exigit. At si quis uires habeat robustas, & nullus sit defectus, uel nulla corruptio in humoribus, sint autem aut modici humores, aut superabundauerint, raro & pauca exhibebimus, & tanto magis, si humores superabundauerint. At si quis corruptionem habeat, uel humorum defectum, & uires ualidas, multi cibi, & sæpius dandi sunt, quia dispositio multos exigit, & natura robusta bene concoquere potest. Si quis uerò robustas uires habeat cum plethoria, raro & pauca offeremus. Nec opus est dubites, quod robustæ uires concoquere possint, quia dispositio, quæ est plethorica, multis non indiget, ideo conuenit ut plura offeramus. Philotheus autem in hac consideratione uult considerandum esse corpus, inquiens, καὶ ἔστι τοῦτο τρόπος τῆς χρήσεως, καὶ κατορθοῦται πρὸς δύο τινὰ ἀφορώντων ἡμῶν, πρὸς τὴν δύναμιν, καὶ πρὸς τὸ σῶμα. πρὸς μὲν τὴν δύναμιν, εἰ ἔρρωται, τρέφειν πολλὰ καὶ πολλάκις. πρὸς δὲ τὸ σῶμα οὐ δεῖται. εἰ δὲ τοὐναντίον ἔχῃ ἡ δύναμις, καὶ τὸ σῶμα, ὀλίγα καὶ ὀλιγάκις. πάλιν, εἰ μὲν ἡ δύναμις ἔρρωται, τὸ δὲ σῶμα οὐ δεῖται πολλῶν, ὀλιγάκις, idest, Et hoc est modus usus, & egregie dirigitur, nobis ad duo quędã respicientibus, ad uires & ad corpus. Ad uires quidem, si robustæ sint: multum nutrire & sæpe. Ad corpus minime. Si autem uires & corpus contrario modo se habuerint, parum & raro: rursus si uires robustæ sint, corpus autem multis non indiget, raro. Hic uerò per corpus, id intellige quod à Galeno dicitur abundantia humorum & defectus. Sed hic tu forte dubitabis, quando aliquis uires robustas habet, & humorum corruptionem, non uideri multos cibos, & sæpe esse exhibendos, quoniam accessiones occasiones non præstant exhibendi cibos.

Galenus huic dubio respõdet, inquiens, Si ab accessionibus offendamur, ut nõ præstentur occasiones exhibendi multos cibos multoties, plures cibos raro exhibebimus.

Aliud dubium est, humorum corruptionem multos cibos exigere non uideri, quia à pluribus augentur. nam non pura corpora quanto magis nutries, tãto magis lædes. Respondemus, Cum humores corrupti sunt, corpus illis nutrire non possumus, & contemperari debent, propterea multos cibos exhibere conuenit.

Notaq; id uerbum, particulatim, quod determinare debet illas particulas, plura uel pauciora. Philotheus uerò dicit, ἐναντίαν γὰρ ταύτης τὴν συμπλοκὴν ἐδήλωσε, διὰ τοῦ εἰπεῖν κατὰ μέρος, idest, Cõtrariam enim huius complicationem ostendit in eo quod dicit particulatim. Intelligit uerò contrariam illi, in qua corpus multis non indiget, & uires sunt robustæ, adeo ut uires sint imbecilles, & corpus multis indigeat, tunc paulatim exhibere oportebit. ἐνδοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει, idest, Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini. Galenus notat, Hippocratem usum esse eo uerbo condonandum, quia tota indicatio ab his non sumitur, sed potissimum ab ægritudine, & à uiribus sumitur: tamen & his etiam aliquid condonandum est, scilicet à tempore anni, quia diuersis temporibus semel, & sæpius, plura, & pauciora exhibenda sunt. præterea aliquid etiam consuetudini condonandum est, quæ est altera natura, & aliquid ætati. Philotheus uerò dicit, τὸ μέν τοι ἐνδοτέον καὶ τῇ ὥρῃ καὶ τῇ χώρῃ, προσδιορισμοῦ χάριν εἴρηται, ὅτι οὐ μόνον δεῖ πρὸς τὸ σῶμα, καὶ τὴν δύναμιν ἀποβλέπειν, ἀλλὰ δεῖ παρέχειν ἔτι καὶ τὴν ὥραν. ἐὰν γὰρ ᾖ θέρος, κἂν δέηται τὸ σῶμα, ἀλλ' ὅμως οὐ παρέχομεν τροφὴν πλείονα, ἀλλ' ὀλίγην. πολλάκις δέ, διὰ τὸ μὴ ἐρρῶσθαι τὴν δύναμιν. εἰ δὲ χειμὼν εἴη, κἂν μὴ δέηται τὸ σῶμα, παρέχομεν πλείονα τροφήν, διὰ τὴν περιουσίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, ὀλιγάκις δέ, ὅπερ δεῖ ἐπὶ τῶν ὡρῶν, τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν ἡλικιῶν, καὶ ἐπὶ τῶν κράσεων, καὶ τῶν λοιπῶν εἴρηται, idest, Hæc quidẽ particula Dandũ & tẽpori, & regioni, distinctionis gratia dicta est, quoniã non solũ oportet ad corpus, & ad uires respicere, sed oportet etiã & secundum tẽpus præbere. Si eñ sit æstas, licet corpus indiguerit, non tamẽ nutrimentum præbemus multũ, sed paucum, Sæpe aũt, quia uires non sunt ualidæ. Si uerò hyẽs fuerit, & si corpus non indiguerit, multum tamen nutrimentum exhibemus, ob abun-

dantiam

dantiam caloris innati, raro autem. Quod in temporibus opus est, illud idem in ætatibus, & in temperaturis, & in reliquis dicatur. Oribasius res quinque ad offerendū cibum exigi dicit, consuetudinem, uirtutem, concoctionem, copiam ciborum, & assumptionis modum. Verbi gratia, poma qui habet ad prandium, post omnes alios comedat cibos: Qui autem fit ut in cœna prius assumantur: nimirum ut acredinem superius contractam temperent. Sic denique inquires, quo tempore sit ægritudo, æstate an hyeme. Regionem, calidá ne sit, an frigida. Aetatem, iuuenis an senex. Consuetudinem, ut diximus, quibus horis solitus sit refici. nam consuetudo altera est natura, & consuetudo naturam, & natura consuetudinem conseruat. Tamen illa, quæ de pomis post prandium sumendis ab Oribasio dicuntur, nobis uidētur Galeno, & ueritati oppugnare. Sed cum hic non sit locus discutiendi hanc materiam de loco fructuum in prandio uel cœna, hanc quæstionem in suum locum reseruabimus: interim ad Galeni commentationem lora flectemus.

GALENVS

QVoniam de quantitate, & qualitate eorum quæ offeruntur sermonem habuit, mox docere proponit modum eorundem. Neque enim sufficit hoc solum cognoscere, quod huic plus, uel minus sit offerendum, uel quod uictu exiccante, uel humectante utendum sit, sed nunquid semel, aut sæpius qualibet nocte, uel die cibum offerre oporteat, necessarium est considerare, & ad hæc ipsa, à tempore, ab ætate, à consuetudine, sumere indicationem, sicuti in qualitate, & quantitate sumebatur. Nam & ad hæc primæ erant intentiones, & morbi ipsi, & uires ægrotantis, & præterea ætas, & tempus, & consuetudo, & quæcunque his sunt proportionalia: & propterea ipse Hippocrates illud adiūxit, Condonandum autem aliquid: liquido ostendens per uerbum cōdonandum, quod neque totum, neque maximum à talibus accipit. Nam si sæpius, aut raro, siue omnino nutrire oporteat, ab ægritudine, & uiribus primum maxime accipitur, post hoc autem, & ab anni tempore, & ab ætate, & talibus. Si enim uires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore est dispositio sit ex corruptione humorum, uel defectu, parum alimenti, & sæpius talibus afferemus. Parum quidem, quia uirium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sustinere. Sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus si quidem exigit adiectionem, corruptio uerò contemperamentum. Si uerò cum uirium debilitate, neque defectus aliquis affuerit, neque corruptio, humores autem naturales se modice habuerint, uel etiam superabundauerint, his raro & pauca afferemus, & multo magis istud agemus, si cum naturę robore humores superabundauerint. Si uerò cum humorum defectu, uel corruptione, uires ualidæ fuerint, tunc multos cibos, atque multoties his qui ita laborauerint dabimus, utpote multos exigente dispositione, & natura robusta potente illos concoquere. Si uerò accessiones non permiserint, neque multi alimenti offerēdi occasiones præstiterint, raro plura exhibebimus. At si uires ualidæ fuerint cum plethorica dispositione, raro pauca afferemus. Nam & si id quod cibum debet concoquere, robustum habeamus, quia tamen dispositio multis non indiget, rationabile est ut pauca afferamus. sic quidem oportet, & à morbo, & à uiribus ægrotantis ad ea quæ proposuimus sumere indicationes. A tempore autem, & ætate, & alijs, quæ his sunt proportionalia, hoc modo. Aestiuo quidem tempore, quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt, quoniam & pluri egent adiectione, ut qui sunt dissoluti, & uires habeant imbecilles. Hiberno uerò tempore multa quidem propter robur uirium, sed raro, quia non ualde multa indigent adiectione laborantes, ut quibus non multa fiat euacuatio. Nam sanos quidem antea ostēdimus sufficienter hyeme euacuari, quoniam plus habeant innati caloris. Vere autem adhuc medio existente, atque adhuc magis æstati proximo, paucis, & ex longo interuallo nutriemus. Nam tempus id periclitatur, ne proxime accedat ad plethoricam dispositionem, propter humorum, qui hiberno temporis frigore concreuere, fusionem. quemadmodum ergo in plethoricis dispositionibus, si uires ualidæ fuerint, paucum cibum, & ex longo temporis interuallo damus, Sic & uere faciendum, præsertim in febricitantibus, de quibus nunc sermo habetur ab Hippocrate. Sanorum enim uictum antea docuit. Autumnus uero morbis qui ex corruptione fiunt assimilatur. Quapropter qui eo febricitant tempore, continua optimi indigent adiectione. Et si uires ualidæ fuerint, sæpe & multa. Si uerò imbecilles, pauca & sepius afferimus.

Simili modo quispiam, & ab ætatibus, & à consuetudine, & à regionibus sumeret indicationes ad duas primas redigens intẽtiones. Singula enim quæ diximus, aut fortes, aut debiles uires efficiunt, & corpus reddunt, aut superabundans bonis humoribus, aut sufficientibus carens, aut uitio humorum deprauatum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum præcedentibus ita continuat, cum superius de quantitate, & qualitate eorum quę offeruntur, sermonem habuerit: nunc modum eorundem docere proponit. Nam satis non est cognoscere, quod huic plus, uel minus sit offerendum, & quod siccis, uel humidis uti debeat. Sed etiam id scire oportet, an semel, an sæpe qualibet nocte uel die cibum offerre conueniat: sumendaq; est indicatio à tempore, ab ætate, à consuetudine, sicuti etiam in qualitate & quantitate sumebatur. In his enim primæ intentiones erant à uiribus ægrotantis, & ab ipsis morbis, deinde indicationes etiam sumebãtur ab ætate, à tempore, à consuetudine, & à similibus. unde & Hippocrates hoc addidit, aliquid autem cõdonandum est: per quod uerbum ostendit, quod ab his neque totum, neque maximum accipit. Nam si raro aut sæpius nutrire oporteat, prima intentio sumitur ab ægritudine, & à uiribus: deinde accipitur ab anni tempore, ab ætate, & reliquis.

Quod legitur, cibum offerre oporteat, Græce est ἀνλογὸν δεῖ προσφέρειν τὰς τροφάς.

Quod etiam legitur, Sumere indicationem, in antiqui nostri contextus lectione prima habetur ἐνδείξιας λαμβάνειν, idest, sumere indicationes, sed in altera lectione habetur ἔνδειξιν λαμβάνει, idest, Sumit indicationem.

Quod etiam legitur, Primum maxime accipitur, lege primum & maxime accipitur. nam Græce est πρῶτον καὶ μάλιστα λαμβάνεται.

SECVNDO Multa medendi præcepta à Galeno edocentur, præsertim circa uictus rationem. Si quis sit cuius uires imbecilles sint, & ægritudo sit ex humorum corruptione, uel defectu, his parum alimenti & sæpius afferre oportet. parum quidem, quia uirium imbecillitas non potest ἀθρόον, idest collectam simul nutrimenti multitudinem ferre. Sępe uerò, quia dispositio multis indiget. hic enim duo sunt, defectus & corruptio. defectus adiectionem requirit, corruptio uerò contemperamentum. Alter casus, si quis uires imbecilles habeat, & nullum habeat defectum uel corruptionem, & huius humores naturales uel modici sint, uel abundent, huic pauca & raro offeremus: & id magis agemus, si cum naturæ robore, humores superabundauerint. Tertius casus est, si quis habeat uires ualidas, & humorum defectum uel corruptionem, tunc multi cibi, & sæpius sunt dandi. nam dispositio multos exigit, & natura robusta illos uincere potest. Si uerò contingat accessiones, in quibus non sunt cibandi ægri, non permittere illos ita cibare: adde q καιροὶ, idest, occasiones & opportunitates offerendi cibum non dentur: tunc raro & plura dare conuenit. Si autem uires ualidæ sint, & is plethoriam habeat, idest, summam plenitudinem, cibandus est raro & parum. nam & si uis concoctrix sit robusta, quia dispositio multis non indiget, ideo pauca offerenda. hoc igitur modo à uiribus, & à morbo indicationes sumendæ.

Quod legitur, & natura robusta potente illos concoquere, illa particula, concoquere, Græce est κρατεῖν, idest, uincere & superare.

TERTIO docet Galenus, quomodo secundũ anni tẽpora ægri cibandi sint. ab æstate igitur incipientes, æstiuo tẽpore (hoc autẽ intellige, quantum sit ratione ęstatis) pauca & sæpius sunt danda. Sæpius quidem, quia pluri egent adiectione. pauca uerò, quia sunt dissoluti, & uires habent imbecillas. Hyeme uerò multa & raro sunt danda: multa ob uirium robur: raro, quia ægri non indigent ualde multa adiectione. nam hoc tempore non fit multa euacuatio. Sani tamen, ut superius diximus, hyeme sufficienter euacuantur, quia plus habẽt calidi innati: ęgri uerò non habẽt plus calidi innati. In medio ueris, & in parte propinqua æstatis, paucis & ex longo interuallo nutrimus. nã hoc tẽpus proxime accedit ad plethoricã dispositionẽ, propter humorum fusionẽ, qui hyeme concreti & coadunati erãt. Hæc aũt est regula in plethoricis dispositionibus. Si uires robustæ sint, paucum cibum, & ex longo interuallo damus. Eodem modo uere faciendum, præsertim in febricitãtibus, de quibus nunc intelligit Hippocrates. nã prius de sanorũ uictu uerba fecerat.

Cum

Cum autem autumnus morbis, qui ex corruptione fiunt, assimiletur, si quis hoc tempore febricitet, & uires habeat robustas, sæpe & multis cibandus est. At si uires sint imbecilles, paucis & sæpius.

Quod legitur, Adiectione, Græce est προσθήκης. Hanc etenim sententiam ὅτι καὶ δέονται προσθήκης πλείονος, hoc modo interpretatus est Leonicenus, quoniã & pluri eget adiectione. Quod etiã statim sequitur ὡς ἂν καὶ διαφορούμενοι, interpretatur, ut qui sunt dissoluti.

Quod etiam legitur, Ex longo interuallo, in nostro antiquo contextu sunt due lectiones, una quam habet Aldinus καὶ διὰ πολλοῦ, secunda, quę est καὶ διὰ χρόνου.

Quod etiam legitur, Quapropter qui eo febricitant tempore, continua optimi indigent adiectione, Græce est διὸ καὶ τὸ χρῆσθαι προσθέσεως συνεχῶς, οἱ τε πυρέττοντες δέονται.

Quod statim sequitur, Et si uires ualidæ fuerint, sæpe & multa, adde, ipsis dabimus. nam grece adduntur hę duæ particulæ δώσομεν αὐτοῖς.

QVARTO Galenus innuit eodem modo, ut ab ætatibus, & à consuetudine, & à regionibus sumendas esse indicationes, tamen comparantes semper ad duas primas, scilicet morbum, & uires. Singula enim quæ dicta sunt, aut fortes, aut debiles uires faciunt, & corpus reddunt aut plenum humoribus, aut uacuum, aut plenum malis humoribus.

Quod Leonicenus interpretatus est, bonis humoribus abundans, Græce est πληθωρικόν. Quod uero interpretatus est, sufficientibus carens, græce est ἐνδεές; quod tertio dicit, uitio humorum deprauatum, græce est κακόχυμον. De his uero plenitudinibus in secundo libro agemus aphorismo decimoseptimo, ob recentiorũ quorũdam prauã intellectionem. nũc uero id satis sit, πλεονεξίαν apud Galenum abundantiã significare. At abundantia uel est in cibis, & à grecis πλησμονή, à latinis uero satietas uocatur: uel est in humoribus: & si in his sit, uel est in omnibus ex æquo, & ita πλῆθος, atq; πληθώρα, id est, plenitudo, uel multitudo uocatur: uel est in uno solo humore, uel in duobus, uel in tribus, & κακοχυμία, id est, humoris uitium nuncupatur, hic uero Galenus ἐνδεές humorum indigentiam uocat.

APHORISMVS XVIII.

AEstate & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime. Secundum locum uer habet.

BRASAVOLVS

ANTIQVIORES nonnulli aphorismorum interpretes, hunc aphorismum eundem esse cum illo, hyeme & uere uentres calidissimi sunt natura, testati sunt. nam & à Philotheo dicitur, τινὲς ἔφασαν καὶ ἐνταῦθα ταυτολογεῖν τὸν ἱπποκράτην, προεῖπε γάρ, αἱ κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει. οὐκ ἔστι δὲ ταυτολογία. ἐκεῖ μὲν γὰρ περὶ ὑγιαινόντων ἦν ὁ λόγος. ἐνταῦθα δὲ περὶ νοσούντων. id est, Quidam dixerũt & hic Hippocratem idẽ repetere, prædixit enim, uentres hyeme & uere natura calidissimi. At nõ est idẽ sermo. Illic enim de sanis sermo erat, hic aũt de infirmis. Galenusq; illorũ sententiæ aduersatur, quia alia est huius aphorismi intentio. nam in citato Aphorismo de sanis, in hoc & de ægris uerba facit, quos dicit cibos autumno & æstate difficillime ferre, hyeme facillime, uere autem medio quodam modo. De his uero nunc agit, quia in præcedenti aphorismo dixerat, Aliquid condonandum esse tempori. At quomodo sit tempori condonandum, hoc loco docet. nam æstate & autumno cibos difficillime ferunt, quia innatus calor paucus est, unde æstate pauca & sæpe danda sunt: etenim humanæ uires plenam quandam cibationem æstate nõ ferrent, quin in discrimen aliquod atq; incommodum uenirent. Autumnus æstatem sequitur, in quo densantur corpora. hyeme uero quia innatus calor plurimus, raro & multum cibi exhibere oportet, nempe uires hoc tempore integram cibationem ferre possunt. Ver hyemem subsequitur, in quo rara fiunt corpora & laxantur.

Hippocrates in secundo & tertio libris De ratione uictus, de horum temporum uictu plura agit, & particulatim in omnibus quatuor anni tẽporibus, quib. uti debeamus

enumerat. tu librũ lege. Idẽ facit in libro De uictus ratione priuatorũ, quibus locis patere potest, pauca exhibenda esse in æstate, & in autumno, in hyeme plura. Vnde Galenus in principio commentationis huius libri De uictus ratione priuatorum, quia ab Hippocrate dictum est, hyeme plurimum esse &c. inquit, de ciborum quantitate nihil hic prætermissum est. edere namq; plurimũ ut ad alias anni partes per hyemem concedendum, haud ignarus probe in aphorismis esse dictum, Aestate & autumno cibos difficillime ferunt, per hyemem facillime, mox uere. Hic autem Galenus intelligere non uidetur, edendum raro, & plurimum; sed simpliciter, plurimum in hyeme esse edendum. Ideo in hoc loco huius aphorismi sententiam probãs, id facit per alterum aphorismum, scilicet uentres hyeme & uere natura calidissimi, & re uera tota illius ratio est.

Quod si petas, Cur ueri non proportionatur autumnus, cum ad hyemem, atq; æstatem æqualiter se habeat? Respondemus id tempus, à quo recedunt, multum facere. nam ab hyeme recedit uer, hyems autem robustos uiros facit, ideo & uere robusti erunt, sed autumnus ab æstate proficiscitur, æstas autem imbecilles uires facit. ideo & in autumno imbecilles erunt: propterea hæc tempora uer & autumnus inuicem comparationem non habent. Adde quod in autumno constipantur, condensanturq; corpora, in uere autem aperiuntur & laxantur, unde & diuersam temperaturam habent, & diuersas naturas, nam inter anni tempora morbosissimus est autumnus, uer autem saluberrimum, & magna ex parte multæ & intensæ ægritudines in autumno fiunt, quæ in uere sanantur.

Galenus in libro De natura humana sectione trigesima septima huius Aphorismi mentionem facit. immò dubitat quomodo hyeme augeatur pituita. Tu locum illum considera, & in libro De renum affectibus eiusdem aphorismi dignam mentionem facit.

Celsus libro primo capite tertio, hyeme, inquit, plus esse conuenit, minus sed meracius bibere. Vere paulum cibo demendũ, adijciendumq; potioni, sed dilutius bibendum. Aestate uero & potione & cibo corpus sæpius eget. Autumno cibo paulo pleniore uti licet, minus, sed meracius bibere. tuq; Celsum in hac parte lege, qui de totius uitæ regimine in his temporibus abunde agit. nos alia omittemus, ne huic nostro labori totum Celsum immiscere uideamur.

θέρευς καὶ φθινοπώρου, σιτία δυσφορώτατα φέρουσι. id est, Aestate & autumno cibos difficillime ferunt.] Ob caloris naturalis, in æstate qui exit ad circumferentiam, imbecillitatem, & in autumno quia imbecillitas perseuerat. Philotheus dicit: ἐν μὲν τῷ φθινοπώρῳ τῷ λόγῳ τῆς ἀνωμαλίας. ἐν δὲ τῷ θέρει, τῇ ἔξω διαφορήσει τῆς ἐν ἡμῖν θερμότητος. id est, In autumno quidem ratione inæqualitatis: æstate uero caliditate, quæ in nobis est extra difflante.

χειμῶνος ῥᾷστα, id est, Hyeme facillime.] Cibos ferunt ob calorem innatum, qui intus retrahitur, atq; intenditur, unde & Philotheus dicit, hyeme facillime, hoc est εὐχερῶς, διὰ τὸ ἐναποκεκλεῖσθαι ἐντὸς τὴν θερμότητα. id est, facile atq; prompte, quoniã intus obstruitur calor. Oribasius in Hippocratem hoc modo dubitat. calor dixit, concoctionem obit, nunc autem æstate non concoquere nos scribit, hyeme uero facillime, cum æstas calida sit, humorq; calidus in ea præpollet. humor autem frigidus tempore frigido. Sic ipse sibi non constare uidetur. Sed nos exemplo illius dictũ cõfirmabimus, ne tantũ talemq; uirũ naturæ & ueritatis amicum, mendacij insimulemus. pone æstatem ceu aquam frigidam, hyemem uero calidam. Sic itaq; sunt & corpora nostra. estate omnis calor foras emanat, duob. modis. uno, quia aperti sunt pori. altero, quia confugit calor ad similem sibi aerẽ. Sicuti in Amphitheatro, cum dimittunt similem ad similem, semper alius ad alium confugit, quia similia similibus gaudent. hyeme enim constipatio fit meatuum, & calor interiore parte concluditur, & ille concoctionem maximam operatur. Hæc Oribasius.

ἦρος δεύτερον. id est, Secundũ locũ uer habet, τῷ λόγῳ τῆς εὐκρασίας. id est, Ratione bonæ temperaturæ, ut Philotheus dicit. Oribasius de autumno & uere dicit. Autumnus simile aliquid habet cum æstate, uer cum hyeme, ideo hæc comparauit illis, quia sibi inuicem uicina sunt: dicit uero uer secundum locum habere, quia nõ adeo facile concoquit, ut in hyeme, neq; adeo imperfecte ut in estate.

Galenus

GALENVS

NON BIS, ut forte quispiã existimauerit, de eisdem disseruit Hippocrates. Nam cũ superius illum scripsisset aphorismum cuius principium est, Ventres hyeme, & uere calidissimi sunt natura. Nunc autem rursus quòd æstate, & autumno cibos difficilime ferunt, hyeme facilime, & uer secundum habet locum. Verum quoniam, & ad quantitatem uictus, & ad usus ciborum tam in sanis, quàm ægris modum quandam accipit à temporibus indicationem, non absq; ratione eorum in utrisq; commeminit. Illic quidem ostendens cibos plures sanis dari hyeme oportere, quoniam plus inest innati caloris quem nutriri oportet: nunc autem, quod si semel etiam multum illis ciborum attuleris, haudquaquam nocebis: facile enim omnes ferunt ciborum multitudinem hyeme, difficulter uero æstate. Quapropter hyeme quidem raro, & plurimum cibi afferri concedendum, æstate uero quia cibos ferunt difficulter, si quidem is cui eos coquendi, ac conficiendi officiũ natura tribuit, calor, innatus scilicet, exiguus est, cauendũ omnino est, ne totũ simul cibũ exhibeamus. Sed studere oportet, ut frequentius pauca afferamus. nam corporis dispositio, similis his qui ex humorum defectu morbis cõsistunt, exigit a dictionẽ. Hyems quidem, atq; æstas talem naturam habent; reliqua uero duo tempora, autumnus quidem æstatẽ subsequitur, uer aũt hyemẽ, & causa aperta est. Nam refrigerari, & cogi in unum, atq; densari corpora autumno. laxari uero, & rara fieri uerno tempore incipiũt. Ob hanc igitur rationem non idem bis de temporibus enunciauit, uel ob illam etiam, quia in altero aphorismo de sanis sermo habebatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum non esse eundem cum illo, uentres hyeme & uere natura calidissimi, tamen ab eadẽ ratione dependet, scilicet innato calore. differunt uero, quia ad diuersam intentionem accommodantur, & alia atq; diuersa innuunt. at si quis Galenum consideret, deprehendere facile poterit, & cur in æstate parum, plurimum in hyeme ciborum exhibendum sit.

Quod legitur. Nam cum superius illum scripsisset aphorismum cuius principium est, Græce habetur ἔμπροσθεν μὲν γράψας τὸν ἀφορισμὸν ἐκεῖνον, οὗ ἡ ἀρχὴ, id est, superius quidẽ, cum illum scripsit aphorismum, cuius [illegible]incipium est.

Quod etiam legitur, Et ad usus ci[illegible]m tam in sanis, quàm in ægris modum, ne quis putet hanc particulam usus in accusati[illegible]sse, quę in genitiuo est, ponat illam particulam modum in principio huius clausulæ, ho[illegible]odo, & ad modum usus ciborum tam in sanis, quàm in ægris. Cum & contextus græcus ita se habeat, καὶ πρὸς τὸν τρόπον δὲ χρήσεως τῶν σιτίων ἐπί τε τῶν ὑγιαινόντων καὶ τῶν νοσούντων.

Quod etiam legitur, quoniam plus inest innati caloris, quem nutriri oportet, uidetur sensus innatum calorem nutriri, sed græcus cõtextus dicit διότι τὸ ἔμφυτον θερμὸν, πλέον, καὶ τρέφεσθαι δεῖται. id est, quoniam plus innati caloris, & nutriri oportet.

Quod etiam legitur, facile enim omnes ferunt ciborum multitudinem hyeme, In nostro antiquo contextu sunt duæ lectiones, primam Leonicenus habuit, quæ talis est, εὐφόρως μὲν γὰρ φέρουσι πλῆθος σιτίων ἅπαντες ἐν χειμῶνι, & est etiam Aldini contextus lectio. In secunda uero lectione ita scriptum est, εὐφόρως μὲν γὰρ φέρουσιν ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν σιτίων ἐν χειμῶνι. id est, facile enim omnem ferunt ciborum multitudinem hyeme.

Quod etiam legitur, Ex humorum defectu, Græce est περὶ ἔνδειαν.

SECVNDO Galenus docet alia duo tempora, scilicet uer & autumnum, duorum præcedentium naturam consequi. nam autumnus æstatem sequitur, uer hyemem. autumno refrigerari, & συνάγεσθαι. id est cogi in unum atq; densari corpora incipiunt, uere autem χαλᾶσθαι. id est, laxari, & fieri rara incipiunt. unde de his temporibus idem non dixit, uel saltem intelligere non est opus quamuis quodammodo præcedentium naturam sequantur. Vides ergo idem bis non dici ab Hippocrate de temporibus. Adde quod in altero aphorismo de sanis sermo habebatur.

Quod

Quod legitur, Vel ob illam etiam quia.lege, & quoniã.nam Græce habetur ἢ καὶ ὅτι. In hoc autem loco dubitatio contingit, Cum aeris calor coctioni obsit, qui extrinsecus est, cur cerata, cataplasmata, sacculi, unguenta, & eiusdem generis cætera extrinsece applicata coctionem potius iuuant.

Respondemus, aeris calor naturalem calorem allicit, illumq; ad circumferentiam ducit, & uentriculus, atq; iecur, in quibus duæ primæ coctiones fiunt, à naturali calore deseruntur, propterea ineptæ sunt coctiones, calore aeris uigente atq; perseuerante. Illa uero calida, quæ extrinsecus applicantur, & si ad se naturalem calorem alliciant, tamen exire non potens, & ex ui caloris cerati intensior redditus, ad internas partes reuertitur, in quibus cum est intensior effectus melius concoquit.

Dubitatur præterea, cum æstiuo tempore aeris caliditas nocui humoris coctionẽ adiuuet, unde morbi breuiores fiunt, cur etiã boni cibi coctionem nõ adiuuet: & eius præsertim, qui naturam alere deberet.

Respondemus aeris caliditatem non concoquere humores: quia hoc solum munus est calidi innati, sed humores resoluit, his uero resolutis, morbi breuiores fiunt. Verum & idem calor æstiuus cibos etiam resoluit, at naturalis calor imbecillior factus, cibos ægre concoquit.

APHORISMVS XIX.

IS qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, neq; cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

BRASAVOLVS

HIC EST ultimus huius libri Aphorismus, in quo de uictus ratione Hippocrates agit, unde operę precium est uniuersam uictus rationem colligere, ut etiam exquisitius aphorismus præsens intelligatur. Tria sunt, ex quibus indicationes de uictus ratione sumuntur, Duo potissima, scilicet Morbus & uires. aliud est accessio, quæ in particularium morbi temporum consideratione cognoscitur. Ex primis duobus uniuersalis uictus forma colligitur. ex tertio hora particularis uictus habetur, Cætera uero enumerata, ut ætates, anni tempora, consuetudines, exercitia, cõditiones sunt, quę uictus formã augent, aut cõminuunt. Sunt deinde tria capita, quibus uictus ratio cõprehenditur, superius explicata, unum est quantitas, aliud qualitas, tertium modus usus, de quo modo in illo aphorismo egit. Et quibus semel aut bis, & reliqua. Nos discretam cibationis quantitatem uocauimus, & ex hoc ita esse deprehẽdebatur: quia considerabat quibus bis, aut sæpius paucum, bis aut sępius multũ esset exhibendum. Duo prima capita scilicet quantitas & qualitas cũ accessione nihil habent, quia accessio quantitatẽ aut qualitatẽ mutare non facit, sed tertiũ mutare facit, id est, uictus modum. Galenus uictus modum nuncupat ipsas particulares cibi exhibitiones, quas æger in dies accipere debet. In his particularibus modis uictus ex accessione aliquid habemus, ex quo in hoc loco Hippocrates in accessionibus, quę per circuitum fiunt, nihil esse cõdonandum edocet, sed ei potius subtrahendum esse, quod ante iudicationes addiderimus.

Hippocrates in libro De humoribus hunc aphorismum ad uerbum ferè ponit inquiens, Nec in accessionibus, quæ certis diebus circuituq; fiunt, cibaria porrigito, neq; sumere cogito, sed potius prioribus ante decretorium demito.

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι. id est, his qui per circuitũ accessiones habent.] Galenus per accessiones, per circuitus, accessiones ordinatim factas intelligit. Ideo hic aphorismus ab illo distinguitur: in accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est, & in his, in quibus per circuitum accessiones fiunt: quoniam in illo de omni accessione intelligebat, hic uero de his tantum quæ per circuitum fiunt, id est, ordinatim. In his enim quæ ordinatim non fiunt, ita certa regula haberi non potest. per accessionem uero idem intelligimus, quod superius intelligebamus, deteriora scilicet tria tẽpora, principium, augmentum, & statum. Oribasius quoq; per circuitum, spacium intelligit, quod ab hoc ad aliud intercedit.

Μηδὲν διδόναι, μηδ' ἀναγκάζειν. id est, Nihil dare, neq; cogere.] Nihil inquam penitus dare, quia (ut dicit Oribasius) natura contendit, duobus enim seruire non potest, humori, & cibo. uincitur enim potius quàm ipsa uincat. neq; cogere, id est, neq; constringes ægrum ad ingerendum, aliter (ut Philotheus dicit) plurimum lædes, ἢ πρὸς ἔμετον παρασκευάσεις τὸν κάμνοντα διὰ τὸ βάρος τῆς τροφῆς, ἢ τῇ νοσοποιῷ αἰτίᾳ προσθήκης αἴτιος γινόμενος αὐξήσει τὸ νόσημα. id est, uel ad uomitum patientem præparabis ob nutrimenti grauitatẽ, uel causę morbũ facienti adijcies. causa uero aucta morbũ augebit. & ut Hippocrates dicit in præcitato De humorib. libro, nec cibaria porrigito, nec sumere cogito.

Ἀλλ' ἀφαιρεῖν τῶν προσθεσίων. id est. Sed subtrahere adiectioni.] Vel ei quod erat additũ, uel ei quod dabatur. hocq; ad cibum refertur, unde & Oribasius dicit, Adiectionem autem uocat, quantitatem ciborum antequam iudicatio fiat. tamen idem Oribasius per uerbũ Subtrahere nõ intelligit cibi subtractionẽ, sed potius euacuationẽ per aliquẽ naturalẽ meatũ. inquit enim, Subtrahere oportet uel per nares, uel per sudorẽ, uel p urinã, uel per secessum, uel per menstrua. πρὸ τῶν κρίσεων. id est, ante iudicationẽ. Galenus per iudicationem uel accessiones intelligit, uel morbi uigorem, uel proprie ante uerum morbi iudicium, tamẽ laudat, ut accessiones intelligamus, sed nec alia respuit. Hippocrates autem in libro De humoribus, ante diem iudicatoriũ intelligere uidetur. in omni sensu uerum est. si accessionem intelligimus, sensus erit, nihil dandum in accessionibus, & parum ante ipsas. Philotheus accessiones intelligit, nam dicit Κρίσιν ἐνταῦθα ὁ Ἱπποκράτης λέγει καταχρώμενος τὸν παροξυσμόν. ἔστι γὰρ κρίσις καὶ ἡ ἀθρόα ἐν νόσῳ μεταβολή, καὶ ὁ ἀγὼν τῆς φύσεως, καὶ τοῦ νοσοποιοῦ αἰτίου, καὶ ἡ προηγουμένη τούτων ταραχή. id est, Hippocrates hic abusus iudicationem accessionem uocat. est enim iudicatio, & collecta uniuersa in morbo mutatio, & naturæ atq; causæ morbificæ pugna, & horum primaria perturbatio.

GALENVS

CVM tria sint capita quibus uictus ratio cõprehenditur, & quod attinet ad quantitatem, & quod ad qualitatem, & tertium quod ad usus modum, ad duo quidem priora capita ex accessionibus nullam habemus utilitatem, ad tertium uero ex illis aliquid proficere possumus. Quare non temere Hippocrates earum in tertio capite meminit. Nam tempora commoda ciborum particularium præcipue docent accessiones. In morbis tamen, in quibus ordinatim obueniunt, hoc est per circuitus, atq; ideo Hippocrates inquit, His qui per circuitus accessiones habent nihil dare oportet: ut qui nõ ignoraret alios esse quibus fierent in morbis accessiones, nõ tamen per circuitus, hoc est non ordinatim. In hisce igitur ratio exquisita inueniẽdi temporis quo cibus offeratur, haberi nequit. In quibus uero accessionũ ordo seruatur, principia earum oportet obseruare, hoc est ne eis iam factis, uel non multo post futuris nutriamus. Quod autem dicitur, Ante iudicationes, uel ante accessiones quascunq; simpliciter, uel ante morbi uigores, uel ante illas quæ proprie iudicationes nominantur, est intelligendum. Nam hic triplex intellectus uerus est. Primus autem magis uidetur ad propositum pertinere, si uidelicet ante accessiones intelligamus, nam de morbi uigore cõsistentis retro dictum est. Et si de hoc intelligatur, etiam de iudicatione intelligetur, quoniam magna ex parte morbo in suo uigore consistente fiunt iudicationes.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus repetit, tria esse capita, quibus uictus ratio comprehenditur, quantitas, qualitas, & modus usus. ad duo prima capita ex accessionibus nullam utilitatem habemus, ad tertium aliquid possunt proficere accessiones.

SECVNDO docet, Hippocratem recte in tertio capite rationis uictus collocasse accessiones. nam tempora commoda exhibendi uictum particularẽ & quotidianũ accessiones ostendũt, unde in morbis qui fiunt per circuitũ, id est, ordinatis nihil dare oportet, de inordinatis uero morbis regula dari nõ potest. In his uero qui ordinẽ habẽt, ipsis iã factis accessionib. nihil dare oportet, uel nõ multo post futuris. Si uero petas per quantũ spatiũ

ante

ante accessionem dari debeat. Respondemus per tot horas, per quot is cōcoquere potest si fieri nihil impediat, uel horæ non sint pauciores quatuor uel saltem trium.

TERTIO exponit hanc particulam Ante iudicationes, quæ uel intelligenda est ante accessiones quascunq;, uel ante morbi uigores, uel ante illas, quæ proprie iudicationes nominantur. hi tres intellectus ueri sunt, sed ad propositum magis uidetur si accessiones intelligamus, nam superius de morbi uigore actū est. Tamē si de hoc etiam intelligamus, & de iudicatione etiam intelligere conuenit, nam ut plurimum morbo in summo uigore consistente iudicationes fiunt.

APHORISMVS XX.

QVæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter iritando, sed sinere.

BRASAVOLVS

HACTENVS de uictus ratione egit Hippocrates, nunc de ægrotantium regimine uerba facit, & quando sit totum naturæ permittendum, & quando medicus aliquid agere debeat. unde & à Philotheo dicitur, πολυειδῶς καὶ πολυτρόπως τὸν περὶ τῆς διαίτης λόγον ὁ ἱπποκράτης διδάξας, νῦν ἐπὶ ἕτερον μετάγει ἑαυτὸν κεφάλαιον, καὶ διδάσκει πότε δέον ἐστὶν ἐν ταῖς κρίσεσι τῶν νοσημάτων ἐπικουρεῖν τῇ φύσει, καὶ πότε οὐ δέον, id est. Quum multipliciter ac multimode rationem circa uictum edocuerit Hippocrates, nunc in aliud caput seipsum uertit, & docet, quando decens est in morborum iudicationibus naturæ succurrere, & quando non decens. Hæc igitur altera est huius primi libri pars, in qua de euacuationibus uerba facturus uidetur, quando à nobis agenda sit, & quando nihil agendum, sed æger tantum uictu regendus sit. Est uero breuis aphorismi sententia hęc, quæ actu iudicantur, & nobis uidetur iudicium integrum fieri debere, & quæ iam iudicata sunt atq; integre, nullo modo commouenda sunt, nec medicus quicquam innouare debet, uel medicamentis, uel re altera naturam iritante, sed sinere debet, atq; permittere ægrum ita à natura tractari.

Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, id est, quę iudicantur, & iudicata sunt integre] id est, corpora quæ sub naturæ iudicio sunt, uidemusq; iudicium integrum esse futurum, uel iam factum est integrum iudicium, id est, perfecta est naturæ operatio, quę iudicium dicitur, eo quod medicus de ægri salute tunc iudicare potest. Philotheus uerbum ἀρτίως exponit ἀνελλειπῶς καὶ αὐτοτελῶς, id est, sine defectu & perfecte. Oribasius in suo Hippocratis contextu non habuit uerbū ἀρτίως, id est, integre, sed eius loco habet pari dierum numero. propterea hoc modo dicit, In hoc aphorismo multi multa senserunt, alij quidem quod in die decretorio cibum dari non iubeat Hippocrates, alij uero diem parem dicunt duo & quatuor. nec id est, quod author intelligit. Galenus enim exponit, cuius sententiam ueram esse credo. parem rem dicit esse, quando soluta fuerit per solam naturam ægritudo, unde & uulgaris sermo est, parem habe tecum, id est, congruum & conuenientem dilige. Ergo id est, quod admonet, dum iudicata fuerit ęgritudo, natura debilis inuenitur, post talem ac tantum laborem, nihil iubet fieri, ne forte ipsa ægritudo iteretur. Hæc Oribasius. tamen si Galenum recte perpendas, nihil de die pari ab ipso dictum esse inuenies, uel forte est error interpretis, nam apud græcos ἄρτιος significat integrum & ęqualem, & parem numerum etiam significat, ut unum pro alio uerterit. nos enim græco Oribasij codice caremus.

Μὴ κινεῖν, id est, Nihil mouere.] Ne natura suo opere impediatur, quādo fit iudicium, uel post integre factum, ne corpora imbecilliora reddamus, q̄ à motu naturæ effecta sint.

Μὴ δὲ νεωτεροποιεῖν, id est, neq; nouare aliquid.] Verbum mouere referri potest ad humores, nouare uero est opus naturæ, quod erat euacuatio (si per illam fuerit) quādo medicus innouare intendit.

Μήτε φαρμακείῃσι, id est, Siue medicamentis] Philotheus exponit φαρμακείαν, id est, medicamentum τὴν κάθαρσιν, id est, purgationem.

Μήτε ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, id est, Siue aliter iritantibus.] Nullo modo naturā commouere debemus, sed æger sola uictus ratione secundum morbi genus, & alias conditiones regen

nes regendus est. Philotheus per iritantia intelligit, κλυστῆρα, ἐμετικὸν φάρμακον, ὑπήλατον, καὶ ἄλλο, οἷον δή ποτε τὸ δυνάμενον κινῆσαι ἐρεθισμὸν ἐν τῷ σώματι. idest, Clysteres, medicamentum uomitorium, deijciens, & aliud, quale aliquo modo possit iritamentũ in corpore mouere. Oribasius uero per medicamentum omne nouum intelligit, uidelicet aut uenę incisionem, aut clysterem, aut uomitum, aut potionem calefactoriam ad sudorem: nam uult omnia naturę dimittenda, nam plus est quod ipsa facit, q̃ quod ars.

Ἀλλ' ἐᾶν. idest, Sed sinere.] Hoc est, dimittere naturam, & illam non infestare, neq; dum fit iudicatio, neque postquàm perfecte facta est. Scito autem dum fit crisis, idest actu iudicium, etiam si imperfectum esse uideatur, nihil agendum: nam quandoq; iudicij principium imperfectum uidetur: sed postea in processu natura perfecte agit. At facto iudicio, si imperfectũ sit, tunc naturam adiuuare debemus, & per illam regionem per quam ducere cœpit, sed imperfecte, nos perfecte ducere, ut in sequenti aphorismo docebit. Hoc autem intelligere oportet, si fuerit conueniens educendi locus. Medicus ergo naturam adiuuare studeat, non in ipso iudicio & opere, sed postquàm iudicauit, sed imperfecte, ipse naturæ uicem suppleat, uel etiam adiuuet, dum natura agit, si cognoscat quod imperfecte agat.

Hunc aphorismum ad uerbum in libro De humoribus, ab Hippocrate habemus, quum dicit, Quæ decernunt aut integre decreuerunt, nec medicamẽtis, cæterisq; concitamentis agitato, nec quicquam innouato, sed sic sinito.

GALENVS

IAM perfecto de uictus ratione sermone, ad alterum caput transcendit, in quo docet, quando sit totum ipsi naturæ permittendum, quod ad regimen pertinet ægrotantis, nihil aliud nobis agentibus, nisi uictum conuenientem instituentibus: quando etiam non sit totum naturæ permittendum, sed & aliquid nos oportet operari. Vbi igitur, inquit, uel integra iudicatio facta est, uel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet: ubi uero non integre iudicat, id quod deficit supplere nos conuenit. Hoc autem & ipse dicebat in libro De humoribus, per hæc uerba: Quæ perfecte iudicantur non mouere, neq; medicamẽtis, neq; aliter iritando nouare quicquam. Nam quod in aphorismis ἀρτίως, idest integre dixit, hoc in illo libro ἀπαρτὶ, idest perfecte nominauit. Est autem huius nominis ἀπαρτὶ, apud antiquos significatũ pro perfecte & cumulate atq; sufficienter, quæ omnia etiam hoc loco per ἀρτίως, idest integre, debemus accipere: neque enim per id uerbum, dies pares oportet intelligere. Est enim in propatulo falsum, si quis in diebus paribus, uel iudicatus est, uel iudicatur, nihil in his nouandum esse: neq; etiam hæc dictio ἀρτίως, hoc in loco significat Nuper, quod maxime ostendunt uerba sequentia. Neq; enim simpliciter dixit Nuper iudicata, sed Quæ iudicantur & iudicata sunt: quorum alteri, scilicet iudicata, aduerbium Nuper, possit conuenire: alteri uero, iudicantur, nullo modo: sed & hoc ipsa rerum euidentia demõstrat. Neq; enim si quid paulo antea sit iudicatum, hoc nouari non debet, sed si perfecte & indeficienter & integre: tunc uerum quod dicitur. Si uero quicquam deficiat, id quod deficit oportet adiungere: nam quæ post iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Quæ nam igitur est perfecta & indeficiens iudicatio? An quæ scilicet per omnia bene fit, & cui nullus numerus deficit iudicatorius? Primum enim melior est iudicatio quæ fit per euacuationem inferiorem, quàm quæ per abscessum: deinde per quam humor noxius, quàm per quam alter euacuatur: tertio loco, quę recto fit tramite, & post has quæ facile toleratur, deinde quæ cum coctione, & in decretorio die. Hæc omnia adesse conuenit perfectæ iudicationi: cui si quid desit, uel plura, neque exquisita, neque integra fuerit iudicatio.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum præcedẽtibus hoc modo continuat, Quum de uictus ratione egisset, ad aliud caput transcendit, in quo docet quando sit totum naturæ permittendum: & hoc ad regimen ægrotantis pertinet. Quum autem totum naturæ permittendum est, ægrum tamen in ratione uictus gubernare debemus. Vnde aliquid agimus etiam, quando totum naturæ permittendum, præsertim quo ad uictus rationem. Quum ergo est facta integra iudicatio, uel adhuc fit, totum naturæ permitten

dum, & nihil innouare oportet. Vbi autem imperfecte iudicatur, id quod deficit, supplere nos conuenit.

Quod legit, Non integre: Græce est ἐλλειπῶς, idest mutile, imperfecte, non integre.

SECVNDO Galenus docet, eundem esse hic sensum qui est in libro De humoribus Hippocratis. Est autem solum diuersitas in uno uerbo, quoniam Hippocrates in libro De humoribus, utitur uerbo ἀπαρτὶ, idest perfecte: in hoc autem loco dicit, ἀρτίως, idest integre. At quia hoc uocabulum ἀρτίως etiam significat Nuper, Galenus ostendit pro Nuper, accipi non posse: nam dicere non licet quæ nuper iudicantur, sed bene dici posset quæ nuper iudicata sunt. Tamen nos apud Hippocratem in libro De humoribus, uerbum ἀρτίως inuenimus, & nō uerbum ἀπαρτὶ. Idq; uerbum Caluum errare fecit, qui interpretatus est ἀρτίως, idest paulò ante, uel nuper. Si autem hunc Galeni locum uidisset, interpretatus fuisset Integre, & non nuper.

Putamus librariorum causa in libro De humoribus, illam particulam ἀρτίως, pro hac ἀπαρτὶ, positam esse.

Quod legitur, Apud antiquos: legi debet, Et apud alios antiquos. nam Græce habetur, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις παλαιοῖς.

Quod etiam legitur, Perfecte & cumulate & sufficienter: Græce est, ἀπαρτισμένως καὶ ὁλοκλήρως καὶ ἀνελλειπῶς.

Galenus exponit hoc in loco ἀρτίως, pro Integre: tamen quandoq; significat πρὸ ὀλίγου, idest Paulo ante, uel nuper.

Quod legitur, Sed & hoc ipsa rerum euidentia demōstrat. illa particula Euidentia, Græce est τῆς ἀληθείας. propterea legendū est, Sed & hoc ipsa rerū ueritas demonstrat.

Quod etiam legitur, Sed si perfecte & indeficienter & integre: Græce est, ἀλλ' ἐὰν τελέως τε καὶ ἀνελλειπῶς καὶ ὁλοκλήρως.

TERTIO Galenus dubitat, quę nam sit perfecta iudicatio, an illa per quam omnia bene fiunt, & cui nullus deficit iudicatorius numerus. Respondet, per conditiones quæ de bona iudicatione præstantur. Primo melior est iudicatio quæ per euacuationem, quàm quæ per abscessum fit. Secundo melior est illa, per quam humor noxius & abundans euacuatur, quàm per quam alter euacuatur. Tertio quæ fit recta uia, melior est, quàm quæ obliqua. Quarto illa quæ facile toleratur, melior est quàm quæ difficulter. Quinto melior est quę cum coctione fit, quàm quæ sine coctione. Sexto melior est quæ in iudicatorio die, quàm quæ in aliis fit. Iudicatio illa perfecta est, cui hæ sex conditiones insunt: cui uero una deest, uel plures, illa imperfecta est, & non integra, neque exquisita.

Quod legitur, An quæ scilicet per omnia bene fit: Græce est, ἢ δηλονότι καθ' ἣν ἅπαντα καλῶς γίνεται. idest, An uidelicet per quam omnia bene fiunt.

Quod etiam legitur, Per euacuationem inferiorem: satis est dicere, Per euacuationem. nam Græce habetur, διὰ κενώσεως.

Vbi legitur, Deinde per quam humor noxius adde particulam, Et abundans. nam Græce est, διὰ τὸν λυποῦντα καὶ πλεονάζοντα χυμόν.

Quod etiam legitur, Tertio loco quæ recto fit tramite: Græce est, καὶ τρίτην ἡ κατ' ἴξιν, τῆς μὴ κατ' ἴξιν. κατ' ἴξιν δὲ αὐτὸς ὀνομάζει τὸ κατ' εὐθυωρίαν. idest, Et tertio loco quæ recto fit tramite, quàm quæ non recto fit tramite: ipse uerò recto fieri tramite nominat, quod recto incessu tendit.

APHORISMVS XXI

QVæ ducere oportet, quò maxime natura uergit per loca conferentia, eò ducere.

BRASAVOLVS

HIPPOCRATES nunc docet, per quem locum ea quæ euacuanda sunt, euacuare oporteat. Illa autem euacuanda sunt, quæ iudicata non sunt, nec iudicatio speratur, uel quæ imperfecte iudicata sunt, tunc opus est medicū euacuare. Sed locus per quem euacuat

euacuat, is esse debet per quem natura uergit: præsertim si loca sint conferentia: nam si non essent conferentia, per illa ducere non oporteret: hocq; fit (ut Oribasius dicit) ut unusquisq; humor per suum congruum locum descendat. Philotheus uero dicit, ἐν τῷ ἀνωτέρω ἀφορισμῷ ὁ ἱπποκράτης παρακελευσάμενος. τὰ κρινόμενα, καὶ τὰ κεκριμμένα τελέως, μὴ κινεῖν. νῦν φησιν ἀκολούθως, ἐὰν ἀτελὴς γένηται ἡ κρίσις, ἐκεῖσε δεῖ ποιῆσαι τὴν κένωσιν ὅπου ῥέπει, καὶ διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. οἷον εἰ μὲν φλεγματικὸς χυμὸς ᾖ, ἢ μελαγχολικὸς, καὶ κάτω βρίθων, καὶ δι' ἐντέρων ὁρμήσειεν πάντως ἡ φύσις ὅλως διῶξαι τὸν πυρετὸν, δεῖ τὸν ἰατρὸν ἐρεθισμὸν ποιήσασθαι, ἢ κλυστῆρι χρώμενον, ἢ προσθέτῳ τινί. εἰ δὲ χολὴ ἐστι πλεονάζουσα, καὶ ἄνω ῥέπει, καὶ διὰ στόματος ἡ φύσις ὁρμήσειεν ἀποδιῶξαι αὐτὴν, δεῖ τὸν ἰατρὸν ἐμετικὸν παρασκευάσαι φάρμακον. καὶ τοῦτό ἐστιν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις. ἐὰν γὰρ ἐναντίως ποιῇς, πολλὴν παρέξῃς ταραχὴν τῇ φύσει, καὶ κάματον τῇ δυνάμει, καὶ κίνδυνον τοῖς νοσοῦσι. idest, Hippocrates in præcedenti aphorismo hortatus est, Quæ iudicantur, & iudicata sunt perfecte, non mouere. Nunc consequēter dicit, Si iudicatio imperfecta fiat, illuc euacuationem facere oportet quò uergit, & per loca conferentia: ut si pituitosus humor sit, uel atrabilarius, & infernas partes onerans, & natura omnino per intestina impetum fecerit, ut febrem expellat, opus est medicum iritamentum facere, & ut uel clystere utatur, uel aliquo accommodato. Si uero bilis superabundet, & sursum repat, naturaq; illam per os expellere conetur, opus est medicum, uomitorium medicamentum præparare; & hoc est, quorsum maxime natura uergit. Si enim oppositū feceris, multam perturbationem naturæ parabis, & uiribus laborem, & periculum ægris. Eadem fere ad uerbum à nostro incerto interprete scripta sunt, ut uel ipse à Philotheo, uel Philotheus ab ipso accepisse uideatur.

ἃ δεῖ ἄγειν. idest, Quæ ducere oportet.] Ducere autem est euacuare: nempe materias per eadem loca ducimus, per quæ euacuamus.

ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις. idest, Quò maxime natura uergit: uel, Quorsum uergit natura.] Quod potissimum intelligitur, quando iudicatio imperfecta fuerit: nam tunc uiam quandam sibi eligit natura, tamen imperfecte expellere potuit. Raro autem est, quin hæc uia propria sit, per quam is humor qui peccat, euacuari debeat.

Διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. idest, Per loca conferentia.] Tamen quia quandoq; natura in expellendo peccat, & per uiam quandam expellit quæ humori propria non est, neq; cōueniens, tunc per illum locum medicus ducere non debet, sed opus naturæ diuertat, & per loca conferentia & conueniētia ducat. Sunt uero conferentia loca illa, per quæ directe atq; facile peccans materia euacuatur: & is qui euacuatur, facile fert.

Ταύτῃ ἄγειν. idest, Eò ducere.] Scilicet, oportet, per hæc conferentia loca accommodata. Galenus de conferentibus locis, & de huius aphorismi intellectu, in secundo libro De ratione uictus in morbis acutis agit, sectione decima.

GALENVS

QVÆNAM unquam illa fuerint quæ ducere oporteat, quæ uidelicet, neq; iudicentur, neq; integre sunt iudicata. Hæc igitur per quam partem sint euacuanda, docet: duplicem nobis dans intentionem, & ipsam partis naturam, & humoris motum. Ad quem enim locum ex conferentibus uergit, eò ducere conuenit: sunt autem euacuationibus conferentia loca, intestina, uenter atq; uesica, uterus & cutis uniuersa. Ad hæc & palatum & nares, quando uidelicet, uel cerebrum expurgamus, uel per profluuium sanguinis fit excretio, præcipue uero si recto tramite, hoc est per directum ad locum patientem. Nam quæ contrà fiunt, profluuia sanguinis mala. Motus uero humoris noxij ad loca inutilia sunt, si quando uidelicet hæc ipsa loca aliquem habuerint suapte natura principatum, & maius ex ipsis damnum est subsequuturum, quàm morbus, qui iudicatur, expostulet, uel nullam habeant efluxionem. Exempli gratia. Vbi hepar humores infestant, quos oporteat euacuari, duæ sunt cōmodæ ipsorum motiones: prima per uentrem, & ex hac ipsa illa quæ fit per aluum inferiorem: altera quæ fit per uomitum, melior existit. Secunda per renes, atq; uesicam, non tamen qui ad pulmonem, atq; thoracem, & cor, motus, est bonus. Oportet itaq; medicum naturæ motum animaduertere, & si quidem idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari. Si uero contrarius & noxius, hunc prohibere, transferre, atq; diuertere oportet.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nos ex hoc aphorismo duas intentiones habere, ut partem cognoscamus per quam sint euacuanda superflua, quæ neq; iudicantur, neq; integre iudicata sunt: una intentio est natura partis, altera humoris motus: nam eò ducere oportet, ad quem locum ex conferentibus uergit. Et si petas, Quæ nam sint conferentia loca: inquit, Intestina, uenter, atq; uesica, μήτρα idest uterus, & cutis uniuersa. Adde & palatum, nares, & hæmorrhoidas. Notat uero Galenus profluuia sanguinis, quæ non fiunt per directum ad locum patientem, esse mala: quæ uero fiunt per directum, esse bona. Hancq; expositionem posuit ob Hippocratis aphorismum, in quo dicitur: Sanguinem undequaq; fluentem, esse malum. At quia hic dixerat esse locum cõferentem nares, quia per ipsas exit sanguis: ne hæc sententia illi aphorismo repugnet, addit id esse uerum, quando recto tramite, idest per directum ad locum patientem ducitur.

Quod legitur, Quæ nam unquam illa fuerint. lege, Illa sunt: nam Græce est, τίνα δή ποτ' ἐστίν.

Quod etiam legitur, Neq; iudicentur. lege, Neq; iudicant: Græce est, μή τε κρινόμενα.

Quod etiam legitur, Et ipsam partis naturam. Græce est, αὐτοῦ τε τοῦ μορίου τὴν φύσιν. idest, Et ipsius partis naturam.

Quod etiam legitur, Et humoris motum. Græce est, καὶ τὴν ῥοπὴν τοῦ χυμοῦ. idest, Et humoris inclinationem.

SECVNDO docet, loca inutilia esse, quando humor ad membrum nobile uergit, adeo ut maius dispendium sequatur, quàm si in suo priori loco maneret. Vnde motus humorum ad pulmonem, ad cor, ad thoracem, non est bonus: propterea prohiberi debet, transferri, atq; diuerti: exemplumq; tale ponit, Si humores mali in iecore sint, & ad cor atq; ad prædicta membra moueantur, tunc motus prohiberi debet. At si iidem humores ad uentriculũ, ad intestina, ad renesq; moueantur, is motus bonus est, in quo motu si natura imperfecte moueat, per has conuenientes partes adiuuari debet.

Quod legitur, Quàm morbus qui iudicatur, expostulat. Græce est, ἢ τοῦ κρινομένου νοσήματος ἀξίας.

Quod etiam legitur, Ei cõuenit adminiculari. Græce est, ὑπηρετεῖν τε ἅμα καὶ συνεργεῖν. idest, Subseruire simul atq; cooperari.

Quod in fine legitur, Transferre atq; diuertere: Græce est, καὶ μετάγειν καὶ ἀντισπᾶν. idest, Transmutare & reuellere.

APHORISMVS XXII

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, modo non turgeant, plurima uerò non turgent.

BRASAVOLVS

QVANDO purgandi sint ægri, hoc aphorismo Hippocrates docet, idest quæ potissima conditio ad purgationem exigatur: nempe illa solum quæ cocta sunt, purgare oportet: quæ uero cruda sunt, in nullo morbi tempore mouere debemus, & præsertim in principio, in quo omnia incocta permanent, nisi materia turgeat: raro autem est quod turgeat.

Hunc aphorismum Hippocrates in libro De humoribus ad uerbum perscribit, inquiens: Matura uero medicaminibus purgato, & agitato, non cruda, nec per exordia, nisi res poscat: plerunq; tamen non poscit. Sed hoc ordine usus est Hippocrates: nam primò illum aphorismum describit, Quæ iudicãtur, & iudicata sunt integre. Ad quem hic sequitur. postea ille, Deiectiones non multitudiue existimandæ sunt. Deinde ille, Quæ ducere oportet. & eos ita disponit ut continui sint. Et Galenus in libro De generalibus morborum temporibus, probare uolens principium adeo longum esse, ut latitudinem habeat, hunc aphorismum & plures alios in hanc sentẽtiam adducit, Verba eius pro isto aphorismo hæc sunt: Cocta purgare conuenit, cruda non mouenda, neq; in prin-

in principio, nisi stimulauerint. Idem Galenus in octauo De cōpositione medicamentorum secundum loca, in antidoto hieræ Themisonis, & est picra ipsius Galeni ferè, huius aphorismi mentionem faciens, inquit: Concoctis enim medicandum recte sensit Hippocrates, non crudis, necꝫ per initia, nisi turgeant, hoc est, nisi ad excretionem motus impellatur, & nondum ullam habeat ad unam partem inclinationē firmam, stationemqꝫ. Philotheus aphorismum ita introducit, ὁ πρὸ τούτου ἀφορισμὸς τὸν ἐγκαταλιμπανόμενον χυμὸν ἐν τῇ κρίσει ἐδίδαξεν ἡμᾶς κενοῦν, καὶ διὰ ποίων χωρίων. ἀλλ᾽ ἵνα μή τις ἁπλῶς, καὶ ὡς ἔτυχεν, αὐτὸν κενώσῃ, ὁ νῦν ἀφορισμὸς σαφηνίζει. idest, Aphorismus qui hunc præcedit, nos docuit, humorem in crisi intus derelictum euacuare, & per quales uias: sed ne quis simpliciter & temere ipsum euacuet, hic aphorismus ostendit.

πέπονα φαρμακεύειν. idest, Concocta medicari.] Apud Hippocratem, ut Galenus etiam refert, uerbum φαρμακεύειν, idest medicari, pro Vti medicamento purgante, accipitur. Medicamentum uero purgans apud antiquos, tale erat, qualia illa sunt, quæ à recentioribus electiua uocantur: quoniā humorem aliquem euacuādum eligunt, ut erat apud antiquos helleborus, colocynthis, scamonium. Hippocrates autem concoctā materiam nūcupat, quæ ad benignum redacta sit, & ad exeundum per conuenientē uiam præparata. Quum igitur materia concocta sit, idest ad benignum & mediocritatem redacta, & à bono segregata, atqꝫ uia preparata fuerit, tunc medicari cōuenit, aliter æque bona, sicuti mala materia educeretur: imò bona potius, quàm mala forte exiret. Si uero dicas, quum ad benignum redacta sit, ad quid illam euacuare? Respondemus, & si mediocris effecta sit, tamen naturam aptam habet, ut facile in pristinam corruptionem regredi possit: propterea illā euacuare melius est: imò si in corpore relinqueretur, ægritudinem faceret. Vel melius dicamus, concoctionem peccantis humoris non consistere in deductione ad benignum, sed potius in præparatione ad expulsionem. Vnde concocta, idest præparata.

καὶ κινεῖν μὴ ὠμά. idest, Et mouere non cruda.] Illa enim mouere cōuenit quę non sunt cruda. non sunt autem cruda, concocta, & quæ præparata sunt ut facile exeant, hocqꝫ ad potiorem expressionem additum est, quod concocta medicari oportet. nempe & cruda non solum medicari non cōuenit, sed ipsa etiam aliquo modo mouere non debemus, & hoc non solum per medicationē, sed & per quamcunqꝫ aliam motionem, ut per sudorem, per balnea, per ea quæ urinam proritant, per diuersionem, uel reuulsionem, uel per quemcunqꝫ alium motum: unde medicari significat, medicamēto purgante uti. Mouere quemcunqꝫ materiæ motum significat, qui fiat dum est cruda, idest ad exeundum inepta, uel ad mutādum locum. Nec tibi uideatur hæc particula superflua, quoniam idem sint, concocta medicari, & mouere non cruda, nam ad potiorem & ampliorem expositionē posita est. Medicari enim significat medicamento uti, ut diximus: Mouere autem de quocunqꝫ motu intelligitur.

Nota tamen, crudum duobus modis intelligi posse: uno modo id crudum dicitur, quod abest à mediocritate: unde humores pituitosi, crassi, glutinosi, & tenues biliosi crudi dicuntur. Alio modo crudi intelligūtur, idest ad expulsionē non præparati. Galenus in quarto libro De sanitate tuēda, de his loquēs qui habēt crassos humores & crudos, medicādos non esse dicit, imò nec quicquam mouendū: inquit enim, Deiectio uero in talibus, tormina & rosiones creat, animiqꝫ deliquia, cū eo quod nec notatu quippiam dignum educit, quando crudi omnes succi, pigri, atqꝫ ad motum inepti, propter crassitudinem frigiditatemqꝫ sunt. Quo fit ut etiam omnes angustas uias obstruat, per quas id quod medicamentum deijcit, ferri ad aluum debeat: itaqꝫ nec ipsi educantur, & alijs sint impedimēto. Id quod sane Hippocrates illo oraculo præcauet, quo breuissime præcipit. Concocta medicamēto tentanda esse, non cruda. Eadem de causa nec exercitare, nec omnino mouere: sed nec lauare expedit eos, qui in primis uenis, crudorū copiam habent. Siquidem omnes id genus motus succos illos in totum corpus agunt. Post hæc Galenus his iubet dari medicamenta, quæ attenuent, dissecent, & conficiant succorum crassitudinem, idqꝫ citra manifestum calorē. nam qui excalefacti uehemētius succi sunt, hi in omnem corporis partem feruntur. Vt hinc ex Galeno sumi possit, syrupos attenuantes & aperientes dandos esse in crudis humoribus crassis, & etiam hos sy

rupos non debere esse multum calidos. Et quamuis hæc omnia in uno lassitudinis genere dicantur, tamen in ægritudinibus ipsis magis uera sunt.

Aliquis uero dubitabit, Et si non liceat uti medicamẽto dum materia est cruda, cur saltem non licet mouere? Id uidetur absurdum.

Respondemus, Imò non est absurdum. Nam & ab Hippocrate atq; Galeno id edocetur, & ratio in promptu est: quia id potius quod bonum est, remouetur, quàm prauum: tamẽ cõcoqui debet, idest syrupis præparari hic humor crudus, ut facilius quum tempus erit, exire posit.

Μὴ δ' ἐν ἀρχῇσιν, idest, Neq; in principijs.] Hoc est, non modo quæ prædicta sunt agere conuenit, sed neq; in principijs quicquam mouendum est: in quibus multi antiquiores mouere uolebant, & ægros purgare, quibus nunc obstat Hippocrates.

Sunt qui intelligant, non esse mouenda cruda, de materiebus pituitosis, crassis, & glutinosis. Hoc autem quod dicitur, Neq; in principijs: positum esse pro materia biliosa & tenui, quando non præparata fuerit. At sicuti hos non improbo, ita nec summe probo. Cur uero hæc agenda sint, Philotheus totam causam referre uidetur in naturam, quam imitari debemus. Inquit enim, ὁ γὰρ ἰατρὸς ὀφείλει τὴν φύσιν μιμεῖσθαι, καὶ ὥσπερ ἡ φύσις οὐχὶ πρότερον ὁρμᾷ πρὸς τὴν κένωσιν, εἰ μὴ πρότερον συμπέψῃ τὴν ὕλην, οὕτω καὶ ὁ ἰατρὸς, οὐκ ἄπεπτον, ἀλλὰ πεπεμμένην τὴν ὕλην κενοῦν ὀφείλει. εἰ γὰρ ἐστὶν ὠμὴ ὕλη, οὐκ εἴκει πρὸς καθάρσιν, καὶ χαλεπὰ γίνεται συμπτώματα. διὰ τοῦτο γὰρ ἐν ἀρχῇ εἶπεν, ἄπεπτος γὰρ τότε ἡ ὕλη, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῶν νοσημάτων. idest, Medicus enim naturam imitari debet, & sicuti natura primum ad euacuationẽ impetuose non aggreditur, nisi prius materiam concoxerit: sic & medicus non incoctam, sed coctam materiã euacuare debet: si enim materia cruda est, medicamento non obedit, & difficilia fiunt symptomata: ob hoc enim in principio dixit, nam tunc in morborum principijs materia incocta ut plurimum est.

ἢν μὴ ὀργᾷ. idest, Modo non turgeat, & de loco ad locum sine ordine & ratione moueatur.] Materiam turgere, sumptum est ab animalibus turgentibus, ad humores: nam animalia stare loco non possunt quodãmodo titillantia atq; impulsa, concitataq; à passione. Habent uero animalia pasionem, quando sunt ad coitum cõcitata, ut in primo quarti libri aphorismo, & in decimo, & in octauo libro De compositione medicamentorum secundum loca, Galenus docet: inquit enim, Materiam turgere, translatum est ab animalibus quæ ad coitum properant, quum naturali cõcupiscentia moueantur ad seminis excretionem. Ita in nostro corpore inuenitur materia, quæ de loco ad locum quandoq; mouetur, & stare loco nescit, adeo ut ægrotantes multum infestet. Tunc in principio medicari debemus, ne materia hæc inconstans membro nobili insigatur, & perimat. Apud Galenum uero hæc materia ita commota, re aliqua indiget, tanquam manu ad expulsionis uias trahente. Idq; facile fit, quoniam suapte natura mobilis est & fluens. Si uero in locum aliquem insigeretur, & statutum membrum sibi eligeret, turgida non esset: nec ante coctionem euacuanda erit, quia motum non habet, qui ipsam ad exeundum adiuuet, sicuti habet illa quæ turget. Nonnulli uero putant etiam materiam illam turgere, quæ & si absq; ordine de loco ad locum non mouetur, saltem ad uias expulsionis aptas mouetur, ut facile educi posit. A quibus non multum dissentio, nam materia quæ in uia est, & si uere turgida non sit, tamen non est opus coctionem aliquam expectare, sed medicamento facile educitur. Nec obstat quod Galenus in octauo De compositione medicamẽtorum secundum loca, in hiera Themisonis dixerit, materiam turgẽtem esse quæ nondum ullam habeat ad unam partem inclinationem firmam. At materia quæ ad uias exitus mouetur, ad unam partem inclinationem habet. Igitur turgida non est. Nos uero dicimus, uias exitus in hoc Galeni loco non dici partes statutas, sed sunt canales per quos hæc materia exire debet: quam nos ideo turgidam uocamus: non quia ad membrũ nobile moueri posit, sed quia sibi ipsi opem & manum porrigit, ut facile expellatur. Ex hoc enim translatum est uerbum ὀργᾶν, id est Turgere, ab animalibus ad coitum concitatis, & quia hinc inde mouentur, & quia semen ad uias exitus dirigitur: ut parua etiam confrictione exire posit. Vnde materiam turgidam non solum facio ob motum de loco ad locum, in quo periculum est ne membro

membro nobili infigatur, sed etiam ex facilitate sui exitus, quia ipsamet sibi ipsi opem fert. Vnde duo erunt materierum turgentium modi: unus, qui consistit in motu materierum ad uias exitus: alter, qui in materiæ motu de loco ad locum. In primo, uel cocta uel cruda materia, purgare possumus & debemus, & quicquid fiat, nullum imminet periculum. In secundo, in principio purgare cogimur, ne materia ita incerto motu agitata membro nobili infigatur, & perimat. De primo nullam mentionem facit Hippocrates, uel Galenus, utpote de eo in quo quicquid feceris, aut nullum, aut modicum impedimentum sequitur. De secundo, ubiq; disseruerunt: quoniam ex eo multi desiderati sunt, qui in hoc casu Hippocratis præcepta non obseruarunt: & est ualde periculosus hic turgidæ materiæ modus. Et si tibi hæc uideantur ad libitum dicta, constabit statim, quum materia est in uijs, uel ad uias mouetur, etiam absque coctione euacuanda esse: Sub turgida Hippocratis & Galeni materia contineri posse: nam iubent concocta medicãda, nisi materia turgeat. At illa quæ sunt in uijs in principio non sunt concocta: tamen sunt absq; coctione euacuanda.

Igitur ad turgentia deduci possunt: quæ si tibi placeant, gratum nobis erit: sin minus, liberum unicuique sit sequi quos uelit, & sibi ipsi alia his forsan meliora fingere. Sed hæc etiam uera esse non diffidimus.

Vnum tamen nos addemus: Galenum in eo libro qui inscribitur De dictionibus Hippocratis, uerbum ὀργάω, hoc modo interpretari ὀργάσασθαι, ἀναμῖξαι, συγκερᾶσαι. idest Orgasasthæ, immiscere, commiscere.

τὰ δὲ πολλὰ οὐκ ὀργᾷ.] Antiquus noster contextus legit, τὰ δὲ πλεῖστα. idest, Plurima uero non turgent. Nam, ut Galenus dicit, raro materia mobilis est, sed ut plurimum est fixa, & in eodem loco ad coctionem usq; permanet. Philotheus putat solum turgere κατόξεα νοσήματα, τὰ γὰρ λοιπὰ οὐκ ὀργᾷ. idest, Peracutos morbos, reliqui uero non turgent.

Nos uero hic ad pleniorem doctrinam, & ne silentio prætereamus id quod nunc in publicis scholis multorum animos uexat, quæstionem illam discutere instituimus, quæ inter eos qui Auicennam sectantur, & qui Galenum uersant, quamuis arbitremur Auicennam in hac re idem cum Galeno sentire. Est autem quæstio illa, Nunquid in principio ante coctionem euacuare expediat, uel potius concoctio expectanda sit, etiam si materia non sit furiosa & turgida: hicq; duo agemus. Primò, secundum Hippocratem & Galenum hanc rem discutiamus. Deinde, simpliciter in natura.

Sed prius quàm ad primum accedamus, tota quæstionis inscriptio exponenda est. Primò uidere oportet, quid sit concoctio: hic per concoctionem intelligimus materiæ præparationem ad exitum, quæ præparatio exigit etiam uias paratas. Nam de concoctione quæ est transmutatio nutrimenti in naturam nutriti, uel saltem præparatio, hic sermo non fit. Euacuatio, quam Græci κένωσιν uocant, est commune uocabulum tam ad uenæ sectionem, quàm ad medicationem, & eductionem per urinam, per sudorem, per secessum, & per quemcunq; alium locum. Nunc de sectione uenæ sermo non fit, quoniam apud Galenum constat, in sectione uenæ, quando fieri expedit, non esse coctionem expectandam: sed de purgatione solum agitur, quę duplex est: altera est, quam recentes eradicatiuam uocant: altera, quam minoratiuam. De eradicatiua nihil agendum est: quia nullus adeo uecors inuenitur, qui in principio cruda existente materia eradicatiue purgare tentet: sed solum de minoratiua euacuatione loquemur.

Additur uerò, si materia non sit turgida: quia quum turgida est, euacuare conuenit, etiam si crudissima esset. Vnde hoc quæremus, an liceat medico in morborum initijs, quum materia cruda est, minorare materiam, ut natura supra residuum fortior effecta, facilius concoquere possit. Hoc supposito, quod fixa sit, & non turgida.

At rem hanc exquisitius pertractabimus, si quid intelligere oporteat per turgidam materiam exponamus.

Recentes medici multos materiæ turgidæ modos enumerant. Primò, inquiunt, materiam turgidam dici ob multitudinẽ, etiam si fixa sit: unde si quis multis humoribus abundet, ob multitudinem euacuandus est, quamuis cocti non sint, ne uel aliquod uas disrumpatur, uel intrinseca uis suffocetur.

Sed hic turgidæ materiæ modus Hippocrati atq; Galeno aduersatur. Nam ubique Galenus, ut in octauo De compositione medicamentorum secundum loca, hic & in quarto libro, aphorismo primo atq; decimo, iudicat materiã ὀργᾶν, idest turgere, quæ de loco ad locũ mobilis est. unde & si fuerit multa, & adhuc plus quàm dixerint, modo firma sit, non est turgida: neq; purganda, nisi cocta fuerit: imò non solum materia de loco ad locũ mobilis turgida est, sed exigitur motus præceps atq; impetuosus, non autem paruus & mitis. Vnde Galenus in eo libro Quos oporteat purgare & quo tempore, inquit, Turgere autẽ humores dicuntur, quum motu impetuosiore excitati à corporis partibus sub morbi initia ad partes deinde decurrentes, doloremq; inferentes hominem infestant, murmurantes & quietem in totum auferentes: materia ergo turgida impetũ habet: quod expresissime ostendit uis Græcæ uocis ὀργᾶν, quæ impetuosam quandam commotionem significare uidetur. Materia ergo ob multitudinem turgida esse non potest, nisi motum simul concitatum nacta sit, atq; impetuose uagantem.

Præterea, si materiæ multitudo turgidam materiam facit, absurde ab Hippocrate dictum esset, & à Galeno in Commentarijs cõfirmatum: plurima uero non turgent, imò plurima turgerent, & non raro. Tamen Ioannes Manardus egregius nostra ætate uir, probat materiam quantitate peccantem esse in principio euacuãdam, etiam si non turgeat. Concedit ergo non esse turgidam materiam ex multitudine, sed esse euacuãdum. Quod his ferè argumentis probat. primò si bonus athletarum habitus euacuãdus est, & statim, & hoc non nisi ex abundantia. Igitur & malus ægrotantium habitus, in quibus materia superabundat, statim est euacuandus.

Præterea, si Socrates ex plenitudine uitiosorum humorum febrem incurrat, quum prius euacuatione indiguerit, eadem etiam quando febrem habet, indigebit: & multo magis, quia ex febre spirandi necessitas fit, & uires opprimuntur.

Præterea, eadem ratione qua turgentem humorẽ euacuare cogimur, materiæ abundantiam euacuare incitamur: nam eadem imminent pericula in materiæ multitudine, quæ in eius turgentia. In eius autem turgentia sequitur uirium dissolutio (nisi euacuatio fiat) caliditatis febrilis augmentũ, & periculum ne humores, qui per corpus uagantur, in aliquod principale membrum decumbant. Eadem pericula sunt in materiæ copia: nam & uires deijcit, & febrem intensam facit, & ad membra principalia decumbere potest materia multa.

Addit, facilius occurri materiæ turgidæ, quàm multæ: turgida enim reprimi potest. Sed multa, nullam habet uiam, præter euacuationem qua corrigi possit.

Deniq;, si humores qui de loco ad locum mouentur, euacuari debent, Igitur & qui maxime aucti aliqua ex parte euacuãdi sunt, quum absq; motu omnia ferè loca etiam nobilissima complet.

Hæc sunt Ioannis Manardi argumenta, quibus probat in multitudine humorum absque aliqua coctione in principijs euacuandum esse.

Nos uero ab ea sententia quam prædiximus, nec iota unum per hæc argumenta dimouemur. Putamus enim apud Hippocratem & Galenum non esse in principijs euacuandum, idest quum materia cruda est, etiam si plurima fuerit. Si totum corpus plethoriam patiatur, sectio uenæ fieri debet. Si uero humor aliquis abundet, & fixus sit, euacuare non oportet, nisi concoctus fuerit. Nec illud ualet, quod per athletarum exemplum ponitur: nam in sanis quocunq; tempore euacuare licet: in ipsis enim materia parata est, sed in ægris imparata: & ideo non est æqua ratio in athletis sanis atq; repletis, & in ægris, in quibus omnia sunt obstrusa, & materia ad exeundum inepta.

Ex his statim argumentum illud de Socrate aufertur, qui quum sanus est, indiget euacuatione, & cum febre corrumpitur, tanto magis euacuatione indiget. Sed æque fieri non potest quum febrem habet, sicuti quum absq; febre erat.

Nec eadem sunt discrimina in multa materia, & in turgente, ratione euacuationis. Nam materiam turgentem facile euacuare potes ante coctionem per leue medicamentum, quod naturam non perturbabit. Hoc autem in multa materia & inconcocta fieri non potest: mouebis enim eodem medicamento, sed non educes. Propterea & si quo ad esse corporis eadem uideanẽ esse pericula: tamen quo ad euacuationẽ sunt longe plura

ge plura

ge plura in multa materia, quàm in turgida. Concedimus præterea, nullam esse uiam reprimēdi multam materiam, præter euacuationem, si fieri debet, quando omnia sunt apta & parata, non ita temere in principijs, in quibus magis lædimus, quàm iuuemus. Et quod dicit de humoribus omnia loca occupantibus, si plethoria sit, uenæ sectio statim fieri debet. Si uero unus uel duo, uel tres humores fuerint, prius præparatio fieri debet. Ex his ergo colligere potes, in humorum abundantia non esse turgidam materiam, ut primi illi putarunt, & in eadem abūdantia quando materia penitus cruda est, non esse euacuandum, ut Manardus putat.

Alter est turgidæ materiæ modus ratione uenenositatis materiæ, etiam si in membro aliquo fixa sit. Sed nos & hunc modum ab Hippocratis & Galeni dogmate alienum iudicamus, qui in materia quantumcunq; uenenosa medicamētum exhibendum non iudicarunt, nisi materia turgeat, idest de loco ad locum irrequieto motu concitetur, & sibi ipsi ad exitum opem ferat.

Sed celeberrimus uir Ioannes Manardus prima epistola libri decimitertij totis uiribus cōtendit, ut probet, uenenosam materiā turgidam esse, & absq; præparatione euacuandam. Docet enim primò materiam turgidam esse ob mordacem caliditatem, quæ quodammodo unam partem exurit, ex quo ad aliam transmittitur. Idemq; in illa altera parte fit. Igitur ratione qualitatis turgida. Præterea in pestilenti morbo in principijs purgare cōuenit, ut testis est Galenus in quinto Methodi medendi libro, ubi edocuit, in illa immani pestilentia, illis qui incolumes euasere, multis per uomitū, omnibus per uentrem corpus antea fuisse & purgatum & exiccatū. Igitur in pestilenti morbo, absq; ulla præparatione in principijs purgare conuenit.

Nos autem (huius uiri pace accepta) dicimus calidam quidem qualitatem causam esse cur turgeat materia, tamen hoc esse calidum, non est immediata causa cur euacuari debeat, sed potius mediata. Immediata uero est, quia loco stare nescit, & concitata se ipsum ad exitum præparat. Quod autem ex Galeno adducit in illa sæuissima pestilentia, ad rem nihil facit. In eo enim loco Galenus de asperæ arteriæ ulceribus agit, & de his qui pestilenti morbo affecti, ephelcida, idest ulceris crustulas ex tussi expuebant. In illo enim loco Galenus de spontina purgatione loquitur: nam pestilenti tēpore multi incidunt alui profluuium, ut fere uideatur alui profluuium pestilentię peculiare, imò aliqui incidunt surditates, deinde alui profluuium, iterum surditates, postea ad alui profluuium redeunt, ut multi fecere in illa millesimi quingentesimi uigesimioctaui, sæuissima pestilentia à Manardo citata, & nos in principio multos ita affectos curauimus: in processu uerò in Galliam cum illustrissimo principe nostro Hercule duce Ferrariæ quarto, profecti sumus. Vnde Galenus de spontina euacuatione intelligit, & non de illa quæ per medicamentum fit. At si dixerit, Ex spontina euacuatione modum curandi sumi, nos hoc imus inficias: addimusq;, nos uidisse in illa millesimi quingentesimi uigesimioctaui pestilentia, omnes ferè desideratos esse qui medicamentis sunt purgati: imò medicamenta alui profluuium letale in pestilenti tempore inducere possent. Propterea & in pestilentia dicimus non esse purgādum ægrum, nisi materia turgeat, quando cruda est. In hoc uerò casu plurima turget.

Vocant & recentes materiam turgidam ratione loci: unde si in corde uel cerebro materia infixa sit, illam turgidam uocant, & statim euacuandam iubent. Quod nobis certe ab Hippocratis & Galeni decretis alienū uidetur, qui turgidam uolunt esse materiam illam, quæ incerto instabiliq; motu concitata est: tamen periculosa dici posset: uerum euacuanda non est, si in hoc membro sit fixa & cruda, sed prius præparanda, ne ex motu per quem nihil nocui exit, pereat homo. Adde, quod nec leuissimum medicamentum, nec aloen ipsam uoluit exhibendam Galenus in octauo De cōpositione medicamentorum secundum loca, in hiera Themisonis, in inflammatione stomachi ante coctionem. Quin & in tertio Methodi libro, in cura inflammationis iecoris ante coctionem, prohibet ne aloe exhibeatur, uel quicquam quod urinam ciere posit: propterea materia in membro nobili fixa euacuari non debet, nisi postea quàm præparata fuerit: tamen si alia materia per corpus uagaretur incocta, ne in idem membrum insligatur, & inflammationē augeat, statim purganda est. Sed hoc ideo fit, quia turgida est.

Simpliciter

Simpliciter ergo crudam materiam quæ infixa est, uel integre, uel pro parte euacuare non oportet.

SED Ioannes Manardus multis modis in principijs euacuãdam esse probat, quos modos hic breuibus in ordinem disponemus.

Primò supponit Hippocratem de medicamentis suo tempore cognitis mentionem facere, quæ & calidissima erant, & corpus magnopere agitantia: & ideo illa prohibet in morborũ initijs exhibenda. Nos uero & frigida & temperata habemus medicamenta, quæ ab antiquioribus illis ignorabantur: qualia Ægyptia siliqua, tamarindi, manna, myrobalani, & alia huius generis facilia, quæ quocunque morbi tempore præbere nihil impedit. Imò experientia docet, si exhibeantur, conferre: & ipse per quadragintaocto annos in principio Ægyptiam siliquam, cassiam uocatam, cum tertia parte Diaphiniconis medicamenti, magno semper ægrorum commodo præbuit.

Præterea Hippocrates in secũdo Aphorismorum libro, aphorismo uigesimonono, dicit: Quum morbi incohant, si quid uidetur mouendum, moue. Galenus uero in huius loci Commentarijs docet, Interdum in morborum salubrium initijs purgationem esse faciendam, ut minorem iam factam materiam natura facilius concoquere ualeat. Quod autem Galenus interdum faciendum dicit, nostro hoc æuo crebrò, & quotidie ob ganeam, ob ingluuiem facere expedit. nam antiqui quotidianis exercitijs, frictionibus, balneis, ciborum superflua discutiebant atque resoluebãt. Si ergo antiquo illo seculo, in quo sobrie uiuebant, quandoque in morborum initijs Hippocrates purgandum iussit, in nostro hoc, ad ganeam & compotationes prono, creberrime in initio purgare expediet.

Adde, Hippocratem in laterali morbo, in quo materia de loco ad locum non uagatur, in quarto De ratione uictus in morbis acutis, medicamentum præbuisse: & Galenus in Commentarijs, modo prima die, modo secunda, modo tertia, modo quarta, modo quinta, medicamentum exhibuisse fatetur.

Quarto, Galenus in Methodo medendi, in principio ad animi usque defectum sanguinem mittit: quod in doloribus etiam in sequentibus aphorismis facit.

Quinto, Galenus in quarto De sanitate tuenda, hac regula usus est, Quoties uenæ sectione egens, eam detrectat, uicariam ei subijciẽdam copiosiorem purgationẽ. Quod quum ita in principio, sicuti materia iam cocta possit contingere: sequitur, in hoc casu recte in principio fieri posse purgationem.

Sexto, idem Galenus primo libro De compositione medicamentorum secundum loca, nulla præcedente coctione aut præparatione, utranque bilem purgat in alopecia. & paulò deinde, idem facit in manantibus capitis ulceribus, quas Græci ἀχῶρας uocant: & in libro secũdo, Idem facit in capitis dolore: & libro decimotertio Methodi medendi scriptum reliquit, Multos uidisse, quibus inflammatio in oculis cœperat, sola per inferiorem uentrem purgatione una die fuisse curatos.

Septimo, Hippocrates in Epidemijs, In uulneribus & fracturis plerumque purgatione utitur absque ulla concoctionis mentione. Imò nunquam inuenies Galenum in alijs à febre morbis coctionem expectantem.

Octauo, tenues humores uel imbibiti sint in uasculorum parietibus, uel in ipsis uasculis sint, nunquam ab Hippocrate uel Galeno præparãtur, quum suapte natura fluidi sint: unde tenues humores in tunicis uetriculi receptos, septimo Methodi libro, absque coctione per picram purgare docet, aut per aquam mulsam, in qua sit decoctum absinthium: tenacem uerò pituitam uentriculo annexam incidi iubet ante purgationem. Quum igitur humores erunt tenues, in principio purgari poterunt, quoniam nihil aliud exigitur, ut Galenus in illo aphorismo docet, Corpora ubi quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere: & in Commentatione aphorismi uigesimi quarti, primi libri.

HÆC sunt acerrima doctissimi uiri tela, quæ apud Galenum & Hippocratem, in principijs purgandum esse suadent, quando materia cruda sit, etiam si non turgeat. Quibus Auerrois sententiam addere cogitauimus, qui septimo sui libri inscripti Colliget, hoc argumentum facit: Sicuti in principio absque ulla coctione sanguinem mittimus

mus, eodem modo medicamentum dare conuenit. Si dicas per medicamentum tam bonum quàm malum euacuari. Idem contingit in uenæ sectione: unde si uenæ sectionem facere potes, & medicamentum dare nihil prohibebit, præsertim quum æque ex missione sanguinis, sicuti ex medicamento commouentur humores. At si dixeris, medicamentum supercalefacere, quod sectio uenæ non facit, Auerroes ad frigidum medicamentum confugiet. Et si addideris, In exhibitione medicamẽti timorem incidere, ne moueat & non educat, & ne in hoc uiro obstructio magna sit: Auerroes uirum quendam accipiet, quem optimè noscat, & quem nullam obstructionem habere sciat.

Sunt equidem hæc argumenta docto uiro digna, sed talia, ut nos à nostra iam dicta sententia nec pauxillum dimouere possint. Dicamus igitur apud Hippocratẽ & Galenum, in principijs, idest quando cruda est materia, nunquã purgandum esse, uel etiam ea purgatione, quę solam materiæ peccantis portionem educit, quam recentes minoratiuam uocant. Quod ubiq; locorum, ubi de hac re mentio contingit, ab Hippocrate & Galeno edocetur. Reliquum uero est, Manardi rationes soluere. Prima igitur Manardi ratio in idem incidit, quod ab alijs recentibus uerum putatur, scilicet in principijs non esse euacuandum forti medicamento, sed debili. At nos simpliciter dicimus, Si medicamentum materię crudæ portionem euacuet, uel sit aptum euacuare, ob id non esse dandum, quoniam tam bonum, quàm malum educet. Imò Galenus, in inflammatione uentriculi hieram exhiberi prohibet, quæ tamen debile medicamẽtum est: unde si leue medicamentum ob hanc intentionem propinabis, ut materiæ partem educas, quæ cruda est, aberras, & ab antiquorum regulis deuias. At si ob alia intẽtionem præbere tentes, ut communes feces educas, & illa quæ in uentriculi cauitate, & intestinis continentur, Aegyptiam siliquam exhibere nihil impedit. Etsi Manardus per tantum temporis spatium in principijs quum materia esset cruda, Aegyptiam siliquam & medicamẽtum de dactylis nuncupatum propinauerit, & semper prodesse perceperit. Scire oportet non prodesse, quia crudam materiam euacuet: sed quoniam & cõmunes feces & materias aliquas in mesenterei uenis contentas educit, & quia aliqua præparata materia in corpore inuenitur, quam medicamentum educit.

Ad secundam, magna recentiorum pugna est in expositione huius aphorismi, ut suo loco ostendemus. Nunc uero nos dicimus, Si quid uidetur mouendum uel per uenæ sectionem, uel per medicamẽtum, uel quocunq; alio modo: per uenæ quidem sectionem, si abundet sanguis: per medicamentũ uero, si materia turgeat, uel sit facta coctio: ut contingere potest in trium dierum spatio, nam & principium trium dierum spatium significat, ut Galenus in libro De crisibus docet. An uero nunc in ganeam procliuiores sint, quàm Galeni tempore fuerint, ambigimus. Nam totus Seneca, qui ante Galenum scripsit, obiurgationibus in ganeam & gulæ scitamenta scatet: sed esto, sit nostra hæc ætas in ingluuiem magis prona: obstructionibus etiam abundabit, & crassioribus glutinosioribusq; materiebus, ut nostra corpora ad medicamenta ineptiora sint, nisi præparentur. Id uero quod à Galeno in commentarijs uigesiminoni aphorismi secundi libri citatur, quod in principijs nonnunquam sit euacuandum, id intelligere oportet, quando rationabiliter fieri debet: nam tũc minor facta materia natura illã facilius cõcoquere potest.

Ad tertiam, de laterali morbo medicamentum exhibet, non ut materiam euacuet in inflammatione contentam: sed ut eam quæ ad locum læsum discurrere posset, & inflammationem augere abducat, quæ ad exitum præparata est, uel præparatũ supponit: imò hoc sæpe contingit, quod materia alia cocta est, quæ in toto corpore continet. Illa uero quæ inflammationem facit, cruda est, & in toto corpore coctionis signa apparebunt, in inflammatione minime: imò si reliqui totius corporis humores crudi sint, quod facile per urinam ostenditur, euacuare non oportet, & Hippocrates atq; Galenus in hoc casu non euacuarent.

Ad quartam, de uenæ sectione in hac difficultate non agimus, quoniã nullus est qui inficias eat, illam ante coctionem in principijs fieri debere.

Ad quintam, Galenus in hoc citato loco de sanis intelligit, quos præseruare docet: in his uerò nulla coctio expectatur. In libro enim De curandi ratione, per

medica-

medicamentum, ante febrem euacuat. Sed incipiente febre, id non facit, nisi postquàm materia cocta sit. Et in libro, Quos oporteat purgare: quando & quibus medicamẽtis, quando uena secanda sit, quando medicamentum exhibendum, & quando aliter euacuandum sit, edocet: hæcq; in sanis absque aliqua præparatione facit, quam semper in ægris expectat. Nec proportio ualet, hæc possent contingere in morborum initijs, ergo in principijs recte fieri posset: nam & si quis in morborum principijs uenæ sectionem detrectet, purgãdus non est: quia materia ex ui medicamẽti ad exitum est inepta.

Ad sextam, purgat Galenus utranq; bilem, quæ in toto corpore est, præparatam in alopecia: non tamen illam quæ actu alopeciam facit. Idem euenit in emanantibus capitis ulceribus, & in capitis dolore. Oculorum uero inflammatio ob medicamentum eadem die sanatur, quia totius corporis materia quæ in oculum progredi posset, euacuatur. Illa uero quæ inflammationem facit, nulla amplius subministrante, facile atq; breui absumitur.

Ad septimam, In uulneribus & fracturis, omnes corporis humores præparati sunt: nam in principijs febre carere solent, & eos euacuamus, qui ad locum nondum peruenere, aut fractum, aut uulnere affectum: idemq; in alijs à febre morbis contingere non diffidimus.

Ad octauam, Tenues humores, si uiæ paratæ fuerint in principijs educendi sunt, quia nulla alia coctione indigent. Vnde & Galenus in libro, Quos oporteat purgare: serosos humores à principio purgare suadet, nulla coctione expectata. In crassis uero expectandam iubet. Intellige autem præparationem uiarum præcessisse. Non desunt tamen qui dixerint, in principio tertianæ febris eo purgandum esse, quia materia turget: nam de loco ad locum mouetur. At nos dicimus, in tertiana febre moueri quidem materiam in principio, partim ad uentriculum, partim ad uenas, partim ad musculos. Sed ex hoc turgere non dicitur, quoniam ordinate mouetur: turgida uero materia de loco ad locum impetuose rapitur, & modo huc, modo illuc uage discurrit.

Ad Auerrois argumentum dicimus, non esse æqualia uenæ sectionem, & medicamenti propinationem: nam in medicamenti exhibitione multum uereri oportet, quod in uenæ sectione non conuenit: non enim similia sunt: nam medicamẽta præsertim illa quæ à uenis totius corporis educunt, recte educere non possent, nisi quidpiam ueneni participarent, ob quod & uis imbecillior redditur, & natura ipsa afficitur, quæ in sectione uenæ non contingunt. Præterea medicamentum, totum corpus calefacit, & mire febrem exauget, quod à uenæ sectione fieri non potest. Si dicas, te medicamenti caliditatem moderaturum, hoc uanum est: quia si frigidum addideris, opus erit, te medicamentum calidum augere, si humores ducere habeat, quos caliditate sua educit. Adde, alium esse humorum motum in uenæ sectione, & longe diuersum, alium in medicamẽto: nam in uenæ sectione est sanguinis motus assuetus, qui per uenas continuo discurrit, & hoc suapte natura facit: quum uero exit, etiam discurrit. Medicamentũ uero, motum præter naturam & insuetum in humoribus facit: nam uiolentia quadam & ui præter naturam humores extra uenas ducit, & unum ab alio segregat, quos natura simul miscuerat: itaq; humorum coctio in uenis impeditur. Vides ergo medicamenti differẽtiam, & uenæ sectionis: propterea in morborum principio sanguinis missio fieri debet, & non per medicamentum euacuatio, nisi postea quàm materia cocta fuerit.

Nunc igitur in hac materia receptui canamus, dicentes duplex esse medicamentorum genus: aliqua aluum lenientia, aliqua per electionem educẽtia, quæ à Græcis καθαρτικά, idest purgatoria uocantur. Prima illa medicamenta quæ aluum leniunt, & emolliunt, & quæ illam lubricam faciũt, in principio absq; ulla coctione dari possunt: nam id solum educunt, quod in uijs inueniunt: & non materiam peccantem quæ cruda est. At medicamenta purgatoria dari non debent, si materia cruda fuerit: neq; ad integram purgationem, neq; ad particularem faciendam: sed expectanda concoctio, nisi materia turgeat, & nisi sit in uijs exitus. Sectio autem uenę & sanguinis missio in principijs potissimum fieri debent.

GALENVS

CONSVEVIT Hippocrates dicere Medicari, pro Vti medicamẽto purgante. Verbum autem Turgere, translatum est ab animalibus ad humores. nam sicuti illa stare loco non possunt quodammodo titillantia atq; impulsa cõcitataq; à passione: sic & humores plerunq; in motu uehemẽtiore atq; transfluxu, ab una parte ad aliam, in morbi principio, hominem infestant mouentes, fastidientes, titillantes, & quiescere non permittentes, quum & ipsi pariter moueantur & transfluant, & tanto motu de loco ad locum, ægrũ molestent. Tales itaq; humores euacuare conuenit, hoc est qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt: eos uero qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neq; alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem. Tunc enim & naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantẽ, uidetur siquidem & ipsa post coctiones, humores discernere, & superfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes. Sed quũ perfecte ipsa mouetur, medicamento opus non est: si uero mediocrius atq; imbecillius agat, id quod deficit oportet supplere, ut ex utroque noxij humoris fiat euacuatio, natura quidẽ expellente, medicamento uero attrahente. Ostensum enim est à nobis in commẽtarijs De potentijs naturalibus, naturam uniuscuiusq; particulæ quatuor uti potentijs, & attractiua proprij alimenti, & eiusdem retentiua, & præterea concoctiua, & quarta alienorum expulsiua. Singula uero medicamenta proprium sibi attrahũt humorem. Bene autẽ sermoni addidit, Plurima uero non turgent: & discere oportet hoc ab experientia, quòd uidelicet humorũ transfluxus ab una parte ad aliam raro contingunt, sed frequentius quietẽ habent, & in una aliqua parte consistunt, in qua etiam concoquuntur toto morbi tempore usq; ad eius solutionem. Scire autem oportet, quòd in quibusdam exemplaribus hic aphorismus scriptus non est, in libro autem De humoribus passim scriptus inuenitur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus uerbum φαρμακεύειν, idest Medicari, exponit: quod dicit apud Hippocratem accipi pro eo quod est, Vti medicamento purgante.

SECVNDO docet, uerbum ὀργᾶν, idest Turgere, per translationem dictum esse ab animalibus turgentibus ad humores: nam sicuti animalia ad coitum concitata, stare loco non possunt: sed modo huc, modo illuc uagantur: à passione quæ tentigo est, agitata. Eodem modo in nostro corpore humores, quandoq; in morborum principijs uehementer moti ægrum ipsum infestant, & fastidio afficiunt.

Quod legitur, Translatum est ab animalibus ad humores: Græce legitur, Ab animalibus turgentibus ad humores. nam Græce dicit, ἀπὸ τῶν ὀργώντων ζώων.

Quod etiam legitur, Stare loco non possunt. Græce est, ἡσυχάζειν οὐ δύναται. quiescere non possunt.

Et quod legitur, Titillantia: Græce est, γαργαλιζόμενα.

Et illud, Cibum fastidientes: in Græco codice non habetur.

Quod etiam legitur, Quum & ipsi pariter moueantur. lege, Sed ipsi: nam Græce habetur, ἀλλὰ αὐτοί.

TERTIO Galenus docet, humores turgentes, & qui de loco ad locum uagantur, esse euacuandos, etiã si crudi sint. Sed in aliqua corporis parte firmatos, euacuare non debemus, neq; alio auxilio mouere ante coctionem. In his uero qui concitati sunt, euacuare licet: quia tunc naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantẽ: nam & eadem natura post coctionẽ humores discernere, & superfluitates expellere uidetur, quo tempore iudicationes fieri solent. In nostro antiquo contextu, hoc uerbum Iudicationes, dupliciter legitur: uno modo, διακρίσεις, quam lectionem & contextus Aldinus habet: alio modo, ἐκκρίσεις.

QVARTO docet, quum natura perfecte mouet, & humores euacuat, tunc medicamento non egemus: at si imbecillius agat, & inepte euacuat, opus est ei quod deficit medicum supplere, ut partim ex natura, partim ex medicamento perfecta fiat euacuatio, natura siquidem expellente, & medicamento attrahente. In omni enim nostri corporis particula sunt quatuor uirtutes, ut in libro De potentijs naturalibus ostẽsum est: hisq; natura, idest uis intrinseca, ueluti instrumentis utitur: attractiua proprij alimenti,

retentiua, nutritiua, & superfluitatum expulsiua. Addendum præterea est: Omne medicamentum proprium humorem sibi attrahere. Quod fieri dicit Galenus à quadam substantiali similitudine.

Quod legitur, Id quod deficit, oportet supplere. addi debet Medicantes: nam Græce legitur, τὸ λεῖπον, αὐτὸ χρὴ προσθεῖναι φαρμακεύοντας.

QVINTO Galenus docet conuenienter additum esse, plurima uero non turgent, quoniam humorum de parte ad partem transfluxus raro contingunt, sed frequentius quietem habent, & in una parte consistunt, in qua toto morbi tempore, usque ad eius solutionem concoquuntur.

Denique notat, hunc aphorismum in quibusdam exemplaribus scriptum non esse, tamen in libris De humoribus scriptus inuenitur.

Quod legitur, In libro autem De humoribus passim scriptus inuenitur: Græce est, ἀλλὰ μέν τοι τὸ περὶ χυμῶν ἐν ἅπασι γέγραπται. idest, Sed in omnibus libris De humoribus scriptus inuenitur. Tamen & Oribasius in suo contextu non habuit, quoniã neque illum interpretatur, neque mentionem aliquam eius facit.

APHORISMVS XXIII

DEiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

BRASAVOLVS

IDEM Hippocratis tẽpore fuisse arbitror, quod nunc apud uulgus usu uenire compertum est: nam in medicationibus excrementorum multitudinem considerant, imò & nonnulli medici ægros solum interrogãt, an multũ multisque uicibus excreuerint. Quod si factum sit, euacuationem illam extollunt, non considerantes, an talia expurgata sint, qualia expurgare oportebat. Sed hæc aliàs: nunc ad rem accedentes, dicamus, Hippocratem superius qualitatis euacuandæ indicia posuisse: nunquã uero de quantitate mentionem fecerat: propterea in hoc loco terminum euacuationis quo ad quãtitatem, edocere statuit. Terminus uero ex tolerantiæ facilitate habetur, unde deiectiones arte uel natura factæ, multitudine sua æstimandæ non sunt, ut is qui euacuatur, multum excreuerit. Sed considerare opus est, nunquid illa quæ excernuntur, talia sint, qualia excernere oportebat: & is qui euacuatur, facile ferat: nempe si facile ferat, & alleuietur, satis excretũ est: præsertim quum talia exierint, qualia exire oportebat. Adde si in aliquo ægro usque ad animi defectum ducere opus sit, ducendum est: præsertim si æger ferre possit, at si ferre non posset, ad animi defectum ducere non cõuenit. Vnde Oribasius dicit, copiam uero nõ æstimare oportet: uerbi gratia, Ingreditur ignarus medicus exhibet auxilium quod per uentrem purgat, purgat tres sextarios. Nihil proficit naturæ, quia non deposuit contrarium humorem. Accedit enim peritus medicus, & non considerat copiam quam purgauit, & iterat purgationem, & dat humori delinquẽti proprium, unde hemina deijcitur, continuo facile fert natura, quia leuata est inimico. Philotheus hoc modo aphorismum introducit, ἐν τοῖς πρὸ τούτου ἀφορισμοῖς, περὶ καθάρσεως διελέχθη, ἐν δὲ τούτῳ κριτήριον ἐκκαθάρσεως παραδίδωσι τὴν εὐφορίαν. idest, In his aphorismis qui hunc præcedunt, de purgatione disputatum est. In hoc autem iudicium excremẽti seu egestionis tradit, quod bene ferat, uel ægri tolerantiam. Hippocrates in libro De humoribus, præsentem aphorismum hoc ordine scripsit: primo hic præcedit, Quæ ducere oportet, eò ducenda & agenda sunt, quæ conferant. deinde sequitur, Quæ copia ne respectato, sed donec qualia oportet, facileque ferat, pro[illegible]unt. Sed si dum hæc ages, male haberent, aliò uertito, & eò ducito, cuius causa hoc [illegible]. Sed cum primis, suffecturus necne sit languens, considerato.

Τὰ χωρέοντα. idest, Deiectiones.] Et potissimũ illæ quæ per aluum ducuntur, quamuis & ad alias omnes ampliari possit.

Καὶ τὰ

μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι. idest, Non multitudine æstimandæ sunt.] Nam solum earum malam qualitatem, & ægri tolerantiam considerare debemus.

ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ, καὶ φέρῃ εὐφόρως. idest, Sed si talia deijciantur qualia oportet, & æger facile ferat.] Hæc duo sunt quæ euacuationem obseruandam esse & æstimandam faciunt: qualitas excrementorum, & bona tolerantia. nam si bonus humor excernatur, non bene tolerat: si malus, facile fert. Et ideo Philotheus dicit, τοῦ γὰρ βλαπτικοῦ ἐκκενουμένου χυμοῦ πρόδηλον ὅτι εὐφορία τὸν κάμνοντα διαδέξεται. idest, Etenim humore noxio deiecto, absq; dubio bona tolerantia patientem excipiet.

Καὶ ὅκου δεῖ ἄχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων. idest, Et ubi oportet, usq; ad animi defectum ducere, & hoc faciendum, si æger sufficiat, uel satis habet uirium.] Sunt uero aliqui casus, in quibus usq; ad animi defectum ducere expedit. Galenus hos enumerat, maximam inflammationem, febrem aduretem & dolorem uehementissimum. Philotheus dicit, quòd Hippocrates his uerbis usus, μετήγαγεν τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καθάρσεως ἐπὶ τὴν κένωσιν. idest, A purgatione ad euacuationem uel uenæ sectionem, sermonem transtulit. Et statim prosequitur, in quibus, sic inquiens: ἐπὶ ποίων δὲ ἄχρι λειποθυμίας ἀγόμενα δῆλον, ὅτι ἐπὶ τῶν διακαῶς πυρεττόντων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τούτων οὐ πάντων, ἀλλ' ἐφ' ὧν ἔρρωται ἡ δύναμις. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων. δι' ἣν δὲ αἰτίαν μέχρι λειποθυμίας τὴν κένωσιν ἐπὶ τῶν τοιούτων φέρομεν, ὅτι οἱ καυσώδεις πυρετοὶ ἐπὶ χυμοῖς ἀνάπτονται σηπομένοις. δύο δέ τινα ἡ σηπεδὼν ἔχει, ὕλην σεσηπυῖαν, καὶ ποιότητος μοχθηρίαν. εἶτα μέχρι λειποθυμίας ἐπὶ τῶν τοιούτων πυρετῶν, ληφθεῖσα φλεβοτομία, τὸ ποσὸν τῆς ὕλης ὑφαιρεῖται, καὶ τὴν δριμεῖαν καὶ φλογώδη ποιότητα κατασβέννυσι, λειποθυμία γὰρ ψύχει τὸ σῶμα. idest, In qualibus autem manifestum est, quòd usq; ad animi defectum ducimus in calidissimè febrietibus: sed & in his non omnibus, at in quibus uires ualidæ sint: hoc enim est, si æger tolerare possit. Causa uero ob quam in talibus usq; ad animi defectum euacuationem ferimus, est, quoniam ardentes febres in corruptis humoribus incēduntur. corruptio uero duo quædam habet, materiam corruptam, & qualitatis malitiam: postea quàm in talibus febribus usq; ad animi defectum sectio uenæ facta est, & quantitas materiæ surripitur, & acritudo atq; accensa quātitas restinguitur: nam animi defectus corpus refrigerat. Oribasius uero tria enumerat, in quibus usq; ad animi defectum inanire cōueniat, inquiens, Nimirum in tribus, in mediorum tumore, causone febre, & dolore pedum. Et cur in tumore mediorum? Quia ex putredine fit, ergo ad defectionē ducendum præcipit, quod signum est abundantiam esse subtractam. In causone uero tam diu iubet uenæ sectione detrahi, usq; dum animus deficiat. Galenus refert, quendam hominem uenam incidisse laboranti causone, qui dolore excruciabatur. Cui dixit Galenus, Homo occidisti febrem. In dolore pedum duobus modis prodest: uno, quia subtrahitur materies: altero, quia dum excruciantur, doloris obliuiscuntur. Hæc Oribasius, qui de mediorum tumore quid intelligat, cognitu difficile uidetur.

Quid uero sit animi defectus in hoc loco, in Galeni commentatione edocebimus.

GALENVS

SIVE à natura, siue à nobis euacuatio fiat, omnino metiri oportet quantū sit euacuandum. Sicuti enim qualitatē eligimus, humorem noxium atq; molestum euacuantes: ita quantitatem oportet eiusdem humoris noxij multitudini facere congruentem. Sed qualitatis quidem indicia superius diximus, ubi illum aphorismum exposuimus, cuius principium est, In perturbationibus uentris. Quantitatis uero nullum habemus indicium: ob hanc igitur causam nobis dedit Hippocrates de eadem quantitate iudicandi uiam, ex facilitate tolerantiæ. Nam si humor superexcedens euacuetur, tunc ipsum se ipso ægrotum fieri leuiorem, & melius tolerare est necessarium: quod si aliquod etiam ex his quæ natura constant, excernatur, dissolui ac debilitari ægri uires, & quandam sentire afflictionem. Quare non promptam eorum quæ euacuātur quantitatis phantasiam oportet attendere, sed duas quæ dictæ sunt, significationes, Si qualia oportet euacuantur, & si facile tolerant. Quod autem postea ab ipso subiungitur: Atq; ubi usq; ad animi defectionem expedit ducere, rectè quidem ab ipso dictum est,

sed adijcere oportet usus significatiões. Quia uero ipse prætermisit, nos ex quibus ipsa experientia, & ratione uidemur inuenisse dispositiones, in quibus expedit usq; ad animi defectionem euacuare, dicemus. Et primum usq; ad quam animi defectionem dictum ab ipso fuerit, distinguere oportet. Neque enim tales dicit animi defectus, qui & expauescẽtibus aliquando ægris uenæ sectionem, uel tale auxilium aliquod solent accidere. Neq; uero cum in ore uentriculi humores mordaces aliquando fuerint, uel prius in ipso coaceruati, uel qui in ipso remedij usu ad ipsum defluxerint, causam dederint animæ defectionis. Solent enim & hoc tempore pati animi defectionẽ, non tamen huiusmodi animi defectio est sufficiens mensura euacuationis, quæ nonnunquã citra necessitatem contingit: sicuti febricitantes pleriq;, uel inter surgendum, uel residendum, animo defecerunt, ob quam causam accũbentibus ipsis secamus uenam. Ea igitur quę fit animi defectio ratione euacuationis, nunc ab Hippocrate dicta est, esse mẽsura euacuationis, & in maximis inflammationibus, & in adurentibus febribus, & uehementissimis doloribus. Oportet autem, sicuti & ipse inquit, uiribus integris atq; ualẽtibus tantam moliri euacuationem, & nos sæpius huiuscemodi euacuationes prodesse plurimum, experientia didicimus. Nam & in ardentissimis febribus, si usq; ad animi defectionẽ sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, & quidam eorum ex his sanitati sunt restituti, alij adiuti plurimum, uehementiam ægritudinis absciderunt. In maximis uero doloribus nullum maius inueni remedium, quàm usq; ad animi defectionem euacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat usq; ad animi defectionem, quemadmodum in libro De uenæ sectione monstrauimus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, siue à natura, siue à nobis euacuatio fiat, omnino metiri oportere quantitatem euacuationis: nam sicuti opus est secundum humorem peccantem, qualitatem euacuare, ita opus est secundum huius noxij humoris quantitatẽ euacuationẽ augere uel minuere. de qualitatis indicijs superius egimus in illo aphorismo, In perturbationibus uentris, nullum uero usquam quãtitatis indicium habuimus. Ob hanc causam Hippocrates nobis uiam dedit de hac quantitate iudicandi: unde si humor superexcedens euacuetur, & æger se ipso leuior fit, & bene fert. At si aliquod excernatur ex his quæ naturæ conferunt, ægri uires imbecilles fiunt, & difficultatẽ quandam sentiunt. Et ideo non est attendẽda quantitas eorum quæ euacuãtur, sed hæc duo, Si qualia oportet, euacuentur, & si facile tolerant.

Quod legitur, Omnino metiri oportet quantũ sit euacuandum: Græce est, χρὴ πάντως ὁρίζεσθαι τι μέτρον αὐτοῦ. idest, Omnino determinare oportet aliquam mẽsuram ipsius.

Quod etiam legitur, Sicuti enim qualitatem eligimus, humorem noxium atq; molestum euacuantes, ita quantitatẽ oportet eiusdem humoris noxij multitudini facere congruentem. Græce habetur, ὡς γὰρ τὴν ποιότητα κατὰ τὸν λυποῦντα χρὴ κενοῦσθαι χυμὸν, οὕτω χρὴ δηλονότι καὶ τὴν ποσότητα κατὰ τὸ πλῆθος τοῦ λυποῦντος ἁρμόττειν. idest, Sicuti enim qualitatem secundum humorem noxium oportet euacuare, ita uidelicet & quantitatẽ oportet eiusdem humoris noxij multitudini facere congruentem.

Quod etiam legitur, Quantitatis uero nullum habemus indiciũ. legi debet, Nullum tale habemus indicium. nam Græce habetur, τῆς ποσότητος δὲ τοιοῦτον οὐδὲν ἔχομεν ἁπλῶς γνώρισμα.

Quod etiam legitur, Iudicandi uiam ex facilitate tolerantiæ. Græce est, κρίνειν τὴν εὐφορίαν.

Quod deinde sequitur, Et melius tolerare est necessariũ: Græce est, καὶ εὐφορώτερον ἀνάγκη γίνεσθαι. idest, Et optime tolerãtem necessarium est. Ita commodius uidetur interpretãdum propter particulam κουφότερον, idest leuiorem prępositam quàm in infinitiuo.

Quod etiam legitur, Et quandam sentire afflictionem: Græce est, αἰσθάνεσθαί τε δυσφορίας, idest, sentireq; difficultatem.

SECVNDO docet, recte dictum esse, atq; ubi usq; ad animi defectum expedit ducere, ducendum. Sed exponendum est de quo animi defectu intelligat. nam multis mo dis

dis dicitur: etenim unus est animi defectus modus, quando aliqui ex timore deficiunt, quum ipsis uena secatur: nam intus sanguis & spiritus retrahuntur. Alter, quando aliquis in ore uētriculi, quod maxime sensibile est, mordaces humores habuerit, qui illuc cucurrerint, uel prius fuerint. Alter modus ob febrem est, quādo ægri surgunt: propter hoc iubet eos iacere, quibus secta est uena. Alter modus defectionis animi est, ob euacuationem quæ nimis plena sit: & de hoc solo intelligit Hippocrates, quæ est mensura euacuationis: & hoc in omnibus potissimum casibus in maximis inflammationibus, in adurentibus febribus, & in uehementissimis doloribus.

Quod legitur, Vsus significationes: Græce est, τὰ γνωρίσματα τῆς χρήσιος, idest, Vsus cognitiones.

Quod legitur, Qui & expauescentibus aliquando ægris uenæ sectionem. in nostro antiquo contextu sunt duæ lectiones: una quam Leonicenus habebat, & in Aldino contextu scripta est, scilicet ὅσαι φοβηθέντων ἐνίοτε τῶν καμνόντων, ἢ τὴν τῆς φλεβὸς διαίρεσιν. Secunda lectio habet, ὅσαι φοβηθέντων ἐνίοτε τῶν καμνόντων, ἢ τῆς τῆς φλεγμονῆς, ἢ φλεβὸς διαίρεσιν. idest, Qui & expauescentibus aliquando ægris uel inflammationis uel uenæ sectionem.

Quod etiam legitur, Et in adurentibus febribus. Græce est, καὶ πυρετῶν διακαεστάτων. idest, In maxime adurentibus febribus.

TERTIO, Galenus docet hanc euacuationē usq; ad animi defectum esse moliendam, si uires integræ sint, & tunc experientia docet plurimum prodesse. nam in ardentissimis febribus si usq; ad animi defectum sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & in aliquibus aluus citatur, in alijs sudores emanant, ut aliqui in totum sanitati ex hoc solo præsidio restituti sint, alij plurimū adiuti facile deinde ægritudinis uehementiam absciderunt.

Contextum quēdam Græcum uidimus, in quo ubi legitur, Tantam moliri euacuationem: non habet ἐγνοῶ, sed κίνδυνον, idest periculum. Quod forte non ab re dictum esset, Quum in hac euacuatione usq; ad animi defectum periculum immineat.

Quod legit̃, Nam & in ardentissimis febribus. in prima lectione nostri antiqui contextus habetur, ἔν τε γὰρ τοῖς θερμοτάτοις πυρετοῖς. Idemq; in Aldino contextu scriptum est. In secunda uerò nostri antiqui lectione habetur, ἔν τε γὰρ ἰσχυροτάτοις πυρετοῖς. idest, Nam & in fortissimis, hoc est uehementissimis febribus.

Quod etiam legitur, Et quidam eorum ex his sanitati sunt restituti. Grçce habetur, καὶ τινὲς αὐτῶν ἐκ τούτων ἐπαύσαντο τελέως. idest, Et quidam eorum ex his sanitati sunt in totum restituti, uel conquieuerunt.

Deniq; Galenus docet, in magnis doloribus numquā dedisse prçstantius remedium euacuatione usq; ad animi defectum. At quia aliquis dubitare posset de qua euacuatione intelligeret: an de illa quæ per medicamentum fit, uel per uenæ sectionem. Respondet, adhibendam esse distinctionē ex his quæ in libro De sectione uenæ disseruit, nempe si in uenis abūdantia sit, & non sit unus humor qui peccet, sed tota humorum congeries abundet, per uenæ sectionem euacuare oportet. Si uero sit unus humor, qui sua qualitate infestet, per medicamentum euacuatione utaris.

Quod legitur, Nullum maius inueni remedium. Græce est, οὐδὲν οἶδα μεῖζον βοήθημα. idest, Nullum maius noui remedium uel auxilium.

APHORISMVS XXIIII

IN acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

BRASAVOLVS

QVVM duplex sit morborum genus, diuturnum, & acutum, materia quæ acutum facit, turgens esse non potest: illa uero quæ acutos gignit, quandoq; turgere po-

test. Quum superius Hippocrates edocuerit, solum concocta esse euacuanda: cruda uero non, nisi turguerint: uerumtamen in acutis passionibus, in principio quandoque materia turget. Propterea hic ab Hippocrate dicitur: Si qui sint morbi, in quibus in principio purgatio fieri debeat, sunt morbi acuti: nam diuturni in principio materiam turgentem non habent: tamen & in acutis etiam raro medicamentis purgãtibus uti debemus, quoniam raro materia turget: imò & quum hoc fieri debet, ita temere agendum non est, sed uerendum, & bene considerãdum quicquid agas, quicquid æger pati possit. Hoc enim est cum præmeditatione faciendum.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι. idest, In acutis passionibus.] Per quas & simpliciter acutas & peracutas, & exacte peracutas intellige. Oribasius in peracutis solum intelligit: passio uero hic morbum significat, unde & à Philotheo dicitur, πάθος δὲ καταχρηστικῶς τὸ νόσημα καλεῖ. idest, Passionem uero improprie morbum uocat. Quid uero Hippocrates per acutum morbum in hoc loco intelligat, ita Philotheus edocet, ὀξέα νοσήματα ἱπποκράτης νῦν καλεῖ τὰ ὀλιγοχρόνια τὰ συντόμως κινούμενα, τὰ διακαῆ, ζέουσαν ἔχοντα τὴν ὕλην, καὶ τὴν θερμασίαν. idest, Acutos morbos Hippocrates nũc uocat breues, breui motos, urentes, & feruentem habentes materiam atque caliditatem.

ὀλιγάκις. idest, Raro.] Quoniam & materia in acuto morbo, raro turget: in diuturno, numquam: propterea in ipso coctionem semper expectare oportet. Raro uero, ut dicit Philotheus, διὰ τὸ πολλὴν ἀνίαν ἐπιγίνεσθαι τοῖς σώμασιν, τῇ εὐκινήτῳ φορᾷ τοῦ νοσοποιοῦ αἰτίου, κἂν ἄπεπτον ᾖ. idest, Quoniã multa imbecillitas corporibus superuenit, ex mobilitate impetus causæ facientis morbum, licet incocta sit.

Καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρῆσθαι. idest, Et in principijs medicinis purgantibus utendum, & non his quæ solum alterant.

Καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν. idest, Et hoc cum præmeditatione faciendum.] Hoc est, ut Philotheus dicit, προμελετήσαντας, καὶ ἐξερευνήσαντας. ἐὰν γὰρ ἡ δύναμις ἔῤῥωται, καὶ εὔροα ὦσι τὰ σώματα, χρὴ λαβεῖν κάθαρσιν. εἰ δὲ τὰ ἐναντία ᾖ, μᾶλλον δὲ ὁ ὠμὸς χυμὸς ἐπιπολάζει περὶ τὸν στόμαχον, ἢ πολλάκις ἀναπέμπονται χυμοί, οὐ χρὴ τὴν κάθαρσιν τότε παραλαμβάνειν. idest, Cum examinatione & præmeditantes & inquirentes. Si enim uires fortes sunt, & corpora bene fluida, purgationem facere oportet. Si uero econtrario modo sit, magis autem si crudus humor circa stomachum supernatet (nam sæpe humores supraferuntur) tunc purgationem facere non oportet. Galenus uero hanc particulam Cum præmeditatione faciendum, uario modo exponit: nam uel sit diligens examinatio, uel ægri præparatio, uel expectatio recti iudicij, uel omnia hæc simul, uel duo, semper uerum est.

Hic aphorismus in libro De generalibus morbi temporibus, à Galeno in testimonium adducitur, quum probare intendit: principium apud Hippocratem latitudinem habere: simulque decimum quarti libri aphorismum adducit, in quo iubet in acutis morbis eadem die medicandũ, si materia turgeat: eademque à Galeno repetuntur libro quarto De ratione uictus in morbis acutis, sectione trigesima octaua, & in tertio Prorrheticorum sectione trigesimaseptima.

Sunt aliqui recentes, qui uolunt, aphorismum uigesimum secundum prælectum intelligendum esse in casu salubri. In hoc enim concocta medicãda nisi materia turgeat. Sed hic aphorismus eorũ sententię repugnat. nam omnes acuti morbi periculosi sunt, atque ambigui. In his tamen dicit, raro medicamentum exhibendum. Igitur tam in casu salubri, quàm in letali & periculoso medicamentum dare iubent, quando materia turget, & si non turguerit, coctionem expectandam.

GALENUS

PAULO ANTEA dictum erat, Concocta medicari & mouere non cruda, neque in principijs, si non turgeant, plurima uero non turgent. Nunc autem, quòd circa principia acutarum ægritudinũ tantum cõtingit purgare utiliter, nos docet Hippocrates: nam in longis morbis semper oportet expectare coctionẽ: in acutis uero quum turgent, etiam ab initio possumus uti medicamentis purgantibus, & hoc ipsum cum multa

multa cautione, & præmeditatione facere. Vnde mihi uidetur Hippocrates recte adiecisse, Et cum præmeditatione facere. Siue enim per hoc uerbum diligentem intelligat examinationem, siue ægroti præparamentum, siue recti iudicij expectationem, siue hõrum aliquid, siue omnia unius uocabuli significatione comprehẽdantur, quantum huiuscemodi uereatur purgationes, manifestat. Neq; enim periculum minimum in morbo acuto, uti purgante medicamento, quum omnia id generis sint potentia calida: febris uero quatenus febris est, & sui ratione non calefacientibus atq; exsiccantibus, sed potius cõtrarijs, hoc est humectantibus & refrigerãtibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem purgationem adhibemus: hãc enim scimus sui ratione nociturã, sed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri utilitatem, quàm id quod necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentũ: ut uerò hoc fiat primò oportet considerare, nunquid æger idonee se habeat ad huiusmodi purgationem. Nam quicũq; multa cruditate laborant, uel qui tenaces ac crassos cibos assumpserunt, quibus itidem ilia extenta atq; inflata sunt, aut supra modum calida atq; ignea existunt, & hoc ipso in loco aliqua est uiscerum inflammatio, omnes hi haud quaquam sunt apti ad purgationes. Hæc itaq; abesse oportet. Humores autẽ quàm maxime fieri potest esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullum lentorẽ participantes, & aperta esse foramina per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista antea paramus, quum quempiam sumus purgaturi. Et hoc est quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo aphorismo, Corpora ubi quis purgare uelit, oportet fluida facere: uerũ in acutis morbis circa principia statim, circa primum uidelicet diem, uel non ultra secundum, si sumus usuri purgantibus medicamentis, quando turgent, non datur facultas ista præparandi, nisi quis fortè arripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, uel origani, uel tragorigani, uel thymi, uel pulegij, siue quid huiusmodi uim habens humores extenuandi. Quare non sine ratione dixit, Raro circa principia morborum acutorum nobis uenere in usum purgationes, quoniam non sæpius turgeãt humores in principijs, neq; si quid istorum adsit ægro satis ad purgationem parato, neq; dante morbo nobis temporis occasionem, quo possimus ex imparato paratum facere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quum superius edocuerit Hippocrates concocta medicanda, & mouenda, non cruda: neq; in principijs, nisi turgeant: Nunc particulatim docet, solum in principijs acutarum ægritudinum aliquando utiliter purgandum esse. Vnde in longis morbis semper est expectanda concoctio. In acutis uero, quũ turgent, etiam in principijs est euacuandum. Et hoc non sine præmeditatione facere oportet.

Vbi legitur, Nunc autem quod circa principia acutarum ægritudinũ tantum contingit purgare utiliter. deest particula Quandoq;: nam Græce habetur, *νῦν οὖν καὶ ὅτι περὶ τὰς ἀρχὰς μόνον τῶν ὀξέων νοσημάτων ἐγχωρεῖ ποτε κάθαρσιν ποιήσασθαι συμφερόντως.* id est, Nunc igitur quod circa principia solum acutarum ægritudinum, quandoq; contingit purgare utiliter.

SECVNDO Galenus docet, recte Hippocratem adiecisse, Cum præmeditatione faciendum: quicquid intellexerit per hoc uocabulum Præmeditatio, uel diligentem examinationem, uel ægroti præparamentum, uel recti iudicij expectationem, uel unum ex his intelligat, uel omnia, ipse ostendit quantum has purgationes uereatur. Nempe in acuto morbo magnum periculum est uti purgante medicamento. Nam medicamenta sunt potentia calida & sicca. Febris est calida & sicca. Ideo medicamenta, febri potius obesse uidentur, quàm prodesse: nam febris potius eget maxime contrarijs, idest humectantibus & refrigerantibus.

Huic dubitationi respondet Galenus, purgationem non adhiberi ob igneam febris caliditatem, sed ob humores illam efficientes: unde maior habetur utilitas ex euacuatione noxiorum humorum, quàm habeatur detrimentum ex caliditate medica-

menti. Ex quo facile sumi potest, illos reprehẽdendos esse, qui in æstate rhabarbarum exhibendum prohibent.

Multa sunt in hac parte uocabula, in quibus quisq; ambigere posset, an recte interpretata sint, an non recte, quæ nos huc adducere statuimus, ut nullus sit qui presentem non habeat Galeni contextum.

Quod legitur, Cautione & præmeditatione: Græce est, εὐλαβείας καὶ προσκέψεως. cum respectu & circumspectione.

Quod etiam legitur, Siue enim diligentem intelligat euacuationem: Grece est, ἤν τε γὰρ προδιεσκεμμένος ἀκριβῶς, accurate præmeditatus.

Quod etiam legitur, Siue recti iudicij expectationem: Græce est, ἤν τε τὴν ἐνδεχομένην εὐκρίνειαν ἀναμένας. siue posibilem rectam iudicationem expectans.

Quod legitur, In morbo acuto uti purgante medicamento: Græce est, ἐν ὀξεῖ νοσήματι, κακῶς φαρμακεῦσαι. id est, In morbo acuto male uti purgante medicamẽto. Ita legunt antiquus noster contextus, atq; Aldinus. Sed alter quidem loco illius particulę κακῶς, illam habet καλῶς.

Vbi legitur, Quum omnia id generis sint potentia calida. hæc particula Id generis, Græce est τὰ καθαίροντα φάρμακα. id est, Purgantia medicamenta.

Quod legitur, Sed potius contrarijs. in nostro antiquo contextu ita præcise habetur, scilicet ἀλλὰ τῶν ἐναντίων. Sed Aldinus, & multi alij habent ἐναντιωτάτων. idest, maxime contrarijs.

Quod etiam legitur, Hanc enim scimus sui ratione nocituram: Græce est, ταύτην γὰρ ἴσμεν ὅσον ἐφ᾽ ἑαυτῇ βλαπτομένην. idest, hanc enim scimus quãtum in seipsa, nociturã.

Quod etiam legitur, Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri utilitatem, quàm id quod necessariò consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum: Græce habetur, χρὴ τοίνυν μείζονα τὴν ὠφέλειαν ἐκ τῆς τῶν λυπούντων χυμῶν κενώσεως γίνεσθαι, τῆς βλάβης, ἣν ἐξ ἀνάγκης βλάπτεται τὸ σῶμα πρὸς τῶν καθαρτικῶν φαρμάκων. quæ præcise idem dicunt, ut à Leoniceno interpretatum est, uel hoc modo: Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri utilitatem, quàm damnum quod ex necesitate corpus lædit ob medicamenta purgantia. Sed in Gręcis codicibus hæc uerba consequuntur, ἔσται δ᾽ ἡ ὠφέλεια μείζων, ἐὰν ἀλύπως τε καὶ πᾶς ὁ βλάπτων τε καὶ λυπῶν ἐκκενωθῇ χυμός. idest, Erit autem utilitas maior, si & absq; molestia omnis humor noxius & infestus euacuetur.

TERTIO, si quis uoluerit euacuare, is cõsiderare debet, an æger ad hanc euacuationem idoneus sit: nam illi inepti sunt qui multam cruditatem in corpore habent. Et illi qui tenues uel crassos cibos assumpserunt, & illi qui habent hypochondria, idest precordia (non ilia, ut Leonicenus uertit) extẽta atq; inflata, & ualde calida atq; ignea, & illi qui hic habent aliquam uiscerum inflammationem. Isti omnes ad purgationem inepti sunt. Quare si quis medicus aliquem purgare uelit, consideret, an hęc omnia absint: quæ quum abfuerint, duo præterea agere oportet, & reddere humores fluxui paratos, idest tenues, & nullum lentorem participantes: & etiam uias exitus præparare, ut nullam habeant obstructionem: imò & nos quum aliquem sumus purgaturi, ista paramus. Et hoc est quod ab Hippocrate dicitur in illo aphorismo, Corpora ubi quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere. Qui aphorismus in cõtextu Aldino distinctus est à Galeni commentatione, & reliqua commentationis pars addita esse uidetur ac si sit ipsius expositio, quum totum sit continuata commentatio.

Sed hic dubium emergit, quia Galenus de coctione mentionem faciens, solum dicere uidetur id coqui quod attenuatur, quum prius crassum sit: de eo autẽ quod tenue est, quomodo coquatur, nihil dicit. Respondemus, Neq; hic neq; alio in loco, id putauit Galenus quod recentes somniarunt, scilicet tenuem materiam esse crudam, & incrassari debere: imò tenuis materia quum sit fluxui parata, suapte natura cocta est, & non indiget, nisi uiarum præparatione. Et ideo quum apud Galenum de coctione sermo incidit, semper id quod crassum est attenuari iubet: nunquam uero quod tenue, crassum reddi.

At ſententia quædam Galeni huic determinationi aduerſari uidetur, quam ponit in libro De conſtitutione medicinæ, ubi inquit, Quod craſſum & glutinoſum eſt, eſſe attenuandum: & quod tenue, craſsius reddendum. Pro hoc dubio abſoluendo ſcire oportet, duplex eſſe in humano corpore ſuperfluorum genus: aliqua ſunt quæ poſſunt ad naturalem habitum redire, & corpus nutrire: aliqua uero quæ ſolum ad expulſionem parari debent, quia nunquam illuc duci poſſunt, ut in ſubſtantiam nutriti reducantur. De primis Galenus intelligit in libello De cōſtitutione artis, quum dixit: Quod tenue eſt, craſſum reddi: ut ſcilicet in nutriti naturā conuerti poſsit. De ſecundis, in omnibus agit locis, in quibus de materia quæ extra humanū corpus expelli debet, uerba facit: & hoc in libello, Quos oporteat purgare, egregie oſtendit.

Quod legitur, Vel qui tenues ac craſſos: legi debet, Vel qui lentos & uiſcoſos uel craſſos. nam Græce eſt, ἢ γλίσχρων ἢ παχέων.

Quod etiam legitur, Aut ſupra modum calida atq; ignea exiſtunt, in noſtro antiquo contextu eodem modo habetur, ἢ ὑπερβαλλόντως δὴ θερμὰ καὶ πυρώδη. ſed in Aldino contextu hoc modo legitur, ἢ ὑπερβαλλόντως δὴ θερμὰ, καὶ πυῤῥώδη τὰ οὖρα. ideſt, Aut immodice calidæ atq; igneæ urinæ.

QVARTO, Galenus quodammodo ambigere uidetur, quoniam in acutis morbis circa principia ſtatim, prima ſcilicet die uel ſecūda, ſi materia turgeat, adeo ut cogamur medicamenta exhibere, hæc præparatio non præceſsit, quia non datur facultas præparandi ob temporis anguſtiam: niſi quis opportunitatem nactus ſit propinandi melicratum, in quo decoctum ſit hyſſopum, uel origanum, uel tragoriganum, uel thymum uel pulegium, uel aliqua alia herba ex his quæ extenuant, de quibus in noſtro ſimplicium examine egimus. Videtur ferè Galenus tacite huic dubio reſpondere, hoc raro contingere: propterea non ab re hic ab Hippocrate dictum eſt, raro circa principia acutorum morborum eſſe purgādum: quia etiam raro materia turget. Tu autem ſcito cauſam, cur turgēte materia non indigeamus coctione, illam eſſe, quia materia ſeipſam adiuuat ſuo motu ad exitum.

Quod legitur, Circa principia ſtatim, circa primum uidelicet diem, legēdum eſt, Circa principia ſtatim, uel circa primum uidelicet diem. nam Græce eſt, κατ᾽ ἀρχὰς εὐθὺς, ἤτοι παρὰ τὴν πρώτην ἡμέραν.

Quod etiam legitur, Arripiat occaſionem: Græce eſt, σχοίη καιρόν.

Quod etiam legitur, Quare non ſine ratione: Græce eſt, ὡς τ᾽ εὔλογον. ideſt, Quare rationabiliter.

In eo quod legitur, Neq; ſi quid iſtorum, ægro ſatis ad purgationem parato, hæc particula Si quid iſtorum, per parentheſin legi debet.

Ex hoc Galeni loco, anſa habetur reprehendendi quoſdam recentes, qui putarunt ſyruporum uſum apud antiquos non fuiſſe. At hæ potiones, quæ hic à Galeno parantur, nihil aliud ſunt, quàm ſimilia quædā noſtris ſyrupis. nam & ipſi uim habent quod craſſum eſt, attenuandi: frigidi uero alterandi: conſtat ergo antiquos ſyruporum uſum habuiſſe, ut in noſtro etiam de ſyrupis libello abunde oſtendimus. Tamen antiqui ſummo mane non propinabant, ut nunc fit, niſi ubi opus erat: ſed in potu dabant uini loco, & pro cibarijs, ſi talis uictus exigebat: tamen quandocūq; uel quomodocūq; exhiberent, concoctrices potiones nuncupari poterant, ob id quod materiā extenuabant atq; præparabant. Quod Galenus concoctionem eſſe putat, imò nullam materiam coctione indigere, niſi craſſa & glutinoſa fuerit, ſcriptum reliquit.

APHORISMVS XXV

SI qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt: ſi contrà, difficulter.

BRASAVOLVS

HVNC aphoriſmum in ſecundo huius libri contineri, qui incipit, In perturbationibus uentris, certum eſt: nam ſi qualia oportet purgari, purgentur, confert: & is qui purgatur

gatur, facile fert. Si contrà, scilicet purgentur, qualia purgari non oportet, sed qualia erant retinenda, difficulter ferunt. Tamen Philotheus inter hunc aphorismũ & secundum, differentiam facere uidetur: quia secundus de naturali euacuatione, hic de artificiali intelligit. Eius uerba hæc sunt, εἰ καὶ ἀνωτέρω εἴρηται ὁ νῦν λεγόμενος ἀφορισμὸς, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως εἴρηται. ἐκεῖ μὲν γὰρ περὶ φυσικῆς κενώσεως εἴρηται, ἐνταῦθα δὲ περὶ τεχνικῆς. idest, Et si hic præsens aphorismus superius dictus sit, tamẽ simili modo dictus non est. Illic enim de naturali euacuatione dictum est, hic uero de artificiali. Eandem sententiam habet noster incognitus interpres. Tamẽ idem Philotheus notat huius aphorismi sententiam in illo cõtineri, inquiens: ἡ δὲ ἑρμηνεία πᾶσα τοῦδε τοῦ ἀφορισμοῦ, ἐν ἔμπροσθεν τῷ περὶ φυσικῆς κενώσεως διαλεγομένῳ ἀφορισμῷ σαφῶς διηγόρευται. idest, Omnis uero huius aphorismi enuntiatio, in præcedente aphorismo de naturali euacuatione exposito manifeste enarrata est.

ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως. id est, Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt.] Quia id purgatur quod lædebat.

τὰ δὲ ἐναντία δυσχερῶς. idest, Si contrà, scilicet illa euacuentur, quæ non debent euacuari, sed potius quæ erant in corpore pro illo nutriendo seruanda, difficulter ferunt, & obest.

GALENVS

NON est dubium, hunc aphorismum in illo contineri, in quo dicebatur, In perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis, si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile tolerant: si uero non, contrà. Verum quia in hac libri parte de purgationibus à medico factis loquebatur, & omnes ferè necessarias distinctiones commemorauit, non piguit ipsum hunc quoq; adiungere aphorismum, in quo nihil magis nouum edocetur, sed ad memoriam reuocantur ea quæ prius in alia libri parte enuntiauerat de spontinis euacuationibus, ut hoc etiam in loco totus sermo de purgationibus esset absolutus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum in illo omnino contineri, qui incipit, In perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis.

SECVNDO, quia aliquis Hippocratem de superfluitate accusare posset, & tanquam uirum nugacem reprehendere: propterea Galenus dicit, Quum in hac parte de euacuationibus pertractaret, iterum referre non piguit, ut quicquid de euacuatiõibus dictum est, in eo concluderet. Additq;, Et si nihil noui dicat, illa saltem in memoriam reuocat, quæ superius de euacuationibus dicta sunt. hoc ferè modo Auerroes septimo De physico auditu libro, sectione quinta, Aristotelem excusat. Nam Aristoteles in illa parte de motu agens, illum in idem numero distinguit, idem specie, & idem genere, & quid sint hi motus exponit. Auerroes autem in Commentatione, hæc quæ in hac parte ab Aristotele referuntur, in sexto libro ad uerbum scripta esse considerans, Aristotelem his uerbis excusat: Hoc totum declaratum est in sexto, sed iterauit illud hic ad rememorandum. Ac si dixerit, id fecisse Aristotelem, ut ea quæ prædixerat, iterum in memoriam reduceret. Quod à multis authoribus obseruatur, ut illa quæ perpulchra sunt atq; utilia, bis terq; memoriæ referantur, quæ & decies repetita placebunt. nam Prouerbium Platonis est, Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. Sic enim boni authores sæpe eadem dicunt, sed non eodem modo, uel ut melius explicẽtur, uel ut firmius memoriæ cõmendentur.

Notaq; distinctionem illam à Galeno non dici, quam Philotheus secutus est: in hoc scilicet aphorismo, de artificiali euacuatione intelligere: in secundo autẽ aphorismo, de naturali. sed utrosq; aphorismos in naturali intelligit, tamen & ad artificialẽ amplriantur.

Quod legitur, Et omnes ferè necessarias distinctiones commemorauit, illa particula Distinctiones, Græce est διορισμούς.

LIBRI PRIMI

FINIS

AD MAGNIFICVM D. BARTHOLOMÆVM PROSPERVM ILLVSTRISSIMI DVCIS FERRARIÆ A SECRETIS, ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.

ETSI mirum in modum occupatus sis, Bartholomæe compater charissime, in reipublicæ rebus administrandis, & in illustrissimi Ducis nostri domesticis negotijs digerendis: tamen tua est tam uehemens erga literas beneuolentia, ut diem nullum (etiam tot occupationibus pene obrutus) præterire sinas, quin antiquas tuas Musas reuisas, & quin literariæ rei succisiuas horas tribuas. Nos igitur tuum tam propensum in literas animum intuentes, statuimus hunc secũdum Aphorismorum librum tibi dicare, quem te lecturum non dubitamus, tanta legendi auiditate, & tam uehementi desiderio detineris: præsertim quum illa noua sint, quæ in lucẽ prodeunt. Qualia hæc quæ à præclaris ijsdemq; reconditis authoribus fœneramur, quæ in hoc libro à nobis referuntur. Ex quibus pleraq; ab antiquis & Græcorum maximè sanctuarijs hausimus, & potissimum ab Academia, quæ alias omnes in hac arte proculdubio excedit, in qua Hippocratem & Platonem longe præcellere, ueterum consensus iudicauit. Verumtamen non ob eam causam tibi hunc inscribimus librum, ut aliquid ex eo perdiscas, sed potius ut ex tua lectione tuæ felicis auræ nonnihil libellus ipse consequatur, quam satis cumulatam arbitrabimur, modo prima fronte non displiceat. Vale.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN SECVNDVM LIBRVM APHORISMORVM Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

PRIMVM HVIVS VOLVMINIS LIBRVM, Galenus uigesimo eiusdē aphorismo, in duo capita distinctum facit: in uno etenim de ratione uictus: in altero (in quo de regimine tractat, quando totum sit naturæ permittendum, & quando non sit) de euacuatione agit. At secundum hunc librum, nec ipse Galenus usquam in capita distinxit, aut distingui uere potuit: imò nec uniuersalis quædam, & integra intētio assignari potest, quæ breuibus omnia hic descripta complectatur, nisi forte hæc sit, In hoc libro perplura signa ab Hippocrate poni, quibus salutē aut mortem, bonum aut malum prædicere atq; præfari possimus: quod uerū esse, is aphorismus qui statim sequitur, ostendet.

APHORISMVS PRIMVS

IN QVO MORBO somnus laborem facit, mortale: si uerò iuuat, non mortale.

BRASAVOLVS

EX HOC aphorismo facile haberi potest, quando ex somno ægri mors prædici possit, & quando mori non debeat: siquidem somnus ægrotanti laborem inferat, somnus inquam qui alioqui prodesse deberet, mortem imminere significat. At si ob somnum adiuuetur, & leuior efficiatur, non est mortis indicium. Oribasius hic dubitat, quum somnum Hippocrates laudauerit, quod totius corporis sit requies, cur nunc dicit somnum laborē adferre. Hoc responsum accipito, non quod laborem somnus præstet, sed talis est dicendi modus hoc in loco, ut illud quod solet temperare sæpissime laborem, & quo irrepente non meminit laboris egrotus, quum discederet penitus à consuetudine, diceret adferre laborem: imò dic tu adferre laborem, quia uere morbus augetur, & symptomata intenduntur. Philotheus ita hunc aphorismum introducit, ἐν τῷ παρόντι ἀφορισμῷ τοῦ δευτέρου τμήματος σημείωσιν ὁ ἱπποκράτης ἀπὸ τῶν ὕπνων διδάσκει, δι᾽ ἧς δεῖ γνῶναι, εἴ τι σωτήριον, εἴ τι ὀλέθριον ὑπάρχει τὸ νόσημα. idest, In præsenti aphorismo secundæ sectionis, Hippocrates à somnis significationem edocet, ex qua siue morbus salutaris sit, siue lethalis, cognoscere licet.

Ἐν ᾧ νοσήματι. idest, In quo morbo, sit cuiuscunq; generis hic morbus uel febris uel phrenitis, uel morbus lateralis. ut sensus sit, In quolibet morbi genere, in quo somnus læsionem fecerit, iudicium mortis est.

Ὕπνος. idest, Somnus.] Quid sit somnus, & quomodo fiat, Aristoteles in libro qui inscribitur De somno & uigilia, diffusissime egit: quāuis Galenus quodāmodo dissentire uideatur. Nos ne in præsentiarum tam longas ambages atq; dissidia in medium referre cogamur, lectores ad horum uirorum libros remittere decreuimus.

Πόνον ποιέει. idest, Laborem fecerit.] Labor hic læsionem significat, ut ex suo opposito colligi potest, nam dicit, Si uero iuuerit, non mortale. Iuuare autem labori oppositum est, uel pro opposito ponitur: propterea hic labor læsionē significat: unde & à Philotheo scriptum est, ὁ πόνος τριττῶς. πόνος ἡ βλάβη, ὡς ἐνταῦθα. καὶ τὸ γυμνάσιον, ὡς τὸ

πόνοι

πόνος τριχῶς λέγεται. καὶ ἡ ὀδύνη. ὡς τὸ, δύο πόνων ἅμα γινομένων, idest, labor tripliciter dicitur. Labor nocumentum est, ut hic: & labor, exercitium significat, ut illud, labores cibos præstabunt: & labor est dolor, ut illud, duorum laborum simul factorum. Sunt uerò illi qui ex somno fieri possunt labores, hi: primo febris non soluitur, sed potius augetur, doloresq́ augētur, atq; inflāmationes, & destillationes, ac fluctiones superabundāt, & dum dormiunt, deliria loquuntur, cum uerò experrecti fuerint, adhuc in delirio perseuerant, & adeo grauiter quandoq; premuntur, ut uix cum punguntur excitentur.

θανάσιμον, idest, Mortale signum est, quod intelligere oportet si diu læsio perseueret, & effatu digna sit. nam si non perseuerabit, uel modica fuerit, mortis signum non esset. Hoc præterea in declinatione intellige, in qua omnia quę fiunt, ὠφελιμώτατα, idest, utilissima esse debent, ut Philotheus inquit. Tamē ipse hoc in statu dicere uidetur, inquiēs, καὶ μάλιστα ἐν τῇ ἀκμῇ βλάβην ὁ ὕπνος ποιήσῃ, θανάσιμον ἐστι, idest, Et maxime in statu si somnus nocumētum fecerit, letale est. Nos uero putamus Philothei contextum mendosum esse, & ubi legit ἀκμῇ, idest, statu, legendum παρακμῇ, idest declinatione. de alijs enim temporibus mirum non est, quod somnus obsit, præsertim de principio. ut in Galeni cōmentatione ostendemus. Cur autem in declinatione lęsio fiat, à Philotheo hæc causa assignatur, τοῦτο δὲ γίνεται διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, μὴ δυναμένου, περιγενέσθαι τῶν νοσοποιῶν αἰτιῶν, idest, Hoc autem fit ob caloris innati imbecillitatem, causas morbum facientes superare non potentis.

ἢν δὲ ὕπνος ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον, idest, Si uerò iuuerit, non mortale. Nā, ut Philotheus dicit, δηλοῦται γὰρ ἐκ τοῦ καλῶς αἱ ὕλαι πεπέφθαι, idest, ostenditur enim ex hoc bene materias concoqui. Vnde si profuerit somnus, est quidem bonum signum, tamen necessario salutem non prędicit, & si quantum in se est, id facere possit: ueruntamen quia in hoc ęgro alia signa mortis indicatiua esse possent, propterea hoc loquēdi modo usus est Hippocrates, non mortale: & dicere noluit esse salubre signum, quamuis & id sui ratione dicere potuisset.

GALENVS

QVOD quidem labor apud ipsum nunc læsionem significat, clarum est ex eo quod opponitur. Inquit enim, Si uero iuuerit non mortale. Cum uero duplex sit ea quæ ex somno fit læsio, altera cōmunis quæ in principijs fit accessionum, quas annotationes uocant, altera propria, ut in quibusdam morbis, quando in aliquo alio tempore somnus nocet, de hac ipsum dicere est existimandum. Altera enim neque mortem, neq; aliquod aliud graue significat, cum naturam temporis consequatur. In principijs si quidem accessionum, & calor naturalis totus, & humores in profundum corporis uergunt, quemadmodum ipse docuit, & præcipue in quibus horror, uel rigor, uel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. Et propterea, si in principijs dormierint, casus illis protenduntur, & uix febres ad consistentiam perueniunt. Si qua uero inflāmatio sit circa uiscera, rationabile fit ipsam adaugeri: & si humores aliqui ad uentrem confluant, non æque, atq; in alijs somnis concoquuntur, sed plures fiunt incocti permanētes. Ob hanc scilicet causam, ægrotis uigilias pręcipimus tēpore illo, quę fit ex ipsis, spiritus, sanguinisue, atq; caloris habitantis in eis ad exteriora motionem uolentes opponere, tanq; maximum auxilium aduersus illam quæ fit in accessionum principijs, sanguinis, spiritus, & caloris naturalis ad interiora retractionem. Quare non sine ratione dixerit quispiā huiuscemodi læsiones hoc tēpore accidere ex natura accessionis, & ex uigilia prohiberi. Cum uerò hac priuati fuerint ægrotantes, tunc damnū sentiunt manifestius, non quia altera læsio accedat ex somno, sed quia deest illa quæ ex uigilia habetur utilitas. Hic quidem sermo ostendit nullam fieri in accessionū principijs, ex somno læsionē, sed hoc ipsum tantūmodo carentiam utilitatis. Est uerò & alter sermo concedens ex somnis fieri hoc tempore læsionem, & uult nunc Hippocratē docere de his qui in alijs temporibus dormiūt, in quibus in totum manifesta utilitas ex somno cōsequitur, præsertim ubi morbo declinante adhibeatur. Nam & aliquando morbo iā consistente adhibitus manifestā affert utilitatem, & quandoq; in extremis partibus augmēti, quæ ad consistentiā copulātur. Sed manifestissima omnium utilitas in declinationibus fit: & quidē cum somni nocent, minus quidem exitiales sunt iam consistente, atq; increscente accessione, præcipue uerò in declinationibus

nibus perniciosi. Nam quo tẽpore aliquod est utilissimũ, si præter id quod nihil prodest, etiam nocet; mortẽ non sine ratione significat. Ex somno autem læsiones contrariæ sunt utilitatibus, quod uidelicet febres ex ipsis non dissoluũtur, uel etiam excitantur, & quod dolores intenduntur, & fluctiones multiplicantur, & crescunt inflãmationes. Quidã uerò, ex ipsis inter dormiendũ delira loquuntur, & ubi expergefacti fuerint multo tempore in delirio perseuerant. Quosdam somnus grauissimus dormientes occupat, & uix cũ punguntur, excitantur. Hæc uerò omnia contingunt propter humorũ prauitatem: quos ubi calor innatus fortior extiterit, per somnos concoquit. Quãdo uerò debilior, succumbit, & ab illis uiscera aggrauantur, & dictis affectibus homo corripitur. Ipse etenim Hippocrates uult hominem uigilantem extrinsecus esse calidiorem, dormientem uerò cõtrario modo se habere, id nos edocens, quod etiam quibusdã alijs rerum naturaliũ studiosis uisum est, somnũ, atque uigilias fieri secundũ innati caloris motiones. Non absque ratione igitur euenit, ut cum in uisceribus iste collectus, causas morbificas nequeat euincere, perniciem significet. Si tamen euicerit, non propterea certæ salutis est signum, nisi quod quispiam, quantũ ad talem affectũ attinet, ægrotum dixerit non periclitaturũ, qui tamen ex alio possit interire. Nam si qua inflãmatio aliquam ex partibus principalibus præoccupauerit solui difficilis, contingit ægrũ qui ita se habeat interire. Quare securius pronunciandum est. Vbi ex somno læsio aliqua aduenit, lætalem esse notam, cum uerò prodest, non lætalem. Quod uerò ex somnis aliquæ accidant læsiones, ipse in libris quos Epidemia inscripsit, ostendit, his uerbis. Inter hos multi erant graui oppressi somno, & delirantes, nõnulli uerò ex somno tales fiebant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet uocabulũ Labor læsionem significare in hoc loco, per illa quæ sequuntur. Si uerò somnus iuuerit, non mortale. opponuntur autem hæ duæ sententiæ, ideo & labor erit oppositus iuuamento. At labor, qui iuuamẽto opponitur, est læsio.

Quod legitur. Si uerò iuuerit, non mortale, lege, si uerò somnus iuuerit, non mortale. nam Græce habetur ἢν δὲ ὕπνος ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον. Leonicenus, & hic, & in aphorismi contextu prætermisit illam particulam, Somnus.

SECVNDO Galenus docet, duplicem esse læsionem, quæ ex somno fit, cõmunem, quando in accessionum principijs ægrotantes dormierint, & propriã, quæ in aliquo morbo in alijs temporibus fit. de qua Hippocratem intelligere censendũ est. prima non significat mortem, sed bene secunda.

Quod legitur, altera cõmunis, quæ in principijs fit accessionum, quas annotationes uocãt, Græce habetur τῆς μὲν κοινῆς, ὅταν ἐν ταῖς ἀρχαῖς τῶν παροξυσμῶν, ἃς ἐπισημασίας ὀνομάζουσιν, οἱ κάμνοντες κοιμηθῶσι, idest, Altera cõmunis, quando in principijs accessionum, quas ἐπισημασίας, idest annotationes uocant, ægrotantes dormierint.

TERTIO Galenus docet, in accessionum principijs quid fiat, & cur somnus lædat, & quantum lædat. In principijs si quidem totus naturalis calor, & humores, in corporis profundum retrahuntur, & hoc præsertim fit, ubi uel horror, uel rigor, uel partium exteriorum refrigeratio contigerit. hæc autem in solis intermittentibus febribus fiunt, unde in ipsarum principijs uigilare iubemus, quoniam si fiat secus, adeo febres protenduntur, ut uix ad statum peruenire possint. Et si inflammatio uiscera occupabit, augetur, & si humores ad uentrem confluxerint, ita facile non coquuntur, ut in alijs somnis contingit.

Quod legitur, & præcipue in quibus horror, Græce est καὶ μᾶλλον ἐφ᾽ ὧν ἤτοι φρίκη τις, idest, Et magis in quibus uel horror quidam.

Quod etiam legitur, casus illis protenduntur, Græce habetur αὐτοῖς χρονίζει τὰ συμπτώματα κοιμηθεῖσιν ἐν ταῖς ἀρχαῖς, idest, Ipsis producuntur symptomata in principijs, dormientibus.

Quod etiam legitur, Rationabile fit ipsam adaugeri, Græce est εἰκότως αὐξάνεται.

Quod etiam legitur, Sed plures fiunt incocti permanentes, legendum est, Sed longe plures. nam Græce dicitur ἀλλὰ πολλῷ πλείους γίνονται διαμένοντες ἄπεπτοι.

QVARTO Galenus docet, hanc esse causam, cur euigilati feruentur, quia uigiliæ illud ad circumferentiam trahunt, quod principium febris intus ducebat, scilicet calorem naturalem, spiritus, & sanguinem.

Quod legitur, quæ fit ex ipsis, lege, eam quæ fit ex uigilia.

QVINTO Galenus docere uidetur, somnum in principio non nocere, sed esse priuationem utilitatis, quod non mediocriter considerandum est, nam somnus in hoc tempore uere obest. Imò & nos putamus Galenum hoc uoluisse, propterea dicit esse alterum sermonem, qui concedit, in principio fieri læsionem ex somno, ut somnus non solum sit carentia utilitatis, ut nonnulli putarunt in accessionum principijs, immò etiam lędat. unde in principijs ex somno duo mala contingent, alterum est carentia utilitatis, alterum uera læsio.

SEXTO docet, in morborum principijs utilitatem manifestam percipi. etenim semper prodest, uel semper prodesse deberet in declinatione somnus, in statu quandoque prodest, & in ultima parte augmenti, quæ statui proxima est, tamen est manifestissima somni utilitas in declinatione. propterea cum somni nocent in augmento, in statu, & in declinatione, minus tamen exitiales sunt in augmento & statu, in declinatione uerò perniciosissimi sunt. nam quo tempore aliquid est utilissimum, si præter hoc quod nihil prosit, etiam obsit, mortem futuram conuenienter significat.

Quod legitur, in totum, Græce est τὸ πάμπαν. Quod etiam legitur, non sine ratione, Græce est εἰκότως.

SEPTIMO læsiones illas enumerat, quæ ex somno consequi possunt. Sunt autem hæ. Primo febres non soluuntur. Secundo quandoque magis crescunt. Tertio dolores intenduntur. Quarto destillationes multiplicantur. Quinto inflammationes crescunt. Sexto aliqui dormientes dum dormiunt, delirant, & cum expergiscuntur, diu in delirio perseuerant. Septimo quidam adeo graui somno occupantur, ut excitari non possint, etiam si pungantur, aut uix excitentur.

Quod legitur, Sed etiam excitantur, Græce est ἢ καὶ προξύνεσθαι. febris uel non soluitur, uel etiam iritatur.

Quod etiam legitur, & fluxiones multiplicantur, Græce est καὶ τὰ ῥεύματα πλείω γίνεσθαι, idest, & fluxiones plures fiunt.

Vbi legitur Quidam uerò ex ipsis, hæc particula, ex ipsis, in Græco contextu abest.

Quod etiam legitur, Quosdam somnus grauissimus dormientes occupat, Græce est ἐνίοις δ' ἀρχὴ κώματος ἐν τῷ ὕπνῳ γίνεται, idest, Quibusdam autem principium comatis in somno fit. Est uerò coma intensa somni deprehensio.

OCTAVO docet, has læsiones fieri ob humorum prauitatem, quos innatus calor si uehemens fuerit in somnis concoquit: sed cum imbecillis est, & concoquere non potest, succumbit, & uiscera ab illis grauiora redduntur. Hippocrates etenim uigilantem hominem extrinsecus calidiorem esse dicit, dormientem uerò intrinsecus, quod & plurimis etiam philosophis uisum est, somnum & uigilias, secundum innati caloris motionẽ fieri.

NONO Galenus edocet, Si in somno calor naturalis uicerit, non esse signum salutis, tamen ipse dicit, quo ad illud esse signum salutis, quamuis alia plura adesse possint, quæ mortem prædicere & procurare poterunt. Vnde Galenus iubet potius legendum esse (nam & securius est) ubi ex somno læsio aliqua aduenit, letalem esse notam: cum uerò prodest, non letalem.

Quod legitur, Nisi quod quispiam, illa particula, quod, uacat.

Deniq; ex testimonio libri Epidemiorum Galenus docet, ex somnis læsionem fieri.

Quod legitur, Inter hos multi erant graui somno oppressi, hæc particula graui somno oppressi, Græce est κωματώδεις.

APHORISMVS II

VBi somnus delirium sedat, bonum.

BRASAVOLVS

HIC Aphorismus merito à Galeno, & ab Oribasio cum præcedenti coniungitur, nam conclusio quædam est, quæ ex præcedentibus elicitur. Quippe dictum est, si som-

nus obfuerit, esse mortis indicium. Si uerò non obfuerit, sed proderit, esse quidem bonum signum, sed non certum salutis. prodesse uerò potest, uel quia delirium sedabit, uel febrem, uel inflammationem, uel aliquid simile, propterea Hippocrates de uno exemplum ponens, reliqua subintelligenda esse censuit. exemplum autem in delirio posuit, tanquam de eo quod inter affectus illos, qui contingunt, difficillimum est. Ita igitur exorditur, Vbi somnus delirium sedat, bonum: quia indicium est naturalem calorem morbi causas superare. addere autem potuisset, ubi somnus febrem sedat, bonũ: ubi somnus inflãmationem sedat, bonum: ubi somnus destillationem sedat, bonum. Itaq; per omnia discurrere, quæ à somno per caloris naturalis uim corrigi possunt. unde & à Philotheo dicitur, ἄνω καθολικώτερον τὸν λόγον ποιούμενος ἔλεγεν, ὅπου ὕπνος πόνον παύει, οὐ θανάσιμον. καὶ ὅ ἔλεγεν ἐκεῖ, πιστοῦται νῦν διὰ τοῦ παραδείγματος ἐν τῷ φάναι, ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν. καὶ οὗτος μὲν, ὡς φιλοσύντομος, τοῦ χαλεπωτάτου νοσήματος, τουτέστιν τῆς παραφροσύνης, μνησθεὶς, ἐδήλωσεν, ὅτι τὰ λοιπὰ, τουτέστι, φλεγμονὴν, πυρετὸν, ὀδύνην, ἐὰν οὕτω ὁ ὕπνος παύῃ, ἀγαθὸν ἐστίν. idest, Superius uniuersalius sermonem faciens, dicebat, Vbi somnus laborem sedat, non letale. & quod ibi dicebat, nunc fidem facit per exemplum, in eo quod dicit, ubi somnus delirium sedat, bonum. Et hic quidem tanquã breuitatis amator, molestissimi morbi, hoc est delirij mentionem faciens, ostẽdebat, quod reliqua, hoc est inflammationem, febrem, dolorem, si somnus cessare fecerit, bonum est.

ὅκου παραφροσύνην ὕπνος παύει, ἀγαθόν, idest, Vbi somnus delirium sedat, bonum] quia significatur uires amplas esse, & aptas ut morbo oppugnent.

GALENVS

SI ambos dixerimus aphorismos, & hunc scilicet & antecedentem, inuicem iungi, totus sermo talis utiq; fiet. In quo somno morbus laborem facit, mortale, si uerò iuuat, non mortale. Vbi igitur somnus delirium sedat, bonũ, ut quoddã ueluti exemplum particulare subiungat sermoni antecedenti uniuersaliter dicto. Tanquã si ita dixisset. Vbi dolorem somnus sedat, bonũ. Vbi igitur febrem somnus sedat, bonum. Vbi igitur inflãmationem sedat somnus, bonum. Sed satis fuit ei tantũ periculosiorem morbum nominare. Nam ueritas sermonum uniuersalium, ex huiuscemodi exemplis magis dilucet.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet præcedentem Aphorismum, & hunc simul iungi, imò & Oribasius eos simul cõiunxit, & hic est ipsorum sensus, in quo morbo somnus laborem facit, mortale: si uerò iuuat, non mortale. ubi igitur somnus delirium sedat, bonum. ac si exemplum singulare sermoni antecedenti uniuersaliter dicto subiungat, ac si ita dixisset, ubi dolorem somnus sedat, bonum. ubi febrem, ubi inflãmationem somnus sedat, bonũ. At satis fuit Hippocrati qui breuitati studet, & qui (ut dicit Philotheus) est φιλοσύντομος, idest, breuitatis amator, solum periculosissimum morbum nominare. nam uniuersalium sermonum ueritas ex his exemplis magis dilucet.

In huius commentationis principio deest particula, deinceps. nam Græce hoc modo scripta est, ἐὰν ἐφεξῆς ἀλλήλοις εἴπωμεν ἀμφοτέρους τοὺς ἀφορισμοὺς, τοῦτόν τε καὶ τὸν προειρημένον, idest, Si deinceps dixerimus ambos aphorismos, & hunc scilicet & antecedẽtem inuicem iungi, uel mutuum nexum habere.

Quod legitur, Sed satis fuit ei tantum periculosiorem morbum nominare, hæc particula Periculosiorem, in Aldino contextu eodem modo legitur κινδυνωδέστερον, Sed in nostro antiquo contextu habetur κινδυνωδέστατον, idest, periculosissimum.

APHORISMVS III

SOmnus, atq; uigilia, utraq; si modum excesserint, malum.

BRASAVOLVS

HIC Aphorismus cum præcedente quodammodo iungi atq; cõtinuari posset in eo etenim

etenim de somno dicebat, bonum esse, quoties delirium soluerit. nunc de somno, & de eius opposito, idest, uigilia agit, & quãdo obsint, edocet. Si, inquit, somnus & uigilia modum excesserint, utrunq; malum est. Quod ex his probari potest. nam hęc supra modum facta, non possunt nisi ab intensioribus causis quàm naturæ conueniat, prodire, nempe naturalis somnus fit refrigerato primo sensorio, & tam diu producitur, quàmdiu naturalis dormientis constitutio exegerit. At si primum sensorium nimis quàm conueniat, infrigidatum sit, somnus inducitur, qui modum excedit, & illius temperaturæ consuetudinem, propterea malum est, & quia signum malum, & quia causa mala. At si primum sensorium magis calidum sit quàm conueniat, uigilias à naturali constitutione modum excedentes, & à naturali ordine eius qui uigilat, facit. propterea, & hoc malum signum est, & mala causa. Cum ergo uel somnus, uel uigilia modum excedunt, id est, naturalẽ usum, & naturalem ordinem, atq; temperaturam eius qui hæc habet, malum signum est. Vnde Galenus in huius partis commentatione dicit, somnum esse excedentem naturæ modum, quando solum tempore excesserit modum naturæ, & nondum difficilẽ habuerit expergefactionem. quia cum difficilem habet expergefactionem, sine dubio malum est. Hippocrates prope finem secundi libri De ratione uictus, de somno & uigilia agit, quando mala sint, & quando non sint, inquiens: somni ieiunũ emaciant, & refrigerant, nisi longi sint. nam humidum, quod inest, euacuant. hi uero magis calefacientes, carnem liquefaciunt, corpusq; dispargendo dissoluunt, languidumq; reddunt. saturum uero calefacientes, madefaciunt, nutrimentumq; per corpus spargunt. Somnus uero post matutinas deambulationes ualde siccat. Vigilia autem saturos reddit. cibum enim liquescere non sinit; ieiunos emaciat quidem, sed minus lædit. His uerbis Hippocrates potius docet quando prosint, id est, quo tempore, & obsint somnus & uigilia, quàm aphorismi causam reddere possint. Galenus uero libro tertio De locis affectis capite quarto, ubi de memoria deperdita agit, deq; alijs affectibus, qui circa principem animæ facultatem euenire possint, prope capitis finem, hunc aphorismum refert, docetq; ardorem uigilias facere, refrigerationẽ uero soporem. Est uero de somno & uigilia non mediocre dubiũ, à quibus qualitatibus potissimum fiãt, an ab actiuis, an à passiuis. alicui enim uidebitur, ex passiuis qualitatibus solũ induci, ut ex humiditate somnus fiat, ex siccitate uigilia. nam somnus fit cum implentur humiditate & uaporibus uentriculi cerebri. cum uero desunt, aut exiccati sint, uigilię consequuntur. propterea uidebitur ex passiuis qualitatibus potius fieri, quàm ex actiuis. tamen Galenus in huius aphorismi commentatione ex actiuis qualitatibus inferri dicit, inquiens, ex caliditate uigilias, ex frigiditate somnum induci. Idem sentit tertio libro De locis affectis capite quarto prope finem, docens, ex frigiditate somnum, ex caliditate uigilias fieri. Et quia præscriptum dubium fortassis offendit, propterea inter loquendum docet, siccitates etiam uigilias, & humiditates somnum facere, tamen primas partes habent caliditas, & frigiditas: secundas uero humiditas, & siccitas. Galeni uerba hæc sunt, quippe quod ad uigilias soporesq; per morbos pertinet, calida, frigidaq; distemperantia primam sibi facultatem uendicant. altera uero ab hac ad humiditatem, ariditatemq; refertur. Item Balnea quoque, eo quod caput madefaciunt, soporifera sunt. haud secus uini moderata potio, omnes cibi humectantes, atque ex ætatibus pueritia quidem ob humorem somnolenta est: senes uero ob ariditatem uigilijs uexantur. Igitur omnia hæc argumento esse possunt, ad animi ignauiam inducendam, humiditatem pręter naturam secundas partes obtinere, frigiditatem uero priores. proinde ut humiditas abundans uel sola, longos, profundosq; somnos: ita ariditas quoq; sola uigilias efficit. Postea addit, de quibus dispositionibus ab Hippocrate dictum est, somnus, aut uigilia si alterutrum modum excessit, malum est. Sed non ab re dubitare poteris, quid futurum sit, quando simul actiuæ & passiuę qualitates mixtę fuerint, ut caliditas & humiditas, frigiditas & siccitas. nam una, quantum ex se sit, somnum: altera uigilias inducit. De illis uerò qualitatibus non loquor, & earum coniugatione, quæ simul unam ex his affectionibus augẽt, sed de his quarum una somnum facit, altera prohibet. nam ut præcitato loco docet Galenus, Si frigus cũ humiditate uehementer intendatur, soporem, stuporemq; constituit. Nos igitur respondemus, si calor humidita-

tem superauerit, hic erit magis promptus ad uigilias: at si calor ab humiditate superetur, in somnum potius inclinabit. Vnde, ut à Galeno precitato loco scriptum est, hæc uaria cōplicatio facit, ut multifariæ inueniantur causæ, quæ animales actiones lædere possunt, & adde quę magnam diuersitatem in somno & uigilia faciunt. Vnde cum frigida calidis, uel humida siccis commiscentur, affectus quidam fit, qui nominatur uigilans sopor, ut cum biliosa pituitosis miscētur, itaq; & de aliis complicationibus dicere oportet, ex quibus affectionum uarietates nascũtur. Galenus quoq; huius aphorismi, in Exhortatione ad bonas artes, mentionem facit, ubi omnia moderata esse iubet, & somnum & uigilias. ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, κακόν, idest, Somnus, uigilia, utraq; modum excedentia, malum.] Nam ut dicit Philotheus, ἄμφω κακὰ ὡς ἄμετρα, id est, Ambo mala, ut immoderata. Suntq; mala, & tanquàm signum malum, & tanquàm causa mala. De somno quidem, tanquàm signum, quoniam ut Philotheus dicit, δηλοῖ πλῆθος ὕλης, καὶ ἀσθένειαν δυνάμεως, idest, ostendit materię multitudinem, & uirium imbecillitatem: tanquã causa uerò, quoniam (ut idem author prosequitur) ἐπιτείνει τὸ πλῆθος, μὴ συγχωρῶν αὐτὸ διαφορηθῆναι, idest, Multitudinem intendit, non permittẽs ipsam discuti. Vigiliæ autem malæ sunt, ut signum, & ut causa. ut signum quidem (eodem authore) quoniam, ἐνδείκνυται ξηρότητα, idest, Siccitatem demonstrat. tanquàm causa uerò, quoniam ἐπιτείνει αὐτὴν τῇ διαφορήσει, idest, Intendit ipsam, scilicet siccitatẽ, discussione uel concoctione. Oribasius dubitat, si somnus malus est, & uigiliæ malæ, quid erit bonũ? Dicimus nos, nec somnũ nec uigilias esse mala cum moderata sunt, sed solũ cum ἄμετρα, idest, Immoderata. Tamen Oribasius longo discursu docet ætates, in quibus cōueniat somnus, & quibus uigilię, & qui sunt somni, & quæ uigiliæ naturales, & quæ pręter naturam. nam hic somnus, qui modum excedit, præter naturã est. Philotheus quoq; hic antiquorum dubium facit, inquiens, ἀπορῶσι δέ τινες λέγοντες, ὅτι διὰ τί εἶπεν ὕπνον μακρόν. ὁ γὰρ μακρὸς ὕπνος οὐχ ὕπνος, ἀλλὰ κῶμα λέγεται. ὅτι ἄλλο κῶμα, καὶ ἄλλο μακρὸς ὕπνος. τὸ μὲν γὰρ κῶμα, οὐ μόνον τῷ μήκει χαρακτηρίζεται. ἀλλὰ καὶ τῷ δυσεγέρτῳ. ὁ δὲ μακρὸς ὕπνος, τῷ μήκει μὲν, οὐ μὴν δὲ καὶ τῷ δυσεγέρτῳ, idest, Dubitant uerò quidam, dicentes, propter quid somnum longum dixerit. nam longus somnus non somnus, sed coma, idest, sopor uocatur. Sed aliud est coma, aliud somnus longus. Coma etenim non solum longitudine exprimitur, sed & ex eo quod est difficulter excitabilis: longus uerò somnus longo quidem, sed non eo quod est difficulter excitabilis.

Vna deniq; est Galeni sentẽtia quarto De symptomatũ causis libro prope finem, quæ ambigere facit, an somnus longus à cerebri frigiditate fiat: ubi dicit, dignum esse, medicinam, quæ tantum humectat, somniferam nuncupare. Quæ uerò sensum obtundit, & obstupescere facit, somnifera uocanda non est. Respondemus, omnino perfectum somnum ab humiditate fieri. Stupidum uero somnum à frigiditate.

GALENVS

NONNVLLI ex medicinæ professoribus existimarunt, uigiliam modum excedentem malum esse, & signum, & causam, non tamen somnum. Hunc enim semper bonum esse, & signum, & causam, & nunquam fieri somnum modum excedentem: plurimos uerò decipi arbitrantes somnolentas, & graues dispositiones incipiẽtes, somnum esse longum. Verum hi à nobis discentes, quod nondum somnus grauis nominatur, nisi difficilem habuerit expergefactionem, concedant recte somnum longũ nominari, quando solum tempore excesserit modum naturæ conuenientem, & nondum habuerit difficilem expergefactionem. Fit autem huiuscemodi somnus refrigerato primo sensitiuo, hoc est cerebro ipso, quæ refrigeratio cum fortis fuerit mixta quidem humiditati facit lethargicas passiones. Cum siccitate uerò eas quæ Græco uocabulo catalepses, idest, deprehensiones nominãtur. Sic & uigiliæ fiunt quidem propter calorem primæ partis sensitiuæ, sed uel ex sola intemperatura, uel ex humoris biliosi abundantia. Horum uerò talium omnium demonstrationes in nostris sunt scriptæ tractatibus. Nunc autem sufficiat sola eorum capita tetigisse. Sicuti autem quidam fuere qui solum somnum semper fieri

cum

cum modo existimarunt, & nunquam extra modum, sic nonnulli rursus aiunt uigiliam nunquam esse moderatam. Sed hoc nomen solam immoderantiam significare, obliti eius quæ in usu uitæ seruatur consuetudinis, quoniam & mala nonnunquam mediocria dicimus magnorum comparatione. Sic igitur audire oportet uigiliam mediocrem, ac si significet paruam.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus duas sententias antiquorum de somno refert. nam quidam medici putarunt uigilias modum excedentes esse signum malum, & causam malam: somnum uero quantumcunque longum, semper esse bonum & signum & causam. propterea nullus somnus excedit. Horum ratio esse poterat, quia somnus fit (ut putabant) ex plenitudine uaporosa, quæ per somnum resoluitur. eam uero resolui semper bonum est, ideo & somnus semper bonus erit. Et re uera si per somnum, quietum somnum intelligerent, non essent frustra locuti. At quia de omni genere somni loquuntur, propterea arguendi sunt, atque explodendi. Quoniam longus somnus ex frigiditate fit, quæ est mala causa. Alij uero per excedentem somnum, somnolentam dispositionem & grauem, uel stuporem intelligunt. Quos Galenus ex consuetudine reprehendit. non enim apud græcos authores consuetum est, somnum longum, stuporem, & somnum grauem nuncupare. nam nō est grauis somnus nisi difficilem excitationē habuerit. Hec uero differunt, difficilem habere excitationem, & modum naturæ conuenientem excedere. Longus etenim somnus est, quando modum naturæ conuenientem excedit, & non habet difficilem expergefactionem. cum uero difficilem expergefactionem habuerit, tunc est grauis somnus, qui coma dicitur, uel stupor.

Quod legitur, Arbitrantes somnolentas & graues dispositiones incipientes somnum esse longum, græce habetur, τὰς κωματώδεις διαθέσεις, ἀρχομένας νομίζοντες ὕπνον εἶναι μακρόν. Dispositiōes in coma uel soporē, plabētes quū incipiūt, longū somnū esse arbitrātes.

SECVNDO Galenus docet, cum somnus fiat refrigerato primo sensorio, id est, cerebro, si refrigeratio imbecillis fuerit, somnus debilis erit. Si uero fortis fuerit, & humiditati commixta, lethargiam facit. Si siccitati, catalepses, id est deprehensiones, quas recentes cōgelationes uocant. Idem sunt apud græcos autores κάτοχος, & κατάληψις, quæ ἀπὸ τοῦ κατέχεσθαι, quod est occupari atque detinere, dicūtur. Galenus in libro Definitionum sibi adscripto, dicit hæc esse sensuum priuationes in anima, cum totius corporis concretione, eo modo quo res aliquæ gelantur.

TERTIO Galenus docet uigilias fieri ob calorē primi sensorij, id est, cerebri, qui calor uel ex sola tēperatura prouenit, & à recentib. sine materia uocatur, uel ex abundātia bilis.

Denique notat, aliquos fuisse, qui putarint uigilias semper esse immoderatas. quos Galenus ex consuetudine reprehendit. nam & si uerum sit, quod uigilia immoderantiā quandam semper significet, tamen mala quandoque mediocria uocamus comparatione maiorum. Itaque dicimus uigiliam mediocrem, ad maiorem comparantes.

Quod legitur, cū modo, Græce est σύμμετρον, & quod extra modū, græce est ἄμετρον. Quod etiam legitur, ac si significet paruam, græce est ἐν ἴσῳ τῷ μικράν.

APHORISMVS IIII.

NOn satietas, non fames, neque aliud quidquam, quod modum naturæ excesserit.

BRASAVOLVS.

A NATVRA ipsa omnium parente, & à philosophis per traducē quandam, atque poetis, id quod nimis, exprobratum est, & ab his qui naturaliter uitæ munijs utuntur, experientia comprobatur. Vnde antiquissimum illud oraculum adagio receptum est, Ne quid nimis, quod Aristoteles tertio Rhetoricorū libro Biāti attribuit, alij uero alijs philosophis, aut poetis, imò & distichon græcum extat,

Καὶ τὸ περισσὸν, ἄκαιρον. ἐπεὶ λόγος ἐστὶ παλαιός,

ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.

Intempestiuum est, quodcunque superfluit; Aiunt.

In bilem transit mel quoque, si nimium est.

In hoc autem Aphorismo ab Hippocrate huius adagij sententia quodammodo exprimitur, cum dicit, sacietas illa quae modum naturę excedit, id est, nimis est, bona non est. fames, quae eundem naturae modum excedit & quae nimis est, bona nō est. & alia eodem modo, ut caliditas, quae modū naturae excedit, frigiditas, humiditas, siccitas, sitis, & eiusdem generis reliqua, quae cum nimis sunt, bona non sunt. Nam sanitas est quaedam aequalitas atque commoderantia, à qua si quispiam digrediatur, in immoderantiam pertransit, quae uel aegritudo est, uel aegritudinem inducere potest. sed ut Hesiodus inquit in libro cui titulum fecit, opera & dies.

μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. id est,

Mensuram serua, modus in re est optimus omni.

Hippocrates in tertio De ratione uictus libro huius aphorismi causam reddere uidetur. In hoc enim libro plenitudinem reprehendit, primo plenitudinis signum edocens, cum corpus plenum quiescit, meatus spiritus clauduntur, quod cum labore calefit, extenuatur, & excernit. Paulopost alia quaedam adiecit signa, inquiens, corpus totum nonnullis dolet, quibusdam quaeuis pars, dolor est ubi lassitudo. nam desidia, plenitateque delassari uidentur, nec prius se curant, quam febris ueniat, quod nec adhuc agnoscunt, sed balneis & cibis utuntur, corpusque ad pulmonis uitium, postremumque periculum deducunt, perueniuntque. Tuque eodem loco multa alia plenitudinis signa uidere potes in Hippocrate & diuersitates. Galenus pręterea huius aphorismi, & pręcedentis mentionem facit in Exhortatione ad bonas artes, ubi in athletas inuehitur, Hippocratem adducit, qui de tuenda ualitudine loquens inquit, labores, cibi, potus, somni, uenus, omnia moderata: & in fronte libelli, cui titulus est, Quod optimus medicus idem sit & philosophus, docet ex Hippocrate moderandam esse uictus rationem, & passim à medicis receptum est, omne nimis esse naturę inimicum.

Ex praecedenti aphorismo, & eo quem nuper interpretati sumus, unus in hūc modum continuus fieri posset, somnus & uigilia, quae modum excedunt, mala sunt. Adde facietatem, famem, sitim, calorem, frigus, & reliqua eiusdem generis, cum modum naturae excedunt bona non esse. At non dicit esse simpliciter mala, quoniam aliqua sunt magis, aliqua minus mala.

Celsus libro primo capite secundo de his agens, quę seruanda sint stomacho imbecillis, inquit, ubi ad cibum uentum est, saepe inutilis nimia sacietas, saepe inutilis nimia abstinentia.

οὐ πλησμονή. id est, Non satietas, per satietatem plenitudinem illam intellige, qua membra omnia satura sint, uel solam ciborum sacietatem. quoniam apud Galenum talis uidetur huius uocabuli usus, qui in septimo decimo aphorismo huius libri dicit, plus enim cibi, quàm modo naturae conueniat πλησμονή, id est, sacietas uocatur. Humorum uero plenitudinem πλεονεξίαν nominare consueuit. Tamen Aristophanes in Pluto utitur uocabulo πλησμονή ad cuiuscunque rei satietatem intelligendam. Chremilus Plutum alloquitur, dicitque neminem inueniri Pluto, id est, diuitijs plenum. At aliarum rerum est satietas, & utitur uocabulo πλησμονή in uarijs reb. & nō in solis cibis. Chremili uerba haec sunt,

τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή. id est,

Aliorum enim omnium est satietas.

Et quae sint ista, enumerat Chremilus, quorum sit satietas. His uero quae referuntur ad animum spectantia, Carion seruus aliqua semper interponit ad ganeam pertinentia. Haec igitur sunt, quae de satietate dicuntur. ἔρωτος Car. ἄρτων.

Chr. μουσικῆς Car. τραγημάτων Chr. τιμῆς Car. πλακούντων.

Chr. ἀνδραγαθίας Car. ἰσχάδων Chr. φιλοτιμίας Car. μάζης.

Chr. στρατηγίας. Car. φακῆς. id est, Amoris Car. Panum.

Chr. Musicae Car. Bellariorum Chr. Honoris. Car. Placentarum.

Chr. Virilitatis Car. Caricarum Chr. Ambitionis Car. Mazae, id est,

Scitamenti uel cupediæ. Chr. Artis militaris. Car. Lentis.

Vides igitur πλησμονὴν, id est, plenitudinem de alijs rebus, præter cibos dici. tamen in proposito Hippocratem de satietate quo ad cibos intelligamus sola, & non de plenitudine, quæ πλῆθος & πληθώρα uocatur.

οὐ λιμὸς, id est, Non fames, quę modum excedat.] Quidam per famē euacuationem intelligunt, quæ plenitudini correspondet. Qui & si uerum dicant, tamen in fame intelligendus est, quæ ciborum satietati opponitur.

οὐδ' οὐδὲν ἄλλο ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ. id est, Neq; aliud quicquam bonum, quod magis naturæ fuerit.] id est, quod naturæ modum excesserit. Nam ut Oribasius dicit, natura neq; maius neq; minus uult, sed semper gaudet modo. hic autem naturæ excessus considerari debet penes eius uiri naturam qui patitur. hoc uero ex consuetudine illud patiendi deprehenditur. Tuq; intellige hæc perseuerare, & non tantum semel esse facta. Philotheus in hoc aphorismo ita dubitat διατί πλησμονῆς καὶ λιμοῦ ἐμνήσθη ἐνταῦθα, οὐ μὴν καὶ ἄλλης τινὸς ἐναντιώσεως, οἷον θερμασίας, καὶ ψύξεως, ὡς αἴτια τῶν πρὸ αὐτοῦ εἰρημένων. ὁ μὲν γὰρ πολὺς ὕπνος, τῇ πλησμονῇ γίνεται τῶν βρωμάτων. ἡ δὲ ἀγρυπνία, τῷ ὑπερβάλλοντι λιμῷ. ἀπὸ δὲ τούτων ἤδη τὸ καθολικώτερον ἀναγόμενος φησὶν, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ. καὶ ἡ αἰτία. ὅτι οὐδὲν ἄμετρον ἀγαθόν. id est, propter quid satietatis, & famis hic mentionem fecit, & non alterius cuiuspiam cōtrarietatis, ut caliditatis & frigiditatis, tanquam eorum quę prius dicta sunt causa: multis enim somnus ciborum satietate fit. Vigilia uero immodica fame. ab his autē in uniuersalius progressus, inquit, neq; aliud quicq; quod modum naturæ excesserit, bonum. & causa est, quoniā nihil immoderatū bonum.

GALENVS

RVRSVS hic aphorismus, sicut & alter qui antecedit, quod in una materia, idem uult intelligi in omnibus. Nam [illegible]um sanitas moderantia quædam sit, necesse est omnes immoderantias quæ plurimum à modo recesserunt iam ægritudines esse: quæ uerò nondum id quod plurimum obtinent, ægritudinum generationem ostendere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc Aphorismum præscripto ferè continuat, & utrisq; uniuersalem quandam conditionē edocet, scilicet. Idem in omnibus materiebus intelligēdum esse, quod in una materia dicitur, præsertim in similibus.

Quod legitur, Rursus hic aphorismus, sicuti & alter qui antecedit, Græce est πάλιν οὗτος ὁ λόγος, ὥσπερ ὁ προγεγραμμένος ἀφορισμός. id est, Rursus hic sermo, sicut præscriptus aphorismus.

Quod etiam legitur, Idem uult intelligi in omnibus, Græce est, αὐτὸς ἤδη πασῶν ἐκφαίνεται. id est, idem uult uideri in omnibus.

SECVNDO docet sanitatem συμμετρίαν, id est, moderantiam quandam esse, propterea omnes ἀμετρίας, id est, immoderantias, quæ plurimum à συμμετρία, id est à moderantia & modo recesserūt, necesse est esse ægritudines. At immoderantiæ illæ, quæ nondum obtinent id quod plurimum est, ægritudinum generationem ostendunt. Ex hoc loco aliâs, neutrum colligi posse apud Galenum putauimus, quoniam hæc parua à mediocritate recessio, sanitas dici non potest, nec etiam ægritudo: tamen rem speculantes, nouimus ex his neutrum colligi nō posse, quoniam semper sanitas est quousq; sensu operationum læsio percipitur. Veruntamē hic recessus futuram ægritudinem significat, nempe sanitas atq; ægritudo latitudinem habent, sed eorum apices in indiuisibili consistunt.

APHORISMVS V.

SPontaneæ lassitudines morbos prænunciant.

BRASAVOLVS.

ANTIQVVS noster cōtextus in huius aphorismi principio hāc inscriptionē prefixā habet περὶ γνώσεως νοσημάτων. id est, de cognitiōe morborū. ut aūt huius sermōis perfecta

ratio

ratio habeatur, ſcire oportet, Id nomen laſſitudo, quod Græci κόπος dicunt, apud Galenũ tripliciter uſurpatum reperiri, idq; eſt in principio quarti libri de ſanitate tuenda, & in præſenti cõmento repetitur. Vna eſt ſpontina laſſitudo, quæ à Græcis ἑλκώδης, ideſt, ulceroſa, Altera τονώδης, ideſt, tenſiua, Tertia φλεγμονώδης, ideſt, inflãmationis uocatur. prima propterea ulceroſa dicta eſt, quia ulceris ſenſum facit. fit autẽ ex acribus humoribus, tenuibus, & calidis, qui corpus erodunt, ſtimulãt, ac pungũt. unde ſequũtur ſymptomata, aut grauis ſenſus, aut corpus ulceratur, uel in cute, uel in carne, ſi ualentior, uel in cute, & carne, ſi atrocior: hocq; à Galeno laſſitudinis ſymptoma uocatur, quę laſſitudo eſt quãdo propter acres humores laſſum corpus ſentimus, præſertim dũ mouemur. hæc igitur laſſitudo, dũ quieſcimus, nõ ſentitur. Si agitemur, protinus ſentitur, & hanc laſſitudinẽ præcipue ſentiri monet. Tenſiua aũt laſſitudo eſt, quãdo quis plethoriam inciderit, ideſt, humorum, ſed non corruptorũ, nec mala qualitate affectorum abundantiã. ex his ſolidæ animalis partes tendũtur, itaq; ſentitur grauitas, præſertim in illis partibus, in quibus ſunt humores. Laſſitudo aũt phlegmones, ideſt, inflãmationis, eſt ex utriſq; compoſita, & ex humoribus acribus, & uitioſis, & ex humoribus multis, & boni ſucci. cũ Hippocrates uocabulo κόπος, ideſt, laſſitudo utitur, omne genus laſſitudinis intelligit, & ulceroſum, & tenſiuũ, & inflãmationis, modo ſit ſpontina laſſitudo. Illę uerò ſpontinæ dicuntur quæ fiunt ab intrinſeca cauſa, & non ab aliqua extrinſeca, ita enim ſpontinũ intelligere oportet. Cum ig[illegible]r ſpontinæ laſſitudines contigerint, ſtatim iudica præſentẽ eſſe cauſam, quæ eſt morborum generatiua, immo intenſiua, & phlegmonis laſſitudine morbus in numero iam adeſt. Galenus uerò in quarto De ſanitate tuenda libro, hunc Aphoriſmum in ulceroſa laſſitudine intelligit, non tamen ita intelligit, quin etiam ad alias laſſitudinis ſpecies applicari poſſit. Hippocrates etiam in tertio De ratione uictus libro, ubi de plenitudine agit, docet dolorem eſſe ubi laſſitudo, & laſſitudinem ubi plenitudo. unde laſſitudo eſt ſymptoma plenitudinem ſequens, quo denotatur, præſentem eſſe morbum, aut morbi cauſam. Id uero laſſitudinis genus, quod Galenus φλεγμονώδης, id eſt, Inflammationis uocat, Philotheus ὀστεοκοπώδης, id eſt, oſſium laſſitudinem dicit. hæc ſunt eius uerba, ἀλλ' ὅτοι οἱ κόποι τριτ7οί, οἱ μὲν γὰρ εἰσὶ τονώδεις, οἱ ἐκ πνευμάτων φυσωδῶν τὸ θνητὸν ὅλον σῶμα μετ' αἰσθήσεως γινόμενοι. οἱ δὲ ἑλκώδεις, ὥσπερ ἐφ' ἕλκους δοκεῖ, τοῖς συναίσθησις γίνεται, οἱ περὶ γίνονται ἐξ ὕλης δριμείας τε καὶ δακνώδους. οἱ δὲ ὀστεοκοπώδεις ἐπειδὴ δοκοῦσιν συντεθλάσθαι τὰ ὀστᾶ, γινόμενοι ἐκ παχέως καὶ γεώδους χυμοῦ, id eſt, Sed hæ ſunt tres laſſitudines, iſtæ enim ſunt tenſiuæ, quæ ex flatuoſis ſpiritibus totũ corpus occupantes, cum ſenſu fiunt. hę uerò ulceroſæ, in his ſimilis ſenſus fieri uidetur ſicuti in ulcere, quæ fiunt ex materia acri & mordaci. hæ uero oſſium laſſitudines dicuntur, quoniam oſſa confringi uidentur, quæ ex craſſo & terreo humore factę ſunt.

κόποι αὐτόματοι, ideſt, Spontaneæ laſſitudines, ſunt uero ſpontaneæ illæ quæ ab intrinſeca cauſa factę ſunt. Philotheus dicit αὐτομάτους κόπους ὀνομάζει, τὰς ἄνευ φορᾶς αἰτίας γινομένας ἀνιαρὰς συναισθήσεις, ideſt, ſpontinas laſſitudines nominat, ſenſationes moleſtas abſq; exteriore cauſa factas. Oribaſius hic Galenũ refert, ac ſi dixerit. ſpontaneũ eſſe, cũ abſq; motu præcedente talis diſpoſitio oritur, tamen à Galeno hoc non dicitur.

φράζουσι νόσους, ideſt, morbos prędicunt, atq; prænuntiant, q[illegible]a ex ipſis morbi cauſam adeſſe ſignificatur. Philotheus exponit φράζουσι, τουτέστι δηλοῦσι καὶ μηνύουσι μέλλουσαν γίνεσθαι νόσον. τέως γὰρ ἠρεμεῖ ὁ χυμός, ὁ αἴτιος τῶν κόπων, λοιπὸν δὲ ὕστερον ἐμφράττεται, σήπεται, κἀντεῦθεν χαλεπὰ γίνεται νοσήματα, ideſt, prædicunt, hoc eſt oſtendunt, & indicãt morbum futurum. Interea tãtiſper enim humor quieſcit, qui eſt laſſitudinum cauſa. reliquum uerò poſterius obſtruitur, corrumpitur, & hinc moleſti fiunt morbi.

Aëtius uerò libro quarto capite trigeſimoſexto duplex genus laſſitudinis innuit, Vnum ob exercitium uel peregrinationem factum. Aliud ſpontinum. Quod exercitia ſequitur, in tres ſpecies diuidit, In laſſitudinem ulceris ſenſum inferentem, quæ ob tenuia, acria, mordaciáque excrementa contingit, neque hic eſt plenitudo quæ lædat, ſed humorum acrimonia. Multáque ab Aetio de hac laſſitudine perpulchre diſſeruntur, In laſſitudinem tenſionis ſenſum inferentem, quam dicit non habere excrementum ratione dignum membris annexum, ſed muſculi, neruiq; ob uehementes extenſiones afficiuntur, quas exercitia inuexere: in his enim contingit rectas muſculorum

fibras defatigari, extendiq; , ut prope ad conuulsionem deueniant. Id lassitudinis genus præcipue inuadit homines qui boni succi sunt, non quidem ualidis exercitijs defessos, immò magis remissis, redditq; lassos insigniter tardos, & ad flectendos artus difficiles, horrorem tamen non inducit, ueluti lassitudo ulceris sensum afferens. quamuis in hac non minus, quàm in ulcerante & arida lassitudine corpus contrahatur, calidiusq; quàm postulet natura, tangentibus offeratur: & in lassitudinem inflammantem, & ad ossa attingentem, quæ ὀσοκοπος, id est, ossium lassitudo uocatur, in qua mēbra ueluti infringi, inflammariq; uidentur. Solet hæc euenire, ubi in motionibus uehementissimis musculi excalfacti ad se attrahunt soluta excrementa, solumq; id lassitudinis genus musculos eleuat, supra id quod naturæ conuenit, ut inflammationi assimiletur affectus. propterea si tangantur, dolent, calidioresq; apparent, magis tamen dolent, si ad motum cogantur, Quod si in profundo, ad chordas usq; & neruos affectio insederit, ὀσοκοπος, id est, ossium lassitudo uocatur, quæ plerumq; accidit his qui exercitijs non assueuerint. Hæc Aetius de tribus lassitudinis generibus, non spontinis. capite uero quadragesimo quartum genus lassitudinis ponit, quod ob siccitatem maciemq; contingit. tamen & si lassitudini assimiletur, non est uera lassitudo, sed est macies tantum. hæc igitur animosos, plurimisq; exercitationibus deditos pręcipue uexare solet, quando plus æquo exercitati perperam deinceps re curantur. ita enim discutiuntur excrementa, & relaxantur intensæ partes & nihil aliud in corpore, præter ariditatem, relinquitur, quæ nimia motione comparata est. Adest & quinta lassitudo ob cōcubitum, de qua agit capite quadragesimoprimo, quæ fit ob usum ueneris immoderatum, ad quem uirium imbecillitas consequi solet, ac præcipue in debilioribus natura corporibus. nimia eñ motione rarescit cutis, plurimaq; per halitũ inanitio fit, propterea siccitas, immò & frigiditas quandoq; succedit. nam parta raritate calidum euaporat, & innata humiditas à plurimo sudore exhauritur. hæ omnes sunt non spontinę lassitudines. De spontanea uero lassitudine capite quadragesimo secundo agit, quam dicit secundum Hippocratē morbos prædicere, & capite quadragesimotertio de illa spontanea, quæ ulceris sensum affert, differit, inquiens, ob acrium, subtilium, calidorumq; humorum maliciam sensim inuectam generari, ita ut erodantur, stimulentur, punganturq; partes, quæ sentiunt. ac donec quidem succus is malus in uenis sanguini mixtus fuerit, tātisper uirtute sanguinis uictus latet: ubi uero ad carnes cutimq; defertur, & mora impingitur, ulceris affectum & sensum inducit: tuncq; potissimum membra imbecillitas obsidet, ubi ad motum se conferant. considerando ergo in his, utrum in cuti, an sub proxima carne, an uero in sanguine intra uenarum concauitates malus succus recludatur, habebis singulorum indicia ex urinis, ex cutis mordicatione, ex sudoribus. Capite uero quadragesimoquarto de spontanea tensionis lassitudine tractat, quæ significat humorum multitudinem, qui nimia copia solida animalis membra, sed præcipue musculorum fibras intendunt. ulceris sensus in hac lassitudine non percipitur, neq; partis cuiuspiā tumor tactu, aut uisu deprehenditur, sed grauitas tantum cum extensione infestat, quoniam in corpore solus sanguis abundat. At capite quadragesimo quinto de spontanea inflammationis sensum inferente lassitudine differit. ob doloris (inquit) uehementiam, & ob insignem inflammatorum partium ardorem, musculos in tumorem attollens, nondum duorum triumúe dierum spatio, sed ne horis quidem tribus tolerat, quin repente ardētissima febris superueniat, nisi sanguinis missione pręueniatur. Hęc sunt, quæ de his lassitudinibus ab Aetio referuntur. Celsus libro secundo capite secundo de signis agens aduersæ ualetudinis futuræ, dicit hoc esse signum futuræ ægritudinis, si genua quasi fatigata sunt, totum ue corpus lassitudinem sentit.

GALENVS

NON eius quæ fit ex motionib. immoderātię nomen est lassitudo, sed eius quę adue nit in corporib. animaliũ dispositiōis: neq; enim, lassitudinũ meminit, quę ex talib. accidunt motionibus, sed quæ sponte contingunt. Cũ igitur absq; motu huiusmodi euenerit dispositio, non simpliciter lassitudo, sed lassitudo spōtanea nominatur. Sed cũ tres sint lassitudines, queadmodũ in salubrib. declarauimus, prima quę ulcerũ, secũda quę tentionis, tertia quę inflammatiōis sensum habet, quæ ex istis cōponit: Prima quidē ex uitiatis

humori

humoribus ortum habet, secunda ex plenitudine, tertia ex utrisq; simul coniunctis. Sic enim à nobis est demonstratum in ea quae de salubribus inscribitur tractatione. Quare non temere dictum est spontaneas lassitudines morbos nunciare.

BRASAVOLVS

PRIMO docet, hoc in loco non accipi κόπον, id est, lassitudinem, pro ea quae sequitur ex immodico motu, sed pro spontanea, id est, intrinseca.

Quod legitur, Sed quae sponte contingunt, Graece est ἀλλὰ τῶν αὐτομάτων.

SECVNDO docet, quando absq; motu, haec dispositio aduenerit, non simpliciter lassitudinem, sed spontaneam lassitudinem nominari.

TERTIO, Tres lassitudinis species superius enumeratas, expositas refert, Helcodes, Tonodes, & Phlegmonodes.

Quod legitur, ex uitiatis humoribus ortum habet, Graece est, ἀπὸ κακοχυμίας, id est, ex uitiatorum humorum plenitudine.

Vbi etiam legitur, Tertia ex utrisq; simul cõiunctis, addi debet, apta est fieri. nam Graece habetur ὁ δὲ τρίτος, ἀπὸ ἀμφοτέρων ἅμα συνελθόντων γίνεσθαι πέφυκεν.

APHORISMVS VI.

QVicunq; dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, his mens aegrotat.

BRASAVOLVS.

GALENVS uarijs in locis de dolore agit, sed potissimum libro tertio De symptomatum differentia, ubi docet potissimos dolores fieri sensu tactus, unde & auriũ, & oculorũ dolores intensissimi sunt propter tactũ. De eisdem rebus libro quinto De symptomatũ causis differit, ubi ea symptomata prosequitur, quę ex dolore sequũtur, quę nõ esse minora dicit, quàm illa, quae ex timore proficiscũtur. Ex his locis colligere potes quid sit dolor & quid laeticia, & quõ circa omnes sensus uersentur: & hoc praesertim libro quarto colligitur, ubi docet, qui sensus magis, & qui minus afficiantur. Visus enim dolore, & delectatione minus afficitur, quàm alij sensus, tactus autem, & gustus maximè afficiuntur, mox ab his olfactus, atq; hunc sequitur auditus: tamen omnes sensus ab excellentibus sensibilibus corrumpuntur, sed in alijs ita dolore non afficimur, quamuis corrumpantur, sicuti in gustu & tactu. Verum tamen nec gustus excellentissimos dolores habet, nisi ratione qua tactus, nam ratione qua gustus ita non dolet. immò multi sunt qui illum sensum amisere, unde passim receptum est, dolorem esse tristem sensationem, quia est mala affectio, & tristis alicuius sensus. è contra delectatio. propterea in omni sensu dolor, & delectatio inueniuntur, sed potissimum in sensu tactus. Hippocrates igitur hoc theorema proposuit: quicunq; in aliqua corporis parte dolorem habent, quem penitus non sentiunt, his mentem aegrotare certum est. A Galeno autem notatur, dolorem dupliciter accipi. uno modo pro dispositione in qua dolemus, sicuti in epidemiorum libro in Cranone fieri dixit Hippocrates, quod dolores antiqui frigidi, noui calidi. Certum uero est, quod hic per dolorem, tristem sensationem non intellexit, sed affectionem & intemperiem ex qua fit dolor, unde in proposito Galenus Hippocratem ita intelligit. qui doloris causam in aliqua corporis parte habent, & dolorem, id est, eius causam non sentiunt, his mens aegrotat. & si quispiam dubitet, quo nam modo medicus intelligere possit, hunc habere dolorem cum non sentiat, Respondemus, id facile percipi, quoniam medicus doloris causam uidet, id est, uel erysipelam, uel inflammationem, uel uulnus, uel fractionem, uel rupturam, uel conuulsionem, uel motus conuulsiuos, quae affectiones cum adsunt, dolorem semper inducere solent. At quia hic dolorem non sentit, propterea indicium est, huius mentem ęgrotare. unde nos secundum Galenum, Hippocratem hoc modo intelligimus. Quicunq; dolentes aliqua parte corporis, id est, qui pręsentẽ doloris causam in aliqua corporis parte habẽt, & dolorẽ non sentiunt qui ab illa causa proficisci solet, & qui re uera tunc proficiscitur, hi mentem ęgram & occupatam habent. Vnde illi Galenum inepte intelligunt, qui hunc sensum ex suis cõmentarijs eliciunt, Quicunq; dolentes parte aliqua corporis, dolorem non sentiunt, id est, doloris causam, his mens ęgrotat. Galenus etenim de dolore, id est, tristi sensatione uerba facit, ut sensus sit, quicunq;

cunq; dolens, id est, laboris causam in aliqua corporis parte habens, quam uidet medicus, & fortassis etiam æger, tamen dolorem, id est, tristem sensationem non sentit, huic mens ægrotat. ut in prima aphorismi parte per dolentes, doloris causam intelligat, in secunda uero parte, per dolorem, uerum dolorem, qui est tristis sensatio. & licet Galenus de doloris causa loqui uideatur, de ea loquitur, ut affectæ parti præsente, & dolorem inferente, tamen causa necessario non sentitur, ut in his quibus caput uulneratum est, plerunque contingit, & in phrenesi, lethargia, cathoco, comate uigili, & medio quod morbus mazuchi uocatur, affectis. Oribasius docet, tribus modis dolorem non sentiri, aut paruitate, aut obliuione, ut in eremitis qui obliuiscuntur doloris & non illum continent, unde & aliquando dicunt, quum non dolent, oblitus est nostri deus noster. Aut nimietate, quando in non sentientis corpore mens ægrotat, cum antea senserit dolorem: hæcq; Galeno consentiunt, qui in septimo De decretis Hippocratis & Platonis libro prope finem, ubi probat affectionem, & affectionis sensum inter se differre, hæc uerba habet. Tantum meminisse te uolo, affectionem, quam corpora à naturali constitutione exturbata suscipiunt, & eius affectionis sensum, inter se differre, quando quidem à nonnullis, quemadmodum ab Hippocrate, sensus solus, interdũ dolor appellatur. ubi inquit, quicunq; aliqua in parte corporis dolentes, plerũq; dolores nõ sentiunt, ijs mẽs ęgrotat. hic eñ dolentes nominat eos qui aliqua in parte offensi sunt, ita uehemẽter, ut nisi delirio premerẽt dolerẽt.

Celsus tamen de causa doloris intelligit. nam Aphorismum istum hoc modo refert capito septimo secundi libri: quibus causa doloris, neq; &c. sensus eius est, his mens labat.

Philotheus hunc aphorismum precedenti hoc modo continuat, συνεχὴς καὶ οὗτος τῷ αὐτῷ ἀφορισμῷ. ἐν ἐκείνῳ μὲν γὰρ περὶ τοῦ αἰσθητικῶς πόνου γινομένου διηγόρευσεν, ἐνταῦθα δὲ περὶ τοῦ ἀναισθήτως. id est, & hic precedenti aphorismo continuus est. In illo enim de dolore qui sentitur, disseruit: hic uero de eo qui non sentitur.

ὁκόσοι πονέοντες, id est, Quicunq; laborantes, sed tali labore quo doleamus.

τί τοῦ σώματος, id est, Aliqua parte corporis, sit quęcunq; illa.

τὰ πολλὰ τῶν πόνων μὴ αἰσθάνονται. id est, magna ex parte dolorem non sentiunt, uel omnino laborem non sentiunt.] Philotheus exponit hanc particulã, τὰ πολλὰ, inquiens τὸ δὲ πολλάκις τὰ νῦν, ἀντὶ τοῦ ὡς ἐπίπαν. id est hoc uero quod dicitur magna ex parte, nunc pro eo quod est omnino accipitur, plerunq;, quasi semper.

τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει. id est, his mẽs ęgrotat.] Nã ut Philotheus dicit, δηλοῖ γὰρ ὅτι ὁ ἐγκέφαλος πέπονθε. id est, ostendit enim quod cerebrum offensum est. Dubitat hic Oribasius, cum Hippocrates testetur cerebrum non pati, quomodo nunc dicat, his mens ægrotat: cum in cerebro sit mens, in mente memoria, & per memoriam sentiamus. Respondet, hunc Hippocratis diuidendi modum esse figuratum, ut à parte diceret totum, cum mentem nominaret.

GALENVS

DOLORES solet nominare nonnunquam dispositiones ipsas in quibus dolemus: in quem sensum dicebat in libro Epidimiarum, quòd in Cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi: haud quaquam dolores calidos, frigidos, ue, sed dispositiones ex quibus fiant, ita nominans. Et hoc in loco igitur eodem modo dolores ipsas dispositiones nominauit, quęcunq; cum dolore fieri sunt natura aptæ, quemadmodum erisypelas, inflammationem, & uulnus, & fractionem, atq; rupturam, & conuulsionem, & quodcũq; tale aliquid, quod si adsit, & ab ægroto non sentiatur, mentẽ indicat ægrotare. Siue autem mentem, siue animum dixerit, nihil ad presentia refert.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, apud Hippocratem, dolorem quandoq; accipi pro dispositione faciente dolorem, siue mala qualitas, siue solutio continui sit, sicuti in epidemijs antiquos dolores frigidos, nouos autem calidos, dicebant. Certũ uero est, dolores frigidos & calidos, non esse tristes sensationes, sed esse dispositiones, ex quibus fiunt dolores.

Nota Hippocratẽ in epidemijs nõ uti uocabulo πόνοι pro dolorib. sed uocabulo ὀδύναι

SECVNDO docet, hoc in loco accipi dolorem pro ipsa dispositione dolorem faciente. unde hic dolores erunt, omnes dispositiones quæ cum dolore fieri sunt natura aptæ, ut erysipelas, inflammatio, uulnus, fractio, ruptura, conuulsio, & omne tale. Quod si in

corpore adsit, & ab ægro non sentiatur, mentem ægrotare significat. At in præsentiarum nihil refert, siue mentem, siue animum dixerit.

Quod legitur, fractionem atque rupturam, græce est, τραῦμα καὶ θλάσμα, est autem thlasma contusio uel collisio, quæ fit ex casu, uel uiolento ictu, uel uehementi alio motu, uel quia subito membra præter modum intenduntur. In osse θλάσις ab aliquibus inter fracturas numeratur, cum tamen non sit. est uero contusio, qua os in interiora deflectitur, & non frangitur. Recentes uero faciunt hoc nomen contusio, latius quàm sit id nomen θλάσις, uel θλάσμα apud græcos autores, nã recentes sub contusione σπάσμα, & ἀπόσπασμα, & ῥῆγμα cõplectũtur, græci uero θλάσμα, id est, cõtusionẽ à prædictis secernũt. est uero σπάσμα in neruo cõtinuitatis solutio, absque uulnere cõtusis neruorum fibris. ἀπόσπασμα uero est euulsio, & fit in coniunctionibus, id est, ligamentis. ῥῆγμα uero est ruptio absque uulneratione in carne ipsa.

Quod etiam legitur, Mentem siue animum, Græce est γνώμην ἢ διάνοιαν, sed hic locus non est, de uirtute illa quę διάνοια à grecis nuncupatur, disserere, quam Auerrois cogitatiuam uocat, & in quinta sectione tertij De anima libri definiri dicit, Intellectumque materialem ipsam uocat. huius διανοίας officium est uniuersalia, & singularia intelligere, & componere, diuidere, atque syllogizare. multique philosophi præter hanc uirtutem à recentibus uocatam cogitatiuam, nihil aliud in homine posuerunt, ut Alexander Aphrodiseus fecit, qui putauit intellectum agentem esse deum. At Simplicius atque Philoponus præter dianoian agentem intellectum ponunt, qui in suscipiendis uniuersalibus & singularibus dianoeam actuat. hic uero intellectus agens à Platone γνώμη, id est, mens uocatur. plerunque uero Galenus Platonem imitatur. Sed hæc à nobis longius in nostris libri De anima commẽtarijs pertractata sunt. Nunc satis sit nouisse, animam apud Platonem in animum & mentem distingui.

APHORISMVS VII.

QVæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: Quæ uero breui, breuiter.

BRASAVOLVS

TRES sunt in humano corpore generales partium differentiæ. spiritus scilicet, humores, & solida membra. Spiritus tenues sunt, atque exiles: humores crassiores, solida membra crassissima. In corporibus, quę ex longo tempore attenuantur, omnes hæ tres partes resoluuntur. nam spiritus, & humores exinaniuntur, & consumuntur. solida uero membra contabescunt, & imbecilla fiunt. propterea si hi refici debeant quibus & solida membra attenuata sint, multo tempore indigent, non solum quia ex longo tempore attenuata sint, sed etiam cum hæc membra imbecillia effecta sint, parum cibi exhibere oportet, aliter imbecilla membrorum uis concoquere non posset. At parum cibi parum reficit, propterea longiori tempore indigemus, quo parum exhibere oportebit. Hoc igitur est quod ab Hippocrate dicitur, Quæ longo tempore extẽuantur corpora, lente, id est, paulatim, & per longum tempus, ea reficere oportet. At si corpora breui tempore extenuata fuerint, fieri non potest ut solidæ corporis partes consumptæ sint, sed spiritus solum, & humores resoluti sunt. propterea hæc corpora citius reficiuntur, cum quia breui tempore consumpta, tum quia solida membra robusta sunt, & sufficientem cibi copiam coquere possunt. Vnde breuiter ratione temporis, & multitudinis cibi reficienda sunt. Philotheus eodem fere modo dicit, & exponit, quo à nobis factum est, cuius uerba ne desideres, hæc sunt, φησὶ ἐνταῦθα πρὸς τὸν ἰατρὸν, ὅτι σκόπει ἐπὶ τῶν ἀνακομιζομένων τὸ προηγησάμενον νόσημα, εἴτε χρόνιον ἦ, εἴτε ὀξύ. δεῖ γὰρ τὸ εἰπεῖν, ἐν πολλῷ χρόνῳ καὶ ὀλίγῳ, ταῦτα ἐνδηλοῦσιν. καὶ εἰ μὲν ἐν πλείονι χρόνῳ ἐλεπτύνθη τὸ σῶμα νωθρῶς ἀρτέον, τουτέστιν ἐν πλείονι χρόνῳ, καὶ ἐπὶ μέρος, διὰ τόδε, ὅτι τοῖς ἐν πλείονι χρόνῳ λεπτυνθεῖσιν, ἐκτήκονται μὲν αἱ σάρκες, ἰσχνὰ δὲ γίγνεται τὰ ἄλλα, δι᾽ ὧν αἱ πλεῖας τοῖς ζώοις ἀναπληροῦνται, καὶ ἡ ἀνά-

λόσις, καὶ ἡ αἱμάτωσις. ὥστε οὐ δυνήσεται τοσαύτης κατεργάζεσθαι τροφῆς ὅσης δεῖται τὸ σῶμα. ἐν δὲ ὀλίγῳ, ὀλίγως, τουτέστι συντόμως, πλείονα τροφὴν προσφέρομεν. ἐπὶ τούτων γὰρ τὰ ὑγρὰ μόνον ἐκκενώθη. τὰ μὲν τοι στερεά, ἄρρωστα εἰσίν. οὕτως οὖν χρὴ ἐπὶ τούτων θαῤῥεῖν τῇ τῶν στερεῶν ἀῤῥωστίᾳ. id est. Hic ad medicũ uerba facit. In cõualescentibus cõsidera præteritũ morbũ, an diuturnus fuerit, an acutus: ex eo enim quod dixit, in multo aut pauco tempore, hęc demonstrauit. Et siquidem in longiore tempore extenuatum est corpus, tarde nutri, hoc est, longiore tempore & particulatim. propterea quod in longiore tẽpore extenuatis carnes eliquantur, & graciles fiunt aliæ partes, per quas concoctiones efficiuntur, & alimenti distributio, & in sanguinem conuersio. Ob id non poterit tantum cibi conficere corpus, quanto indiget. Si uero breui tẽpore, hoc est collectim seu concise, plus nutrimenti præbemus. In hoc enim humidæ tantum partes euacuatæ sunt: solidæ autem sunt imbecilles. Sic igitur oportet in his confidere solidarum partium imbecillitati. Oribasius eandem sententiam secutus est, inquiẽs, in tria principia corpus nostrũ diuiditur, in spiritũ, humida, & solidas partes. humida sunt humores, per quos nutrimur, spiritus, per quẽ uiuimus, solida, per quę cõseruatur corpus, atq; substẽtat, id est, arterię, nerui, uenę, ossa, & alia id genus.

τὰ ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα. idest, Quæ longo tempore extenuantur corpora.] In his omnes partes, & solida ipsa membra extenuantur.

νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ. idest, lentę reficere oportet.] Nam opus est refici spiritus, humores, & solida membra. propterea non mirum si tarde supernutrire oporteat. nos potius id uocabulũ νωθρῶς tarde, quàm lente interpretari iubemus, quamuis & lente dici posset.

τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως. idest, Quę uero breui, breuiter.] Quia soli spiritus, & humores resoluti sunt, & nõ solida membra. Oribasius dicit, uideamus quæ sit repentina extenuatio, quę cito reparari potest: Subductione uentris multa crebraq; extenuantur, tanquam si triginta dies ægrotassent; hi quoq; cito reparantur, quia humida uirtus deposita est, solida constant, & spiritus simili modo. Ingredientes balneum, & nimium immorantes, cum inutilibus simul & utilia emanant, hoc est cum sudore & spiritus. itidem descendentes in frigidans solium, citiùs recreantur: frigiditas enim aquæ cõdensat superficiem pororum, & coadunat spiritum, & subito erit refectio. Hęc Oribasius. Galenus in septimo Methodi libro circa medium, ubi de siccitatibus agit, in quarta siccitate, quæ ut frigiditas potius curatur, quàm ut siccitas, huius aphorismi mentionem facit inquiens: atq; hoc sane erat quod Hippocrates præcepit: quæ longo spatio extenuata corpora sunt ea segniter reficere oportet: quæ breui, breuius. Scire autem licet solidorum corporum siccitatibus si perdurent, succedere necessario frigiditatem. quippe permanere siccitas per se non mutata oppositione, quæ ex calido & frigido consistit, non potest, celeriter enim ex nutriendi defectu refrigerantur partes, propterea scilicet quod ex calido succo sanguinis nutriuntur.

GALENVS

QVÆ enim pauco tempore extenuata sunt corpora ob humorum, & spirituum euacuationem, non ex solidorum colliquatione id perpessa sunt: quæ uero longo tẽpore extenuantur, his carnes cõtabescunt. Graciles etiã reddũtur aliæ partes per quas concoctio in animalibus, & distributio, & sanguificatio, atq; nutritio perficitur, qua tantum non poterit cõcoqui alimentum, quanto indiget corpus. Quam ob causam talia corpora longiori tempore reficere oportet, atq; tenuiter, quod lente nominauit. In quibus autem soli humores, & spiritus sunt euacuati, in his celeriter, ac plenius contingit reficere, cum fiduciam nobis præstet solidarum partium robur. In fine autem aphorismi duplex scriptura inuenitur, & idem utraq; significat, siue breui causa ablatiuo, siue breuiter aduerbialiter scriptum sit.

BRASAVOLVS

PRIMO notat Galenus corpora quę breui tẽpore euacuata sunt, id perpessa esse ob humorũ & spirituũ euacuationẽ, non uero ex solidarũ partiũ colliquatione. At quę longo tẽpore contabescũt, id fieri nõ potest, quin & carnes ipse contabescant, & illæ etiam partes graciles efficiuntur, per quas concoctio, distributio, sanguificatio, & nutritio perficiuntur, & ideo nõ poterit tantũ cõcoqui alimentũ, quãto indiget corpus, & ideo hæc longiori tempore indigẽt, si refici debeant, quod νωθρῶς, id est, tarde, uel lẽte nominauit.

Quod legitur, Ob humorum & spirituũ euacuationẽ, in una nostri antiqui cõtextus lectione nõ habetur particula, spirituũ, & loco illius particulæ, humorum, adest particula ὑγρῶν. In secunda lectione legitur τῶν χυμῶν καὶ τῶν πνευμάτων. contextus uero Aldinus loco illius particulæ χυμῶν, illam habet ὑγρῶν.

Quod etiam legitur, Quæ uero longo tempore extenuantur, græce est τοῖς δὲ ἐν πλέονι χρόνῳ λεπτυνθεῖσιν. id est, Quæ uero pluri tempore extenuantur.

Quod etiam legitur, Redduntur aliæ partes, in Aldino cõtextu, & in prima lectione nostri antiqui, eodẽ modo habetur τὰ ἄλλα, sed in secunda lectione scriptũ est, τὰ ὄργανα.

Quod etiam legitur, contabescũt, græce est ἐκτήκονται, idest eliquantur. plus uero est contabescere, quàm liquescere, tamen & pro eodem poni possunt.

Quod etiam legitur, Atq; tenuiter, in Aldino contextu, & in prima lectione nostri antiqui habetur hæc particula, καὶ λεπτῶς, sed in lectione secunda abest.

SECVNDO docet, eos plenius, & celerius esse reficiendos, in quibus soli humores & spiritus sunt euacuati. nã solidæ partes, & illæ per quas coctiones fiunt, robustæ sunt.

Quod legitur, In quibus soli humores, & spiritus sunt euacuati, hæc particula spiritus in secũda lectione nostri antiqui contextus abest. Adde quod uocabulum Humores, in hoc Galeni loco habetur ὑγρά.

Quod etiam legitur, celeriter ac plenius, hæc particula plenius in aliquo contextu legitur, ὀλίγως, idest, breuiter. In Aldino ἄκρως, idest, summe, in nostro antiquo ἀθρόως. nos uero putamus ἄκρως, potius, quàm ἀθρόως legendum esse.

TERTIO docet Galenus, in fine aphorismi duplicẽ scripturam inueniri, & utranq; idem significare. una legit ὀλίγῳ in datiuo casu, nos in ablatiuo uertimus breui, alia habet ὀλίγως aduerbialiter, quod breuiter significat quando adiunctum est. σ

In fine huius commenti deest particula μετὰ τοῦ σ, idest, cum sigma.

Elegantiam illam græcã ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως, profecto reddere non possumus. sententia autem sic forte exprimi posset, si breui, parce, aut moderate

APHORISMVS VIII.

SI à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur. Quod si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget euacuatione.

BRASAVOLVS.

SI QVIS post morbũ appetat, comedatq;, tamen nõ corroboretur, nec uires augeantur, scito hũc plus comedere, q̃ suis uiribus opus sit. At si aliquis post morbũ nõ appetat, nec comedat, tamẽ nõ corroboretur, nec reficiatur, tũc conijcere oportet hũc euacuatione indigere. Philotheus hoc modo introducit, καὶ οὗτος συνεχὴς τῷ ἀνωτέρω, καὶ ἀναληπτικὸς ἀφορισμός. idest, Et hic pręcedenti continuus & resumptiuus aphorismus. Oribasius uero dicit, Hippocratem causam exponentem curationem ostendere.

Ην ἐκ νόσου. idest, Si à morbo, uel ex morbo. Recentes hic dubitãt quid intelligere oporteat per hanc particulã, à morbo, idest, post morbũ? Respõdent intelligendũ esse neutrũ cõualescentiæ, idest, illum hominẽ qui prius erat æger, & sanus efficitur, sed nunc in tali cõstitutiõe reperitur, ut nec æger sit, nec sanus: ęger quidẽ nõ est, quia operatiões habet, sed imbecilliores solito: nec sanus dici potest, quia adhuc integre functionũ munijs uti nõ potest. Nos uero illũ intelligimus qui uere sanus est, & nõ neuter, tamẽ ob ꝓpinquũ morbũ imbecillior est, non tamẽ adeo ut sensu percipiatur. Quippe apud summos uiros Hippocratẽ & Galenũ inter sanũ & ægrum in primo significato neutrũ, idest, mediũ nõ inuenitur, idest, forma quædã tertia nõ inuenitur à sano & ægro positiue distincta, quę nec sana sit nec ęgra. hoc his medijs suadere statuimus. Galenus in principio libri De sectis, medicinã definire uolens, inquit, & ipsam medicinã, salubriũ, insalubriũq; scientiã esse, ueterũ scripta declarãt. Salubria quidem uocant tum ad præsentẽ sanitatẽ tuendam, tum ad amissam recuperandã accõmoda. Insalubria his cõtraria sunt, hic nullã facit Galenus de neutro

de neutro mentionẽ, quod mirum uideretur, si neutrũ esse putaret. Et si tergiuerseris, ut nõnulli in publicis coronis fecere, Galenũ in eo libro aliorũ opiniones sequi: absurdissimum est, quod id agat in principio libri fateri. imò in principio libri ex suapte sentẽtia loquitur, & hoc modo definitionẽ colligere uidetur: medicæ artis scopus est sanitas, eius finis est sanitatis possessio, unde medicus scire debet, quib. aut absentẽ sanitatẽ restituat aut præsentẽ tueri possit. post hæc addit. Illa quæ absentẽ restituunt medicamenta præsidia nominantur. quæ presentem conseruant, salubris uictus ratio. Ex his infert, medicinam esse scientiã salubriũ, & insalubrium, horũ, ut restituantur, illorum ut cõseruentur. postea de salubribus & insalubribus prosequitur, de neutro nullam mentionem faciens.

Præterea Galenus in primo, & secundo Methodi medendi libri, per uiã methodi cuiusuis ægritudinis essentiã & naturã inquirit, & etiã sanitatis, tamen nunquam uel minimã mentionẽ neutrius facit. Sed mirũ procul dubio esset, quod in hoc loco, in quo de sanitate & egritudine uerba facit, & in quo suas definitiões querit, si neutrũ dari putasset, illud nõ posuisset. In primo Methodi libro, Thessali opinionẽ describit, qui duo morborũ genera facerat, fluxũ, & clausum, uel rarũ & densum, uel durum & molle, & ipsum primo reprehẽdit, quia mẽbrorũ differẽtiæ nõ sunt morbi. Secũdo quia nõ omnis differẽtia addita generi ad speciei constitutionẽ facit. Tertio etsi una sit inuenta differẽtia, tamẽ generis species inuenta nõ est, ut literarũ aliæ cõsonantes, aliæ uocales, per hoc nõ cognoscimus a b. postea ipse uti uult methodo, & ideo ab empiricis differt, qui sine ordine procedebant, & forte fortuna inueniebãt. ab illis etiã differt qui ratione uti uolunt, & demonstratione nõ utuntur. At ipse iudicat, in re medica ad primas & indemõstrabiles propositiones deueniendũ esse, quæ ex se fidẽ faciũt. ut igitur methodũ curandi omnes morbos edoceat, morbi definitionem ex communib. notionib. inuenit. Quisque sanus est, qui omnes operationes integras habet, & nulla parte læsas. Qui uero omnes, uel aliquas læsas habet, is ea parte dicitur æger. propterea hæc est methodus, ægrota corpora in sanitatẽ restituere, idest, actiones læsas corrigere. unde si oculus sit, qui prius uidebat, nũc nõ uidet, ex cõmuni axiomate (quod est absque causa nihil fieri) causam inuenire oportet, quæ sit malus corporis affectus, idest, mala qualitas. hic ergo tria sunt, corpus, idest, oculus, mala qualitas, ut humiditas, quę morb. est, impeditus uisus uel diminutus, quod est symptoma morbũ cõsequens: causasque in intrinsecas atque extrinsecas distinguit, inferẽs tria esse quæ circa animalis corpus præter naturã sunt, morbus, causa, symptoma, ut hoc denique modo affectus omnes, ex quibus actio lęditur, inueniẽdi sint, ut ipsorũ morborũ numerũ cognoscamus, quãtus, & qualis sit. deinde in secũdo libro omnes morbos contemplatur, & unde proueniãt, tamẽ nunquam uel minimã neutrius mentionẽ facit. Tamẽ opus fuisset neutrũ definire, sicuti sanitatẽ & ægritudinẽ definiuit, & docere nũquid eius actiones integræ sint, uel nõ integrę: propterea putandum est, Galenum inter sanũ & ægrum medium esse nunquam somniasse.

Præterea idem Galenus in primo de morborũ differentijs libro, in quo statim in principio docet, ab illo principio incipiendũ esse, quod nemo non probat. est autem illũ esse sanũ qui operationes integras habet, & è cõtrario illum ægrum, qui easdẽ læsas habet: in totoque illo libro de omnibus morbis disserit, & de sanitate, tamen neutrius mentionem nunquam facit, quod equidem necessarium fuisset, si neutrum esse putasset.

Adde, quod oportuisset aliquo in loco, ipsum de neutro mentionẽ facere, & sicuti sanũ, & ægrũ definiuit, ita neutrũ definire oportebat, & edocere an neutrũ esset à corpore pellendũ, uel recipiẽdũ & cõseruandũ. In omnib. eñ locis sanitatẽ cõseruandã docet, egritudinẽ expellẽdã, neutrũ uero tanquam id quod nõ est pręterijt. Huc etiã secũdus aphorismorũ liber adducẽdus est, ubi aphorismo quarto dicit sanitatẽ esse moderantiã. unde omnis immoderãtia erit ęgritudo: inter moderãtiã uero & immoderãtiã mediũ poni nõ debet.

Præterea de neutro ipso interrogare oportet an operationes lęsas habeat, uel nõ lęsas, quia inter lęsum & nõ læsum mediũ nõ est inuenire: si læsas, igitur ægrũ: si nõ lęsas, igitur sanum. Si dicas læsas, & nõ læsas habere, hoc absurdũ est, quoniã hęc duo, habere læsas & nõ habere lęsas, contradictoria sunt, inter quę nõ cadit mediũ. Præterea neutrũ esset secundi significati, quod in aliqua parte læsas haberet, in alia nõ læsas. hoc igitur modo argumentũ effingamus. Illa, quorũ definitiones contradictionis naturã sapiunt, cõtradictoriam naturã habent, sed sani, & ægri definitiones cõtradictionis naturã sapiũt, quia in

his consistunt, habere lęsas, & non habere læsas. Igitur sanum & ægrum contradictionis naturam habent. At cum uero contradictoria non sint, illis saltem in eo assimilabuntur, in quo sibi propinqua assimilantur, scilicet in nō habere mediū secūdum formā, Qualia sunt immediata contraria. exquisita uero cōtradictoria mediū aliquo modo nō habent.

Præterea idem Galenus in libro De sanitate tuenda, de sanitate, & ægritudine disserit, & quomodo sanitas conseruari debeat, & ægritudo euitari, & uita prolongari, tamen de neutro nunquam egit, quod fieri necessarium erat, si neutrum esse putasset.

Galenus præterea ubiq; cū de ægritudine uerba facit, eam tunc esse dicit quando uel operatio est ablata, uel egregie læsa, uel diminute læsa. Tunc uero est sanitas, quādo integra est, & nullo modo læsa, hæc autem medium aliquod habere non possunt. nam si dixeris neutrum esse medium id dicere non potes, nisi ob id, quia operationes imbecillas haberet. At si hæc læsio sensibilis sit, ægritudo est. si insensibilis, sanitas.

Adde, sanitatem esse naturę bonum, ægritudinem malum, sed inter naturæ bonum & malum non cadit medium. Igitur nec inter sanum & ægrum. nam bonum & malum priuatiua sunt. inter priuatiua uero non est medium.

Hæc quæ prædicta sunt, Coegerunt nos fateri, apud Galenū neutrū primi significati nō dari, nec in rerū natura poni posse. propterea Aristoteli in hoc assentimus, qui inter sanitatem & ægritudinē medium secundū formā non ponit. At tibi forte uidebitur, neutrū dari, quia cū homo sanus est, & ægrotare debeat, uel ægrotet, & sanus fiat, necessariū est per mediū trāsire, quod mediū cōualescentię uocatur, illud uero mediū decidētię, Respōdemus, ad sanitatē & ægritudinē non esse motū, sed solū mutationē, quia sanitas ipsa per se nō intenditur, aut remittitur. cum em̄ quispiā ad sanitatē mouetur, qualitates sunt, quę corriguntur, ad quas correctas sanitas cōsequitur. Vnde Aristoteles sanitatē, & ęgritudinem in prima qualitatis spē, in qua non est motus, ponit. sanitas em̄, & ægritudo, solū ex alteratione fiunt quæ in primis qualitatib. fit, & hæc alteratio est uerus motus. ad ægritudinē uero & sanitatē ueri motus nō fiunt, tanq; ad seipsas: sed ad qualitates mutatas cōsequunt̄, propterea mutatiōes dicūtur nō motus. quia omnino subiecta sanitatē recipiētia aut ęgritudinē, trāsmutata sunt. propterea necessariū nō est quod habeāt mediū, quia nec ad ipsas uere motus est. Scito igitur, cū medicus sit sensualis artifex, semper hominē ęgrotum nuncupabit, quando operationes suas læsas persentire poterit, uel id egregie sit, uel parū, uel modicissime. cum autem nihil sentiat quod operationes lædat, sanus est. Et si dicas remota ægritudinis causa adhuc imbecillitatem quandam relinqui, Respondemus, causa etiam ægritudinis remota, si talis imbecillitas perseueret, quæ aliquā operationem debilitet, ille æger est, sed minus æger. nam causis ablatis, ægritudines iam accensæ, per aliquod temporis spatium adhuc perdurare possunt. Cum igitur fuerit læsio sensibilis, semper est ægritudo. cum uero non est sensibilis, sanitas est.

Forte Galenum adduces, qui in libro Artis medicinalis in definitione medicinæ utitur neutro, Respōdemus Galenum in illo loco definitionē suam nō accepisse, sed Herophili definitione uti uoluit, ne sua esset suspecta, & ut ostenderet quacunq; medicinæ definitione accepta, per resolutionem definitionis totam artem edoceri posse.

Nōnulli præterea mediū esse inter sanitatē, & ęgritudinē ꝓbare conātur, quia lassitudines, ut tēsiua, inflāmatiōis, & ulcerosa, nō sunt ęgritudines, aliter futuras ęgritudines nō prędicerēt, nec etiā sunt sanitates, quia sunt pręter naturā. Nos aūt Respōdemus, si operatiōes sensibiliter lęsæ sint, ęgritudines esse: Sin minus, adhuc sanitatē perseuerare. Ad rē igit̄, intelligeà morbo. i. post morbū, ut sanitatē ingressus sit, quę latitudinē quādā habet.

Oribasius uero neutrū posuit, nam hoc loco inquit: prius enim sanitas est, inde neutrū, post ægritudo. Nūq; enim quis ęgrotus est, nisi prius à sanitate per neutralē partē in morbum decidat: nunq; ad sanitatē reuertitur, nisi prius ab ęgritudine per neutrū ad sanitatē redeat tamē suam sententiam sequatur Oribasius, nobis neutrū esse non posse uidetur.

τροφὴν λαμβάνων τίς. idest, Cibū assumēs quis.] Notat Galenus, quendā usum esse sermonis asiaticū. nempe græci dicūt assumere cibū, eum qui bene appetit, & simul comedit ad satietatem: non assumere cibum, eum qui neq; appetit, neq; ad satietatem comedit, id est, non se implet. nam si non appetit, quantumcunq; parum cibi sumat, semper ad satietatem sumit: sed intelligere oportet, ut nec appetat, nec multum comedat.

μὴ ἰσχύῃ. id est, non corroboratur.] Corroborari enim est bene nutri[illegible], uires augeri, & quod

quod deperditum est per ægritudinem, restaurari, & corpus ut prius erat, impinguari. Si non corroboretur, & bene comedat, id sequitur quod statim subiungit.

σημαίνει ὅτι τὸ σῶμα πλείονι τροφῇ χρῆται, idest, pluri alimento corpus uti significatur. nam ut Philotheus dicit, magis aggrauãtur, q̃ nutriãtur, διὰ τὸ τὰς φυσικὰς δυνάμεις τοῦ σώματος ἀσθενεῖς εἶναι, καὶ μήτε χυλοποίησιν κατὰ λόγον, μήτε ἐξαιμάτωσιν, μήτε τρέψιν γίγνεσθαι, idest, Quoniã naturales corporis uires imbecilles sunt, & neq; humorẽ secundũ rationẽ, neq; sanguinẽ faciũt, neq; nutriũtur. Idẽ Philotheus hoc dubio utitur, εἰ ὀρέγονται, πῶς οὐ τρέφονται; λέγομεν ὅτι ὀρέγονται μὲν ἐκ τοῦ ἐρρῶσθαι τὴν ὀρεκτικὴν δύναμιν, οὐ τρέφονται δὲ διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς ἀλλοιωτικῆς, καὶ διὰ τοῦτο οὐ τρέφονται, idest, Si appetũt, quomodo nõ nutriuntur? Dicimus, ꝙ appetunt quidẽ, qm̃ uis appetitiua fortis est: non nutriuntur uerò ob alteratiuæ imbecillitatẽ, & ob hoc nõ nutriũtur. Oribasius uerò dicit. Virtus imbecilla ad concoctionẽ obeundã, excretioni magis indulget, & cum excretio maior fuerit, concoctio minima accedit, quumq; minima fuerit, nutrimentum naturæ non est.

Sed ut huius rei perfecta causa habeatur, illa in memoriã reuocare oportet, quæ à Galeno quarto De symptomatũ causis dicũtur. hæc uerò sunt, duplicem esse appetitũ, naturalem unũ, alterũ præter naturã. ad appetitũ naturalem hęc secundũ Galenũ exiguntur, quæ statim dicemus. Primo considerat Galenus, omne animal per cutẽ in ambientem aerẽ difflari, & dissolui: hoc aũt id facit, quod partes statim subditæ cuti inanes reddũtur. Docuit uerò Galenus in libro De potentijs naturalibus, quod hæ partes naturalẽ facultatẽ habẽt, qua cibũ à propinquis partibus trahãt, & illæ propinquæ ab alijs propinquis, & ita deinceps, quousq; ad uenas deueniãt, quæ in uẽtriculo sunt. hæ aũt uentriculi uenę inanes redduntur, uimq; habẽt sumendi sibi cibũ, & uẽtriculo, sicuti in arboribus radices à terra, à radicibus truncus, à trũco rami, à ramis ramuli, alimentũ sumunt. Vnde uẽtriculus est quoddã ciborum promptuariũ, sicuti terra respectu arborũ, est humiditatis, & alimenti promptuariũ. Cum aũt hæ uentriculi uenæ exinanitæ sunt, impleri desiderant, & hoc est naturale quoddã desideriũ, quod appetitus, uel appetẽtia nuncupatur. unde cutis partes à propinquis exugũt, propinquę ab alijs, quousq; ad uentriculũ peruentũ erit, quẽ exinaniũt: sed uentriculus hãc suctionem & inanitionẽ non fert, propterea impleri quærit: nã à suctu propinquarũ partium infestatur, & huic molestię remediũ quærit. Sentiẽs ergo se exugi uentriculus, famescit, quare fames est suctionis sensus. Secundũ Galenum igitur hic ordo seruatur, Primo est partiũ inanitio, inanitæ partes naturaliter appetũt, ex quo uentriculũ exugunt, uẽtriculus exuctionẽ sentiens appetit, & hic est naturalis appetitus. Cum ergo quispiã post ægritudinẽ cibũ assumit, idest, appetit, & simul bene comedit, appetitusq; naturalis fit, ob suctionẽ partiũ post partem, adeo ut uẽtriculus, suctionis sensum habeat, qui nihil aliud est, q̃ fames & appetẽtia: idq; merito fit, nã in ægritudine ut plurimũ, est totius corporis obstructio, & præsertim cutanearũ partiũ, quæ, cum fit sanitas, difflantur, & aperiũtur, itaq; in aerẽ continentem euaporãt, & hoc adeo fit, ut non modo uentriculũ exinaniant, sed ipse etiã satis nutrimenti non habeãt: hæc est naturalis appetentia, quã cum quis habet post morbũ, & tamen comedat, & nõ reficiatur, nec mẽbra restaurẽtur, signũ est, quod nimis comedit. & ratio in prõptu est, quia uis cõcoctrix, & uentriculi, & membrorũ apta non est, totam illã massam quã recipit, in nutrimentum cõuertere. Ideo hic qui cõualescit corrigendus est, & cibus prohibendus, ne id quod ex superfluo insumit, & cõcoqui non potest, corrũpatur, itaq; recidiuationẽ faciat. Non est etiã alienũ, quod hic uẽtriculus appetat, quia ob ægritudinẽ frigidus effectus est, & imbecillis redditus. Adde quod mẽbra omnia cũ hoc quod euacuata sint, imbecilliora euasere, ut facile non possint nutrimentũ in nutriti substantiã cõuertere, propterea hic nõ resumitur, nec reficitur. Tu ergo cũ in tuis ægris hoc cõtingere noueris, cibũ minue, cõuenientẽ corporis exercitationẽ præcipito, & cibaria sint ad coctionẽ aptiora, quę si obseruari iubeas, eũ refici necessariũ erit. Scito etiã appetitũ illum naturalẽ esse oportere: quoniã si præter naturã esset, forte non ualde comederet. Vel si tibi mens sit, hoc idẽ in fame præter naturã intelligere, quod nimis comedat, dũ sumit cibũ, illi aphorismo inniti poteris. Nõ pura corpora, quãto magis nutries, magis lædes. in eo enĩ qui famẽ præter naturã habet, quãto magis cibi insumit, tãto magis læditur. ideo pluri cibo uti etiã significat. Galenus etiã in eodẽ quarto De symptomatũ causis libro, quomodo pręter naturã appetitus fiat, edocuit, Id notans, sicuti naturalis appetitus à prædictis fit causis, ita appetitus

preter naturã fit à causis oppositis. unde in uētriculo tria circa appetitũ uitia reperiuntur. unũ est abolita uel amissa appetētia, ut cũ quis ob malos succos, in ore uētriculi, aut toto nihil appetit, & difficilis, idest, imbecilla & diminuta appetētia, cum quis parum uel minimum appetit, & deprauata appetentia. hæc autem est duplex, quia uel appetit nimis ratione quantitatis cibi, uel appetit aliqua diuersarum qualitatum quæ non sunt consueta ab hominibus comedi. hoc ultimum fit uel ob malam qualitatem oris uētriculi, uel quia uentriculi tunicæ prauo aliquo excremento plenæ sunt, & hæc affectio potest quidem hominibus cõtingere, tamen ut plurimum, accidit mulieribus, præsertim utero gerētibus in secundo, tertio, & quarto mensibus: à Græcis κίττα & κισσα uocatur, idest, pica, à Plinio malacia. At ratione quantitatis fit uel canina appetentia ob acidum humorem in ore uentriculi, uel βούλιμος. idest, uaccina fames: nam βούλιμος magna fames, quia βοῦ particula est apud Græcos intensiua: cum omnia membra indigent, & uentriculus penuria, imbecillitate, & refrigeratione afficitur. Hęc sunt illa, quibus appetitus infertur, & aufertur. ut hinc manifeste appareat in naturali appetentia, & non in canina, neque in βουλίμῳ, si quis à morbo non corroboretur, quod pluri cibo utitur quàm opus sit. & necessarium est intelligere, quod hic cibaria comedat his qui conualescunt consueta. nam si prędura & cõcoctu difficilia comederet, necessariũ non esset, quod ex illis corpus reficeret.

ἢν δὲ προφὴν μὴ λαμβάνοντος τοῦτο γίγνηται, idest, Si uerò non assumēte cibum hoc accidat, hoc est, Si neq; appetente, neq; comedente aliquo non corroboretur.

χρὴ εἰδέναι ὅτι κενώσιος δεῖται, idest, Scire oportet quod euacuatione indiget. nam huius uiri corpus nondum est perfecte euacuatum, sed adhuc malignæ quædam materię relictæ sunt, præsertim circa uentriculum, quæ euacuari debent, aut mala qualitas, quæ id omne corrumpit, & in suam naturam transmutat quod comeditur, tuncq; euacuatione indigebit. Non appetere uerò potest intelligi, uel penitus non appetere, uel diminute appetere, hocq; ut in pluribus intelligi debet. nempe non ob uentriculum hoc quandoq; continget, imò uentriculus appetet, sed hic non reficietur, quia alia præter uentriculum membra male affecta erunt.

In hac igitur secunda aphorismi parte, per eos qui à morbo sunt, uere conualescentes intelligit, in quibus tamē materia aliqua relicta sit. At quæ in morbis post iudicationem relinquuntur, recidiuas facere consueuerunt, unde nisi hæc materia euacuetur, recidiuã facere poterit. hicq;, ut Philotheus dicit, nisi euacuentur, integram sanitatem acquirere non possunt. nam non pura corpora, quanto magis nutries, magis lædes.

GALENVS

PRopter breuiloquium, & usum quendam dictionis, qui etiam est apud nos in multis ciuitatibus Asiæ, hic aphorismus habuit obscuritatem. Consuetum enim est nobis dicere non assumere cibum illos qui sine appetitu, assumere autem appetentes, ac pastos usq; ad satietatem. Quicunq; igitur appetentes, & abundans alimentum accipiētes non possunt salubres uires recuperare, magis ex eo grauantur, & non nutriũtur. Qui uerò neq; quod satis sit possunt assumere, uitiosos humores habēt, quos nisi euacuauerint, fieri non potest ut robur recuperent sanitatis. Hippocrates uerò non hic tantum, sed & in alijs suis commentarijs, quando inuicem proportione seruata humores omnes augentur, missione sanguinis auxiliatur. Vbi uerò unus aliquis ex ipsis superabundat, illi purgatorium dat medicamen. Vt igitur ista cognoscens, & qui sæpius in suis commentarijs eadem tradiderit, recte duos sequentes aphorismos subiungit in quibus de eadem docet dispositione, de qua etiam in hoc antecedente docuit aphorismo, inquiens. Si uerò non assumente ægro hoc fiat, scire oportet quod indiget euacuatione. Et ordinē quidem duorum sequentium aphorismorum puto esse deprauatum in multis alijs exemplaribus. Illa uerò rectius se habent in quibus alter scribitur prior. Ille uidelicet. Non pura corpora quanto magis nutries tanto magis lædes, ut totus sermo talis existat. Si uerò nõ assumente hoc accidat, scire oportet quod indiget euacuatione. Non pura enim corpora quanto magis nutries magis lædes. Nos uerò illum sequentes ordinem, quem in pluribus exemplaribus scriptum inuenimus, sic eorum fecimus expositionem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quid sit assumere cibũ, & non assumere apud Asiaticos. nã

ut breuis esset Hippocrates, & ut seruaret usum dictionis, qui est in pluribus Asiæ ciuitatibus, obscurus fuit. usus autem est hic, quod λαμβάνειν προφὴν, idest, assumere cibum de his dicitur qui appetunt. non assumere uerò, de illis qui non appetunt. unde appetentes, & abundans nutrimentum recipientes, si non recuperent uires salubres, magis grauantur, quàm nutriantur. Qui uerò quod satis sit, assumere non possunt, uitiosos humores habent, quos nisi euacuaueris, sanitatis robur recuperare non possunt.

Quod legitur, pastos usque ad satietatem, Græce est καὶ τρεφομένους ἄχρι κόρου.

Quod etiam legitur, & non nutriuntur, Græce est, οὐ τρέφονται: tamen in quodam antiquo contextu legitur, quàm nutriantur, Quod mihi commodius uidetur.

SECVNDO pulchrum quoddam annotatur, quod est Hippocratis regula, ubi Hippocrates uidet omnes humores in nostro corpore proportionabiliter creuisse, semper utitur uenæ sectione. Cum igitur unum aliquem uidebimus, cuius omnes humores creuerint, sanguinem mittere conuenit, uel per uenam nigram, quam nunc communem uocant, antiqui basilicam, uel per iecorariam, hepaticam à Grecis dictam: ex hoc habemus non semper ex qualibet minima occasione demendum esse sanguinem: nam secare non debemus, nisi omnium humorum æquale crementum uidebimus.

TERTIO notat, Si unus humor creuerit, quod per medicamentum potius, quàm per uenæ sectionem euacuandum sit. nempe uenæ sectio uniuersalis est euacuatio, & nō unius solius humoris. Imò si dixeris per uenæ sectionem sanguinem mitti, igitur unus humor mittitur. Respondebimus, non modo sanguinem, sed & omnes humores per uenæ sectionem mitti. nam omnes cum sanguinea massa mixti sunt. At si quis humor exuperet, potius per medicamentum sibi proprium educi debet. nam omnes humores propria habent medicamenta, quibus educuntur sanguine dempto, & semper per medicamentum conuenientius est particularem humorem euacuare, quàm per uenæ sectionē.

Quod legitur, recte duos sequentes aphorismos subiungit, hoc uerbum Subiungit in prima nostri antiqui contextus lectione est ἐπάγει, in secunda uerò lectione ἐποίει, quam multi contextus habent, quamuis Aldinus ἐπάγει legat.

Quod etiam legitur in hoc antecedente docuit aphorismo, Græce est περὶ τὸν προκείμενον ἀφορισμὸν ἐδίδαξεν. idest, In hoc proposito docuit aphorismo.

Quod etiam lagitur, Si uerò non assumente ęgro hoc fiat, illa particula Aegro, uacat: nam in omnibus Græcis contextibus deest.

QVARTO docet ordinem sequentium aphorismorum esse deprauatum. nam hic Aphorismus, non pura corpora quanto magis nutries, magis lædes, huic quem interpretati sumus, quandoque iunctus fuit. Sed in exemplari Galeni minime. propterea ipse interpretationem suam prosequatur, ut scriptos aphorismos inueniet.

Quod legitur, in quibus alter scribitur prior, ille uidelicet, Græce est ἐκείνοις γέγραπται, καθὰ ὁ πρότερος ἀφορισμὸς ἐξ αὐτῶν, γέγραπται οὕτως. idest, in quibus scribitur prior aphorismus ex ipsis, sic scribitur. In contextu uerò Aldino ita habetur, καθ' ἃ ὁ πρότερος ἀφορισμὸς ἐξ αὐτῶν γέγραπται οὕτω. idest, In quibus prior aphorismus ex ipsis sic scribitur.

Quod in fine cōmentationis legitur, fecimus, Græce est ποιησόμεθα. idest, faciemus.

APHORISMVS IX

COrpora cum quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere.

BRASAVOLVS

PVLCHER est hic Aphorismus, & dignus ut memoriæ commendetur. nam de his quæ agenda sunt, pertractat, quando aliquem purgare uoluerimus. Inquit autem, quando aliquem purgare statuisti, idest, medicamento exoluente euacuare, huius uiri corpus fluidum facito, idest, ipsum præparato, ut facile & sine aliqua noxa purgetur. Philotheus hunc Aphorismum præcedenti ita continuat, κατὰ συνέχειαν καὶ οὗτος ὁ ἀφορισμός. ἐν μὲν γὰρ τῷ πρὸ αὐτοῦ ἔλεγεν ὁ ἱπποκράτης, ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος

τῶν γίγνηται, κινδύνως λέγεται. ἀλλ' ἵνα μή τις ἀπροόπτως, καὶ ὡς ἔτυχεν τὸ κινδυνῶδες παράσχῃ βοήθημα, καὶ ἀδικήσῃ τὸν κάμνοντα φησίν, idest, Et hic aphorismus per continuationem:in eo enim qui hunc præcedit, dicebat Hippocrates, si autem non accipiente cibum hoc accidat, euacuatione indiget. Sed ne quis improuide, & ut contingit, purgatorium auxilium præbeat, & iniuria afficiat ægrotantem, dicit.

τὰ σώματα, idest, Corpora] Corpus uerò non dixit in singulari, ut partes uarias, per quas euacuatio fit, annotaret, propterea à Theodoro Gaza non immerito hic Aphorismus ita uertitur. Corpora quęcunque purgare libuerit, fluida eo facies: ac si dicat, Illas corporis partes fluidas facito, per quas purgare lubuerit: hancque arbitraremur esse Hippocratis sententiam, nisi eius Græcus contextus id præcise significaret, quod Leonicenus retulit. hæc etenim sunt Hippocratis uerba, τὰ σώματα χρὴ ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρεσθαι, εὔροα ποιέειν. addeque Galenum hanc sententiam potius sequi, quamuis & præcedentem non despiciat, tamen ad rem ipsam hæc nihil faciunt: nos enim in actu operatiuo Aphorismum interpretemur, Hippocratis & Galeni placita sequentes.

χρὴ ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν, idest, Cum quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere.] purgare apud Hippocratem hoc loco significat medicamēto purgante uti, quod manifestissime ostendit eius uerbum καθαίρειν uel καθαίρεσθαι, ac si dicat medicamento purgante uti. hoc autem (ut hic à Galeno admonemur, & in libello quos oportet purgare, quibus medicamentis, & quo tempore) æque per uomitum fieri potest, sicuti per secessum. nullæ enim aliæ sunt euacuationes, ad quas exercendas medicamento, de quo hic loquitur Hippocrates, purgante indigeamus. Si enim uel per sudorem, uel per urinam, uel per nares, uel per palatum euacuare tentemus, purgante medicamento non utemur, tamen & in his reddemus fluidum corpus. In his enim arcuatis in quibus non mediocris obstructio contigit, & sudorem prouocare optamus, & uias aperire, potionibus atque syrupis utimur, & humores extenuamus, ut facile exire possint. In naribus etiam, & palato suis utimur præparamentis, priusquàm materiam quæ in ipsis contenta est, educamus. Sunt uerò præparamenta ex succo bletæ, uel amaraci aqua ui ignis eliquata, uel radice bletæ naribus imposita, pro palato masticem ore tractamus, & inter aures multa apponimus, ut materia quæ ad aures decurrit, facile exeat. Cum uero Hippocrates de sola per uomitum aut secessum euacuatione uerba faciat, quælibet harum euacuationum si fieri debeat, corpus fluidum facere opus est. hoc autem uocabulum fluidum uel fluxum non solum loci fluentiam, sed etiam materiæ præparamentum significat. nonnulli enim ante Galenum per fluidum intelligebant illa esse danda quæ uel uomitum prouocarent, uel secessum, quibus non consentit Galenus. nam hoc est potius euacuare, sed facere fluidum est uiam præparare, si obstructa sit aperire, emollire, & crassum humorem attenuare. At si ad rem ipsam, & curandi actum descendamus, interrogabisque in uomitu quid sit uiam præparare, Respondemus ex Galeni sententia in eo libro quos oporteat purgare inscripto. Si per helleborum, aut simile aliud medicamentum per superiores partes purgare uoluerimus, hanc partem fluidam faciemus, per quā humor abundans transire debet: ipse autem humor attenuandus est, si crassus sit, & dissecandus, si glutinosus: hocque corpus humectare debes, ut facilius euomat, quod per quietem facile fit: nam quies corpora humectat, nam è contrario motus exiccat. Sunt igitur cibi humectantes exhibendi, & quiescendum. humectant uerò cibi illi, qui uehementem aliquam qualitatem non habent, idest, nec salsedinem, nec acrimoniam, nec amaritudinem, nec acerbitatem. Intelligo autem hæc cibaria non ita affecta humectare, si in magna copia sumantur. Hippocrates uero unam conditionem addit septimo Aphorismorum libro aphorismo sexagesimosexto, ubi hic aphorismus ad uerbum ferè scribitur. At ibi dicit, si per superiora purgandum sit, sistendam aluum, uentriculum præterea ad uomitum leui quodam uomitorio disponere debes, ut id est de quo Galenus in libro quos oporteat purgare docet: scilicet hellebori ramusculos in oxymel imponere, ut ibi per diē & noctem cōmorentur. Postea in potu tribuamus, ut uomitui assuescere incipiat, itaque sæpe faciat ut ad uomitū præparetur: quē deinde aut helleboro, aut alio uehemēti uomitorio euomere faciamus. Tamē nostro hoc tēpore non est hellebori usus, nec etiā uomitus usus, præsertim huius generis. Nunc enī in solis accessionū initijs, & in aliquibus

quibus uetriculi ægritudinibus, & alui profluuijs uomitum prouocamus, quem ob alias etiam causas antiqui exercebant. Hoc igitur est in uomitu facere fluida corpora. In his uerò, in quibus per secessum expurgare uolumus, precitato loco Galenus docet facere fluidum corpus, cum ex parte materiæ, tum ex parte loci. ex parte loci aperire uias, & intestina lenire, quod fit clysterijs, nosq́ potionibus, quos syrupos uocamus, utimur; cibariaq́ eiusdem generis sumenda præcipimus, quæ scilicet emolliant, ut iura, atq́ iurulenta, ex parte uerò humorum, si crassos & tenaces humores attenuemus, atq́ incidamus, quod apud antiquos cum cibarijs, tum etiam potionibus, quas nunc syrupos uocamus, fiebat, & Galenus eodem libro potionis cuiusdam mentionem facit ex oxymelite, hyssopo, origano, tragorigano, pulegio, uel aliquo ex attenuantibus: ut manifestum sit, potionem istam, unum esse ex his syrupis, quibus crassam materiam attenuamus, quod dictum & à Galeno penultimo aphorismo primi libri repetitur. Ideo non solum has potiones dabant ut alterarent (quod nonnulli recentes arbitrati sunt) sed etiam ut concoquerent, hocq́ exploratum est, nam per ipsas attenuabant, quod est concoquere. propterea syrupis uti nobis licet, quod nonnulli male feriati uiri inficias eunt. putant enim hi syruporum usum apud Græcos non extitisse, de qua re nos in nostris syruporum dialogis ubertim egimus. unde habetur, uel per superiora, uel per inferiora purgare uoluerimus, corpora semper fluida facere oportere, quod tam ad uiarum præparationem, quàm ad materiam ipsam attenuandam intelligere oportet. At si dixeris, ubi materia turgida sit, hæc præparanda non esse. Respondemus, in hoc casu medicus coacte agit, unde & eadem die medicari oportet. Quæ uerò nocumenta sequantur, nisi corpora fluida fiãt, Galenus & in huius partis commentatione, & in libello Quos oportet purgare, docet.

Si uerò dixeris, à Galeno de his solum mentionem fieri syrupis, qui in turgente materia dari debeant, cum melicrati meminit, origani, & tragorigani, Respõdemus id quidem uerum esse, sed si hoc facit in materia turgida, quando occasio prestatur, quanto magis in materia illa faciendum erit, quæ in aliquo loco firmata coctionem expectabit? Si uerò dicas, cum materia concocta est, ad benignum redacta est, igitur euacuatione non indiget. Respondendum, reduci ad benignum nihil aliud esse, quàm præparari ad exitum, non enim ad id reducitur, ut corpus nutrire possit, quando semel corrupta fuerit. Addeq́, sua quantitate peccare, & apta est ut in corruptionem facile reuertatur, uel in maiorem dilabatur. Inferamus igitur illa quæ & hic, & in septimo libro Hippocrates dixerat, Si aliquod corpus purgare uolueris, id fluidum facias. Addit uerò septimo libro, Et si suprà, sistere aluum, si uerò infrà, humectare, & aluum lenire, uomituriq́ humectantia comedere debent.

Dubium hic facit Oribasius, inquiens, Manifestum est igitur ex uerbis Galeni, Hippocratem de cathartico, quod habet scamoniã intellexisse: sed cum scamonia calida sit & sicca, & biliosus humor calidus sit & siccus, & similia similibus gaudẽt, quomodo similis similẽ sibi deponere potest? & non potius contrarium expellit humorem, Respondet, scamoniam ex precedente humido uictu uires accipere ut quæ est calida & sicca, & ideo bili similis contraria qualitate uictus, inuitet & educat humorem. nam ideo offerimus cibos humidos, idest, lactucas, oua sorbilia, & alia similia, ut dum datum fuerit præsidium, eius qualitas cibi temperantia ualeat. Titillat enim & deponit humorem. Sic itẽ ex contrario, pituita calefit, & educitur, melancholicus humectatur atq́ calefit, sic namque eodem modo educuntur humores. Hæc Oribasius de mente Galeni, cum constet apud Galenum nusquam inueniri, ipse uerò putat ex quadam substãtiali similitudine humores à medicamentis trahi atq́ educi.

Philotheus quoq́ docet, eodem ferè modo quo nos superius facimus, quomodo sint corpora fluida reddenda: inquiens, Id duobus modis fieri, κατά τε λέπτυνσιν τῆς ὕλης, καὶ τῶν χωρίων μαλακότητα. δεῖ οὖν καὶ τὰ περιέχοντα χαλάσαι καὶ ἀραιῶσαι, καὶ τοὺς πόρους ἀναπετάσαι, καὶ τῶν ἀγγείων τὰ στόμια ἀνευρῦναι, καὶ τοὺς περιεχομένους ἐν τῷ σώματι παχεῖς καὶ γλίσχρους χυμοὺς τέμνειν καὶ λεπτῦναι. εἶτα δοθέντος φαρμάκου καθαρτικοῦ, μεταλαμβάνονταί τε παρὰ αὐτοῦ, καὶ ἀρίστη γίνεται ἡ κάθαρσις αὐτοῖς κατὰ πάντα, οὔτε γὰρ στρόφοι, οὔτε ἴλιγγοι ἆσαί τε πολλαὶ καὶ κακοσφυξίαι, καὶ ἐκλύσεις ἀπαντῶσιν αὐτοῖς. idest, Ad extenuandam materiam & emolliendos meatus, oportet igitur partes ambientes continen-

continentesq́; laxare & rarefacere, & meatus aperire, & uasorũ orificia ampliare, & contentos in corpore crassos & tenaces humores incidere atq; attenuare. Deinde dato purgatorio pharmaco, ab ipso apprehẽduntur arripiunturq́;, & optima fit omnino ipsis depurgatio. Neq; enim tormina, neq; uertigines, multæq; uexationes & deprauati pulsus resolutionesq́; ipsis occurrunt.

GALENVS

MVLTI quidem uolunt corpora fluida fieri, ubi per medicamenta uomitoria euacuatio est facienda, cum his quæ ad uomendum irritant. Vbi uero per deijcientia, continuo aluum subducendo. Et ideo totam dispositionẽ utriusq;, his quidem ad alui subductionem, his uero ad uomitum, faciũt habiliorem. Ego uero Hippocratem puto, non minimũ id, sed aliquid maius hoc in loco nos docere uoluisse, quod nos longa experientia didicimus ita se habere; Si quis enim extenuet, atque incidat crassos, atq; tenaces humores qui in corpore sunt, & meatus aperiat per quos isti transmittuntur, atq; trahuntur à medicamentis quæ uim purgatoriam habent, tunc purgatio in omnibus recte procedit. Qui uero istud neglexerint, & uomitus, atq; alui subductionẽ procurauerint, his difficiles ueniunt purgationes, non sine torminibus, & quadam uertigine, fastidioq; multo & malo pulsu, ac dissolutione, & difficultate. Nos uero extenuante utimur uictu, de quo integrum scripsimus librum, & nihil horum contingere consueuit, sed eorum quę in corpore pręter naturam continentur sine ulla molestia, ac celerrime, fiunt euacuationes. Idcirco Hippocratem dicimus suo adiecisse sermoni: Vbi quis uoluerit purgare corpora, oportet fluida facere. ac si ita dixisset: Siue per uomitus, siue per alui subductionẽ purgare uelis, fluidum totum corpus efficiens, sic purgabis optime. Erit autem fluidũ, ut diximus, omnibus meatibus reseratis, humoribus uero incisis, absterſis, atque extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus, ac glutinosus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus secundum antiquos, quid sit corpora fluida facere docet, nam inquit cum euomere debeant, cum his quæ uomitum faciunt, purgatio facienda. At si per secessum purgare uelimus, illa demus quæ purgant. at Galeno uisum est (& non ab re) maius quoddam ab Hippocrate dici, quàm istud sit, quod hi putarũt.

Vbi legitur, ubi uero per deijcientia, Græce est τῶν δὲ ὑπηλάτων, quod uocabulum apud Galenum Medicamentum significat per aluum educens.

Quod autem legitur faciunt habiliorem, Græce est ἐπιτήδειον παρασκευάζουσι, idest, aptum præparant.

Quod legitur didicimus, Græce est ἐδιδάξαμεν.

SECVNDO docet fluidum fieri corpus. si tenaces, & crassos humores attenues, atq; incidas, & uias aperias, per quas materiæ à medicamento tractæ pertransire debeant.

TERTIO docet, si quis hoc non fecerit, scilicet humores & uias non pręparabit, difficiles purgationes consequũtur. & quæ nam sint illæ difficultates edocet. primo tormina incident, quos στρόφους sua lingua uocat, quæ proprie sunt in intestinis à torquendo dolores. nã uiæ clausæ sunt, per quas materiæ expurgari debent, propterea in transitu partes extendentes dolorem pariunt, quibus & humorũ crassities adijcitur. Secundo uertigines incidunt, quos ἰλίγγους uocat. nã debiles sunt uertigines, & non scotodimiæ uapores, qui à materia ad exeundũ inepta ascendunt, in causa sunt cur hæ uertigines fiant. tertio fastidia incidunt, quoniam æque boni sicuti mali humores exeunt, quod facit in homine fastidiũ, & quandã in uentriculo perturbationem. propterea quartum sequitur, scilicet malus pulsus, scilicet lassus, quandoq; intermittens, imbecillis. unde & quintũ sequitur, quod est dissolutio, & totius corporis lassitudo, atque difficultas, quæ omnia in eo libro, Quos oportet purgare inscripto, ad uerbum etiam enumerantur.

Quod legitur, non sine torminibus, Græce est μετὰ στρόφων ἐνίοτε, idest, cum torminibus aliquando.

Quod etiam legitur, fastidioq; multo, in prima lectione nostri antiqui contextus eodẽ modo legitur, ἄσης τε πολλῆς, sed in secunda lectione, & in Aldino contextu scriptum habetur ἄσης τε τινὸς, idest, fastidioq; quodã, quod mihi magis placet, ob particulã πολλῆς, quæ iterum sequitur.

Quod

Quod etiam legitur, Et malo pulsu: Grȩce est, κακοσφυξίας πολλῆς. idest, Et multum deprauato pulsu.

QVARTO, Galenus docet quid in hoc casu agat, quando purgare expedit, inquiens se uti uictu extenuante, ut scilicet humores attenuentur & incidantur. Si uero dixeris, quum in humano corpore ȩque tenues humores inueniantur, sicuti crasſi: cur Galenus de præparatione crasſorum humorū solum mentionem fecit, & tenuium coctionem prætermisit? Respondemus, Neq; hic, neq; in libro Quos oporteat purgare, neq; usquam apud Galenum reperitur, quòd aliud sit coctio (præsertim quo ad humores) quàm extenuare quod crassum ȩst atq; incidere. Propterea apud Galenum tenues humores, quantum sit ratione humorū, præparatione non indigent: sed uiæ solùm illæ sunt, quæ in tenuibus humoribus fluxæ fieri debent. Sæpe uero tenuis materia mobilis est, ideo non expectanda concoctio: unde & si Galenus tenuem materiā concedat, illam tamen incrassandam esse non uult, ut recentes inquiunt. Sed ipsamet uijs paratis exire apta est. Propterea in huius commentationis fine dicit, Erit autem fluidum corpus, omnibus meatibus reseratis, humoribus uero incisis atq; extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus aut glutinosus, ac si dixerit, Si humor non fuerit crassus aut glutinosus, quantum sit ratione sui, præparatione non indiget: sed bene quantum sit ratione uiarum, per quas transire debet. Sed tu fortè in hanc sententiam Galenum adduces in cōmentatione aphorismi sexagesiminoni quarti libri, ubi dicit, quoniam magna ex parte in febribus ex urinis ab initio tenuibus fit ad crasſiores conuersio, tendente iam morbo ad solutionem: ex quibus uerbis quispiam putare posset, in tenui materia concoquere esse illam incrassare. Sed re uera aliud est de eo quod per urinam significatur, loqui, aliud de materia ipsa quæ concoquitur. nam urina tenuis uias obstructas esse significat, & materiam crassam nondum concoqui. Quum uero urina crasſior efficitur, signum est materiam crassam concoqui, idest attenuari. Propterea ad urinȩ meatus facilius peruenire potest, quæ alioqui crassa immobilis erat, & ab ipsa non decidebantur urinæ. Nisi Galenus & hic & alibi hunc aphorismū de præparatione materiæ, & uiarum intelligeret: nos hic de uiarum prȩparatione solum intelligeremus quæ fluidæ efficerētur, quum in illo aphorismo concocta medicari, & mouere non cruda, de materiæ præparatione uerba fecisset, tamen in hac re potius Galeno consentire uolumus, quàm nobiscum ita opinari.

Quod legitur, Sed eorum quæ in corpore præter naturam continētur. principium huius partis, Græce est, περὶ τὰς κενώσεις ἁπάντων. idest, In euacuatione omnium. postea sequatur, Quæ in corpore præter naturam continentur. tamen Aldinus contextus non habet particulam περὶ, neq; antiquus noster in prima lectione, sed ita simpliciter habent, ἀλ τε κενώσεις ἁπάντων.

In fine commentationis particula Abstersis, in Aldino contextu abest: tamen in nostro antiquo habetur, καὶ ῥυφθέντων.

APHORISMVS X

NOn pura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lædes.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc aphorismum illi coniungendum uolebat, qui in hunc modum legebatur, Si à morbo cibum asſumens quis non corroboratur, pluri cibo uti significatur. Si uero non asſumēte hoc accidat, euacuatione indiget: nam impura corpora, quæ & prauis humoribus plena & mala affectione infecta sunt, quanto magis nutries, tanto magis lædes: nempe nutrimentum illud corrumpitur, & humorem corruptum potius auget, quàm nutriat corpus. Et ideo à Galeno non ab re dicitur, quantitatem augeri, & malam qualitatē seruari. Vnde & Philotheus dicit, καθάπερ γὰρ καθαρὸν ὕδωρ ἐν βορβόρῳ χεόμενον. idest, Sicuti enim pura aqua in cœno admixta. Postea sequitur, αὐξάνεσθαι μὲν τὴν ποσότητα, φυλάττεσθαι δὲ τὴν ποιότητα, ἐντεῦθεν ἀνόητος ὁ σκοπὸς γίνεται τῷ τρέφειν. idest, Augeri quidem quantitatem, seruari uero qualitatem, & hinc im

prudens sit nutriendi intentio. Galenus primo De simplicium medicamentorum facultatibus libro, capite ultimo, hunc aphorismũ ad animam etiam ampliauit. nam hac in parte seipsum excusat cur logicas quæstiones in primo & secundo libro non præmiserit, quæ tamen præmittendæ uidebantur: se excusat inquam, quod hoc à principio fecisset, nisi plena paralogismis atque erroribus omniũ prope iuniorum essent uolumina, quos prius extergere, atque ex animis discentium delere oportet, ne quid ueritati obsistat. Nam & Hippocrates inquit (Sic etiam ait Plato) Non solũ impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes: uerũ etiã impuris animis, si nutriẽtes sermones offeras, non modo nihil prosis, uerum etiam magnopere obfueris. Quod pluribus nostro hoc tempore usu uenire uidemus, quos quanto blandioribus uerbis alloqueris, tanto magis ad iram incitãtur: adeo intẽperantes & inexorabiles sunt, quos officijs ad iram, contumelijs prouocas ad amorem. Oribasius exemplo quodam aphorismũ uerum esse ostendit, inquiens: finge aquam turbidam, huic si multam immiseris aquam, totam inficies, & in putridam conuertes: Item, si aquæ lympidæ modicã nigriciem sepiæ inijcias, corrumpitur illa, & nigra efficitur. Ita corpora humana sunt: si parua fuerit putredo, quantumcunque dederis cibum, totus in putredinem conuertitur: ideo inanitionem exposcit. Galenus in libello De renum affectibus, de exercitationibus agens probat ante cibum corpora exercẽda esse, quia meatus expurgant, euacuantque superfluitates. Corpora enim non pura, quanto magis nutries, tanto magis lædes.

Τὰ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων. Noster uero antiquus legit, τὰ μὴ καθαρὰ σώματα. idest: Non pura corpora.] Per quæ illa corpora intelligas, quæ malam qualitatẽ simul cum humorum quantitate peccantem habent. Si uero petas, an hæc corpora sana sint, uel ægra: Respondemus, Si illa consideremus, ut operationes habent quæ non sunt læsæ, sana esse constat, non neutra, ut recentes putant: quoniam nos apud Galenũ neutrum inuenire nescimus: imò tanto magis corpora iam sana intelligenda sunt, si hic aphorismus illum sequatur, Si à morbo cibum assumens quis, non corroboratur. nam eo loco de iam sano loquitur, quamuis euacuatione indigeat, quia illi humores tunc operationem non impediunt. Opus est etiam, corporis impuritatem intelligere, in illo præsertim membro, in quo fit coctio: propterea Galenus uentriculum intelligit, quamuis ad totius corporis, & cuiuscunque partis impuritatem ampliari possit.

ὁκόσον ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις. idest, Quanto nutries, magis lædes.] Hic est uerus Hippocratis sensus, Non pura corpora ratione qualitatis & quantitatis, quãto magis ea nutries, tanto magis lædes: ut hoc fere dictum sit in mulierculas, & fatuos uiros, qui quum uident conualescẽtes cito non refici, cibos præstant & uarios & copiosos: & eo etiam abnegante comedere cogunt, qui quãto magis insumit, tanto magis læditur, ob assignatam causam. Quæ uero hic à recentioribus de cibo medicinali, resumptiuo & nutritiuo adduntur, nullius momenti sunt: nempe opus est simpliciter tale genus cibi intelligere, quale ab his sumi consueuit, quando uel febris dimiserit, si ab ægritudine sint, ut Galenus intelligit: uel etiam sint corpore non puro, tamen ægri, sed dispositionem in ægritudinem habeant. At nos potius cum Galeno post ægritudinem intelligimus. At si huc Galenum adduxeris, qui libro primo aphorismo decimoseptimo uoluerit, cum humores corrupti sunt, refectione indigere. Inquit enim: si uires laborantis debiles sint, & ea quæ est in corpore dispositio sit ex corruptione humorũ uel defectu, istis dabimus parum & sæpe. Postea huius rationem reddit, inquiens, Parum quidem: quia uirium imbecillitas non potest totam simul multitudinẽ alimenti substinere. Sæpius autem, quoniam nullis indiget dispositio, ut manifeste uelit dispositionem multis cibis indigere. Quare est non pura, & humores corrupti sunt. Igitur in corporibus non puris, multa præsidia exhibere oportet: imò ideo iubet exhibendos cibos, quia humores mali sunt. Additque paulopost: Si cum humorum defectu uel corruptione uires ualidæ fuerint, tunc multos cibos, atque multoties his qui ita laborauerint, dabimus: utpote multos exigente dispositione, & natura robusta potente illos concoquere. Vides igitur ratione dispositionis, idest corruptionis humorum multos exhibere.

Respondemus, Si Galenum simpliciter intelligeremus, ut præcitata uerba præ se ferre uidentur, omnino ille Galeni contextus huic aphorismo opponeret. Quum uero

nos arbitrari non possimus, Hippocrati Galenum opponi. Propterea dicamus Galenum de cibo qui alteret, intelligere: & de eo qui malam illam qualitatem ad temperamentum ducit. Vnde quum de his uerba fecisset, qui imbecillam uirtutem habent, & humorum corruptionem, dicebat: corruptio uero exigit contemperamentum. Vel dicamus, Galenum corruptos humores considerare, quos ut contẽperet, cibum præbet, ne corruptio intendatur, sed ut cibus commixtus corruptionẽ remittat, non alterando ad oppositum, sed ex commixtione remittẽs: sicuti si quis austero uino aquam miscuerit, ut qualitatẽ illam contemperet & remittat: unde & si in hoc obesse posit, quòd humores crescunt, & mala qualitas non immutatur quin talis sit; tamen in hoc mutatur quod remittitur, & non est adeo intensa ut prius erat. At si hoc diceret, sibi ipsi in hac commentatione opponeretur. Et præterea omnes inquiunt, & in confesso est, illos cibos eadem corruptione corrumpi; & eadem affectione affici; qua totum corpus affectum erat. Vel hoc intelligit solum ratione miscellæ, ut mixtum temperamentũ quoddam faciat: hocq; aliquid sit, quod in corruptionem, quam humores habent, corrumpi non posit.

Solent & recentes, Auicennæ dictum in hanc sententiam adducere, quod est tertia primi in capite De regimine eius quod comeditur & bibitur, ubi inquit: Sæpe conuenit ei in cuius corpore humores abundant corrupti, ut rem bonam largiter cõmedat. Tamen Auicenna hoc dictum à Galeno accepit, & per rem bonam, rem aptam intelligit, & illi corpori conuenientem.

Galenus uero in ultimo Artis medicinalis capite, quomodo hæc corpora eorũ qui conualescunt, regenda sint, edocet, inquiens, Habent exiguum sanguinem, & spiritum animalem exiguum: ideo imbecilles uires habent, & corpus frigidum: propterea iubet ut cibi in principio sint humidi & cõcoctu faciles, neq; frigidi: deinde illa dentur, quæ multũ nutriant: tamen & non pura corpora esse possunt, etiam si non sit conualescens, sed simpliciter absq; ægritudine præcedente. Superius uero docuerat, non pura corpora, non esse cibanda copiose.

GALENVS

CORRVMPITVR enim adueniens alimẽtum corpori malos humores habenti, ita quod ipsius quidem quantitas augetur, qualitas uero seruatur. Hoc uero præcipue fit quando uentriculus quibusdã humoribus uitiosis plenus extiterit, ex quibus paulo antea dictus reualescẽtibus accidit casus, nõ posse uidelicet cibũ assumere.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus rationem reddit, cur alimentum his obsit, qui corpora non pura habent, quoniam materiæ quantitas augetur, & qualitas seruatur.

Quod legitur, Ita quod ipsius quidem quantitas augetur. lege, Ipsorum. nam refert, humores.

Quod legitur, Corrumpitur enim adueniens alimẽtum corpori malos humores habenti. Græce est, συνδιαφθείρεται γὰρ ἡ ἐπεισιοῦσα τροφὴ τῇ προϋπαρχούσῃ κατὰ τὸ σῶμα κακοχυμίᾳ. Simul enim corrumpitur alimentum superueniens malis humoribus præexistentibus in corpore.

SECVNDO notat, id præsertim fieri, quando γαστὴρ, idest uentriculus quibusdam humoribus uitiosis plenus extiterit, ex quo dubiũ superius factum solui potest: id scilicet, quia Galenus aphorismo decimoseptimo primi libri scriptum reliquerat, cibum his dandum esse, qui corruptos humores habent. Quod dictum intelligere oportet, modo non sint in uentriculo: quia si hi humores in uentriculo corrupti sint, augetur quantitas, & eadem qualitas remanet. Si uero corrupti humores in uẽtriculo non sint, tunc optime insumere possumus, quoniam & si quantitas augeatur, eadem qualitas non remanet, sed remittitur: ideo temperamentum fit: de quo Galenus in præcitato aphorismo loquebatur.

TERTIO notat, quando augetur quantitas, & qualitas eadem remanet: quia humores in uentriculo sint, eorum casus accidit, qui ab ægritudine non assumunt cibum, idest nec appetunt, nec comedunt.

Vbi legitur, Ex quibus paulo antea dictus reualescentibus accidit casus. deest par-

ticula, Ex morbis. nam Græce est, ὑφ' ὧν καὶ τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν εἰρημένον σύμπτωμα τοῖς ἀνακομιζομένοις ἐκ τῶν νόσων συμβαίνει. idest, Ex quibus pauloantea dictus reualescentibus ex morbis accidit casus uel symptoma.

APHORISMVS XI

FAcilius est impleri potu, quàm cibis.

BRASAVOLVS

NVLLVM fuit æuum, in quo sui Momi non fuerint, nec Hippocratis tempore Hippocratomastiges defuere, qui in hoc aphorismo tam sapientissimum uirum deridebant, ueluti illum qui ea scribat, quæ etiam ignarum quemlibet dicere sciuisset: nempe is Tiresia quidem cæcior esset, qui non agnosceret, facilius esse bibere, quàm comedere: imò hoc usu uenit multis, qui etiam absq; cibo bibere consueuerunt. Sed hi Hippocratem non intelligunt, qui non de hoc bibendi, aut comedendi actu loquitur, sed de nutritione ipsa, quæ ab his quæ insumũtur, fit. Itaq; sensus eius est, facilius esse non quidem impleri uentriculum, sed uenas, & uniuersum corpus potu, idest re liquida, quàm cibis, idest re crassiori, quæ masticatione indiget.

Galenus hunc aphorismum ita continuat, Sicuti superius de his qui ab ægritudine erant, loquebatur: idest de his qui resumebantur: ita hic aphorismus in resumptione intelligendus est, quando aliquis post ægritudinem iam sanus effectus est, sed & sanguis & corporis humiditates resolutæ sunt: docetq; quonam modo citius reficiendæ sint, inquiẽs id potu potius fieri, quàm cibis. Oribasius & ipse de refectione quæ post ægritudinem fit, intelligit.

ῥᾷον. idest, Facilius.] Quod duo notat, & in coctione facilitatem, & quòd cito consequantur.

πληροῦσθαι. idest, Impleri.] Hic uero Hippocrates de plenitudine illa non intelligit, de qua librum fecit Galenus De plenitudine inscriptum: sed per Impleri, refici intelligit, & resumi corpus ob ægritudinem exangue, & quod refectione indiget.

ποτοῦ ἢ σιτίων. idest, Potu, quàm cibis.] Per potum, rem omnem potabilem non intelligit Hippocrates, quoniam aqua potabilis est, quæ tamen nec facile nec difficulter nutrit. Sed id potabile esse intelligit, quod absq; masticatione deglutitur, & cito concoquitur, & secundum plures partes in nutrimentũ pertransit, ut uinum præsertim quod nos creticum uocamus, & oua tenella non requieta, & iura, & quod ex attrita & pista carne contusum uocamus. hæc enim & facile concoquuntur, & secundum plures partes nutriunt, quod in maiori parte intelligimus: nempe in aliquibus oua potius in uentriculo corrumpũtur, quàm concoquantur, ut in his qui ignea caliditate calidum uentriculum habent: & in aliquibus præpotẽtia uina non nutriunt. Propterea istud in pluribus intelligere oportet. Per cibum uero, omne id intelligit quod nutrit corpus, sed masticatione indiget: ut hic sit aphorismi sensus, Inter ea quæ nutriunt, ita ut facile concoquantur, & pro maiori parte in substantiam nutriti conuertantur, illa quæ in potus speciem sunt, facilius hoc faciunt, quàm quæ in cibi speciem sumuntur.

Philotheus eodem ferè modo intelligit, inquiens, πᾶσα γὰρ στερρὰ τροφὴ, ὡς παχυτέρα δυσαλλοίωτός ἐστι καὶ δυσανάδοτος. ἡ δὲ ὑγρὰ, ὡς εὐαλλοίωτος ἑτοίμως ἀναδίδοται. πλὴν ποτὸν ἀκουστέον οὐ πᾶν ὑγρὸν διὰ στόματος λαμβανόμενον. ἀλλ' ὡς ἐν τῷ περὶ τροφῆς εἴρηται ὑγρᾶς τροφῆς ὄχημα οἶνος. οὐδὲν γὰρ τούτου ἐν τροφαῖς μᾶλλον ἀναδίδοσθαι καὶ συνάγειν καὶ ἐῤῥῶσαι δύναμιν διασκεδασθεῖσαν δυναμένου. οὐ μόνον δὲ εὐανάδοτος, ἀλλὰ καὶ εὐπρόσθετός ἐστι, καὶ διὰ τοῦτο προσφορώτατος. καὶ μάλιστα ὁ ξανθὸς, καὶ πυῤῥὸς ὁ οἶνος. οὗτος γὰρ ἐστὶ πάντων ἄριστος. idest, Omne enim nutrimentum esculentum, sicuti crassius ita difficilius alterari, & per membra dissipari ac distribui potest. humidum autem sicut facilius alteratur, ita promptius per membra distribuitur. Verum per potum intelligendum est, non omne humidũ per os assumptum. Sed, sicuti dictum in libro De alimento humido, nutrimenti uehiculũ est uinum. Nihil enim est hoc inter cibos aptius, quod distri-

distribuatur & colligat & uires corroboret. Non solum autem facile trāsmitti & distribui potest, sed etiam inhærere. & propter hoc nutriendo accommodatissimum: præsertim si sit flauum & rufum uel giluum. Hoc enim omnino est optimum. Nos igitur putamus in hoc loco non πικρὸς, idest amarum, sed πυῤῥὸς, idest rufum, uel κιῤῥὸς, idest giluum, qui color (teste Gellio) medius est inter album & nigrum. Apud Pliniū lego quidem, uina uetustate transire in amaritudinem. Vnde illud Catulli,

Inger mi calices amariores. Sed de his non puto loqui Philotheum.

Oribasius dubitat, Quare potu, magis quàm cibo. Respōdet, Si uolueris cibum offerre ad saturitatem, uirtutem non esse quæ illum concoquat. Subtilior autem potus cibo est, & cito implet. Deinde ait: Finge tres uesicas, in unam mitte aquam, in alteram oleum, in tertiam uinum: plus tenditur quæ uinum habet, quàm quæ aquam: plus illa quæ oleum, quàm quæ uinum. Tamen hoc exemplum, ad rem non multum facit.

Dubitant hic recentes, de liquidis cibis à uētriculo calido sumptis, cur corrumpantur: nam ut Galenus capite sexagesimosecūdo Artis medicinalis dicit, quæ facile trāsmutantur à stomacho calido, facile corrumpūtur: nec desunt qui hoc dixerint, liquida non magis nutrire, quia à stomacho calido corrumpuntur, hocq; in stomacho ita affecto solum reperiri. At nos aliter dicimus: nam Galenus simpliciter nō uult omnia corrumpi quæ facile alterantur, sed aliqua solum: nec istud est in simpliciter calido uentriculo, sed in habente igneam caliditatem. Adde, hoc non esse in potu intelligendū: nam uinum non corrumpetur, etiam si ab eo qui calidum uentriculum habeat, sumatur.

Nec dubium illud prætermittere oportet, quod per similitudinem fit: nempe cibus est corpori similior, quàm sit potus. Facilius igitur corpus cibo impleri debet, quàm potu: quia in habentibus symbolum facilior est transitus.

Nos huic dubio respondemus, quicquid à recētioribus dicatur, id quod durum est, & in cibi forma, à nutritione magis longinquū est, q̄ quod est in forma potus: nam qd' est in forma potus, iam liquidum est: quod uero cibi formam habet, eliquari oportet, si nutrire debeat. Hic enim est ordo, ut quum cibus uētriculum ingreditur, statim cōcoquat, & in substātiam quādam eliquatā cōuertat: deinde per intestina trāsiens, tenuior pars à iecore per uenas meseraicas trahitur, crassior descendit, & in crassioribus intestinis stercoris formam acquirit, ac per anum emittitur. Illa uero tenuior pars quæ à iecore trahitur, iterum coquitur, & sanguis atq; humor efficitur, qui sunt tenuiores, quàm illa tenuis pars quæ primo ad iecur peruenit: postea à iecore per uenas transit, & alteram nutritionem in membris facit: præsertim quum est in uenis maioribus, acquiritq; ut ad minores, & usq; ad capillares transire possit, & fieri nutrimentum. Vnde in hoc processu uides id quod est potabile, esse magis propinquum huic ultimo fini, quàm quod est comestibile.

Id etiam quod à recentibus dubitatur, Si potabilia facilius nutrirent, omnia corpora his essent nutrienda: itaq; non indigeremus dentibus, nec cibi puerorum ab illis senum differrent. Vanum est: nempe cibi non solum sumūtur, ut nutriant: sed ut solidum etiam nutrimentum condonent, & quod diu perduret. Ideo cibos præduros & densos sumimus, & non liquidos & potabiles, nisi quando in ægritudinibus opus est.

GALENVS

QVVM sermo ipsi de his qui indigent corporis refectione antea sit habitus, propterea nunc scripsit materierum diuersitates ex quibus nutriuntur. Scriptum autem est ab ipso & in libro De alimēto sic. Quicunq; indigent citissima adiectione, humidum remedium ad recuperandas uires optimum est. Vbi autem adhuc citius, per odoratum. Oportet aūt non simpliciter intelligere in utroq; libro, uel in illo humidū, uel hic potum, sed humida, & potus, quæ suapte natura apta sunt nutrire corpus. Nam si non ita nutriunt, sicuti solidiora, superant tamen nutriēdo celeritate, sicuti uina crassiora. nam aquosa (sic autem nominant alba, & tenuia) sicuti aquæ similem formam habent, ita etiam uim: quare urinam cient, & minime nutriunt. quæ uero, & crassa sunt, & colore rubea, plus alimenti habent quam reliqua uina. Inest autem eis, & citissime implere corpora euacuata, & ob hoc indigentia adiectione. Quod uero humidum ali-

mentum, & præcipue natura calidum facilius nutriat, manifestum his qui norunt quo modo & coctio & distributio fiant.

BRASAVOLVS.

PRIMO, Galenus hunc Aphorismum præcedentibus continuat, hoc modo: Quum de refectione corporis superius loquutus sit, nunc materiarum diuersitates ex quibus nutriatur, edocet.

SECVNDO notat, hoc idem ab Hippocrate in libro De alimentis positum esse, ubi Hippocrates edocere statuit, in his qui indigent citissima restauratione, quę etiam exhibenda sint: sicuti nonnullis ægris contingit, quibus uires desunt. In his (inquit) humidum remediũ ad recuperãdas uires optimum esse. Humidum uero intelligit, quod potabilem formam habet: imò addit, Si hic citiori restauratione adhuc indigeat, hoc fieri per odoratum: nam res odoratæ spiritus reficiũt & augent, membra autem solida minime. Sicuti enim fœtor inter illa connumeratur quæ uires prosternunt, ita odor è contrario easdem reficit.

Quod legitur, Scriptum autem est ab ipso & in libro De alimento. superflue habet hanc particulam, Ab ipso. nam Græce est, γέγραπται δὲ οὖν ἐν αὐτῷ περὶ τροφῆς. scriptum est autem in ipso De alimento, scilicet libro.

Quod etiam legitur, Humidum remedium. Græce est, ὑγρὸν ἴημα.

TERTIO notat, per potum intelligere oportere, omne quod humidũ est, & omnem potum qui corpus nutrire aptus sit. Hæc enim non ita penitus nutriunt robusto alimento, ut solidi cibi faciunt: tamen solida ipsa nutriendi celeritate uincunt, ut sunt crassiora uina.

Quod legitur, Nam si non. Græce est, εἰ γὰρ. idest, Si enim.

Vbi etiam legitur, Superant tamen nutriendo celeritate. Hæc duo uerba Tamen, & Nutriendo, uacant. Nam Græce est, πλεονεκτέουσι τῷ τάχει.

QVARTO notat, uina aquosa, qualia sunt alba tenuia, ut sunt aquæ similia, sic etiam uim aqueam habent: ideo urinam prouocant.

Sed tu fortè Hippocratem in Galenum adduces, qui libro tertio De ratione uictus in morbis acutis, in principio, ubi de uino albo uinoso uerba facit, inquit: Facilius omni alio ad uesicam transit, urinam ciet, magnumq; semper auxilium in his morbis afferre solet. Quamuis enim, quod ad reliquos usus attinet, ab alio uino superetur: quia tamen per uesicam purgat, magnifice liberat, si exhibeatur, ut oportet. Igitur aquoso uino, uinosum præmittit in prouocando urinam: quãuis & Galenus in duodecimo Methodi curandi libro, de hoc albo aquoso idem prænuntiauerit: & in quinto De sanitate tuenda, quòd urinam proritat.

Respondemus, id uerum esse quod ab Hippocrate dicitur, Vina alba uinosa urinam prouocare: nempe, calida sunt, & ad mouendas uesicæ partes apta. Tamen non errat Galenus: nam & aquosa uina urinam promouẽt, quia corpus modice nutriunt, & pro maiori parte ad urinæ uias tendunt: itaq; urinam proritant. Hoc autem non est per se, quia tale: sed per accidens, quia urina multiplicatur, quæ in illis partibus, aliquibus mixta, illa secum ducit. Propterea à Galeno hic non ab re dicitur, hæc uina aquosa uim aquæ habere: quia sicut aqua non nutrit, sed ad uesicam transit, ita hæc uina pro maiori parte in uesicam descendunt.

At recentiorum dubium nullius momenti est, quo dicunt: Si hæc uera sint, aliqua frigida urinam prouocare. Nos istud concedimus, sed per accidens fit. Adde, hæc uina non esse penitus frigida: certum uero est, calidiora magis urinam prouocare. Propterea & in libro qui apud Hippocratem simpliciter De ratione uictus, uel De alimentis inscribitur, dictum est, Album uinum & asperum calefacit, & magis lotium cit, quàm uentrem. Tamen ex eo argumentũ sumere potes, quòd & illa quæ frigida sunt, urinam prouocent. Nam Hippocrates in libro De morbis qui extra, inquit: Vetusta uina, uentrem lotiumq; ciunt: uina autem uetustate frigidiora fiunt. Et in eodem libro inquit: Vinum asperum lotium cit. Sed addit, Præsertim uetustum, album & tenue: ut

ex uetu-

ex uetustate frigiditatem iudicare posſis.

In summa igitur, apud Hippocratem & Galenum per se uina alba, uel (ut Galenus dicit in quinto De sanitate tuenda) quæ ab Hippocrate dicuntur κιῤῥὰ, ideſt fulua: Latini gilua, si Gellio credimus: uel ξανθὰ, ideſt flaua, si tenuia sint, urinam ciunt. Aquosa autem hoc faciunt per accidens. Galenus uerò præcitato loco, quæ uina senibus conueniant edocens, inquit, Ea esse quæ habent ſubſtantiam tenuem, ideo urinas mouent, & colorem flauum. Additq́ue, hunc colorem esse proprium præalbidorum uinorum: nam in senibus hoc uinum optimū eſt, quia totum corpus calefacit, & per urinas serum sanguinis expurgat. In his ergo, in quibus urinam prouocare indigemus, tenuia uina & aquosa danda non sunt, sed tenuia & uinosa flaua, quæ calidiſsima sunt & multum aperientia.

QVINTO Galenus docet, Vina craſſa, & colore rubra, plus alimenti præſtare, quàm reliqua uina: ideo cito implent euacuata corpora, quia τροφιμώτατοι πάντων οἴνων εἰσὶν, ut Galeni uerbis utar: ideſt, Magis nutriunt, quàm cætera uina.

At forte dubitabis, Galenum decimooctauo huius libri aphorismo, uina nigra in nutriendo cæteris præferre.

Recentiores respondent, Vinum nigrum robuſtius nutrimentum præſtare, rubrum uero celerius. Hæc uero non satisfaciunt. Nam alter eſt & uerus modus reddendi Galenum ſibi ipſi conſtantem: quoniam in decimooctauo aphorismo non dicit, Nigrum præ cæteris nutrire, sicuti hic rubrū: sed inquit, Nigrum bene nutrire: & eadem nigra, fuscis craſsioribus, non rubris præfert. Quæ dicit tantum excedere fusca in nutriendo, quantum fusca excedunt nigra in præſtando uniuersum & uelox nutrimentum. Et si Hippocratem legeris in tertio De ratione uictus libro, certe colliges, uinū fuluum & nigrum non multum differre. Imò & Galenus ipse in tertio De alimentorum facultatibus, urinarum differentias secundum alendi rationem ponens, inquit: Inter omnia uina, rubra craſſaq́ue sanguini generando accōmodatiſsima sunt: ut quæ minimo negotio in eius naturam transeant. Mox, Nigra craſſaq́ue cum quadam dulcedine. ut manifeſtiſsime uideas, inter rubra & nigra uina multam differētiam non fecisse, sed unum ſtatim alterum sequi. De hac autem re aliàs agemus.

In hac præterea sententia dubitant recētes, An uina alba tenuia uim aquæ habeant: ut hic dicit Galenus. Nempe, si aquæ uim habuerint, extra uini speciem esse consequitur: etenim uinum calidum & humidum eſt, aqua frigida.

Nos huic dubio respondemus, Non solum corporis noſtri ratione uina aliqua frigida esse: imò & uehementius infrigidare, quàm aqua: nam aqua simpliciter solum infrigidat, quia frigida eſt: sed hæc uina aquosa, ratione frigiditatis infrigidant: ratione autem alterius qualitatis, scilicet saporis acerbi, interius penetrant: propter hoc magis infrigidant, quàm aqua. Huius generis sunt uina multa Ferrarienſia, quæ à nobis Albana uocantur, quæ non solum suapte natura infrigidarent: sed id adijcitur, quod ad hæc uina exprimenda immaturæ uuæ colliguntur. Id uerò quod à recentioribus dicitur, quòd speciei conuenit, omni indiuiduo conuenire, ut esse calidum uino conuenit ut uinum, propterea & omni speciei conuenire oportebit. Respondemus, & uinum esse genus, & eius species proprietates suas habere, & omne uinum quodammodo esse calidum: tamen uinum aliquod humano corpori comparatum & eius calori, frigidum dici poteſt. Vnde Galenus duodecimo Methodi curandi libro infert, Neq́ue enim inuenias ex albo uinorum genere calidum ullum. Oribasius, rubrum uinum in aphorismo intelligendum esse iubet.

APHORISMVS XII

QVæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.

BRASAVOLVS

HVNC etiam aphorismum Galenus in præcedentium seriem ordinat, inquiens, Cum superius eos qui post morbum non appetunt, euacuatione indigere edocuerit, & quid agendũ antequam purgentur, nunc causam docet quare illi sint purgandi, ut hic fere sensus sit. si quis non assumens cibum, idest post morbũ non appetens, & non corroboretur, signum est quod euacuatione indiget: nam praui quidã humores derelicti sunt, qui nisi remoueantur, ægritudinẽ faciunt. quæ enim relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt: quippe hæ materiæ quæ derelictæ sunt, à natura expelli non potuere, sed quia paucæ, ægritudinem facere non possunt, nisi alijs additis, quæ uel per cibos fiunt, uel in corpore sunt, & ob miscellã cum his corruptis corrumpuntur: propterea recidiuã faciunt, idest in eandem morbi speciem, uel in morbum is coincidit, qui iam conualescere uidebatur.

Oribasius uero dubitat, quomodo cognoscere possimus morbum perfecte non esse iudicatum. Respondet, Si ante iudicatorium diem, signa iudicatoria præcesserint, hic recidiuam non incidet, quia perfecte iudicatus est. At si non præcesserint signa, iudicatio imperfecta est, & ita recidiuam incidet, tamen & ex habitudine corporis hoc colligitur, & ex imbecillitate, & uirtute ægritudinis.

Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τοῖσι νούσοισιν μετὰ κρίσιν. idest, Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem.] Vocat autem illa quæ relinquuntur, ut Philotheus inquit, τὰ λείψανα τῶν μοχθηρῶν χυμῶν. ἃπερ ἀνάγκη σηπόμενα τῷ χρόνῳ πυρετοὺς ἐξάπτειν, idest, Prauorum humorum reliquias, quæ quidem tempore corruptæ febres necessario accendunt.

ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν. idest, Recidiuas facere consueuerunt.] Quoniam humores bonos corrumpunt, & in eorum naturam ducunt. Vt autem perfectius huius aphorismi sententiam intelligamus, scire oportet, Iudicationes esse materierum peccantiũ statutis quibusdam diebus motus, quibus medicus iudicare potest, an æger moriturus sit uel ad sanitatem profecturus. In hoc autem materierum motu, quandoque tota materia non expellitur, sed portio quædam derelinquitur, quam uel natura expellere non potest, uel ipsamet tunc est ad exeundum inepta. Hæc autem materia si talis sit, ut paulatim non resoluatur & euanescat, alias materias corrumpit, & recidiuam facit. At si petas quomodo cognoscere expediat, si iudicatio perfecta sit: Galenus in principio libelli De diebus decretorijs, alio modo quàm Oribasius fecerit, edocet: inquiens, Vt solutiones morborum qui non paulatim, uerum subito finierunt, certas esse cognoscamus, excretio quædã copiosa, uel abscessus insignis apparebit. nam qui morbi citra hæc recedunt, in ijs recidiua timẽdum est: non enim fit semper, sed fieri potest ut semper fiat: propterea dicit, ποιέειν εἴωθεν ὑποστροφάς. idest, conuersiones, quas Latini recidiuas uocant, facere consueuerunt: uel ut alij contextus dicunt, ὑποστροφώδεα. unde & in Prognosticis Hippocrates, & in præcitato libro Galenus signa edocere conantur, quibus morbi cuiuspiam magni solutio haberi posit. Intelligo autem firmam solutionem, & hoc per signa quæ apud Hippocratem λυτήρια, idest, solutoria dicuntur, Quum sudores bonos ex toto corpore manantes uideris, uel urinarum, uel alui excremẽtorum copiam, uel uomitum, uel profusionem sanguinis ex naribus, uel per hæmorrhoidas, uel per muliebres locos, uel abscessus in glandibus, uel in aliqua parte ignobili, uel in articulis: & hæc sint notatu digna, ægerque alleuiatus sit, quamuis forte lassus, tunc iudica crisin perfectam factam, & uere sanatum morbum. Si uero nihil horum appareat: uel si appareat, tenuiter & debiliter fiat: tamen æger sanetur, Hippocrates dicit, Quæ sine signis finita sunt, fere reuertũtur: & hoc in Prognosticis. Intellige autem sine signis, uel cum debilissimis & paucissimis.

Hanc iudicationem, in qua aliquid relinquitur, Galenus iudicationem ἀτελῆ, idest imperfectam uocat: tamen quia contingit has imperfectas iudicationes quandoque tales esse, ut ad ipsas non consequantur recidiuæ, quia illa materia paulatim resolui potest: propterea eodem in loco his nomen inuenit, quæ recidiuam facere debent: illasque ἀπίστους, idest, incertas & infidas uocauit. Vnde si aliquid relinquatur, uel debeat se-

qui recidiua

qui recidiua, uel non, sunt imperfectæ. At si cum hoc recidiua etiam sequi debeat, sunt infidæ & incertæ. Quando uero crisis euidentem excretionẽ non facit, uel euidentem abscessum, illam appellat ἀσαφῆ, idest obscuram & immanifestam, multisq; alijs iudicationum nominibus utimur, quæ alio loco commodius adducentur. nobis satis sit in proposito iudicationem illam quæ aliquid relinquit, imperfectam esse. quæ uero non excernit dignum notatu, obscuram, at quæ recidiuam facit, incertam, & infidam. Indicatio hæc, de qua loquebatur Hippocrates, quia aliquid relinquit, imperfecta est: sed quia recidiuam facere potest, si faciat, infida simul cum imperfectione nominãda erit: quæ si excellens aliquid non emiserit, & obscuram simul nominabis. Nec opus est, ut hæc materia, quæ relinquitur, corrupta sit, sed satis est, quod facile corrumpi possit, & corruptioni apta sit, ut secundum recentes sit morbi antecedens causa, non coniuncta. Sed hic dubitare poteris, an si aliqua praua qualitas post iudicationẽ relinquatur, nuncupari possit, aliquid post iudicationẽ derelictum, Respondemus, nullus est apud Galenum locus, in quo hoc dicatur. nam ipse solum uocat iudicium propter motum materiæ, quomodocunq; fiat, uel perfecte, uel imperfecte, uel obscure, uel infide. Ideo apud ipsum, uel apud Hippocratem praua qualitas aliquid relictum post iudicationem dici non potest: tamen non eo inficias malam qualitatem morbi causam esse posse, si post perfectam iudicationẽ in corpore derelicta sit: sed quia hoc rarum est, & difficile, propterea Hippocrates & Galenus de eo mentionem non fecere.

Quid autem sit uera recidiua, ex Hippocrate & Galeno præcitatis locis, facile colligi potest. uolunt enim recidiuam fieri, quando iudicatum fuit ἀσαφὲς, idest incertum & infidum, & ἀτελὲς, idest imperfectum. quando autem ita fuit, portio eiusdem materiæ relinquebatur, quæ prius morbum faciebat, propterea si iterum morbum fecerit, eiusdem speciei cum præcedẽte necessario erit, quia ab eadem fit materia. sed quia forte extra uenas transmitti posset, cum prius in uenis corrupta primum morbũ faceret, propter hoc primus morbus, & recidiua different. Hinc cuiusdam recentiorum dubij solutio patet, quo dubitat, an recidiua eadem numero sit cum sua prima ægritudine, Respondemus esse quidem eandem specie, sed non eandem numero. At recentes eandem numero esse probant, Primo, in quatuor uniuersalibus unius morbi temporibus radix & recidiua simul claudũtur. Igitur idem numero sunt. Sequela conueniens est, antecedens ex Galeno probatur in duodecimo primi libri aphorismo, ubi Anaxionis casum refert, qui morbum lateralem patiebatur. Præterea recidiua cum sua radice minorem unitatem non habet, quàm distinctæ tertianæ uel quartanæ simul accessiones, sed in his est una numero ægritudo, igitur & recidiua una numero est, cum sua radice. Tertio, radix ad recidiuam terminatur. Igitur recidiua quid intrinsecum saltem est uel pars intrinseca radicis. Igitur idem numero sunt.

Nos uero dicimus, recidiuam à suo principali morbo esse numero distinctam. Primoq; unum supponimus quod superius probatum est, & de quo commodius atq; amplius in libro Artis medicinalis agemus, apud Galenũ non dari neutrum, addimusq; eum qui imperfecte iudicatur, sanũ esse, ut ex Hippocrate & Galeno præcitatis locis facile colligi potest, potestq; & breui, & longiori tempore in hoc statu permanere, antequam ægrotet. Igitur erit altera febris numero, quia & si ab eadem materia fiat, non est eadem nisi specie, & maiorem etiam corruptionem acquisiuit, quàm prius haberet. uel quum accidens sit, & accidentia numero distinguantur uel per subiectum uel per tempus, hoc per temporis diuersitatem numero distinguitur. Non est autem par ratio de accessionibus tertianæ aut quartanæ, quod distinctæ numero febres nuncupari debeant: quia in illis est ordo & determinatio dierum, quæ in hac recidiua non sunt, licet ab eadem materia post iudicationem derelicta fiat. Propterea, recidiua non erit idem numero morbus, sed bene specie. Ex his ad argumenta facile respondebimus.

Ad primum dicimus, Recidiuam non concludi, nec comprehendi sub eisdem morbi temporibus, nisi tempora ampliantes: ut etiam id medium, in quo hic qui recidiuam incidit, sanus est, sub aliquo morbi tempore comprehendatur. Quod dictu uanum erit. Ad id uero quod de Anaxione in testimonium adducitur, dicimus, à principio usque ad trigesimum quartum diem morbum lateralem habuisse,

quamuis

quamuis febris uigesimo die desierit, & uigesimoseptimo iterum redierit: unde erant unius morbi tempora scilicet lateris in numero: at ratione febris erant distincta numero, nam & sine febre expurgari potuisset. nec fuit uerus aut exquisitus lateralis morbus, quia exquisitus acutus est, nec quartumdecimum diem excedit, nec Hippocrates, uel Galenus in hoc Anaxionis casu, dicunt ista sub eisdem uniuersalibus morbi temporibus fuisse. Ad secundum dicimus maiorem esse unitatē accessionum tertianæ, uel quartanæ, quàm recidiuæ cum sua radice. quia recidiua ordinem nō habet, nec statuto tempore fit, sed harum febrium accessiones, & statuto tempore fiunt, & ordinem habent. Ad tertium negamus radicem ad recidiuam terminari, nisi intellexeris terminari, idest inter radicem & recidiuam, nullam alteram ægritudinē interponi, tunc uero consequētiam inficiamur, scilicet, Igitur est aliqua pars intrinseca radicis. Si uero inferrent: igitur aliquo modo conueniunt, hoc concedimus. nam specie saltem conueniunt. Ad rem igitur, una recidiua ab eadem materia cum sua radice fit, quæ post iudicationem derelicta sit, tamen nos uulgo recidiuam nuncupare solemus, & hominem recidiuare, quando post ægritudinem effectus sanus, ægritudinē aliam incidat, uel hæc sit in eadem specie, uel in diuersa specie.

Sed recentes quidā de recidiua ambigunt, probantq́; à materia relicta fieri non posse, imò suadent nullam derelinqui materiam, quoniam si natura potens fuit magnam materiæ portionem expellere, minorem etiam portionem expellere apta erit. Etenim quod supra duo potens erit, supra unum posse nemo dubitabit.

Hi uero Galenum in libro De diebus iudicatorijs non cōsiderarunt, qui uult post iudicationem, materiam remanere posse, & naturam partem aliquam expellere potuisse, non tamen totum, quia ad exeundū aptum non erat, & erat incoctum, quod (secundum recentes) causam antecedentem uocare possemus. nec illud uerum est, si quid ualeat supra duo, quod etiam supra unum ualere possit: nempe fieri potest ut aliquid supra duo possit, & cum hæc duo expulerit, adeo defessum sit, ut unū expellere non possit, quamuis in principio duos expulisset, & per se etiam unum facile expellere potuisset. sed hoc ad rem nihil facit, quia natura, quæ magnam quandam materiæ portionem expellere apta est, paucā etiam expellere poterit, modo illa præparata sit, & ad exeundum apta. Si uero petas, ob quot causas natura in iudicio totam materiam expellere non possit, respondebimus unam causam iam esse assignatam, quia uirtus imbecillis effecta totum expellere non potuit, quamuis partē quandam, & plerunq́; maiorem expellere potuisset. Secunda causa esse poterit, quia materia in diuersa membra dispartita erit, ideo natura ab uno membro, & non ab alio trahere poterit. Tertia causa esse poterit materierum diuersitas, ut natura materiam unam trahere possit, alteram uero minime. Assignant recentes & quartā causam ex his quę extrinsecus adueniunt, ut si in crisi contingat, quod hic aliqua animi passione perturbetur, uel alicuius membri dolorem uehementem inciderit, uel facta sit aliqua planetarum coniunctio, de qua re hic disputare non est opus, an planetæ supra hæc inferiora possint, & an inclinent.

GALENVS

HIC etiam aphorismus antecedētibus iungitur. Nam cum Hippocrates dixerit, Si à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur, quod si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. Et ob hanc causam cum deinceps de euacuationibus sermonem habuisset, nunc causam assignat ob quam oporteat euacuare eos qui post morbū non appetunt, ac si totus sermo ita ab ipso transigeretur. Quod si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet quòd indiget euacuatione. Quæ enim relinquuntur in morbis post iudicationem recidiuas facere consueuere: per ea quæ relinquūtur in morbis malorum reliquias intelligens, quas necessarium est tempore putrescentes febres accendere: si quidem omnis humor alienus à natura corporis in quo continetur, neq́; aptus natura est ad eius nutritionem, quare relinquitur, ut necessario ad putredinem cōuertatur. Cum uero & locus calidus erit in quo fuerit collectus, tunc celerrime putridus fit.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus hunc aphorismum præcedentibus continuat, & præsertim illi parti illius aphorismi, Si uero non assumente cibum hoc accidat, signum est, quòd eua cuatione indiget: quam si non feceris, recidiuam ingreditur. nam quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt.

SECVNDO docet, quòd ea quæ relinquuntur, non sunt uel mala qualitas, uel aliquod simile: sed sunt malorum humorum reliquię, quę tamen non sunt putridæ, sed ad putredinem aptæ. Quas si tu antecedentem causam nuncupare uolueris, ut lubet nuncupa. Vnum est quod tempore putrescunt, & recidiuam faciunt: nam hic humor à natura corporis in quo est, alienus uidetur, quia ad putredinē aptus: nec etiam aptus est ad nutriendum id corpus, nec natura ipsum in nutrimentum trahere potest. Ideo reliquum est, ut putrescat. Propterea scito, omnem humorē qui in aliquo membro est, & ab eius membri natura alienus est, necessario putrescere: quod intelligere oportet, nisi sit tam paucus, ut facile resolui possit.

In duobus huius commentationis locis, Leonicenus interpretatus est, Scire oportet. Sed in primo loco Græcus contextus dicit, σημεῖον, idest signum. In secundo loco, σημαίνει, idest significat.

TERTIO addit, hunc derelictum humorē celerrime putrescere, si locus fuerit calidus, in quo continetur. Intellige uero, si locus sit calidus, & humor ipse sit humidus, & caliditas multa non sit: aliter exsiccare posset.

Quod legitur, Tunc celerrime putridus fit: Græce est, τότε δὴ τάχιστά τε καὶ μάλιστα σήπεται, idest, Tunc celerrime & maxime putridus fit, uel computrescit.

APHORISMVS XIII

QVibuscunque crisis, idest iudicatio fit, his nox grauis ante accesionem. Quæ uerò subsequitur, magna ex parte leuior existit.

BRASAVOLVS

QVVM de iudicatione in præcedenti aphorismo mētionem fecerit Hippocrates, nunc conditionem quandam quæ iudicium cōsequitur, edocet. Sensus uero est, In his ægris in quibus iudicatio fit: hi ante quàm fiat iudicatoria accesio, noctem grauem habent: quia nox illa quæ iudicium præcedit, ob illam causam est grauior: quoniam natura iam cœpit materias bonas à malis segregare, in illo autem motu nox grauior efficitur: nox uero quæ subsequitur, ut plurimum est bona, si iudicatio ad bonum fiat. At si ad malum fieret, mala esset. Sed quia maior ægrorum pars sanatur (nisi morbus pestilens sit) propterea dixit, magna ex parte noctem illam esse leuiorem. In his enim solum mala est, qui mori debent.

ὁκόσοισι κρίσις γίνεται. idest, Quibuscūq; iudicatio fit.] Nisi in Græco codice legeret γίνεται, quod Leonicenus non ab re, fit, interpretat: nos Theodoro potius consentiremus, qui legit: Quibuscūq; iudicatio instat. nempe nox, quæ iudiciū antecedit, non est dum ipsa fit iudicatio, sed est antequam fiat. Propterea si legerimus, fit: & non exponamus, fit, idest futura est, necessarium erit per iudicationem totum illud tempus intelligere, quo natura materiam ad iudicium mouere cœpit, & etiam motum ipsum usq; in finem. nec istud incōueniens est: imò Galenus in principio statim primi De iudicationibus libri, id disputare prætermittit, Nunquid iudicatio uniuersam mutationē in morbo significet, uel solum momentum in melius, siue perturbationem præuenientem, siue integram solutionem morbi, uel bonā tantū mutationem: ibi uero disputare despexit, tum quia non curat de nominibus, uel eo modo, uel altero uoces: tum etiam quia non pertinet ad illum locum, sed ita uocare nihil differt.

Hic uero à Galeno in hac commentatione, iudicatio definitur esse subita in morbo, quo ad salutem, uel ad mortem mutatione: quæ definitio ad iudicationem pertinet, ut in potissimo accipitur significato. nam ut Galenus in tertio De iudicationibus

libro ſtatim in principio docet, ſola hæc ſubita mutatio uel ad ſalutem uel ad mortem, ea eſt quæ merito iudicatio appellari debet: docetq; eodem loco, in morbis ſex mutationes fieri poſſe: nam uel ſtatim in ſanitatem fiunt, uel ſtatim in interitum, uel paulatim in ſanitatem tendunt, uel paulatim in mortem: tamen iſtæ duæ iudicationes primo faciant inſigne momentum: deinde paulatim in mortem, uel in ſanitatem tendant, uel nullo facto inſigni momento in mortem paulatim, uel in ſanitatem accedant, duo illa membra quãdo fit magna mutatio. Sed poſtea paulatim in ſanitatem uel in interitum tendunt, iudicationes imperfectas uocauit Galenus. At duo illa membra, in quibus & à principio & ſemper inceſſus eſt modicus, nõ quidem iudicationes, ſed ſimpliciter ſolutiones uocari præcepit. Duo autem prima membra, quãdo mutatio uel in ſanitatem uel in necem ſubita eſt, exquiſitam iudicationem eſſe dicit, quam & ſimpliciter iudicationis nomine inſigniuit. Vnde in hac commentatione Galenus iudicationem exquiſitam, & illam quæ uere iudicatio appellatur, definiuit eſſe ſubitam mutationem in morbo uel ad ſalutem uel ad mortem, quomodocunq; fiat, & per quemcunq; locum.

Τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. ideſt, His nox grauis ante acceſsionem.] Nam in iudicatione neceſſarium eſt ægrum uehementer uexari ante acceſsionem, ideſt antequàm iudicatio accedat, uel antequàm accedat acceſsio illa in qua fit iudicium: nempe iudiciũ in una particulari acceſsione fit. At uel nox ſit, uel dies, id tempus quod iudicationem præcedit, ſemper ęgros perturbat. Hippocrates uero de nocte potius mentionem fecit, quàm de die, ob ea quæ à Galeno in cõmentatione dicuntur, & nos deinceps repetemus. Illa uero eſt potiſsima cauſa, quia noctu perturbatiões magis ſentimus, quàm interdiu. Oribaſiusq; hanc rationem affert, inquiens: Sicut homo ceſſat ab operibus ſuis, ita etiam quodammodo à corporeis ſenſibus, noctis torpore ſimul & horrore occupatus, corporeorum ſenſuum exercitium non habet: natura enim humana gaudet iis excitari, quorũ exercitatione moderata ſolet plurimũ foueri. Quum igitur acuta ægritudine aliquis detineatur, quomodo grauem noctem nõ habet, quum hinc ægritudine premitur, hinc uero torpet adiutorio ſenſuũ? Neceſſe igitur eſt, ut nocte ſentiat æger moleſtiam. In die uero quamuis non operetur homo, tamen ſenſus uigilant, & alia officia naturæ. Philotheus etiam ita cauſam affert, inquiens, πλὴν ἐν νυκτὶ, διὰ τὸ ἐναργῶς τὸ τηνικαῦτα φέρεσθαι τὴν δυσφορίαν, διακοπτομένου τὸν ὕπνον ἀπὸ τῆς ταραχῆς. ideſt, Sed in nocte, quoniam tunc manifeſte uexatio uel inquies perſentitur, ſomno à perturbatione interrupto. Dubitat etiam Oribaſius quare ante iudicatorium diem perturbatio fiat. Reſpondet, quia natura pro tribunali ſedet, uirtus & humores litigant: ſi natura iungatur cum humoribus, uincitur uirtus: ſi uero cum uirtute, uincit uirtus. At ratio quare id fiat ante hunc diem, eſt maxima materiæ cum natura pugna. Philotheus etiam exemplum de bellatore poſuit, inquiens eſſe rationabile præcedentem noctem eſſe difficilem: ὥσπερ γὰρ ἀθλητὰς ἢ στρατηγὸς, ὅσον οὔπω τοῦ ἀγῶνος ἐπικειμένου ταράττεται, καὶ προδιατρεπίζεται πῶς μὲν ὀφείλει τοῖς πολεμίοις ἐπελθεῖν, πῶς δὲ αὐτοὺς ἐκκλῖναι. οὕτω καὶ ἡ φύσις προταράττεται, διατρεπίζουσα τὰς ἑαυτῆς δυνάμεις πρὸς τὸ ἀποθλῖψαι, καὶ ἀλλοιῶσαι τὴν νοσοποιὸν ὕλην, κἀντεῦθεν δυσφορία γίνεται. ideſt, Sicut enim athleta uel imperator, nõdum propoſita pugna, perturbatur & præmeditatur quomodo hoſtibus debet occurrere, & quomodo eos declinare: ſic & natura perturbatur præmeditans & præordinans ſuas uires ad depellendam & alterandam ſiue immutandam materiam morbi effectricem: & hinc inquies illa ſiue perturbatio fit; imò ſi iudicationis definitionem apud ipſum Philotheum conſideremus, in pugna conſiſtit: inquit enim, κρίσις δέ ἐστιν ἀγὼν φύσεως καὶ νοσήματος, καὶ ἀθρόα ἐν νόσῳ μεταβολή. ideſt, Iudicatio autem eſt naturæ pugna & morbi, & collecta ſeu uniuerſa in morbo mutatio.

Si igitur perfecta iudicatio fieri debeat, quæ eſt ſubita mutatio, fieri non poteſt (ut Galenus tertio De iudicationibus, capite primo, docet) niſi magna quædam ſecretio & euidens fiat, ut ſanguinis narium fluxus, uel per ſeceſſum humorum motus, uel uomitus, uel magnus ſudor, uel abſceſſus inſignis: niſi hæc fiant, illa ſequũtur quæ in præcedenti aphoriſmo dicta ſunt, recidiuam incidũt, quæ etiam deterior eſt ſua radice. At hæc ſecretio fieri non poteſt, uel hic abſceſſus (ut in articulis, uel emunctoriis, hoc eſt adenoſis partibus) niſi in ægri corpore magna perturbatio ſequatur.

Si autem

Si autem quæras quæ nam perturbatio illa sit, Galenus præcitato loco respondet. Scias aũt tu omnia hæc uni ægro nõ euenire: sed aliqua uni, alia alteri cõtingunt: quæ si enumerare tentem, hæc sunt: per totum corpus difficultatem persentiũt, & insomnia difficilia habent, deliriaq́; habent quendam somnum stupidum, spirandi difficultatem, uertigines, & circa sensus difficultates, capitis dolorẽ, ceruicis, uentriculi, & multarum partium habent, uno loco stare non possunt, sed per lectum uolutãtur, sonitus aurium persentiunt, uidentq́; ante oculos splendorem quendam, lachrymant etiam ipsis nolentibus, urina subsistit, labra concutiuntur & cõtremiscunt, imò & manus & aliæ partes intremiscunt, obliuiscuntur præsentium, incidunt magnos rigores. Accessio etiam quę solita est hunc corripere, multo tempore ante præuenit, ut per multas horas anticipet: habent caliditatẽ magnam per totum corpus, & magnam sitim habent: clamãt, & tanquam attoniti exiliunt, nec possunt seruare eundẽ iacendi habitum, sed hincinde se uoluunt: hæc sunt indicia, istæq́; sunt motiones, quibus infestatẽ æger cui instat crisis: postea succedit crisis, quæ fit, aut quia sudor multus derepẽte fluit, aut uomitus multus fit, aut uẽter uniuersim resoluitur, aut large sanguinẽ fundunt, aut omnia simul incidunt, adeo ut asistẽtes hæc uidentes, ualde timeant, & omnes præsentes iam clament, & iudicant de uita illius: propterea etiam inuentum est hoc nomen iudicium, quod non est nomen medici proprium: sed propter hæc medicus perturbari non debet. Sed debet scire quid futurum sit, & quid debeat euenire, & persuadere ægro & asistẽtibus non esse timendum, si perfectus sit medicus. hæc est perturbatio, & hæc est difficultas, quæ his accidit, quibus instat iudicium: accidit autem noctu, si sequenti die futura sit iudicatio: uel die, si noctu futura sit: nam & si de futura die locutus sit Hippocrates, per id tamen non it inficias, quandoq́; fieri iudicationem noctu.

Huc notiones omnes adducere tentassem, quibus cognosci posit, quãdo iudicationes fieri debent, & quomodo. Sed quia Galenus in primo & secundo De iudicationibus libro, & in primo De diebus iudicatorijs, de his diffusissime agit: propterea illas omittere decreuimus. Id tamẽ annotabimus, hos iudicatorios motus non semper fieri, sed maior eorum qui sanantur, uel obeunt pars, per mutationẽ paulatim ad sanitatem uel ad mortem factam sanãtur, uel obeunt. Galenusq́; hos motus iudicationes non uocauit, sed potius mutationes uel ad salutem uel ad mortem.

Scito etiam præcitata signa ut plurimum in bona iudicatione euenire: estq́; maiori ex parte bona iudicatio: quum uero ægri in mortem inclinant, nec uomitus, nec sudores, nec quicquam aliud ex his quæ enarrata sunt, cõtingit: imò si contingat, est imperfectus motus, & mors ipsa consequitur.

Aetius libro quinto, capite uigesimosecundo, omnia quæ superius dicta sunt, refert, ubi signa ponit, quæ iudicationem præcedunt. Et hunc aphorismum in testimoniũ adducit. Eadem à Paulo libro secundo, capite nono, repetuntur: qui cum Galeno signa distinguit, quæ materiam per superiora tendere, ab his quæ per superiora expellendam significant: idq́; est decimo eiusdem libri capite, sicuti à Galeno tertio De crisi, decimo capite, scripta sunt: Dolor enim capitis, desipientia, & signa huius generis alia, quæ caput impetere uidentur, materiam per superiora euacuandam esse significant. Alia uero ut suminis lancinatio & rosio & circa umbilicum torsio, quæ στρόφος à Græcis dicitur, & alia similia, materiam inferiora petere significant. At quomodo perfectam iudicationem cognoscere posis, atque imperfectam, præcitatos authores in eisdem locis, sed in his quæ sequuntur capitibus, legas, ne cogamur huic nostro labori libros omnes commiscere.

ἡ δὲ ἐπιοῦσα εὐφορωτέρη ὡς ἐπὶ πολύ. In alio contextu habetur, *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.* Sed sensus esse debet, Quæ uero subsequitur, magna ex parte leuior existit.] Quod in his uerum est, qui ad sanitatem proficiscuntur, ad quam maior ægrorum pars proficiscitur: nam rari ad mortem incedunt. Propterea nox quæ subsequitur, ut plurimum leuior existit. In his uero qui occumbere debent, grauior est: quoniam in peius semper ruunt.

GALENVS

IVDICATIO est subita in morbo, uel ad sanitatem, uel ad mortem mutatio: fit autem natura separante à bonis mala, & ad excernēdum præparante. Non temere igitur in tali turbatione grauiter se habent: & grauitas hæc noctu fit manifestior. Nam hoc tempore dormire consueuimus. Somnis ergo à turbatione interruptis, clarius grauitas illa percipitur: licet similis fiat interdiu quandoq; turbatio, quando nocte sequente est iudicatio futura. Quod autem in fine aphorismi scribitur, Quæ uero subsequitur magna ex parte leuior existit, in multis exemplaribus non habetur. Vult autem docere nos, quòd subsequens magna ex parte post iudicationem facilior existat, quoniam plures iudicationes bene terminantur. Nouimus enim plures esse ex ægrotis sanatos, quàm mortuos, nisi sit pestilens constitutio.

BRASAVOLVS

VT GALENVS perfecte huius aphorismi sententiam enodaret, exquisitam iudicationis definitionem præmisit: nam dixit iudicationem esse ὀξύῤῥοπον, idest subitam mutationem, uel ad salutem, uel ad mortem: sed recētes in hanc definitionem absurde dubitant probare uolentes: iudicationem non esse mutationem, sed alterationem præexistētem: eorum uero error est, quia ut Galenus in principio libri De iudicationibus docet, quandoq; nomen crisis, idest iudicatio, uniuersam mutationem in morbo significat: quandoq; momentum in melius tantummodo, imò quandoq; id significat quod præcedit: sed nunc Galeno placet, iudicationem præsertim exquisitam, esse subitam illam mutationem alteratione præexistente non considerata. Ita enim iudicationem & Hippocrates in Aphorismo intelligit, quoniam nox quæ iudicationem præcedit, non ob aliud grauior existit, nisi quia illam præcedit alteratio, idest ad hunc subitum motum præparatio.

SECVNDO, Galenus docet, iudicationem fieri, natura à bonis mala separante, & ad excernendum præparante: non quod per ista, iudicationem intelligat, sed ad ipsa sequitur iudicatio. Hæc autem præparatio atq; discretio, in tempore iudicationem antecedente grauitatem facit. Quod uero à recentibus dubitatur, non uideri in aliquibus hanc præcedentem cōmotionem fieri, præsertim si materia in uijs fuerit: & si cocta sit, non indiget ut expulsioni præparetur, immerito dubitatur. Nos etenim diicmus, & si materia in uijs sit, tamen hanc commotionem fieri, sed non tam magnam: si uero materia cocta sit, indiget etiam ut ad uias dirigatur: si uero sit cocta, & etiam in uijs, hic non ægrotauit, uel fit alia commotio quamuis intēsa non sit. In his etiam qui mori debent, commotionem præcedere necessarium est, si materia sit adeo praua & adeo uenenosa, ut natura nullo modo eam mouere posit, sicuti quandoq; contingere potest.

Quod legitur, Non temere igitur. Græce est, εἰκότως οὖν.

Et quod legitur, Grauiter se habent. Græce est, δυσφορέουσι.

TERTIO docet, hanc cōmotionem esse magis noctu manifestam, quàm die, quoniam noctu dormire cōsueti sumus: sed propter istam perturbationem non possumus, in die uero dormire assueti non sumus: propterea hac perturbatione facta, quia in somno nos non impedit, minus molesta esse uidetur. Tu uero rationem alteram adde, quoniam & materiæ & calor noctu intus clauduntur, unde ad maiorem faciunt agitationem. A recentibus præterea altera additur causa non contēnenda, quoniam in die humanus animus & humana cogitatio circa plura uersatur: quod facit ut perturbatio ita non sentiatur in die sicuti in nocte.

Quod legitur, Et grauitas hæc noctu fit manifestior. Græce est, καὶ μᾶλλον δὲ κατάφορος ἡ δυσφορίη γίνεται περὶ τὰς νύκτας.

Quod etiā legitur, Clarius grauitas illa percipitur, φανερῶς ἡ δυσφορίη διαγινώσκεται.

Hic uero dubitant recentes, An iudicatio nocturna perfectior sit diurna, uel econtrario. Nos huic dubio respondemus, attendendum esse ægritudinis initium & principium atq; finem diei iudicatorij. Si principium ægritudinis ea hora incipiat, ut nox sit principium diei iudicatorij, tunc nox perfectam iudicationem facit: si uero dies sit principium diei iudicatorij, tunc dies perfectam iudicationem faciet. unde nec diurna, nocturna, nec nocturna diurna perfectior est: sed æque possunt esse perfectæ, ut ægritudinis

nis motus contingit. Sed hæc dubitatio alteram secum ducit, An iudicatio magis noctu fiat, quàm die, & hoc præsertim in mala iudicatione? Et ad hunc ordinem disputatio refertur, An qui moriuntur, in nocte moriantur? De qua re Conciliator agit, differentia centesimatertia: & quicquid ab hoc uiro dicatur, experiẽtia ostendit, plures non mori noctu quàm die: sed aliquos noctu, aliquos interdiu obire, ut ægritudinis motus exigere uidetur.

Ad hunc etiam ordinem disputatio illa duci posset, An plures hyeme, quàm æstate moriantur? & qua de causa? & non modo quàm in æstate, sed etiam in autumno? De quo potissimum dubitatio fieri posset. Aristoteles primo Problematum libro, problemate uigesimoquinto, huic dubio satisfacere uidetur: non tamen dicens, plures mori hyeme, quàm æstate, sed de his solum qui ægrotant. Imò hyems cæteris anni temporibus est minus mortifera, quamuis uer cæteris ab Hippocrate præponatur. At Aristotelis dubitatio hæc est: Cur per æstatem magis aduersa ualetudine laboretur: per hyemem uero magis qui laborant, emoriantur? Respondet, An quia calor, qui per hyemẽ intus propter corporum densitatem coercetur, parum adiuuat: nec labor operum, qui amplius per id tempus suscipitur, excrementa humorum potest concoquere: ideo ualidam esse mali originem necesse est. Quod quum ita sit, perniciosum morbum urgere ratio est. Contrà in ęstate quoniam corpus uniuersum rarum, refrigeratum, resolutum, atq; laborum impatiens est, idcirco morbos plures quidem oriri necessarium uidetur, uidelicet ob lassitudinẽ, cruditatemq; ciborum, Noui etenim fructus tunc adsunt: non tamen ita ualidos esse naturæ ratio patitur. Quamobrem facultas hisce succurrendi datur facilius. Sed aliud problema statim consequitur, quod an uerum sit, tibi cõsiderandum omittimus, nunc solum eius uerba referentes, quæ dicunt, Cur post utrũlibet solstitium per centum dierum spatium mori maxime accidat. Respondet, An quod eatenus utraq; uehemẽtia caloris & frigoris se dilatat, quæ morbos perniciemq; afferre infirmis potest. Possemus & ad hoc propositum uigesimumoctauum referre problema: quod est, Cur per hyemem minus quidem quàm per æstatem, sed perniciosius ægrotetur. Sed quoniam de hac re in tertio libro agemus, propterea ad illam partem hæc discutienda reseruabimus.

QVARTO, ne quis putet iudicationem in die semper fieri, & in nocte præcedente perturbationem. Galenus addit, quando consequẽte nocte hæc iudicatio futura est, hæc perturbatio interdiu fit.

Quod legitur, Licet similis fiat interdiu quandoq; turbatio: Græce est, καί τοι καὶ τῆς ἡμέρας ὁμοίαν ἐχούσης ταραχήν.

QVINTO notat, ultimam aphorismi partem, scilicet, Quæ uero subsequitur, magna ex parte leuior existit: in multis exẽplaribus deesse: Vult autem per hanc partem edoceri, quod plures iudicationes bene terminantur, pauciores male: nam plures ægri sanantur, quàm desiderentur. Opus uero est, hoc cum præcisione intelligere, quoniam in pestilenti constitutione oppositum inuenitur: in ea enim plures moriuntur, quàm sanentur: sed hoc est ob materierum uenenositatẽ, quæ spiritus ita afficiunt, ut mors euitari non possit.

Vbi legitur, Quod subsequens magna ex parte post iudicationem facilior existat. Deest particula Nox. Ita enim legi debet, Quod subsequens nox. Nam Græce habetur, ὡς ἡ μετὰ τὴν κρίσιν νὺξ εὐφορωτέρα τῆς προηγουμένης ἐστίν. quod post iudicationem nox subsequens est præcedente tolerabilior.

Quod etiam legitur, Quoniam plures iudicationes bene terminantur. legẽdum est, Ad bonum, non Bene: quoniam Græce habetur, εἰς ἀγαθόν.

Quod etiam legitur, Nouimus enim. Græce est, ἴσμεν γάρ. idest, Scimus enim.

APHORISMVS XIIII

IN profluuijs alui, mutationes excrementorum iuuant: nisi ad mala mutatio fiat.

BRASAVOLVS

POSSET & hic aphorismus præcedentibus coniungi, ut quum Hippocrates de temporis dispositione post iudicationem egerit, nunc signum proponat quo bonam iudicationẽ cognoscere possimus. Hic uero est Hippocratis sensus, Quum aliquis alui profluuio correptus est, excrementa considerato: quæ si permutata appareant, bonum iudicato, & sanitatem iam in foribus esse: sed intelligere opus est, ne eiusmodi mutatio ad malum fit. Oribasius talem quendam sensum sibi fingit, inquiens: Si cui respõderit uenter, iuuat. Nam plus est quod facit natura, quàm quod ars, nisi in praua mutetũ: hoc est, subitò ad dysenteriam, de dysenteria in lienteriam, & istud quoq; pessimũ est. Philotheus uero ita dicit, ἐνταῦθα παραδίδωσι διάγνωσιν, ἵνα βεβαιότερον μάθῃς, εἰ τελεία ἡ κρίσις ἐστὶν, ἢ οὔ. καὶ φησὶν, ὅτι σκόπει δὲ ἐπὶ γαστρὸς ἐκκρίσεως τὰ διαχωρήματα, ὁποίαν μεταβολὴν ἔχουσιν. ἆρα πάλαι ξανθὰ, ἢ πελιδνὰ φερόμενα, νῦν ἤρξαντο ἐπὶ τὸ κάλλιον μεταβάλλειν, ἢ οὔ. εἰ γὰρ ἤρξαντο ἐπὶ τὸ κάλλιον μεταβάλλειν, γίνωσκε, ὅτι οὐδὲν χαῦνόν ἐστιν ἐν τῷ σώματι, κἂν δυσφορία τάχα τὸ τηνικαῦτα μὴ ἐπακολουθήσει. εἰ μὲν τοι ἐπιμένουσιν τὰ αὐτὰ, ἢ καὶ εἰς χείρονα μεταβάλλουσιν, τότε κακὸν, κἂν τάχα μὴ δυσφορία ἐστίν. idest, Hic tradit distinctionem, ut certius cognoscas, si perfecta sit iudicatio nec ne. Et dicit, ut animaduertas qualẽ mutationem habeant excrementa ex defluxu uentris: & an prius flaua uel pallida, nunc cœperint in melius commutari, uel non in melius. Et si in melius mutationem deprehenderis, intellige, nihil esse in corpore laxum uel redundans: tametsi non sequatur facilis tolerantia. Si uero eadem excrementa permaneant, uel in peius commutentur, tunc malum: tametsi fortasse neq; difficultas adsit, neq; intolerantia.

Ἐν τῇσι δὲ κοιλίης ῥύσεσιν. idest, In profluuijs alui.] De his uero profluuijs intelligere oportet, in quibus solum humores profluunt, quæ diarrhia profluuia nuncupantur: tamen & ad intestinorum difficultatem, & ad intestinorũ leuitatem ampliare possumus: Philotheo etiam dicente, ἰστέον δὲ, ὅτι οὗτος ὁ λόγος καὶ καθολικὸς δύναται εἶναι. οὐ γὰρ μόνον ἐπὶ ῥύσεως ἁρμόζει γαστρὸς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πάσης κενώσεως. idest, Sciendum uero quòd hic sermo uniuersalis esse potest, etenim in uentris defluxu solum non congruit, sed & in omni euacuatione: nam in intestinorum difficultate, mutationes excrementorũ bonæ. Eodem modo in intestinorum leuitate: id semper addentes, Modo ad malum transmutatio non fiat. Quum enim excrementa mutantur, indicium est, nihil amplius eius humoris qui euacuabatur & profluuium faciebat, superesse: unde totius corporis exquisita mundicies fit, intrinsecis uiribus dominis effectis, & residuum prauarum materierum quæ in corpore sunt, expellere potẽtibus: nam & si unus humor in alui profluuio uideretur, in corpore tamen plures erant. At quum ille in maiori copia abũdaret, alios simul mixtos protegebat: eo autem euacuato, alij apparere incipiunt. Hoc igitur bonum indicium est, quoniã significatur unum humorem, & illum qui erat ualde copiosus, iam expulsum esse.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν. idest, Mutationes excrementorum iuuant.] Hoc est, bonum portendunt, & ad sanitatẽ proficisci significant. Quid uero intelligendum sit per excrementorũ mutationes, apud recẽtes incertum uidetur. Nos uero cum Galeno excrementa illa intelligamus, quæ multis formis uariantur. Quod uerum est, etiam si uice singula uariam formam habuerint, ut nunc unam formam, deinde aliam, tertia uice diuersam habeant: uel quum una uice excernũtur, eadem uice diuersam formam habeant. Si uero petas, an hoc semper bonum sit indicium, Respondemus, in principio defluxus bonum non esse: quia materierũ putridarũ magnam copiam significat. Sed in declinatione sola, & facta materiæ coctione, bonũ signum est: imò ex hoc nos cognoscimus materiam esse cõcoctam: ut si quis diarrhiam patiatur, & ea quæ exeunt, semper biliosa uideantur, quum colores mutantur, hunc uirum sanari ostenditur. Color autem mutatur, quia pituita uideri incipit, & bilis non est adeo flaua, ut prius erat: imò adeo abũdabat, ut pituitam & alios humores occultaret: nunc uero quum in minori copia sit, & æger sanitati restituatur, alij humores mixti uideri incipiunt.

Ἢν μὴ ἐπὶ πονηρὰ μεταβάλλῃ. idest, Nisi ad mala mutatio fiat.] Duo autẽ apud Galenum intelligere possumus, per hoc quod ab Hippocrate dicitũ, Mutari in mala: unum est in mala, idest in corrupta: aliud in mala, idest in ea quæ quum exeũt, malũ est quod

exeant

exeant, & uterque sensus conueniens est. Si uero petas, quae sint haec mala, idest corrupta: pro nobis respondebit Hippocrates, & primo in quarto De ratione uictus in morbis acutis, ubi de altero anginae genere uerba facit: inter signa mortis, nigra excrementa describit. Quum igitur ad nigrum permutabuntur, erit permutatio ad malum: praesertim quum Hippocrates in quarto libro, atram bilem uel supra uel infra exeuntem, letale signum esse edocuerit: nigra uero excrementa ad atrae bilis genera deducuntur. Mutantur praeterea ad malum quaecunque similitudinem habent cum excrementis, quae ab Hippocrate primo Prognosticorum libro enumerantur, ubi dicit, Si quod exit perliquidum sit, albicans, pallidum, uehementer ruffum, aut spumans est. Item malum est quod exiguum, glutinosum, idemque subpallidum est. Omnium maxime letiferum est nigrum, pingue, liuens, aut quod peioris est odoris, quam pro consuetudine: hoc enim magnam corruptionem significat. In primo etiam De praedictione libro, qui tamen Hippocratis non creditur, dicit: Quum quis non desipiens tenuia liquida ue non sentiens dimittit, malum est. & deinde in eodem libro, subalbida dissoluta, liquidaque oletula, mala. Imo deinde annotare uidetur, quae excrementa mala sint post id genus profluuij, quod dysenteria uocatur, inquiens, Post sanguinis eruptionem, si nigra demittantur, malum est: pessimum uero si & perrubra. Hae sunt mutationes excrementorum quo ad malum, quia mala sunt excrementa: nunc modo eorum malitiam ostendamus: non quia mala sint quae exeant, sed quia ea exire malum sit, si post deiectiones appareant ueluti pinguedines, uel colores, quales in iride, quoniam significatur corporis partes colliquari: propterea haec permutatio ad malum est: etenim malum est, ea exire quae exeunt: nam sunt corporis pinguedines, per quas colliquatur & tabescit.

GALENVS

MVTATIONES excrementorum quae multis formis uariantur, exquisitius corpus expurgant, nisi adsint signa colliquationis, aut putredinis: de quibus in Prognosticis dixit, ubi & pinguium & foetidorum ac male olentium meminit excrementorum.

BRASAVOLVS

GALENVS commentationem suam breuibus expedit, quod excrementorum mutationes quae multas humorum formas euacuant, corpus exquisitius purgare solent, modo non adsint colliquationis & putredinis signa: de quibus in libro Prognosticorum dixit, ubi de pinguibus, foetidis & prauis humoribus mentionem facit.

Quod legitur, Quae multis formis uariantur: Graece est, πολλὰς ἰδέας ἐκκενοῦσαι χυμῶν. idest, Quae multas humorum formas euacuant.

Quod legitur, Colliquationis aut putredinis, in nostro antiquo contextu eodem modo praecise habetur, συντήξεως ἢ σηπεδόνος. Sed in Aldino contextu legitur καὶ, & non ἢ.

Quod legitur, Ac male olentium. haec particula superflua est: nam quum dixerit Foetidorum, superfluum est addere Male olentium: & Graecus contextus ibi dicit, κακοχύμων, idest Malorum humorum.

APHORISMVS XV

VBi fauces aegrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nam si biliosae fuerint, corpus una aegrotat: si uero similes sanis, tutum est corpus nutrire.

BRASAVOLVS

QVVM aliquis adeo faucibus aegrotat, ut in ipsis pustulae fiant uel tumores uel rimae, & praeterea paruae pustulae, quae φύματα a Graecis, a Latinis tubercula nuncupantur, per corpus sparsa appareant, tunc anceps esse debes, & ex hoc nihil iudicare, sed excrementa inspicere, quae ex hoc corpore exeunt: urinam inquam, & alui feces. Siquidem excrementa biliosa sint, statim iudica: non modo hanc partem, idest fauces ipsas, uel cutem morbo affecta esse, sed & uniuersum corpus aegrotare, idest hoc humore plenum esse, qui aptus natus est morbos inferre. Itaque ab huius corporis nutritione abstineto: non enim tutum est tale corpus nutrire. E contrario autem si his quae exeunt inspe

ctis, sanis similia sint, reliquũ corpus sanum esse dicito, & à corporis nutritione ne abstineas, nam tutum est nutrire. Hæc est breuis huius aphorismi sentẽtia. Nunc singulatim particulas omnes in eo positas examinabimus, si prius illa in medium adducemus quæ à Philotheo pro aphorismi intellectione dicuntur: inquit enim, ἡ κρίσις διττή, ἢ γὰρ διὰ ἐκκρίσεως γίνεται, ἢ διὰ ἀποστάσεως. καὶ περὶ μὲν τῆς κατὰ ἔκκρισιν γινομένης κρίσεως, ἀνωτέρω διελέξατο, ἐν ᾧ ἔλεγεν, ἐν τῇσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν. νῦν δὲ περὶ τῆς κατὰ ἀπόστασιν γινομένης κρίσεως διαλέγεται φάσκων, ὅκου φάρυγξ νοσέει, ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται, σκέπτεσθαι τὰς ἐκκρίσιας. διότι ἐκ τούτων δυνήσῃ γνῶναι, εἴτε κατὰ μετάδοσιν ἠνέχθη ἡ ὕλη, εἴτε κατὰ μετάστασιν. εἰ γὰρ ἀποστάσεως γινομένης φέρεται τὰ διαχωρήματα χολώδη, πρόδηλον ὅτι κατὰ μετάδοσιν ἠνέχθη ἡ ὕλη, καὶ οὐ ἀπηλλάγη τὸ σῶμα, ἤτοι τὰ κύρια μόρια τῆς κακοχυμίας, ἀλλ' ἔτι ἀρρωστοῦσιν. διὸ καὶ οὐκ ἀσφαλῶς τρέφειν τότε δεῖ. εἰ μέν τοι τὰ διαχωρήματα ὅμοια ἠνέχθη τῶν κατὰ φύσιν, τότε πρόδηλον ὅτι πᾶσα ἡ ὕλη κατὰ μετάστασιν ἠνέχθη ἀπὸ κυρίων, ἐπὶ τὰ ἀκυρότερα μόρια, καὶ ἀσφαλῶς τηνικαῦτα δεῖ τρέφειν τὸ σῶμα. idest, Iudicatio duplex est: nam uel per euacuationem fit, uel per abscessum: & de iudicatione quidem per euacuationem facta, superius disputauit, in eo aphorismo in quo dicebat, In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant. Nunc uero de iudicatione per abscessum facta differit, inquiens, Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones considerare oportet, quoniam ex his cognoscere poteris, siue per participationẽ materia inuecta fuerit, siue per transitum. Si enim facto abscessu excrementa biliosa deferantur: certum est per participationem materiam inuectam esse, & nõ liberatũ esse corpus, hoc est principales partes à prauis humoribus, sed adhuc ægrotare: unde & tunc tuto nutrire non oportet. Si uero excremẽta his similia fuerint, quæ secundum naturam sunt, tunc sine dubio tota materia per trãsitum à principalibus ad ignobiliores partes conuertitur, & tunc tuto corpus nutrire oportet.

ὅκου φάρυγξ νοσέει. idest, Vbi fauces ægrotant.] Quid sint φάρυγξ & λάρυγξ, abunde libro tertio disputatum habes. Hic uero dicit ægrotare fauces, quia plerunq; quum praui humores caput oppleuerint, natura illos ad ignobiliora loca, & quæ facilius recipiunt, transmittit: qualia sunt fauces, ad quas uis capitis natiua, superflua transmittere solet. Hippocrates enim in libro De glandulis per omnia membra, caput tres meatus naturales habere dicit, qui semper naturæ lege manant: hi autem sunt oculi, nares, aures. Postea addit, Sunt & alij meatus per palatum in fauces, deinde in uentriculum, alij per uenas in sanguinẽ, & in spinæ medullam, qui omnes septem sunt, qui mala molesta crebrosq; humores demunt: quos nisi demant, protinus in eo morbi creãtur, sicq; in reliquo corpore: unde unus locus ad quẽ transmittit natura sunt fauces. quum ergo fauces ægrotant, idest plenæ sint & distentę, aut ulcus habeant, aut tubercula, tunc excrementa inspicito, & reliqua. Non desunt uero recentes, qui per fauces omnia glandulosa membra intelligant, & adenosa. Quod & si uerum sit, tamen Hippocrates præcitato loco ostendit, quod intrinsecas partes intelligat, quæ sunt capitis emũctoria. Oribasius docet, uocabulũ fauces indubie labia, palatum & uuam significat, quæ duobus patiuntur modis, qualitate, aut quãtitate: qualitate, quia palatum nostrum sicut cœlum est positum: quantitate, quia immoderatus uapor humorum ab inferiori parte ascendit superius, & intemperiẽ in faucibus facit: nutriri tunc, atq; temperari debent per cibos.

ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται. idest, Vel tubercula nascuntur in corpore.] Recentes per tubercula paruos quosdam tumores intelligunt, qui per cutem sparguntur tanquam milij grana. At nos maiora etiam tubercula intelligimus, abundeq; in tertio libro scriptum est, quid significet uocabulum φύμα, quod Leonicenus tuberculum interpretatur. Hic igitur per φύματα, idest tubercula: omne tuberculorum genus intelligimus, uel magnum sit, uel paruum, quod per uarias humani corporis partes quãdoq; apparet, quando natura prauas materias ad cutem, & partem hanc extimam transmittit: fiuntq; maiora quandoq;, & quãdoq; minora, ab eadem tamen materia: nam quum materia per uarias corporis partes dispergit & dispartitur, minora tubercula facit: quũ uero in unum colligitur, maius tuberculũ facit. Eodem ferè modo quo pluuiæ labrotteræ æstiuo tempore fiunt, in quibus multi simul uapores coadunantur, ut latas aquæ guttas faciant. Si uero petas, an aliqua habeatur tuberculorum doctrina, sine excrementorum

mentorum inspectione. Respondemus, Hippocratem post principium sexti Epidemiorum libri, de tuberculis nonnulla tractare, inquiens, Tubercula quæ foras extuberant, obarida, acuta, plana, pariter tumentia, maturescentia, non circunquaq; dura, simul coacta, non diuisa, meliora sunt. Contraria uero mala, queq; his ualde contraria sunt, pessima, ut ex his solo intuitu quæ sint tubercula mala, & quæ bona dignoscere possimus.

Scito autem hæc tubercula quandoq; gigni alia ægritudine præsente, quæ tamen in inclinatione non sit, ut in tabidis contingit, in quibus & tubercula per corpus, & ad articulos fiunt, & in hydrope. De his Hippocrates in libro De locis in homine, agit. In quibus aphorismus intelligendus non est, nec opus est tunc excrementa considerare, quoniam hic proculdubio ægrotat, quia tabidus uel aquam intercutẽ patitur. Possunt & hæc tubercula apparere (quod etiam in faucium ægritudine intelligo) uel post alicuius morbi inclinationem uel corpore apparente sano, in his opus est excrementa inspicere, unde ab Hippocrate id dicitur.

Σκέπτεσθαι χρὴ τὰς ἐκκρίσιας. idest, Excretiones inspicere oportet.] Præsertim in corpore apparente sano, in quo tubercula maturiant, ut indies experientia duce uidemus: hæc autem tubercula fiunt, natura ad cutim id expellente, quod nec per urinã, nec per alui excrementa expellere potest, imò nec per cutim emitti potest hic humor, quia nimis crassus est: nempe si tenuis fuisset, natura illum per insensibiles meatus expulisset, ut sudorem expellit. At quia crassus, per cutaneas partes emitti non potest: sed usq; ad ultimam cutis partem expellitur, ibiq; eleuationem facit, ut tuberculum nũcupari mereatur: sicuti id nomen tubera significat, quæ in terra nascuntur, ad quorum similitudinem istæ in nostro corpore excrescentiæ & eminentiæ, tubercula nuncupantur.

ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει. idest, Nam si biliosæ fuerint, corpus unà egrotat.] Hoc ita esse iudicatur, quoniã & intus & in cute prauos humores esse significat, unde totũ corpus ægrotat, uel ægrotare aptum est. Intelligere autem oportet, quod hæ deiectiones perseuerent, quoniam si tantum semel apparerẽt, forte natura una uice per urinam, per alui excrementa, & per cutem quæcunq; praua intus essent expulisset. At si perseuerent, necessarium est corpus ægrotare, idest ad ægritudinẽ esse paratum, quia prauis humoribus plenum est. Propterea corpus hoc multis cibis nutrire nõ oportet: sed id solũ condonandũ, ut superuiuere possit, ac paulatim humores consumere. Quod longe breuius fiet, si cõcoctis humoribus hunc ita affectum euacuemus. Oribasius dicit, Si biliosæ sunt excretiones, humorum abundantia est, & natura purgari desiderat.

ἢν δὲ ὅμοιαι τοῖς ὑγιαίνουσι γίνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν. idest, Si uero similes sanis fiant, tutũ est corpus nutrire.] Modo in similitudine hac diu perseuerent, quoniam significatur, naturam robustam omnem malam materiam ad cutem expulisse, & nihil intus relictum esse, quod ægritudinem facere posit: unde sanum est corpus, & tutum ipsum nutrire, quia purum est: purum uero corpus si nutrias, iuuabis. Impurum autem quanto magis nutries, tanto magis lædes. Oribasius dicit, Si uero similes sanis, exacerbatio est. Tuberculum corpori obortum cum ualida natura, superfluitatem in superficiem iactauit, ut liberaret uitalia loca. Atq; tunc non est necesse purgari, sed nutriri corpus & temperari, quia fessa est tunc natura, quæ illud laborãdo expulit: quum enim laborauerit natura superflua emittendo, si nutrimentum in tempore non acceperit, auxilium amplius debilitat, & potius morti succumbit, quàm uitam retineat: quamuis ergo natura per tubercula ulcerationem faciat cutis, tamẽ sine periculo est mortis. Hæc Oribasius. Duo hoc loco à recentibus in dubium uertuntur, Vnum est quomodo alui excremẽta supra uniuersum corpus significare posint, quum solum sint supra uentriculum, aut intestina significantia. Respondemus, eorum nugis omissis, Galenum in principio quinti libri De usu partium, & primo De crisi, & in secundo Prognosticorum, sectione decimatertia, edocere, Alui excrementa solum de his partibus quæ sub septo transuerso sunt, iudicium præstare posse: unde & de iecore iudicium ex eisdem excrementis habebitur. At quum à iecore uenæ omnes oriantur, quæ uniuersum corpus nutriunt: propterea & de uniuerso corpore iudicium haberi poterit: tamen prius supra stomachum, & intestina iudicabunt, deinde supra iecur, denique supra uniuersum corpus.

Aliud dubium est, In qua corporis parte excremẽta formam accipiant, idest in quo loco stercus id acquirat, ut stercus nũcupari posit. Recentes putant, id fieri in uentriculo: quod Galeno aduersatur: nam apud ipsum, fiũt in intestinis stercora, & in ipsis separatur chylus à crassiore parte, imò perfecta forma est in intestino crassiori colon uocato. Incidit & tertium dubium, An chysmata nutrire possint: in qua re nos non dubitamus: nam scimus in talem locũ posse ascendere chysmata, ut per meseraicas uenas iecur attrahere posit. Nosq; in præsentiarum mulierem quandam curamus, quę synanchen, idest anginam in fistula cibali patitur, & sanitatẽ prope nũc est, quam solis chysmatibus octo dierum spatio uiuam seruauimus, tamẽ diutius prorogari non potuisset.

GALENVS

DVOS inuicem sermones ex aduerso ponens, in utroq; id quod cõsequitur prætermisit. Quare si utriq; id quod deest adiungatur, erit uniuersa oratio huiuscemodi: Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, inspicere excretiones oportet. Si enim biliosæ fuerint, corpus unà egrotat, neq; tutum est ipsum nutrire. Si uerò similes sanis, neq; corpus unà ægrotat, & tutũ est ipsum nutrire. Ex quibus uerò mihi uidetur Hippocrates ipse sibi ipsi persuadens, in hunc modũ scripsisse, iam dicam: Animalium natura nonnunquã ex principalibus membris humores malos euacuans, alios per urinas uel uomitus uel aluum inferiorem excernit: quosdam uero extra trahit, ut ad cutim, & quum non posit euacuare propter eorum crassitudinem, ibi reponit: atque hoc modo tubercula nascuntur in corpore: sæpius & fauces, ex capite fluentes humores suscipientes infestantur. Tunc igitur considerandũ est ac distinguendum, nunquid natura totam reponat patientibus partibus superfluitatẽ, an adhuc etiam corpus uitiosis humoribus superabundet, quod excrementa indicabunt. Nam si omnino natura mota est ad expurgandum corpus, biliosa apparebunt: quoniam tubercula sanguine calefacto, à bilioso humore fieri, naturam habent. Et liquet, prius esse purganda, non nutrienda huiuscemodi corpora. Non pura enim corpora quanto magis nutries, magis lædes. Si uerò excretiones sunt similes sanis, totum corpus bonos habere humores indicatur, & sine ullo periculo nutriri potest.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quum duæ sint in hoc aphorismo conclusiones, uel duæ propositiones, uel duo opposita theoremata, in unoquoq; ipsorum id quod sequitur, prætermisit. Primò ad illud, Corpus unà ægrotat: sequitur, quòd nutriri non debeat. Ad id uerò, Si uerò similes sanis: sequitur, ideo corpus unà non ægrotat, unde nutrire tutum est.

Quod legitur, Duos inuicem sermones ex aduerso ponens, in utroq; id quod consequitur, prætermisit. Græce est, *δύο λόγους ἀλλήλοις ἀντιθεὶς ἐν ἑκατέρῳ παραλέλειπται τὸ συνεκφαινόμενον τοῦ λόγου*. idest, Duos sermones inuicem opponẽs, in utroq; prætermisit quod sermoni consequens est. Noster antiquus contextus in secũda lectione habet, *καταλέλειπται*, non *παραλέλειπται*.

SECVNDO notat animalium naturam, idest uim naturæ, cuius instrumentum est calor naturalis, quandoq; malos humores euacuare, præsertim quando potens est, uel per urinam uel per uomitum uel per secessum: tamen & hoc quãdoq; facit per cutem; sed contingit humores aliquos crassos esse, qui per cutem exire non possunt: sed ibi firmantur, & tubercula faciunt: quandoq; eadem natura materias quæ in capite sunt, ad fauces transmittit, & ibi firmantur, & fauces miro modo infestant.

Quod legitur, Atq; hoc modo tubercula nascuntur in corpore, sæpius & fauces. In prima nostri antiqui contextus lectione, hæc particula Sæpius, cum præcedẽtibus iungitur, ut hoc modo legamus, Atq; hoc modo tubercula sæpius nascuntur in corpore uel fauces. Ita enim dicit, *φύματα μὲν οὖν οὕτω γίνεται πολλάκις, ἢ τε φάρυγξ*. At in secunda lectione coniungit cum sequentibus, ut Leonicenus facit: & habet contextus Aldinus hoc inquam modo, *φύματά τε ἐν τῷ σώματι οὕτω γίνεται, πολλάκις δὲ φάρυγξ*. In Aldino uerò contextu habetur, *πολλάκις δὲ ἢ τε φάρυγξ*.

TERTIO notat, quum uidemus materias ad cutem uel ad fauces transmissas, considerandũ esse, nunquid natura totam prauam materiã ad cutem transmiserit, uel non.

Hoc autem facile ex excrementis percipitur: siquidem excrementa biliosa sint, indicium est, non modo materiam ad cutem transmissam esse, sed adeo etiam abundare, ut adhuc materiæ copia supersit, quam non trãsmiserit: materia autem hæc quæ transmittitur, biliosa est, sed crassa: nam tubercula fiunt, sanguine à bilioso humore calefacto. Hic uero biliosus humor, necessario crassus est: quoniam si tenuis esset, per cutem exiret, & hic tubercula non inciderent. Hoc autem à Galeno dicitur, quia ut plurimum tubercula ab hoc humore bilioso fiunt. Tamen Galenus ex hoc non it inficias, tubercula etiam ab atra bile, & à pituita fieri, sed rarius cõtingit: tunc uerò necessarium non est excrementa biliosa esse, sed ratione peccantis humoris erunt affecta. Imò hic unum addere non dubitamus: Hæc tubercula biliosa esse, nihil impedire, tamen feces altero humore affectæ sint, in quo si perseuerent, corpus unà ægrotabit: quoniam natura id quod tenuius erat, ad cutẽ transmisit: tamen non erat adeo tenue, ut exire posset: quod uero crassius erat, in uentriculo, in uenis, in iecore, in intestinis, & breuiter in toto corpore relictum est, aliter hæc excrementa ita diu perseuerare non possent.

Vbi legitur, Tunc igitur considerandum est. hæc particula Tunc, in Græco contextu abest: nam ita legit, σκεπτέον οὖν δεῖ. tamen in nostro antiquo contextu, & in Aldino, adest particula τηνικαῦτα, statim post particulam δεῖ.

Quod etiam legitur, An adhuc etiã corpus uitiosis humoribus superabundet, quod excrementa indicabunt. Græce est, εἴ τι ὅτι ἔτι καὶ καθόλου τοῦ ζώου τὸ σῶμα μοχθηρῶν χυμῶν πλεονάζει. δῆλον δὲ ἔσται ἐκ τῶν τοῖς ἐκκρίσεσιν. idest, An adhuc etiam in totius animalis corpore malignorum humorum adsit redundantia: hoc autem manifestum est ab excrementis.

Quod etiam legitur, Naturam habent: Græce est, πέφυκε, idest Apta nata sunt.

QVARTO Galenus notat, hæc corpora ita affecta, prius esse purganda, quàm nutrienda: non quia cibus dari non debeat, sed nõ multus: at solum in tanta copia, ut perdurare posit: nam si nutriremus, magis lęderemus, quia non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lædes.

QVINTO docet, nutriendum esse, si egestiones sint similes sanis: nam significatur & corpus sanum, & bonis humoribus plenum esse.

Quod legitur, Totum corpus bonos habere humores indicatur. in prima lectione nostri antiqui contextus, ita præcise habetur, εὔχυμόν τε ἐνδείκνυται τὸ ὅλον εἶναι σῶμα. Sed in secunda lectione, & in contextu Aldino, & in pluribus alijs Græcis codicibus scriptum est, ὑγιαῖνον ἐνδείκνυται τὸ ὅλον εἶναι σῶμα. idest, Totum corpus sanum esse indicatur.

APHORISMVS XVI

VBi fames, laborandum non est.

BRASAVOLVS

BREVISSIMVS est hic aphorismus, in quo potius quid sano agendum sit, edocet, quàm ægro: tamen nihil etiam impedit in ægro intelligere: unde & Philotheus in principio suæ commentationis dicit, ἁρμόδιος οὗτος ὁ ἀφορισμὸς τῶν ὑγιαινόντων. idest, Hic aphorismus in sanis congruus est. At in fine suæ commentationis ita dicit, ἰστέον δὲ, ὅτι καὶ ἐπὶ νοσούντων δύναται οὗτος ὁ ἀφορισμὸς εἰρῆσθαι. idest, Sciendum uero quòd & in ægris hic aphorismus dici potest. Nos potius in sano, quàm in ęgro, aphorismum intelligimus: quamuis & ad ægros ampliet Galenus. Hi enim laborare non debent, quando famescunt, neq; corpora exercere.

ὅκου λιμός. idest, Vbi fames.] Per famem, in hoc loco Hippocrates naturalẽ famem intelligit, quæ (ut Galenus quarto De symptomatum causis libro dixit) est suctionis sensus, quando alia membra à uẽtriculo exugunt, & ipse inanitus appetit, cibumq; desiderat: de qua fame superius aphorismo octauo, secundum Galenum egimus. Vnde à Galeno in hac Commentatione dicitur, Eos famescere, qui ob ciborum inopiam, ad extremam esuritionem deueniunt: itaque defectus ciborum uel nutrimenti, est fames.

Quare

Quare membra, quæ nutrimētum non habent, etiam si suctionis sensum non habeant, famescere dicuntur: & ideo si quis adeo famescat, ut omnia membra nutrimento indigeant: hic uero ratione appetentiæ (quæ à Galeno quarto De symptomatum causis, suctionis sensus dicitur) ita comedat ut satur sit, sed nondum mēbra sint satura, hic etiam laborare non debet, quo ad membra suam famem non extinxerint: quod tunc cognoscetur, quum is percipiet se fortiorem & robustiorem, quàm prius: itaq; laborem incipere poterit. Fames uero dupliciter in nobis fit, aut quia non habemus quæ comedamus, ut in penuria & fame: aut quia nobis ipsis sponte ieiunia imponimus, ut religiosi faciunt, aut præsidentium iussu, uel medicorum, quando aliquos ieiunare iubent. Philotheus etiam de usu huius uocabuli fames hæc disserit, ἰστέον δὲ, ὅτι ὁ λιμὸς διττός. λιμὸς ἡ ἔνδεια τοῦ σίτου οὗ ἱπποκράτης ἐν ἐπιδημίοις μέμνηται λέγων, ἐν αἴνῳ, ἐν λιμῷ ὀσπριοφαγοῦντες σκελέων ἀκρατεῖς ἐγένοντο. ἡ στέρησις οὖν τοῦ χρησίμου, τουτέστι τοῦ σίτου, λιμὸς λέγεται. προσαγορεύεται δὲ λιμὸς, καὶ ἡ ἀσιτία ἧς καὶ ἐνταῦθα μέμνηται. idest, Sciendum uero quòd fames duplex est, fames indigentia cibi: cuius Hippocrates in Epidemijs meminit, inquiens; In Æno, in fame his qui legumina comedere, crura debilia & inualida facta sunt. priuatio eius quod usui est, hoc est cibi fames dicitur; nuncupatur autem etiam fames & inedia, cuius & hic meminit.

οὐ δεῖ πονεῖν: idest, Laborare non oportet.] Labor est uehemens & continuus motus, quem exercitiū uocamus: de quo Hippocrates in secundo De uictus ratione, agit: quamuis Galenus non Hippocratis, sed Thessali, uel Herophili librum esse iudicet: hæc uero dicit Hippocrates; Contraria nanque inter se sunt cibaria & labores, tamen utraq; sanitati conferunt. labores enim suapte natura superflua demunt. Cibaria autem & pocula uacua complent. Quum ergo labores superflua demant, si quis uacuus laborabit, nihil quod superfluum sit demi poterit: sed quod erit necessariū animanti: ideo resoluentur spiritus & humores, & mēbra solida. Propterea in tertio libro De eiusdem uictus ratione habetur. Labor autem corpus siccat, ualidumq; reddit: hoc intelligendū est, quādo non adsit fames: nam quando fames adest, siccat & inualidum reddit. Labor enim corpora macra reddit: cuius causam Hippocrates in tertio De morbis, refert, inquiens, Corpora laborātium calefieri, quibus calefactis fiat macilentia: sed re uera hoc est, quia calor ille exiccat. Eorum uero qui laborant oleta, qualia esse debeant, Hippocrates libro secūdo De prædictione (quamuis hic liber non existimetur Hippocratis) docet, inquiens, Laborantium uero seseq; exercentiū oletum, modicum & durum esse debet, dum parum comedunt: hoc uero ex nulla alia causa esse potest, nisi quia ab exercitio & labore exsiccantur.

Quum igitur aliquis fame pressus sit, & hoc non modo in uentriculo, sed & in omnibus membris, hic laborare non debet, nec corpus defatigare aut exercere: quoniam & spiritus & humores, & solida membra nimis exsiccarentur: qui aphorismus & in sanis & in ægris uerus est, ut in Commentatione uidebitur. Nos uero in sanis potissimū intelligimus. Philotheus etiam ita aphorismi rationem assignat: οὐ δεῖ γὰρ γυμνάζειν καὶ κινεῖν τοὺς λιμώττοντας, διὰ τὸ μὴ ἐπιτείνεσθαι διὰ λόγου τῶν γυμνασίων τὴν ξηρότητα. ἢ διὰ τὸ μὴ καταβληθῆναι μᾶλλον τὰς δυνάμεις ἐν τῇ τοιαύτῃ κινήσει. εἰ δέ τις εἴποι, ὅτι καὶ τί χρείαν ἔχει ὁ ἱπποκράτης, περὶ ὑγιαινόντων μεμνῆσθαι; λέγομεν ὅτι οὐ μόνον τὴν νόσον ἀνελεῖν πραγματεύεται, ἀλλὰ καὶ τὴν οὖσαν ὑγίειαν φυλάξαι προτείνεται. idest, Non enim oportet exercere & mouere famescentes, ne exercitationum ratione siccitas augeatur, uel ne in tali motu uires magis prosternantur. Si uero hoc quis dixerit, Et quam indigētiam habet Hippocrates de sanis mentionem faciendi? Dicimus, quòd non solum morbum adimere cogitat, sed & præsentem sanitatem seruare intendit. Oribasius putat, secundum Galenum aphorismum hoc modo interpretandum, Qui non sunt reficiendi cibo, neq; illis aliquem laborem iniungere oportet, neq; lauari, quia lauacrum attenuationem facit, neq; ungi, neq; tunc facere aliquid, neq; abstinere, sed paulatim reficere.

Nota præterea, non solum laborem in famescente euitandum, sed etiam in sitiente, & in eo qui aliqua re indiget, ex his quæ reficiūt corpus, ut in eo qui dormire non debeat, sed uigilare cogatur.

GALENVS

FAMESCERE illos dicimus qui ob ciborum inopiam ad extremam esuritionem perueniunt. Sic igitur Hippocrates ipse secundo libro Epidemiarum dixit. In oppido Æno qui ob famem leguminibus uescebantur, crura debilitata sunt. Et quidem omnem eximium ciborũ defectum, si etiam citra penuriam ex electione, uel iussu fiat, famem consueuit appellare, ueluti cum ait, Carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit: fames enim exsiccat corpora. Et cum in Prognosticis inquit, Interrogare oportet nunquid uigilauerit homo, uel aluus fortiter exinanita fuerit, uel si fames obsederit, pro defectu ciborũ famem accipit. Et hoc etiam in loco sic dixit. Vbi fames, non oportet laborare, ac si ita dixisset, Qui non sunt reficiendi cibo, neq; illo die aliquem laborem iniungere oportet. Hic autẽ per laborem oportet intelligere uehementem motum quem exercitium nominant. In hanc igitur sententiam ipse dicebat, labores cibum antecedant. Est autem ipsi sermo communis ad ægros, & sanos. Sanis enim non sunt præcipienda exercitia simul cum inedia, neq; etiam ægris aliquis uehementior motus adhibendus unà cum cibi abstinẽtia, neq; sanguinem mittere oportet, neq; citare uomitum, neq; purgare, neq; multa uti frictione, neq; in uniuersum aliquo forti motu, uel corporis alteratione. In talibus si quidẽ motibus omnibus ubi cibus defuturus sit, uires dissoluunt̃, siue ægrotent, siue etiam sani sint homines. Vbicq; uero Hippocrates magnum studium habet seruare fortem eam quæ regit animalia potẽtiam. Siue igitur numero singulari potentiam dixerimus, siue plurali potentias, nil refert. Et hoc ipsum in libro De alimento Hippocrates dixit, potentia una, & non una, genere quidem ostendens unam esse potentiam, species autem plures.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, eos famescere, qui ob ciborũ inopiam, ad extremam esuritionem deueniunt, in quo significato Hippocrates in secundo Epidemiorum (licet nos hoc inuenerimus in sexto) dicebat, in oppido Æno, qui leguminibus uescebantur propter famem, quia nihil aliud habebant quod comedere possent, illis crura debilitata sunt. In his uero hoc intellige, qui prius optima cibaria comedere assueti erant. Nam ut diuus Hieronymus in Iouinianum agens dicit, Pasti leguminibus uiuidiorem calorem habent, id intellige quando assueti sunt.

Quod legitur, Ob ciborum inopiam: Græce est, διὰ χρείαν σιτίων.

Qđ etiã legit̃, Ad extremã esuritionẽ perueniunt: Græce est, εἰς ἄκρον ἥκουσι πείνους.

SECVNDO docet, omnem eximium ciborũ defectum, famem nuncupari, quamuis penuria non sit, sed aliquis aut sponte ieiunat, aut illi ieiunium impositum est. unde septimo Aphorismorum libro dicitur, Corporibus carnes habẽtibus humidas famem adhibere conuenit. fames enim corpora siccat: nam & hæc est esuritio, quando aliquis absque cibo diu fuerit. & in hoc eodem significato in Prognosticis scriptum est, Interrogandum esse hominem, an uigilauerit, uel aluus fortiter exinanita sit, uel si fames obsederit: unde infert, famem in his locis ab Hippocrate pro ciborum defectu sumi.

Vbi legitur, defectum, Græce est ἔνδειαν, & ubi penuriam, Græce est χρείαν.

TERTIO inquit, Hippocratem in hoc aphorismo per famem, ciborum defectum intelligere. nos uero id intelligimus quod ad ciborum defectum consequitur, quod & Galenum sensisse arbitramur, quamuis dicat, quod pro ciborum defectu famem accepit. sed & si Galenus aphorismum nimis arctare uideatur, necesse est ipsum recte intelligere. nam hoc modo arctat, quia uelle uidetur hunc esse aphorismi sensum: qui cibo reficiendi non sunt, neq; illo die aliquo labore sunt exercendi: ut ad illius diei cibationem arctare uideatur. tamen si quis præcedenti die bene comederit, sequenti die à labore prohibendus non est. sed necessario de his Galenum intelligere oportet, qui iam famescunt, quos exercere non debes, nisi reficiantur. At si contingat, quod aliqua die refici non debeant, eadem etiam die laborare non debent: uel per cibum, illum non intelligamus quem comedimus, sed illum qui membra nutrire debet.

QVARTO notat, laborẽ uehementẽ motũ significare, qui exercitiũ nũcupatur. In quo sensu alibi ab Hippocrate dictũ est, labores cibum antecedant. hoc aũt est in sexto Epidemiorũ, ubi dicit, labores, exercitationesq; cibum pręcedant, quãdo ad sanitatem

faciunt

faciunt. At si dicas, Hippocratem sibi ipsi oppositum uideri: nam prius dictum est, ubi fames, laborandum non est: in Epidemijs uero dicit, labores cibum præcedunt: respondemus, hunc Epidemiorum locum intelligẽdum esse: quando quis exhaustus non est, & famem non habet, labores, idest exercitium ante cibum fieri debet, ut præsumpti cibi superfluitates consumantur. unde secundo libro De sanitate tuenda habetur, corpora quæ cibum sumpserint, non esse exercitanda. quod intelligere oportet, statim post cibum, uel parum post. Sed ante alterum cibum sumendum, quia exercitium superfluitates resoluit, & naturalem calorem intensiorem reddit. Hæc eadem ab Auicenna tertiâ primi dicuntur doctrina secunda, ubi de horis exercitij agit, & de regimine eius quod comeditur & bibitur: inquit, Quum cibus in uentriculo continetur, corpus exercitandum non esse, quia hoc exercitium concoctionem prohibet: imò eodem loco docet, Si post prandiũ ambulare debeas, id leniter & sensim fiat, ut cœnam sibi paret, cui quum prope est, gressus accelerare debet.

Quod legitur, Hic autem per laborem, legendum est, Nunc autẽ per laborem. nam Græce adest particula, νῦν.

QVINTO docet, hunc aphorismũ in ægris esse uerum, atque sanis: sed in sanorum labore atque ægrorum differentiam facit: nam in sanis exercitationes intelligit quæ sunt motiones: sed in ægris uehemẽtes motus intelligit, qui in ipsis fiunt, ut mittere sanguinem, citare uomitum, medicamẽto purgante uti, & multa frictione: in ægris famescentibus hæc fieri non debent, quoniam re uera isti his non indigent. Quod si tibi mirum uideatur hæc fieri in ægro cibato, Respondemus, non intelligere ipsum pastum cibo, quẽ nuper acceperit: sed re, quæ propinque nutriat. nam in his motibus ubi cibus defuturus est, uires dissoluuntur, uel in sanis, uel in ægris. Ideo Galenus non solum considerat, quando iam actu famescit, sed etiam quãdo famescere debet. In macilentis igitur & extenuatis hæc fieri non debent, etiam si sani sint: præsertim quando reficiendi non sunt. Vnde & Hippocrates in libro De prisca medicina, dicit: pars enim famis & inediæ plurimum in hominis natura potest & ualentem facere, & infirmum, & perimere.

Quod legitur, Vbi cibus defuturus sit, uires dissoluuntur. Græce est, ὅταν ἐνδεῖ τροφῆς γίνωνται, καταλύεσθαι πέφυκεν ἡ δύναμις.

SEXTO docet, cur hi uehementes motus in famescentibus euitari debeant: quia, inquit, Hippocrates magnum studium habet eam potentiam fortem seruare, quæ animalia regit. est autem hæc uis, secundum aliquos anima, secundum alios naturalis calor, qui distribuit, concoquit, attrahit, & omnia expellit quæ sumuntur.

Qđ legit̃, Eam quæ regit animalia potẽtiã. Grece est, τὴν διοικοῦσαν τὰ ζῶα δύναμιν.

SEPTIMO Galenus docet, uel Potentiam dixeris in singulari, uel Potentias, in plurali, nihil refert: quoniam Hippocrates in libro De alimentis, dicit, Potentiã unam, & non unam. Vna quidem genere est, sed species plures habet. In quo loco de Galeno miror, qui librum illum De alimẽtis, alibi Hippocratis esse negauerit, sed illum Thessalo aut Herophilo attribuit: nunc uero sub Hippocratis nomine adducit: fortè hic Galenus secundum cõmunem omnium opinionem hunc librum sub Hippocratis nomine in præsentiarum citauit. Si uero Hippocratis uerba audire percupias, hæc sunt quæ statim in principio libri in hunc modum scripta inuenies, in quibus modo de cibarijs, postea de uiribus loqui uidetur. Inquit autem, Species quidem alimẽti una est, & multæ. una quidẽ, quatenus unum genus est. Species uero humiditate & siccitate sunt: & in his formæ quædam, quantum etiam inest, & ad quædam & totidem: nam horũ quædam augent, quædam uires subministrant, carnem quædam aggerant: similitudinẽ, aut contrà, quædam suapte natura faciunt, quædam ui per exordia. Similitudinem uero facit & robur, cum quod intrat, superat: cum quod inerat, euanescit, contrà: tẽporis enim spatio dissoluitur, & reliqua: quæ si referre uoluerim, nimis longũ esset: tamen Hippocrates uidetur non solum distinguere in unam & plures potentias uim intrinsecã, quæ alit, distribuit, & concoquit, sed etiam nutrimenta ipsa, idest cibos in unam genere potentiam, & plures specie partiri.

Vbi in fine legitur, Species autem plures. deest uerbum, Habere. nam Græce legitur, ἰδέας δὲ πλείους ἔχειν.

Cum autem de labore, ideſt, corporis exercitatione ſermo factus ſit, ſi tibi menti ſit, & exercitationis modos & ſpecies cognoſcere, & quomodo uarie humani corporis partes exerceri poſſint, & quibus nominibus ab antiquis uocarẽtur, ſecundum Galeni librum De ſanitate tuenda perlegas, in quo omnes exercitationis antiquas ſpecies, quę inueniri poſſint, pertractat: nec ſecundum Hippocratis librum De uictus ratione, uel de alimẽtis omittas, in quo de eiſdem ſpeciebus optime agit.

APHORISMVS XVII

VBi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbum facit, oſtendit autem ſanatio.

BRASAVOLVS

AB Hippocrate in hoc aphoriſmo admonemur (niſi ægrotare uelimus) ne cibi præter naturam nimium ingeramus, nempe hic præter naturã cibus ſi plus ingeſtus ſit, morbum facit, ut huius morbi ſanatio oſtendit, nam euacuatione ſanatur.

ὅκου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων ἐσέλθῃ, ideſt, Vbi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt.] Quid cibus ſit, unicuiq; notũ eſſe arbitramur, Id enim cibus uocatur quod noſtrum corpus ingrediens, ipſum nutrire poteſt. Philotheus uerò de triplici cibo diſtinguit, & in omnibus aphoriſmum intelligit, Inquit enim ἡ τροφὴ τριττή, τροφὴ τὸ μέλλον, οἷον τὰ σιτία. τροφὴ τὸ οἷον ὁ χυμὸς ἐν τῇ γαστρί. τροφὴ τὸ τρέφον, ὅπερ καὶ κυρίως τροφὴ ὀνομάζεται, καθ' ἣν προστεθὲν τῷ νεύρῳ γίνεται νεῦρον, καὶ ἐν μυσὶ μῦς, καὶ ἐν φλεψὶ φλέψ. ἐνταῦθα οὖν ὁ λόγος περὶ πάσης τροφῆς. φησὶ γάρ, ὅκου ἂν τροφή, κατὰ ποιότητα ἀσύμμετρος, καὶ κατὰ ποσότητα παρατροπήν, ἢ διὰ τὸ ἐναντίον παραγωγήν, ἡ δὲ τὸ κατὰ φύσιν, ἐπανάκλησις, βεβαιοτέραν καὶ ἀσφαλῆ τὴν τῶν βλαπτόντων αἰτίων ἀποφαίνει σημείωσιν, ideſt, Cibus triplex eſt, cibus qui futurus eſt ut pabulum: cibus ut humor in uentre, & cibus qui nutrit, qui & proprie cibus nuncupatur, per quem quod neruo oppoſitum eſt, fit neruus, & in muſculo muſculus, & in uena, uena. Hic igitur ſermo in omni cibo. inquit enim: ubi cibus ſecũdum qualitatem immoderatus, & ſecundum quantitatem peruerſus, uel in contrariam deductionẽ, in id quod eſt ſecundũ naturam reuocatio, firmiorẽ, & ſecuram cauſarũ quæ nocent, oſtendit ſignificationem. Tamen ſi recte Philotheum conſideremus, non uidetur integre aphoriſmi rationẽ aſſignare, nec pfectus ſenſus ſuis uerbis dari poteſt: ut hinc ancipites fuerimus an hęc pars mẽdoſa eſſet, & illã omnino ſuſpectã eſſe iudicauimus: tamẽ nos incidimus codicẽ quendã ξένου ἐξηγητοῦ peregrini interpretis, qui habet idẽ principiũ cũ Philothei interpretatione, in fine uero differt, & ex eo integer ſenſus elicitur, qui apte ex Philothei adducta cõmentatione educi non poteſt. Eſt uerò hęc quę ſequitur cõmentatio, ἡ τροφὴ τριττή, τροφὴ τὸ μέλλον, οἷον τὰ σιτία, τροφὴ τὸ οἷον ὁ χυλὸς ὁ ἐν τῇ γαστρί. τροφὴ τὸ τρέφον, ὅπερ καὶ κυρίως τροφὴ ὀνομάζεται. καὶ φησί, ὅκου τροφὴ κατὰ ποσότητα πλείων ἐσέλθῃ, τοσοῦτον νόσον ποιεῖ. τῆς δὲ γὰρ ἀμετρίᾳ φύσιν λυμαίνεται, ideſt, Cibus triplex, cibus qui futurus eſt, ut pabulum. cibus qui ut chylus in uentriculo, cibus qui nutrit, qui & proprie cibus nuncupatur: & dicit ubi cibus ſecundum quantitatem plus ingeſtus eſt, hic morbum facit, huius etenim immoderantia naturam lædit.

Quid uerò ſit præter naturam cibus, antiqui, & recentes in aſſignatione diſſentiunt, ab antiquis igitur exordientes, nonnulli per hanc particulam Præter naturam, idem intellexere, quod exuperanter, & ualde. unde Oribaſius ſecundum iſtos exponit præter naturam, ideſt, præter menſuram, ut ſenſus ſit, Vbi cibus exuperanter corpus ingreſſus ſit, hic morbum facit: nam ſi quis cibum parum excedentem ſumat, hic morbum non facit, ſed ſi immodice ſumatur, morbum facit. nempe mediocritatem multum excedere debet cibus is qui morbum facturus eſt. quæ enim modica ſunt obeſſe non ſolent, immò (ut Galenus dicit) neque in illis partibus, in quibus potiſſimum nocere deberent, ut ſi pauxillum humiditatis per aſperam arteriam ad pulmonem deſcenderit, quando potamus, aut pauxillum aeris ad uentriculũ peruenerit dum aerem attrahimus, per hæc tam modica, nec pulmo, nec uentriculus offendentur. Hęc igitur eſt una expoſitio, ut pręter naturam cibus is ſit qui exuperanter ſumptus eſt, & in maiori copia quàm conueniat.

Galenus hanc expositionem ueram iudicauit, sed aphorismo incommodam, uera inquam est, quoniam cibus plus quàm conueniat ingestus, morbum facere consueuit. At hæc Hippocratis sententia esse non potuit, primo, quia apud antiquos mos non est, hac distinctione uti, hæc res multum excedens, & non parum excedens morbum facit, sed simpliciter, & absque ulla adiectione in genere dicunt, humorum corruptio, exustio, uel frigefactio, uel cruditas morbum facit. Eodem modo plenitudo morbum facit, & non multa plenitudo. nam non addunt hanc particulam, unde & si hæc expositio uera sit, tamen Hippocratis mentem effugit. Adde tu, non recte simul complicari, præter naturam, idest, exuperanter, & ualde cum plus. dicitur enim sua lingua πλείω παρὰ φύσιν, idest, (secundum hanc expositionem) plus exuperanter: ut hic sit sensus, ubi cibus plus exuperanter, idest, plus plus, ut fiat expressa negatio.

Præterea inquit Galenus, præter id, quod curiosius exponunt Hippocratem, quàm ueterum consuetudinem deceat, etiam uiolẽtius exponunt huius uocis, præter naturam, significatum. nusquàm enim reperitur, quod hæc uox præter naturam, significet exuperanter, nec apud aliquem authorem in hoc sensu accepta inuenitur.

Alij per cibum præter naturam illum intelligunt, qui habeat qualitatem, quæ sit præter naturam, uel corporis, uel membri, quod nutriri debet, quam expositionem & uerã esse Galenus iudicat. quoniam quælibet nostri corporis pars ex proprio alimento nutritur, quod alimentum, illi membro præter naturam recte dici potest, Si autem ad hanc partem humor aliquis perueniat, qui non sit illi proprius, nec secundum naturam, sed alteri membro proprius sit, & secundum naturam, hic humor, & hoc alimentum huic mẽbro malum erit, quia non est illi proprium, tamen ægritudinem non faciet, nisi illuc copiose perueniat. Vnde ab Hippocrate dicitur, ubi cibus præter naturam, idest, secundũ malam qualitatem plus ingestus est, hic morbum facit. nam si paucus ingestus esset, morbum non faceret: immò addit Galenus, cum neque medicamenta, quæ habent naturam exitialem, ut mandragora, papauer, cicuta, non possunt sine quantitate nocere, tanto minus illa quæ alimenta sunt & membra nutriunt, non poterunt sine quantitate nocere: ponitq; exemplum de pauxillo aeris ad uentriculum tendentis, & de pauxillo potus ad pulmonem, quæ ægritudinem non faciunt, quia pauxilla.

An uerò Galenus hos reprehendat, uel non reprehendat, aliquibus dubium uidetur, tamen si recte consideretur, eos reprehendit, quoniam aliquid artificiosum dicere non uideantur illi qui ita dicunt. Certum enim est uenena non nisi sua quantitate nocere, ideo nec cibi, qui sunt uere nutrimenta, ratione suæ qualitatis oberunt, sed solum ratione quantitatis, tamen qualitate connexa. Ideo Hippocratis mens non est, per cibum præter naturam illum intelligere qui qualitate peccet, sed plus sumendus sit, nam hoc notissimum est, immo & in uenenis ratione quantitatis fit læsio. ut argumentum à maiori sit: Si uenena non nisi ratione quantitatis nocent, igitur nec cibi, igitur non erit qualitas. tamen & qualitas ipsa nocet, sed diuerso modo. nempe qualitas illa est quæ agit. At actionem imprimere non potest, nisi sub aliqua quãtitate sit, adeo sunt commixta quantitas & qualitas, unde re uera nec quantitas sine qualitate, nec qualitas sine quantitate agit. & ideo si calidum in quarto gradu accipies, aget etiam si eius substantiæ milij quantitate sumes. At si quantitatem minues, non aget, aut actio nullius momẽti erit, unde ad hoc ut actio fiat, determinata quantitas exigitur. Si etiam calidum in primo gradu ad fabæ quantitatem accipies, non aget. Si quantitatem augebis, aget. Quare & quantitas plurimum facere uidetur, propterea dicemus quantitatem & qualitatem adeo uno apice iuncta esse, ut unum absque altero operari non possit, Itaq; deus res multas hoc modo constituit, ut altera alterius ope indigeret. Galenus uerò hanc particulam, præter naturã, alio modo interpretatur. Primo notans id quod dicitur plus ad aliquid esse, in nobis autem duo sunt, & uasa quæ cibum recipiunt, & natura ipsa, quæ concoquit, distribuit, & assimilat. Cum igitur ab Hippocrate dicitur præter naturam plus cibi sumi, posset intelligi quo ad uasorum capacitatem, ut aliquis præter suorum uentriculorum capacitatem cibum sumeret, & hunc sensum absurdum putat Galenus. Alter sensus est de natura, quæ nostrum corpus gubernat, hoc modo, Vbi cibus præter naturam, plus ingestus est, idest, ubi plus cibi sumptum fuerit præter naturam, idest, quàm intrinseca natura

apta

apta sit cõcoquere, distribuere, & assimilare, hic cibus morbum facit. Si enim quispiam in tanta copia cibum sumat, ut uentriculus & tota cutis extendatur, tamen naturam habeat quæ concoquere possit, hic plus cibi præter naturam non sumit, immo secundum naturam est. Si è contrario aliquis sit, qui uentres non impleat, immo restent cellulæ implendæ, & latebræ, ac profundæ cauernæ, ut eius uis, eius natura, satis non sit paucam illam cibi quantitatem concoquere, hic plus cibi accepit præter naturam suam concoctricem, alteratricem, & distributricem. Hoc autem experientia facillime deprehenditur. Si is qui ad cutis extensionem plenus est, cibos concoctu faciles insumpserit, is uerò qui uentrem non impleuerit, cibos concoctu difficiles ederit. Hic ergo est Hippocratis sensus apud Galenum, ubi cibus præter naturam, idest, supra potentiam, à qua uniuersalia reguntur, plus ingestus est, hic morbum facit. Illa autẽ pars, quæ sequitur, ostendit autem sanatio, à Galeno legitur, ostendit & sanatio. nam plura sunt, quæ morbum ex multa cibi copia, quàm naturæ conueniat, factũ esse ostendunt, ut corporis rubor, plenitudo, ac uenarum tumor; sed præter hæc id quod euenit, hoc etiam ostendit: unde & ipsa sanitas hoc ostendit, morbum ex pluri ingesto cibo fuisse: nam sola euacuatione sanantur, quo significatur illam esse plenitudinem. quàmuis & Galenus illam partem, ostendit autem sanatio, etiam sine copula &, intelligat: quia hi proprie per euacuationem sanantur, non autem per purgationem. est equidem euacuatio simpliciter, quando humores omnes æqualiter euacuantur, purgatio uerò quando humores praua qualitate sunt affecti, de qua re in Galeni commentatione nonnihil agemus. Forte Hippocrates per cibum præter naturam, cibum sano inconuenientem intelligit. Conuenientia uerò in sex rebus sita est, quæ à recentioribus numerãtur. una est conueniens quantitas, altera conueniens qualitas, quæ in cibi præparatione etiam consistit, ut in mediocri coctione, qua nec crudus sit cibus, nec exustus. hæc enim extrema præter naturam sunt. Tertio potest esse aliqua aut apparens, aut occulta proprietas, quæ cibum præter naturam esse faciet. Quarto conuenientem substantiam habere debet, idest, neque crassam nimis, neque tenuem. Quinto statuto tempore & conuenienti dari debet, aliter est præter naturam. Sexto, ordine quodam est exhibendus, aliter est pręter naturam: nempe secundum naturam conuenit, ut tenuis cibus, & qui facile coquitur, pręmittatur, qui uerò difficilius, postponatur. Omnibus his modis cibus pręter naturam uocatur, quando indebite sumptus est. Aphorismus igitur ita simpliciter intelligi posset, quando cibus pręter naturam, idest, pręter conditiones enumeratas plus ingestus est, hic morbum facit. ostendit autem sanatio: nam illo remoto quod erat pręter naturam, sanatur. At quod opus sit hominem cibos sibi proprios atque peculiares habere, ab Hippocrate docemur, statim post principium libri De prisca medicina, ubi dicit, non fuisse inuentam & quęsitam medicinam, nisi ea indiguissent languentes, & nisi uterentur aliis cibis, & aliis rebus nutricarentur, quàm sani. Imò paulo altius rem hanc exorditur, inquiẽs, Sani homines non excogitassent, nec inuenissent cibaria, quibus nunc uescuntur, si satis illis fuisset comedere & bibere quę boues, & equi, & cętera bruta comedũt, ut herbã, frõdes, fructus, semina, quæ terra sponte facit, sine aliquo labore. Imò putat Hippocrates, homines in principio usos esse brutorum cibis, postea uerò cibaria quæ in usu sunt, fuisse ab hominibus inuenta & excogitata, & longo tempore arte perpolita. nam in principio quia homines ferino uictu utebantur, propterea ingentia mala incidebant, sicut etiã nunc inciderent, si tali uictu uterentur: immo tunc minus infestabantur, quia erant assueti, quã nunc facerẽt. si illo ferino uictu uterẽtur: tamen & illo tẽpore imbecilles peribant, fortiores superabãt, propter hoc quæsiuere uictum cõmodum naturæ humanæ, ut triticũ terentes, molẽtes, cribrantes, subigẽtes, coquẽtes panem fecerũt, placentasq́; siue mazã hordeaceã, plurimaq́; ex hac re efficiebant, quædã elixabant, assabant, miscebãt, diluebant, ualida rebus infirmis permixta cõformabant, ad naturãq́; humanã omnia accõmodabant, & reliqua eodẽ loco de ciborum inuẽtione, ut naturæ humanę accõmodantur, ab Hippocrate descripta. Addit deinde de ęgrorũ cibo, qui inuentus est, quoniã non possunt illa superare aut cõcoquere quę ad sanos pertinent, immo inter ægros aliqui adeo imbecilles sunt, ut cibo non indigeant, quo alij ægri utũtur, sed potius sorbitionibus indigẽt, utpote his quę facilius concoquuntur, & à naturali ui cõmodius superantur, quàm ea quę masticatione

indigent. Post hæc de his sanis mentionē facit, qui non nisi semel in die comedere possunt, de his qui bis, & qui pluries. hi enim pręter robur naturæ à consuetudine etiam plurimum adiuuantur. Imò & horas seruandas esse suadet: nam si quis consuetus prandere, non prandeat, cum primū hora transit, cōfestim uehemens debilitas, tremor, animi defectus, os amarescit, lutei insuper oculi fiunt, lotiū crassum calidum demittit, lancinātur intestina, caligant oculi, concitatur ira, difficulter spirat, lāguidus efficitur, omniaq; hæc propterea patitur. Cum aūt cœnę accingitur, comedere non potest, eaq; cum descendūt torquent, strepunt, uentriculūq; claudunt, hiq; difficilius dormiūt, somniaq; tumultuosa & perturbata uidētur, quod plerisq; morbi principiū extitit. Ab re igitur non est, si Hippocratē de cibo pter naturā intellexerimus, idest, de eo quē susceperit quis, aut pter modum homini consuetū, aut pręter tempus, aut aliquid simile ex his cōditionibus, quę superius enumeratę sunt: quāuis Hippocratis mentē illam esse putemus, quā ex Galeno dedimus, & quā Oribasius refert, etsi aliqua ipse addat, quę Galenus nūq; excogitauit.

Si uerò petas, quomodo is cognoscēdus sit, qui plus ingesti cibi habet, Respōdemus ad Hippocratē confugiendū esse, qui in tertio libro De uictus ratione, uel de alimētis, multa plenitudinis signa describit, ubi uideris muccū, et sputū, hęc sunt decretoria, et plenitatis signa, & corpus, uel pars dolet, dolore tāquā lassitudo: aliquibus caput dolet, grauatur, post cœnā supercilia decidunt, somnus pturbatur. Calor inesse uidetur, quandoq; uēter sistitur: cū aūt coiuit, statim leuatur, sed postea magis grauatur, & multa alia plenitudinis signa hinc inde in illo libro ab Hippocrate describūtur, quæ tu ipse in unū colligere potes: ut si noctu expergiscātur, maiore crebrioreq; spiritu cōcuti, cū quo calidum quid, & acidū exibit, ex quo morbi creātur, & plura alia de plenitudine eodem libro tractat. Imò & Galenus particularē librū de plenitudine fecit, in quo potissimū duas plenitudinis notiones ponit, unā ex uasis sumptā, aliam ex ipsa facultate & uiribus ipsis, quē librum (si lubet) pro hoc Aphorismo exquisite intelligendo totum perlegere potes, ubi pulcherrima de illa plenitudine habentur, quæ ex pluri ingesto cibo fieri consueuit. Imò & Hippocrates in libro De morbis qui extra, quem Galenus Polybi, & nō Hippocratis putat, quid agendū sit docet, quando plus cibi ingesti fuerit, & hoc una breui sententia, quæ unius aphorismi loco citari posset, est uerò hæc. Cum quis cibus, potúsue consueto plus sumpsit, statim uomito. deinde in sumendis cibis quem ordinē obseruare oporteat, docet, inquiens, Poma uerò, cæteraq; talia post cibum propterea magis si sumātur, sanum & languentē uexant, quoniam corpus ijs deuoratis humorem haurit. ut aphorismus simpliciter intelligi possit: præter naturam cibus, idest, qui non sit, ut conuenit. & licet ab Hippocrate dicatur morbum facere, tamen semper facere non est opus, sed satis est facere posse, & non multo labore.

GALENVS

QVod in altero aphorismo uniuersaliter dixit, hoc nūc in una specie docet. Vniuersalis enim est hic sermo. Non satietas, nō fames, neq; aliud aliquid bonū quod modum naturæ excesserit. uerū propositus aphorismus de una re, scilicet satietate, pronunciat. Plus eñ cibi quàm modo naturæ cōueniat, repletio nominatur. Semper igitur id quod plus, ad aliquid dicitur. Verū in nostris corporibus duplex est, unū quantū ad uasorū amplā capacitatē, alterum quantū ad illam quæ nos gubernat naturā, de quo nunc Hippocrates docēs dixit, Cibū excedentē esse præter naturā: ne eos qui ita cibo sunt repleti, ut uēter extendatur, omnino ex hoc arbitremur sensuros læsionē, neq; eos quibus aliquid deest ad cōceptaculi mēsurā, pauca assumpsisse, et omnino illa bene cōcocturos. Nā priores cōtingit quæ pleno uētriculo continētur cōcoquere, si natura fortis extiterit. Secūdos uerò non posse concoquere propter imbecillitatē, tunc præsertim cū priores assumpserint cibos cōcoctu faciles, secūdos uerò cōcoctu difficiles. Sic & in distributione alimēti, potētia sanguifica illi proportionalis quæ in uentre cibū cōcoquit, nōnunq; ex imbecillitate non alterabit humorē ad uenas distributū, etiā si modicus esse uideatur. Aliquando uerò istius multiplicē prompte in sanguinē trāsmutabit, & ex sui robore, & ex cibi natura ad coctionē idonea. Eodē modo & tertium alimētum, quod maxime propriū alimētum nominamus, quod scilicet partibus animalis adijcitur pro natura potētiæ, uel excedere, uel non excedere dicetur, & uel bene cōcoquetur, & nutriet, & iuxta

& iuxta hoc, uel ab ipsa obtinebitur, uel non obtentū corrūpetur, & morbū generabit. Vna igitur expositio hæc est, Illud quod plus est, quantū ad potentiā à qua animalia reguntur nobis intelligentibus. Altera quantū ad qualitatem præter naturā, uera & ipsa. Nutritur siquidē pars una quæq; ex proprio alimēto, quod recte diceremus esse illi secundum naturam. Cum igitur aliquando ad ipsam peruenerit aliquis humor qui alteri quidē sit secundum naturā, ipsi uero alienus & præter naturā, malum quidē hoc existit, non tamen ex necessitate sequitur morbus, ubi exigua portio fuerit. Nam cum neq; illa medicamēta quę naturā habent exitialē, sicuti mādragora, papauer, atq; cicuta, possunt sine quātitate nocere, multo minus huiuscemodi humor qui præter id ꝙ non est exitialis, etiā alias partes enutrire potest, alioquin neq; alimentū uocaretur nisi tali esset natura præditus. Sicuti igitur, si parū aliquid aeris per gulā ad uētriculum deferretur, aut potę humiditatis pauxillū ad pulmonē per asperā arteriā dilaberetur, neq; uētriculus quo ad hoc ægrotaret, neq; pulmo: Eodē modo se res habet & in aliarū partiū alimento. Et quidē alia est tertia expositio dicta à quibusdā qui nos audire iubēt ꝑter naturā pro ualde, & exuperāter, ac si ita diceretur. Vbi cibus exuperāter intrauerit, hūc facere morbū. Nam cibū paululum mediocritatē excedētem nondū posse facere morbū, sed adhuc seruare corpus intra latitudinē sanitatis. Vera quidē & hæc sentētia. Oportet siquidē cibū qui morbū facturus sit, nō paruo aliquo excedere exquisitā mediocritatē, uerum nō est mos ob hoc sermonē distinguere. Solēt enim ipsum tantūmodo genus enūtiare, uel humorū corruptionē, uel exustionē, uel frigefactionē, uel cruditatē, & quæcūq; alia huiuscemodi morbū facere dicētes, quasi nos in singulis horū effatu dignā quantitatē subintelligamus. Eodē igitur modo, & cibū excedentē dicunt facere morbū, non adijcientes multo, cū nos non lateat, ꝙ si quintadecima unius drachmæ parte mediocritatē excesserit, nondū potest morbū efficere, uerū si hic excessus multiplicetur, faciet & ipse aliquando morbū: ex genere enim causarū est maxime quæ morbos cōmittendi uim habēt. Secundū hæc igitur tertia expositio, etsi ꝙ maxime uera sit, mihi tamen uidetur esse curiosior, quā deceat ueterū consuetudinē, præter id quod uiolētius exponit uocis illius, pręter naturā, significatū. Verba autem quæ in fine aphorismi scribuntur, ubi ait. Ostendit aūt sanatio, melius scriberētur cū cōiunctione, &, hoc modo. Ostendit autē & sanatio. Neq; enim sola sanatio ostendit cibū ubi plus modico ingeritur facere morbū, sed ut rei natura indicat, attestāte simul etiam sanatione: in omnibus siquidē artibus his quæ sunt recte excogitatæ, accedit etiam ex euentu testimoniū. Quodnā igitur illud est in pręsenti sermone? ea quæ sequitur ad noxiorū humorum euacuationes sanatio, quā etiam Herophilus in tritēporea significatione uocata cōprehendit. Si quis enim plus consueto assumpserit cibi, æquali autē prioribus, aut etiā minori utatur exercitio, mox aggrauato corpore cū rubore, atq; tumore uenarū incipiat febricitare, non absq; ratione quispiā illū ex multitudine febricitare existimauerit. Si igitur euacuatus inde iuuatur, statim existimatio de multitudine confirmabitur, & crescet audacia in eisdē simili modo euacuandi, non expectantibus empiricorū obseruationē, quam ipsi aiunt eorū esse quæ sæpius in eisdem eodē modo contigerunt. Forte igitur & in aphorismo adiecta erat cōiunctio, &, deinde aliquis tanquàm superfluā abstulit. Forte autē & ipse Hippocrates ab initio simpliciter scripsit absq; cōiunctione: Ostendit autē sanatio. ac si ita dixisset: His enim quæ prius dicta sunt, ita se habentibus, ut dictū est, hoc est plurimo cibo pręter naturam cōprehēso in corpore, ubi adhibita euacuatione ægrotus leuabitur, argumēto erit morbum aduenisse ex multitudine cibi. Quod aūt euacuationē simpliciter Hippocrates dicere consueuerit, quādo humores omnes æqualiter euacuātur, purgationem aūt quando praua affecti qualitate: meminisse oportet, & ꝙ præsens sanatio, nō à purgatione facta, sed euacuatione, attestatur illi quæ fuit de multitudine existimationi. Euacuatio autem omniū humorū æqualiter, quæ quidē exquisitissima est, fit per uenæ sectionē. Proxima autē huic est quæ per tibiarū scarificationē, ut nos facere consueuimus, et quæ per exercitia, & frictiones, & balnea, & præterea ex accidenti per inediā. Dixi autē ex accidenti, quoniā non per seipsam inedia euacuat, ut singula antea dicta, uerū euacuatio fit modo naturali transpirationis, nullo uero accedente alimēto in locū eius quod fuit euacuatū, tunc sensu manifeste deprehēditur quæ tamē antea latuerat. Hæc igitur sufficiāt

ad aphorismi expositionē. Qui uero uult sermonē de multitudine diligētius perlegere, unū habet uolumen integrū à nobis conscriptū, cui titulus est De multitudine. Nūc uero hoc tantum sufficiet adiungere, his quę prius à nobis sunt enarrata: quod incipere quidē potest ea quæ ad uires refertur multitudo absque corruptione, uerum non potest optima permanere. nā omnino necesse est, ut secundū qualitatē trāsmutetur, & processu temporis corrūpatur: uerum etsi istud fiat, interim multitudinē ipsam nominabimus donec ex superflui euacuatione residuum optimū fieri possit. Quod enim in uinis accidit acescētibus, tale quoddā & in sanguinis alteratione contingit. Quod autē in uinis accidit tale est. Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursum ad uini naturā: paruo autē in ipsis facto momento, ita quod acidum quidē habent saporem, nondum tamen acetum sunt, multa sæpius ex his pristinam naturam recuperarunt. Hoc idem in sanguine euenit: nam & ipse ubi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem. Si uero paulatim fiat, ubi id quod superfluum fuerit euacuatum, quod residuum existit ad suam naturam restituitur. Et quidem consuetum est huiuscemodi dispositionem nō corruptionem, sed multitudinem nominare, illa ut dixi sola uocata corruptione quæ tam effatu dignam habet eam quæ ad naturæ contrarium euersionem, ut non possit iterum ex naturæ coctione ad primam humoris redire bonitatem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat illū Aphorismū, Non satietas, non fames, isto uniuersaliorē esse, qui de satietate, idest, plenitudine solum intelligit, nec quicquā refert, quod in illo dicat non satietas, nō fames, postea concludat bonū. nēpe idem est eodē loco dicere nō bonū, ac si dixerimus morbū facere, quoniā propter hoc nō est bonū, quia morbū facit.

SECVNDO notat πλησμονὴν, quā Leonicenus repletionem interpretatur, nos potius dicere debemus satietatē, tunc esse, quoties plus cibi assumitur, quàm & naturæ, & uasi conueniat, unde & id uerbū Plus, ad aliquid dicit: omnino πλησμονὴ aliquid plus significat, quàm satietatē. Nam Græci etiā ingurgitationē πλησμονὴν uocāt. Hic tu nota Leonicenū semper interpretatū esse superius uocabulum πλησμονὴ, idest, satietas: hic uero interpretatur repletio. ubi enim Galenus dicit ἡ γὰρ πλείων τροφὴ τῆς τοῦ σώματος φύσεως, ὀνομάζεται πλησμονὴ, Leonicenus uertit, plus enim cibi, quàm modo naturæ cōueniat, repletio nominatur. Nos potius interpretādū ducimus satietas nominatur. nam quatuor apud Galenū uocabula inueniūtur, quæ raro in alio significato usurpat, quàm in eo, quod nunc referemus, πλεονεξία, πλῆθος uel πληθώρα, κακοχυμία, πλησμονή. ut ad primū incipiamus, uocabulū πλεονεξία redūdantia, uel plenitudo interpretatur, & plerunque ad plethorā, ad cacochymiā, & ad satietatē tanquam genus est: quandoque idē est quod πλῆθος & πληθώρα, idest, plenitudo, uel multitudo. Et hæc intelligantur de plenitudine, quæ est omnium humorum ex æquo, uel crescant omnes humores, etsi unus plurimum excedat, modo omnes crescant. κακοχυμία uero est unius humoris abundantia. πλησμονὴ est ciborum plenitudo. hic proprius est apud Galenum horum uocabulorum usus, quamuis aliter apud alios inueniantur usurpata.

TERTIO suā expositionē describit, quā nos superius in interp̄tatiōe secuti sumus.

QVARTO tu in hac parte nota, in nostro corpore apud Galenū tres coctiones fieri. prima fit in uentriculo: secunda in iecore, quæ potentia sanguifica dicitur, quæ simul & semel sanguinē ad omnia membra distribuit, sed eum sanguinem si imbecillis sit, non concoquit: si fortis, concoquit. Est tertia coctio, cum mēbro assimilatur, & hoc propriū & maximū alimentū uocat Galenus, nō quia alia alimēta nō sint, immo hoc est alimentū propter alia, quia ex alijs factum est. nam ex cibis fit sanguis, ex sanguine, hoc fit. At maxime alimentum dicitur, quia absque medio in nutriti substantiam transmutatur.

Quod legitur, unum quantum ad uasorum amplam capacitatem, Grece est ἓν μὲν ἐς πρὸς τὴν τῶν ἀγγείων εὐρυχωρίαν, ad uasorum amplitudinem.

Quod etiam legitur, Si natura fortis extiterit, legi debet, si natura eorum fortis extiterit. nam Græce habetur εἰ ῥώμην ἡ φύσις αὐτῶν ἔχει.

Qđ etiā legit̄, sic & in distributione alimēti potētia sanguifica illi p̄portionalis quæ in uentre cibū cōcoquit, Græce est οὕτω δὲ κατὰ τῆς ἀναδόσεως τροφῆς, ἡ αἱματοῦσα δύναμις, ἀνάλογως. alij cōtextus habet ἀνάλογον τῇ πέψει τῇ κατὰ τὴν γαστέρα. i. Sic & in distributo ali-

to alimẽto potẽtia sanguifica proportionaliter aget, ut illa quæ in uẽtre cibũ cõcoquit.

Quod etiam legitur, uel excedere, uel non excedere dicetur, Græce est, ἤ τοι πλέων, ἢ οὐ πλέων ἂν λεχθήσεται. idest, uel plus uel non plus esse dicetur.

QVARTO aliam expositionem ponit, quam nos superius adduximus.

Quod legitur, Ex proprio alimento, Græce est ἐξ οἰκείας ἑαυτοῦ.

Vbi legitur, Qui alteri quidem sit secundum naturam, addenda est hæc dictio particulæ. nam Græce habetur, ἑτέρῳ μὲν μορίῳ κατὰ φύσιν ὤν. idest, qui alteri quidem particulę sit secundum naturam.

Vbi etiam legitur, Alioqui neq; alimentum uocaretur, addi debet hæc particula, ab initio minimum. nam Græce est τὴν ἀρχὴν γὰρ οὐκ ἂν ὠνόμασε τροφὴν αὐτόν. idest, Alioqui neq; alimentum ab initio minimum uocaretur.

Hoc in loco recentiores disputationem faciunt, An medicamentum uenenosum, uel uenenũ ipsum (ut de mandragora, papauere, atq; cicuta in hac parte Galenus dicere uidetur, quamuis id non dicat) nutrire possit. Nos hanc dubitationẽ Galenum imitati hoc modo dissoluemus. Galenus libro tertio De simplicium medicamentorum facultatibus capite septimodecimo de anu quadam Atheniense historiã refert, quæ paulatim cicutæ adeo in cibis assueuerit, ut ea nutriretur. est autem notior hæc historia, quàm ut à nobis referri nunc digna sit. Ad rem igitur redeuntes, Apud Galenum, & omnes antiquiores medicos, uenena, φάρμακα, idest, medicamenta uocabantur, unde & apud Græcos hoc nomen φάρμακον, & apud latinos hoc nomen medicamentum, tam uenenis, quàm alijs medicamentis quę non interficiunt, cõmune est. unde apud Galenum pręcitato loco à capite septimodecimo usq; in finem libri duo pharmacorũ uel medicamentorũ genera inueniuntur. unũ quod medicamenta δηλητήρια, idest, deleteria. Aliud καθάρτικα, idest, purgantia uocãt. Deleteria medicamenta, quę uenena sunt, in duas partes diuidit, in frigida quę sua frigiditate, interimunt, calorem extinguentia, & in calida, quæ uel erodendo interimunt, uel putrefaciendo. Idem Galenus decimooctauo eiusdem tertij libri capite docet, nullum medicamentum frigidum quod sua frigiditate interficit, secundum suũ genus esse letale uel deleteriũ, sed tantũ ratione suæ quantitatis. ad hoc enim ut frigidum uenenũ in nos agat, duo solũ exiguntur. unũ quod à nostro natiuo calore cõminuatur. aliud, quod ab eodem calore motũ accipiat: propterea ab antiquis medicamẽta potestate frigida nuncupantur, ut nonodecimo eiusdẽ libri capite habetur. Tamẽ in quacũq; quantitate nõ interficiũt. si enim paucissima sit aut cicutę, aut meconij quantitas, nõ modo à nostro naturali calore dissoluuntur, & motũ acquirũt, sed etiã uincuntur, ut in nutrimentũ transeant. unde si quis cicutã uino miscuerit, ut in necandis sontibus Athenięses faciebant, citius interficit, nam uini calore actuatur. At si cicuta modica esset, & uinum copiose hauriretur, nihil obesset, præsertim si uinum sit generosum, idest, tenuẽ, perlucidamq; substantiã habuerit, colore flauo, odore grato, quodq; multã aquæ mixturã exposcat. hæc uero frigida si interficere debeãt, cor petere opus est, unde frigidiores homines ab his tardius necantur, quia eorũ calor paulatim hæc medicamenta actuat, & ideo interim cõcoquuntur. Et hinc est, quod in Phedone, cũ Socrates cicutã bibisset, iubet carnifex ut deambulet, quousq; persentiat crura defecta. Id aũt fit, ut is motus calorẽ exaugeat, qui mox ueneni frigiditatẽ actuet. propterea Galenus capite septimodecimo eiusdem libri dicit lactucæ succum, si cor cito peteret, interficere, nõ secus atq; cicuta, sed quia cunctatur, propterea coquitur. si ita cunctaretur cicuta, concoqui necessariũ esset. Cicuta uero homines necat tum ob meatuũ amplitudinẽ, calorisq; multitudinẽ, tum ob attractionis arteriarum robur ualidum, etiamnũ ad cor pertingens. Sturnos uero nõ interficit ob causas cõtrarias, quia retinetur, & cunctatur & tẽporis tractu concoqui, & præparari à corde tanq; à foco incalescẽs sinat nõ secus ac ligna extrinsecus. Ex his igitur quę prædicta sunt duo colligi nihil impedit. Vnũ est frigida uenena cum diutius in corpore manẽt priusq; actuentur, minus nocere, & minus interficere. Aliud est, frigida uenena suo genere non esse uenena nec deleteria, sed sua quãtitate esse uenena: unde hæc frigida secundum Galenũ nutrire possunt, quod in pauca quantitate sumuntur. imò lactucæ succum uenenũ esse putat & deleterium sua quantitate, tamen nutrit corpus, quando à calore naturali superatur. Idem est in cicuta, & in alijs frigidis apud Galenum iudicium.

De calidis autem & deleterijs uenenis apud eundem Galenum secus dicendum est. Nam capite uigesimo eiusdem tertij libri De simplicium medicamentorũ facultatibus, de his sermonem inchoans, duo ipsorum genera facit, unum, quod erodendo interficit, aliud putrefaciendo. Quodcunq; genus sit, per moram in nostro corpore, uires acquirit, & efficacius interficit. Cuius oppositũ uenena frigida faciebant. Secũdo docet, quod suo genere interficiunt, & non solum multitudine, ut refrigerantia faciũt, quæ tantum multitudine necant. unde minima erodentium, & putrefacientium uenenorum quantitas interficit. In putrefacientibus enim cũ putrefactio à calido & humido fiat, sanguis uero calidus & humidus sit, propterea nunquam possunt cessare putrescere. nonnulla uero sunt, quæ longo tempore interimũt, quia crassa, terrenaq; essentia sunt. nam hæc nostris corporibus inhærentia, deinde temporis spatio putrescentia, erodunt, corrumpuntq; uicinas partes: hæc uero & ad festinam perfectionem calore indigent, tamen & sine eo agunt, ideo frigidis opponũtur: tum in eo quod in suo genere necant non ratione quantitatis, tũ quia quanto diutius in corpore morantur, tanto sunt ad agendũ aptiora. Ideo & tertiũ sequitur quod hæc nutrire non possunt, propterea quæ in historijs leguntur de his mulierib. quæ ueneno nutritę erãt, aut de similibus, omnia in frigido aliquo ueneno intelligenda sunt, & nõ in calido, ut in cicuta, mandragora, aconito, hyoscyamo, & similibus. At si dicas, nõ uideri uerũ, illa quę erodunt & putrefaciunt à toto interficere quia si ita esset in quacũq; medica quãtitate genere interficerẽt: multi uero repti sunt qui his medicamẽtis in parua copia sumẽtes superuixere: Galenus præcitato lib. capite uigesimo secũdo respõdet, duplici de causa posse cõtingere ut putrefaciẽtia & erodẽtia uenena nõ interficiãt. una causa est, si cũ excremẽtis excernãtur, priusq̃ iniuria corpus afficiãt, & hoc solũ faciũt quæ tenuiora sunt. Altera causa est, si accipienti bona faueat fortuna, uidelicet, aut cibis, aut quę alioqui conferũt utenti, aut medicũ qui curãdo præsit, nacto. Nã ubi grauis ab ijs nota illata est, malũ neq; uictus ratione, neq; generosorũ medicaminum medicíq; auxiliantis ope sisti potest: ut hinc uideas quomodo ille euadat. nempe si quis centesimam drachmæ particulam cantharidum sumat, apta est nocere, tamen priusquã noceat, unà cũ urina excernitur. nam & si dictũ sit, in quacũq; quantitate à suo genere nocere, tamẽ opus est ut sit in aliquanta magnitudine: nam secundum suam magnitudinem agit etiam si minimũ. Vnde in his quæ urinam promouere debent, cantharides apponuntur, sed in paucissima copia, ut alia quæ optima sunt ad uesicam ducant, & hęc mixta prohibent, ne cantharides uesicã erodant. Vincentius Grema nuncupatus, chirurgus insignis medicamentũ bibit, cuius pulueres in mortariolo pinsi fuerant, in quo prius cantharides in puluerẽ redegerãt. hic uir ab ore usq; ad anum excoriatus est, & miram uesicæ excoriationem habuit, decem & octo mensiũ spatio, sanitati restitutus est. tamen nõ aderant actu cantharides, sed uis quędam circa mortariolum derelicta. Vt igitur hoc negociũ de uenenis finiamus, cũ Galeno in fine capitis uigesimi secundi tertij libri de simplicium medicamentorum facultatibus dicere aggrediemur, quæcunq; frigiditate interimunt, si modice sumantur, corpus nutrire possunt, ut lactucæ succus. Illa uero, quę putrefaciendo & erodendo necant, nunq̃ nutrire, ne si paruitate quidẽ innoxia corpus permeent: genere nanq; talia humanæ aduersantur naturę. Ex his recentiorũ dubitatio facile solui potest, nec arduũ est omnia eorũ argumenta perimere, quibus uenena nutrire probant. Itaq; huic ambiguitati finem faciamus, & ad Galeni cõmentationem exponendam reuertamur, in qua Galenus sibi affinis tria quæ frigida sunt, enumerauit, Mandragoram, papauer, & cicutam, quę à toto genere non nocent, sed à quantitate solum.

QVINTO notat, flatum per gulam quandoq; ad uentriculum transire, qui si fuerit nota dignus, plurimũ nocet. Vnde his nocet, qui per illas ampullas bibũt è quibus aqua murmurãs descendit. Idem euenit si aqua, aut liquor alter ad pulmonẽ descendat, paucus nõ nocet, multus nocet, & præsertim si res crassa sit, ut Anacreonti lyrico poetæ contigit, qui ridens à grano passularum per asperam arteriã descendente illico suffocatus est, & nos in dies experimur, quando aliqua humiditas per hanc spiritalem cãnam descenderit, tussim & miram angustiam prouocare: & ideo credendum est, contra aliquos male feriatos uiros, eclegmata per illam uiam posse transire.

Vetus quæstio, an Plato recte dixerit in Timęo, potu pulmonem humectari: quam senten

sententiam Erasistratus defendit, sed inepte. nam casu gutta quandoq; per hanc uiam descendit, & mire afficit.

SEXTO tertiã expositionem refert, & eam reprehẽdit, ut à nobis superius dictũ est.

Quod legitur, Pro ualde & exuperãter, Graece est ἀντὶ τοῦ μεγάλως καὶ ὑπερβαλλόντως.

Quod etiam legitur, & cibum excedentem, Græce est καὶ τὴν πλείονα προσφορὰν.

Quod etiam legitur, Ex genere enim causarũ est maximè, legi debet, ex genere enim causarum una est. tamen in nostro antiquo contextu prima lectio idem habet quod Leonicenus interpretatus est, nempe dicit, ἐκ γὰρ τοῦ γένους ἐστὶ μάλιστα, sed in secunda lectione ita habetur ἐκ γὰρ τοῦ γένους ἐστὶ μία.

Quod etiam legitur, curiosior, Græce est περιεργότερον. περίεργος propriè dicitur qui in rebus inutilibus anxius & curiosus est, & uitium illud περιεργία.

SEPTIMO docet legendum esse, ostendit & sanatio, interim documentum referẽs, scilicet in omni arte ad perfectionem sui, & ad uehementiorem astructionem testimonia ex euentu multum facere.

Quod legitur, Sed ut rei natura indicat, Græce est, ἀλλ' ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐνδείκνυται, idest, Sed rei natura indicat. Alter contextus dicit, ἀλλὰ καὶ ἡ τοῦ πράγματος φύσις συνενδείκνυται. idest, Sed & rei natura coindicat.

Quod etiam legitur, Accedit autem ex euentu testimonium, Græce est καὶ ἡ ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως μαρτυρία προσέρχεται.

OCTAVO, sanationis exemplum ponit, in quo perpulchrum documentũ habetur, exemplum uero hoc est: si quis plus consueto comedat, & minori exercitio, quàm prius utatur, postea aggrauato corpore cũ rubore, atq; uenarũ tumore, & febricitare incipiat, cõueniens erit iudicare, eum ex multitudine febricitare: si hic postea euacuatus iuuetur, statim id iudicium de euacuatione confirmabitur, & crescet audacia in similibus euacuandi. Documentũ igitur hoc est, unicã experientiã cum ratione insequendã esse, nec expectãdũ ut empirici faciũt, qui obseruare uolũt, an in eisdẽ eodẽ modo sæpius contigerit.

Quod legitur, empiricorum obseruationem, Grece est, τὴν τῶν ἐμπειρικῶν τήρησιν.

NONO dicit, particulam, &, forte ab Hippocrate positam esse, sed ablatam fuisse, uel etiam ab Hippocrate posita non fuit.

DECIMO Galenus differẽtiã ponit inter κένωσιν, idest, euacuationẽ, & κάθαρσιν, idest, purgationem: & hoc in dogmate Hippocratis facit. nam Hippocrates ita loqui consuetus est, cũ enim de humorib. sola quantitate peccantib. uerba facit, eos euacuari dicit, & κένωσιν, idest euacuationẽ fieri, nõ aũt κάθαρσιν, idest, purgationẽ. nẽpe κένωσις, idest euacuatio, est quando humores omnes æqualiter euacuãtur. κάθαρσις aũt, idest purgatio, est quãdo praua qualitate affecti humores euacuanẽ. hoc in aphorismo Galenus de euacuatiõe Hippocratẽ intelligit, nõ aũt de purgatiõe, quę per sanationẽ, plenitudinẽ ostẽdat.

VNDECIMO, si petas quænã euacuatio sit hæc, qua humores omnes euacuantur, & ab Hippocrate euacuatio simpliciter nominatur. hic ab Hippocrate egregie respondetur, & quæ dicit, obseruanda sunt. Exquisitissima omnium humorũ euacuatio fit per uenę sectionẽ, uenam aũt nõ specificat. Nos iecorariã, uel mediã sumendam iubemus, aut quãlibet alterã, cum omnis uena à toto euacuet. Euacuatio uniuersalis etiã quæ non est ita exquisita, fit per tibiarũ scarificationẽ, tamen & hęc à toto euacuat, quia uenæ aperiuntur, quæ à toto educũt. Tertio omnes alias uniuersales euacuationes refert, quæ humores omnes euacuant, sed nõ sunt simpliciter euacuationes, ut exercitia, frictiones, & balnea. hæc eñ omnia, omnes humores exhauriũt, & nõ unũ solũ. Deniq; euacuationẽ quãdã ponit, quã per accidẽs uocat, scilicet inediã. nã transpirãt per carnis meatus uapores, in quorũ uices alij succedere debent, & deinde alij. hi uero corpus exhauriunt. nam attenuatis humoribus fiunt, & ita humores exhauriuntur, sed hoc est per accidẽs. nam ex consequenti fit, & nõ per se. hinc quando aliquẽ curas, qui plenus sit, pulcherrimũ documentũ habes, ut semper absq; alio medicamento, huic uenam secari iubeas, nempe est præsentissimũ remediũ. Hic uero ambigere poteris, cur inter uniuersales euacuationes, illam, quæ per medicamentũ fit, nõ enumerauerit. Respõdemus, id factũ esse, quia nullũ medicamentum reperitur, quod omnes humores primo atq; æqualiter euacuet. nam aliquod unum euacuat, aliud alterum, ut scamonio bilis, pituita agarico euacuatur, & ita

de alijs

de alijs. Si uero dicas, aliquod medicamentũ omnes humores euacuare unũ post alium, Respondemus, uniuersaliter atq; simul id non fieri, & nullum inueniri medicamentum, quod sanguinem euacuet, nisi uenenũ sit. unde Galenus nõ ab re uniuersales euacuationes enumerans eas omisit, quę per secessum fiunt. nam illę uniuersales dici non possunt, & omnium humorum simpliciter ac primo. nam unumquodq; medicamentum unum humorem primo euacuat, & aliud consequenter, & nullum inuenitur medicamentum, quod sanguinem euacuat, nisi interimat, & uenenum sit.

Quod legitur, Quæ per tibiarum scarificationem, Græce est, ἀπὸ ἐγχαζομένων τῶν σφυρῶν. σφυρὸν Græci uocant non tibiam, sed talum & maleolum, idest, partem inferiorem, pedi proximam.

Vbi legitur, Quæ tamen antea latuerat, particula tamen, abesse debet. nam Græce scriptum est ἡ πρότερον λανθάνουσα.

DVODECIMO notat, quod περὶ τοῦ πλήθους, idest, de plenitudine librum fecerit, in quo de hac re plurima habentur, & Hippocrates ipse in libro De alimentis multa de plenitudine differit, quæ omnia in hunc locum adducenda sunt, si exquisitissimam huius aphorismi sententiam habere uolueris.

DECIMOTERTIO, notat posse quidem reperiri multitudinem in aliquo corpore absq; corruptione, sed nõ potest optima permanere. propterea bonos habitus soluendos esse iubebat Hippocrates. Opus enim est, ut per tẽporis processum multitudo corrumpatur. Si uero petas, quando humores in corruptione sunt, nondũ tamen corrupti, quomodo eos nuncupare oporteat, Respondet Galenus, quoad facta sit perfecta corruptio, semper quantitate & multitudine peccare dicendi sunt. hoc uero ita intelligo, donec humores tales sint (licet pro parte corrupti) quod una parte euacuata, & reliqua ad benignũ reduci possit, semper sola multitudine peccare dicentur, & cũ reduci nõ possunt, etiã una parte euacuati, & mala qualitate, & multitudine peccare dicẽtur. Galenusq; pulcherrimum exemplum in uino, & sanguine assignat. In uino quidem. nam si penitus acidum factum sit, ad uini naturam regredi non potest: at si modice acidum sit, in pristinam naturam regredi potest. imò hoc indies uidemus, aliqua uina quę acida fieri cœperunt, si bibantur, in pristinum uini saporem restituuntur. Idem in sanguine contingit, si ita putridus sit, ut etiam superfluo euacuato, in propriam naturam restitui non possit, quia magnam corruptionem habeat, in hoc casu nõ dicemus multitudinem, sed corruptionem. Si uero non sit tanta corruptio, sed facta euacuatione reduci possit, hic sanguis merito multus dicitur. Quod autem Galenus de sanguine dicit, in omnibus humoribus intelligere oportet.

Quod legitur, optima, & optimum, Græce est χρηστόν.

Quod etiam legitur, Nam & ipsum ubi magna in eo sit facta corruptio, legi debet, Nam & ipse scilicet sanguis.

Quod etiam legitur, paulatim, Grece est ἐπὶ βραχύ.

APHORISMVS XVIII

EOrum, quæ uniuersim, & uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones.

BRASAVOLVS

Ex hoc aphorismo id boni enancisci possumus, scilicet prænoscere quæ nutrimenta ad reficiendum aptiora sint, & quæ citius nutriunt, cito etiam habere excrementa: quæ uero tardius, tarde.

Τῶν τρεφόντων, idest, Eorum quæ nutriunt.] Per quæ non solum illa intellige quæ in uentriculo cõcoquũtur, Sed & illa quæ in iecore, & quæ in toto corpore. nẽpe in tribus nostri corporis locis concoctio potissimũ fit, in uentriculo, in iecore, & in toto corpore.

Ἀθρόως, idest, uniuersim & cõprehẽsim.] Galenus hũc aphorismũ hoc modo intelligẽ dum putat

dum putat. Quæ nutriunt ἀθρόως, idest, Quę cõprehensim, & collectim, & in uniuersum totum alimentum ex se breui tempore corpori præstant, postquam alere cœperunt. Sed nos ipsum intelligimus, quod simul & semel, uelociter & uniuersim iungat. nam uniuersim nutrire nihil aliud est, quàm secundum se totum, uel secundum maiorem sui partem fieri corporis nutrimentum. καὶ ταχέως, idest, & uelociter. ea uero uelociter nutrire dicuntur, quæ paruo tẽpore post assumptionẽ, statim nutriunt, & hoc ratione sui, nõ ratione suscipientis, quoniã aliqui cibi ratione diuersorum hominũ, & ratione diuersorum uentriculorum uelociter nutrire dicentur, qui in alijs tarde nutrimentum præstabunt, unde hoc intelligebamus esse ratione cibi, qui facile à quocũq; uentriculo, & iecore, & corporis parte quacunq; cito in nutrimentum duci possit, & ideo hoc ratione sui, & non ratione humanæ naturæ contingit. Ex his quatuor simplicia alimentorum genera colligere possumus, quæ uniuersim nutriant, quæ uniuersim non nutriant, quæ uelociter nutriant, & quæ tarde nutriant. Quatuor præterea fiunt nutrimentorum coniunctiones. sunt enim quæ uniuersim, & uelociter nutriant, ut uinum. Sunt quæ uniuersim, & tarde, ut alica. Sunt quę nõ uniuersim, & uelociter, ut ptisanę succus. Sunt quarto quę nõ uniuersim & tarde nutriant, ut caro bubula, cochleæ, gammari, locustæ.

His ita dispositis, de his solum Hippocrates loquitur, quæ uniuersim & uelociter nutriunt, hæc inquit, ueloces habent excretiones. nam cum uelociter nutriant, nihil autem nutrit, à quo sua excrementa non decidantur, propterea & excretiones uelociter fiunt. Si uero petas quid per hoc didiceris, Respondemus, ex hoc facile cognosci posse, quæ cito nutriant, & uniuersim, & hæc est maxima rei medicæ pars, cibariorum naturam cognoscere: unde per ueloces excretiones, quando quis aliquẽ cibum sumpserit, statim intelliges illum cibum uniuersim, & uelociter nutrire, eoq; uti poteris quando opus erit. huius aũt rei periculum facere poteris in bene se habentibus solum, & in illis cibis in quibus nihil adsit salsuginei, & nitrosi, sicuti est brassica. nam in ea præsertim in prima coctura ueloces excretiones fiunt: tamen uniuersim non nutrit. sed hæc in Galeni commentatione ubertim explicabimus, in qua huius generis multa considerabimus. Cognosces præterea, uelociter & uniuersim quempiã nutriri, quando uires cito resumet, & pinguescet.

ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίγνονται. idest, Veloces quoq; fiunt excretiones.] Per quas excretiones non solum illas intelligere oportet, quæ per aluum subducuntur, sed uocabulum communius est ad omnes quæ excernuntur superfluitates, per quãcunq; partem excernantur, Hæc erat expositio, quã huic Aphorismo superioribus annis aptabamus. At nũc uidimus Galenũ aliud quiddã sentire, de quo in cõmentatione agemus, ne aphorismum bis interpretari cogamur. Philotheus aphorismũ modo quodam introducit, qui satis cõueniens non uidetur, inquit enim, ἐπειδὴ ἄνω ἔλεγεν, ῥᾷον πληρῶσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίοις, ὡς τίνος ἀπορῶντος, καὶ ποῖα εἰσὶν ῥᾷον πληροῦντα, καὶ ποῖα οὐ ῥᾷον. νῦν ἐπιφέρει λέγων, ὅτι τὰ ταχέως πληροῦντα ταχέως καὶ διαχωροῦνται. τὰ δὲ βραδέως, βραδέως. οἷον δεῖ ζητεῖν εἰ μετὰ μίαν ὥραν τοῦ δοθῆναι τὴν τροφὴν, ἐκκρίνεται τὰ περιττὰ, ἢ μετὰ πλείονας. καὶ εἰ μὲν μετὰ μίαν, δεῖ εἰδέναι, ὅτι εὐαλλοίωτός ἐστιν ἡ τροφή. εἰ δὲ μετὰ πλείονας, δυσαλλοίωτος. ἀθρόως μὲν τρέφει, καὶ ταχέως ὑγροτέρα τροφὴ, οἷον ὁ οἶνος, καὶ εἴ τι τοιοῦτον. ἀθρόως τρέφει, τουτέστιν, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ. καὶ ταχέως, τουτέστι μετ' ὀλίγον χρόνον τῆς προσφορᾶς ἀλλοιουμένης. ὅσα οὖν ἀθρόως καὶ ταχέως τρέφει, ταχέως καὶ διαχωροῦνται. ὅσα δὲ βραδέως, τοὐναντίον. ἡ γὰρ γαστὴρ ἀπολαύει τῶν σιτίων πρώτως, τὸν οἰκειότατον ἐξ αὐτῶν ἕλκουσα χυμόν. εἶτα ἐπειδὰν τοῦτο κορεσθῇ, τηνικαῦτα πρὸς τὴν διαχώρησιν ὁρμᾷ. idest, Quoniã superius dixerat, facilius esse impleri potu, quàm cibis, ac si quispiam dubitaret, & qualia sunt facilius implentia & qualia nõ facilius. nunc affert, inquiens, illa quæ uelociter implent, uelociter excernuntur: quę uero tarde, tarde. unde quærere oportet, si post unam horam, à qua datum est nutrimentum, superflua excernantur, an post plures. Et si quidem post unam, scire oportet, nutrimentum facile alterabile esse: si uero post plures, difficulter alterabile. Vniuersim uero nutrit, & uelociter humidius nutrimentum, ut uinum, & si quid tale: collectim nutrit; hoc est breui tempore: & celeriter, idest, statim cibo ingesto alterato & commutato. Quæcunq; igitur uniuersim & uelociter nutriũt, uelociter etiam excernuntur: Quęcunq; uero breui, contrariũ. Venter enim primum cibis fruitur, ex ipsis familiarẽ succum attrahens, postea quando satur fuerit, tũc ad expellendũ excremẽta cõuertit. Oribasius aliũ sensum huic aphorismo

assignat

assignat, quàm faciat Galenus, & quàm ipse Hippocrates sentiat. Inquit enim, hic aphorismus sensum talem habet, si quis comedit tantum, quantum ualet cōcoquere, & excernere, & nutrimentum naturæ implere, bonū est. Si tamen & facilis sit uenter, optimum est, & argumentum est, salubre eum corpus habere.

GALENVS

VELOCITER quidem nutrire audiendum est ab ipso dici, ea quæ paruo post assumptionem tempore statim nutriunt, suæ naturæ ratione, quam in his exploramus qui integra sanitate fruuntur. Vniuersim autem quæ postquam alere cœperunt exiguo tempore totum ex se præstant corpori alimentum. Talia igitur quantum ad hoc solum attinet, quòd uniuersim nutriunt, etiam ueloces habebunt excretiones. Si uero aliqua adsit acritudo excitans ad excretionem, aut lentor ob quem magis retineatur, hæc quidem uelocius ad excretionem prorumpent, hæc uero tardius. Celerrime igitur, & uniuersim maximè uinum alit, tardius autem & paulatim caro bubula, & cochleæ & uerticelli marini, squillæ, cammari, atque locustæ. Et (ut summatim comprehendam) quæcunque dura carne constant, eandem cum his naturam habent, & casei duri, carnes salitæ, lentes ac bulbi, nec non oua usque quo indurescant elixata. Hæc enim omnia multo post assumptionem tempore, atque paulatim nutriunt. Indicium autem tibi sit uelocis nutritionis ex assumpto cibo, in pulsibus quidem fortitudo, ac magnitudo, in motibus autem uoluntariis robur nutritis adiectum. Ipsum uero præcipue oportet explorare in illis qui ex euacuatione aliqua sensibili sunt dissoluti, uel propter euacuationē aliquam sensu perceptibilem, uel propter laborem superfluum, uel propter inediam. In hisce igitur quæ antea diximus omnibus tarde fiunt excretiones, hoc est longo post assumptionem tempore, in cōtrariis uero ueloces. Maximè autem omnium, contrariū est uinum, celerrime, ut diximus nutriens, post ipsum uero per ordinem alia, de quibus sermonē faciam. Et primum de uinis ipsis percurrens. Et enim aquosa ex eis exiguum præbent corpori alimentum. Sunt hæc colore quidem alba, tenuia uero substantia. Crassa autem & fusca multo magis corpus alunt. Tantū uero uincuntur à nigrioribus in nutriendo plurimum, quantum superant in præstando uniuersum & uelox alimentum. Quæcunque uero uina alba sunt, sed & crassa, minus quidem his alunt, plus autem tenuibus, & albis, sed neque uelociter, neque uniuersim alunt. Quantum uero in hisce differunt, tantum & in excretione. Aquosa enim celeriter per urinam excernuntur, quia celerrime tota fere anticipant resumi. Ex aliis uero omnibus quantum aliquid uentrem subierit, manifestæ proportionalem nutritionis tempori habet excretionē, Hoc idem in aliis omnibus accidit. Nam succus ptisanę non multo post assumptionem tempore uidetur nutrire, non tamen multum præbere corpori alimentum, id uero breui tempore prębere uniuersum. Alica uero neque paucum, neque uniuersum affert alimentum, sed multo tempore multum affert alimentum. Oportet autem & ea quę inuicem comparantur esse secundum substantiam similia, & non esse hoc quidem exquisite humidum, hoc uero extreme siccum. In ptisana igitur, & alica, & huiuscemodi omnibus quæcunque parantur ex miliis, uel fabis, uel aliis fructibus, eodem modo se habeant quæ comparantur secundum substantiæ qualitatem. In carnibus autē propria est uniuscuiusque consistentia. Comparare igitur ipsa oportet secundum modum quo parantur, uel utrisque assis, uel eodem modo elixatis. Auferre autem oportet, & dum parātur mordaces humores, quēadmodum in brasica, ac leguminibus, si certam uelis habere experientiam eius quę in ipsis alit substantię. Auferuntur autem humores dicti, si dum elixantur ab una aqua ad aliam transferantur. Si igitur adhibita distinctione diligentē omniū feceris inquisitionē, inuenies omnia quę in pauco tempore nutriunt, hoc autem est uniuersim, & paruo post assumptionem tempore, hoc enim est uelociter, etiā uelocē habere excretionē, quando hominibus eodem modo affectis exhibentur. Nam & hoc in talibus omnibus oportet præfinire. At quæ contrariam naturam habent tarde excerni. Causam horum inuenies ex his quæ ostensa sunt in commentariis de potentiis naturalibus, In his uero ostendebatur uentriculus prior, proprium sibi ipsi, ex cibis alimentum attrahere, & suis apponere tunicis. Mox ubi hic fuerit saturatus tunc ipsos emittere ad excretionem. In hoc autē tempore, & hepar ostendebatur ex cibis attrahere, ubi indigeret alimento. Nam si non egeat, illo quod prius aderat

perfrui

perfrui. Eodem autem tempore trahere rursus ex hepate totum corpus, quo tempore scilicet & hoc indiget alimento. Vnde in quibus totum corpus est uacuum, quispiam maximè possit experiri qui cibi sint uniuersim, & uelociter nutrientes, quibus & illud inest celeriter tendere ad excretionem, quantum ad id attinet. Verum nonnulli dixere eam quæ fit ex toto corpore euacuationem, ab ipso excretionem nominari, ut idem sit quod nunc docetur, ei quod dixit in libro de alimento, ubi inquit. Cibus qui difficulter alteratur, difficulter absumitur, qui facile apponitur, facile absumitur. Quod dictum uerissimum quidē est, non tamen proprie uidetur audiri sub appellatione excretionis. Nā magis proprie dicitur solum de ea quæ fit per uentrē: possumus quidem & ipsam audire de ea quæ fit ex toto corpore. Differt enim excretionem, uel subductionem dicere. Subductio igitur solum de his dicitur quæ per aluum deijciuntur. Contingit autem excretionis uocabulum esse commune. Carnes itaq; suillæ, & quæcunq; lentos ac crassos humores habent in tempore faciunt ex toto corpore transpirationem. Olera uero, & pisces saxatiles, & simpliciter quæcunq; tenuem habent humorem distribuēdum, celeritate quidem distributionis, atque appositionis exuperant, stabilem uero naturam non habent, sed facile difflant.

BRASAVOLVS

PRIMO docet quid sit ταχέως, idest, uelociter nutrire, de qua re superius in aphorismo locuti sumus.

SECVNDO docet, quid sit ἀθρόως, idest, uniuersim nutrire de quo etiam superius. In hac tamen parte addit, hæc quantum ad hoc solum quod nutriunt, ueloces excretiones habebunt, ut causam reddere uideatur, cur excretiones ueloces sint, quia uniuersim nutriunt, sed hæc non uidebitur conueniens causa. nam aliqua uniuersim nutriunt, tamen non uidentur cito excerni, ut illa, quorum pars maior in nutrimentum conuertitur, sed id fit tardius.

Nos autem Galenum hic considerantes, alium sensum in ipso inuenimus, quàm is sit à nobis in aphorismi expositione positus. Velle enim uidetur, id uelociter nutrire, quod paruo tempore post assumptionem nutrit. uniuersim uero nutrire in duobus constet, primo quod ferè secundum se totum alimētum præstet, ut pars maior in alimentum conuertatur. secundo quod posteaquam alere cœpit, totum alimentum exiguo tempore condonet. Tu uero ambigere poteris, ex hoc sequi, in uniuersim nutrire uelociter nutrire contineri, Respondemus, hoc uerum non esse: nam ad hoc ut aliquod uelociter nutriat, exigitur, quod statim, uel paulopost assumptionē nutriat. At ad uniuersim nutrire, id solum exigitur, quod totum alimentum ex se tribuat, & hoc totum alimentum, quando dare incipit, exiguo tempore det, uel tarde, uel cito dare incipiat. dummodo quando alimentum dare incipit, exiguo tempore det, hoc est uniuersim nutrire. ex his uides uniuersim nutrire à uelociter nutrire differre, propterea addit Talia quo ad hoc, quod uniuersim nutriunt, ueloces etiam excretiones habebunt. Nam si uniuersim, id est, posteaquam inceperint, cito faciant, cito etiam excrementa separabunt. Non est autem putandum, quod ueloces excretiones habere sit extra excernere, sed intelligi debet, habere excrementa à nutrimento secreta. Vnde non ab re addit, si aliqua adsit acritudo, quæ uias mordicet, in quibus hæc materia continetur, excitat ad excretionem, & talia cito excernuntur: si uero non adsit acritudo, sed potius lentor quidam, magis retinentur hæ materię, & tardius excernuntur. Hanc uero esse Galeni sententiam, quod per uniuersim intelligat quando nutrire incipit, quod hoc cito faciat, & ex se totū alimentum præstet, ex his quæ sequuntur colligi potest, nam dicit, Celerrime igitur & uniuersim maximè uinum alit. hæc particula Celerrime posita est, ut uniuersim determinet, quoniam & si uniuersim cito nutrire significet, id tamen intelligitur quando nutrire inceperit: sed dicens uel uelociter uel celerrime & uniuersim, idem est ac si dicat, quæ statim posteaquam sumpta sunt, nutriunt, non expectantes quod id faciant, quando nutrire inceperunt, sed posteaquam sumpta sunt, id statim faciunt, propterea dicere uoluit, uelociter & uniuersim. Tamen hoc non est quod probet illam fuisse Galeni sententiam superius à nobis positam, sed id quod sequitur. nam Galenus addit. tardius autem, & κατὰ βραχὺ, id est, paulatim. hic uero duo ponuntur, quæ duobus de uino dictis per oppositū correspondent. nam de uino

dixerat, quod ἀθροώτατα, idest, (ut Leonicenus interpretatur) celerrime, & uniuersim nutriebat, de carne bubula oppositum dicit, & alijs, quod tarde, & paulatim nutriunt. Tarde opponitur illi uini conditioni, qua celerrime dicebatur: Paulatim, uero illi qua uniuersim dicebatur. unde hæc particula κατὰ βραχὺ, idest, paulatim, illi opponitur, quæ dicit ἀθρόως, idest uniuersim. Non est autem dicendum, quod bubula caro multum non nutriat, nempe multum nutrit. Similiter cochleæ, cammari, locustæ, & quæ duram carnem habent, & oua prædura, & casei duri, tamen paulatim nutrire dicuntur, quia etiam postquam nutrire cœperunt, cito non nutriunt, sed paulatim. unde habemus, uniuersim nutrire in hoc consistere, quod cito nutriat posteaquam nutrire inceperit. Idem præterea ex media cōmentationis parte sumi potest, ubi de alica agens dicit, alica uero neq; paucum, neq; uniuersum affert alimentū, sed multo tēpore multū affert alimentū. Quo in loco dicit, neq; paucū, quia multū affert: dicit uero, neq; uniuersum, quia multo indiget tēpore. hæc igitur particula, uniuersum, hoc in pauco tēpore perfici significabit. Hæc igitur ultima sit huius rei nostra resolutio. Galenus per hanc particulā, uniuersim nutrire, intelligit id nutrimentū quod habet cito exhibere, quādo nutrire incepit. & si dicas tunc nos eodem modo nō intelligere, ut superius faciebamus, quod uniuersim nutrire, sit magnā portionē alimenti ex se dare, & hoc cito facere quando incepit, Respondemus hanc conditionē non esse eodem modo intelligendā ut superius faciebamus, quod uniuersim nutrire, sit magnā sui partem habere, quæ in nutrimentum transeat, sed solum hoc modo intelligere oportet, id uniuersim nutrire, quod cū nutrit in pauco tempore hoc facit per uniuersum corpus discurrens, & ipsum nutriens. unde ita exponatur, uniuersim autem quæ postquā alere cœperūt, exiguo tempore totū ex se præstant corpori alimentū, idest, totum alimentum quod habent, uel paucum uel multum sit, corpori prestant. Quod aūt hæc sit Galeni sentētia, ex media cōmentationis parte facile sumi potest, ubi de ptisanæ succo agens inquit, hunc non multo post assumptionem tempore uideri nutrire, non tamen multum prebere corpori alimentum, id uero breui tempore præbet uniuersum: ut hinc habeatur, succum ptisanæ habere paucum alimentum, sed id totum quod habet uniuersum prebet, idest, quando incipit nutrire, cito nutrit, & per totum spargitur, hocq; paulatim non facit. ut hinc uera occasio haberi possit intelligendi Galenum, qui alteram intentionem habet, quàm illa sit quæ in aphorismi expositione citata est, cum dicebamus, uniuersim nutrire, esse habere magnam sui partem, quæ in nutrimentum transeat, & hoc breui tempore faciat, quando transit. Vnde breuibus secundum Galenum uelociter nutrire, est parum post assumptionem nutrire: Vniuersim uero nutrire, est quando iam cœpit nutrire, uel sit cibus pauci, uel multi nutrimēti, cito nutrire, & non paulatim. hoc autem est, quia cito per corpus totum dispargitur. & hæc est uera Galeni intellectio & Hippocratis, ut uelociter nutrire citam (post assumptionem) nutritionē significet. uniuersim uero citam post inceptionem nutritionis. propterea Galenus recte addidit: talia igitur quantum ad hoc solum attinet, quod uniuersim nutriunt, etiam ueloces habebunt excretiones: quia ponit uniuersim nutrire in hoc consistere, quod exiguo tempore alat, posteaquam alere cœperit. Quod etiam hoc uelit, ex eadem media commentationis parte sumi potest, ubi docet, quomodo à brassica, & à leguminibus mordaces humores auferre poteris. postea sequitur, si igitur adhibita distinctione diligenter omnium feceris inquisitionem, inuenies omnia quæ in pauco tempore nutriunt, hoc est uniuersim, & pauco post assumptionem tempore, hoc enim est uelociter, etiam uelocem habere excretionem. In quibus uerbis id quod dictum est, manifeste colligitur. Vides igitur ex Galeno distinctionem illam superius à nobis in aphorismi expositione positam non educi, tamen ipsa secundum se uera est, hæc uero educi potest. Aliqua uelociter, & uniuersim nutriunt, ut uinum: aliqua tarde, & paulatim, ut caro bubula. Post hęc nos alias duas addamus, Aliqua uelociter, & paulatim nutrire, si inueniātur. Aliqua tarde & uniuersim, hæc inueniri possunt, sed duo prima membra illa sunt quæ à Galeno ponuntur.

Quod legitur, Aut lentor ob quem magis retineatur, Græce est ἢ γλισχρότης ὑπάρχει δι᾽ ἣν ἐπὶ πλεῖον κατέχεται. idest, aut lentor adest, ob quem plus retineatur.

At pro perfectiori eorum quæ dicta sunt intellectu, necesse est per plura simplicia partim medicamenta, partim cibaria considerare quid sint. primum est Cochleæ, quas sua lin-

sua lingua κοχλίας Galenus uocat. hæ quidem in multiplici differentia inueniuntur, & præsertim apud autores, ut Dioscorides, atque Plinius, in quatuor genera partiuntur. unum genus terrestre est, aliud marinum, & terrestre in duas partes diuiditur, in domum portans, & in domo carens, itaque marinum distingui posset. Tertium genus est fluuiatile. Quartum genus syluestre dicitur. Consueuimus nos ea genera solum comedere, quæ testa teguntur: quę uero extra testam sunt abijciuntur, & fere apud nos in latrinis degunt, & humentibus locis, ac cloacis. quamuis in Aphrica unum genus sit, quod nudum est, & quo uescuntur, ut authores dicunt, & nostri Ferrarienses retulere, qui 1535. cum imperatore Carolo quinto in Aphricam commigrarunt, ut Tuneti regem in suam ditionem restituerent. sed ad rem nostram redeuntes, terrenarum cochlearum cibus (ut Dioscorides inquit) stomachum reficit, ægreque corrumpitur. dicit uero reficere stomachum, quia ipsum roborat. præterea dant firmum nutrimentum, licet tarde nutriãt. sunt autem illę quæ in terra inueniuntur, & quę terram exeunt quando in uere pluit, & quæcunque huius generis in altioribus, & montuosis locis inueniuntur, sapidiores sunt. nos his solis Ferrariæ uescimur, quia marinas non habemus, nisi adportentur, quod quandoque fit ab his qui fossam Clodiam incolunt piscatoribus. Nostrę mulieres secretũ quoddam genus cocturæ sciunt, quo adeo tenellæ efficiuntur, ut in ore liquescant, & nihil callositatis habere uideantur. Nobis etiam non desunt fluuiatiles cochleæ, illæ sunt, quæ in fluminibus nascuntur, & in fossis, quo genere nõ uescimur. ueteres ita cochleis oblectabantur, ut etiam cochlearum haberent uiuaria: in quibus farina eas pascerent, teste Varrone de re rustica. Habemus & syluestres cochleas, uel arboreas, illę sunt quæ frutetis adhærent, & sentibus, aliquæ inter ipsas albæ sunt, aliæ præter albedinem, nigris, rubris, uel luteis impressę sunt, & fere opere uermiculato à natura elaboratæ, his autem nõ uescimur. hoc genus à gręcis sesilon uocatur, quod Dioscorides dicit stomachũ & aluum circumagere, & uomitiones mouere. forte hoc in causa est cur illis non uescamur. sed nos plerunque hoc genus comedimus, nam & si paruæ sint tales cochleæ, multis tamen sapidiores sunt, nec unquam uel circumagi aluum, uel uomitum prouocari persensi. forte ab alijs edulijs oppressæ, suũ hoc opus à Dioscoride scriptum perficere non potuerunt. Idem Dioscorides marinas stomacho utiles esse dicit, & facile deijci. si uero ita dubites, facile deijciuntur, igitur uniuersim nutriunt. Respondere possemus, id propterea esse, quoniam salsuginem quandam habent, ob quam aluus ad eijciendum iritatur, tamen id quod à superfluo eijciendo seiunctum est, cito nõ nutrit, sed paulatim: unde & si excretiones ueloces habent, tamẽ uniuersim nõ nutriunt. Vel dicamus, quod excretiones ueloces non habent, idest, cito excrementa à nutrimento nõ separantur: sed posteaquam excrementa separata sunt, ob salsedinem quam mixtam habent, facile excernuntur. unde concedimus, hoc habet ueloces excretiones, igitur uniuersim nutrit: sicuti è contrario, uniuersim nutrit, igitur habet ueloces excretiones. Quare in hoc sensu illæ propositiones inter se conuertentur, quamuis in altero sensu conuerti non possint. Ad propositum igitur redeuntes, Galenus de omni cochlearum genere intelligit, cum dicit, tarde & paulatim nutrire, & præsertim de domiportis, quas & Græci φερέοικος, idest, domiportas uocant. hæc cochlearum definitio Ciceroni attribuitur, terrigenam, herbigradam, domiportã, sanguine cassam. Alio autem modo ipsam definiuit Teucer, esse animal sine pedibus, sine spinis, sine ossibus, crustatum, oculos nunc exerens, nunc retrahens. Athenæus in secundo Dipnosophiston adscribit Aenigma de cochlea in hęc uerba, ὑλογενής, ἀκανθος, ἀναιματος, ὑγροκέλευθος. Lutigena, exspinis, exanguis, humidigrada. Hæcque de cochleis satis.

Verticilli marini, ita Leonicenus interpretatus est, quod sua lingua Galenus σπόνδυλοι θαλάττιοι dixit, ad similitudinem spondylorũ dorsi. sicuti enim σπονδύλους, idest, uertebras interpretatus est, ita nunc hos σπονδύλους θαλαττίους uerticillos marinos per similitudinem atque diminutionem uertit. Quid uero sint, haud plane constat. nempe de spondylo herba & Dioscorides, & Galenus, & cæteri antiquiores loquuntur, sed de spondyli animali perpauci, præsertim de marino. scimus enim spondylon esse fusi perpendiculum, quod instrumentum ad hoc usque tempus à nostris mulieribus *fusarolo* nuncupatur. Immò & Athenæus id echinata specie, quod in mugilum capite inuenitur, spondylon no-

 minari

nominari censet, quod nos à similitudine quam habet cum muliebri instrumento, quod est fusi perpendiculum, *fusarolo* etiam nuncupamus, quam partem ob amarorem proijcimus, tamen multi etiam inueniuntur, qui illam comedunt. Galenum de hac re loqui credere non oportet, quamuis putandum sit, quod tarde, paulatim, immò & parum nutriat. hoc autem uocabulum uerticillus nusquam apud latinos (quod sciuerim) inueni, Apud Plinium solummodo legi spondylum genus serpētis esse libro uigesimoseptimo capite ultimo prope finem, quid uerò sit, nec docet, nec exprimit, nec aliquibus uerbis ostendit, At cū hic serpens nō comedatur, immò uenenosus esse debeat, quia uenenosis radicibus uescitur, ut eodem loco Plinius dicit, propterea Galenum de hoc loqui uerisimile non est. Athenæo aūt placet genus salsamenti esse spondylen, de quo Galenus intelligere posset, id tamen non credimus, quoniam paulopost de salsa carne agit. Hanc igitur rem interius considerantes, in hoc inclinauit animus, ut spondylus in hoc loco sit concharum genus (quamuis nonnulli uelint spondylum esse carnem, uel omnium concharum callum, at nobis potius uisum est esse concharum speciem) argumentum hinc sumimus, quia Plin. capite decimo libri trigesimi secundi, ubi remedia ad omnes febres describit, præsertim ex piscibus, inquit, Tertianis mederi dicitur & spondylus per se adalligatus, Quartanis cochleę fluuiatiles in cibo recentes. Prius enim dixerat, aliqui sanguinem testudinū lethargicis illinunt. Si hunc Plinij progressum consideremus, primo testudinē quæ testa contegitur ponit, tertio loco cochleam, quæ & ipsa testam habet. uerisimile igitur est, id quod secundo loco positū est, testaceū quoddam esse, pręsertim quia hic Galenus testacea quædam refert. Adde, aliud indiciū ex undecimo capite eiusdem libri circa finem sumi posse, ubi centūseptuaginta sex genera animalium in mari uiuentiū numerans, spondylum inter onychem & smaridem ponit, quæ eiusdē generis sunt, præsertim onyx, qui inter conchas numeratur, dicitur uero à nostris pharmacopolis blatta bisantia. Nihil aūt refert, & si smaris pisciculus sit. ut igitur in summa colligamus, genus id concharum, quod à nostris spoletta uocatur, forte per corruptionem huius uocabuli spondylus, apud Galenum spondylus esse uidetur, quod an uerum sit, iudiciū ferre prætermittimus. Leoniceno placuit uerticillum interpretari, at unde id acceperit, ignoramus: constat uerò carnem habere, quæ & tarde, & paulatim nutriat. Non desunt tamen qui uelint dactylos, idest, digitos marinos esse spolettas, tamen & de spondylo Plinius libro trigesimotertio, & Macrobius in Saturnalibus meminerunt, sed quis piscis sit non explicant. Alij spondylum inter zoophyta annumerant, quę Aristoteles & Plin. uocant holothuria. Theodorus nunc uertibula, nunc callos, nunc tubera transtulit. sunt qui uulgo spongiolas marinas putent uocitari. Quid si spondylum dorsuariam illam partem Thunni, & aliorum cetariorum piscium intelligamus, ex qua deinde salsa Athenæus pretiosum salsamentum fieri tradidit, quod spondylum etiam appellat. Nos schinalem, quasi spinalem nuncupamus, græci Rhachin uocitant. Tu ergo supra hæc iudicium ferre poteris.

Squillæ. Galenus hic sua lingua dicit ἀκρίδων, κάραβοι, ἀστακοὶ, idest locustæ, carabi, cāmari. Nosq; non uidemus, nec inuenimus, quod de squillis mentionem ullam faciat, nam uocabulum ἀκρὶς locustam significat, non squillam. ut autem Leonicenum defenderē multa exemplaria græca inspexi, & pręsertim antiquissimum, quod apud nos est, in quo ἀκρίδων, idest, locustæ legebatur. forte erant in tertio loco locustæ, idest, id uocabulum ἀκρίδων, propterea tertio loco dixit locustæ, uel eius codex aliter legebatur, ut ubi nos legimus ἀκρίδων, ipse haberet καρίδων, idest, squillæ. nam καρὶς apud Græcos squillam significat, quamuis & curidas, & καρίδας easdem squillas uocent. Sunt autem squillæ apud nos notissimæ, cammari imaginem referentes, & id nomen squilla uulgo seruant. Plinius capite quadragesimo secundo libri noni pinnotherem, & pinnophylacem uocat secundum aliquos. Constat autem squillam & tarde, & paulatim nutrire, nam carnem habet cammaro similem, ueruntamen tanto tardius nutrit, quanto conditura præstat, qua testa sua (quæ tamen tenella est) non abijcitur. Nos in conchilibus & ostreis squillas istas uidimus, ut inde pinnotherem esse iudicauerimus. Tamen bene etiam pensitandum est an squilla sit pisciculus iste notissimus qui inter χυδαίους, idest, fusaneos & miscellaneos censetur: Nam apud

ueteres

ueteres squilla magnus piscis habebatur. unde Iuuen.

Aspice quàm longo distendat pectore lancem, Quę fertur domino squilla.

Et Plinius in undecimo locustis & squillis oculos tribuit præduros & prominentes, uerum pisciculus ille paruus qui uulgo squilla dicitur, tarde & paulatim nutrit. Quid uero sit magna illa Iuuenalis squilla ignoramus, constat tamen & paruam squillam præduros oculos habere & prominentes. Cāmari. gręcus cōtextus dicit κάραβοι. Athenæus author est κάραβον quādoq; pro locustis, quandoq; pro cāmaris à ueterib. accipi Pli. lib. ix. cap. xxxi. inquit Carabos cancrorum genus esse, quod à cæteris cancris cauda distat. sunt enim (ut arbitror) Carabi, qui caudam parū latiorē habent: eorū caro tarde & paulatim nutrit, quia dura est. Locustæ, hic contextus græcus nō dicit ἀκρίδας, idest, locustæ, sed ἀσακοί, est uero apud græcos, ἀσακὸς cāmarus. unde Pli. trigesimoprimo capite noni libri cancrorum genera enumerans Carabos & Astacos refert. sunt maiores cāmari, de quibus Aetius libro secundo capite 143. & 261. Venetijs adhuc idem fere nomen seruāt Astesi, quasi Astaci. Leonicenus forte ne iterum diceret cāmari, quia prius καράβους interpretatus fuerat cāmaros, locustas dixit. Tamen locusta in alio genere continetur, nam illa est, quam nos cauallettam uulgo uocamus, & quam diuus Hieronymus & in ueteri instrumento, & in uitis patrum pro cibis fuisse tradit, & diuum Ioannem locustas comedisse testatur, & contra Iouinianum apud Aphros cibum esse refert. si de his locustis Galenus intelligeret, illi non consentiremus, quod tarde & paulatim nutrirent. nam quæ huius generis sunt, duram carnem habent. constat uero has terrenas locustas mollissimam carnem habere, est autem cibus Iudæis non interdictus. Nos arbitramur hic Galenum per locustas, marinas potius intelligere, de quibus Plinius libro trigesimo secundo capite ultimo mentionē facit. nam lacertorū genera enumerans inter ipsa locustas cōmiscuit. Venetijs locustas uidimus, quæ piscatoribus notissimæ sunt, Crustā habent, ut Plinius etiam meminit libro nono cap. xij. Refertq; tertio capite eiusdem libri, ubi de beluis Indici maris agit, in hoc mari locustas quaterna cubita implere. habent uero formam quodammodo terrenis locustis similem, sed duritie diuersa sunt, quippe crusta integuntur, earum caro dura est, unde tarde, & paulatim nutriūt. Si igitur Galeni uerba referamus, ita interpretandus est: ubi Leonicenus dicit squillæ, cancri, atq; locustę, nos interpretemur, locustæ, cancri qui Carabi, & qui Astaci appellantur: ut duo cancrorum genera numeraret, quorū apud antiquos usus erat, & nunc est. Vt aūt Galenus breuibus, quæ tarde, & paulatim nutriunt, edoceret, ita uno uerbo complexus est, Omnia quę habent carnem duram, tarde & paulatim nutriunt, de quibus singulatim & in libro De alimentis, & in libro De simplicium medicamentorum facultatibus scriptum reliquit. in hunc ordinem σκληροὶ τυροὶ, idest duri casei referuntur, qui tarde & paulatim nutriunt, quoniā compactam & crassam substantiam habent. de quibus in tertio De alimentorū facultatibus libro inquit: maxime uero inueterato acrimonia crescit, & omnino quàm antea calidior urentiorq; is redditur, ideoq; & siticulosior & cōcoctioni rebellior, & succo deterior tandem euadit: dicitq; succum habere ad renum calculos conficiendos aptum.

Numerat etiam Galenus inter illa quæ tarde & paulatim nutriunt, καὶ τὰ ταριχευμένα τῶν κρεῶν. idest, & carnes salitas, quę crassum & durum alimentū tribuunt, sed ex animalium diuersitate, & ipsa differunt. φακοὶ tamen, idest lentes, inter ea quę tarde & paulatim nutriunt, numerantur. Galenus in primo de alimentorū facultatibus libro de lente inquit: cortex eius uehementer adstringit, cornea substantia tenuiter, quæ & crassi succi & terrestris est, propterea nutrimentum eius uniuersim alere non potest.

βολβοὶ, idest Bulbi, & ipsi inter illa quæ tarde & paulatim nutriunt, referuntur. sunt uero Bulbi (ut ex Galeno libro secūdo De alimentorum facultatibus sumi potest) radices illæ, quas nos ascalonias uocamus, quas eodem loco Galenus amaram austeramq; uim habere dicit. Multi em̄ hic decipiūtur, qui per bulbos genus illud boleti intelligūt, quod ex similitudine quā habet cum spōgia, uulgus spongiola nuncupauit. nec mirū uideatur, quod bulbus, idest dicta ascalonia, tarde & paulatim nutriat, quamuis predictū saporem habeat. quoniā ut Galenus precitato loco dicit, crassiorē & glutinosiorē corporis substātiā habēt, sed amaror crassitudini reluctatur, propterea nō sunt ita tardi nutrimēti ut multa prædicta, Tamen & si dixerimus, bulbū hic non significare spongiolam, nec fungum,

id non diximus, quia & hæc non sint crassæ substantiæ, & tarde ac paulatim non nutriant, immo huius generis sunt, at id diximus, ut antiquos medicos sequeremur, qui ascalonias bulbos uocant. immò unum genus est, quod ab affectu bulbus uomitorius appellatur. An uero Ascaloniæ uocentur quasi Ascalonitæ ignoramus. scimus tamen bulbos Megarenses & Africanos apud ueteres fuisse celebratos.

Præter hæc Galenus inter illa quæ tarde & paulatim nutriunt, enumerat καὶ τὰ μέχρι τοῦ σκληρωθῆναι τῶν ᾠῶν ἀφεψημένα. idest, & oua usq; quo induruerint elixata. Verum cum de ouis in præsentiarum sermo inciderit, quæ in usum medicum, præsertim pro roborandis uiribus, aut conseruandis frequētissime ueniunt, propterea non ab re erit, si de ipsis aliquid loquamur, & eo maximè quod in his libris, nulla de ouis loquēdi præstatur occasio. Quum uero de ouis sermo futurus sit, de Gallinę ouis potissimum fiet. quamuis Dioscorides & Galenus de omni uolatilium ouo uerba facere uisi sint, tamen nos per proportionem quandam, & aliorum uolatilium oua subintelligere poterimus. Vna est & omnium prima ouorum differentia uel consideratio, quoniam aliqua recentia sunt, alia quæ uulgo dicuntur euanida, Ferrariæ stantita, à latinis uero requieta. At Galenus libro tertio De alimentorum facultatibus ex tribus oua consideranda docet, primum est à propria substantia, secundum ab eo quod recentia, & uetera sunt, tertium à ratione cocturæ.

A propria substantia contemplatio fit, si cuius animalis sint, consideremus. nam Gallinarum & phasianarum oua cæteris præstant. Anserum, & Struthocamelorum deterrima esse constat. Nos ex struthocamelo oua comedentes, gustum quendam sapidum habere inuenimus. Domi habebamus superioribus annis hoc animalis genus, erat uero fœmina, & oua faciebat. Illustr. Alphonsus Ferrariæ dux ad nos id animal misit, ut à nodo, qui eius collū occupabat sanaretur. Ab eo ꝙ recētia, & uetera sunt, quoniā probatioris, melioris, & copiosioris nutrimenti sunt recentia, quàm requieta: & ab autoribus magis probantur. nam, ut præcitato loco Galenus dicit, optima sunt recentissima: pessima per quam diu asseruata: Quæ autem in medio sunt, tanto sunt peiora, quanto magis recedunt à recentissimis, & tendunt ad diu asseruata: Quanto autem sunt propinquiora recentissimis, tanto meliora sunt. A modo cocturæ multæ sunt differentiæ, quas potissimum medicus obseruare debet. nam plurimum ualet & in tuenda sanitate, & in reddenda, cocturæ modus: nos uero de his cocturæ modis quo breuius atque ordinatius fieri poterit, agemus, antiquorum modos recentibus comparantes. Oua igitur uel per se coquuntur, uel cum alijs rebus mixta. si per se coquantur, hoc uel in aqua, uel in calidis cineribus, uel in sartagine fit. Si cocturas inuicem comparemus, illa quæ in aqua fit cæteras bonitate excedit, & oua in cineribus cocta his præferuntur, quæ sartaginis cocturam accepere: hæcq; ita intelligas, ut semper unus cocturæ modus alteri sibi simili comparetur, ut in omni cocturæ modo mollia mollibus, & dura duris comparentur, non autem dura mollibus. quoniam mollia in cineribus, duris in aqua coctis præferre oportet, non autem mollibus in aqua coctis. Quæ in aqua coquuntur, quandoque in aquam calidam absq; testa quandoque cum testa imponuntur, & ἐξάφητα, idest, exapheta à græcis dicuntur. At quę in cineribus cocturam accipiunt, ab eisdem ὀπτηθέντα, idest, optethenta, ac si dixeris cinere tosta nuncupantur. Quæ uero in sartagine decocta sunt, ab ipso instrumento apud grecos nomē sortiūtur, nam ταγηνιστὰ, idest tagenista uel taganista uocantur, & omnium deterrima sunt, Galeno pręcitato loco dicente, dum concoquuntur, nidorem, ac fumum ędere, succusq; ex ijs prognatus, non solum crassus, uerumetiam prauus, & excrementicius est. Ad illa igitur, quę in aquis coquuntur redeuntes, ita de illis agemus, ut tu ipse ex his proportionem quandam in alijs diuerso modo coctis tanquam exemplar sumere possis. In his triplex diuersitas inuenitur: nam aliqua sunt, quę tantum incalescunt, & à nobis, ex usu, sorbilia uocantur, nempe sorbentur, unde & Greci ῥοφητά, ac si dixeris sorbilia, nominant. hæc uero non sunt cocta, sed uix densari cœpere, quoniam calorem modice persensere. his non utimur, nisi cum oua sunt recentissima, ut naturalē Gallinæ calorē adhuc seruent. Cum uerò magis coquūtur, quo ad albumen in coagulati lactis speciē ueniat, à grecis ἁπαλά, idest, tenella, uel liquida dicūtur. Recentes uero semicocta interpretantur, & elixa, sed an bene iudicium

cium ferre nolo. forte illa sunt, quæ à Celso capite uigesimooctauo secundi libri mollia dicuntur, ubi dicit ouum molle, uel sorbile esse imbecillissimæ materię, durũ uero ualentissimæ. Si adhuc magis coquãtur ut ad mediocrẽ usq; consistentiam ueniant, & ita fiãt, ut cum è putamine educuntur, tremere uideantur, τρόμητά trometa, idest, tremula dicuntur. Sunt qui uelint hæc illa esse quæ Celsus mollia uocauit, Sed & tremula, & mollia, & sorbilia, ac si idẽ sint, accipimus, nec ullã differentiã, quę digna notatu sit, facimus. Quãuis Galeni mens sit, Tremula omniũ bellissime nutrire, Sorbilia uerò minus, sed expeditius descendũt, immo reperiũtur, qui ex sorbili ouo ter, quaterq; excernant. Si uerò ad perfectã cocturam ducãtur ἑφθὰ ephtha, idest, cocta Græci nominãt, sunt aũt illa quæ nos uulgo oua apta ut ex pane comedãtur, nuncupamus. Si adhuc magis coquantur, dura fiunt, & σκληρὰ à Græcis, idest, dura dicta sunt, quæ pfecte cocta sunt, & hæc dura difficilẽ coctionẽ habent, & tarde pertranseunt, ut Galenus tertio De alimentorũ facultatibus libro testis est, qui ephtha, idest, cocta, & dura pro eodem sumere uidetur. Hæc aũt talia sunt, ut per se masticari possint. His peiora putant, & quæ paulatim ac magis tarde nutriãt, illa quæ sub cineribus calidis induruerint. nã si quid habẽt humidi exiccatũ est. His adhuc peiora sunt, quæ in sartagine cocta induruerint. Hæ sunt antiquorũ notiones de ouis quoties per se coquũtur. Cum uerò alijs rebus miscẽtur, uarias compositiones efficiũt, de quibus nos egregie, & per methodi modũ ptractare auderemus, nisi coquinariã artem potius q̃ medicã edocere uideremur. Tamen ab uno Galeni modo non abstinebimus, qui libro pręcitato, Oua ex oleo, garo, & momento uini coquere uolens in uas ponit, deinde hoc uas in aliud aqua plenũ, ut in eo bulliant, & coquantur. Nos in hoc condimẽto butyro uti solemus. Gręci uocant pnicton, quidã in Paulo Aegineta libro primo capite octuagesimotertio interpretatus est p̃focata, sed eduliũ est nostro palato ingratũ, tamen & stomachus noster oua refugit, atq; abhorret. Potuissemus hoc in loco, & de ouis cũ testa, & sine testa coctis differere, & de placenta ex ouis, quam nos frictatã uocamus, quæ & tardi & nidorosi nutrimenti causa est. At ne de his rebus plus quàm satis sit agamus, huic de ouis sermoni finẽ faciemus, addentes solum Simeonem de cibarijs hæc ferè omnia à Galeno dicta repetisse.

TERTIO Galenus docet quibus indicijs cibum aliquem uelociter nutrire cognoscere possis. unum indicium est pulsus, qui fortis & magnus fit, quando cibus cito nutrit, idest, hic pulsus cito fortis & magnus euadit. Aliud indicium ex uoluntarijs motibus accipitur. Sunt autem apud Galenum motus musculorum omnium uoluntarij, unde ambulare, exercere corpora, & huius generis alia, si post sumptũ cibum cito crescãt, indicium est cibũ uelociter nutrire. At quia hoc in nobis facile experiri non possumus, ideo statim docet in quo casu periculum facere possimus, inquiens, hoc uideri posse in hominibus per aliquam euacuationem dissolutis. nam cum hi resumptione indigeant, periculum facere possumus, an hæc cibaria, uel illa citius, tardiúsue resumant. per euacuationem uerò omne euacuationis genus intelligit, uel sponte factæ, uel à medico ui medicamenti, uel per uenæ sectionem, uel per laborem superfluum, qui corpora exhauserit, uel per inediam, quæ & ipsa corpus consumit, licet id per accidens sit, ut in præcedentibus aphorismis à Galeno dictum est.

Quod legitur, indicium autem tibi sit uelocis nutritiõis ex assumpto cibo, Græce est σημεῖον δ' ἔστω σοι, τὸ τρέφειν ἤδη προσενηνεγμένον, idest, indicium autem tibi sit, cibum assumptum iam nutriuisse.

Quod etiam legitur, In motibus autem uoluntarijs, Græce est, ἐν δὲ ταῖς καθ' ὁρμὴν κινήσεσιν. In motibus secundum impulsum animi.

Quod etiam legitur, uel propter euacuationem aliquam sensu perceptibilem. In Aldino contextu hæc particula abest, in nostro autem antiquo adest. nam ita dicit ἢ καὶ διὰ κένωσιν τινα αἰσθητήν. magis probo quod absit. nam si adesset, idem à Galeno bis diceretur. nempe superius statim dixerat, in illis qui ex euacuatione aliqua sensibili sunt dissoluti. Aldinus autem contextus ita applicat illam particulam ἐπὶ τῶν ἐκλελυμένων διὰ κένωσιν τινα αἰσθητήν.

QVARTO notat Galenus, uinum celerrime nutrire, quod de omni uino uniuersaliter intelligere oportet, alijs rebus uinum cõparantes, sed unum uini genus alteri cõferentes

rentes, aliquod uinũ reperitur, quod alio magis nutrit, & celerius. Vinorum aũt genera quo breuius fieri poterit, adducemus. Aquosa uina, quæ alba sunt, & tenuia, exiguum præbent alimentum, tamen hoc exiguũ quod habent, uelociter & uniuersim præstant, & ueloces quoq; excretiones habent, quia statim per urinam deijciuntur, ut apud nos quædam uina sunt, quæ albana uocãtur, non quidem omnia, sed alba non flaua.

Vina alba & crassa magis nutriũt, q̃ tenuia, sed minus uelociter & uniuersim, hæc illa sunt quæ nos uulgo non quidẽ albana, sed uina alba uocamus. Vina crassa fusca adhuc magis nutriunt, q̃ alba crassa, sed minus uelociter: sunt autẽ illa quę nos uulgo Cesuola uocamus, quãdo crassa fuerint, nõ cesuola illa quæ tenuia sunt, nempe uere nigra nõ sunt, sed in nigrũ tendũt, propterea nos uulgo sub uocabulo nigri uini cõplectimur.

Vina nigra crassa magis nutriũt q̃ fusca crassa, sed minus uelociter: sunt aũt illa q̃ nos simplici uocabulo nigra uocamus, intellige uerò uina uinis, & nõ alijs rebus cõpantes.

Scito aũt rubra uina, uel flaua, de quibus mentionẽ nõ facit, plus alimenti habere q̃ reliqua uina. Ideo qui dicũt Galenum sibi cõtradicere hic, & in Aphorismo undecimo, mentiũtur, quoniã hic nihil de rubro uino, ibi omnibus in nutriẽdo p̃ponebat, sicuti & in tertio De simpliciũ medicamentorũ facultatibus libro capite decimoquinto, & in libro De sanitate tuẽda, & alibi sępe fecerat. Sunt aũt flaua uina, qualia ea quę nos creticũ & passum uocamus, Rubra uero, quale id quod ex ea parte asportatur quæ Naupliũ uulgo Napoli de Romania dicitur, & uinum ipsum à loco nomen sortitum est.

Quod legitur, post ipsum uerò p̱ ordinẽ. hæc particula, per ordinẽ in prima nostri antiqui contextus lectione habetur τῷ στοιχείου, in secunda uerò, & simul in Aldino contextu, τῷ στοίχου.

Quod etiam legitur, exiguum præbet corpori alimentum, Græce est, ἐλαχίστην τροφὴν τῷ σώματι δίδωσιν, idest, minimum præbent corpori alimentum.

Nota etiã quod legitur crassa aũt & fusca, Gręce esse οἱ δὲ παχεῖς καὶ κιῤῥοί, aliàs uerò Leonicenus uocabulũ κιῤῥὸς flauum interpretatus est, alibi ruffũ. Nos in uinis fuscum non diceremus, sed potius flauum, uel ruffum, Gellius Giluum interpretatur.

Qđ legiť Aquosa em̃ celeriter, hæc particula celeriter Gręce est τάχιστα. i. celerrime.

Quod etiã legitur, quia celerrime tota ferè anticipãt resumi, ex alijs uerò omnibus: in nostro antiquo cõtextu duæ lectiones inueniũtur. prima est Aldino contextui affinis, hoc modo, διὰ τὸ φθάνειν, τάχιστα σχεδὸν ἀναλαμβάνεσθαι ὅλον. τῶν δὲ ἄλλων πάντων, & reliqua. & hæc erat lectio quã Leonicenus secutus est. Secũda lectio hęc est: διὰ τὸ φθάνειν ἀναλαμβάνεσθαι σχεδὸν τῶν ἄλλων μᾶλλον. i. Quia celerrime anticipãt resumi, & ferè alijs (magis.

QVARTO Si de excretionis tempore dubitares, Galenus generalẽ quendam canonem docet, excretionem tempus proportiõale habere nutritioni: unde quãto diutius nutritio retardatur, tanto & per proportionem excretio.

QVINTO Galenus dicit, ptisanæ succũ, uniuersum & uelociter nutrire, sed parum nutrire. Quid uerò sit ptisanæ succus edocere oportet. Hippocrates in primo libro De ratione uictus in morbis acutis inquit, ptisanã fieri ex hordeo q̃ optimo, & eã probe coquere, & hoc præsertim si non solo cremore uti decreuerimus. ex quo loco duo in ptisana esse colligimus: unũ est totũ hordeũ probe decoctũ, quod à Galeno ptisana non colata uocatur: aliud est cremor, idest cocti hordei expressio, quæ dicitur ptisanæ cremor, hic à Galeno succus ptisanæ dicitur. Nec Hippocrates quo modo fiat aliter q̃ supra dicto ostẽdit. Galenus de ptisana libellũ edidit, qui an Galeni sit, ancipites sumus, in quo hũc ordinẽ seruat. primo probatissimã aquã eligendã iubet, & p̃batissimũ hordeũ. Hordeũ uerò ab aliquibus mortario tunditur, à Galeno primo in aqua maceratur, deinde manibus adeo teritur, ut tenuis mẽbrana cõspiciatur. postea iterũ manibus ualẽter cõterit, ut quodq; glumosum excutiatur. Si cui aũt mẽs sit, hanc magis abstersiuã efficere, simul cũ mẽbrana decoque. Hoc aũt modo elixatur. Primo hordeũ diu coquiť, mox ad mollẽ quoq; ignẽ, donec multum succulentũ reddatur. Hæc Galenus in eo libro, quẽ De ptisana inscripsit, si Galeni sit: tamen non docet an aliquid cum hordeo poni debeat, immo illos reprehendere uidetur, qui aliquid simul cõmiscebant. Paulus Aegineta libro primo capite septuagesimooctauo inquit, Coquiť autẽ ptisana hoc modo: una eius pars in quindecim aquę partibus pusillo olei adiecto, et cũ intumuerit, aceto etiã. ubi uero ad

unguẽ decocta fuerit, superinijciẽdus quoq; tenuis & exiguus sal, nec desunt qui porri aliquid, atq; anethi addãt. Verũtamen nõ putamus hoc loco Paulũ de ptisana hordeacea loqui. nã & ex tritico, & ex alijs frugibus ptisana cõficiebatur. At eo loco de oryza agit Paulus, unde nos illũ de oryzę ptisana loqui arbitramur, nõ uerò de hordeacea ptisana. Quod aũt ex oryza fieret, Horatius ostẽdit, inquiẽs, Sume hoc ptisanariũ oryzæ. uel cũ Paulus de omnibus frugibus locutus esset, ex quibus omnibus ptisana fieri potest, in fine modũ conficiẽdi ptisanã, non tã hordei, q̃ aliarũ frugũ edocuit. At nõ desunt antiqui, qui ex decẽ aquæ partibus, una hordei ptisanã cõficiebant. Nullus est certus locus, quo optime educi posset, quo nam modo conficeretur. Tamen apud Romanos in magno usu erat, adeo, ut summi uiri quomodo fieret, tanq̃ rẽ notissimã omittẽtes, edocere despexerint. unde Plinius de illa agens inquit, eius esse uulgatã rationẽ quomodo fiat. Nos aũt quicquid ex diuersis authoribus sparsim conijcere potuimus, in unũ collegimus, & hæc quæ sequũtur, ordinauimus. Pro conficiẽda ptisana hordeũ non molebatur, sed tũdebatur. Argumentũ sumi potest ex eius nomine, quoniã ptisana dicitur ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, quod est pinsere, ab aliquibus etiã pisana dicit͂, & ab alijs disana. tuso hordeo, in sole siccabãt, & cũ suo polline condebãt ut ꝑduraret ad usus. hoc tundere id est, quod ex Galeno superius dicebamus friare manibus. postea coquebant, ut ex Hippocrate in libro quarti De ratione uictus in morbis acutis colligi potest. Coctio autẽ uaria erat. nã si ptisana uti uolebãt, bene coquere opus erat. Si eius cremore, ita coquere nihil referebat. Coquebãt uerò hordeo mũdo quindecim aquæ libras pro hordei libra supaddẽtes, q̃uis nõnulli sint qui decẽ dixerint. Nos potius probamus quod quindecim sumantur, & ita credimus cũ Paulo Aegineta antiquos in hac decoctione fecisse. quãdo hordeum ꝑfecte decoctũ fuerit, tria in uase cõtinentur, primũ est hordeũ in pultẽ ferè redactũ, qđ ꝓprie ptisana uocatur, quæ cũ ad summũ cocta est, non adeo exhausit aquã, quin aliqua portio non supsit. Quæ aquę portio si à ptisana separetur, ptisanæ potus nũcupatur, si uero pultẽ illã sumamus, quæ ptisana dicitur, & exprimamus, expressum illud ptisanę cremor uocatur. Hoc ex Hippocrate & Galeno in fine tertij libri De ratione uictus in morbis acutis colligit͂. Ptisanã totã (inquit Hippocrates) qui accipiũt, tutius uti balneo possunt, q̃ qui solo utũtur cremore. Sed qui potu solo utuntur, minime balneo uti possunt. Galenus uerò in cõmentatione docet, in quibus ægritudinibus sit horũ usus, inquiens, ptisanã aũt totam porrigũt his qui mitius, quietiusq; habent: solũ uerò cremorẽ his qui deterius degũt. Verũ his qui ꝑiculosius acutiusq; laborãt, potus solus. ut hinc facile colligi possit, nõ solũ quid, quomodóue sint, sed etiã in quibus morbis ualeant. nã in periculosis & acutis morbis solã aquã uel potũ præbent, quod est ptisanæ colamentũ, ut in angina, in qua septẽ dierum spatio nihil datur, nisi in primis aqua quę à ptisana percolatur uel decoctio, deinde cremor, deniq; mitioribus morbis ptisanã dabãt. Nota tamen conueniẽtius esse dicere, ptisanã id totũ esse. s. hordeũ decoctũ simul cum aqua in qua decoctio perfecta est, q̃ solã pultẽ. nã Galenus in primo De ratione uictus in morbis acutis, ubi Hippocrates dicit, Talia aũt parte plurima prosunt his qui tota utũtur ptisana, exponit id uocabulũ tota, inquiẽs, siue dicat cõtextus Hippocratis totã ptisanã, siue hordeacẽã ptisanã, siue simpliciter ptisanã, semper unum & idẽ significat. s. ptisanã nõ colatã: unde ptisana est duplex, colata, & non colata. Quando aquã simul mixtam habet & cremorẽ, dicitur tota & integra, & nõ colata ptisana. cum uerò illã ab aqua, in qua facta sit decoctio percolamus, ptisana colata dicitur. Si uerò ab ipsa ꝑcolata tenuiorẽ succũ exprimamus, hic nec est ptisana tota, nec ptisana colata, sed ptisanę cremor. Aqua uerò ptisanæ potus nũcupatur. Habes igitur quid sit colata ptisana, & nõ colata, quãdo apud authores hæc nomina scripta reperies. Et hæc de ptisana satis sint, si addamus plerunq; antiquos alia etiã multa ptisanæ addidisse, quod manifeste ex Galeno sumit͂ in primo De alimentorũ facultatibus, ubi de lente agens, ex lente eduliũ ponit, in quo satureiã, & pulegiũ addit. At dicit, hæc nõ esse iucũda in ptisana, sed in ipsa potius porrũ & anethũ ponimus: quamuis hic locus de lentis ptisana potius, quàm hordeaca intelligendus sit.

SEXTO dicit, Alicã multũ nutrimentũ exhibere, sed multo tẽpore, unde Galenus de Alica in libro De cibis boni & mali succi agẽs, inquit, Alica uerò, sicut & suilla caro si exacte in uẽtriculo cõcoquantur, cũ in sanguinẽ à uentriculo cõuertantur, probatissi-

mos humores gignũt, sed glutinosi aliquid in se habet, ob idq; in ijs iecur obstruũt, & renes, qui hos à natura adstrictos meatus habent. unde certe uides esse ualentissimi nutrimẽti Alicã. sed quid sit Alica, & quomodo fiebat, ab re dubitare non erit. χόνδρος, idest, chõdrus à Græcis, à Latinis alica dicitur: utrũq; nomen tã apud Græcos, quàm apud Latinos duo significat, genus frugis, & genus pultis. hoc manifestissime apparet. nã præcitatus Galeni locus de fruge intelligẽdus est. Adde quod octauo De simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus libro de chõdro, ut de farris genere agit, & in primo etiã libro De alimentorũ facultatibus. Interp̃tes uerò, ubi adest uocabulũ χόνδρος, semper Alica interp̃tãtur, ut in hoc loco Leonicenus facit, & Theodorus ubiq; in Theophrasto: sed Paulus Aegineta solus inter chondrũ, & Alicã distinctionẽ ponere uidetur, si Hermolao credamus. uult ẽm diuersa esse frugis genera, tamen nos uidere nescimus quod Paulus dicat alicã esse frugẽ, sed potius alicã esse pultẽ ex chõdro. si aũt eius uerba scire p̃cupias, hæc sunt quæ libro primo capite septuagesimooctauo circa principium posuit, τῶν σιτωδῶν ὀνομαζομένων ὁ μὲν χόνδρος τρόφιμος τε καὶ γλισχροῦ χυμοῦ γεννητικός, ἀλλ' ὁ μὲν πολτὸς μοχθηρός, ἐπείπερ ἑτοίμως παχυνόμενος ἄνεφθος μένει. κρείττων δὲ ὁ χυλὸς αὐτοῦ ὅλου καλῶς ἑψηθέντος παραπλησίως πτισάνῃ. ὁ δὲ ἄλιξ τὰ μὲν ἄλλα χόνδρῳ προσέοικε, μᾶλλον δὲ γαστρὸς ἐστὶν ἐφεκτικός. Quẽ si ad uerbũ referre uoluerim, hæc dicit. ex his quæ frumẽtacea nominãtur, chõdrus egregie nutrit, & glutinosos humores generat, sed puls ex eo confecta obest, quãdoquidẽ quàm primũ crassescens incocta permanet. probatur potius succus ipsius, ex integro chondro bene decocto expressus ptisanæ instar. Alica uerò in cęteris quidẽ chõdro (hoc est frugi unde hæc omnia fiũt) nõ absimilis est, sed aluũ magis adstringit. Hęc sunt Pauli uerba ex eius fonte accepta, in quibus manifeste apparet, Hermolaũ nõ recte sentire, qui apud Paulũ alicã & chondrũ diuersa frugis genera esse putauit: hoc tamen nõ dicit Paulus, sed potius chondrũ genus frugis, alicã genus pultis ex hac fruge esse dicit. hic etiã dicit Paulus alicã in cęteris esse chondro similẽ, idest, chõdri pultẽ: oẽs chondri uires habet, hoc dẽpto quod alica aluũ magis adstringit, quàm chõdrus. hoc aũt acquirit alica ex coctura, & ex his quæ miscẽtur, quod nõ habet chõdrus. Ad rẽ igitur redeũtes, quod chõdrus frugis genus sit, & ex Galeno, & ex Paulo p̃citato loco, & libro septimo in litera χ. prope finẽ. At apud Dioscoridẽ libro secundo chõdrus est genus pultis. Illi uerò decipiũtur, qui dicũt, apud Dioscoridẽ chondrũ pro fruge nõ reperiri. quoniam & si de chondro fruge per se nõ loquaẽ, id facit tanq; rẽ notissimã omittẽs. potest aũt ex hoc authore facile colligi chondrũ esse genus frugis. nã de trago agẽs dicit, τράγος τὸ σχῆμα μὲν παραπλησίως τῷ χόνδρῳ ἔοικεν, idest, Tragus figura quidẽ chondro similis uidetur. Certũ uerò est de chõdro pulte nõ loqui: nã Tragus figurã pultis nõ habet, sed est genus frugis, cui cognomẽ est σιτῶδες, idest, cereale, ad differentiã tragi herbæ. nullus uerò est sanæ mentis, qui iudicet cõparasse frugẽ pulti. Quod si dicas, immo cõparasse, sed cõparationẽ in nutriẽdo fecisse, p̃pterea mox addit minus nutrire quàm zea: at hoc dici nõ potest, quia tragũ chõdro σχῆμα, idest, figura cõparat. Quid uerò sit hoc genus frugis, quod Gręci chõdrũ uocãt, incertũ uideẽ, nos aliàs far nostrũ esse putauimus, quod an uerũ sit, nũc differere p̃termittemus. At quid sit apud Græcos nostrũ far, nisi chondrũ esse dicamus, incertũ uideẽ. an uerò sit κριθή, idest, hordeũ, uel saltẽ hordei genus, suo loco differemus. Sat nũc est ubi deerat zea, antiquos Romanos far accepisse, & nũc Patauij ex zea, idest, spelta cõfici far, idest, quod uulgo far dicitur, ex quo genus unum pultis fit, quod far etiã uocãt. Aliàs nostrũ far, quod dicoccũ est, adoreum esse iudicauimus. Plinio libro decimooctauo capite octauo dicẽte: uulgatissima far, quod adoreũ ueteres appellauere. Sed ne rẽ rei misceamus, hæc in aliud tẽpus discutiẽda differãtur. ad rẽ igitur redeũtes, chõdrus apud Græcos, & genus frugis, & genus pultis significat, quod manifestissime ex uno Galeni loco sumi potest libro primo De alimentorũ facultatibus, tamen alia res est Galeni chõdrus p̃ pulte eo loco, quàm Dioscoridis chõdrus pro pulte. nã Galeni chõdrus ex chõdro fruge fit. Dioscoridis uerò chõdrus ex zea quæ duo grana habet, p̃pterea dicoccũ uocãt. Nunc aũt ostẽdamus & apud Latinos alicã & genus frugis, & etiã genus pultis esse. Quod sit genus frugis, ex Columella capite sexto secundi libri sumi potest, ubi potius alica strũ uocat. Plinius aũt libro decimooctauo capite undecimo alicã genus frugis esse manifeste ostẽdit, & eodẽ libro dicit, Tunicæ frumẽto plures, hordeũ maxime nudũ, & ali-

ca.

ca. Alicã uero apđ eundẽ Pliniũ genus pultis significare, eodẽ loco manifestũ est, & potissimũ etiã libro uigesimosecũdo capite uigesimoquinto, ubi inquit, Alica res romana est, & non pridẽ excogitata, alioquin nõ ptissanæ potius laudes scripsissent Græci. nõdũ arbitror Põpei Magni ętate in usu fuisse, & ideo uix quicq̃ de ea scriptũ ab Asclepiadis schola. De Marcello miror, qui Pliniũ rephendere uideatur, qm̃ eã apud Hippocratẽ inuenerit, tamẽ Hippocratis locũ nõ citat. Nos eñ Alicã apud Hippocratẽ nunquã inuenimus, nec ante Dioscoridis tẽpora, immo res altera est illa, quæ à Dioscoride paraẽ, ab illa q̃ à Galeno fit & alijs Græcis. Vt aũt rẽ hãc egregie discutiamus, scire oportet aliud esse apud Gręcos ἄλιξ, aliud Latinorũ Alica, quãuis multi interpretes cũ apud Gręcos inueniũt uocabulũ ἄλιξ, alicã uertũt. Apud Galenũ in primo De alimentorũ facultatibus, ubi de Chõdro agit, chondrũ uocat pultẽ, quę ex chõdro fruge fit, interptes per chondrũ pultẽ, alicã referũt. Paulus Aegineta dicit ex chõdro fruge pultẽ fieri, quę à Græcis ἄλιξ dicit. Pauli interptes, ubi dicit ἄλιξ, alicã uertũt. Idẽ obseruari potest apđ Alexandrũ Trallianũ, ubi ἄλιξ habeẽ, interptes semper alicã interptanẽ, ut manifeste apparet libro primo capite uigesimotertio prope finẽ, ubi remedia ad ægylopas recẽsens, unũ describit, in quo est ἄλιξ, & libro tertio, capite decimonono in quodã cataplasmate idẽ ponit. Interpretes uerò exponũt alicã. Sed hęc nostro palato nõ sapiũt. nẽpe cũ Gręci dicũt ἄλιξ, nos simpliciter alix interpretandũ iudicamus, & nõ alica, qm̃ alica ex chõdro non fit, sicuti fit alix, sed fit ex zea, ut deinceps ostẽdemus. forte oẽs interpretes usi sunt hoc uocabulo alica, quia ubi Theodorus Gaza chondrũ inuenit, alicã interpretatus est. Galenus aũt nec utiẽ hoc nomine alix in pulte quæ fit ex chõdro, sed & chondrũ uocat, ipsum frugis genus, & etiã si decoquaẽ, uel in aqua dũtaxat cũ mulso, & dulci uino, aut austero sumatur, uel ex oleo, saleue condiatur. Immo addit & illi addi quandoq̃ acetũ, appellaturq̃ chondrũ, & Diocles, ac Philotimus ptisanã triticeã hoc modo cõditã chondrũ appellãt: nõ aũt alicã, ut Galeni interpres dicit primo lib. De simpliciũ medicamentorũ facultatibus. ideo Galeni chondrus est ex chõdro fruge quẽ dicit esse ualentissimũ triticũ, & addit eius nomẽ fuisse prarũ apud antiquos: tamen Hippocrates in libro de uictus ratione de chondro agit, qđ forte in causa fuit, ut Marcellus putarit Hippocratẽ de alica locutũ, propterea Pliniũ rephẽdebat, qui dixerat alicã esse rẽ romanã. nã putabat se inuenisse alicã apud Hippocratẽ, quã nec inueniet apđ Galenũ. & ne quis putet Galenũ in primo De alimẽtorũ facultatibus de chondro ex zea loqui, ut Dioscorides facit, ppter hoc intelligere non posse ostẽdemus: tũ quia dicit chondrũ esse ualentissimũ triticũ, & in octauo De simpliciũ medicamẽtorũ facultatibus de chondro agẽs dicit quod habet nutrimentũ optimũ ut triticũ. In quarto aũt libro, ubi de zea agit, inquit esse mediã inter hordeũ, & triticũ: unde per chondrũ id intelligere nõ potest qđ fit ex zea, qm̃ non est ualentissimũ ut triticũ id quod ex zea fit. Habes igitur apud Galenũ chondrũ, nõ esse Latinorũ & Plinij alicã, nec Dioscoridis chõdrum: quoniã nec Plinij alica, nec Dioscoridis chõdrus, ex chondro fruge fiunt, sed ex zea, quæ inter hordeũ & triticũ media est, ut Galenus inquit. Nũc uerò quomõ apđ antiquos fieret, edoceamus. Dioscorides de chõdro quidẽ libro secũdo mẽtionẽ facit, & ex zea fieri dicit, sed parandi modũ pretermittit, hic uerò modus à Plinio colligitur libro decimooctauo capite nono. At ab re nõ erit priusq̃ hos modos enarremus, quid sit zea, edoceamus. Est aũt zea id frugis genus, qđ uulgus speltã uocat. Dioscorides duo zeæ genera refert, alterũ unũ granũ habẽs, alterũ duo, ppterea dicoccũ uocatur. Nos utrũq̃ genus habemus, & psertim quod duo grana habet, tamen & far dicoccũ est, & idẽ uideretur cũ zea, nisi maiora haberet grana, & tritico simillima. Ex illo zeæ genere, quod duo grana habet, Dioscorides suũ chondrũ facit, & Plinius ex zea alicã fieri dicit, unde Plinij alica & Dioscoridis chondrus idem esse constat. At nullus est præter Pliniũ, apud antiquos, qui conficiendi modũ edoceat. Ipse enim libro decimooctauo capite undecimo modos parãdi alicã refert, & eã inquã q̃ perfecta est, & impfecta. Accipiũt zeæ. i. speltę grana, & in lignea pila cõtundũt, quia lapidis duritia cõteriẽ. excussis tunicis, medulla suis armamẽtis nudata cõcidiẽ. Postea fiũt tria alicæ genera, minimũ, secundariũ, & grãdissimũ, qđ Apherema uocãt. nihilq̃ amplius de eius cõfectione scribit, solũ addit, cretã simul admisceri, q̃ trãsit in corpus, coloreq̃, & teneritatẽ affert. At quæ creta sit illa docet, inquiẽs, in colle inter

Neapolim

Neapolim, & Puteolos Leucogeo appellato inueniri: hinc cretam albã accipiunt, quã
alicæ miſcent. Superiori anno in hoc colle fuimus, quũ illuſtriſſimus Hercules ſecun-
dus, Dux Ferrariæ quartus, patronus noſter inuictiſſimus Neapoli eſſet apud Carolũ
imperatorem quintũ. Iuimus præterea ad ſulphuris minerã, cuius eodẽ loco Plinius mẽ-
tionem facit. Putamus genus id cretæ addi ob cocturã, ſicuti mulieres noſtræ cinere ſo-
lent legumina coctibiliora reddere. Ad rem igitur redeuntes, nihil aliud apud Pliniũ in-
uenitur. Gypſum dicit in Aphricana alica poni, & adulterinas quaſdã ſpecies enarrat,
quarũ etiã ſtructurã præterijt. Nos uerò quod ex Græcis colligere potuimus, immo &
nunc ita parãt, edocebimus. Zeam accipiũt, quã nunc Athenis etiã (licet diſiectæ & diſ-
ſolutæ ſint, potiusq́ magalia, quàm urbs) zeij ſua materna lingua uocãt, eamq́ tundũt,
& in calidã aquã ponunt, poſtea exprimũt, & in tenuiſſimũ pollinẽ iterũ tundunt, dein-
de exiguã gypſi quantitatẽ addunt, poſt hæc ſalis parũ per totũ aſpergẽtes, & ardenti ca-
ne oriẽte inſolãt. Cũ uerò per dies aliquot inſolata ſit, cribratur, & ad uſus ſeruatur. At ſi
hos uſus quæſiueris, ſcito illos eſſe uſus, quos Plinius capite uigeſimoquinto libri uige-
ſimiſecundi refert, ubi inquit (de alica agens) Eſſe quidẽ eximie utilẽ nemo dubitat, ſiue
eluta detur ex aqua mulſa, ſiue in ſorbitiones decocta, ſiue in pultẽ, eadẽ in aluo ſiſtenda
torretur, dein fauorũ cera coquitur, ut ſupra diximus, peculiariter tamen longo morbo
ad tabitudinẽ redactis ſubuenit. Ternis eius cyathis in ſextariũ aquæ ſenſim decoctis, do-
nec omnis aqua cõſumatur: poſtea ſextario lactis ouilli, aut caprini addito per cõtinuos
dies, poſtea adiecto melle. Tali ſorbitiõis genere emendãtur ſyntexes. Poſt aliquot uer-
ſus eodẽ loco dicit, ptiſanæ, quæ ex hordeo fit, laudes uno uolumine cõdidit Hippocra-
tes, quæ nũc oẽs in alicã tranſeũt, immo addit, contrà quãto innocentior eſt alica, ut ali-
cã ptiſanæ ex hordeo ꝑferre uideatur, & proculdubio panis ex zea, ideſt, ſpelta factus,
hordeaceo ꝑferendus eſt, magis eñ nutrit, & facile cõcoquitur. immo in Gallia multi
nobiles pane ex ſpelta ueſcũt, qui guſtu etiã cõuenit. Nos ſuperioribus annis ſuaſimus
illuſtriſſimũ Alphõſum Ferrarię ducẽ uti hoc genere panis, qui obtẽperans à quadã uẽ-
triculi noxa leuatus eſt. Inuenio aũt & Alexandrũ Trallianũ huius chondri, ideſt, alicæ
ex zea mentionẽ feciſſe, libro tertio, capite uigeſimoſexto, ubi de lienis inflãmatione, et
eius curatione agẽs, cũ de nutricatu, qui in ſtatu expedit, uerba facit, huius alicæ memi-
nit, quã dicit multũ nutrire. dicit uerò chondrũ eſſe, qui fit ex zea, ut hic certe ſit de quo
Dioſcorides & Plinius. nam alijs in locis, ubi de chondro fruge locutus fuerat, dixerat,
Alix quę ex chõdro fruge fiebat, & nõ ex zea. unde hęc ſit huius rei ſumma: quãdo apud
Galenũ inueniť chõdrus pro pulte, nõ eſt interꝑtandus Alica, & ita apud alios, ſed chõ-
drus puls, quia fit ex chondro fruge. Similiter quãdo inuenitur Alix, quæ fit ex chõdro
fruge ſimpliciter interꝑtandũ duco Alix. cũ uerò inueniť chõdrus pro pulte ex zea, tũc
alica interꝑtarer, ut in rebus cõueniẽtia fieret, nõ aũt in nominibus. propterea illos nõ
laudo qui in Galeno chondrum inuenientes ſemper alicam interpretantur, idemq́ in
Paulo, Aetio, & Tralliano intelligo.

Quod legitur, Sed multo tẽpore multũ affert alimentũ, Græce eſt ἀλλ' ἐν πολλῷ τῷ χρό-
νῳ, καὶ πολλὴν ἐπέχει τὴν τροφήν, ideſt, Sed in multo tempore, & multũ affert alimẽtum.

SEPTIMO Galenus docet, in quo edulia cõparari debeãt, & quomodo quoties cõ-
parãť, inquiẽs, illa quę compantur debere eſſe ſimilia ſecundũ ſubſtantiam, & unũ non
debere eſſe extreme humidũ, aliud extreme ſiccũ. propterea unũ notat aliqua cõparari
ſecundũ ſubſtantiã, alia ſecundũ modũ quo paranť. Secundũ ſubſtantiã intelligit, ideſt,
ſecundũ qualitates ꝓprias, unde & alica, & ptiſana, & cætera quæ ex milijs, uel fabis, uel
alijs fructibus, uel frugibus fiũt ſecundũ ſubſtantię qualitatẽ cõparãtur. In carnibus ue-
rò, in quibus eſt ꝓpria cõſiſtentia (& nõ ſunt facta ex alijs, ſicuti ptiſana ex frugibus, &
alica, quæ iudicãtur ſecundũ ſubſtantiã, ideſt, ꝓpriã qualitatẽ) cõparatio fit ſecundũ co-
cturã. aut quia duæ carnes ſint aſſę, uel eodẽ modo elixatę. nã uarij ſunt elixãdi modi. ue-
rũtamen quia cõtingit aliquos cibos, qui non ſunt ex alijs, aliquas partes mordaces ha-
bere, & adeo ſalſugineas, ut ueloces faciãt excretiões, ꝓpterea modũ docet, quo hæc in-
uicẽ cõpari debeãt. nã in his mordaces humores auferri debẽt, ut in braſſica & legumi-
nibus, in quibus ſi compationẽ facere uolueris, & ſubſtantiã ſuã quę alit, in ipſis cogno-
ſcere, elixa ea, & cũ elixata fuerint, ab una aqua ad aliã trãsferas, itaq́ iuſtã cõparationẽ
feceris

feceris. quoniam per primam illam elixationem mordaces humores & salsuginei auferuntur, & hoc est quod ab Aristotele primo Problematum libro dicitur brassicam adstringere, & à Galeno tertio De simplicium medicamentorum facultatibus libro, capite quartodecimo, quod de brassica intelligere oportet, quæ bis cocta sit, & à prima aqua in qua elixata fuerit, ad aliam transmutata. nam prima illa decoctio soluit, quia uitiosas brassicę partes, & superficiales accepit, in secunda uero coctura adstringit.

Quod legitur, Vel aliis fructibus, in antiquo nostro contextu, & in Aldino ita legitur ἢ τινῶν ἄλλων καρπῶν. Nos potius interpretandum ducimus uel aliis frugibus, aut, uel aliis seminibus.

OCTAVO librum refert De potentiis naturalibus, in quo docuit, uentriculum sibi cibum sumere ex eo quem in se habet: hepar autem à uentriculo trahere quando indiget: & cum etiam uniuersum corpus indiget, ab hepate trahere. Hæc igitur causa est cur aliqui multum excernant, & liquidum, cum per aliquot dies multum comederint, quia hepar nihil trahit, nam ferè semper plenum est, & alio non indiget, propterea uis uentriculi expultrix, id quod crassius est, & quod tenuius ad intestina transmittit. Notaque hic uniuersum corpus, quandoque uacuum esse posse.

Quod legitur, Ex cibis alimentum attrahere, hæc particula alimentum: Græce est χυμὸν, idest succum.

NONO documentum edocet, quod in corporibus, ubi totum est uacuum, facile experiri possumus, quinam cibi facile & uelociter nutriant, quibus & hoc inest, tendere uelociter ad excretionem, quantum ad hoc attinet.

DECIMO ponit quorundam intellectum, qui dicebant, excretionem esse euacuationem ex toto corpore, ut hoc idem sit, & illud quod in libro De alimento habetur, ubi inquit, cibus qui difficulter alteratur, difficulter absumitur: qui facile apponitur, facile absumitur. unde euacuationem illam intelligebant, quæ per insensibilem transpirationem in toto corpore fit. sed Galenus dicit, Hippocratis sententiam, quam adducunt, esse quidem ueram, quia cibi qui difficulter alterantur, etiam difficulter absumuntur & consumuntur: qui uero facile apponuntur & nutriunt, facile absumuntur. Sed Galenus uult dictum quod hic ponitur, de excretione illa maxime intelligendum esse, quæ fit per uentrem, quoniam sub excretionis appellatione, hæc proprie non intelliguntur, quę sunt à toto corpore excrementa: quamuis addat & aphorismum in excretione, quæ est in toto corpore intelligi posse, differentiamque ponit inter excretionem & subductionem, uel (ut eius uerbis utar) inter ὑποχώρησιν, καὶ διαχώρησιν. idest, Subductionem & excretionem. nam uocabulum subductio de his solum dicitur, quæ per aluum subiiciuntur: excretio uero, licet idem significet quod subductio, tamen contingit esse nomen communius ad omnes excretiones quę etiam per aliam uiam fiunt, quam per γαστέρα. idest, aluum. exemplumque ponit, in quo uidere potes id esse uerum, quod ab Hippocrate dictum est, uidelicet quæ difficulter alterantur, difficulter absumuntur: quoniam, inquit, suillæ carnes, & quæcunque lentos & crassos humores habent, transpirationem quidem in toto corpore faciunt, & hæc exeunt tanquam excrementa, sed hoc tarde fit, propterea nec uelociter, nec uniuersim nutriunt. Olera uero, pisces saxatiles, & quæcunque tenuem humorem habent distribuendum, cito distribuuntur, sed non habent naturam stabilem, imò facile difflant, ideo habent ueloces excretiones. Nos igitur Galenum intelligimus, ut illorum expositionem acceptet, quod per excretiones totius corporis transpirationem intelligere oporteat, addit tamen etiam de subductione intelligendum esse: imò hoc pręcipue uult, quod de excretione per secessum intelligatur, tamen & de aliis etiam excretionibus, & de illa totius corporis intelligi posse non negat. nam in omnibus excretionibus, & in illa simul quæ per transpirationem fit, id quod dicitur uerum est, illa quæ uelociter & uniuersim nutriunt, ueloces quoque excretiones habere.

Vbi legitur, Cibus qui difficulter alteratur, difficulter absumitur. In Aldino contextu habetur, ἡ δυσαλλοίωτος δυσεξανάλωτος. Et eodem modo habetur in prima lectione nostri antiqui contextus. In secunda uero lectione prius habet εὐαλλοίωτος, εὐεξανάλωτος, Postea sequitur δυσαλλοίωτος δυσεξανάλωτος. Tota hæc pars (possumus quidem & ipsam audire de ea quæ fit ex toto corpore, differt enim excretionem uel sub-

ductionem dicere, subductio igitur solum de ijs dicitur, quæ per aluum deijciuntur, contingit autem excretionis uocabulum esse commune) in aliquibus contextibus uacat, quamuis in nostro antiquo, & in Aldino posita sit. In quodã etiam contextu loco huius partis solum hæc uerba leguntur, commune autem utrisque excretionis esse nomen.

Hic autem contemplari oportet, per saxatiles pisces quid Galenus intelligat. in tertio De alimentorum facultatibus libro, huic nodo satis facit, inquiens, Scarum, merulam, turdum, iuliam, ficedulam, percam, pisces saxatiles esse à locis in quibus diuersantur. Sunt autem hi omnes marini, & sanissimi, quia concoctu faciles, & mediæ constitutionis sanguinem generant, neque admodum tenuis est, neque admodum aquosus, neque impendio crassus. Qui uero sint hi pisces, & quibus nominibus uulgo nuncupentur, aliàs ostẽdemus, nunc ista perquirere non possumus. De scaro fertur, quod piscium solus ruminat, & herbas pascit, quia non habet serratos dentes, propterea de illo in hunc modum Opianus cecinit:

Hic scarus saxa frequentat,
Qui mites inter pisces clamore tremendo
Intonat, & solus pallentes ruminat herbas.

Eodem tertio De alimentorum facultatibus libro Galenus gobionem inter concoctu facillimos pisces numerat, tamen illi duriorem carnem inesse dicit, quàm saxatilibus, sed molliorẽ habet, quàm ullus alter. is est qui uulgo eodem nomine dicitur, sed cum apud nos hęc piscium genera non sint, pisciculis quibusdam Padanis utimur albis, oblongis, concoctu facillimis, marinæ ligulæ similibus, quos uulgus nostrũ strigi uocat. Hippocrates in secundo De alimentis, de saxatilibus ita dicit, saxatiles uero fermè omnes leues sunt, merula, turdus, phycis, elephetis, cobius.

Quum autem apud Hippocratẽ sæpius & Galenũ, & antiquiores medicos, hoc uocabulum olus scriptũ reperiatur, quod ad herbas generale est, propterea non ab re erit q̃d per olera intelligere oporteat, inqrere. Omnes herbæ quæ in usu cibario sunt, apud nos ab alendo olera dicuntur, nam homines herbis antiquitus alebantur. Marcus Varro olus ab olla dictum esse mauult, quamcunque herbam quæ in olla coquitur. unde uero Nonius Marcellus & Festus deducant, qui olera inter aspirata cõnumerant, ipsi ostendant. Nos ad rem nostrã redeuntes, & medice loquentes, omnes herbas, quas sub hoc nomen λαχανον, idest olus, ponit Galenus, enumerabimus. nam secundo De alimentorum facultatibus libro, cum de ipsarum plantarum alimonia egisset, de alijs satis loqui uult, & dicit, sermonem incipiendum esse ἀπὸ τῶν λαχάνων, idest ab oleribus: & hæc omnia enumerat, quæ deinceps in ordinẽ disponemus, ut quisque facile uidere possit, quæ nomine λαχάνου & oleris apud antiquos ueniant: quippe hæc est optima incedendi uia, præsertim apud antiquos cum de oleribus agunt. Nunc igitur secũdum Galeni ordinem enumeremus: lactuca, intubus, quam σέριν uocat, malua, beta, brassica, atriplex, blitum, portulaca, rumex, oxylapatum, strichnum, idest solanũ, cinara, apium, equapium, sium, olusatrum, eruca, urtica, gingidium, scandix, ozimum, fœniculus, asparagus, rapa, aron, dracontium, hastula regia, bulbus, pastinaca, daucus, carus, tuber, fungus, radicula, cepa, allium, porrum, ampeloprassum. Hæc omnia sunt, quæ à Galeno inter λάχανα, idest olera enumerantur: imò addit & arborum & herbarum omnium turiones uel germina, idest asparagos. Sunt autem cacumina dum tenella sunt, ut asparagorum more edi possint. Nos alia habemus quæ à Galeno enumerata non sunt, ut spinachia dicta, & bryon, idest luuerticium. Verum tamẽ quia aliqui putarunt nec allium, nec cepas, nec bulbos à Latinis inter olera numerari, quamuis apud Græcos λάχανα sint: propterea & apud Latinos olera esse ostendemus. Nam Celsus libro secundo capite decimooctauo, ubi titulum præfixit, Qui cibi potiones'ue aut ualentis aut mediæ aut imbecillæ materiæ sint: inquit ante mediam capitis partem, Ex oleribus ualentior rapa, napique, & omnes bulbi, in quibus cepam quoque & allium numero, quàm pastinaca, uel quæ specialiter radicula appellatur. postea sequitur, Item firmior brassica & beta & porrum, quàm lactuca uel cucurbita uel asparagus: ut ex hoc Latino authore facile colligere possimus, & allium & cepas & bulbos sub nomen olus uenire, & sub nomen λαχανον: quamuis Galeni authoritas ad hoc satis superque fuisset

set: imò & Hippocrates in libro De alimentis, prope finem, hæc inter λάχανα; idest olera numerat: additq; coriandrum, quod à Galeno enumeratũ non est. Paulus etiam Ægineta olera enumerans, quæ edendo sunt; illa refert, quæ nos ex Galeno adduximus: Sed & halimon & nasturtium & sinapi & gingidium addidit. Deniq; hæc omnia stabilem naturam non habent, sed celeriter nutriunt, & celeres quoq; excretiones habent; illam etiam per excretionem intelligentes, quæ in toto corpore fit transpiratio. Cum igitur apud Hippocratẽ aut Galenum & alium ex antiquioribus saxatilium piscium aut olerum mẽtionem factam inuenies, hæc intelligas quæ superius à nobis enumerata sunt, nisi unum aut alterum desit, quæ ex his intelligi facile possunt. Ad perfectiorem præterea huius Commẽtationis intellectionem, & ad cognoscendos ualentes & imbecillos cibos, Celsum legere potes libro secundo, capite decimo octauo, & per multa capita consequentia.

APHORISMVS XIX

ACutorum morborum non omnino sunt certæ prænuntiationes aut salutis aut mortis.

BRASAVOLVS

IN HOC aphorismo ab Hippocrate docemur, morbos acutos certitudinem non habere, an sanari debeant, uel interimere ægrum, nempe acuti morbi tales sunt, ut certe & sine aliquo dubio prædicere non possimus, an æger moriturus sit, uel sanitati restituendus. Ne igitur putes, acutos morbos omnes certum salutis aut mortis indicium habere, sed aliqui reperiuntur qui sunt incerti.

τῶν ὀξέων νοσημάτων. idest, Acutorum morborum.] Duæ sunt conditiones, quæ apud Galenum acutum morbum constituunt: una est, quòd cito terminetur, sed ipsa non est satis, aliter ephemera febris, quę cito terminatur, esset morbus acutus. Alia conditio est, quod statim in principio magnitudinem habeat. Cognoscitur uero ipsius magnitudo ex intensis symptomatibus & sæuis: sed ut hic docet Galenus, duæ sunt morborum acutorum naturæ: una est, quæ ab humoribus sumitur, quia calidi sunt: non tamen aliquo in loco præfixi: sed qui in omni animalis parte æqualiter generari possunt. Altera natura ex loco sumit, in quo fit morbus: nam lateralis morbus acutus est, quia in pectore fit, in quo est principalissimum & nobilissimũ membrum cor. Præterea inflammatio pulmonis acutum morbum facit, quia hic locus nobilissimus est, & pulmo instrumentum est nostræ uitæ necessarijssimum: & angina etiam, quæ fit in loco angusto, per quem spiritus quo uiuimus transit, & qui si absit, animal statim perit. Hi sunt acuti morbi, qui habent symptomata praua, & sunt citæ terminationis: cita uero terminatio est modo non transcẽdat decimum quartum diem: quoniam ut Hippocrates deinceps edocebit, acuti morbi in quatuordecim diebus finiunt. In primo aũt libro morborum diuisionem secundum Hippocratem & Galenum edocuimus. Nunc uero pro perfectiori intellectu, acutorum morborum diuisionem referre non pigebit. Galenus in secundo De diebus decretorijs libro, Morbos simpliciter acutos nuncupat, qui in quatuordecim diebus finiunt, peracutos simpliciter qui in septẽ, exacte peracutos qui in quatuor, acutos ex decidentia qui in uigesimo die usq; ad quadragesimũ: quamuis Galenus hic dicat usq; ad sexagesimum: sed hi iam diuturni effecti sunt. Omnes igitur acuti morbi potissimum simpliciter, uel exacte peracuti, & non exacte (hos enim subacutos intelligo) certas non habent salutis aut mortis prænuntiationes. Propterea Hippocrates in libro De morbis qui extra, quẽ Galenus non Hippocratis sed Polybi esse affirmat, inquit: Morbi acuti ferme omnes uel necant, uel maximum negotium facessunt, quos diligenter obseruato curatoq;: & curando, ne quid mali inferas, caueto. Sed tantum quatenus possis, morbo resistito, quod optimum est. Celsus huius Aphorismi mentionem facit libro secundo, capite sexto, in quo de signis mortis agens in fine dicit; Neq; tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas esse & salutis

& mortis. Et idem Celsus capite primo libri tertij dicit, Magis ignoscendum medico esse in acutis parum proficienti, quàm in longis. Hic enim breue spatiũ est, intra quod si quod auxilium non profuit, æger extinguitur: ibi & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro si inter initia medicus accesit, obsequens æger sine illius uitio pereat. Philotheus idem ferè repetit quod à Galeno dictum est, inquiens, ὀξέα νοσήματα καλεῖ, ὅσα καὶ ὀλίγον χρόνον κρατοῦσιν, καὶ ζέουσαν καὶ διακαῆ θερμασίαν, καὶ χαλεπὰ συμπτώματα ἔχουσιν. καὶ ἁπλῶς τὰ ἐκ χολῆς γινόμενα. ἀλλὰ ταῦτα ἢ ὁμοτίμως ἐν ἅπασι τοῖς τοῦ ζώου μορίοις γίνονται, ὡς οἱ καῦσοι, ἢ ἐν τόπῳ τινὶ πεπονθότι, ὡς περιπνευμονία καὶ κυνάγχη. ἐπὶ τούτων οὖν τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ παντελῶς ἀσφαλεῖς αἱ προῤῥήσεις, οὔτε ὑγιείας, οὔτε θανάτου, διὰ τὴν ἐν αὐτοῖς ὀξύῤῥοπον καταβολὴν, ἣ τις νέμεται τῇ φύσει τὸν ἐργαζόμενον αὐτὰ χυμὸν, καὶ διὰ τὸ μεταῤῥεῖν ἐνίοτε τὸν λυποῦντα χυμὸν ἐξ ἑτέρων εἰς ἕτερα, τουτέστιν ἀπὸ μορίων κυρίων εἰς ἄκυρα, ἀπὸ ἀκύρων εἰς κύρια. idest, Acutos morbos uocat, eos quicunq; & paruo tempore uigent, & feruentem atq; urentem caliditatem, & molesta symptomata habẽt, & simpliciter qui ex bile facti sunt: sed hi uel æqualiter in omnibus animalis partibus fiunt, ut ardentes febres: uel in loco aliquo patiente, ut peripneumonia & angina. In his igitur acutis morbis non omnino certæ pronuntiationes salutis aut mortis, uel propter celerem mutationem quæ in ipsis fit, quæ humorem facientẽ ipsos morbos natura depascitur, uel quod humor affligens, ex alijs in alia quandoq; transfluit, hoc est à partibus principalibus ad minus principales, & à minus principalibus ad principales.

οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προαγορεύσιες, οὔτε τῆς ὑγείης, οὔτε τοῦ θανάτου. idest, Non omnino sunt tutæ prænuntiationes salutis aut mortis.] Hæc particula Non omnino, posita est ut significetur non esse certitudinem, tamen in aliquibus solum errari, & non in maiori parte, ut Galenus in Commentatione edocebit.

Prænuntiatio, est medici prædictio de ægri salute aut morte: nam ut Hippocrates in principio primi Prognosticorum libri: Necessarium est medicum uti prædictione. Hæc uero necesitas propter duo est: primo, quia medicus ostendit se circa artem sapientem: & ille melior medicus est, qui in prædicendo minus errat. Imò hæc sunt eodem loco Hippocratis uerba: Optimum esse, medicum uti præuidentia: quia prædicens futura & præsentia, & commemorans præterita, creditur agnoscere ægri conditionem. hinc audent homines, magis huic medico se concredere, imò & medicus qui futura cognoscit, melius sanare potest. Aliud est quod medicum cogit ad prædictionem: id inquam quod ab ægri affinibus & domesticis, quid de ęgro futurum sit, indies interrogatur. In acutis temere pronũtiare non est opus, quia non sunt certa salutis aut mortis signa, quæ adeo necesitent, ut aliquo casu deficere posint. Hoc autem indies euenit, ut aliqui medicorum legibus desiderari debeant qui sanantur: & econtrario aliqui, quibus sanitatem promittit ars, tamen occumbunt. Nam materia quæ acutũ morbum facit, calida est, & de loco ad locum mobilis, quando nos illam sistere putamus, & ex insperato de ignobili membro ad nobile mouetur, & interficit: ecõtrario in uno nobili membro fixa uidetur, in quo quum sit, interficere debet: tamen uel ad ignobile membrum mouetur, uel ad uias per quas euacuatur, & ita sanus efficitur.

Si uero petas, in acutis morbis quæ sint signa futuram mortem ostẽdentia, Hippocrates in primo Prognosticorum illa enumerat, inquiens, Signum salutis esse, habere faciem similem sibi sano. At si ualde disimilem à se ipso sano habuerit, indicium mortis esse iudicat: tamen hoc certisime pronuntiare non debes, quia facere possunt. Si etiam uideris compressum nasum, oculos concauos, tempora adstricta, aures contractas & frigidas, aurium fibras euersas, cutem circa frontem duram, intentam, aridam, colorem totius faciei uiridem aut nigrum. Si hæc insint habenti acutum morbum, tamen non uigilauerit, nec resoluta est aluus, nec fame affectus est, hunc moriturum, & citisime iudicato. At si indicia sint his opposita, hunc sanitati restituendum prædicito. Cumq; hæc signa apparent, rarisimum est, quod illi non moriantur, & hi non sanentur: tamen quia quandoq; (& si raro) medicus falli posit, propterea dixit, Non omnino sunt certæ: quoniam in aliquibus licet paucisimis sunt incertæ, ut in Galeni commentatione edocebimus. At alia signa sunt, quæ mortem portendunt, præsertim secundum

dum

dum particularem morbi essentiam, quem æger affectus patitur: nempe in omni particulari morbo sua sunt particularia signa, quæ ex libro Prognosticorum sumi possunt: nam ab oculis incipit Hippocrates, & ad omnes particulares corporis partes descendit, & ad ægritudines etiam particulares: imò hæc sunt Hippocratis uerba tertio Prognosticorum sectione septima, quibus ostendit in principijs diuturnorum morborum præsentiendi difficultatem: τουτέων δὲ ἐν ἀρχῇσιν ἔτι χαλεπώτερα προγινώσκειν τὰ μέλλοντα ἐν πλείστῳ χρόνῳ κρίνεσθαι. ὁμοιόταται γὰρ αὐτῶν αἱ ἀρχαί εἰσιν. idest, In horum autē principijs difficilius est prædicere, ea quæ parte maxima temporis iudicanda sunt: eorum enim principia simillima sunt. Paulopost addit, τὰ δὲ ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ μέλλοντα κρίνεσθαι, εὐπετέστερα προγινώσκεσθαι. μέγιστα γὰρ τὰ διαφέροντα ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοῖσιν. idest, Quæ autem breuiori tempore iudicanda sunt, prædici propensius possunt: maxime enim à principio dissident. Morbi igitur acuti, sua habent primis statim diebus salutis aut mortis indicia.

Quod legitur, Salutis & mortis, in aliquibus contextibus, saluti mors præfertur, hoc modo, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγείας. idest, Neq; mortis, neq; salutis. Itaq; Hippocrates sibi ipsi affinis est in libro De morbis qui extra, qui de morbis acutis agens, saluti mortem præponit.

Scito præterea, nos in morbo acuto plura prædicere posse, ut quod sudor fieri debeat, quod hæc uel illa symptomata consequi debeant, de his non intelligit Hippocrates: nec dicit quòd horum prædictiones certæ uel incertæ sint, sed quòd illæ solum incertæ sunt, quæ de morte uel de salute fiunt, idq; indies medico cōtingit: propterea medici, in acutis morbis temere prædicere caueant, quicquid ab Hippocrate primo Prognosticorum dicatur, semper tamen medicus sub conditione loqui debet.

GALENVS

Acuti morbi, præter id quod celeriter iudicātur, statim etiam magnitudinem habent. Nam febres diariæ, quas Græci ephemeras uocant, licet cito finiantur, non tamen acuti morbi nominantur. Duplex autem est acutorum morborum natura. Vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsedere locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari, uel loco aliquo patiēte fiunt, ut in morbo laterali, pulmonis inflāmatione, angina, & omnino in acutis morbis sunt febres continuæ. Rari enim sunt ex ipsis quibus febres non adsint, ut morbus attonitus, quem Græci apoplexiam uocant. Morbi uero longi ob crassos, lentos, ac frigidos fiunt humores, qui non facile cōcoqui possunt, & in patientibus partibus impacti sunt atq; agglutinati, ita quòd eorū dispositiones magis præduris tumoribus quàm inflammationibus assimilantur. Pauci uero ex ipsis fiunt per compassionem, & absque loco patiente, in quibus uenæ omnes æqualiter habent humores putrescentes, uel atræ bilis, uel pituitæ naturā præ se ferentes. In his omnibus uidetur Hippocrates fidere præcognitionibus, in acutis uero non omnibus. Verum est aliquādo, quod & falli præcognitionem confitetur. Tale enim quid est quod dicitur, Non omnino, hoc est, non in omnibus: quod genus sermonis usurpare consueuerunt, quando paucos ex multis uolunt excipere, ut quum dicunt, Non omnes homines mali. Qui enim hoc dicit, ostendit paucissimos esse bonos. Ita igitur & nunc Hippocrates ostendit, inquiēs, Non omnino certas esse in morbis acutis prænūtiationes: quum aliquando, quamuis raro contingat medicum optimum aberrare: hoc autem fit propter subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam humorum sequitur morbificorum, & quia nonnunquā humor noxius ex uno loco transfertur ad alterum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid per acutos morbos intelligi oporteat, nempe illos qui cito terminantur, & qui statim magnitudinem habent, quę magnitudo est quidem quo ad essentiam morbi, & potissimum in symptomatibus cognoscitur.

SECVNDO docet, duplex genus acutorum morborum, unum ratione calidita-

tis materiæ, quæ cito mouetur, & cito alteratur, & in magnitudinem deuenit: aliud ratione loci in quo fit, ut morbus lateralis, inflammatio pulmonis, angina: imò & ipsæ febres non intermittentes, inter morbos acutos enumerantur; & rari sunt acuti morbi, quos febres non intermittentes non concomitentur: & exemplum in uno acuto morbo ponit, in quo non est febris non intermittens, scilicet apoplexia, quem Latini attonitum morbum appellant, de quo Celsus libro tertio, capite uigesimo sexto: licet ibi non modo attonitos uocet, illos qui ἀποπληξίαν incidere, sed etiam eos qui ictu fulminis, corpus & mentem stupidam habent: quamuis etiam capite uigesimo septimo, paralysim & apoplexiam apud ipsum idem esse uideatur. Sed illud est secundum loquendi modum sui temporis, non quia ignorauerit, apoplexiam paralysim antecedere.

Quod legitur, Obsedere. Græce est, ἐγκαταληφθῶσιν.

Quod legitur, Et omnino in acutis morbis sunt febres continuæ. Græce est, καὶ γὰρ πυρετοὶ τὸ ἐπίπαν συνεχέες εἰσὶν, ἐν γε τοῖς ὀξέσι νοσήμασι. idest, Et febres uniuersaliter non intermittētes sunt, in acutis morbis, in quibus scilicet sunt febres: quoniam aliqui acuti sunt absq; febre, ut apoplexia, epilepsia.

TERTIO notat, morbos longos, ob crassos, lentos ac frigidos humores fieri, qui facile concoqui non possunt, & in patientibus partibus impacti sunt, atque inglutinati: unde comparationem quandam facit, quòd hi morbi diuturni, duris tumoribus potius comparari possunt, quàm inflammationibus. Morbi igitur acuti inflammationibus comparabuntur: nam præduri tumores, à frigida, crassa & lenta materia fiunt: inflammationes uero à calida, tenui, & facile mobili: propterea illi diu perdurant, hi cito abeunt.

QVARTO notat, paucos esse diuturnos morbos, qui fiant per compassionem, & non absq; loco patiente, in quibus uenæ omnes æqualiter habent humores putrescentes, uel atræ bilis uel pituitæ naturam præ se ferentes. In hac cōtextus parte uariæ sunt lectiones: nam antiquus Leoniceni codex ita legit, Pauci uero ex ipsis fiunt, per compassionem, & absque loco patiente. Leonicenus se ipsum correxit, ut deinde illam particulam legeret absque hac parte Per compassionem, & sequenti parti adderet aduerbium negandi, hoc modo: Pauci uero ex ipsis fiunt, & non absque loco patiente. Quidam uero addunt & illam particulam Compassionem, ut sensum faciant: Pauci uero ex ipsis fiunt per compassionem, & non absq; loco patiente. Antiqua translatio legit, Rari autem sunt diuturni morbi non inferentes passionem alicui membro. Est etiam in Græcis codicibus differētia: nam Aldinus primam Leoniceni lectionem habet hoc modo, ὀλίγα δὲ ἐξ αὐτῶν γίγνεται τὰ κατὰ συμπάθειαν, καὶ χωρὶς τόπου πεπονθότος. idest, Pauci autem ex ipsis (scilicet morbis longis, de quibus statim superius loquebatur) fiunt per compassionem, & sine loco patiente. Noster uero antiquus contextus hoc modo legit, ὀλίγα δὲ ἐξ αὐτῶν (in margine additum est, χρονίων) γίνεται καὶ χωρὶς τόπου πεπονθότος. idest, Pauci autem ex ipsis (scilicet diuturnis) fiunt, & absque loco patiente. Nota præterea, in antiquo contextu deesse illam particulam, ἐν οἷς, idest, in quibus: quam tamen Leonicenus interpretatur, & in impressis passim codicibus inuenitur. Quicquid sit, huius partis sensus est: In morbis diuturnis rarum esse, quòd materia alicui loco infixa non sit: raro etenim est, quòd omnes uenæ æqualiter putrescentibus humoribus sint plenæ: humoribus, inquam, uel atræ bilis naturam, uel pituitæ præ se ferentibus. Propterea in hunc modum legendum putamus: Pauci uero ex ipsis (scilicet diuturnis) fiunt, in quibus omnes uenæ æqualiter humores putrescentes habeant, atræ bilis, aut pituitæ naturam præ se ferentes, & non absque loco patiente. Vel hunc sensum faciamus: Pauci sunt morbi diuturni, qui fiant absque loco patiente: idest, quòd omnes uenæ humoribus putrescentibus sint æqualiter plenæ, qui habeant atræ bilis, aut pituitæ naturam: tuncq; hoc modo Galeni commentationem legemus, Pauci uero ex ipsis fiunt, & absq; loco patiente, in quibus uenæ omnes æqualiter habent humores putrescentes, uel atræ bilis, uel pituitæ naturam præ se ferentes. Omnes hi sensus & ueri sunt, & aliquibus Græcis codicibus conueniunt. Quicquid sit, hoc

sit, hoc indubitatum est, à Galeno edoceri, diuturnos morbos ut plurimum esse in statuto nostri corporis loco fixos, & non in omnibus uenis: tamen quandoque sunt in omnibus uenis. Non desunt tamen, qui antiquam translationem potius imitantes sensum faciant: Rari sunt diuturni morbi, qui alicui membro passionem non inferant, & hoc secundum genera atræ bilis, uel pituitæ, quæ æqualiter in uenis abundant.

QVINTO notat diuturnorum morborum præcognitiones, apud Hippocratem certas esse, & in ipsis fidere: sed in omnibus acutis non fidit. Tamen hic dubium fieri poterit, quia in Hippocrate expressa contradictio uidetur, nempe tertio Prognosticorum libro, sectione septima, & Hippocrates & in Commentatione Galenus dicunt, in acutis morbis certiores esse iudicationes, quàm in diuturnis: imò eodem loco Galenus de luctantibus exemplum ponit, quos quum inspexeris, si unum alterum excellenter superare uidebis, de uictoria statim iudicas, & cui danda sit decernis. Sed si non uideris alterum eorum magnopere superare, eos diu pugnaturos iudicas: tamen incertus es cui uictoriam decernere debeas. In ægritudinibus æque est: nam in acutis statim à principio uidebit, an natura uel materia superare debeat; in diuturnis, minime. Acutarum igitur ægritudinum indicia erunt magis certa, quàm diuturnarum. Sed re uera, si Hippocratem & Galenum eo libro contemplemur, sibi ipsis non cõtradicunt, quia solum de cognoscendi celeritate loquuntur, non autem de certitudine, quod Galenus ex luctatorum exemplo manifeste ostendit. Hic igitur in toto morbo loquens dicit, In diuturnis morbis certiores esse, quàm in acutis prædictiones. In præcitato uero tertij Prognosticorum loco, dicit, in acutis citius cognosci quid prædicendum sit, quàm in diuturnis: & hoc non immerito, quoniam in acutis naturæ pugna cum materia statim uidetur, in diuturnis autem non. nam hæc pugna non uidetur nisi in processu: & quia in diuturnis iudicium differtur, propterea singulos quaternarios considerandos iubet. Si uero diuturnum morbum in statu accipias, ubi est maxima naturæ cum materia pugna, tunc certius iudicium facies, quàm in acutis: quia in acutis quandoque fallere potest (licet raro hic secundum Galenum) in diuturnis uero nunquam fallit. Nos tamen consulimus, quantumcunque sit uir ingenio pollens, ut quanto minus fieri possit, prædicat. nam tot præter expectationem contingere possunt, ut errare facillimum sit. Galenus igitur quicquid uoluerit dicat, & iudicet ipse suo iudicio, Illum medicum non esse optimum, qui non prædixerit. Nos semper scholasticis nostris suadere statuimus, ut quantum possibile sit, à prædictionibus abstineant: sed solum sibi ipsis in anima prædictiones figant, ut ægrum curare possint, & à futuris malis præcauere. Nos toties uidimus summos uiros, & omni doctrinarum genere præditos, in prædicendo aberrare, ut referre nos pudeat, quoties, quando, & in qua ægritudine. Scimus enim, facilius esse scribere, quàm quod scriptum est exercere. Arbitramurque plura per intellectus considerationem, quàm per oculatum sensum esse scripta. Quisque igitur quantum potest (nam semper tum ob ægritudinem, tum ob assistentes euitari non potest) à prædictione abstineat.

SEXTO exponit illam particulam, Non omnino: quæ sua lingua dicit, οὐ πάμπαν, quam uult positam esse, ut pauci è multis excipiantur. Est autem loquendi quidam modus, quo & nos in præsentiarum utimur: quum enim paucos homines bonos esse enuntiare uolumus, dicere solemus, Non omnes homines mali: idest, pauci sunt boni. Hoc loquendi modo utimur, quando è multis paucos excipere uolumus: propterea prædictiones aliquas in morbis acutis excipere uolentes, dicimus, Non omnino sunt certæ: idest, non penitus omnes sunt certæ, sed paucæ sunt incertæ: nempe optimus medicus aut nunquam, aut raro errat. At errores contingere possunt, uel quia morbi acuti uelociorem motum habuerint, propter suæ materiæ naturam: unde in hoc decipi potest: uel quia noxius humor de loco in locum transfertur: uel quia est in ignobili loco, & ad nobilem mouetur, itaque interimit, quando sanitatem sperabat medicus: uel quia à loco nobili ad ignobilem mouetur, & ita sanus æger efficitur, qui à medico ad mortem iudicatus erat.

Notat tamen, optimum medicum raro aberrare, uerũtamen errare posse. Ab Hippo

crate uero in principio primi Prognosticorum libri, Medicus tanto excellentior iudicatur, quanto minus in iudicando errat. Sed quod nos superius tam affectate diximus, iterum in præsentiarum repetemus, ne in iudicando & prædicendo præceps sis. At quispiam forte iudicabit, nos plerunque in iudicando fuisse deceptos, ut qui tam sedule prædictionem prohibeamus. Huic respondebimus: Nos, deo optimo fauente, in excellentissimorũ uirorum collegijs & publicis ac priuatis colloquijs, semper felicissime prædixisse: tamẽ uidimus celeberrimos uiros in prædicendo mire cespitasse. Vnde Nicolaus Leonicenus preceptor celeberrimus, in acutis uel diuturnis morbis nunquã nisi coacte prædicebat. Neque à Ioanne Manardo in prædictione uerbum extorsisses; adeo hi uiri prædictiones refugiebant. Propterea & si Galenus in aliquibus incertas esse salutis aut mortis prædictiones intellexerit, nobis nõ ab re uidetur, Hippocratem simpliciter accipere, quod in acutis, salutis aut mortis prædictiões incertę sunt: & ideo ne facile atque temere prædicamus, admonet. Quod autem à Galeno additur, in diuturnis esse certas: dicemus, Si in acutis incertæ sunt, in diuturnis etiam incertas esse oportebit: quia in longis itineribus, quæ præcipitia, quas ruinas, quæ flumina, quæ stagna, quos lapides inuenire atque incidere debeamus, ignoramus. Vnde Galeni seruata pace, morbos acutos difficulter iudicari censemus, diuturnos uero difficilius: propterea Hippocrates hunc aphorismum scribens à temeraria prædictione nos deterret, ne præcipites simus, & derisui efficiamur.

Quod legitur, Tale enim quid est qđ dicit̃, Non omnino, hoc est, non in omnibus: ita Græce habet̃, τοιοῦτον γάρ ἐστι τὸ οὐ πάμπαν, ἀπόφασις ὄν. τὸ δὲ οὐ πάμπαν, τῷ οὐ παντελῶς, τοῦτο σημαίνει. καὶ ἔστι τὸ οὐ πάμπαν, ἴσον τῷ, οὐκ ἐπὶ πάντων. idest, Tale enim quid est quod dicitur, non omnino, negatio existens. Hoc autem quod dicitur Non omnino, idem significat quod Non in totum. Et hoc quod dicitur Non omnino, æquale est ei quod dicitur Non in omnibus. Sed hic dubitat Oribasius, quum Hippocrates alibi (scilicet in libro Prognosticorũ) testetur, à medico præscienda esse præsentia, præterita & futura, cur hic dicit non posse prædici uitam uel mortem in acutis? Respondet Oribasius, ægritudines in acutas, peracutas, medias & longas distingui: nunc ab Hippocrate de acutis & peracutis uerba fieri: dubitatque an de acutis cum febre uel sine febre loquatur: Respondetque, de pleuritica & synanchica passione ipsum sensisse: dicitque, pleuritica passio iuxta uitalia fit loca, quæ quum subito trahitur ad pulmonem, fit peripneumonia, & transfertur ex acuta ad peracutã: & propter istam mobilitatem, Hippocrates dubium uoluit esse medicũ, ne in aliquo fallax inueniretur. Sic item angina est affectio, quæ fit in ipso principio nutritorij loci, uel uitalis, quæ dum emendari uidetur, tunc recidit ad pulmones, & mortem infert, & in mutatione de loco in locum dubium est. Ideo Hippocrates uoluit, medicum neque prædicere mortem, neque salutem: ut hinc facile haberi possit, in aliquibus solum acutis Hippocratis sententiam ueram esse.

APHORISMVS XX

QVibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, his senescentibus exiccatur. Quibus uero iuuenibus adhuc aluus sicca est, his senescentibus humectatur.

BRASAVOLVS

NE LECTOREM diu moremur, huius aphorismi breuis sensus est, Qui in iuuentute aluum humidam habent, his in senectute sicca efficitur. idest, Qui bene in iuuentute excernunt, ægre in senectute excernunt: hoc est, Si alui excrementa & feces in iuuentute humidæ sunt, in senectute siccæ & prædurae efficiuntur: econtrario qui in iuuentute siccam aluum habuerint, in senectute humectam faciunt. Quod an uerum sit, dubitare contingeret: nisi Galenus hoc uniuersaliter uerum non esse expresse docuisset. An uero hic Aphorismus idem cum illo sit, qui in huius libri calce describetur

scribetur (scilicet, Quorum aluus humida est, si iuuenes fuerint in melius commutant,
quàm hi quibus est sicca. In senectute uero deterius, nam magna ex parte senescẽtibus
exiccatur) suo loco quid dicendum sit, explicabimus, ostendentes quodam modo dif-
ferre, & alio quodam conuenire. Philotheus his uerbis præsentem aphorismum in-
terpretatur, ἐπὶ τῶν ἀκμαζόντων ὑγρὰ γίνεται ἡ γαστὴρ, ἢ διὰ ψύξιν οὖσαν περὶ τὴν γαστέρα, ἢ
διὰ ῥώμην τῆς ἀποκριτικῆς δυνάμεως, ἢ διὰ χολὴν παραῤῥέουσαν τῇ γαστρὶ καὶ ἐντέροις. καὶ οἷς
νεάζουσιν ἡλικίαι ὑγραὶ διὰ ψύξιν γαστρός, τούτοις γηράσκουσιν ξηραὶ διὰ τὴν ἐπίτασιν τῆς ψύ-
ξεως. καὶ οἷς νεάζουσιν ὑγραὶ, διὰ ῥώμην τῆς ἀποκριτικῆς, τούτοις γηράσκουσι ξηραὶ, διὰ ἀσθένειαν
τῆς δυνάμεως. καὶ οἷς νεάζουσιν ὑγραὶ διὰ χολὴν παραῤῥέουσαν, τούτοις γηράσκουσιν ξηραὶ, διὰ
τὸ μὴ γεννᾶσθαι ἐν αὐτοῖς χολήν. πάλιν ἐπὶ τῶν ἀκμαζόντων ξηρὰ γίνεται ἡ γαστὴρ, ἢ διὰ θερ-
μὴν οὖσαν περὶ τὴν γαστέρα, ἢ διὰ τὸ μὴ παραῤῥεῖν χολὴν ἐν τῇ γαστρὶ καὶ ἐντέροις, ἢ διὰ ἀναδό-
σεως γινομένης κατὰ λόγον. καὶ οἷς νεάζουσιν αἱ κοιλίαι ξηραὶ διὰ θερμότητα, τούτοις ἀπογηρά-
σκουσιν ὑγραὶ, διὰ ψυχρότητα. καὶ οἷς νεάζουσι ξηραὶ, διὰ ἔνδειαν χολῆς, τούτοις ἀπογηράσκουσιν
ὑγραὶ. οὐχ ἁπλῶς διὰ τὸ μὴ γεννᾶσθαι χολὴν, ἀλλὰ διὰ τὸ ὑπὸ πλήθους βαρεῖσθαι. οἷς καὶ νεά-
ζουσι ξηραὶ διὰ τὴν κατὰ λόγον ἀνάδοσιν ἐξ ἀσθενείας τοῦ ἥπατος. ἰστέον δὲ, ὅτι ὑγρὰν καὶ ξηρὰν
λέγει γαστέρα, οὐ πρὸς τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ πρὸς τὰ περιττώματα. ἰστέον δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι οὗτος ὁ λό-
γος, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δεῖ. idest, In his qui in uigore ætatis sunt, humidi fiunt uentres, uel ob
frigiditatem circa uentrem existentem, uel ob excretiuæ potentiæ robur, uel ob bilem
ad uentrem & intestina profluentem. Quibus iuuenibus ætates humidæ ob uentris fri
giditatem, his senescentibus siccę ob frigiditatis intensionem. Et quibus iuuenibus hu
midæ ob excretiuæ potentiæ robur, his senescentibus siccæ ob potentiæ imbecillita-
tem. Et quibus iuuenibus humidæ ob defluentem bilem, his senescentibus siccæ, quo-
niam in ipsis non fit bilis. Rursus in uigore ætatis sicci fiunt uentres, uel ob calidita-
tem circa uentrem existentem, uel quoniam bilis in uentrem & intestina non defluit,
uel per anadosin, idest distributionem secundum rationem. Quibus iuuenibus uentres
sicci ob caliditatẽ, his senescentibus humidi ob frigiditatem. Et quibus iuuenibus sicci
ob bilis defectum, his senescentibus humidi, non simpliciter, quia bilis non gignatur,
sed quoniam à multitudine humorum grauatur, quibus & iuuenibus sicci ob anado-
sin, idest distributionem secundum rationem ex iecoris imbecillitate. Sciendum uero,
quod humidum & siccum uentrem dicit, non quidem quo ad substantiam, sed quo ad
excrementa. Hoc etiam scire oportet, hunc sermonem ut plurimum esse.

Oribasius uidetur hæc ad uictum & ad regionem comparare, nempe dicit, Si habi-
tauerit in regione calida & sicca, & cibis talibus usus sit, quis ignorat talem esse iuue-
nem? Omnia siquidem talia solẽt adstringere. Immutata uero ætate, necesse est, ut om-
nia immutẽtur, & humentem habeant aluum. Nam biliosis siccus per immutationem
ætatis uictus, à frigida pituita temperatur, & humectatio ex ea temperatura fit, unde
alui solutio: ut iuuenis uero solutum habeat uentrem, situ regionis accidit, & ciborum
copia, quia à bilioso incitatur contentiua uirtus, & solutionem facit uentris. In senectu
te enim immutatio fit, quod pituita soleat constringere & constipare. Hæc Oribasius,
quæ partim uera sunt, partim falsa & ad Hippocratis sententiam nihil attinentia.

ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι. idest, Quibus iuuenibus existentibus aluus
humidæ sunt.] Leonicenus illam particulam ἐοῦσιν, interpretatur adhuc, quæ signi-
ficat Existentibus: & quamuis iuuenilis ætas à pueritia & consistentia distincta esse ui
deatur, tamen in præsentiarum per iuuenes illos intelligit, qui sunt citra primum se-
nium. Per aluum uero intelligit inferiorem uentrem, qui iecur, uentriculum, & intesti-
na continet: etenim ab his membris, alui lubricitas & humectatio fit: sed potissimum
à uentriculo ortum habet. Quot uero sint humidæ alui causæ, à Galeno in Commen-
tatione refertur, quas si huc adducere tentaremus, Galeni Commentationem præue-
niremus, nam in commentationis examine eas referre tentabimus. Scito uero nuncu-
pari lubricam aluum & humidam, quoties facile, bene, multum, & liquidum excerni-
tur. Stipticam uero aut siccam, quoties difficulter, male, parum & durum excernitur.

Scito etiam aptius esse legere in plurali Alui humectæ sunt, ut omnia complecta-
mur membra, quæ humiditatem alui faciunt, quàm in singulari legere.

τουτέοισι ἀπογηράσκουσι ξηραὶ γίνονται. idest, His senescentibus exiccantur.] Cuius ra
tionem

tionem in Galeni commentatione ostendemus:nam edocebit Galenus causas humiditatis alui in iuuenibus,in senioribus in cõtrarium mutari:propterea necessarium est,& effectum in cõtrarium permutari.Effectus uero erat,iuuenes ob illas causas humidam aluum habere:unde necessarium erit,cum causæ in senioribus in contrarium fiant,effectus contrarios effici,idest uice uersa dicere oportet.

ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν αἱ κοιλίαι ξηραὶ εἰσι, τουτέοισι γηράσκουσιν ὑγραίνονται. idest,Quibus autẽ iuuenibus alui siccæ sunt,his senescentibus humectantur.] Quod per oppositas causas intelligere oportet:de quibus in Galeni commentatione agemus.

Aphorismus autem probe intelligẽdus est,ut uniuscuiusq; lubricitas & humiditas, suæ naturali duritiei comparetur: non autem diuersæ & alienæ.unde intelligere oportet,si iuuenis humidam aluum habuerit,quando senex efficietur,siccam habebit,respectu illius lubricitatis quam in iuuentute nactus erat:& ideo siccitas & humiditas semper respectu sui ipsius intelligenda sunt,& non comparantes uel ad naturam temperatam,uel ad aliam. Adde,semper eundem uictus modum seruandum esse:nam si iuuenis humida comederet,& siccam aluum haberet , senex autem effectus siccis uesceretur,aphorismum in tali casu uerificari non esset opus, ut exquisitius in Galeni commentatione ostendemus.Est autem hic aphorismus ut plurimũ uerus, & ex eo id commodi habebimus, quod sciemus quibus edulijs,quibus'ue medicamentis pro mouenda aluo in his ætatibus uti debeamus.

GALENVS

QVOD QVIDEM hoc ex magna parte fiat,& non semper,ostendit ipse,inter sequentes hunc scribens aphorismũ. Quorum aluus humida est,si iuuenes fuerint melius commutant,quàm hi quibus est sicca,in senectute uero deterius,nam magna ex parte senescentibus exiccatur. Oportet autem humidas,& siccas aluos intelligere,non simpliciter,sed eadẽ uictus seruata ratione.Si quis enim in iuuentute Alexandrinorum uictu uteretur,salsis utens cibis,& porris,zythumq; superbibens,in senectute uero nihil horum assumeret, lentem autem esitaret,& uinum austerum potaret,quo pacto diceremus huius hominis deiectiones ætatis ratione permutari? Sic & qui in iuuentute lentibus uesceretur,& mespilis, & uinum austerũ potaret, in senectute autem uictu uteretur Alexandrinorũ,atq; ita cum uictu excretiones mutaret,nõ recte ex deiectionibus iudiciũ fecerimus. Sed cum omnia alia,non solum quæ ad cibos attinent, paria agentur,& deiectiones cõmutabuntur, tunc rectum fiet iudicium de his quæ ab Hippocrate in hoc aphorismo dicuntur.Variantur autem deiectiones ætatum ratione secundum eas quæ in corpore mutantur dispositiones , ex quibus aluus siccior humidior'ue fit. Quæ nam uero sint hæ dispositiones,unum est ex his quæ quæruntur,atq; adeo longum mihi futurum super hoc sermonem existimo, si proprias studuero adhibere demonstrationes, quod unus integer liber erit necessarius. Sed hoc aliàs forte à nobis fiet. Nunc breuibus capita expediam,his utens quæ in commentarijs de potentijs naturalibus, & de causis accidentium demonstraui. Plus quàm modo conueniat, fit aluus humidior,quando cibus in chylum cõuersus,in ipsa parcius distribuitur.Siccior uero rursus,omni humore in ipsa contento ad hepar relato. Causa uero ob quam parcius distribuitur,est aut quia plus cibi aliquando assumimus,quàm hepar indigeat, Contingit autem quandoq;,ut citius deijciatur.Nam cum cibus modum excedit,eius superfluum derelinquitur, ubi hepar tantum ad se attraxerit,quanto indiguerit. Cum uero properat ad exeundum, non præuenit hepar tantum attrahere , quantum ipsi est necessarium. Citius autem festinat ad exitum id quod excernitur, nonnunquam ob multitudinem bilis ad aluum defluentis quæ iritat ad excretionem, nonnũquam uero ipsa alui potentia retentiua facta debiliori , expulsiua uero eius atq; intestinorum forti existente.Plura igitur appetimus cum os uentriculi(in hoc enim uis appetendi præcipue cõsistit)frigidiorẽ habuerit temperaturã. Sic uero & hepar minus attrahit propter frigiditatem.Vim aũt retentiuam habet uentriculus imbecilliorẽ propter humiditatẽ, sicuti expulsiuã fortiorem propter siccitatem. Senum igitur corpus cum frigidũ efficiatur,tantũ augeri contingit in ore uentriculi frigiditatẽ,ut appetitus deficiat,atq; ita excrementa exiccentur,inopia eorũ quæ distribuũtur. Sic & quicũq; ob multitudinẽ,uel

naturam

naturam humoris biliosi aluum humectam habent, ad cõtrarium transmutantur, cum hic humor in senectute deficiat. Quibus uero ob uirtutis retentiuæ debilitatem aluus humectatur, non omnibus transmutatio aduenit, sed pro quãtitate caloris adiuncti. Si enim statim ab initio frigidiorem habuerit aluus temperaturam, mox ad immodicam ueniens in senectute intemperiem, secundum frigiditatem, uirtutem retentiuam æque habebit imbecillem, quoniã omnis immodica intemperies operationẽ exoluit: Quod si exquisite calida fuerit in longo ætatis processu fortem habebit operationem retentiuam, ut quæ neutram habebit exquisite intemperiem, neq; eam quæ est secundum siccitatem, siquidem erat omnino humidior natura, alioquin non habuisset debilem uirtutem retentiuam, neq; secundum caliditatem, hoc enim supponebatur. Liquet igitur quòd ferè omnibus qui aluos habent natura humidiores, fit ad cõtraria senescentibus transmutatio: qui uero sicciores, his fient in senectute humidiores propter contrarias temperaturas. uel enim quia minus assumitur cibi, quàm potentiæ hepatis congruat, uel quia parum bilis confluit ad aluum, uel propter potentiæ retentiuæ robur excrementa exiccantur. Ex his autem quod parum appetant, & citius impleãtur, fit propter partium appetẽtium caliditatem. Quod uero cibus assumptus exiccetur contingit, uel modice se habente hepate secundum temperaturam, uel paulo plus modico calidiore. Quod uero pauca bilis confluat ad aluum, hoc ex eo accidit, quia etiam pauca generatur ob uisceris frigiditatem. Fortis autem iuuenibus inest retentiua potentia, quoniam ad sicciorem uergunt temperaturam. Non absq; ratione igitur in omnibus quos diximus senibus fit ad contraria transmutatio. Nam qui non appetunt ob caliditatem, in progressu ætatis plus etiam appetent, quàm posit hepar euincere. Quibus uero ob innatam siccitatem uirtus retẽtiua fortior extiterat, his senescentibus fiet imbecillior ob siccitatis excessum, & ea ratione excrementa humectabuntur, quoniam ciborum exitus festinat. Quibus uero propter bilis defectum tardante excretione, ob exitus moram, plurimũ humiditatis absumitur, fieri potest, ut eadem dispositio perseueret. Contingit etiam, quòd propter immodicam hepatis frigiditatem, ad satis magnam perueniente alimenti distributione imbecillitatem, fiant excrementa humidiora. Hæc in præsenti dicta sufficiant, de causa earum quæ fiunt in ætatibus permutationum, quantum ad alui attinet humiditatem ac siccitatem, quę propter breuitatem sunt futura obscura his, qui in nuper dictis Commẽtationibus non sunt exercitati. Sed mox aliquando per unum uolumen integrum de eisdem clariorem doctrinam faciemus. Quantum autẽ ad usum artis attinet, hoc solum scisse sufficiat quod fuit ab Hippocrate dictum, etiam si causa non adijciatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus per quinquagesimum tertium huius libri aphorismum ostendit presentem aphorismum non esse uniuersaliter uerum, sed pro maiori solum parte: nam in senioribus pro maiori parte aluus exiccatur.

SECVNDO notat, aluos humidas & siccas intelligendas esse, si eandem uictus rationem seruauerit: nam si quis in iuuentute Alexandrinorum uictu utatur, idest uictu aluum proritante, quali Alexandrini utũtur: nam salsis cibis uescuntur qui aluum proritant & lubricam faciunt, utũturq; porris & zytho, quæ & ipsa aluum emolliũt, postea in senectute lentes comedat, & austerum uinum exhauriat, quę aluum adstringunt, eadem uictus ratio non seruatur: propterea necessarium non est, quod hic in senectute humidam aluum habeat, quamuis in iuuentute humida fuerit: idemq; euenit, si contrarius uictus modus in his ætatibus seruetur: propterea opus est Hippocratem intelligere, eadem in omni ætate seruata uictus ratione, uel saltem parum immutata.

Quod legitur, Si quis enim in nostro antiquo codice duæ lectiones sunt, una est, ὥσ ἄν τις. i. ueluti si quis. Altera quę in Aldino est, & quã Leonicenus habebat, εἰ γάρ τις.

Quod legitur, Et uinum austerum. in uno contextu habetur, καὶ οἶνον αὐστηρὸν πίνοι ἔτι. idest & uinum austerum etiam potaret. In alijs codicibus abest illa particula ἔτι.

Vbi etiam legitur, Quo pacto diceremus huius hominis deiectiones ætatis ratione permutari; tres sunt lectiones; una est quam Leonicenus habuit, πῶς ἂν φαίημεν ἐξαλλάξαι τούτῳ τὰ διαχωρήματα τῷ λόγῳ τῆς ἡλικίας. Alia lectio habet, καλῶς ἂν φαίημεν ἐξαλλάχθαι τούτῳ

τούτῳ τὰ διαχωρήματα κατὰ λόγον τῆς ἡλικίας. idest, Praue nãq; diceremus huius hominis deiectiones ætatis ratione permutari? At tertia lectio negatiue legit, οὐ κακῶς ἄν. idest, Nónne praue diceremus? Si quis recte computet, omnes hæ lectiones conuenire possunt: sed tertiã hanc magis probo, alijs tamen non despectis, quas summi uiri sequũtur.

At pro perfectiori intellectione eorum quæ hic à Galeno dicta sunt, dubium fieri posset de salsis cibis, an aluum humidam faciant, quoniam potius adstringere uideantur: nam Galenus undecimo De simplicium medicamentorum facultatibus libro, ubi de sale uerba facit, salem adstringere simpliciter, profitetur: imò marinum salem terreno comparans dicit, ex terra effossum magis adstringere, quàm ex mari: ut hinc simpliciter habeatur, omnem salem adstringendi ui præditum esse, atq; exsiccandi: cuius rei illud etiam testimonium esse potest, quoniam illa etiam conseruat quæ humida sunt, ut in suilla carne omniũ humidissima singulis annis experimur. Et Dioscorides libro quinto dicit, salem habere uim στυπτικήν, idest stypticam. Quomodo igitur Alexandrinorum uictus, quia salsis utebantur, lubrica corpora reddebat? Respõdemus, unam & eandem rem uario modo sumptam diuersos effectus efficere, aptam esse: imò & contrarios: quod in sale exploratissimum est, & in salsa aqua marina, quam si quis potauerit, aluum mire educit: si uero se lauet, exsiccat & stypticat: ut in his qui crura humida habent, uidere licet, quum marinæ aquæ balneo utuntur. Dioscorides igitur qui modos non distinguit, quomodo unum opposita efficere possit, quum de sale agit, primò facit ipsum stypticum, postea solutiuum: ut in his uerbis constat, quibus inquit, δύναμιν δὲ ἔχουσιν οἱ προειρημένοι ἅλες κοινῶς πολύχρηστον. idest, Vim autem in communi ad multos usus accõmodatum habent prædicti sales. Potentias uero enumerans addit, στυπτικήν τε καὶ σμηκτικὴν καὶ ἀποκαθαρτικὴν καὶ διαχυτικήν. idest, Stypticãq; uim habet, abstergitricẽ, expurgatricẽ, & quæ diffundat. multasq; alias uires addit, quas hic referre non est opus. Ab hoc tamẽ abstinere non potui, addidisse, clysteribus utiliter misceri: quod alia de causa non est, nisi ut mordicet intestina, prouocet, & ueluti calcar ad exeũdum stimulet. Quamobrem quum de sale loquimur, rebusq; salsis, simpliciter dicẽdum est, esse exsiccantia & styptica. Per accidens uero educũt: nam sua salsedine, uias per quas transeunt, proritant, & uim expultricem exsuscitant, ut ea quæ in intestinis sunt, expellant: tamen corpus quod nutriunt, exsiccant. Propterea Hippocrates in secũdo De alimentis libro, ubi de salsa carne agit, inquit: Salitæ uerò (scilicet carnes) propter salem minus nutriũt, sale humore priuatæ, licet emaciant, siccant, & magis mouent. quod de alui motione intelligimus, quæ fit potius ratione stimuli, quàm secundum suam naturam educant: tamen hic stimulus satis est in proposito nostro ad lubricitatem quæ humidam aluum faciat. In eodem etiam libro, ubi de salsis piscibus agit, inquit: Sale conditi (scilicet pisces) plerũq; siccant & maciant, modiceq; mouent. quod intelligere oportet de Mouere aluum. Mouet igitur prouocando, sed potissimum mouet, quum rei salsæ coniungitur: qualibus utebantur Alexandrini. Salsa autẽ cibaria, ut illa quæ ab antiquis medicis Sardica salsamenta nũcupantur, quorum Galenus in fine tertij libri De alimentorum facultatibus meminit: in quo etiam loco docuit, salem duplicem uim habere, discutiendi & incidendi corpora quibus applicatur. & eo etiam loco de his agit, quibus salem applicare cõuenit, & quibus non: nam ualde sicca & ualde humida, non sunt sale seruanda. Ad rem igitur redeuntes, ex his quæ dicta sunt, constat quomodo sal lubricam & humidam aluum reddere possit, stimulans, & etiam incidens: ut præcitato loco Galenus dicit. Nam ut libro quarto De simplicium medicamentorũ facultatibus, capite uigesimo habetur, Salsum saporem esse calidum & terrestrem, sicuti amarus est: sed salsus magis calidus est calore arido, quàm amarus. At rei calidæ natura, est aluum prouocare. Si uero exterius applicetur, multum exsiccat: ut Hippocrates in secundo De ratione uictus in morbis acutis, docet: ubi fomẽtum ex sale & milio describit. Inter illa etiam quę aluum humidam seruant, porrum à Galeno numeratum est, de quo in fine secundi libri De alimentorũ facultatibus, agit: primò de allio dicens, quod non modo obsonium est, uerum etiam ut medicamentum sanitati accommodum est, quod obstructa soluere & discutere possit, aliquãtisper elixum, usq; dum acritudinem abijciat, ut uiribus suis imbecillius fiat, praui certe succi notam deserit: queadmodum

& porrum

& porrum & cepe, cum bis fuerint decocta: propterea idem in porro intelligit quod in allio. Ideo porrum quia obstructa aperire potest, aluum etiam iritare potest. Quod uero obstructiones aperiat, facile potest ex eiusmodi libri fine colligi, ubi dicit porrum biliosis naturis non conuenire, sed solum pituitosis & habentibus crudū, crassum & glutinosum humorem. At non exhiberetur, nisi uim haberet resolutiuā, aperitiuam & incisiuam: quam uim si quae habent edulia, illa etiam aluum humectam seruant, & ratione suae acrimoniae ad excernendū stimulant. Hippocrates uero expresius porrum soluere ostendit in libro De morbis qui extra, quem non Hippocratis, sed Polybi Galenus esse iudicauit: inquit uero (quisquis sit huius libri author) porrum decoctum, uentrem lotiumq; cit, crudum, aestuosum pituitosumq; est. An uero crudum simpliciter pituitosum sit, uel solum facta comparatione ad coctum, in praesentiarum disputare non intendo. Sed eundem Hippocratem in secūdo De alimentis adducam, ubi cum de cepa uerba fecisset, addit, Porrum minus calefacit uentrem, & lotium cit, quod habet quod purget, madefacit, cruditatem sedat, si ultimo loco comedatur. & etiam Dioscorides libro secūdo, ubi περὶ πράσου κεφαλωτοῦ, idest de porro capitato tractat (ita enim Romani nostrum uulgare porrum uocāt) dicit οὐρητικὸν, εὐκοίλιον esse, idest urinae prouocatiuum esse, & bonam facere aluum, idest fluidam. Vides igitur porrum ex his esse quae aluum humidam faciunt, idest quae proritant & ad excernēdum stimulant: & hoc etiam non ab re, quia acre est. Acria uero, ut Galenus testatur quarto libro De simplicium medicamentorum facultatibus, capite septimodecimo, calida sunt: imò acria in summo urunt: propterea eodem loco infert, Amara, dulcia & acria esse calida: sed amarum abstergere habet, acre urere, dulce nutrire, quando unumquodq; est in summo sui saporis: unde alia sunt acria quae comedūtur, alia quae tantum obsonijs miscentur, quia per se comedi non possunt: alia nullo modo colligi possunt, & horum aliqua sunt mortifera, alia simpliciter medicamēta: uocat autem edulium acre, quod dum gustatur, fortiter excalfacit, unde porri sapor acer est, allij & cepę. Inter illa etiam quae mollem uentrem & fluidum seruant, zythum est: at per zythum genus potus intelligit: aliter uane dixisset, Zythumq; superbibens. Hoc autem addere uoluimus, quoniam nonnulli recentes putarunt, zythum esse genus frugis: quia apud Galenum sexto De simplicium medicamentorum facultatibus libro, scriptum inuenere, Zythus hordeo non parum acrior est, & succi praui, utpote qui ex putredine proueniat: est & flatuosus, tum partim acris est & calidus, parte uero plurima frigidus, aqueus, acidus. Per hęc Galeni uerba inquiunt, zythum esse genus segetis colligi posse: nam ipsum hordeo comparat. Adde, à Paulo Aegineta eadem dici in litera Z, quamuis illum hordeo non comparet. Aetius uero illum etiam hordeo comparat, inquiens, Zythus acrior hordeo est, flatuosus, stomacho infestus, tanquam qui ex putredine fiat. Nos uero in pręsentiarum ostendemus esse genus potus apud Galenū. In primis igitur hic locus ostendit zythum esse genus potus, quia dicit superbibitum. Praeterea in quarto libro De ratione uictus in morbis acutis, ubi Hippocrates de febre singultuosa agit, inquit: Quod si supra modū singultuosi sint, bibant aquam hordei. Galenus hunc locum exponens, inquit, Quod potum hunc tanquam sitim adimentem exhibeat, est manifestum. Sed melius fecisset, si prius quo'nam modo parare hordeum oporteat, enūtiasset: utrum'ne simpliciter macescere, uel ex eo zythum, ut huius temporis homines conficere, uel quouis alio parare modo. Ex his habetur, zythum esse genus potus ex hordeo confectum. Sed Dioscorides prae caeteris hoc ostendit, qui dicit, zythum ex hordeo confici, & potum urinam prouocare. In fine etiam illius partis dicit, σκευάζεται δὲ καὶ ἐκ πυρῶν τοιαῦτα πόματα, ὡς ἐν τῇ πρὸς ἑσπέραν ἰβηρίᾳ καὶ βρεττανίᾳ. idest, Conficiunt etiam ex triticea fruge huiuscemodi pocula, ut in Hispania Iberia & Britania. Columella de zythi usu agens, in Aegypto inuentum esse testatur, in hunc modum canens:

Iam siser Assyrioq; uenit quae semine radix,
Sectaq; praebetur madido sociata lupino,
Vt Pelusiaci proritet pocula zythi.

Tamen nondū scimus quomodo fieret apud antiquos zythus: neq; Plinius, qui nihil intentatum omittit, eum conficere docet. Quum uero in fine libri uigesimisecundi, de

frugibus locutus esset, & de hordeo, dicit ex eisdem fiunt potus zythũ in Aegypto, celia & ceria in Hispania, ceruisia & plura genera in Gallia, alijsq; prouincijs: sed ex his uerbis non constat quomodo fiat. uolunt autem acrem saporem habere, & ex putrilagine fieri. nunc etiam eo utuntur potu Graeci: & qui in Grecia uinum emere non possunt, quod plurimi uenditur, zythum bibunt. Nam iussu imperatoris Turcarum uites omnes abscisae sunt. Graeci in praesentiarum zythum eorum materna lingua phocadij uocant; nempe frequenter cõmuni eorum lingua, materna inquam & uulgari, dictiones in iota finiunt. Conficiendi uero modus hic est: hordeum aqua madefaciunt, quousq; in liquorem similem uino resoluatur: fit enim ex acescente putrilagine, propterea acredinem habet, imò si copiose bibatur, inebriat ut uinum. Nunc ex zea, idest spelta, in Gallia potum parant, quem birram uocant, lupulum tamen addunt, qui potus acer fit, at per decoctionem paratur, nec omnibus egregie parare datum est: hocq; potus genus ut uinum ferè inebriat. Sunt qui ex hordeo parent in Gallia, sed illud esse arbitror quod à Dioscoride curmi uocatur, & à Plinio celia. omitto in praesentiarum enarraré potus ex fructibus confectos, & aromatibus, in Gallia, Germania, & Pannonia, omitto & potus genera, quibus Turcę utuntur. Illud solum admonentes, zythi usum apud antiquos medicos fuisse, sed quomodo fieret, aliter non constat, quàm ut nos superius edocuimus. imò & Suidas haec solum de zytho dicit, potũ esse ex hordeo confectum, qui tamen author alioqui res soleat plene atq; integre tractare. Zythum igitur si quis bibat, cum acrem saporem habeat, uentrem emolliet; & praesertim quia ex hordeo factus est, & uarias qualitates habet, ratione acredinis & caliditatis, quam illi Galenus attribuit, aluum emollit: sed forte ratione aciditatis, quam etiam habet, & aliarum conditionum, quarũ Galenus meminit, aliquo modo adstringit: sed cum alijs simul aluum humidam seruat.

Post haec Galenus cibaria illa recenset, quae adstrictoria ui praedita sunt. Primo lentem enumerans, quam recentes dicunt aluum soluere, & adagio apud Ferrariense uulgus receptum est: si quis lentis pateram ederit, situlam excernere. propterea uideretur potius lentem aluum iritare & humectare, quàm adstringere. Galenus tamen huic nodo optime satis facit in octauo libro De simplicium medicamentorũ facultatibus, ubi expresse docet φακλῶ, idest lentẽ, adstringere, & aluum sistere. nam inquit esse mediae naturae inter frigidum & calidum: sed in secundo ordine exiccare, propter hanc qualitatem dicit, quod uniuersum corpus exiccant, & aluum adstringunt. Postea nonnulla addit, quae totam recẽtiorum difficultatem remouent: scilicet earum decoctum aluum prouocare: ideo primam aquam, in qua coquitur, abijciẽdam esse, quando retentionis gratia exhibetur. ut hinc uidere liceat, experientiã decepisse recentes atq; uulgus, quia uident soluere, eo quod primam cocturam insumunt, quae partes quasdam lentis superficiales nitrosas atq; salsugineas recepit, quae aluũ soluere aptae sunt, unde lentem soluere putant: sed idem in lente contingit quod in brassica. quę adstringit: tamen soluere uidetur, quia prima brassicae coctura, quę & ipsa superficiales quasdam nitrosas partes recipit, soluit. Vnde simpliciter pronuntiandum est, lentem adstringere. Alij uero recentes qui hanc rem pressius excogitasse putarunt, inquiunt, lentis corticẽ soluere, lentis uero substantiã adstringere. cum igitur adstringere opus sit, excorticata lente utuntur: quod tamen non iubet Galenus, sed uoluit solum mutandam esse primam aquam, ut in illo etiam aphorismo edocebat, Eorum quae uniuersim & uelociter nutriunt, & caetera, de leguminibus & brassica agens: in quibus quando eorum substantiam iudicare uolumus, iubet ob prędictam causam, primam cocturam abijciendam esse. Hoc igitur est quod induxit uulgus, ut lentem soluere putaret. Non desunt tamen qui uelint lentem excorticatam adstringere, cum cortice uero aperire, quod absurdum est. Nam Galenus & corticem ipsum siccum facit, imò & in primo libro De alimentorum facultatibus dicit, lentis corticem uehemẽter adstringere. Si uero petas quid illud sit, quod in prima decoctione soluat: Respondemus, esse partem quandam abstersiuam, quae est supra corticem, & salsugineam, quae in decoctionem recipitur. unde Galenus praecitato loco docet corticem uehementer adstringere, carneam uero substantiam tenuiter. Docet autem ex lente iusculum fieri, quod deijciendi uim habebit; si lens in aqua elixata

& sale, garo & oleo condita bibatur. Propterea Heraclides Tarentinus compositum quoddam ferculi genus adinuenit ex lente & beta, & ideo ipsum nominauit τευτλοφακῆν, idest (si nobis nomen fingere liceat) betilentem ferculum, quod est ex pugnantibus compositum, proritantibus scilicet aluum & adstringentibus: propterea tardius quàm beta, & citius quàm lens per aluum descendit. Ex quibus omnibus colligere licet, lentem adstringere: imò Galenus præcitato loco dicit, ualere ad profluuia mulierum: inidonea uero est ad prouocandos menses. Forte contra hæc Hippocratem adduces, qui secundo De alimentis libro dicit, Lens æstuosa est, destillationem mouet, uentrem neq; mouet, neq; sistit. Igitur Hippocrates uelle uidetur uetrem adstringere, imò magis aperire, quia destillationes mouet. Sed huic dubio & pluribus similibus satisfacit Galenus, qui hunc librum Hippocratis non esse dicit, sed uel Herophili, uel Thessali, quia in quarto De ratiōe uictus in morbis acutis, postquàm de peripneumonia egit, uerba quædam de leguminibus addit, ubi dicit, singulas species habere sua uitia: postea sequitur, Lens non detracto cortice adstringit, tumultumq; efficit. Propterea si liber ille qui De alimentis inscribitur, Hippocratis sit, sicuti à Galeno quandoq; pro Hippocratis libro citatur: quāuis an Hippocratis sit, alibi postea dubitat: dicemus in eo De alimentis libro, de lente excorticata loqui, quam dicit neq; adstringere, neq; aluum mouere, idest hæc insigniter non facere, ut sensu percipiatur. In libro autem De ratione uictus in morbis acutis, cum cortice adstringere dicit: non quia & sine cortice id non faciat, sed id insigniter non facit, quod cum cortice oculata fide deprehenditur. Recentes uero in errorē incidere ob Dioscoridem, qui de lente agens, simpliciter hæc profert, Cum cortice deuorata emollit aluum. Quam sententiam Hermolaus uir egregius prædicto modo interpretatus est. Imò nonnullos Græcos codices considerantes, in hæc uerba incidimus: κοιλίας δὲ μαλακτικὸς σὺν τῷ λέπει ἐσθιόμενος. Quæ uerba si ita referamus ut scripta sunt, hæc dicunt, Ventrem autē emollit cum suo cortice si comedatur. At statim uidebitur Dioscoridem sibi ipsi repugnare, qui dicit, adstringētem uim & naturam habere lentem. Ideoq; aluum sistit suo cortice denudata diligēterq; elixa, & prima in coquēdo perfusa aqua, quia eius primum decoctum aluum soluit. Præterea omnes alij antiquiores Dioscoridi oppugnare uiderētur, qui uniuersam lentem adstringere fatentur, & potissimum corticem, ut Galenus dicebat. & Paulus Ægineta libro sexto inquit, Totum lentis corpus (idest tam caro, quàm cortex) aluum sistit & siccat. & Aetius libro primo inquit, Lentes impense adstringunt, inter calorem ac frigus mediæ, sed secundo ordine exiccant: earum quidem corpus arefacit, sistitq; aluum: ius uero iritat: prior igitur aqua effundenda est, ubi retentionis gratia sumitur. Alexander præterea Trallianus libro tertio, capite decimo nono, de uentris profluuio secundum Philemonem agens, pulticulam quandam ex lente bis cocta factam refert, ut adstringat. Nunc uero ad nostros, idest Latinos descendamus. Plinius ultimo capite libri uigesimi secundi, lentem in cibo sumptam aluum adstringere monet. Itaq; de lente apud omnes antiquos scriptum reperitur. Propterea in Dioscoridis lectione suspicari cœpimus, quam hoc modo intelligendam iudicabam: quum dicit, lentem cum cortice deuoratam aluum emollire, intelligebam, si cum iure primo comederetur, idq; ratione superficialium partium fieri. Sed in duos Dioscoridis codices incidimus, in quibus oppositum potius scriptum erat: nam hoc modo legebatur, κοιλίας δὲ σταλτικὸς σὺν τῷ λέπει ἐσθιόμενος. idest, Aluum autem cum suo cortice cibo sumpta adstringit. Ex his tamen non arguo Hermolaum, qui ut inuenit, uertit: sed ne Dioscorides cum cæteris antiquioribus certet, ipse quoq; antiquus, hæc lectio magis arridere uidetur. Nunc uero receptui canamus, & quicquid in hac re ueri ex antiquioribus colligitur, enodemus. Lens tota adstringit, cortex uero magis, caro minus. Cur uero recentes & uulgus multum soluere putent, prima illa coctura in causa est, in qua partes quædam superficiales nitrosæ, salsugineæ & abstersiuæ ab aqua in qua decoctio fit, recipiuntur. Recte igitur hic Galenus lentem inter cibaria quæ aluum adstringunt, enumerauit.

Post hæc, Galenus inter illa quæ adstringunt, uinum austerum enumerat: in quo loco scire oportet, uinum ratione qua uinum, non adstringere: si uero austerum adstringat, hoc facit huius saporis ratione, qui sapor necessario ex una primarum qualitatum

dependet, de qua nunc agere decreuimus. Scito autem tam Græcos quàm Latinos eo dem nomine uti: quod enim Latini austerum, Græci αὐστηρὸν uocant. Galenus quarto libro De simplicium medicamentorum facultatibus, capite septimo, de austero sapore nonnihil agit, hoc modo generari docens: Corpora acerba, ut fructus acerbi, sunt terrei & frigidi. Propter hoc necessarium est, ut uno trium modorum resoluatur, uel incalescendo, uel humectando, uel simul utrunque agendo. Si acerbum solum calescat, neque humidius fiat aut mollius, sed durum, dulce solum efficitur, ut sunt castaneæ. Si acerbum solum humescat, & crassas partes habeat, & aqueam humiditatem, fit austerum: nam uis aquea & humida retundit cuiuscunque saporis uires. In calce autem ferè huius partis docet, rem notam esse austeram, ut quisque facile possit gustare & cognoscere saporem austerum. Nam palmę fructus hunc saporem habet, quia austerus est & dulcis, & uinum Surrentinum, ac Sabinum austera sunt: quæ uina, præsertim Sabinum, adhuc Romæ habentur, sed non sub hoc nomine: in his præcise austeritatem deprehendes, quæ stypticitatē in gustu præ se fert, nedum in effectu: & hoc non ab re, quia cum austeritas ex re acerba fiat, solum per humiditatē relinquitur frigiditas, quæ stypticat, & siccitas propter aduenientem humiditatem parum aboletur: & hæc est causa quare uina austera adstringant: ut hic Galenus egregie dixerit, austera uina adstringere, si bibantur: & eo maxime, si cibaria quæ styptica sunt comedantur. Nec à Theophrasto dissidet Galenus, qui sexto De plantarum caussis libro, ubi de saporibus agit, dicit, austerum & acutum sapores humiditatis potius esse uidentur, quàm siccitatis. Aetius libro primo, capite primo, eadem fermè dicit de austero sapore, quæ à Galeno scripta sunt, inquiens: Austera cum dulcedine palmula est, & uinum Surrentinū, & quęcunque mixtam habent adstrictioni dulcedinem: unde & libro decimo capite undecimo, idem Aetius de cura splenis in scirrhum indurati secundum Galenū loquens, dicit: quando diutius malum durat, in splene naturalem firmitatem custodire oportet. Propterea iubet huic amara exhibenda, quibus aliquādo ex austeris quidpiam ammiscemus. Amara quidem, ut humoris crassitiem secent, ac repurgent: austera autem, ut robur & firmitatem eius conseruent. Roboratur autem hoc membrū adstringentibus: propterea exhibet austera, quæ uim adstrictoriam habent, unde & Paulus libro primo, capite octuagesimo primo, de pomis agens dicit: Austera dein stomachum roborant, & aluum supprimunt. Hoc autem non faciunt, nisi adstringendo, quia uētriculus per adstrictionem roboratur. Ex his Galenus in secundo De alimentorum facultatibus, quum de palma tractat, inquit, Dulcem uero succum alendo esse, & austerum stomacho conuenire, & aluum retinere monstrauimus. ut in summa cum Galeno inferamus, uinum austerum adstringere: quale id est, quod apud nos cum bibitur, os exiccatum relinquit, asperum dici posse uidetur, & acredinem quandam habere: unde & Horatius in Sermonibus, laborem austerum, idest asperum uocat, quum inquit,

Molliter austerum studio fallente laborem.

Ideo & austerum uinum asperitatem quandam habet: propterea & Suidas multis rebus austerum coniungit, quæ non sapores sunt, nec edi aut bibi possunt.

Inter illa etiam quæ adstringunt, Galenus mespila numerauit, suaque lingua μέσπιλα uocat. At quid sint mespila apud antiquos quispiam non ab re ambigere posset: tamen nullus est antiquus quum Græcorum, tum Latinorum, qui statim mespila adstringere non fateatur: unde & Hippocrates in secundo De alimentis, dicit, Mespila sistunt & asperant gustu. Sed ut nos breuibus quid sit mespilum, apud Dioscoridē & Galenum ac cæteros antiquos ostendamus, dicemus fructum illum quem uulgò azarolum uel lazarolum uocamus, esse mespilum antiquorū: quod facile ex Dioscoridis uerbis suaderi potest, quum primo libro dicit, Mespilum esse arborem aculeatam, folio pyxacanthæ, pomum ferens paruo malo simile, gustu iucundum, ternis intus ossiculis, unde nomen apud aliquos tricoccus. sera ei maturitas, adstringunt hæc esu, stomachum adiuuant, sistuntque aluum. Si huic descriptioni azarolum conferas, mire conuenire deprehendes, & eum delirare, qui azarolum mespilum esse dubitet. Galenus idem sentit septimo De simplicium medicamentorū facultatibus libro, ubi dicit, Mespilum, alij tricoccum nominant, quoniam tria intus in uniuersum gerat grana. Sed id mirum est in

Galeno quod sequitur, Arboris huius fructus admodum acerbus est, uixq; edi posit, uentrem strennue coercens. Mirum quippe est Galenum dixisse, Vix edi posse: nisi intellexerit, ob acerbitatẽ stupidos dentes reddere: quod certe facit, & propterea edi uix posit. De mespilo tertio libro De plantarum historia Theophrastus disserit, & eodem ferè modo: sed tria mespilorum genera refert, anthedon, setanium, & Gallicum: ut Plinius etiam libro decimoquinto, capite uigesimo, enumerauit. Theophrastus uero hæc tria mespilorum genera describens, dicit habere folia apij: ut proculdubio accipiatur, hæc esse nostri azaroli genera: nam habet folia uel apio uel pyxacãthæ similia, ut Dioscorides dicit: & sua folia antequam decidant, uehementer rubent: quamuis & nostri uulgaris mespili folia in principio hyemis rubeant, uel in fine autumni: sed adeò non rubent, ut azaroli folia casura faciunt: imò & omnium ferè arborum folia ante quàm decidant, rubescunt, uel saltem lutea fiunt: ut nõnulli putarint hunc colorem, mortem & extinctionem significare. Quicquid autem de alijs arboribus sit, azaroli folia in fine autumni uehementissime rubescunt. Ad rem igitur. Quando antiqui de mespilo loquuntur, azarolum semper intelligũt: ideo eorum mespilum, tricoccum uocãt: quod in Italia Catonis tempore non fuisse, Plinius testatur. Apud nos autem, non sunt decem anni quod uirent. In Neapolitano regno diu est quod fructificant. Fructus Neapoli Ferrariam aduehebatur, nunc in nostro solo uirent: & mire proueniunt, si supra pyxacantham inserantur, quam uulgò *spino bianco* uocamus: apud nos frequentem, cuius folia azarolus repræsentat. Aliquis autem de nostro uulgari mespilo dubitare posset, an apud antiquos extiterit: quippe tricoccus dici non potest, sed pentacoccus & heptacoccus, quoniam quinq; uel septem grana habet. Respõdemus, nostrum uulgare mespilum extitisse apud antiquos: & de eo egisse Dioscoridem, quum dicit, Alterum genus mespili in Italia esse, quod quidam epimelida, alij sitanium uocant: arbor mali similitudine, folio tãtum minor. Vt ex hoc facile sumi posit, deceptum esse Hermolaum: quoniam Theophrasti setanium, non est hoc Dioscoridis setanium. Quippe Dioscoridis setanium habet mali folia: sed Theophrasti setanij, sicuti & aliorum mespilorum ab ipso nominatorum, folia sunt incisa, ut apium imitari uideatur. Vnde de nostro uulgari mespilo, nihil in suis mespilis agit Theophrastus: sed Dioscorides ipsum pingit, epimelida, uel setanium uocans. Et quòd hoc sit nostrum uulgare mespilum, hæc uerba quæ statim in Dioscoride sequuntur, ostendunt: Pomum quoq; huic rotundum, esculentumq;, fundo in latitudinem resimo, adstringentis ingenij, & tarde maturescentis. Hæ autem notæ omnes nostro mespilo conueniunt: ut constet, Dioscoridem mespilum nostrum pinxisse. Sed apud Plinium libro uigesimo tertio, capite septimo, setanium, nostrum mespilum non uidetur: nam dicit, Mespila, exceptis setanijs, quæ malo propiorem uim habent, reliqua adstringũt stomachum, sistuntq; aluum. Sed non mirum, si Plinij setaniũ id non est, quod à Dioscoride pictum est: quum Plinius Theophrastum in plantis sequi soleat. An uero Hippocrates & Galenus nostrum uulgare mespilum cognouerint, in dubiũ uerti potest. Hermolaus putat quòd amamelis apud Hippocratem genus mespili sit nascẽtis in Italia, & sit nostrum genus, idemq; sit quod epimelis apud Dioscoridem: nam apud Galenum inuenit amamelidas genus mespili esse nascentis in Italia. Quum autem hoc genus mespili Dioscoridis, quod nostrũ est, à Dioscoride etiam dicatur nasci in Italia: propterea coniectandum, Hippocratis amamelidas esse Dioscoridis epimelidas, idest nostrũ uulgare mespilum. Nos autem nondum sciuimus apud Hippocratem & Galenũ amamelidas inuenire. Quum uero Galenus de epimelide loquatur, multi putarunt nostrum uulgare mespilum esse Galeni epimelida. At mire decipiuntur, ut statim ostendemus. Nam Galenus sexto De simplicium medicamentorum facultatibus libro, de epimelide hoc modo disserit: ἐπιμηλὶς, στρυφνὸν μὲν τὸ φυτόν ἐστι, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ἀγρία μηλέα. καλεῖται δὲ ὑπὸ τῶν κατὰ τὴν ἰταλίαν ἀγροίκων, οὐνέδων. πλεῖστον δὲ ἐν τῇ καλαβρίᾳ γίγνεται. ὁ καρπὸς δὲ αὐτῆς στρυφνὸς μὲν, καὶ κακόστομαχος δὲ, καὶ κεφαλαλγής. ἀναμέμικται γὰρ αὐτῷ τις ἀλλόκοτος ποιότης. Quem si ad uerbum referre uelimus, hæc dicit: Epimelis, acerba hæc planta est, & (ut quispiam dixerit) agrestis pomus: uocatur autem ab Italis rusticis, unedo: copiosus eius in Calabria

prouentus: fructus eius acerbus quidem, sed & stomacho infensus & capitis dolorẽ irritans: etenim quædam aliena qualitas ei admiscetur. Ex his igitur uidere licet, per epimelida non quidem mespilum, sed unedonem intelligere Galenum: nam dicit ita uocari ab Italiæ rusticis, & potissimum nasci in Calabria, per quam si quis equitet inter montes potissimum frequentissime unedonem inueniet. Forte hoc modo dubitabis, quum epimelis unedo sit, & unedo apud Plinium & nostros arbuti fructus sit, & ipsa arbutus: ideo idem erunt epimelis, arbutus, & unedo. Respondemus, apud Plinium idem sunt arbutus & unedo: licet quandoq; unedo pro arbuti fructu sumatur. Nam libro decimoquinto, capite uigesimoquarto, ubi de siliquis & carnosis pomis & moris loquitur, quum de moris uerba fecisset, in hunc modum prosequitur: Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud cõgeneri eorum unedoni, quod solum pomum simile fructui terræ gignitur: arbor ipsa fruticosa, fructus anno maturescit, pariterq; floret subnascẽs, & prior coquitur. Mas sit an fœmina sterilis, inter authores non constat: pomum inhonorum, ut cui nomen ex argumento sit unum tantum edendi. Hoc tamen duobus nominibus Græci uocant, comaron, & memecylon: ex quo apparet totidem esse genera apud nos. Idem igitur sunt unedo & arbutus, & idem comaron & memecylon, secundum Plinium. Adde, eundem authorem libro uigesimotertio, capite octauo, dixisse, Arbutus, siue unedo, fructum fert difficilem coctioni, & stomacho inutilem. Quod autem apud Græcos inueniri potest, non est ꝙ arbuti fructũ comaron & memecylon uocant: imò comaron est arbor, idest arbutus, memecylon est fructus, & nũc per totã Græciam his nominibus utuntur. Hoc autẽ ostendi potest ex Dioscoride in primis, qui de ipso ita disserit, κόμαρος δένδρον ἐστὶ, παρόμοιον κυδωνίᾳ, λεπτόφυλλον, καρπὸν ἔχων ὡς κοκκυμήλου μέγεθος, ἀπύρηνον, μιμαίκυλα καλούμενον. i. Comarus uel arbutus malo cotoneæ similis est, folio tenui, fructũ habet ad magnitudinẽ pruni, sine nucleo, quẽ memecylon uocant. Vnde apud Dioscoridem, comarus est arbor, memecylon fructus. Idem potest ex Galeno ostendi secundo libro De alimentorũ facultatib. ubi enim de agrestium plantarũ fructibus disserit, de arbuti fructu hęc dicit, τὰ μὲν οὖν κράνα, καὶ τὰ βάτινα, καὶ τὰς βαλάνους, καὶ τὰ μιμαίκυλα. καλεῖται δὲ οὕτως ὁ τοῦ κομάρου καρπός. i. Corna igitur & mora & glandes & memecyla: sic autem uocatur comari, idest arbuti fructus. Deinde prosequitur, ꝙ hæc sunt rusticis in cibario usu: sed manifeste apparet, ꝙ facit comarum arbutum, & memecylum eius fructum: non autẽ ut Plinius dicebat, ꝙ comaron sit fructus, sicut memecylon: nisi intellexerimus, per comarũ Grecos idem intelligere, quod Latini per arbutũ uel unedonem, quia quandoq; arborem, quandoq; fructum ex eo nomine intelligimus. Sed an idem sint arbutus & unedo, apud authores dubium uidetur. Nam Theophrastus diuersa esse ostendere uidetur, quippe primo libro De plantarum historia, ubi corticum differentias enarrat, inquit: Quibusdam cadere corticem radicis: & quæ sint hæc, enumerat, dicens, Potulaca, unedo, arbutus: ut manifeste ostendat, arbutum rem diuersam esse ab unedone, & arbutum uocauit κομαρόν. Paulopost ubi de his arboribus quæ continuo uirescunt in monte Olympo, agit, potulacam numerat, arbutum, terebinthũ, laurum: postea addit: Potulaca atque unedo folia inferiora demittunt. Loquitur uero de re distincta ab arbuto: tamen de unedone arbore, nusquam particulariter loquutus est, nec ipsam descripsit. Quod mirum esset si unedo esset arbor distincta ab arbuto: nam libro tertio, arbutum describit, & potulacam, non autem unedonem: nam etsi esset unedo distinctus ab arbuto, tamen illi esset congener. Postea Galenum uideo inter arbutum & unedonem differentiam ponentem. Et hoc clarissime constat: nam sexto De simplicium medicamentorum facultatibus libro, ubi de epimelide tractat, unedonem esse dicit. Postea septimo libro, de comaro, idest arbuto agit: & ea refert, quæ à Dioscoride dicta sunt, habere fructum quem memecylon uocant. Hoc etiam expressius ex eodem Galeno sumitur secundo libro De alimentorum facultatibus, ubi de agrestium plantarum fructibus disserit, arbores illas enumerat, quæ repastinatione non indigẽt, nec indigent ut serantur, uel aliqua humana opera: inter has uero κόμαρον, idest arbutum numerat: postea addit, καὶ ὁ τὰς ἐπιμηλίδας φέροντος. καλεῖται δὲ κατὰ τὴν ἰταλίαν οὐνέδων. idest, Et illa scilicet arbor quæ fert epimelidas, quam Italiæ rura unedonem uocant. Vt manifeste inter arbutum & arborem epimelidas ferentem, uel unedonem dif-

ferentiam

ferentiam faciat:imò statim ponit memecyla, quę dicit esse arbuti fructus:ut liquidum fit,apud hos authores hæc diuersa esse. Idem ex Paulo Ægineta confirmari posset, qui libro septimo,de epimelide agens, eadem dicit quæ à Galeno scripta sunt,& ab Italiæ rusticis unedonem uocari. Postea de comaro,idest arbuto,tanquam de re distincta loquitur,dicens,eius fructum memecyla nominari. In Simplicibus tamen medicamētis eadem à Paulo & Aetio referuntur, quæ prius à Galeno scripta sunt. In tanta igitur controuersia quid dicendum sit, quisq; etiam perspicacioris ingenij ambigere posset. Nobis autem in hunc modum respondendum esse uidetur, Huius arboris duo sunt genera,quæ adeo affinia sunt,ut unum pro alio sumatur. Fructu autem differunt,maiore & minore:differūt etiam,quia una magis crescit quàm altera:tamen ob paruam quam habent differentiam,pro una ab aliquibus authoribus accipiuntur,præsertim quia easdem uires habent:nam si uideas quid Galenus dixerit de epimelide,inuenies κακοσόμαχον esse καὶ κεφαλαλγῆ, idest infestū fructum stomacho & capiti infensum.Idem postea dicit de arbuti fructu. Idem Dioscorides de arbuti fructu dicit: idem Aetius: idem Paulus de epimelide siue unedone,& de memecylo,arbuti fructu.Propterea quū eandem figurā habeant,& easdem uires,non mirum est si Plinius,tāquam idem essent,accepit,& unedonem ac arbutū idem esse iudicauit. Ad rem igitur primā redeuntes,de mespilo hic Galenus,idest nostro uocato *azarolo* intelligit:quuis omnes etiā prędicti fructus uim adstrictoriā habeāt,& nostra etiā uulgaria mespila eisdē uirib⁹ insignita sunt.

TERTIO Galenus docet,quomodo deiectiones ætatum ratione uariantur,secundum dispositiones quæ ratione ætatum in nostro corpore mutātur,multasq; refert causas:una est, quum adeo comedimus,ut totus chylus à iecore non trahatur; sed portio quædam in intestinis maneat,tunc aluus humida fit: iecur autem tantum chyli trahit, quantum ipsi satis est,ut in libro De potentijs naturalibus docuit.quando igitur quod sibi necessariū est,trahit,& adhuc portio aliqua chyli superest,quum sit res mollis atq; lubrica,alui humiditas fit:uel etiam quia deijcitur,ante quàm iecur trahat.Nam quum in iecore adhuc aliqua sint concoquenda,uel nondū distributa,nihil trahit prius quàm coctum sit,expulsum & distributum quod in ipso cōtinetur.Propterea hæc quandoq; iecoris operationem præueniūt,& prius exeunt,quàm à iecore trahantur. Hoc autem fit,uel quia uis retentiua imbecilla sit,uel expulsiua fortis:uel quia bilis portio est huic rei mixta quæ exire debet: uel etiam quia iecur uim attractiuā imbecillam habet,quæ antequàm trahat,multum immoratur. Hæ igitur sunt causæ,quas in ordinem disponemus,cur aliquis humidā aluum habeat. Primo,quia nimis comedimus:ideo iecur trahens quantum ipsi satis est:reliquum quod non trahit,aluum humectat. Secūdo,quia alui uis expulsiua potentior est retentiua:ideo iecoris attractionem præuenit,iecur autem imbecille attrahit. Tertio,ob bilis multitudinem,quæ aluum ad excernendum irritat:cui addo,& pituitæ salsæ multitudinem. Econtrario tres sunt siccitatis alui causæ, uel quia minus comedimus quàm iecoris potentiæ conueniat. Vel quia uis expultrix debilior,retentiua fortior. Vel quia parum bilis ad aluum confluit. Si autem in præsentiarum causas reddere uoluerimus,cur aluus in iuuene humida sit,uel sicca: statim per oppositas causas in senio fieri deprehēdemus,& hoc saltem in pluribus. Cuius rei ut perfecta doctrina habeatur,nos per exempla explicare tentabimus. Sit iuuenis,qui ex nimio cibo quem insumit,aluum humidam habeat:hoc ob aliud nō est,quàm quia nimis appetit,& iecur quantum deberet non attrahit,nimia appetentia ex oris uentriculi frigiditate prouenit: nam in hac parte potissimum uiget appetētia,iecur etiam ob frigiditatem non attrahit.Quum igitur aliquis iuuenis ob ciborum copiam humidam aluum habeat,quando senex fiet,necessario exiccabitur,& ratio in promptu est: nam seniorum corpus quum frigidum efficiatur, oris uentriculi frigiditas adeo augetur, ut appetentia deficiat.nec dicere ualet,si augetur frigiditas,quod etiam appetentia augeri debeat:nam ut Galenus dicit, Omnis immodica intemperies operationem exoluit: unde & si appetentia ex oris uentriculi frigiditate fiat, tamen ex nimia frigiditate non fit.Quum ergo in senibus multū excedat, illa quæ faciebat appetētiam frigiditas,propterea non appetūt: quum non appetant,non multū comedunt,itaq; aluus exiccatur. Si uero iuuenis stypticus sit,quia parum comedat,minus scilicet quàm iecoris poten-

tiæ conueniat: hoc ideo est, quia parum appetit. At parum appetit ob oris uentriculi caliditatem: propterea parum comedit: & hoc quod comedit, exiccatur, uel quia iecur est temperatum, uel excedit in caliditate. In tali iuuene procedente ætate, calor ille oris uentriculi remittitur: propterea magis appetit: ideo magis comedit, & feces non adeo exiccantur. Itaque in senio lubricam aluum assequuntur. Hic est igitur unus casus, & primus in ordine. Secundus casus, Sit iuuenis qui aluum humidam habeat, ob biliosos humores ad intestina tendentes. Hoc merito est, quia ætas biliosa biliosos humores gignit. Quum uero hi senes efficiuntur, non transmittitur bilis: quoniam & in hac ætate non generatur: ideo aluũ siccam contrahunt. Ecõtrario, si iuuenis siccam aluum habuerit, quia bilis ad uias & intestina non transmittatur, quum in senio minus bilis generetur, non est necessarium, hos quum senes efficiuntur, aluum humidam habere, propter contrarias causas, quia bilis in senio non generabitur. Hic propterea unus est casus, qui aphorismum uniuersalem non esse ostendit. Tertius casus, Sit iuuenis qui expultricem uim fortiorem habeat, retentricem imbecilliorem, & propter hoc humidam aluum habeat: hoc ideo est, quia uis retentrix in humido uiget, expultrix uero in sicco: nam expultrix, quia in sicco, fortior est: retentrix, quia in humido uiget, imbecillior. In hoc casu certa regula dari non potest: nam necessarium non est, in senio uim retentricem fortiorem fieri, & expultricẽ imbecilliorem. Hic igitur est alter casus, qui facit aphorismum non esse uniuersalem. Sed (ut dicit Galenus) pro quantitate caloris adiuncti sequitur. Nam si quis aluum frigidiorem in senio habuerit, frigiditas augetur: & ideo uis retẽtrix est etiam imbecillior, quia omnis immodica intemperies operationem exoluit. At si aluus calida sit, in longo processu ætatis retentricem uim fortem habebit: quia nullam exquisite habet harum intemperierum, non siccitatem, quia est natura humidior: nam si non fuisset humidior, imbecillam uim retentricẽ non habuisset: neq; caliditatem, quia hoc suppositum est; propterea in hoc casu certa regula non habetur. Si uero sit iuuenis, qui siccam aluum habeat, quoniam uis retentrix sit fortis, expultrix imbecilla, hoc erit, quia retentrix erit sicca, & expultrix humida: quare hi aluum siccam habebunt, sed in senectute hi humidam habebunt, quia senectus cum siccitate uenit: ideo uis retentrix in senio nimis sicca efficietur; unde propter illam communem regulam, Omnis immodica intemperies operationem exoluit, suo officio fungi non poterit: propterea & excremẽta & aluus ipsa humida fient. Quum igitur duos casus recensuerimus, in quibus Aphorismus non est uerus, simpliciter dicendum est, non esse uniuersalem.

Galenus præterea alium casum enarrat, scilicet quandoq; ob immodicã iecoris frigiditatem, præueniente alimenti distributione ad satis magnam imbecillitatem excrementa humidiora fieri cõtingere. Sed hunc casum ultimo iam dicto complicare oportet, quando iuuenis siccam aluum habuerit, quia uis retentrix sit fortis, expultrix imbecilla: postea quum hic senex efficietur, ob causam quam hic assignat Galenus, aluum humidam contrahet. Hæc est huius Commentationis fere summa: reliqua, quæ in ipsa sunt, nulla expositione indigent. Vnde & nos liberi ab eius examine essemus, nisi quædam circa contextum occurrerent consideranda.

Vbi legitur, Variantur autem deiectiones, ætatum ratione. deest particula, Natura. Itaq; legi debet, Variantur autem deiectiones natura, ætatum ratione. Nam contextus Græcus ita habet, ἀπαλλαχθήσεται δὲ τὰ περὶ τὰς διαχωρήσεις, ὅσον ἤδη τῇ φύσει τῶν ἡλικιῶν.

Quod legitur, Vnum est ex his quæ quærũtur, atq; adeo longum mihi futurum super hoc sermonem existimo, si proprias studuero adhibere demõstrationes. Græce est, τῶν ἐξηγημένων δεῖ, καὶ οὕτω γε μακρὸν ἔσεσθαί μοι νομίζω τὸν λόγον, εἰ σὺν ταῖς οἰκείαις ἀποδείξεσι γράφειν αὐτὸν ἐγχειρήσαιμι. idest, Vnum est ex ijs quæ expositione indigent, atque longum mihi futurum opinor super hoc sermonem, si simul cum proprijs ipsum scribere uoluero demonstrationibus.

Quod etiam legitur, Et de causis accidentium. Græce est, συμπτωμάτων. Leonicenus ubiq; uertit id uocabulum σύμπτωμα, casus; præter quàm in hoc loco, in quo dicit Accidentium, uerbum ex uerbo reddens.

Quod etiam legitur, Plus quàm modo conueniat, fiat aluus humidior. Græce est, ὑγροτέρα τοῦ συμμέτρου γίνεται ἡ γαστήρ.

Quod etiam legitur, In ipsa. Græce est, περὶ αὐτὴν, per ipsam.

Vbi legitur, Aut quia plus cibi aliquando assumimus. illa particula Aut, uacat.

Quod etiam legitur, Contingit autem quandoque ut citius deijciatur. Græce est, ἔστι δ' ὅτι θᾶττον ὥστε τὴν διαχώρησιν ἰούσης αὐτῆς. idest, Fit uero interdum quoniam citius ad excretionem it aluus.

Quod etiam legitur, Vt appetitus deficiat. Græce est, ὡς μεταπίπτειν εἰς ἀνορεξίαν. idest, Vt transferatur ad inappetentiam.

Quod etiam legitur, Inopia eorum quæ distribuuntur. Græce est, ἔνδεια τῶν προσφερομένων. idest, Inopia eorum quæ assumuntur ad distributionem. Noster tamen antiquus codex aliam lectionẽ habet, scilicet ἔνδεια τῶν ἐσθιομένων. i. Inopia esculentorum.

Quod etiam legitur, In longo ætatis processu. legi debet, Vsque ad plurimum ætatis; nam Græce habetur, μέχρι πλεῖστον τῆς ἡλικίας.

Quod etiam legitur, Alioqui non habuisset debilem uirtutẽ retentiuam. Græce est, ἢ οὐκ ἂν ἄρρωστον εἶχε τὴν καθεκτικὴν δύναμιν.

Quod etiam legitur, Propter cõtrarias temperaturas. In nostro antiquo codice sunt duæ lectiones. una dicit, κράσεις, idest temperaturas: ut etiam habet Aldinus codex. Alia dicit, αἰτίας, idest Causas. Vtraque lectio conuenit.

Quod etiam legitur, Ex his autem quod parum appetunt. Græce est, τούτων δὲ τὸ μὲν ἧττον ὀρέγεσθαι. idest, Ex his autem quod parum quidem appetunt.

Vbi etiam legitur, Quoniam ad sicciorem uergunt temperaturã. in nostro antiquo codice eodem modo habetur, ξηρότερον scilicet: itaque Aldinus habet. Alij uero codices in superlatiuo legunt Siccissimam.

Quod etiam legitur, Quoniam ciborum exitus festinat. Græce est, διὰ ταχύνειν τὴν διέξοδον τῶν σιτίων. idest, Quoniam ciborum exitus festinabit.

APHORISMVS. XXI

FAmem, thorexis (idest uini potio) soluit.

BRASAVOLVS

QVVM doctoralibus insignibus munirer, forte fortuna hic aphorismus mihi contigit exponẽdus: cuius sensus hic est, Fames illa extrema, quam homines habent, dum illa uexantur, ex similitudine famis canum, qui nunquam explentur, sed uoracissime tuburcinantur, à uini potione sanatur.

λιμόν. idest, Famem.] Per excellentiam de illa rabida intelligitur, qua ut canes nunquam expleri possunt: imò nonnulli egregie læduntur, nisi comederint. De fame & eius causis dictum est abunde à nobis in octauo præsentis libri aphorismo, & quomodo naturalis fames esset suctionis sensus, quoties difflatæ cutaneæ partes in continentem aerem ne uacuæ essent, continentem aerem attrahebant; & illæ aliæ ab alijs, quousque ad uentriculum peruenirent, qui à propinquis partibus se euacuari sentiens, appetere incipiebat. Propterea Galenus quarto De symptomatum causis libro, dicebat, famem esse suctionis sensum. De hac uero fame, hic non est intelligendus Hippocrates: nempe uini potio ipsam non soluit, sed cibi potius sumptio: cum quo tamen & uinum miscetur, ad sitim extinguẽdam, quæ ex cibi masticatione fit, & ut id quod insumitur, facilius concoquatur. Sed nunc Hippocratis sermo est, de illa fame agere, quam medicum expellere necesse sit. Est uero fames præter naturam, uel appetentia præter naturam: sed potius famem nuncupemus, quàm appetentiam, ut Hippocratem imitemur, qui dicit λιμόν, sua lingua, idest famem: quamuis fames, appetentia sit: & qui res ipsas curat, & non nomina, uel fames, uel appetentia dicatur, parum curat: tamen hoc nomen Fames, potius in malum, & Appetentia, in bonum sumũtur, quamuis & plerunque confundantur. Quum uero appetentia, uel fames, quæ medico indiget

diget, multiplex sit, quot species habeat considerare oportet, & nunquid omnes uni potione sanentur, uel una sola, de qua hic intendat Hippocrates. Hoc autem commode fiet, si illa in memoriam reuocauerimus, quæ à Galeno quarto De symptomatum causis libro, dicuntur: ubi de appetentia loquens, illam in duas partes distinguit, in naturalem, & præter naturam: de naturali, in præsentiarum nihil agemus. Quæ uero præter naturam est, in tres partes distinguitur: in abolitam, quando aliquis nihil appetit, Græci ἀνορεξίαν, idest simpliciter inappetentiam uocant: in difficilem, & est illa quæ imbecilla est. de his nihil agemus, quia fames non uocantur. Tertium uero genus est, quod deprauata appetentia uocatur: & hoc in duas partes distinguitur, in illam quę nimiam quantitatem appetit, & in illam quæ alienam qualitatem appetit, idest ea appetit quæ non sunt hominibus consueta, ut in utero gerentibus, quæ κίττα à Græcis, id est pica, à Plinio utero gerentium malacia nuncupatur. de hac etiam non est in præsentiarum sermo, quia nec fames dicitur, nec uino sanatur, sad potius esu seminum citrorum. Nunc de appetentia & fame solũ ratione quantitatis sermo est, idest quando plus appetimus quàm conueniat. In hac autem appetentia, qua plus appetitur quàm conueniat, sunt duæ affectiones: una βούλιμος, idest magna fames ex magnitudine, nam βου est particula intensiua apud Græcos, ut βούπαις, idest magnus puer: βουγάϊος, ualde superbus. Altera, κυνώδης, idest canina à uoracitate uocatur. Non defuere antiqui, & illi quidem non pauci, qui exposuere Hippocratẽ, quum dicit famem, idest uehementem esuritionem, quæ βούλιμος appellatur. Hos uero duobus argumentis reprehendit Galenus: primo, quia Hippocratem nimis arctum & particularem faciunt, quum ipse suam sententiam uniuersalius protulerit. Præterea absurdum est dictu, βούλιμον esse famem, quoniam est potentiæ casus ex frigiditate exteriore, qui à fame quidem inchoauit, sed non habet amplius coniunctam famem.

At in hæc duo Galeni argumenta dubitare contingit, quoniam in primo (inquit) hos facere Hippocratis sententiã particularem, quum tamen sit uniuersalis. Igitur Galenus innuere uidetur, de omni fame Hippocratem intellexisse, & etiam de bulimo. Igitur & βούλιμος uino sanabitur. Si aliter intelligatur, non est cur uniuersalius sit dicere fames, caninam intelligentes, quæ est una species, quàm magna & intensa, idest bulimos, quæ est alia species. Recentes putarunt à Galeno oppositum dici, ut Galenus probet hos facere Hippocratem uniuersalem, quum sit particularis: qui decipiuntur. Primo, quia bulimos non est canina fame uniuersalior, imò potius canina fames bulimo. Hoc autem ita demonstrari potest, quia Galenus libro quarto De symptomatum causis, ubi de canina appetẽtia agit, ex pluribus causis illam fieri dicit, quàm bulimos. Igitur uniuersalius est dicere canina appetentia bulimo. Adde, Græca Galeni uerba idem ostendere, quæ sunt hæc: πρῶτον μὲν ἀντὶ γενικοῦ τε καὶ καθόλου, ποιοῦντες εἰδικόν τε καὶ ἐπὶ μέρος. quæ si pensiculate consideremus, hunc sensum faciunt. Primum quidem pro generali & uniuersali speciale & particulare facientes: unde dicendum est, argumentum inferre Hippocratem fieri particularem, & ad hanc famis particulam contractum: nam & si canina appetẽtia particularis sit, tamen amplior est quàm bulimos: uel etiam dici posset (nisi secundum argumentum impediret) quod sub fame, tam caninam quàm bulimum intelligeret. Sed re ipsa scito, bulimon famem etiam uino curari, non tamen puro & meraciore, quia robustis indiget cibarijs, si ea fames tolli debeat, qua omnia membra appetunt, & uentriculus non appetit: propterea bulimos quidem fames ad sui curam uinum recipit, ut membra re cito nutriente reassumantur: & ideo ad hanc etiam ampliari potest: sed uinum solum hoc non facit, imò alijs etiam indiget. Canina uero fames solo uino curari potest, quamuis & alia adhibeantur passim à medicis præsidia. De hac igitur præcipue Hippocrates intelligit, unde & à Philotheo dicitur, λιμὸν ἐνταῦθα τὴν σφοδροτέραν καὶ ἄπαυστον ὄρεξιν τῶν σιτίων ὀνομάζει, ἣν ἔνιοι κυνώδη προσαγορεύουσιν. idest, Famem hic intensiorem & incessantem appetentiã ciborum nominat, quam nonnulli caninam uocant.

Aliud Galeni argumẽtũ ambiguitatẽ habet, quia bulimos est fames. Respõdemus, non esse uẽtriculi famẽ: nam uentriculus in principio quidẽ appetebat, postea imbecillior effectus nihil appetit, & hęc appetẽtia ratione uẽtriculi est deperdita, ratione uero aliorum

aliorum membrorum aucta.

Ad rem igitur, opus est intelligere Hippocratē in canina fame. Galenus uero præcitato quarto De symptomatū causis libro, duplicem famis caninæ causam ponit: una est, quoties uentriculi os humoribus acidis infestatū, qui frigidi sunt. Sed in huius aphorismi commētatione hanc causam in duas partitur, ut nos hoc modo dicere possemus, Canina fames ex frigiditate oris uentriculi fit, quæ posset uel esse pura intemperies frigida sine materia, uel cum materia, quæ alia esse nō potest, quàm humor acidus in ore uentriculi imbibitus. Altera causa est, ubi totum corpus dissipatum & dissolutum assidua nutricatione indiget. Hæc autem fames fit uel propter uim caloris, quoniā ut Alexander Trallianus libro tertio, capite secundo, docet, Si in uentriculo sit uehementissima caliditas, quæ uētriculum rarefaciat, & eadem caliditas sit in membris, ut rarescant adeo ut exeant quæ alere deberent in uapores dissipata, etiam canina fames inducitur: uel, ut addit ibi Galenus, quia uis retentrix est imbecilla: ideo illa quæ insumūtur, cito transmittuntur: propterea fames intensa fit, ut continua edendi solicitudine teneantur. & ideo inanitio per totum corpus caninā famem excitat, quæ inanitio uel caloris uim sequitur: quia calor, quæ ingesta sunt, plurimum deijcit: uel ob retentricis facultatis imbecillitatem, propter quam cibus per corpus statim meat. Cum igitur caninam famem ex caliditate faciat, dubitare poteris, an hic uino sanari possit. Respondemus, uino potius augeri: quia uinum calidum, præsertim id de quo nūc intelligimus: propterea non est intelligēdus Hippocrates de hac canina fame quæ à caliditate fiat: unde in hac commentatione de hac nullam mentionem facit Galenus, sed illius tantum quæ à frigiditate fit: unde & Alexander Trallianus libro tertio, capite secūdo, ubi caninam famem ex caliditate curare docet, Inter prima inquit maxime abstinendum esse à uino & à rebus calidis, iubetq; dandam esse bubulam carnem, struthionis, qua etiam caremus, forte eius loco anserinam dare possemus, & iuuencæ pedes. Aetius uero libro nono, capite uigesimo secundo, huius appetentiæ curam longioribus uerbis prosequitur, quàm Trallianus fecerit. In summa igitur de illa solum canina appetentia uerba facit Hippocrates quę ex frigiditate fit, uel modo sit mala qualitas pura, uel materia pura. Quod & Philotheus ipse testatur, inquiēs, Αὕτη δὲ διττή. ἡ μὲν γὰρ δι' ἀμέτρου γίνεται διαχώρησιν. ἡ δὲ διὰ ψυχρὸν χυμὸν ἀποκείμενον περὶ τὴν γαστέρα, ὃς τῇ ψύξει μὲν ἐπεγείρει τὴν ὄρεξιν, καταλύει δὲ καὶ ἀμβλύνει τὴν πέψιν, κἀντεῦθεν πολλὴν διατροφὴν λαμβάνουσιν, οὐ πέπτουσι δὲ καὶ λιμαγχονεῖται ὅλον τὸ σῶμα. ταύτην οὖν ἡ θώρηξις, ἤτοι ἀκρατοποσία παύει. πραΰνεται γὰρ αὐτῆς εὐθέως ὁ λιμός. ἐν δὲ τῇ τοιαύτῃ διαίτῃ, ἐν πλείονι χρόνῳ πραχθέντων οὕτω παύεται τὸ ἐξατμίζεσθαι τὴν ὕλην τὴν λιμὸν ἐργαζομένην τῇ θερμασίᾳ τοῦ οἴνου. idest, Ipsa autem duplex: hæc enim per immodicam fit alui deiectionem, illa uero propter frigidum humorem circa uentriculum adiacentem, qui frigiditate quidem appetētiam excitat: dissoluit uero & obtundit coctionem, & hinc multum cibum accipiunt, non concoquunt autem, & totum corpus absumitur. hanc enim thorexis, idest meracioris uini potatio sedat. statim enim fames his placatur. In tali autem uictus genere hoc facientibus multo tempore, sic desinit exhalare materia faciens famem ob uini caliditatem. Verum quia petere posses, cuius generis materiæ sit illa frigida, quæ hanc famem infert. Paulus libro secundo, capite quinquagesimosecundo, & Aetius libro nono, capite uigesimo primo, respondent, esse acidam pituitam in ore uentriculi existentem: nos uero addimus, & atram bilem. Imò unum in præsentiarum addemus, quod forte lectoribus mirum uidebitur: & certe mirum est: hoc anno millesimo quingentesimo trigesimo octauo, caninam hanc appetentiam Ferrariæ fuisse morbum epidemicum, & potius fuisse ex atra bile os uentriculi occupante, quàm ex acida pituita. Omnes autem quos curaui (fuere autē non pauci) ex infusione senæ sanitati restituti sunt. & adhuc religiosam quandam ex hac affectione nunc curo die sexta Nouembris, quę tamen sanitati fere restituta est. Erat autem hæc appetentia potissimū in principijs accessionū: rariq; ex his fuere, qui quartanā non inciderent, sed breui terminū habebat. De hac igitur canina fame, quę à frigiditate fit, uerba habet Hippocrates. nam hæc proprie & simplici uocabulo fames appellari potest, quia cum naturali fame similitudinem habet ut Galenus dicit quarto De symptomatū causis libro. frigidi etenim humores in ore uentriculi rosionem quandam

dam inducunt, quæ suctioni proportione respondet, & non aliter quàm naturale pathema facit. & etiam si sit pura qualitas frigida ipsa hoc idem facit, quia ut eodem loco dicit Galenus, frigus uacua reddit corpora, & ipsorũ tunicas cogens, constringensq; famem suscitat. de hac igitur fame loquens Hippocrates, quam caninam uocant, ex frigiditate, uel frigidis humoribus factam, eam dicebat sanari uino, quod intelligo uino puro, etiam sine alijs cibarijs. nam qui eam patitur, si generosum uinum biberit, sanatur, & alia re non indiget. tamẽ prima uice non sanatur: sed si per aliquod tẽporis spatium tali uino utatur. At quia non possumus tam diu uiuere sine cibis, propterea Galenus pingues & oleagineos cibos insumẽdos iubet, & uinũ generosum bibendum. Qui uero sint hi cibi, Trallianus libro tertio capite secundo enumerat, & copiosius Aetius uigesimoprimo capite noni libri. ut autem à carnibus ipsis exordiamur, pinguiores exhibet uolucrũ partes & cerebella, & bulbos ex melle multo, oleo, pinguedine anserino, gallinaceo, ac suillo. De oleribus, maluam edi iubent, pani miscent cuminum, anisum, petroselinum. Imò & hæc eadem uino miscent, adduntq; piper, mel, nardi spicam. bellaria dant pistacia, amygdalas, nuces pineas, oliuas colymbades, sed ex melle: dant & lac per se, & cum passo, dant ex lacte potiones, & parant placentas, dantq; oryzam. uiscera cataplasmate hordeaceæ farinæ circumlinunt, dantq; medicamenta hieram picram. Sed omnia conueniunt quæ pituitam acidam, uel atram bilem educunt, si ex atra bile sit. Si uero sit mala qualitas frigida absque materia, caliditatem inducere satis est, & uinum potare.

Si uero petas cur canina fames, uel appetentia uocetur, Aetius uigesimoprimo capite noni libri respondet: ita uocari, quia plures cibos appetunt, cum uero appetẽtiam cohibere nequeant, in ingerendis nimijs cibis modum excedunt, deinde multitudine eorum aggrauati, & assumptos citra nocumentum ferre non potentes, ad uomitum diuertunt, deinde rursus cibo se explentes rursus ad uomitum reuertuntur, quemadmodum canes, propterea canina appetentia nuncupatur. Nobis autem uidetur, ideo caninam appetentiam dici, quia uehementissima est, similis appetentiæ canum, quæ nunquam expletur.

Non desunt etiam recentes, qui caninam appetentiam ex uermibus fieri contenderint, imò eorum dux est Auicenna decimatertia tertij tractatu secundo, in capitulo De cura appetitus canini: & Serapio tertio libro sui Breuiarij capite primo, & huius rei ratio in promptu esse potest, quia titillationem faciunt circa os uentriculi, quæ speciem quandam famis repræsentat, & fortè talis canina appetẽtia potu uini copiosiore soluetur, quia uermes ex eius impetu deorsum deducentur. At nihil refert an generosum uinum sit, nec ne. hi uero potissimum picra sanantur, unde & Trallianus libro tertio, capite tertio historiam quandam refert, se scilicet matronam quandam nouisse, cuius aluus pluribus diebus adstricta fuerat, tamen magnam ciborũ copiam insumebat, & probe concoquebat, propter hoc lancinationem, & morsum quendam in uentre persentiebat, & de iugi capitis dolore conquerebatur. hoc uidens Trallianus hieram illi dedit, hieram inquam illã quæ cathartica est, ut illam ab eo morbo liberaret. cum hiera suam operationem incepit, uermem inanem amplitudine duodecim cubitorum eiecit, & statim à rabida ciborum appetẽtia liberata est. Vnde existimabat hanc pati bulimum, sed erat σκωληκόλιμος, idest famiuermis. hoc est ex uerme facta fames, unde nõ ab re Auicenna, Serapio, & recentes hanc famem ex uermibus quandoq; factam putarunt.

θόρηξις λύει. idest, Vini potio soluit.] Hoc à Galeno adeo clare in commentatione ostenditur, ut expositione non indigeat. nam Hippocrates aquam bibentes contra thorexemenos distinguit. Illi igitur thorexemeni sunt, qui uinũ bibunt, quamuis aliquis hic ambigere posset de his qui ceruisiam, zythum, birram, atq; ceriam bibunt, quod hi distingui possint contra bibentes aquam: nam per aquam, puram aquam intelligit, per thorexemenos quemcũq; alium potum qui non sit aqua. Medones etenim sunt potus ex fructuum succis, & non aqua. Re autem uera ibi Hippocrates uini potatores intelligit, quia hi alij potus sub aquã potius referuntur. Tamen si quis per thorexin, potum substantia & potentia calidum intelligere uoluerit, non iremus inficias quemlibet potum calidum hanc caninam famem sanare aptum esse, præsertim si egregie calidus sit, ut sunt

ut sunt ex pipere, & aromatibus potus, quibus Germani, & Pānones utuntur. Tamen nō dubitamus, Hippocratem hic per Thorexemenos uini potatores intelligere, & per Thorexim, uini potionem. Dicitur autem θώρηξις uini potio, quia uini potione thorax & pectus incalescere uidetur, atq; armari.

Aristoteles quarto septimę particulę problemate, ex frigore quidem uoluit caninam appetentiā induci, sed calorem intus repellente. Immo dicit hyeme fieri, ut suspicer ego Aristotelē non de hac canina Hippocratis appetentia uerba fecisse, sed de illa naturali fame, quā quisq; hyemis tempore in seipso experiri potuit. problematis uerba hęc sunt, ne quicq; omittamus quod huic expositioni prodesse uideatur: cur tempore frigido maxime uis illa famis intolerabilis incidit, quæ canina appetentia uocata est, & hiberno potius q̄ æstiuo, Respondet, An quòd uitiū hoc ob inopiam alimēti sicci soleat accidere, tempore autem frigido, hiberno cum calor in angusta se contrahit, ocius interdum deficit alimentū, quod cum defuerit, uitium id exoriendi accidere cōsentaneum est. At si in ea cibi uitiosa cupiditate resolutio imbecillitasq; secuta est, materia statim interna corporis à collecto calore colliquescit. quæ si ad locum cibo à natura destinatū influxerit, pro cibo seipsam corpori applicabit, sed si spirandi sedem adiuerit, obmutescere, atq; lāguere necesse est. obmutescere inquam, quoniam spirandi meatus intersepitur, atq; obsidetur. languescere autem propter inediam, consumptionemq; corporis. Celeriter tamen paucisq; remedijs subuenitur, eo quod eius mali ortus extrinsecus est. frigus enim calorem corporis nostri intus compellens ac contrahens, insatiabilem illam edendi cupiditatem inijcit atq; intendit. Quamobrem quomodo qui in metuendo tremebant, pallebantq;, periculo demum liberati subito ad priorem redeunt statum, sic etiam esurientes illi ubi parum sumpserunt panis, citissime recreantur, ut qui ui paulo à naturæ ratione summoti aberrent, non qui penitus corrupti desciscant. Quod enim naturæ tenorem in partem aduersam uiolat, idem suæ naturæ eundem restituit. Ergo dimisisse tātummodo sat est, quemadmodum cum aduersi inter se pueri funem enixi retrahunt, quippe qui fune dimisso resupini protinus decidant. Hæc Aristoteles, Quem tu ipse considera, nam facile uidere poteris ab Hippocrate quodammodo discrepare, si de hac canina Hippocratis appetentia uerba fecerit.

GALENVS

VIni potionem thorexim nominare consueuit. In libro igitur De natura hominis, & de uictus ratione in hunc modum scripsit. Liquet igitur quod uictus singulorū non sunt causa, quando omnes subinde morbo corripiātur, Iuniores scilicet ac seniores, uiri simul, ac mulieres, similiter & thorescemeni, & aquæ potatores. Cum ergo aquę potatores thorescemenis ex aduerso distinguat, hinc ostenditur ipsum per thorescemenos uinum potantes intelligere. Quare & thorexis uini potus ab ipso dicitur, quem dicit famē soluere, non per iouem quęcunq; defectum famē nominans, sicuti nōnulli arbitrantur, sed neq; illam quæ cum appetitu fit, sed eam quam habent qui hac passione laborāt, quæ uehemens & sedari contumax ciborum appetentia dicitur, quam & quidam medicorum appetentiā caninam nominant. Talem enim famem uini potio sanat, non eā quę ex longa inedia, uel alui profluuio, aut fluxu sanguinis, aut aliqua alia facta est euacuatione. Nam qui ex tali aliqua indigent causa, ne dum aliquam ex uini potu capiant utilitatem, etiam plurimū offenduntur, quoniā & conuulsionibus, atq; delirijs cōfestim corripiuntur, si anteq̄ cibos assumpserint uinum potauerint. Qui uero famem quam diximus patiuntur, his uini potus, non cibi multitudo, remedium est. Equidem multos ipse sanaui qui indesinenter famescebant, uinum ipsis abundanter exhibens, ex eorum genere quæ sufficiēter calefaciunt. Neq; enim acerba uina talem famem sanant, siquidē neq; calefaciunt, sed quę colorē subrubeum habēt, uel rubeū absq; acri sapore, maximo sunt illis remedio qui canino laborant appetitu. Oportet siquidem cum ad prandium accedunt, primū illis afferre pinguia edulia, atq; ut ita dixerim oleaginea, & quæcunq; alia ex plurimo parātur oleo, sed in primis nihil austerum, aut acre offeratur: postea unum aliquod ex uinis quę diximus, etiam si nondum sitierint ad potandum dari pręcipimus. Statim enim sedatur fames, & talē longo tempore uictum exhibēdo, cessat omnino. & hoc mihi magis uidetur in præsenti aphorismo Hippocratē docere. Cum enim canini

appetitus, uel propter solam intemperaturã frigidiorẽ, uel propter humores acidos fieri consueuerunt quos exsorbuit os uẽtriculi, hæc uerò ambo sanare potest uinũ quod diximus, nõ sine ratione cessare facit caninos appetitus. Qui uerò putant uehementẽ esuritionẽ quã Græci bulimon uocant, fuisse nũc famẽ ab Hippo. nominatã, nõ satis recte mihi uidentur sermonẽ accipere. Primũ quia ipsum pro generali, atq; uniuersali faciũt specialẽ, ac magis pticularẽ. Deinde ẽt mẽtiũtur, nã passio bulimos nominata, est casus potẽtiæ ex frigiditate exteriore, qui à fame quidẽ inchoauit, sed nõ habet eã ãplius adiunctã.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet Thorexim uini potionẽ significare per distinctionẽ à contrario arguens.

Quod legitur, in libro igitur De natura hominis, in aliquibus cõtextibus legitur γὰρ non igitur. In aliquibus γοῦν, idest, igitur. potius probo ut legamus γὰρ, sensusq; fiat, in libro enim De natura hominis.

Quod legitur, liquet igitur, quod uictus singulorum non sunt causa, quando omnes subinde morbo corripiantur, Græce est φανερὸν γὰρ δὴ ὅτι τὰ διαιτήματα ἑκάστου ἡμέων οὐκ αἴτια ἐστὶν, ὅτι δ' ἅπτεται πάντων ἡ νοῦσος ἑξῆς, idest, Liquet igitur quod uictus uniuscuiusq; nostrum, non sunt causa, quod omnes subinde morbo corripiantur.

SECVNDO docet, per famem caninã intelligendã esse, nõ aũt illam quæ fit ex inedia, uel alui profluuio, uel sanguinis fluxu, uel aliqua alia euacuatione, quia his potius uini potio obest, q̃ prosit. nam hi uinũ potare nõ debẽt, nisi prius comederint, aliter aut deliria, aut conuulsiones sequuntur.

Quod legitur Quemcunq; defectũ famem nominans, Græce est ἅπασαν ἔνδειαν ὀνομάζων λιμὸν, idest. Quamcunq; indigentiam famem nominans.

Quod etiam legitur, sed eam quam habent qui hac passione laborant, lege Qui ea passione laborant.

Quod etiam legitur Et sedari contumax, Græce est ἄπαυστον inceßabilis.

TERTIO modũ docet quomodo multos habẽtes famẽ caninã sanauerit, magnam eorum uinorũ copiã exhibens quæ calefaciunt sufficiẽter, idest, satis, propterea nõ sunt danda uina acerba, quia non calefaciũt. Est aũt acerbus sapor terreus ac frigidus, ut Galenus quarto De simpliciũ medicamentorũ facultatibus libro capite septimo docet. Vina aũt acerba illa sunt, quæ ex immaturis uuis expressa seruantur. Ideo in illa parte à Galeno ostenditur ex re acerba, (modo coqui possit) fieri austerum saporem acidũ dulcem ac pinguẽ: hoc aũt fit cum res acerba incalescit, & magis coquitur. In genere igitur res acerbæ frigidæ sunt, & terreæ, & ideo acerbũ uinum tale erit. propterea calefacere non poterit, nec famem caninam, ex frigore uel frigidis humoribus factam auferre: sed id uinum hoc faciet, quod in se egregiam caliditatem habet. Græci acerbum uinum στρυφνὸν οἶνον uocant. nam dentes stupescere facit, ut sunt uina illa, quę à nobis dicuntur albana, quæ & ex uuis non bene maturis exprimuntur.

QVARTO docet quęnã uina sint potui danda in hac fame, Rubra inquit, uel subrubra, sine acri sapore, sua lingua dicit ἀλλ' οἵ γε κιῤῥοὶ τὴν χρόαν, ἢ ἐρυθροὶ, χωρὶς τοῦ στύφειν, idest, Sed quęcũq; colorẽ cirrũ, uel erythron, absq; hoc quod in gustu adstringat, scilicet habẽt. ubi nota à Leoniceno κιῤῥὸν colorẽ pro subrubro interptatũ. Sũt uero qui κιῤῥὸν giluũ exponãt. Immo Aulus Gellius in Noctibus atticis dicit tres esse colores, albũ, nigrum, & mediũ, quem κιῤῥὸν uocant, idest, giluũ. Multi uerò buxi colorẽ cirrum & giluũ uocãt, uoluntq; colorẽ uulgo gialũ nuncupatũ eo dici quasi giluũ. Seruius in Georgicis, ubi de equorũ coloribus Virgilius agit, & gilui coloris mentionẽ facit, ipse interpretatur giluũ, idest, mellinũ colorem. Aliqui uerò per κιῤῥὸν flauũ intelligũt, alij fuluũ. Nos uero per uinũ κιῤῥὸν, flauũ intelligimus Galeni authoritate freti, qui libro quinto De sanitate tuenda, ubi docet quæ uina senior bibere debeat, inquit in substantia tenuissimũ esse debet, colore, quod Hippocrates κιῤῥὸν uocat. poterat aũt & ξανθὸν appellare, quibus uerbis manifeste dephenditur, colorẽ esse κιῤῥὸν ξανθῷ similem. est aũt ξανθὸς flauus, unde Aristoteles tertio De natura animaliũ libro Scamandrũ fluuium Troianum ξανθὸν appellari tradidit, quoniam oues quæ in ipso potare consueuerunt flauas reddit. Quare quod hic dicit Galenus uinum κιῤῥὸν, nos interpretandum putamus flauum, &

hoc

hoc rationabile est, quoniã ut præcitato loco Galenus dicit, calidissimũ est flauum uinũ ex his quæ enumerauit. nam capite decimonono tertij libri De simplicium medicamentorũ facultatibus prope finem, quæ simpliciter sint calidissima uina enarrat. Indigemus autem in canina fame, calidissimo uino. Pro κιῤῥῷ igitur flauum intelligamus, & non ut Leonicenus facit, subrubrum. forte Leonicenus per subrubrũ flauum intelligit, tamen per magis & minus in coloris intentione differunt.

Addit postea uel rubrum sine acri sapore, quod sua lingua erythron uocat, & re uera erythron rubrum est, sed quia omnia rubra non sunt calida, propterea addit sine acri sapore. Quod ad rubrum, & non ad flauum addi debet, quia flaua acrem saporem non habent. hoc autem est si Galeni contextus ita dicat, At re uera in Galeno non adest hæc particula, Sine acri sapore, sed ista, χωρὶς τοῦ στύφειν, idest, absq; eo quod stypticitatem habeat, uel adstringat, στύφω enim est obstruo. Reperiũtur uerò rubra uina styptica, & quę adstringant. Styptica autem os uentriculi cõprimunt, & famem inducunt potius, quàm leuent. nam adstringendo illam faciunt, sicuti frigida adstringendo idem efficiunt. Præterea quod acres dicere non possit, in promptu ratio est, quia acres sapores, quos δριμεῖς Græci uocant, omnes calidi sunt. immo quarto libro De simpliciũ medicamentorũ facultatibus illos deridet, qui dubitant an res acres calidæ sint, cum sensu ipso constet esse calidissimas. Est autem δριμὺς apud Græcos sapor acer, & acutus, qualem habent piper, allium, cepe, pyretrum, nasturtium. quo in loco cõcludit acerem saporem omnium calidissimum esse, & ideo non dicebat Galenus, nec dicere poterat, absq; acri sapore: sed potius quæ acrem saporem habent, in hac cura sunt recipienda, quia calidissima. At dicebat, sine aliqua stypticitate, uel adstrictione. hoc enim χωρὶς τοῦ στύφειν, potius significat, idest, absq; aliqua stypticitate, uel adstrictione. ut huius partis sententia sit, Vinum, quod in hac fame propinandum est, uel flauum, uel rubrum sit, sed rubrum sine stypticitate uel adstrictione. quia illa uina, quæ & rubra & styptica sunt, frigida etiam (idest minus calida) esse oportet, & famem potius augere apta sunt, quàm sedare.

QVINTO curationem huius famis prosequitur Galenus, iubẽs, ut his hominibus dentur pinguia edulia, quę scilicet uel ex multo oleo, uel multa pinguedine parata sint. nam & oleum & pinguia, hanc famem contundunt: unde quando ijs carnes exhibẽtur, eæ partes potissimũ sumuntur, quę in animalibus pinguissimæ sunt, & quæ in sanis nauseam mouere solent, & fastidium cibi, ut quisq; in omnibus facile experiri potest.

SEXTO notat Galenus, priusquàm hæc cibaria, quæ oleaginea, & pinguia sunt, exhibeantur, nihil præcesserit, quod austerum uel acre sit. In qua re de Leoniceno non possum satis mirari, qui acre iterum uertat, cum de acredine nihil dicat Galenus, & acredo in hac canina appetentia conueniat, quia calida sunt. Galeni autem uerba hæc sunt μάλιστα δὲ μηδὲν αὐστηρὸν, ἢ στρυφνὸν ἔστω, Quæ hoc modo interpretanda iudicamus, maxime autem nihil austerum, aut acerbũ sit. unde quod Leonicenus interpretatus est acre, acerbum interpretari oportebat. Est autem (ut superius à nobis dictum est) acerbus sapor, frigidus.

SEPTIMO notat, etsi non sitierint (quod ut plurimum contingit) tamen esse propellendos ad bibendum, quia citius sanantur. At tibi forte uidebitur in Galeno contradictio, qui dicat statim sedari famem: postea dicit, quod exhibendo talem uictum longo tempore omnino cessat. uidetur ergo contradictio, quippe si statim sedatur, cur exhibere longo tempore talem uictum, & cur dicit omnino cessat? Sciendum hanc famem sedari, & deinde iterum superuenire: quia uini copia una uice sumpta non est satis ad resoluendos omnes humores, qui in ore uentriculi continentur, tamen aliquos resoluit, & fames indutias pręstat, sed iterum accedit. propterea si diu eo uictu utamur, tota deniq; aufertur, ut hic possit omnia quæ lubuerint, comedere: tamen hanc famem non incidet. Vel dicas, à Galeno dici Sedari, idest, placari aliquantisper, non tamen perfecte sanari, quod Græcum uerbum ostendit πραΰνεται mitigatur, idest, placatur, sed ex longo usu penitus remouetur.

OCTAVO docet, & ex sola frigida intemperatura, & ex materia frigida fieri hanc famem, sed utræq; uino sanari possunt.

NONO dubium facit de bulimo, quem Galenus ad Glauconem dicit nihil aliud

esse, quàm quendam animi defectum: sed cum de hoc dubio nos inter exponendum aphorismum plura egerimus, illuc lectorem transmittendum esse iudicauimus.

Quod legitur Non satis recte, Græce est ἀλογώτατα.

Vbi legitur, Specialem, ac magis particularē, hæc particula Magis, uacat. nam Græce est ἀδικοῦντι, καὶ περὶ μέρος.

Quod etiam legitur, est casus potentiæ, illa particula Potentiæ, Grece est δυνάμεως, idest, uirtutis.

Quod legitur, Quia à fame quidem inchoauit, intellige à fame uera. Vnde illam uocat πάνυ.

APHORISMVS XXII

QVicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: Et quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

BRASAVOLVS

EX hoc egregio Aphorismo maxima quædam, atque dignitas, immo totius nostræ artis fundamentum colligitur, unde hic ab Oribasio dicitur, Hippocratem ostendere quomodo apud eum sit definita medicina. Philotheus uerò præcedentem Aphorismum huic ita continuat, ἐν τῷ πρὸ τούτου ἀφορισμῷ μερικὴν ἐποιεῖτο θεραπείαν, τὸν λιμὸν διὰ τὴν θώρηξιν λύων. ἐν δὲ τούτῳ, καθολικὸν ποιεῖται τὸν λόγον, idest, in eo aphorismo qui hunc præcedit, particularem curationem fecit, famem per uini potionem soluens. In hoc autem uniuersalem facit sermonem. Est autem maxima & principium immediatum hoc, Contraria contrarijs curari. Hippocrates in aliquibus contrarijs specificat, postea uniuersum circa omnia idem profert. particulariter inquit, omnes morbos ex repletione factos, & non ex alia causa, euacuatione curari. nam materia illa quæ implebat euacuata, is qui repletus erat, non est amplius repletus, sed quantum sit huius ratione, sanus effectus est. E contrario quilibet morbus ex euacuatione factus, in quo sola euacuatio morbum faciat, repletione curatur, non quidem simplici, sed tali, ut quod uacuum est, repleatur. His etenim partibus repletis, quæ uacuæ erant, & ob id morbus fiebat, cessat morbus. Verum ut rei summam complectatur, & ostendat contraria contrarijs curari, addit, unamquamque contrarietatem sua contrarietate curari, ut calidi morbi frigidis, frigidi calidis, humidi siccis, sicci humidis: & si compositi sint, compositis contrarijs uel mixtis, quæ talis generis sint, ut unum fiat quod morbo opponatur. Et si id obijcias, quod à Galeno dicitur decimo Methodi libro, frigida aqua non semper curandam esse febrem, cum tamen sit febri contraria, nos huic dubio ex Galeni uerbis respōdebimus. docet prius præsidia illa quæ docet ijs ægris esse applicāda, quos seruari spes est: quando ægris, qui insanabiles sunt, his nec tempus ullum opportunum, nec præsidium est. Atque hoc mihi per omnem sermonem teneri memoria uelim, quominus præcipua illa primaque omniū curationis indicatio conuelli aliquando posse uideatur. Quippe cum dicat Hippocrates, contraria esse contrariorum remedia, quid uetat omnibus febricitantibus frigidam uno ordine exhibere? Verum nec exhibenda est, nec subuertitur eo tempore generalis omnis curationis indicatio. unum enim ex ijs quæ actu refrigerant, aqua frigida est, sed & alia plura sunt, quæ partim potestate (ut dictum est) refrigerent, partim ex accidenti, quorum alijs propter concursum pugnantium inter se indicationum aliàs utimur. Porrò tradita iam methodus est, eius quod conducit, ante alia semper deligendi. Ostensum præterea est, ipsius febris, prout febris est, aquam frigidam semper esse remedium, quod ad alia spectat non semper: ueluti cum ex obstructione glutinosi & crassi humoris putredo oritur. Hæc Galenus, quibus facile prædictæ ambiguitatis solutio haberi potest, & eo magis si reliqua quæ in Galeno sequuntur, consideràbis.

Hic notare potes, optime ab Hippocrate primo dictum esse, Morbos qui ex plenitudine fiunt uel satietate, euacuatione sanari: & qui ab euacuatione, repletione, postea de alijs

de alijs contrarijs generalem propositionẽ edocuit, quia generalis illa propositio in qua litatibus potissimum intelligitur, quarum una, quæ alteri contrariatur si ea fortior sit, alterando illam expellit. Tamen si in aliquo morbo qui à bile ortum habuerit, quæ calida est, medicus quispiam Rhabarbarum præbeat, quod bilem educens, sanitati ægrum restituat, hic à suo contrario sanatus esse non uidetur, sed potius à simili. immo hęc est Galeni sententia, quod medicamenta ob substantialem similitudinem educant, & non ob aliud, quando aliquis per euacuationem ex medicamento in qualitate simili sanitati restituitur. sed hæc ambiguitas facile solui potest. Nam hic duo sunt, unum est humoris peccantis quantitas, aliud qualitas ipsa bilis, quæ calida est. In eo qui ex Rhabarbari potu à biliosa febre sanatus est, sanitas ratione quantitatis humoris est per se facta, quia ille his humoribus ad inducendam febrem aptis plenus erat: sed ratione qualitatis quę similis est, per accidens inducitur sanitas. nam ad quantitatis euacuationem qualitatis euacuatio consequitur, quæ simul cum quantitate mixta est, itaque morbus quilibet per se à contrario sanatur. Contingit uerò & sanitatem induci à non contrario, sed id per accidens est.

Hippocrates in libro De hominis natura hunc aphorismum ad uerbum referre uidetur, inquiens: sic medicum morbis mederi oportet, habita bene cuiusq; quod in corpore, pro tempore & eius natura uiget ratione: in primisq; præterea non ignorare debet, morbos qui ex repletione proficiscũtur, exinanitione curari: qui à labore, hos quiete: qui ex otio, eos exercitatione euinci. In summa oportet medicum scire obsistere instantibus, & morbis, & formis, & temporibus, & ætatibus, & contenta laxare, & laxata contendere. tali namq; modo morbi uitium facillime desistere poterit, & hoc mihi sanatio esse uidetur. Idem Hippocrates in principio libelli De flatibus, huius aphorismi sententiam ex uerbis quæ sequuntur, confirmauit. Nam si quis morbi causam cognoscat, hic poterit quæ corpori conducere ualeant, admouere. quippe qui ex contrarijs ægritudines fieri non ignorat. nam hæc medicina in primis est naturalis. Mox siquidem fames ægritudo est, quicquid enim molestia afficit hominem, idipsum ægritudo uocatur. quod est igitur famis remedium? quod famem amouet, hoc autem est cibus, illo hoc curandum. Rursum sitim amouet potio. Contra repletionem sanat euacuatio, euacuationem repletio. laborem quies, quietem labor, atque ut una breuiq; oratione complectar, Contraria contrarijs curantur. etenim medicina est additio, subtractioq;, subtractio superantium, additio deficientium: quiq; hoc optime facit optimus est medicus, qui autem ab hoc plurimum discessit, plurimum etiam ab arte discessit. Hactenus Hippocrates. Hinc habes unde illud rei medicæ axioma habeatur, Contraria contrarijs curantur.

Galenus etiam in libro De sectis, casum quendam ponens simul edocet contrariorum contraria esse remedia. Casus autem hic est. aliquis sit, qui acriter febricitet, & qui grauitatem corporis sentiat ad motum segnem, & sit tumidus, & rubicundior q̃ prius, & uenæ tumidiores appareant, quis dubitat sanguinis calidioris copiam huic redundare? Quod igitur remedium? Nimirum euacuatio, quæ abundantiæ est contraria. nam contrariorum contraria sunt remedia. In libro sibi adscripto, qui Introductio, uel Medicus uocatur, medicorum sectas referens, & earum notas subscribens, tres sectas refert, Rationalem, Empiricam, & Methodicam. Rationalis naturæ rationem præbet, morborum causas inquirit, & signis ad illarum inuentionem utitur, curationem capit à cõtrario. nam contrariorum contraria sunt remedia.

Idem Galenus primo De ratione uictus in morbis acutis libro, ubi Hippocrates ptisanam in morbis acutis, cæteris frumentaceis condimentis præfert, in illius partis commentatione inquit, Hippocratem febrem magnam uocare ignem, quasi non aliam habeat naturam, præter quam ignis substantiam: postea addit, si igitur contraria contrariorum remedia sunt, sane febris peculiare remedium est, ut uirtute, tum frigidum, tum humidum exhibeamus.

Idem Galenus in quinto De sanitate tuenda bis terue hanc maximam repetit, & in libro De constitutione artis idem facit, non modo uolens contrariorum contraria esse remedia, sed particularium particularia. Cum uerò sexcẽta Galeni loca sint, quibus hęc

propositio exponitur, refertur, atque repetitur, nobis illa referre præter rem potius uidetur, quàm data opera silere. Satius autem erit, Aphorismi particulas cõtemplari, quàm hæc quæ quisque uidere potest, referre.

ὁκόσα νοσήματα ἀπὸ πλησμονῆς, idest, Quicunque morbi ex repletione uel ex satietate fiunt. Hic pro exquisitiori quorundam uocabulorũ expositione, discutere oportet, quid apud Hippocratem & Galenũ significet uocabulũ πλησμονὴ, idque fiet cõmodius, si unà edocuerimus, quid πλεονεξία, quid πλῆθος uel πληθώρα, & quid κακοχυμία. Etenim hoc loco Leonicenus interpretatus est uocabulũ hoc πλησμονὴ, idest, plenitudo. In alio autem aphorismo dicente Non satietas, non fames, quod sua lingua dicit οὐ πλησμονὴ, Leonicenus interpretatur satietas. Est autẽ differentia inter plenitudinẽ & satietatem, quia plenitudo amplior est, quàm satietas, præsertim apud medicos. quippe apud Galenũ πλησμονὴ uidetur esse ciborum plenitudo, quæ satietas dicitur: unde superius Aphorismo septimodecimo dicebat, ἡ γὰρ πλείων τροφὴ τῆς τοῦ σώματος φύσεως, ὀνομάζεται πλησμονὴ, idest, plus enim cibi, quàm modo naturæ conueniat, πλησμονὴ, idest, Satietas nominatur. Ita enim potius interpretandum iudicamus, quàm ut facit Leonicenus, repletio, quamuis apud Aristophanem, & alios authores Græcos id uocabulum πλησμονὴ pro cuiuscunque rei satietate usurpatũ inueniatur. Est autem talis satietas, in qua is qui satur est, plenus est, sed potissimum apud Græcos medicos in cibis intelligitur. πλεονεξία uerò est uocabulum, quod Galenus tam qualitati, quàm quantitati coniungit. nos interpretari possumus abundantia uel exundantia, uel superabũdantia. Adest locus Galeni octauo Methodi libro in principio ubi ostẽditur, πλεονεξίαν de sola qualitate dici, inquit enim, Intemperiei febricitantium excessus in caloris πλεονεξία, idest, abundantia consistit. At πλεονεξία, idest, abundãtia secundũ quantitatem, si sit in omnibus humoribus πληθώρα, & πλῆθος à Galeno dicitur, idest, plenitudo. Recentes eodem uocabulo utuntur dicentes plethoria. At si πλεονεξία, idest, redundantia in uno solum sit humore, κακοχυμία, idest, humoris prauitas, uel succi uitium nuncupatur: & ideo Galenus in πλήθει uenæ sectione utitur, in κακοχυμίας medicamẽto purgante. Ad Aphorismi uerba redeuntes cum πλησμονὴ, idest, satietas, uel plenitudo ad satietatẽ sit, uel quo ad uasa, uel quo ad uires, ut superius aphorismo septimodecimo docuit, in omni satietate uerus est aphorismus, quia hæc plenitudo (ut nũc tali uocabulo utamur) euacuatione sanatur. nẽpe si uasa sint nimis plena, tamen uires corporis copiã illam superare possint, sed à uasis contineri non possint, quia & uehementer intumescunt, & extenduntur, ut ferè disrumpantur, immo quandoque disrumpi possunt, uel saltem hæc extensio operationes lædat: hi sanantur euacuatione. Si unà iuncta sit mala qualitas aliqua, suo contrario & ipsa expellitur. Per uasa autem, & uenas, & uentriculum, & omnem aliam nostri corporis cauitatem intelligimus, quæ humorum capax sit. Satietas autem, uel plenitudo quo ad uires (si tali uocabulo uti uoluero) est cum aliquis adeo ingessit, ut eius uires coquere non possint, fit morbus ex repletione, quo ad uires, quamuis uasa ipsa extensa non sint, nec multum plena, & ex hac morbi omnes fieri possunt, qui ex cruditatibus ortum habent, hi quoque euacuatione sanantur.

Scito præterea id uerbum fieri à Galeno pro his morbis intelligi, qui nondum facti sunt, sed fiunt, & forte ob hanc causam, quia aliqui sunt morbi ex repletione & satietate facti, qui per solam euacuationem non curantur: ut si repletio continui solutionem fecerit, hæc solutio morbus est ex repletione factus, tamen ob euacuationem non sanatur sed unione indiget. forte ob hanc causam Galenus intelligere uoluit morbos qui fiunt, idest, (ut Recentiorum uerbis utar) in fieri sunt. Tamen & si in hoc casu, morbus ex euacuatione non curetur, nos simpliciter de omni morbo intelligimus, qui ex repletione ortum habuerit, modo repletio causa sit quæ morbum induxerit, & quæ illum conseruet. Verum in hoc casu morbus semper fieri uidetur, quia semper dependet à causa. unde cum sanare morbum sit eius causam remouere, morbus autem à plenitudine dependeat, ideo plenitudinem remouentes, statim & morbus ipse remouetur. propterea Galenus in commentationis principio notat Hippocratem de morbis ex repletione intelligendum esse, quando adhuc repletio perseuerat, & illum facit, non autem de illis in quibus non perseuerat unà repletio, sed abijt relicto morbo, In hoc enim casu

non est

non est opus repletionem remouere, sed morbi contrarium agere; ut in prędicta continui solutione, non est opus plenitudinem remouere (nisi multi humores etiam sint qui solutionem augeant) sed opus est unire partes. Hippocrates igitur secundum Galenum de morbis, dum fiunt, intelligendus est.

κένωσις ἰῆται. idest, euacuatione sanatur, modo plenitudo ipsa perseueret. καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος πλησμονή. idest, Et qui fit ex euacuatione, satietate uel repletione sanatur. Ita intelligentes, quod ab euacuatione, ut euacuatio est, fiat, & per repletionem uel satietatem illam intelligere oportet, quæ euacutionem illam corrigat. nam repletio morbi causam significare uidetur. Repletio autem euacuationē corrigens, alterius morbi causam remouere potest. unde nihil aliud erit hic repletio uel satietas quæ euacuationem faciat, quàm refectio & restauratio. si autem petas qui nam morbi illi sint, qui ex euacuatione fiant, Galenus in commentatione respondet, in primis notans per euacuationem forte euacuationem intelligendam esse, quæ uel sit ex utero muliebri, uel ex uenis hæmorrhoidibus, uel ex ulcere. adde tu, uel ex aluo, uel ex fluxu sanguinis narium, uel ex inedia, uel ex labore. ex his euacuationibus uariæ operationes lædi possunt, unde & morbi plures fiunt. Nam ex sanguinis defluxu, quocunq; fiat, aqua intercus fieri potest, iecore ob magnam sanguinis copiam quæ exierit, imbecilliore facto. Potest & hic uir supra modum euacuatus stuporem incurrere, deliria, uertigines, & multa alia, quæ repletione & satietatę sanantur, pręsertim dum fiunt, non autē postquam facta sunt. Diuturnę etiam inediæ corpus exiccant, & ethicam febrem, atq; marasmum inducere possunt, unde omnes morbi, qui euacuatione fiunt, dum fiunt, repletione, idest, refectione sanantur.

Καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις. idest, Et aliorum contrarietas.] In genere nunc breuibus edocet contraria omnia contrarijs curari. nam omnis curatio fit per contrariū latius contrarium accipientes ut se extendit ad omne id quod alterū pellit, hicq; est (ut Philotheus dicit) secundum Hippocratē, medicæ facultatis finis. Nempe Hippocrates medicinā hoc modo definiuit ἡ ἰατρικὴ ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις. πρόσθεσις μὲν τῶν ἐλλειπόντων. ἀφαίρεσις δὲ τῶν πλεοναζόντων. idest, medicina est additio, & ablatio. additio quidem eorum quæ desunt. ablatio uero eorum quæ supersunt, uel redundant.

Recentiores medici ambiguitates quasdam in medium proferunt, quibus probare conantur contrarium à contrario non curari, sed potius à simili, uel à nō contrario. habetur aphorismus decimusnonus quinti libri apud Hippocratem, quo dicitur. Quæcunque refrigerata sunt, excalfacere oportet, exceptis ijs, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. uides igitur in his non esse opus refrigerata calefacere, sed potius infrigidare.

Præterea in aphorismo uigesimoprimo eiusdem quinti libri docet Hippocrates distentionem, quæ fit à pituita, sanari per multæ frigidæ aquæ perfusionem, tamen hæc curatio non est à contrario, quia pituita frigida & humida est, quas etiam qualitates habet aqua.

Adde morbum calidum à naturali calore curari, tamen calor non est calori contrarius. Quarto, scammonio calido & sicco biliosa febris arcetur. bilis autem calida & sicca est. Ambigunt & de morbis in numero & in quantitate, quomodo curari possint si omnis curatio per contrarium fiat. nam in prædicamento quantitatis contrarium non ponitur.

Habetur & tertio De sanitate tuenda libro, oportere labore laborem soluere. Denique alia quædam argumenta recensent in particularibus quibusdam ægritudinibus, quæ sine contrario sanari uidentur. Adduntq; ab Hippocrate in secundo Epidemiorum dici, dolore dolorem solui, & ab Hippocrate inferius dicetur, duorum dolorum eundem locum infestantium maiorem obscurare minorem. Nos igitur hanc propositionem, contraria cōtrarijs curari, simpliciter theorema esse medicum, quod nunquā fallit, aut fallere possit, dicamus, quod quidem theorema & à Philosophis etiam probatur. etenim Aristoteles primo De generatione & corruptione libro, & in primo Ethicorum, uniuersaliter scriptū reliquit, omnem actionem fieri per contrarium. Curatio uero morbi actio est. sed hoc elucubratius secūdo Ethicorū libro ostendit, ubi dicit, medicinas innatas esse fieri per cōtrariū. & primo problematū li. problemate secūdo idē cēsuit. Nūc Hippoc. & Galeni sententias de hac re superius adductas omittamus, id solū addentes,

Galenum libro undecimo Methodi edocuisse, Hippocratis preceptum, contraria contrariorum esse remedia, nũquam subuerti: ubi diffuse ostendit esse uerum id principium, licet in omnibus febribus aqua non utatur.

Non est etiam opus eodem modo nos hic contraria distinguere, ut recentiores faciũt, & conari, quid sint uera cõtraria, totis uiribus edocere, & quod sint qualitates in eodem genere maximè distantes, ut in libris Primæ philosophiæ ab Aristotele edocemur: sed in præsentiarum eo modo contrarium accipimus, quo Aristoteles in primo De physico auditu libro usus est, ubi dicebat, formam & priuationem esse contraria. Imò nos hic Galenum imitabimur, qui in undecimo Medendi methodi notat, si dicere nolueris, cõtraria contrarijs curari, quoniam tibi forte hoc nomen, contrarium, nimis arctum uideatur, saltem dic opposita oppositis curari. ut ostendat Galenus non esse intelligendam contrarietatem pro illa exquisita, quæ est una oppositionis species, & est maxima inter duo extrema distantia, sed contrarietatem accipit pro quacunq; oppositione, etiam si parum distet, modo sit remotiua contrarij. Nosq; hic addimus, in expellendo morbo semper esse notabilem distantiam. Vnde cum nobis æger quispiam præsentatur, ut in undecimo Methodi, & in præcedentibus libris ubertim habetur, prima curatiua intentio occurrit, quę est remouere ægritudinem. hoc remouere, ægritudinis perseuerantiæ opponitur. hæc autem ægritudinis remotio fieri non potest, nisi instrumentis, & aliquibus quæ sunt ægritudini opposita. & hoc semper intelligo in curatione quæ per se fit; quoniam per accidens quandoque curatio fit à simili. Tamen si id simile considerabimus, semper contrarij naturam habere inueniemus, ut in argumentorum dissolutione uidere licebit. nam remouenda sunt, ne lectoris animum diutius perturbent.

Ad primum Galenus eodem loco optime respondet, notans & ipse argumentum quod ex Aphorismo fieri poterat. propterea dicit, quod non euertit theorema illud, contrariorum contraria esse remedia, de quo in Methodo medendi plura edocuerat: ubi dicebat, esse ante hoc theorema, contrariorum contraria esse remedia, aliud magis necessarium, scilicet, illa prius curare oportet quæ magis urgent, idest, quæ maius periculum afferunt, ut in proposito fluxus sanguinis narium casu. Tamen si tibi placeat & nunc dicere, hanc curationem fieri à contrario, scito hic duo esse: unum quod frigiditate peccat, & hoc calefacientibus indiget: aliud quod apertum est, uel aperietur, & hoc adstrictione indiget. Veruntamen quia periculosior est hic sanguinis defluxus, quàm illa frigiditas, propterea huic potius attendimus, & adstringimus, quod tamen fit contrario: posteaquam ex hoc sanus euaserit, sanabitur etiam ab ægritudine frigida, sed calido, quia iam tutus erit, quod sanguis amplius non exibit. unde cum Hippocrates dicit, infrigidata calefacere, hoc intelligit ut sanentur. ubi uero addit, nisi uel fluat, uel fluxurus sit sanguis: non intelligit quod illa refrigerata, in quibus uel fluit, uel fluxurus est sanguis, sint alijs sananda & non calidis, sed quod ob sanguinis periculum calidis uti nõ debemus. cum uero calidis non utemur, refrigerata non sanabuntur, imò maius crementum forte accipient: sed posteaquam à sanguinis fluxu liberi erimus, refrigerata (absq; sanguinis suspitione) sanare poterimus.

Ad secundum Galenus in commentatione optime respondet. nam Hippocrates inquit distentionem sanari, quæ est à pituita, per aquam frigidam, sed id fit per accidens, & non per se. per se uero sanatur à calore naturali fortificato. quippe Hippocrates dicit, In iuuene bene carnoso æstatis tempore si distentionem habeat, multa aqua frigida perfusa sanat. nam illa aqua calorem reuocat, calor autem hanc soluit. unde uides & ipsum Hippocratem non dicere, ab aquæ frigiditate sanari, sed potius à calore. aqua uero quæ frigida est, & naturali calori aduersatur, calorem reuocauit, & excitauit, qui ferè sopitus iacebat, & in materiam non agebat. Tamen & hæc curatio perraro fiat, & non nisi in carnosis, & iuuenibus, & in media æstate, & in naturis biliosis, atq; robustis. aliter & morbus crescere posset, & ægrum interimere.

Ad tertium, falsum est atq; absurdum dictu, quod naturalis calor, & morbus calidus non sint contrarij calores, imò sunt adeo contrarij ut unus alium expellat. nam & si utrique calores sint, tamen unus est naturalis, alter præter naturam. naturalis etiam calor non expellit eum qui præter naturam est ut calor est, sed expellit, ut præter naturam

ram.hoc autem facit causas adimendo.

Ad quartum (& si prius etiam responsionem exhibuerimus) Scamonium, & Rhabarbarũ febrẽ quidẽ curant, quia euacuãt quod plenũ est, ad hanc uero euacuationẽ caliditatis bilis extinctio consequitur: propterea hæc curare non dicuntur, quia calidum extinguant, sed quia calidam materiam educant, qua educta, non est amplius calor offendẽs: & ideo nõ curat febrẽ ut caliditas est, sed ut febris ab humorũ plenitudine dependet. & hoc intelligo in omni medicamento ratione qua educit, & sanitatẽ infert, hanc inquã infert ratione euacuationis, & nõ ratione qualitatis. Si uero post bilis euacuationẽ aliqua febrilis qualitas absq; materia relinqueret, frigidis extingui deberet, & nõ calidis.

Ad quintũ, Morbi in numero per cõtraria curantur, nempe remouendo. tamẽ est contrarietas non exquisita, sed opposita sunt. Etenim auferre, ei opponitur quod est in eodẽ statu perseuerare. Idẽ de morbis in quantitate dicere oportet: & illud est uanissimũ argumentũ, quod morbi in quãtitate cõtrarijs non sanentur, quia in quãtitatis prædicamẽto non est cõtrarietas. nã & in quantitatis prædicamẽto hęc cõtrarietas lato modo accepta quæ oppositio quædã est, inuenitur. Et adde hos morbos in quãtitate substantiæ inniti.

Ad sextum, Cum reperitur dolore dolorem solui, aut laborem labore, hæc fiunt per accidens, naturam prouocantes, ut ad unum locum, in quo prius non erat, conuertatur. Itaq; naturalis calor, ad locum in quo est dolor proritatus dolorem soluit. eodem modo de labore transpirationem faciente dicere oportet. Quod uero Hippocratis aphorismo dicitur, duorum dolorum eundem locum infestantium minorem maior offuscat, non intelligitur, quod maior minorem sanet, sed quod tanta est maioris uehementia ut minor sentiri non possit, & si duo lumina accensa extent, minus à maiori offuscatur. hęc de ista ambiguitate dicta sint satis & super, quam ita ueluti per transennam potius expedire uoluimus, quàm in multis distinctionibus assignandis tempus conterere.

GALENVS

NON si quid factũ ex repletione, neq; ipsa, non amplius existente, si quid remanserit curat euacuatio, sed quæcunq; eo ipso quo fiunt tempore curare aggredimur euacuatione indigẽtia. quòd quidẽ igitur multitudo morbũ efficiat, antea dictum est: quòd aũt euacuatio sit eius curatio, nõ opus est dicere, sicuti neq; de omnibus alijs causis quę morbos cõmittunt, quod per cõtraria curentur. Neq; enim aliud quicquã quimus excogitare, pręter contrariũ causis ipsis efficientibus morbos, sicuti in morbis ipsis iam factis rursus considerabimus, queãdmodũ & in casibus qui ad eos ex necessitate consequũtur, sed nunc de his qui adhuc fiunt, sermo à nobis habetur. Liquet igitur quòd unà cũ causis ipsos facientibus destruũtur, causarũ uero facientiũ abolitio fit ex contrarijs. Si enim ex refrigeratione morbus fiat, curatio est per calefactionẽ: si uero ex calefactione, per refrigerationẽ. Sic & si propter repletionẽ morbus cõstituatur, tunc oportet multitudinẽ euacuare, sicuti & si propter euacuationẽ, reficere protinus cõuenit. Atqui nõnullis uidetur nũq; fieri ab euacuatiõe morbũ, existimãt aũt ut apparet huiuscemodi homines, solã febrẽ esse morbũ. quòd si didicissent quamlibet lædentẽ operatiões dispositionẽ, morbũ esse, & quod à uehementibus intemperaturis operationes læduntur, haud quaq; dubitarent, an fortes euacuationes morbos efficiãt. Sanguis enim cũ supramodũ, aut ex utero muliebri, aut ex uenis quæ hęmorrhoides appellantur, aut ex ulcere fluxerit, tunc uel omnes, uel plurimas operationes hi qui ita affecti sunt offensas habẽt. Nõnulli uero ipsorum nõ modo hæc patiuntur, uerũ etiã aqua intercutẽ corripiuntur. Longæ aũt inediæ his qui calorẽ habent ad igneã naturã propensiorẽ, præter alia mala, insuper afferunt febrem. Quantũ ueritas ipsa, atq; utilitas exigebat dictũ à nobis est. Sed & his addamus aliquid propter deliros, quales sunt quidã medici recentiores, qui de nominibus altercantur, & putãt se de rebus ipsis habere sermonẽ. Hi igitur sunt qui aiunt, causarum efficientium morbos abolitionẽ non esse curationẽ, sed pręseruationẽ. Qui primũ quidem docendi sunt, quòd de nomine litigãt. Deinde q; neq; de hoc ipso recte. Vbi eñ causa nõ adest quæ morbũ efficiat, hic sola curatio factorũ relinquitur. Vbi uero ea quæ inest corpori dispositio, nondũ aliquid facit, uelut quæ plethora, idest, plenitudo uocatur, hoc ad præseruatiuã artis attinet partẽ, si huiusmodi causę destruantur. Cum uero iam aliquid agit, mixtum iam est huiusmodi opus ex pręseruatione, ac curatione. Nam quod facturæ erant

causæ

causæ illæ, prohibitum est fieri, & hoc ad artem attinet præseruatiuam. Quod uero iam factum est ex morbo, propriam exigit curationem. Quapropter cum mixta sint talia ex præseruatione, ac curatione, proprio caremus nomine, atque idcirco alias alia utimur appellatione, nonnunquam præseruari dicentes, ne morbus qui iam incipit generari ad complementum perducatur, nonnunquam uero curari, quemadmodum in his quos canis rabidus momorderit. quæ enim ipsis adhibentur medicinæ duplicem habent appellationem. Nam & nonnunquam rabiei remedia dicuntur, ac si rabiem facientis dispositionis dicerentur. Nonnunquam uero non remedia præsentis dispositionis appellantur, sed à rabie futura præseruantia.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Aphorismum in his morbis intelligendum esse qui fiunt existente euacuatione, & non in his qui fiunt euacuatione absente.

Initium huius commentationis hoc est in Leoniceni interpretatione, Nam si quid factũ ex repletione, neque ipsa nõ amplius existente si quid remãserit, curat euacuatio. Græce uero ita habetur, οὐκ ἔτι γινόμενον ὑπὸ πλησμονῆς οὐδὲ οὐκέτ' οὔσης αὐτῆς, εἴ τι μένει, τοῦτο ἰᾶται κένωσις. idest, Idquod non adhuc fit ex satietate uel ex repletione, neque ipsa amplius existente, si quid remanserit, hoc curatio euacuat.

Quod etiam legitur, Euacuatione indigentia, Græce est κενώσεως χρήζει.

Vbi legitur, Quod quidem igitur multitudo morbum efficiat, id uocabulum multitudo Græce est πλῆθος, quod plenitudinem omnium humorum significat.

SECVNDO docet, nihil aliud in morbis excogitandum esse, quàm contrarium causis facientibus morbos, quia contraria cõtrarijs curantur. postea considerandum de symptomatibus uel casibus qui morbos consequantur: pro qua re scire oportet, morbos auferri cõtrarijs remouentibus causas. At quia symptomata morbos sequuntur, propterea ipsis morbis remotis symptomata auferentur, modo non sint talis generis symptomata, quæ ad se curationem trahant: ut sunt dolores, qui aliquã malam temperaturã sequũtur: quibus (omnibus alijs derelictis) ob eorum sæuitiem, statim opem ferimus, & quandoque ad philoniũ, & ad ipsum opium peruenimus, ne æger doloris uehementia succumbat.

Quod etiam legitur, Sicut in morbis ipsis iam factis rursus considerabimus, lege postea considerabimus.

Quod etiam legitur, liquet igitur quod unà cum causis ipsos facientibus destruuntur, Græce est δῆλον οὖν ὡς ἅμα τοῖς ποιοῦσιν αἰτίοις ἀναιρουμένοις, ἀναγκαῖον δὲ καὶ αὐτὰ συναναιρεῖσθαι. idest, liquet igitur quod unà cum causis ipsos faciẽtibus, necessariũ est ipsos quoque coauferri uel simul auferri. Scito Leonicenum in hac parte interpretari hoc uocabulum πλησμονὴ repletio, & statim iterum idem uocabulum interpretari multitudo: semper uero significare uidetur repletionem ad satietatem.

TERTIO notat, aliquos fuisse, qui putarunt nunquã factos esse morbos ex euacuatione, quia hi putabant solam febrem esse morbum, sed hi ignorabãt quid esset morbus. Galenus uero docet, omnem dispositionem lædentem operationes, esse morbũ, & ideo fortis euacuatio morbum facit, de quo superiore in aphorismo diximus.

Quod legitur, An fortes euacuationes morbos efficiant, Græce est τὰς ἰσχυρὰς κενώσεις αἰτίας γίνεσθαι νόσων. idest, fortes euacuationes causas fieri morborum.

Quod legitur, offensas habent, Græce est βλάπτονται, idest, læduntur.

Quod etiam legitur, calorem habent ad igneam naturam propensiorem, Græce est, πυρωδέστερον ἔχουσι τὸ θερμόν.

QVARTO, In deliros quosdam inuehitur, qui in hoc uocabulo curatio, altercari uolunt. nam cõsiderantes, quod remouere causam morbi, est præseruare à morbo, propterea nolebãt dici curari, quãdo morbi causam remouemus, sed potius præseruari. hi igitur considerabant, si in corpore sit morbi causa, tamen nondum faciat morbum, remouere illam causam non est curatio, sed præseruatio. Ideo ab Hippocrate recte dictũ non est, morbos qui fiunt ex plenitudine κένωσις ἰῆται, idest, euacuatio curat, sed potius dicendũ erat præseruat. Imò hi hanc ansam habebant, præsertim si de morbo dum fit & nondum facto intelligamus. Galenus autem ostendit, hos deliros non intelligere quid sit curatio, & solum de nominibus altercari, non autẽ de rebus. nam facto morbo, si causa

absit quæ morbum efficit, non est opus causam remouere, quia non adest, sed solum remouere quod iam factum est: ut in solutione continui non est opus remouere causam, præsertim si ab extrinseco facta sit, sed bene opus est solutionem remouere, quæ iam facta est. Quando autem fuerit dispositio in corpore, quæ sit apta morbum facere, sed nondum faciat, ut est plethora, idest, plenitudo, hanc dispositionẽ remouere, ad partẽ præseruatiuã pertinet. Cum aũt morbus sit partim factus, & partim futurus, ut sunt fere omnes morbi, ratione qua est una pars facta, remouere illam pertinet ad partẽ curatiuã: sed prohibere ne altera materia illuc defluat, & ne morbus alterius procedat, ad præseruatiuam partem spectat. & hæc est causa cur hi deliri decipiantur, qui nesciunt, cum non adsit commune nomen ad hos morbos qui sunt partim facti partim futuri, nos uti nominibus indifferenter, ut quandoq; dicamus de aliquo morbo, quod quis præseruatur, quandoq; quod curatur: tamen in eodem modo ob uarios respectus, ad quos conspicimus. Datq; Galenus pulcherrimum exemplum, si quis à cane rabido morsus sit, statim rabidus non fit, neq; hydrophobiam patitur, sed per tempus. imò omnia animalia prius rabiunt homine, quia reperti sunt qui usq; ad sexdecim annos peruenerint, nunquam tali affectione affecti sint. Si hos curare tentemus, quandoq; dicimus nos curare morsum rabidi canis, quandoq; preseruare ne in hydrophobiam, & rabiem ueniat. ut breuibus nihil aliud uelit Galenus, quàm edocere, apud Hippocratem, & reliquos authores confundi uocabula, ut quandoq; euacuare dicamus, quando præseruamus, & curatio sit, ab aliquo morbo præseruatio.

Quod legitur, Vbi uero quę inest corpori dispositio, hæc particula dispositio, Græce est αἴτιον, idest, causa.

Vbi legitur, Mixtum iam est, adde aliquo modo, nam Græce dicitur μικτὸν πως ἤδη.

Quod legitur, Aliàs alia utamur appellatione, græce non habetur, utimur appellatione, sed habetur προσαγορεύουσιν οἱ ἰατροί. idest, Medici utuntur appellatione.

Vbi legitur prope finem cõmentationis, nonnunquam uero non remedia præsentis dispositionis appellãtur, hęc particula, præsentis dispositionis, superflua. nam gręcus contextus hoc solummodo habet, ἐνίοτε δὲ οὐκ ἰάματα προσαγορεύουσιν.

APHORISMVS XXIII

ACuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

BRASAVOLVS

ABRE NON fuisset, si medicæ rei parens Hippocrates post illum aphorismum, Acutorum morborũ non omnino sunt certæ pręnunciationes salutis aut mortis, hunc subiecisset, in quo de eisdem acutis morbis agens, docet eorum terminũ esse decimumquartum diem. nam ut in pręcedenti dixerat, acutos morbos non habere certa aut salutis, aut mortis indicia, statim unum saltẽ edocuisset, in quo de morbis acutis certi sumus. hoc aũt est dierum numerus quo finiunt, uel iudicantur. At putare non oportet quod semper uero iudicio iudicentur, quod est subita ad salutem uel mortem mutatio: sed satis est, quod uel illo modo mutentur, uel excellens ad bonum uel malum mutatio fiat, postea paulatim incedant, uel aliqua mutatio subita non fiat, sed morbus paulatim ad mortẽ, uel ad salutem incedat, ut est in multis lateralibus morbis, in quibus paulatim iudicium fit, & in undecima, uel decimaquarta die paulatim incedentes sanantur. propterea & si hoc in pręsentiarum non uocetur crisis, idest, iudicium à Galeno, sed potius solutio, & Hippocratis aphorismus dicat κρίνεται, id est, iudicatur: ob hoc tamen non est opus, uerum iudicium intelligere, quod est subita mutatio: sed iudicium intellige, ut etiam solutionem quę paulatim fit, complectitur, & uerum iudicium ac perfectum, quando subito sequitur salus uel mors, uel magnum momentũ ad mortem uel ad salutẽ facit, postea paulatim incedit, quam crisim uel iudiciũ imperfectum uocauit Galenus. hic igitur dicit cũ magni sint morbi acuti, ideo in paruo tẽpore magnas faciũt permutationes, quod idem est atq; iudicari. Nã Hippocrates istas mutationes uniuersim in morbo factas, crises, idest, iudicationes appel-

nes appellare consueuit. Galenus uero solum quatuor crises, idest, iudicationes enumerat, scilicet ad salutem, ad mortem, ad bonum, ad malum, ut fecit Hippocrates in primo Epidemiorum. eorum uero, qui paulatim soluuntur, nullam mentionē facit, cum tamē & de his mentio fieri debebat. nec ualet, quod hi morbi qui paulatim incedunt acuti non sint, quia multos uidemus laterales morbos ita paulatim finire, & non per aliquem motum notatu dignum. propterea hic forte erit Hippocratis sensus, si de uero iudicio loquatur, quod est subita mutatio, aut ad bonū aut ad malum, aut ad mortem aut ad salutem, acuti morbi qui iudicationem habent, in quatuordecim diebus iudicātur, uel modo sit perfecta quæ est subito ad mortem uel ad salutem, uel imperfecta quæ subito est ad bonum uel ad malum. uel intelligamus, acuti morbi iudicantur, idest, soluūtur, ut uel cum iudicio, uel sine iudicio, in quatuordecim diebus finiant. ut hinc discamus, ad quantum tempus acuti morbi se extendere possint.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν ταῖς τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι. idest, Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Codex noster antiquus ante hunc aphorismum talem inscriptionē habet *περὶ κρίσεως τῶν ὀξέων νοσημάτων*. idest: de iudicatiōe acutorū morborū, qui uero sint acuti morbi superius dictum est: per acutos uero simpliciter acutos intelligit, & omnes illos qui in minori etiam tempore finiunt, unde & si in undecim diebus terminantur, uel in septem, uel in quatuor, acuti adhuc sunt. propterea Hippocratis sensus est, acuti morbi decimumquartum diem non transeunt, quod iudicantur, sed hoc faciunt uel in ipso decimoquarto, uel ante decimumquartum. & ratio in promptu est, quia acutus morbus magnus est, ideo celerrime ad statum festinat: non potest autem quartumdecimum diem transire, quin uel æger succumbat, uel superet. si igitur morbus primis diebus mitior sit, & quarto uel quinto die multum uexare incipiat, in hac magna afflictione quatuordecim dies transire non potest, propterea decimoseptimo die terminū suum habebit. si uero usq; ad septimum uel octauum mitis sit, postea incrudescere incipiat, & hoc æqualiter facit, quatuordecim dies transire non potest. propterea uigesimo die iudicatur. si uero primo mitis sit, postea intendatur per aliquot dies, deinde mitior fiat, & iterum intendatur, mitiorq; fiat, hic morbus breui terminū non habet, sed quadragesimum diem attingere potest. & hæc est causa cur à recentioribus acuti tropici nuncupentur, idest, conuersiui, quia conuertunt se modo ad intensionem, modo ad remissionē: ab Hippocrate uero nuncupantur acuti cum hac additione, qui in quadraginta diebus iudicantur. tamen Galeno placet, quod illi manifestius declarent hos morbos qui eos uocant *ἐκ μεταπτώσεως ὀξέα*. idest, ex decidentia uel ex relapsu acutos, & hoc eadem ratione qua recentes illos uocant tropicos. nam qui hos morbos habent, in morbos decidere uidentur, & deinde sanari, atq; iterum in morbos decidere. Hippocrates in libro De crisi, idest, de iudicatione, hunc aphorismum ad uerbum ferè ponit inquiens: morbi uero graues & acuti quatuor & decem diebus plerunq; decernunt.

Recentiores medici præter materiæ motum in morbo acuto, qui fit à naturali calore, uel à ui naturæ, uolunt etiam à motu lunæ adiuuari, dicentes acutos morbos secundum lunæ influentiam moueri, quia ipsa est humiditatū, & consequenter humorum dominatrix. propterea & fluxum & refluxum maris facit, & ea crescente inquiunt medullam inter ossa crescere, & in plantis meditullium, & cerebra in animalibus secundum lunę crementum crescere. unde & humores mouentur, & acutæ ægritudines eius motu reguntur. Imò experimentū in lignis adducunt, quæ si in plenilunio incidantur, nō marcescunt. In alio tempore & marcescunt, & à tineis erodentur. An uero istud uerum sit, tu ipse authores legere poteris: nam Plinius libro decimosexto, & alij silente luna, idest in coitu, ligna cædenda esse præcipiunt, ut non marcescant. Præterea cōueniens est lunā in ægritudines acutas agere, quia est planeta cæteris nobis propinquior, & ideo facilius nos immutare potest. Addunt esse uelocissimam omnium planetarum, ideo supra hos morbos potest qui uelocissime mouentur, quales sunt acuti morbi, qui ueloci motu in iudicium tendunt. Deniq; inquiunt quadraturarū aspectus, qui experimento inuenti sunt, multū facere. Vt etiam exquisitius rem suam corroborent, notant cum luna erit secundum quadraturam opposita, tunc opposito modo influit, quàm fecerit, cum erit in illo signo, in quo morbus incepit. cum etiam est in opposito è directo, adhuc magis

influit

influit, ideo fiunt motus oppositi. hoc autem potissimum est in septimo die, & in quartodecimo: quia in septimo die est in quadrato, in quartodecimo est in oppositione. His igitur diebus iudicationes potissimum fiunt.

Re autem uera nos putamus hos motus per lunæ quadras ad morbum nihil facere, & Hippocrates atq; Galenus de illis parum curarũt. Quod autem Luna tot non faciat, ut recentes illi attribuunt, ubertim à Ioanne Pico contra astronomos disputatum est, ut uideremur nos laterem lauare, si eandem cantilenam canere uoluerimus, quam summus ille uir & docte & egregie cecinit. Vnum est quod in præsentiarum nos dicemus, nunquàm inuentos esse morbos, qui cum sua magna acutie quartumdecimũ diem transire potuissent, hocq; naturæ attribuimus & materiæ, quæ per maius tempus pugnare non possunt, ut experientia edocuit. Hippocratem in epidemijs contemplare, nullũ inuenies ex morbo simpliciter acuto ultra quartundecimum diem iudicatum. Galenus idem ubiq; affirmat, & Lunæ ac ipsius motui parum fidit.

Non defuere tamen antiquiores interpretes, qui Hippocratem hoc modo intelligerent (ut Galenus prope finem secundi libri De diebus decretorijs refert) cum acutorũ morborum finis sint dies quadraginta, complectentes & acutos ex decidentia, & simpliciter acutos, in hoc spatio dicebant esse solũ quatuordecim dies iudicatorios. Ideo aphorismi sensus secundum istos est, acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur, idest, in uno quatuordecim dierum decretoriorum, qui infra quadragesimum diem continentur. nam dicunt in spatio quadraginta dierum esse quatuordecim dies iudicatorios. Imò author illius cõmentarij supra aphorismos, quod Oribasio inscriptum est, eandem sententiam sequitur.

At Galenus hos egregie reprehendit. nam per iudicatorios uel hos solos perfectos intelligunt qui per quaterniones se sequuntur, uel omnes iudicatorios ab Hippocrate nominatos. Si per quaterniones hi incedere uoluerint, manifeste apparet, infra quadragesimum diem non esse quatuordecim, sed tãtum duodecim dies iudicatorios, propter septimanarũ coincidentias, quos si enumerare uoluerim, hi sunt: quartus, septimus, undecimus, decimusquartus, decimusseptimus, uigesimus. hic sunt tres hebdomadę, in quibus sunt solũ sex dies iudicatorij per quaterniones cõnumerati. Si uerò usq; ad quadragesimũ diẽ progredi uoluerimus, habemus tres alias hebdomadas, quę sex quaternionibus cõstant, ut duodecim efficiãtur. Quaterniões uerò hi sunt, uigesimusquartus, uigesimusseptimus, trigesimusprimus, trigesimusquartus, trigesimusseptimus, & deniq; quadragesimus, ut sex etiam sint iudicatorij dies in hac trium hebdomadarũ numeratione. propterea infra quadragesimũ diẽ duodecim solũ erunt iudicatorij dies, unde illi perperam Hippocratẽ intelligunt, quod de perfectis & per quaterniones enumeratis diebus loquatur, & dicat quatuordecim esse intra quadragesimũ diẽ. Si uerò tã de his qui per quaterniones, q̃ de alijs qui decernunt, Hippocratẽ intelligere uelint, hos aberrare statim deprehendetur, si Hippocratẽ in primo Epidemicon inspexerint, in cuius libro plures q̃ quatuordecim iudicatorij dies legũtur. Nos uerò ut ostẽdamus plures esse q̃ quatuordecim, tres saltẽ referamus. Intelligo aũt tres supra duodecim quaterniones enumeratos, qui sunt hi, Tertius, Quintus, Nonus, & Decimusquintus, in eo libro pro decretorijs enumerati: unde numerũ decimũquartum excedunt, quia sunt sexdecim, si prędictis duodecim hos quatuor cõiungamus, prẹter alios etiã, quos in prẹsentiarũ data opera prætereo. Praue igitur illi intelligunt qui intra quadraginta dies solũ quatuordecim iudicatorios faciunt, tã quaternarios q̃ alios intelligentes. propterea dicere nõ oportet quod hæc sit Hippocratis mens, immo potius illa est, quam superius adduximus, morbos acutos in quatuordecim diebus iudicari, idest, infra spatiũ quatuordecim dierũ, & hos non excedũt, unde & Philotheus dicit, ἐνταῦθα ἔσχατον ὅρον τῶν ὀξέων νοσημάτων ὁ Ἱπποκράτης τὴν δεκάτην τετάρτην ἡμέραν παραδίδωσιν. τὰ γὰρ ὀξέα νοσήματα ὑπὸ λεπτῆς καὶ δριμείας ὕλης γίνεται. ἥτις διὰ μὲν τὴν σύστασιν ἔχει τὸ εὐδιαφόρητον. διὰ δὲ τὴν δριμύτητα τὸ εὔκριτον. δάκνουσα γὰρ καὶ ἀνιῶσα τὴν φύσιν ἐπεγείρει αὐτὴν, ὥστε ἀποδιῶξαι τὰ λυποῦντα τοῦ σώματος, καὶ ταχέως ὑποστῆναι τὴν κρίσιν, idest, Hic extremũ terminum acutorũ morborũ decimumquartũ diem Hippocrates tradit. acuti enim morbi ex tenui & acri materia fiunt, quæ ob consistentiã suam habet, quod bene resolubilis est, ob acrimoniã uerò bene iu-

dicabilis. etenim naturã mordens, & lacessens excitat ipsam, ut ea quæ in corpore dolore afficiunt, depellat, & cito iudicationem constituat.

GALENVS.

Acuti morbi magni sunt, & ad suum uigorẽ celerrime properant. Non absq; ratione igitur in pauco tẽpore, & magnas faciunt permutationes, quod idem est quod iudicari. Huiuscemodi enim permutationes, quando uniuersim in morbo fiunt, Hippocrates crises uocat, idest, iudicationes, in quibus nõnunq; subito integra sanitas restituitur, nonnunq; uerò moritur ęger, aut magna fit, uel ad salutẽ, uel ad mortẽ permutatio, non tamẽ aut subito sanantur, aut moriũtur. Ita ut quatuor sint in ipsis subitæ permutationes, quas ipse docuit in primo libro Epidemiarũ, inquiens, Ad salutẽ, aut mortẽ, uel inclinatio ad melius, aut ad peius. Quod uerò sit necessariũ ob morborũ magnitudinẽ, ac casuum uehementiã, uel cito uires prosterni adeo, ut homo moriatur, uel si ad noxiorum humorũ excretionem impetũ faciant, & quos inuasit, exuperent, bonã sequi iudicationẽ, si uerò exuperentur malã, unicuiq; fit manifestum. Propterea igitur est impossibile, ut in longũ tẽpus iudicatio differatur in morbis acutis. Terminũ igitur in hisce omnibus Hippocrates posuit duarũ septimanarum, tanq; nullus eorũ ulterius progrediatur. Verum ante quartũ decimum diẽ multi possint iudicari. Etenim undecimus, nonus, septimus, & quintus, multos uisi sunt iudicasse in libris epidemiarũ. Iudicat aũt & sextus nõnullos, sed nõ bene, sicuti in libris de iudicatorijs diebus plenius ostendimus, in quibus si quis debeat exercitari, illũ uolumus ea cõsectari, quæ Hippocrates breui sermone perstrinxit. Quæcũq; uerò iudicationes sunt, ueluti imperfectæ, his finẽ imponit aliquis alius, ex eorũ numero, qui deinceps sequuntur, de quibus quales nam sint, in libris Prognosticis Hippocrates docuit, sed & de ipsis aliquid in sequẽti docebit aphorismo. Est aũt & harum imperfectarũ iudicationũ terminus quidã exterior, post quem non amplius fieri progressus natura potest, dies quadragesimus. Quicũq; igitur morbi intra diẽ quartũ decimũ integre iudicãtur, hos solet Hippocrates acutos simpliciter nominare. Quicũq; uerò imperfecte iudicati, seruati sunt in processu dierũ, usq; ad quadragesimũ, hos nõ solet simplicer acutos nominare, sed appellatione cõposita per hæc uerba simul, acuti qui in quadraginta diebus iudicantur: uerũ manifestius illi declarant, qui eosdem morbos, acutos ex decidentia uocãt. De his igitur in Prognostico scribit in hũc modũ. Oportet autem existimare spirandi facilitatẽ magnam habere uim ad salutẽ in omnibus acutis morbis, quicunq; febres habent adiunctas, & in quadraginta diebus iudicantur. Nunc uerò in aphorismis de acutis simpliciter ostendẽs, ait eos intra quartũ decimũ diẽ iudicari. Non per Iouẽ hoc dicens quod nõnulli existimarunt, q quatuordecim sint numero dies qui in his morbis faciant iudicationẽ. Nam secundũ hanc expositionẽ etiam illos qui iudicãt morbos acutos ex decidẽtia nominatos, dicemus esse numero quadraginta, cum idẽ loquendi modus in utrisq;, hic quidẽ cum ait, morbos acutos in quatuordecim diebus iudicari: In Prognosticis aũt, quicũq; cũ febribus in quadraginta diebus iudicantur. Verũ hi cũ non inueniãt, qui possint ostendere utrosq; sermones, & hũc qui in Aphorismis scribitur, & alterũ qui in Prognostico, sibi inuicẽ esse cõcordes, hanc absurdã excogitarunt expositionẽ. Neq; enim quatuordecim sunt, usq; ad quadragesimũ, dies iudicatorij, sed cũ intercidẽtibus quidẽ plures, absq; illis uerò pauciores, quẽadmodum clare in nostra ostenditur De diebus iudicatorijs tractatiõe. Sed & ipsa rerũ natura suffragatur ei ratiocinio, quo dicit, acutos morbos habere terminũ iudicationis quartũdecimum diẽ. Nullus enim inuentus est unq; qui ab initio uelociter moueretur, hũc transgredi terminũ, qui aliquam ex dictis non accepere mutationem, sicuti quidã leues, ac parui circa primos dies existẽtes, quarto, aut quinto die, continui, uehemẽtes, & acuti fieri incipientes, ad decimum septimum terminarunt. Alij uerò sexto, aut septimo die exacui incipientes, ad uigesimum terminarunt, adeo quod morbi continui acuties nunquàm potest plures quàm quatuordecim obtinere dies. Ex his uerò qui motus habent inæquales, multi extẽduntur usq; ad aliquod tempus exterius præfinitum. Dico autem inæquales habere motus eos, qui aliquot diebus fuere uehementiores, postea sine aliqua significatione torpuerunt. Deinde rursus adaucti continuitatem acceperunt. Si quis igitur, ut dixi, faciat in ægrotantibus obseruationem, omnes inueniet qui duas septimanas

ptimanas uelociter mouentur, nunquam ad exteriorem progredi terminum.

BRASAVOLVS

PRIMO acuti morbi essentia à Galeno quodãmodo ostẽditur, quia magni quo ad essentiã, & quo ad symptomata, & quia celerrime finiunt. Ex his reddit causam, cur in quatuordecim diebus finiant acuti morbi.

Quod legitur, Celerrime, in aliquibus codicibus legitur διὰ ταχέων, in aliquibus διὰ τάχεος, in alijs διὰ τάχιος, Celeriter legendum est.

Quod dicitur, uniuersim. Græce est ἀθρόως, significat autem simul totum, sed statim. Leonicenus eandem particulam interpretatus est subito.

SECVNDO, Quatuor iudicationum modos enumerat secundum Hippocratem, subita sanitas, subita mors: magna mutatio ad sanitatem, magna mutatio ad mortem.

De his uerò superius aphorismo duodecimo, & decimotertio huius libri egimus, propterea lectorem illuc remittemus. Scitoq; Galenum seipsum exponere, ut ostendat quod per morbi magnitudinem, tam magnitudinẽ quo ad essentiam, quàm quo ad symptomata intelligat. quia inquit, quod uerò sit necessarium ob morborum magnitudinẽ ac symptomatum uehementiam, & reliqua.

Quod legitur, Vel cito uires prosterni, Grece est δύναμιν, quod in singulari est, uim. nam satis est uim uitalem prosterni.

Quod legitur, Et quos inuasit, si consideremus seriem, uidetur legendũ Inuaserunt, & quod dicit, si uerò exuperentur. legendum est, Si uerò exuperetur, κρατηθείη.

TERTIO docet, acutorum morborum terminum esse duas septimanas, & de alijs terminis, ac diebus decretorijs, ante quartumdecimum diem plura commentatur, quæ in præsentiarum omittemus, quoniam in sequenti aphorismo omnia ad unguem exposituri sumus, imperfectas etiam iudicationes addentes.

Quod legitur, In quibus si quis debeat exercitari, Græce habetur, In quibus si quis uult exercitari.

QVARTO notat, Imperfectas esse acutorũ iudicationes, quãdo transcendũt quartũdecimum diẽ, tamẽ habẽt & suũ terminũ. s. quadragesimũ, ꝓpterea his morbis sua nomina assignat. nam qui in quatuordecim diebus iudicãtur, simpliciter acuti dicũtur, qui uerò in quadraginta acuti ex decidẽtia, uel acuti qui in quadraginta diebus iudicantur.

Quod legitur, ueluti imperfecte, Græce est οἷον ἡμίῤῥοποι, & ubi græcus Galeni codex hoc uocabulo utitur, semper Leonicenus imperfectum interpretatur, & re uera, quod semifactum est, imperfectum est.

Quod statim sequit̃, Iis finẽ imponit, in prima lectione nostri antiqui codicis habetur eodẽ modo, τούτοις τὸ τέλος, sed in secunda habetur τούτοις τὸ τάχος, i. ijs celeritatem.

Quod etiam legitur, est autem & harum imperfectarum iudicationũ terminus quidam exterior, addi debet hæc particula Alius, ut legatur, alius quidam terminus exterior, Græce enim dicit ἔστι δὲ καὶ τούτων τῶν ἡμιῤῥόπων κρίσεων ὅρος ἄλλος τις ἐξωτέρω. ἡμίῤῥοποι, semiuergentes & dubij. tracta est ea uox à bilance, quando neque recta est neq; in totum propendet: sed quasi anceps consistit. ῥοπὴ enim est bilancis inclinatio.

QVINTO ex Hippocratis sententia in libro Prognosticorum docet, spirandi facilitatem habere magnam uim ad omnes acutos morbos, in quibus est iuncta febris, & in quadraginta diebus iudicantur, sed hic de simpliciter acutis loquitur. Vbi etiam notare debes aliquos morbos acutos esse absq; febre, superius aphorismo decimonono morbi attoniti mentionem fecit, & aphorismo trigesimo quinti libri de eodem attonito morbo dicit esse acutum morbum sine febre, cui addit & morbum comitialem, & conuulsionem, & distentionem.

Vbi legitur, ait eos intra quartumdecimũ diem iudicari, legendum est, In quatuordecim diebus iudicari. Græce enim est ἐν τεσσαρεσκαίδεκα φησὶ κρίνεσθαι ἡμέραις.

SEXTO Illorum opinionem reprehendit, qui exponebant acutos morbos in quatuordecim diebus iudicari, idest, in uno quatuordecim dierum iudicatoriorũ, qui intra spatiũ quadraginta dierum cõtinentur. sed quia recentiores in hac parte Galenum non intelligunt, nam eius sententiã ita referunt ac si dixerit, Quatuordecim sunt dies iudicatorij, idest, quilibet dies ex quatuordecim est iudicatorius, quod non somniauit Gale-

nus, propterea Galeni sententiam in hac parte referre statuimus. hos Galenus hoc modo reprehendit, qui uolebant intra quadraginta esse quatuordecim dies iudicatorios. Si intelligeret quod acuti morbi habent quatuordecim dies, quibus iudicantur, etiã in morbis acutis ex decidẽtia opus esset eodem modo intelligere, cũ in libro Prognosticorum dixit, acutos ex decidentia morbos in quadraginta diebus iudicari: unde opus erit intelligere, esse quadraginta dies iudicatorios, in quibus illi morbi iudicabuntur. sed hic sensus est falsus: unde si acceperint solum decretorios dies, duodecimũ numerum non excedent: si uerò incidentes accipiant (ut superius dictum est) erunt plures quàm duodecim. sed hæc à Galeno prope finem secundi libri De diebus iudicatorijs diffuse scripta sunt.

SEPTIMO Galenus notat, quando morbus in septimodecimo die, uel in uigesimo terminari debeat. nam si in principio lẽtum motũ habuerint, postea acui incipiãt, & hoc sit quarto uel quinto die, hi decimoseptimo die finiunt. Si autem sit sexto, uel septimo, uigesimo die finiunt. Notaq; quando acui incepit, in illa acutie non posse transire duas septimanas, ꝑpterea in quatuordecim diebus semper habet suã crisim. & hoc est si æqualem motum uehementẽ habuerint, quia si motus sit inæqualis, quoniam ita acuti non sint, postea intendantur, iterumq; remittantur, maius tẽporis spatium transire possunt.

Reliqua q̃ in cõmentatione sunt, nulla expositione indigẽt, si uerba quædã notẽtur. Vbi legitur, qui aliquã ex dictis non accepere mutationẽ, legi debet. Qui unã aliquam ex quatuor crisibus dictis non acciperet. nam Græce habetur ἄνευ τοῦ λέξασθαί τινα τῶν εἰρημένων τεσσάρων κρίσεων μίαν.

Quod etiam legitur, adeo ut morbi continui acuties, Græce est ὥστε μηδέποτε ὀξύνεσθαι τὰ νοσήματα συνεχῶς.

Quod etiam legitur, multi extenduntur usq; ad aliquod tempus exterius præfinitũ, Græce est, ἐκτείνονται πολλὰ πρός τινα τῶν ἐξωτέρω προθεσμιῶν.

Qđ etiã legĩt, postea sine aliqua significatione torpuerũt, Græce est μετὰ ταῦτα ἀσήμως ἐῤῥαστώνησαν. ubi uidetur uocabulũ ἀσήμως significare sine signo, & fere deficientes.

Vbi in fine legitur, Omnes inueniet qui duas septimanas uelociter mouentur, nunquam ad exterius progredi terminum, deest una particula scilicet Totas, nam Græce legitur πάντα εὑρήσει τὰ δι' ὅλων τοῖν δυοῖν ἑβδομάδοιν ὀξέως κινηθέντα, μηδέποτε ἐξωτέρω προεληλυθότα, idest, Omnes inueniet, qui per totas, uel per integras duas septimanas uelociter mouentur, nunquàm ad exteriorem terminum progredi.

APHORISMVS XXIIII

SEptenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & undecimus contemplabilis. Ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus uero & decimusseptimus contemplabilis, ipse siquidem quartus est à quartodecimo, septimus uero ab undecimo.

BRASAVOLVS

Pro exquisitiori huius aphorismi intellectione, necessariũ est, multa in mẽtem reuocare, quæ à Galeno in libro De diebus iudicatorijs scripta sunt, & ab Hippocrate in libro Prognosticorũ, atq; Epidemicon. ut autẽ hac in re, ordine quodã incedamus, opus est numerũ dierum triũ septimanarum accipere, & dies oẽs in ipsis cõtentos speculari, quoniã singulæ tres septimanæ deinceps eodẽ ordine se habent, Primæ tres septimanæ apud Hippocratẽ in uiginti diebus terminum habent, ut ex tertio Prognosticorum habetur, & in hac cõmentatione à Galeno, & in libris De diebus decretorijs. Secũdæ tres septimanæ in quadraginta diebus finiunt. Tertiæ tres septimanæ in sexaginta diebus. Quartæ tres septimanæ in octuaginta diebus. Quintæ tres septimanæ in centũ diebus finiũt, itaq; in infinitũ procedi potest. unde dierũ trium primarũ septimanarum rationẽ habẽtes, omniũ aliorum dierũ, qui in alijs tribus septimanis cõtinentur, rationẽ habebimus, & ita de alijs intelligẽtes, semp per uiginti & uiginti dies discurrẽtes. Ad rẽ igitur redeuntes, prima septimana secundũ Hippocratẽ septima die finit. Secũda decimaquarta die. Tertia uigesima die, unde dies septimanarũ numerãtes primus secũdæ septimanæ dies

dies octauus dies esse debet, & finis secundæ septimanæ debet esse decimusquartus. primus autem tertiæ septimanę dies debet esse idem decimusquartus, quia uigesimus dies est finis tertiæ septimanę secundum Hippocratem & Galenũ, & nisi tertiã septimanam inciperemus à quartodecimo die, uigesimus dies non esset eius terminus, sed uigesimus primus, & ideo prima septimana erit distincta à secunda, & secunda erit tertiæ coniuncta. Eodem modo in omnibus alijs tribus septimanis considerare oportet. nam prima finit uigesimaseptima die, & incipit à uigesimaprima die. Secunda incipit uigesimaoctaua die, & finit trigesimaquarta. Initiũ uerò tertiæ septimanæ est idẽ dies trigesimusquartus. Eodẽ modo usq; ad sexagesimũ progredientes quadragesimusseptimus est finis primæ septimanæ, quinquagesimusquartus finis secundæ. Idẽ sexagesimus quartus est initiũ tertiæ septimanæ, itaq; in infinitũ discurrendo, per singulos uiginti dies semper in ipsos hoc ordine tres septimanas disponere debes. Cur uero ab Hippoc. uigesimus dies pro ultimo tertiæ septimanę statuatur Galenus rationẽ reddit ex lunari cursu tertio De diebus decretorijs libro. Luna etenim in uigintiseptẽ diebus et octo horis suũ cursum in zodiaco perficit. Si totũ hoc spatiũ in quatuor partes diuidamus, quę erũt quatuor septimanæ, nulla septimana integros septẽ dies habere poterit, sed unicuiq; deerũt quatuor horæ, idest, sextãs unius diei. nã uiginti septẽ dies & octo horæ per quatuor diuisi, unaquęq; harũ quatuor partiũ sex dies & uiginti horas cõplectetur. Si uerò tres septimanas simul exaggeremus, sunt uiginti dies, & horę duodecim, quare uigesimũprimũ diẽ attingere nõ possunt. Addũt pręterea, experiẽtia uisum esse uigesimũ multos iudicasse, et nõ uigesimũprimũ, ut in libris Epidemiorũ frequẽter ab Hippocrate refert, & in libris etiã Prognosticorũ. Si uerò dubites cur hi dies æquales nõ sint, Hippocrates in Prognosticis docet, nõ esse mirũ si septimanæ integræ nõ sint: nam neq; annus integer est. quippe qui puenit ad trecẽtos sexagintaquinq; dies & quadrãtẽ. Nec mẽsis integer est, quia ad hoc ut triginta dies cõpleat, duodecim horis indiget, hic uerò per mensem apud Hippocratẽ et Galenũ intelligo, nõ circuitũ illũ, quo Luna zodiacũ circuit, qui in uigintiseptẽ diebus & octo horis fit, sed spatiũ à coitu Lunæ ad aliũ coitũ. nã cum Luna à coitu recedit, nunq; redit in locũ, in quo fecerat coitũ, nisi in uigintiseptẽ diebus & octo horis, uerũ, quia in hoc tẽporis spatio Sol progressus est uigintiseptẽ ferè gradus, propterea si Luna coire debeat, necessariũ est illã adeo progredi ut hos gradus ęquet, quod facit in duobus diebus, & quatuor horis uel circa: quos dies si addiderimus uigintiseptẽ diebus, & octo horis iã trãsactis, efficiũtur dies uigintinouẽ, & horæ duodecim, & tũc Luna cũ Sole coitũ faciet: hicq; dicitur mẽsis à coitu ad coitũ, qui nõ implet nisi uigintinouẽ dies, & horas duodecim. nã Luna singulis diebus tredecim gradus ferè peragit. semper autẽ dico fere: quia hic cõputus minutissima quæq; nõ recipit. Ad rẽ igitur, non mirũ si septimanæ integræ non sint, cum nec annus nec mẽses integri sint. Vigesimus igitur dies est terminus tertiæ septimanæ, licet duodecim horæ supersint, integrum Lunæ cursum per zodiacũ accipientes. At Galenus tres dies abijciẽdos considerat, quibus Luna coit. nã in istis licet sint aliqui effectus, tamen pauci sunt, nec lumine suo agit: ideo à mense integro, qui uiginti nouem dies cõplectitur, & duodecim horas, si tres dies auferamus, quibus Luna non lucet, erunt uigintisex dies, & horæ duodecim, si hos dies in partes quatuor diuidamus, quęlibet pars sex dies habebit, & horas quindecim. sed cũ in nostro corpore duplex mutationis genus reperiatur propriũ & cõmune, ꝓprium respicit propria principia, cõmune respicit cõmunem usum. Eodẽ modo in Lunæ motu fit proprius circuitus, & cõmunis. proprius circuitus est ille signiferi, cum Luna per signiferũ circulũ in uigintiseptẽ diebus & octo horis suũ cursum perficit. Cõmunis est ille, quo Luna iterum accedit ad coitũ. nã omnibus hominibus cõmunem effectũ ostendit. At si tres dies auferamus, quibus Luna silet, & aerẽ non immutat, erunt uigintisex dies, & horæ duodecim. In illis igitur uigintiseptẽ diebus, & octo horis, in quibus Luna in zodiaco suum cursum peragebat, aliquod tẽporis spatiũ erat, in quo Luna non apparebat mortalibus, nec aerẽ immutabat, & hoc est spatium quandoq; trium dierũ, licet imperfecte, unde in toto illo mẽse, qui uigintinouẽ dies cõplectitur, & duodecim horas, tres dies integri auferuntur: propterea in uigintiseptẽ diebus & octo horis, & in uigintisex diebus & duodecim horis necesse est terminum cõmunem inueniamus, in quo conueniant. hoc autẽ

facile fiet, si inter hos numeros mediũ inueniamus, idq; breui assequemur, si uigintisex dies & duodecim horas, & uigintiseptẽ dies & octo horas simul iunxerimus. Simul igitur iuncti hi numeri, quinquaginta tres dies & horas uiginti faciunt, quos si partiamur, habebimus cõmune medium, diuiditur autẽ in uigintisex dies & horas uigintiduas. Si aũt uelimus unicuiq; septimanæ suã portionẽ assignare, quælibet septimana sex dies & horas decẽ & septẽ cõplectetur, propterea si tres septimanas simul iũxerimus, faciunt uiginti dies & sextã diei partẽ, uel horas quatuor & semihorã. ex quibus facile colligitur uigesimũ diẽ esse magis iudicatoriũ, q̃ sit uigesimusprimus, quia horæ etiã magis ꝓpinquæ sunt, nã sunt quatuor solũ & semis illæ quæ uigesimũ excedũt. Nos igitur Galenũ in tertio De diebus decretorijs hoc modo intelligimus. unde cum in Lunæ motu in zodiaco, qui est proprius motus, & in Lunæ motu ad coitũ apparitionis dies accipiẽtes, si mediũ accipiamus, ꝑdictus numerus efficit, septimanæ etiã numerus hic erit sc̃d'm hũc statutũ numerum: itaq; dies. xx. erit iudicatorius, & merito tertiæ septimanæ ultimus.

Duo uerò hic dubia occurrunt. unum est cum in præcedenti Aphorismo dixerimus secundum Galenum Lunam nihil facere ad iudicationes, tamen idem Galenus præcitato loco Lunam iudicationum præsidem facit. Præterea dubium est de uigesimo die, an sit iudicatorius ob Ptolemæum, qui uigesimum primum iudicatoriũ esse putauit.

Ad primum, Cum superius dicebamus iudicationes secũdum Galenum non regi à Luna, intelligebamus eo modo non regi, quo recẽtes intelligunt, qui uolunt principiũ ægritudinis esse principium motus Lunæ: quod nunq; excogitauit Galenus, sed putat Lunam ægritudinibus præesse secundũ suũ uerũ cursum, non aũt quod tunc sit eius motus initiũ, cum aliquis ęgrotare incipit. hoc uerò solũ facit Galenus, septimanas secundũ motus Lunę normã regulat. nã si Luna in tot diebus suũ cursum perficiat, mẽsem facit, qui in quatuor septimanas diuiditur: itaq; nos debemus ęgritudinũ mẽsem mensi lunari ęqualem facere, & in quatuor septimanas diuidere, quia ita per experientiã inuentũ est.

Ad secundũ certum est Astronomos uigesimũprimum diem ueluti finem tertiæ septimanæ, & exquisite iudicatoriũ posuisse, recentesq; Ptolemeũ in Centiloquio adducunt, qui uoluerit uigesimãprimã diem esse iudicatoriã. Nos aũt locum quęrentes, inuenire nesciuimus, nisi sit sexagesima sententia ipsius, qua dicit, super ægrotis criticos dies inspice, ac Lunæ peragrationẽ in angulis figuræ sexdecim laterũ. ubi enim eos angulos bene affectos inuenies, bene erit languẽti: cõtrà male, si afflictos inueneris. In hac parte Põtanus interpres nõnulla de diebus iudicatorijs disserit, & uigesimãprimã diẽ iudicatoriã facit, & forte Ptolemeũ secutus, qui in eodẽ Centũ sentẽtiarũ libro, sentẽtia octuagesimaseptima mẽsem uigintiocto diebus, horis duabus, & ferè minutis decẽ & octo cõstare dicit. Huius uerba ne desideres, hęc sunt, Mensiũ cõuersiones fiũt ex diebus uigintiocto, horis duabus, et minutis ferè decẽ & octo. Secundũ hãc cõputationẽ lunaris mẽsis in quatuor integras septimanas diuideretur, & principiũ tertiæ septimanæ esset dies decimusquintus, finis uerò dies. xxi. Tamen & ipse Ptolemęus alibi, & oẽs alij astronomi, ut Ioãnes de Sacrobusto in sua sphæra ostendit, ponũt lunarẽ cursum esse uigintiseptẽ dierũ & octo horarũ. Quicqd de hac re sit, cõstat Astronomos simul cũ Erasistrato uigesimãprimã diẽ iudicatoriã fecisse, propterea sententiã suã astronomis relinquamus, & nos cũ Galeno, & cum magistra rerũ experiẽtia dicamus, uigesimã diẽ esse iudicatoriã, & magis iudicatoriam uigesimaprima: hæcq; est Hippocratica sentẽtia, quam Galenus sequitur, sciens & ipse astronomos. xxi. diem fecisse iudicatoriam, sed ipse sola experientia, Hippocratis auctoritate iuncta, uigesimã diẽ uigesimæprimæ prætulit. nam ipse non it inficias, uigesimãprimã quandoq; esse iudicatoriã, immo tertio De diebus iudicatorijs libro, priusq; sui lunaris mensis rationẽ disponat, dicit. Quorum accessiones imparibus eueniunt, horũ & iudicia ad uigesimãprimã diẽ delabunt. Imò rationẽ addit quia mẽstruum etiã tẽpus apparitionis uirtutẽ quandam in nos possidet, tamen uigesimus ꝓ maiori parte inuentus est iudicatorius, & raro uigesimusprimus. nã secundũ sui mensis diuisionẽ, in quo mediũ terminum sumit inter uigintisex dies, & duodecim horas, et uigintiseptẽ & octo horas, uigesimus magis participat de fine tertiæ septimanæ, q̃ uigesimusprimus. Conciliator aũt differentia cẽtesimaquarta, Galeni mensem & sententiam totis uiribus conatur euertere, & nonnulla argumenta facit, quæ nos referre statuimus, ut ab ipsis facilius Galenum liberemus. Primum argumentum est, si id uerũ sit, quod à

Gale-

Galeno scriptũ est, sequeretur, ægritudinem esse quando mensuratur medicinali mense: hoc consequẽs est falsum, igitur & id falsum est à quo sequitur. cõsequentis falsitas probatur. nam ęgritudo per tẽpus notabile staret, quod tamen tempus non esset cõputandum inter dies iudicatorios, quod absurdum est. nam Galenus & omnes medici à principio ægritudinis usq; in finẽ omnes dies numerãt, uolentes iudicatorios inuenire. Cõsequentiam probat, quoniã in illo tẽpore, in quo luna nõ apparet, quod est spatiũ triũ dierũ secũdum Galenũ, nõ est mensis medicinalis, quia luna nõ apparet, tamẽ per illos tres dies ęgrotat, & est notabile tẽpus, & inter dies iudicatorios nõ notatur. Secundo si uera sit Galeni sententia, sequitur tertiãdecimã diẽ esse magis iudicatoriã quartadecima cõtra se ipsum. hoc cõsequi probatur. nam duę medicę septimanę secundũ Galenũ, nõ cõplectuntur nisi dies tredecim, & horas undecim. At si debeamus ad decimũquartũ peruenire, desunt dies tredecim, ideo decimustertius uidetur esse propinquior termino septimanę, q̃ decimusquartus, propterea decimustertius erit potius iudicatorius q̃ decimusquartus. Hoc argumentũ ualet, si illud Galeni cõueniens est, quo probat uigesimã diẽ esse iudicatoriã, qui finis tertię septimanæ, qui est uigesimus dies, & quatuor horæ, & semis, est magis propinquus uigesimę diei, q̃ uigesimusprimus. Tertio ex Galeni sentẽtia sequitur, sexagesimũprimũ diẽ esse magis iudicatoriũ q̃ sexagesimũ, quia sexagesimusprimus habet tredecim horas cũ dimidia, sed sexagesimus habet decẽ cũ dimidia, propterea sexagesimusprimus maiorẽ rationẽ habet iudicationis q̃ sexagesimus, & ita octuagesimus secundus, & per multos alios posset hoc argumentũ augeri. unde si modus argumentandi Galeni de uigesima die ualeat, etiam hic modus cõueniens erit. Quarto probat Galeni argumentũ uanum esse, quandoquidem rei falsę innitatur. nam supponit lunam semper per tres dies occultari, cum tamẽ quandoq; soleat mane solis radios ingredi, & secunda die ita egreditur ut appareat. Quod nõ solũ experientia, sed & Alphraganus ostendit, imò adde, ex lunę Theoricis & cõiunctionibus optime cognosci, ideo hic mensis quo luna apparet, quãdoq; erit uigintiocto dierũ & semis: & hoc nõ ab re ob motus in Epicyclo diuersitatẽ, in quo quãdoq; uelocius, quãdoq; tardius mouetur. Hęc sunt argumẽta, quibus Conciliator in Galenum utitur, & putat eius sententiam deiecisse atq; uicisse.

Non defuit etiam quidam Federicus Chrysogonus Iadertinus qui in eadem re Galenum reprehendit, sed nullis rationibus, imò Galeni mensem non intelligit, si quis recte illum consideret capite quinto sui libri De prognosticis ægritudinum per dies criticos inscripti: contra hoc solum argumentari uidetur, quod dixit, dies non computari silente luna: imò inquit, lunam illis diebus plus operari mali, quàm boni, quia unita sunt duo luminaria ad unum effectum producendum, ex quo omnia elementa, & contremiscunt, & patiuntur. nam retia in mari, & omnes panni corroduntur, & cætera, quæ bonus ille uir Galenum non intelligens adducit.

Nos uero ut à Cõciliatore Galenũ liberemus, annotamus, Galenũ in diebus iudicatorijs nõ fidere aut lunæ, aut alteri planetæ, sed solum experientię: & quod longa ueterum experientia uidit, id reperit ab Hippocrate scriptũ atq; comprobatũ, ut primo libro De diebus iudicatorijs edocuit. unde ante finem tertij libri inquit, si quis eum iudicet nimis longũ, solum legat primũ librũ. si uero non satis uideatur, legat etiam secundum, & relinquat tertiũ, quẽ tertium dicit se scripsisse inuitũ. & (ut paucis expediam) hoc nulla alia de causa dicit, nisi quia in tertio de diebus iudicatorijs sermonem habet, ad lunæ motũ comparans, quẽ tamen motum ipse nõ magni faciebat, nec putabat esse causam iudicationis. imò expresse fatetur, ueram iudicationis causam non haberi, sed solum esse experientia & sensu inuentam, & comprobatam, quod in libro De diebus iudicatorijs sæpe repetit.

Scito præterea recentiores, quando aliquis ægritudinẽ incidit, considerare principiũ ægritudinis, & tunc lunæ motũ considerant, & in quocunq; tẽpore fuerit luna, ibi mensem incipiũt. sed Galenus considerat dispositionẽ & locũ lunæ ratione suæ portionis motus, quã fecit in zodiaco: & ob aliũ finẽ mensem illum lunarẽ nõ considerauit, q̃ ut quibusdã satisfaceret, qui ex luna horũ dierũ iudicatoriorũ rationẽ haberi uolebant, imò ab antiquioribus multis, qui ante Galeni tempora scripsere, istud lunæ attribuitur. sed ipse facta numeratione, & perfecto illo suo penes lunarem mensem computo, aliud etiam supponit, his semper addendum esse sensum & experientiam, quæ rerum magistra est. At ne Conciliatoris argumenta digna esse arbitreris, illa statim perimere curabimus.

Ad primum, non putat Galenus tres illos dies quibus luna silet, à diebus iudicatorijs esse abijciendos & non esse numerandos, sed illos abiecit ut inueniret quomodo uigesimus dies esset iudicatorius radicalis, idest, ut normã quandam ex diebus mensis lunaris acciperet, quæ uigesimã diem iudicatoriã faceret, non quia & illi tres nõ sint non numerandi, quando horum dierum computũ facimus. unde nihil aliud fecit Galenus per suũ illum computũ, quàm quod rationẽ aliquam eorũ quæ experientia comprobat, & ratio non adest, inuenire studuit. Tamen nõ putat rationẽ hanc esse perfectam, quæ ex lunæ motu accipitur. Ad secundũ non it inficias Galenus decimamtertiã diẽ quandoque esse iudicatoriam, tamen radicalis est decimaquarta, ut experientia docet. nec illud dicere cõuenit, opus est esse decimãtertiã, quia terminus secundę septimanæ est illi propinquior. nam (ut dictũ est) ad hoc ut aliquis dies sit iudicatorius radicalis, duo requiruntur: unũ est dierum numerus, aliud experientia. hic & si dierũ numerus sit propinquior decimætertiæ diei, tamen plus est quàm sit decimatertia, & experientia hoc ostendit: experiẽtia uero multũ considerãda est, quæ à seculo usque uidit decimamquartã ut plurimũ iudicare, & raro decimamtertiã, propterea facit decimamquartã iudicatoriã radicalem, nõ aũt decimamtertiam. Nec argumentũ hoc Cõciliatoris simile est Galeni argumẽto de uigesima die facto respectu uigesimæprimæ, hic in decimaquarta die iudicatoriã esse experientia habetur, quod in uigesimaprima solũ raro habetur. Præterea in decimaquarta diuidit septimanas per septẽ & septem, ideo totus progressus qui factus est, fuit ut rationẽ aliquã inueniret, quomodo possit uigesimã diẽ finẽ alicuius septimanę facere. Ideo id semper erit pro cõputo tertię septimanę, & nõ pro cõputo alterius septimanę, quia in prima & secũda rationẽ dierũ numerat. Quare Galenus hunc computũ nõ exquisiuit, nisi ut uigesimã tertiæ septimanę finem esse ostenderet. Adde Galenũ etiam nõ putasse hanc rationẽ esse necessariam. Ad tertiũ, semper Galenus iubet omnes septimanas distribuendas esse, ut primæ tres; & per singulas tres septimanas computũ fieri uoluit, semperque tanquã ad principiũ redeundum. Ideo uigesimusprimus dies erit principiũ secũdi ternarij triũ septimanarũ, & quadragesimusprimus tertij ternarij, nec opus est horas simul coniungere quę supersunt. Ad quartũ, id certe sciebat Galenus, lunã minori & maiori tẽpore occultari: sed illi hoc arrisit, maiorẽ terminum accipere, in quẽ frequẽtius incidit, ut aliquã rationem suę cõputationi redderet. Illa uero prope uanitatẽ, ne dicã stultitiã, accedunt, quæ à Iadertino scripta sunt, nam Galenũ non arguũt: & quod dicit retia in mari corrumpi, dispereã nisi experimentũ feceris, nã uidebis (ut nos Comaclij uidimus) uanissimũ hoc esse. Itaque Galenus ab his authoribus, Cõciliatore inquã & Iadertino, liber, ut lubet uagetur. nam ipse in his iudicatorijs diebus experientiæ solũ fidit, quæ rerum magistra est: propter amicos autem, & (ut dicit) paucissimos, id de lunari ratione suo libro adiunxit.

Ad rem igitur primam redeuntes, scito omnes etiam septimanas in duas partes diuidi. nam quęlibet diem medium habet, qui ostendit quid futurum sit in medio septimanarum, ut in prima septimana quartus dies qui à principio est quartus, & à fine primæ septimanæ est quartus. In secunda septimana adest undecimus, qui à septimo est quartus, à decimoquarto est quartus. est uero decimusquartus finis secundę septimanæ. In tertia septimana est decimusseptimus, qui est quartus à decimo quarto, & est quartus à uigesimo. Vigesimus aũt est finis tertiæ septimanæ. Et quod in his tribus septimanis dicitur, in tribus sequentib. intelligere oportet, & in alijs tribus usque in infinitũ, si morb. tãdiu perduraret. hi medij dies inter septimanas ab Hippoc. ἐπίδηλοι scilicet ἡμέραι, idest, indicatiui, indices, & θεωρητοὶ, idest, cõtemplabiles dicũtur, quia iudiciũ ostendũt, & cõtemplationẽ, quid futurũ sit in medio septimanarũ. sicuti aũt septimanę ita se habẽt quod initium tertiæ est finis secũdæ, ita hi dies medij distant per septẽ, & secundus septenarius de se principiũ habet: tertius uero incipit à secũdo, idest, ab ultimo secundi. nam quartus dies est primus medius: secundus est undecimus incipiendo à quarto, nõ est opus quartũ numerare: decimusseptimus est tertius dies medius, qui à secundo, idest, undecimo per septem distat: sed hoc ab ipso undecimo incipiẽdo, & ipsummet undecimũ computando: sicuti tertia septimana à quartodecimo incipit, qui est etiam finis secundæ septimanæ.

Scito etiam, quod hi dies qui indicatiui dicuntur, & contemplabiles, licet non sint exquisiti iudicatorij & radicales, tamen in ipsis fit quandoque uera iudicatio & perfecta, ut in

sit in quarto & undecimo. propterea Philotheus undecimum & finem & principium nominat, & contemplabilem atq; decretoriũ esse iudicat. Ipse etenim hunc aphorismum ita commentatur. Ἀλλὰ φησὶ τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος; πῶς; ἐπειδὴ ἡ τετάρτη κρίσιμός ἐστιν. ἐὰν οὖν τῇ τετάρτῃ γενήσεται. s. ἡ κρίσις διὰ τὸ ἀκμὴν ἀσθενῆ εἶναι τὴν δύναμιν, καὶ μὴ δύνασθαι ταχέως ἀποδιῶξαι τὰ νοσοποιὰ αἴτια. εἰ δὲ μὴ ἐν τῇ ἑβδόμῃ γέγονε τελεία, ἐν τῇ ἑνδεκάτῃ τελεία γενήσεται. εἰ δὲ καὶ ἐν τῇ δεκάτῃ πρώτῃ ἀτελής, ἐν τῇ δεκάτῃ τετάρτῃ τελεία. αὗται μὲν οὖν αἱ ἡμέραι ἐπίδηλοι, καὶ θεωρηταί. ἐπίδηλοι μὲν ὅτι μηνύουσι τὴν μέλλουσαν ἢ ὅπω μέλλουσαν κρίσιν, θεωρηταὶ δὲ, ὡς ἄνω ταύτας ἀφορῶντες προλέγομεν. αὗται μὲν οὖν αἱ τετραδικαὶ περίοδοι, αἱ μὲν κατὰ συνέχειαν ἀριθμοῦνται. αἱ δὲ κατὰ διέχειαν. ὅπερ καὶ τὸ πέρας τῆς τετράδος καὶ ἀρχὴ γίνεται. ἡ δὲ τετάρτη τετρὰς, κατὰ συνέχειαν πάλιν. ἡ γὰρ ἑνδεκάτη καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος νομίζεται. εἰ δέ τις εἴποι, ὅτι ὁρῶμεν ὀξέα νοσήματα, καὶ δεκαεπτὰ, καὶ τῇ εἰκοστῇ κρινόντα, λέγομεν, ὅτι ταῦτα τῶν σπανίως. εἰ δέ τις πάλιν εἴποι, ὅτι πῶς ἐν τῷ προγνωστικῷ λέγει, τὴν μ ἡμέραν εἶναι ἔσχατον ὅρον τῶν ὀξέων νοσημάτων, νῦν δὲ τὴν δεκάτην τετάρτην. λέγομεν, ὅτι ἐκεῖ οὐ τῶν ἁπλῶν ὀξέων λέγει τὴν μὲν ἔσχατον ὅρον εἶναι ἀλλὰ τῶν ἐκ μεταπτώσεως ὀξέων. Nos hanc Philothei cõmentationẽ cõsiderantes uerba facilia esse uidemus, sed falsas sententias & decurtatas. propterea quicquid sit, & quicquid sua uerba præ se ferant, nos hoc modo illũ interpretandũ iudicamus, & intelligendũ: ipse enim una cõmentatione præcedentẽ aphorismũ, & hunc exponit. In hac aũt parte quæ ad hunc spectat, præscripta uerba faciunt, quorũ sensus (me iudice) esse debet, sed dicit, septenorũ quartus est index, quomodo? quoniam quartus iudicatorius est. est quidẽ iudicatorius. Quod si in quarto nõ fiat scilicet iudicatio, propter uigorẽ & uim adhuc imbecillem, quę nõ possit celeriter causas morbi depellere, in septimo fiet. Si uero in septimo non fiet, scilicet perfecta iudicatio, in undecimo perfecta fiet. Quod si in undecimo adhuc erit imperfecta, in decimoquarto perfecta erit. Ipsi igitur dies indices & cõtemplabiles sunt. Indices quidem, quoniã indicãt quando futura est, uel nondũ futura sit iudicatio. cõtemplabiles uero, ut supra eos spectãtes diximus. ipsę igitur quaternariæ periodi, aliæ per continuationẽ numerantur, alię per diuisionem, in quibus idem terminus fit & principiũ quaternionis. quarta uero quaternio fit rursus per continuationẽ. nam undecimus & finis & principiũ putatur. Quod si quis dicat, quod uidemus morbos acutos & decimoseptimo & uigesimo iudicari, dicimus, hoc raro fieri. si rursus quis dixerit, quomodo in Prognostico dicit quadragesimũ diem esse extremũ terminũ acutorũ morborũ, nunc aũt decimumquartũ: dicimus illic de simpliciter acutis nõ dixisse quadragesimũ diẽ extremũ terminũ esse, sed de acutis ex decidentia.

Scito præterea ista quę de iudicatione dicũtur, in morbis illis intelligi debere, in quibus fit iudicatio, idest, subita ad mortẽ, uel ad salutẽ mutatio, uel ad momentũ quoddã ad quod paulatim mors sequitur uel salus, non aũt in illis morbis, in quib. ægri paulatim sanantur uel moriuntur. quia hic nõ fit iudicatio, sed sola mors uel solutio. Si uero petas quomodo isti dies indicatiui dicantur, Respondemus secundũ Galenũ, quia id quod sequi debeat, præostendũt: ut si in quarto die aliquis sudor appareat, in septimo per sudorẽ morbum terminaturũ præostendit. si in quarto sanguis ex naribus appareat, in septimo copiose profluet, idemq; erit in omnibus alijs nostri corporis euacuationibus, siue per urinam siue per aluũ fiant, idemq; in omnibus alijs indicatiuis diebus iudiciũ ferri debet.

Sed ne in hac dierum iudicatoriorũ tractatione quicquã uel minimũ prætermittatur, singulatim secundum Hippocratem & Galenum omnes dies trium septimanarũ cõtemplemur. nam ex harũ trium septimanarũ diebus omnes alij dies aliarum septimanarum iudicari poterunt, etenim eadem est inter omnes proportio.

PRIMVS dies nec iudicatorius est, nec indicatiuus, sed morbi initiũ est, in quo die nullus materialis morb. finit, sed sola diaria febris (si de hac iudiciũ dici possit) iudicatur. Galenus uero in principio secundi libri De diebus decretorijs illũ putat esse morbi primum diem, in quo æger operationũ læsionem sensu percipit, in hoc aũt die omnia imbecilliora sunt, iuxta illud Hippocratis decretum, circa principia & fines omnia imbecilliora. ob hanc causam Galenus huius diei nullam mentionem fecit.

SECVNDVS dies & ipse nihil habet, quo decernere possimus, uel indicare, est solum finis diariarum febrium. unde Galenus de ipso nullam mentionem fecit. si uero nonnulli secunda die sanari uideantur, id fit uel quia non est morbus materialis

terialis, sed diarius spiritibus solis innitens, uel per aliquot dies præcedentes æger morbū nō persensit. Si uero dicas, ex Galeno tertio De diebus decretorijs li. sumi posse, diē hāc secundā esse iudicatoriā, quia dicit: tuta igitur crisis euadet quę in secundo totius mensis die accidet, cum prima & manifesta luna, & lōgo satis tempore super terrā iam apparet, tum lumen sensibile de se mittit, ad hæc umbram euidenter ostendit: Imò & eodem loco de prima die sermonem facere uidetur, & ex consequenti de prima ægritudinis die. sed dicere oportet, Galenum nec de primo, nec de secundo ęgritudinis die uerba fecisse, at de primo aut secundo die quo luna cœpit apparere, si in eo iudicatio fiat: tamen iudicatio ista quæ uel in primo, uel in secundo die lunæ erit, ratione ægritudinis septimus erit, uel decimusquartus, non aūt in secundo die, quia hoc die nō fiunt iudicationes, sed bene secunda lunæ die, quæ est aliqua ægritudinis iudicatoria, iudiciū fieri potest.

TERTIVS dies iudicatorius est, & Galenus sæpe iudicationes tertio die uidit: nam ubi quarto die iudicatio futura est, & materia uelociter mouetur, tertius dies id sibi uendicat, & in tertio fit iudicatio non expectato quarto. quare tertius erit iudicatorius, nōn tamē perfecte, sed incidens: sicuti etiā dicemus de quinto, qui & ipse iudicat, quando materia in quarto defatigata iudicationē perficere nō potuit, postea in quinto perficitur, & ita propter tardū motū iudicatorius efficitur, sicuti tertius ꝑpter uelocitatē iudicatorius effectus est. Gale. uero dicit, diē tertiū esse iudicatoriū, quia iudicatorio propinquus est.

QVARTVS dies indicatiuus est, atq; iudicatorius, indicatiuus quidē, septimi diei ex sua natura, nam ut Galenus dicit li. primo De diebus iudicatorijs, intelligo esse indicem ex sua natura, quia si nullū rarū & magnū incidat, uel extrinsecus uel ex ipsa morbi conditione, uel etiā ęgrotantis habitu, quartus omnino septimū indicat, tamē & idem quartus sextū indicat, ut eodem loco ostendit: imò dicit ita indicare sextū, sicuti septimū indicat, quod intelligit ratiōe indicationis, nō aūt ratione modi indicādi, quia in uno ut plurimum bonū, in alio ut plurimū malum indicat. unde dicit, qui quarto ad peiorē statum decidunt, plerunq; sexto moriuntur. si uero ad meliorem statum recidant, septimū expectant. Galenus etiā pręcitato loco ostendit, non solū quartū esse indicatiuū, sed etiā iudicatiuū: unde si quis prima die acuta febre infestatur, & nullū periculosum signū adfuerit, sed in urinis cōcoctionis nota, non extra quartū diem morbus discutietur. Quinetiam si multa letalia primo die statim deprehendantur, morietur plane non extra quartū diem. si uero acuta sit febris primis diebus, & nullū periculosum, uel letale signum adfuerit, nec etiā aliquod signū coctionis, hic non peribit quarto nec sanabitur, sed ad aliū terminū deueniet: non transibit autem decimumquartum, quia morbus (ut supponitur) acutus est.

QVINTVS dies & ipse iudicatorius est, sicuti & tertius, & etiam indicat supra septimum & nonū. est autem iudicatorius, quia loco quarti nonnunquā iudicat, quando natura quarto die lassa fuerit, nec quouis modo concitata quiescat, tūc quinto die ad indicium commouetur, propterea & indicatiuus, & iudicatiuus hic dies nuncupari poterit.

SEXTVS dies iudicatorius quidē est, licet (ut Galenus inquit in primo De diebus iudicatorijs) raro, & cū symptomatib. difficilibus, & periculo nō mediocri: ad hęc, absq; fide, imperfecte, obscure, sine notis, tum sinistre. Paulo deinde addit, sextū quanto pauciores in eo iudicantur, q̄ in septimo, tanto quoq; maligniorē inuenio, ut qui ferè ex aduerso natura septimo oppositus sit. Quin etiā qui in quarto ad peiorē statū recidunt, plerūq; sexto moriūtur. In eodē lib. deinde addit, Nam periculosis symptomatibus pręsentibus, unà cū coctionis nota quarto die apparente, iudiciū si paribus diebus accessio fiat, sexto expectādū est, quod si hunc excesserit, octauo tamē addit: quādoq; etiā si accessio sit in dieb. imparibus propter celeritatē morbi sexto die intereūt. Nos sexcēties 1528. experiētia uidimus in Epidemico morbo omnes ferè sexto die obijsse, & in pestilētib. morbis ut plurimū ęgri sexto die intereūt, ut in pręsentiarū quisq; uestrū uidere potuit, in Hieronymo Cantalupo, qui naturalē philosophiā in hoc almo Gymnasio egregie profitebatur. hic ex pestilēti & uenenosa febre sexto die interijt in hoc mense Nouembri. Propter hæc Galen. hunc diē tyrannū uocat, quoniā si nō interficiat, quando iudicat, saltē male iudicat: quippe tyrānus si nō interficit, saltē bona surripit, uulnerat, percutit: ita sextus dies uel pernicie illius quē iudicādum accepit, gaudet, uel salute dolet, quęritq; ubi animū expleat, & male ægrum tractet, tum longa punitione exerceat. Deniq; multis exaggeratis infert

tis infert sextum diem male decretorium esse.

SEPTIMVS dies iudicatorius est, & quem Galenus secūdo libro De diebus iudicatorijs, omniū fortissimū uocat, qui semper à quarto indicatur, qui quartus est minor decretorius. intellige uero, ut plurimū fieri bonū iudiciū, non tamē semper, nam quandoque ægri in septimo moriuntur. Imò docet si fuerint mala signa in quarto, & morbus diebus imparib. accessiones habeat, hic in septimo moritur, nisi uehemēs sit ęgritudinis motus, tunc enim in sexto moritur. Septimū uero ob id laudat, quia multi in septimo & ad bonū iudicātur. propterea dicit, primū itaque omniū dierum decretoriorū septimū dicimus, nō numero uidelicet & ordine primū, sed potētia & dignitate. Omnes enim summatim decretoriorū notas occupat. quin etiā plurimos iudicat, & absolute. Itē cū manifesta excretione, uel abscessu, sine periculo uehementi, & ut plurimū quartus eum prænuntiat. Aliquibus postea interpositis addit, plerunque igitur bona iudicia eueniūt in septimo die, etenim hoc ei præter cæteros accedit. unde quibusdam lineis interpositis inquit, mihi equidem frequenter in mentem uenit, septimi diei naturam regi assimilare, nam clemens tanquam bonus aliquis princeps, ijs quos iudicat, uel supplicij partē adimit, uel illustrat uictoriam: ut simpliciter diem septimum bonum Galenus iudicet.

OCTAVVS etiam dies iudicatorius est, putatque Galenus, & ita experiētia cōpertum est, iudicationē octaui diei minus laudabilem esse iudicatione noni diei. ostenditur etiā à quarto die. nam cū in quarto mala signa apparuerint, & morbus accessiones per dies pares habuerit, nec multum uelox sit, octauo die iudicatur: sed octaui diei iudicatio cum sexti diei iudicatione aliquam affinitatem habet, tamen adeo mala non est, quia saltē prolongatur ægritudo: fit igitur & in octauo die iudicatio.

NONVS dies & ipse à Galeno iudicatorius nuncupatur, imò (ut secūdo li. dicit) plurimos nonus iudicat, & coincidunt nonus, tertius, quintus: & eodē loco dicit tutiorē esse iudicationē & magis fidā, quæ nono quàm quæ octauo: & hoc merito, quoniā qui in nono iudicantur, illi sunt qui effugiūt septimū propter tardū ęgritudinis motū, uel qui propter celeritatē undecimū diem non expectant. unde in tertio De diebus iudicatorijs li. dicit, iam uerò & nonus inter duos iudicatorios septimum & undecimum medius, uel nondum factum in septimo die iudicium, uel undecimo futurum, ipse sibi uendicat. dicit tamen quod raro septimi iudicationem sumit, undecimi uero frequenter. nam septimus suam iudicationem facit, nisi sit error cōmissus. undecimi propria iudicatio è contrario habet, nempe cum exacte etiam omnia gesta sint, & uiolenta noni diei accessio inuadat, ob uiolentiam anticipat iudicatio suum statutum diem.

DECIMVS dies in primo libro à Galeno iudicatur in eundem ordinē ponendus, in quē octauus. octauū uero ponebat in ordinē sexti, quia octauus semper est malus, sed minus quàm sextus: ita & decimus, sed minus adhuc malus quàm octauus, quia motus ęgritudinis est tardus. Si enim in quarto mala signa appareant, & morbus habeat accessiones diebus paribus, iudicatio in sexto fieri debebat, sed propter tarditatē fit in octauo. Si adhuc tardior sit materia, fit in decimo. itaque decimus naturam sexti sapit, quia raro cum fide soluitur morbus, sed nec bene ac salubriter, nec perfecte, imò obscure, & citra notas. Ideo subito non soluunt, sextus, octauus, decimus.

VNDECIMVS dies est quartus à decimoquarto, decimus autem quartus est finis secundæ septimanæ. ideo (ut pręcitato libro Galenus dicit) eandem proportionem habet undecimus ad decimumquartū, qualem habet quartus ad septimum; quartus autē erat septimi iudicatorius, ideo & undecimus erit decimi quarti indicatiuus, tamen & ipse est iudicatorius, sed minor iudicatorius, sicuti & quartus est minor iudicatorius, ut secundo li. dicebat Galenus. Quare undecimus est perfectus indicatiuus, & minor iudicatorius, nos uero infinitos ferē uidimus laterales morbos undecimo die iudicari.

DVODECIMVS dies nec iudicatiuus, nec indicatiuus est, & ideo nullum habet officium, nisi quia addit numerū diebus. unde Galenus primo De diebus decretorijs libro fatetur, nunquam uidisse aliquem duodecimo die iudicatum, tamen si iudicaret, haberet proportionem ad decimum, sed tardius moueretur.

DECIMVS TERTIVS & ipse decernit, & præsertim in morbis qui habēt impares accessiones, sed est omniū imbecillissimus eorum dierū qui decernunt. est aūt fortissimus eorum qui

eorũ qui non decernunt, ut secundo libro docet. In primo aũt libro hunc ordinẽ dierũ facit, ut primo ponat bene decernẽtes, inde nõ bene. postea dicit decimumtertiũ diem nec ita fortẽ esse ut hi qui bene decernunt, nec ita debilem ut hi qui male decernũt. Quod uero aliqui dicũt, in omni morbo acuto fieri debere iudicationẽ decimotertio die, quia mouetur ut plurimũ per dies impares ægritudo, Respondemus, hoc nõ esse necessariũ, sed fit in his morbis ut plurimũ iudicatio in decimoquarto, & ab undecimo indicatur, quando morbus uehemens est atq; fortis, nõ expectatur decimusquartus, sed à decimotertio anticipatur, hoc tamen frequenter nõ est. Vnde Galenus primo De diebus iudicatorijs libro hanc regulam ponit, imparibus diebus si æger magis laborauit, propriũ magis diei imparis iudiciũ: quemadmodum si paribus, illius proprium. nam in accessionibus plurimum iudicia contingunt, unde quæ in imparibus afflixerint, decimotertio decernentur, propterea decimustertius dies ut experientia ostendit, decretorius est.

DECIMVS QVARTVS dies à Galeno primo De diebus decretorijs lib. in perfectione septimi ponitur, septimus aũt erat omniũ potentissimus, ideo & decimusquartus potentissimus erit. ob hanc causam secundo libro De diebus decretorijs dicit, uehementissimę itaq; iudicationes, sicut antea diximus, quæ ad decimumquartum diem ueniunt. Imò hic est terminus morborum simpliciter acutorum, & est finis secundæ septimanæ, in quo die plures morbi decernuntur.

DECIMVS QVINTVS dies à Galeno parũ consideratur, tamen & ipse quandoq; decernit, & nonnulli qui decimotertio die iudicari debent, propter motus tarditatem decimoquinto die decernuntur, quare diei decimitertij naturæ nonnihil habet.

DECIMVS SEXTVS dies nunq; uisus est à Galeno quenq; iudicasse, neq; aliquid indicasse, ideo hic dies nec iudicatorius, nec indicatiuus est, & quãuis antiquiores nonnulli (ut etiam de duodecimo) uoluerũt aliquos morbos in his iudicari, id imperfecte fuit incerte, periculose, obscure, & sine signis. ideo & hic dies à Galeno iudicatorius non [illegible]stimatur, quia neminem in eo iudicari uidit.

DECIMVS SEPTIMVS à decimoquarto tertiã septimanam incipiente, medius est inter decimumquartum, & uigesimũ. propterea indicat quid uigesimo die futurum sit, & ipse etiam decretorius est, sicuti quartus, & undecimus. ueruntamen, ut Galenus docet secundo libro De diebus decretorijs, hic decimusseptimus inter coincidentes nõ est numerandus, sed inter ualidos & primos annumerari debet. ideo quę decimoquarto cœpere frequenter decimoseptimo perfecte decernuntur: propterea decimusseptimus multos morbos decernit, ut experientia ostendit.

DECIMVS OCTAVVS quãdoq; de uigesimoprimo die iudicat, secundũ antiquos qui uigesimum primum diem tertiæ septimanę finẽ faciebãt, unde decimusquintus erat eius principium, decimusoctauus medium, & indicatiuus dies, uigesimusprimus decretorius. tamen hoc nõ negat Galenus, qui secundo libro De diebus decretorijs fatetur decimumoctauũ ad uigesimumprimũ se habere, ut quartus ad septimũ se habet, & undecimus ad quartumdecimũ. hoc aũt raro esse dicit, tamen quandoq; eueniebat. Archigenes autẽ & Diocles ita perpetuo esse existimarunt, & in tertio eiusdem uoluminis libro hoc fieri docet, quando diebus imparibus accessiones fiunt. Igitur decimusoctauus uigesimiprimi quandoq; indicatiuus est, quandoq; & ipse decernit, sed imperfecte.

DECIMVS NONVS nunquam uisus est à Galeno decernere, & simul ipsum numerat cum duodecimo, & decimosexto: unde intra tres septimanas duodecimus, decimussextus, & decimusnonus nunquam uisi sunt à Galeno decernere: Si autem decernãt, imperfecte, infide, non tute, & sine notis decernunt. Tamen & si Galenus non uiderit, antiquiores extant, qui hos dies decreuisse, scriptis reliquerunt.

VIGESIMVS dies, ultimus est tertiæ septimanæ terminus, & est decretorius, non tamen ut septimus, & decimusquartus, qui perfectissimi sunt, imò & decimusseptimus his addendus, sed in comparatione ad undecimum, uigesimus decimumseptimũ diem pro indicatiuo habet, quamuis & ipse iudicatorius sit.

VIGESIMVS PRIMVS dies secundũ Archigenẽ & Dioclẽ tertiæ septimanę finis poniť & iudicatorius, tamẽ Galen. iudicatoriũ esse nõ it inficias secũdo & tertio de diebus iudicatorijs. Id aũt raro cõtingit, & solũ quando accessiones habẽt motũ per dies impares

pares. Ad hanc uſq; computationẽ Hippocrates exacte peruenit, & ſecundũ hunc ordinem in ſuis libris ſparſim habẽtur iſti dies: & Galenus in libro De diebus iudicatorijs addit, quod iudicationes in morbis ſunt efficaciſsimę uſq; ad decimumquartũ diẽ, proximo loco ſuccedunt quæ uſq; ad uigeſimũ habẽtur, poſtea à uigeſimo uſq; ad quadrageſimũ paulatim efficacia remittitur. Ideo ab Hippocrate nõ numerantur niſi pauci dies inter uigeſimũ & quadrageſimum in quibus fit iudiciũ, nam reliqua dierum multitudo, decernẽdi omnino expers eſt. Sunt uero hi, in quibus fit iudicatio iſti, uigeſimus ſeptimus, Archigenes uero uigeſimum octauum putabat, non uigeſimum ſeptimum, ſed experientia Hippocrati & Galeno demonſtrauit, uigeſimum ſeptimum uigeſimo octauo eſſe præferendum. trigeſimus quartus habet potentiam mentione dignam, & quadrageſimus magis, uigeſimus quartus & trigeſimus primus minus his decernunt, multo minus trigeſimus ſeptimus decernit, ideo inter eos qui decernũt & qui non decernunt, medius eſſe uidetur, ut Galenus iudicet ipſum non decernere. Sunt uero hi (ſi in ordinem diſponere uelimus) uigeſimus quartus, uigeſimus ſeptimus, trigeſimus primus, trigeſimus quartus, trigeſimus ſeptimus, quadrageſimus, & etiam uigeſimi octaui mentionem facit, quia quandoq; decernit. Reliqui ſunt duodecim decernẽdi expertes. & hic eſt ordo à uigeſimo die uſq; ad quadrageſimum, à quadrageſimo uſq; ad ſexageſimum dierum ordo non datur, apud Hippocratem & Galenum, quamuis aliqui antiqui quadrageſimum ſecundum, quadrageſimũ quintum, & quadrageſimum octauum ſpeculati ſint, qui potius quadrageſimum quartum & quadrageſimũ ſeptimum cõſiderare debebãt. Nam nos ipſi uidimus in quadrageſimo quarto multos eſſe decretos, & quãdoq; in quadrageſimo ſeptimo. Hippocrates uero data opera de his diebus mentionem non facit: quoniã ut dicit Galenus primo de diebus iudicatorijs libro, qui poſt quadrageſimum ſunt, omnes languent, cõctione potius, & abſceſsibus, quàm iudicationibus morbos finientes. accidunt tamen his quoq; per excretiones interdum iudicia, ſed raro, nec magnam habent uehementiam, & frequenter pluribus diebus iudicia cõplentur, maxime cum in abſceſſum finiunt. Nihil deinceps Hippocrates de alijs diebus agit: ſed ſolum ſexageſimi, octuageſimi, centeſimi, centeſimi uigeſimi mentionem facit. Poſtea per menſes numerare incipit. nam dies ille cẽteſimus uigeſimus, qui eſt quarti menſis finis, & ipſe menſis de ſeptimo menſe decernunt, & ita undecimus menſis de decimo quarto, poſtea tranſit ad annos, & ad annorum ſeptimanas, ut quartus annus de ſeptimo anno. Et hæc eſt ratio dierum ægritudinum apud Hippocratem & Galenum.

Si uero morborum nomina quæras, quò ad genus, quæ diebus iudicatorijs uere attribuantur, Galenus ſecundo libro De diebus iudicatorijs in hunc modum ſatisfacit. ἀκριβῶς κάτοξυ, quem Latini exacte peracutũ morbum uocant, habet quartum diem. οὐδὲ ἀκριβῶς κάτοξυ, ideſt non exacte peracutus, uel κάτοξυ, ideſt peracutus ſeptimum habet. ὀξὺ ἀκριβῶς, ideſt exacte acutus, uel ὀξὺ, ideſt acutus ſimpliciter decimũ quartum diem habet. οὐκ ἀκριβῶς ὀξύ, ideſt non exacte acutus, uigeſimum diem habet. τὸ ἐκ μεταπτώσεως ὀξύ, ideſt ex decidẽtia acutus, uel (ut recentiores dicunt) acutus conuerſiuus, quadrageſimum diem attingit. Reliqua morborũ genera in quantamcunq; temporis diſtantiam producantur, ſemper χρονικά, ideſt longa & diuturna uocantur.

Si etiam aliqua morborum iudicia ſcire cupias: ſcito ſi materia ſit uſq; ad ſeptimum diem cruda, ante uigeſimum iudicari nõ poſſe. Si uero ſit uſq; ad decimum quartum, ante quadrageſimum non finiet. At ſi uſq; ad uigeſimum cruditatem ſeruet, ante ſexageſimum iudicari non poterit. In reliquis non adeſt ordo perfectus, nec iudicium exquiſitum. Hæc Galenus pro primo ſaltem & ſecundo termino, ſecundo De diebus iudicatorijs libro.

His ita conſtitutis, reliquum eſt ad Hippocratis aphoriſmum conſiderandũ deſcendere, cuius ſententiam in præſentiarum aſſequi facillimum erit. primo igitur inquit,

τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. ideſt, Septenorum quartus eſt index.] Nam die quarto indicia ſumuntur de his quæ in ſeptimo futura ſunt, ſi in ſeptimo iudicium fieri debeat, aut etiam nihil à natura immutandum ſit: mirandumq; hic eſt de Oribaſio, qui dicat, per inuerſionem ab Hippocrate maiorem numerum minori eſſe præpoſitum, ſepti

mum inquam quarto, & hoc esse aliquando doctorũ uirorum. Sed quo ad sensum, nulla inuersio est: imò in sensu, minor maiorem præcedit. nam nomina & uerba transposita idem significant iuxta Aristotelis sententiam secundo De interpretatione libro.

ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. idest, Alterius septimanæ octauus principium.] Hoc ab Hippocrate necessariò erat edocendum: quia tertia septimana incipit ab ultimo die secundæ: secunda uero statim incipit post ultimum diem primæ.

Hic Oribasius dubium facit à nobis superius solutum: Quum iudicatio in die impari fiat, cur in decimoquarto fieri dicat, qui non est impar? Respondet, Decimum quartum compositum esse ex septem & septem, qui sunt impares. Sed hæc uana sunt: nam iudicatio & in paribus & in imparibus diebus fit secundum ęgritudinis motum: nec sequitur, decimum quartum esse imparem, uel alium quemlibet numerum, quamuis ex duobus imparibus resultet.

Θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. idest, Est autem & undecimus contemplabilis: ipse enim quartus est alterius septimanæ.] Hæc est nostri antiqui codicis prima lectio. Secunda cum Aldino ita habet, τῆς δευτέρας ἑβδομάδος, idest, Secundæ septimanæ: quamuis idem ferè uideatur dicere, Alterius septimanæ, & secundæ septimanæ. Est uero contemplabilis, idest indicatiuus. Nam in hac secunda septimana, ita se habet ad suum finem, qui est decimus quartus, sicuti se habebat ad septimum quartus.

Θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης. idest, Rursus uero & decimus septimus contemplabilis, siquidem quartus est à quartodecimo, septimus uero ab undecimo.] Oribasius in hoc loco de decimo quinto agit, de quo nullam mentionẽ fecit Hippocrates, imò ipse ita refert Hippocratis uerba, Inspiciendus est & quintus decimus dies: hic enim tertiæ septimanæ cõtemplatorius est. Sed nos in nullo codice Hippocratis Græco hæc uerba inuenire potuimus: imò & si Galenus quintum decimum diem quandoq; iudicatorium faciat, tamen nunquam illum facit cõtemplabilem. Dicit uero Hippocrates, decimum septimum esse quartum à quartodecimo, ut edoceret quartum decimum esse primum, à quo incipit enumeratio, nullam uero fecit uigesimi mentionem: quia sicuti in prima septimana quartus erat indicatiuus septimi, & in secunda septimana undecimus, qui erat quartus secundæ septimanæ, erat indicatiuus decimi quarti: ita censendum est de decimo septimo, quum sit quartus à uigesimo, qui est finis tertiæ septimanæ, quod indicet quid futurum sit in uigesimo. Ideo relinquit uigesimũ tanquam manifestissimum diem iudicatorium, à decimo septimo secundum ordinem aliorum indicatum. Sed de tertia septimana unde inciperet, quia dubium erat: propterea & in principio, & postea hoc annotare uoluit. Oribasius Hippocratis seriem diffusius refert. Nam ipse sequitur in suo Hippocratis contextu (quamuis sint diuersi aphorismi) considerandus & uigesimus primus, & uigesimus quartus, & uigesimus septimus. Similiter uero trigesimum primum, trigesimum septimum: necnon quadragesimum, quadragesimum quartum, & quadragesimum septimum inspicere oportet. Sed hæc ab Hippocrate non dicitur.

Quidam uero ex recentibus, cui nomen est Federicus Chrysogonus, ausus est in Hippocratem & Galenum absq; ratione debacchari, capite quinto De prognosticis ægritudinum per dies iudicatorios, & potissimum Hippocratẽ in hoc loco reprehendit, quem dicit non posuisse theoricam in pręsentiarum de diebus iudicatorijs, sed confusionem. Primo ad uerbum refert Hippocratis uerba, postea dicit, Omnia esse uoluntarie dicta, & absq; ratione instituta: primo quia secundam septimanam non ponit continuatam cum prima, sicuti tertiam septimanam secundæ continuam facit, & hoc est primum inconueniens secundum hunc uirum. Secundũ inconueniens est, quod undecimus est quartus decimi quarti, qui est & quintus ab ipso septimo. Eadem ratione, quartus tertiæ septimanæ, qui est decimus septimus, deberet esse quintus à decimo quarto: tamen posuit esse quartum, & non quintum. Tertium inconueniens, quod absurdius putat esse, quòd hæc iudicialiũ dierum diuisio adęquate non conuenit cum lunæ cursu, quo ad eius aspectus; & minus conuenit cum particularibus horis accessionum tertianæ acutæ, quæ habet motum de tertio in tertium, uel eiusdem proportionem

tionem, qui circuitus applicandi sunt ad lunæ cursus uel aspectus, cum gradu hora decubitus. Post hæc in Auicennam particulariter inuehitur, cuius tempore astrologia extabat: tamen addiscere noluit, sed incedere uoluit secundum experientiam scientiæ sensatæ, ut eius uerbis utar: ideo errat Auicenna, quia per posteriora, & per effectus scire uoluit, & non per causas adæquatas. Postea Galenum reprehendit, qui dies, quibus luna silet, auferendos esse uoluerit: imò, inquit, tunc maximè agit, quia maximo luminari iuncta est: propterea magnos effectus producit.

Nos uero admiratione afficimur, quomodo aliquis absq; maximis & certis rationibus in tam summos uiros, & à toto seculo comprobatos inuehi audeat. Vidistis quibus rationibus moueatur, & quàm leuibus argumentis tam celeberrimos uiros reprehendere putet. Ad primum eius inconueniens, Hippocrates necessarium esse arbitratur, & hoc experientia duce, primam septimanam à secunda distinctam esse, tertiam uero secundæ in ultimo die coniungi, ut uigesimus dies finis tertiæ septimanæ efficeretur, quem ferè semper Hippocrates iudicare uidit, & Galenus longa experientia comprobauit. Ad secundum inconueniens, ipse id putat inconueniens, quod Hippocrates & uerum & necessarium esse iudicat: nam undecimus est quintus à septimo, & decimus septimus est quartus à decimoquarto, quia in diuersis locis sua initia sumunt. Ad tertium inconueniens Galenus ostendit, quodammodo diebus lunæ cõuenire, tamen uel conueniat, uel non conueniat, nihil refert: quia Hippocrates uel lunã uel eius motum nunquam considerauit, sed solum euidentibus experientijs ductus, illa omnia prodidit de diebus iudicatorijs quæ hinc inde sparsa inueniuntur. Imò unum hic esset aduersum Chrysogonum disputandum, quid intelligat per horam decubitus, quam considerari iubet: nam uel intelligit præcisum morbi principium, uel sensibilem læsionem. Si principium illud exactum intelligit, id ferè impossibile scitu est, & nondum est pugna naturæ cum materia: propterea enumeratio inde incipere non debet. Si uero intelligat læsionem sensibilem, quomodo recte iudicare poterit per lunæ cursum, quia principium ægritudinis præcisum unum habet aspectum, secundum quem si iudicet, contrarium fortè præ se feret, quàm si iudicet secundum aspectum, qui in læsione sensibili erit. Propter hæc, illa recentiorum ambiguitas prætermittenda non est, qua ambigere solent, unde medicus ægritudinis dies computare incipiat, an à sensibili læsione uel ab exacto principio. Nos Galenum in libro De diebus iudicatorijs, sequentes dicimus, Quum medicus sit sensualis artifex, nihil iudicare debet, nisi sensibiliter percipiat: propterea à sensibili læsione computum exordiendum censemus. Illos uero non audimus, qui à decubitu incipiunt, nisi per decubitum, sensibilem læsionem intelligãt: quia multi sunt, qui per aliquot dies sensibiliter læduntur, tamen non decumbunt: unde medicus dierum computum ab hora illa incipere debet, qua naturæ pugna cum materia incepit. Hæc autem hora quandoq; est hora decubitus, quandoque non est: tamen semper est hora sensibilis læsionis. Nam statim quum pugna incipit, sensibilis læsio percipitur.

Ad id quo Auicennam reprehendebat, dicimus, Auicennam simul cum Hippocrate & Galeno uoluisse iudicium fieri debere, ut sensu & experientia compertum est, & non secundum lunæ motum. & quod dicit, Auicennam ignorasse astrologiam, quæ extabat suo tempore, & non tempore Hippocratis, absurdum est: nam & Hippocratis tempore astronomia in magno usu erat: & illam nouit egregie Auicenna: at fatuitates illas despexit, quas hic uir sequi tentat.

Ad id inconueniens quod in Galenum fecit, superius dictum est, scilicet Galenum abstulisse dies illos, ut rationem dierum iudicatoriorum cum luna saluet: non tamen quod ipse lunam in suo numero curet.

GALENVS

INDICES & contemplabiles solet Hippocrates nominare dies, in quibus aliquod signum apparet futuræ iudicationis indicatiuum in altero aliquo iudicantium dierum, quos ipse in Prognosticis, unamquanq; septimanam in duas diuidens partes, per quaternarios digessit. Primum itaq; quaternarium septimi diei ab initio indicem esse ait: undecimum autem quartidecimi, quoniam & hic secunda septimana in duas par-

tes diuisa prouenit. Eadem ratione, & decimus septimus uigesimi est index, quoniam ex diuisione tertiæ septimanæ in duas partes efficitur, nisi quòd hanc tertiam septimanam secundę coniungit, quãuis primam à secunda separauerit. nam eius initium diem octauum esse dixit: non tamen tertiæ quintum decimum, quemadmodũ nonnulli post ipsum existimarunt, quoniam neq; uigesimum primum pro termino statuit: sed principium quidem tertiæ septimanæ quartum decimum, finem autem & terminum uigesimum. Cur uero duas primas septimanas secundum disiunctionem inuicem ordinauerit, tertiam uero secundæ secundum continuitatem, in libro De diebus iudicatorijs docuimus. Quantum uero ad præsentia, sufficiat etiam sine causa nouisse quod experientia comprobat. Et ipse uero Hippocrates plurimos ægros tali ordine dierum iudicatoriorum, & in libris Epidemiarum scripsit fuisse iudicatos. Dixi autẽ secundum talem ordinem ex quo primæ tres septimanæ ad uigesimum, sequentes uero tres ad quadragesimum perducantur. Sic enim & sexagesimum & octuagesimum diem iudicatorios habebimus, hos pariter ipsos experientia confirmante, quemadmodũ in libris De diebus iudicatorijs ostendimus, illos qui in libris Epidemiarum notantur iudicari secundum talem dierum ordinem describẽtes. Illos uero ægros longum esset hoc in loco sermone complecti. Sufficiet aũt sola ex Prognosticis uerba in hunc modum se habentia subscribere. Febres iudicantur in eisdem numero diebus, ex quibus etiam homines liberantur, & pereunt. Nam mitissimæ febres, & quæ tutissimis signis incedunt, quarto die finiuntur, uel antea: pessimæ autem & grauissima signa præseferẽtes, quarto die interimunt, aut prius. Primus igitur earum insultus ita terminatur. Secundus uero ad septimum ducitur. Tertius ad undecimum. Quartus ad quartum decimum. Quintus ad decimum septimum. Sextus ad uigesimum. Hi igitur per quatuor ex acutis ad uigesimum, ex adiectione finiunt. Hæc uerba ostendunt manifeste quòd tertiam septimanam per continuitatem secundæ annumerat, & quòd decimam septimam indicem facit uigesimæ.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, idem esse ἐπιδήλους καὶ θεωρητούς, idest, indices & contemplabiles dies, & quid sint.

Quod legitur, In altero aliquo iudicantium. Græce est, ἐν ἑτέρᾳ τινὶ τῶν μελλουσῶν ἡμερῶν. idest, In altero quodam futurorũ dierum. quamuis codex Aldinus dicat, κρινουσῶν ἡμερῶν. idest, Iudicantium dierum. tamen cõuenientius est legere Futurorum, quàm Iudicantium.

SECVNDO, ordinem dierum assignat: de quo superius uerba fecimus.

TERTIO, alicui rationi non fidit, nec aliquam afferre uult, præter experientiam.

QVARTO, Hippocratis sententiam refert de febrium iudicatione. Omnia luce clariora sunt.

Vbi legitur propè commentationis finem, Pessimæ autem. Græce est, κακοηθέσταται. idest, Quæ in pessimam consuetudinem abiere.

Vbi etiam legitur, Primus igitur earum insultus. hæc particula Insultus, Græce est ἔφοδος.

Vbi etiam legitur, Ex adiectione: Græce est, προσθέσεως.

Nunc uero non erit ab re, ea referre quæ ab Hippocrate dicuntur primo De epidemijs libro, ubi pares & impares dies iudicatorios enumerãs, inquit: Mala uero quę diebus paribus grauant, paribus etiam decernunt: primusq; dies decretorius paris circuitus, est quartus, sextus, octauus, decimus, decimus quartus, uigesimus, uigesimus quartus, trigesimus, quadragesimus, quadragesimus quartus, sexagesimus, octuagesimus, centesimus, ducentesimus. Circuitus autem non paris, primus est, tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus septimus, uigesimus primus, uigesimus septimus, trigesimus primus. Quare scito, si aliter quàm scriptum est, decernant, mala reditura, perniciosaq; fore. Mentem etiã adhibeto, & scito, decretoria quæ his temporibus fient, semper fere ad salutem, uel ad melius tendere: quæ uero his tẽporibus non decernent, ad perniciem

ad perniciem, uel ad peius: præterea, febres erraticæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, nonariæq́, quo circuitu decernant, obseruato.

APHORISMVS XXV

AEstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maxime quæ hyemem attingunt.

BRASAVOLVS

ETSI hic sermo de quartanis solum dictus esse uideatur, tamen in summa de omni morborum genere edocemur, quod æstiuo tempore breuior erit, quàm in alio quocunq́ anni tempore. In autumno uero erit longior, & tanto magis, quanto autumnus erit hyemi propinquior. Hippocrates uero in longissima febre exemplum tribuit, per quam Galenus omnia alia morborum genera intelligenda esse uoluit.

Celsus in fine octaui capitis secundi libri aphorismum ita refert, Quartana æstiua breuis, autumnalis ferè longa est, maximeq́ quæ cœpit hyeme appropinquante. Superius etiam in eodẽ capite dixerat, æstiua quartana ferè breuis est. Oribasius hoc modo aphorismũ introducit, Absoluens rationem criticorũ dierum, eam ostendit in affectibus, & incipit à quartanis. Philotheus uero ita introducit, ἐν τῷ ἀνωτέρῳ ἀφορισμῷ πρόνοιαν ἐποιεῖτο τῶν ὀξέων νοσημάτων, ἐν τούτῳ δὲ περὶ συνέχειαν τῶν χρονίων. idest, In superiori aphorismo acutorum morborum prouidentiam fecit, in hoc autem per continuationem, diuturnorum.

οἱ θερινοὶ τεταρταῖοι. idest, Æstiuæ quartanæ.] Hoc est quartanæ illæ quæ æstate fiunt. Hippocrates tempus docens, quo quartanæ fiunt, & ætates, in fine libri De hominis natura, ubi de febribus agit, inquit: Quod autem febres quartanæ, atræ bilis participes sint, hac re tibi patebit, quòd homines autumnali potissimũ tempore, & in ætate uiginti quinq́ amorum usq́ ad quadragesimum quintum annum, quæ ex omnibus ætatibus maxime atra bile detinetur, corripiuntur quartanis, quibus autumnus inter omnia alia anni tempora expositissimus est. Quos igitur ultra citra'ue id tempus, ad eam ætatem quartana accesserit, pro comperto habere debes, hanc febrem minime diuturnam fore, nisi quid aliud homini officiat. Scito autem, non ideo dici fieri in autumno, quia alijs temporibus non fiant, & alijs ætatibus: sed quia ut plurimum in autumno, & in hac ætate fiunt. nam ut Aphorismorũ libro dicetur, Omnes morbi in omnibus temporibus fiunt, & excitantur, quidam uero in aliquibus, & in autumno quartanæ merito fiunt, quia tempus est humori proportionatum: nam sicut atra bilis, à qua fit, frigida est & sicca, ita autumnale tempus frigidum est & siccum: ob cuius proportionem, atram bilem generari conueniens est, & præsertim quia tempus æstiuum præcessit, in quo humores multum sicci generantur. Quod autem ab Hippocrate dicitur, Fieri à uigesimo quinto anno usq́ ad quadragesimũ quintum, ideo est, quia in hac ætate ob caliditatem humores exiccãtur: nec mirum, quod raro fiant in senio, quamuis senium frigidum sit, atq́ siccum, quia ob caloris paucitatem non corrumpuntur: tamen si senioribus aduenerint, periculosiores sunt. Aetius uero libro quinto, capite octuagesimo secundo Hippocrati aduersari uidetur. Hippocrates enim præcitato libro & in libro De hebdomadibus, cuius principiũ tantum extat, uult, quartanam in uigenti ætate plurimum fieri, in alijs ætatibus raro: ideo dicebat, A uigesimo quinto usq́ ad quadragesimum quintum fieri. Aetius uero uult, ipsam esse peculiarem magis ætate declinantibus. Sed re uera deceptus est Aetius, quoniam experientia ostendit illam raro declinantibus contingere, uigentibus uero frequẽter: forte ob prædictam rationem, quia in his frigidis ætatibus, humor non facile corrumpitur, & quia in declinãti ætate multa humiditas adest, quę & si ratione ętatis non adsit, adest saltẽ per accidens. At unum aliud in hoc loco annotabimus: Hippocratem in libro De hebdomadibus scriptum reliquisse, Homo quartana bis non laborat, neq́ laborauit unquam, neq́ laborabit, si semel euadit: propterea secundum singulorũ naturam ætate uigenti fit. Quod absurdum esse, quotidiana experiẽtia ostendit: nam aliqui, & ter & quater quartana correpti sunt.

Nos quartanam bis incidimus,ſed breui liberi euaſimus. Hinc fortè noſtrum uulgus ſuam illam ſententiam accepit, Si quis ſemel quartana correptus ſit, poſſe quidem ſecundo & tertio corripi,ſed breui duraturam: & nos,ſecunda uice ſex ſolum periodos habuimus. Scito etiam Galenum non modo hic,ſed & in libro De iudicationibus, capite tertio,hunc aphoriſmum in omni morbo intellexiſſe.

Quid uero per ęſtiuas quartanas intelligendum ſit, explicare oportet, ut facile aphoriſmi ſententia pateat. Æſtiuas illas intellige, quæ in æſtate fiunt, uel in æſtate ſunt. nam Galenus præcitato loco, de morbis factis in ęſtate non loquitur, ſed de exiſtentibus in æſtate: & ratio ex hac Commentatione habetur, quia æſtiuo tempore omnes inutiles humores per corpus uniuerſum funduntur, & ſubtiliantur, ac reſoluuntur, & per inſenſibiles uias difflantur, quæ uiæ & ipſæ raræ & apertæ ſunt: propterea æſtiuo tempore ægritudines omnes breuiores ſunt: ideo de æſtiuis locutus eſt. Hippocrates uero in libro De morbis qui extra, particulariter de æſtiua quartana uerba facit, primo de tertiana ſermonem fecerat: Si hæc (inquit) non curetur, quartana fieri conſueuit, & longa. Vbi oppoſitum dicere uidetur, quàm hic dicat. Ibi enim loquitur, In æſtiuo tempore: tamen dicit, Fieri quartanam longam: ſed hoc intelligendum eſt in ſuo genere, quia longior ſit, quàm fieret, niſi tertianam ſecuta eſſet. Fiunt enim quartanæ quandoq; repente, & nullum morbum conſequuntur, & incipientes quartanę nuncupantur: quandoq; alium morbum ſequitur, & potiſsimũ febres erraticas, ideſt eas quæ ordinem non ſeruant. Illæ febres quæ incipiunt quartanæ, ut plurimũ (experientia teſte) breuiores ſunt, quàm illæ quæ morbum alium conſequuntur: tamen & has quandoq; diutinas uidimus. Cauſa uero cur breuiores ſint, in promptu eſſe poteſt, quia ob præcedentem ægritudinem uires imbecillas inuenit, & atræ bilis copiam exaggeratã, quia febres illæ erraticæ ob diuerſas heterogeneas materias fiunt: nec dicere cõuenit, uis in non febriente non fuit ſatis ad euitandum quartanam, quin ſuperueniret, Igitur à maiori cauſa facta eſt hæc incipiens, quàm illa quæ morbum alium ſequitur. Reſpondemus, Fortè ab intenſiori cauſa facta eſt, ſed à minori: quia etiam robuſtæ ſunt uires, & minor materiæ copia. Adde, hanc incipientem quartanam ut plurimum fieri ab atra bile naturali: alias ab atra bile per aduſtionem alicuius humoris. Sunt autem omnium longiores, ut Rufus inquit, Aetio libro quinto capite octuageſimo ſecundo referente, illæ quæ uitio lienis fiunt.

τὰ πολλὰ, uel ὡς τὰ πολλά. ideſt, Magna ex parte.] Quod ab Hippocrate additur, Quoniam non eſt perpetuo uerum, æſtiuas quartanas breues eſſe: tamen ratione qua æſtiuæ, breuiores ſunt. Vnde opus eſt ſemper eadem eiſdem comparare. Nam fieri poſſet argumentum probans æſtiuas quartanas eſſe longiores aliis, quia à fortiori cauſa fiunt: nam ſicuti ignis fortior eſt, qui aqua accenditur, ita glacies ſolidior eſt quæ ſole non liqueſcit. ſed æſtas prohibere non potuit, quin hęc quartana non fieret: igitur à fortiori cauſa facta eſt. & hoc ex eo etiam ſuaderi poteſt, quia eſt tempori improportionata, nempe non eſt æſtiua febris quartana, ideſt propria æſtati, ſed autumno. Imò caſus quidam addi poſſet. Si Socrates à pauca materia quartanam incidat in autumno, Plato autem à multa in æſtate, certum eſt Socratis, quàm Platonis breuiorem eſſe quartanam. His igitur & omnibus ſimilibus argumentis reſpondendum eſt, ſingula ſingulis ſemper eſſe per proportionẽ comparanda, ut ſi à pauca materia fiat in autumno, à pauca etiam fiat in æſtate: ſi à multa in autumno, à multa etiam in æſtate fiat: ſi ab urgente cauſa in æſtate, ab urgente etiam in autumno. Ita igitur comparantes, ſemper æſtiuæ quartanæ omnibus aliis breuiores erunt. Semper igitur ad ſimilia argumenta dicas, æſtatem has febres abbreuiare. Quod ſi ab urgente cauſa, & à multa fiat, tamen quantũ ſit ratione temporis & æſtatis breuior eſt. Oribaſius quatuor cauſas refert, cur ſint in æſtate breuiores: primo, quia ſunt à bile peruſta. Secundo, quia æſtate generantur. Tertio, ſi fuerit ſanguis detractus. Quarto, ſi crapulis non indulſerit. Sed duæ ultimæ cauſæ ad rem ipſam nihil faciunt. At Philotheus has cauſas refert, ὅτι ἡ τοῦ περιέχοντος θερμασία λεπτύνει τὴν ὕλην, καὶ ἀραιοῖ τοὺς πόρους, καὶ διαφορεῖ αὐτήν. ideſt, Quoniam ambientis, ſcilicet aeris, caliditas materiã attenuat, & poros aperit, & diſcutit ipſam. Videturq; Philotheus per æſtiuas quartanas illas ſolum intelligere, quæ æſtate fiunt. Nam dicit,

αἱ θερινοὶ τεταρταῖοι, τουτέστιν οἱ ἐν τῷ θέρει γινόμενοι. idest, Æstiuæ quartanæ: hoc est, Quæ in æstate factæ sunt.

οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροί. idest, Autumnales uero longæ.] Tum quia sibi propriæ, tum quia ob trāsactam æstatem uires imbecilles: tum quia non mouentur amplius materiæ inutiles per totum corpus, neq; attenuantur, neq; euaporant, neq; aperti sunt insensibiles humani corporis meatus, neq; difflantur hæ materiæ. Idem fere dicit Philotheus, & per autumnales illas intelligit quæ in autumno fiunt: nam dicit, οἱ μὲν τοι φθινοπωρινοὶ, τουτέστιν οἱ ἐν τῷ φθινοπώρῳ γινόμενοι. idest, Autumnales uero, hoc est, quæ in autumno fiunt. Oribasius autem multas causas reddit, cur autumnales longæ sint, inquiens, Multę res conueniunt in unum: primum quia ex melancholica fiunt materia, quæ in autumno crescit: deinde, si crapulis uacauerit ægrotus: inde si uenam non inciderit: quartum, si sit in tali ætate: postremo, si hyemem attingant. Sed hæ non sunt causæ, quæ à tempore procedant.

καὶ μᾶλλον οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες. idest, Et maxime quæ hyemē attingunt, uel quæ hyemi coniungunt.] Nam eo tēpore insensibiles meatus sunt minus aperti, & frigiditas ac siccitas maior est, quàm in alia autūni parte, & hæ febres proprie autumnales uocantur, quia ad autumnum pertinent: nam ut Galenus docet quarto libro De ratione uictus in morbis acutis: ubi Hippocrates in contextu dicit, Si in febre hyemali, & cætera. Galenus notat, ab aliquibus dici febrem hyemalem illam quæ fit in hyeme: alij eam quæ hyemi peculiaris sit. Ita in proposito hæc quartana est autumnalis, id est autumno peculiaris. At non est hyemalis quartana, quamuis nonnunquam hyeme fiat. Philotheus etiam dicit, illas esse longiores quæ hyemem attingunt, διὰ τὴν ψύξιν, καὶ διὰ τὸ πυκνοῦσθαι ἀπὸ ψύξεως τοὺς πόρους, καὶ διὰ τὸ παχυτέραν εἶναι τὴν ὕλην. idest, ob frigiditatē, & quia densantur à frigiditate meatus, & quia materia crassior est. Quartana igitur, & omnes alij morbi cæteris paribus breuiores sunt in æstate, quàm in quocūq; alio tempore. Si deinde alia tempora inuicem comparare uoluerimus, quartana, & omnes alij morbi qui uere fiunt breuiores sunt, quàm qui in alijs temporibus dempta æstate. At hyemem autumno comparantes, autumnus breuiores morbos habet, quàm hyems: quia frigiditas in hyeme maior est, & ex consequenti obstructio maior, & materia crassior.

Quod uero à recentioribus in aphorismum, & Galeni intellectionem obijcitur de ethica primæ & secundæ speciei, quæ facilius sanatur in hyeme, quàm in æstate, & breuius. Etenim per solam infrigidationem & humectationem sanatur. Sed hæ qualitates facilius in hyeme, quàm in æstate introducuntur. Dissoluendum est, Hippocratem & Galenum in morbis materialibus intelligendos esse. Ethica autem non est materialis morbus. Id uero contra hanc solutionem facit. Quod conuulsio ex siccitate facilius & breuius curatur hyeme quàm æstate, tamen est materialis morbus. Et si dicas, hoc conuulsionis genus non curari: nos accipimus, conuulsionem non confirmatam.

Arguunt & recentes de mala temperatura frigida mortali, quæ breuius in hyeme, quàm in æstate interficit. Arguunt & de attonito morbo, qui fit & maior & breuior hyeme, quàm æstate: nam hic morbus suffocando interficit: sed hyeme facilius suffocantur, quàm æstate: nam hyeme insensibiles meatus occlusi sunt. Arguunt & de morbis calidis & siccis, qui facilius in hyeme curantur, quàm in æstate, & ex consequenti breuius. Verumtamen ne in his nugis tempus conteratur, Hippocratis aphorismum in omnibus simpliciter non intelligimus, sed solum in maiori parte. Itaq; maior morborū pars æstate breuior est, quàm in alijs temporibus. Sed hic dubium à Philotheo mouetur, εἰ δέ τις ἀπορήσει λέγων, καὶ πῶς ἐν θέρει γίνεται τεταρταῖος, ὅπου θερμασία καὶ διαφόρησις; λέγομεν, ὅτι ὅσον ἐν τῇ ὥρᾳ, οὐκ ἔδει γενέσθαι, πλὴν διὰ τὴν δίαιταν γίνεται. ἡ γὰρ θερμασία παχυτέρας καὶ γεώδεις τροφῆς δραξαμένη, οἷον κραμβῶν, ἢ βοείων κρεῶν, καὶ τῶν τοιούτων, μελαγχολικὸν χυμὸν γεννᾷ, κἀντεῦθεν τεταρταῖος γίνεται. idest, Si autem quis dubitabit, & quomodo in æstate fit quartana in qua caliditas & discussio? Dicimus, quod ratione temporis fieri non debet, tamen propter genus uictus fit: caliditas enim nutrimentū crassum & terreum nacta, ut brassicarum & bubulæ carnis & similium, melancholicum humorem generat, & hinc quartana fit.

GALENVS

NON SOLVM quartanæ breues æstate fiunt, sed & ægritudines aliæ. Propterea quòd humores funduntur inutiles, & per totum corpus feruntur atque difflantur. In quibus igitur uires ualidæ sunt, noxijs humoribus euacuatis, morbi cessant. In quibus uero sunt imbecilles, unà cum ipsis euacuatis & ipsæ dissoluuntur. Quare non absque ratione nulli morbi æstate sunt longi. Hippocrates uerò de solo omnium longissimo fecit mentionem, ueluti exemplo de omnibus alijs ex isto pronuntians. Sicuti uero æstate, & discuti humores, & uires dissolui contingit. ita hyeme contraria eueniunt, & humores intus remanere, ueluti latibulis incubantes, & uires seruari robustas. Neque igitur morbi soluuntur, manentibus his qui eos efficiunt humoribus, neque ægroti moriuntur, uiribus interim sufficientibus.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus aphorismum ampliat ad alias ægritudines, non tamen ad omnes, ut superius uisum est, sed ad maiorem partem.

SECVNDO, aphorismi rationem ponit, quia humores inutiles funduntur per totum corpus, attenuantur, & difflantur.

TERTIO, in habentibus robustas uires documentum ponit, inquiens: In his, euacuatis humoribus sanantur: in habētibus uero imbecilles uires, simul & humores euacuantur, & uires dissoluuntur, ideo frequenter moriuntur; quandoque sanantur, sed imbecilliores effecti. Vnde hinc sumi potest argumentorum in aphorismo factorum solutio, quòd æstate etiam morbi ex humoribus siccis facti, modo adsit materia, citius sanantur, propter difflationem per totum corpus, & resolutionem.

QVARTO rationem reddit, cur de omnium longissimo morbo mētionem fecit, idest quartana, ut per hanc omnes alios intelligeremus: quia ex topica regula, Si de quo minus uideretur inesse, inest: igitur & de quo magis.

Quod legitur, Pronuncians: Græce est, ἐνδεικνύμενος. idest, demonstrans.

QVINTO dicit, sicuti in æstate humores discutiuntur & difflantur, & per uniuersum corpus diffunduntur, & uires dissoluuntur, hyeme contrarium fit: nam humores sistuntur, & manent tanquam in latibulis cubantes, & uires robustæ seruantur, tamen ægri non sanantur, & si uires robustæ sint: propterea rationē addit, inquiens, Non solui morbos, quia humores permanent, qui morbos faciunt. Si uero dicas, Igitur mori deberent, quia morbi perseuerant. Galenus respōdet, Non mori ægros, quia uires sufficiunt, nec dissoluuntur ab hyeme, sed potius robustiores euadunt.

Quod legitur, Incubantes: Græce est, φωλεύοντας. idest, latitantes.

APHORISMVS XXVI

Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem.

BRASAVOLVS

CONVVLSIO quæ à Græcis σπασμὸς nuncupatur, ab Oribasio ita definitur, esse motum inuoluntarium uoluntaria obtinentem loca: & à Philotheo idem dicitur, σπασμὸς δέ ἐστι κίνησις ἀπροαίρετος ἐν προαιρετικοῖς ὀργάνοις γινόμενος. Qui duplex est: ex repletione, & inanitione: ut Hippocrates deinceps edocebit, & in fine libri De morbis qui intus. Est uero ex repletione conuulsio, quoties neruus aliquis pituita adeo plenus est, ut incrassescat & cōtrahatur atque abbreuietur, sicuti fidiculis, idest citharārum chordis contingit, quum in loco humido seruantur, implentur & abbreuiantur, adeoque extenduntur, ut quandoque frangantur. Nostris neruis idem cōtingit, quum materia implentur, quæ potissimum humida est, frigida atque glutinosa, quæ multo calore indiget, si resolui debeat. Ideo ab Hippocrate dicitur,

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γίνεσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ. idest, Febrem in conuulsione melius est fieri, quàm conuulsionem in febre.] Oribasius atque Philotheus eandem de

dem de duplici cõuulsionis specie distinctionem ponunt. Melius uero est, febrem conuulsioni superuenire, quoniam febris has materias exsiccat. Conuulsio uero ex inanitione ob siccitatem fit, quoties nerui adeo exsiccãtur, ut ad suum principium tendant. In hoc casu non est opus superuenire febrem, quia febris nimium exsiccat: & etiam si conuulsio febrem sequatur, iudicandum est conuulsionem ex inanitione potius esse, quàm ex repletione. Hippocrates igitur de cõuulsione ex repletione intelligit, melius esse superuenire febrem, quàm febri superueniat conuulsio. Vel Hippocrates ostendere uoluit, Si conuulsio ante febrem ueniat, esse minus periculosam, quàm si febrem sequatur: nam si febrem sequatur, est ex inanitione, præsertim si febris intensa sit. Si uero febrem præcedat, signum est, conuulsionem esse ex repletione. quoniam (ut à Galeno dicitur) conuulsio quæ fit sine febre, repente contingit: quæ autem repente contingit, necessarium est fieri ex repletione. nam quæ fiunt per euacuationem & siccitatem, paulatim fiunt: etenim neruus arescit, & facilius est conuulsionem ex repletione sanare, quàm ex inanitione, ut in Galeni commentatione ostendemus. Oribasius etiam docet, Hippocratem intelligendum esse in conuulsione ex repletione: nam affectus affectum curat, idest febris conuulsionem curat. Quod solum uerum est in cõuulsione ex repletione. In conuulsione uero ex inanitione, affectus est affectui calamitas: nam si febris superueniat conuulsioni ex inanitione, magis crescit conuulsio, & æger moritur. Vnde in secunda parte aphorismi secundum Oribasium & ueritatem, affectus est affectui calamitas. Philotheus etiam primam aphorismi partem in conuulsione per repletionem intelligit: nam dicit, conuulsionem fieri ἢ ὑπὸ πλήθει πληρουμένων τῶν νεύρων καὶ τοῦ ἐγκεφάλου, διατεινομένων αὐτῶν, ἢ ὑπὸ ξηρότητι συναυξανόντων τῶν νεύρων πρὸς ἄλληλα. ξηραινομένων γὰρ καὶ διατεινομένων ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἀρχὴν ἀνατρέχουσι, καὶ ποιοῦσι ἀπροαίρετον κίνησιν. βέλτιον οὖν φησὶν Ἱπποκράτης, ἐπὶ σπασμῷ γίνεσθαι πυρετὸν, ἢ τὸ ἀνάπαλιν. ἐπειδὴ ὁ πυρετὸς μέχρι βάθους χωρεῖ, εἰωθὼς ὡς τὰ πολλὰ θερμαίνειν καὶ λεπτύνειν καὶ διαφορεῖν τοὺς χυμοὺς τοὺς τὸν σπασμὸν ἐργαζομένους. idest, Vel ex repletione neruis & cerebro plenis: illis (scilicet neruis) extensis, uel ex siccitate adauctis neruis ad inuicem: exsiccati enim atque extenti in proprium principium recurrunt, & motum faciunt inuoluntarium. Hippocrates igitur dicit, Melius in spasmo fieri febrem, quàm econtrario: nam febris usque ad profunda procedit, consueta ut plurimum humores conuulsionẽ facientes calefacere & attenuare & discutere.

Quid uero per σπασμὸν, idest conuulsionem intelligere oporteat, iam satis dictum est, si addiderimus, Hunc aphorismum ad omnem neruorum plenitudinem ampliari, etiam si conuulsio non fit: unde Galenus in expositione secundi Prorrheticorum libri dicit, Aphorismum habere ueritatem in omnibus neruorum affectibus, qui ab humidis, frigidis & pituitosis humoribus fiunt, sicuti apoplexiæ, paraplexiæ: in omnibus enim his, febris superueniens iuuat. Et Hippocrates in fine libri De morborum decretorio, inquit, Neruorum dolore, conuulsione distentioneque correpto, si febris superueniat, discutit. Post hæc unũ addit, quod huic aphorismo oppugnare uidetur, inquiens, Conuulsio si febrienti superueniat die eodem, uel postero, uel tertio, febrem discutit. nos legendum putamus, Die eodem, uel postero, uel tertio ægrum mori: præsertim si conuulsio excellens fit: quod in dies in acutis morbis experimur. Quum enim propter febris intensionem conuulsio contingat, uel conuulsiui motus, cito moriuntur. Nec Hippocrates dicere poterat, febrem discuti: quoniam ex diuersis & contrarijs rebus, conuulsio ex inanitione & ex repletione curatur. Vnde Galenus nono De simplicium medicamentorum facultatibus libro, de castoreo agens dicit: At tu ab Hippocrate doctus, ex plenitudine pariter & inanitione conuulsionem sequi, ubi quidem quæ in neruis continentur præter naturam, euacuare consilium est, ibi & bibendum exhibe (de castoreo intelligit) & foris cuti castoreum impone: ubi uero ex siccitate nimia obuenerit conuulsio, scito hoc medicamen illic esse aduersissimum. Hippocrates libro quarto, aphorismo quinquagesimo septimo primæ partis, huius Aphorismi mentionem faciet, inquiens: Qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur. Quo in loco ex Galeno sumi potest & ipso Hippocrate, Aphorismum hunc ad distentionem etiam ampliandum esse. Quod manifestius

festius colligitur & de apoplexijs, paraplexijs & morbo comitiali; quarto libro De ratione uictus in morbis acutis, sectione uigesimaseptima. Scito etiam, tres esse conuulsionis species, uel modos. Vna est quæ à Græcis τέτανος, à Latinis distentio, & quandoque à Celso rigor uocatur: quamuis rigor sit uniuscuiusque speciei generale uocabulum: etenim membrum riget, neque in partem aliquam inclinatur. Secunda species ἐμπροσθότονος à Græcis dicitur, nos dicere possumus conuulsionem in pectus uel rigorem in pectus, Celso authore, uel cōuulsionem in partem consuetam: recentes uocant spasmum in partem domesticam, quoties membrum in partem in quam suapte natura inclinatur, contrahitur. Tertia species à Græcis ὀπισθότονος, à nostris conuulsio in scapulas, uel rigor in scapulas dicitur. Recētes spasmum in partem syluestrem appellant, quoties membrum in illam partem contrahitur, in quam natura non inclinatur. Hippocratis aphorismus in unaquaque harum specierū uerus est, si ex repletione sit melius esse conuulsioni febrem superuenire. Hæ uero tres species æque possunt ex inanitione fieri, sicuti ex repletione.

Si uero petas, quibus indicijs cognosci posit conuulsionem esse ex inanitione uel repletione, dicemus Galenum secuti, Conuulsionem quæ repente fit, quum aliquis est prius sanus, neque est euacuatus, ex repletione esse iudicandum est. Paulus Ægineta libro tertio, capite decimo nono addit, Quando fit circa initium morbi, esse ex repletione, & quum diu perdurat. Si uero sequantur multos sudores, uel uomitus, uel alui deiectiones, uel sanguinis fluxiones, uel per nares, uel hæmorrhoidas, uel per uteri uenas, uel uigilias multas, uel famem, uel multos & uehementes motus, Hæc omnia sunt indicia, quod à uacuitate fiat conuulsio. Sed unum addit, Si à uehementi & adurenti febre fiat, ita ut cutis uniuersi corporis arescat, & nerui quoque arescant, hoc exitiosissimum iudicat. Propterea & hic Hippocrates dicit melius esse febrem cōuulsioni superuenire, quàm econtrario: nam qui conuulsionem ex inanitione habent non solum à febre non iuuantur, sed cito etiam intereunt: Philotheo de hac conuulsione dicente, ἀλλὰ ἐν τάχει καταλύει τὴν δύναμιν, καὶ ὀξὺν θάνατον ἐπιφέρει. idest, Sed breui dissoluit robur, & festinam mortem inducit. Scito præterea conuulsionem in uno particulari membro fieri posse, & etiam in toto corpore. In quibus omnibus uerus est aphorismus, siue uniuersalis sit, siue particularis conuulsio.

Si etiam petas, Nunquid ex febre posit fieri ex repletione conuulsio, fieri posse respondebimus, si contingat materias aliquas ob febrilem calorem eliquari, quæ eliquatæ neruos permeent, quos prius ob suam crassitiem permeare non possent.

Iterum ambigere poteris: Quum superius dictum sit, duplicem esse conuulsionem, ex repletione, & inanitione, quænam facilius in nostro corpore fiat. Respondebimus, homines in cōuulsionem ex repletione facilius incidere posse, quàm in illam de inanitione. Pro hac autem re intelligenda scito, in conuulsione de repletione nerui corpus humida materia, à natura nerui extrinseca impleri: in conuulsione uero de inanitione nerui substantia exiccatur. Ideo aliud est, quod in conuulsione de repletione additur: aliud quod demitur in conuulsione de inanitione: quoniam in hoc de inanitione propria nerui substantia demitur, & propria humiditas: in illa autem de repletione nonnihil extrinsecum additur, & humiditas aduentitia: & ideo conuulsio ex repletione nihil addit eius quod inanitur quando fit ex inanitione: & conuulsio ex inanitione nihil demit eius quod facit conuulsionem ex repletione. Quum uero facilius sit, aliquod extrinsecum addere, quàm auferre, quod proprium est: propterea facilius erit conuulsionem ex repletione fieri, quàm ex inanitione, & etiam sanari.

Sed argues conuulsionem ex inanitione esse siccam, siccitatem uero esse neruo similem, quippe qui siccus est: propterea facilius uideretur nerui conuulsionem ex inanitione incidere, quàm ex repletione. Respondemus, Et si siccitas quo ad nerui substantiam sit neruo similis, & tanta siccitas, non tamen siccitas extrema, qualis est illa conuulsionis: imò hæc siccitas neruum corrumpit. Humiditas uero in neruum facile recipitur, quia res siccæ humiditatem facile imbibunt.

Si uero addas: In septimo De arte curandi libro haberi, difficilius esse membrum aliquod, & corpus humectare, quàm exiccare: nam res facile exiccantur per applicationem

tionem rerum calidarum & ſiccarum:ſed ita facile non humeſcunt. Reſpondemus, In humano corpore, & in omni membro eſſe duplex humidum, ſubſtantificum, & aduentitium. Certum eſt, difficilius eſſe humectare humido ſubſtantifico, quàm hoc humidum exiccare:ſed facilius eſt humectare humido aduētitio, quàm exiccare: imò addendum eſt, humido ſubſtantifico humectare. Hic idem ſciret ethicam tertiæ ſpeciei ſanare: & hic idem poſſet naturali morti obuiare. Quum igitur Galenus dicit, difficilius eſſe humectare, quàm exiccare: de humido ſubſtantifico atq; radicali intelligit.

GALENVS

IPSE Hippocrates in ſequentibus dicet, conuulſionem fieri ex repletione & euacuatione. Quum igitur aliquem ſanum contigerit repente conuelli, huiuſcemodi conuulſionem fieri ex repletione fit neceſſarium. Et quidem nerui replentur à frigidis & glutinoſis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, unde conuulſionem patiuntur. Hiſce igitū febris ſuperueniens, ſolita eſt ex magna parte calefacere, extenuare atq; diſſoluere. Si uero ex febribus adurentibus totum corpus exiccetur, & neruis deinde ex ſiccitate conuulſio accidat, hoc maximum eſt malum & penè inſanabile, quoniam longum tempus exigitur ad ſiccitatem remouendam, ſed morbi acuties tempus non expectat, quin cito uires diſſoluit, & ſubito exitium affert.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, duplicem eſſe conuulſionem, ex repletione & inanitione.

SECVNDO ſignum ponit, quo cognoſcere poſsimus quando eſt conuulſio ex repletione, quum uidemus aliquem ſanum repente conuelli: iudicandum eſt eſſe ex repletione cōuulſionem. Quod autem Paulus addit, Vel fieri in principio morbi, uel parum poſt principiū, eſſe ſignum repletionis: hoc additur ad Galeni indicium, quoniam ille qui nuper ægritudinem incidit, prius ſanus eſt.

TERTIO, conuulſionis cauſam ponit: eſt uero quando frigidis & glutinoſis humoribus implentur, quibus etiam nutriuntur, ſi nimis ſuperabundent: ſcitoq; neruos nutriri frigidis & glutinoſis humoribus, quia ſubſtātiam illam habent. Eſt igitur ſuum nutrimentum frigidum & ſiccum, quo ad duritiem.

QVARTO docet, febrem magna ex parte, non autem ſemper poſſe iuuare, quia calefacit, extenuat atq; diſſoluit. Dicit uero, Magna ex parte: quia febris poſſet magis lædere, quàm conuulſio, & poſſet interficere. Imò quandoq; cōtingit febrem materias aliquas colliquare, quæ conuulſionem potius auget: propterea à Galeno dicitur, Magna ex parte.

QVINTO docet, quomodo ex febre conuulſio ex inanitione fiat: opus autem eſt eſſe febrem adurentem, & talem, ut totum corpus & etiam neruos exiccet: tuncq; conuulſio contingit, quæ penè inſanabilis eſt.

SEXTO cauſam aſsignat, cur ferè hęc conuulſio inſanabilis ſit, quia ad ſiccitatem remouēdam multum tempus exigitur: febris uero & hic morbus ſunt acuti. Ideo æger non poteſt multum tempus expectare, quin cito uires diſſoluat: propterea ſtatim exſiccare facit.

In hoc loco recentiores dubitationem faciunt, An in conuulſione de repletione medico febrem excitare conueniat. Primo, argumēta in ordinem ſtatuunt, quibus probant, febrem inferri non debere, quoniam morbi multiplicari non debent: nam morborum multitudo deterior eſt ſimplicitate. Omnis enim lęſio ex pluribus compoſita, maior eſt quàm ſimplex. Febrē igitur excitare non licet. Præterea, febrilis calor in conuulſionem ualere non uidetur, nec concoquendo, nec reſoluendo: non concoquendo, quia febrilis calor non concoquit: nec diſſoluendo, quia prius diſſolueret ſpiritus qui ſunt tenuiores, q̄ materiam quæ cōuulſionem facit. Imò eadem ratione conueniret in aſcite febrē excitare, quia reſolueret. Febrem igitur excitare non licet. Deniq; ſi conuulſio in manu uel in pede ſit, nocumētum non eſt toti corpori cōmune, ſed febris eſt nocumentū toti corpori cōmune. Igitur non excitanda. His præmiſsis, recētiores inquiunt, apud Hippocratē & Galenum febrem in cōuulſione de repletione excitādam

eſſe

esse: notantque intelligendum esse de febre quæ non faciat uel maius uel æquale nocumentū conuulsioni, sed minus quàm possit facere conuulsio: adduntque, febrem acutam excitãdam non esse, neque si in particulari membro sit conuulsio, neque si uniuersum corpus plenum sit, licet tamẽ post factam euacuationem. Sed oro te obsecroque per deos immortales lector, hic Hippocratem & Galenum cõsideres, nempe dispeream nisi cognoscas ab his uiris non dici, febrem excitãdam esse: sed id solum dicunt, Si sponte & non excitata superuenerit. Imò uanissimū uidetur, febrem in aliquo morbo excitare: quamuis Celsus in aliquibus excitari iubeat. Sed apud Hippocratẽ & Galenum nusquam in hoc casu excitãdam esse inuenimus. Imò (ut altius exordiar) non sunt media, per quæ hunc febris gradum, uel illum inducere possimus: quamuis febris facile induci possit; etenim nescimus an futura sit periculosa, uel mitis: plerunque continget talem febrem excitare, quæ ægrum interficiet: ut nonnullis usu uenit, qui uulnus inferre uolentes interfecere. Et si petas quæ sint illa quæ febrem inducere possunt: recentiores inquiunt esse illa quæ faciunt ad spiritus inflammationem, qualia anacardus, tyriaca antiqua, mitridatū, uinum tenue potens. Sed hæc nobis absurda uidentur: nam si quis paucam anacardorum quantitatem accipiet, non lędetur: si multam, peribit. Eodem modo si quis theriacæ aut mitridati parum insumpserit, non modo non incidet febrem, sed iuuabitur: si uero multum insumat, posset non modo spirituum inflammationem, sed & aliud grauius dispendium inferre, ut iecoris aut cordis inflãmationem. De uino si moderate sumatur, iuuat: si immoderate inebriat. Propterea non uidemus quomodo sit excitanda febris sine discrimine. Hi uero potius gingiber, pyretrum, piperque adducere debebant. Sed & hæc absque magno discrimine sumi nõ possunt: præsertim si in tanta sint copia, ut inflammare possint, & febrem excitare. Propterea nõ solum hæc non sunt copiose præbenda, sed nec febris excitanda: nec usquam ab Hippocrate uel Galeno scriptum reperitur, in conuulsione febrem excitãdam esse: at ipsi intelligunt, si sponte fiat. Vnde & Paulus capite uigesimo tertij libri dicit (de tetano, idest de distentione uel rigore totius agens) præsentissimum uero omnium præsidium, superueniens febris. At non dicit, quod excitari debeat. Et Celsus libro quarto, capite tertio, de horum rigorū curatione agens, de introducenda febre in hoc casu nullam mentionem facit. Imò octauo libri secundi capite, ubi docet febres aliquibus præsidio esse, de conuulsione loquitur, cui ipsa conuenit: tamen non dicit introducendam esse. Eius uerba hæc sunt: Denique ipsa febris (quod maxime mirum uideri potest) sæpe præsidio est. nam & præcordiorum dolores, si sine inflãmatione sunt, finit, & in iocinoris dolore succurrit, & neruorum distentionẽ rigoremque, si postea cœpit, ex toto tollit. Tamen non dicit, excitandam esse. Si uero ipsum adducas libro tertio, capite nono, qui in lenta febre, febrem excitare iubet. Nam inquit, hunc frigida aqua cum oleo aspergẽdum ut febris crescat, & mutet naturam: nam putat tunc facilius curandã, quia acutior efficitur, acuti uero morbi citius sanantur. Tamen & si Celsus hoc dicat, nõ asserit, sed dicit, fortassis illa febris lenta fiet opportunior curationi, unde non suadet hoc agendū, sed dicit, Forte mutata febre, & ipsa mores mutabit, & ex longa breuis efficietur. Nos uero hoc nunquam faceremus, nec alijs suaderemus ut facerẽt, quia idem est ac si rem tutam, periculosam & letiferam reddere uelimus.

In summa igitur, nunquam apud Hippocratem uel Galenum uel Aetium uel Paulum uel Trallianum inuenitur, febrem in conuulsione excitandam esse: sed inquiunt, Si contingat sponte ægrum sanari, & protinus. Et si dicas, aphorismos similes ostendere quibus remedijs uti debeamus: Respõdeo, non est remedium, sed potius discrimen.

Vbi legitur, Quoniam longum tempus exigitur ad siccitatem remouẽdam, legi debet, Ad siccitatem neruorum amouendam. nam Græce est, ἐπειδὴ χρόνου μὲν δέονται μακροῦ τὰ νεῦρα πρὸς τὴν τῆς ξηρότητος ἴασιν. idest, Quoniam nerui longo tempore indigent, ut siccitas sanetur.

Quod etiam legitur, Sed morbi acuties tempus non expectat. Græce est, οὐκ ἀναμένει δὲ χρόνον ἡ συντονία τοῦ νοσήματος. Vbi uides Leonicenum particulam illam συντονία, acuties interpretatum esse, quæ proprie est morbi intensio.

APHO-

APHORISMVS XXVII

His qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere: neque multum formidare mala quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consueuere.

BRASAVOLVS

OMNES nostri corporis actiones cum animales, tum naturales, semper certa quadam ratione, & certo quodam ordine fiunt, & in nobis nihil temere contingit, propter hoc ab Hippocrate in præsenti theoremate edocemur: si ægrum aliquem ab ægritudine alleuiatum uiderimus, in quo symptomata sint remissa, & ægritudinis essentia mitior effecta, hoc uero absque ratione factum sit, idest absque aliqua euacuatione aut sponti na, aut arte facta, fidere non debemus: sed potius cogitare anguẽ in herba latere, & materiam latitare, quæ mox forte acrius insurget. propterea à præsidijs desistere non debẽmus, sed in curatione perseueremus, quoniam cito quid futurum sit, uidebimus. E contrario siquis ægritudinem augeri uiderit, symptomata intendi, & ægrum maxime conqueri, hocque absque ratione sit, quia natura crisim fecerit, aut ipse suo tempore & conuenienter euacuauerit, formidare non debet, quia hæc pręter naturam facta diu perdurare non possunt, nempe instabilia sunt, inconstantiaque. Is igitur quod à principio cœperat, prosequatur. nam paulopost experietur, non fuisse timendum, quia nihil quod pręter rationem factum sit, diutinum esse potest.

Hæc uero nonnunquam contingunt, & ignari medici perturbãtur, putantque, aut cito sanandum moriturum, aut eum cito moriturum qui in sanitatem properat. Scito illos ex ratione alleuiari, qui præexistentibus coctionis signis alleuiantur. nam hæc alleuiatio perseuerat, & est secũdum rationem, idest ut ratio postulat. non secundum rationem uero alleuiantur, qui sine coctionis signis alleuiantur, & sine aliquo naturę motu præcedente, aut aliqua euacuatione præcedẽte. Si uero petas, quomodo possit aliquis alleuiari, non apparentibus signis coctionis. Respondemus, hoc esse posse, quando materia ex tenui & crassa mixta est, & maior pars sit crassa, tenuis minor, tenui resoluta, quæ & primo resoluitur, is alleuiatus uidetur, quia etiam tenuis materiæ natura est effrenitare, unde alleuiatus uidetur: sed non multũ perseuerat, nam materia crassa suum gyrum facit, & suam recipit inflammationẽ, licet prius cessasse uideretur. uel quãdoque contingit materiã de loco ad locum transmutari: in hacque transmutatione uidetur cessare affectio quam habebat: sed plerunque nobilius membrum corripit: quandoque aliquis mente ægrotare incipit, & ideo uidetur alleuiatus, propterea non est fidendũ, nam maius malum, & maius periculum imminet, tamen putamus hanc alleuiationem potissimum intelligendam esse tam ex parte medici, quàm ægri, hoc modo. Medicus percipere debet ægrum esse alleuiatum, & etiam ipse æger hoc idem persentire debet, licet medici sit potissimum hoc munus, unde dicit, His qui non ex ratione leuius se habent, ut medicus hoc persentiat atque æger, sed absque ratione sit, non oportet fidere. opus autem est & medicum hoc persentire, quoniam contingit ægrum quãdo mente ægrotauerit, leuius se sentire, quod uero leuius se habeat, à medico non iudicatur. unde hæc leuitas & si ex parte ægri in multis intelligenda sit, in aliquibus etiam ex solius medici parte iudicanda est, qui hoc præuideat & præcognoscat, sed absque ratione factum sit.

Oribasius intelligit: si critico die non iudicãtur ægritudines, aut præcedentia signa, quæ solent crisim futuram pronunciare, non fuerint, non confidas: quia non est iudicatio, sed remissio. Certe hic sensus uerus est, sed ab Hippocrate non intẽtus. facit ex uno aphorismo duos Oribasius, exponitque in secunda parte, illa esse mala præter rationem euenientia, quę ex nimio aut insolito ciborum appetitu malum colorem membrorum producunt, ut sunt nautarum, & rusticorum, qui comedunt incomposite, & præter rationem, præterque consuetudinem, & nutriunt crassos humores. Ergo de ipsis dicit, non uereberis cum incurrunt ægritudinẽ, quia ualidi sunt propter copiam illam ciborum, unde & cito iudicãtur eorum morbi, & non debilitantur. Iubetque medicum semper exquirere originẽ causæ. Sed hæc quæ ab Oribasio dicuntur, ad Hippocratis sententiam

intelligendã nihil faciunt, & ita Hippocratis mentẽ attingunt, ut quæ nihil attingunt.

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιστεύειν. idest, His qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere.] idest, Non oportet certam ſpem habere, quòd hic in ſanitatem tendat. Philotheus hoc modo exponit: ἐνταῦθα παρακελεύεται τὸν ἰατρὸν μὴ ὡς ἔτυχε θαῤῥεῖν ἢ φοβεῖσθαι, λέγων, τοῖς μὴ κατὰ λόγον ῥαστώνην δεξαμένοις, οὐ δεῖ θαῤῥεῖν, οἷον ὅταν εἰσβάλλῃ νόσημα σφοδρὸν εἶτ' ἐξαίφνης ῥάίσῃ, μή τι διὰ ἐμέτων καὶ ἱδρώτων, ἢ διαχωρημάτων, ἢ οὔρων, ἢ δι' αἱμοῤῥαγίας κενωθέντος τοῦ σώματος, ἀλλὰ μὴ δὲ πέψεως φανέντων σημείων, ἄπιστον ἡγητέον τὴν τοιαύτην ῥαστώνην. τὰ γὰρ ἀσήμως ῥαστωνήσαντα καθὼς καὶ ἐν ἑτέροις λέλεκται φιλυπόστροφα. idest, Hic medicum hortatur, non debere temere confidere, uel timere, dicens, His qui non ſecundum rationem quietem habent, confidere non oportet, ut quum uehemens morbus inuaſerit, poſtea repente melius acquieuerit, neq; per uomitus & ſudores, uel deiectiones & urinas, uel ſanguinis profluuium euacuato corpore: imò neq; apparentibus ſignis coctionis, talem quietẽ inſidam eſſe putandum eſt: nam ſine ſigno quieſcentia (ut in alijs dictum eſt) ſolent relabi, & recidiua fieri.

Οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. idest, Neq; multum formidare mala quæ præter rationem ſunt.] Nam ſimpliciter omne malum formidandum eſt: ſed quando eſt præter rationem, ideſt præter ſigna (ita enim Galenus exponit primo De iudicationibus libro, capite duodecimo) non eſt multum formidandum: ſicuti formidandum eſt, & multum malum quod cum ratione euenerit. non dixit uero, Non oportet fidere multum, ſed ſimpliciter nõ oportet fidere, quia fiducia alicui certitudini iuncta eſt. Philotheus ita hic dicit, non oportere ualde uereri, οἷον ὅτε δυσπνοήσῃ τις ἀλόγως, ἢ παραφρονήσῃ, ἢ μεγάλῳ ῥίγει καταληφθῇ. καὶ τοῦτο βέβαιον ἡγητέον, οὐ δεῖ γὰρ φοβεῖσθαι τὰ νομιζόμενα μὲν εἶναι μοχθηρὰ, μὴ ὄντα δὲ κυρίως, ἀλλὰ παραλόγως γινόμενα. τέως γὰρ οὐδὲν χαλεπὸν σημαίνουσιν. idest, Vt quando quis præter rationem difficulter ſpiret, uel deliret, uel magno rigore corripiatur. Et hoc firmum putandum. Etenim non oportet ea timere quæ mala quidem eſſe exiſtimãtur, quum proprie non ſunt, ſcilicet mala: ſed præter rationem facta: tunc enim nihil mali ſignificant. In peſtilentibus morbis adhuc minus eſt fidendum. Vnde Galenus in expoſitione tertij Epidemiorum libri dicit, Quanto melius ſe habere uidentur peioribus præcedentibus ſignis, tanto peiorem morbum patiuntur: imò in his morbis etiam non fidendum, ſi iudicatorio die melius ſe habere uideantur. Nam Hermocrates, de quo ibi Hippocrates, decimaquarta die abſq; febre dormiuit, & ſimiliter uigeſima, tamen uigeſimaſeptima mortuus eſt.

Τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν. idest, Multa enim talium ſtabilia non ſunt, neq; omnino durare, & diu permanere conſueuerunt.] Non ſunt ſtabilia, quia uiolenta: at nullum uiolentum ſtabile & firmum eſſe poteſt. Ad perfectiorem huius aphoriſmi intellectionem, ea lege, quæ à Galeno dicuntur in primo De diebus iudicatorijs libro, & in libro De iudicationibus, ubi de infida criſi uerba facit.

GALENVS

SERMO uere quidem integer de talibus omnibus in libris De criſibus, ſiue iudicijs dictus eſt, nunc uero quantum ad propoſitorum expoſitionem ſufficiens eſt dicere, à nobis dicetur. Quum morbus inuadit uehemens, mox ſubitò quieſcit, neque per ſudorem, nec uomitum, neq; alui excretionem, aut profluuium ſanguinis corpore euacuato, ſed neq; uiſo ſigno coctionis, ſignum infidum exiſtimat talem quietem eſſe. Sicuti etiam ſi quis præter rationem ſpiret difficulter, uel uehementius febricitet, uel magno rigore corripiatur. Nam & hæc quoq; firmitatem non habent, tantumq; abeſt ut malum aliquid ſignificent, quòd nonnunquã bonum iudicium haud ita multo poſt futurum enunciant. Quomodo autem hæc oporteat cognoſcere & præcognoſcere, in libris De criſibus diximus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quòd de ſignis quibus de alleuatione qua fidendum, & qua non fidendum, iudicium fit, & de malo formidando, & non formidando, in libro De iudicatiõibus ubertim tractauit: imò capite duodecimo libri primi, præſentẽ aphoriſmum citat, quo etiam loco ſymptomata illa percurrit, quæ bonũ uel malum in morbis

bis significare possunt. Quod si quis iret inficias (dicit) frustra dixisset Hippocrates, ijs quæ non ex ratione leuant, confidendum non est, nec timenda quæ præter rationẽ accidunt mala; unde intelligere uidetur, non ijs scilicet hominibus uel ęgris, sed ijs signis quæ leuant non ex ratione, non est fidendum; tamen Gręcus contextus de hominibus intelligi oportere ostendit, qui dicit.

Τοῖς μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσι, οὐ δεῖ πιστεύειν. idest, (si uerbum uerbo reddamus) Non secundum rationem alleuatis, non oportet fidem adhibere. Certum uero est alleuatos esse homines, & non signa. Propterea simpliciter hic Hippocratem intelligimus de hominibus qui leuius se habeant, & non de signis: sed unum aliud in aphorismo animaduersione dignum est, Theodorum Gazam, secũdam aphorismi partem aliter interpretatum esse, quàm uel Leonicenus, uel antiqua translatio fecerit. Inquit enim, His quæ non ex ratione leuant, confidendum non est, nec præ metu omittẽdum, soluere ea quæ eueniunt mala. Vbi uides in prima parte cum Galeno præcitato loco conuenire: & re uera ibi Hippocrates intelligi posset, alleuiantibus scilicet signis uel motibus non secundum rationem, non est fidendum. Secundam uero Aphorismi partem extorquere uidetur: nam sensum facit, si aliqua mala eueniant, ea medicus soluere debet, nec præ metu sunt omittenda, quin curet: ut sensus sit, Non debere medicum timere mala quæ eueniunt, sed ea soluere. At nec Galenus pręcitato loco hoc modo intelligit, nec Græcus Hippocratis contextus hoc dicit. Græca uerba hæc sunt (& si inter exponendum aphorismum iterum descripta sint) οὐδὲ φοβεῖσθαι λίαν τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. Alter contextus habet, παρὰ λόγον. Quæ si ad uerbum referamus, hæc dicunt: Neq; formidare multum mala facta irrationabiliter. Vt certum sit, Leoniceni interpretationem ueram Hippocratis sententiam attigisse, à qua longe distat Theodorus, & sua illa sententia pauci est, imò nullius momenti: quis enim ignorat, non oportere timere illa mala soluere quæ cõtingunt? Sed quia Theodorus uir præter aleam fuit, propterea putamus quod in suo contextu habuerit λυεῖν, idest soluere: non autem λίαν, idest multum. Imò Græcum quendam codicem uidimus, in quo λυεῖν legebatur, & non λίαν. Si cui tamen placeret Theodori sententiam defendere, id fieri posse non negamus.

SECVNDO Galenus pro intellectu aphorismi exemplum ponit, & hoc in uehementi morbo qui subito quiescunt: sed nec præfuerit sudor, aut uomitus, aut alui excrementum, aut sanguinis profluuium, aut aliquod simile. Addit deinde, sed neq; uiso signo coctionis. Quo loco Galenus sua lingua in plurali loquitur, dicens, ἀλλὰ μὴ δὲ πέψεως φανέντων σημείων. idest, Sed neq; coctionis uisis signis, non autem uiso signo, in singulari: & hoc conuenientissimum est, quia multa sunt coctionis signa, & non unum solum.

Quod legitur, Signum infidum existimat talem quietem esse. Græce est, ἄπιστον ἡγεῖσθαι τὴν τοιαύτην ῥαστώνην. idest, Putandum est talem quietem signum infidum esse.

Vbi legitur, Sicuti etiam si quis præter rationem spiret difficulter, deest particula, Vel deliret. Nam Græce additur, παραφρονήσειν. postea sequatur, Vel uehementius febricitet. Galenus uocat signum ἄπιστον, idest infidum, hanc quietem, quando quis sine ratione ex uehementi morbo quiescit. De his infidis signis, in libro De diebus iudicatorijs, & De iudicationibus, à Galeno plura dicuntur. Deniq; notat Galenus, mala quæ sequuntur præter rationem non habere firmitatem, nec multum perdurare posse: unde ipse uidetur ultimam aphorismi partem illi solum parti applicare, qua dicitur, Neq; multum formidare mala, quia stabilia nõ sunt. Nos autem putamus & quod aphorismi parti iungenda sit.

Quod legitur, Nam & hęc quoq; firmitatem non habent. In quodam Leoniceni codice legitur, Nam hæc firmitatem non habent. Tamen Græci omnes codices quos uidimus, legunt, καὶ γὰρ καὶ ταῦτα ἐστὶν ἀβέβαια. idest, Siquidem & hæc infirma sunt.

APHORISMVS XXVIII

FEbricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui, uel etiam plus quàm ratio postulat, contabescere malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc uerò imbecillitatem significat.

BRASAVOLVS

DVO SVNT quæ plerunq; nonnullis ægris contingere solent, de quibus in præsentiarum mentionem Hippocrates facit. unum est, ægrorum corpora etiam notatu digne ægrotantia in eodem statu quãdoq; perseuerare, & eodem modo absq; aliqua euacuatione permanere: quandoq; ægrorum corpora magis exigua & tenuia fiunt, quàm opus sit, & quàm morbi ratio exigat. Hippocrates hæc duo inter mala indicia connumerat. Nam primum, morbum diutinum futurum significat: secundum uero, uirium imbecillitatem ostendit. Hippocrates de alio morbo uerba facere potuisset, quàm de febre: sed quia rari sunt sine febre morbi, & in ipsa potissimum hæc fiunt: propterea de febricitantibus uerba fecit.

τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως. idest, Febricitantium non omnino leuiter, uel non omnino in supficie.] Nam si quis leuiter febricitaret, nõ esset malũ, corpus in eodem statu permanere, & non minui. Etenim si quis hyeme ex repletione ægrotauerit, & febris parua sit, non collabitur corpus, neq; extenuatur. De frigida tempestate dicitur, quia æstate ex minima etiã febre corpus extenuatur. Hęc igitur particula Non omnino leuiter: ab Hippocrate secundum Galenum posita est, ut uehementiorem febrem annotaret. Vnde hoc loco distinctionis gratia posita est.

τὸ διαμένειν, καὶ μηδὲν ξυνδιδόναι τὸ σῶμα. idest, Permanere corpus, & nihil minui, uel nihil remitti, scilicet malũ est.] Pro aphorismi intellectu scire oportet, corpus non alia de causa in eodẽ statu permanere, quãdo febris satis intensa sit: nisi quia humores crassi sunt, frigidi, glutinosi, & difficulter solubiles. Vnde Hippocrates in fine libri De natura humana, causam reddere uolens, cur febris quartana cæteris longior sit, rationem affert, quia minus bilis habet æstum afferentis, & quia corpus amplius refrigescit, & quia atra bilis difficulter auellitur. Ideo cum corpus non resoluitur in febre digna effatu, necessarium est materiam nõ esse facile resolubilem, esse frigidam, esse glutinosam, & difficulter euelli, & non modo materiam eo tempore facientem morbum, sed etiam totius corporis humores. At si dubites, quomodo intensa febris à frigida materia dependere possit. Respondemus, Hippocratem præcitato loco edocuisse, intensiores febres omnino à bile esse: tamen & pituitosæ, & atrabilariæ in suo gradu intensæ esse possunt: sed non æque ut biliosæ. Ob hanc causam Hippocrates non dixit, Febricitantium extreme, sed febricitantium non leuiter: ut notet medium quoddam inter lente, & uehementissime febricitare. Propterea Philotheus dicit, μέσως διαμένειν. idest mediocriter permanere. Nam si quis uehementissime febricitaret, necessarium esset minui corpus, imò mori, & non esse diuturnum morbum, quia uehementissima febris saltem est acutus morbus, qui decimum quartum diem, suum terminum habet: ideo ab Hippocrate dici non potuisset, quod morbi longitudinẽ significaret: nam breui terminum haberet. Merito igitur dictum est, Non omnino leuiter, sed grauiuscule, ut frigidi, glutinosi, & crassi humores febrem facere possunt: imò hi humores tales febres inducunt, quæ sæpe in perniciem & malum aliquem exitum deducunt. Si igitur in his febribus permaneat corpus, præter id quod facere deberet, malum est: non tamen quia ita permanere non debeat, imò ratio suadet, ita permanere oportere: etenim quia materia difficulter resoluitur, propterea ratio suadet, quod ita permaneat. Ex hoc igitur indicio morbum futurum longum iudicato atq; prædicito. Sed hanc permanentiam non debes primo aut secundo die iudicare, at quum plures dies pertransiuerint. Adde, hanc permanentiam non esse talem, ut idem fere sit, sicuti prius erat, quum sanus esset, sed facta sit parua immutatio: uerum tamen quia nonnulli homines facilius resoluuntur, & potissimum æstiuo tempore resolutio facilius fit: propterea omnia ęqualia esse debent, quòd corpus ratione suæ naturæ permaneat, ratione æstatis, & ratione aliarum conditionum, quæ hominem ad resolutionem agiliorem faciunt: propterea intelligendus est permanere contra essentiæ febris naturam, non tamẽ contra naturam materiæ febrem facientis. Propterea nihil minui, est non resolui: quod fit ob crassam, glutinosam & frigidam materiam. Eadem causa à Philotheo redditur, quum dicit, δηλοῖ γὰρ πύκνωσιν τοῦ σώματος, καὶ πάχος χυμοῦ, καὶ διὰ τοῦτο καὶ μῆκος τῆς νόσου. idest, Ostendit enim corporis densitatem, & humoris crassitiem: & propter hoc morbi prolixitatem.

ἢ καὶ

καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. idest, Vt etiam plus quàm ratio postulat, contabescere, uel cōminui, malum. συντήκεσθαι proprie eliquescere uel liquari. Nam uirium imbecillitatem significat: siue hoc sit cum febre leui, uel non leui: nam hoc semper malum est. etenim quum extenuetur, & extenuatio ob magnam resolutionē quandoque fiat, hocque ab intensione febris esse non posit, quia adeo intēsam febrem non ponimus: ideo erit propter uirium imbecillitatem. nam hæc est altera extenuationis causa, quibus & humorum tenuitatem addit Philotheus, inquiens, Malum esse contabescere, plus quàm ratio postulat: quoniam γίνεται διὰ λεπτότητα χυμῶν, καὶ μανότητα δέρματος, καὶ διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸ μοχθηρόν. ἀσθένειαν γὰρ δυνάμεως δηλοῖ. idest, Fit ob humorum tenuitatem, & ob cutis raritatem, unde & hoc ipsum malum: nam uirium imbecillitatem ostendit. Sed ambiges, quomodo uirium imbecillitas resolutionem facere posit: quia in uirium imbecillitate est etiam caloris imbecillitas. Respondemus, quum uires imbecilles sunt, præsertim in mediocri febre, omnino calorem magnum non esse. Sed resolutionis causa est, quia etsi calor non multum resoluat, parum etiam addit ad corpus: propterea multum resoluitur. Opus est etiam hanc partem cum æqualitate earum rerum quæ sunt causæ extenuationis intelligere, ut æstas, ætas puerilis, biliosa natura, & alia quæ in Galeni commentatione deinde enumerabimus.

In eo etiam quod dicitur, Plus quàm ratio postulat: opus est per Rationem, non perfectam rationem intelligere, sed quod ita uideretur: nam ratio uera quæ imbecillitatem cognoscit, non dubitat debere intabescere corpus: sed opus est intelligere, Plus quàm ratio, quantum sit ratione caloris febrilis, & non alterius: quoniam si aliorum ratione comparatio fieret, esset irrationabilis ratio: hocque est malum: tamen non dicit esse mortale, quia potest sanari, etiam si uires imbecilles sint. Hoc autem præsciens medicus prohibet, ne is qui febricitat in discrimen aliquod incidat. Philotheus notat, hanc particulam utrique aphorismi parti iungendam esse, inquiens, ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, ἀμφοτέροις εἴρηται, πρός τε τὸ μὴ ἐνδιδόναι, καὶ τὸ συντήκεσθαι. idest, Sciendum uero quòd hæc particula Magis quàm ratio postulet, utrisque dicitur: ad id quod est Non minui, & ad id quod est Contabescere. Vocabulum uero συντήκεσθαι, idest contabescere, uel consumi, à Galeno dicitur non esse intelligendum in proprio significato: nam proprium significatum est, colliquari: nunc uero accipitur pro, extenuari: nam non intelligit tabem, quæ φθίσις dicitur, induci: nec maciem illam extremam, quam marasmum nuncupant: sed extenuationem, quæ tamen ratione caloris febrilis tanta esse non deberet.

Oribasius alio modo aphorismum intelligit: nam notat, febrem aut internas partes corporis occupare, aut externas. Quando externas occupauerit, signum est, non esse crassos ægros, & ualidam naturam superfluitatem ad superficiem expellere. In his uero non moratur febris. Quoties uero interna ceperit, signum est, crassas esse habitudines, & obesiores, & nimiam pinguedine conglutinationem facere pororum, & non dimittere calorem euaporari foras. Sed hanc non esse Hippocratis mentem quisque etiam mediocriter eruditus ex se noscere potest, imò si ita simpliciter intelligantur, ut à suo authore proferuntur, falsa etiam sunt atque absurda.

GALENVS

HÆC VERBA Non omnino leuiter, distinctionis gratia apposuit Hippocrates. Si enim simpliciter dixisset, Febricitantium permanere corpus, & nihil minui, malum: sermo careret ueritate. Cōtingit enim in tempestate frigida cuique ex repletione ægrotanti, non collabi corpus, neque extenuari, quum febres paruæ fuerint. Sed quum maiores fuerint, multam adesse repletionem significatur. Contabescere autem plus quàm ratio expostulat, malum: etiam si non adijciatur, Non omnino leuiter. Siue enim leuiter febricitauerit, siue non, signum imbecillitatis est, ea quæ fit præter rationem extenuatio. Neque enim putandum est uerbo Contabescere, in proprio significato nunc fuisse usum, sed magis abusum. Recte autem dixit in secunda parte Aphorismi, Magis quàm ratio expostulat. Et melius est, hæc quoque uerba priori parti Aphorismi adaptare, ita ut totus sermo talis efficiatur: Febricitantium non omnino leuiter per-

manere corpus, uel etiam contabescere magis quàm ratio expostulat, malum: ut communiter de utroque prædicetur, Magis quàm postulat ratio. Siue enim permaneant magis quàm ratio expostulat, siue extenuentur, malum. Melius autem fuisset, si hoc quod ait, Magis quàm ratio postulat, quibus finibus iudicetur, aperuisset. Sed quia doctrinæ modus est aphoristicus, summam sequens breuitatem, nos exponētes uerbum Secundum rationem, ad febris magnitudinem referemus, & ad tempus ægritudinis, ætatem, & regionem, & tempus anni, & illam quæ tunc uiget temporis cōstitutionem, & præterea sensibiles euacuationes, uigilias, curas, inedias, motus plures. Nam maiores febres magis & citius corpora extenuant ægrotātium, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ætatibus puerilis atque decrepita: sed alia ambæ ratione. In pueris enim propter caliditatem atque humiditatem multum defluunt atque extenuantur corpora. In decrepita uero ætate hoc idem patiuntur propter potentiæ imbecillitatem. Ex regionibus autem & anni temporibus ac constitutionibus, calidæ quidem ac siccæ magis euacuant: humidæ uero ac frigidæ magis adstringūt, ac difflare corpora atque extenuari non sinunt. De sensibilibus autem euacuationibus quid dicere oportet? Neminem enim ignorare arbitror, quòd ex profluuio sanguinis multo, atque sudoribus plurimis, & urina superfluente, uel uomitu, uel alui excretione, cito corpus extenuetur. Adiacet autem, & dictis causis inedia, & præterea uigilia & curæ sufficienter extenuant, & plures motiones: sed hæ raro febricitantibus adsunt, nam magna ex parte iacent quiescētes. Verum aliquando contingit moueri aliquos, qui in itinere cœperint febricitare, uel urgente necessitate, uel studio domum reuisendi. Sed ex delirio quidam ægroti iugiter se attollentes, uel iacentes quidem, sed continuò partem aliquā corporis commouētes, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuātur. Hæc quidem omnia ægrotos reddunt macilentos, sicuti & contraria his corpus in maiori mole conseruant. Signum autem nullum ex his est uirium imbecillium: sed causa tātummodo ipsorum singulum. Nam sicuti ex eo corpus cum ratione extenuatur, sic & uires destruuntur. Absque his autem corpus præter rationem extenuari, signum esse uirium imbecillitatis Hippocrates inquit, quam & in decrepitis pro causa assignamus, celerrime ipsorum corpus extenuari dicebamus. Neque mirum uideri debet in his qui ita se habent, imbecillitatem quidem causam esse extenuationis, extenuationem uero esse signum imbecillitatis. Hoc enim contingit in omnibus quæ faciunt & fiunt. Hæc quidem est sentētia Hippocratis semper existimantis eam quæ est citra rationem extenuationem, signum esse imbecillitatis. Nos uero adijciamus eius sermoni, & aliam dispositionem quæ causa est in febribus extenuationis. Est autem hæc humorum quidem tenuitas, corporis uero raritas. Quum enim hæc ambo conuenerint, celerrime corpora euacuantur, per eam quæ difflatio insensibilis nominatur. Sicuti in dispositione contraria crassitudine humorum, & corporis spissitudine: neque fit humorū euacuatio, & permanere corpus, & nihil tunc deteri de ipsius mole contingit. Hanc itaque dispositionem ostendit Hippocrates in prima parte aphorismi per ea uerba, Longitudinem morbi significat. Alteram uero contrariam prætermisit. Sed nos & hanc adijcientes, iam totum sermonem integrum proferamus. Itaque fieri potest breuissime dictum, Febricitātium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil imminui, uel plus quàm ratio postulat contabescere, malum. Nam permanere, ex cutis spissitudine accidit, & crassitudine humorum, & propterea longitudo morbi significatur. Contabescere autem nonnunquam fit ob humorum tenuitatem, & cutis raritatem. Contingit uero & ob solam uirium imbecillitatem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, conuenienter additum esse, Non omnino leuiter: quia si de febricitantibus simpliciter locutus esset, sermo uerus non esset: nam in mitiori febre non est uerum: in intensissima etiam uerum non est, tum quia resoluitur, tum quia morte præuenitur.

Quod legitur, Distinctionis gratia: Græce est, διορισμοῦ χάριν.

SECVNDO docet, quando febris sit parua, & in hyeme corpus non collabi: sed quum est magna febris, & non collabitur, indicium est multam esse plenitudinem, & crassos

crassos humores atque glutinosos.

Quod legitur, In tempestate frigida: Græce est, ἐν κατασάσει ψυχρᾷ. idest, In constitutione frigida.

Quod etiam legitur, Non collabi corpus: Græce est, μὴ συμπίπτειν τὸ σῶμα.

TERTIO docet, uel addatur Non omnino leuiter febricitare, uel non addatur, semper est malum, corpus contabescere. Hoc autem loco in Galeno deest hæc particula Febricitare: quum enim dicit, Etiam si non adijciatur, sequitur Non omnino leuiter febricitare.

QVARTO docet, uocabulum συντήκεσθαι, non esse positũ in suo significato: nam ut dictum est superius, significat proprie colliquari.

QVINTO, illam particulam Magis quàm ratio postulat utrique aphorismi parti coniungit.

Nota, ubi hic refert totum aphorismum, hanc particulam Magis quàm ratio postulet, utriq; parti applicans: in prima parte deest, quum tamen in Græco codice habeatur. Vnde & hic merito addenda est, ut hoc modo legatur, Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, magis quàm ratio postulet: uel etiam contabescere, magis quàm ratio expostulat, malum. Nam hæc particula, μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, utrique parti coniungitur.

SEXTO, Hippocratem quodammodo taxare uidetur, qui dicit Magis quàm ratio postulat. Sed inquit, melius fuisset, si aperuisset ad quantum ratio postulat. Hippocratem uero excusat, quia modus doctrinæ quem facit, est aphoristicus, in quo summa breuitas expetitur.

Quod legitur, Quibus finibus iudicetur: Græce est, τίσι κρίνεται σκοποῖς. idest, Quibus intentionibus iudicetur.

Vbi legitur, Sed quia doctrinæ modus est aphoristicus, summam sequens breuitatem, & hic. ut hoc modo legi debeat, Sed quia doctrinæ modus est aphoristicus, & hic summam sequens breuitatem. Græce enim est, ἐπεὶ δ' ἀφοριστικὸν ἐστι τὸ τῆς διδασκαλίας εἶδος ἐνταῦθα, καὶ τὴν βραχυλογίαν ἄκραν γινόμενον.

SEPTIMO exponit id nomen Ratio, & ad febris magnitudinẽ ampliat, & ad tempus ægritudinis, ad ætatem, ad regionem, ad anni tempus, ad cõstitutionem temporis quæ uiget, ad euacuatiões sensibiles, ad uigilias, ad curas, ad inedias, ad plures motus.

OCTAVO, per omnia iam enumerata discurrit, & simul ostendit quomodo humana corpora extenuent. magnæ febres citius corpora extenuant, sicuti etiam morbi longitudo facit. ætates extenuant: puerilis, quia calida & humida, facile resolubilis est, atq; difflabilis: decrepita ob imbecillitatem facile extenuabitur. Simul uero ætates ponit, anni tempora, & constitutiones: nam calidæ & siccæ facilius resoluuntur, frigidæ & humidæ difficilius. Etiam euacuationes, & per uenæ sectionem, & per medicamentum, & per sudores, & per urinam, & per uomitum, & per inediam, & per uigilias, & per curas extenuant: hocq; experiẽtia uidemus, curas multum extenuare humana corpora. Addit, multos motus extenuare: sed quia febricitantes non mouentur, propterea addit, Quãdoq; in peregrinatione, uel studio uisendi lares, uel ob necessitatem, uel ob deliria, multum mouentur. hæc omnia signa hominem extenuatum reddunt, & opposita causæ ipsum in suum statum deducunt & conseruant: propterea si ab una harum causarum fiat, non est signum imbecillitatis, nisi fiat à febre, & non intẽsissima, & demptis decrepitis, in quibus extenuationis causa imbecillitas est.

Quod legitur, Nam maiores febres, in Græcis quibusdã codicibus habetur, οἱ μὲν γὰρ μείζους. in alijs uero, οἱ μὲν γὰρ πλείους.

Quod legitur, Aut etiã delira loquentes: Græce est, ἢ καὶ φθεγγόμενοί τι παρὰ λόγον.

Quod etiam legitur, Quam & in decrepitis pro causa assignamus: Græce est, ἣν περ καὶ ἐπὶ τῶν πάνυ γερόντων αἰτιώμενοι.

NONO, ipse aliam dispositionem addit, quæ est extenuationis causa, quando hæc duo simul iuncta sint, humorum tenuitas, & corporis raritas: quoniam per insensibiles meatus facile difflantur, sicuti econtrario non difflantur, si humores crassi sint, & spiramenta, quæ poros uocant, occlusa.

Quod legitur, Et nihil tunc deteri. hoc uerbũ Deteri, Græce est φθίνειν: i. minui. Denique aphorismi sententiam colligit, atque perficit. Omnia aperta sunt, præter hoc, quum dicit, Itaque fieri potest breuissime dictum. quod Græce legitur, εἰς ὅσον οἷον τε διὰ βραχέων. idest, Quantum fieri potest breui dictum. Noster uero antiquus codex legit, βραχυτάτων, idest, breuissime. Vides igitur aptius esse interpretari Quantum, quàm Itaque.

APHORISMVS XXIX

QVum morbi inchoant, si quid mouendum uidetur, moue: quum uerò consistunt, ac uigent, melius est quietem habere.

BRASAVOLVS

MEDICVS qui alicuius ægri curam suscipit, statim in morbi principio excogitare debet, an necessarium sit quicquam mouere: & illud moueat, si opus sit: quia id tempus conueniens est. nam si morbi statum, atque summum uigorem expectare uoluerit, errabit: tunc enim melius est quietem habere. In principio enim si quid sit mouẽdum, est aliqua materia mobilis, aut quæ iam uias exitus occupat, & quæ posset ad loca nobiliora transire, nisi amoueretur. Statim igitur amouenda est atque euacuanda: quoniam (ut superius dictũ est) in principijs nihil mouere oportet, nisi materia turgeat. Quum uero morbus uiget, tunc est summa naturæ pugna cum materia: propterea nihil mouendum, ne naturam adiuuare uolentes impediamus. Oribasius supponit, ab Hippocrate superius dictum esse, in principijs purgandum. Propterea dubitat, cur hic dicat, Melius esse usque ad statum sinere. Respondet, In peracutis in principio euacuandum iubere. In acutis uero statum expectari. Sed hæc absurda sunt: nam in principio euacuare non licet medicamento purgante, nisi materia turgeat. Turgere uero potest esse tam in acuta, quàm in non acuta febre. Philotheus uero dicit, οὗτος ὁ ἀφορισμὸς τῶν ὀξέων ἁρμόδιος. idest, Hic aphorismus acutis morbis competens est.

Ἀρχομένων τῶν νούσων. idest, Incipientibus morbis: uel, Quum morbi inchoant. Hoc uero in materialibus morbis intellige: nam in his solum aliquid moueri contingit, nisi quis huc afferat diariam ex obstructione, in qua etiam aliquid auferendum sit. Sed hoc est tam in principio, quàm in alijs temporibus, nempe in ephemera nõ distinguuntur tempora: quippe quæ eadem die assignari possunt. Per inchoationem uero, aut per initium, uniuersale principiũ intellige: quod manifeste Galenus docet in principio libelli De uniuersalibus morbi temporibus, ubi docet, per Principium, in hoc aphorismo, uniuersale principium intelligi oportere. ubi dicit, ridiculum esse intelligere principium, primum tempus accessionis primæ, sed principium esse tempus latum ostendit, quod multum ualet, ut id in quo multa præsidia ab Hippocrate fiunt. Propterea dicit, quòd Hippocrates hoc respiciens dixit, Incipientibus morbis, si quid mouendum uidetur, moue: consistentibus uero prestat conquiescere. Certum uero est, hic Hippocratem non intelligere inceptionem particularem, quoniam in ipsa actio aliqua fieri non potest. Sed intelligit uniuersalem inceptionem, in qua actiones fieri nihil impedit. In particulari uero principio, neque mouere licet quicquam: nec tempus adeo latum est, ut hoc patiatur. Galenus etiam hunc eundem locum capite quinto primi libri De iudicationibus refert, ubi etiam ad hoc propositum contra antiquos disputat, qui de nominibus certantes nunquam res ipsas cognoscunt: nam uolunt principium, primam incursionem indiuiduam esse primæ accessionis. Hos uero reprehendit, quia in nulla Hippocratis oratione inuenitur principium illo modo sumptum. Nam quomodo (inquit) poterit aliquid ita intelligendum esse existimare, ubi inquit, Quum morbi inchoant, si quid mouendum est, moue: ut ex his Galenus manifeste doceat, per Principium, non esse intelligendam particularis accessionis primæ indiuiduam illam & primam incursionem. Ipse uero Galenus usqueadeo hoc principium extendit, quo ad materia cruda fuerit: nam quum coqui incepit, augmentum est, in principio semper

materia

materia cruda est, & ad exeundum inepta. Ideo quantum sit ratione sui, nihil mouendum esset, quia concocta medicari oportet & mouere, non cruda, nisi turgeant. Sed in principio quum materia cruda est, quandoque medico aliquid mouendum uidetur, quod ex se mobile est, & seipsum ad expulsionem adiuuat, & quod est aptum natum principalia membra impetere: tunc igitur aliud non expectat medicus, sed statim in ipso principio id mouet.

ἤν τι δοκέῃ κινεῖν, κίνει. idest, Si quid uidetur mouendum, moue.] Quod intelligendum est de motu, qui per uenæ sectionem fit, uel per medicamētum: sed hoc rarius est, nam solum fit cum materia turget, plurima uero non turgent, ut primo libro dicebat: ideo rarius fiunt motiones per medicationem, frequentius per uenæ sectionem. in uenæ etenim sectione (si competat) non expectatur concoctio, sed statim in principio fit, cum uiderimus plethoram. Cum uero competit medicamentū ob cacochymiam, si materia sit infixa membro, & mobilis sit, in principio non est educenda, sed est expectanda concoctio: nisi intelligas, per principium, spatium trium dierum, in quo tempore coctio apparere incipiat. Si uero materia sit mobilis, statim in principio euacuāda est, uel si in ijs expulsionum sit, nec expectanda concoctio. Si igitur in principio materia aliqua huius generis, scilicet mobilis humano corpori insit, & medico euacuanda (ob dictam rationem) uideatur, illam euacuet, & summū uigorem non expectet. nam in hoc uigore melius est quietem habere, & hoc in his morbis qui ad salutem proficiscuntur. nam in illis qui ad interitum ducunt, medicus sinere debet, & nihil agere: sed solis Prognosticis hominem moriturum derelinquat, nisi arti ignominiam parare, & egregia remedia infamare uelit. Philotheus intelligit, si quid mouēdum ob materiam turgidam, inquit enim, ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι σκόπει ἐὰν ὀργᾷ ἡ ὕλη, καὶ τότε κενώσει χρῶ. τοῦτο γάρ ἐστι ἤν τι δοκέῃ. ἢν δὲ μὴ ὀργᾷ, μὴ κενώσῃς. κένωσιν δὲ ἐνταῦθα λέγει καὶ φλεβοτομίαν, καὶ κάθαρσιν. πλὴν εἰ δοκεῖ ἐν ἀρχῇ, κάθαιρον τῇ κενώσει. ἵνα εὑροῦσα ἡ φύσις ὀλίγην τὴν ὕλην, σύντομον ποιήσηται τὴν πέψιν, καὶ τὴν ἀπαλλαγὴν τῆς ὕλης. idest, Quod autem dicit tale est, quod animaduerte an turgeat materia, & tunc euacuatione utere. Hoc enim est si quid uidetur. Si uero non turget, non euacuabis. At hic euacuationem dicit & uenæ sectionem, & purgationem. Verum tamen si in principio uidetur, euacuatione purgabis, ut natura paucam materiam inueniens, breuem faciat coctionē & materiæ immutationem. Post hæc cuiusdam sententiā refert, qui dicit, ὅτι ἐπὶ τούτων τῶν νοσημάτων λεπτὸς ὑπόκειται χυμὸς, καὶ εὔοργος, καὶ εὐκίνητος, καὶ δεῖ αὐτὸν ταχέως ἀπαλλάξαι τοῦ σώματος, ὥστε μὴ ἀτάκτῳ κινήσει ἐπὶ κύρια ῥέων μόρια μέγα κακὸν ἀπεργάσηται. idest, Quod in his morbis tenuis humor subiacet, & facilis ut turgeat, conciteē, & moueatur: oporteteq; ipsum cito à corpore expellere, ne motu inordinato ad principales partes fluens magnum malum inferat.

Ἀκμαζόντων δέ. idest, Vigentibus autem: uel, Quum uigent.] Et si ἀκμὴ, idest uigor, sit morbi status & tempus maioris pugnæ: tamen in præsentiarum sub uigore augmentum uniuersale intelligimus, quoniam & in hoc tempore melius est quietem habere. At si fieri contingeret augmentum, commodius tempus est, quàm status.

ἡσυχίην ἔχειν, βέλτιόν ἐστιν. idest, Quietem habere melius est.] Dicit uero, Melius esse, ut simul ostendat posse moueri, quando opus sit: tamē aptius erat in principio mouere: quoniam (ut in sequenti aphorismo dicet) Circa initia & fines, omnia imbecilliora: quum uerò consistunt, fortiora sunt. Philotheus etiam dicit, Melius esse quietem habere: ob hoc, τότε γὰρ κατακρατοῦσα ἡ φύσις τὴν ὕλην, καὶ σύμπεψις γέγονεν, καὶ οὐ χρεία τῆς τοῦ ἰατροῦ ἐπικουρίας. idest, Tunc enim natura materiam euincit, & concoctio fit, & auxilio medico non indiget. Paulopost cuiusdam sententiam refert, qui dicebat, quietem habere oportere in summo uigore, διὰ τὸ πρὸς πέψιν ἄξειν τὴν ὕλην, τῆς ζωτικῆς καὶ φυσικῆς δυνάμεως ἰσχυρῶν οὐσῶν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, τῆς ψυχῆς τοὐπίπαν κεκμηκυίας, ὥσπερ ἐν τῇ ἀρχῇ ἀνάπαλιν. idest, Propterea quòd fit materia cocta, uitali & naturali animæ uiribus hoc tempore fortibus existentibus, omnino defatigatis, sicuti in principio econtrario. Tamen rectè Philothei uerba perpendentes, nobis uidetur eius contextum deprauatum esse: & ubi habet ἄξειν, legendum esse αὔξειν. Idq; uerbum τῆς ψυχῆς, esse debet τῆς ψυχικῆς. Fiatq; idem cum Galeno sensus: propterea materia ad

coctionem

coctionem augenda uitali & naturali potentijs fortibus in hoc tempore existentibus, animali omnino defatigata, sicuti in principio econtrario, ex diuerso scilicet se habet.

In nostro antiquo codice ante hunc Aphorismum adest hæc inscriptio, περὶ καιροῦ βοηθημάτων. idest de præsidiorum tempore, uel opportunitate.

GALENVS

CVR HIPPOCRATES hoc consulat, sequenti indicat aphorismo, quem si nu per dicto annexueris, totum sermonẽ talem efficies. cum morbi inchoãt, si quid mouendum uidetur, moue, cum uero consistunt, ac uigent, quietem habere melius est. Circa principia enim ac fines omnia debiliora, morbo autẽ consistente fortiora. Oportet autem his adijcere casus omnes, nam de his dictionem attulit uniuersalem. Dispositio si quidem ex qua hi generãtur, quam & morbum nominamus, non omnino dum morbus consistit est fortior. Verũ in his qui saluari debent melior multo, quàm in morbi principio, in quibus etiam Hippocrates consulit habere quietem, in morborũ initijs si quid uidet̃ mouẽtes. Nam in morbis exitialibus, nõ modo quãdo sunt uigori uicini, nihil mouere oportet, sed etiam prioribus temporibus, recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet curare, sed magis absistere, & morbi finem prænũtiare. Circa inicia uero illorum morborum, in quibus speratur ægrotum conualiturũ, tentandum maiora afferre remedia, de quibus Hippocrates dixit. Si quid uidetur mouendum, moue. Sunt autem hæc maxime, uenæ sectio, nonnunquam uero & purgatio, quorum nihil oportet morbo iam cõsistente adhibere. ut enim in libro De crisibus manifestauimus, coctiones tunc maxime fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam, facilius possit natura concoquere. Morbo autem consistente, cum iam natura concoquit, superfluum est euacuare, tum propter alia, tum quia uis animalis magna ex parte eo tempore est fatigata, licet duæ aliæ, uitalis scilicet ac naturalis, fortes persistant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum, & sequentem, unum facit, ut sequens huius rationem reddat.

Principium huius commentationis in nostro antiquo codice, est καὶ ὅκοτι. idest & cur, ut particula Et, præcedat. In Aldino uero codice simpliciter incipit ὅκοτι, sine copulatiua particula. Nos laudamus addendam esse particulam copulatiuam.

Quod legitur, Cum uero consistunt ac uigent, hæc particula, consistunt, uacat.

Quod etiam legitur, Morbo autem consistente. Græce est, περὶ δὲ τὰς ἀκμάς, idest circa statum uero.

SECVNDO docet, symptomata omnia numeranda esse: idq; notat duo esse in morbo, essentiam morbi, idest dispositionem in qua generantur symptomata, & ipsa symptomata: hæcq; consideranda sunt, & quo ad eos qui mori & qui superuiuere debent. Eorum ratione qui superuiuere debent, est diuersitas: quia dispositio, idest morbi essentia, in his qui superuiuere debent, in statu multo melior est, quàm in principio: nam dispositio, idest morbus, non est fortior in statu: ideo quiescendum est, ut Galenus rationem reddat, in his qui sanari debent, in statu quiescendum esse: quia morbus est melior in statu, in principio autem fortior. In morbis uero exitialibus, neq; in principio, neq; in statu, neq; in alijs temporibus mouere oportet, quia deplorati non sunt curandi, sed solis prognosticis relinquendi: ut est apud Auicennam & eius sectatores uulgata sententia, quam ex hoc Galeni loco & alijs etiam accepit. Nonnulli ex hoc loco distinctionem illam apud Galenum elicere tentarunt, uel diuisione temporum, quo ad symptomata, & quo ad morbum. Sed re uera haberi non potest, quoniam si in statu morbi, salubris morbus sit minor, & symptomata, quæ materiæ coctionem sequuntur, minora esse oportebit. De hac autem re aliàs amplam disputationem facere decreuimus. Nota uero hæc esse Hippocratis uerba in libro De consistentia medicinæ, deploratos non esse curandos.

Quod legitur, Non omnino. Græce est, οὐκ ἐς ἅπαντα.

Vbi etiã legitur, In quibus etiam Hippocrates consulit, addi debet particula Nunc, hoc

hoc modo, In quibus etiam nunc Hippocrates consulit. nam Græce est, ἐφ' ὧν καὶ συμβουλεύει νῦν ὁ ἱπποκράτης.

Quod etiam legitur, Recordantibus nobis quòd deploratos non oportet curare. Græce est, μεμνημένους ὡς οὐ χρὴ ἐκπεπτωκότας ἐγχειρεῖν. idest, Memores quòd deploratos non oportet attingere.

Quod etiam legitur, Sed magis absistere. Græce est, ἀλλὰ φεύγειν.

TERTIO, Hippocratis remedia ponit, cum dixit, si quid uidetur mouendum, moue. Præcipuum & maximum remedium est uenæ sectio, quandoque uero & purgatio: sed neutrum horum agere debemus quando morbus cõsistit. & quod uerum sit, rationem illam reddit, quam nos inter exponendum aphorismum adduximus, & quam in libro De iudicijs posuit, quoniam in statu maxime fiunt coctiones, propterea melius est in principio euacuare, ut hæ coctiones citius fiant, quia materia efficitur minor, & natura circa reliquum magis potest, hoc autem fit potissimũ per uenæ sectionem. Qui uero ex hoc loco accipiunt, minorationem peccantis materiæ semper fieri oportere, ut natura supra residuum fortius agat, decipiũtur. nam si sola praua materia euacuaretur, uerum esset: sed bona æque euacuatur, & uis imbecillior efficitur: unde nisi turgeat, fieri non debet, quia quæ turget, concitata est, & se ipsam adiuuat ad exitum, nec est bonæ mixta, sed sola re indiget quæ ueluti manus illam ad exitum ducat, imò & si esset bonæ mixta, cum turget, ut mortẽ euitemus, euacuare pergimus. In materia uero quæ non turget, sed fixa est, expectanda concoctio: in statu etiã quia natura ipsa concoquit, euacuare uanũ est. nam & materia fixa est, & natura à suo opere diuerteretur, & quia uis animalis eo tempore ut plurimũ est defatigata, uitalis uero & naturalis sunt fortes.

Vbi legitur, Sunt autem hæc maxime, uenæ sectio. deest particula quidem, quæ necessario addi debet, ut hoc modo legatur. Sunt autem hæc, maxime quidem uenæ sectio. nam Græce legitur ἔστι δὲ ταῦτα, μάλιστα μὲν φλεβοτομία. Scito ex hoc loco sumi apud Galenum tres esse uires, in nonnullos, qui duas solum recensuere: naturalis quæ in iecore est, uitalis, quæ in corde, & animalis, quæ in cerebro. ut in libris De placitis Hippocratis & Platonis, & alibi sæpe à Galeno edocemur.

Quod legitur, Defatigata. Græce est, ἐκκεκμηκυίας.

Hic uero ambiguitas incidere posset, quia uis animalis defatigata non uidetur in summo morbi uigore, sed potius uitalis. Est autem illa quæ à corde per totum corpus prodit, & quam in pulsu sentimus. Respondemus, in morbi uigore uires omnes omnino esse imbecilliores effectas: sed cum uitalis & naturalis (in bonæ spei morbo) pugnam iam peregerint, & uicerint, ratione morbi & causæ morbi fortes sunt: in principio autem erant imbecilliores, quia morbus & eius causa nondũ erant pertentata. Sed uis animalis duas habet partes, una est intellectiua, altera motiua. In ægritudinis processu forte intellectiua non est effecta imbecillior, sed motiua semper imbecillior redditur, unde à Galeno non ab re dicitur, animalem uim fieri imbecilliorem, reliquas uero duas uitalem & naturalẽ fortiores, quod ratione morbi & suæ causæ intelligere oportet. Non uult autem esse exercendam purgationem, quia uis animalis, idest motiua, est imbecillis in uigore. nam ægri continuo magis defatigantur.

Hæ autem uires apud Galenum ita uocantur, φυσική, ζωτική, ψυχική, idest, Naturalis, uitalis, animalis.

Nonnulli uero sunt qui in humano corpore tres spiritus esse fatẽtur, sicuti sunt tres uires, qui tamen in hoc Galenum non sequuntur, utpote eum qui duos solum spiritus in nostro corpore posuerit septimo libro De decretis Hippocratis & Platonis, circa medium, uitalem scilicet & animalẽ: de naturali uero à recẽtibus uocato nullam mentionem facit, quia hos duos satis esse iudicat, quorum uitalis in corde suam sedem habet, animalis uero in cerebro. Idemque dicit in duodecimo Methodi medendi libro fere in umbilico. tamen in hoc loco ne digladiari uideatur cum his qui ponunt naturalem spiritum, dicit, quod si naturalis quoque aliquis spiritus est, utique is quoque in iocinere & uenis continebitur. unde non dicit hunc spiritum esse Galenus: sed si sit, erit in iocinere, tamen apud ipsum duo solum spiritus sunt, uitalis, & animalis.

At si dicas, necessarium esse naturalem ponere, sicuti uim naturalem esse fatetur,

Respon-

Respondemus, uitalem spiritum eundem esse qui & naturalis est, & nulla eget immutatione. Hoc autem ideo dixi, quoniam animalis ex uitali quidem fit, sed in eo quadam inducta perfectione. At rem hanc suo in loco diffuse pertractabimus, nunc satis sit lectorem ad librum De dogmate Hippocratis & Platonis, & de potentiis naturalibus remittere. In libro etiam qui dicitur Medicus Galeno inscripto, duorũ spirituum solum mentio fit.

APHORISMVS XXX

Circa initia & fines, omnia imbecilliora: quum uerò consistunt, fortiora.

BRASAVOLVS

PRÆCEDENS aphorismus in uniuersali morbi tempore intelligebatur, ut Galenus etiam edocebat. præsens uero & si sit præcedentis ratio, nihil tamen impedit, eum tam in particulari, quàm in uniuersali intelligere, omnia inquam symptomata esse imbecilliora, & minus infestantia in morborum principiis, & in fine, quã in statu, quod usu uenit in omni fere alia re, quæ successiuo motu pficitur: initiũ debile est, postea melior fortuna secũdat. Nec id ualet, quod ab aliquibus obiicitur: si ita sit, tunc sanationẽ non esse actionem naturalem, quia in naturalibus motibus semper motus fit uelocior in fine: si igitur sanatio sit naturalis motus, fortior in fine efficietur, & non imbecillior. sed hi propositionem non intelligunt: imò in motu ad sanitatẽ motus fit uelocior in fine, tamen non sequitur ergo maior motus. nam maior est in statu, & Hippocrates per omnia imbecilliora symptomata intelligit quę febribus eueniũt, ut sunt uigilię, dolores, fastidia, sitis. Hæc omnia in principio morbi sunt imbecilliora, & nõ multũ infestant: sed in dies crescunt quoad morbus in summũ fastigium, & summũ uigorem peruenerit, in quo per aliquod spatium morantur, postea declinare incipiunt, & fieri imbecilliora.

Περὶ τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα. idest, Circa principia & fines omnia imbecilliora.] Quod uerum est tam circa principia particularia, quàm uniuersalia, & tam circa fines particulares, quàm uniuersales. Oribasius uidetur ferè oppositũ declarare, quàm ab Hippocrate dicatur, scilicet quiescere in statu uires, & in principio esse tumultuosas. Intellige uero per omnia symptomata quæcunq; febribus superuenire possunt.

Περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότατα. idest, Circa status uero, fortiora.] Scilicet sunt symptomata: secus est de dispositione quæ morbus est, ex qua symptomata dependent. nam in his qui sanari debent, circa initia peior est, circa statum imbecillior, atq; melior. In his uero qui mori debent, & in principio mala est, & in statu peior efficitur. pro his uero Galenum legere potes in tertii De ratione uictus in morbis acutis libri commẽtariis.

Et si hunc aphorismum ad particularia morborum tempora ampliauerimus, tamen Galenus primo De iudicationibus libro capite quinto, ipsum in solis uniuersalibus intelligit. nam hoc capite probat, principium significare principiũ uniuersale, quod apud Hippocratem latitudinem habet: unde inquit, multo magis ab Hippocrate hoc ostenditur (scilicet principiũ habere latitudinem) cum dicit, omnia cum incipiunt, & finiunt leuiora sunt: cum cõsistunt, grauiora. & etiam in fine libri De generalibus morborum temporibus hunc aphorismum adducit. ibi enim ostendit, quæ sint in morbis consideranda, inter alia uero sunt consideranda propria tempora, ad præsidiorum mentionem necessaria, ob quam sermo hic nobis elaboratur. Etenim circa initiũ & fines omnia imbecilliora sunt, in uigore fortia, quæ hæc intercedunt medio ordine consistunt: unde quanto magis sunt propinqua medio, medii naturam participant: quæ principio participant, principii naturam sapiunt: quæ fini, finis. Quæ media inter principium & medium (intelligo uero per medium, statum) hæc naturã mediam habent. Eodem modo inter medium & finem quæ interiacent, mediam naturã habent. Quare principia, media, & finis in morbis latitudinem habent. Scito præterea, aphorismum simpliciter uerum esse in principiis tam mortalium, quàm salubriũ morborum, quia semper sunt imbecilliora symptomata: sed in mortalibus uerũ nõ est quod fines imbecilliores sint.

propterea

propterea uel ſolum in ſalubribus morbis intelligatur, uel ſi ad inſalubres etiam ampliabis, hoc quo ad principium intelligas, & non quo ad finem. Adde, de omni ſymptomate uerum non eſſe, quod in principio imbecilliora ſint, ſed in his tantũ uerum eſt, quæ materiæ putredinẽ ſequuntur, & impreſſionem ratione ſuæ malæ qualitatis & putredinis in membra factam. At illa quæ uirium oppreſſionẽ ſequũtur, ex craſſitie, & materiæ lẽtore in principio poſſunt eſſe maiora, immo ſunt, quia materia in principio eſt magis craſſa & glutinoſa, & magis opprimens. Tamẽ ſi aphoriſmũ uniuerſaliter defendere uoluerimus, oppreſſionem illam diu cœpiſſe, ſed cum putamus incipere, tunc eſt in ſtatu: principiũ uerò non perſenſimus, quia omnia erant leuiora. Scito etiam, aliqua ſymptomata, maiora fieri in inclinatione, quàm in ſtatu. ut eſt capitis dolor, qui plerunq; in tertianarum febrium inclinatione, ob uapores in ipſum conſcendentes, augetur. Sed hoc eſt in particularis acceſſionis inclinatione, non in uniuerſali, ideo tutius eſt ſecundũ Galenum, aphoriſmũ in uniuerſalibus tẽporibus ſolum intelligere, quis & in multis particularibus uerus ſit. Cum uerò Galenus in libro De conſtitutione artis medicæ tres ſymptomatum differentias ponat, actionis offenſam, corporis accidentia, & excrementorũ immoderantiã: in omnibus his intelligendus eſt aphoriſmus, circa initia & fines eſſe imbecilliora, in ſtatu fortiora.

GALENVS

CAſus omnes circa principia, & fines ait eſſe imbecilliores, acceſſiones uidelicet febrium, & uigilias, atq; dolores, & faſtidium, & ſitim. Sicuti ipſas diſpoſitiones, in quibus hæc fiunt, ubi morbi conſiſtunt, neceſſe eſt eſſe meliores in his qui debent ſanitati reſtitui.

BRASAVOLVS

Galenus Aphoriſmum intelligit circa ſymptomata, quæ à Leoniceno caſus dicũtur, non autem circa diſpoſitionem, quæ ægritudo eſt, ad quam ſymptomata ſequuntur. In ęgritudinibus etiam mortalibus uerum eſt quo ad diſpoſitionem, ſed non in ſalubribus, in quibus ſunt meliores.

Alicui forte uidebitur Galenum ægritudinis tempora partiri, & quo ad ſymptomata, & quo ad eſſentiam ægritudinis. Sed nos dicimus hæc tẽpora non fieri diuerſa apud Galenum, immo ſunt eadem, ſed ſolum in his tẽporibus diuerſam habẽt diſpoſitionem. ideo nulla eſt temporum diſtinctio ſumenda ex ſymptomatibus, quæ ab illa diſtincta ſit quam ex ægritudinis eſſentia ſumimus: ſed ſolum oſtendere oportet, quod in eiſdẽ temporibus diuerſas habent diſpoſitiones. Hoc dictum ſit ob recentiores, qui uolunt morbum eſſe in inclinatione quo ad eſſentiã, & in ſtatu quo ad ſymptomata. Nos uerò dicimus, & ſymptomata, & ægritudinis eſſentiam ſimul eſſe in ſtatu, & in alijs temporibus, ſed ſymptomata habere diuerſam diſpoſitionem à diſpoſitione eſſentiæ.

APHORISMVS XXXI

EIus qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

BRASAVOLVS

Satis ſuperq; eſſet, ſi lectorem ad octauum huius ſecundi libri aphoriſmum remitteremus, in quo huius ratio poſita eſt, tamen illa breuibus in mentem reuocabimus, & in medium adducemus, ne laborẽ ſubterfugere uideamur. Philotheus hic dicit οὗτος ὁ ἀφορισμὸς ἀναληπτικός ἐστιν. καὶ δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν, ἐξ ἀῤῥωστίας, ideſt, hic aphoriſmus ijs qui reparant uires accõmodatus eſt, & manifeſtum eſt ex eo quod dicit, ex ægritudine. Nam, ut dicit Oribaſius, non agit de illo qui à ſanitate ad morbum uenit, ſed de illo qui à morbo ad ſanitatem reuertitur.

τῷ εὐσιτέοντι, ideſt, bene cibãti, hoc eſt qui bene cibatur uel appetit. nam Hippocrates ſecundum Aſiaticũ morem intelligit eum qui appetat, & ſecundum quod appetit bene comedat. Theodorus interpretatur ſi cui bene aſſumenti cibum. Philotheus exponit εὐσιτία δέ ἐστιν ἡ πολλὴ τροφὴ, ideſt, bona cibatio autem eſt multus cibus.

ἐξ ἀῤῥωστίης, ideſt, ex ægritudine, hoc eſt poſt ægritudinem, non tamen in neutralita-

te, ut recentes exponunt, sed in sanitate, quæ tamen remissa est.

μηδὲν ἐπιδιδόναι τῷ σώματι, idest, nihil proficere corpus,] intelligendum est, et quo ad uires, & quo ad carnem. nam qui bene cibatur, impinguari debet, & secundũ uires crescere, uel si natura macilẽtus sit, ad suum gradum deduci, & uires recuperare debet, quæ si non fecerit, infert Hippocrates.

μοχθηρόν, idest, malum. Nam ut octauo Aphorismo superius exposito dictũ est, hunc adeo comedere significatur, ut concoquere non possit, nec in corporis partes distribui, atq; mẽbris assimilari quod insumitur, sed inconcoctũ forte deijcitur. Philotheus interrogat propter quid malũ sit, respõdetq;, ἐπειδὴ ἡ ὄρεξις οὐκ ἔστι κατὰ φύσιν. ὀξώδης γὰρ ὑπόκειται χυμὸς περὶ τὴν γαστέρα, ὃς ἐπεγείρει μὲν τὴν ὄρεξιν, πλὴν διὰ ψύξιν οὐ πέττεται ἡ τροφή, καὶ ἐνταῦθα ἀτροφεῖ τὸ σῶμα, idest, Quoniam appetentia non est secundũ naturam. nam acetosus humor circa uentriculum supponitur, qui famem quidem excitat, ueruntamen ob frigiditatẽ nõ coquitur cibus, & hinc corpus non alitur. ut Philotheus eandẽ ferè huius appetentiæ causam reddat, quæ caninæ appetentiæ pro parte assignatur. Oribasius uerò dicit Malum esse, quia significatur in illo putredinem esse, quæ refici corpus nõ permittit, sed totum ad putredinem trahit. Cum de eo qui appetat Galenus aphorismũ intelligat, forte illum etiam intelligit Hippocrates, qui bene cibatus sit, etiam si non appetat, sed uel appetat, uel non appetat, si hic mulierum suasu (ut plerunque fit) aut eduliorum uarietate, ac saporũ diuersitate allectus, bene cibatur, tamen non proficiat, malum: quoniam significat multos prauos humores adhuc superesse euacuandos. Tamen expositio prima Galenum sequitur.

GALENVS

Oportebat & hunc aphorismũ, & illũ qui sequitur, adiunctũ esse illis qui supra scripti sunt. ubi dicebat. Si quis à morbo cibũ assumens non corroboratur. In illo igitur aphorismo, pro uerbo bene cibatur, inquiens cibũ assumere, de casu aliquid docuit, scilicet non corroborari. Hic uerò cibũ assumere cõmune utrisq; seruauit, casum autem uariauit, quoddã illis scribens proportionale. Nã nihil corroborari, nihil proficere corpus, similia quodãmodo sunt. Illud enim potentię nostrum regẽtis corpus, hoc uerò ipsius corporis affectus est. Fit uerò hoc, ut scilicet corpus non bene alatur, atq; proficiat, nõnunq; ex potẽtię qua ipsum nutritur imbecillitate, nõnunquam autem ex malorum humorum superabundantia.

BRASAVOLVS

PRIMO docet, hunc aphorismum, & sequentem, octauo huius libri aphorismo iũgendos esse.

SECVNDO notat, cibum assumere, quod est sua lingua τροφὴν λαμβάνειν, positum esse in octauo aphorismo. In hoc autem loco pro accipere cibum usus est uocabulo εὐσιτέοντι, quod est, bene cibum sumenti: unde in symptomate idem ex aliqua parte docuit, nam dicit, non corroborari. In hoc autem loco, cibum assumere, commune utrisq; seruauit, sed symptoma uariauit, tamen posuit quoddam illi proportionale. nam hæc duo, quodammodo similitudinem habent, nihil corroborari, nihil proficere corpus. nempe corpus quod corroboratur, proficit: quod etiam proficit, corroboratur.

Vbi legitur, pro uerbo bene cibatur, deest particula, nunc dicto. nã Gręce adest particula τῆς νῦν εἰρημένης.

TERTIO Galenus differentiã ponit inter corroborari, & proficere corpus, quãuis unum aliud consequatur. nam corroborari ad potentiã quæ regit naturã corporis pertinet, quæ fortior efficitur. proficere uerò corpus, est affectus quidã ipsius corporis. unde corroborari ad uires pertinere uidetur, proficere ad ipsum corpus. ꝓpterea dicit, τὸ δὲ αὐτοῦ τοῦ σώματος ἐστὶ πάθημα. i. hoc aũt ipsius corporis passio est. s. nihil ꝓficere corpus.

QVARTO rationẽ reddit cur corpus non bene alatur, atq; proficiat. hoc aũt potest duplici ratione prouenire: quãdoq; prouenit ex imbecillitate potẽtiæ qua corpus nutritur, etenim distribuere non potest, neq; bene partes nutrire, ideo corpus nõ proficit, sed ut exile et macilentũ est, permanet: altera ratio est ex malorũ humorũ copia. nã multi mali humores, quicquid insumitur, corrũpunt, itaq; corpus non proficit. Habes igitur, aliquã esse in hoc aphorismo, & in octauo differentiã, quia in octauo dicebat, nõ corrobo

rari

rari, quod potentiã respiciebat, quę nostrũ corpus uiuificat & gubernat. In hoc aũt dicit nihil ꝓficere corpus, quod ad ipsum corpus pertinet. est enim corporis πάθημα. i. passio.

APHORISMVS XXXII

OMnes ferè qui male se habent circa initia bene cibati, neq; quicquàm proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt. Qui uero circa initia cibum ualde non appetunt, postea bene appetentes, ij melius euadunt.

BRASAVOLVS

Et hunc aphorismum ex his esse iudicat Galenus, qui ad conualescentes spectant, et octauo huius libri, atq; praecedenti iungendum uult. nam conualescentes qui in principijs bene cibantur, idest, appetunt, & cibum assumunt, tamẽ non proficiunt, quia uires sunt imbecilles, humorum prauorũ reliquiæ seruantur: propterea quæ assumuntur, non concoquuntur, sed in humorum præexistentiũ naturam transeunt. Quare tanta humorum copia exaceruatur, ut uis uentriculi concoctrix ferè amittatur, & os uentriculi obtundatur. Ideo circa finem, & temporis processu non appetunt, sed illi qui è contrario, circa conualescentiæ initia cibum non appetunt, nec ualde comedũt, sed forte parum, hi quæ sumunt, concoquere possunt, postea humores illos resoluere, qui in uentriculo existentes, ne appeterẽt, prohibebant. unde temporis processu appetunt, & ideo melius euadunt, quia tunc appetunt cum uires robustiores effectæ sunt, & quando iam prauorum humorum reliquiæ in resolutionem iere.

Probat Galenus, aphorismum in conualescentibus intelligi oportere. propter uerbum ἐπιδιδόντες, idest, proficiẽtes. nam apud Hippocratem, & multos alios, uerbum proficere in melius, de conualescẽtibus dicitur, & propter hoc in conualescentibus aphorismum intelligit. Philotheus dicit καὶ οὗτος ἀναληπτικὸς ὁ ἀφορισμός, idest, & hic aphorismus resumptiuus est. resumuntur uerò, idest, restituuntur uel reparantur soli conualescentes. Oribasius exponit aphorismũ ac si iubeat Hippocrates carnibus abstinendum his qui in principio bene assumentes cibum, male se habent. Nobis autem uidetur & aphorismum in morbis ipsis intelligi posse. Imo hodie absque aphorismi consideratione eius sentẽtiam probabamus. Angelum Corrigiariũ uirum solertẽ in ædibus diui Francisci de quartana febre alloquebar, interim ad nos accessit ingenuus iuuenis Baptista Zãninellus, qui iam per duos menses quartana febre detinebatur, & in principio huius febris nõ assumebat cibum, idest, nec appetebat, nec comedebat, nunc autẽ adeo attenuatæ sunt febres, ut uix persentiat, & iam cibũ appetere incipit & comedere. Alter uerò est qui à tertio mense hoc eodem febris genere uexatur, à principio autem cibũ assumebat, idest, appetebat & comedebat, sed in dies febres uehemẽtiores euadunt, adeo ut iam appetentia remittatur, hocq; in multis experiẽtia singulis annis uidimus, qui (in quartanis potissimum) in principijs bene appetentes, in peius mutarunt: qui uerò non appetebant, in melius commutarunt. Quare nihil prohibet, Hippocratem in morbis etiam intelligere, hoc modo,

ὡς τι πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, idest, Omnes ferè qui male se habent] idest, qui ægri sunt. uel, secundum Galenum, conualescentes.

κατὰ ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες, καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, idest, Secundum principia quidem scilicet ægritudinum, hoc est in ægritudinum principijs bene cibati, hoc est appetentes, & comedentes: & nihil proficientes, idest, & quod hæc cibi sumptio nihil proficiat, uel secundum Galenum intellige de principio conualescentiæ. Isti

πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσι, idest, Circa finem, hoc est prope finem, uel postea, rursus non appetũt.] Quia (ut etiam Philotheus dicit) magna humorum copia implentur.

οἱ δὲ κατὰ ἀρχὰς ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, idest, Illi uerò qui circa principia cibum ualde non appetunt.] Intellige uerò circa principia ægritudinum, uel, secundum Galenum, circa principia couualescentiæ.

ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, idest, Sed postea appetunt] in processu scilicet ægritudinis, uel conualescentiæ.

βέλτιον ἀπαλλάσσουσιν, idest, melius euadunt. Nã hi facilius sanantur, propterea aphorismum in ægritudinibus ipsis intelligi, nihil prohibet. Imò & Oribasius in ægritudinibus secundam aphorismi partem exponit, inquiens, De peracuto loquitur morbo, monens ut in initijs abstineant. Olim enim usq; ad tertiũ diem nihil dabant medici, unde et Diatriton dies illi uocãtur. sed male id, quia in omnibus ęgritudinibus agebãt, & si erat diaria ab intemperie profecta, magis uexabatur æger, exercebaturq;, & maius fiebat è paruo. Ergo admonet, ut initio abstineant uehementius, & paulatim se reficiant, atq; sic morbo citius liberabuntur. Imò & ex ipso aphorismi contextu probari potest, in ægritudinibus aphorismũ intelligi oportere. nam dicit, circa initia, quod principio morbi aptius applicatur, quàm principio conualescentiæ, præsertim quia additur, omnes qui male se habent: hoc uerò exponi non debet, idest, qui nondũ sunt perfecte sani, sed cõualescunt: quoniã hi nunquàm dicũtur male se habere. Nec Galeni argumentũ cogit nos ut conualescentes intelligamus, quo dicit, uerbũ proficere apud Hippocratẽ & alios dici de cõualescentibus, quoniã & de his etiã qui ęgri sunt, dicitur. Adde, ultimũ aphorismi uerbum ἀπαλλάσσουσιν, idest, euadunt, apud Hippocratẽ & alios de ægritudine dictũ reperitur, à qua ægri liberãtur & exeunt. Ex his igitur colligi potest, aphorismum in ægritudinibus intelligi posse, in qua si quis à principio cibũ assumat, cum prauis humoribus oppletus sit, adeo crescũt ciborũ additione, ut uẽtriculi os obtũdentes appetentiã remittant & auferant, isq; in peius proficiat, quàm ille qui à principio ægritudinis cibum non assumit. nam in hoc humores potius resoluũtur, & à morbo liberãtur, & deniq; in integrã appetentiã incurrimus. Itaq; exponentes hunc aphorismũ, et à pręcedente, & ab octauo distinctum facimus. Scito particulã ὡς τὰ πολλά, quã Leonicenus, fere, interpretatur, si alio modo exponatur, quoniã τὰ πολλὰ, ἀντὶ πάντα apud authores dici consueuit, alter etiã erit sensus aphorismo assignandus. Tamen cõuenientius est ut pro fere exponatur, quoniã hoc in omnibus non reperitur, sed in aliquibus fallit. nã si intelligamus cõualescentes, quandoq; ita non habẽt: si uerò ægros, eodem modo. Deniq; & si eos qui in ægritudine sunt intellexerimus, tamen quenquàm non taxamus, sed & in cõualescentibus intelligi posse cõcedimus. Tuq; bene considera has particulas, εὐσιτέοντες, idest, bene cibati, ἀσιτέουσι cibum non appetunt, εὐσιτέοντες bene appetentes. nam in Græca lingua aliud quoddam important, quàm hoc modo Latine expressum sit.

GALENVS

HIc etiam aphorismus de his esse dictus uidetur qui ex morbo cõualescunt. Nõ proficere enim de his dicere cõsueuerunt, tum alij, tũ Hippocrates ipse. Si quis igitur bene ab initio cibatus nõ nutriatur, qua causa hũc subit affectũ, ex eadem fit male appetens cibũ. Causa uerò ob quã bene ab initio cibati nihil proficiant, est totius corporis uitiũ cum partiũ appetentium uigore: uerum processu tẽporis ob cibi multitudinẽ aucto in toto corpore uitio, ipsum etiã appetendi instrumentũ male se habebit: quare inappetentes fient qui prius bene appetebant, quos recte bene cibatos nominauit. Dixerat autem hoc ipsum in præcedentibus aphorismis, hoc modo. Si uerò cibum non assumente hoc fiat, scire oportet quod euacuatione indiget. Porro eos qui ab initio male appetũt, adeo ut parum assumant cibi, postea uerò ad cõtrarium transeunt, melius permutari inquit. Hoc uerò ideo euenit natura eo tempore, quo parum cibi assumebant, ipsam quæ causa erat inappetentiæ, dispositionem concoquente.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus aphorismum de conualescentibus intelligi oportere probat, propter uerbum ἐπιδιδόντες, idest, proficientes, quo Hippocrates & multi alij in conualescentibus utuntur.

Vbi legitur, ex eadem fit male appetens cibum, deest particula, rursum. nam Græce legitur διὰ ταύτην αὖθις ἔσται κακόσιτος, idest, ex eadem rursus fit male appetens cibum.

SECVNDO rationem ponit, quare bene cibati non proficiant, & est totius corporis uitium, cum partium appetentium uigore, sed per temporis processum appetẽdi instrumentũ etiam male se habebit, quia ob cibos qui corrumpuntur, obtunditur. Cętera ex se manifesta sunt, si nonnulla ad ampliorem doctrinam annotauerimus.

Vbi legitur, Quos recte bene cibatos nominauit, Græce est καλῶς οὖν σιτίοντας ὀνόμασεν.

Vbi etiam legitur, Adeo ut parum assumant cibi: deest particula, omnino. nam Græce est ὡς παντάπασιν ὀλίγα λαμβάνειν, idest, Adeo ut parum omnino assumant cibi.

Vbi legitur, hoc uerò ideo euenit, in nostro antiquo codice est, hoc uerò euenit συμβαίνει δὲ τοῦτο, in Aldino uerò habetur, συμβαίνει δὲ τοῦτο ἐκ τοὐναντίου, idest, hoc uerò euenit, si è contrario.

APHORISMVS XXXIII

IN quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrà uero se habere, malum.

BRASAVOLVS

Nullus est quantūcunq; inexpertus, qui ambigere possit, & in morbis, & extra morbos optimū signum esse, uires siue corporeas, siue ad animum spectantes, esse integras, & inculpatas. Ab Hippocrate in hoc aphorismo duo proponuntur memoriæ mandanda, unum est, in omni morbo mente constare, bonum esse: aliud est, bene se habere ad ea quæ offeruntur, idest, optime ea suscipere, quæ à medico tam de cibis, quàm de medicis potionibus exhibentur, bonum esse. Sicut autem hæc bona sunt, & in omni ęgritudine laudabilia: ita eorum opposita mala esse iudicare oportet. nam in omni morbo non constare mente, malum est. Etenim significatur, partē humanarum uiriū male affectam esse. Adde si inepte, oscitāter, & incōmode quis in morbo, ea quæ offerūtur, receperit, uel cibi sint, uel medicamēta, malū est. Hæc igitur sit in genere regula, quæ ad prædictionem pertinet, Mente constare, & bene se habere ad illa quæ offeruntur, ægrum sanitati restituendū prædicere possunt, uel saltē esse optima in morbis indicia. E contrario uerò, esse mala & perniciosa. Philotheus hic dicit, οὗτος προγνωστικὸς ὁ ἀφορισμός, καὶ ἀπὸ τῶν τιμιωτέρων ποιεῖ τὰς προγνώσεις, τουτέστιν ἐγκεφάλου καὶ γαστρός, idest, hic aphorismus præsignificatiuus est, & à nobilioribus partibus prædictiones facit, hoc est cerebro & uentre. De cerebro non est dubium quin sit nobile membrum, De uentre dubitari licet.

ἐν πάσῃ νόσῳ, id est, In quouis morbo, de quocunq; morbi genere intelligens.

τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, idest, hoc qđ est mēte constare, nōnulli exponūt bene sperare, tamē & si spes in ęgritudinibus plurimū faciat, hic aliud maius uoluit Hippocrates intelligendū q̃ sperare. Alij intelligunt, in operationibus animę bene se habere, & non lędi, quod quidē q̃ optimum est in omni ægritudine. hoc aūt exquisitius ostendemus, si quid sit mens apud Hippocratē edoceamus. Hippocrates, & Plato circa animā idem sentire uidentur, ut Galenus in libro De placitis Hippocratis & Platonis edocuit. Constat uerò apud Platonem τὴν διάνοιαν, idest, mentē esse illā animæ partē speculatiuam & diuinam, cuius officiū est intelligere, speculari, species perfecte cognoscere. hanc Hammonius præesse dicit ratiocinationi syllogisticæ. Hoc igitur erit mente constare, idest, intellectiuā partem constantē habere: tuncq; constans est, quoties organa, per quæ in nostro corpore agit, bene affecta sunt. nā & si extra corpus absq; organo suis munijs fungatur, in corpore dū est, si organum praue affectū sit, opere caret suo, hoc igitur est mente constare. qui enim mente non constant, idest, intelligētia carēt, hoc illis inest, ob prauā organorū affectionem, nempe cerebri. Illi uerò mihi summe displicent, qui animæ intellectiuæ immortalitatem saluare uolentes, ad id cōfugiunt quod organo non indigeat in suo opere, immo dum est in corpore, organo indiget. aliter opus esset, cum aliquis omnes sensus amittit, & in syncopim uenit, saltem intelligere. at experiētia uidemus quod non intelligunt: propterea nos dicimus, animam immortalem esse, & dum extra corpus est, organo non indigere ad suum opus, quia intelligentiæ similis est. cum uerò in corpore est, in eo habet organa, & sine illis otiatur: propterea organorum affectio animam & mētem afficit. Qui ergo mente constant, cerebrum bene affectum habent, & omne neruosum genus, unde & Philotheus dicit, bonum esse constare mente διὰ τὸ τὰ περὶ τὸν ἐγκέ-

φαλου καὶ μήνιγγας, πάντί τε νωτιαίω μυελῶ καὶ διαφράγματι, καὶ ὅλως τὰ νευρώδη μόρια, καὶ μάλιστα ὅσα πλησίον εἰσὶ τοῦ ἐγκεφάλου, πάντως ὑγίειαν σημαίνεσθαι, idest, Quoniam ea quæ circa cerebrum sunt, & panniculos, & totam spinalē medullam, & septum transuersum, & omnino neruosas partes, & præsertim quæcunq; prope cerebrū sunt, omnino sanitatem significare. Oribasij hic cōmentarius, Oribasij non esse ostēdit. nam Vergilij & Terentij mentionem facit: & potius uidetur exēplis, Hippocratis sensum male exprimere, quàm recte interpretari. nā dicit, considerare semper debet medicus, qualis sit ægrotans, aut quibus delectetur rebus, si est religiosus, apponere debet illi diuinā scripturam, si tamen antea hanc amauit: si uerò ludum literariū frequētet, fabulas Vergilij inserere, breues tamen, quæ illum ad furorē non prouocent: si fuerit adultus, Terentij fabulas & comœdias, & inde aliquid illi recensere. Sic enim cognosces an sana mens sit. si enim hæc omnia apte susceperit, tunc & medico se cōmittet, & quicquid ei offerre uolueris, prompte suscipiet, breuibusq; intelligit, si recte accipiat cibos, mente constare: sin minus, non cōstare. unde apud ipsum, unum solū ab Hippocrate agetur, scilicet edocebit constantiam mentis esse bonam, quæ suaderi potest in aliquo esse, si ad ea quę offeruntur, bene se habeat. Ipse uerò in suo quem interpretatur aphorismo habet cibum appetere.

καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν, idest, Et bene se habere ad ea quæ offerūtur, bonum. hoc aūt est ea non refugere quæ pro uictu dantur, neque illa quæ pro medicis instrumentis exhibentur, ut potiones, medicamenta, catapotia, & non modo non refugere, sed ut decet absque nausea, absque perturbatione, absque aliqua offensione illa sumere. Aphorismum itaque tam quo ad cibos, quàm quo ad medicas potiones intelligo. Si uerò dicas, semper bonum signum non uideri bene se habere ad oblationes, quia in his ægritudinibus, in quibus tenuissimus uictus exhibetur, bene se habere ad illa quæ offeruntur, malum potius uidetur. Immo dicimus esse bonum, non autem esse multa exhibēda, sed satis est, & melius quod ad ea quæ exhibētur, licet pauca sint, bene se habeat. Quod etiā addunt recentes, in hydrope bene se habere ad oblationes malum esse, uanum est. nam semper optimū est ad illa quæ exhiberi debent, bene se habere. Qui uerò bene se habent ad illa quæ offeruntur, necessario naturalia mēbra bene affecta habent, unde & à Philotheo dicitur, hoc esse bonum διὰ τὸ τὰ περὶ τὴν γαστέρα καὶ ἧπαρ αὐτήν τε τὴν καρδίαν, ὁμοίως ὑγιᾶ σημαίνεσθαι, idest, Quoniam & ea quę circa uentriculum, & iecur, ipsumq; cor simul sanitatem significant. Oribasius uero dicit, non bene se habere ad ea quæ offeruntur, quia non constat mente.

Recentes in sua antiqua translatione pro eo quod est, constare mente, habent confortari mente, propterea dubium faciunt, malum uideri confortari mente, quia hæc confortatio spiritus dissoluit, & cor dilatat. sed hæc ambiguitas uana est, quia Græcus contextus dicit ἐῤῥῶσθαι, quod est ualere, & bene robustum esse, ac si dixisset, non delirare. quippe deliria ex mala organorum affectione proueniunt. Imò quod addunt, confortari mente esse causam cur non fiant præsidia, absurdissimum est. nam intelligentes, ut diximus, constare mente est causa cur libenter remedia recipiant, & illa uelint: nec unq; in ethica malum signum est constare mente, licet forte malum sit confortari mente.

Si uerò petas, quid melius sit, an mente cōstare, an bene se habere ad illa quæ offeruntur. Dicimus, utrūq; significare partes aliquas nostri corporis esse bene affectas: sed qui mente constat, habet nobilissimam partem bene affectam: qui bene se habet ad ea quæ offeruntur, naturales partes integras habet, & in ægritudine melius proficit.

GALENVS

NEc; cum aliquod bonum dixerit eorum quæ ad corpus attinent, omnino existimandum est ex eo hominem reualiturum, nec; cum malum dixerit, omnino moriturum. nam fieri potest ut bonū signū à maiori malo superetur, & malū à maiori bono uincatur. Tales itaq; enūtiationes audiendæ sunt de eo solo quod dicitur. Dicitur aūt q; signū est bonū, quātum in ipso est hoc aliquid, & signū malum, quantū in ipso est hoc aliquid. De morte aūt, ac uita oportet omniū signorū uires prius bene perpēdētes, ita pnūtiare, quēadmodū et ipse in Prognosticis cōsulit: sic et nūc cōstare mēte, et appetitū pmanere, bonū est signū in quouis morbo. Quędā enim nō in omni bona sunt, ut ipse cōsueuit

uit nobis significare, inquiens. Spirandi aūt facilitatem putare oportet ualde magnā habere uim ad salutē in omnibus morbis acutis. Quod autē constare mente bonum sit signum, ex isto cognosces: quæ ad cerebrum attinent, atq; membranas, & spinalem medullam, nec non & septum transuersum, & omnino partes neruosas, quę præsertim sunt iuxta cerebrum, sana esse omnia significantur ex mentis constantia, sicuti & quę ad uentrem attinent, & hepar, & cor, ubi adest promptitudo ad illa quæ offeruntur. Cum uero hæc omnia robusta sunt, non parua spes de ægroti salute haberi potest.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat, cum apud Hippocratē dictum reperitur, bonum signum, malum signum, non est opus intelligere bonum signum, salutem perpetuo significare: & malum signum, perpetuo mortem. nam bonum signum esse potest, tamen postea magnum aliquod malum simul misceri, quod interficiat. Vnde mente constare, simpliciter est bonum signum, ueruntamen aliquis intestinorum difficultatem habere poterit, quæ interficiet. In hac uero difficultate ægri potissimum mente constant, itaq; malum signum esse potest, tamen alia bona signa superabunt. unde cum apud antiquos medicos scriptum reperitur, bonum signum, uel malum, hoc intelligendum est quantum sit ratione sui, & ut tale est, non quod alia maiora esse non possint, quæ oppositū ostendant, & ideo cum de morte, aut de uita prædicare uoluerimus, omnia signa sunt simul iungenda, quæ ab Hippocrate in libro Prognosticorum enumerantur, & in ordinem disponuntur.

Quod dicitur, De eo solo quod dicit ἐκείνου μόνου τοῦ λεγομένου, idest, ac si id solū dicatur.

SECVNDO ex eo colligitur aliqua esse signa bona in aliquo morbo, aliqua uniuersaliter bona in omni morbo, ut illud, spirandi facilitas est bonū signum in omni morbo, ita & hæc duo signa in omni morbo bona sunt. nam bonum est in omni morbo, bene appetere, & mente constare.

TERTIO per, bene se habere ad illa quæ offeruntur, intelligere uidetur, bene appetere, ideo quo ad cibum Galenus Aphorismum intelligit, & non ampliat, ut nos fecimus ad illa etiam quę sunt medicæ potiones, & ad medicamenta, & catapotia, & cætera quę à medico ægris iniunguntur.

QVARTO notat, quod ex mentis cōstantia, partes quæ à cerebro dependent, sanę & illæsæ esse cognoscuntur. quæ aūt sunt istæ partes, ipse enumerat, primo membranas ponens, & præsertim illas quæ sunt cerebro propinquæ, si hæ lædantur, cerebrū etiā læditur, & is mente non constat. De cerebro propinquis intelligo, quia à cerebro distantes ita facile ipsum lędere nō possunt, tamē & deniq; lædunt. Secūdo ponit spinalē medullā, quæ cū fuerit læsa, cerebrū unà lęditur, & mēs ipsa, quæ in illo operatur. est uero spinalis medulla, aut cerebri superfluitas, aut eius substātia. Tertio ponit septū trāsuersum, ex quo maximè læditur cerebrū, & in dies uidemus, cū laterales morbi in septo trāsuerso sunt, semper deliria induci, imò cū aliqua affectio est in ipso trāsuerso septo, cerebrū patiē, atq; mēs, ideo phrenes, idest, mētes ab antiquis dicitur, ut Galen. quinto De locis affectis lib. cap. tertio ostēdit. Deniq; ac si summā faciat, ponit omnes neruosas partes cerebrū male afficere, & præsertim illas quæ ꝓpe cerebrū sunt. nā quę plurimū distant, illud necessario nō afficiūt, & ex cōsequēti mēs in sua cōstantia perseuerat. Quare omnes enumeratę partes bene se habēt, si mēs cōstet, hocq; semper bonū signū est, & in omni morbo, tamē nō impeditur quin etiā mori possit, quāuis hæc omnia signa existāt, quia ex alia affectione decedere posset, quæ ad aliquā particulam spectaret ex illis quas Galenus enumerauit.

QVINTO notat, promptitudinem ad illa quæ offeruntur, significare multas partes bene se habere, sicuti illę quæ ad uentrem attinent. nam dicit τὴν γαστέρα, ut totum inferiorem uentrem significet, in quo uentriculus, intestina, & cætera quæ sub septo transuerso posita sunt, cōprehenduntur, & in quo duę primę coctiones fiunt. nam hic nō appeteret nisi coctiones probe fierent. numerat etiam iecur, καὶ τὴν καρδίαν. idest, cor, in quo loco intelligi posset os uentriculi, quod antiquiores cor uocabant, quamuis & proprium cor intelligi posset, in quo est concupiscentia, in ore autem uentriculi est, appetentia.

Vbi legitur, Et hepar, & cor, lege & hepar, & cor ipsum. nam Gręce est καὶ ἧπαρ, αὐτὴν τε τὴν καρδίαν.

Cum etiam legitur, ubi adest promptitudo ad illa quæ offeruntur, deest particula ali

menta, ut legatur, ad illa alimenta quæ offeruntur. nam Græce est ὅταν ἑτοιμοι πρὸς τὰς τῶν σιτίων ὦσι προσφοράς.

APHORISMVS XXXIIII

IN morbis minus periclitantur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit.

BRASAVOLVS

QVANTO magis ægritudines sunt naturæ ægri similes, aut eius ætati, aut eius habitui, aut anni tempori, tanto minus dispendij adest, & tanto facilius ægri in sanitatem restituuntur. & ratio in promptu est, quia hic morbus est naturæ ægrotantis propinquus cum sanus est, ideo facile, & absq; multo momento in sanitatem restituetur, & commodius, quàm si ad oppositum lapsus esset, aut multum à natura ęgri, cum sanus est distans. nam hoc modo in pristinum statum difficilius reducitur. Ita de ætate, atq; alijs conditionibus, quas in ordinem ponit, dicere oportet. cum uerò morbus cum nullo congruit, idest, nec cum natura, uel ætate, uel habitu, uel tempore, tunc magis periclitantur ægrotantes. Imò & Hippocrates in libro De hominis natura dicit, sic medicum morbis mederi oportet, habita bene cuiusq;, quod in corpore pro tempore & eius natura uiget, ratione. Sed Oribasius dubitat, si regula est, similia similibus gaudere, & calorē calori augmento esse, item si æstas calida est, humor calidus, iuuenis calidus, ista omnia coeuntia non faciunt à se alienum morbum, sed magis augent calorem. Respondet, omnia hæc simul incidentia non efficere peregrinam ægritudinem, sed secundum naturam. nam ætas secundum naturam est, & humor, iuuenisq; in tali regione: sed febris quæ naturę nō conuenit, idest, accidentaria superat omnes res naturales, quia à natura recedit. Omne enim quod ex calido est, cito mouetur, & iudicatur. si secundū calorē nō fuerit, malum est, ut est iuuenum ægritudo in hyeme & senum in ęstate, atq; hi morbi naturæ non conueniunt, qui non in suo tempore ueniunt, nec in propria ætate. hæc Oribasius. Philotheus hic dicit καὶ οὗτος ἀφορισμὸς προγνωστικός ἐστιν, idest, & hic aphorismus prognosticus est, idest, uaticinatorius uel prænuntiatiuus.

Εν τῇσι νούσοισιν, idest, In morbis.] Intelligere oportet secūdum Galenum de morbis ex humoribus factis, non de factis absq; materia, quia morbi absq; materia facti in tempore simili, & in ætate simili, & in natura simili crescunt, & peius habent. quamuis simpliciter aphorismum in omni morbo tueri possemus, sed melius est materiales morbos intelligere, & Hippocrati aptius, & tales, in quos facile eæ naturę dilabuntur, uel tali tempore, uel in tali ętate. ut exempli gratia, quod quis æstiuo tempore biliosa febre laboret, est morbus proportionatus. quod etiā iuuenis eadem laboret, proportionatus est, sed quod senex biliosa febre corripiatur, improportionatus est morbus, & quod in hyeme. unde intelligere oportet morbum à materia dependentem, ueruntamen proportionatum.

Ησσον κινδυνεύουσιν, idest, minus periclitantur.] Hoc est uel minus moriūtur, uel minus dispendij incidunt, & minus affliguntur: utiturq; particula Minus, ne quis putet nō periclitari. nam periclitari quidem possunt, sed ob conformitatem rarius fit.

οἷς ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, idest, quorum conuenit naturæ.] Si rectè Hippocrates exponi debeat, opus est intelligere quid per naturam uelit. Superius in primo, ubi dicebat, Ventres hyeme & uere natura calidissimos esse: natura secundum Galenum pro naturali calore accipiebatur. in illo etiam primi libri aphorismo, Concocta medicari, & mouere non cruda, Galenus dicit naturam omnium membrorum habere quatuor potentias, ubi in alio significato naturam accipit: & in principio libri De seminis genitalis natura, quem Galenus Polybi esse iudicat, alio modo naturam accipit. ubi in principio statim dicit, lex quidem naturæ cuncta superat. ut autem huic rei finem imponamus, hic secundum Galenum per naturam temperaturam intellige, quæ ex elementorum miscella simul

ſimul prouenit, ut in toto libro De hominis natura, uocabulum natura accipit. eſt igitur natura temperies ex elementis reſultans, uel complexio, quam ſi morbus ſequatur, minus periclitatur æger: ſi morbus ſit oppoſitus, magis periclitatur.

Καὶ τῇ ἡλικίῃ. ideſt, & ætati.] Nam ſi morbus ætati correſpondet, minus periculoſus eſt, quàm ſi non correſpondeat. unde in ſenioribus acutæ febres propter hanc cauſam letales ſunt, quia ſunt ætati improportionatę, & contra ſeniorum naturam. unde & à Philotheo dicitur ἐὰν ἐν παρακμαστικῇ ἡλικίᾳ τριταῖος γένηται, καὶ ἐν γεροντικῇ, διότι ἀσύμφωνός ἐστιν τῇ γεροντικῇ ἡλικίᾳ, μᾶλλον ἐπικίνδυνος. δηλοῖ γὰρ ὧδε τούτων, τουτέστι τῶν ἀσυμφώνων τὸ αἴτιον ἰσχυρὸν εἶν, ὥστε δύνασθαι νικᾶν τὴν ἐκ τῆς ὥρας ἐναντίωσιν. ἐπειδὰν ἐκ τῶν συμφώνων, οὐ δηλοῦται μέγα τὸ αἴτιον. ὧδε τὸ ὅμοιον τὴν ἐκτροπὴν ἐπεδέξατο, ἥτις εὐχερῶς γίνεται, κἂν μὴ σφοδρὸν ᾖ τὸ τὴν ἐκτροπὴν ἐργαζόμενον αἴτιον. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ φύσεως καὶ τῆς κράσεως τοῦ σώματος, καὶ τῶν λοιπῶν εἴρηται. ideſt, Si à uigore tertiana fiat & in ultimo ſenio, quoniam ſenili ætati incongrua eſt, magis periculoſa eſt. in his enim, hoc eſt in abſonis cauſam fortem eſſe oſtendit, ut quę poſſit uincere contrarietatem quæ ex tempore eſt, quoniam ex congruis magna cauſa non oſtenditur, quoniam ad ſimilem conuerſionem conſentit quę facile fit: & niſi magna ſit cauſa, conuerſionem facit. eodem modo autem & in natura, & in corporis temperatura, & in reliquis dictum eſt.

Καὶ τῇ ἕξει. ideſt, & habitui.] Per quem habitum corporis habitudinem intelligit, quæ alia res eſt à temperatura, quamuis temperaturam ſequatur. uerum ſi morbus ſit ſibi & illi conueniens, minus periclitantur: ſi diſſimilis & improportionatus, magis periclitantur.

Καὶ τῇ ὥρῃ. ideſt, & tempori.] Nam & tempora ſuos peculiares morbos habent, Qui proportionales ſunt ſi in ipſis fiant: ſi uero alterius naturæ ſunt, improportionales erunt & periculoſiores. per Tempus uero, anni tempus intelligit.

Ἢ νοῦσος ᾖ μᾶλλον ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τούτων ᾖ. ideſt, magis cõgruit morbus, quàm quibus ſolum nihil iſtorum congruit, uel proprius eſt, ob cauſas ſuperius dictas.

Theodorus, atq; Leonicenus hunc Aphoriſmum intelligunt, ac ſi omnes hæ partes ab Hippocrate per diſiunctionem poſitæ ſint, cum tamen ſemper copulatione utatur. Id diximus, quia non ſolum aphoriſmus ſingulatim intelligendus eſt: ut quod morbus naturæ congruat, & non ætati, tempori, & habitui: uel tempori competat, & non ætati, naturæ, habitui: uel habitui competat, & non ætati, naturæ, tempori: ſed morbum omnibus conuenire intelligendum eſt, & naturæ inquam, & tempori, & ætati, & habitui. nam hic morbus tutior eſt, quàm is in quo hæc non conueniunt, uel unum, uel plura ſint: quantoq; plura conueniunt, tanto morbus eſt tutior. tanto autem periculoſior eſt, quanto pauciora conueniunt. Si uero petas quid præ cæteris ſpectandum ſit, Reſpondebimus, naturam ipſam, ideſt, temperamentum. quia alia & ſi nonnihil faciant, tamen ita recte ſpectanda non ſunt, ut ipſa natura, quamuis nec alia deſpicere oporteat: & ſi hic Hippocrates hæc quatuor ſolum enumerauerit, naturam, ætatem, habitum, & tempus, nos regionem addere debemus, exercitium, cibos, & reliqua, quę quandoque peculiares ægritudines habent. Poſſet etiam huic aphoriſmo alter ſenſus condonari, cum in diuerſis ætatibus natura, ideſt, temperamentum immutetur, & in diuerſis temporibus idem temperamentum immutetur, & ſecundum diuerſas habitudines quas habet corpus, natura immutetur. propterea dicere poſſemus, naturam determinare ętatem, habitum, & tempus, hoc modo: ęgri minus periclitantur, quorum morbus naturę ætatis congruit, aut naturę habitus, aut naturę temporis: ut natura hęc omnia determinet. Ad Aphoriſmum igitur redeuntes, qui natura calidus eſt, & in ætate calida, morbos calidos facilius incurrit, qui & facilius curantur. frigidi uero morbi in prædictis qualitatibus difficilius imprimuntur, & impreſſi difficilius ſanantur, quia hi maiorem diſtantiam habent, ſi reduci debeant, quando reducuntur, quàm illi habeant qui ad ſimiles qualitates lapſi ſunt. nempe qui ad ſimiles qualitates lapſi ſunt parum diſtant. Cum uero hęc dicimus, ſemper ſano modo intelligimus. nam ad ſimiles qualitates non eſſet facilior lapſus, ſi æger per longum ſpatium in ſimiles qualitates dilaberetur. Alter uero per breuem & paucam diſtantiam in oppoſitas qualitates tranſiret. Ideo opus eſt æqualem diſtantiam ad ſimiles qualitates, & ad oppoſitas facere,

tuncque periculosius est ad dissimiles qualitates dilabi. Intelligo autem eorundem graduum in numero similitudinis & dissimilitudinis, ut si in quatuor gradus ad similes qualitates cadat, in quatuor etiam ad dissimiles labatur. hoc diximus, quia medium inueniri posset, in quo gradus similis ad gradus dissimilis lapsus proportionem haberent, ut si similis sit ad quatuor, dissimilis ad duo, poterunt esse æque facilia ad expellendum: tamen simpliciter morbus qui ad similes qualitates uergit secundum naturam uel ætatem minus periculosus est, quia est morbus his rebus proportionem habens, licet gradus quidā inueniri possit, qui ad expellendum eandem facilitatē habebit.

GALENVS

CVM natura multis dicatur modis, audiendum apud ipsum iuxta illud significatum, quo in multis alijs locis usus est, & in toto libro De natura hominis, in quo eam quæ fit ex primis elementis temperaturam, naturam nominat, ac si ita diceret. In morbis minus periclitantur quorum optimæ corporis temperaturæ, uel ei quæ uel ratione ętatis, aut habitus, aut temporis superuenit, magis congruit morbus quàm quibus secundum nihil istorū congruit. Calidæ enim naturæ, & ætati, & habitui, & tempori, & anni constitutioni, ac regioni morbi calidiores sunt congruentes. Frigidioribus uero frigidiores, eadem ratione & siccioribus sicciores, & humidioribus humidiores. Contrarium aūt à Diocle dictum est, & in libro De septimanis, cuius autores opinantur, incitari quidem à similibus morbos, solui uero à contrarijs, quoniam & ab ipso Hippocrate scriptum est, contrarijs morbis cōtraria esse remedia. Putant igitur febrem ardentem factam hiberno tempore facilius posse sanari, ea quę fit in æstate: non aduertentes quòd uehemens dispositio causa est, ut febris ardens hyeme fiat, neque enim ab initio facta fuisset, nisi causa potentior temporis contrarietatem superasset. Cum igitur anni tempus cohibere non possit causæ magnitudinem, cum tamen habeat sanitatem sibi suffragantem, multo minus morbo iam facto superauerit, non assistente sanitatis robore. Sed & hoc est ipsa experientia compertum. Nam duarum febrium ardentium magnitudine parium, illa quæ aduenit hyeme est perniciosissima: sicuti quando in calidiori temporis constitutione ortum habuerit, subita autem ad frigus mutatio facta fuerit, non parum iuuatur hæc febris ardens ab ambientis aeris frigiditate, cum hæc ipsi utraque bona insint. Prima quidem temporis constitutio, in qua morbus factus est tanquam signum, altera uero in qua solutus est tanquā causa. Hæc igitur omnia magis attestātur, & non aduersantur sententiæ aphorismi, sicuti neque illud quod raucedines, & grauedines, in ualde senibus non concoquuntur. Atqui hæ passiones senili ætati maximè congruunt. Primum & enim non idem est quòd aliquid non concoquatur, & quod sit periculosum. Deinde quòd non simpliciter senes nominauit, sed cum adiectione, ualde. Omnia enim in his sunt periculosa ob uirium imbecillitatem. Sed neque illud quod scribitur in primo Epidemiarum, & maximè moriebantur quibus natura uergebat ad phthisim, his quę dicta sunt aduersatur. Neque enim eam quæ fit ex elementis nunc dixit temperaturā, sed corporis formam. Est enim ubi & hanc naturā nominant, & sicuti uerum est, calidam temperaturam minus in morbis calidis periclitari, ita qui angustum pectus habent, non solum magis incidere in phthisim, sed etiam ubi incidere, periclitari. Nonnulli quidem qui aphorismos exposuerunt, talibus decepti suasionibus, illum cōgruere naturę ægrotantis morbum dixerunt, qui sit temperatura contrarius, quasi aptior esse diceretur, multum, ut ostendimus, & à ueritate ipsa, & ab Hippocratis sententia deerrantes.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hic per naturam Hippocratem temperaturam intelligere, ut in toto libro De humana natura fecit, & alibi frequenter. est uero temperatura ea quę ex primis elementis in nostro corpore constitutis resultat.

Vbi legitur, Audiendum apud ipsum, deest uerbum, nunc, nec legendum est, apud ipsum, sed ipsa scilicet natura. nam Grece habetur ἀκουστέον νῦν ἐστιν αὐτῆ, idest, audienda nunc ipsa est.

Vbi etiam legitur, uel ei quæ uel ratione ætatis, legi debet, uel ei que nunc. nam Græce ita legitur, καὶ τῇ νῦν διὰ τὴν ἡλικίαν, ἢ τὴν ἕξιν, ἢ τὴν ὥραν, idest, & ei quæ nunc ratione

ratione ætatis, uel habitus, uel temporis. huius uero partis sensus est, quilibet homo primam temperaturam habet, quæ mutatur ratione ætatis, ratione habitus, ratione temporis. Ideo hic erit sensus, minus periclitantur quorũ primæ corporis temperaturæ magis congruit morbus, & si non primæ temperaturæ, saltem ei quę nunc, idest, hoc tempore in hoc corpore est, quæ est uel ratione ætatis, nam ętas immutat, uel ratione habitus, uel ratione temporis. nam hæc immutant. unde Galenus de prima temperatura agit, quæ à principio ortus facta est, & de illa quę fit ob ætatis immutationem, aut habitus, aut temporis. Leonicenus uero omisit illam particulam νῦν, idest, nunc, uel forte in suo codice aberat, quæ tamen in sensu perfectionem facit.

SECVNDO ad res ipsas particulariter descendit, inquiens, calidis naturis, in temperaturis calidis, in habitu calido, in ætate calida morbos calidos conuenire: frigidis frigidos, humidis humidos, & siccis siccos.

TERTIO Dioclis opinionem adducit, qui in tertio libro De septimanis oppositum dicit. uult enim morbos fieri maiores qui sunt similes, & periculosiores, minus autem periculosos qui dissimiles, & suam rationem ex Hippocratico principio sumebat, quod est contraria contrarijs curari. Ideo si lapsus sit ad dissimile, facilius curari. nam si quis acuta febre hyeme laboret, is minus periclitatur, quàm si quis eadem, æstate laboret. Galenus uero Dioclem reprehendit, quoniam non esset facta in hyeme hæc febris nisi causa uehemens fuisset. Cum igitur hyems tam uehementẽ febrem cohibere non potuerit, tanto minus factum iam morbum euincere poterit, non existente sanitatis robore. præterea experimento edocemur, lapsus in dissimilia esse periculosiores, & febres ardentes hyeme magis periculosas esse: nosq; quotidie uidemus, acutas febres hyeme ut plurimũ interimere, æstate autem non interimere. Infert igitur Galenus, si duæ ardentes febres accipiantur, magnitudine pares, & una hyeme, altera æstate fiat: illa quæ hyeme superuenit, periculosissima est, quę uero æstate, minime. Sic frigus æstate fiat (ut quandoq; contingit) huic febri prodest, quia duo bona habet: primo bonum signum, quia in proportionali tempore facta est: deinde bonam causam, quia frigus habet, quod calorẽ extinguit. Nec ualet quod hyeme ob maiorem frigiditatem facilius sanari deberet, quoniã corpus hyeme difflari nõ potest, & morbus est tempori improportionatus, qui non fit, nisi à forti causa. & quod superius de ęstiua quartana dictum est, huic sententiæ non opponitur. nam dictum est, quartanam æstate breuiorem esse, quæ tamen ob temporis improportionem longior esse deberet. Nos omnino fatemur esse tẽpori improportionatã, tamẽ æstiuus calor difflare facit corpus, atq; humores attenuat, quod non facit hyemis frigiditas, quæ adstringit potius, & humores ueluti sopitos seruat.

Quod legitur, Cuius autores opinãtur, Gręce est ὑπολαβόντων, ὡς εἴρηται, τῶν γραψάντων ἀνδρῶν αὐτά. idest, opinantibus, ut dictum est, uiris qui scripserunt ipsa.

Quod etiam legitur, Non aduertentes quod uehemens dispositio, Gręce est, οὐκέτ' ἐννοοῦντων, ὡς ἐν μεγίστῃ διαθέσει. idest, Non adhuc aduertẽtes, quod uehemens dispositio, in maxima dispositione.

Quod etiam legitur, cum igitur anni tempus cohibere non possit, lege non potuerit. si uero petas quomodo ex illis duobus bonis, primũ sit tanquam signum, Respõdemus, fuisse tanquam signum significans causam non fuisse multum potentem.

Quod etiam legitur, Cum tamen habeat sanitatem sibi suffragantem, lege in infinitiuo habere.

QVARTO subiungit, hunc Aphorismum illi communi propositioni, contraria contrarijs curari, imò illam magis adiuuare, & ueritatem adiungere: adducitq; alios aphorismos ad hoc propositum, ut ille est, Raucedines & grauedines, in senioribus concoctionem non admittunt. uideturq; argumentari pro Diocle, raucedines & grauedines in senioribus non concoquuntur: tamen hæ ægritudines sunt peculiares & propriæ ipsis senibus. Igitur aliqua sunt periculosa, quæ sunt propria.

Galenus huic argumento respondet: Primo hæc duo non esse idem, non concoqui, & esse periculosum: ideo & si dixerit nõ cõcoqui, tamẽ nõ dixit esse periculosum. Secundo respondet, etiã concesso quod hę dispositiones sint periculosæ quamuis sint proprię, sed intellige quod non sunt periculosæ per se, & ut proportionatæ, sed ob ętatem in qua sunt periculo-

periculosæ. nam dicit in ualde senibus: sed ualde senes, uires habent imbecillas, ideo omnia in senioribus sunt periculosa, uel proportionalia, uel improportionalia sint, & hoc ob uirium imbecillitatem. Tamen improportionales morbos proportionalibus comparantes, fateretur improportionales in his esse periculosiores, quàmuis simpliciter ob uirium imbecillitatem omnes morbi in ualde senibus periculosi sint.

Quod legitur, atque hæ passiones senili ætati maximè cõgruunt, in nostro antiquo codice dupliciter legitur, in prima lectione καὶ ἔτι γε οἰκεῖα πάθη γεροντικῆς ἡλικίας ὄντα, in secunda uero lectionem καὶ ἔτι γε οἰκεῖα πάθη τῆ γερόντων ἡλικίας ὄντα.

Quod etiã legitur, senes nominauit, Græce est εἰρηκὼς τοὺς πρεσβύτας, idest, senes dixit.

QVINTO Galenus argumentum aliud remouet. nam ab Hippocrate primo Epidemiorum dicitur, Et maximè moriebantur quibus natura uergebat ad phthisim, quos sua lingua uocat φθινώδεις. Igitur secundum naturam morbus periculosior est, si illi moriebantur, quibus natura uergebat ad phthisim, tamẽ morbũ, secundum suam naturã habebant. Galenus respondet, in primo Epidemiorum non intelligere Hippocratem per naturam, temperaturam, sed corporis formam: hic uero intelligit formam corporis, extrinsecam figuram, ut habere procerum collum, & gracile, atque similia, non aũt formã, idest, intrinsecam formam, quæ est anima, licet ipse uelit animam uel temperaturã esse, uel nõ nihil ex temperatura resultans. unde infert, sicuti calida temperatura in morbis calidis minus periculosa est, ita qui angustum pectus habent, non solum magis incidunt phthisim, sed etiam ubi inciderint, facilius periclitantur. Ex quibus uidere licet, quod per naturam, formam intelligat, ut habere angustum pectus, oblongum collum atque gracile.

Denique Galenus refert, ex prædictis ratiunculis quosdam aphorismorum interpretes esse deceptos, uolentes morbum naturæ ægrotantis oppositum esse morbum congruentem, & illi proportionatum: eum uero, qui sit similis, improportionatum: quos tamen dicit à ueritate deuiare.

Quod legitur, Quasi aptior, in neutro legi debet quasi aptius, & quod dicit ostendimus, Græce est, ὡς δέδεικται, idest, ut ostensum est.

APHORISMVS XXXV

IN quouis morbo partes ad umbilicum, & imum uentrem attinentes, crassitudinem habere melius est. Multum uero extenuari, ac contabescere, prauum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes, periculosum.

BRASAVOLVS

HIC Aphorismus & in hominum cõstitutione, & in eorundem dissolutione, quę ex ægritudine fit, intelligi potest. In naturali dispositione cum quis ægrotauerit, partes ad umbilicum atque imum uentrẽ attinentes naturaliter crassas habere, bonum est, & melius, quàm si eas tenues & ferè tabidas habuerit, nam hoc malum est. etenim qui illas partes crassas habet atque robustas, calorem etiam naturalem uehementem habet, atque uim concoctricem perfectiorem, & naturalis calor intensius reflectitur. Si uero hæ partes tenues sint, oppositum contingit. nam neque calor naturalis uehemens est, neque uis concoctrix perfecta esse potest, neque calor naturalis intense reflectitur, ideo hoc malum est. sed ad eius malitiam illud facit, quod hic habitus ualde periculosus est ad purgationes quæ per inferiora fiunt. hic est aphorismi sensus, si illum in naturali dispositione intellexerimus. Si uero de dissolutione quæ fit per ægritudinem, intelligere uelimus, alter sensus erit, hic scilicet: in quocunque morbo partes ad umbilicum, & imum uentrem attinentes, in sua crassicie permanere bonum est, & melius quàm si multum extenuentur, & contabescant. nam si in eodem statu permanent, signum est, naturam optime morbum ferre, & illarum partium uires in suis operationibus perseuerare, nec morbum adeo acutum esse ut primo aspectu forte uidetur. si uero ex ui ægritudinis extenuẽtur, & cõtabescant, signum est non resistere febrili calori, & uires earum deperdi. Imò adde, quod hoc etiam incommo-

incommodi habetur, quod ad inferiores purgationes ineptæ fiunt, quippe periculum est illis partibus euacuatis per inferiora purgare corpora. nam resoluuntur, & iam resolutæ sunt. hi duo sensus aphorismo quàm optime quadrant, tamen pars prima de naturali consistentia intelligere uidetur. Secūda uero de ea tenuitate, quę ex ęgritudine fit, tamen utrunque utrique facile iungi potest, & accommodari. Hoc est unum ex illis signis quæ semper bona sunt in omni morbo, & quæ semper mala. nam hi decipiuntur qui dicunt non esse semper bonum, has partes in quocunque morbo esse crassas, cum in hydrope bonum nō iudicent has partes crassas esse. sed hi re uera nō intelligunt quid sit, habere has partes crassas, & quid sint hæ partes, ut deinde uidebimus. Deridendi pręterea sunt cū addunt, nō esse semper malū eas partes extenuari, cū nō sit malum in hydrope: imò non sanantur nisi extenuentur. At ignorant quid sit extenuari has partes, imò & in hydrope bonum est habere has partes crassas atque robustas, & malum habere tenues & imbecillas. Philotheus dicit, ὅτι σημειωτικὸς ὁ ἀφορισμός, σκόπει γάρ. idest, hic aphorismus significatiuus est, speculatur enim.

Ἐν πάσῃσι τῇσιν νούσοισι. idest, In omnibus morbis.] Quia simpliciter loquentes in omni morbo primum est bonum (uel primam uel secundam expositionem sequamur) & secundum est malum, quamuis in nostro antiquo codice & in Aldino scriptum sit, ἐν πάσῃ νόσῳ, idest, in omni morbo.

Τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν, βέλτιόν ἐστι. idest, partes circa umbilicum & imum uentrem attinentes crassitudinem habere melius est. Intelligit uero per has partes totum id quod continetur à septo transuerso usque ad penem. hanc uero partem Galenus, & Græci omnes γαστέρα uocant, cuius tres partes facit Galenus, ὑποχόνδριον, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν, καὶ ἦτρον. idest, præcordium, & ea quę sunt circa umbilicum, & pubem. Leonicenus mire decipitur. nam in huius aphorismi commentatione, & alibi semper uertit ὑποχόνδριον, idest, Ilium, sed constat ilia esse sub hypochondrijs. ὑποχόνδρια uero à Celso dici præcordia. & quod hic Leonicenus dicit imum uentrem, exponens illam perticulam ἦτρον, Celsus pubem uertit. nam libro secundo, capite quarto de malis signis ægrotantium loquens dicit, malum signum esse cutem circa umbilicum, & pubem macram. Vt autem de his partibus parum elucubratius loquamur, scire oportet, in inferiori uentre in quo uentriculus, iecur, lien, intestina, Mesenterium, renes, uesica, atque uterus continentur, cauitas est, quæ omnia hæc capit, & carnoso quodam ex musculis, pelliculis, & cute contexto intrinsecas partes tegente coambitur, à cingulo incipientes usque ad penem & pudenda: tota hæc pars à gręcis γαστὴρ, à nostris aluus & uenter, ab Arabibus Myrach nuncupatur. est autem cingulum, os sub costis, quod est ultimum sterni: sternum uero est sub pectore, ubi sunt mammæ, & pertingit usque ad cingulum, & ibi quoque est malum punicum uel granatum, quod pertingit ad uentriculum, & os ξιφοειδὲς ibi finit. Ab hac igitur parte quę sub costis est, usque ad pudenda, totum quod interiacet aluus, uenter, γαστὴρ, & Myrach uocatur. hæc pars in duas diuiditur, in illam quæ est sub umbilico quæ ὑπογάστριον dicitur, & in illam quæ est supra umbilicū quæ ἐπιγάστριον nuncupatur. Vmbilicus uero qui in medio est, ὀμφαλὸς dictus, partem habet mediam, ἀκρομφάλιον uocatur: & pellis illa, quæ umbilicum circundat, à latinis uetula, à gręcis γραῦς appellatur. pars supra umbilicum dicta ἐπιγάστριον, ὑποχόνδρια, idest, pręcordia complectitur, dexterum scilicet & sinistrum, & in medio uentriculi fundum, quod os uentriculi recentes uocant, cum tamen os non sit, sed fundus. sub umbilico usque ad pudenda, ὑπογάστριον est, idest, subuenter. pars illa, quę statim subiacet umbilico ἦτρον dicitur sumen & abdomen. pars uero quę pilis inhorrescit pubes & pecten. ἦτρον enim Polluci est uenter ab umbilico usque ad pubem. Gaza abdomen interpretatur, quamuis Celsus uisus sit ἦτρον pubem interpretari. hæc proprie dicta sint. In his uero omnibus partibus Hippocratem intelligo, bonum esse si crassæ sint. quamuis satis esset partes ἐπιγαστρίου, idest, superioris uentris esse tales, in quibus sunt iecur, lien, & uentriculus, quę sunt partes, in quibus coctiones perficiuntur. Inferiores uero partes si crassę sint, bonum est, saltem ob inferiores purgationes, quæ tunc facilius fieri possunt, & absque noxa. Scito etiam, crassitudinem de qua hic sermo fit, esse crassitudinem carnosam. quoniam cum illæ partes ob multam pinguedinem (quę suapte natura

frigida est) crassę sunt, non ita adiuuant coctiones, quamuis minus malum sit habere crassitudinem pinguem, quàm tenuitatē: quoniā tenuitas est coctioni contraria, crassitudo autem ex pinguedine saltem intus calorem repercutit, qui uehementior redditus perfectius concoquit. Philotheus & ipse aluum in tres partes iam enumeratas diuidit, inquiens ἰστέον δὲ ὅτι τὸ σύμπαν μέρος τὸ ἀπὸ τοῦ ξιφοειδοῦς χόνδρου μέχρι τῶν τῆς ἥβης ὀστῶν εἰς τρία διαιρεῖται, καὶ τὰ μὲν ἄνω αὐτοῦ καλοῦνται ὑποχόνδρια, τὰ δὲ μέσα τὰ περὶ τὸν ὀμφαλόν, τὰ δὲ τελευταῖα ἦτρον. ἐν πᾶσιν οὖν νοσήμασι, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλόν, καὶ τὸ ἦτρον, πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι. πρὸς τοῦ πάχους γὰρ τῶν ὑποκειμένων σωμάτων ὠφελεῖται θαλπόμενα. καὶ ἡ πέψις τούτων καλῶς γίνεται, καὶ ταῖς καθάρσεσιν κάλλιον ὑπουργοῦσιν ἰσχυρά, idest, sciendum uero quod tota pars à chartilagine xiphoide usq; ad ossa pubis in tres partes diuiditur, & quę in ipsa supra sunt, pręcordia uocantur. Quæ autem media, partes circa umbilicum: quæ uero in fine, imus uenter. In omnibus igitur morbis ea quę circa umbilicum & imum uentrem sunt, crassitudinem habere melius est. A crassicie enim subiectorum corporum tepefacta adiuuantur, & horum coctio bene fit, & expurgationibus melius seruiunt robusta.

Oribasius Aphorismum intelligit de partibus ob ægritudinem extenuatis, & quæ in ipsa ægritudine nō extenuentur. nam dicit, Hippocrates dum umbilicum nominat, media corporis nobis ostendit, hoc est, à parte totum. si quis ergo multo tempore confectus ægritudine, media pleniora habuerit, quale signum est? Scias malum non esse, quoniam illic hepar, stomachus, & cor est, illic operationes obeunt naturę. Quæ dum omnia sana fuerint, quicquid accipitur, cito concoquitur, & nutrimentum naturæ ministratur, & quamuis longa fuerit ægritudo, extenuata corpora non sunt, si uitalia & nutrimentalia bene habeant. Hæc Oribasius, in quibus uides ipsum loqui de eo qui in ægritudine etiā longa partes prædictas crassas seruet.

τὸ δὲ σφόδρα λεπτόν. idest, hoc autem quod est multū tenue.] Idest. si quis habuerit has partes multum extenuatas, malum est. & bene addit, multum extenuatas, quia si parum extenuatas haberet non esset malum, imò in ęgritudine si non extenuantur est malum, tamen multum extenuari nō debent, quia hæc multa extenuatio uirium imbecillitatem significat. si uero non extenuantur, morbi longitudo significatur. & ut tenuitatem illam quæ malum significat, uehementius exprimeret, addit.

Καὶ ἐκτετηκός. idest, & contabefactum.] Vt innuat, multū uero extenuari, imò adeo ut contabescere uideantur, μοχθηρόν, idest, malum est, quia illarum partium imbecillitas & resolutio significatur, & consequenter subiectarum partium: quę sunt, uentriculus, iecur, lien. unde Oribasius dicit: si uero extenuatum corpus fuerit, ueluti quibusdam subsidet stomachus, ita ut spina & uenter unum sint, malum est, testaturq; non longum uitæ spatium superesse, quia omnia extenuata sunt: & tum, quod nutrimentū non datur corpori afficiuntur simul principalia membra, unde non uitæ, sed potius mortis erit expectatio. Hæc Oribasius. Philotheus uero dicit hoc esse malū διὰ τὰς ἐναντίας αἰτίας. idest, propter contrarias causas.

Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας. idest, periculosum autem & hoc ad inferiores purgationes.] Quoniam illarum partium densitas atq; crassities medicamenta facilius tolerat. nam omnia medicamenta potentia calida sunt, imò & ualde calida, Galeno teste: propterea si illæ partes graciles sint, facile est ut adhuc magis gracilescant ob medicamenti uim, & si graciles partes à flatu extendantur, facilius læduntur quàm crassæ, & preterea si tormina contingant, à crassis facilius quàm à tenuibus hypogastrij partibus feruntur.

Scitoq; ad inferiores purgatiōes, additū esse, quoniā hæ partes ad purgationes superiores, aut nihil aut parū faciūt, nisi quis de uentriculo dixerit, quod multū facit ad purgationem per uomitū. sed dicendū est, uentriculū id genus euacuationis etiā ferre, quāuis partes superiores tenues sint, tamen simpliciter illas partes semper esse crassas melius est. nā & in uomitu ilia multū defatigantur, ut unicuiq; certum est qui experiri tentet: propterea partes illas crassas esse bonum est, non tamen adeo necessariū, ut in illa euacuatione quæ per inferiores partes fit: in hac enim euacuatio per has partes fit, & inepte fit si sint imbecilles. sunt autem imbecilles, si tenues fuerint. si uero crassæ robustiores. At in euacuatione per uomitum his partibus nō indigemus, nisi quia per compassionē ad uomi-

ad uomitus motum excitantur. Philotheus alio modo huic dubio satisfacit (si id quod dicit sit satisfacere) inquit enim εἰ δέ τις εἴποι, διὰ τί μὴ καὶ τὰς ἄνω καθάρσεις εἶπεν ἐπισφαλεῖς εἶν τοῖς οὕτως διακειμένοις. λέγομεν ὅτι σαφεῖς αὐτὰς παρέλιπεν. idest, si uero quis dixerit, propter quid superiores purgationes non dixit, periculosę sunt ita dispositis? Dicimus quod ipsas prætermisit tanquam manifestas. Idemq; dicit Galenus.

GALENVS

PARTES omnes quæ ad epigastrium, idest, locũ supra uentrem attinent, omni uacare dispositione, quæ sit præter naturam, oportere, est manifestum. Et hoc in Prognostico dictum fuit, ubi his utitur uerbis, Ilia optimum est absque dolore esse, & mollia, & æqualia. sed ex his ipsis quædam sunt tenuiora, quædam crassiora, de quibus nunc sermonem habet. Quæcunque quidem crassiora sunt hæc meliora esse inquiens. Quęcunq; uero tenuia, mala. Et tanquam signa uidelicet, & tanquam causę. Signa enim sunt partiũ quæ contabuerunt imbecillitatis. Causæ uero, quòd coctio bona non fiat in uentre ciborum, neq; sanguificatio in hepate. Etenim membrum utrunq; à crassitudine dictorum corporum cõcalefactum iuuatur. Tantum igitur ubi contabuere offenduntur eorum operationes, quantum integris ipsis iuuabantur. Quod autem earum quas diximus partium tenuitas ad inferiores purgationes sit periculosa, manifestum. Oportet enim omnia quæ sunt infra thoracem esse robusta, ut bene purgationibus seruiant, alioquin magna incommoda patiuntur. Cur autem de solis inferioribus purgationibus fecerit mentionem, dignum est quærere. Superiores enim, hoc est per uomitum, his qui ita affecti sunt, periculosę. An has quidem tanquã manifestas pretermisit, illarum uero commeminit, ut de quibus magis posset dubitari? Imum autem uentrem proprie nominat, & appellat partem uentris imam, quæ umbilicum, ac pudenda interiacet. Ita ut in hæc tria totum epigastrium, idest locus supra uẽtrem, diuidatur, in hypochondrium, idest ilia, & umbilicum attinentia, & uentrem imum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, partes quæ ad epigastrium sunt, nullam habere præter naturam dispositionem oportere, quod ex Hippocrate ostẽdit, qui in Prædictionum libro dicit, Optimum esse, ὑποχόνδρια, idest, præcordia nec dolere, & mollia & æqualia esse. dura uero esse dupliciter contingit, uel quia musculi ipsi duri sunt, uel partes sub musculis, idest, iecur, & lien. propterea Hippocrates dicit debere esse mollia, idest, non dura. si uero naturaliter dura sint, idest, fortia, robusta, atq; crassa, bonũ est. Sed hoc durum pro crasso & firmo atq; robusto, non opponitur molli, de quo ibi loquitur Hippocrates.

Scito & hic & ubiq; Leonicenum interpretari uocabulum ὑποχόνδριον, idest, Ilia, sed tu semper dic præcordia, ut Celsus facit.

SECVNDO docet, esse bonum ex parte signi & ex parte causæ, quod scilicet partes sint crassæ: est etiam malum ex parte signi, & ex parte causę si sint tenues: ex parte causæ quia in uentriculo coctio bona non fit, in quo cibi coquuntur, neque bona sanguificatio quæ in iecore fit, sed in condensis & crassis partibus, & bona uentriculi coctio fit, & iecoris. ex parte signi, quia partium quæ extenuantur, imbecillitatem significant, sicuti crassicies fortitudinem ostendit.

Vbi legitur, Tantum igitur ubi contabuere, offenduntur eorum operationes, Græce est, τοσοῦτον ἂν εἰκός ἐστιν ἐκτακέντων αὐτῶν βλάπτεσθαι τὰς ἐνεργείας. idest, tantum igitur ubi contabuere, offendi decens est eorum operationes.

Quod statim sequitur, Quantum integris ipsis iuuabantur, Græce est ὅσον ὑγιαινόντων ὠφελεῖσθαι, uel ὠφελοῦνται, idest, quantum salubribus ipsis iuuari.

TERTIO docet, omnia quæ sunt sub thorace, debere esse robusta, ut purgationibus bene seruiant. aliter magna incommoda patiuntur, nempe & diu retinetur medicamentum, & intumescunt partes, & à medicamẽtorum tenuitate magis resoluuntur, atq; attenuantur. hæc uero non eueniunt, si illæ partes crassę, atq; densæ fuerint.

QVARTO dubitat cur de solis inferioribus purgationibus mentionem fecerit. nam & purgationes quæ per uomitum fiunt, si illę partes tenues sint periculosę extant. Ga-

lenus respondet, Hippocratem has prætermisisse tanquam manifestas, & adde, hoc dictum esse, quia ad inferiores magis necessariæ sunt, quamuis & superiores aliquam necessitatem habeant, sed ad inferiores magis. nam per has partes & medicamentum & omnes humores transeunt, ad superiores uero solus uentriculus per se agit, & ilia simul compatiuntur: quamuis Galenus uideatur potius inferre, in uomitu nullum esse dubium illas partes debere esse robustas, sed in inferna purgatione posse esse dubium. imò & addamus, Hippocratē dixisse per inferiores purgationes, quia ut plurimum medicamenta dantur ut per inferiores partes purgationes fiant, raro dantur ut per superiores purgentur. quamuis per purgationes ita intelligendæ sint naturales & spontinæ, quę sine arte, sed suapte natura fiunt, sicuti & artificiales: sed artificiales potissimum intelligere oportet, cum quibus medicamenti uis iuncta est, quæ tenues partes resoluit, & imbecilliores efficit.

Vbi legitur, superiores enim hoc est per uomitum, lege, superiores etenim hoc est per uomitum.

QVINTO docet quid intelligendum sit per ἦτρον, inquiens significari partem quæ inter umbilicum & pudenda interiacet. & hoc merito fecit, quia id uocabulum ἦτρον quandoque reperitur pro pube acceptum, quandoq; pro abdomine, idest, parte ab umbilico ad pubem: sed Galenus uult nunc ab Hippocrate accipi pro tota illa parte, quæ inter umbilicum & pudenda interiacet, quę simul abdomen, & pubem complectitur, hancq; partem & Theodorus & Leonicenus imum uentrem rationabiliter appellant: tamen nobis uidetur non ab re esse si interpretemur ἦτρον pro pube, præsertim cum Celsus libro secundo capite quarto pubem uertere uideatur. nam ponens mala ægrotantium signa, dicit esse malum signum cutem circa umbilicum & pubem macram, in quo loco ad hunc aphorismum alludit. Adde, hic ab Hippocrate dici partes circa umbilicum, per has uero partes opus est intelligere & ilia, & abdomen, quia nullæ aliæ partes sunt circa ipsam, quàm istæ. sub his uero est pubes inferius, superius Thorax. De thorace nihil opus est hic tractare, sed bene de pube: ideo nos per ἦτρον pubem interpretandum uolumus, & non imum uentrem, quoniam imus uenter, qui ὑπογάστριον est, pubem & abdomen complectitur. itaque ab illa parte, quicquam esse circa umbilicum intelligere non possemus, tamen quicquid sit, illos non reprehendimus qui imum uentrem interpretati sunt.

Deniq; Galenus epigastrium in tres partes distinguit, in hypochondria, idest, pręcordia, in loca ad umbilicum attinentia, & in imum uentrem, sed hic aduersus Galenum dubitare poteris, quia imus uenter ad ὑπογάστριον spectet, & nō ad ἐπιγάστριον. At Galenum in suis Græcis codicibus considerans, nō inueni quod ipse Epigastrium in hæc tria partiretur, & de Leoniceno, uel potius de librario ualde miror, qui hanc particulam epigastrium sua sponte addiderit, quæ facit Galenum errare, qui dormitare non solet, nec in suo codice epigastriū ponit, ut eius uerba quæ subsequuntur, ostendunt. inquit enim ὡς εἰς τρία ταῦτα διαιρεῖσθαι τὸ σύμπαν ὑποχόνδριον, καὶ τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον. hoc est, quamobrem in hæc tria distinguitur uniuersum hypochondrium, idest, præcordia, & in illa loca quæ ad umbilicum attinent, & imum uentrem. hic sensus conueniens uidetur, & ita scriptum est in codice Aldino. ueruntamen quia illa particula τὸ σύμπαν uidetur illi particulæ ὑποχόνδριον iuncta, & illam ferè determinare, ut sensus fiat, ut in hæc tria diuidatur uniuersum hypochondriū, postea duo solū consequuntur, propterea nos alios Galeni Gręcos codices perquisiuimus. in eo quē habemus satis antiquo ita legitur ὡς εἰς τρία ταῦτα διαιρεῖσθαι τὸ σύμπαν ὑποχόνδριον, εἰς τὸ ἐπιγάστριον, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν, καὶ τὸ ἦτρον, idest, unde totum hypochondrium in hæc tria diuiditur, in epigastrium, idest, locum supra uentrem, & in loca ad umbilicum attinentia, & in imū uentrem: ut hinc percipere possis epigastrium esse unam hypochondrij partem, & non hypochondrium epigastrij. Quod si dicas hypochondrium esse præcordia quæ ab epigastrio continentur, Respondemus, certum esse apud Hippocratem & Galenum atq; alios probatos autores cum dicitur hypochondrium, illa pars intelligitur, quæ immediate sub costis est, & à Celso præcordia uocatur. In hoc autem loco non dicit simpliciter ὑποχόνδριον Galenus, sed dicit τὸ σύμπαν ὑποχόνδριον, idest, uniuersum & totum hypochondrium

drium, hoc est tota illa pars quæ sub costis est. Certum uero est totum uentrem esse sub costis, ideo sub toto hypochõdrio cõtinentur epigastriũ, umbilici partes, & imus uẽter. nam totus, & tota aluus est hoc modo hypochondrium. hæcq; est uera Galeni sententia, quam puto Leonicenum expressisse, sed à librario fuisse deprauatam. semper enim de bonis uiris bene sentire oportet. Itaq; ubi est epigastrium in codice à Leoniceno uerso, hypochondrium ponas, & ubi hypochondrium uice uersa epigastrium, itaq; Galenum in suam sententiam reduces. Tamen alia est in nostro antiquo codice, & secunda lectio, quam putamus fuisse Galeni mentem, & ueram sententiã, licet præscripta etiam defendi possit. dicit autẽ ὡς εἰς τρία ταῦτα διαιρεῖσθαι τὸ σύμπαν, εἰς ὑποχόνδριον, τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον. idest, unde in hæc tria uniuersum diuiditur, in hypochondriũ (per quod intelligit partem supra umbilicum) in partes circa umbilicum, & in imum uentrem.

Vbi in fine commentationis legitur, & umbilicum attinentia, legi debet & loca ad umbilicum attinentia. nam Græce est τὰ περὶ τὸν ὀμφαλόν.

APHORISMVS XXXVI

QVi salubritatem corporis habent, per medicamenta euacuati cito exoluuntur. & qui prauo utuntur cibo.

BRASAVOLVS

EX HIS nihil bonum est, uel eos purgare, quos non oporteat, uel quos oporteat non purgare, tamen unum alio peius esse certum est. Nunc uero Hippocrates admonere uoluit medicum, ne illos purget, quos purgare non oporteat. In hoc etenim numero sunt, sani: propterea ab Hippocrate dicitur. qui sani sunt, si medicamento euacuentur, cito dissoluuntur. nam & si medicamenta dissoluant, hi tamẽ citius dissoluũtur qui sani sunt, & purgantur, quàm qui ægroti & prauis humoribus abundantes. imò & hi qui prauo utuntur cibo, si medicamento euacuentur, cito etiam exoluuntur, harum sententiarum ratio hęc est: qui sani uere sunt, culpatos humores non habent, neq; superfluos: & ideo si per medicamẽta euacuentur, boni humores educuntur, quia in hoc corpore neq; mali, neq; superflui inueniuntur educendi. unde natura imbecillior efficitur, & dissoluuntur. hocq; cito fit, & tanto citius, quanto natura humores bonos trahi non sinit, sed uis medicamenti trahit, unde fit maxima pugna & maxima commotio, ex qua necessario exolutio consequitur. nam corpus imbecille fit, & uis ipsa deest, naturalisq; humiditas minuitur. Adde, cum omnia medicamenta, potentia calida sint, & culpati humores absint, propterea caliditas in membra imprimitur, & mala qualitate afficiuntur. Ratio autem eius partis, & qui prauo utuntur cibo cito exoluuntur, est, quia paucos habent probos humores: ideo medicamento euacuati omnes mali auferuntur, & quia boni pauci sunt, propterea resoluti permanent. nam & cum prauis humoribus uires perstant, & multos uidimus diu uiuere cum cacochymia, & uniuersali humorum malitia. quare causæ cur hi exoluantur hæ sunt: una uirium imbecillitas, quam naturaliter habent: alia, quia paucos humores probatos habent qui relinquantur, imò & illi modici boni simul cum prauis euacuantur. Deniq; in hoc euacuationis motu solent humores praui ad cerebrum, cor, & alia præcipua membra moueri, ut iam dissolutio fiat. Oribasius intelligere uidetur, hos qui prauo utuntur cibo, in purgationibus bene se habere, & non offendi. nam dicit, sani ideo accepta purgatione grauantur, quia apti humores perturbantur, & pro bonis mali eueniunt, & emittuntur boni. his uero qui malo cibo utuntur, hoc est mala mistura ciborum & humorum laborant, necessaria est purgatio. unde & non læduntur, quia malos humores, unde grauabantur, eijciunt. tamen Hippocrates hoc non sentit, imò uult hos lædi qui prauo utuntur cibo, si purgentur. Philotheus hoc modo Aphorismum interpretatur, ἐν τούτῳ συμβουλεύει, ἐν ὑγείας περιλαμβάνεις, μὴ καθαίρειν φαρ-

μάκοις καθαρτικοῖς, λέγει γὰρ ἐκλύεσθαι αὐτούς. πῶς; ὅτι ἐπὶ τῶν ὑγιαινόντων ἀπέριττον ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ δὲ φάρμακον δοθὲν, καὶ μὴ εὑρίσκον τι κενῶσαι περίττωμα, ἀνασοιχειοῖ τὴν τοῦ σώματος τάξιν, καὶ ἅπτεται τῶν πνευμάτων. εἶτα τῶν ὑγρῶν. εἶτα τῶν στερεῶν. καὶ τὸ μὲν σκεδαννύει. τὸ δὲ διαφορεῖ. τὸ δὲ τήκει. τούτων δὲ γινομένων, ἀνάγκη λειποθυμία καὶ συγκοπὴ ἕπεται. καὶ μὴν καὶ τοὺς πονηρᾷ τροφῇ χρωμένους, ἐκλύεσθαι φησὶ τῇ καθάρσει, ὅτι δέχεται τὴν κακοχυμίαν τὸ φάρμακον τὴν πληθυνθεῖσαν ἐκ τῆς πονηρᾶς τροφῆς, καὶ ἄρχεται καθαίρειν αὐτήν. αὕτη οὖν καθαιρομένη καὶ περιοῦσα διὰ τῶν αἰσθητικῶν μορίων, δριμεῖα καὶ δακνώδης ὑπάρχουσα, τὴν ἀνίαν, καὶ λῆξιν, τὴν ἔκλυσιν ἐπιφέρει. πονηρὰν δὲ τροφὴν λέγει, τὴν προσεχῆ τῶν μορίων, ἥτις ἐστὶν ὁ αἱματικὸς χυμός, καὶ τὴν ἔξω ἥτις ἐστὶ τὰ σιτία, idest, hic consulit Hippocrates, sanitate consistente medicamentis purgantibus non purgandum. etenim dicit ipsos, scilicet sanos, dissolui. quomodo? Quoniam in sanis corpus caret superfluitate. Datum autem medicamentum, & superflua non inueniens quæ euacuet, corporis ordinẽ subuertit, & spiritus aggreditur, postea humiditates, deinde solidas partes. & illos quidẽ, scilicet spiritus, dissipat: has uero, humiditates scilicet, discutit: istas aũt, scilicet partes solidas, liquefacit, uel tabefacit. his autem peractis, necesse est animi defectum & syncopin sequi. & præsertim eos qui prauo utuntur cibo, purgatione dissolui dicit. nam medicamentum prauorum humorum ex prauis cibis abundantiam suscipit, & ipsam purgare incipit. Ipsa igitur expurgata, & pertransiens per partes sensitiuas, acuta & mordax existens cum dolore & morsu dissolutionem affert. Prauum uero nutrimentum dicit, propinquum seu adhærẽs partibus, quod est sanguineus humor, & id quod extra, nutrimentum scilicet quod est cibus, uel quæ sunt cibaria, idest, τὰ σιτία.

οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα. idest, Qui salubriter corpora habent]. Vel qui sana corpora habent, uel qui salubritatem corporis habent, quod de uere & perfecte sanis corporibus intelligi debet, quæ nullam habent in se noxam, & nullos culpatos humores. Nam sanos illos dicimus, & etiam uere sanos, qui non habent operationes læsas, sed habent quidem humores ad lædendum aptos. hic aũt istos non intelligit, sed illos solum qui integra sanitate fruuntur, & quo ad humores in corpore existentes ad euacuationem aptos, & quo ad humores, quos omnes bonos habent.

Ἐν τοῖσι φαρμακίοισι καθαιρόμενοι. idest, medicamentis purgati.] Intelligit uero per medicamenta, ea quæ ab affectu cathartica nuncupantur. sunt autem fortia huiusmodi medicamenta, & quę corpus multum exagitare possunt atque commouere, qualia helleborus, colocynthis, scammonium, & alia huius generis.

Ἐκλύονται ταχέως. idest, Cito exoluuntur.] Non solum de exolutione intelligere oportet quæ syncopis est, sed de imbecillitate etiam, qua is ferè stare non possit qui sanus existens præter rationem euacuatus sit. Tamen nostro tempore nulli inueniuntur perfectissime sani, qui nullos habeant inculpatos humores in corpore.

Καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι. idest, Et qui prauo utuntur cibo.] Hæc pars ad superiorem sententiam iungi potest, & secundum se intelligi. secundum se hoc modo intelligitur: & illi qui prauo utuntur cibo, si purgentur, exoluuntur propter causam superius dictam. si præcedentibus adiungatur, sensus sit, qui sani sunt, præsertim si prauo utuntur cibo, per medicamenta euacuati cito exoluuntur. sani uero reperiuntur, qui humores inculpatos habent, & qui prauo utuntur cibo, sed hic cibus in bonum nutrimentum conuertitur: & si facile corrumpantur, tamen bonum esse dicetur, tum quia nõ corruptum, tum quia alit corpus & omnes eius operationes. ueruntamen quia in hoc cibi genere uires non seruantur ita robustæ ut in bono fit cibo, propterea si sani sint, & prauis cibis uescantur, cito exoluuntur, & citius quàm exquisite sani qui cibos inculpatos comedunt. Intellige uero cibos illos esse prauos, qui prauos humores generant, idest ad corruptionem aptos, crassos, glutinosos, facile alterabiles. hinc igitur regula sumi potest, quomodo illos purgare oporteat qui semper fructibus uescuntur. his enim non est opus purgantia medicamenta exhibere, sed illa quæ à recentibus benedicta uocantur, & antiquis incognita, ut Rhabarbarum, Manna, Cassia, Tamarindi, & eiusdem generis reliqua.

Galenus

GALENVS

QVI salubritatem corporis habent, non absq; ratione in euacuationibus cito exsoluuntur. Contabescunt enim, non purgantur. Qui uero uitioso utuntur alimento, ob malorum humorum superabundantiam facile exoluuntur in purgationibus. Siue autem illud quod exterius assumitur, siue quod in corpore continetur, uitiosum alimentum nominet, uterque sermo ueritatem habet. Quoniam cibi uitiosi soleant sanguinem gignere uitiosum. Sic ergo uitiosi dicuntur per relationem ad sanguinem qui debet ex eis generari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, sanos euacuatos cito exolui, quia non purgantur, nempe nihil adest quod purgari debeat, sed potius contabescunt, idest, adeo marcescunt ut in tabem peruenire uideantur.

Quod legitur, In euacuationibus cito exoluuntur, Græce non dicit In euacuationibus, sed ἐν ταῖς φαρμακείαις, idest, in medicationibus.

Notaq; uerbum contabescunt, Græce esse συντήκονται.

SECVNDO docet, illos qui prauo utuntur cibo propter malorum humorum abũdantiam exolui. nam omnes euacuantur, & ita corpus redditur imbecillius, quod & prius erat imbecille propter bonorum humorum paucitatem.

TERTIO exponit quid sit uitiosum alimentum, uolens intelligi posse ipsum sanguinem, qui est uerum corporis alimentum, & posse etiam intelligi cibum, quem exterius accipimus. nam & hic est alimentum, quia sanguis ex ipso generatur. Vnde uel primo, uel secũdo modo intelligas, semper habes respectum ad sanguinem. nam primo modo est ipse sanguis uitiosus. Secundo modo est cibus qui ad sanguinem refertur, & in ipsum sanguinem conuerti debet.

Vbi legitur, Siue autem illud quod exterius assumitur, deest particula, Alimentum, quæ in Græco codice ponitur τὴν τροφήν. Deinde cum dicitur, uitiosum alimentum nominet, in hac parte, illa particula, Alimentum, uacat, ibi enim solum habetur ἐρεῖ μοχθηράν.

Cum legitur, Quoniam cibi uitiosi, lege, quoniam & cibi uitiosi. nam Græce habetur ἐπειδὴ καὶ τὰ μοχθηρὰ σιτία, perniciosa cibaria.

Cum etiam legitur, Sic ergo uitiosi dicuntur, lege, sic ergo & uitiosi dicuntur. Græce enim dicitur ὅπως οὖν καὶ λέγονται μοχθηρά. In secunda nostri antiqui codicis lectione non habetur μοχθηρά, sed τὰ σιτία, ut sensus fiat: sic ergo & cibi dicuntur: tuncq; opus est referre hoc ad cibos qui exterius sumuntur.

APHORISMVS XXXVII

QVi bene se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

BRASAVOLVS

Præcedens aphorismus satis esse uidebatur, in quo eandem sententiam fere posuit, nisi ad abundantiorem, atque pleniorem doctrinam, quod in uno casu prius expresserat, uniuersaliter exprimere uoluisset: qui sani sunt, medicamenta non sine magno dispendio ferre possunt. Etenim difficilia sunt, quia symptomata magna pariunt, ut syncopas, uertigines, & intensa tormina. Oribasius in præcedenti aphorismo hunc ponit, ac si sit eius conclusio. Philotheus uero dicit, τῆς αὐτῆς ἐννοίας καὶ οὗτος ἔχεται ὁ ἀφορισμός, φαρμακεύεσθαι λέγει, ἀντὶ τοῦ καθαίρεσθαι. εὖ δὲ, τὸ σύμμετρον, χαλεπὸν οὖν φαρμακεύεσθαι τοὺς συμμέτρως ἔχοντας τὸ σῶμα. διὰ τί; ὅτι ἡ κάθαρσις, τῶν περιττῶν ἐστὶ κάθαρσις. εἰ δὲ γίνεται ἐν ὑγιαίνουσι σώμασιν, μὴ εὑρίσκουσα τὸ οἰκεῖον ἕλκειν, συντήκει τὰ μόρια. idest, eiusdem sententiæ & hic aphorismus habetur. φαρμακεύεσθαι, idest, propinari medicamentum, uel mederi pharmaco, dicit pro eo quod est purgari. bene autẽ habere corpus, pro

eo quod est commoderatum. Difficile igitur medicamentis purgare moderate corpo ra habentes, propter quid? Quoniam purgatio, superfluorum est purgatio. Si autem in salubribus corporibus fiat, proprium, idest, sibi accommodatum non inueniens quod trahat, partes cōsumit, uel in tabem perducit uel tabefacit.

οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, idest, Qui bene se habēt corpore, quod de illis sanis intelligē dū est qui integra & inculpata sanitate sani sunt, sicuti in præcedēti aphorismo dictū est.

φαρμακεύεσθαι ἐργώδεις, idest, Medicationes difficulter ferunt, intellige de intoleran tia propter symptomata quæ contingunt, ut statim in Galeni commentatione uidere licebit.

GALENVS

NON cuiuscunq; medicamenti assumptionem solet Hippocrates medicationem nominare, sed tali uocabulo in sola utitur purgatione. Verum is qui prius scribi tur aphorismus, casum unum qui in ea fit manifestat. Cito enim inquit exolui in purga tionibus qui corporis habent salubritatem. In hoc autem generaliori uocabulo de eis dem ostendit, inquiens, hos difficulter ferre medicationem. Nam & uertigines, & tor mina patiuntur, & difficulter his purgatio procedit, & præterea celeriter exoluuntur. Fiunt autem hæc omnia purgante medicamento, proprium quidem attrahere humorē appetente, uel flauam bilem uidelicet, aut atram, aut pituitam, aut aquosam superfluita tem. Quia uero isti non adsunt, sanguinem colliquat, ac carnes, ut ex ipsis proprium at trahat humorem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligat Hippocrates per uocabulum φαρμακεύεσθαι, idest, medicari, uel medicationem accipere. nam non intelligit cuiuscunq; φαρμάκου, idest, medicamenti sumptionem, quoniam uenena Pharmaca & medicamenta uo cantur, sed Hippocrates solum utitur hoc uocabulo ἐν καθάρσεσιν, idest, In catharticis, & purgantibus, propterea hic intelligit medicamentum purgans.

Quod dicit Medicationem, Græce est φαρμακεύεσθαι.

SECVNDO differentiam ponit inter præcedentem aphorismum, & istum. quia in illo symptoma unum ponit, inquiens, salubres corpore cito exolui: In hoc autem apho rismo generalius loquitur, inquiens, salubres corpore difficulter ferre medicationes. hanc uero difficultatem, in quo sit, explicat. nam dicit uertigines patiuntur, nempe diu immoratur in corpore cum nihil habeat quod trahat, & uapores eleuantur ad caput, propter motum, quem facit, propterea uertigines fiunt, fiunt etiam & tormina, quia adest motus medicamenti trahere uolentis, & naturæ resistentia bonos humores dimit tere nolentis, & prauæ qualitatis impressio, unde necesse purgationem difficilem fieri, propterea cito exoluuntur, Quod in præcedenti Aphorismo particulariter solum di cebatur.

Nota ubi Galenus σύμπτωμα dicit, & hic & ubiq; à Leoniceno casum uerti.

Quod legitur, inquiens, hos difficulter ferre medicationes, Græce est λέγων αὐτοὺς ἐργώδεις εἶναι φαρμακεύεσθαι.

Quod etiam legitur, Nam & uertigines, & tormina patiuntur, Græce est καὶ γὰρ ἰλιγγιῶσι, καὶ στροφοῦνται. ἴλιγγοι uero sunt paruæ uertigines de quibus in tertio libro age mus, στρόφοιq; sunt dolores, præsertim in uentre, & intestinis. nam apud Celsum tormi na à Græcis δυσεντέρια dicuntur.

TERTIO causam reddit quomodo hæc fiant. nam quodlibet medicamentum humorem sibi proprium trahit, ut hoc atram bilem, id flauam, illud pituitam, aliud ue ro aquosam superfluitatem. Sed in homine bene sano non sunt hi humores educendi, propterea hoc medicamētum sanguinem colliquat & carnem, ut proprium humorem trahat ex ipsis, idest, ex carne & sanguine: unde contabescit corpus, extenuatur atque exoluitur, tormina fiunt, atque uertigines. Id uero consideratione dignum est, in ho mine sano esse quatuor humores, qui sanguini mixti sunt, & carni innixi: non est au tem aliquis, qui reliquos excedat, nisi secundum temperaturam eius qui medicamen tum recipit, si natura biliosus sit uel pituitosus: tamen id quod habet bilis uel pituitæ, est

est sanguini mixtum, & sanguis per uenas in tota carne spargitur. medicamentum uerò humorem sibi proprium in promptu non habens, sanguinem eliquat, idest, à sanguine educit, & eum quodammodo diminuit, & carnem simul colliquat. Notaq; secundum Galenum, medicamētum humorem sibi proprium attrahere, idest, eum attrahere, cum quo habet essentialem similitudinem, non autem sibi proprium, idest, à proprietate occulta: immo id quod est proprietas, idest, hunc humorem attrahere est manifestum, sed forte causa cur trahat ignota est. Galenus iudicat esse similitudinem quandam substantialem quo hoc id trahit quod est sibi simile, tamen id non trahit quod est idem, nempe dicere non ualet, ferrum esse magis simile ferro, quàm magnes, ferrum igitur potius deberet ferrum trahere quàm magnes. sed hoc non sequitur, quia Galenus non putat idē ab eodem in specie trahi, sed ab eo quod in diuersa specie est, habet autem similitudinē quandam substantialem, quam nec ipse Galenus, nec alter ante ipsum, uel post ipsum, quantuncunq; ingenio pollens explicare potuit.

Notat etiam Galenus, aquosam superfluitatem ab aliquo medicamēto expeti, quod certe id est, immo Syrupus ille quem rosatum solutiuum uocamus, alij mucarum rosarum potius nominant, hanc aquosam, uel serosam superfluitatem mire educit. Est autē superfluitas tunc, quādo sanguinem ad nostri corporis remotas partes eduxerit. primo uero erat utilis aquositas, & non superflua, quamuis & illi utilitatem aliquam dare possemus.

APHORISMVS XXXVIII

PArum deterior potus, aut cibus, suauior autē, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus.

BRASAVOLVS

DOCVMENTVM, quod in hoc aphorismo scriptum est, ad artem multum conducit, est autem tale. si ægrum quempiam curare tentes, & à uictus ratione initium sumas, ægro autem cibus aliquis placeat magis, quàm is quem tu recte instituisti, eūmet cibum uel potum quem æger appetit, considera, num multo deterior sit eo quem instituisti, & qui conuenit, uel parum deterior: & si quidem multo deterior fuerit, iube ægrū appetentiam suam frenare, & cibum illum accipere quem tu instituisti, & illo contentum esse, nullumq; alium quærere. At si parum deterior sit, ægro pareas & illi morem geras, quoniam tanto melior probabiliorq; efficietur, & eum excellet qui melior est, quanto uehementius appetitur & ardentius desideratur. Ventriculus enim hunc cibum amplectens quem desiderat, eum optime concoquit, & in probum nutrimentum conuertit: unde quicquid praui in se habebat, totum corrigitur, emendatur, & in bonum transmutatur. è contrario, cibus quem non appetit, immo potius quem refugit, quamuis sibi melior sit, ab ipso non complectitur, & difficilius concoquitur, & ideo quicquid boni habebat, id totum in malum atque perniciem conuertitur. Ob hoc suadet Hippocrates, medicum suis ægris cibos illos præbere, qui paulo deteriores sunt, modo sapidi sint, & hos melioribus præfert, qui tamen minus sapiunt. At si unà essent sapidi & boni, omne punctum ferent. medicus autem hoc agere debet, tum quia ægro gratificatur, tum quia eidem prædicto modo prodest. Galenus secundo De alimentorum facultatibus libro, ubi de oliuis agit, cum stomachum corroborare posuerit prę sertim halmades, & colymbades, non autem drupas, addit Qui condimētariam seu obsonatricem artem exercent, uarie eas apparant. quam artem uult medicum optime scire, additq;, Nam duorum ex æquo salubrium, quod suauitate præstat, minore etiam negotio concoquitur: ut hinc uideas suauitatem (est autem suaue quod sapit) ad concoctionem multum facere. Non mirum igitur si cibus paulo deterior, suauior autem, & quem appetat æger, sit præferendus.

Nescio an interpres hic Oribasium bene uerterit, an ipse Oribasius de uino & pane

pane atque aphorismi sententia inepte loquatur. quicquid tamen sit, tu hunc authorem considerare potes, & ut conuenit, intelligere. Philotheus hic dicit, διαιτητικὸς ὑπάρχει ὁ παρὼν ἀφορισμός. καὶ ἡ δίαιταν τὴν φράσιν, idest, præsens Aphorismus De ratione uictus est, & uictus rationem dicit, & pollicitationem complectitur.

τῷ σμικρῷ χεῖρον, idest, paulo deterior.] De deterioritate illa intelligere oportet, quæ sit ægritudini opposita, uel humori peccanti, uel malæ qualitati. unde ille cibus est paulo deterior, qui quantum sit ratione sui, est aptus pro parte lædere, sed pauca læsione & tali, qualem ex ui suæ appetentiæ corrigit uentriculus.

καὶ πόμα καὶ σιτίον ἥδιον δὲ, idest, Et potus & cibus suauior autem] est uero deterior cibus atque potus, is qui in prauos humores conuerti aptus est, & qui prauam qualitatem habet, quæ malam morbi qualitatem exauget. nempe hunc aphorismũ in ęgris semper intelligo, & non in sanis, ut nonnulli faciunt. Quia sani (ut Celsus inquit) debent esse uiri suæ spontis, & pro appetentia comedere.

τῶν βελτιόνων μὲν ἀηδεστέρων δὲ μᾶλλον αἱρετέον, idest, Melioribus autem, sed insuauioribus præferendus est.] Hic cibus qui melior dicitur, ideo intelligitur melior, quia ægritudini magis appropriatus sit. alter uero minus sit ægritudini appropriatus, at magis appetatur. hic autem uentriculi appetitus, uel est circa primas qualitates, uel circa occultas quasdam proprietates: quas nemo perfecte explicare poterit. Circa manifestas qualitates, quia uentriculus ualde calidus frigidis delectetur, ualde frigidus calidis, ut in medicinali arte edocemur. Cum autem uentriculus in aliquam similem qualitatem lapsus sit, appetit. Vel igitur hic appetitus sit ex proprietate quadam insita, cuius causa ignoratur, ut aliqui sunt qui carnes gustare non possunt, oua tamen gustant, & tuceta. alij uinum non ferunt, aquam amant, & nonnullis aliqui intinctus sapiunt, quos odit alter. Nos hunc Aphorismum in omnibus intelligimus, uel ob occultam causam appetantur, uel ob qualitatem manifestam, modo sit paulo deterior cibus aut potus, non autem multo deterior. propter hoc Hippocrates, per id uerbum, paulo deterior, notat ad quantum deterior esse debet cibus, quia ad parum. & quamuis hoc quod dicitur, parum indefinitum sit, tamen hoc medico ægrum curanti pensitandum relinquit, qui optime cibos omnes, atque potus cognoscere debet & eorum uires. Hippocrates in sexto Epidemiarum libro non solum intelligit circa cibos & potus ægro satisfaciendum esse, sed etiam circa balnea, circa frigus, circa calorem, circa exercitia, circa mundiciem, circa uestimenta, modo paulo deteriora sint. inquit autem (si forte ipsum loquentem audire cupias) Quæ languentibus grata sint peragito, cibaria, pocula munda, puráque conficito, porrigitóque, quæ uiderit, tractauerit, lenia sint, & placeant, dum non ualde lædant, uel bene resumpta, & retractata si sint, sicuti frigus, & refrigeratio cum opus sit. præterea cum languentem adis, hæc obseruato, qui sermones & locutiones eius sint, quæ forma, situs iacendi, quæ stragula, languentium commoda, qui tonsus comptus cura, qui ungues, odor qui sit obseruato, & alia plura sequuntur, in quibus Hippocrates ægro satisfaciendum esse uoluit, modo non multum lædant. quoniam si multum læderent, exhibenda non essent. Nec hic cibus paulo deterior solum præbendus est ut ægro gratificemur, quod nonnulli arbitrati sunt, sed etiã ut facilius concoquatur & perficiatur, unde & hic à Philotheo dicitur, καὶ ἡ αἰτία, οὐ διὰ τὸ κεχαρισμένον μόνον τῷ κάμνοντι. καθ᾽ ὃ ἐν ταῖς ἐπιδημίαις εἴρηται, ὅτι χαριοῦμαι καμνόντων πρεπούσῃ τῇ τέχνῃ. δεῖ γὰρ χαρίζεσθαι τοῖς κάμνουσιν ἐν οἷς μὴ ἀκολουθεῖ μεγάλη βλάβη. ἀλλὰ καὶ ὡς ὠφελιμώτερον αὐτὸ γενησόμενον. ὃ γὰρ ἂν ἡδέως προσφέρονται, τοῦτο περιστέλλεσθαι, καὶ ἡ γαστὴρ εἴωθεν, καὶ πέπτειν. μᾶλλον δὲ ἀποχωρεῖν ἀπὸ τῶν ἀηδῶς ναυτίας καὶ τὰ λοιπὰ κακὰ ἐπαγγελλόντων, idest, Et causa, non ut soli ægrotanti gratificemur, ut in Epidemijs dictum est, quod egris gratificabor, quatenus arti conuenit: in his enim opus est ægris gratificari, in quibus non sequitur magna læsio. Sed & quoniã hoc ipsum utilius fiet: quod enim libenter accipiunt, hoc continetur, & uenter perficere & coquere consueuit. Magis autem abscedit ab ijs quæ insuauiter nauseas & alia mala prouocant.

Galenus

GALENVS

NON ob id solum hoc est faciendum, ut ægro gratificemur, sed etiam quia utilius ipsi existit. Nam quæcunque cum uoluptate assumuntur, ista uentriculus amplexatur, & magis concoquit, sicuti illa quæ displicent refugit. Vnde & nauseæ, & flatus, & fluctuationes subsequuntur. Quod igitur in pluribus cibis bonos succos habentibus fit, quãdo cum uoluptate assumitur cibus, qui paulo deterior, non modo, non manet deterior, sed quandoque redditur melior.

BRASAVOLVS

MEDICVS omnino ægrum sibi beneuolum facere debet, ut illi magis credat, atque obediat, & facilius curetur, & omnia faciat quæ à medico præcipiuntur. Ideo multa concedere debet, ut ægrotanti gratificetur, modo multum mala non sint. Sed Galenus dicit, non solum hoc agendum esse ob gratificationem (quam tamen medicus captare debet) sed magis quia multum commodi exinde ægro euenit, quia uentriculus paulo deteriorem cibum maiore cum uoluptate recipiens, in bonam substantiam conuertit.

Quod legitur, & magis concoquit, legendum est, Et facilius cõcoquit, Græce enim habetur μᾶλλον ῥᾳδίως.

Quod etiam legitur, Vnde & nauseæ & flatus, & fluctuationes subsequuntur.] Nos legendũ putamus, ueluti nauseas uel inflationes, uel fluctuationes inferentia. nam Græce est ὥσπερ ναυτίας ἐπιφέρειν, ἢ πνευματώσεις, ἢ κλύδωνας.

Quod etiam legitur, Cum igitur in pluribus, Græce est ἐπὶ τῶν πλείστων, idest, In plurimis.

Quod etiam legitur, Non modo non manet deterior, nos legendum putamus, Non solum, non amplius manet deterior. nam Græce est οὐ μόνον οὐκέτι χεῖρον.

APHORISMVS XXXIX

SEniores iuuenibus plurimum ægrotant minus. Qui uero morbi ipsis accidũt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

BRASAVOLVS

QVAE in præsentiarum ab Hippocrate referuntur, naturæ rei, & ipsimet oppugnare uiderentur, nisi in rectum sensum deducantur, Senes, inquit, ut plurimum minus ægrotant, quàm iuuenes. sed quomodo hoc dici potest, cum senes imbecilliores sint iunioribus? & naturalis calor in ipsis prope defectum uenerit? Et ipsemet in primo De alimentis libro (quem librum Galenus Hippocratis esse non negat) dicit, de ætatibus uero pueri sanissimi sunt, secundi iuuenes. Seniores uero & his proximi morbosissimi. propterea inferre oportet, seniores esse magis pronos in ægritudines iunioribus, & hoc ætatem ætati in tota specie comparantes, & indiuiduum ac singulare sibiipsi, quando iuuenis est, & quando senior. Veruntamen quia iuuenes pro appetitu rapiuntur, & omnes suas actiones intempestiue faciunt, omnesq; sine electione cibos insumunt, per nocturnum aerem, atque diurnum uersantur, nec soles euitant, sed eodem pileo, eadem ueste, in Sole, & in umbra utuntur, nec ueneri parcunt superflue, propterea frequentissime morbos incidunt. At seniores qui iam suo magno incommodo, has noxas experti sunt, resipuere, & nullos cibos insumunt, nisi qui probos humores progignere soleant, & qui facile concoquantur, habentque diuersa pro diuersis tempestatibus pilea. nam mortem summopere uerentur, cui propinqui sunt: propterea hæc omnia cauentes raro morbos incidunt, ut quotidiana experientia ostendit. nam iuniores uidemus frequentissime ægrotantes, qui seniores effecti mortem uerentur, propterea quantum illis possibile est, à cibis praui succi abstinent, à uenere, ab aeris mutationibus, adeo ut Hippocrates in primo De morbis libro, quem Galenus Hippocratis esse non negat, dicit (posteaquam de iunioribus uerba fecerat) seniores

uero

uero hæc rarius, minusq́ patiuntur, cum ualidi non sint, magisq́ & cauent, & curant morbos, & citius restituuntur. Causa igitur, cur senes minus ægrotent, est quia imbecilles sunt, propterea morbos cauent, & cum habent, curant, quod iuniores non faciunt, quãuis Hippocrates eodem loco de purulentia loqui uideatur, & de alio morbo: At sentẽtia in omni morbo uera est. Tamen una est & maxima in iuniorum & seniorũ morbis differentia. nã si iunioribus diuturni morbi cõtingant, facile euadunt, & deniq́ sanitati & pristino robori restituuntur. At si seniores lõgos morbos inciderint, raro est quod ab ipsis in mortẽ non perducantur. Imò, ut Celsus primo secundi libri capite docet, longis morbis senectus afficitur, & ratio in promptu est quia frigidi, immo si acuti morbi senioribus contingant, cõmoriuntur. Nec adducas in oppositum locum Hippocratis citatum in libro De morbis, ubi post suprascripta uerba addit, senes citius curari: sed dicas, Hippocratem in suppuratione loqui, in quam si incidat (modo sit uir in uictu temperatus, & senex qui iam cœperit medice uiuere) citius sanatur, quàm iunior, & etiã quia iunior habet carnis densitudinem & ualidam, & quę ossibus inhæreat, quam senes non habent. In summa igitur, seniores iunioribus ex accidẽti minus ægrotant, quia moderate reguntur, quod neq́ iuniores faciunt, neq́ facere uolunt aut tentant. Oribasius expositionem aliam huic aphorismo facit, quoniam & is aphorismus, quẽ in suo codice habet, diuersa sententia refertur, hoc inquã modo, seniores et iuuenes plerunq́ pari modo multum ægrotant. propterea in cõmentatione dicit, iuuenes multum ægrotare, eo quod acutam nimium semper incurrant ægritudinẽ: senes autem, quia quanto habent crassiores humores, tanto longiore tempore protrahitur ægritudo, & quod iuuenes breui tempore laborant acuta ægritudine, hoc senes multo tẽpore protrahunt: & reperiuntur ambo similes: tamen si Hippocratem & Galenum contemplemur, longe abest Oribasij sententia ab horum uirorum decreto. Philotheus uerò melius exponit quàm Oribasius, inquiens, δύο ἡλικιῶν παραβολὴν ποιεῖται οὗτος ὁ ἀφορισμὸς, ἀκμαστικῆς καὶ γεροντικῆς. λέγει γὰρ ὅτι οἱ πρεσβῦται τῶν νέων, τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧττον. καὶ ἡ αἰτία αὕτη. ὅτι οἱ γέροντες σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντες, φείδονται ἀδηφαγίας ὕλην. ἐξ ὧν πλῆθος οὐ γίνεται περιττωμάτων. ἀπέιρητοι δὲ ἐντεῦθεν τὰ πολλὰ τυγχάνοντες, ἧττον νοσοῦσιν. οἱ δὲ νεώτεροι διὰ τὸ τοῦ λογισμοῦ ἄστατον, πλῆθος σιτίων προσφέρονται, κἀντεῦθεν ἀπεψίας ἑτοιμότατα τῷ πλήθει περιπίπτοντες, δυχερῶς καὶ ὡς ἐπίπαν νοσοῦσιν, idest, Duarum ætatum comparationem facit hic Aphorismus, summi uigoris, & senilis. dicit enim, Seniores iunioribus ut plurimum ægrotant minus, & causa ipsa est, quod senes moderatam rationem habẽtes abstinẽt ab edacitate & crudis cibis, ex quibus superfluitatũ multitudo non generatur, cum uerò superfluis uacui sint, hinc magna ex parte minus ægrotant. Iuniores uerò ob rationis instabilitatẽ, ciborum multitudinem recipiũt, & hinc cruditatis multitudinem incidentes, promptissime facile ac sæpissime ægrotant.

οἱ πρεσβῦται, idest, Presbyteri uel seniores. an uerò hic intelligendi sint illi qui in primo senio constituti sunt, uel qui in ultimo, dubium uideretur. Galenus in expositione ultimi aphorismi tertij libri, per hoc uocabulum πρεσβύτης decrepitos intelligit. At hic uiderentur intelligendi illi qui in primo senio sunt, & aliquid attingunt ultimi senij, & non extreme decrepiti. nam hi continua ęgritudine laborant, quia ipsa senectus morbus est, & qui sunt in tali ætate, sunt inepti ad actiones. propterea non recte dicuntur presbyteri ab officio quo fungi nõ possunt. Nos autem in hoc loco omnes seniores intelligimus, quamuis in primis hoc potissimum uerum sit.

τῶν νέων, idest, Iuuenibus. per hos, omnes intelligit qui sunt citra primum senium constituti in ea ętate in qua homines inconsiderati sunt, & robusti, ut non uereantur ægritudines incurrere.

τὰ μὲν πολλὰ, idest, ut plurimũ,] quæ particula addita est, quoniam perpetuo uerum non est, iunioribus minus ægrotare seniores. immo nec illud perpetuo constat, quod iuniores immoderatiores sint in uictu senioribus. nam procacissimi senes inueniuntur incontinentissimi, & qui uenere nunquàm expleantur, tamen hoc rarius contingit, quàm quod iunioribus sint magis inordinati, & minus ægrotent.

νοσέουσιν ἧσσον, idest, minus ægrotant] ob regimen moderatum, & non ob aliud.

ὁκόσα δὲ αὐ αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίνεται, idest, Quicunq́ aũt morbi longi ipsis fiũt,

τὰ πολλὰ

τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. idest, Maxima parte commoriũtur.] Ideſt, Comitantur ad mortem. Hęc ſententia dupliciter intelligi poteſt, applicando illam particulam Longi, illi particulæ Morbi, & per ſe ponendo. primus ſenſus iam dictus eſt qui erat, Quicũqꝫ morbi longi fiunt, comitantur ad mortem. Alter ſenſus, Quicunqꝫ morbi in hac ætate fiunt, longi fiunt: & præter hoc pro maiori parte comitãtur ad mortem. hic ſenſus non eſt uerus, niſi intellexerimus etiam pro maiori parte fieri longos, quoniam & ſenioribus acuti morbi nonnunquam contingunt. Additqꝫ particulam, τὰ πολλά. ideſt, ut plurimum, uel magna ex parte: quoniam non ſemper comitãtur ad mortem: nam aliquando & ex quartana & alijs diuturnis morbis euadunt, licet hoc rarius ſit, quàm in iunioribus: quia iuniores ut plurimum ex longis morbis euadunt, licet uideantur ipſis improportionati: quia ſunt calidi & longi morbi, frigidi. Senioribus uero magis uidẽtur proportionati, quia frigidi. Theodorus hanc ſecundam aphoriſmi partem hoc modo uertit, Magna ex parte inſanabiles tota uita comitantr̃. Ipſeqꝫ addit uerba, quæ in aphoriſmo ſcripta non ſunt, licet in prædictum ſenſum duci poſsit. Philotheus cauſam reddit, cur ut plurimum comitentur ad mortem, inquiens, διὰ τὴν δὲ δυνάμεως ἀσθένειαν, μὴ δυναμένης ῥαδίως πέττειν τὰς νόσους. ideſt, Propter uirium imbecillitatem, quæ non facile poteſt morbos concoquere. Cicero in libro De ſenectute, eandem ſententiam cum Hippocrate ponit, ex qua ſenectutẽ iuuentuti pręfert: eſt uero in defenſione quartæ uituperationis ſenectutis, in quo loco ita dicit, Facilius in morbos incidunt adoleſcentes, grauius ægrotant, triſtius curantur.

GALENVS

NON omnes ſeniores minus ægrotãt quàm iuuenes, neqꝫ enim omnes maiorem habent circa uictum continentiam: qui uero non habent, magis ęgrotant, ut qui iuuenibus ſunt debiliores. Quod uero plures ex morbis diuturnis ipſos ad mortem comitantur, clarum eſt: ſiquidem & uis eſt imbecillis, quæ neqꝫ morbos facile coquere poſsit, & omnes morbi diuturni frigidi ſunt, unde & magis ſenibus, quàm iuuenibus accidunt. Omnes ſiquidem ſimilioribus morbis facilius corripiuntur.

BRASAVOLVS

PRIMO docet, Aphoriſmum uniuerſaliter in omnibus ſenioribus intelligendum non eſſe: ob illam cauſam, quia omnes ſeniores non ſunt continentes, ſed aliqui incontinentiſsimi ſunt, propterea hi magis ægrotant iunioribus: & hoc non ab re, quia ſeniores iunioribus ſunt imbecilliores: propterea ob incontinẽtiam ægritudines facilius incurrũt, ꝙ iuniores faciãt, qui ea facilius ferre poſſunt, quæ ex incõtinentia cõtingunt.

SECVNDO rationem reddit, quare longi morbi ſenioribus cõtingant, & ad mortem comitentur. Longi contingunt, quia frigidi ſunt, & longi morbi ex frigidis humoribus fiunt: ideo rarius iunioribus contingunt, utpote calidioribus: ad mortem uero comitãtur, propter imbecillas uires, quas ſeniores habent, quæ non ſatis ſunt ad frigidos morbos coquendos, & ex craſsis, glutinoſis, & præduris humoribus factos.

TERTIO uniuerſalem propoſitionẽ ponit, Omnes homines facilius in morbos ſibi ſimiles incurrere: propterea ſeniores quum frigidi ſint, frigidos morbos incurrunt: iuniores uero facilius calidos.

Hoc autem loco dubitare poteris, Quum trigeſimo quarto aphoriſmo huius libri dictum ſit, In morbis minus periclitari ægrotantes, quorum naturæ aut ætati aut habitui magis congruit morbus, quàm quibus ſecundum nihil iſtorum congruit: ſeniores uero ſunt frigidi: Igitur morbi iſti longi ſunt ipſis proportionales: igitur ad mortem perducere non deberent, ſed potius minus periclitari, quàm ſi in quacunqꝫ altera natura, uel ætate contingant. Huic dicendum eſt, quantum ſit ratione ætatis, quia morbus magis proportionalis eſt, minus periclitari deberent. Verum quia in hac ætate uires imbecillas eſſe contingit, ob hoc magis periclitantur.

In medio fere huius Commẽtationis ubi legitur, Siquidem uis eſt imbecillis, quæ: nos loco huius particulæ Quæ, legendum putamus Ita ut. Græce enim eſt, ὡς.

Quod legitur, Omnes ſiquidem ſimilioribus morbis facilius corripiuntur. Græce eſt, τοῖς γὰρ οἰκείοις νοσήμασιν εὐαλωτότεροι πάντες. ideſt, Omnes ſibi conuenientibus morbis magis obnoxij ſunt.

APHORISMVS XL

RAucedines & grauedines, in ualde senibus coctionem non admittunt.

BRASAVOLVS

SI VLTIMI senes, imò & primi diuturnos morbos inciderint, ut plurimùm concomitantur ad mortem, sed inter diuturnos morbos raucedo & grauedo connumerantur. Igitur in senioribus raucedo & grauedo concoctionem non admittent, sed concomitabuntur ad mortem: quia senilis ætas talis est, ut ob uirium imbecillitatem ad has frigidas materias coquendas inepta sit. unde hoc loco exemplum ponere uidetur præcedentis aphorismi: propterea à Philotheo hic dicitur, παράδειγμα τι τίθησι τοῦ πρὸ αὐτοῦ ἀφορισμοῦ. καὶ γὰρ ἔλεγεν, ὁκόσα δὲ ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γίγνηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκειν, ὡς τινὸς ἐρωτῶντος διατί, ἐπάγει λέγων. βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβυτέροισιν οὐ πεπαίνονται. καὶ ἡ αἰτία, διὰ τὴν ἔνδειαν τοῦ θερμοῦ, καὶ τὴν ἀσθένειαν τῶν δυνάμεων. idest, Exemplum quoddam ponit præcedentis aphorismi: etenim dicebat, quicunque morbi ipsis diuturni fiunt, magna ex parte comitantur ad mortem: tanquã quodam propter quid interrogante, adiungit, Raucedines & grauedines in ualde senibus concoctionem non admittunt: & causa est, ob caloris indigentiam, & uirium imbecillitatem. Oribasius etiam dicit (ut superius dictum est) quòd senioribus aliquæ ægritudines commoriantur, id nunc denuo testatur, quòd raucedines & grauedines concoqui nequeant: unde & ipse ac si hic aphorismus exemplum sit præcedentis testatur, unum est, in senioribus prædicta non maturari. Sed hoc loco historiã quandam referre non recusabo. Nicolaus Leonicenus preceptor celeberrimus, uir nonagenarius, imò & qui iam sextum supra nonagesimum transegerat, millesimo quingentesimo uigesimo tertio raucedinem & grauedinem simul incidit: hic medico utebatur probissimo atque doctissimo Alberto Sauonarola, diui Hieronymi fratre, ne sine medico ægrotaret: nam medico non indigebat tantus uir. Quum per aliquot dies raucedo atque grauedo in Leoniceno perseuerarent, & esset de salute sua ualde solicitus, bonus ille uir Albertus, ne Leonicenus has affectiones curandas putaret, & ne esset de salute tã solicitus, hunc aphorismum illi retulit, Grauedines & raucedines in ualde senibus cõcoctionem non admittere. Quem audiens Leonicenus subrisit, inquiens: Parce mi Alberte, Hippocratis aphorismum non intelligis: quippe uerus non est in uiro medico. Et ita certe fuit: Nam uir (quod mirum est) tanta ætate ingrauescẽs, sola uictus ratione obseruata, à raucedine & grauedine euasit. Talis autem erat eius uictus ratio: Nunquam abstinuit à carnibus, nunquam à pinguissimo capi iure, nunquam à uino, quod & dulcissimum simul & potentissimum bibebat: & sanitati restitutus est. Dicebatque, hoc genus uictus esse illi ætati proprium: & à quo si declinet, potius periclitari quàm iuuari. Imò medicos illos deliros uocabat, qui in tam ingrauescenti ætate carnes, iura, atque uinum prohibebant, si modice sumantur: sit quodcunque ægritudinis genus, quo ille afficiatur. Hanc historiam ueluti per transennã adducere placuit, ut quisque scire possit, quomodo uir ille celeberrimus uitæ sitientissimus & nonagenarius seipsum in raucedine & grauedine tractaret: ut simul discãt, quomodo suos ægros in his affectibus quum longæui sint, curare debeant. Nunc ad rem ipsam, idest propositum aphorismum reuertamur.

βράγχοι. idest, Raucedines.] Nam & βραγχιάζω, raucesco significat: & uir βραγχώδης dicitur, idest raucus. Græcum nomen apud recentes medicos notius est quàm Latinum. Pro perfectiori autem eorum quæ in aphorismo dicuntur intellectu, tria nomina exponenda sunt, κατάῤῥοος, βράγχος, κόρυζα: quæ apud recentes magis nota sunt quàm Latina. Primum, ἀπὸ καταῤῥέω dicitur, quod defluo significat: ideo κατάῤῥοον, id est defluxum, dicere possumus: uel, Celsum & bonos authores imitati, destillationem. Potest autem destillatio, ad quamcunque corporis partem fieri: propterea, ad quam partem destillat materia aliqua atque fluit, ad illam destillatio est, & catarrhus dici potest ille fluxus. Est igitur hoc nomen Catarrhus, commune uocabulum defluxus humorum ad quamcunque partem: quem Celsus destillationem uocat: raucedinis uerò non meminit

nit:at semper de destillatione simul & grauedine agit: nam libro quarto, capite secundo dicit, destillationes à Græcis κατασταγμούς, grauedines κορύζας appellari. Quo loco dicit destillationem quandoque ex capite in nares ferri, & hoc leue est, coryzaque est, idest grauedo. Interdum in fauces, quod peius est. Interdum etiam in pulmonem, quod pessimum est. Quando est in faucibus, Hippocrates appellat βράγχον, nos raucedinem. Celsus uero utitur communi nomine, & appellat destillationes: unde apud ipsum solum hæc duo inueniuntur, destillatio, & grauedo: nam primo libro, capite secundo, ubi iubet euitandum frigus matutinum & uespertinum, & solem meridianum, & multa alia quæ ibi enarrantur, addit: Quæ res maxime grauedines destillationesque concitant, ut nullam de raucedine mentionem faciat: quæ tamen ab eisdem concitatur, sed illam sub hoc nomine destillatio intelligit. Eodē quoque libro capite quinto dicit, usum aquæ frigidæ euitare debere eum qui habet grauedines & destillationes: modumque euitandi docet, qui etiam raucedini conuenit, ut hinc manifeste deprehendi possit, sub destillatione raucedinem intellexisse, nusquam uero de se illam explicauit. In qua re tamen admiror, quum certum sit, Celsum antiquiores uidisse, atque Hippocratem, qui περὶ βράγχου disseruerunt. Plinius uero Latinus author de raucedine mentionem facit libro uigesimo, capite septimo, ubi de sectiuo porro loquitur, quod dicit destillationes compescere, & raucitates extenuare, ubi uides hic destillationes ponere atque raucitates: & hoc modo nominare, scilicet raucitates & non raucedines. libro etiam uigesimo secundo, capite uigesimo tertio, ubi de lasere agit, raucitatibus ualere dicit, confestim enim purgat fauces, uocemque reddit. Tamen nusquam apud Plinium reperij grauedinem uel coryzam. Raucitatem igitur potius dicendum arbitror, quoniam apud Latinos ita dici constat, & rauis potius quàm raucedo. Ad rem igitur. Destillatio, commune uocabulum est ad omnes humorum defluxus, ad quamcunque partem defluxerint: itaque raucitatem complectetur & grauedinem, & materiæ ad pectus defluxum, ad uentriculum, ad inferiorem uentrem, & breuibus ad omnem nostri corporis partem. Quod ostendere nunc incipiemus, si prius annotabimus, quandoque apud Græcos inueniri κατάῤῥοον, quandoque ῥεῦμα, ἀπὸ τοῦ ῥέω, quod est fluo, & utrunque interpretatum inuenitur destillatio. Etenim recentes decipiuntur, qui uolunt catarrhum esse genus, destillationem uero eius speciem, quæ ad pectus descenderit: nam hæc duo nomina apud Græcos communia sunt, & apud probos Latinos destillationes interpretata inueniūtur, & utrunque à ῥέω, quod est fluo, deducitur. Quód uero destillatio ad quamcunque partem esse possit, statim manifestum erit, si Hippocratē in libro De prisca medicina perlegemus, qui de destillatione ad oculos tractat, ut quam sua lingua ῥεῦμα uocat. Forte uulgus nostrum quum aliquem oculo ægrotare uidet, inquiens, *lui ha una riema*, intelligere uoluit rheuma: & prius quàm Hippocrates prædicta uerba dixisset, sub destillationem, grauedinem & raucedinem posuerat. Post hæc uero de destillatione agens, inquit: Si in fauces penetret, raucedo, singultus, anginæ, sacri ignes, spirandi difficultas, pulmonis uitia, plurimaque alia suscitantur: ut hinc facile colligi possit, ad uarias partes destillationem esse. In libro etiam De glandulis, per omnia membra docet fluere, per palatum in fauces materiam, & deinde in uentriculum, & per spinalem medullam: propterea ibi notat, esse in humano capite septem meatus per quos fluit materia: itaque ad tot partes erunt defluxus & destillationes: de illa etiam quę est ad aures destillatione, & ad oculos, in libro De locis in homine, agit: & docet, ex destillatione à capite ad pectus lateralem morbū & peripneumoniā fieri. At quid opus est uerbis? Sexcenta sunt apud Hippocratē loca, quibus haberi potest, destillationē catarrhum'ue aut rheuma esse communia uocabula ad omnes materierum defluxus ad quamcunque partem fiant. Grauedo autē & raucitas sunt ad statutas nostri corporis partes: unde βράγχος ad fauces est: quam dispositionem nostri Latini raucitatem, ut Plinius: alij raucedinem uocant. Si uero ad nares sit, κόρυζα à Græcis, à nostris grauedo nuncupatur.

Tamen ut rem hanc exquisitius aperiamus, hæc est summa authorū intentio, quam nunc adducemus: & si hæc uocabula apud Græcos communia sint, ῥεῦμα & κατάῤῥοος, & apud Latinos, fluctio, defluxus, destillatio: tamen apud Græcos ῥεῦμα, pro

communiori uoce accipitur, quàm κατάῤῥοος, unde & Galenus in Introductorio sibi adscripto de his fluctionibus agens, dicit, Humor à capite oppleto destillat interdum in nares, interdum in fauces, interdum in pulmonem: atq; has tres species facit, κόρυζαν, βράγχον, & κατάῤῥοον, siue κατασταγμόν, nos Latine interpretari possumus grauedinem, raucitatem atque destillationem. Destillatio postea nomina mutat, ut ex Hippocrate etiã haberi potest in loco præcitato libelli De locis in homine: si in unam pectoris partẽ fluat, morbum lateralem facit; si in utrasq; cauitates, peripneumoniam: si pulmonem uitiet, phthisim, idest tabem facit: si ad coxendices, ἰσχιαδικὴν uocant: si ad renes νεφριτικὴν, unde secundum ægritudines quas facit materia à capite fluens, denominatio fit. Est uero solum catarrhus, uel destillatio, quũ materia ad pectus fluit, quam eodem loco dicit non ex facili curari, imò sæpe immedicabilis est. Eandem ferè sententiam Aetius habere uidetur capite quinquagesimo tertio, octaui libri, sed in catarrho differt: nam uult coryzam, mucum, uel grauedinem esse si ad nares permeet: si uero ad gurgulionem, aut uuam, catarrhus, uel destillatio est. Hæcq; dicit posita esse secundum Galenum. At tu uidere potes in præcitato loco, aliud sensisse Galenum, si is liber Galeni sit, nisi dixerimus, sub catarrho raucitatem intellexisse, & quando ad pectus descendit etiam nuncupare catarrhum: imò & de tabe agit, quę ab eadem fiat materia, & quod defluat ad uentriculum & alias partes: sed in se, de grauedine solum & destillatione mentionem facit. Paulus etiam libro tertio, capite uigesimo octauo, hæc alio modo percẽsere uidetur, quàm Galenus fecerit. Inquit enim, Communis quidem coryzæ, catarrho, raucedini, tussiq; est excrementosi à capite humoris in subiectas partes descensus, qui si in nares distillando ingruit, & easdem aggrauat, coryza, idest grauedo uocatur. Si uero per palatum in fauces influit, catarrhus simpliciter appellatur. Sin autem idem humoris descensus in guttur & asperam arteriam deferatur: atq; interiorem eius membranam salebrosam reddiderit: quum uox rauca comitatur, appellant branchum siue arteriacum: nos raucitatem, quæ fit etiam ex nimio clamore. Hinc Lucretius:

Præterradit enim uox fauces sæpe, facitq;
Asperiora foras gradiens arteria clamor.

Vbi arteria dicuntur genere neutro. Hinc habes aliter ab Ægineta edoceri ad quam partem fluat catarrhus, quàm fecerit præcitatus Galeni locus libri sibi inscripti. Sed uult & ipse phthisim, & multa alia ab eodem fluore à capite generari, fortè & ipse accipit nomen catarrhus communiter, ut omnes defluxus complectatur, aliter à Galeni præcitato libro omnino dissentiret. Circumfertur autem liber De re medica sub nomine Plinij Secundi, liber profecto non despiciendus, in quo & ipse libro primo, capite secundo, hos fluores distinguit, inquiens, Est quidem catarrhus humor fluens ad nares, ad fauces, ad pulmonem. Vnde catarrhus dictus est à fluore, Græci enim hunc fluorem dicunt (puto hic legendum ῥεῦμα) à quibusdam alijs speciebus & nominibus catarrhus appellatur, ad nares factus κόρυζα, ad fauces branchus, ad pulmones phthisis: unde & hic uir à præcitato Galeni libro dissentit in catarrho: nam ponit tanquam genus, quum Galenus speciem ponat materiæ à capite fluentis. In summa igitur dicamus catarrhum esse quidem nomen generale ad omnem fluctionem ad quamcũq; nostri corporis partem. Vnde & Alexander Trallianus libro primo, capite trigesimo, de aurium doloribus agit ex catarrho factis. At secundum Galenum præcitato loco, descensui materiæ ad pectus appropriatur. Secũdum Aetium ad uuam & gurgulionem, & secundum Paulum ad fauces: quamuis crediderim Paulum & Aetium conuenire, imò fortè locum aliquem Galeni inuenere, in quo eorum more loqueretur: tamẽ quicquid sit catarrhus, idest destillatio, est ad pectus: ad fauces, branchus uel raucedo. Dicitur autem βράγχος, guttur, in qua parte fiunt raucedines, & in qua tumores, quos uulgò *gossi* appellamus. Vitruuius, gutturosos homines uocat, qui hoc tumore deformantur. tumores uero tales, Græci uocant βρογχοκήλας, qui aquarum uitio ut plurimum fiunt. Coryza uero est in naso materia defluens, quæ quandoq; tenuis, quandoq; crassa est, facitq; grauedinem si crassa: propterea Celsus dicit, debere esse plenas nares,

nec

nec facile respirantes, quia de facta à materia crassa loquebantur: sed etiam coryza est, si à tenui fiat. Ad rem igitur. Raucedines & grauedines, imò adde & destillationes omnes,

τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν, idest, In ualde senibus,] qui ætate confecti sunt, & imbecilles,

οὐ πεπαίνονται. idest, Coctionem non admittunt.] Non finiunt, hoc est non percoquunt, quia eorum calor imbecillis est, ut hos humores qui frigidi sunt & crassi, has ægritudines facientes coquere non possit. Si uero dicas, nos in præcedenti aphorismo de primis senibus locutos esse, tamen sub hoc nomine presbyteri, cur & hic per idem nomen primos senes non intelligimus. Respõdemus, omnino presbyteros apud Galenum esse secundos senes: sed superius, omnes senes intelligebamus, uel primi, uel secundi essent, modo ex ætate ægri non essent: hic uero quanto magis seniores sunt, tanto minus has materias ad partes destillantes cõcoquunt: propterea addit, Valde senes: ut hos notet, quod superius non fecerat. Sed de raucedine atque grauedine ambiges, quum sint ægritudines senibus proportionales, concoqui posse facile deberent. Galenus in aphorismo trigesimo quarto, ad hoc dubium respõdet, non esse idem non concoqui, & esse periculosum: quia hæc non sunt periculosa in senioribus, licet non concoquantur. At quia hæc solutio forte conuenire non uidebatur, licet bona etiam sit: propterea aliam addit, Hippocratem in ualde senibus dixisse, in quibus omnia sunt periculosa: non quia ipsis proportionalia, uel improportionalia, sed quia uires imbecillas habent; unde ratione improportionabilitatis minus periculosa sunt. At quia uires imbecillas habent, propterea omnia habent periculosa, etiam si proportionabilia sint.

GALENVS

SI SIMVL iunxerimus ambos aphorismos, utriusque sermo talis erit. Senes iuuenibus plurimum ægrotant minus. Quicunque uerò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem. Raucedines igitur atque grauedines in ualde senibus coctionem non admittũt, ita ut hic aphorismus sit ueluti Exemplum quoddam antecedẽtis. Neque enim hi soli morbi senes comitantur ad mortem, sed nephritis, idest passio renum, podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori intestino, ac spleni, frigidæ insunt dispositiones, & præterea crebri anhelitus (quos Græci asthmata nominant) tusses, gibbi, recuruationes, obliquationes, & quæcunque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent, quæ in quibusdam iuuenibus nedum in senibus difficulter coquuntur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum præcedenti continuat, inquiens: in hoc dari exemplum eius quod dictum est in præcedenti aphorismo, & hoc præsertim de secunda parte, in qua dicit, quòd longi morbi seniores ad mortem concomitantur. Hoc patere potest, quia raucedines & grauedines in ualde senibus concoctionẽ non admittunt.

SECVNDO, ne quis putaret raucedines solum & grauedines ægros ad mortem concomitari: propter hoc multos alios morbos enumerare uoluit Galenus, qui senes ad mortem cõcomitantur. Primus quem enumerat est νεφρῖτις, idest renum passio, uel renum morbus: à Græcis etenim renes, νεφροὶ uocantur: unde νεφρῖτις, earum passio: quam passionẽ distingui difficulter à colica Galenus sexto libro De locis affectis, statim in principio tertij capitis, docet: & eodem loco uelle uidetur nephritim lapidem habere, idest esse passionẽ, in qua simul lapis sit, uel passionẽ propter lapidem: quamuis simplici uocabulo, Græci omnem renum passionem nephritim nominent, ut ex Paulo haberi potest, libro tertio, capite quadragesimo quinto: & ex Tralliano libro tertio, capite trigesimo quarto, ubi dicit, Ex renum morbis, qui Græcis νεφριτικοὶ dicuntur, princeps ferè constituitur λιθίασις, idest, calculosus morbus: ut manifeste habeatur, multos alios esse morbos, qui nephritides appellentur, præter lapidem, tamen potissimum significatur hæc passio, in qua lapis est: utpote ea quæ fit inter nephriti-

des fæuissimæ: at quæcunque sit renum passio, seniores ad mortem comitatur. Secundam seniorum ægritudinem podagram facit, quæ & iuniores ipsos ad mortem comitatur. Sub podagra uero, chiragram etiam intelligito. Tertia ægritudo est, articularis morbus, qui omnes artus uexat, uel magnam partem, uel modo hos, modo illos.

Quarta ægritudo est, coxendicum dolor, quem Græci ἰσχίαν uocant, uulgus nostrum sciaticam, quum materia in illius ossis acetabulum impingitur. Quinta ægritudo, sunt frigidæ dispositiones περὶ κῶλον, idest, circa intestinum colon, quod laxius intestinum uocat Leonicenus: hæ autem in ipso intestino tormina faciunt, & hæ dispositiones frigidæ sunt & à pituita. Sexta ægritudo, sunt lienis affectiones, quæ in ipso tumores faciunt, qui solui non possunt, & quandoque dolores. Septima affectio, est ἆσθμα: Latine, creber anhelitus dicitur, sit quæcunque species, uel illa in qua difficulter inspiramus, uel expiramus, uel utrunque facimus: adeo etiam, ut is qui patitur, recta ceruice manere cogatur. Octaua affectio, sunt tusses, quæ ex destillatione fiunt, ad fauces descendente. Nona affectio, sunt gibbositates, quæ ita in pectore fiunt, sicuti in dorso. Hi uerò sunt morbi in compositione solum, qui etiam iuuenes concomitantur ad mortem. Hæ autem fiunt, quum extuberant aut dorsum, aut pectus, aut utrunque simul. Decima affectio, sunt recuruationes. Distinguitur autem à gibbositate recuruatio: quia recuruatio fit propter neruos, qui extenduntur & trahuntur ante, uel retro: nam æque fit in anteriori parte, sicuti in posteriori recuruatio. Sed gibbositas fit, propter materiæ affectionem. Vndecima affectio, sunt obliquationes, quæ fiunt in dexterum uel in sinistrum latus per neruos.

Duodecimo, in summa, omnes morbos ponit ab humoribus frigidis factos in senibus ad mortem concomitari. Imò addit, quòd & in iuuenibus quibusdam difficulter coquuntur.

APHORISMVS XLI

QVi frequenter, ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur, de repente moriuntur.

BRASAVOLVS

HVIVS APHORISMI sententia hæc est, Qui frequenter exolutionem patiuntur, & fortem, & nulla adsit nota causa cur exolutio hæc fiat, hi repente moriuntur: quoniam hæc exolutio non fit, nisi uires imbecillæ sint, & nisi uel materia, uel aliquid circa cor sit, quod exolutionem faciat. Quum autem uis imbecilla sit, & cor patiatur, facile est hunc perire qui ita affectus est, & repentina morte: nam quum aliquid lædens, cordi annexum fuerit, facile interficere potest. Philotheus propterea hoc modo Aphorismum istum aggreditur: ἐνταῦθα πρόγνωσιν θανάτου ποιεῖται, λέγων, ὅτι ἐὰν τις ἐκλύηται πολλάκις, καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ προφάσεως φανερᾶς, οὗτος ἐξαπίνης τῷ χρόνῳ τελευτᾷ. ἐὰν γὰρ ἐπὶ φανερᾷ αἰτίᾳ ἐκλύωνται, οὐ τελευτῶσιν. γυνὴ γάρ τις, ὡς φησὶν ὁ Γαληνὸς, ἔν τινι βαλανείῳ συνεχῶς ἐξελύετο. ἐπεκαίετο δὲ πονηρὰ ὕλη τῷ βαλανείῳ, διὸ καὶ ἐλειποθύμει. ἐπειδὴ δὲ φανερὸν ἦν τὸ αἴτιον, τὸ ποιοῦν τὴν λειποθυμίαν, οὐκ ἦν αὐτῇ κακόν. ἐὰν οὖν ἄνευ φανερᾶς αἰτίας ἐκλύωνται τινὲς, ἤτοι λειποθυμῶσιν πολλάκις τε καὶ ἰσχυρῶς, ἐξαπίνης τελευτῶσιν, διὸ καὶ ὁ τῶν τούτων ὁ ζωτικὸς τόνος, πάνυ ἀσθενεῖ. διὸ καὶ ῥαδίως ἐπὶ τοῖς τυχοῦσιν ἐκλύονται, καὶ διὰ τοῦτο ἐξαπίνης τελευτῶσιν. διὰ τὸ ἐμποδίζειν τὴν καρδίαν διαστελλόμενον ὄγκον, ἔνυγρον, ἢ ξηρὸν ἐπικείμενον τῷ περικαρδίῳ. ζητουμένης δὲ τῆς αἰτίας, ὡς φησὶν ὁ Γαληνὸς, ἀνατεμὼν εὗρεν ἐν ταῖς κοιλίαις τῆς καρδίας χιτῶνα τινὰ περικείμενον, πεπληρωμένον ὑγροῦ δυσώδους. ὅπερ ὑγρὸν τῇ μοχθηρᾷ ἐκείνῃ ποιότητι διέφθειρεν ἀεὶ, καὶ ἐλυμαίνετο τὸν ζωτικὸν τόνον, καὶ τὸ πάθος τῆς ἐκλύσεως ἐποίει. idest, Hic mortis prænotionem facit, dicens, quòd si quis frequenter dissoluatur, & fortiter, sine causa manifesta, iste in processu de repente moritur. Etenim

si ex mani

si ex manifesta causa dissoluantur, non moriuntur. Nam mulier quædam (ut Galenus dicit) in quodam balneo continue resoluebatur: succendebatur uerò praua materia balneo, unde animi defectum incidebat. At quia manifesta erat causa, animi defectum faciens, eidem malum non erat. Si igitur absque causa manifesta dissoluuntur nonnulli, uel animi defectum frequenter & fortiter incidunt, de repente moriuntur: propterea quòd in his uitalis compago, atque tonus, ualde imbecillis est. Propterea & facile, quum hæc contingunt, dissoluuntur: & ob id, repente moriuntur. Quoniam distinctus tumor humidus uel siccus adiacens pericardio, id est, pelliculæ cor tegenti, cor ipsum impedit. Causa uerò perquisita (ut dicit Galenus) insector quidam anatomicus, in cordis uentriculis tunicam quandam ambeuntem inuenit, humiditate olida plenam: quæ quidem humiditas, praua illa qualitate uitalem compaginem atque harmoniam semper corrumpebat, atque destruebat, & dissolutionis passionem faciebat.

οἱ ἐκλυόμενοι. idest, Exoluti, uel Qui exoluuntur.] Recentiores inter exolutionem & syncopim nullam differentiam facere uidentur: & ideo exponunt, Qui exoluuntur, idest Qui syncopim patiuntur. Sed Galenus in fine Commentationis huius partis, inter syncopim & exolutionem differentiam facere uidetur: ubi exemplum ponit cuiusdam, qui dum exolueretur, fortiter ei palpitabat cor: huncque dicit repente mortuum esse: non aliter, quàm illi qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas uocant, correpti subitò intereunt. Vt manifeste appareat syncopim apud ipsum aliud esse, quàm exolutionem: quia uult illum, simili ex exolutione mortuum esse, ut illi moriuntur, qui ex syncope moriuntur. Sunt igitur syncope, & exolutio, distincta: tamen non differunt, quo ad causam, sed solum quo ad intensionem & remissionem, quia in syncope est perfecta & magna exolutio. Exolutio uerò est imbecillis: propterea syncopis causæ, sunt etiam exolutionis causæ. Imò Galenus quinto De locis affectis libro, capite primo, eadem ponit, quæ & syncopim facere dicit, atque exolutionem: adducitque præsentem Aphorismum, & inquit, Hæc fieri uel ab oris uentriculi, aut cordis dispositione, quæ uel sit duntaxat fortis intemperatura, uel uenenosus humor, uel erysipelas, uel inflammatio, uel alter humor præter naturam. Adde tu, Vel humor aliquis, qui in corde sit. Additque eodem loco Galenus, Per intemperaturam partium similarium, non posse fieri subitam mortem, sed bene per intemperaturam partium instrumentalium. Et addit, Id fieri non posse, nisi præcedentibus signis, quorum unum ab Hippocrate dictum est, Qui sæpe & multum exoluuntur sine causa manifesta, ij repente moriuntur. Si uerò dicas, Quomodo hæc euenire possunt, uentriculi ore affecto? Ipse inquit, non euenire à uentriculi ore, nisi consentiente corde (licet antiqui, os uentriculi cor appellarent.) Potest etiam hoc contingere ex illa aqua, quæ in pellicula ambiente cor, continetur, & quæ cor contingit: nam si male affecta sit, hoc facile fiet, uel si humore plena sit. Galenus, dissecta simia tumorem uidit in tunica illa, qui humorem similem aquæ continebat. In gallo etiam dissecto inuenit in hac tunica tumorem prædurum, in quo nihil erat aquæ, sed inuolucrum ex pluribus pelliculis uidebatur.

Qui ergo exoluuntur: idest, Qui ad animi defectum perueniunt. Quod intelligendum est, tam in sanis (idest, in his qui sani uidentur,) quàm in ægris. De syncope in ægritudinibus, Galenus duodecimo Methodi medendi libro, agit, & curare docet: ex quo loco, exolutionis curationem accipere potes. Sed in hoc Aphorismo putamus Hippocratem potius illos intelligere, qui sani uidentur: nam tanto efficacius in ægris uerum erit. Hæc uerò affectio, exolutio nuncupatur: quoniam membra omnia exoluuntur, & ad animi defectum peruenit is, qui exoluitur. De animi uerò defectu, Galenus superius libro primo, Aphorismo uigesimo tertio, dicebat, tunc fieri, quum in ore uentriculi humores mordaces aliquando fuerint. Sed si quis semel, aut bis exoluatur, aut leuiter exoluatur, non est iudicandum, quòd repente mori debeat. Propterea addit,

πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς. idest, Frequenter & fortiter.] Vt multis fiat uicibus, & sit in-

tensa exolutio, talis inquam ut fere sit syncopæ affinis: sed neq; istud satis est, propterea aliud addere oportet.

ἄνευ φανερᾶς προφάσεως. idest, Sine causa manifesta.] Per immanifestam causam Galenus ignotam causam intelligit: ignotam inquam, idest quæ ab extrinseco non sit, nec à quolibet etiam sedentario reddi potest: tamen probi medici causas omnes huius dissolutionis reddere sciunt, sed in propria causa decipi possunt, & unus unam, alter alteram asignare. Quum igitur fortem dissolutionem uidebimus & frequentem quæ manifestam causam non habeat, iudicare debemus causam ipsam esse in corde: propterea hunc facile mori posse, & ideo quum hæc tria simul esse uidebis, hunc repente moriturum iudicato, quod & prædici potest, & etiam prohiberi ne mortē incidat: quin etiam conuenientia præsidia & uictus ad propositum exhibeantur. At quamuis dissolutio à multis causis fieri posit, tamen recentiores tres solas asignant: una est paucitas & tenuitas spirituum: secunda nonnihil quod ad interiora spiritus mouet, sicuti uenenum est: tertia aliquod quod spiritum intus existentem prouocet, ut est fungorum succus: re uera affecti spiritus in causa sunt, sed potest esse mala qualitas ex primis, potest esse dispositio in disimilaribus partibus, quæ hoc faciat: potest esse dolor etiam in ore uentriculi, ut Galenus libro quinto De locis affectis, capite primo, ostendit: sed hæc sunt cū causa, sine causa nota, quando uis uitalis imbecilla est, propterea facile mori potest.

GALENVS

NON OMNES qui exoluuntur, de repente moriuntur: sed si tres distinctiones adieceris. Vnam quidem primam, ut sæpius hoc patiantur, secūdam ut fortiter, tertiam ut sine causa manifesta. Nam mulier quædam longum in balneo tempus commorata, frequenter exoluebatur ob temporis diuturnitatem, & quoniam balneo magna ex parte ligna succēdebantur uitiata, uerū non erat hoc morbi signum, quum causam haberet manifestam. Altera uerò quam uteri affectus infestabant, hoc idem patiebatur. Quidam uerò alter post longum ieiuniū in balneo exoluebatur. Alteri autem, & si per horā lauabatur, idem accidebat, nisi prius aliquid panis assumpsisset. Quibus omnibus, aut debile erat, aut sensum plurimum habebat uentriculi os. Quicunq; uerò ex nulla tali causa sępius ac fortiter exoluuntur, hi ob uirtutis animalis imbecillitatem hoc patiūtur, sicuti & ille, cui dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, de repente mortuus est, non aliter quàm illi qui acutisimis cordis affectibus, quos syncopas uocant, arrepti, subito intereunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, non esse simpliciter uerum, Omnes de repente mori, qui exoluuntur: sed opus esse tres conditiones addi, quod frequenter fiat, fortiter & absq; causa manifesta.

Quod legitur, Tres distinctiones. Græce est, διορισμούς.

Quod etiam legitur, Vt sæpius. Græce est, πολλάκις.

SECVNDO, casus quatuor refert, in quibus ostendit, aliquos esse exolutos cum manifesta causa. Primus casus est, de muliere quæ in balneo diu commorata, ob longam moram exoluebatur: præsertim, quia ligna uitiata in balneo comburebantur, id est ligna ualde humida, & quæ in loco humido mansissent. Illi enim fumi cor petentes exoluebant ipsam. Et nos bis aut ter uidimus exolutos, ex carbonum accensorum fumo: erant hi, qui carbones succenderant in loco angustiore, in quo nulla erat expiratio. Sunt autem carbones quodammodo uitiati, quia prius quàm perfecte urantur, terra extinguuntur: & fere suffocantur ita, ut humiditas quædam crassa intus seruetur. Imò tres in cubiculo dormiētes una nocte ob hunc fumum suffocatos uidimus, & penitus extinctos, cum quibus erat & canis commortuus. Secundus casus est de muliere, quæ solum exoluebatur, dum uteri affectum haberet. At quinam esset hic affectus, non docet: forte dolor erat, uel menses. Tertius casus est, de alia muliere, quæ in balneo exoluebatur propter longum ieiunium. Quartus casus est de uno, qui si per

horam

fiorum lauabatur, exoluebatur, nisi aliquid panis prius sumpsisset. Tamen intellige tu aliud edulium etiam ipsum saluum reddidisse, præter panem. At panem sumebat, quia commune edulium: uerum hi duo posteriores casus proueniebant, uel quia os uentriculi imbecille erat, uel plurimum sensibile. Ideo famem, præsertim in balneo, ferre non poterat, quia balneum multum exoluit.

Quod uero in Galeni codice scriptum est, Quibus omnibus aut debile erat, aut sensum plurimum habebat os uentriculi. illa particula Omnibus, ex superabundanti posita est. Nam Græce legitur, τοῖς τοιούτοις μὲν οὖν ἢ ἀσθενὲς, ἢ αἰσθητικὸν ἱκανῶς ἦν τὸ τῆς γαστρὸς στόμα. idest, Quibus quidem aut debile erat, aut sensum plurimum habebat uentriculi os.

Quod prius legebatur, Succendebantur. Græce est, ὑπεκκαίετο.

Quod etiam legebatur, Vteri affectus infestabant. Græce est ὑστερικοῖς νοσήμασιν. alias Leonicenus interpretatur hysterica, uterina.

TERTIO ueram causam exolutionis in aphorismo positæ refert, Quisque igitur qui ex nulla causa ex prædictis, & etiam ex nulla euidenti, sæpius & fortiter exoluitur, hic ob uirtutis animalis imbecillitatem hoc patitur. Contextus, quem Leonicenus interpretatus est, dicebat τῆς ψυχικῆς δυνάμεως. idest, uirtutis animalis. Et ita legitur in codice Aldino passim impresso. In nostro autem antiquo codice legitur, τῆς ζωτικῆς δυνάμεως. idest, uirtutis uitalis: quod magis probamus, quia exolutionem non facit animalis uirtutis imbecillitas, quæ in cerebro sedem habet, sed uitalis, quæ in corde: exolutio autem potius à corde prouenit, imò ab ipso corde, ut quinto De locis affectis, capite quinto patet. Et exemplum quod in Commentatione sequitur, idem probat. Est autem de quodam qui dum exolueretur, cor ei multum palpitabat, non alio modo quàm palpitent hi, qui ex acutissimis cordis affectibus, quos uocant συγκοπὰς, correpti subito moriuntur.

Quod legitur, Cordis affectibus. Græce est, καρδιογμοῖς.

At quod à recentioribus de exolutione, quæ fit ex forti dolore, aut ex gaudio dubitatur, quod ex spiritibus non fiat ad interiora congregatis: sed nos dicemus hunc cadere in syncopem, non in exolutionem, quia ob dolorem uel gaudium spiritus resoluuntur, & cor exinanitur: uis autem ad interiora & ad cor spiritus trahere cogitur: itaque fit syncope. sed quia & exolutio fieri potest, propterea dicimus, ex manifesta causa factã esse: sicuti nonnunquam fit, quum alicui uena secatur, & quum mulier uteri præfocationem patitur, aut aliquod simile, ut quum quis tristitiam aliquam incidit, & suæ res aduerse, & Mandrabuli more succedunt.

Si uero petas, cur hi qui exolutione moriuntur, liuidum colorem contrahant, & collum peruertat: dicemus eum colorem fieri ob spiritus intus retractos, qui extimas partes exangues dimittunt, & sanguis ipse ad cor ueluti ad arcem recurrit. Collum uero peruertitur ob uirtutis motiuæ imbecillitatem.

APHORISMVS XLII

Soluere morbum, quem apoplexiam uocant, fortem, impossibile, debilem uero, non facile.

BRASAVOLVS

IN QVOTIDIANA ægrorum curatione uiros, qui apoplexiam incidere, habemus, quorum nonnullos sanitati restituimus, alij commoriuntur: & illi qui sanitati restituuntur, penitus sani non euadunt, sed in mitiorem morbum incidunt, nempe resolutionem, quam Græci παράλυσιν uocant. Propterea doctus atque bonus Hippocrates uehementem apoplexiam curare impossibile iudicauit: debilem uero, non facile curari, sed multis indigere præsidijs atque etiam egregijs. Idem à Philotheo censetur, quum inquit, ἔστι μὲν οὖν ἡ ἀπόπληξις διττή. ἡ μὲν μεγάλη, ἡ δὲ μικρά. ἀμφο-

φω

φῶ δὲ κρίνονται τῷ μέτρῳ τῆς ἀναπνοῆς. ὅσοι γὰρ ἀναπνέουσιν μετὰ βίας σφοδροτάτης, καὶ διαλείπουσαν ἔχουσιν τὴν ἀναπνοὴν, τούτοις ἰσχυρὰ ἡ ἀποπληξία ἐστὶ, ἣν καὶ λύειν ἱπποκράτης ἀμήχανον ἔφη, διὰ τὸ βλάπτειν μεγάλως τὴν ἀναπνοήν. ὅσοι δὲ τάξιν τινὰ σώζουσιν τῆς ἀναπνοῆς, ἀσθενὴς τούτοις ἡ ἀποπληξία ἐστὶ, ἣν καὶ οὐ ῥᾴδιον, τουτέστιν οὐκ εὐκόλως λύειν φησί, διὰ τὸ καὶ αὐτὴν τὴν ἀναπνοὴν βλάπτειν. idest, Apoplexia uero duplex est, hæc quidem magna, illa autem parua, & ambæ respirationis mensura iudicantur: quicunque enim cum grauissima difficultate respirant, & respirationem deficientem habent, his uehemens apoplexia adest, quam & soluere Hippocrates impossibile dixit, quoniam intense lædit respirationem. Quicunque uero ordinem quendam respirationis seruant his debilis est apoplexia, quam non facile, idest non leuiter soluere dicit, quoniam & ipsa respirationem lædit. Est autem læsa, quia & cerebrum ipsum læsum est, in quo est uis animalis. ab hac autem ui animali respiratio fit, ut Galenus docet in libro De causis respirationis, & in secundo De motu musculorum.

λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρήν. idest, Soluere apoplexiam fortem.] Hoc est, sanare. Et optime usus est uocabulo Soluere, quia cerebrum ferè ligatum est in apoplexia: propterea quum sanatur, soluitur. De apoplexia uero agere uolentes, illud scire necessarium est: Antiquos, idest illos qui ante Galenum scripserunt, per hoc nomen Apoplexia, non solum ueram apoplexiam, sed etiam paralysim, & ἡμιπληγίαν, idest dimidiatam apoplexiam intellexisse; unde apud Hippocratem scriptum reperitur, Crus hominis apoplecton fuisse, & hunc Hippocratis locum citauit etiam Paulus libro tertio, capite decimo octauo. Certum uero est crus non habere ueram apoplexiam, sed tantum paralysim; & etiam paraplecticos, apoplecticos uocabant. Sunt uero paraplectici, qui aliquam corporis partem resolutam habent: unde qui apoplexiam patiuntur, paraplexia correpti sunt. Sed qui paraplexiam habent, apoplectici non sunt. Post illos uero antiquos Galeni tempore uocabula appropriata sunt, & ipse solum uocat apoplexiam, quando est facta meatuum obstructio, uel uentriculorum cerebri, & talis, ut sensum & motum impediat. Quum uero una sola pars affecta sit, paralysim uel resolutionem dicunt. Propterea Celsus hoc notat libro tertio, capite uigesimo septimo, ubi inquit, Resolutio neruorum frequens ubique morbus est: sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres authores illud apoplexiam, hoc paralysim nuncupant. Hinc uides apud antiquos, apoplexiam, neruorum resolutionem significasse, sed omnium neruorum. Celsi uero tempore, & nunc etiam, uel omnes nerui resoluti sint, uel neruorum pars solum, semper paralysis nũcupatur: tamen apud Hippocratem constat, paralysim etiam in membro particulari apoplexiam nuncupatam esse, ut de illa cruris superius citauimus. Celsus præterea capite uigesimosexto eiusdem libri, morbum attonitum uocat ἀποπληξίαν. Fit autem dupliciter attonitus morbus, in quo mens & corpus stupet. Interdum ictu fulminis, interdum morbo, ἀποπληξίαν hunc Græci appellant. Ideo uocabulum Attonitus, apud Latinos & eum significat qui fuerit fulmine ictus, & apoplexiam. Sed qui est fulmine ictus, apoplexiam simul patitur, & incurabilis est. Nos uidimus fulmine ictos, sed adeo breui mortuos, ut possibile nõ fuerit, uel minimum præsidium afferre. De apoplexia in libro Definitionum, sibi adscripto, Galenus dicit esse morbum obstupidæ mentis & intellectus, cum insensibilitate & concussione totius. Additque eo loco id quod superius retulimus, differre apoplexiam à paraplexia, sicut pars à toto. Nam qui apoplexia laborant, in toto & parte laborant: qui uero paraplexia, in parte tantum: quia paraplectici dicuntur, quibus in dextra uel sinistra parte solutiones fiunt. In libro etiam, qui Introductorius uel Medicus inscribitur, Apoplexiam ex humorum crassorum copia generari dicit, qui principes cerebri uentriculos, unde corpori sentiendi, mouendique facultas aduenit, affatim implent. Hippocrates de hoc uitio scribit, inquiens, Validam soluere nemini licet: imbecillem haud facile. Si uero dubites, an ex calidis humoribus quandoque fiat, dicimus, omnino & à sanguine fieri copioso, & à uino quãdoque prouenisse uidimus, sed uinum humores intrinsecos excitauit, præter id quod & ipsum implet. Vt autem ad rem ipsam descendamus, quando uentriculi cerebri humoribus opplent, adeo ut spiritus per ipsos

ipsos moueri non posſint, nec ad partes alias tranſmitti, neceſſarium eſt ſenſus amit-
tere atque motum: quoniam ſenſum & motum ob ſpiritus animales habemus, qui per
neruos tranſeunt, uerum oppletione facta ſpiritus tranſire non poſſunt: propterea ſen-
ſus & motus amittuntur. At quia etiam ſenſus & motus amittuntur, ſi ſolæ uiæ op-
pleãtur, per quas ſpiritus permeare ſolent, quamuis uentriculi ipſi pleni non ſint: ideo
erit etiam apoplexia, quando ipſæ uiæ per quas ſpiritus mouẽtur, oppletæ fuerint. Sed
potiſsimum eſt apoplexia in uentriculis cerebri, quando perfecta obſtructio facta ſit.
Solent & aliqui uocare hoc genus morbi ſyderationem, uulgus noſtrum *guttam* nomi-
nat: putatq́ aquæ ſtillam eſſe, quæ ſupra cor cadat. Antiqui, à materia frigida fieri cen-
ſuerunt: ut Paulus libro tertio, capite decimo octauo teſtis eſt, qui ſolum gelidæ mate-
riæ ex qua fiat, mentionem facit. Et Aetius ex ſententia Archigenis, idem uelle uide-
tur capite uigeſimo ſeptimo ſexti libri: quamuis dicat uitium & ex calore fieri, ſed poſt
ea addit, ab his fieri, quoniam infrigidãt, & re uera à frigidis humoribus, ut plurimum
ſit: tamen quandoq́ à calidis, ſed raro fieri contingit. Poteſt autem ex Galeno apople-
xiæ definitio ſumi, quæ eo modo perfecta eſt, ut de his rebus definitiões aſsignari poſ-
ſunt: nam potius deſcriptiones ſunt. Eſt uerò talis: Apoplexia, eſt priuatio ſenſus &
motus in uniuerſo corpore, repente ſuperueniens, cum functionum imperantiũ læſio-
ne, ob oppletionem uentriculorum cerebri. Et recte quidem uentriculorum, quia cere-
bri ſubſtantia nihil patitur in apoplexia quæ fit à materia: nam illa quæ fit ab ictu ful-
minis, alterius generis eſt: imò Greci hanc non uocant apoplexiam: quãuis Celſus hos
ſimul & apoplecticos & attonitos nominet. At Græci fulmine ictos ἐμβροντήτους di-
cunt. Philotheus, de apoplexia ita diſſerit: ἀποπληξία ἐστὶν ἀκινησία καὶ ἀναισθησία τοῦ
παντὸς σώματος, μετὰ βλάβης τῶν ἡγεμονικῶν ἐνεργειῶν. τὸ δὲ αἴτιον αὐτῆς ὑγρότης φλεγματώ-
δης πληροῦσα περὶ τὸν ἐγκέφαλον, καὶ ἐργαζομένη τὸ σῶμα ἀκίνητον. γίνεται δὲ οὕτως, ὥσπερ
νέφος παρατρέχον ἥλιον κωλύει, καὶ οὐκ ἐᾷ αὐτὸν καταλάμπειν τὴν γῆν, οὕτως καὶ ἐνταῦθα
ἡ ὑγρότης, ὥσπερ τι νέφος περισκέπουσα τὸν ἐγκέφαλον, κωλύει αὐτὸν ἐκπέμπειν τὰς δυνάμεις
ἐν ὅλῳ τῷ σώματι, καὶ διὰ τοῦτο ἀναίσθητον, καὶ ἀκίνητον μένει. ideſt, Apoplexia, eſt immo-
bilitas & inſenſibilitas totius corporis, quum principalium actuum læſione: cauſa ue-
rò ipſius, eſt humiditas pituitoſa partes proximas cerebro implens, & corpus immobi-
le reddens. Fit autem hoc modo, ſicuti prætercurrens nebula ſolem prohibet, & non
ſinit ipſum irradiare terram. Eodem modo & hic humiditas tanquam quædam nebula
cerebrum contegens ipſum prohibet potẽtias per totum corpus immittere, & propter
hoc inſenſibile & immobile permanet. Quid autem ſit fortis apoplexia, & quomo-
do cognoſcatur (quamuis ſuperius de hac re ſecundum Philotheum egerimus) Gale-
nus ubertim docet tertio De locis affectis libro, capite decimo: apoplexia & fortis &
debilis iudicatur, ſecundum quod ſpiratio magis & minus offenditur: nam omnes par-
tes quæ ſunt ſub ceruice, imò omnes totius corporis partes à neruis mouentur, & pro
pter neruos ſenſum habent. Illudq́ adijcere oportet, Omnes partes, quæ motu uolun-
tario mouentur, habere neruos. Nam ſecũdum Galenum, omnis muſculorum motus
eſt uoluntarius: hic autem motus fit per neruos. Experientia autem uidemus, ſi alicui
ſpinalis medulla in ceruice incidatur, motum amittit, & ſenſum partium inferiorum:
quia ſpiritus ad inferiores neruos tranſire non poſſunt. Illud præterea adijciamus, Mo-
tum inſpirationis & reſpirationis eſſe uoluntariũ, quia fit à muſculis. Et de nonnullis
legitur, qui ob ſpontinam ſpiritus retẽtionem obiere: nam ita ſibi imperarunt, ut ſæuas
Neronis atq́ truces manus effugerẽt. Fit ergo ex muſculis inſpirationis & exſpiratio-
nis motus. Hi uerò muſculi ideo mouentur, quia neruos habent: nerui autem, qui pe-
ctoris muſculos mouent, ex ea ſpinæ parte, quæ in ceruice eſt, ortũ habent. At uentri-
culorum cerebri uel meatuũ oppletione facta, animales ſpiritus ad ipſos deriuari non
poſſunt: itaq́ ſenſus & motus illarũ partium, imò & totius corporis amittitur: nam &
ſi dicatur, Motum fieri per neruos, non eſt putandum neruum, ut neruus eſt, neq́ mu-
ſculum, ut muſculus eſt, ſentire, aut moueri: ſed ſunt ſpiritus animalis inſtrumenta, qui
per omnia mẽbra defertur. Quum uerò ad aliqua membra deduci nõ poſsint, nullum
opus fit in neruis uel muſculis. Itaq́ uel totum corpus, uel pars corporis ſenſu & mo-
tu priuatur: unde in apoplexia totum corpus ſenſu & motu priuatur, & conſequenter
muſculi

musculi qui mouent pectus cum dilatatur, uel constringitur, & inspirationem ac expirationem facit, motum amittunt. Itaque expiratio & inspiratio non fiunt, uel ægre fiunt. Ex his igitur magnam & paruam apoplexiam cognoscemus, ut magis & minus respiratio læditur. Si enim respiratio penitus auferatur, hi breui moriũtur. quoniam animal absque inspiratione & expiratione uiuere non potest. Et nos aliquos uidimus, qui statim cum correpti sunt, obiere, ut nuper contigit Bartholomæo Ratiocinatori, qui fere me præsente in apoplexiam decidit, & illico omnia uitę indicia abiere, & mortuus est. Idem anno superiori euenit intimę cubiculariæ illustrissimę ducis nostræ. hæ fuere fortissimę apoplexiæ. Cum uero aliquo modo spirant, ut ipsos uiuere cognoscamus, quia mortuorũ curatio suscipienda non est, iudica (ut dicit Galenus) pessimam spirationem esse, in qua intermissiones fiunt, & cum magna uiolentia spiritus trahitur: in quo casu multos uidimus atque curauimus. Vnum ergo, uel alterũ, uel utrunque simul adfuerit, est fortis apoplexia. Cum uero spiritus cũ minori uiolentia trahitur, & non intermittitur, est minus fortis, sed sit inordinatus: at cum fuerit ordinata spiratio, est adhuc minus fortis. Primũ modum ex his superius dictis curare impossibile est, ut dicit Hippocrates.

ἀσθενέα δὲ. idest, Debilem uero.] Quę est hæc, in qua spiritus ordinem aliquẽ habet.

οὐ ῥηΐδιον. idest, Non facile.] Vnde & si spiratio sit ordinata, tamen non facile sanatur, imò hi integre non sanantur, quia in paralysi resoluuntur, aut unius partis, aut amharum simul. Nos plerunque uidimus: in una parte solum factam esse dissolutionẽ, quando aliqui ab apoplexia liberati sunt. Hæc igitur sunt quæ in hoc aphorismo ab Hippocrate dicũtur: & illa est causa, quam attulimus. Nec tibi mirum uideatur, quum cor sit principium & fons spirituũ omnium, quod ex spirituum defectu pereat. Nam motus fieri non potest, nisi ex spiritibus animalibus, qui in corde nõ sunt: quippe qui in corde sunt, uitales appellantur: à corde autem per arterias & uenas in cerebrum ducũtur, & ibi per quandam coctionem & impressionem quam sumunt, acquirunt ut animales nuncupẽtur, quorum officium est dare motum & sensum. Id autem faciunt medijs musculis: propterea ad cor iterũ descendunt, sed per neruosas partes: dantque cordi motum & sensum, & thoraci & omnibus infernis partibus, unde à corde initium habent: sed deinde ab ipsis cor auxilium & perfectionem sumit. Itaque uidemus cor cerebrum adiuuare, postea cerebrum illi uices rependere.

Sed ambiges, quum in epilepsia, idest comitiali morbo, sensus & motus auferatur, quæ erit differentia inter morbum comitialem & apoplexiam? Respondemus, omnino quantum sit ratione materiæ, ab eadem proueniunt, & cerebri meatus, uel uentriculi opplentur, & idem effectus sequitur, scilicet in sensu & motu læsio: imò Galenus in quarto libro De symptomatum causis dicit, quippe & apoplexia & morbus comitialis affecto cerebro fiunt: uerum ut profundus somnus sentiẽdi functiones, ita apoplexia illas actiones quæ pendent à uoluntatis imperio, offendit. Rursus, qualis est insomnia, idest facilis somnus sentiendi functionibus, talis est conuulsio per morbum comitialem functionibus uoluntarijs: quippe in utrisque deprauatus cerebri motus deprehenditur: atque ob id particulatim reliquorum quoque membrorũ omnium: unde secundum Galenum omnino multum cõueniunt apoplexia & epilepsia. Sed differentia est, quòd in epilepsia fit cõuulsio neruorum totius corporis: in apoplexia uero dissolutio. Secundo, apoplexia fit, propter materias quæ semper in cerebro & capite sunt: sed epilepsia fieri etiam potest, ab ore uẽtriculi, uel ab alio particulari membro: de qua re mentionẽ facit Galenus tertio De locis affectis libro, capite septimo, ubi casus & modum ponit. Nosque curauimus uxorem egregij Oroboni de Orobonis, à cuius anulari digito uidebatur moueri materia, quæ deinde ad caput per brachium mouebatur, & epilepsiam faciebat: tamen illam curauimus, quæ breui & optime euasit, & si curationem scire cupias: illi propinandum dedimus guaiaci decoctum: nam & simul Gallica scabie uexabatur. Tertio, epilepsia est morbus imbecillior apoplexia: imò Aristoteles in libro De somno & uigilia, dicit, epilepsiam fieri ex uaporibus ad caput ascẽdentibus, postea redeuntibus. Propter hoc addit, fieri ut plurimum dormiendo: quia hoc tempore multi uapores ascendunt, & quia pueris facile euenit, iubet ne illis uinum potui detur, nec eorum nutricibus. Tamen mulieres Ferrariẽses nutrices uino implent & fere

inebriant, ut lac multiplicare faciant. & re uera ab Aristotele non multum dissentio, quod hæ epilepsiæ in quibus per breue spatium homines detinentur, sint potius à uaporibus, quàm ab humoribus: scito tamen epilepsiam quãdoq; interficere posse, ut nuper uidimus in uno qui assuetus erat epilepsiam incidere, hic nudius tertius cum hunc morbum incidisset, totus cõuulsus est, & uesperam non uidebat. forte dices fuisse apoplexiam. Curauimus præterea magnificum Hippolytum Boiardum, qui per nonnullos dies ex potu uini Cretici in febre, decies & duodecies in epilepsiã corruebat: illam puto ex uaporibus factam, nam & cito expergiscebatur, uel forte erat ualde tenuis materia. & nuper puerum lac exugentem curauimus, qui per quadraginta uices singulis diebus morbum comitialem incidebat, tamẽ sanatus est. putamus ex uaporibus hunc morbũ potius huic puero cõtigisse, quàm ex materia aliqua crassa, & glutinosa. Alium puerum diebus superioribus curabamus, qui inter dormiendum pluries in hunc morbum coincidebat: sed hic una uice nunquam experrectus est, putamus tunc fuisse materiam, & non uapores. materiã inquam quæ adeo occluserit uentriculorum meatus, ut anhelitus huic penitus auferretur. Id autẽ facile fieri poterat, cum esset puer lac exugens, ualde imbecillis, & qui etiam mammas exugere ut satis esset, despiciebat. Is forte ex imbecillitate obijt. Deinceps quoq; aphorismo quadragesimo quinto Galenus dicet, comitialem morbum similem esse apoplexiæ, & ab eadem fieri materia: in hoc aũt differre, quia apoplexia fit ob omnimodam carentiã illius potentię, quæ ad neruos defluit: Comitialis autem morbus propter motum uitiosum generatur, propterea hi habent conuulsionem, apoplectici uero dissolutionem.

Est uero hic aphorismus utilis, ut cognoscamus quæ nam apoplexiæ sanari possint, & quæ non possint, ut maria & montes promittere non debeamus.

GALENVS

IN APOPLEXIIS totum corpus sensu priuatur, ac motu, solus restat anhelitus, qui si & ipse prohibeatur, maxima est & acutissima hæc apoplexia. Quicunq; uero respirant quidem, sed magna cum ui, fortis adest istis apoplexia. Fortis autem adest, & illis, sed minus, qui neq; intentũ, neq; uiolentum, inęqualem tamen, atq; exordinatum, ac præterea intermittentẽ habent anhelitum. Sicuti in quibus aliquem seruat ordinem debilior existit, & si omnia fiant quæ sunt necessaria, cito curatur. Omnes autem apoplexiæ fiunt ui animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem similem inflammationi, quæ in ipso cerebro fit constituta, aut uentriculis ipsis oppletis humore pituitoso, uerum causæ magnitudinẽ, etiam passionis magnitudo consequitur. Magna autem ex parte curationem non admittit propter respirationis læsionem, & mirari licet quomodo omnibus alijs musculis motu carentibus in apoplexijs, illi qui thoracem attollunt, quamuis difficulter, moueantur tamen plerunq;. Videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem quæ neruorum uim excitat ad operationẽ. Et ob hanc ipsam causam magna ex parte musculi omnes in apoplexijs operantur thoracem mouentes, & si raro prius omnes operabantur, quemadmodum & in uehementibus exercitijs anhelitus plurimus est necessarius. Verum in apoplexijs, non ob id quod sit adaucta necessitas respirationis, sed quia uis est imbecillis, ideo omnes musculi thoracis simul cogũtur operari, quemadmodum & in alijs qui cum febre uires habent imbecilles, ob hanc ipsam causam omnes mouere coguntur se ipsos, in summam effatu dignam ex omnibus operationem colligentes.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus apoplexiarum ordinem docet, ut fortem inueniat, quæ incurabilis est, nam in apoplexijs sensus & motus auferuntur, & solus anhelitus relinquitur. Hunc autem ordinem ponit. est acutissima apoplexia, in qua non est anhelitus, imò hi statim moriũtur. Si uero respirent, sed cum magna ui, est fortis, non tamen fortissima. Est minus fortis, si spiritũ intentum non habeat is qui patitur, neq; uiolentum, sed inæqualem, inordinatum, & intermittentem. Intellige autem omnia hæc, aut quædam. Si uero ordo in respiratione seruetur, est imbecillior, & hæc est quę forte curatur, si etiam omnia fiant quæ in curatione necessaria sunt.

In commẽtationis principio, ubi legitur, In apoplexijs totum corpus sensu priuatur

& motu. ibi addi debet Repente, quia in Græco codice adest ἐξαίφνης, idest repente: propterea hoc modo legere oportet, In apoplexijs totum corpus sensu repente priuatur & motu.

Vbi legitur, Solus restat anhelitus. Græce est, πλὴν μόνης τῆς ἀναπνοῆς, idest, Sola restat respiratio.

Quod legitur, Qui neq; intentum. illa particula Intentum, Græce est συντονίας.

Nota etiam quum dicit, Et si omnia fiunt quæ sunt necessaria, cito curatur. est in illa parte, quum de apoplexia loquitur, ubi spiritus seruat ordinem. Sed uideretur, Hippocratem absurde loqui, si cito curaretur: nam dicit esse difficilem curatu. Adde quod & imbecillis apoplexia, longa curatione indiget, & tardius curatur. Propterea Græcum Galeni codicem legens, hic scriptum inueni τάχα, quæ uox, Forsitan, significat. Ideo potius dicẽdum esse Forsan, quàm Cito, iudicamus. Nam hæc apoplexia difficilis curatu est: tamen si omnia necessaria præsidia adhibeantur, forsan curatur, non autem cito curatur.

SECVNDO huius affectionis causam ponit, inquiens, apoplexiam fieri, quãdo spiritus animales, quos per uim animalem exprimit, ad partes infra caput existentes defluere non possunt. Causa uero cur spiritus defluere non possint, est dispositio in cerebro similis inflammationi, sed non est uera inflammatio, & per hoc apoplexiam innuit ab humore calido factam, ob uentriculorum cerebri oppletionem ab humore pituitoso. Addit autem quòd passio est tanto maior, quanto causa est intensior. Sed ut plurimum non curatur, propter respirationis læsionem.

Oribasius apoplexiam fieri posse dicit, ex omnium humorum exuberantia: tamen propriam originem habet à phlegmatico: & exemplum dat satis ineptũ quatuor equorum currum trahentium atq; decidentium.

TERTIO dubitationem facit Galenus, quum omnes musculi in apoplexia motu careant, quare musculi thoracem mouentes, plerunq; mouentur, licet motus cum difficultate sit: imò moueri debere non uiderentur, quia musculorum motus uoluntarius est, in apoplexia uerò omnes uoluntarij motus pereunt. Galenus uero huic dubitationi respondet, In apoplexia non debere moueri musculos: sed necessitatem respirationis etiam non adueniente uoluntate excitare neruorum uim ad operationem. Ideo ille motus non est per regulam naturæ, sed per uiolentiam quandam, & ideo nisi cito soluatur, pereunt: quoniam quæ uiolenta sunt, diu permanere non possunt. Quum uero in nostro thorace multi musculi sint, omnes non operãtur, nisi quando opus est: sed in apoplexia omnes operantur. Sunt uero aliqui musculi in nostro thorace, ut ex libris De usu partium patet, qui non semper operantur, imò possent in aliquo homine nunquam operari, tamen non sunt otiosi, quia natura illos fecit ob necessitatem quæ contingere posset: licet fieri posit, quòd nunquam contingat, ut sunt uehemẽtes motus & uehemẽtiora exercitia, in quibus indigemus plurimo anhelitu, quia ob caliditatem respirationis necessitas augetur, tunc omnes thoracis musculi mouentur ad excitandam maiorem & frequẽtiorem respirationem. Erant uero ex illis musculis qui tunc mouentur, multi qui prius non mouebantur, sed propter hanc necessitatem erant facti: ita in apoplexijs omnes musculi thoracis mouentur. Si uero dicas, Ergo in apoplexia, quæ ut plurimum est morbus frigidus, erit indigentia respirationis. Galenus respondet, id esse non quia sit adaucta respirationis necessitas, sed est propter imbecillas musculorũ uires, propter quas omnes operari coguntur, ut aliquid faciant. Datq; huius rei exemplum in altero, quod non est exercitium: nempe in ægris febricitantibus, quibus & uires imbecillæ sunt: in his enim omnes musculi simul moueri cogunt̃, ut ex summa omnium musculorum ita motorum, operationem effatu dignam habeamus, qua hic uiuere possit. Ita est in apoplexia, omnes musculi moueri cogũtur, ut ex omnibus simul motis talis respiratio habeatur, qua ille uiuat: tamen si diutius in eo statu perseueraret, uiuere non posset, nec diu in tali motu perseuerare, sed is moreretur. Philotheus & prædictam dubitationem ponit, & aliam etiam addit, inquiens, εἰ δέ τις εἴποι διὰ τί τῶν ἄλλων μυῶν ἁπάντων ἐν ταῖς ἀποπληξίαις ἀκινήτων γινομένων, οἱ τὸν θώρακα διαστέλλοντες κινοῦνται πολλάκις. λέγομεν διὰ τὴν χρείαν τῆς ἀναπνοῆς ἐπεγείρουσιν αὐτοὶ τοῖς αὐτῆς νεύροις δύναμιν, ἰδὲ

τὴν φάρυγγα. πρὸς δὲ τοὺς ἀπορoῦντας, ὅτι ἀποπληξία ἐστὶν ἀκινησία καὶ ἀναισθησία τοῦ παντὸς σώματος, ταῦτα δὲ στερήσεις εἰσί, πῶς ἐνδέχεται ἐπὶ στέρησιν λαμβάνειν τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. λέγομεν ὅτι οὐκ ἔστι παντελῶς ἀναισθησία καὶ ἀκινησία ἐπὶ τῶν ἀποπλήκτων. οἱ γὰρ τὸν θώρακα κινοῦντες μύες, πάντως κινούμενοι οὐκ ἀκινησίαν παντελῆ ποιοῦσιν. idest, Si uero quis dixerit, propter quid alijs omnibus musculis in apoplexijs immobilibus factis, qui thoracē distinguunt, sæpe mouentur: dicimus ob respirationis usum, ipsi uim, quæ in ipsis neruis est, ad actum excitant. Ad ambigentes uero, quod apoplexia est totius corporis immobilitas atq; insensibilitas, hæc autem priuationes sunt, quomodo in priuationibus magis & minus accipere contingit: Dicimus in apoplecticis non adesse penitus immobilitatem: nam musculi thoracem mouentes, omnino moti perfectam immobilitatem non faciunt. Oribasius alio modo prædictam ambiguitatē facit, inquiens: Sed interrogare posses Hippocratē, cum dicit, Nisi corde affecto homo nō moritur. In apoplexia quomodo cor patitur, dum repentina fuerit affectio cerebri? Quibus id respōdendum est, quoniam è cerebro nerui habent originem: pulmones qui sunt cordis nostri flabellum, detinentur ab ipsis neruis, per quos & agitantur. Ergo dum cerebrū afficitur, nerui non mouentur, pulmones non exagitantur, & cordi temperamentū non ministrant, & sic in suo loco cor periclitatur, & mors euenit.

Quod legitur, Aut propter aliquam dispositionem similem inflammationi. Græce est, ἤτοι διὰ φλεγμονώδη τινὰ διάθεσιν.

Quod legitur, Constituta. Græce est, συστᾶσαν.

In illa etiam parte ubi legitur, Quamuis difficulter moueantur, tamen plerūq;. Hæc uerba in Græco codice ita leguntur, εἰ καὶ μόγις, ἀλλὰ κινοῦνται γε πολλάκις. idest, Et si difficulter, tamen plerunq; mouenť. Apparet autem si Leoniceni more legamus, alium sensum fieri. Nam applicat id uerbum κινοῦνται, illi particulæ quamuis difficulter, & interpretatur moueantur: quum dicat, mouentur: & sit applicandum parti ultimæ, illi scilicet, tamen plerunq; mouentur.

Quod etiam legitur, Quemadmodum & in uehementibus exercitijs anhelitus plurimus est necessarius. In Græco codice hoc modo legitur, ὥσπερ ἐν τοῖς σφοδροτάτοις γυμνασίοις, ἐπειδὴ πλείστης τῆς ἀναπνοῆς ἐστὶ χρεία διὰ ταῦτα, idest, Quemadmodum in uehementibus exercitijs, quoniam anhelitus plurimus est necessarius, propter hæc. Ex his uides in Leoniceni codice particulam Et, superesse, & particulam Quoniam, abesse: & etiam abest illa particula διὰ ταῦτα.

Quod etiam legitur, Quemadmodum & in alijs cum febre. In nostro antiquo codice habetur, ὥσπερ τῶν ἄλλως ἐν πυρετοῖς. In alia lectione habetur τῶν ἄλλων. ut habuit Leonicenus. Alter etiam codex habuit, ἐν πυρετῷ, in singulari.

In fine ubi legitur, In summam effatu dignam. Græce habetur, εἰς ἓν ἀξιόλογον κεφάλαιον. idest, In unam summam effatu dignam, uel in unum caput. ἀξιόλογος ratione ac respectu dignus.

APHORISMVS XLIII

STrangulati, ac dissoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

BRASAVOLVS

QVI VEL laqueo, uel præter naturā tumore strangulati sunt & dissoluti, sed nondum mortui: si spumam circa os habuerint, non referūtur, quoniam in spiritalibus partibus tale incendium est, quod liberari non poterunt, præsertim etiam quia uires imbecilles sunt. Oribasius quatuor modis strangulationem fieri dicit, aut intrinsece, aut extrinsece, aut cum uoluntate, aut citra uoluntatem. Intrinsecus, ut in apoplexia: extrinsecus, ut quum cadens quis, ipse se opprimit: cum uolūtate, quum aliquis se laqueo suspendit: citra uoluntatem, quum aliqui cruci applicantur, uel in foueam cadunt. Celsus libro secūdo in fine capitis octaui, in quo notas describit quæ in quoquo morbo spem uel pericula ostendunt, hunc aphorismum ita refert. Neq; is ad uitam redit qui ex suspendio spumante ore detractus est.

Τῶν ἀπαγχομένων, idest, Strangulatorum, uel E strangulatis, uel Hi qui strangulati sunt.] Non defuere, qui per strangulatos illos intelligerent, quibus unum colli uertebrum dislocatum esset. Sed hic & si moriatur, quia omnium inferiorum partium sensum & motum amittit, & adeo ut anhelitum habere non possit, atque mori cogatur, tamen fieri potest, ut strangulatus non sit: quia morietur ob respirationis defectum, ratione instrumentorum affectorum: non autem ob aeris inclusionem ex partibus colli, ut ex aspera arteria. Cõtingit tamẽ & hos quãdoque strãgulari ex illius ossis dislocatione: unde illi, strangulati nũcupantur, & strãgulari, quibus occluditur spiritus per occlusionem arteriæ: quod extrinsece fieri potest, aut laqueo, aut manus apprehensione. Intrinsece uerò, ob tumorem prĕter naturam occludentem, uel ob esum rei strangulantis, & spiritum occludẽtis: ut de ephemero Dioscorides dicit, quod Colchicum uocat. Est autem id, quod à nostris pharmacopolis hermodactylus nũcupatur: quo pro re sana utitur, quum uenenum sit. Nec est hermodactylus ille de quo Paulus mẽtionem facit: necat autem fungorum modo, qui (Dioscoride teste) id strangulando faciunt: & à Plinio, seruorum refugium dicitur. Nos quandoque hermodactyli portiunculam comedentes, fauces occludi persentiebamus: propterea abstinui, & eam partẽ quam masticaueram, expui. Quomodocũque igitur sit, arterię occlusio, strangulatio uocatur: unde & Plinius libro septimo de Fabio loquens, inquit: Fabius Pictor, senator, in lactis haustu uno pilo strangulatus est. Dicitur uerò strangulatio, à stringendo gulam: quamuis gula proprie sit hæc sola pars, quæ sub mento continetur: uel illa, quæ à Græcis στόμαχος dicitur: sed hoc loco, totũ intelligimus. Hi ergo strangulati sunt, quibus ob superioris partis adstrictionem, spiritus occlusus est. Tamen & strangulatus, uuluæ Latini uocant quandoque præfocationẽ, quibus impeditur anhelitus: & re uera ita nuncupari possunt, quia ex uaporibus ad gulam & gutturis partes ascendentibus occluditur spiritus.

Καὶ καταλυομένων. idest, Dissolutorum, uel Ex dissolutis, uel Qui dissoluti sunt.] Per hos, eosdem intelligit quum strangulati sunt & dissoluti adeo, ut nerui qui in collo sunt dissolutionem patiantur, quoniam spiritus animales ad ipsos non permeent: sicuti in apoplexia non defluunt, propterea dissoluuntur.

Μηδέπω δὲ τεθνηκότων. idest, Nondum mortuorum, uel Nondum mortuis, uel Qui nondum mortui sunt.] De hac morte quomodo intelligendum sit, dubium uidetur, quoniam hæc duo repugnare uidentur, esse strangulatum, & non esse mortuum. Imò dicamus, quòd strangulatorum quidam sunt mortui, quidam non mortui. De mortuis nihil dicendum, quia in medicam considerationem non cadunt. Non mortuorum quidam sunt sine spuma circa os, & sanari possunt; quidam cum spuma, & sanari non possunt: quod frequentius contingit. Hoc ex Galeno hic colligitur, qui dicit, Aphorismũ non esse uniuersaliter intelligendum: nam aliqui saluantur ex strangulatis, quibus spuma est circa os. imò & Aetius libro decimo tertio, capite octuagesimo quarto, de strangulatis agit: & quomodo curari debeant, ostendit. Sed de his loquitur, qui adhuc spirant, & aerem attrahunt: quibus secandam uenam in cubito, & sternutatoriũ exhibendum iubet, & multa alia eo loco his exhibet præsidia. Sed Hippocrates de his loquitur, qui non sanantur, & in quibus non uidenť inspiratio uel expiratio, nisi per effluentem spumam. Cognoscimus autem nondum mortuos esse, quia partes omnes corporis calidæ sunt, & cordis motus quodammodo sentiri potest, & aliquis pulsus, sed inordinatissimus & imbecillissimus.

Οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα. idest, Quibus spuma circa os fuerit.] Hoc additur strangulato nõdum mortuo, ut signum indicans non esse referendũ, sed penitus mori oportere. Vt autem hoc commodius intelligatur, necessarium est quomodo spuma fiat, edocere: postea, quomodo illa quę in strangulatis circa os est, contingat. Spuma (ut hic inquit Galenus) fit ex duplici substantia, una spirituosa, altera humida: propterea nos in pluuijs uidemus bullas fieri uẽto sub aqua posito, & plurimum magnæ bullæ fiunt in pluuijs labroteris. Si uerò quis baculo aquam percutiat, aut uinum, aut aliquod humidum, propter illam commotionem aqua aeri simul miscetur, & fit spuma: quum enim aer aquam disrumpere non potest, sed intus sub aqua manet, & eam eleuat, spuma fit: propterea, res humida glutinosa, quam aer ob tenuitatem rumpere nõ potest, sed bene

eleuare

eleuare, spumæ causa est: simul enim multas bullas facit. Nihil uero aliud est spuma, quam multæ bullæ paruæ simul cōmixtæ. Et ideo probe Galenus hic dicit, Spumam ex duarum substantiarū mixtione fieri: una spirituosa, altera humida. Sed quia potius magnæ ampullæ, quàm paruæ inducerentur, propterea ex mixtione ambarum substantiarū in multa perfractarum fieri uult, & mutuo complexu multis paruis ampullis ab ipsis effectis: quia aliter magnæ ampullæ euasissent, nisi perfractæ simul essent. Galenus uerò libro tertio De ratione uictus in morbis acutis, sectione duodecima, spumam dupliciter fieri docet: uno modo, per calefactionem ad ignem uehementem: alio modo, si res humidæ à uentis agitentur: primumq́ue uult significare exuberantē caliditatem: secundum uero instrumentorū angustiam, & flatuosi spiritus interclusi, uiamq́ue haudquaquam liberam habentis agitationem. Hippocrates uerò eo loco de mulsa uerba facit, quam dicit biliosa deijcere, quæ interdum sunt spumantiora: unde uides spumam fieri, quia aer suapte natura appetit esse supra aquam: propterea aquam eleuat, quam sua glutinositate disrumpere non potest, & ideo ampullas facit: ut hinc manifestum sit, cur sputa, quæ à pulmone ueniunt, sunt magis spumosa, quàm quæ à capite, uel à uentriculo, quia ex pulmone spiritus ortum habet: tamen & quæ sunt à capite, uel à uentriculo, spumā aliquam habent ob agitationem, & quia in excernendo uentus miscetur, qui à pulmone est, licet sputum sit à capite uel uentriculo. Hincq́ue causam habere potes, quare paruæ ampullæ magis perdurent, quàm magnæ, quia minus habent aeris inclusi. Quum aliquis aut laqueo aut re altera strangulatus est, oportet ut è corde & pulmone fuliginosa superfluitas expiret: at ob laqueum uias occludētem, uel ob tumorem exire non potest: ideo exit pars propriæ humiditatis: hic autem fit magna agitatio, tum propter calorem & efferuescentiā quæ ibi est, quia cor non euentatur: tum propter motum pulmonis impetuosum, qui cor refrigerare uellet, & non potest: propterea propria illa humiditas exit, quæ per arctissimas uias & canales laqueo cōpressas ad os ducitur. Itaq́ue in his spuma fit. Quum uerò hæc spuma sit pulmonis humiditas, & pulmo talem habeat humiditatem, quæ sit mixta sanguini, propterea hæc spuma aliquid habebit cruenti: tamen hoc non est necessarium, quia in his qui publica iustitia strangulantur, plerūq́ue albissimam spumam uidebis, sed & aliquādo rubra est, ut uideatur facta ex aqua sanguini pauco mixta. Hæc est causa cur in his spuma fiat qui strangulati sunt. Philotheus & ipse, spumæ generationē in strangulatis assignat, hoc modo totum aphorismum aggressus: σημεῖον ὁ ἱπποκράτης παραδίδωσιν ἐπὶ τῶν ἀπαγχομένων τὸν ἀφρόν. φησὶ γάρ, τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, ἤγουν μελλόντων ἀποθνήσκειν, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, φιλανθρωπείας ἀξιουμένων, οὐκ ἀναφέρονται, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα, διὰ ἐπειδὰν ληφθῇ τῇ ἀγχόνῃ θλῖψιν ὑφίσταται τὰ περὶ τὸν τράχηλον νεῦρα καὶ ἀγγεῖα. τούτων πληρουμένων ἀποκλείονται δηλονότι οἱ πόροι. τούτων ἀποκλειομένων οὐκ ἐκκρίνεται τὰ λιγνυώδη περιττώματα, καὶ ἀὴρ οὐκ εἰσάγεται. τούτου μὴ εἰσαγομένου, οὐ ῥιπίζεται τὸ ἔμφυτον θερμόν. κἀντεῦθεν ἐπείγεται ὡς ἐπὶ τὸ ἔξω τὸ θερμόν. εἶτα περιτυγχάνει τοῖς πόροις πεπληρωμένοις. καὶ πάλιν ὑπονοστεῖ. εἶτα πάλιν ἐπὶ τὰ ἔξω ὁρμᾷ, κἀντεῦθεν πολυειδῶς κινούμενον, ἅμα δὲ καὶ θερμότερον ἑαυτοῦ γινόμενον, τὸν ἀφρὸν ἀπεργάζεται, πνευμάτων ἐν τῇ τοιαύτῃ κινήσει τυπτομένων καὶ ὑμνούντων τὴν ἐκεῖ παρατυγχάνουσαν ὑγρότητα. οὕτως κινδυνεύει, μὴ ῥιπιζόμενον εἰσαγωγῇ τοῦ ἔξωθεν ἀέρος, μήτε τῶν λιγνύων ἔτι ἐκκρινομένων σβεσθῆναι τὸ ἔμφυτον θερμόν. idest (quamuis in aliquibus Græca litera uideatur esse incastigata) Hippocrates in strangulatis signum prębet spumam: dicit enim ex strangulatis & dissolutis, idest qui mori debent, nondum autem mortui sunt, qui humanitate & misericordia digni sunt, non referuntur (scilicet in uitā) quibus spuma circa os fuerit: quoniam laqueus compressionem faciens neruos circa collum arctat, & uasa his plenis occluduntur, uidelicet meatus, quos poros uocant: his uero occlusis, superfluitates fumosæ non secernuntur, & aer non introducitur: quo non introducto, naturalis calor non uentilatur: & hinc urgetur ut calidum exeat: postea meatibus plenis incidit, & rursus redit, denuo rursus: postea cum impetu exitum quærit, & hinc multipliciter motum, simul autem & calidius seipso factum, spumam efficit, spiritibus in tali motu euerberatis & commouentibus humiditatem quæ ibi est: sic periclitatur, scilicet calidum naturale non euentilatum ab intromissione exterioris aeris, neq́ue amplius fuliginosis spiritibus excretis naturalis calor extinguitur. De spuma quoq́ue hæc ab Oribasio dicuntur,

Spuma, humor est, quę calor naturalis cum flatu & spiritu uitali ad fauces ueniens facit: sicuti in cacabo fit, ubi impositæ fuerint carnes, aut legumina, ex calore fit flatus, ex flatu spuma, & ea tam diu fit, quousq; flatus amittatur. Sic itaq; & in mari cõcepto flatu nimis exagitando spuma ad litus fit: ut si quis uoluerit in lagenã, aut utrem liquidum inijcere, celeriter ad os spuma eleuat: sic itaq; & natura dum spumã fecerit in ore, significat calorẽ naturalẽ cum flatibus & spiritu uitali relinquere ossa interiora. Nulla ergo spes est uitæ. Dubitat uero Oribasius, dum spumãt epileptici, quare nõ moriunt? Respõdet, quia ea spuma nõ est ex interiori parte, sed solũmodo ex palato & faucibus.

Οὐκ ἀναφόρϑσιν. idest, Non referuntur,] qui hanc spumam habent, quoniam talis calor in pectore est, & talis in pulmone agitatio, ut necessario moriantur, licet tunc mortui non sint. Apud Latinos, efferri, est ad tumulum portari: sic etiã ἐκφόρειν apud Græcos: unde efferri funus dicitur, idest extra portari: quia antiquitus extra urbem sepeliebantur: propterea multa epitaphia ad uiatores directa inueniuntur. Referre autem, est intus ferre: & referre funus, idest reuiuiscere, retro ferre, & amplius ad tumulũ non ferre: in quo significato hic ab Hippocrate accipitur, non referũtur, idest non retro feruntur, non reuiuiscunt, sed potius efferuntur. Hæc igitur est aphorismi iam dicta sententia, ex qua si petas, quid emolumenti habeatur. Respõdebimus, hoc haberi, quod strangulatum uidentes nondum mortuum, sed calidum, & habẽtem aliquem motum circa cor, & tenuissimum pulsum atq; inordinatum, ex quibus eum adhuc uiuere iudicabimus: si spumam circa os habeat, eius curam non suscipiemus, sed solum prædicemus, eum cito penitus moriturum. Theodorus interpretatur, Citra mortem. Nos magis probamus Leoniceni interpretationem, Nondum mortui: licet idem sensus sit. Vertit etiam Theodorus, οὐκ ἀναφόρϑσιν. idest, non reficiuntur. Nos Leonicenũ magis probamus, qui dicit, Non referuntur: quia refici, de his est qui restaurantur: sed referri, est de mortuis qui reuiuiscũt, uel de his qui morti propinqui sunt. Forte de his omnibus intelligit Hippocrates, qui moriũtur, & in fine uitæ suffocantur: nam ita erit ualde utilis aphorismus. Tu ex teipso perpende, an cõuenire possit hęc expositio: nam omnes fere ægri in extremo uitæ termino, si mori debeant, suffocari uidẽtur atq; strangulari: eam etenim affectionẽ incidunt, quæ uulgo appellat *il rocho*, adeo colli partes exiccant, ut conuulsionẽ incidant. quãdo hi qui ita moriunt, habent spumã circa os, non referunt.

GALENVS

OMNIS spumæ generatio, ex duarum substantiarum mixtione conficitur: altera spirituosa, altera humida. Fit autẽ earum mixtio, ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu, paruis ampullis ab ipsis effectis. Quum uerò tenacem habuerit is qui perfringitur humor consistentiam, quo spiritum circunplectente, ampullas contigit generari, non facile dissolubilis, sed stabilis spuma perficitur: qualis maxime currentibus equis, uel ira percitis apris, circa os aggregatur. Ambarum uerò substantia confractum, ac mixtionem facit nonnũquam motus uiolentus, uel utriusq;, uel alterius tantum, nonnunquam uerò & fortis calor, nisi & hunc dixerit quispiam spumam per motum operari. Verum homini ea quæ manifesta uidẽtur consectanti, tutius est duplicem dicere spumæ generationem. Ventis quidem uehementioribus mare occupantibus propter ictum fortiorem, in lebetibus autem caloris ratione. Sic itaq; & in corporibus animalium, quum adsunt ex morbo comitiali conuulsiones, uehementia motuum solet spumam generare. In apris uerò calor, in cursibus autẽ equorum utraq; causa uigorem habet. Nam quum continue per respirationes, aer intro, atq; extra feratur, & saliua in ipsis extenuatur, & aliquid etiam ex pulmone, instar uaporis, effertur, quod saliuæ miscetur, ac circumplicatur, unde factam spumæ substantiam augeri contingit. Qui uerò opinantur hanc spumam ex uentre prodire, deerrant. Neq; enim fieri potest ut subito tota inde proueniat, quum neq; eo tempore animal euomat, neq; nauseam ullam patiatur, circa quos casus quicquã efferri ex uentre est impossibile: & multo magis fieri non potest, ut plurimus aliquis uapor efferatur eodem modo quo in expirationibus, quum nulla talis ex uentre substantia efferatur, qualis è pulmone expiratur. Et sane sanguis qui quidem è pulmone educitur spumosus, est similis uisceri: qui uerò ex uentre, neq; huic proximus est. Sed quæ unà cum sanguine è pulmone educitur

citur spuma, subito simul & cum tussi educitur. Qui uero ex tali humore paulatim ua por exspiratur, non excitat tussim. Vbi autē laqueus collo circundatur, necesse est qui dem cordi, atq; pulmoni ut fuliginosam exspiret superfluitatē. Hoc enim à nobis osten sum est in libro De respiratione. Prohibente autem laqueo, totam uiolenter impellit, quo fit ut pars propriæ humiditatis unà expellatur, eo modo quo fit in sanguinis edu ctionibus. Signū itaq; est exitiale, quoniam pulmonis uiolentiā significat, quam stran gulato patitur animali. Pręcipue uerò hoc fieri rationabile existit, propter eam quæ ex corde ad ipsum impellitur caliditatem: unde & caloris efferuescentia, & motu spiritus uiolento, & uehementi pulmonis conatu ad educēdum, spuma enata signum est mor tale. Nonnulli tamen raro strangulatorum relati sunt, quibus spuma circa os apparue rat: & fortè Hippocrates non tanquam semper intereant, sed contra rarissime eueniat, ita pronunciauit: quemadmodū & paulo antea ostēderat per alterum aphorismum, ita inquiens, Quibus iuuenibus aluus humida, his senescētibus exiccat. Nam hoc in loco magna ex parte dicere prætermisit, quod tamē uerbū insequētibus adiecit, ubi inquit, Quicūq; aluum humidā habent, iuuenes quidem, melius cōmutant his qui siccas ha bent, ad senectā uerò deterius cōmutant. Nam magna ex parte senescētibus exiccant.

BRASAVOLVS

PRIMO docet quo nam modo fiat spumæ generatio, de qua superius egimus.

Vbi legitur, Vel ira percitis circa os aggregatur. deest particula, apris, nam Græce habetur, ἢ τοῖς θυμωθεῖσι κάπροις ἀθροίζεται περὶ τὸ στόμα. idest uel ira percitis apris circa os aggregatur. κάπρος sus syluester.

SECVNDO duas spumæ causas refert: una est uehemens motus, ut in mari uentis agitantibus: alia est uehemens calor, ut in lebete efferuescente. tamē uidetur & tertiam addere, quæ est ex mixtione simul ambarum, ut ex calore & motione. In morbo comi tiali ob uehementem motum spuma fit. In apris iratis fit ob calorem: licet prius anno tauerit, cum calore semper esse motionē. In equis currentibus fit spuma, tum propter motum, tum propter calorē: quia aer per respirationes continuo intus & extra fertur, & in his saliua extenuatur, & etiam aliquid pulmonis instar uaporis effertur, quod sa liuæ miscetur, unde spuma augmentum sumit. Quare hic fit magna agitatio, & motus magnus, & etiam calor adest ob uehementem respirationem, & ob cursus motum. ut mihi uideatur per solum motum spumam quidem fieri, ut in mari uentis agitato, sed nunquam per purum calorem fieri, nisi interueniat motus.

Quod legitur, Ambarum uerò substantiarum confractum, legendum est ambarum uero substantiarum & confractum. nam Græce dicit, θραῦσιν τε.

Quod legitur, Vehementia motuum. Græce est, ἡ σφοδρότης τῶν κινήσεων.

TERTIO, Galenus opinionē quorundam refert, qui uolebant in strangulatis spu mam è uentriculo prodire, quos reprehendit. nam in his neque fit uomitus, neq; adest nausea: tamen nihil è uentre simile prodit, nisi cum nausea, uel uomitu. Præterea im possibile est è uentriculo aliquem uaporem exire, ut est expiratio. Præterea sanguinea humiditas, quę ex pulmone educitur, est spumosa uisceri similis: sed quę ex uentre pro dit, non est similis. Addit, Spuma, quæ è pulmone educitur cū sanguine, subito simul & cum tussi educitur, at hoc modo non est, quæ uentriculum exit. Si uerò quis di cat, hi habent spumā, tamen non tussiunt: tacite respondet Galenus, hos ex uapore po tius hanc spumam habere, & ex humiditate substantifica. propterea dicit uaporem, qui ex tali humore paulatim expirat, tussim non facere: de illo q; plura prosequitur qui la queum habet collo circundatum, quomodo superfluitas illa fuliginosa, quæ spumam facit, expiret, tamen non inducit tussim. Quæ omnia clara sunt.

Quod legitur, Subito tota. Græce est ἀθρόως, de quo aliàs disputatum est.

Quod etiam legitur, Circa quos casus quicquam efferri ex uentre impossibile est, melius est legere, citra, quàm circa: quoniam & Græcus contextus dicit, χωρὶς i. citra.

Quod etiam legitur, Fuliginosam: in prima nostri antiqui codicis lectione habetur λιγνυώδη. In secunda uerò habetur, γλυώδη.

Quod etiam legitur, In libro De respiratione: Græce est, ἐν τῷ περὶ χρείας ἀναπνοῆς γράμματι, idest, In libro De utilitate respirationis.

QVARTO, aphorismi rationem ponit Galenus, hoc inquam esse signum exitiale, quia pulmonis uiolentia significatur, quę ob nimium cordis calorem, qui ad pulmonem repercutitur, fit: propterea spiritus motus uiolentus euadit, & pulmo uehementi conatu educere uolens, spumam facit, quæ spuma signum letale est.

Vbi legitur, Signum itaq; est exitiale. deest particula τοῦτο. nam legi debet, Signum itaque est hoc exitiale.

Vbi etiã legit̃, Præcipue uero hoc fieri rationabile existit. deest particula αὐτῷ, idest Ei, quæ hoc modo applicãda est: Præcipue uero hoc fieri ei. s. pulmoni rationabile est.

Quod etiã legitur, Conatu ad educẽdum. illa particula Conatu: Græce est, συντονίᾳ.

Deniq; Galenus ostendit, aphorismũ non esse semper uerum, quoniam aliqui strangulati, quibus spumabat os, relati sunt: tamen quia hoc rarissimum, propterea Hippocrates silentio preterijt particulam, Magna ex parte: quam tamen in illo aphorismo posuit, Quicunq; aluum humidam habent, iuuenes quidem melius cõmutant, ijs qui siccas habent, ad senectam uero deterius commutant.

Quod legitur, Sed contra. legi debet, Sed quoniam cõtra. aliter non est perfecta sententia quæ sequitur. & Græce est, ἀλλ' ὅτι τοὐναντίον.

Vbi legitur, Per alterum aphorismum. illa particula Alterum, uacat: nam in Græco codice habetur, κατὰ τὸν ἀφορισμόν.

Et quod statim sequitur, ita inquiens: Græce est, ἔνθα φησίν. idest, Vbi dicit.

APHORISMVS XLIIII

QVi natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.

BRASAVOLVS

IN omni re mediocritas semper collaudata fuit, nempe & in medio uirtus cõsistit; extrema uero ab omnibus uitiosa iudicantur. hominũ habitudines tres sunt, crassa, gracilis, mediocris: unum medium, & duo extrema: de medio nihil agit Hippocrates: nam dubitare nescit, hos diutius uiuere qui mediocres sunt, q̃ qui graciles uel crassi: propterea nihil de ea habitudine dicere uoluit, nec ipsam alijs comparauit, eam sinens tanquam in qua nullum dubium fieri posset, nec deberet. Vnde & à Philotheo dicitur, λείπεται οὖν ὁ εὔσαρκος, τουτέστιν ὁ σύμμετρος, εἰς κακὸν γῆρας ἀφικνεῖσθαι διὰ λόγον τῆς συμμετρίας. idest, Relinquitur ergo bene carnosus, hoc est mediocris, ratione mediocritatis in malam senectutem peruenire. Solum uero duo extrema comparauit, quæ ambo uitiosa iudicat, licet unum alio minus uitiosum sit: nam graciles minus uitiosi sunt, q̃ crassi: cuius rei illud testimonium est, quoniam admodum crassi citius intereũt, quàm graciles. Qui uero citius intereunt, peiorem habitum habere iudicandi sunt, quàm qui diutius uiuunt. Et ratio est, quia crassi multam pinguedinem habẽt, quæ potest eorum uenas adstringere: sunt enim angustæ, & pauci sanguinis, ideo facile suffocantur. Graciles uero latas uenas habent, & sanguine plenas: ideo diutius uiuere possunt, præsertim quia magnam spiritus copiam habent, qua crassi carent. Philotheus hic dicit, σκόπει πῶς πανταχοῦ διαλέγεται ὁ ἱπποκράτης, ταχυθάνατοι γὰρ φύσει οἱ σφόδρα παχεῖς ἐκ γενετῆς μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν, ἢ ὅτι ἀσθενὲς ἐν τοῖς τοιούτοις σώμασι τὸ ἔμφυτον θερμόν, ἢ ὅτι πλῆθος ὑπόκειται πιμελῆς, καὶ περιττωματικὴ ὑγρότης, καὶ πύκνωσις διὰ ἐπιφανείας. ἧς τινος πεπυκνωμένης ἀδιαφόρητα γίγνονται τὰ περιττώματα. ταῦτα δὲ μὴ διαφορούμενα ἀθροίζεται ἐν τῷ βάθει· ἐκεῖσε δὲ χωροῦντα πληροῦσι τὰς ἀρτηρίας, καὶ τὰς φλέβας, τούτων συγχωρουμένων καταπνίγεται τὸ ἔμφυτον θερμόν κἀντεῦθεν θάνατος ἐπακολουθεῖ. οἱ μέντοι ἰσχνοὶ ἀποθνήσκουσι καὶ αὐτοί, ἧττον δὲ ἐκείνων. ὅτι γὰρ οὐκ ἔστιν αὐτοῖς τοσαῦτα περιττώματα, ὥς τε καταπνίγεσθαι τὸ θερμόν, ἄλλως δὲ πρὸς τῷ διαφορεῖσθαι ὑπὸ τούτων τὸ ἔμφυτον θερμόν, καὶ διὰ τὸ καταψυχρὸν καὶ ἐμπαθὲς τοῦ σώματος. idest, Cõsidera quomodo ubiq; Hippocrates disserit. Dicit enim, qui ualde crassi natura, cito ad mortem perueniũt, magis q̃ à natiuitate graciles: uel quoniã in his corporibus naturalis calor imbecillis: uel quoniã pinguedinis multitudo subiacet, et superflua humiditas, & densitas in superficie, qua quidẽ densata, superflua imperspirabilia sunt. cum uerò non discutiant, idest exhalent, in profundo congregant: illuc uerò profecta, arterias & uenas obstruunt: his densioribus, idest obstructis, naturalis calor obfocatur: Hinc

hinc mors sequitur. Tenues quidem, & ipsi moriuntur: minus autem illis, quoniam tot superfluitates non insunt ipsis, ut naturalis calor suffocetur: alio autem modo in his naturalis calor, & propter tenuitatem, & malum corporis affectum discutitur & exhalat.

οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν. idest, Qui natura admodum crassi sunt.] Hoc potius mihi arridet, quàm interpretari ut Theodorus facit, Qui natura ualde obesi sunt: primò, quia παχὺς, crassum significat, uel obesum sit, uel non obesum nihil refert. Praeterea, non fuisset opus dicere, Admodum obesi: quia esse obesum, semper uitium est, non tamen esse pingue. Adde, Galenum in Commētatione semper de crassitudine loqui: unde mihi magis placet interpretari Crassi, quàm Obesi: non tamen quia non fiat de obesis postea sermo, imò de obesis Hippocrates intelligendus erit, sed sub hoc nomine Crassi: nempe tria sunt crassorum hominum genera. Sunt crassi, bene carnosi, & crassi obesi. Hippocrates de bene carnosis crassis uerba non facit: nam hoc optimum est, esse natum bene carnosum: nam ex hoc significatur commoderantia. tamen si hos recte consideremus, non habent crassitiem praeter naturam, neq; exilitatem, sed in medio sunt crassitiei praeter naturā atq; exilitatis. Crassi uerò obesi sunt duplices: aliqui, qui natura sunt mediocres, sed ob delicatiores cibos, & quia in otio uiuūt & cōtinuis ludis, crassi obesi facti sunt. de his non intelligit Hippocrates: quoniā hi uenas habent latas, & sanguinis plurimum, quem nō potest pinguedo ita facile superare & enecare: ideo hi multum uiuere possunt. & hęc habitudo inter alias non est probris insectanda, nisi ea ratione qua ganeae uacat, & athletarum discrimina incidere potest, & ex continuis ganeis diuersa morborū genera inducuntur. Sunt & crassi, natura obesi, idest qui statim ab ortu crassi sunt: de quibus intelligit Hippocrates, quòd cito moriuntur, & citius quàm tenues: ratioq; in promptu est: nam frigidi natura sunt, unde eorū membra dilatari non possunt, & iecur frigidum habent: propterea totius corporis uenę graciles sunt atq; exiles, nec minus arteriae, ut hinc parum sanguinis atq; spiritus habere opus sit: imò & hic sanguis sui principij ratione frigidus est, nisi cor multum obstiterit. Est igitur haec natura, quae crassa obesa est, omnium pessima, quoniam ea membra omnia frigidiora redduntur.

ταχυθάνατοι γίνονται. idest, Citius intereunt.] Quia ob arctas uenas, & alios canales facile suffocantur: tamen hoc praecise non fit, quia frigidi sunt. nam si frigidi, extreme calidis comparentur, diutius uiuunt frigidi: praesertim si humidi sint: quia Galenus sexto De sanitate tuenda libro, dicit, Qui maxime sunt humidi, maxime sunt longęui: nam & si in principio esse humidum, sit deterius, tamen processu tēporis reliquis praestantius fit. Citius ergo intereunt, quia facile suffocantur, & quia frigiditas è directo est opposita uitae, quae calori innititur. Quum uerò mors duplex sit: naturalis, quae humidi radicalis consumptionem sequitur: & accidentalis, quae aegritudines superuenientes consequitur: hi crassi, & naturaliter & ex accidenti citius intereunt, quàm graciles: sed hi ut plurimum accidentali morte decedunt, nempe apoplexia, suffocatione, aut similibus affectionibus moriuntur.

μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν. idest, Quàm qui graciles, uel Magis quàm graciles.] Duo sunt gracilium hominum genera: aliqui carnosi, qui nullam habent pinguedinē, ut sunt uiri biliosi natura, & hi habent latas uenas, quoniam eorum iecur calidum est: alij sunt macilenti, atrabilarij, quibus uenae arctae insunt. De primis uerum est, quòd crassi ualde illis citius intereunt. De secundis uerò, si loqui uelimus de morte, distinguere oportet. Nam si de naturali morte loquaris, hi graciles atrabilarij citius intereunt, quàm crassi ualde: quia non habent maiorem calorem quàm illi, nec latiores uenas, sed habent minus humidi radicalis. Si uerò de accidentali morte intelligas, crassi ualde facilius intereunt, quia facilius suffocantur: imò si in naturali morte bene consideres, crassi ualde diutius uiuere debere uidentur, quàm graciles biliosi: nam hi crassi, plus habent humidi radicalis, aut in eis saltem minus consumitur, propter influentis abundantiam qui multum addit: & nisi essent multa quae impediunt, hoc omnino sentirem.

Nescio cur Oribasius hic petat, cur Hippocrates dixerit, Neminem incrassari posse, nisi copiose fuerit refertus, & sanas habuerit facultates operatrices.
Respondet, quia nunc supra naturam dicit crassum, & gracilem secundum naturam.

Sed

Sed hæc non sunt uera, nam & de crasso secundum naturam, & de gracili uerba facit, & eos simul comparat. Reddit causam Oribasius, quia præfocantur uenę uel arteriæ, & officium naturale non potest perfici, & sic præfocati moriuntur celerius, quàm graciles secundum naturam. forte pro Oribasii salute dici posset, fieri illam comparationem ab ipso, & non ab Hippocrate: postea econtrario Oribasius dicit, graciles præter naturam celerius moriuntur, nam apertis meatibus ex nimia siccitate omnis calor euaporatur. Id nos docet usus corij, quod dum siccatum fuerit, translucet, imbutū autem perfusumq; spissatur. Homo enim plures cauernas habet, & maiores, quàm cætera animalia, ut qui plus algeat, quàm cætera animalia: cuius rei testimoniū affert Oribasius ex historia, inquiens: Iussit quidam Persidis imperator corium à quodā tolli, atq; inde aliquas umbras tegumenti fieri, unde probatur patētiores texturę cauernas hominē habere, quàm cætera animalia, at id etiā probari potest ex sensu tactus. Sed hæc aliàs disputāda sunt.

Scito autē, omnia quæ superius dicta sunt, cum uictus æqualitate intelligenda esse: nam fieri posset, quod ob inordinatum uictum, optima habitudo bene carnosa citius interiret, quàm ualde crassa, & quàm ualde tenuis, ut plerunq; experientia euenire uidemus. Si etiam aphorismum perpēdere uoluerimus, illa particula, admodum, uidetur posse iungi illi particulæ, graciles, ut intelligamus admodū crassi citius intereūt, quàm admodum graciles: & ita erit conueniens comparatio extrema penitus conferentes. Quod uerum erit omnibus circa uictum paribus, si morte accidentali obeant, quia is ualde obesus eam prius incurret: nam paucis additis uenæ intumescunt, quoniam obesitate compressæ sunt, atq; corporea mole, quod alijs non inest. Potes pro hac re Galeni commentationem contemplari. Huc adducere possemus longitudinis & breuitatis uitæ causas apud Aristotelem positas: nam ex his facile cognosci posset, quænam temperatura longæuior sit alia. Sed illas omittemus, ne libro librum commisceamus.

Hippocrates in secundo De epidemijs libro, dicit: Quorum uenæ latæ sunt, & ossa late patent, macilenti, tenues'ue tales sunt: pingues uero his contraria habent: & reliqua, quæ de his docet Hippocrates. Celsus libro secundo, capite primo, prope finem, huius aphorismi mentionem facit, inquiens: Obesi plerunq; acutis morbis & difficultate spirandi strangulantur, subitoq; sæpe moriūtur: quod in corpore tenuiore uix euenit. Tamen non laudat tenue corpus, imò in hoc eodem loco post principium capitis inquit, Gracile corpus infirmum, obesum hebes est. Laudat uero corpus quod habilissimum uocat: est uero quadratum, idest neq; gracile, neq; obesum. Cicero interpretatur factum ad æquilibritatem.

GALENVS

EOS qui ex prima ætate crassi sunt, & graciles inuicem comparās, de crassis pronunciat, quod cito ad mortem perueniūt, magis quàm graciles. Optimum enim bene carnosum esse natum, hoc est commoderatum, ut neq; crassitudo adsit, neq; gracilitas. Tales enim possunt ad lōgam senectam perduci. Si uero à modo recedatur, melius est ut ad gracilitatem. Nam malus est ad crassitudinē excessus: angustæ enim sunt horum arteriæ ac uenæ, atq; ob id paucum omnino sanguinē habent spiritum'ue, adeo ut cum ætate processerint, cito ipsis uel paruā ob causam calor natiuus destruatur. Graciles autem hac quidem ratione non periclitātur. Quia uero partes principales ita affectæ sunt, ut nullum habeant munimen, à causis exterioribus prompte offendūtur. Qui uero natura quidem mediocres erant, uerū uictu delicatiore utentes postmodum crassi facti sunt: his licet caro atq; pinguedo adnatæ sint, uenæ tamen atq; arteriæ latæ consistunt, atq; idcirco in eis calor natiuus minus est obnoxius extinctioni.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet comparationem fieri in crassitie, in prima ætate quæ naturalis est, & gracilibus, & pronuntiat crassos citius mori.

SECVNDO docet, quænam sit optima constitutio, illa inquam est esse εὔσαρκον, id est bene carnosum, hoc est in crassitie, & gracilitate moderatum, hi diu uiuere possunt at non dicit uiuunt, sed uiuere possunt: quoniam si in cibis, potibus & alijs immoderati essent, cito interirent.

Quod legitur, Tales enim possunt ad longam senectā perduci. legi debet, sic enim

possint & ad longam senectā perduci.nam Græce habetur, οὕτω γὰρ ἂν δυναιντο. codex Aldinus habet δυναιντο καὶ εἰς μακρὸν ἀφικέσθαι γῆρας.

TERTIO docet,si excessus sit ab hoc tēperamēto, quod melior est ad gracilitatē.

QVARTO docet,quæ pericula utrisq; immineant. crassi uenas habent,atq; arterias arctas,& parum sanguinis ac spiritus,propterea ætate procedente minima de causa natiuus calor destruitur: sed graciles propter hāc causam non periclitātur,quia non habent adeo arctas uenas & arterias,habentq; plus sanguinis & spiritus.& de quibuslibet gracilibus loquor,imò præcipue de multum gracilibus,quia graciles biliosi non adeo offenduntur ab extrinsecis.Graciles igitur solum hoc habent mali,quod à causis extrinsecis prompte offenduntur,nempe non habent circa se πρόβλημα, idest munimen,uel propugnaculum,quale habent crassi.

Quod legitur, Cito ipsis uel paruam ob causam,particula,uel,uacat.

Deniq; de his crassis uerba facit,qui ita efficiantur ob cibum.Qui enim sunt mediocres,postea per ętatem bene comedentes crassi efficiuntur,hi uenas habent & arterias latas,ideo eorum calor natiuus minus offendi potest,tamē hæc crassities laudāda non est,quoniam ad eam necessario corporis frigiditas consequitur.

Quod legitur, Verum uictu delicatiore utentes.Græce est, διαίτῃ δὲ ἀργοτέρῃ χρεώμενοι, idest,uerum uictu otiosiore utentes.

APHORISMVS XLV

QVicunque iuuenes morbo comitiali laborant,mutatione maximè ætatis,& temporum,& locorum,& uictuum quoq; liberantur.

BRASAVOLVS

MORBVS comitialis plerunq; puerulis aduenit,propterea & infantilis nuncupatur.Si igitur aliquis in puerili ętate hoc morbo laborauerit,is liberatur,uel in mutationibus ætatis,uel in mutationibus temporum,uel in mutationibus locorum,uel in mutationibus uictus.Hæ autem mutationes ad oppositum morbi esse debent,non autem ad simile:quia si quis naturæ humidæ hunc morbum incidat,& ad humida loca transmutetur,ad humida tempora,ad uictum humidum,morbus magis augetur: sed transmutatio debet esse ad opposita.

In nostro antiquo codice ante hunc aphorismum adest hæc inscriptio, περὶ ἐπιληψίας, idest de morbo comitiali.

Τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν. idest,Quicunq; iuuenes morbo comitiali laborant.]Quod hic Theodorus,Leonicenus,& alij interpretes uertunt,iuuenes,nobis magis placet,ut pueri interpretetur,hoc modo : Quicunq; pueri.nam qui comitialem morbum in iuuenili ætate incidunt, raro liberantur, quicquid illis præsidiorum exhibeatur:sed qui in puerili ætate eandem incidunt affectionem,plerunq; sanantur.& uocabulum νέος non solum iuuenem significat,sed & nouum,noui autem sunt pueri,& ideo nos potius interpretādum ducimus pueri, quàm iuuenes. imò iuuentus ipsa una est ętas,in qua huic morbo salus fit,addeq; esse hunc morbum puerulis peculiarem,ut statim uidere licebit,cum de hoc morbo agemus.

Comitialis morbus,quem antiqui sacrū morbum (ut Hippocrates atque Galenus referunt) uocabant,apoplexiæ similis est,quia ab eadem causa, idest ab eodem fit humore,& in eodem loco:differt uero,quia comitialis morbus uitiosæ illius potētiæ motum habet,quæ tendit ad neruos:sed apoplexia hunc motum nullo modo habet, ideo tanto fortior est atque uehementior,quanto minus habet anhelitus . In epilepsia uero non est impeditus ablatus'ue anhelitus, sed imbecillior redditus. fit autē epilepsia obstructis cerebri uentriculis non perfecte : fitq; hæc obstructio à materia crassa frigida, secundum Galenum capite septimo tertij libri De locis affectis, hicq; pituitam potissimum huius morbi materiam facit. Oribasius præcipue atram bilem esse dicit,quoties exuberauerit,& ad cerebrū conuenit.& re uera in puerulis,in quibus adest is morbus,qui uulgo dicitur *bruta*,quasi atra;bilis atra in causa est;nam simul habēt pauores,

terrores

terrores, tremores. Tamen Aristoteles in libro De somno & uigilia, à spiritu uel uaporibus fieri censet hunc morbum. Hippocrates etiam in libro περὶ φυσῶν, idest de flatibus, dicit fieri morbum comitialem à materia uentosa, cum spiritus multus per corpus totum & sanguinem currit, & miscetur, multifariam uenæ sepiuntur & obturantur: cumque spiritus multus, crassas uenas, multique sanguinis prorupit & petiuit, illicque remansit, sanguis prodire & discurrere prohibetur, hac quidē permanat, hac uero languide & tarde prodit, hac celerius, itaque fit comitialis morbus. & rationem reddit cur spumam habeant ad os, & cur motus sit cōuulsiuus, sed unum est uoluisse à spiritu fieri. In quarto uero De uictus ratione in morbis acutis libro post principium, uult fieri comitialem morbum ob materiam ex fluctione in cerebri meatus descēdentem, ut spiritus moueri non possint, itaque etiam fieri attonitum morbum. propterea in quarto De symptomatum causis libro Galenus apoplexiam profundo somno, respectu operationum, quæ pertinent ad uoluntatem, comparat. Morbum uero comitialem insomniæ, idest facili somno confert, respectu eorūdem uoluntatis motuum, tamen à materia fieri, quæ non sit solum flatus, iudicat. Hippocrates de morbo comitiali, quem sacrū morbum uocat, librum fecit, quamuis Galenus quandoque dicat, non esse Hippocratis, sed bene cuiusdam probi uiri, nam neque Hippocratis stilum, neque sententiarum Hippocraticarum acumen sapit. in huius libri principio dicitur, ignaros putasse huius morbi nomen, unde emanasset, nescire, quia nihil habet quo possit appellari sacer, quod non insit alijs morbis. nam quod sanetur per excantationes & expiamenta, uanum est. Si uero putent appellādum diuinum, quia mirandam naturam habeat, etiam tertianæ, quartanæ miram naturam habent, cum in aliquibus mira deliria fiant. unde iudicat eos qui hunc morbum cōsecrauerunt, fuisse circulatores, magos, expiatores, excantatores, qui se sanctos fingunt, unde prohibent multa ob religionem, quæ tu in eo libro legere poteris, & in tuam sententiam adducere. Imò iubebant ne uestimentum nigrum ferrent, neque in caprino corio cubarent, nec gestarent pedem supra alterum, aut manum supra alteram. si hi eo libro egregie reprehendūtur, ideo hoc malum dicendū est humanum, non diuinum. hique uolebant à dijs mitti hunc morbum, si in dexteram conuellātur, balent aut mugiant, Matrem deorū causam fuisse dicunt: si grauius clament, Neptunum: si oletum faciant, nulli attribuunt: Si uero tenue sit quod excernitur & frequenter fiat gallinę modo, Apollinem Nomium authorem dicunt: si spumam ore habeant, & pedibus terram feriant, Martē in causa ponunt: si in nocte somnia habeant, terrores, metus, Hecates fuit. Vel Hippocrates sit illius libri author, uel alter non ignarus, eodem loco ostendit quomodo sanarent, & illos reprehendit: tamen ipse author pituitosis ut plurimum contingere docet, & in cerebro, & ideo ex humore, & non ex spiritibus fieri, iudicat. ostenditque ille author puerulis frequentissime cōtingere, & re uera in pueritia facilius sanantur, per ætatum mutationes: cōtingunt etiam sanis, potissimum in hyeme, ut dicit. Nos uero experientia comprobatum habemus, hyeme potius apoplexias senioribus fieri, quàm morbos comitiales. Puerulis uero contingunt ob cerebri humiditatem, & quia lac exugunt: quibus hic morbus inueteratus est, nunquā liberantur. Tamen Aetius libro sexto, capite uigesimo hoc ex Posidonio notat dicente. Fieri enim non potest, ut qui hoc morbo consenuerint, humano præsidio liberētur: sed qui ab aliqua aduentitia occasione nouissime ægrotare inceperint, quamuis ultra senectutem attigerint, penitus desperandi non sunt. unde Galenus capite septimo tertij libri De locis affectis, ex tribus dicit comitialem morbum fieri, interdum ipso cerebro affecto, interdum cōsentiente uentriculo, ut in fratre Bartholomæo de monte, qui dum hæc scribimus, nobiscum de hoc affectu uerba habet, interdum ab alio membro: sed hoc est rarius. Nos (ut superius dictum est) uxorem domini Oroboni curauimus, & pristinæ sanitati restituimus, à cuius auriculari sinistrę manus per brachium materia mouebatur, ad caput ascendens, quæ cum cerebrum attingeret, in comitialem morbum incidebat. & quod hoc facile fieri posset, Galenus pręcitato loco uarijs argumentis ostendit, præsertim ex Pelopis præceptoris sui exemplis. Philotheus de hoc comitiali morbo hæc disserit, ἐπιληψία ἐστὶν σπασμὸς ὅλου τοῦ σώματος, μετὰ βλάβης τῶν ἡγεμονικῶν ἐνεργειῶν. φλεγματικὸς δὲ χυμὸς ὡς ἐπίπαν καταλαμβάνει τὰς τοῦ ἐγκεφάλου κοιλίας, καὶ ποιεῖ αὐτήν. ἐπεὶ δὲ ἐπιπέσει

ἀπὸ φλέγματος γίνεται, καλῶς ὁ Ἱπποκράτης, τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης καὶ τῶν ὡραίων, καὶ τῶν χωρίων, καὶ τῶν βίων ποιέουσιν. μεταβαλλόμεναι γὰρ αἱ τῶν νέων ἡλικίαι, ἤτοι τῶν παιδίων, ἐπὶ τὸ θερμότερον, καὶ ξηρότερον, μέγιστον βοήθημα γίνεται τῶν ἐπιληπτικῶν διαθέσεων. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ τῶν ὡραίων, καὶ τῶν χωρίων ὅτ᾽ ἂν εἰς θερμοτέραν τε καὶ ξηροτέραν μεθίστανται. ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτῶν βίων μεταλλαγή, ὅσαι δηλονότι ξηροτέραν καὶ θερμοτέραν ἐργάζονται τὴν τοῦ σώματος ἕξιν. βίου δὲ ἐνταῦθα τὴν δίαιταν ἀκουστέον, idest, Comitialis morbus est totius corporis conuulsio, cum principalium operationum læsione. pituitosus enim humor cerebri uentriculos ut plurimum occupat, et ipsam, scilicet epilepsiam, facit. quoniam igitur à pituita plerunque fit, Hippocrates recte dixit, Iunioribus mutationes maxime ętatis, temporum, & regionum, & uitarum, liberationem faciunt: mutatæ enim iuniorum ætates, idest, puerorum, ad calidiorem & ficciorem scilicet habitudinem, comitialibus dispositionibus maximũ præsidium fit. Eodẽ autem modo & tẽporum & regionum, quando ad calidiorẽ & ficciorem scilicet regionem & tempus transmutantur, sed & ipsarum uitarum mutationes, quęcunque uidelicet ficciorem & calidiorem corporis habitum faciunt: hic autem nomine uitæ, uictus modum intelligere oportet.

αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, idest, Mutationes maxime ętatis, quia morbus comitialis secundum Hippocratem & Galenum in hac cõmentatione fit ab humoribus frigidis, crassis, qui pituitosi sunt: ideo cũ mutantur ætates ex frigidis in calidas & in ficcas ætates ex humidis, hi qui hoc morbo affecti sunt, sanari possunt. Nosque experientia uidimus, multos pueros esse sanatos solum ex mutatione infantiæ in puberem ætatem, & hoc præsertim in mulieribus, quæ cum irrupere menses, à comitiali morbo liberæ euaserunt. In hominibus uigesimoquinto anno usque ad trigesimum aliqui sanati sunt. nam opus est mutationem ætatis semper esse in calidiorem & ficciorem, quia mutare ætatem in senium, immo & in consistentiam, hunc morbum non sanat, unde à quartodecimo, ut Oribasius dicit, usque ad uigesimumtertium sanantur multis modis, uno quia immutatio est humoris, deinde quia immutatio est ætatis, & in termino hoc ætatis amputatur affectio: sed quod mirum est, non uult Oribasius esse iuuenes, nisi à quartodecimo anno usque ad uigesimumtertium, non autẽ ad uigesimumquintum: tamen & qui sunt in uigesimoquinto usque ad trigesimum, & iuuenes sunt, & ab hoc morbo (modo non sit antiquus) liberari possunt.

καὶ τῶν ὡραίων, idest, Et temporum, sed tempora & calida et ficca esse oportet. nam in has qualitates immutatio semper fieri debet, præsertim si ex pituita sit comitialis morbus, ex qua ut plurimum est, & raro ex alijs, quamuis in puerulis ut plurimum sit commixta atra bilis, ob eam rem à mulieribus dicitur bruta quasi atra.

καὶ τῶν τόπων, idest, Et locorum. nam transmutatio ad calida & ficca loca fieri debet.

καὶ τῶν βίων, idest, Et uitarum, hoc est uictuum. uictus etenim esse debet ex rebus calidis & ficcis. hoc autem loco nos addere debemus & exercitium, & artem, & illa omnia quæ nostrum corpus ad calidum & ficcum immutant.

Hic uero consideratione dignum est, Hippocratem hic non uti suo uocabulo, quo solet uictum significare. nam alias pro uictu utitur uocabulo διαίτης: in præsentiarũ uero uocabulo βίος, quod proprie uitam significat. Ob id Philotheus hoc uocabulũ exponere coactus est, ut superius uidere licuit. Tamen uita ipsa non mutatur, propterea Theodorus & Leonicenus uictum interpretati sunt, quoniam uictus immutatio ad comitialem morbum plurimum facit, tamen & id uocabulum βίος pro uictu apud alios authores usurpatum reperitur, quamuis Hippocrati peculiare non sit. Nec in illud inclinor, quod intelligamus uitarum, idest, habitudinum, quamuis habitudinis immutatione, corporis qualitates immutentur.

Hic morbus à Græcis ἐπιληψία, à uulgaribus caducus morbus, à Latinis comitialis à comitijs. nam interueniente hoc morbo comitia dissoluebãtur. Herculeus morbus, quoniam Hercules illo uexabatur, teste Aristotele in Problematibus, non quia sit fortis ut Hercules, ut nonnulli recentiores arbitrati sunt: ab antiquis morbus diuinus, ob præscriptas causas dicebatur, unde sacer & diuinus appellatur à Platone in Timæo, quia sacram & diuinam hominis partem corripiat, ex eo enim & Græci ἐπιληψίαν

dixerũt per excellentiã, quasi correptionẽ, & contractionẽ. De eo Serenus hoc modo.
Est subiti species morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis suffragia iusta recuset:
Sæpe etenim membris acri langore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.
Ipse Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ
Conceptum, talis quem sæpe ruina profundit.

Dicitur & infantilis, quia infantes plerunq; impetit. est uero hic morbus (præsertim cum mixta sit aliqua acræ bilis portio) is qui à Ferrariensibus mulieribus bruta nuncupatur, ac si dixerint atra, quoniam atri fiunt infantes eo correpti, & hoc potissimum circa os decernitur.

Celsus libro secundo capite octauo de hoc morbo id dicit. Itẽ morbus comitialis ante pubertatem ortus, non ægre finitur. post multos uersus in eodem capite addit, Morbus quoq; comitialis post annum quintum & uigesimum ortus ægre curatur, multoq; ægrius his qui quadragesimum annum cœpit, adeo ut in ea ętate aliquid in natura spei, uix quicquam in medicina sit. Est autem hic fere septimus quinti Aphorismorum libri aphorismus, in quo loco Galenus præsentem aphorismum refert.

GALENVS

MORBVS comitialis proximus quodammodo est morbo, quem apoplexiam appellant, cum idẽ locus in utroq; patiatur, & idem humor in causa sit. Verum apoplexia ob omnimodã carentiam illius potentiæ, quæ ad neruos defluit, Morbus autem comitialis propter motũ uitiosum generatur. Frigidus autẽ, & crassus est humor ambobus, atq; idcirco adolescentiũ ætas calidam, & siccã habens temperaturã, maximum affert auxilium, his qui morbo comitiali laborant, sic & locorũ proportionales mutationes. Dico autẽ proportionales, quando ad calidiorem, ac sicciorẽ cõmutantur, eodem modo, & uictuũ. Neq; enim & horum mutatio quælibet morbum soluit comitialẽ, sed quæ calidiorem, & sicciorem corporis habitũ efficiunt. Contingit autẽ & audire simpliciter uictus mutationem morbo comitiali prodesse, quoniã magna ex parte uictus deprauatus passionem generat, unde & mutatio multo ad melius perducit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus similitudinem comitialis morbi, atque apoplexiæ docet. nam in duobus cõueniunt, primo etenim quia idem locus patitur. Secundo quia idem humor in causa est. differunt uero, quia in apoplexia est omnimoda carentia illius potentię quæ ad neruos defluit: in morbo comitiali est deprauata hæc potẽtia. Quod dicit proximus, Græce est ἐγγύς, idest, propinquus.

SECVNDO docet, à quo humore fiat, nempe à frigido, & crasso, et ut plurimum pituitoso, quandoq; atrabilario, rarissime bilioso, aut sanguineo.

TERTIO ætatem docet, quæ sit huic morbo conueniens, & est adolescentiæ ætas, quæ calida est atq; sicca. At cum adolescentia pueritiam simul cõplectatur, eam ob causam ubi legitur hic adolescentium ætas, legendum putamus, iuuenum ætas, quia iuuenes hi sunt qui calidi & sicci sunt, & præsertim quia Græcus Galeni contextus hic dicit καὶ διὰ τοῦθ' ἡ τῶν νεανίσκων ἡλικία, idest, & propter hoc iuniorum ætas, unde hic colligendum uidetur, eos solum sanari qui in iuuenilem ætatem transeunt. aliæ enim ætates ad calidum & siccum non mutantur.

QVARTO docet, locorum mutationes debere esse proportionales ad ætates, ut sint calida & sicca loca.

QVINTO idem ostendit in uictus mutatione, quæ si ad calidum & siccum sit, morbum comitialem soluere potest, ut sit facta æqualis ad ætatem mutatio.

SEXTO quia ex inordinato uiuendi genere, tum ex uictu, tum ex aliјs comitialem morbum

morbum fieri contingit, ob hanc causam Galenus notat, simpliciter dici posse, uictus mutationem sine aliquo addito ad calidum & siccum: & ratio in promptu est, quia his qui hanc passionem incidunt propter deprauatum uictum, mutatio uictus, scilicet ad non deprauatum, multum confert. Si uero de his omnibus quæ ab Hippocrate numerata sunt petas, quodnam magis conferat, scito ætatis mutationem omnia excellere, postea loci mutationem. nam in loco semper sumus. deinde uictus mutationem, quia ex eo gignuntur humores. denicq; temporum mutationem: quamuis alicui forte uictus mutatio omnibus mutationibus præstare uideatur, utpote qua gignantur humores apti ad hunc morbum inducendum atcq; augendum. Sed in præsentiarum hæc disputare non intendimus. Illud solum addemus, cum Galenus in huius commentationis fine dicit, unde & mutatio multo ad melius perducit, potius legeremus omnino, quàm multo. nã ita fit conuenientior sensus, & Græcus contextus ita habet, ὅθε' ἡ μεταβολὴ πάνυ ἐπὶ τὸ βέλτιον ἄγει, idest, Quamobrem mutatio omnino ad melius perducit, illa enim particula πάνυ & omnino, & ualde significat.

APHORISMVS XLVI

DVobus doloribus simul eundem locum infestantibus, uehementior alterum obscurat.

BRASAVOLVS

DOLOR nihil aliud est, quàm tristis quædam sensatio, qua homo ægre fert cum illã habet. fit autẽ hæc tristis sensatio (ut Galenus octuagesimo capite Artis medicinalis docet) uel ob continuitatis solutionem, uel ob subitam alterationem. Solutionẽ uero continuitatis quadrupliciter fieri contingit, aut incisione, aut exesione, aut fractione, aut tẽtione. Alteratio & ipsa à quadruplici qualitate fieri potest, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate. Cum igitur in nostri corporis parte aliqua dolor fuerit, necessarium est, ea parte, aut solutionem esse factam, aut subitam alterationem. Quare si in duabus diuersis partibus duo dolores adfuerint, unus in una, alter in altera parte, uel modo utrique sint per alterationem, uel per continui solutionem, uel unus per alterationem, alter per continui solutionem, tamen unus in intensione alterum excedat, ille qui excedit, minus uehementem obscurat, quod in dies experientia uidetur. At si dicas, igitur dolor dolore sanatur, qui tamen contrarius non est. Respondemus, uel per accidens sanari dolorem à dolore, uel dolor est quodammodo dolori contrarius. quoniam is locus qui minus intense dolet, spiritibus exinanitur à maiori dolore. uel dic obscurare, non autem sanare, & ideo à Philotheo hic dicitur, τὸ δὲ ἀμαυροῖ οὐ σημαίνει τὸ παύειν, ἀλλὰ τὸ ἐπισκιάζειν, idest, Hoc autem quod dicitur obscurat, non significat sedare, cessare facere, sed obumbrare.

δύο πόνων, idest, duo labores, hoc est dolores. nã hic labor pro dolore accipitur. Philotheo etiam dicente πόνους ἐνταῦθα τὰς ὀδύνας ἀκουστέον, idest, per labores hic dolores audiendũ. nam πόνος apud Græcos dolorẽ & laborem significat. Super qua uoce Cicero nonnunquam inopiam linguæ Græcę accusat. Duos dixit, ut loci diuersitatem notaret. nam si simul atcq; semel in uno loco adsit solutio continui, & mala qualitas, erunt quidem duo dolores, sed quia eadẽ minima parte sunt, sensu discerni non possunt, propterea uidentur unus uehementior dolor, & non duo: eam ob rem Galenus dixit, nunquàm posse fieri duos dolores in eodẽ exquisite loco. nã semper unus sensu esse iudicatur, quamuis possunt esse duæ causæ, quæ in diuersis locis duos dolores inducerent, sed in uno exquisite loco positæ unum faciunt, quia ob breuitatem, atcq; loci paruitatem in unum resultat illa tristis sensatio: quamuis etiam in hoc uno diuersas sensationes facere possint, ut pũctionem, & grauitatem. & ideo Hippocrates notauit duos esse, qui distincte sentiantur, propterea addit,

ἅμα γινομένων, idest, Simul facti, hoc est in eodem tempore. nam si successiue in diuersis temporibus fierent, non esset necessarium, maiorem obscurare minorem, sed quiscq; suo tempore sentiretur, & patiens (nisi delirus esset) iudicare sciret hunc maiorem, illum

minorem fuisse. μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, idest, non secundum eundem locũ, idest, eandem corporis partem, Philotheo dicente τόπον δὲ τὸ μόριον ἀκούειν. καθὼς ἐν τῇ διαγνωστικῇ ἄρχονται, τόπους ὀνομάζουσιν τὰ μόρια τοῦ σώματος, idest, per locum uero partem audire oportet, sicuti in Iudiciario dictum est, corporis partes locos nominant. Ex his igitur notat Hippocrates, in duobus locis & corporis partibus esse debere, si maior minorẽ obscurare debeat. nam in eodem præcise loco non obscurat, sed inuicẽ augentur, & ferè unus euadit, nempe una sensus actione sentitur. At si in eodem sint membro, & non in eodem præcise loco, ambo sentiuntur, ut uidere possis in Leoniceni interpretatione deesse particulam, non, in eo loco, non eundem ocum infestãtibus, legitur equidem affirmatiue, quod negatiue legi oporteret, hoc modo. Duobus doloribus non in eodem loco factis. ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον, idest, Vehementior alterum obscurat. & ratio in promptu est, quia hic dolor qui uehemẽtior est, naturam magis afficit, ideo stimulata sanguinem illuc & naturales spiritus mittit, quæ sunt naturæ instrumẽta, & pars illa in qua est minus intẽsus dolor, spiritibus & sanguine ferè uacua remanet. propterea minus sentit, quia nostri sensus tanto prospicaciores sunt, quanto in illa parte plures sunt animales spiritus quibus sentimus: & quanto pauciores hęc pars spiritus habet, tanto minus sentit. Ob hanc uero causam, quia spiritus faciunt nos sentire, & non sentire, per præsentiã & absentiã, propterea nõnulli uoluere, neq; solutionẽ continui, neq; prauã qualitatem esse causas doloris adęquatas, sed quod requirantur etiã spiritus animales. hi uero non intelligunt quæ sit uera rerũ causa. Nos enim dicimus dolorẽ habere uerã causam, at ad uerã causam quandoq; alia requiruntur, ut effectus cõsequatur. hæc uero quę requirũtur nõ sunt causæ, nisi eo modo causæ, ut fenestræ sunt causæ illuminationis domus. appellant uero tales causas philosophi, causas sine quibus non, scilicet contingit effectus, sed ipsę effectũ non faciunt: ut in proposito uera doloris causa est alteratio, uel solutio. cum uero dolor sit tristis sensatio, percipi non posset absque sensu, & sensus non essent, nisi spiritus animales essent. propterea non est dolor, nisi hæc sint, quæ tamen non sunt causę doloris, sed causæ sentiendi dolorẽ. & ideo si quis membrũ dolorem habẽs obstupescere faciat, non auferẽ quin ibi sit dolor, & causa doloris, sed spiritus ipsi sopiti sunt, & illa pars ob opium uel mãdragorã semimortua effecta est. Spiritus uero ad locũ, in quo dolor est decurrũt, tum quia natura læsionẽ sentiens, eam corrigere studet, & suo utitur instrumẽto, scilicet animali spiritu: tum quia locus inflammatur, ut inflammationem prohibeat. Dicit uero obscurare, quia & aliqui animales spiritus in eo loco manent, ubi dolor minus uehemens est, & penitus non aufertur, sed adeo mitescit, ut ferè nõ sentiatur, suaq; sensatio tristis obscura fit, quia natura loco magis urgenti occurrit. hinc ueterinarij uulneratis equis postomides apponunt (est enim postomis instrumentum illud quod uulgo *morain* nuncupatur) cum ulcus curare uolunt, ut magno hoc postomidis dolore qui in rictu fit, ulceris dolor obscuretur. Philotheus eãdem ferè causam refert, inquiens, uehementiorem alterum obscurare, διὰ τὸ τὴν αἰσθητικὴν δύναμιν ὅλην ἐπὶ τὸ σφοδρότερον ἐπάγεσθαί τε, καὶ περιέλκεσθαι. εἰ γὰρ ἐν ἑνὶ μορίῳ, δύο πόνοι ὦσιν ὀδύναι, συναύξουσιν ἀλλήλας τὴν αἰτίαν. μηδ' ἑκάτερος τὸν κάμνοντα διαλανθάνοντες, idest, ob id quod ad uehementiorem tota uis sensitiua inducitur, & circũ attrahitur. Si enim in una particula duo dolores subsistant, uehementiam ad inuicem coaugent, neq; uterq; latent ægrum.

Vltima aphorismi particula, scilicet alterum obscurat, in omnibus ferè codicibus ita legitur, ἕτερον ἀμαυροῖ: sed in aliquibus habetur ἥσσονα ἀμαυροῖ, idest, minorem obscurat, sed eadem est in utrisq; sententia.

Oribasius aliam quandam sententiam huic aphorismo assignat, & aphorismũ quem exponit, nonnihil diuersum ab hoc dicit, hic enim est Oribasij aphorismus, Si dolor geminus eodem loco infestat, qui uehementior est, alterum leuiorem obscurat. Ipse uero hoc modo exponit, Succurrit quærere quomodo in uno loco duo sentiãtur dolores, dicitq; locum esse, unam partem quæ cõtinet multa membra, ut manus continet digitos, digiti articulos. Postea exponit Hippocratem ac si ita intelligat, si fuerit dolor in uno digito, & postmodũ subsecutus fuerit dolor alius, plus urget dolor posterior. nã ille prior iam tumet, tumor euaporat, discutiturq;, & minus habet doloris. hic ergo qui postmodum uenit, uehementior est, & illum minorem dolorem opprimit. Exemplum ponit, sicuti

sicuti si alicui moriatur proprius canis, & post caballus, magis dolet ob caballũ, quàm ob canem. Sed re uera istud nunquàm somniauit Hippocrates, nec indiget reprehẽsione Oribasius; cum ipsamet Hippocratis uerba illum reprehendant.

Sed hic petes quid emolumẽti habeatur ex hoc aphorismo. Respondemus, ex eo haberi posse, dolorem quandoque auferri, aut demulceri per diuersionem, quia dolor uehementior ad minus uehementem nihil aliud facit, quàm quod ab illo & spiritus animales & humores diuertit, & ipse tanquàm cucurbitula ad se trahit. est enim unus hic modus sanandi dolores per diuersionem.

Si etiam petas quibus instrumentis auferantur dolores, Respondebimus, duobus, unum est & pręcipuum remouere causas, aliud est locum stupidum reddere. primus est uerus sanandi modus: secundus ueram sanitatem potius impedit, nec fit, nisi ubi ob doloris intensionem uitæ discrimen incidimus. Causa uero remouetur, aut diuertẽdo, aut euacuando, aut per ea quæ anodyna dicuntur, & acopa, demoliendo, & exoluendo.

GALENVS

Si quis eundem exquisite audiat locũ, nunquàm duo possunt in eodẽ fieri dolores. Si quis uero late, possibile est. Dico autem late circa membrũ manus, ueluti uel circa brachium, uel cubitum, aut femur, aut tibiã. Verum hi duo dolores simul augent loci afflictionem, cum neuter lateat ęgrotantem. Si uero sint in locis diuersis, alter quidẽ, si ita contigerit, in cubito, alter uero in tibia: tunc alterum ab altero obscurari contingit, cum uis sensibilis tota ad uehemẽtiorem ducatur, ac distrahatur. Nam & hoc nobis in mœroribus solet accidere, qui sunt et ipsi ueluti dolores quidã solius animi sine corpore. Nam & horum qui sunt uehementiores occultant minores, siquidem non eadem ex re ortum habeant, alioquin & illi seipsos coaugent.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus edocere studet hos dolores in diuersis locis esse oportere, ideo de loco exquisite accepto, & de loco late accepto distinctionẽ ponit. Est uero locus exquisite acceptus pars aliqua nostri corporis minima, in qua impossibile est fieri duos dolores, sed est unus solus. & hinc colligere possis: si in parte manus sit continui solutio, & etiam in eodem præcise loco mala qualitas, hic erunt duæ doloris causæ, & duo dolores, sed quia uno solo actu sensus persentiuntur, propterea unus dolor nuncupantur. Non ab re igitur Galenus duos dolores in eadem parte exquisite capta fieri non posse, dicit: hoc intelligentes ratione sensus, non ratione causæ. Si uero locum latius acceperimus pro uno membro latitudinem habente, ut pro manu, uel brachio, uel crure, si in una parte sit unus dolor, in alia alter, cum doloris natura sit ad se attrahere spiritus, qui cum in illo multiplicantur loco, in causa sunt ut dolor uehementius sentiatur, unde & hi duo dolores, & fieri possunt, & sentiuntur distincti in eodem loco late accepto, sed alter ab altero non obscuratur: quia tota sensibilis uis ad utrasq; doloris causas tendit. nam propinquæ sunt, & ad unum progredi non potest, quin ad alium simul progrediatur. Idem igitur membrum intelligit, & etiam in his quæ breuia sunt, quoniam si esset oblõgum membrum, & in una parte esset unus dolor, in opposita parte secundum longitudinem alter, maior minorem offuscaret & obscuraret, quia ad se spiritus animales, & humores ueluti cucurbitula attraheret.

Vbi legitur, Dico autem late circa membrum manus, legi debet maius, & non manus. nam Græce est περὶ μόριον μεῖζον, idest, circa membrum maius. debet uero intelligi maius, quàm sit locus in quo fieri non poterunt duo dolores, qui erat locus exquisite acceptus.

Vbi etiam infert, quod hi dolores augent afflictionem in membro propter concursum uirium animalium ad locum, tamen & in his locis plerunque tendunt in unum, & maior persentitur exquisitius, minor minus. Græcus Galeni codex hoc modo legit, ἀλλ' ἔτι γε οἱ πόνοι συναύξουσιν ἀλλήλοις ἀνίαν τοῦ μορίου, idest, Sed hi dolores coaugent inuicem membri afflictionem.

SECVNDO Galenus docet, Si in diuersis sint locis, & non in eodem, uel late, uel exquisite locus accipiatur, alter ab altero obscuratur. is etenim qui uehementior est, mi

nus uehementẽ obſcurat, & ratio eſt, quia uis ſenſitiua à minus uehementi diſtrahitur, in uehementiorem tendit. Hæc autẽ ſenſitiua uis ſpiritibus animalibus innititur & ſanguini, quæ ad locum dolore magis affectum decurrunt, ut prouideant. unde ſi unus dolor in cubito ſit, alter in tibia, maior minorem obſcurat, non tamen aufert: Si uero in uehementia æquales ſint, alter alterum non obſcurat: tamen fieri poſſet, unum dolorem ratione cauſæ in uno loco uehementiorem eſſe, & in altero minus uehementem, tamen hic qui minus uehemens eſt ratione cauſæ, ratione loci magis uehemens ſit, utpote qui ſit in loco magis apto ad ſentiẽdum, quamuis cauſa ſit minor: tamen opus eſt ob locum maiorem afflictionem adeſſe, & hic illum obſcurabit qui habet maiorem cauſam, quoniam ad triſtem illam ſenſationem ſpiritus & ſanguis decurrũt, & non ad maiorem cauſam. ob id ſemper intelligere oportet, illum dolorem eſſe maiorem, qui ſenſationem magis triſtem infert, licet cauſa ſit minor: & illius alterius, qui minus triſtem ſenſationem infert, cauſa ſit maior.

TERTIO In animæ mœroribus exemplum ponit Galenus. nã anima (ratione ſenſus) & dolet, atq; gaudet, ſed ſimpliciter intelligit, in mœroribus inquam experiẽtia docet maiorem obſcurare minorem. quippe ſi alicui nunciatum ſit pecuniam furtim ablatam fuiſſe, mœret atq; triſtatur: at ſi deinde nuntietur, filium eius primogenitum fuiſſe interemptum, hic ſecundus mœror præcedentem denigrat, & ab animo obliterat atq; expungit, ſicuti in corporis doloribus maior minorem obſcurat.

QVARTO docet, Sicuti in corporeis doloribus ſi in eodem loco fiãt, locum latius accipientes, alter alterum auget: ita in doloribus animæ, ſi ab eadem re ortum habeant, alter alterum auget. ut ſi alicui nuntiatum ſit eius primogenitum mortuum eſſe, poſtea fuiſſe interfectum, cum circa idem ſint, & mortuum, et interfectum, propterea unũ aliud auget. At ſi de diuerſis rebus ſint, ille qui maior eſt, facit ut is qui minor eſt, facile obliuioni tradatur, ut quotidiana experientia oſtendit.

Vbi in commentationis fine legitur, alioquin & illi ſeipſos coaugent, Græce eſt, εἰ δὲ μὴ γε ἀλλήλας κἀκεῖνας συναύξουσιν, ideſt, alioquin & illi ſeipſos inuicem coaugent. Eandem ſententiam habet Ariſtoteles in libro De ſomnijs, tu illum contempleris. Si Galeni uerba contempleris, uidentur affirmatiue exponere, ſed dicens duas diuerſas partes, negatiue innuit.

APHORISMVS XLVII

DVm pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis quàm iam confecto.

BRASAVOLVS

QVI hunc aphoriſmum recte didicerit, is ægros ſuos facile ſolari poterit, in quibus ſit tumor præter naturam, qui ad exituram progredi debeat, aut uulnus, aut aliquod ſimile, in quo pus fieri neceſſarium ſit. In his etenim ſi febres ſuperueniant atq; dolores, medicus uereri non debet, immo ægro ſuadere debet, illa ob pus conſequi, quod iã actu conficitur. cum uero confectum erit, amplius non dolebit, uel parum dolebit, febreſq; aut aberunt penitus, aut mitigabuntur: propterea ab Hippocrate non ab re dicitur, Dũ pus conficitur, & iam ſub incude eſt, dolores & febres fiunt magis, quàm iam confecto. cauſaq; in promptu eſt, quoniam pus fieri nõ poteſt, niſi ſanguis ille ebulliat, qui in pus conuertendus eſt. In ebullitione autem uapores eleuantur, qui cor petentes illud ſupercalefaciũt, poſt hæc per totum corpus ſparſi febrem faciunt. In illa etiam ebullitione, illi uapores, qui eleuantur, partes extendunt, unde ſpeciem illam ſolutionis continui faciunt, quæ extenſio eſt. ut exempli gratia, in tumore præter naturam ſi pus fieri debeat, ebullitionem ſequi neceſſe eſt, in qua ebullitione multi uapores eleuantur, qui tumidas partes uehementius extendunt, quàm prius extenſæ ſint, propterea dolores augentur, & hi uapores ſupercalefacti, propinquas partes ſupercalefaciunt, & hæ alias, quouſq; cor pertingant, Quo inflammato atq; accenſo, totum corpus inflammatur accenditurq;, & febris fit: & quanto magis ebullitio creſcit, tanto magis dolores & febres uehementius

mentius angunt. tunc uero potiſſimum ebullitio fit, cum pus fit, ideſt, in proximo eſt ut fiat. Confecto pure ebullitio ceſſat, & partes extendi ceſſant, & uapores qui in loco erant, atq; extendebant, partim reſoluuntur, partim exeunt; itaque dolor ceſſat. & quia ebullitio ceſſat atq; feruor, propterea inflammatio, febres, atq; dolores ceſſant. Philotheus eaſdem ferè cauſas huic aphoriſmo aſſignat, quas & ipſe ex Galeno collegit. Inquit uero, οἱ πόνοι μὲν κατὰ λόγον τοῦ τείνεσθαι τὸ τὴν ὕλην περιέχον μόριον, διὰ τὴν χύσιν αὐτῆς, καὶ τὴν τῶν πνευμάτων ἀνάλυσιν, πλείονα τόπον αὐτὴν περιέχειν δυναμένην. οἱ πυρετοὶ δὲ διὰ τὴν σηπεδόνος μετάδοσιν, διὰ τῶν παρακειμένων ἀρτηριῶν, κατὰ τὴν πυοποίησιν ἔχοντι μορίῳ, ἐπὶ τὴν καρδίαν γιγνομένην. ταῦτα μὲν συμβαίνουσιν περὶ τὰς γενέσεις τοῦ πύου. μετὰ δὲ τὸ γενέσθαι αὐτὸ τὸ πύον, οὐκέτι πόνος οὐδὲ πυρετός, ἤδη γὰρ ἐλεπτοποιήθη τὰ τῆς ὕλης, καὶ ἐξικμάσθη τὸ πολὺ τῶν πνευμάτων. πέπανται δὲ καὶ τὰ τῆς σηπεδόνος, τὸν φύσει κόσμον τοῦ πύου ἀπειληφότος. ideſt, Dolores ſcilicet fiunt quidem ratione qua materia circunſtantes partes intendit, ob ipſius fuſionem, & ſpirituum diſſolutionem, cum ipſa maiorem locum ambire poſſit. febres uero ob corruptionis participationem per adiacentes arterias à parte habente ſuppurationem ad cor delatam. hæc quidem circa puris generationem contingunt, poſtquam uero pus genitum eſt, neque amplius dolor, neque febris. Iam igitur quod ſpectabat ad materiam attenuatum eſt, & multum ſpirituum exhalauit. Concocta uero ſunt ea quæ ad corruptionem pertinent, quum pus à natura perfectionem ſeu ornatum acceperit.

περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου. ideſt, Circa puris generationẽ.] Quod eſt dum pus fit: in quo loco quid pus ſit, exponere oportet. nam recentes ſaniem, & pus pro eodem accipiunt, quamuis apud antiquos diuerſa ſint. Nos igitur ut uires noſtræ ſuppetent, hæc enarrare exordiemur. Apud autores latinos tria hæc uocabula inueniuntur, pus, ſanies, tabus: hoc ultimum medicum non eſt, utpote quod ſaniem in defuncto ſignificet. De pure autem & ſanie pertractabimus, quoniam per medicorum ora continuo uerſantur, ſed ipſi adeo confundunt, ut unum aliud eſſe uideatur. Vtrunq; & pus & ſanies ex ſanguine fiunt. Pus uero dupliciter fit. uno modo, cum ſanguis proprium locum exierit, ideſt, uenas, & in aliquam corporis cauitatẽ receptus ſit. unde Hippocrates in libro De flatibus dicebat, cum ſanguis alienum locum perfundit, ſi illic moratur, putreſcit, puſq; efficitur. alio modo cum non exit uenas, ſed in aliquẽ locum collectus tumorem, inflammationẽ ue facit, quæ ad ſuppurationem uenerit. Nunc breuibus quid de pure ſenſerit Celſus, & ſanie, edoceamus. hic author libro quinto capite uigeſimoſexto ubi de ſanguine, ſanie, & pure agit; inter ſaniem & pus differentiã facit, quod ſanies ſit ſanguine tenuior (nam ſupponit ſanguinem omnibus notum eſſe) uarie craſſa, glutinoſa, & colorata. pus uero ſit craſſiſſimum, & albiſſimum, & glutinoſius ſanguine & ſanie. Datq; aliam uiam hæc diſcernendi. nam ſanguis, ex recenti uulnere fluit. pus autem ex uulnere ſanieſcẽti, in medio tempore exit ſanies. unde quod apud recentes dicitur uirus, apud Celſum eſt ſanies. ſaniem uero in duas ſpecies diſtinguit, in unam quæ ἰχὼρ dicitur, & in alteram quæ μελικηρία. nos uocabula non habemus, quæ his correſpondeant. ἰχὼρ eſt tenuis ſanies ſubalbida, quæ ex malo ulcere exit, maximè uero ubi neruo læſo inflammatio ſecuta eſt. μελικηρία uero eſt craſſior ſanies, glutinoſior, ſubalbida, melliq; albo ſimilis, quæ quoq; fit ex malis ulceribus, ubi nerui circa articulos leſi ſunt. At pus à Celſo in alias ſpecies non diſtinguitur, niſi quod unam ſpeciem uocat ἐλαιῶδες quaſi oleagineum, quoniam pus ſit, tenue, ſubalbidum, quaſi unctum colore atq; pinguedine, oleo albo non diſſimile adparet, in magnis ulceribus ſanieſcentibus. Alias puris ſpecies non ponit, quia ſimiliter puris nomine nuncupantur. hæc ex Celſo dicta ſint. Recentes uero, qui Græcos interpretantur, ubi inueniunt ἰχὼρ, ſaniem interpretantur. quamuis nonnulli dixerint, ſaniem tenuem, & aquoſam. Hippocrates ἰχῶρας accepit pro tenuibus humiditatibus, ut Galenus teſtatur in quarto De ratione uictus in morbis acutis, ſectione prima. At cum ab antiquis μελικηρία dicitur, non deſunt recentes, qui id intelligunt, quod à Græcis μελικηρὶς dicitur. quamuis non ſit morbi genus, ſed potius ſaniei genus intelligere oportet, quamuis & hoc morbi genus talem ſaniem habeat, quæ melli aſſimilatur. & Celſus libro quinto, capite decimoctauo in malagmate Protarchi ad parotidas

tidas & fauum, exponere uidetur, Melicera, id est fauus. At Galenus inter melicerida & fauum differentiam facit. nam in libro Definitionũ sibi adscripto dicit, fauum, quem κηρίον ipse & Græci omnes appellant, esse ulcus continuis foraminibus terebratum. Meliceris autem sua tunica continetur, tamen conueniunt, quia in utrisq; manat sanies tanquam mel: propterea arbitror Celsum non distinxisse propter materiam quæ eadem est, sed solum dixit fauum terebratum, Melicerida sua tunica inuolutum: quæ & Galenus & Paulus sentiunt, & diuersis locis de ipsis egerunt. Ad rem igitur redeuntes, ἰχὼρ apud Galenum tenuem saniem significat, unde in libro De morborum temporibus in uniuersali, cum dixerit omnes morbos habere quatuor tempora, & in phlegmone edocuerit, quomodo hæc tempora inueniri possint, post hæc exemplum ponit in ulcere dicens, πρῶτον μὲν γὰρ ἰχῶρες ὑδατώδεις ἄπεπτοι καὶ λεπτοὶ ῥέουσιν ἐξ αὐτῶν. idest, primum enim ichores (omnes qui interpretantur illam particulam ichores, dicunt sanies) aquosæ, incoctæ, & tenues ex his defluunt. postea pauciores & crassiores scilicet ichores, deinde sequitur κἄπειτα ἤδη πύον λεπτόν, idest, & deinde iam pus tenue. Postea sequitur Galenus, postremo minus quidem copia, sed crassius, & albidum magis redditur. Ex quibus infert, non esse aliquem morbum, in quo non reperiantur quatuor tempora. propterea tu colligere poteris, primum illud quod ex ulceribus exit tenue, uirus & uirulentia à recentibus dictum, à Galeno ἰχὼρ, & à multis sanies interpretatur, est tenue quoddam, atq; incoctum, quod deinde per coctionem pus efficitur. in libro etiam περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων, idest, de tumoribus præter naturam, ubi de tenui sanie, quæ ex ulceribus exit, agit, ἰχὼρ semper appellat, & cum crassa est, πύον, primumq; ab omnibus ferè sanies, secundum pus interpretatum reperitur. hanc ob rem latine loqui uolentes, Meliceria quæ sanies est, eodem nomine dicitur. nam & id morbi genus quod Meliceris dicitur, ideo ita dicitur, quia in modum mellis saniem habet, & ita fauus, sed differunt per foramina. & apud latinos aliud nomen non habetur, quàm Meliceris: & solum tunc est, quando est in ægritudinibus istis hoc saniei genus, quæ ægritudines ab aliquibus dicuntur esse solum in capite. Sed Galenus & Paulus, in capite quidem fieri potissimum uolunt, tamen non impeditur, nec ipsi negant, in alijs etiam partibus fieri. ἰχὼρ uero ab omnibus ferè sanies interpretatur, sed proprie est prima sanguinis immutatio, quæ tenuior est, quàm sit sanguinis corpus, propterea & Homerus cum uulneratur à Diomede Venus, utitur hoc nomine ἰχὼρ inquiens, ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο ἰχώρ, idest fluebat autem immortalis sanguis deæ, ichor. ac si dixerit, eius sanguinem propter uulnus iam factum esse ichora, idest, saniem. Ita uero nuncupatur cum effecta est tenuior sanguine. Tamen reperitur & hoc uocabulum ἰχὼρ pro omni humore usurpatum. Nam Diocles Antigono regi precepta salubria scribens inquit, inter cætera uerna tempestate, præsertimq; Maio mense augeri in hominibus pituitas, & dulces ἰχῶρας, æstate contra flauam bilem, & amaros ἰχῶρας. ut hinc manifeste pateat, ἰχὼρ omnes humores quandoq; apud Græcos significare, & non solum tenuiorem in ulceribus sanguinem, quem aliqui saniem, alij uirus uel uirulentiam interpretantur. Galenus sexto aphorismorum libro aphorismo tertio, qui incipit, in longis difficultatibus intestinorum, dicit esse aliquos qui in principio fastidiunt cibum propter ἰχῶρας ab hepate fluentes. Leonicenus interpretatur, malos humores, cum alibi interpretatus sit tenues. Sed dubium hic occurrere posset, an apud antiquos inueniantur qui hoc uocabulum ἰχὼρ exprimere tentarint. Iam dictum est, Hippocratem in quarto De ratione uictus in morbis acutis (ut Galenus testatur) accepisse ἰχῶρας pro tenuibus humoribus, imò ipsemet Galenus ita exponit, post hæc coniectura quadam rem hanc prosequamur. Dioscorides de iocineribus secundo libro agens, & de caprino presertim dicit, τὸ δὲ ἧπαρ τῆς αἰγὸς ὀπτωμένου, ὁ ἀπορρέων ἰχὼρ ἐγχριόμενος νυκτάλωψιν ἁρμόζει. idest, ex hepate caprino tosto fluens ἰχὼρ, utiliter lusciosis qui nyctalopæ dicuntur, inungitur. Hermolaus, & alij hic per ἰχὼρ exponunt sanies: Nos modo per coniecturam quandam probamus, ἰχῶρα posse exponi saniem. Nam Plinius libro uigesimooctauo capite undecimo, ubi de oculorum imbecillitate loquitur, inquit, quidam inassati iocinoris sanie inungunt, ut manifeste colligi possit, apud Plinium saniẽ inassati iocinoris idem

esse cum

esse cũ eo quod à Dioscoride dicitur ἰχὼρ ἥπατ☉ ὀπτομένου. sumi potest & alia coniectura ex Celso, qui libro sexto capite sexto prope finem, ubi de oculorũ imbecillitate agit, & præsertim de his qui interdiu satis, noctu nihil cernũt, inquit sic: laborantes debere inungi sanguine iocinoris maximè hircini, si minus caprini, ubi id assum coquitur, excepto. ut hinc testimonium haberi possit, ἰχῶρα à Celso esse pro sanguine interpretatum. nam idem ponit remedium quod Dioscorides. Consequẽter putandum eum authorẽ à quo accepit, eodem nomine uti. non enim credendum est quod à Dioscoride acceperit Celsus, utpote qui diu ante Dioscoridis tẽpora extiterit. De ætate Dioscoridis adhuc ambigimus. Nam & si alij aliter, tamẽ eum Suidas fuisse tempore Antonij & Cleopatræ affirmat. Hæc per coniecturam dicta sint. Non desunt tamen qui per ἰχὼρ aquosum sanguinis humorem interpretentur. Nam Dioscorides ubi de absinthio uerba facit, inquit, ualere καὶ πρὸς ἰχωρῶντα ὦτα ὁμοίως. idest, (ut Marcellus interpretatur) & cõtra aquosos sanguinis humores (quos Græci ichoras uocant) distillantes aures eodẽ modo. Hermolaus uero hoc loco interpretatur saniẽ. nam dicit conferre auribus, si manat sanies. Nos Celsum imitati ubi ἰχὼρ (in ulceribus) inueniemus, semper saniem simplici uocabulo uertemus, quæ debet esse & sanguine & pure tenuior. Hæc de sanie dicta supersint. Ad pus nunc accedamus, quod Græci πύον uocant, & quod fit iam ulcere saniescente. pus autem (ut Hippocrates in libro De uulneribus & ulceribus dicit) creatur sanguine putrefacto, corrupto, uel mutato, calefactoq́ꝫ, donec marcescat, & horum uulnerum pus fiat. Putamus nos Hippocratem hoc loco communi sumptione accepisse pus, ut etiam comprehendit saniem uel ἰχῶρας. quoniam ut edocere studebimus, pus non est perfecte corruptum. nam habet naturam quandam mediam inter sanguinem & corruptam rem. eam ob causam in cõmentatiõe huius aphorismi à Galeno dicitur ἡμιμόχθηρον μεταβολὴν, idest, semimalam mutationẽ, & ideo in lib. De uiribus naturalibus à Galeno edocebimur, esse uim quandam alteratricẽ in uentriculo, in iecore, & deniq́ꝫ in omni parte. hæc nihil aliud facit ultra quàm quod assimilat nutrimentum membris. Istud autem fit tempore. In libro etiam De semine genitali Galenus docet, quod in testiculorũ tunicis, apparet liquido sanguis iam mutatus ad seminis genitalis generationem, & illæ tunicæ isto nutriuntur. hanc humiditatem nonnulli medici θορὸν appellarunt (sunt qui interpretentur hoc uocabulum θορὸς genitale uirus) nos uel simplici græco nomine uteremur, uel simpliciter semen diceremus. nam ut Galenus in ultima commentatione primi Prognosticorum docet, & semen ipsum θορὸς dicitur, hicq́ꝫ fit coctio quædam, per quam albedinem acquirit. idem fit in inflammatione, sanguis in partes inflammatas currit, & primo partes quę recipere possunt, ibi existentes implet & extendit. hic igitur sanguis ad partes minimas dispersus, & ad uenas capillares, & etiam extra, ubi est inflammatio, quia in propriam naturam uerti non potest, mutatur & putrescit, ut omnia faciunt quæ in proprio loco non sunt, quando multum calefacta fuerint. Si calor naturalis adeo imbecillis sit, ut in hac putrefactione nihil, uel parum faciat, fit penitus putredo. si uero calor præter naturam agat, & æque calor naturalis multum agat, ille calor qui magis uincit, sua signa ostendit. si quidem naturalis superet, pus fit album, lene, æquale, & quàm minime fœtidum. opus enim est, ut semper nonnihil habeat fœtoris ob calorem præter naturam: sed quia naturalis calor uincit, ideo quàm minimũ fœtoris habet, ut Galenus ubertim docet in ultima primi Prognosticorum libri commentatione: eodemq́ꝫ loco uult, pus esse album, ut semen, non tamen æque penitus, quia semen ex solo naturali calore, & transitu per testes ortum habet. pus uero habet calorem præter naturam in sui generatione calori naturali mixtum. Album uero efficitur: quia solidioribus corporibus assimilari debet (quæ sunt tunicæ, nerui, membranulæ, copulæ) & ossibus, chartilaginiq́ꝫ. unde in illato uulnere primo sanguis exit, sistitur: postea exit ἰχὼρ, uel sanies, postea crassior sanies, deniq́ꝫ pus, quo ostenditur sanitatem fieri. nam pus ut hic inquit Galenus, semimalam transmutationem habet. quoniam fit partim à calore pręter naturam, partim à calore naturali, & hoc est quando sanitas prope est. At si sanitas fieri non debeat, primo exit sanguis, postea ἰχὼρ, deinde tenuior sanies, deniq́ꝫ putredo. propterea pus uerum & perfectum medium est inter sanguinem perfectum & putredinem. Ex his ab Hippocrate dicitur: dum pus fit.

οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ συμβαίνουσι, μᾶλλον ἢ γενομένου, idest, Dolores & febres accidunt magis quàm iam confecto. Alicui forte uidebitur, quod Hippocrates intelligat solum de uero pure. nos uero etiam intelligimus in generatione putredinis, quę nō sit futura pus: tunc etiam maiores dolores fiunt, quàm iam confecta, præsertim si locus ad exiturā uenerit. febres autem tanto magis crescunt, quanto putredo maior extiterit, & res magis putrescit. Nihil etiam impedit, Hippocratem hoc modo intelligere, dum pus fit, idest, dum abscessus ad exituram uenit. ut simul ac semel puris generationem intelligamus, & abscessus apertionem: tamen & si ad exituram non uenerit, dolores & febres sunt minores cum pus iam confectum est, quia ebullitio cessat. At si diu hoc loco detineretur, quia partes propinquas male afficeret, & corrumperentur, propterea dolores iterum, et febres supraueniren. unde Chirurgus facto pure aperire debet.

Galenus huius aphorismi mentionem facit in tertio De ratione uictus in morbis acutis sectione ultima, & in principio libri De temporibus morborum in uniuersali, & in primo De crisibus capite decimotertio. Item Paulus Aegineta libro sexto capite trigesimoquarto de abscessu agens docet te posse in abscessu cognoscere quando pus confectum est, si dolor & febris quæ infestabant, diminuta sint. Addit autem & ipse alia signa, quibus idem cognoscere poteris, si rubor, si pulsus, & reliqua inflammatiōis signa omiserint, si tumor in acutum fastigietur. Si ad digitorum compressionem pus subsidet, sed hoc signum solum est in abscessibus qui in summo sunt. In profundis uero satis est habere alia signa, si hoc haberi non possit. nam & in his quandoq; pus comprimi sentitur. In uulneribus pus oculis iam factum uidetur, ad quod generandum (ut Galenus dicet) calor naturalis facit, & præter naturam. Dixit uero Hippocrates, dolores & febres contingere magis quàm iam confecto: ostendere uolens posteaquàm pus generatum fuerit, dolores & febres fieri, sed non adeo intense, tamen adhuc perseuerant. Dolores fiunt & ex solutione continui, & ex partis inflammatione. Oribasius solum fieri dicit, quia extenditur locus. febris uero secundum eundem Oribasium duobus modis fit: uel quia pus ex sanguine est, qui est calidus & humidus: uel quia ubiq; sunt nerui, arteriæ, & uenæ, quæ aggrauata, principia febris, quia patiuntur, prouocant. opus est intelligat per arterias & uenas duci accensos spiritus ad cor. Itaque id incendere, & febrem facere.

GALENVS

PVS ex sanguine ortum habet, qui semimalam ut quispiam dixerit habet transmutationem. Nam mala simpliciter cum putrefactione fit olida, sicuti quæ simpliciter optima est ipsa nutritio partium animalis. at quę pus generat medium inter has obtinet locum, neque à solo calore extra naturam, neque à solo secundum naturam facta. Mixtus enim quodammodo ex utrisq; est calor inflammationis. Fit autem dolor extenta simul ac calefacta præter naturam inflammata particula. Febres uero sequuntur principio concalefacto, & hęc ambo contingunt ex quadam ueluti ebulitione, atque exustione sanguinis: qui ubi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exustione cinis. atque ideo tempore illo dolores sedantur ac febres, præsertim cum pus fuerit excretū, utpote iam cōsumpta materia, extincta autem ignea caliditate.

BRASAVOLVS

PRIMO saniei generationem Galenus docet, ut ex ea in perfectiorem aphorismi cognitionem ueniamus. Quæ uero hic dicuntur, uberius in primo De differentijs febrium, & in ultima primi Prognosticorum cōmentatione traduntur. Sunt autem hæc: pus à sanguine ortum habere, qui sanguis trāsmutationem quandam mediam habet inter bonum & malum. nam sanguinis officium est, cum à calore naturali trāsmutatur, nutrimentum effici: si uero calor præter naturam in eum agat, putredo fit. At pus partim à calore naturali, partim à calore præter naturam fit. nam inflammationis calor est partim mixtus ex naturali calore, partim ex calore præter naturam. Sunt uero in hac commentationis parte nonnulla notatu digna: cum enim inquit, Qui semimalam (ut quispiam dixerit) habet mutationem, Græce habetur μεταβάλλοντος εἰς ἡμιμόχθηρον, ὡς ἄν εἴποι τις μεταβολήν, idest, Qui in semimalā (ut quispiam dixerit) transfertur mutationē.

Quod

Quod legitur olida, Græce est δυσώδης, potius interpretarer mali odoris, difficilis odoris.

Quod etiam legitur, Sicut quæ simpliciter optima, Græce est ἁπλῶς χρηστή, idest, simpliciter bona. & id pronomen, illa, uacat, quoniam nec in græco codice adest.

Quod etiam legitur, Neq; à solo secundum naturam, hæc particula à Galeno dicitur ἀπὸ τοῦ ἐμφύτου, ac si dixeris à complantato calore, qui proprie naturalis est, & insitus.

SECVNDO Galenus docet cur in puris generatione dolor fiat, quoniam partes extenduntur, ideo fit solutio continui, & quoniam particula inflammatur, propterea ibi adest mala qualitas calida: hæ uero sunt duæ doloris causæ, mala qualitas, & solutio continui.

TERTIO rationem reddit cur fiant febres, quoniam principium concalescit, quod est cor, & inflammatur. hoc autem fit per partem post partem.

Quod legitur, febres uero sequuntur, in aliquibus codicibus sequitur aliquando principio concalefacto, in nostro antiquo codice duæ sunt lectiones, prima dicit τῆς ἀρχῆς, idest, principio. secunda τῆς καρδίας, idest, corde. & correctionem quandam Leoniceni uidimus, in qua scriptum erat corde, & non principio, tamen utrunq; uerum est, & de corde utrunq; intelligitur, & etiam hęc particula, quando, addita est.

QVARTO Galenus docet quomodo dolor, & febris ex quadam ebullitione fiant, & quomodo cessent.

APHORISMVS XLVIII

IN omni corporis motu ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.

BRASAVOLVS

HVIVS aphorismi sententia, ex illa uniuersali maxima ueritatem recipit, contraria contrarijs curari, propterea in quocunq; nostri corporis motu, uel brachiorum, uel crurum, uel alterius partis cum quis laborare cœperit, hoc est cum fuerit defatigatus & delassatus, uel ea parte doluerit, hic ab illo motu abstinens, sanabitur, quoniam hic motus huic quieti contrarius est. Oribasius hunc aphorismum præcedentibus hoc modo continuat: absoluens sermonem Hippocrates de Apoplexia, morbo comitiali, & pure, instituit hic de exercitio disputare, ponitq; ipse tres sequentes aphorismos simul, ac si unus sint aphorismus, sed re uera multa ab Oribasio dicuntur, quæ perfecte non constant. Philotheus Oribasio egregius Hippocratis intentionem exponit, hoc modo exorditus, κίνησιν ἐνταῦθα λέγει τὸ γυμνάσιον, ἔτε διὰ παλαίστρας, ἔτε διὰ ἱππασίας, ἔτε δρόμου. ἐν πάσαις οὖν ταῖς τοιαύταις κινήσεσιν, ὁπότ' ἂν ἄρχηται πονέειν, ἤτοι ἀλγέειν, καὶ κάμνειν τὰ μόρια, ὡς ἐνοχλήσειν τι δύνασθαι, τούτοις τὸ ἀναπαύειν εὐθὺς ἀπονοεῖσθαι. παυσάμενοι γὰρ τοῦ γυμνασίου ἄκοποι παραχρῆμα γίνονται, διότι ἀνακτᾶται αὐτῶν ἡ δύναμις ἐν τῇ ἀνέσει, idest, Motum hic dicit exercitationem, siue per palæstram, siue per equitationem, siue per cursum. In omnibus igitur talibus motibus, quando partes lassari, uel dolere, uel laborare inceperint, tanquã id agant quod non possunt, his statim cessare lassitudinem leuat. nam ab exercitatione cessantes, lassitudinum expertes protinus fiunt, propterea quod eorum uires reuocantur in quiete.

Ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος. idest, In omni corporis motu.] Quod potissimũ intelligere oportet in motibus uoluntarijs. nã in naturalib. motibus, quãdo uolumus cessare, nõ possumus: in uoluntarijs autẽ, qui sunt omnes motus qui à musculis dependent, quãdo lubuerit cessare, nihil impedit. Aphoris. propterea uerus est potissimum in corporis exercitatione, quæ exercitatio uarijs modis fit, ut ex Galeno patet secundo De sanitate tuenda li. qui hanc rem egregie disserit, omnes exercitatiõis modos recensens, & eos addẽs

qui in

qui in una corporis parte sunt, uel in pluribus. in his enim omnibus cum aliquis laborare cœperit, uel toto uel parte, si quiescat, sanatur, propterea sequitur.

Ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, idest, Quando laborare cœperit.] Quod uel intelligas de dolore, qui per uerbum πονέειν quandoque significatur: uel de lassitudine uerum est. nam

Τὸ διαναπαύειν εὐθὺς ἄκοπον, id est, statim cessare à labore.] ἄκοπον, idest, est sua sanitas, quod certe hoc significat, quies lassitudinem aufert. Nos igitur hanc partem ita potius interpretaremur: in omni corporis motu, ubi laborare cœperit, quiescere statim est acopon, idest, quiescere est statim remedium illius laboris. nam antiqui ἄκοπα nuncupabãt, omnia ad leuãdum laborem & dolorem remedia. unde & si Galenus laborare pro dolere & fatigari exponere uideatur, & in utrisque uerus sit sensus, tamẽ cogit me id uerbum, acopum, intelligere aphorismum in fatigatione sola. quoniam ἄκοπα ab antiquis medicamina illa uocantur, quæ ad leuandum laborẽ adhibebant, sunt enim contra κόπους, idest, labores. Tamen quia & acopis in doloribus etiam utebantur, propterea & nos cum Galeno aphorismum communiter intelligere poterimus, imò & acopis utebantur ad emolliendum. Dioscorides etenim libro primo capite sexagesimonono de Gleucino unguento differens inquit, esse omni acopo efficacius molliendi profectu. & ubi De panace heraclio tertio libro uerba facit, inquit quod acopis miscetur, & de alijs rebus multis idem refert. Paulus Aegineta libro septimo, capite decimonono De acopis clarius agit, quæ dicit ita uocari, quia præcipue contra κόπους, idest, dolores, & lassitudines, sensusque dolorosos faciunt: enumeratque inter acopa thermantica, idest, calorifica, & mollientia. Celsus & libro quinto multa acopa refert, quę in usu erãt apud antiquos, si quis recte perpẽdat, dolores etiam leuare, manifeste percipiet. Multa etiam à Scribonio Largo descripta sunt. Ad rem igitur, per ἄκοπον ita simpliciter interpretarer acopon, idest, remedium ad laborem.

GALENVS

VERBVM, laborare, significat, & dolere, significat aũt et fatigari, & in utroque significato sermo uerus est. Siue enim mẽbra iam doleant ex multitudine motionum, siue sint fatigata, ut uix iam agere aliquid possint, quies statim lassitudinem aufert.

BRASAVOLVS

GALENVS in hoc loco docet, id uerbum πονέειν, idest, laborare, apud authores usurpatum reperiri, modo pro dolere, modo pro fatigari: & quomodocunque dicatur, semper uerus est aphorismus: unde uel membra ex multa motione doleant, uel sint adeo defatigata, ut uix moueri possint, dolere dicuntur, & quies utrancque lassitudinem aufert. etenim est ἄκοπον, idest, remedium lassitudinis quies. & licet ἄκοπα medicamenta sint atque inunctiones, tamen ad illud omne quod lassitudinẽ aufert, id uocabulũ applicari potest.

APHORISMVS XLIX

QVi consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, & senes, non consuetis, fortibus, atque iuuenibus, facilius ferunt.

BRASAVOLVS

HVNC Aphorismum ex quotidiano usu uerum esse experimur. nempe in dies baiulos uidemus senes, & imbecilliores uiribus, robustissimis quibusdam iuuenibus, tamen facilius pondera ferunt, & labori magis durant, quàm robustiores illi. Causa uero est assuetudo, & in nobis ipsis experimur assuetudinem ad aliquid agendum plurimum facere, quia illa habitudinem quandam acquirimus, atque habilitatem, ut prompte, & facile id agamus. Etenim assuetudo (ut uulgata propositio est) est altera natura. Quod igitur diu assuetum est, in naturam ferè transiuit. Oribasius, qui præcedentem aphorismum cum isto & sequenti confundit, nihil aliud addit, quàm cũ corpus nostrum tribus dimensionibus constet, longitudine, latitudine, profunditate, senex omnia tria in se habet. Iuuenis uero si duo habet, tria habere non potest. propter istam itaque rationem Hippocrates posuit, senem magis ferre laborem, quàm Iuuenẽ. Sed quàm absurda ratio hæc sit, quisque consideret

consideret. nam iuuenes tres dimensiones ampliores habent, & magis perfectas, quàm senes, utpote qui iam cœperint comminui ob ætatem. Prudentius egit Philotheus, qui hoc modo interpretatur, καὶ οὗτος ὁ ἀφορισμὸς περὶ ὑγιεινῶν εἴρηται παραγγελμάτων. ὃ δὲ λέγει τοιοῦτόν ἐστι. εἰσὶ δέ τινες, ὁ μὲν γέρων, ὁ δὲ ἀκμάζων. ἀμφότεροι σκάπτειν ἀπάρχονται, καὶ τῷ μὲν γέροντι συνέβη καλῶς τὸ σκάπτειν, τῷ δὲ ἀκμάζοντι οὐχί. ἐκείνῳ μὲν διὰ τὸ συνήθες, κἂν ἐστὶν ἀσθενής. τούτῳ δὲ διὰ τὸ ἀσυνήθες, κἂν ἐστὶ ἰσχυρός. καθόλου γὰρ χρὴ γινώσκειν, ὅτι τονώτερα τῶν ἄλλων γίνεται τὰ γυμναζόμενα μόρια, καὶ διὰ τοῦτο ῥᾷον ὑπομένει τοὺς συνήθεις πόνους. ἐκ δὲ τοῦ μετρικοῦ τούτου παραδείγματος ἔξεστι καὶ περὶ πάντων συλλογίζεσθαι. idest, Et hic Aphorismus de salubribus præceptis dictus est, quod uero dicit tale est. sunt autem quidam, hic quidem senex, hic autem in uigore ætatis: uterque incipit fodere terram, & seni quidē fodere bene cedit uel cessit: illi aūt qui in ætatis uigore est, minime: illi quidem ob consuetudinem, & si imbecillis: huic autem ob inconsuetudinem, & si robustus sit. notionem enim uniuersalem esse oportet, quod exercitatæ partes alijs fiunt robustiores, & propter hoc facile subeunt consuetos labores. ex hoc autem mediocri exemplo de omnibus etiam syllogizare licet.

οἱ εἰθισμένοι. idest, Qui consueti.] Nam qui ex usu & consuetudine alicui labori assuescunt, dispositionem quandam acquirunt, qua laborem illum facilius ferunt. est autem dispositio hæc, qualitas quædam per multas uices facto exercitio derelicta, quam cum his simul iungere possumus, quæ in secunda sunt qualitatis specie, in qua sunt naturales potentiæ, uel impotentiæ aliquid agendi uel patiendi. hæc habilitas ex longo usu derelicta, propter quam homo aptius, cōmodius, & leuius id exercitium facit, & si non sit naturalis potentia, quia naturaliter forte non est illi insita, tamen aliquo modo potentiæ naturalis naturam sapit, posteaquam tam diu assuetus est. nam id ita facile assequitur, ut si quis naturaliter id faciat. Hanc ob rem à Philosophis dicitur, & præsertim septuagesima prima sectione primi libri De physico auditu, consuetudinem esse alteram naturam, & consuetudinem transire in naturam. propterea dicere possumus, hanc artificialem habilitatem transiuisse in naturam, & adeo immutatam esse, ut mereatur connumerari inter naturales potentias uel impotentias.

τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν. idest, Consuetos labores ferre.] Dixit uero consuetos labores, quoniam [illegible] hic habitudinem habere debeat, qua labores ferat, opus est ut sint soliti labores, & a[illegible]o soliti, ut eos ob consuetudinē facile ferat. per labores uero, quos πόνους uocat, omne exercitij genus intelligere oportet. quia in omni genere exercitatio habitudinē quandam naturalem inducit, ad facile gnauiter agendum, quod & ad animæ exercitia ampliari potest. nam qui speculationibus assuescit, facile speculatur, & facilius difficiles materias discutit inassueto, etiam si sit acutioris ingenij uir: & qui uirtutibus assuetus est, actus uirtuosos facilius peragit, quàm inassuetus.

κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες. idest, Et si fuerint imbecilles uel senes.] Per hoc quod imbecilles dicitur, opus est naturalem imbecillitatem ad illam operationem agendam intelligere, quam tamen propter exercitationem facile assequuntur. est autem hæc naturalis imbecillitas, impotentia ad facile agendum. fit uero quodammodo potentia naturalis ob usum & exercitium. & si quis ob ægritudinem factus sit imbecillis, hic aptius agit, quàm inassuetus faciat, modo ęgritudo adeo non perseueret, ut operationem auferat. unde & senes circa aliquod exercitati, id facilius operantur, quàm robusti iuuenes & inexercitati, quamuis senium uires auferat, & homines imbecilles, atque exhaustos reddat. Hic uero id nobis magis arridet, ut disiunctim legamus, uel senes, quàm copulatim, & senes, ut Leonicenus facit. nam si copulatim legamus, sensus erit, quod imbecilles & senes simul facilius ferunt, si exercitati sint, quàm si qui exercitati non sunt, licet robustiores & iuniores sint. Quæ sententia uera quidem est, sed nos id magis probamus ut imbecilles à senibus distinguat, hoc modo, imbecilles exercitati, uel senes exercitati facilius labores ferunt fortioribus inexercitatis, & iunioribus inexercitatis. hoc autem mihi magis arridet, tum quia Græcus contextus habet ἢ, idest uel, & non καὶ, tum quia hoc modo duo imbecillium genera assignamus, imbecilles naturaliter, & imbecilles ob ætatem.

Dubium uero incidit, si homo imbecillis sit, & exercitatus, tamen naturalem po-

tentiam ad hoc agendum non habeat, sed eam solum exercitio comparauerit. è contrario fortis sit non exercitatus, qui naturalem potentiam ad id agendum habeat, at nunquam in opus descenderit, petitur qui nam horũ facilius agat. Respondemus, exercitatum inexercitato semper facilius agere. tamen hic inexercitatus breuius per minores uices in exercitium descendet ad hoc ut perficiatur, quia habet naturalem potentiam, quàm is qui ob exercitium, & non ob naturalem potentiam ipsam facilis exercitationis potestatem acquisiuit, tamen antequam egerit, licet naturalem potentiam habuerit ad hoc agendum, non agit facilius illo.

Τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε, καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσι. idest, Inconsuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferũt.] Hoc semper cum mediocritate intelligere oportet, quia si acciperemus senem imbecillem, qui ad ferenda pondera assuetus sit, & illi detur, pondus quod ferre non posset, tamen ipsum robustissimus iuuenis ferre posset, in hoc casu non esset uerus aphorismus. At si omnia paria fuerint, ut hic ferat quantum potest, & ille senex exercitatus facilius ferret quàm fortis hic iuuenis & robustus. nam hęc consuetudo tam magna, tamq; potens est, ut non solum mores, & actiones transmutare possit, sed etiam corporis formam. propterea Hippocrates post principium libri de aere, aquis, & locis, ubi de Macrocephalis agit, inquit eos habere capita oblonga ob consuetudinem: nempe illos pulcherrimos esse existimabant atq; generosissimos, qui longissima capita haberẽt, & ideo hanc consuetudinẽ sequuti sunt: puero tunc primum nato caput, cũ adhuc tenellum est, premunt, cõponunt, manibusq; in oblongam formã deducunt, sicq; adolescere cogunt, machinamentaq;, & uincula cõmoda admouẽt, quibus capitis rotunditas mutatur, siue male afficitur: longitudo uero crescit, propterea consuetudo hominum corpora mutat ut in his macrocephalis patet. In principio igitur per legem & consuetudinem facti sunt Macrocephali longa capita habentes, quia ipsis hoc pulchrũ esse uidebatur. temporis aũt processu hæc consuetudo in naturã transiuit. nam cum semen à toto decidatur, de sanis corporis partibus sanum deciditur, & de morbosis morbosum, si quidem ex caluis calui gignuntur, & ex flauis flaui, ex distortis fermè semper nõ recti, sicq; in cæteris figuris eadem ratio pollet. Quid ergo prohibet, quin ex longis capitibus longa capita nascãtur? Hactenus Hippocrates, ex quibus facile haberi potest, consuetudinẽ multum ualere, nõ solum in actibus, sed in transmutandis etiam corporibus. Hi ergo Macrocephali, quos potius uocarẽ oxycephalos, iuxta Mæotim paludem degunt, inter Asiæ fines & Europæ. forte Genuenses nobilissimi Liguriæ populi, inde originẽ duxere, cum acuta habeãt capita: & tales sint uiri uaferrimi. propterea & ab Homero Thersites uaferrimus uir describitur φοξὸς ἔην κεφαλήν. idest, acutum habens caput. Habetur & huius Aphorismi integra ratio quinto libro De sanitate tuenda apud Galenum.

GALENVS

ALIVS aliį labor cõsuetus est, huic cursus, uel alius aliquis motus per crura factus, huic uero manus certa mouere lege, siue quouis alio modo operari manibus, aliįs fodere terram, uel remigare, uel arare, uel simpliciter quoduis aliud agere. Differunt autem omnes isti labores, quia uel plures, uel pauciores partes operãtur, & quia uel magis, uel minus laboratur, hoc tamen omnibus commune existit quod partes exercitatę fiunt robustiores, atq; idcirco labores consuetos facilius ferunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galen. docet, ut homines uariį sunt, ita uarios labores sibi cõsuetos habẽt.

SECVNDO labores ipsos enumerat, ne quis hic idem per labores intelligat, quod superius in pręcedẽti aphorismo, intelligebat, cum idem sit uocabulum. nam ibi πονεῖν, idest, laborare dicebat, hic πόνος, idest, labores dicit. sunt autẽ hi labores: cursus, motus per crura factus, quomodocunq; fiat: uel ut hi qui torno laborant, uel fictilia effingunt, motus manuum, uel certa lege ut dimicantes faciunt, & micantes, uel fodiendo terram uel remigando, uel arando, uel (ut in summam complectamur) quodcunq; aliud facientes, quo manus, uel pedes uel quæcunque aliæ corporis partes exerceantur.

TERTIO differentiam ponit inter labores, quia in aliquibus una sola pars agit in aliquibus duæ, in aliquibus plures, in aliquibus totum corpus.

QVARTO docet, omnes hos labores in hoc conuenire, q; exercitatę partes, siue una siue plu

siue plures sint, robustiores fiunt, & ideo facilius ferunt consuetos labores.

APHORISMVS L

QVæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.

BRASAVOLVS

DVO AB Hippocrate in hoc aphorismo edocentur. unum est, ea, quæ longo tempore consueta sunt, licet his deteriora sint, quæ inconsueta sunt, tamen minus molestare solent, quàm inconsueta: ratioq; in promptu est, quoniam illa, quę ex longo tempore consueta sunt, in naturam ferè transiuere. nam usus est altera natura. ea uero quę in naturam transiuere, minus molestare solent, quàm illa quę non sunt connaturalia, uel non sunt per assuetudinem in naturam transacta.

Aliud quod ab Hippocrate refertur, est consilium quod nobis præbet. est uero hoc, nos debere ad insueta transmutari: & recte hoc consulit, quoniam semper non possumus in eodem statu permanere, sed multa etiam homini ex insperato cõtingunt, & ideo ad omnia subeunda aptus esse debet, ut si contingat id permutari in quo consuetus est, alia etiam habeat, in quorum consuetudinem deuenerit. ideo nos uno solo cibo uti non debemus. nec eodẽ modo semper ambulare, uel semper solem euitare, uel uentũ, uel alia similia: sed omnibus assuescere debemus, uel saltem nos ita gerere, ut non simus penitus inassueti, sit id quodcunq;, ad quod forte fortuna homo transmutari potest. Non ab re igitur consuluit Celsus libro primo, sanum hominem suæ spontis esse oportet, idest, agere quæcunq; illi agenda occurrũt. Philotheus his uerbis huius aphorismi expositionem aggreditur. ὅτι ὁ λόγος καθολικώτερος τοῦ πρὸ αὐτοῦ. ἐκεῖ γὰρ περὶ γυμνασίων μόνον ἔλεγεν. ἐνταῦθα δὲ καὶ περὶ ἐνδείας καὶ πληρώσεως, καὶ θάλψεως καὶ ψύξεως. λέγει οὖν ὅτι τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου ξυνήθεα, κἂν ᾖ χείρονα τῶν ἀξυνήθων, ἧττον ἐνοχλεῖν εἴωθεν. ἧττον γὰρ ἕκαστον βλάπτει, ξυνηθὲν γενόμενον, τοῦ τῇ φύσει μὲν ἀβλαβεστέρου, μὴ δέπω δὲ εἰς ἔθος ἀφιγμένου. οἷον ὁ ἐθισμένος μάννα ἐσθίειν, ὑπὸ χρηστῆς μεταβολῆς τροφῆς ἀδικεῖται, διὰ τὸ ἄηθες. καὶ ὁ ἐθισμένος ὑδροποτεῖν, ἐὰν εἰς ἀκρατοποσίαν μεταβάλλῃ βλάπτεται, ἐπειδὴ τὸ ἔθος παρακείνεται. οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος. ὅμως δὲ δεῖ καὶ ἐπὶ τὰ ἀξυνήθεα μεταβάλλειν, ἵν᾽ εἰ παρὰ τύχης ποτὲ βιαζομένης δυνώμεθα φέρειν τὰ ἐξ ἀνάγκης προσιόντα. τὸν γὰρ χρώμενον πολλῇ τροφῇ, δεῖ καὶ ὀλιγοσιτεῖν ἵνα ἐν περιστάσει φέρῃ καὶ ἐκείνου τὴν χρῆσιν. idest, Hic aphorismus præcedente uniuersalior est. Illic enim de solis exercitationibus agebat, hic uero de indigẽtia, & plenitudine, & calore & frigore. dicit igitur, quod quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sint nõ assuetis, minus perturbare solent. unũquodq; enim ipsorum consuetum effectum, minus lædit eo quod natura quidem magis innocuum, sed in consuetudinem nondum uenerit. ut consuetus comedere manna, in boni mutatione cibi iniuria afficitur, propter desuetudinem. & consuetus bibere aquam, si in meri potionem mutauerit, læditur, quoniam à consuetudine aberrat. sic & in his quæ particularia sunt. Similiter autem oportet & ad insueta permutare, ut siquando fortuna coegerit, ea ferre possimus. eum enim qui usus est multo nutrimento, oportet & parum comedere, ut causa adueniente ferat & illius usum.

Τὰ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα. idest, Quæ ex longo tempore consueta sunt.] Imò consuetudo dici nõ potest, nisi per longum tẽpus habitus quidam cõtractus sit, quo is qui assuetus est, id ad quod is est assuetus, facilius ferat. hoc autem fieri non potest, nisi per longum tempus assuetus sit, quoniam si breui tempore assuetus sit, necessarium non erit ab hoc minus infestari, quàm ab aliquo inassueto, sed connaturali, uel suæ naturæ magis conformi. Imò Galenus quinto De sanitate tuenda libro iubet senes uti debere consueto opere, quamuis modice noxium sit. contrarium indicit iuuenibus, ut ea mutent quæ nocent, etiam si à pueris his maximè insueuerint. quia eorum uires possunt moderate factam mutationem sustinere, sperariq; potest in reliquo uitæ tempore fructum aliquem eos ex meliore consuetudine percepturos. Senex uero non posset nisi per lon-

gum tẽpus consuetudinẽ suam mutare, ideo prius morte preueniretur, q̃ consuetudinẽ suam mutasset: & inquit, hoc esse ita uanum, sicuti si quis octogenarius artẽ aliquã addiscere aggrediatur. Post hęc Galenus medicos illos cæteris prefert, qui omnem consuetudinem seruandã censent, quoniã minus errant. refert enĩ tres medicorũ sectas. nõnulli omnibus hominibus exercitationẽ iniungebant, alij omnibus negabant, qui dicebant nihil ad sanitatem conducere exercitationem: Quidam uero sunt, qui uolunt assuetos exercitari solum, inassuetos non exercitari. primas duas sectas statim errare iudicat, hanc uero tertiam parum errare, quoniam qui cuilibet rei inassuescunt, magna ex parte naturæ suæ conuenientem consuetudinem deligunt, propterea quod ab ijs quæ non conueniant subinde læsi, ipsa repudiant. Aliqui aũt uel dulcedine uicti, uel præ nimia demẽtia se lædi non sentientes, in malis consuetudinibus persistunt, uerum hi pauci, plures qui non persistunt: unde corporis exercitatio post cibum statim fieri non debet, etiam si quis sit assuetus, sed immutari debet, licet eum minus lædat qui sit assuetus, quàm illum qui assuetus non sit. hæc Galenus eodem loco edocere studet. De senibus uero ante hæc, sed tamen in eodem libro dixerat; senes igitur omnes consuetis laboribus sunt exercitandi, sed tamen uehementia eorum remissa. Quod etiam consuetudo ad nostram artem multũ faciat, Galenus nono libro De arte curandi ostendit, ubi iudicat ex consuetudine nos deuenire in cognitionem præcipuam temperamenti, & ex consuetudine nos inuenire remedia: datq; eius uiri exemplum qui semper biberit frigidam, tamen nunquã persenserit læsionem in uentriculo, uel iocinore, uel uesica. Cognoscimus hunc habere robustam harum partium naturam, uultq; ipsam consuetudinem habere maximam potentiam ad hæc cognoscenda, idest, ad noscendã cuiusq; corporis naturã. & si tibi uideatur, ea quæ adducta sunt de senibus in quibus nõ debet immutari cõsuetudo, facere ad hunc aphorismum, dicemus, senes excipiendos esse, utpote qui prius moriantur, quàm à consuetudine desuescant. & illa in corporis exercitationibus dicuntur.

Κἂν ᾖ χείρω τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ὀχλεῖν εἴωθε. idest, Et si deteriora sint insuetis, minus lædere solent.] Tamẽ ex hoc nõ debemus semper assuetis uti, quãuis minus infestẽt: sed his etiã uti debemus, quę magis infestant, ut ipsis afficiamur & assuescamus, quę in iunioribus semper intelligenda sunt, nempe uanum est senes ad insueta permutari, quoniã prius occumbunt, quàm in alicuius rei assuetudinem deuenerint.

Δεῖ οὖν καὶ ἐς τὰ ἀσυνήθη μεταβάλλειν. Oportet aũt & ad insueta permutari.] Hoc non ponitur ab Hippocrate tanquam conclusio quæ ex præcedenti propositione sequatur, aliter esset mala consequentia. nam sequi non potest, quæ ex longo tempore consueta minus infestare solent, quàm quæ non consueta, igitur permutandum ad inconsueta: Sed potius sequi deberet, igitur non transmutandum ad inconsueta, ne infestemur, quoniam molestius semper effugere debemus. Tamen si cui placuerit ita deducere, opus est hoc modo inferre, assueta non infesta, igitur ad omnia assuescendum, igitur permutandum ad insueta, ut assueta fiant. Tamen dicamus, hoc esse consilium, quod ab Hippocrate hic datur, cum multa homini contingant, ob quę eundem morem semper obseruare non potest ad quem est assuetus, propterea permutari debet, & omnia ferè quæ illi contingere possunt, in consuetudinem recipere: hocq; intelligendum est in iunioribus, quoniam ut de senioribus superius dictum est, non debent à sibi assuetis dimoueri. Sicuti ille deridendus est, qui octogenarius artem aliquam discere incipiat. nam antequam illam percalleat, morietur. eodem modo antequam senex alicui assuescat, ad cuius assuetudinem longo tempore indigeat, morietur. De his autem assuetudinibus particularem librum Galenus fecit, quem (si lubet) uidere ne pigeat, & Hippocrates in secundo De ratione uictus in morbis acutis, ubi de consuetudinis mutatione agit, ostendit repente à consuetudine dimoueri esse pessimũ & periculosum: propterea illos medicos reprehendit, qui per duos aut tres dies, aut plures fame cruciant ægros: deinde sorbitiones & potiones exhibẽt. hanc ob rem paulatim à consuetudine mutatio fieri debet, aliter incommoda illa sequentur, quæ ipse describit. propterea hic non immerito consulit hominem esse dimouendũ ad inconsueta, sed hoc paulatim fieri oportet, ut sit omnibus assuetus: quia nescimus quid contingere possit. hoc idem Celsus dicit libro primo, capite tertio, in quo loco præcedens aphorismus, & iste continentur. Hoc autem inassuetudo intelligi

telligi poteſt (ut in commentatione dicemus) tam de cibi quantitate, quàm de qualitate: tam de aere, quàm de corporis exercitijs, & omnibus quæ homini contingere poſſunt. ideo ſi paulatim his aſſueſcat, nõ oberit, uel erit inſenſibilis læſio. ſecus eſſet, ſi permutatio ſubito fieret: tunc enim incommoda ſequerentur, quæ ipſe adducit in ſecundo De ratione uictus in morbis acutis.

GALENVS

NON DE ſolis exercitationibus, hic ſermo eſt, ſicuti prior, uerum de omnibus ſimpliciter conſuetis hic aphoriſmus enunciat, cibis, potibus, balneis, illotionibus, uigilijs, ſomno, calefactione, frigefactione, curis. Horum & enim ſingula minus nocent, cum fuerint conſueta, his quæ natura quidem minus noxia ſunt, ſed nunquam in conſuetudinẽ peruenerũt. quod igitur ita ſe habeat in exercitationibus, ad partiũ quæ operãtur robur, refertur, ut antea diximus. In reliquis uero quomodo fiat, iam dicemus. Cibi, ac potus naturam aduentitiã efficiunt. maximè quidem in uentriculo, cum hoc uero & in alijs partibus. Nam & ſi maximè obtineantur, & transmutantur à corpore, ipſum tamen quodammodo pro ſui natura diſponunt ita quod proceſſu temporis multa fit permutatio, ac ſimilitudo nutritorum ad nutrientia. Hoc enim oſtenſum eſt à nobis, in libro de conſuetudinibus, oſtenſum eſt etiam quòd unumquodq; facilius à ſimilibus alteratur. Ob hanc igitur cauſam quanto ſimilius factũ fuit id quod transmutat ei quod transmutatur, citius alterat ipſum. Et quidem ab alijs omnibus quibus corpus adhæret quodammodo afficitur, ueluti in aere frigido, ac calido, denſatum quidem à frigido, laxatum uero à calido, atq; ideo conſueta facilius perfert, ab inſuetis uero moleſtatur. Si enim laxato corpori ob caloris adhæſum repente frigus ſuperuenerit, & in imas eius ſtatim partes ſubintrat, & maximè offendit. Cauſa itaq; de omnibus conſuetis dicta eſt in libro de conſuetudinibus. Quod uero experientia notum eſt, id iam noſcimus quod ſolum ab Hippocrate ſcriptum eſt, qui cauſam adſcribendam non cenſuit. Nos uero ad eiuſdem inuentionem aliquas dabimus occaſiones. Hæc igitur dicta ſufficiunt quantum ad primam aphoriſmi attinet partem. Quod uero in fine ſcribitur, in quo conſulit transmutari quodammodo ad nõ conſueta, ſalubris gratia ſecuritatis dictũ eſt. Eſt enim unica tãtum conſuetudo periculoſa, cum omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubijciantur: ne igitur incidamus aliquando repente in nobis inſueta, ſatius eſſe inquit omnia tentare. Fit autem hoc non inhærentibus nobis ſemper his quibus aſſueuimus, ſed & non nunquam contraria tentantibus.

BRASAVOLVS

PRÆCEDENS aphoriſmus de motibus, & exercitationibus loqui uidebatur. propterea Galenus primo docet, hunc aphoriſmũ non ſolum de exercitationibus, ſed & de omnibus alijs, ad quæ nos aſueſcere poſſumus, agere, ut ſunt cibi, potus, balnea, illotiones, uigiliæ, ſomni, calefactiones, refrigerationes, curæ: hęc omnia minus nocent conſueta, quàm illa quæ naturaliter minus nocent, ſed nobis ſunt inſueta.

SECVNDO docet, quomodo exercitatio conſueta minus noceat, quia partes, quæ exercentur, robuſtiores fiunt.

TERTIO hoc idem in cibis & potibus oſtendit. nã qui aliquibus cibis aut potibus acquieſcunt, naturam quandam aduenticiam in uentriculo contrahunt, & poſtea in alijs partibus qua ab his conſuetis minus læditur. unde temporis proceſſu fit multa ſimilitudo nutritorum ad nutrientia. ut in libro De conſuetudinibus edocuit: Additq;, unumquodq; alterari facilius à ſuis ſimilibus.

Quod uero hic legitur, facilius à ſimilibus alteratur, legendum ſuademus, citius. nam græcus Galeni codex habet θᾶττον, quæ particula citius ſignificat. eſt autem uerum, unumquodq; citius à ſimilibus alterari, licet & facilius etiã id fiat: ſed gręca litera habet citius. & ſtatim Galen. ipſe dicit citius. nam ſequitur, & ob hanc cauſam, quanto ſimilius factum fuit id quod transmutat, ei quod transmutatur, citius alterat ipſum. utitur aũt hic eadẽ particula, ſcilicet θᾶττον, inquiẽs ἀλλοιοῖ θᾶττον αὐτό. ideſt, citius alterat ipſum. cũ uero Leonicenus uertebat facilius, erat eadẽ particula θᾶττον, quod abſurdũ uidetur. nam non eſt mutandum uni dictioni ſignificatum in eadem parte, licet & re ipſa aliud ſignificatum uerũ ſit, imò in eadem parte cũ Leonicenus uertit, quanto ſimilius factum fuit, le

gendũ est quãdo, & nõ quãto, tũ quia ad quãto, debet respondere tãto: tũ quia græcus codex ita dicit, διὰ τοῦτ᾽ ἂν ὅταν ὁμοιότροπον γένηται. i. propter hoc igitũ quãdo similius factũ fuit.

QVINTO Galenus docet, in aliis esse iudiciũ, cõsuetudines scilicet minus infestare, ut in aere frigido uersans, si eo sit assuetus, minus à frigore afficitur, sed magis à calido, & è contrario. nam frigus condensat, laxat calor. propterea perseuerat in eodẽ esse ab assueto: à non assueto transit in contrarium, quod magis aptum est infestare.

Quod legitur, & quidẽ ab aliis omnibus quibus corpus adhæret, quodammodo afficitur, aliud maius à Galeno dicitur quàm adhærere. nam sua lingua dicit ὁμιλεῖ, quod significat cõuersari: ac si dicat, sine quibus corpus nõ est, unde sensus esse uidetur, afficitur quodãmodo ab his quę cũ corpore cõuersanẽ, uel quæ cũ eo sunt. tamẽ Leonicenũ nõ reprehendo, qui adhærere uerterit, sed admonere uolui ὁμιλεῖ esse aliquid maius, quàm adhærere. Idem dico de ὁμιλία, cũ uertit ob caloris adhęsum, plus enim est ὁμιλία, idest, cõuersatio, quàm adhæsus. Nec ab re esset, si ubi legitur laxatũ, rarefactũ legeremus, & præsertim, quia in gręco codice legitur ἀραιούμενον, qđ etiã rarefactũ significat. nã ἀραιῶ rarefacio est, atque laxo. Nos igitur potius legẽdũ putamus, rarefactũ uero à calido. cũ postea sequiẽ, si enim laxato corpori, iterũ legeremus, si enim rarefacto corpori ob caloris adhæsum repẽte frigus superuenerit. deinde præterirẽ cõiunctionẽ, &, ut sequaẽ, in imas eius statim partes subintrat, et maximè offendit, uel ualde offendit. nã gręce est ὡς βλάπτει μεγάλως. Qđ etiã sequiẽ, aliquas dabimus occasiões, lege dedimus. quoniã sua lingua est δεδώκαμεν.

QVINTO Galenus docet, secundam aphorismi partẽ positã esse tanquã consilium quod debeamus transmutari ad insueta, idque fit gratia securitatis, quoniã unã consuetudinem semper sequi, periculosum est. nam possunt nobis inopinatę sortes cõtingere, propterea omnia tentanda sunt, ut nihil habeamus inassuetũ, quod si quandoque sponte recipere uelimus, uel coacti, obsit. & hoc in iunioribus intelligere oportet. nam ut in quinto De sanitate tuenda ostendit ipse Galenus, qui senio cõfectus est, cũ exercitiis, tum omnibus aliis, sua consuetudine uti debet. quia ipsi tempus non habent, ut diuersæ cuidam rei assuescere possint. prius enim morte præuenientur, quàm assueti sint.

Vbi legitur, est enim unica tantum consuetudo periculosa, grece est σφαλερὸν γὰρ ὅλως πᾶν ἔθος μονοειδές. idest, periculosa enim est omnis consuetudo unius formæ. In Leoniceni interpretatione deest illa particula omnis, quę determinat consuetudinẽ, & ideo uocabulum μονοειδές, nescio quid aliud significat, quàm hæc particula, unica tantum. Sed quia omnis consuetudo circa aliquid est, quod se habet per modum accidentis & formę, propterea dicens μονοειδές illius formę unitatẽ annotauit. hanc ob rem interpretaremur, omnis consuetudo uniformis: Quamuis & id quod à Leoniceno dicitur, uerum sit, tamen Galeni sensum ita non exprimit.

Vbi etiã legitur, Ne igitur incidentes aliquãdo repente nobis insueta, desunt duo uerba quę in cõtextu gręco sunt, scilicet μεγάλως βλαβῶμεν, idest, plurimũ offendamur, multum lædamur. ut continuatio in hunc modũ fiat, Ne igitur incidentes aliquando repente in nobis insueta, multũ lædamur, satius esse inquit omnia tentare. Vides igitur ad perfectam sententiam duo illa uerba necessaria esse, aliter sensus est imperfectus. Iudicamus nos librarii incuria, & non Leoniceni esse prætermissa.

APHORISMVS LI

PLurimum, atque repente euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum. Quoniam omne nimis est naturæ inimicum. sed quod paulatim fit, tutum est, tum alias, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.

BRASAVOLVS

DVÆ sunt apud Philosophos adeo notæ propositiones, ut in ipsis nullus ambigere possit, in quibus tota huius aphorismi ratio sita est. Prima illarum est, omne nimis naturę inimicum esse: quam non solum philosophi tanquam ueram recepere, sed & ab antiquis in prouer-

in prouerbium cessit, Ne quid nimis, & uno aphorismo ab Hippocrate annotatũ est. Secunda propositio est, Naturã mutationes repentinas non ferre, quã non solum tãquam uerissimã & principiũ recipiunt, sed nostri sensus id frequẽtissime experiũtur: ut si quis niuẽ aut glaciem tractet, postea ad ignẽ proficiscatur, in digitis uehementes dolores percipit, quia natura subitam illam mutationẽ de extremo in extremum absq; medio nõ patitur. Quippe in omni mutatione naturale est, de extremo in extremũ per media transire, quia hic est naturæ incessus, extrema semp ex medijs introducere. In his igitur duabus propositionibus ueluti principijs tota huius aphorismi ratio sita est, quo ab Hippocrate dicitur plurimum atq; repente euacuare, plurimũ atq; repente replere, plurimum atq; repente frigefacere, uel calefacere: et in summa, plurimũ atq; repẽte mouere corpus quocunq; motionis genere periculosum est. Redditq; rationẽ Hippocrates, primo ob plurimũ, quia omne nimis est naturæ inimicũ: deinde quo ad illam particulam repente, quoniam illa quæ paulatim fiunt, & non repẽte, tuta sunt. Vt igitur & tute & absq; ullo periculo agamus, nihil repente, atque plurimum mouere oportet, sed parum & paulatim fieri debet, & hoc potissimum, quando de uno in aliud transitus fit. Nã semper transitus fit inter extrema. motus uero ad extrema sine medio nunq; fieri debet, & paulatim agẽdus est, formam præsentẽ remittentes, & futurã introducẽtes, in his præsertim quæ accidentia sunt. Philotheus his hunc aphorismũ cõmentatur, ἐπειδὴ ἐν τῷ ἀνωτέρῳ ἀφορισμῷ ἔλεγεν, ὅτι δεῖ καὶ εἰς τὰ ἀσυνήθεια μεταβάλλειν, ἵνα μή τις ἀθρόαν τὴν μεταβολὴν νοήσῃ, ἐπιφέρει λέγων. ὅτι τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, σφαλερόν. καὶ ἡ λύσις πρὸς αὐτό. πᾶν γὰρ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. ἡ γὰρ φύσις συμμετρία ἐστὶν, καὶ χαίρει. καὶ ἐπὶ ἄμετρον δὲ ἐλθεῖν αὐτὴν, ἀσφαλέστερον τὸ κατὰ μικρὸν ἐκβῆναι, ἢ τὸ κατὰ πολύ. οὐδὲν γὰρ θαυμαστὸν κατ᾽ ὀλίγον, καὶ ἐν πλείονι χρόνῳ, χρήσασθαι ἢ τοῖς θερμαίνουσιν, ἢ τοῖς ψύχουσιν, ἢ τῇ πληρώσει, ἢ τῇ κενώσει, καὶ μὴ ἀδικῆσαι τὸν ἄνθρωπον. τὸ δὲ ἄλλως, τὸ ἐξ ἑτέρου μεταβαίνειν εἰς ἕτερον, τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι καὶ μάλιστα ἀπὸ τῶν ἐναντίων εἰς ἐναντία γενόμενα μεταφέρειν. εἰ γὰρ ἐπὶ τῶν συγγενῶν ὄντων ἀθρόως βλάπτει, πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῶν ἐναντίων βλάψει. idest, Quoniam in superiore aphorismo dicebat oportere ad insueta transmutari, ne quis subitam et accumulatã mutationem intellexerit, infert dicens, Copiose & repẽte euacuare, uel replere periculosum. & solutio ad hoc: omne enim multum naturæ inimicũ, nempe natura cõmoderantia, concinnitas est, & gaudet scilicet cõmoderantia: & ipsam ad immoderatum transire, tutius est paulatim, quàm transire multo impetu & redundanter. nihil enim admirabile est secundum paulatim, & in pluri tẽpore uti uel calidis uel frigidis, uel plenitudine, uel euacuatione, & non affici iniuria hominem, Alioqui uero hoc, scilicet ex altero transire in alterum, tale est (inimicũ scilicet naturæ) & maxime à contrarijs in contraria facta transferre. Si enim in his quæ sunt cognata, scilicet quod subito & uniuersim fit, lædit: multo magis in contrarijs lędet.

Galenus in libello De renum passionibus prope finẽ illius partis, ubi, quomodo calculum euitemus, docet, statuit modum transeundi ex assis ad elixa, & hoc particulatim & sensim agendum docet, refertq; eo loco, hunc Hippocratis aphorismum, τὸ κατὰ πολὺ, καὶ ἐξαπίνης κενοῦν. idest, Multũ atq; repente euacuare. euacuatio illa multa appellat, quæ uires imbecillas reddit. At multa esse potest, & non erit periculosa, si paulatim fiat, & solũ praua materia euacuetur, & ideo in euacuatione multũ euacuare, nõ semper malum, sed bene semper malũ, multum & repẽte. Quod in naturali incessu intelligere oportet. nam cum materia turget, opus est repente, & quandoq; multum euacuare, & non expectare incommoda, quæ consequi possent. propterea & si unumquodq; per se malum sit, & quod multum, & quod repente: tamen in euacuatione simul iungi oportet, ob prædictos casus: in alijs uero unumquodq; etiam singulatim intelligi posset, tamen & in euacuatione per se dici posset, multum euacuare periculosum esse, præsertim Hippocratis sententiam exprimentes, qui ualde multum intelligit. nam dicit κατὰ πολὺ secundũ multum, idest, copiose & redundanter. opponit enim κατὰ πολὺ, & κατὰ ὀλίγον. hęc particula πολὺ multũ significat, cui additur κατὰ, ad eius significatũ augendũ, accipiturq; uerbũ euacuare, ac si nomẽ sit τὸ κενοῦν, quasi dicat, hoc qd' est euacuare multũ et repẽte. ἢ πληροῦν. idest, uel replere, & hoc quod est replere multũ periculosum est. nã suffocare posset, uel uasa aliqua disrumpere, & præsertim si repente fiat, quia natura non pati-

tur repentinas mutationes, unde & Galenus in primo libro De ratione uictus in morbis acutis, dicit, Hippocratem semper cauere multum ac repente implere uel euacuare.

ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, idest, uel calefacere, uel refrigerare.] hęc si fiãt plurimũ & repente periculosum est, immo letale. Quia si quis multũ calefaciat, etiã si repẽte non fiat, hic humores exurit, uehementesq́; febres facit, & ægritudines sæuas. Si quis uero multum infrigidet, is etiam calorem naturalem mortificat, quãuis repente non fiat. Si modo hęc repente fiant, tanto magis periculum imminet. est autem periculosius calefacere, quàm infrigidare plurimum, licet infrigidatio in intenso gradu & ipsa letalis sit.

ἢ ἄλλως ὁπωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν, idest, uel aliter quomodocũq; corpus mouere, periculosum.] nam duo sunt, quæ potissimum à medico considerantur, Quãtitas, & Qualitas, ut Galenus octuagesimoquinto capite artis medicinalis ostendit. tamen unũ aliud determinat. eo loco de rebus non naturalibus agit, de quibus & hoc loco intẽdit: quia euacuatio, repletio, motus, quies in quacunq; specie sint, aer ambiens, qui uel calidus, uel frigidus, uel humidus, uel siccus sit (& hic per aerẽ intellige quodcunq; has qualitates habẽs) somnus, uigilia, passiones animi, cibus, potus, hęc omnia si moderate fiãt, & quãdo opus sit, hominẽ in naturali esse cõseruant. Si uero plurimũ & repẽte fiãt, periculosum est, quia nostrũ corpus in quadã mediocritate, & cõmoderatione cõsistit: propterea omne nimis hanc cõmoderationẽ corrumpit, & ita periculosum est, pręsertim cũ repente fit. unde & si de caliditate solum & frigiditate loquatur Hippocrates, tu etiã passiuas qualitates subintellige, & quodcunq; alterationis genus, quod nostro corpori superuenire possit, aut aliud, quod ad res prædictas non naturales spectet.

καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. idest, & omne nimis naturæ inimicũ.] Codex Aldinus, & prima lectio nostri antiqui codicis ita legit καὶ, sed in secunda lectione habetur διότι πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. idest, propter quod, uel quoniam omne nimis naturæ inimicum. quam lectionem magis probo, eam ob rem, quia ratio redditur cur periculosum sit plurimum & repente illa facere. sed hæc particula καὶ, non ostendit rationẽ reddi, hæc uero διότι, id ostendit.

τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές. idest, Quod autẽ paulatim tutum.] Primo rationẽ reddidit, cur periculosum sit, quod plurimum est, quia naturæ inimicum est. Nunc quod repente periculosum sit, ostẽdit, & hoc ex eius opposito facit. nam eadem est oppositorum ratio, sed per oppositum facta. est uero oppositum ad repente paulatim. Arguit autẽ ex ratione contraria, quæ illi Maximę innitur, sicuti propositum in proposito, ita oppositum in opposito. At paulatim est oppositum ad repente. Quod autem paulatim fit, tutũ est: Igitur, quod repente fit, erit non tutum, & periculosum.

καὶ ἄλλως ἤν τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνει. Aldinus codex ita habet, Leonicenus interpretatur, tum alias, tum cum ab altero ad alterũ transitus fit. Nos hoc modo interpretandum ducimus, & maxime si ex altero in alterũ transitus fiat. Nã ἄλλως significat quidẽ aliter, sed etiã significat maxime, & in hoc sensu Galenus exponit, quia in præcedentis aphorismi fine dixit, oportere ad insueta permutare, propterea hic dicit esse tutũ, paulatim implere, euacuare, & quomodocunq; corpus mouere: sed hoc potissimum tutum est, quando transitus ab altero, cui assueuimus, ad id quod non assueuimus, fit. Et licet Galenus exponere uideatur, tamen sensum predictum facit. Antiquus autẽ codex, quem habemus, legit non μεταβαίνει, sed μεταβαίνῃ. idest, trãsieris, ut sensus fiat. Et maxime cũ ex altero assueto, in alterum non assuetũ transieris, uel trãsitus fiat, ut ab Hippocrate doceatur quęlibet transitum paulatim fieri debere, sed præsertim cũ, quando de assuetis ad insueta transimus, quoniam re uera si repente mutemur, periculosum est. tamẽ nihil impedit & Leoniceni lectionem sequi, sensumq́; facit, paulatim euacuare, implere &c. tutum est, tum aliter, tum cum ab altero ad alterum transitus fit: hoc Galeni more intelligentes, quod de assueto in non assuetum transitus sit.

Galenus hunc aphorismũ in Exhortatione ad bonas artes, ubi athletas reprehendit, & eos qui nimis comedũt, & qui ea quæ nimis sunt, agũt, adducit. Inquit uero, Proinde priscus ille Hippocrates pręter hæc quæ dicta sunt, addit & illa: uehemẽter ac repente corpus euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, uel alio quocunque modo mouere, periculosum est. quicquid enim, inquit, est uehemens, est naturæ inimicum.

Galenus

GALENVS

CAVSAM ob quã plurimũ, aut repente, euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum sit, ipse ostendit, inquiens, Omne nimiũ esse naturę inimicũ. Est enim natura in elementorũ cõsistens cõmoderatione, quare nõ absq; ratione nimiũ omne, ut quod destruat cõmoderationem, una substãtiã animalis dissoluit. quod uero paulatim, ut inquit, implere scilicet, uel euacuare, et quęcunq; alia subinde dixit, tutũ est, tũ aliter factũ, sed maxime cũ ab altero cui assueuimus transimus ad alterũ. nam in antecedente aphorismo consuluit, & ad insueta permutari. In hisce igitur permutationibus, quod plurimum existit, atq; repente, periculosum est satis: quod uero paulatim fit, tutum.

BRASAVOLVS

HVIVS cõmentationis initiũ Leonicenus hoc modo interpretatus est, ut repẽte à plurimũ disiungat, sed codex Gręcus copulatiue legit, plurimũ et repẽte, dicit enim διὰ τί τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης. idest, propter quid plurimũ, uel uehementer, & repente &c. Et ubicunq; Galenus utitur uerbo πολύ, Leonicenus interpretatur nimis, & melius q̃ illi qui interpretati sunt multum: quoniam multum est ad aliquid, nimis uero superabũdantiam semper notat, quod Hippocrates in aphorismo intendit: unde ipse dicebat, τὸ πολύ, quod uehementiam in his quæ sequuntur importat.

PRIMO igitur rationem assignat Galenus, cur omne nimis sit naturæ inimicum: quia, inquit, natura quæ in elementis consistit, in cõmoderatione quadam sita est: omne uero quod nimis est, commoderationem euertit, ideo naturæ repugnat. etenim illam euertit, quæ in elementorum commoderatione sita est.

Quod legitur, est enim natura in elementorũ consistens cõmoderatione, Græcæ habetur ἔστι γὰρ ἡ φύσις ἐν συμμετρίᾳ τῶν στοιχείων ἔχουσα τὴν οὐσίαν. idest, (Si ad uerbum reddamus) est enim natura in commoderatione elementorum habens substantiam, uel Natura enim in elementorum cõmoderatione substantiã habet. immo secundum Galenũ, ex elementorum cõmoderatione rei natura resultat. Vides igitur Leonicenũ, uel potius librarium dictionem illam Substãtia omisisse, quę aliquid lucis affert intellectioni, quia natura habet suã substantiã, suam essentiam, quæ οὐσία est in elementorũ cõmoderatiõe.

SECVNDO rationem ponit cur dictum sit repente, quia paulatim agere, est tutum, tum aliter, tum propter motus qui sunt de assuetis ad non assueta.

Quod legitur plurimum, in aliquibus codicibus habetur τὸ μὲν κατὰ πολύ, quod interpretandum est, ut Leonicenus facit, plurimum, uel uehementer. Alijs codicibus habetur τὸ μὲν ὡς πολύ, idest, quàm plurimum, tamen eadem sententia est.

APHORISMVS LII

OMnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo quod à principio uisum est.

BRASAVOLVS

MEDICVS nũq; in opus exire debet, nisi fuerit optime exercitatus: erit aũt optime exercitatus, cũ ægritudines perfecte cognouerit, & illa exhibere noscat, quæ cõueniũt. Si ergo sit talis exercitatus medicus, qui secundũ operationẽ agit, et illa ægro exhibuit q̃ cõueniebãt, tamẽ ita cito nõ succedit, ut remediorũ applicatorũ ratio dictabat, sed eadẽ intẽtio pseuerat: tũc medicus nihil immutare debet, cũ illa intẽtio pseuerat, q̃ ab initio, ad ita agendũ illũ inuitabat. nã et si finẽ suũ cõsecutus nõ sit, deniq; cõsequetur. propterea tu à tuo iã cœpto p̃sidio abstinere nõ debes, nec ab eo abstineas, etiã si ita cito sanus nõ fiat. Philotheus hoc modo aphorismũ aggreditur, ὃ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν. ὅτι τῷ κατὰ λόγον ὀρθὸν εὑρηκότι πάντα, κἀντεῦθεν μὴ ποιοῦντι τὸ συμφέρον, οὐ δεῖ ἀφίστασθαι τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς, κἂν μηδὲν φαίνεται σαφὲς ἐν τῇ χρήσει γεγενημένον. καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῆς ἐνδελεχοῦς ῥανίδος τῇ πέτρᾳ, αἰσθητὸν γίνεται τῷ χρόνῳ τὸ τοῦ λίθου πάθος, οὕτω συμβαίνει καὶ ἐπὶ τῶν δυσαπέπτων διαθέσεων. i. qđ dicit tale est, q omnia scđm rectã rationẽ adinuenerit, et hinc nõ cõsequat̃ qđ cõferat, desistere nõ oportet ab eo qđ à principio uisum est, et si nihil appet manifestũ in operatione

operatione factum. Sicuti enim quum gutta agit in lapidem, lapidis passio tempore sensibilis fit, sic & in dispositionibus concoctu difficilibus contingit.

πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, idest, Omnia secundum rationem facienti,] De medico uerba facit, qui ægrum curet, & agat secundum rationem, idest, ea agat, quæ ægritudini secundum eius speciem conueniunt, & secundum ægri uires, & secundum cõsuetudines, secundum anni tempora, secundum ætates, secundum exercitia, & secundum reliqua similia, is qui secundum has conditiones agit, secundum rationem agit. At in secundo libro De symptomatum causis, admonemur, quod si medicamentum, uel potio aliqua agere debeat, ipsius medicamenti agentis uim exigi, & materię dispositionem, in quam actio exercetur, & conueniens tempus, ut actio consequatur. nam actiones in instanti non fiunt. Ille igitur medicus secundum rationem agit, qui medicamenti uim considerat, uel syrupi, & materiæ dispositionem, & tempus agẽdi statutum, in quo sequi debeat huiusmodi actio. Duo à medico exquisite sciri possunt, unum est uis medicamẽti, aliud est materiæ dispositio. Tertium uero anceps est, scilicet statutum tempus actionis medicamenti, uel syrupi in materiam. in hoc enim decipi potest, quia ignorat materiæ resistentiam ad medicamentum, quæ resistentia necessario non cognoscitur, ex notione dispositionis materiæ.

μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, idest, Si non fiant uel succedant secundum rationem] quoniam medicus cogitauerit in tribus diebus coctam fore materiam, tamen non succedat secundum rationem temporis à se statuti.

μὴ μεταβαίνειν ἐφ᾽ ἕτερον, idest, non est transeundum ad aliud] nam si egeris secundũ rationem, tamen secundum rationem temporis à te statuti non successerit, à præsidio iã cœpto dimoueri non debes, sed in eo audacter perseuera. Et si dicas, tibi mirum uideri, si medicus egerit secundum rationem, secundum rationem non sequi. At desinas mirari, quoniam temporis processu secundum rationem sequetur, quamuis nondum effectũ sit. Quod uero dicit, non esse secutum secundum rationem, id ad tẽpus coniunge, quia tam breui tempore secutum non est, in quo medicus putabat sequi debere. nam & si nõ sit secutum secundum rationem primo apprehensam à medico, est tamen secutũ secundum rationem resistentiæ materię, quam medicus tantam esse non considerauit, tamen ex hoc ad aliud præsidium transire non debet, quod suæ intensioni oppositum sit. ut de Antonio Musa legitur (cuius nomen ut imitarer, patri meo placuit, sed utinã in re medica, & non in solo nomine illi cognominis essem) qui cũ Augusto mederetur, & sanari non posset, frigida in calida cõmutauit, & hoc est quod iubet non esse immutandum Hippocrates. tamen si præsidium mutares de minus intenso in magis intensum, intensione semper permanente, hoc fieri debere non negat Hippocrates: ut si infrigidare tibi mens sit, & frigidis utaris, at intentum non assequaris in eo tempore quod à te statutum est, in intensius frigidum immutare potes, quod in longis morbis plerunq; nobis cõtingit. primo syrupum acetosum simplicem exhibemus, postea ad compositum trãsimus, deinde ad oxymel compositum deuenimus, deniq; ad syrupum de Eupatorio descendimus, eadem semper intentione permanente: propterea addidit,

μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς, idest, Stante eo quod à principio uisum est.] nam cum medicus ad ægrum uocatur, prima eius intentio est ægrum sanare, quod medijs & præsidijs conueniẽtibus fieri debet. Iacit igitur suę curationis intentionẽ in illo primo quod illi occurrit, & secundũ eam intentionẽ semper agere debet. Si id quod à principio mouit te ut eam intentionẽ sequereris, perseueret, ut idem sit morbus, & eadem symptomata, & eadem uis in ægro sit, tunc medicus à suo primo opere dimoueri non debet: cum uero ægritudo mutatur, uel symptomata mutantur, id quod à principio uisum est mutatur, tunc medicus actiones immutare debet.

Tota autẽ huius aphorismi ratio propter id est, quoniã eadẽ intentione permanẽte, si ad contraria transibis, naturã ab actione diuertis, quã forte inceperat, uel saltem ad quã se accingebat, & in aliud opus cõtrariũ illã uocas: hãc ob rẽ nõ curas, sed morbũ auges.

Oribasius pro huius aphorismi expositione fingit sua quædam de podagrico, cui adhibes auxilium congruum tempore congruo, & uirtute apte disposita, & regione tali.

Galenus hũc aphorismũ refert in scd'o De cõpositiõe medicamẽtorũ scd'm locos, ubi

ea refe

ea referūt q̃ Archigenes dicit post primā orationē, inter q̃ est et Gale. dictorū distinctio.

GALENVS

NON paruæ est opus sciētiæ nō permutari ab his quę recte uisa sunt, & si nōdum manifesta appareat utilitas ex his sequi ad ea quæ ita facta sunt. Quēadmodū em̄ in gutta subiectam petrā percutiente uix longo tempore sensibilis passio in lapide manifestatur, sic accidit etiam in crudis, & quæ difficulter cōcoqui possunt dispositionibus: in quibus cum recta ratio inuenerit id quod cōducit, non discedit ab illo quod primum faciendum existimauit, etiam si nihil ex facto manifestum sit subsequutum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, eum medicū, qui non uidet aliquod utile sequi ex suis pręsidijs, tamen præsidiū non permutat, & hoc cū ratione fecerit, is est probus medicus. nā ad hoc ut hanc cognitionē habeat, quod facile non permutatur, stāte adhuc sua intētione, parua sciētia non indiget, sed magna, quia is uere probus est, qui cognoscit à longe, profutura p̄sidia, q̃uis adhuc non profecerint, quoniā nondū erat tēpus conueniens, in quo actio uideri posset, ob id quia materia rebellis erat, & ad coctionē inepta. Et hoc à Galeno egregie annotatur in fine octaui libri Methodi medendi, quod medicus debet esse ualde exercitatus, prudens, & qui sciat pro curandis ægritudinibus occasiones arripere, atque iudicationes.

Quod legitur, nō est opus paruæ sciētiæ, intelligi non debet, nō indigere parua sciētia, quoniā Galenus utitur uocabulo ἔργον, inquiens, οὐ σμικρᾶς ἐπιστήμης ἔργον ἐστί, idest, nō paruæ sciētię officiū est, idest, non est officiū, opus, idest, operatio hominis paruā sciētiā habentis. tamen & ille sensus uerus est, sed hic est ille præcise, quem facit Galenus.

Quod etiam legitur, ex his sequi, illa particula, ex his, in Græco codice abest, tamen & si adfuerit, sententiam non uariat.

SECVNDO Galenus in gutta aquæ ue stillicidio lapidē excauante exemplū ponit, hunc lōgissimo tēpore excauat, tamen id cū facit longo tēpore, passio aliqua sensibilis à lapide facta non uidetur. At solū in ipso dispositiones cōtrahuntur, quæ cū ad summum sunt, cauitas apparere incipit. Idē in aliquibus crudis materiebus cōtingit, in q̃bus agētis actio nō nisi post longū tempus apparet, sed ratio, quæ uidet nondū successisse quod intendebat, in suo opere perseuerat, quousq; in finem peruentū sit, quē fieri necesse est.

Quod legitur, Sic accidit etiam in crudis, apud Galenū non legitur, crudis, sed eius contextus talis est, οὕτω συμβαίνει κἀπὶ τῶν δυσπέπτων διαθέσεων, ἐφ' ὧν ὁ ὀρθὸς λόγος ὀρθῶν εὑρηκὼς τὸ συμφέρον, idest, Sic accidit etiā in his quæ difficulter concoqui possunt dispositionibus, in quibus is qui cum recta ratione inuenerit, id quod conducit, & reliqua.

APHORISMVS LIII

QVicunq; aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, melius commutant his qui siccas habent. Ad senectam uero deterius commutant, nam senescentibus magna ex parte exsiccant.

BRASAVOLVS

HVNC Aphorismū eundē cū uigesimo huius secūdi libri, qui incipit, Quibus iuuenibus uētres humidi sunt, & reliqua, Galenus, & cæteri interpretes iudicarūt. Imò Philotheus dicit, hic solū positā esse ex abundāti particulā, Magna ex parte. Inquit em̄ οὗτος ἀφορισμὸς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν καλῶς ἐσαφηνίσθη, πλὴν ἵνα παντάπασιν ἀληθὴς ᾖ ὁ λόγος, νῦν πρὸς ἀκρίβειαν τῷ προσδιορισμῷ ἐχρήσατο τὸ ἐπὶ τὸ πολύ. idest, Hic aphorismus in superioribus bene expositus est, ueruntamen ut omnino uerus sit sermo, nunc diligenter addita distinctione usus est τὸ ἐπὶ τὸ πολύ, idest, magna ex parte. Tamen si recte perpendamus, hic Aphorismus alium sensum facere uidetur, quàm præadductus, & si rationes in idem collimare opus sit. In eo enim aphorismo dicitur, Iuuenes qui aluos humidas habent exsiccari: hic uerò dicitur, in melius commutare, quàm qui habent siccas. quippe qui humidas habent, exsiccantur: qui siccas, humectantur: propterea inferre oportet melius esse transire in siccas. Ideo illud in quæstionem ueniet, an aluus humida, sicca deterior sit. Addit uero quod in senectute deterius commutant, quoniam senes ut

plurimum

plurimum siccam aluum incidunt, ut ex his alia sententia hęc esse uideatur, quàm illa uigesimi aphorismi, licet tota huius rei ratio ex illo sumatur. propterea Galenus huncinterpretari despexit. nos uero particulas omnes singulatim adducẽtes rationẽ addemus.

ὁκόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι, νέοι μὲν ὄντες βέλτιον ἀπαλλάσσουσι, τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων. idest, Quicunq; aluos humidas habent, dum iuuenes fuerint, in melius immutãtur, uel commutant, his qui siccas habent.] Cur uero melius commutent, hæc ratio esse potest, quia aluus humida ex triplici causa esse potest, uel quia plus chyli fit, quàm iecur indigeat, uel quia multa bilis ad aluum defluit, uel quia uis retentiua imbecillis est, & expultrix fortis. Primum fit, quia nimis insumit, & hoc quoniam multum appetit ob uentriculi frigiditatem. Secundum fit, quoniam uel biliosus natura est, uel quia ea ob ætatem abundat. Tertium fit, quoniam uis retentiua est humida, & expulsiua sicca. E contrario tres sunt oppositæ causæ siccitatis alui. prima, quia non fit tantum chyli, quanto opus est. Secunda, quia pauca bilis ad aluum defluit. Tertia, quia uis retentrix fortis est, expultrix imbecilla. Hæc autem in diuersis ætatibus è contrario fiunt. unde qui habẽt humidas aluos, & iuuenes sint, id habent uel ob appetentiam, uel ob bilis abundantiam, uel ob retentiuæ imbecillitatem, hinc est, quod in siccum trasmutantur, & in oppositas causas, quod melius est, quàm transmutare in humidum. nam minus malæ sunt causæ, quæ siccum faciunt, quàm quæ humidum: propterea hi qui habẽt humidas aluos, melius commutant, quàm qui siccas habent.

ἐς δὲ τὸ γῆρας χεῖρον ἀπαλλάσσουσιν, ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι. idest, Ad senectam uero deterius cõmutant. nam senescẽtibus magna ex parte exiccãtur] Hic forte est sensus, Iuuenes humidi, melius commutant quàm sicci: quia causæ quæ faciunt siccum, minus malæ sunt, quàm quæ humidum faciunt, tamen transmutatio hæc in senectute deterior est, & hæc ratio est, quoniam senescentibus ut plurimum alui exsiccantur, eandem rem deterius commutant, uel quoniam in senio causæ siccitatem facientes sunt deteriores. Tu igitur hunc aphorismum recte perpendas, partes partibus referens. nam re uera difficilis est, & licet ex causis in uigesimo aphorismo dictis ortum habeat, tamen rationem reddere opus est, cur hoc sit deterius, quàm illud. Oribasius dicit, Hippocratem laudare iuuenem qui solutum uentrem habet, quia crapulis uacat. Solutio enim uentris, inanitionem superfluorum molitur. Si enim quis obesior sit, quomodo nisi educto malo humore extenuabitur? Quare in senecta desiccantur. Tamen alia sunt uerba aphorismi, quem exponit Oribasius, quàm ab Hippocrate dictum sit.

GALENVS

MANIFESTVS est hic aphorismus, & quicquid de eo dicere conuenit, prius est dictum in eo aphorismo cuius principium, Quibus iuuenibus uentres humidi sunt, his senescentibus exiccantur.

BRASAVOLVS

ID non dicitur à Galeno, quod multi recentiores putarunt, hunc scilicet aphorismum, eundem esse cum uigesimo huius libri, sed id solum dicit, ea quæ conueniebãt de eo dici, in illo aphorismo esse relata, quoniam tota huius Aphorismi ratio, ex illius ratione sumi potest. non negat tamen, hic esse alterum sensum, quàm ibi: quoniam re uera alter est, & in alium finem tendit hic aphorismus, quàm ille.

Quum Hippocrates nihil soleat afferre nisi necessarium & ad utilitatem salutis pertinens, iure isti duo postremi Aphorismi possunt existimari addititij, neque legitimo partu editi.

APHORISMVS LIIII

MAgnitudo corporis iuuentæ quidem nec indecens, necq; illiberalis. Senectæ uero inutilis, & deterior paruitate.

BRASAVOLVS

HIC Aphorismus potius ad decorationem, quàm ad curatiuam artem spectat: nihil

nihil enim aliud commodi in hoc aphorismo habemus, quàm scire prædicere, quid in senio de aliquibus iuuenibus, qui ob corporis proceritatem se iactant, futurum sit. Propterea dicit, Corporis magnitudinem in iuuenta conuenire quidem, & pulchram esse: in senio autem non conuenire, quoniam paruitate deterior est: nam ex ea senes maiores inutilitates incurrunt. Oribasius uero aliud per magnitudinẽ intelligit, quàm proceritatem, ut ex eius uerbis ostendemus.

μεγέθει δὲ σώματος. idest, Magnitudine autem corporis.] Theodorus & Leonicenus fidi Græcorum authorum interpretes uerbum uerbo reddere non curant in hoc aphorismo, sed solam sententiam prosequuntur, & id quod reuera aphorismus portendit. Nos uero in expositione particularum uerbum uerbo reddentes, Græci contextus differentiam, ab eo quem hi authores interpretantur, ostendemus: quamuis & in Aldino codice scriptum sit, μεγέθει. sed idem casus est propter synæresim. Est uero in corporibus magnitudo absoluta atq; simplex, quam proprie magnitudinem uocant, quæ est in tribus dimensionibus excessus: tamen & penes altitudinem magnum dicitur, & similiter penes latitudinem, & penes profunditatem. at hæ, proprie magnitudines non sunt. In humano autem corpore hæc reperiuntur, longitudo, latitudo, & profunditas. Longitudo, est corporis proceritas à summo capitis apice ad pedis plantam. Latitudo est, à latere ad latus, ab humero ad humerum, à præcordio ad præcordium. Profunditas est, à dorso ad umbilicum, à dorso ad supremam pectoris partem. Tamen non est usus apud nos, de humano corpore loquentes, præterquàm duo enumerare: longum scilicet, & crassum. Et quod longum est, magnum dicitur. Crassum uero latitudinem, & profunditatem pre se fert. Hic igitur per corporis magnitudinem, longitudinem intelligit: non autem latitudinem, uel profunditatem, neq; omnes simul dimensiones: etenim id corpus non incuruatur: sed rectum ut est, permanet. Hic igitur Hippocrates per corporis magnitudinem, longitudinem intelligit.

ἐνηβῆσαι μὲν ἐλευθέριον. idest, Iuuenescere quidem liberale, uel ingenuum.] Ita ad uerbum referri potest, ut aphorismi series hæc sit: Iuuenescere liberale uel ingenuum est magnitudini corporis: hoc est, cum magnitudine corporis iuuenem fieri, adeo ut simul augeatur, & iuuenis fiat, est res ingenua, pulchra, & liberalis: quia ostenditur naturam in eo corpore copiose agere.

Καὶ οὐκ ἀειδές. idest, Et non obscurum, uel deforme.] Mihi enim magis placet, ut id uocabulum ἀειδές, pro deformi interpretemur: quoniam magnitudo dum iuuenescimus, non est deformis, imò formosum est propter magnitudinem, nec propter hoc uis iuuenis imbecilla efficitur. In aliquibus codicibus legitur ἀηδές, & non ἀειδές: quos etiam magis probo. ἀηδές, insuaue: ἀειδές, uisu deforme.

ἐγγηρᾶσαι δὲ δύσχρηστον. idest, Senescere autem difficile, uel inutile, uel molestum.] quoniam corpus grauius fit, incuruatur, & ineptius euadit: imò, ut homo cœlum spectare debet, tunc terram intueri continuo cogitur.

Καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων. idest, Et peius, uel deterius minoribus.] Hoc est his, qui potius in paruitate peccant: nam qui iuuenes sunt, si magni, pulchri sunt, & natura circa illos liberalis fuit: & ex magnitudine, idest longitudine, aliquid non habent detrimenti. Senes autem effecti melius fuisset eos fuisse paruos: nam seni deterius est esse longum, quoniam incuruatur, & corporis mole aggrauatur. Tamen si senex esset per omnes dimensiones magnus, uel per alias præter longitudinem, hoc non est paruitate deterius, tamen in omnibus semper optima est mediocritas.

Celsus libro secundo, capite primo hunc aphorismum referre uidetur, at sub alio intellectu. inquit enim: Corpus autem habilissimum, quadratum est, neq; gracile, neque obesum: nam longa statura, ut in iuuẽta decora est, sic matura senectute cõficitur. Gracile corpus, infirmum: obesum, hebes est. Vides igitur Celsum hunc aphorismum ferè descripsisse, sed in secũda parte aliud dicit, quàm Hippocrates faciat. Ipse enim inquit, quòd natura senectute conficitur, idest curuatur.

Oribasius aliter magnitudinem exponit, quàm dictum sit. Nam dicit hic ab Hippocrate intelligi magnitudinem corporis, illam quam in iuuẽtute subito acquirimus: sed iniucunda est, idest incommoda. Sæpius enim tali præditi citius intereunt, & ante an-

nos legitimos moriuntur. Sicut enim ante tempus ad integrum excrescunt, ita & ante tempus intereunt. Quod enim intempestiuũ uenit, intempestiuũ recedit. Post hæc magnitudinem illam exponit, quam in iuuẽtute laudat Hippocrates: dicitq; tripliciter accidere: pulchritudine, forma, positione. Iuuenis enim etsi non omnia, unum tamen ex his tribus habebit. Senex autem nihil horum habet: sed marcescit eius caro, curuusq; & inutilis fit. Ex quibus uidere potes non loqui Oribasium de corporis proceritate particulariter. Tamen in his quæ sequuntur, postea de hac agere uidetur: nam quærit, cur incuruatus senex ambulet. Respondet, naturam fecisse quatuor musculos, duos in parte anteriori, duos in posteriori, qui etiam nostrum dirigũt corpus. In senibus illi interius desiccãtur, & tabescunt, & curuantur. Hæc quæ ab Oribasio dicuntur, & si partim uera sint, tamen integre non explicant Hippocratis sententiam: propterea potius Galenum sequamur, & illam quam dedimus superius expositionem.

GALENVS

MAGNITVDO corporis proprie quidem nominatur, quæ longitudine, latitudine, profunditate moderantiam exuperat. Iam uero & quod longitudine sola amplius auctum est corpus, solemus magnum nominare. At qui huic proprium nomen est longum: nam & aliquando quod secũdum latitudinem, ac profunditatem ultra modum corpus est auctum, dicunt esse magnum: quamuis & hoc, crassum proprio uocabulo nominetur. Si igitur magnitudinem corporis in proprio significato Hippocrates dixit, nihilo deterior est in senectute, quàm paruitas. Si uero uel longitudinem corporis, uel crassitudinem intellexit, hæ deteriores atq; inutiliores senescẽtibus sunt. Verum neq; crassitudo est iuuentæ decens, neque liberalis. In sola ergo longitudine, quòd sit iuuentæ liberalis, senectæ uero inutilis, uere diceretur. Ex hac enim senescentes gibbi fiunt, & uix possunt onus perferre, quod Hippocrates inutile dixit.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus docet, quid significet uocabulum Magnitudo: nam proprie longitudinem significat, latitudinem, & profunditatem: improprie uero, longitudinem & crassitiem præ se fert: tamen ad hoc plerumq; usurpatur, ut longitudinem significet.

Quod legitur, Vltra modum corpus est auctum. illa particula Modum, Græce est τὴν ἀναλογίαν. Propterea nos legendum putamus, Vltra proportionem corpus est auctum. Hoc autem uocabulum Proportio, magis exprimit Galeni sententiam, quàm id uocabulum Modus: quoniã quum augetur præter proportionẽ, procerum est: quamuis & Præter modum, dici possit.

SECVNDO docet, non esse accipiendam magnitudinem in proprio significato, quoniam hæc non est deterior paruitate: propterea de magnitudine, idest longitudine uel crassitie, Hippocratẽ intelligit. At quia crassities in iuuentute non est decora, hanc ob rem ipsum in sola proceritate intelligit, Quæ in iuuenta pulchra est, in senio inutilis: quoniam & incurui fiunt, & uix onus perferre possunt. Adde, Proceritatem etiam in iuuene, si præter modum sit, turpem esse. Nos Ferrariæ nobiles quosdam habemus adeo proceros, ut in ipsa iuuenta curui sint.

Quod legitur, Nihilo deterior est in iuuentute, quàm paruitas. loco huius particulæ Quàm paruitas, legendum est Minore: quoniam & in Græco codice scriptum est, τοῦ μικροτέρου.

Quod etiam legitur, Atq; inutiliores senescentibus sunt. Græce habetur γίνεται, id est Fiunt, non autem Sunt. Philotheus eodem ferè modo hunc aphorismum exponit: nam dicit, μέγεθος τριχῶς εἴρηται. ἔστι γὰρ μέγεθος σώματος, κυρίως τὸ κατὰ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ πλάτος, τὸ συμμέτρως ηὐξημένον ἐπὶ πλεῖον. καὶ τὸ κατὰ μῆκος ηὐξημένον ἐπὶ πλεῖον, καὶ τὸ κατὰ βάθος καὶ πλάτος κατά τινας ὑπὲρ τὴν ἀναλογίαν. τρία οὖν σημαίνοντος τοῦ μεγέθους, περὶ τοῦ δευτέρου σημαινομένου ἐνταῦθα ὁ λόγος τῷ Ἱπποκράτει, τοῦ σημαίνοντος τὴν κατὰ μῆκος μόνον διάστασιν. ὅπερ ἐστὶν ἐν νεότητι μὲν οὐκ ἀηδές, ἐν γήρει δὲ δύσχρηστον, καὶ τῶν ἐλασσόνων χεῖρον. ἐν μὲν γὰρ τῇ νεότητι ἀκμαζούσης τῆς δυνάμεως τῆς κινητικῆς, οἱ μύες οἱ ῥαχῖται συνέχουσι τὴν ῥάχιν ἔσωθέν τε καὶ ἔξωθεν, καὶ στηρίζουσιν. ἐν δὲ τῷ γήρει ἀκρατοῦσιν οἱ μύες, καὶ ποιοῦσι τὴν κύφωσιν ἐπὶ τὰ πρόσω μόνον. οὐ γὰρ ἐπὶ τὰ ὄπισθεν, διὰ τὴν ἄκανθαν. ὥστε ἐν μὲν τῇ νεότητι οὐκ ἀηδὲς διὰ τὸ ὄρθιον. ἐν δὲ τῷ γήρει δύσχρηστον διὰ τὴν κύρτωσιν.

idest

idest, Magnitudo tripliciter dicitur. Est enim proprie corporis magnitudo per longitudinem & profunditatem & latitudinem. Quod scilicet corpus commoderate auctum est ut plurimum, & quod secundum latitudinem increuit ut plurimum, & quod per profunditatem & latitudinẽ secundum quosdam supra proportionem, scilicet auctum est. Quum igitur magnitudo tria significet, de secundo significato hic Hippocrati sermo, dimensionem secundum solam longitudinem significante, quæ quidem est in iuuenta non illiberalis: in senectute uero inutilis & deterior paruitate: nam in iuuenta uiribus motiuis urgentibus, spinales musculi spinam intus & extra continent, atque firmant. In senio autem laborant musculi, & in anteriorem partem solum curuaturam faciunt, non autem in posteriorem propter spinam. Quamobrem in iuuenta non illiberalis, scilicet proceritas propter rectitudinem, at in senio inutilis propter curuitatem.

SECVNDI LIBRI
FINIS.

AD MAGNIFICVM VIRVM ALEXANDRVM GVARINVM ILLVSTRISSIMI HERCVlis Ducis Ferrariæ à secretis, Antonius Musa Brasauolus.

DIV EST magnifice Alexander, & ab ipsis prope unguiculis, quòd te obseruare cœpimus; imò nobis fixa mente repositum est, si quandoque præstaretur occasio, hunc animum tibi addictum aperire: idq; potius re, quàm uerbis. Nunc quum nostra in Aphorismos Hippocratis & Galeni interpretationẽ Commentaria æedituri simus, iustam occasionẽ & te dignam nacti nobis uidemur, qua nostrum animum in te propensum agnoscere possis: quam tamen cumulatioribus officijs augere optamus, si dij quandoq; id nos efficere posse præstiterint. Hic uerò Tertius Aphorismorum liber, pignus erit sempiternum amoris erga te mei, quem tibi dicare statuimus uiro grauissimo atq; doctissimo, è cuius familia idem contigisse certum est, quod in Curionum familia testatur Plinius: sicuti enim in Curionibus tres fuere continua serie optimi oratores, auus, pater, ac filius: sic in tua familia non minori laude ac celebritate sibi ordine successere, auus Guarinus, Baptista pater, & Alexander filius, in quo auitus & paternus splendor fortunæ aura protectus, nunc demum clarius elucescit. Accipe igitur hilari animo xeniolum hoc, idest perpetuum nostri amoris testimonium, & nos mutuo ama, & uale.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN TERTIVM LIBRVM APHORISMORVM Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

NON POSSVM NON VALDE MIRARI, quosdam recentes esse, qui hanc prouinciam hoc opus Aphorismorum interpretandi suscipientes, tertium hunc librum omiserint: ea de causa, quoniam illis facilis ac perplanius uisus sit, & nihil uel parum frugis habeat. Nobis autem hæ causæ, & falsæ & ridiculæ uidentur. Falsæ inquam, quoniã maxima ex hoc libro utilitas habetur: imò is uere medicus iudicandus non est, qui huius libri scientiam ignorauerit, in quo omnium morborum causæ, ex temporum & ætatum mutationibus habetur, ut qui morbi in quibus temporibus & in quibus ætatibus fiant, cognoscatur. Tu ipse ex hac scientia plurimum salis haberi percipies: nec oleum aut impensam perdes, si sedula mentis acie perleges. Nec minus falsa est alia, quam afferunt, causa: quoniam miri in hoc libro, & inextricabiles nodi offeruntur, à quibus nec summi philosophi explicare se sciunt: imò & Aristoteles in primo Problematũ libro, & in decimo septimo, has omnes sententias ueluti arduas, & explicatu difficiles, in dubium reuocauit: nonnulla plerunq; offeruntur, adeo ardua, ut humani intellectus uires excedere uideantur. Addemusq;, nullum esse, qui sine astronomia, & naturali philosophia, has sententias probe assequi ualeat. Vnde & utilissimus est liber, & difficillimus, qui Oedipo & Sphinge plerũq; indigebit. Tu igitur eius scientiam ardenti animo amplectaris: quoniam pulcherrima scitu addisces, & ad rem medicam ualde necessaria.

Sed ne Hippocratis intentionem prætermittere uideamur, scire oportet duo potissimum in hoc libro fieri: primo causas ægritudinum ex dispositionibus aeris contingentium edoceri: secundo earundem ægritudinum causas ratione diuersitatis ætatum pertractari. Vnde & Philotheus ipse huic libro eandem intentionem his uerbis præfixit: Σκοπὸς ἐν τῷ παρόντι τμήματι τῷ ἱπποκράτει περὶ κράσεως ὡρῶν διαλεχθῆναι, καὶ νοσημάτων τῶν ἐν αὐταῖς γινομένων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ περὶ ἡλικιῶν, καὶ πρῶτον μὲν περὶ ὡρῶν. idest, Intentio in præsenti sectione Hippocrati est de temporũ temperaturis disputare, & de morbis in ipsis factis. Neq; hoc tantum, sed & de ætatum morbis. Et primum quidem de temporibus, idest de anni partibus. Tamen quia Galenus in principio huius libri præfatione quadam utitur, non ab re erit, eam pro more nostro interpretari. Hæc autem est quæ sequitur.

GALENVS

IN TERTIO hoc in Aphorismos Hippocratis commentario, eorum quæ de temporibus atq; ætatibus, ab Hippocrate scripta sunt, expositionem faciemus, maxime quidem quicquid est in ipsis obscurum declarantes. Hoc enim est proprium expositionis opus. Verumtamen singulis etiam quæ recte dicta sunt demõstrationem apponentes, quoniã & hoc fieri in Cõmentarijs consueuit. Miror aũt hoc loco & Lyci inæqualitatem, scribẽtis quidem (ut ipse ait) expositiones Quinti præceptoris. Nulli autem eorum quæ de temporibus & ætatibus dicta sunt, probationem demonstratiuã apponentis, sed ad experientiam & obseruationem omnia referentis: quum tamen ipse in aliorum Aphorismorum expositionibus rationalem adhibeat considerationem, de ea quæ in ipsis continetur ueritate, non sola contentus experientia. Quod uero sola experientia non sufficiat ad talem contemplationem aggregandam, ipse Hippocrates ostendit. Hoc & in processu sermonis ostendetur.

BRASAVOLVS

A GALENO in hac Præfatione præmonemur, ea de temporibus & ætatibus ab ipso exponenda esse, quæ ab Hippocrate scripta sunt. Quum autem multa ab Hippocrate satis facilia tradantur, ideo Galenus illa solum aggredi curabit, quæ in ipsis obscura inueniuntur, quia hoc est expositionis proprium: ex quo loco habetur, expositoris officium esse, illa tantum interpretari, quæ obscuritatem pariunt: illa uero quæ sese facilia legenti præbent, omittere. Aliud etiam est commentationis officium, ea uidelicet quæ ab authoribus recte dicta sunt probare, & ubi demõstratio incidere potest demonstrare. Vnde Galenus de Lyco miratur, qui Quinti præceptoris expositiones scribens, omnia ad experientiam & obseruationem refert: & tamen ipse in aliorum aphorismorum expositionibus, de ueritate rerum, rationali consideratione utitur, & sola experientia contentus non est, imò (ut Hippocrates & hic & alibi ostendit) sola experientia non sufficit.

In illa parte ubi à Leoniceno interpretatum est, Quum tamen ipse in aliorum aphorismorum, legi debet, In aliorum multorum aphorismorum. quoniam contextus Græcus ita habet, ἄλλους πολλοὺς ἀφορισμούς. imò hæc particula necessaria est, quoniam id facit in multis, nõ autem in omnibus. Si uero sine hac particula Multorum, legamus, quam Galenus ipse posuit, sensus erit, Quod in omnibus alijs aphorismis eundem morem seruauerit. Id tamen in omnibus non est, sed in pluribus.

APHORISMVS PRIMVS

MVtationes temporum potissimũ pariunt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.

BRASAVOLVS

BREVIS & exquisitus huius Aphorismi sensus est, In temporibus anni, quæ sibi inuicem natura succedũt, mutationes, quæ à proprijs temperaturis horum temporum fiunt: illæ sunt quæ morbos potissimum pariunt. Imò in quibusdam anni temporibus magnæ mutationes à temperatura sua, quæ uel ad frigus sunt, uel ad calorem, uel ad alia pro ratione eodem modo, ut ad siccitatem, ad humiditatem, ad inconsuetos uentos, ad pluuias illius partis anni inconsuetas, & ad eiusdem generis alia. Causa uero in promptu est, quia hæ mutationes nostra corpora à suo naturali temperamento deducunt: nempe humanum corpus secundum temporis qualitates afficitur & alteratur. Hæc est aphorismi summa: nunc particulas omnes singulatim contemplemur.

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα. idest, Mutationes temporum maxime pariunt morbos.] Dicit autem ὡρέων ἀντὶ ὡρῶν, secundum dialectum Ionicam, qua usus est Hippocrates. Sed hoc loco, quid per tempora intelligere oporteat, edoceamus. Tempus (apud Aristotelem & uere sentientes) est mensura motus ultimi cœli, secundum uero hunc motum, ex diuersis cœli aspectibus, & solis remotione ac appropinquatione habitabili terræ, quatuor anni partes, quas anni cardines appellant Latini, quæ sibi inuicem succedunt, distinguuntur: uer inquam, æstas, autumnus, hyems: quæ anni partes, & ipsæ, tempora nuncupantur. Vnde ab Hippocrate, per tempora hæ partes intelliguntur, quæ se consequuntur, & unaquæq; propriam temperaturã habet, uer calidum & humidum, æstas calida & sicca, autumnus frigidus & siccus, hyems frigida & humida: hæc sunt apud Hippocratem tempora.

Quid uero per mutationes intelligere oporteat, apud antiquiores etiam in dubio erat, quippe nonnulli temporum successiones intelligebant, sicuti ueri æstas succedit, æstati autumnus, autumno hyems. unde mutatio nihil aliud est, quàm naturalis temporum successio, quæ per solis decursum in zodiaco fit: tamen in Galeni Commentatione, eos qui ita intelligebant, aberrasse discemus: per mutationem uero illam quæ in proprijs qualitatibus fit, intelligere oportet, ut si hyems quæ frigida & humida esse debet, calida & sicca efficiatur. Quam sentẽtiam Philotheus in suis huius libri Commen

tarijs sequitur, his uerbis usus, μεταβολὰς λέγει, τὰς κατὰ τὴν κρᾶσιν ἀλλοιώσεις τῶν ὡρῶν. οἷον ὅταν ὁ χειμὼν μεταβάλλῃ τὴν οἰκείαν φύσιν, θερμότερος γενόμενος. καὶ πάλιν, τὸ θέρος μὴ μένῃ θερμὸν, ἀλλὰ γένηται ψυχρότερον. idest, Mutationes dicit, alterationes temporum secundum temperaturas: ut quando hyems propriam naturam mutauerit calida facta: & rursus, æstas calida non manserit, sed frigidior effecta sit.

Suis etiam nominibus in plurali usus est Hippocrates, mutationes temporum dicens: quia una mutatio & unum tempus morbos inducere apta non sunt, præsertim si mutatio nõ sit effatu digna. Vnde huius aphorismi sensus integer est, Mutationes propriarum qualitatum, temporum anni, natura sibi succedentium, morbos potissimũ pariunt: quum plures sunt multorum temporum mutationes, aut omnium. Propterea à Philotheo dicitur, ἰστέον δὲ, ὅτι ποτὲ μὲν αἱ πᾶσαι ὧραι τὴν μεταβολὴν δέχονται, αἳ καὶ μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, ποτὲ δὲ καὶ πλείους, ποτὲ δὲ μίαν, ἥτις καὶ τίκτει νοσήματα, ἐὰν μεγάλην μεταβολὴν ἔχῃ. ἐὰν γὰρ μικρὰν ἔχῃ, οὐδαμῶς ἕξει νοσήματα. idest, Sciendum autem, quòd quandoq; omnia tempora mutationem accipiunt, quæ & potissimum pariunt morbos: quandoq; autem & plures, scilicet mutationes: quandoq; uero unam, scilicet mutationem, quæ & morbos parit, si magnam mutationem habuerit: si enim paruam habuerit, nullo modo morbos habebit. Tamen concludit, in hoc aphorismo duos sermones esse: hunc, scilicet mutationes temporum, potissimum pariunt morbos, esse καθολικὸν λόγον, idest sermonẽ uniuersalem: illum uerò, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, μερικὸν εἶναι, idest particularem esse.

Nec illud te lateat, multas mutationes, & diuersorum temporum intelligi oportere, propter expositionem secũdæ partis aphorismi, Cur uero hæ mutationes potissimum morbos pariant, causa est, quia à suis temperaturis corpora remouent, quod in eo genere temperaturæ fit, secũdum quod ipsa tempora euariant. Vnde & Philotheus aphorismi causam assignans dicit, ὅτι αἱ μεταβολαὶ τῶν ποιοτήτων τοῦ ἀέρος, μεταβάλλουσι τὰ σώματα, κἀντεῦθεν πάροδος γίνεται τῶν νοσημάτων. καὶ ἐπὶ μεταβολῇ δὲ μιᾶς ὥρας ὁμοίως, ὅτι διάφοροι τίκτονται χυμοὶ, καὶ ὅτι καταλύονται αἱ δυνάμεις. idest, quòd mutationes qualitatum aeris, mutant corpora, & hinc aditus morbis datur: & in mutatione unius temporis similiter, quod differentes humores pariuntur, & quod potentiæ resoluuntur.

Non defuere tamen recentes, qui per temporum mutationes, ad similia mutationes intellexerint: ut si æstas magis calida sit, quàm suæ temperaturæ conueniat: & hyems magis frigida, quàm à tali tempestate exigatur. Sed hi ita fatue hallucinantur, ut nullo monitore egeant, uel accusatore, qui eos reprehendat.

Hic uero dubium non dissimulandum occurrit, An si temporum sibi inuicem succedentium mutationes, ut æstatis, autumni, hyemis & ueris ad temperatum fiant (nam hæc tempora distemperiem naturalem habent) potissimum morbos parient? Respondemus: Mutationes etiam horum temporum, quãdo ad temperiem fiunt, potissimum morbos parere: & hoc non sine causa: nam apud nos ita perseuerare non possunt, ideo mutationes tanto maiores fient. Adde, quòd illa tempora suam naturalem temperiem non haberent. Vnde sicuti in alijs rebus generationes non fierent, sed potius corrumperentur: idem in hominibus accidere oportet. Nam si tempora, quæ natura se consequuntur, temperiem in omnibus qualitatibus seruarent, herbæ non crescerent, nec triticum, neq; alia, quæ hominibus uictum præstant. Etenim noster cœli tractus hoc exigit. Non desunt tamen huius orbis incolæ, qui uer perpetuum habent, & aeris temperiem sempiternam: in his temperies est sanitas, ut illi sunt, qui ab Auicenna sub æquatore describũtur, & quos nauigationes Lusitanæ inuenere. Apud nos igitur qui intemperatas regiones incolimus, sanitates potissimũ uigent, quum anni partes suas temperaturas seruant, & potissimum ægritudines, quum non seruant. Si uero dubites, quia ab omnibus ferè receptum est, temperatum annum alios excedere: hoc intellige, in tali temperie, in qua tempora suas qualitates seruent.

Accedit ad hæc dubium aliud, Quomodo temporum mutationes in nobis ægritudines parere possint. Respõdemus, Quum sol uersus cancrum accedit, & iam gradum aliquem huius signi pertingit, intensa caliditas, & siccitas uigere debent. Nonnũquam uero accidit frequentes pluuias fieri, quæ æstatis qualitatem perfringunt, & aerem nos

ambien

ambiētem ad suam qualitatem deducunt. Quum uero in aere spiremus, necesse est nostra corpora ab hoc elemēto alterari, & transmutari, secundum qualitates quas habet. Et hoc modo in nobis morbi generantur.

Si iterum dubites, Mutationem aeris eam non esse quæ sit causa morbi, idest quæ morbū faciat, sed potius esse humores. Respondebimus: Aeris mutationes causas esse, quia humores praue disponunt: hi autem alterati, prius antecedens causa, deinde coniuncta morborum causa efficiuntur. Inter omnia autem elemēta, quæ nostrum corpus alterare & cōmutare possunt, aer potissimus est, qui nobiscum perpetuo manet, & in quo uiuimus. In igne enim, aere, & terra, idest intra terram nullus uiuit: tamen aer ab aqua humiditatem recipit.

Nec dubium istud præterire oportet. Quum duæ mutationes in aere fieri possint, una in primis qualitatibus caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate: altera in secundis qualitatibus: ut si à motu cœli & influentia pestilens aer efficiatur, uel propter lini uapores, uel cadauerum, uel bombycum emortuorum, de qua mutatione Hippocrates intelligit: Respondemus: in utrisq; mutationibus uerum est, quòd morbos pariunt. Hippocrates tamen de mutationibus in primis qualitatibus potissimum intellexit, ut ex ipsomet Hippocrate in libro De aere, aqua & locis, colligi potest: & ex Aristotele in libro suorum Problematum confirmari.

Recentes huius libri interpretes, hanc particulam Maxime, nominaliter (ut dicunt) interpretantur: ac si ab Hippocrate dictum sit, Maximæ mutationes: qui adeo absurde loquuntur, ut reprehensione non indigeant: quippe Græcus contextus, qui μάλιστα habet, aduerbium esse ostendit. Deinde secūda aphorismi pars, in qua dicit, Et in quibusdam temporibus magnæ mutationes, commode aptari non posset.

Si uero dubites, an hę mutationes in omnibus hominibus morbos pariant: Respondemus, In his qui dispositi sunt recipere, & qui his qualitatibus uinci possunt: erunt autem plures, quos temporum uarietates non mutabunt.

Καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταβολαὶ, ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος. idest, Et in nonnullis temporibus magnæ mutationes, uel frigoris, uel caloris.] Hæc fuit primæ partis huius aphorismi sententia, Mutationes propriarum qualitatum temporum sibi inuicem succedentium potissimum pariunt morbos: ex qua si quis sit acutioris ingenij dubitare poterit, an in uno solum particulari tēpore mutatio morbos afferre apta sit: ut si alia tempora suam naturalem temperiem seruabunt, sola autem ęstas, aut solus autumnus, aut sola hyems, aut solum uer, à sua naturali tēperie declinet: an morbos causare apta sit. Huic dubitationi in hac secunda aphorismi parte respondet Hippocrates, inquiens, In aliquibus temporibus, idest in aliquo uno tempore, mutationes morbos non faciunt, sed magnæ solum mutationes. Etenim in temporibus sibi inuicem natura succedentibus, etiam si paruæ mutationes sint, & non uehementer intensę, morbos pariunt, quia per continuationem multæ sunt. In uno autem tempore, mutationes nisi magnæ sint, morbos non faciunt. Et ne opus sit te remorari, quærens ad quas qualitates hæ mutationes fieri debeant, addit: Mutationes intelligo, quæ uel ad frigus, uel ad calorem fiant: quoniam hæ qualitates quum magnæ sunt, idest quum multum excedunt, tunc nostra corpora potissimum immutare possunt, & alterare, & adeo uehementer afficere, ut statim in illo tempore morbos incidamus. Propterea non solum multæ mutationes in uarijs temporibus sibi inuicem succedentibus morbos faciunt, sed etiam in uno tempore magnæ mutationes, non autem paruę, eosdem morbos gignunt. Ratioq; in promptu est: nam magnæ mutationes corpus nostrum uehemētius alterant: ideo facile est, ut ob has mutationes, quæ repentinæ ferè sunt, morbi generentur. Debet autem & huic secundæ aphorismi parti illa particula addi, Potissimum pariunt morbos: quoniam mutatiōes magnæ in uno solo tempore hoc faciunt. Non licet autem ex opposito inferre, quòd magnæ mutationes in pluribus temporibus morbos non pariant: imò si in uno tempore & breui hos producunt, in pluribus temporibus si fiant, magis excitabunt.

Si uero dicas, tempus mutationis causam non esse, & ex consequenti sua mutatio non erit causa morbi: respondemus, Omnino tempus, mutationis causam non esse: sed

sano modo intelligere oportet, scilicet quòd hæ mutationes in tempore fiunt, quod aliam qualitatem sibi propriam naturaliter habere deberet.

Καὶ τὰ ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως. idest, Et alia secũdum rationem eodem modo.] Per Alia uerò secundum Galenũ, mutationes alias, intelligit Hippocrates: præter eas quæ ad frigidum & ad calidum sunt, quales eæ sunt quæ ad humidum uel siccum uertũtur, & uentorum mutationes. Adde tu, & secundarum qualitatum mutationes, quales sunt causæ putredinem inducẽtes, ut in pestilentibus temporibus euenire solet: quod an ex astris, an non ex astris fiat, nunc disputandi locus non datur: sed dicimus, pestilentes causas quandoq; in aere esse, & epidemicas: imò omnes epidemici morbi, idest qui per populum uagantur, hanc naturam habent, quod ob mutationem secũdarum qualitatum aeris fiunt, tamen hæ secundæ à primis necessario dependent. Ad ampliorem uerò huius aphorismi intellectionem scire oportet, Aristotelem summum philosophum in [illegible]mo suorum Problematũ libro, problemate secundo, primam huius aphorismi partem prosecutum esse, & ampliasse. Quærit enim, propter quid temporum flatuumq; mutationes morbos intendant, tollant ue, iudicent uel committant, ut simul doceat has temporum mutationes, sanitatem etiam inducere: nam re uera quum tempora suas qualitates transmutant, aliqui qui in illis male se habebant, in his reualescunt. Suæ huic dubitationi Aristoteles respondet: & quæ ab ipso dicuntur, nihil aliud sunt, quàm huius aphorismi probatio: inquit autem, causam esse, quia hæ mutationes aut calidæ, aut frigidæ, aut humidæ, aut siccæ sunt: harum autem qualitatum excessus morbos committunt: & hæc uidetur esse secundæ partis aphorismi causa: tamen & ad primam addi potest. Deinde rationem perfectius prosequitur, inquiens: Sanitas, est mediocritas quædam. quòd si per humidam, frigidam ue naturam morbus constiterit, tempus contrarium superueniens eam tollere poterit. Si uero simile tempus sequatur, magis intendetur, & quandoq; in mortem deducetur: unde fit, ut qui bene ualent, ægrotare tempore mutato incipiant: quia temperamentũ corporis solui necesse est: nam hoc temperamentum non augetur uel seruatur, nisi idoneus status seruetur in locis, ætatibus & temporibus: unde quum tempora euariant, ratio tunc ualetudinis habenda diligentius est. Sicut autem Aristoteles problema suum ampliat, ita nos Hippocratis aphorismum ampliare debemus. Ampliatio uero talis erit: Sicuti in mutationibus temporũ illa fiunt, ita in mutationibus uentorum, ætatum, locorum, quæ uim habent intẽdendi, tollendi, iudicandi, uel contrahendi morbum, fieri debent. Imò addit ipse, & ortus syderum, ut Orionis, arcturi, uergiliarum, caniculæ: hæc autem ut talia considerari non debent: sed quia flatus imbresq; excitant, qui serenitates, frigora, tepores ue solent afferre. Secundam uero huius aphorismi partem, & in præcitato problemate, & in primo problemate eiusdem libri ponit, licet uniuersalius loquatur, quàm ad tempora spectet. Quærit enim, propter quid omnes nimiæ exuperantiæ committendi morbi uim habeant. Respondet, Quia uel excessum uel defectũ efficiunt, in quibus morbus consistit, ideo magnæ mutationes in aliquibus temporibus potissimum pariunt morbos. Hippocrates etiam in principio eius libri qui De aere & aqua & locis inscribitur, huius aphorismi rationem ponit, & medicum attẽtum facit, ut maximas anni mutationes ualde caueat & obseruet, nullamq; libens in his medicam potionem det, nec urat, nec secet, quod ad uentriculum pertineant, prius quàm decem aut plures dies transeant. Galenus præterea in Commentatione undecimi aphorismi huius libri, præscripti aphorismi rationem affert: & Hippocrates in secundo libro De uictus ratione, qualitates locorum & uentorum docet, unde colligere potes, quid faciant mutationes ad has & illas. Imò in secundo libro De ratione uictus in morbis acutis, ratio haberi potest, quare istæ temporum mutationes, morbos pariant, quia à consuetudine transeunt. Est autem in illa parte, ubi de consuetudine sermonẽ habet. Commodius uero & diffusius in libro De humoribus hæc pertractantur, ubi docet, quando tempora anni præpostera fuerint, non temperata, non discreta, non constantia: sic & morbi prærumpunt, & ante tempus decernunt, & remanent: in qua parte uentos potissimum considerandos esse iudicat, utpote qui ad morborum, sanitatumq; generationes plurimum faciant. In fine etiam libri De sacro morbo, de uentorum mutationibus plura dicit, quæ multos morbos & ingentes

ingentes pariunt. Ad uentorum autem mutationes, aeris mutationes sequuntur. Celsus præterea primo capite secundi libri, temporum uarietates damnat, utpote illas in quibus ægritudines fiunt. Denique temperare non possum, quin Galeni locum adducam. Ipse enim in tertio libro Expositionis in sextum Epidimicorum, huic Aphorismo hanc particulam addit, Repentine: ut autem hunc locum facile inuenire possis, in antiqua illa translatione est uigesima secunda Commentatio, in qua docet, naturam repentinas mutationes non pati.

GALENVS

MVTATIONES temporum nonnulli existimant dici, quibus inuicem commutantur, quasi successiones diceret. Nam hyeme in uer commutata, fit dictorum morborũ generatio: de quibus ipse deinceps loquetur. Vere enim furores, atræ biles, & morbi comitiales. Vere rursus in æstatem desinente, quod est initium æstatis, febres continuæ (inquit) & tertianæ, & ardentes, & quæ subinde cõnumerauit. Et de autumno atque hyeme similiter scripsit: ut inquiunt illi, qui pro eodem accipiunt mutationes, & successiones. Verum id uerbum Potissimum, quod sermoni adiectum est aphorismi, hanc expositionem non admittit. Nam nonnunquam tempora inuicem commutantur, & sicuti quidam morbi ex ea cõmutatione generantur, eodem modo etiam soluuntur: & hoc ipse Hippocrates dixit. Quare nihilo magis successiones temporum pariunt morbos, quàm soluunt. Quomodo igitur nõ sat fuit ipsi dicere, Mutationes temporum pariunt morbos: sed & Potissimũ, addidit. Melius itaque fuerit ob hanc adiectionem per mutationes temporum intelligere eas, quæ fiunt secũdum illorum temperaturas, alterationes. Hæ siquidem sunt, quæ potissimum generant morbos, quando multæ alia post aliam, fiunt alterationes: quemadmodum in Epidemijs scripsit, & nunc etiam paulopost dicet. Si uero unius temporis solius alteratio efficit morbos aliquos, non tamen potissimum. Quãdo igitur fiunt morbi potissimum ex unius temporis alteratione: quando contigerit magnam esse alterationem, & ob hanc causam ipse inquit, Et in quibusdam temporibus magnæ mutationes, uel caloris, uel alicuius alterius rei, ueluti humiditatis, siccitatis, aut uentorũ, aut horum defectus. Hæc igitur expositio recta est in ista scriptura. Inuenitur tamen & alia scriptura, quæ ita se habet, Mutationes temporum pariunt morbos, & maximos: potissimum autem & in quibusdam tẽporibus magnæ mutationes. Quæ scriptura nullam habet obscuritatem, his præsertim qui ea audierunt, quæ à me statim antea dicta fuerunt. Sunt uero & aliæ scripturæ idem dicentes, quas intelliges atque probabis, si illa quæ diximus animaduerteris.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus quorundam expositionem enarrat, qui mutationes temporum nihil aliud esse arbitrabantur, quàm temporum successiones: & ideo quum hyems in uer transit, morborum generatio fit: de quibus inferius sermonẽ habebit, & eodem modo per alia succedentia tempora discurrentes, in quibus morbi quos enarrabit, fient.

Quod autem successiones dicit, Græca lingua est διαδοχάς: hoc enim uocabulum continuationem significat, & cum continuatione successionem. διαδοχὴ enim continuatio & successio est.

SECVNDO, Galenus in prædictam opinionem inuehitur: quoniam hoc uerbum Potissimum, sine ratione positum esset. In successiuis enim horum temporũ mutationibus, non solum morbi aliqui generantur, sed & alij soluuntur: nam ut inferius dicetur, aliqui morbi sunt, qui ad uer sanantur, alij ad æstatem: propterea temporum successiones, morbos non magis pariunt, quàm soluant: & ideo hoc uerbum Potissimũ, addendum non erat, sed absolute proferendum, Mutationes, idest successiones temporũ pariunt morbos: non enim potius pariunt, quàm sanent.

Quod in hac Galeni parte scriptum est, Nam nonnunquam tempora inuicem commutantur, & sicuti quidam morbi ex ea cõmutatione generantur, eodem modo etiam soluuntur. Nos hanc particulam Nonnunquam, in illam Dum, cõmutandam esse putamus: quoniam uerum non est, quòd tempora nonnunquam inuicem commutentur, imò semper commutantur. Etenim hoc loco Græcus contextus dicit, μεταβαλλουσῶν γὰρ ἐνίοτε εἰς ἀλλήλας τῶν ὡρῶν. idest, Nam dum tempora inuicem commutantur. Et licet hæc

cet hæc particula ἐνίοτε, pro nonnunquam plerunque exponatur: tamen nihil impedit pro dum, quandoque exponi: præsertim quum sensus uerior efficitur. In illa etiam parte quæ statim sequitur, Et sicuti quidã morbi: illa coniunctio Et, superflua est: quum propter sensum quem obtortum facit, tum quia in Græco codice non adest, sed absolute sine copulatione legit, ὥσπερ ἔνια συνίσταται νοσήματα. idest, Sicuti quidam morbi ex illa mutatione generantur.

TERTIO, expositio uera à Galeno ponitur, quæ est propter hoc uerbum, potissimum, necessarium esse per mutationes, alterationes intelligere: quę secundum illorum temperaturas fiunt. Istæ enim sunt quæ potissimum morbos progignunt, quando plures sunt, & alia post aliam sequitur, ut in sequẽtibus aphorismis edocebit. Propter hæc uerba, quæ à Galeno scripta sunt, scilicet alterationes, secũdum illorum temperaturas, recentiores Galenum intelligunt, & ex consequenti Hippocratis aphorismum, quod in qualitatibus naturalibus mutationes intelligãt, ut quia æstas calida est, ad magis calidum mutatio fit, hyems est frigida, mutatio ad magis frigidum fiat, & hæc inquiunt, est in suis qualitatibus alteratio.

Quod autẽ Galenus hoc non uelit, ex re ipsa primo apparet. nam alterationes istæ in proprijs qualitatibus potissimũ non pariunt morbos, & quia dicit multas fieri mutationes, alia post aliam. Si autem in proprijs qualitatibus auctis intelligeret, multæ non erunt una post aliam. Adde, Hippocratem in Epidemijs, de mutationibus & alterationibus ad alias qualitates, quàm sint naturales, semper loqui. Ideo quum Galenus hic librum Epidemiorum citet, necesse est ita ipsum intelligere, ut in eo libro prodidit.

Quod in hac parte legitur, Quando multæ alia post aliam fiunt alterationes. Græce est, ὅταν ἐφεξῆς ἀλλοιώσιας ὦσι πλείους. idest, Quando multæ alterationes deinceps per ordinem fiunt. Leonicenus optime id uerbum ἐφεξῆς interpretatus est: idest, alia post aliam: uerbum uerbo reddere non curans, modo sentẽtiam sequatur: uel quum plures uicissim fiant immutationes, siue alterationes.

Dubitationem mouent hoc loco recentes, an temporum mutationes ad cõsimilem naturam morbos generare debeant: concluduntque, morbos generare, præsertim ex Galeni sententia hic, quem (ut uides) non intellexere, quoniam hoc non intendit.

QVARTO, Galenus ut secundam Aphorismi partem interpretetur, notat quod unius temporis alteratio morbos quidem facit, sed non potissimum: propterea edocere uolens, quando mutatio in uno tempore morbos potissimũ inferre possit, dixit, Magnas mutationes in quibusdam temporibus uel caloris, uel frigoris illas esse, quæ morbos potissimum faciunt, & non simpliciter mutationes, sed cum additione Magnas.

Huius partis initiũ in hac Leoniceni interpretatione ita legitur, Si uero unius temporis solius alteratio efficit morbos aliquos. In Græco autem codice ita habetur, ἡ δὲ μιᾶς ὥρας ἀλλοίωσις μόνης, ἐργάζεται μὲν νόσους τινάς. idest, Vnius uero temporis solius alteratio, efficit quidem morbos aliquos: ut hinc cognoscere possis cõditionem Si, deesse: & particulam quidem, post uerbum Efficit, apponi debere, ut legi possit, non ἡ δὲ, sed εἰ δὲ, idest, si autem. In hac etiam impressione post illam particulam Vel caloris, deest particula Vel frigoris: quam librarij causa abesse putamus.

QVINTO, Galenus partem illam Aphorismi interpretatur, in qua dicit Hippocrates: & alia pro ratione eodem modo, inquiens, hoc intelligendum esse de humiditate, siccitate, de uentis, & de uentorum defectu. Nosque secundas qualitates addimus, ut sunt mutationes ad uenenosum & pestilens, quæ omnes potissimum morbos pariunt, si magnæ sint: imò & si adeo magnæ non sint, hoc faciunt, quando in pestilentem naturam inuersæ sunt.

Leonicenus hanc partẽ ἢ πνευμάτων, ἢ ἀπνοιῶν, hoc modo interpretatur, Aut uentorum, aut horum defectus. Et re uera nihil aliud uult Galenus, quàm istud: quia uentorum defectus quandoque morbos pariunt: præsertim quum praui uapores eleuantur, qui à uento transferri non possunt. Fortè nos interpretari possemus ἀπνοιῶν, idest Sine spiritu: ubi non est euentatio, uel perflationum uel imperflationum.

Denique Galenus alias quasdam huius Aphorismi lectiones refert, quæ adeo planæ sunt, ut expositione non indigeant. Tu solum ultimum uerbum annotare debes, quod est

est, Animaduerteris: in Græco habetur, ἐρμήμ... Et ubi scriptum est, Quas intelliges atque probabis: lege tu, Quas & intelliges. nam Græce est, καὶ νόσεις.

APHORISMVS SECVNDVS

NAturarum, hæ quidem ad æstatem, hæ uerò ad hyemem, bene, malé ue se habent.

BRASAVOLVS

NVLLVS est, qui non nouerit, homines aliquos in æstate magis sanos esse, alios in hyeme: nempe hi facilius æstatis, illi hyemis discrimina ferunt. Propterea ab Hippocrate non sine ratione scriptum est, aliquas hominum temperaturas esse, quæ ad æstatem bene se habeant, aliquas ad hyemem: ecõtrario etiam, aliquas quæ ad æstatem male se habent, aliquas ad hyemem.

τῶν φύσεων. idest, Naturarum.] In uarijs Hippocratis locis, hoc uocabulum Natura, diuersimode usurpatum reperitur. Nunc uero per naturam, quatuor elementorum temperaturas intelligit: quam quisque sibi propriam nactus est: hęc enim & tanta calidi, frigidi, humidi, & sicci miscella Socratis temperaturam facit, quæ secũdum quod talis est, ad æstatem, uel hyemem bene male ue se habet. Est autem hæc natura, idest temperatura quoddam animæ instrumentũ, secundũ quod ipsa operatur, & melius uel peius agit uel patitur. Vnde & Philotheus quid per naturam intellexerit Hippocrates edocens, inquit, φύσιν ἐνταῦθα τὴν κρᾶσιν λέγει. idest, Naturam hic temperaturam dicit.

Αἱ μὲν πρὸς θέρος. idest, Hæ quidem ad æstatem.] Quoniam illæ naturæ, quorum errores in æstate corrigũtur, melius se habent: quorum autem crescunt, peius: opus uero est, quòd æstas propriam æstatis naturam seruet: quoniam si nõ seruaret, accidere posset eos, qui in æstate peius se habere deberent, in melius proficere, & econtrario. Si uero quæras, qui'nam illi sint, qui æstate bene uel male se habeant, Philotheus tibi satisfaciet, inquiens, καλῶς μὲν ἔχουσιν ἐν θέρει αἱ ψυχραὶ καὶ ὑγραὶ. κολάζεται γὰρ ἡ ἀμετρία αὐτῶν ἐκ τῆς θερμότητος καὶ ξηρότητος, καὶ εἰς εὐκρασίαν ἔρχεται. κακῶς δὲ ἔχουσι τότε, αἱ θερμαὶ καὶ ξηραὶ. ἐπειδὴ ἐπιτείνονται τοιαύτῃ κράσει, εἰς ἀμετρίαν ἐμπίπτουσιν. idest, Bene quidem se habent in æstate frigidæ & humidæ: corrigitur enim ipsorum excessus ex caliditate & siccitate, & in bonam temperaturã ueniunt. Male autem se tunc habent calidæ & siccæ, quoniam tali temperatura intensiores factæ, in excessum incidunt.

Αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα, idest, Hæ autem ad hyemem.] scilicet, bene se habent, & illæ male. Hyemem uero intelligas suam debitam naturam & temperaturam seruantem: bene autem se habent, secũdum Philotheum hoc tempore, & male, naturæ quas enumerat, inquiens: πάλιν αἱ ψυχραὶ καὶ ὑγραὶ κράσεις ἐν τῷ χειμῶνι κακῶς ἔχουσιν, διὰ τὸ ὑπὸ τοῦ ὁμοίου τὴν αὔξησιν ἐπιτείνεσθαι. ἡ θερμὴ δὲ καὶ ξηρὰ, καλῶς ἔχει, ἐπειδὴ κολάζεται καθ' ἑκατέραν ἀντίθεσιν, ὑπὸ τῆς ψυχρότητος καὶ ὑγρότητος, καὶ εἰς συμμετρίαν ἔρχεται. idest, Rursus frigidæ & humidę tẽperaturæ in hyeme male se habent: propterea quod à simili augmentum intenditur. Calida aũt & sicca bene se habet, quoniam corrigitur per alteram contrapositionem, à frigiditate & humiditate, & in concinnam temperaturam ueniunt.

Εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι. idest, Bene uel male se habent.] Vt in utroque tempore, bene uel male sit, secundum quòd naturæ diuersæ sunt. Hominum autem naturæ, idest temperaturæ, aptæ sunt bene uel male se habere: non solum quia ægrotabunt uel sanabuntur, sed etiam quo ad præseruationem.

Si autem petieris, Cur de alijs temporibus locutus non sit, autumno inquam, & uere: Respondemus, illa tempora esse magis placida alijs, & nullam habent excellentem qualitatem, quæ nos afficiat, sicut æstas & hyems habent: rarique sunt, qui in uere & autumno male se habeant. Et si multi in autumno periclitentur, non est ratione autumni, sed ob præcedentem æstatem, quæ nostras uires debiliores effecit. Vel per hæc duo extrema tempora, media simul intelligas: nam ab experientia edocemur, aliquos esse, qui facilius hyemem & æstatem ferre possunt, quàm uer & autumnum.

Hic autem

Hic autem aphorismus in temperaturis naturaliter distemperatis uerus est, ut inter legendum commentum uidere licebit: quamuis & in temperatissima uerificari possit: quòd ad temperatum tempus, bene: ad distemperatum, male se habeat.

Hippocrates in libro De humoribus, huius aphorismi sententiā prosequitur, quum in fine libri dicit, Quædam etiam naturæ, quum tempore mutantur: nam quędam æstate, quædam hyeme, melius, peius'ue habent: quædam prout sunt regiones & loca ubi degunt. In eodem autem loco ad multa alia ampliat, inquiens, Ætates præterea, nutricatus, morborum status, per temporum mutationes peius, melius'ue habent. Imò addit, Quin & anni temporibus, uictus rationem, cibaria, pocula congruentia porrigito.

Si uero de his naturis quæras, quænam illæ sint quæ peius, melius'ue ad hyemem aut ad æstatem se habeant, in Galeni commento satisfaciemus.

GALENVS

NATVRAS hoc in loco dixit Hippocrates secundū principalissimū, & propriū significatū quod secundum ipsam maxime substantiā naturæ est. Dicebamus autem in præcedentibus, ipsam esse temperaturam quatuor elementorum, humidi, sicci, calidi, & frigidi. Et quidem ostensum à nobis est in libris De temperaturis. Vna quidem temperatura bene temperata atq; optima. Male autem temperatæ & uitiosæ numero octo, quatuor quidem secundum qualitatem excedentem, quatuor uero aliæ secundum duas. Secundum unam quidem calida, frigida, sicca, & humida. Secundum duas uero calida & sicca, humida & calida, & frigida & humida, & frigida & sicca. Ad æstatem quidem frigidæ & humidæ naturæ optime afficiuntur. Ad hyemem uero calidæ & siccæ, sicuti & male afficiuntur calidæ & siccæ ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hyemem. Perfectissimæ quidē igitur naturæ huiuscemodi ad dicta tēpora optime ac pessime afficiūtur. Mediocriter autem quæ quouis modo ex temporibus uel iuuantur uel offenduntur, sicuti humida, & calida æstate & hyeme: quoniam æstate quidem quatenus humida est, melius afficitur: hyeme uero contrà, quatenus calida.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno edocetur quid per illud uocabulum natura, intelligendum sit, nempe principalissimum significatum intelligitur, quod est secundum naturæ substantiam: est autem quatuor elementorum temperatura: de qua in libro De temperaturis, & in opere De dogmatibus Hippocratis & Platonis perplura.

In hac parte, quum dicitur, Naturam secundum principalissimum & proprium significatum accipi. lege debet, Et primum significatum: non proprium. In Græco enim codice ita habetur: ab Hippocrate accipi hoc uocabulum Natura, κατὰ τὸ κυριώτατόν τε, καὶ πρῶτον σημαινόμενον. idest, secundum propriissimum, uel potissimum, & primum significatum. Nullus autem est qui ignoret, aliquod esse primum, quod proprium non est, & econuerso.

SECVNDO, Galenus temperaturas enumerat, unam mediam & temperatissimā ponens, quæ quatuor qualitates in æquilibrio habet, & octo distemperatas. Inter has quatuor simplices sunt, calidum, frigidum, humidum, siccum: & quatuor compositæ, calidum siccum, calidum humidum, frigidum siccum, frigidum humidum. Illa autem temperatissima, quæ corpus εὔκρατον facit, nunquam inuenitur, nisi sacris theologis assentiamus, quibus & assentire debemus, authorem nostræ salutis CHRISTVM, ea temperatura præditum fuisse: unde quæ pro nobis miseris passus, uegetioribus sensibus persentiebat, quàm alij homines sentire soleant.

Quum autem hic legitur, Quatuor quidem secundum qualitatem excedentem. legendum est, Quatuor quidem secundum unam qualitatē excedentem. in Gręco enim codice habetur, τέσσαρας μὲν κατὰ μίαν ὑπερκρατοῦσαν ποιότητα. In quibus uerbis uidere licet, illam particulam μίαν, addendam esse, idest unam: quam librarius in Leoniceni codice omisit. Hæc autem pars dubium quoddam soluit, quod ita fieri posset, quomodo in uno homine temperaturas simplices inuenire contingat, quum ex elementis compositus sit? Respondemus, simplices temperaturas hoc solum modo inueniri: Quisq; ex quatuor qualitatibus compositus est. Si autem accidat unam actiuarum uel passiuarum aliam superare, & in reliquis duabus æqualitatem esse: ut si Socrates in humido & sicco

& sicco temperaturam habeat, si uero magis calidus quam frigidus, tunc Socrates unam solam qualitatem habere dicitur, scilicet caliditatem.

TERTIO, Galenus docet, quæ naturæ quibus temporibus bene male'ue se habeant: nam frigidæ & humidæ naturę in æstate optime degunt, frigidæ & siccæ in hyeme: econtrario calidæ & siccæ in æstate male se habent, frigidæ & humidæ in hyeme. Si autem dixeris, simile à simili conseruari, & à contrario reduci. Respõdemus, uerum esse, quando similitudo in tanto gradu est, ut naturam cõseruare posśit: quando autem in gradu est, quod naturam adeo excedat, ut alterare posśit, uerum non est, scilicet has naturas istis temporibus comparando, quæ in suis qualitatibus multum excedunt.

QVARTO docet, quòd perfectisśimæ naturæ tales, idest naturæ prædictæ, etiam si in sua perfectione sint, in qua esse posśint, tamen ratione illorum temporum optime & pesśime afficiuntur: propterea in genere, naturæ illæ quæ temporibus consimiles sunt, pesśime afficiuntur. Non desunt tamen naturæ aliquæ, quæ afficiuntur quidem, sed mediocriter, ut calida & humida, quæ in æstate male se habet propter calorem, sed melius propter humiditatem, in hyeme male se habet propter humiditatem, melius autem propter caliditatem. Eodem modo naturæ frigidæ & siccæ, ratione siccitatis bene se habent hyeme, male æstate: ratione frigiditatis, bene se habent æstate, male hyeme. Illæ autem naturæ, qualis est calida & humida, in uere male se habere deberent, & frigida & sicca male se habere deberet in autumno: sed quia uer & autumnus suas qualitates multum intensas non habent, propterea opus non est, quòd ita male se habeant, præsertim quia actiuas qualitates remisśiores habent, pasśiuas intensiores.

Quod in hac parte legitur, Mediocritas autem quæ quouis modo in Græco codice habetur, μετρίως δὲ αἱ καθ' ὁποιοῦν. idest, Mediocriter autem quæ secundum aliquid ex temporibus, uel ad tempora, quia scriptum est πρὸς ὥρας, uel iuuantur, uel offenduntur: nam si recte perpendas, secundũ unam partem iuuantur, secundũ aliam offendunt.

APHORISMVS TERTIVS

MOrbi quoq; alij ad alia bene uel male se habent, & quædam ætates ad tempora & loca & uictus genera.

BRASAVOLVS

SICVTI in præcedenti Aphorismo dictum est, aliquas naturas ad æstatem bene uel male se habere, alias ad hyemem: idem in morbis & in ætatibus docet, quòd morbi & ætates bene uel male se habent ad tempora, ut ad hyemem & æstatem, & ad loca & ad genera uictus: quod etiam absolute in naturis dici poterat, non solum ad tempora bene uel male se habere, sed etiam ad loca & ad uictus rationem & ad exercitia, ut Oribasius ampliat.

τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι. idest, Morborum aliqui ad alia bene uel male se habent.] Intellige autem ad alia anni tempora, πρὸς ἄλλας ὥρας. nam in alia aphorismi parte illa ponit, in quibus morbi male bene'ue se habent. Sunt enim aliqua tempora in quibus morbi fiunt & conseruantur, ut in æstate biliosi morbi, in hyeme pituitosi: & in æstate pituitosi sanantur, in hyeme biliosi, quantum sit ratione temporis, quod morbo opponitur. Verum enim est, quòd biliosi in hyeme fortiores sunt, quia à maiori causa, & pituitosi in æstate: tamen ratione temporis quod opponitur bene se habent. Si uero pituitosum æstatis in hyemem, & biliosum hyemis in ęstatem duceres, à similibus qualitatibus diutius conseruarẽtur. Morbi igitur in illis temporibus bene se habent in quibus generantur & conseruantur. Sunt autem hæc tempora similia. Male uero se habent in illis in quibus expelluntur, ut sunt tempora contraria.

Etiam morbi bene uel male se habent πρὸς χώρας, idest ad regiones, quia morbi calidi, in calidis locis bene se habent: generantur enim & conseruantur. In frigidis uero male, quia expelluntur: & frigidi bene se habent in frigidis, in calidis male. Vel hæc omnia cõtrario modo intelligamus. Quod morbus frigidus in calido loco bene se ha-

beat, quoniam sanatur: nobis autem bene est. Sed quomodocunque intelligatur, ad rem ipsam nihil refert. Adde, morbos bene uel male se habere πρὸς διαίτας, idest, ad genera uictus: similibus enim fiunt morbi & conseruantur, dissimilibus expelluntur. Quæ uictus genera, & quo ad qualitatem & quantitatem intelligenda sunt: nam ex ipsis & morbi fiunt, & sanantur. Philotheus autem, ut hæc omnia edoceret, hoc animaduertit, quod his uerbis expressit, ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ εὖ καὶ κακῶς διττῶς λέγεται, κατά τε τὴν γένεσιν, καὶ κατὰ τὴν λύσιν. idest, Sciendum autem, quòd hæ particulæ Bene & Male, dupliciter dicuntur, & secundum generationem, & secundum solutionem. Postea diffusis uerbis hanc distinctionem ad aphorismi commodum & intellectionem applicat, inquiens (ut eius sententiã omissis uerbis referamus) omnes calidos morbos in æstate secundum generationem bene se habere: at secũdum solutionem male, propterea quod exaugetur causa, sed ijdem rursus calidi morbi in hyeme male se habent secundum generationem, imò non nisi ab ingenti causa fieri possunt: bene autem se habent secũdum solutionem, propter contrarietatem. Propterea in Æthiopia calidi morbi secundum generationem bene se habent, at secundum solutionem male. In Scythia uero econtrario se habet. Idem intelligendum est in ætatibus, exercitijs, & reliquis quæ morbos & exaugere & minuere possunt.

ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας. idest, ætates quedam ad tempora.] Supple tu suprapositam particulam, Bene male'ue se habẽt. Quod enim in morbis prædixerat, idem in ætatibus dicit. Aliquæ enim ætates sunt, quæ morbos in æstate pariunt, aliquę in hyeme: & ideo in his temporibus male se habent, in oppositis bene.

Καὶ χώρας. idest, Et loca.] Quoniam ætates quædam, ut iuuenilis in frigidiori loco degere potest, senilis autem non: & ideo illi bene se habent, isti male: & econtrario per ætates discurrentes, quæ in locis suæ naturæ oppositis bene se habent, in oppositis autem male.

Καὶ διαίτας. idest, Et diætas.] Nam & ætates ad aliqua genera uictus bene se habent, ad alia male. Iuuenes etenim si aromaticis & calidioribus pulueribus uescãtur, male se habent, seniores bene: & econtrario in oppositis qualitatibus.

Quod autem & ætates & morbi bene male'ue se habeant, ad tempora, loca & uictus genera, non solum ex horum natura uerum est, sed etiam ex ipso tempore, quantum in se sit. Propterea Hippocrates in libro De morbis inquit, Annus ab anno, tempusque à tempore, & hora ab hora differt. Et in principio secundi libri Epidemiorum, in nobis tempestates anni multum posse docet, ubi inquit: Tempestas alia pro alia incipiat, sicque annus & eius tempora inter sese habeant: nam quemadmodum statis anni temporibus matura cuncta, suoque tempore redduntur: sic statis annis, eorum'ue temporibus tempestatibusque morbi stati fiunt, facillimeque decernũt. Contrà uero non statis, non stati, quique difficulter decernant, fiunt.

GALENVS

EXORDINATO quodam interpretandi genere mihi uidetur usus Hippocrates in hoc aphorismo. Nam melius utique ita dixisset, Morbi & ætates, alij ad alia tempora & loca & uictus genera, bene male'ue se habent. Morbi igitur bene se habent, ad tempora quidem, ut ad generationem similes, ut ad solutionem uero contrarij. Nos enim de hoc ipso determinauimus in expositione illius Aphorismi cuius initium est, In morbis minus periclitantur. Ætates autem, quemadmodum & naturæ: frigidæ quidem ad calida, calidæ uero ad frigida. Senum quidem ad æstatem, iuuenum uero ad hyemem. Eadem ratione & ad loca, non morbi tantum, sed etiam ætates afficiuntur. Nam morbi calidi in locis calidioribus magis generantur, & minus sunt periculosi, & magis sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in alijs proportionaliter. Sic uero & ad uictus genera, alij ad alia bene male'ue se habent morbi, & ætates. Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores uero ad calidiores, & sicciores quidem ad humidiores, humidiores uero ad sicciores bene se habent: & (ut simpliciter dixerim) contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male: præterquàm si ætas temperata, & uictui, & regioni, & loco temperato comparetur: hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur. Quæ uero plus à temperie recesserunt ætatis, secundum temperaturam

peraturam contraria loca, & tempora, & uictus genera conferunt magis. Quum uero omnes morbi à temperie & modo recedant, generatio quidem à similibus locis atque temporibus, solutio uero à contrarijs fit.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus docet, Hippocratem inordinato loquẽdi genere usum esse, nem pe breuius dicere potuisset, Morbi, & ætates, alij ad alia tempora, & alij ad alia loca, & alij ad alia uictus genera, bene male ue se habent. Est autem apud authores figura quæ hyperbaton nuncupatur, quando inordinato quodam loquendi modo utuntur. Dicit uero ἀτακτότερον, idest inordinatiorem.

SECVNDO, Galenus docet, morbos bene se habere ad tempora, quando similes sunt, quia in ipsis generantur, respectu uero solutionis ad tempora contraria bene se ha bent, quia conseruatio in temperatis per simile semper fit, cura per contrarium: de qui bus omnibus in Aphorismo trigesimo quarto secundi libri scriptum est, In morbis mi nus periclitantur ægrotantes: & reliqua.

Sed fortè id uerum non esse tibi uidebitur, quòd morbi secundum anni tempora be ne uel male se habeant, quoniam omnes morbi in æstate bene se habere uidentur: nam ut in uigesimoquinto aphorismo secundi libri scriptum est, qui incipit, Æstiuæ quarta næ, & cætera. Omnes morbi in æstate breuiores redduntur, quia æstas hoc facit. Igitur in æstate omnes morbi melius se habent. Respondemus, æstatem omnino quantum sit ratione sui, morbos abbreuiare, tamẽ necessarium non est quod melius se habeant, imò calidi morbi intensiores sunt. Propterea Hippocrates & Galenus in illo aphorismo de morbi longitudine loquuntur, non autem de intensione uel remissione.

Si iterum arguas, Morbos per medicamenta curari, quæ apud Galenum uigesimo quarto Aphorismo primi libri, potentia calida sunt. Calor igitur confert. Responde mus, Vt calida sunt, per accidens curare: solum etenim curant, quia euacuant. Omnis enim cura per contrariũ fit. Et ideo pharmaca curant: quia quod plenum est, euacuant.

An uerò morbi qui in tempore simili fiant, in tempore contrario curentur, meliores sint, dubium uideretur: etenim longiores sunt, quàm si in tempore simili curati essent. Respondemus, tempora cõtraria pro cura meliora esse. Et hoc Galenus intelligit. Non tamen quòd ipsi meliores sint morbi, si prorogentur: sed quantum sit pro intentione cu randi, contrarium tempus magis aptum est.

Et etiam si arguas contra id dictum, quòd morbi facti in temporibus similibus mi nores sint, quia simile simili additum furere facit, ut trigesimoquinto aphorismo secun di libri habetur. Respõdemus, non habere tam magnam causam intrinsecam, quantam habent ij qui in temporibus contrarijs facti sunt.

TERTIO, Galenus de ætatibus tractat, quas dicit naturarum ordinem sequi, quia frigidæ naturæ in temporibus calidis bene se habent, & calidæ in frigidis. Eodem mo do ætates calidæ, in frigidis bene se habent, & frigidę in calidis, & ideo seniores in æsta te bene se habent, in hyeme iuniores.

QVARTO Galenus docet, quomodo morbi & ætates ad loca se habeant, quia ca lidi morbi in calidioribus locis magis generant, & tales humores in his locis fiunt, qui morbos calidos generare apti sunt. Eadem ratio est de ætatibus.

QVINTO, ad genera uictus transit, quoniam morbi calidi & ætates calidæ ad ui ctum frigidum bene se habent: & ita de alijs. Legi autem debet, Calidiores ad frigidio ra, in neutro genere, & non ad frigidiores. Similiter, Frigidiores ad calidiora, & non ad calidiores: & ita de humidis & siccis. Propterea à Galeno hoc simpliciter enuntiatur, Contrarij ad contraria bene se habent, similes ad similia male. Vnum tamen excludit, quod est, præter quàm si de ætate temperata loquamur, quam si uictui cõparemus, tem pori & loco temperatis bene se habet. Et ideo temperatæ ætates ad tẽperata bene se ha bent, quæ autem à temperamento recedunt, his contraria magis conferunt.

Sed tibi forte uidebitur in Galeno contradictio, hic, & Aphorismo decimosexto pri mi libri, ubi dicit, Humidioribus uero naturis, siue propter ętatem, siue propter consue tudinem, non contrariam, sed magis affinem seruandam statuit. oportet enim naturam

eorum fouere per humida, non eodem quo morbos modo demoliri, Respondemus, illud intelligendum esse, quando non multum excedunt, & hoc etiam quantum sit, ratione distemperatæ ætatis, per comparationẽ ad temperatam. Vnde hoc propetuò uerum est, in ætatibus distemperatis contraria conuenire, in temperatis similia.

Si uero dubites eandem habere proportionem temperatum uictum ad corpus temperatum, qualem uictus lapsus ad corpus lapsum habet: igitur uictus lapsus, æque lapsum corpus conseruare deberet, sicuti temperatus uictus, temperatum corpus seruat. Respondemus, quia uictus lapsus aptus est illud corpus in lapsum magis ducere, & uictus temperatus in tali esse conseruare. Ideo in ipsis uictibus nulla proportio est: nam uictus lapsus, lapsum corpus in lapsu ipso conseruat. Hoc autem est ipsum offendere, sed temperatus uictus in sua temperie conseruat, nec læsio aliqua sequitur.

In hac parte ubi legitur, Quæ uero plus à temperie, & cætera, Græcus contextus habet, ταῖς δὲ ἀμετροτέρως ἐχούσαις ἡλικίαις κατὰ τὴν κρᾶσιν αἱ ἐναντίαι χῶραι καὶ ὧραι καὶ δίαιται, συμφορώτεραι. idest, ætatibus autem habentibus intemperaturam, secundum temperaturam (scilicet quam habent) cõtraria loca, & tempora, & uictus genera conferunt magis: si hoc modo interpretemur, sensus perfectior esse uidetur. uel hoc modo, Ætatibus sese intemperantius habentibus secũdum habitudinem, contraria loca, & anni tempora & uictus genera plus conferunt.

Deniq; infert Galenus cõmunissimum apud medicos theorema, cum omnes morbi à temperie & modo recedant, generatio fit à similibus, & solutio à contrarijs.

APHORISMVS QVARTVS

IN temporibus, quando eodem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

BRASAVOLVS

AB HIPPOCRATE nunc edocemur, quando eadem die modo calor, modo frigus fuerit, ita ut bis, ter'ue hæc qualitatum mutatio fiat, tunc morbos tales expectare opus est, quales in autumno superuenire solent, in quo tẽpore eodem die plerunq; modo calor, modo frigus est. Duo autem commoda habemus: unum est, quod medicus futuras ægritudines prædicere sciet, propterea in hac arte peritus putabitur, multosq; sanabit, quando in eo plures confident. Deinde hæc tẽporis discrimina euitare sciet, nempe uestibus prouidendum est cum hæ tempestates præualuerint.

ἐν τῇσιν ὥρῃσιν. idest, In temporibus.] Quodcunq; sit hoc tẽpus, uel hyems, uel æstas, uel autumnus, uel uer. usus est plurali uocabulo temporibus, ut omnia tempora promiscue intelligere possemus. imò quanto magis tempora constantia esse solent, & has uarietates habuerint, tanto magis in ipsis morbi generãtur. posset etiam hic Aphorismus ad genera uictus ampliari, quando eadem die diuersa genera uictus insumũtur, tunc autumnales morbos expectare oportet. nam diuersi humores generantur, qui corrupti, diuersos & inconstantes morbos faciunt.

ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης. idest, Quando eadem die.] Tu uero intellige eadem die bis uel ter fieri. ut si oriente sole sit frigus, in meridie calor, uesperi frigus. Propterea & Philotheus, ita diei partes enumerat, ἐὰν ἐν τῇ μιᾷ ἡμέρᾳ ἀρχομένῃ γίνηται θερμασία, εἶτα περὶ τὴν τρίτην ὥραν ψύξις, κατὰ δὲ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας, πάλιν θερμασία, εἶτα ἐντεῦθεν πάλιν ψύξις. idest, Si eadem die incipiente caliditas fiat, postea circa tertiam horam frigiditas, in meridie uero rursus caliditas, postea iterum frigiditas, adeo ut eadem die secundum Philotheum multæ mutationes fiant: tunc enim autumnales morbi sequuntur, quos hic auctor, ἀνώμαλα νοσήματα, idest irregulares morbos uocat. Et licet eadem die scriptum reliquerit, nõ est opus intelligere, quòd una solum die hoc faciat, immo opus est per multos dies perseueret, si ægritudines adducere debeat. Adde, si hoc idem in diuersis diebus fiat, ut in aliquibus frigus sit, in alijs calor, morbos fieri necessarium non esset.

ὅτε μὲν θάλπος, ὅτε δὲ ψῦχος γίγνηται. idest, Quandoq; quidem calor, quandoq; frigus fit.] Calor hic, nostri corporis meatus aperit: frigus deinde constipat & obstruit: iterum calor aperit & frigus constipat. Propterea hæ mutationes adeo nostra corpora afficiunt, ut opus sit incõstantibus morbis agitari. Recentes ipsi in hac parte Galenum ita intelligũt, ut uelit per tres horas calorem esse, per tres frigus, & iterum per tres alias calorem, & per tres alias frigus. Quod nunquam somniauit Galenus. Sed ex antiqua interpretatione decepti sunt, in qua hæc inueniuntur addita uel à Constantino Aphricano huius libri parum fido interprete, uel à Ioaniculo, qui in diuersis aphorismis multa addidit, quæ in Græcis Galeni codicibus non sunt.

φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή. idest, Autumnales morbos expectare oportet.] idest, Tales quales in autumno fieri solent: de quibus posterius sermonem habebit. Vel autũnales, idest inconstantes, inæquales: quia autumnus, inæquale tempus est, in quo morbi inconstantes, & iudicij inconstantis fiunt. Celsus capite secundo primi libri, ubi ea docet, quæ stomacho imbecilli seruanda sunt, inquit: Minimeq; nubilo celo soli aperienti se committere, ne modo frigus, modo calor moueat: quæ res maxime grauedines destillationesq; concitat. Vt hinc haberi posit, hoc esse unum genus morborum, qui fiunt quando eadem die modo frigus, modo calor extiterit, nempe destillatio. Hippocrates in libro De humoribus, haud longe à fine inquit, Siquidem anni tempora, quum inæqualia sunt, hoc est, eadem die non æque calent frigentq;: quod quum euenerit, morbi per autumnum, alia que anni tempora, rata portione, fient, & erunt. Vnde habes, quòd in autumno fient morbi & in alijs temporibus: ne quis putet, quòd solum in autumno fieri debeant: nam & in alijs temporibus fiunt: sed per quandam proportionem: ut id tempus simpliciter & secundum naturam suam magis uel minus salubre est. Propterea in hoc loco id exquisitius exprimitur, quod breuius in hoc aphorismo reperitur.

GALENVS

CVM RATIONE fit hoc. Neq; enim appellationes temporum, causæ morborum sunt, sed temperaturæ. Quum igitur ipsæ conuariant, necesse est & morbos conuariari.

BRASAVOLVS

IN HAC breui & concisa Galeni Commentatione nihil aliud fit, quàm quod hoc modo aphorismi causa redditur: In omni anni tempore, si inæqualis temperatura adfuerit, qualis in autumno esse solet, autumnales ægritudines fient: non enim προσηγορίαι τῶν ὡρῶν, idest appellationes temporum, morborum causæ sunt, ita quòd autumnus uel æstas, uel hyems, uel uer morbos pariant, sed sunt temperaturæ & qualitates, quę in his temporibus sunt: hæ enim quum uariæ sunt, necessarium est ut morbos uarios faciant. Hæc breuissime in omnibus Grecis codicibus habentur: in antiqua uero translatione causa redditur, quia in his mutationibus modo aperitur, & modo constringitur corpus. Et quòd de illis tribus horis caloris, & tribus frigoris dicitur, à Ioanitio, uel à Constantino addita sunt.

APHORISMVS QVINTVS

AVstri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiuscemodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si Aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

BRASAVOLVS

VT EDOCEAMVR ab Hippocrate, quarum dispositionum diuersi uenti causæ sint, ad uentos sermonem flectit. Etenim aer, in quo uiuimus, continuis uentis agi-

tatur, qualitatem aliquam habentibus, quæ noſtra corpora afficit. Has ergo qualitates conſiderãs Hippocrates, in hunc modum exorſus eſt: Quum Auſter ſpirabit, & non ſemel, ſed per multos dies uigeat, hominũ auditus hebetiores redduntur, eorundem oculi caligine quadã offunduntur, & capita grauiora fiunt, & omnia humana membra grauiora, & ad motum ineptiora efficiũtur. Quum igitur Auſtrini flatus perſeuerauerint, tu ſtatim iudica, tuis ægris hęc ſymptomata ſuperuentura: & hoc non ſine cauſa, ob huius uenti humiditatem. Si econtrario tempeſtas Aquilonia fuerit, quæ per aliquot dies perſeueret, ex præſcriptis ſymptomatibus nihil fiet, ſed alia, uel oppoſita, uel in alia ſpecie prodibunt. tuſſes & enim accident, & faucium deſtillationes, & aluus multũ dura fiet, adeo ut pauciſsima excernantur, difficultates urinæ fient, horrores, coſtarum atq; pectoris dolores. quũ hic uentus regnauerit, tu hæc ſymptomata in ægris, quos curas, propter frigiditatem & ſiccitatem uenti futura eſſe iudicato.

Νότοι. idest Auſtri.] Is enim uentus, qui à Latinis ab hauriendis aquis Auſter nuncupatur, à Græcis νότος, quaſi humidus dicitur. Νοτὶς enim apud ipſos, humiditas eſt. Vnde non ab re quod Hippocrates dixit νότοι, Leonicenus Auſtri, interpretatus eſt.


Hippocrates autem in hoc libro ſolum meminit duorũ uentorum, νότου, καὶ βορέου, ideſt, Auſtri & Boreæ. Per Auſtrũ uerò, omnes uentos intelligo, qui à meridie ſpirant, uel directe uel lateraliter ſit. Vt autẽ per qualitates ſcias, quos uentos ita appellet Hippocrates, ſcito, omnes calidos & humidos, νότους, ideſt, Auſtros, appellaſſe: & econtrario, omnes ſiccos & frigidos, Boreas. De calidis autem & ſiccis & frigidis & humidis, nullam mentionem fecit Hippocrates: quoniam ad præſcriptos duos deducendos eſſe iudicauit. cur uerò Noti, calidi & humidi ſint, Philotheus edocet, inquiens: θερμός ἐστι καὶ ὑγρός. καὶ θερμὸς μὲν, διὰ τὸ τὴν κεκαυμένην ζώνην πορεύεσθαι. ὑγρὸς δὲ, διὰ τὸ τῇ λεπτομερείᾳ ἀφαρπάζειν ὑγρότητα τῇ θερμότητι. ideſt, Calidus eſt & humidus: & calidus quidem, propterea quòd ab exuſta uel torrida zona uenit: humidus autem, quia partium tenuitate & caliditate, humiditatem ſecum trahit.

Tu uerò dubitare poteris, quomodo uenti frigidi & humidi ſint, quum Ariſtoteles in libris Meteororum, ex terra duplicem ſubſtantiam eleuari docuerit, uaporem, & exhalationem. Vapor condenſatus, aqua efficitur, ideo frigidus & humidus eſt: exhalationem uerò calidam & ſiccam facit, quæ in flatum tranſit. Reſpondemus, omnino uerum eſſe, uentum quantum ſit ratione primæ ſuæ generationis, calidum & ſiccum eſſe, quia exhalatio eſt: ſed hæc exhalatio aeri mixta, ſimul aerem mouet, & ipſum ad unam mundi partem defert: unde neceſſe eſt, quod per uaria loca feratur. Si per calida loca & humida tranſeat, humidi & calidi uapores unà miſcentur: & hic uentus, calidus & humidus appellatur: ſi per loca frigida & humida, eiuſdem qualitatis uapores ſecum ducens, frigidus & humidus dicitur. Propterea, ſi uentus ſolum eſſet aeris motus, & nihil aliud eſſet, quàm exhalatio, quantum ſit in eo, non poſſet eſſe niſi calidus & ſiccus: ſed loca per quæ tranſit, ita eum afficiunt, ut uarijs qualitatibus immiſceatur, ſecundum quas denominationem ſortitur.

Si uerò dicas, Ex hoc ſequi, Auſtrum frigidum eſſe poſſe, ſi per frigida loca diſcurrat. Reſpõdemus, hoc uerum eſſe: imò reſpectu aliquorum, qui in hoc mundo uiuunt, Auſter frigidus eſt: & reſpectu aliorum, ſiccus: ut Ariſtoteles in Problematum libro recte edocuit. Nam in decimoſeptimo Problematum libro, problemate ſeptuageſimoprimo, quærit: propter quid Auſtri, in Aphrica frigidi ſint, ut apud nos Aquilones.

Vt autem hanc hiſtoriam de uentis exquiſitius pertractemus, quot apud antiquos extiterint, & quot apud poſteriores, inquiremus. Ex hoc enim facilius & commodius eorum qualitates, per quas generant morbos, edocebimus. Ventos quatuor ſolum nouit antiquitas, è quatuor mundi partibus ſpirantes. Ideo nec Homerus (ut Plinius capite quadrageſimoſeptimo ſecundi libri docet) plures nominat. Antiquos illos imitatur Hippocrates. Quatuor deinde addidere, deinceps duos: de quibus eodem loco Plinius abunde pertractat. Nos, ut certiori uia incedamus, illud in primis admonebimus: In diuerſis anni temporibus, diuerſos ortus & occaſus ſolis inueniri. Nam alio tempore, & in alio loco, in æſtate ſol oritur: in alio, in hyeme: in alio etiam, in uere & autumno

nimno. Æstiuus ortus, in Septentrionem iuclinat: brumalis ortus aut hyemalis, in Meridiem: in medio horum est, æquinoctialis ortus. His autem ortibus, tres occasus correspondent: æstiuus, brumalis, æquinoctialis. Ab his ortibus & occasibus, sex uenti ortum ducunt: tres ab ortibus, & tres ab occasibus. tres primi, Orientales appellantur: tres alij, Occidentales. Extant duæ aliæ mundi partes, Septentrionalis, & Meridionalis, à quibus & duo uenti spirant. Propterea, in summa octo erunt. Sed à posterioribus, plures alij adduntur: quorum, ut notitiam, si non exquisitam, saltem mediocrem habeas, nos secundum mundi plagas descriptam formulam uentorum disponemus, ut ab authoribus dispositi sunt: & nomina tum antiqua, tum quæ uulgò circumferuntur, adducemus: ut quisque etiã mediocriter eruditus id cognoscat, de quo sermo futurus est.



HÆC est Pliniana, & antiqua uentorum ratio, quantum fit è locis, & partibus è quibus spirant. Vitruuius capite sexto primi libri suæ Architecturæ, cuiusdam Andronici Cyrestis mentionem facit, qui uentorum exemplum Athenis collocauit: Turrim inquam, marmoream octogonam, & in singulis lateribus octogoni singulorum uentorum imagines exculptas, contra suos cuiusq; flatus designauit: supraq; eam turrim metam marmoream perfecit, & insuper Tritonem æreum collocauit dextra manu uirgam porrigẽtem: & ita machinatus est, uti uento circumageretur, & semper contra flatum consisteret, supraq; imaginem flantis uenti indicem uirgam teneret.

SVNT deinde multi alij uenti, quos non nominauit antiquitas: sed à recentibus nautis in promptu habentur. Eos enim medios, & medianellos uocant: quartos, bastardos, & bastardellos: ut suis nominibus utar. Sumuntq; ab his, quibus propinqui sunt, denominationem, præsertim ab his octo.

AD Hippocratem igitur redeuntes, quum apud ipsum inuenietur Boreas, Aquilonem, Septentrionem: & Thrasciam intelligit, & omnes ab illa parte spirantes, imò omnes frigidos & siccos. Quum uero dicit Auster, Libonotum, Euronotum, Eurum, & omnes calidos & humidos intelligit. Sed ab re non erit, si horum uentorum naturas, secundum Hippocratem & Aristotelem enarremus. In qua re, si longiores quàm huic proposito conueniat, uideamur, id agemus, ne amplius in hoc libro opus sit de uentis mentionem facere. Ad hunc enim locum lectorem semper remittemus.

Hippocrates ergo in principio libri De aere, aquis, & locis, iubet uentos considerandos esse, & præcipue calidos, & frigidos, & eos qui omnibus hominibus communes sunt: deinde singulares, quoniam multi uenti sunt aliquibus prouincijs peculiares. In genere igitur, apud Hippocratem in secundo libro De uictus ratione, in principio, Omnes uenti de niue, glacie, geluq; uehementi, fluminibus, lacubus, paludibus, terra madefacta, frigefactaq; necessario spirant. Vnde absolute innuit, uentorum naturam esse madefacere & refrigerare animalium corpora, & quæ terra ædita sunt: tamen quia per loca uaria transeunt, propterea illorum locorum qualitates acquirunt, unde aliqui calidi sunt, alij frigidi, alij humidi, alij sicci. In genere uero infert, Ventos de mari uenientes ficciores esse. Qui uero de niue, glacie, gelu, lacubus, paludibus, & fluminibus spirant, humectant, & refrigerant animalia omnia & sata. Qui de montibus spirant, exsiccant: sed perturbant corpora. Hæc in genere ab Hippocrate de uentis dicta sunt in illo loco. Sed in fine etiam libri De humoribus, in genere dicit, Aliquos esse uentos, qui quum spirant, continuò spirant: alios, qui non continuò, sed per spatium intermittunt: alios, qui per tres dies durant: alios, per longius spatium: alios, per annum: ut etiam ægritudines sunt. Propterea, in generatione & duratione inter ægritudines & uentos comparationem facit. Ventum præterea in libro περὶ φυσώων, idest De flatibus, definiuit Hippocrates, esse aeris fluentem undam, qui quum uehementer flat, ui eius arbores conuelluntur, mare fluctuat, naues tantæ magnitudini non assuetæ per altum iactantur. Hanc quidem uim in his habet, qui non uidetur quidem, sed sentitur. Ad uentorum autem naturas particulariter descendentes, apud Hippocratem non uidetur de alijs uentis statuta mentio facta, præter quàm de Austro, & Borea. Vnde in libro De humoribus dicit, Quẽadmodum ex anni temporibus morbos coniectari licet: sic & ex morbis, aquas, tempestates, uentos prænoscere est, & siccitates: Septentrionem, Austrumq; scilicet. Ac si dixerit: Per uentos, Septentrionem & Austrum intelligo.

Auster, à meridie spirat, omnium uentorum insaluberrimus existimatur: calidus & humidus est, humiditate etiam caliditatem superante. Vnde Hippocrates in ultimo folio libri De sacro morbo, quum dixisset, Septentrionem saluberrimum esse uentum: addidit, Contrà autem Auster. Primum quidem, aerem strictum liquefacit, & spargit: siquidem non statim uehementer spirat, sed primo leniter: quoniam non tam subitò priorem aerem compactum & densum superat, sed temporis spatio dissoluit. Quod & per terras, mare, flumina, fontes, puteos facit, cunctaq; quæ gignuntur, & in quibus quid humidi est, quod in omnibus plus minus'ue est: quæ omnia uenti huius flatum

sentiunt

sentiunt: de lympidisq́, turbulenta fiunt: de frigidis, calida: de siccis, humida. Quæq́ dolia domi & in terra sunt, cum uino uel alio liquido, flatum Austri sentiunt, formasq́ alias sumunt: solemq́ & lunam, cæteraq́ sydera, hebetiora quàm suapte natura sint, facit. Quum hæc ergo tam magna ualidaq́ tantopere superet & afficiat, quid mirum, si cum corpora sentiant, mutenturq́? Mutationibus ergo horum uentorum, præsertim Austrinis, cerebrum dissolui, flaccescere, madescereq́ necesse est: uenasq́ magis laxari, & demitti. Hæc Hippocrates de Austrinis flatibus in libro De sacro morbo.

De eo autem quod dicebatur, Austrum primò leniter spirare, postea uehementer: Aristoteles libro decimo septimo Problematũ, problemate sexagesimo primo, dubiũ facit: propter quid Aquilo ut magnus incipiat, ita paruus desistat: Auster contrà, ut paruus incipit, ita magnus cessare solet. Respondet & hoc loco, & problemate sexagesimo septimo, ubi id uulgatum carmen habetur,

Quum cessat Boreas, quumq́ Auster surgere cœpit,

Nos potius uersus Septentrionem sitos esse, quàm uersus Meridiem: Aquilo autem ex Septentrionibus spirat, Auster ex Meridie. Merito alter statim quum ortus est, uehemens proxima sibi loca inuadit: deinde, suam uehementiam in loca transfert remotiora. Alter è contrario, Homines Meridiei incolas inter initia urget, pòst ubi præteriit, ignauus & imbecillis ad nos uenit. Vbi Aristoteles principalis quæsiti rationem reddere non uidetur: quamuis alia multa & pulcherrima de Austro & Borea quæsita dissoluere tentet, quæ tu ipse conspicere potes. Ad rem igitur redeuntes, Hippocrates in principio secundi libri De uictus ratione, uel De alimentis, dicit, Austrum è similibus natura locis spirare, è quibus spirat Aquilo: nam dicit, de axe Austrino spirare, & quòd frigidus est: tamen ob loca per quæ transit, calidas & humidas qualitates acquirit. Aristoteles autem, ab antarctico polo nullum uentum spirare docet. Et re uera ita est, quoniam terræ globus impedit, ne uentus à polo antarctico ad nos spiret: immo idem terræ globus nostrum Aquilonem impedit, ne antarcticos attingat.

Ventus autem qui ad nos spirat, Auster nuncupatus, à medio spirat. Sed quoniam hæc pars, respectu nostræ habitationis, uersus antarcticũ polum sita uidetur: propterea hic uentus ab antarctico polo spirare dicitur. Et fortè illum ita nuncupauit Hippocrates. Mirum tamen uidetur, cur frigidam qualitatem illi condonauerit: nisi putasset, ab Australi polo spirare, & non à parte media.

Aristoteles autem in secundo Meteororum libro, talem speculationem de uentis fecit, ut secundum duodecim mundi puncta, diuersitatem uentorum assignaret: unum in polo nostro Boreali: alium in puncto dextero circuli arctici, alium in sinistro: alium in puncto dextero circuli solstitij æstiualis, alium in sinistro: alium in puncto dextero æquatoris, alium in sinistro: alium in puncto dextero solstitij hyemalis, alium in sinistro: alium in puncto dextero circuli antarctici, alium in sinistro: alium in polo antarctico. Itaq́ duodecim sunt. Tamen admonet, illos uentos ad nos non spirare, qui ex parte antarctici poli spirant: sed unum solum esse, qui eorum officio fungatur, & qui nobis ab illa parte spirare uidetur. Multa autem hic occurrunt ambigua, quæ nos omittere decreuimus, te ad Aristotelis librum remittentes, in quo ordinatiorem modum elicere poteris.

Ad rem nostram redeuntes, Auster, uentus humidus est, qui ut plurimum pluuias & tempestates inducit: unde à Poeta decantatum est in narratione Æneæ,

Et terruit Auster euntes.

In naufragio præterea eiusdem Æneæ scriptum est,

Tris Notus abreptas in saxa latentia torquet.

Et nubilosus Auster, præsertim quum maior est. Nam ut Aristoteles decimo septimo libro Problematum docet, problemate quadragesimo tertio: Auster minor, nullas nubes obducit: minor autem, nubilus & diuturnior est. In summa igitur, Auster, humidus est & calidus, humiditate caliditatem plerunque superante, tuncq́

te, tuncq́ deterior est. Tamen Aristoteles quandoq́ siccum Austrum appellat, ut libro decimoseptimo, problemate septuagesimosecundo, ubi quærit cur Austri sicci febres cõtrahant. Intelligit autem per siccos Austros, eos qui dum spirant, pluuiam non inducunt, non tamẽ quia humidam qualitatem non habeat: aliter ratio quam assignat, conueniens non esset. Est autẽ illa: ideo febrem inducere, quia humidus est & calidus, quæ sunt materię febris. Est ergo uentorum pessimus Auster: sed Aetius capite centesimo septuagesimo secũdo tertij libri Austrum non esse semper humidum, sed quandoq́ calidum & siccum edocet, ideo (inquit) uarios morbos producit: tempore æstatis calidus & siccus esse debet. nam si apud nos tẽpore æstatis tempus tranquillum sit, necesse est usq́ ad meridiem spiret Aphricus, qui & Libs, à nobis autem *Garbino* nuncupatur, post meridiem uero, Australis uentus Eurus spiret, quem nos *Sirocho* uocamus. Imò & Aristoteles decimo septimo Problematũ libro, problemate trigesimo quarto, dubitat cur Auster Canicula oriente moueatur, idq́ lege naturæ certissima fieri soleat, & ita experientia esse docet: Respondet quia tunc calidissimi uenti generantur, & multa alia addit, quæ huc non est opus afferre. De uentis autem pręcitato loco, secundum Adamantini sophistæ sententiam Aetius tractat, & secundum ordinem à nobis datum, imò solum differt, quia ubi nos Argestem posuimus, ipse Thrasciã collocat, & ubi nos Thrasciam, ipse Argestem: sed non est hic locus considerandi diuersorum authorum sententias in positione uẽtorum, nempe opus esset, Ptolemæum, Victruuium, Plinium, Gellium, Columellam, & recentes multos in ordine uentorum explicando unà conferre, & ita ad nostram intentionem nimis tarde perueniremus. Sed illuc redeuntes, unde digressi sumus, Celsus capite primo secundi libri Austrum damnat, imò Austris spirantibus, dies pluuios magis sanos esse quàm nubilos, & nebulosos, propter suam humiditatem iudicauit. Auster quoq́ aerem, in quo uiuimus, crassiorem, & humidiorem reddit, quàm par sit, unde ab Hippocrate hic non sine causa dicitur, Νότοι βαρυήκοοι idest, Austri auditum hebetãtes. Quod de auditu Hippocrates dicit: idem in omni alio sensu intelligere oportet, quippe, sensus in sicco uigent, propterea Galenus in libro Artis medicinalis: siccas cerebri temperaturas, sensus uegetiores habere dicit, humidas autem hebetiores. Ratio autem est, quia in aere propter Austrum humiditas gignitur, nam multos habet uapores humidos immixtos, qui aures ingredientes, & eorum meatus, auditũm obtundunt. nam hic aer non ita facile extrinsecus mouetur, nec ita facile aerem intrinsecum auris, ab Aristotele complantatum & cõnaturalem aeri appellatum mouet. De solo autem auditu sermonem habuit Hippocrates, & non de alijs sensibus, quia in auditu hoc sensate percipimus, spirante Austro, & per aliquot dies perseuerante auditũ hebetari. Tamen & de uisu dicit quod caliginosus fit, ut duos sensus perfectiores proponat. Imò aliqui ob hanc humiditatem uisum penitus amisere, alij auditum, quia hæc extrinseca causa, intrinsecam mouit, quæ quiescebat, sed à solo uento id fieri non poterat. Quod autem dicitur βαρυήκοοι, & antiqua interpretatio habet grauãtes auditum, non mihi displicet, quia uerbũ uerbo reddit. Philotheus etiam ex eius humiditate sensus obtusiores fieri testatur inquiens, μετὰ γὰρ πολλῆς ὑγρότητος, τὰ τῶν αἰσθήσεων ὄργανα ἀμφαίνουσιν, idest, Nam cum multa humiditate sensuum organa obstruuntur.

ἀχλυώδεες, idest, Caliginosi.] Ipsi Austri caliginosi sunt, quoniam oculorum uis in sicco & puro aere fit. Est autem turbulentus, impurus, & subobscurus Austrorum aër, imò & uisuales species, quæ per aerem causantur, obtusiores sunt: propterea caliginosi sunt Austri, tum ratione oculorum, à quibus uisum partim demunt, & obscurant, tum ratione sui, quia caliginosum, obscurum, crassum, & non lympidum aerem faciunt: tamen de ea potissimum quæ in nobis fit caligine, ab ipsis causata intelligendus est, ut in Galeni Commento inueniemus: immo & ipsemet Hippocrates in libro De humoribus, oculos caliginosos ab Austro fieri dicit. Celsus tamen in primo capite secundi libri, hunc Aphorismum interpretans, hanc particulam Caliginosi, non ponit: sed eius loco dicit, sensus tardat. Oribasius uero manifeste caliginem circa oculos intelligit, immo dubium facit, cur prius Hippocrates oculorum caliginem, deinde auditus hebetudinem ponat. Ita forte scriptum erat in Oribasii contextu. Sed in codicibus quos

habemus, & quos unquam uidimus, quum Græcis tum Latinis, auditus hebetudo est ante oculorum caliginem. Hæc autem (inquit) duobus modis fiunt, uno quia calor uenti crassa resoluit, quæ euaporari non possunt, secundo quia humiditas humiditati augmentum est.

Καρηβαρικοί. idest, Caput grauantes.] Quia sunt calidi & humidi, apti ut facile caput ingredi possint, & cum crassi sint, pondus habent, quare hoc uento spirāte necesse est nostra capita insolitam quandam grauitatem sentire, quę ex plenitudine rei humidæ prouenit, unde & Philotheus, ὑπὸ πλήθει, idest Ex multitudine, prouenire dicit.

Νωθροί. idest, Pigri.] Quum enim caput impletur, necesse est omnia quæ à capite dependent, & ab illo ortum habent, impleri: ortum uero habent nerui, ideo ipsi implētur, & pigritiem quādam in nostro corpore causant, in omnibusque membris lassitudinem, ut fere moueri non possimus, sed in eodē loco in quo sumus, iacere cupiamus. propterea Aetius libri quarti capite septuagesimo, calidi, & humidi cerebri signa describens dicit hos plurimum ab austro offendi. eandem causam reddit Philotheus, inquiens, τῆς δὲ ἀρχῆς τῶν νεύρων ὑγρανθείσης, ἀνάγκη καὶ τὰς καθ' ὁρμὴν ἐνεργείας νωθεστέρας γίνεσθαι, καὶ ὥσπερ διαλελυμένον ἑαυτὸν φαίνεσθαι τὸν ἄνθρωπον. idest, Principio autem neruorum humectato, necesse est & operationes quæ secundum motum sunt, magis pigras fieri, & uelu ti resolutum ipsum hominem uideri.

Διαλυτικοί. idest, Dissoluentes.] Quoniam membra ob humiditatem dissoluuntur, quę per neruos ad omnē nostri corporis partem fluit, & eos tali modo relaxat, ut is qui dissolutus est, brachia eleuare sine aliquo impedimento non possit, idem in cruribus & alijs membris accidit. In aliquibus contextibus hæc pars dissoluentes, post illam ponitur, caliginosi, & præsertim in antiquis, tamen in aliquibus secundum Leoniceni ordinem legitur: sed uel pręcedat uel sequatur, ad intelligendam Hippocratis sententiam nihil facit. Quod hæc ab isto uento fiant experientia ipsa ostendit, imò & plura alia, quæ in hoc loco ab Hippocrate enumerata non sunt, ut quod hi uenti capita implentes apoplexiam, morbum ue comitialem pariant, & capitis dolores, & aurium tinnitus, & putridas febres: Pręterea putredines exaugent, podagras, chiragras ue mouēt. Nec alij desunt morbi, quos prosequi nimis longum esset, nam infinitorum propè morborum, humiditas causa est, quæ omnium putredinum mater existimatur. Hippocrati uero satis fuit, morbos in hac tempestate frequentiores adducere. Celsus capite primo secundi libri opposito modo, quàm Hippocrates fecerit, hunc Aphorismum adducit. nam Hippocrates primo incōmoda austri enumerat, deinde Aquilonis. E contrario Celsus, primo Aquilonis, deinde austri. de austro autem hæc dicit: auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolores mouet, aluum soluit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. Locutus autē fuerat prius de Aquilone, ideo addit, cæteri uenti, quo uel huic, uel illi propiores sint, eo magis uicinos his, illis ue affectus faciunt. Hippocrates quoque in libro De humoribus, de Austro & Aquilone sermonem habens, primo de Austro hæc dicit: nam auster auditum grauem, capitis grauedinem, uisum hebetem, corporis torporem, delassationem, & resolutionem facit: cumque hic præualet, hæc in morbis patiūtur, & ueniunt putrida fluidaque ulcera: præsertim os, pudenda, cæteraque talia hoc patiuntur. Imò & ipse Aristoteles decimo septimo Problematum libro, problemate sexagesimo quarto dubitat, cur spirātibus austris homines grauiores, inualidiores sese reddunt. Respondet, quia humor augetur & tabescit, per humorem autem humiditatem ipsam intellige. Hippocrates quoque in principio secundi libri De ratione uictus, in hæc uerba prorupit: quæ uero loca montes ad austrum uergentes habent, morbosi & æstuosi in his austri spirant. Paulo deinde addit: loca uero caua cum urbibus, Aquilonibus obtecta, uentis calidis afflantur, calida morbosaque sunt, quoniam Septentrio spirans ea non purgat, nec æstiuis uentis refrigerantur.

Idem Hippocrates in libro De aere, aquis, & locis, ubi de Asianis sermonem habet, quos dicit habere corpus ad laborem & exercitationem pigerrimum, quoniam uenti ut plurimum ibi spirant Austrini, ideo & ipsos imbelles dicit. unde & nos experientia uidemus Turcas qui ex illa mundi plaga ortum habent, effœminatos esse, & in conserendis manibus parum ualere.

Quum

Quum uero dictum sit, austrum calidum & humidum esse, alicui fortasse uidebitur ab Aristotele oppositum dici, qui in secundo Meteororum libro uentos calidos, & siccos facit, ideo auster humidus non erit. Præterea experientia ipsa nos commonet uentos frigidos esse, nam ipsis spirantibus refrigeramur, ut eodem loco ab Aristotele edocemur. Respondemus, austrum duobus modis considerari posse, uno modo ut uentus est, alio modo ut ab ea parte à qua uenit, spirat, primo modo est exhalatio calida & sicca, quæ ut ab illa mũdi plaga ad nos uenit, humidos uapores ducit. Ideo loca, per quæ transit auster, humidum ipsum fecere; qui tamen, ut uentus, siccus erat. Ad aliud Aristoteles in Problematibus respondet; austros refrigerare, quia aerem qui nos ambit, frequenter immutant. Propterea frigidiores uidentur, quia nobis diu non inhærent.

ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ. idest, Quando hic (scilicet austrinus uentus) uel quãdo hæc tempestas præualuerit.] Idest cum hic uentus diu perflauerit, & uehemens sit, quia Galenus in primo Epidemiorum de forti & perdurante, quod præualeat, intelligit.

Τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσι. idest, Talia in morbis patiuntur.] Ac si dicat, hi qui ægrotant, in morbis hæc symptomata patiũtur, si austri spirauerint, nam ea quæ ab Hippocrate numerantur, symptomata sunt, quæ ab aliqua ægritudine pendent, tamen & hi uenti dispositiones ipsas, quæ morbi sunt, efficiunt. Intelligo autem australes uentos, in quorum numero Euronotum, & Libonotum, & Eurum (quem nos *sirocho*, quoniam uesperi spirat, præsertim æstate, uocamus) complectimur. Est enim & Eurus humidus ualde, & caliginosum aerem, crassum & obscurum facit. Vnde Aristoteles decimoseptimo Problematũ libro, ꝓblemate septuagesimoquinto dubitat, cur Euro spirãte omnia maiora uideantur; respõdet, an quoniam eo flatu aer obscurior caliginosissimusq; reddatur. & hæc est ratio cur nunc duæ stellæ Ferrariensium animos perturbauerint, quæ multo maiores solito uidebantur, tamen erant Venus & Mercurius: maiores autem uidebãtur propter uapores in aere positos, nam quandoq; auster, quandoq; Fauonius (qui huius tẽpestatis idest ueris peculiarissimus uentus est) spirabat. Per austros etiam, orientales uentos simul intelligo, qui apud nos pluuias ferè semper inducere solent, & nubibus cælum obducunt. Venti autem occidentales, apud nos serenitates inducunt, apud nos autem intelligo, quia fieri potest aliquibus mundi plagis orientales uentos serenos esse, imò ita esse constat. Vnum tamẽ est apud Aetium capite centesimo septuagesimo secundo tertij libri consideratione dignum, quia ab hoc authore dicitur, orientales uiolentissimos esse, & mirum in modum ęgritudines inducere, quæ à siccitate fiunt. tamen apud nos constat orientales uentos ut plurimũ humidos & pluuios esse. Hæcq; pro prima aphorismi parte interpretanda satis sint.

ἢν δὲ βόρειον. idest, Si autem Boreas (quem Latini Aquilonem uocant) scilicet spirauerit.] Est autem Boreas frigidus & siccus uentus, unde & Philotheus dicit, ὁ βορέας ψυχρός ἐστι καὶ ξηρὸς, διὰ τὸ εἶναι τόπον ἐξ οὗ γεννᾶται ψυχρὸν, καὶ δι' ὧν διαπορεύεται. idest, Boreas, frigidus est & siccus, propterea quod locus ex quo oritur, frigidus est, & per quẽ transit. Quamuis humidus quandoq; sit, propter aliqua loca, per quæ transit. Nos dicere solemus, si Boreas tranquillum tempus inuenerit, pluuias inducere; si pluuias, tranquillitatem parere. Apud nos uero Boreas ut plurimum serenus est, tamen quandoq; humidus uidetur, quia post austrum spirat, qui nubes iam collegit. Ipse uero collectas nubes, tanquã manus exprimit. & hoc frequenter accidit, desinente Austro surgit Boreas: & ideo Aristoteles decimo septimo Problematum libro, problemate sexagesimo nono dubitat, cur post Austrum cito Aquilo spiret, post Aquilonem non cito Auster: imò quando Auster præcedit Boream, hyems glacialis fit, iuxta illius carminis sententiam,

Fit glacialis hyems Boream si duxerit Auster.

Et iuxta illud celebre,

Ostendente lutum Borea, mox terra gelascit.

Quæ carmina ab Aristotele referuntur problemate sexagesimo octauo præcitati libri. Est autẽ inter uentos saluberrimus Aquilo: & ideo Celsus capite primo secundi libri inquit, Salubriores septẽtrionales, quàm subsolani uel austri sunt. & Hippocrates in libro De sacro morbo dicit eos mutationibus uẽtorum corripi, præsertim austri, deinde

aquilonijs, ut præferat Aquilones austris, quoniā hunc morbum per suum motum ita non faciunt, ut austri. propterea in illo loco prosequitur, Aquilo nubila discutit, cælū, aera serenat, lympidumq; & lucidum facit. Similiterq; & uenti omnes qui de mari, cæterisq; aquis ueniunt, caliginem enim humidam omnium, & hominum pellunt, propterea uentorum omnium Aquilo saluberrimus est, contra autem auster. Idem quoq; Hippocrates in secundo libro De uictus ratione post principium, Boreæ naturā describēs inquit, Boreas frigidus et humidus est, quod de locis spirat, quæ Sol nō adit, nec siccat, Quare cum sua ui loca habitata perflat, nisi regionis situ perdatur, proxime quidem habitantibus frigidissimus est, longius uero minime. In qua re de Hippocrate miror (si is liber Hippocratis sit qui De uictus ratione circumfertur, tamen apud omnes Hippocratis esse in confesso est) qui hunc uentum humidum facit, cum siccus sit, & etiam in Coo insula Hippocratis patria siccus est, quamuis nonnunquàm & illuc & ad nos humidus spiret, tamē ut plurimum siccus est. In eodem uero libro antequam ea quæ à nobis dicta sunt, adduxerit, quod est in principio ferè libri dicebat, Montes autem Aquilonem non spectantes, aquilonės perturbant, morbosq; creant. unde hos uentos sanos esse intelligit. ideo loca quæ tecta sunt ne illuc aquilones spirare possint, dicit esse morbosa. propterea in libro De aere, aqua, & locis, de Scythis Nomadibus sermonem habens, quos feroces facit, et Scytharum mulieres militiā exercere docet, ad hos dicit Boream spirare. Quare Boreas sanissimus uentus est frigidus & siccus, unde & Aetius capite. 172. libri tertij, inquit, Boreales natura frigidi uentorū omnium saluberrimi sunt, calidioribus præsertim & carnosis hominibus. Adde quod Victruuius in primo tradit oppidum Mitylenem magnificenter quidem ædificatum fuisse, sed positum non prudenter. In qua ciuitate, Auster quum flat, homines ęgrotant: quum Corus, tussiunt: quū Septentrio restituuntur ad salubritatem. Ad rem igitur redeuntes, Hippocrates in secū da huius Aphorismi parte dicit.

ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες. idest, Si aquilonia fuerit, scilicet tempestas uel constitutio, tusses.] Quippe spirante Borea fit ueluti humiditatum quę in capite sunt, compressio. propterea ad pectus destillant, & tussim inducunt. fit inquam compressio ac si quis spongiam aqua plenam manu comprimat, ita facit Boreas, humiditates capitis stringens, & comprimens, ad pectus destillare facit, & tussim faciunt. Galenus autem inquit tussim ex intemperie frigida quæ ab hoc uēto in instrumentis anhelitus infertur, nempe instrumenta hæc neruea, carthilaginea & frigida sunt, ideo ab hoc uento multum penetrante facile afficiuntur. Tamen nos etiam putamus ex compressione prædicta à Borea tussim fieri, & hoc potissimum uerum est, quando tussis humida infestat, in qua scilicet materiam exprimimus: hocq; potissimum uerum est, quando præcesserit auster, qui nostra capita impleuerit, deinde Boreas subsequatur, qui tanquàm manus exprimat. Tusses autem illę (de quibus Galenus sermonem facit, quæ ex frigiditate uenti, & qualitate illa qua afficiuntur instrumenta anhelitus) siccæ sunt, idest, in quibus nihil expuitur, nec adest materia quæ expui debeat, ideo per solam alterationem ad oppositum sanantur, quoniam euacuatione non indigemus, nisi ibi præfuerit materia. Philotheus quoq; tussis causam in hac constitutione talem assignat, inquiens, ἐὰν οὖν βόρειον ᾖ τὸ κατάστημα, καὶ ἐπικρατῇ, τουτέστιν ἄνυδρον, ψυχρὸν, καὶ ξηρὸν, βῆχες γίνονται, φάρυγγες ξηραὶ, καὶ τὰ λοιπά. διὰ τί, διότι καὶ τὸ εἰσπνεόμενον ψυχρὸν ὂν τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν καὶ τὸν πνεύμονα πλήττει τῇ ψύξει, κἀντεῦθεν βῆχα ἀπεργάζεται, τῆς ἀποκριτικῆς δυνάμεως ἐπεγειρομένης πρὸς τὸ ἀπῶσαι τὸ παρὰ φύσιν ἐφιέμενον. idest, Si uero cōstitutio aquilonia sit, & pręualuerit, hoc est, inaquosa, frigida, & sicca, tusses fiunt, fauces siccæ, & reliqua. propter quid? quoniā cum fit inspiratio frigida, asperam arteriam & pulmonē frigiditate percellit, & hinc tusses efficiuntur, depulsiua potentia exsiccata, ut id quod præter naturam ingressum est, depellat.

φάρυγγες. idest, fauces. Theodorus, & Leonicenus hoc modo interpretantur, & ante hos, hanc partem Celsus libro secundo, capite primo ita interpretatur, Fauces exasperant, ubi hūc Aphorismum citat, & latina lingua interpretatur. Ego uero interpretarer guttura, quia dictum est Boream mouere tussim, & hoc ob materiam à capite destillantem, & pectus petentem, uel ob siccitatem secundum Galenum, quæ in pectoris parti-

bus causatur, & frigiditatem. si autem eadem materia ad canalem ſpiritalem deſcendat, illum exaſperat: uel Boreas ſuo frigore hunc canalem qui carthilagineus eſt, adeo exſiccat, ut exaſperet. Cum autem φάρυγξ apud Græcos quandoq; ſpiritalem cannã, quandoque fauces ipſas ſignificet, ego hic ſpiritalem cannam & guttur intelligo, quamuis & fieri poſſit quod ſpirante Borea fauces ipſę exaſperentur, propterea & fauces & guttura intelligere poſſumus: tamen uocabulum φάρυγξ apud Ariſtotelem in tertio Ethicorum libro pro fiſtula cibali accipitur, ubi de Philoxeno excellenti lurcone hiſtoriam refert, qui longiſſimum φάρυγγα habere cupiebat, ut cibus diutius moraretur in uia. Ariſtotelis uerba hæc ſunt, Διὸ καὶ ηὔξατό τις Φιλόξενος ἐρύξιος ὀψοφάγος ὢν τὸν φάρυγγα αὐτῷ μακρότερον γεράνου γενέσθαι. ideſt, propterea & Philoxenus quiſpiam Erixius, uorator exiſtens cupiebat φάρυγγα ſibi longiorem fieri, quàm grus habeat. Apparet autem quod per φάρυγγα cibalem cannam intelligit, niſi quis collum interpretari uoluerit, in quo & cibalis canna & ſpiritalis inſunt. Cum autem abſolute uel guttura, uel fauces ab Hippocrate dicatur, aliquis dubitare poſſet, quid à Borea circa has partes fieri intelligendum ſit. Reſpondemus, illam particulam, duræ, ſubintelligendam eſſe, uel ut Celſus interpretatur, fauces exaſperant. nos autem guttura exaſperant dicamus, quia Boreas carthilagineas partes exſiccat, fauces autem non ita facile afficiuntur, quia ſunt initia uiarum ad cannas, ſicuti ora fluminum maria ingredientium fauces appellamus, quæ carne ſepta ſunt. Non ſolum uero guttura prædura & aſpera efficiuntur, & arctiora, ſed & anhelitus difficultas contingit. Ab hoc tamen temperare non poſſum, quin edoceam apud medicos authores φάρυγγα eſſe fauces, λάρυγγα uero eſſe uiam ad pectus & canalem ſpiritalem, qui ad pulmonem tranſit. Nam Paulus Aegineta libro tertio, capite uigeſimooctauo De deſtillatione uerba faciẽs dicit, Si fluat ad nares, coryza eſt: ſi autem per palatum in φάρυγγα, ideſt fauces, ſimpliciter catarrhus appellatur: ſi uero in λάρυγγα, ideſt guttur, Branchus dicitur. ubi manifeſte apparet hunc authorem per φάρυγγα fauces, per λάρυγγα guttur intelligere. Iulius autem Pollux ſecundo libro ſui onomaſtici inquit, quam Græci φάρυγγα uocarunt, eſſe principium ſtomachi. & hoc loco per ſtomachum id intelligit, quod ab antiquis intelligebatur, ſcilicet canalem cibalem: λάρυγγα autem uocat, animæ, ideſt ſpiritus, canalem. Et quod φάρυγγα fauces ſignificet, hinc teſtimonium haberi poteſt, quia Græci φαρυγγίτιδας appellant, uenas quę ſub faucibus ſunt, quarum primo libro Trallianus meminit, ubi de ſanguinis miſſione per uenas & cucurbitulas, deq; purgatione corporis in angina tractat. & omnes, qui de deſtillatione ſermonem habent Græci, dicunt, quandoq; ad φάρυγγα, quandoq; ad λάρυγγα deſtillare materiam: quod indicium eſt unum fauces, aliud guttur ſignificare, quamuis nonnunquam indiſcriminatim poſita uideantur. Ad rem igitur, cum ſpirat Boreas, φάρυγγες, ideſt fauces, uel guttura, prædureſcunt. uel, ut Celſus, exaſperantur, uel patiuntur: quia cum membra frigida ſint, facile exſiccantur, ſed guttur magis quàm fauces. Philotheus uero hoc modo cauſam aſſignat φάρυγγες δὲ, τουτέστι τὰ περὶ τὸν φάρυγγα πάθη, διὰ τὸ ἀμέσως τὸν εἰσπνεόμενον ψυχρὸν ἀέρα, τῷ φάρυγγι ὁμιλεῖν πρῶτον. ideſt, fauces autem, hoc eſt circa fauces affectus, propterea quod aer frigidus immediate ad pulmonem inſpiratus, primo circa fauces uerſatur.

Κοιλίαι σκληραί. ideſt, Alui duræ.] Celſus capite primo ſecundi libri hanc particulam interpretari uidetur, uentrem adſtringit. Aquilo enim cum ſiccus ſit, noſtri corporis feces exſiccat, propterea duræ efficiũtur: & ideo hoc de alui duritie, non ad ipſam aluum referri debet, & uentris ſubſtantiam, quæ dureſcat, ſed ad feces contentas, quæ ſpirante Borea ſolidiores & ſemilapideæ efficiuntur. Adde, cum ſit frigidus & ſiccus uentus, contentiuam uirtutem fortiorem reddit, expultricem uero debiliorem, ideo aluus dura efficitur. Si autem multum infrigidauerit, mollior erit, immo defluxum inducere poſſet, ut plures uiſi ſunt, qui ex nimio frigore alui profluuia incidere. hic autem per κοιλίαν inferiorem uentrem intelligimus. Philotheus & ipſe cur alui duræ fiant ita rationem aſſignat, ἀλλὰ καὶ κοιλίαι σκληραὶ γίνονται, ἐπειδὴ τότε πυκνοῦται ἡ ἐπιφάνεια ψυχομένη, καὶ ἀποκλείεται ἐν τῷ βάθει τὸ ἔμφυτον θερμόν. τούτου οὖν ἀποκλειομένου ἐξικμάζεται τὸ ἐν τοῖς ἐντέροις περίττωμα. κἀντεῦθεν κοιλίαι σκληραὶ γίνονται. ideſt, Sed & alui durę fiũt, quoniam ſuperficies infrigidata denſatur, & innata in profundo caliditas excluditur:

hac

hac igitur exclusa, excrementum quod in intestinis est amittit uigorem, uel exsiccatur, & hinc alui duræ fiunt.

Δυσουρίαι, idest, difficultates urinę,] Celsus precitato loco, scilicet primo capite secundi libri, hanc partem ita refert, urinam supprimit. In urinæ autem difficultatibus explanandis recentes mire hallucinantur, ideo nos eorum nugis omissis, dicamus, apud antiquos authores, hæc tria inueniri δυσουρία, στραγγουρία, ἰσχουρία. δυσουρία difficultas urinæ est, unde Cato capite centesimoprimo, sexti libri De re rustica inquit, Quibus lotium ægre it, Græci & à difficultate & à dolore δυσουρία id malum dixerunt. Ideó & Alexander Trallianus capite trigesimooctauo, libri tertij, inquit, in δυσουρία urinam multo conatu effluere, interdum non sine magno cruciatu, interdum citra dolorem. ut hinc colligi possit, urinæ difficultatem esse posse, in qua nullus dolor sit præter conatum. Propterea & Aetius libro undecimo, capite decimonono, inquit, δυσουρία dicitur, quum æger meiere cupit, & cum ui urinæ excernuntur. In capite autem uigesimo eiusdem libri dolorē addit. De hac eadē re Paulus capite quadragesimoquinto, tertij libri abunde pertractat. στραγγουρία uero est cum urina guttatim meijtur. Vnde Cato præcitato loco inquit hoc malum his inesse, quibus lotium substillum est. Cuius causa à Galeno sexto libro de Symptomatum causis, redditur, Idem Galenus in libro Definitionum, inquit, στραγγουρίαν εἶναι κατὰ στράγγα τοῦ οὔρου ἔκκρισιν. idest, Stanguriam esse per interualla stillarum urinæ fluxum, de qua Paulus, Trallianus, & Aetius præcitatis locis tractauerunt. ἰσχουρία in eodem Definitionum libro à Galeno (quãuis spurius Galeni liber is existimetur) declaratur esse integram urinæ suppressionē, ut sexto De symptomatum causis ubertim docuit. Celsus hunc Aphorismum interpretans capite primo secundi libri, Suppressionem urinæ dicit, non difficultatem. idest, ἰσχουρίαν, non δυσουρίαν. Tamen tu Hippocratem de omnibus his passionibus intellige, quod à Borea fieri possint, & fiant, quoniam uesica exanguis est, ideo à Borea frigefieri facile potest, & quia materiæ eliquantur, quæ ad uias urinæ pertingunt, nempe frigora exanguibus corporibus & carthilagineis non mediocriter obsunt. Philotheus sequentem particulam cum ista iungere uidetur, ut hunc sensum reddat: difficultates urinæ horrorem facientes, uel horrificæ, nempe inquit, δυσουρίαι δὲ φρικώδεις, διὰ τὸ πλήττεσθαι καὶ αὐτὴν τὴν κύστιν τῇ ψύξει, καὶ νευρώδη ὑπάρχουσαν, κἀκ τούτου πόνον αἰσθάνεται. τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ φρικώδεις. idest, Difficultates autem urinæ horrificæ, scilicet fiunt, propterea quod & ipsa uesica frigiditate percellitur, & cum neruosa sit, ex hoc dolorem sentit: hoc enim est horrificæ. Si uero quis sit qui etiam in Philotheo horrores à difficultatibus urinæ distinguere uoluerit, is facile id faciet, si hoc modo Philotheum interpretetur. Difficultates autem urinæ & horrores, propterea quod & ipsa uesica frigiditate percutitur, & cũ neruosa sit, ex hoc dolorem sentit: idem autem sunt horrores.

φρικώδεις, idest, horrores, Ita Leonicenus interpretatur, & non ab re, Theodorus autem reddit, dolores horrifici, & cum sequentibus iungit, scilicet, dolores horrifici costarum & pectoris, quod mihi absurdum uidetur. etenim opus non est ut dolores cum horrore in costis uel pectoribus fiant, licet nonnunquàm fieri possint, propterea cum Leoniceno hæc distincta lego, ut horrores primo sint, deinde costarum & pectorum dolores sequantur. Itaque contextus omnes Græci habent, licet Hippocrates in libro De humoribus eadem referens quæ hic, horrores prætermittat, & solum pectorum & laterum dolores adducat. Tamen Celsus qui capite primo secundi libri hũc Aphorismum adducit, ista distincta ponit, dicens, horrores excitat. Item dolores lateris & pectoris. Hi autem horrores à Boreæ frigiditate fiunt, unde & Celsus capite nono primi libri dicit frigus horrores facere, & tremores. Si uero petas quid intelligendum sit per horrores, Celsus capite tertio libri tertij respondet dicens: frigus uoco ubi extremæ partes membrorum inalgescũt: horrorem, ubi totum corpus intremit. unde per horrorem hic Hippocrates totius corporis tremorem intelligit. & ideo idem Celsus capite octauo libri secundi inquit. febrem ardentem, quam Græci καυσώδη uocant, subitus horror exsoluit. potest autem hic horror sine febre fieri, quamuis in febrium initijs ut plurimum fiant. spirante Borea horrores fiunt, immo & frigora circa membra, quandoque circa

omnia, quandoque circa illa quæ detecta sunt: uel quia Boreas sua frigiditate insensibiles meatus, & poros obstruit, ut fumi exire non possint, ad quos naturalis calor accurrens, extremas partes calore destitutas relinquit, propterea horrent. prima tamen causa perfectior est.

ὀδύναι πλευρέων, στηθέων. idest, Dolores costarum, pectorum.] Mihi enim magis arridet ut pectorum in plurali, quàm pectoris in singulari interpretemur, ut Leonicenus facit: quoniam apud Hippocratem & probos authores, cum de pectore sermo incidit, in plurali pectora nominant, & non sine causa: quia in duas cauitates partitur, mediastina pellicula distinctas, ad hunc finem à natura factas, ne si una pars læsa sit, altera protinus lædatur: itaque pulmo in dextera parte, unam sui partionem habet, in sinistra alteram. Celsus capite primo secundi libri in singulari uertit, nec dicit costarum, sed lateris & pectoris. Ad rem igitur, costarum dolores multis de causis fiunt: uel ob Borealis uēti frigiditatem, quæ has partes mala qualitate frigida afficit, ex qua dolor causatur, quā causam Philotheus sequitur: uel ob siccitatem, quæ dilationem prohibet, aut impedit: uel ob materiam à capite defluentem ad pectus, quæ nonnunquam pleuritim, nonnunquam dolores alios parit. In pectoribus quoque ob frigiditatem & siccitatem, & ob materiam fluētem dolores causantur, quoniam pectoribus mirum in modum obest frigus.

ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ. idest, Quando hic uentus, uel hæc tempestas præualuerit, eo modo intelligentes ut in prima Aphorismi parte dictum est, quando hic uentus ut plurimum regnauerit, quoniam nihil impedit alium uentū quandoque spirare, sed rarius, ut in præterita hyeme. 1537. Boreas supra modum præualuit, ideo frigidissima & siccissima fuit, tamen quandoque Auster & Eurus spirarunt, sed rarissime: propterea multę destillationes, ad fauces, ad guttura, & ad pectora descenderunt. Multas quoque urinæ difficultates in cura habuimus. In reliquis sanissima tempestas fuit.

Τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀρρωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή. idest, Talia in morbis expectare oportet.] Quod an in morbis iam factis, an in morbis qui fiunt, hæc symptomata sequi intelligamus, parum refert. Sint autem symptomata, quæ non ratione morbi, sed potius ratione temporis ita inducentis consequantur: etenim tempus malam qualitatem facit, ad quam hæc sequuntur: nec ab re forte dictum est, expectare oportet: quoniam & si repente non fiant, tamen expectanda sunt. actiua enim qualitas frigida ita repente non afficit, ut calida facit. Nunc autem uigente Borea, hæc ferè symptomata in morbis habentur, quæ ab Hippocrate referuntur, tamen hyemem transegimus, in qua Boreas præualuerat.

Per Boream uero nō solum Aquilonem, sed Septentrionem, Thrasceam, & omnes occidentales uentos intellige, qui frigiditatem participāt. Nempe regula est apud nos, quæ rarissime fallit, orientales uentos humidos esse & calidos, occidentales siccos & frigidos: & si quandoque oppositum inueneris, id raro contingit.

Sed de aliorum uentorum qualitatibus, ab aliquo authore expressum non est, propterea nos de aliquibus sermonem habebimus, qui ab Aristotele decimoseptimo Problematum libro referuntur. ipse etenim problemate septuagesimoquinto eiusdem libri quęrit: propter quid Euro spirante, omnia maiora uideantur, Respondet, quia illo flatu aer obscurior, caliginosissimusque redditur. ex quo inferri potest, eurum humidum esse, & aerem crassis atque humidis uaporibus implentem, quo spirante pluuiæ ut plurimum fiunt, uulgoque *sirocho* nuncupatur.

Eodem libro problemate septuagesimoquarto & septuagesimosexto, de Fauonio sermonem habet, & problemate. 54. quærit propter quid Fauonius serenus ac iucundissimus uētorum sit, & quem Homerus flare per cāpos Elysios hoc carmine dixerit,

Sed zephyri assidue spirant, auræque salubres.

Respondet, quia temperiem aeris obtinet, non enim calidus est ut orientales, & meridionales, neque frigidus, ut septētrionales, ideo medium calidorum, & frigidorum flatuū tenet, propterea iucundissimus uentorū zephyrus. hinc communis regula sumi potest, omnes septentrionales uentos frigidos esse, omnes australes & oriētales calidos. Tu uero in hæc dubiū mouere poteris, quia idem Aristoteles 74. problemate eiusdē libri de zephyro dubitat, cur lenissimus sit omnium uentorum, & frigidissimus. Si autem frigidissimu-

dissimus sit, quomodo ipsum temperatum appellauit? Respondemus frigidissimum omnium uentorum esse intelligit, septentrionalibus exceptis: spirat autem uere & autumno hic uentus.

Subsolanus uero qui orientalis dicitur calidus est, ut ratio ex præcitato loco haberi potest, etenim ad austrum semper mutatur, fauonius autem ad septentrionem. Est enim hæc nautica regula quæ raro fallit, uentos orientales ut plurimum in austrinos conuerti, occidentales autem ut plurimum in septentrionales. unde ex hoc rationem colligo propter quid in nostro climate uenti orientales aerē perturbent, & humiditates pariāt, occidentales uero serenitates. Harum enim rerum ratio in promptu est, quia Sol ex oriente in austrum & meridiem transit, ex occidente autem in septentriones, ideo perfecte nauigatoriæ pyxides, dispositiones uentorum, secundum motum solis habent, uoluntq́ periti nautæ uentos Solem consequi.

Reperitur & apud Aristotelem, Cæcię uenti facta mentio: est autē problemate quinquagesimoquinto eiusdem libri, ubi quærit cur solus uentorum trahat ad se nubes, ut prouerbio uulgatum est. est uero is uentus qui uulgo *Greco* nuncupatur. Et quia dici posset, esse duos oppositos uentos, quorum unus cæciæ contrarius, nubes Cæciam uersus impellat, propterea istud ab Aristotele reprehenditur, quia si hoc esset, non lateret. Ipse autem respondet quod alij uenti per terram spirant, iste autem uersus cęlum spirans suę lineæ cauum erigens, non ad terram resupinans, suam originem repetit, propter hoc nubes ad se facile ducit.

In summa igitur hoc obseruandum est, omnes meridionales uentos esse calidos & humidos, quas etiam qualitates habent uenti orientales, sed minus quàm australes. Septentrionales sunt frigidi & sicci, & ita occidentales, sed minus quàm septentrionales, & ideo septentrionales omnium saluberrimi sunt, & ipsis spirantibus, magis appetimus, quàm alijs quibuscunq́, ut Aristoteles problemate sexagesimoquinto libri decimiseptimi edocuit, & potissimum calidis & humidis naturis conueniunt. unde Aetius libro quarto, capite decimoseptimo, ubi calidi & humidi cerebri signa describit, inquit hos aquilonijs constitutionibus optime degere. Celsus capite primo secundi libri, hanc secundam aphorismi partem ita refert, Aquilo tussim mouet, fauces exasperat, uentrem adstringit, urinam supprimit, horrores excitat. Item dolores lateris, & pectoris: sanum tamen corpus spissat, & mobilius, atque expeditius reddit. deinde primam Aphorismi partem de Austro adducit, quam nos superius attulimus. Hippocrates quoq́ in libro De humoribus, ultimo folio hunc Aphorismum, ad uerbum prosequitur. Primam partem superius adduximus, secundam uero his uerbis refert, Sin autem Aquilo, tusses uigent, fauces exasperantur, uentres durescūt, lotij difficultates, laterum, pectorumq́ dolores consequuntur, tantoq́ magis, quanto uehementius spirabit.

GALENVS

ID QVIDEM quod fit, declarauit, inquiens. Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Causam autem adscribens ob quam, ubi hæc tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. Semper siquidem oportet medicum distinguere, & separare id quod ex causa extrinseca fit, & non morborū ratione, ut prę cognitiones faciat diligentiores. Causam uero ob quam austri reddant auditum grauiorem, & uisum caliginosum, non est difficile ex eius temperatura cognoscere, quæ calida & humida natura est. Omnia etenim talia sunt apta replere caput. Ob hoc igitur & sensuum instrumēta plurima implent humiditate, & capitis grauitatem efficiūt. Principio autem neruorum humectato, necesse est & circa uoluntarios motus pigritiam euenire, & ueluti in se ipso dissolutum hominem apparere. Contra uero in aquilonijs, ut ipse inquiet inferius, corpora fiunt robustiora, uegetiora, & ad motus promptiora, et melius audientia. Nunc uero hæc non opposuit his quæ ex austro circa corpus contingunt, quoniam in hoc aphorismo de læsione tantummodo, quæ ex utroque accidit uento, tractare proposuerat, ut hæc cognoscētes ab illis separemus quæ ex morborum natura contingunt. In aquilonijs igitur (ut inquit) fiunt tusses, propter uidelicet instrumentorum respirationi obseruiētium intemperiem, & propter faucium asperitatem, de

qua nobis insinuauit adiungens uerbum illud, fauces, ut subintelligeremus, patiuntur. Nam solet hoc modo loqui aliquando. Paulo post igitur inquiet. Autumno & plurimi æstiuorum, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes. Licet autem & simul duo coniungentes legere, fauces alui duræ, ut nonnulli expositores legendum existimarunt. Nam fauces in aquilonijs constitutionibus apparent duræ, quoniam exsiccantur, ac refrigerantur, & uenter inferior dura excernit, & propter temporis constitutionis temperaturam quæ uergit ad siccitatem toto corpore exsiccato, & magis ipso ad se ipsum trahente eas quæ fiunt ex cibis humiditates. Sed & alia ratione, quoniam si longiori tempore maneant, & non excernantur, omnia humectantur. Vrinę etiam accidunt difficultates, uesica flatu aquilonis ob frigiditatem offensa. Est enim exanguis, & propterea ex causis frigidis, plusquam aliæ partes, ipsa est offensioni parata. Eadem aquilonis frigiditas etiam thoracis dolores efficit, communi etiam & ad alias partes læsione, & illã quoque, quæ fit ex respiratione assumentis, quæ non pari modo pulmonem attingit, et cor, ob sui caloris multitudinem. Homines uero horridos fieri in aquilonijs constitutionibus, clarum est, consentaneæ uidelicet aeris ambientis temperaturæ.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus ab Hippocrate declarari edocet, quid futurum sit, si hi uenti spirauerint. Tu uero illam partem considerare debes, in qua dicit, Causam autem adscribens ob quam ubi hęc tempestas præualuerit &c. hic uidetur esse deprauatus Galeni codex, nã hanc causam non reddit, tamen Græci codices omnes, & Aldinus, & antiquus noster, ita habent τὴν δὲ αἰτίαν αὐτοῦ προσγράψας, ὅταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσι πάσχουσιν. Quæ si ad uerbum interpretemur, hæc dicunt, Causam autem huius adscribens, quando hic uentus præualuerit, talia in morbis patiuntur. Nos hanc partem aliàs ita legebamus, Causam autem huius adscribens, ubi hæc tempestas præualuerit. deinde legere solebam, Causam autem adscripsit, quando hæc tempestas præualuerit. propterea hæc speculatus, & ad rem non multum facere noscens, quia Hippocrates harum rerum causam non edocet, ideo hoc modo legendum esse putauimus, Causam autem huius adscribemus, Cur, quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis patiantur, ut illa particula, Adscribemus, ad Galenum referatur, et non ad Hippocratem. Itaq; legendum sit προσγράψομεν, & non προσγράψας. Aut forte illa pars τὴν δὲ αἰτίαν αὐτοῦ προσγράψας, transponenda est, & ante illam partem ponenda ἀεὶ γὰρ χρὴ τὸν ἰατρὸν &c. Hæc autem pars ὅταν οὗτος δυναστεύῃ &c. statim post Aphorismi principiũ ponenda sit, ut in hunc modum continuatio fiat, id quidem quod fit declarauit, inquiens, Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes, quando hæc tẽpestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. Causam autem huius adscribens, semper siquidem oportet medicum distinguere, & separare, & reliqua. Vnde putamus in hac scriptura à librarijs errorem factum esse. Vel dicamus Galenum causam reddere cur utile sit scire, quod Austri talia faciant, causam uero hanc reddit, quia medicus semper extrinsecas symptomatũ causas à morbis ipsis, scire distinguere debet, ut in prędicendo diligentior sit, quoniam uidens & noscens hæc symptomata ex tempestate prouenire, & non ex morbo, prædicet, hoc symptoma etiam absente morbo perdurare posse, aut alia huius generis.

SECVNDO causam reddit, cur Austri grauem auditum faciant, & uisum caliginosum, quia calidus est, & humidus uentus: ea autem quę humida sunt, caput replere apta sunt, quo repleto, sensus afficiuntur, fitq; grauior auditus, & uisus caliginosus. immo quia cerebrum sensus & motus principium est, propterea non solum sensus patientur, sed et uoluntarius motus impedietur, unde homines dissoluentur, et pigriores euadent, oppositum fit spirante Aquilone, corpora robustiora, uegetiora, & ad motum promptiora fient, & melius audientia, ut posterius edocebit.

In hac parte ubi legitur, non est difficile ex eius temperatura cognoscere, legendum est, ex eorum temperatura cognoscere, ut dicatur, eorum in plurali, sicuti in plurali Austri dixerat.

TERTIO, dubium soluit, quo aliquis dubitare posset, propter quid ea commoda

nonpo

non ponit, quæ Aquilo cõtra Austrum facit. Respondet, Hippocratẽ illa omisisse, quia in hoc Aphorismo, læsiones solum positurus erat, quę ex his uentis accidunt, non autem commoda. ut has lęsiones cognoscentes ab his quæ non ex tempore, sed ex morbi natura contingunt, distinguere sciamus. Tamen Celsus hunc Aphorismum capite primo secundi libri repetẽs, simul etiam commoda repetit, ut quod sanum corpus spisset, & mobilius atq; expeditius reddat.

QVARTO, ad aquiloniam tempestatem transit, in qua dicit tusses fieri, propter instrumentorum respirationi deseruientium intemperiem, & quia fauces asperæ sunt, unde quod additur, fauces, interpretetur patiuntur, quia Hippocratis loquendi modus est, ut inferius edocebit, quando ab Hippocrate dicitur, autumno & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, in quo loco Galenus addendum esse annotauit id uerbum patiuntur.

QVINTO, Illam particulam, fauces, altera expositione exponens illi addit eam particulam, durę, quia exiccantur, & refrigerantur, propterea duræ apparent.

SEXTO causam reddit, cur inferior uenter dura excernat, quia (inquit) totum corpus exiccatur flante borea, deinde exiccatum corpus, humiditates, quæ in inferiori uentre sunt, & quæ erant causa humiditatis alui & quæ melius & mollius excernere faciebant, ad se trahit. imò rationẽ alterã reddit, quia feces, spirante borea, longiori tempore in corpore detinentur, & non excernuntur, propterea exiccari necessarium est. In hac aũt parte, Leoniceni interpretatio oppositum penitus legit, quàm uel ratio postulet, uel in codicibus græcis scriptum sit. Illa enim uerba quæ ipse habet, sed & alia ratione, quoniam si longiori tẽpore maneant & non excernantur, omnia humectantur: legenda sunt, omnino & non omnia, exiccantur, & non humectantur. ita enim in contextu græco habetur, πάντως ἐξικμάζεται. idest. omnino exiccantur.

SEPTIMO ration redditẽ cur difficultates urinæ fiant quia, (inquit) uesica ab aquilonis frigore offenditur, etenim est nostri corporis exanguis pars, quoniam paucissimas & tenuissimas uenas habet, ideo facilius quàm aliæ partes à frigore lædi potest.

OCTAVO, eãdem frigiditatem thoracis dolores efficere dicitur, eodem modo quo alias partes offendit. nam infrigidat & exiccat, ideo ad respirationis motum ineptiores reddit. tamẽ & si pectora offendantur, illa quæ in pectoribus clauduntur ita facile offendi non possunt, ut pulmo & cor, quia intensam caliditatem habent, præsertim cor.

Deniq; horroris rationem reddit, qui spirante Borea fit. nam aer frigidus efficitur, & ex consequẽti totũ corpus frigescit. Quod autem à Galeno dicitur secũdum Leoniceni interpretationẽ, clarum est, consentaneæ uidelicet ambientis aeris temperaturæ, Græcus contextus legit πρόδηλον, ὡς διὰ τὴν τοῦ περιέχοντος ἀκόλουθεῖ κρᾶσιν. Quæ uerba nos hoc modo interpretanda esse ducimus, Clarum est, quod ob ambientis temperaturam sequitur. Itaq; ad uerbum Galenus exponitur, & eius sententia longe facilior & clarior redditur.

APHORISMVS VI

QVando ęstas fit ueri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.

BRASAVOLVS

PHILOTHEVS hunc Aphorismum ita introducit, περὶ ἀνέμων διαλεξάμενος ὁ ἱπποκράτης, τῶν γενικωτάτων βορέου τε καὶ νότου, ἐπὶ νῦν περὶ ὡρῶν λέγει. idest, Cum Hippocrates de generalissimis uentis disputauerit, aquilone inquam & austro, nunc iterum de anni tempestatibus tractat.

Ver tempus est suapte natura calidum & humidum, propterea ad sudores aptum, quia caloris natura aperire est, & excitare, humidi uero natura est cum à calore expellitur, irrorare & madefacere. ob hæc, quando æstas ueris qualitates, idest, caliditatem & humiditatem nacta sit, in febribus quæ accident, sudores mul-

tos futuros iudicato & expectato, qui magis in æstate fiunt quàm in uere, quia calor æstiuus, & si aliquam similitudinem in hoc casu cum illo ueris habere dixerit, tamen ad experiendum, & ad attenuandas humiditates, quæ facilius exibunt magis aptus est. Celsus capite primo secũdi libri hunc Aphorismum ita refert: ubi uero calor à primo uere orsus, æstatem quoq; similem exhibet, necesse est multum sudorem in febribus subsequi. est autem calor à primo uere orsus, iunctus humiditati: ideo inuolute id dicit, quod Hippocrates explicatius inuulgauit. & licet calorem nominet, tamen illud non ex solo calore, sed cum humiditate simul fit. propterea intelligendus est de calore ueris, qui humiditatem mixtam habet, & ideo in eundem sensum cadunt. Ipse etiam Hippocrates huius Aphorismi sententiam in libro De humoribus edocet, ampliorẽ tamen quàm hic posita sit. inquit autem: cũ autem æstas ueri similis est, sudores in febribus, modi faciles non graues, linguæq; nõ ualde siccescunt. Quę omnia ad calidam & humidam æstatem omnino cõsequuntur. Per modos aũt faciles & non graues, intelligit quod nõ erũt ingentes febres, quales in siccitatibus fiunt. uel ad sudorẽ potius referamus, quod erunt modi sudandi faciles nõ graues. sunt enim grauiores sudandi modi in siccitatibus, & linguę merito propter iunctam humiditatem non ualde siccescunt, quę humiditas non modo in capite, sed in toto etiam corpore imbibita est. Hæc in genere dicta sint, nunc ad singulas Aphorismi particulas descendamus.

ὁκόταν θέρος γίνηται ἦρι ὅμοιον. idest, Quando æstas fit ueri similis.] Erit autem ueri similis æstas, quę easdem qualitates habebit. Ver autem temperatũ est in humidum & calidum inclinans, ita ad easdem qualitates inclinabit æstas: quamuis easdem pręcise esse non oporteat, quia ęstas calorem intensiorem semper habet: imò medice loquendo, illa ęstas non est æstas, sed uer, quia medicus secundum qualitates & temperaturas tempora denominat, syderum uero ortus & occasus, & per ipsos temporum distinctiones parum curat. nam id tempus secundum astronomos ęstas erit, quia sol in cancro, leone, uel uirgine erit, secundum medicos autem nõ erit æstas, sed uer. Philotheus exponens, quid intelligere oporteat per esse ueri simile, inquit τουτέστι σύμμετρον τῇ κράσει. hoc est temperatura commoderatum.

ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή. idest, Sudores in febribus multos expectare oportet.] Cum propter humiditatem, tum propter caliditatem. unde & Philotheus inquit fieri hos sudores θερμότης τοῦ ἔξωθεν περιέχοντος ἀέρος, καὶ ὑγρότης περιττεύουσα ἐν τῷ σώματι, ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ ἐαρινὸν κατάστημα, διὰ μὲν τὴν θερμασίαν ἕλκει πρὸς τὸ δέρμα τὸ ὑγρόν, διὰ δὲ τὴν ὑγρότητα, οὐ δύναται ἀτμοειδῶς ἕλξαι, εἰκότως ἀθρόως ἐν τοῖς πυρετοῖς τὸ ὑγρὸν ἅπαν ἐκκρινόμενον ἱδρῶτας ἐργάζεται. idest, caliditate extrinsecus ambientis aeris, & humiditate in corpore redundante. At quoniam uerna constitutio propter caliditatem humidum ad cutem trahit, propter humiditatem uero per euaporationem trahere non potest, merito in febribus omne humidum cumulate eliquatum sudores facit. De sudore autem Galenus in sexto libro De symptomatũ causis, tractat, ubi inquit, aliquos esse sudores per resolutionem habitus, & hunc affectum syncopen nominant. Alij sunt per crisim facti, qui purgant corpus, & indicant naturam esse fortem: alij fiunt per moderatam exercitationem, alij per balnea, alij per calorem æstiuum, qui omnes criticis similes sunt. alij sunt per immodicas exercitationes, sed in his cũ superflua humiditate, etiam exit aliquid utilis. hi sunt modi quibus apud Galenũ sudores fiunt. Causam uero multitudinis sudoris statim addit. In his fit multus sudor qui habent corpus rarũ: unde raritas est causa multitudinis sudoris, & tenuitas etiam materiæ & eius abundantia: quę causæ omnes in humida, & calida æstate inueniuntur. nempe ratione caliditatis nostri corporis meatus & poros aperit, & materia tenuior efficitur, & quia similis ueri, propterea humiditatem habet, quæ abundat: & ideo non mirum si in febribus multi sudores fiunt, quando æstas talis erit. Quod uero ab Hippocrate dicitur, in febribus hęc fieri, id intelligas & in omni altera ægritudine. imò & in sanis se exercitãtibus idem euenire solet: non quod sudent simpliciter, quia istud in æstate etiam sicca sanis se exercitantibus accidit, sed multum sudant, & propter balnea, & propter alias causas, propter quas Galenus pręcitato loco sudores fieri admonuit. & hæc est causa propter quam Hippocrates

plurali

plurali usus est ἱδρῶτας, idest, sudores. quomodo autem hi sudores fieri intelligendi sint uel per modum crisis, uel sine crisi, nos tam in crisi, quàm extra crisim intelligimus: ut sensus sit, multas febres per multos sudores terminari, & iudicari. imò & si non fiat crisis, ægri multum sudabunt, quod non solum ratione, sed & experientia ostenditur. si uero causas petas, propter quas æstas talis sit, Respondent aliqui, causas esse australes uentos qui regnant. hoc autem mihi non satisfacit, quoniam ut plurimum in æstate post meridiem uenti australes regnant, & tempus tranquillum reddunt, & hoc in nostro climate connaturale est, æstiuo tempore ante meridiem Africus uiget, quem *Garbinum* nuncupamus, post meridiem eurus qui *sirocho* dicitur. propterea nobis potius dicendum uidetur, uentos regnare qui sunt frigidi & humidi, & qui propter frigiditatem, ęstatis calorem remittunt: & ita temperata fit æstas, propter humiditatem temperiem ueris habet: uel ob frequentes pluuias talis æstas erit. Quod autem à quibusdam recentibus dicitur de constellationibus, quæ huius temperiei causę esse possint, à uero medico parum curatur, cum res sit quæ sub sensum non cadit. Dixit autem Hippocrates, multos sudores, quia re uera si critici sint, unico sudore non perficiunt, sed multos esse necessarium est. Si etiam dubites quæ genera febrium hæc esse debeant, Respondemus, posse esse omne genus febris, quod ab humore dependet. etenim ephemeræ ut tales sudorem non habent, quamuis & in ipsis sudare contingat, sed non ratione qua ephemerę. De humoribus autem sententiam Hippocratis neq; ad chronicas, nec ad acutas arcto, quia in humida & calida æstate, tam in his quàm in illis sudores multi contingunt. Si etiam petas quid frugis ex hoc Aphorismo habeamus. Respondemus hoc in primis, quia futura circa febres prædicere sciemus, quod in medico optimum est, & necessarium: deinde ea præmittemus quæ ad hos sudores incitant, ut febris per sudorem citius finiat, & id ad quod inclinatur citius habeatur. Quod autem eiusce modi temporis dispositio hoc indicet, Galenus tertio Prognosticorum libro, commentatione quadragesima docet. ab Hippocrate etenim in contextu dicitur, temporis cõditionem tenendam esse. Galenus in commentatione inquit, Sed abunde erit dicere singulare exemplum futuri sudoris. per æstus squallentes febres prope dixerim sine sudore eueniunt: per imbres cum sudore magis infestant. Itaq; constat: ut præter alia signa, quęcunque ægrotationis propria habentur, futurum demonstrantia sudorem, circumcurrentis præterea aeris conditio accedens spem futuri sudoris firmiorem subscribat: unde uides tempestates edocere, si ægritudines per sudorem terminari debeant, necne: propterea de sudore critico Hippocrates potissimum intelligendus est, quamuis & de omni alio uerus sit.

Hic uero dubium intercidere poterit, an uer plures sudores faciat, quàm ęstas ueri similis, cum uer ipsum proprie tale sit, & non per assimilationem ad aliud. Respondemus, in æstate tali multo plures fieri sudores quàm in uere, quia uer nondum potuit attenuare materias, quas ęstas attenuat. nam per ueris caliditatẽ transiere, deinde illam ęstatis experiuntur. unde quod in uere adhuc congelatum & crassum remanebat, ob ęstatis calorem (qui intensior est, quàm ueris calor) attenuatur & liquescit. Si uero comparationem feceris ad æstatem ualde calidam, dicemus talem æstatem citius inducere sudores, sed paucissimos: quia paucæ illę humiditates quę in corpore sunt, cito absumuntur.

GALENVS

QVEMADMODVM paulo antea dicebat, Quando die eadem, aliquando frigus, aliquando calor accidit, morbos autumnales expectare oportet: sic nunc rursus. Quando æstas fit ueri similis, hoc est temperaturam habet commoderatam, expectare, inquit, oportet multos sudores in febribus, & hoc non sine ratione. Neque enim sine aeris ambientis calore multi sudores fieri possunt, neque absque hoc, quòd aliqua humiditas in corpore contineatur. Horum uero alterum est in æstate, alterum uero in hyeme. Autumno uero neutrum, uere autem utrunque. Rationabiliter igitur æstas quidem arida, satis absumit, atque resoluit humiditatem. Similis autem ueri ob caliditatem quidem attrahit ad cutim, ob humiditatem uero non potest per modum uaporis resoluere. Tota igitur simul humiditas in morborum iudicijs expulsa sudores facit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus continuationem quãdam facit, quæ eſt, Cum ſuperius Hippocrates de autumnalibus temporibus cum alijs comparationem feciſſet: nam dicebat quando eadem die modo frigus, modo calor extiterit, quando autem hæc ſunt tempus autumnale eſt, in quo noctes, matutinæ & ueſpertinæ horæ frigidæ ſunt, meridianę autem calidę, tunc morbi autumnales expectandi ſunt: Eodem modo nunc uer alijs temporibus comparat. & licet de æſtate ſolum loqui uideatur Hippocrates, tamẽ & in omni alio tempore hoc intellige, quando hyems, quando autumnus ueri ſimiles erunt, ſudores multi expectandi ſunt, ſecundum horum temporum proportionem. non enim tot fluent ſicut in æſtate. de his tamen non meminit [illegible] rariſſime accidit, hyemem & autumnum ueris temperaturam habere. Exponit au[illegible] Galenus ueris temperaturam habere, ideſt, commoderatam temperaturam habere, non tamen exquiſite commoderatam, quoniam tunc humiditas multa non adeſſet, quæ per ſudorem emanare deberet, ſed Hippocrates intelligẽdus eſt commoderatam, ſecundum ueris commoderationem, quia tantam humiditatem non habet, quantam hyems, nec tantam caliditatem quantam æſtas.

SECVNDO, multorum ſudorum rationem reddit Galenus, quia caliditas & humiditas ſuperflue adſunt, ſine quibus ſudores fieri non poſſunt. Iſtę autem duæ qualitates in ſolo uere ſimul inueniuntur. ęſtas enim ſolam caliditatem habet non humiditatem, quia ſuapte natura ſicca. hyems ſolam humiditatem habet, non caliditatem, quia frigida. Autumnus nec caliditatem nec frigiditatem habet, quia frigidus & ſiccus. ſolum igitur uer caliditatem & humiditatem habet. ideo in ipſo cum febres adſunt, & fieri poſſunt multi ſudores & fiunt.

In illa autem parte ubi ſcriptum eſt, neq; abſq; hoc quod aliqua humiditas in corpore contineatur, & reliqua, deeſt hæc particula ſuperflua. ita enim legi debet, neq; abſq; hoc quod aliqua humiditas ſuperflua in corpore contineatur. & re uera addenda eſt hęc particula, quia in noſtro corpore ſemper humiditas adeſt, tamen ſudores multos non facit, ſed multi ſolum fiunt, cum hæc humiditas ſuperfluit. Adde græcum Galeni codicem habere hanc particulam περιττὴν, ideſt, ſuperfluam uel exuperantem, nempe dicit. ὅτι ἄνευ τοῦ περιέχεσθαι τινὰ ὑγρότητα περιττὴν ἐν τῷ σώματι. ideſt, (ut uerbum uerbo reddamus) neq; ſine hoc, quod contineatur aliqua humiditas ſuperflua in corpore.

TERTIO, Aphoriſmum ad propoſitum ducit, ſi æſtas ſuam temperaturam ſeruet, arida eſt, propterea humiditates abſumit & reſoluit, ideo in ipſa multi ſudores expectãdi non ſunt. ſed ſi ueri ſimilis ſit, calida & humida eſt, ob caliditatem uero humiditates attenuat, & ad cutim, per caliditatem iam apertam ducit. Eſt autem hęc humiditas tanta, ut inſenſibiliter reſolui non poſſit, ſed tanquam aqua effluit, quę in criſibus tota, per conuenientes uias, ideſt, per cutim expulſa, multos ſudores parit.

In ultimą ferè huius Aphoriſmi parte, ubi legitur, tota igitur ſimul humiditas in morborũ iudicijs expulſa ſudores facit, in Græco habetur ἀθρόως οὖν ἐν τοῖς τῶν νόσων κρίσεσι, τὸ ὑγρὸν ἅπαν ἐκκενούμενον ἱδρῶτας ἐργάζεται. ideſt, (Si ad uerbum referatur) Comprehenſim igitur in morborum iudicijs humiditas omnis effuſa ſudores facit. nam illa particula ἀθρόως comprehenſim, coaceruate, cumulate ſignificat, & non eſt adiectiuum ad humiditatẽ, ſed bene illa particula ἅπαν, humiditati applicãda eſt, quæ omne ſignificat.

APHORISMVS VII

IN ſiccitatibus febres acutę fiunt, & ſi annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit conſtitutionem, tales plurimum morbos oportet expectare.

BRASAVOLVS

PRO natura materiæ morbum facientis, morbus ipſe generatur, humores autem tales uel tales ob uarias cauſas fiunt, inter quas una eſt tẽporis diſpoſitio, & temperatura. Siquidẽ tẽpus ſiccum ſit, humores ad febres acutas cauſandas apti generantur, nempe bilioſi

biliosi ualde. Immo si annus pro maiori parte siccus fuerit, tales morbos expectato. si uero alterius naturæ sit, quam constitutionem habeat, considerato, nempe tales erunt potissimum ægritudines, quales temporis constitutio fecerit. illa enim ad generationes materierum morbos facientium potissimũ facit. Celsus capite primo secundi libri, non solum de acutis febribus dicit, quod in siccitatibus fiant, sed alia plura enumerat, de quibus Hippocrates inferius sermonem habebit. hæc enim Celsi uerba sunt: in siccitatibus acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultates, articulorum dolores oriuntur, quæ omnia à biliosis humoribus siccisq; fieri constat. Hippocrates uero in ultimo folio libri De humoribus, edocet quidem post siccitates febres uehementiores sequi, sed addit, post æstum & pluuias. quia nos aphorismum tam in siccitatibus frigidis, quàm calidis intelligere possemus, tamen in calidis potissimum intelligendus est. Ipse autem Hippocrates præcitato loco, de calidis siccitatibus intelligendum esse ostendit. inquit enim: post uero siccitates, æstus & pluuias febres sequuntur uehementiores, mitioresúe, prout hæc magna, multaúe fuerint, corporaq; habuerint, quiq; humores habuerint, quum hæc inuadunt, temporaq; mutantur. unde secundum ipsum magnitudo siccitatis & paruitas uehementiorem & mitiorem febrem faciunt.

ἐν τοῖσι αὐχμοῖσι. idest, in siccitatibus.] Theodorus, in squalloribus interpretatur, tamen & si squallor siccitatem sequatur, quia ea squallent quæ exiccantur, ego potius, in siccitatibus, interpretandum iudico, tum quia hæc ratione qualitatis siccæ sequuntur, tum quia Celsus antiquus & Romanus medicus ita interpretatur, & Philotheus exponit αὐχμὸν siccitatem, inquiens αὐχμὸν καλεῖ ἱπποκράτης τὴν ξηρότητα τὴν πέρα τοῦ μετρίου, ὡς καὶ ἐπομβρίαν τὴν ὑγρότητα τὴν πέρα τοῦ μετρίου. idest, Hippocrates squalorem uocat siccitatem supra mediocritatẽ, sicuti imbrem humiditatem supra mediocritatem. Si uero quæras de quibus siccitatibus sermo fiat, an de naturalibus, an de his quæ præter naturã sunt, Respondemus, in uniuersum de omnibus sermonem fieri. in omnibus enim siccitatibus sicci humores & biliosi generantur, tamen in siccitatibus præter naturam hoc potissimum fit, ut quando æstas præter naturam suam magis sicca fuerit: quamuis & si propriam siccitatem, ac naturalem habuerit, & non auctam, siccos humores etiam generabit, atq; biliosos, quos singulis annis fieri uidemus, etiam si siccitates non superẽt. & potissimum cum calore siccitates intelligit, quamuis & in frigore siccos humores generari nihil impediat.

πυρετοὶ ὀξέες γίγνονται. idest, Febres acutæ fiunt.] Dicuntur uero acutę febres, quæ & cito finiunt, & sæuiora symptomata habent. de solis autem febribus sermonem habet Hippocrates, utpote de uniuersalioribus morbis qui in corpore humano fieri possint. Tu uero & alios morbos intelligere debes, quos Celsus præcitato loco enumerauit, à calidis & siccis humoribus dependentes. nam temporis siccitas, hos humores magis acuit, ideo accensior intensior fit, & talis, ut ægri furere uideantur. De hac autem re plenius deinde agetur, ubi de alijs morbis sermonem habebit, quando anni tempora quæ se consequuntur, sicca & squalida fuerint. Nonnulli uero intelligunt febres iam factas acutiores fieri. Nos autem cum Galeno dicimus febres quæ inuadunt acutiores fieri: tamen & si qui morbi iam facti sint, à siccitate, ut acutiores fiant quàm sint, adiuuari posse non negamus, etiam si diuturni fuerint. quia siccitas humidum resoluens ut ea ægritudo citius terminetur, coadiuuat. At si atrabilarius humor fuerit, huic nimis exiccando magis obest, quamuis adeo exiccare posset, ut humorem istum penitus absumeret. Tamen & si febres acutiores sint, pauciores accidere solent, ut raritate compensetur acuties. quod Philotheus animaduertens inquit acutas quidem febres fieri. ὀλίγοι δὲ, idest, paucæ autem. deinde sequitur, διότι ἡ ξηρότης ὀλιγωτέρους εἴωθε τῷ πλήθει τοὺς χυμοὺς ἐργάζεσθαι, χολωδεστέρους δὲ τῇ ποιότητι. idest, Quoniam siccitas humores multitudine pauciores facere consueuit, qualitate uero biliosiores. Hic dubium fieri posset, quomodo tempora pręter naturam sicciora reddantur. Respondemus, hoc modo fieri, quia sicci uenti præualebunt, uel ob intensam caliditatem, uel quia in illa tempestate imbres nunquam fient, ut cum sol terram diutius illustrat, sicuti oriente cane, & dum in cancro est, fit.

Nec illud dubium pretermittere audeo, quomodo in hoc tempore acutę febres fiant, cum

cum febres ex putredine nascantur, siccitas autem putredini repugnet. Respondemus, putrefactiones quidem magis raras fieri, sed illæ, quæ accidunt, acutiores morbos parant. nam & si humores natura sicci sint, & sicci nuncupentur, aliquid tamen humidi habent, quia actualem humiditatem semper iunctam seruant, propterea humores appellantur. In hoc autem & maior & uehementior ebullitio fit, & ex consequenti intentior febris, sed hoc rarius euenit, ut Galenus in commento edocebit.

Hoc etiam dubium ingerere poterit, quia ex humoribus siccis diuturnæ febres potius fieri uidentur, quàm acutæ: tempus etenim siccum, siccos humores reddit. sed nihil aliud est exiccare quàm attenuatis humoribus incrassare, igitur crassi humores generantur, crassi autem humores longas febres pariunt. in siccitatibus igitur febres longæ, & non acutæ fient. Respondemus, materiam à siccitate magis acui & attenuari, & licet simul etiam resoluat, minus tamen resoluit, quàm igniat & attenuet, ideo materia tenuior redditur & non crassa. Si uero accideret adeo exiccari, quod materia prædura fieret, tunc si corrumperetur (quod difficillimum est) febris longior efficeretur, tamen impossibile est in humano corpore tantam resolutionem fieri.

Καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλέον ᾖ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐόν. idest, Et si quidem pro maiori parte fuerit annus talis.] Dixerat siccitates acutas febres gignere, quod in particularibus temporibus intelligebat, nunc uero ad totum annum ampliat. si in particularibus temporibus siccitates morbos acutos gignant, tu ipse cogita, si integer annus siccus fuerit, quid consequi debeat. tamen quia impossibile est totum annum siccitatem seruare, propterea addit maiori ex parte, ut intelligatur siccitatem in toto anno præualere, & hanc conclusionem innuat: in siccitatibus acuti morbi fiunt, quando in temporibus particularibus eueniunt: si uero accidat totum annum talem esse, quod siccitas præualeat, morbi tanto acutiores fiunt. Mihique potius arridet, ut legamus, pro maiori parte, quàm magna parte quia & uocabulum ἐπὶ πλέον ut plurimum id significat.

Ὁκοίην καὶ τὴν κατάστασιν ἐποιήσατο ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι. idest, Et qualem cõstitutionem fecerit maiori ex parte, & morbos tales expectare oportet. Cuidam obiectioni tacitæ respondere uidetur, quia ab eo superius dictum est, in siccitatibus acutas febres causari, de alijs autem constitutionibus nihil meminerat, propterea ne quis admiretur, de omnibus in genere sermonem habet, dicens: si annus maiori ex parte siccus sit, acutæ febres erunt: si autem non sit siccus, constitutionem quam habet considerato. nam secundum illam constitutionem tales morbos plerunque expectato. si enim humida fuerit, morbos longos & non acutos faciet. si frigida uel calida, morbi has temperaturas consequentur. Philotheus uero morborum dispositiones quæ ad siccitatem consequuntur, edocens inquit τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι, φησὶν Ἱπποκράτης, ὀξέα καὶ ἐπικίνδυνα, ἢ ὥς φησι Ῥοῦφος, λοιμικά, οἷον βουβῶνας. καὶ γὰρ ἀπὸ ξηρότητος συνίσταται ταῦτα τὰ πάθη. ἐν γὰρ τούτῳ τῷ λοιμῷ ἐν Λιβύῃ φησὶν αὐτὸς βουβῶνες αὐτοῖς ἐγίνοντο καὶ δευτεραῖοι, καὶ τριταῖοι. idest, Tales morbos accidere oportet, inquit Hippocrates, acutos inquã & periculosos, uel, ut dicit Rufus, pestilentes, ut bubones sunt. etenim tales passiones à siccitate constituuntur. ipse enim dicit quod in huiusmodi pestilenti morbo in Libya, ipsis patiẽtibus bubones orti sunt, & secundo & tertio die. Sed statim dubiũ mouet Philotheus, quomodo cum humiditas nõ adsit, Bubones in siccitate generati sint. Respondet, ὅτι ἐπικρατησάσης τῆς ξηρότητος καταλύονται αἱ δυνάμεις, τούτων δὲ καταλυθέντων ἀπεψία ἐπηκολούθησε, ἀπεψίας δὲ οὔσης, τὰ περιττὰ ἐπλεόνασεν. καὶ ἐντεῦθεν ἀνέσχον οἱ βουβῶνες, ὥς τι κατὰ συμβεβηκὸς, καὶ ὑγρότης ἐπηκολούθησεν. idest, quod siccitate superabũdante potentiæ dissoluuntur: his autem dissolutis, indigestio consequitur: cum uero indigestio adfuerit, superfluitates abundant, & hinc bubones oriuntur. Quamobrem, & humiditas ipsa per accidens consequitur.

Illa particula ἐπὶ τὸ πολὺ ut plurimum, constitutionem determinare potest, & morbos. si constitutionem determinet, sensus est qualem fecerit ut plurimum constitutionẽ, tales morbos expectato. si autem determinet morbos, sensus est, qualem fecerit constitutionem, tales ut plurimum morbos expectare oportet. Mihi magis arridet, quod morbos, & non constitutiones determinet, quia illa particula, maiori ex parte, ibi posita, si annus maiori ex parte talis fuerit, illam particulam, qualem fecerit constitutionem determinas

terminat:ideo ne idem bis ab eadem conditione determinetur, ὡς τὸ πολὺ, idest, ut plurimū, particulam morbos determinare debet, quia in his temporibus, quando alicuius anni constitutio, maiori ex parte unam qualitatē seruabit, tales morbi fient, ὡς τὸ πολὺ, idest, ut plurimū. Non ab re uero dicitur ut plurimum tales morbos fieri, quia etiam alia morborū genera fiunt, prӕter illa quӕ tali constitutioni cōueniunt, sed id rarius euenit. nā ut inferius edocebit, omnes morbi in omni tempore generantur, tamen aliqui particularius in uno, magisquā in alio fiunt. In græco codice ante illam particulam, morbos, hæc coniunctio καὶ posita est, unde hoc modo legi debet, tales plurimum & morbos expectare oportet: uel toti sententiæ præponatur, & tales plurimum morbos expectare oportet. Theodorus conditionem legit, ubi Leonicenus constitutionem interpretatus est. utrunq; dici potest. nam κατάστασις & conditionem, & ordinem, & statum, & constitutionem significat, sed ad propositam sententiam cōmodius est uocabulum constitutio, quoniam & Celsus, & antiqui in his partiū anni tēperaturis hoc uocabulo constitutio utuntur. Hippocrates ultimo folio libro De humoribus pro secunda aphorismi parte dicit, tempora ergo anni qualia fuerint, tales erunt & morbi, statusq; eorum, & modi, qui de his proficiscuntur. hic autem magis ample sermonem habet, quàm in aphorismo. nam aphorismum complectitur, & aliquid ulterius.

GALENVS

NON multas ait febres in siccitatibus fieri, sed acutas, quoniam paulo post inquiet: Constitutionum autem anni, sicca tempora, pluuiosis sunt salubria magis, & minus mortifera, & his adiungens rursus inquiet. Morbi in pluuiosis temporibus, magna ex parte fiunt febres longӕ. Non absq; ratione. Nam aeris ambientis humiditas pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas superfluitates. Siccitas uero, pauciores quidem humores efficit, sed qualitate biliosiores, & ob hanc causam febres numero quidem sunt pauciores, his quæ fiunt in temporibus pluuiosis, sed acutiores. Quӕ uero deinceps in aphorismo dicuntur, manifesta.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus contradictionem remouet, quam in hoc aphorismo, & in alio forte quispiam inuenire posset. inferius enim, ubi de anni cōstitutionibus sermonē habebit, dicet, sicca tēpora, salubriora esse, & minus mortifera cæteris. hic aūt dicit, siccitates acutas febres generare. Igitur sicca tēpora salubriora non erunt. Galenus respondet, in loco hoc ab Hippocrate non dici, in siccitatibus multas febres fieri, sed acutas solum: ideo ad illam dubitationem, constitutio sicca, salubrior est humida, tamen paucæ illæ ægritudines, quæ in ea fiunt, acutiores sunt.

SECVNDO, primæ partis aphorismi rationem reddit, sed consequenter ad ea quæ prӕdicta sunt, posterius inquit dicetur, quod in pluuiosis temporibus ut plurimū febres longæ generantur: & nunc dictum est, quod in siccitatibus acutӕ febres fiunt. Quorum duorū ratio est, quia tales humores generantur, quales constitutio temporis exigit. si igitur pluuiosum tēpus fuerit, aer ambiens nos, humidus efficitur, qui ita affectus pituitosos humores & parit & aceruat, & multas aquosas superfluitates gignit, totūq; extrinsecum corporis habitū humectat. propterea morbi qui fiunt, pituitæ naturā sapiunt & longiores euadūt. in siccis constitutionib. oppositū accidit, in quibus tot humores nō fiunt, aere, qui nos ambit, oppugnante, illi tamē pauci qui fiunt, biliosiores sunt, ex bile uero acuti morbi, & qui breuius finiunt generantur. unde in siccis tēporibus febres quidē pauciores sunt, quàm in pluuijs & humidis, sed acutiores esse quisq; experiri facile potest.

Deniq; Galenus secundam Aphorismi partem surda aure pertransit, quoniam (ut inquit) omnia illa manifesta sunt.

Cum in Galeni commento scriptum est, siccitas uero pauciores quidem humores efficit, addi debet hӕc particula, multitudine. nam græcus contextus ita habet, Ἡ δὲ ξηρότης ἐνδεεστέρους μὲν πλήθει τοὺς χυμοὺς ἐργάζεται, idest, siccitas autem deficientes quidem multitudine humores facit, uel pauciores multitudine. & re uera, hanc particulam, multitudine addere oportet, ut illi correspondeat, sed qualitate biliosiores: ac si dicat, siccitas, quantitate quidem pauciores humores efficit, sed qualitate acutiores.

APHORISMVS VIII

IN constantibus temporibus, cum tempestiue tempestiua redduntur, morbi constantes, & boni iudicij fiunt: in inconstantibus aũt inconstantes, & mali iudicij.

BRASAVOLVS

CVM anni partes, proprias temperaturas seruabunt, adeo ut unicuiq; tempori sua qualitas, quæ tamen multũ intensa non sit, reddatur, necesse est morbos, horum temporum naturam seruare, & constantes esse, atq; ad bonum terminari: è contrario si tempora inconstantia fuerint, morbi qui fient, eandem inconstantem naturã habebunt: etenim uel in mortem, uel in morbi longitudinem, uel in recidiuam inducent.

Hippocrates in ultimo folio sui libri De humoribus hunc Aphorismum sub alijs uerbis, & sub alio fere sensu refert, inquiens: tempora enim anni si naturaliter suo tempore, & ordine transigent, morbos bene decernentes, & finientes creabunt. In hoc loco sentit Hippocrates, morbos esse boni iudicij, quando annus in omni tempore suam naturam seruet, quam si non seruaret, boni iudicij non esset, sed mali. Celsus uero in fronte primi capitis secundi libri inquit, ex tempestatibus optimæ ęquales sunt, siue frigidæ, siue calidæ: pessimæ, quæ uariant maximè.

Εν τῇσι καθεςῶσι καιροῖσιν. Leonicenus hęc uerba interpretatur, In constantibus temporibus, Theodorus, in temporibus naturę legitimis, antiqua interpretatio habet, in moderatis temporibus. nobis Leoniceni interpretatio magis arridet, quoniam ad hoc uerbum constantibus, omnes intellectiones applicari possunt, quæ ad interpretationem Theodori iũgi nõ possunt (ut uidere licebit) quamuis id uocabulũ istud inferre uideatur. Galenus in sua expositione, per constantia tempora, illa intelligere uidetur, quæ aliquam temperiem habent, ut quod autumnus multum siccus non sit, sed aliquę aquæ descendant, & hyems mediocritatem seruet, & uer non sit ualde humidum, sed aquæ tempestiuæ descendant, & in æstate commoderatio aliqua fiat, hic annus constans appellabitur: unde anni constantia, nihil aliud est, quàm temperies, & ideo Philotheus edocens quid Hippocrates intelligeret per καθεςῶτας καιροὺς, idest, per constantia tempora, inquit, καλεῖ τὰς ὥρας τὰς ἐν τάξει τὴν οἰκείαν κρᾶσιν ἀπειληφυίας. καθὼς ἐν τῷ περὶ ἀέρων, τόπων, ὑδάτων εἴρηται. εἰ ἐν τῷ μετοπώρῳ ὕδατα γένηται, καὶ ὁ χειμὼν μὴ εὔδιος ἄγαν, μηδὲ ὑπερβαλλόντως ἄγαν ψυχρὸς, καὶ ἐν τῷ ἦρι ὕδατα ὡραῖα, ὅμοια ἐν χειμῶνι πρέποντα τῇ ὥρᾳ, καὶ ἐν τῷ θέρει οἰκεῖον τὸ θερμὸν, οὗτός ἐστιν ὁ καθεςηκὼς ἐνιαυτός. idest, uocat, scilicet constantia tẽpora anni tempora secundum ordinẽ proprium temperaturã seruantia, ut in libro De aere, aquis, & locis dixerat: si in autumno aquæ oriantur, & hyems neq; multum serena fuerit, neq; multum frigida, & in uere tempestiuæ aquæ hyemi similes, sed tempori conuenientes fiant, & in æstate calor familiaris & conueniens æstati, hic annus constans est. Vbi ergo annus temperiem habuerit, morbi boni iudicij fient, quamuis Galenum intelligere possemus, quod Hippocratem referat in libro De Aere, aquis, & locis, non quod annus temperatus sit, sed quæq; pars suam temperaturam seruet, tamen illam multum excedentem non habeat. & hoc est quod ab Hippocrate ultimo folio libri De humoribus dicitur, si naturaliter suo tempore & ordine transigent, ita quod hyems quidem sit frigida & humida, uer calidum & humidum, æstas calida & sicca, autumnus frigidus & siccus, tamen non adeo excedant, quin inter se proportionem connaturalem habeãt, tunc uerum erit, quod morbi boni iudicij fient, & bene terminabuntur. Tertia expositio est secundum Celsum, quod intelligamus tempora constantia, quę eandem temperaturam seruent, aut quod frigida sint, uel calida &c. & in hoc etiam sensu morbi constantes sunt. sed hanc tertiam expositionẽ non ita probo, sicuti præscriptas duas facio, quoniam si omnes anni partes eandem temperaturam seruarent, pręter naturam essent, propterea morbos incidere oporteret, qui & si non essent inconstantes, tamen essent mali iudicij. Secundam uero expositionem magis probo, ut anni tempora suam naturã seruent, sed ita seruent, ut in suis qualitatibus non multum excedant.

Ην ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, idest, Si tempestiue tempestiua reddantur]. Hoc modo interpretari optimum esse duco, quamuis ὡραῖον fructus significet suo tempore collectos.

dos. Hippocrates uero nihil aliud intelligit, quàm omnia secundũ quod exigitur fieri, hoc autem præcedentẽ partem determinare potest ut hoc modo cõtinuetur, in constantibus temporibus, si omnia (ut decet) consequantur: uel istud ad alia, præter tempus, referatur, ut ad uictus genera, ad exercitia, quando annus naturalem constitutionem seruabit, & deinde in alijs rebus, ut in uictu, potu, & similibus omnia tempestiue redduntur, tunc morbi boni iudicij fient. Philotheus ad commoderationem aeris, uentorum, & pluuiarum refert, inquiens, ἀλλὰ μὲν καὶ αἱ ποιότητες τοῦ περιέχοντος ἀέρος, σύμμετροι ἄνεμοι, σύμμετροι καὶ ὕδωρ. idest, Sed & qualitates continentis aeris, commoderati uenti, commoderatæ & pluuiæ sint. tamen ad tempus, & eius temperaturam potius referendum putamus, quando tempus suam constitutionem seruabit, adeo ut omnia tempestiue succedant, salubres morbos habebimus. & hoc est, quod ab Hippocrate ultima pagina libri de humoribus habetur, si naturaliter suo tempore & ordine transigat, hoc est tempestiua tempestiue exhiberi.

Εὐσταθέες καὶ εὐκρινέστατοι αἱ νοῦσοι γίνονται. Theodorus hanc partem ita interpretatur. Morbi constantes, synceri, & faciles ueniunt. Leonicenus uero, Morbi constantes, & boni iudicij fiũt, idest, de quibus bene iudicari possit. in qua re Leoniceno potius aures porrigendas, quàm Theodoro putamus, nisi Theodorus legerit εἰλικρινέστατοι, idest, syncerissimi. nam εἰλικρινὴς syncerum dicitur. uocabulum uero εὐκρινέστατον syncerum & facilenon significat, sed optimi iudicij, quamuis in aliquibus codicibus εὐκρινέες, & non εὐκρινέστατοι legatur, sed idem fere sensus est. Sunt autem morbi εὐσταθέες, idest, constantes & stabiles, & boni iudicij, illi qui cito, & cum bona atq; integra crisi sanantur, & in suo incessu talem ordinẽ seruant, ut à suo naturali cursu uel gry quidẽ nõ aberrent. Philotheus uero morbos boni iudicij uocat διότι καὶ ἡ φύσις καὶ αἱ δυνάμεις ἐῤῥωμέναι εἰσίν, καὶ ἐκκόπτουσι τὰ αἴτια, καὶ μάλιστα κοσμίως τῇ διαίτῃ χρωμένοις. ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ νοσήματα ἁπλᾶ εἰσίν, καὶ οὐκ ἔχουσι ποικιλίαν, μόνον γὰρ ὑπὸ τῶν ἀπεψιῶν γίνονται. idest, Quoniam & natura, & potentiæ robustę sunt, & causas abscindunt, & maximè cõuenienti uictu utentibus: sed & morbi simplices sunt, neq; habẽt uarietatem, solum enim per incoctionem fiunt. Est uero aliud uocabulum hoc in loco, quo utitur pro cõstanti, & aliud, quo in principio aphorismi utebatur, cum dicebat, in cõstantibus temporibus. nam ibi scriptum est καθεστῶσι, hic aũt εὐσταθέες, quæ uocabula, diuersam quandam uim habere certum est.

Ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι. Theodorus hæc uerba interpretatur, at uero iniquis inconstantes, & iudicatu difficiles existunt. At Leonicenus ita uertit, in inconstantibus autem inconstantes, & mali iudicij. Non possum non probare Leonicenum, & de Theodoro mirari, qui id uocabulum ἀκατάστατον, pro iniquo interpretatus sit, deinde statim pro inconstanti, cum in his anni constitutionibus iniquitas nulla proprie dici possit. propterea non iniquum, sed inconstans cum Leoniceno interpretamur, tum quia id nomen hoc significat, tum quia conuenit primæ parti aphorismi hanc secundam correspondere, in prima autem dicebatur, in constantibus temporibus morbos esse boni iudicij. in hac igitur secunda, in qua oppositum ad primam dicitur, necesse est oppositum uocabulum correspondere, quod fiet, si dicatur, in inconstantibus. & nisi esset hæc ratio, quod necessarium est secundam partem primæ per oppositum correspondere, ego illam particulam δύσκριτοι non interpretarer, mali iudicij, sed difficiles, quoniam Hippocrates in principio secundi Epidemiarum inquit, nam quemadmodum statis anni temporibus matura cuncta, suoq; tempore redduntur: sic statis annis, tempestatibusq; morbi stati sunt, facillimeq; decernunt. Contra uero non statis, non stati, quiq; difficulter decernant, fiunt. Ex hoc loco talis expositio illius partis, cum tempestiue tempestiua redduntur, colligi potest, ut hoc ad illa referatur quę in constantibus temporibus pręter homines sunt, cum omnia suis temporibus fiunt, ita quod fructus suis temporibus, uuæ suis, & fruges suis fiant. hoc est quod ab Hippocrate dicitur matura cuncta, suoq; tempore redduntur, tunc morbi erunt constantes, & stati, & boni iudicij. & è contrario si fructus, fruges & reliqua suo tempore non fiant, tunc tempestiue tempestiua non redduntur, & ideo morbi inconstantes erunt, & qui mala iudicia habebunt, sicuti annus in omnibus alijs rebus inconstans est. & hoc experientia ipsa rerum magistra ostendit, quum pestilentes morbi aliquo anno uigere

debeant, præcedunt tempora inconstantia, fruges modicę sunt, uuę paucissimæ, fructus aut nulli, aut paucissimi fiunt, & hi qui producuntur, putredinem facile contrahunt. Si uero petas, qui morbi potissimum uigere debeant? Respondemus, omnia morborum genera accidere posse ut anni immoderantia producet. de hac autem immoderantia particulariter in hoc tertio libro in uarijs locis sermonem habet Hippocrates, superius enim de siccitate locutus est: inferius de humiditate, & morbis eam consequentibus, & de compositis intemperaturis in uarijs aphorismis pertractabit. propterea secundum has inconstantias tales morbi iudicandi sunt, qui in illis sequi dicentur. Ad rem igitur, quia Galenus in commento hanc particulam δύσκριτοι difficulter interpretari uidetur, ego ita interpretarer, nisi hæc secunda pars aphorismi per oppositum primæ parti correspondere deberet, quod Philotheus considerãs dicit, καὶ δύσκριτοι διὰ τὴν ἀντιθέσιν τῶν εἰρημένων, idest, Et mali iudicij per oppositum eorum quæ dicta sunt.

GALENVS

CONSTANTIA tempora nominat quæ ordinatim suam recipiunt temperaturam. Quem uero constantem appellet annum, tibi licet discere ab ipso in libro De aqua, aere, locis, & regionibus, ita dicente. Si quidem pro ratione facta fuerint signa huiuscemodi in ortibus, & occasibus siderum, & in autumno, si aquæ descendunt, & hyems mediocritatem seruauerit, neq; ualde serena, neque frigore excedens, & uere aquæ euenerint tempestiuæ, & æstate, sic par est annum fore salubriorem. Postquam igitur qualis debeat esse constans annus didicisti, facile est etiam inconstantem intelligere. Omnia enim quæ non seruant secundum aliquid anni constantis ductum, ea nunc Hippocrates inconstantia uocat, & eos qui in ipsis accidunt morbi, similiter appellat. Ait autem, & ipsos difficulter, hoc est male, iudicari. Vel enim cum casibus periculosis iudicia in his morbis eueniunt, uel statim sunt perniciosi, uel omnino faciunt recidiuam.

BRASAVOLVS

PRIMO quæ sint tempora constantia à Galeno edocemur, illa etenim sunt, quæ ordinatim suam temperaturam seruant. uidetur aũt differentiam facere inter constantẽ annum, & constantia tempora, quia tẽpora sunt illa quę ordinatim se consequuntur, annus uero est omniũ tẽporũ collectio, quæ collectio si ea seruet quæ ab Hippoc. in li. De aere, aquis, & locis dicũtur, constans annus appellatur. hæc aũt in principio ferè illius libri ab Hippocrate edocentur: unde qui hęc optime cognoscere studet, is urbis sitũ cognoscere tentet, & quibus qualitatibus, & qua cœli periodo, & ortus atq; occasus syderũ cõplectetur, an cũ humiditate, & siccitate oriantur, & occidant, quia hęc omnia ad constantẽ annum plurimũ faciunt. propterea in hoc eodẽ lib. dicit, scito tamen astronomiã, nõ minimum ad medicinã conferre, sed ualde plurimũ. unde ortus & occasus Arcturi, Vergiliarum, & aliorũ siderũ contemplantes, si cõuenientes qualitates, & cõstantes seruauerint, totum annũ constantem iudicabimus, quia (ut inquit) in horũ ortu & occasu mutationes fieri solent. & ideo addit, ortus astrorũ, præsertim caniculæ caueto & obseruato, deinde Arcturi, Vergiliarumq; occasus: mala siquidem potissimũ decernũt, nõnullaq; tollunt, siue corrumpunt, quędam cessant, quædam in aliã speciem & statum transeũt, & mutantur. propterea de Asia, & Europa deinde loqui cœpit, ut per aspectus diuersa sunt, quę à medico necessariò cognosci debent, & hoc penes motus solis. unde is annus cõstans est, in quo tempora quæ sibi succedunt, suam naturã conseruant, tamen cum aliqua temperie, ut quod autumnus ualde siccus non sit, sed aliquas pluuias habeat, & hyems sit quidem frigida, sed non extreme, nec sit ualde serena, sed cum temperie quadam. Itaq; de uere & æstate iudicandum est.

SECVNDO, Galenus ex constanti anno ἀκατάστατον, idest, inconstantem cognoscere docet. nam ille annus, qui constantis anni conditiones effugit, inconstans appellari debet: in quo uidelicet tẽpora, quæ sibi succedunt, suas tẽperaturas non seruant, uel habent magis auctas quàm par sit. In his annis morbi etiam inconstantes erunt, quia difficulter, idest, male iudicant: mala autem iudicatio in hoc consistit, uel quia symptomata periculosa incidunt, uel interficiunt & statim, uel si uideantur sanari, euestigio recidiuas inducunt. Quod uero legitur, secundum anni constantis ductum, hęc particula,

ductum, Græce legitur ἀγωγὴν, idest, secundum quod annus constans ducit, secundum quod facit, secundum eius normam.

APHORISMVS IX

AVtumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte, uer uero saluberrimum, & minime exitiale.

BRASAVOLVS

AVTVMNVM ab augendo anno antiquitas appellauit, quoniam eo tempore omnia in prouentum aucta sint, nempe tunc horrea tritico, & quocunque farris genere plena sunt, fructus horarij collecti, & uuæ partim maturæ sunt, partim ad maturitatem perueniunt. unde & poeta in Experientia de anni temporibus, Autumnum ita pingit,

Stabat & autumnus calcatis sordidus uuis, Et in alia Experientia,
Pomifer autumnus tenero dat palmite fructum.

Tamen ut tempus est, in quo omnia ferè perfecta sunt & matura, ita pernitiosissimum est, & ualde exitiale, ut homines ita cadere uideantur, sicuti fructus maturi ex arboribus. propterea Celsus in fronte primi capitis secundi libri Autumnum longe perniciosissimum dicit, & Hippocrates ubique morbosissimum Autumnum uocat, & in primo folio libelli De aere, aquis, & locis Arcturum euitandum iubet, quod astrum in Autumnum oriri solet, imò & experientia ipsa multos in autumno mori ostendit, & plures ægritudines fieri. Non ab re igitur in hoc Aphorismo ab Hippocrate dicitur, in autumno morbi acutissimi, atque ualde mortales fiunt, & hoc non semper, sed ut plurimum. uer autem quod autumno correspondere uidetur (quia multam qualitatem ex actiuis excellentem habet, & in eo æquinoctium fit) saluberrimum est, & in uere paucissimi occumbunt.

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύτατα αἱ νοῦσοι, idest, In autumno acutissimi morbi.] Hæ sunt autumni qualitates frigiditas & siccitas. superius uero docuit Hippocrates, in siccitatibus fieri acutas febres: tamen si hanc siccitatem, & autumni qualitates consideremus, non uidebitur, quod suarum qualitatum ratione, ad ægritudines inclinetur autumnus, tum quia frigidus, frigiditas autem febri obsistit: tum quia siccus, & siccitates imbribus salubriores sunt. Adde, Hippocratem in libro De hominis natura scriptum reliquisse, uernorum morborum liberatio, in autumnum expectanda est, autumnales autem ueris tempore liberentur, necesse est. Ideo & in autumno non solum fiunt, sed etiam sanantur morbi. Nec acuti esse deberet, quia in autumno frigiditas uiget, quæ acumini morbi obsistit. Respondemus, hoc penitus uerum esse, autumnũ ut tale tempus, eas qualitates habens, morbosum esse nõ debere. nam qualitates sunt corruptioni repugnantes. Præterea si ob has qualitates morbosum tempus esset, sequeretur, omne tẽpus frigidum & siccũ morbosum esse, unde hyems frigida & sicca morbosa esset, cuius oppositũ experiẽtia ipsa ostendit. & ne longius exempla petamus, hoc anno partim 1536. & partim 1537. hyemem frigidam & siccam habuimus, quæ adeo sana fuit, ut quæstuarij medici de tanta sanitate conquererentur, quæ ad hoc usque tempus perseuerat, & sumus in principio Martij 1537. imò si uniuersum Ferrariensem populũ perquiras, decẽ ægros inuenire nõ poteris, imò in populatissima Venetiarũ urbe paucissimi sunt. nã diebus elapsis cũ illustrissimo Hercule duce Ferrariæ quarto, Venetijs eram, cum Venetũ senatum salutaret, tũc multi medici Venetias incolentes, de tam integra sanitate cõquerebantur. autumnus igitur ratione propriæ temperaturæ morbos acutos causare non dicitur, uel insaluberrimũ tempus esse, sed hoc habet per accidẽs. multa etenim quæ præcedunt in causa sunt ut insaluberrimus sit autumnus, & perniciosus hominibus. Aestas præcedit, quæ ob intensum calorem, humanas uires deijcit, unde in autumno primo debiles uires sunt: deinde ratione præcedentis æstatis multi biliosi humores generati sunt, qui in morbis acutiem faciunt. Tertio præcessere fructus horarij, quos homines comedentes prauis humoribus

repleti sunt; & ad putredinem aptis. Quarto ex ratione autumni. nam in ipso multę caloris & frigoris inæqualitates sunt, in meridie enim calor satis intensus est, mane, uesperi, & in nocte absente sole frigus uiget, eo autem præsente in meridie calefacit. Quinto humores ob meridiei calorem ad cutim mouentur, postea frigore adueniente retrocedunt, adeo ut hic motus accessionem causet, & ex frigore obstructio fit. Denique autumni qualitates uitæ oppositę uidentur, quoniam uita in calido & humido consistit, autumnus uero his uitæ qualitatibus penitus oppositus est, quia frigidus & siccus, propterea non mirum si acutissimi morbi in autumno fiant. Aduertas pręterea non dici ab Hippocrate in autumno morbos acutissimos fieri, ut chronicos fieri inficietur: aliter sibi ipsi opponeretur, cum dicebat, æstiuas quartanas breues, autumnales longas, & maximè quæ hyemem attingunt. In toto autem autumno hi morbi uel fiunt, uel fieri possunt: in toto autem dixi, quia autumnus tres partes habet, primam æstati proximam, quæ ęstatis naturam sapit, ultimam hyemi & tempore & natura propinquam, & mediam quæ propriam autumni temperiem seruat, tamē & in illa parte quæ hyemi propinqua est, acutissimi morbi fiunt, unde & Aristoteles primo Problematum libro, problemate uigesimonono quærit, cur per autumnum ac hyemem febres ardentes potius oriantur. Respondet, quia calor pulsus à frigore introrsus se cōtrahit. hic tamē scito cum dicitur, acutissimas febres fieri, non intelligo præcise de acutie penes breuitatem, aliter enim is aphorismus falsus redderetur, Aestiuę quartanę: sed intelligo, acutissimas, idest, pessimas. nam eadem met febris, quæ nunc in autumno fit, si in æstatem ponatur, acutior erit, in hoc sensu, quia citius terminabitur, propterea hic intelligo acutiē quo ad symptomata, non quo ad breuitatem: licet etiam breues sint, & Philotheus ipse hoc in loco dubitat, propter quid cum autumnus frigidus & siccus sit, acutos morbos adducat, Respondet, ὅτι ἡ ξανθὴ χολὴ, καὶ ἐν θέρει γίνεται καὶ ἐν φθινοπώρῳ. ἀλλ' ἐν μὲν τῷ θέρει γίνεται μᾶλλον, καὶ διαφορεῖται, διὰ τὸ τηνικαῦτα ἀραιότερον εἶναι τὸ δέρμα, ἐν μέν τοι τῷ φθινοπώρῳ ἧττον γίνεται, καὶ μὴν καὶ τὸ ἐν τῷ θέρει πλεονάζον ὑπομένει, καὶ οὐ διαφορεῖται διὰ τὸ περιέχον ψυχρὸν, μὴ διαφορούμενον δὲ σήπεται, καὶ σηπόμενον ὀξεῖς ἀνάπτει πυρετούς. idest, Quod flaua bilis & in æstate, & in autumno fit, sed in ęstate magis fit, ac resoluit̄, propterea quod ipsa cutis tunc rarior est, in autumno uero minus, & ea quæ in æstate superabundat permanet, & non resoluitur per sudorem ob circundantem frigiditatem, non resoluta uero corrumpitur, & corrupta acutas febres accendit.

Καὶ θανατωδέστατοι ὡς ἐπίπαν, idest, & exitialissimi magna ex parte]. Leonicenus interpretatus est exitiales, tamen superlatiuū est, ideo potius interpretandū erat, ut Theodorus fecit, maximè exitiales, quamuis Leonicenus suam interpretationē excusare posset, quoniā illam particulam maximè cū illa magna ex parte, cōmutauerit dicens, maxima ex parte. hoc tamē agendum nō erat, quia hęc particula ἐπίπαν, idest, omnino uel ut plurimū, uel magna ex parte, est illa quæ hoc modo interpretanda erat, quæ particula illam dictionē, exitiosissimū, solum determinat: sensusq; est, non solum fiunt acutissimę febres in autumno, sed etiam ut plurimū interficiunt, quia multos calidos & prauos humores adustos in æstate generatos habemus, & uirtus debilior effecta est, & humores ex horarijs, idest, æstiuis fructibus facti facile corrumpuntur, & quia eadē die modo frigus, modo calor inuadit, propterea in autumno exitiosissimi morbi fiunt, & re uera nos singulis annis in autūno multos mori uidemus. At Philotheus totā rationē cur autumnus sit exitialis, ad tēporis inęqualitatē referre uidetur inquiēs, ἐπειδὴ ἀνώμαλόν ἐστιν τὸ φθινόπωρον, ποτὲ μὲν ἐπικρατούσης θερμότητος, ποτὲ δὲ ψυχρότητος. καὶ διότι ταύτῃ τῇ ἀνωμαλίᾳ καταλύονται αἱ δυνάμεις, καὶ διότι παντοδαπὴ γίνεται ἐν αὐτῷ κακοχυμία, καὶ πρὸς τὸ βάθος ὠθοῦνται οἱ χυμοὶ ἐν αὐτῷ. idest, Quoniā inęqualis est autumnus, quandoq; enim abundat caliditas, quandoq; aūt frigiditas. & quoniā ob hanc inæqualitatē potentiæ dissoluuntur, & in ipso omnifaria oritur abundātia mali humoris, & humores in eo ad profundum pelluntur. Si uero dubites, nunquid si alia tempora qualitates autumni habuerint, hi morbi sequantur, Respondemus, adeo exitiales non sequi, quia alia tempora æstatem non sequuntur, quæ uires deiecerit, & prauos humores genuerit, & quæ horarios fructus habuerit: tamē quia hoc tempus suam propriam temperaturam non seruabit, propterea in eo morbi fient, de quibus inferius sermonem habebit, quādo de morbis qui in autumno gignuntur

gignuntur tractabit. Hic etiam Hippocrates de autumno loquitur, qui suam tẽperaturam seruet, tamen & si etiam non seruet, semper periculosus existit. de alijs aũt qualitatibus quæ suæ propriæ nõ sunt, deinceps in alijs aphorismis sermonẽ habebimus, immo absolute concedere oportet, in autumno per se, & ratione qua autumnus, longos morbos gigni, nempe atrabilarios, & quia modo frigus, modo calor existit, tamen ratione præcedentis temporis per accidẽs fiunt. Quod si tibi uideatur autumnum impedire, ne res corrumpantur, quoniam qualitates habeat corruptioni contrarias, propterea morbiferum tempus appellari non debeat. Respondendum est, ex sui ratione à putredine præseruare; at ratione præcedentis temporis, & inæqualitatis, quam in frigore & calore habet, quibus transpiratio prohibetur, corruptiones fiunt.

ἦρ δὲ ὑγιεινότατον. idest, Ver autẽ saluberrimum.] Ver autumno opponit. sicuti in autumno acutissimi morbi generãtur, ita uer saluberrimum est, quod ab omnibus fere autoribus decantatur; & ratio in prõptu est, quia uer qualitates nostræ uitæ maxime propinquas habet, uita enim in caliditate & humiditate sita est, ideo sanguini, & spiritibus assimilatur; tamen adeo saluberrimũ non est, quin ægritudines in ipso fiãt, sed tales sunt, quod breui & facile curãtur. In uere aũt morbos fieri, & experiẽtia ipsa, & Hippocrates in libro De hominis natura edocuit, dicẽs, uernales morbos in autũno sanari. Intelligẽdus uero est de aliquibus morbis, qui ex calido & humido excedente fiunt, in æstate ob calorẽ sanari nõ potuere: quũ uero ad autũnum peruenĩũt, qui tẽperaturã morbo penitus oppositam habet, ꝑpterea hoc tẽpore cito sanãtur. Ver aũt magis sanũ est, quia hyemẽ sequitur in quo nec biliosi humores geniti sunt, nec uires debiliores effectę, nec horariũ tẽpus præfuit, nec de cõstanti tẽpore in incõstans trãsitus fit. Adde uernũ tempus æstatẽ consequentẽ habere, quæ errores corrigere apta est, si aliqui in uere facti sint, Autumnũ aũt sequitur hyẽs, quæ autumni errores corrigere apta non est. Si uero huc Aristotelẽ adducas in primo Problematũ libro, ꝓblemate. 27. dicentẽ, uer cũ autũno, in eo quod sunt tẽpora male sana, proportionẽ habere. nã dubitat propter quid uer, atq; autũnus morbis infestent. Respõdet, quia mutationes omnes graues existũt, tamẽ infert autumnũ uere grauiorẽ esse, quia corpore calido refrigescẽte, ꝙ frigido incalescẽte potius ægrotamus. ut igitur uere frigidũ recalescit, sic autũno calidum refrigescit. Tamen & si Aristoteles, in uere morbos fieri dicat, nõ sunt uel acuti uel exitiales, sed destillationes solum fiunt, & affectiones quæ ex sola mutatione prouenĩũt, & meatuũ reseratione. Re aũt uera ad alia tempora uer cõparatum sanissimũ est, & minime exitiale. Si uero aliqui moriantur, id potius est uel ob mutationẽ suæ propriæ qualitatis, uel sunt illi qui per totam hyemẽ ægrotarunt, & sanitati restituendi non sunt. In alijs enim ut plurimũ sanantur. unde Aristoteles de tẽporibus, in quibus potissimum mortes fiunt problema facit, primo problematum libro, problemate 17. ubi quærit, cur à uergiliarũ occasu ad Fauonij usq; flatus (hi aũt flatus nõ sunt nisi in uere, incipiuntq; decimooctauo die februarij secundũ Pliniũ, uel proxime, & eo tẽpore uer incipit. ꝙuis secundũ Astronomos tunc incipiat cum sol primũ punctũ arietis ingreditur, quod est circa tertiamdecimã diẽ martij) quærit ergo Aristoteles cur hoc tempore hi potissimũ pereant, qui morbo longo laborant, & senes potius quàm iuuenes. Respõdet quia hoc tẽpore potissimum sunt duæ causæ mortis. quæ sunt frigus & excessus, uel quia longi morbi senectæ cõparantur. In summa igitur uer saluberrimũ est, cuius rationem Philotheus reddens, uoluit si non absolute, saltem pro minori parte esse exitiale, hæc uero est ab eo assignata causa suæ salubritatis, ἐπειδὴ εὔκρατόν ἐστιν, καὶ ἐν τῇ εὐκρασίᾳ, ἐῤῥωμέναι εἰσὶν αἱ δυνάμεις, καὶ ἐῤῥωμέναι οὖσαι ἐκδιώκουσιν τὰ περιττὰ ἀπὸ τοῦ σώματος. ἢ ὅτι χρηστῆς ὕλης γεννητικόν τὸ ἔαρ, τουτέστιν αἵματος, καὶ ἐν ταύτῃ τῇ ὕλῃ πάντα τὰ μόρια, καὶ ἡ φύσις ἔχει πέψιν, καὶ ἀνάπαυλάν τινα. id est, quoniam bene temperatum est, & in bona temperie potentiæ robustæ sunt: robustæ uero existentes, superfluitates à corpore depellunt. uel quod uer bonæ materiæ generatiuum est, hoc est sanguinis, & in hac materia omnes particulæ, & natura coctionem habent, & quietem quandam.

Καὶ ἥκιστα θανατῶδες, idest, & minime exitiale.] nam paucissimi in uere moriuntur, & morbi qui fiunt salubres sunt. unde & Celsus capite primo secundi libri, inquit, Igitur saluberrimum uer est, immo in quo omnia aperiantur & generationes incipiãt. propterea

Hippocrates in ultimo folio libri De superfœtatione inquit, Vernum tempus ad generationem aptissimum esse, idemq; posuit in libro De fœminarum morbis, siue de non perferentibus, & fœcundis. Est autem hoc tempus minime exitiale, cum quia temperatum, tum quia habet qualitates naturæ humanæ proprias. hocq; uerum est, si corpora inuenerit, quæ in humoribus temperata sint: si uero plena sint, morbi causantur, de quibus deinceps sermonem habituri sumus.

Si uero dicas, in uere maiores repletiones esse quàm in autũno, quia homines in hyeme copiosius edunt, quàm in æstate, ideo uer plures ęgrotandi causas habebit quàm autumnus, quia plures humores. Respondemus, Si corpus in uere plenum sit, bonis humoribus plenum est, propterea boni medici in uere suis amicis uenas secari iubent, has repletiones uidentes, & hoc solum ut plenitudinem euacuẽt. In autumno uero sunt malorum humorum repletiones, quãuis paucorum, & inflammatorũ. Immo cum apud autores inuenies, uer temperatum esse, hoc simpliciter uerum non est, quia calidũ & humidum: sed eo ad nostra corpora compareto, temperatũ dicitur, corpora enim ipsa parum alterat. de hac autem re Galenus primo De temperaturis libro abunde pertractauit. Hic uero dubium à Philotheo mouetur, quomodo Ver saluberrimum sit, quoniã deinceps ab Hippocrate dicetur, in uere manias, melancholiasq; fieri. Respondet, ὅτι αὕτη ἡ κακοχυμία οὐκ ἐν τῷ ἔαρι, ἀλλ᾽ ἐν τῷ φθινοπώρῳ, καὶ ἐν τῷ χειμῶνι ἐπλεόνασεν. idest, q̃d ipsa malorum humorum repletio, in uere non abundat, sed in autũno, & in hyeme. Mouentur uero hi humores in uere, tanquam in eo tempore in quo omnes humores concitantur à natura, ut eos ad extrinsecas, aut minus nobiles nostri corporis partes expellat.

GALENVS

CVM tempora conuenientem seruant totam temperaturam, inter ipsa uer est saluberrimũ, ut quod bonam habet temperaturam. Morbos autem acutissimos, atq; mortiferos, aliorum temporum comparatione autumnus afferet, quandoquidem uer temperiem habet. Autumno uero hoc inprimis inest, quod eadem die aliquando calorem, aliquando frigus continet. Deinde æstiuum subsequitur tẽpus, in quo multis quidem humores assati sunt. Quibusdam uero & uires sunt debilitatę. Non solum uero hac ratione autumnus malus est, sed etiam quia primum quidem humores mouebantur ad cutem, atque difflabant, autumno uero ab aeris ambientis frigiditate truduntur, atque ad interiora impelluntur: hæc quidem omnibus hominibus communia sunt. His uero qui nullo uictu utuntur ex superabundanti, fructus accedunt, quibus abundanter repleti, malorum humorum multitudinem generant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hæc intelligenda esse docet, quando tempora suam naturalẽ temperaturam seruauerint: tunc enim uer temperiem habet, scilicet respectu nostri corporis, ideo saluberrimum est: sed autumnus ad alia tempora comparatus acutissimos morbos parit, & maxime exitiales. Cum dicit, quandoquidem uer temperiem habet, ἐπειδὴ τὸ μὲν ἔαρ εὐκρατότατόν ἐστι. idest, quãdoquidem uer temperatissimum est. Quamuis antiquus contextus, quem habeo, εὔκρατον etiam legat.

SECVNDO Galenus plures causas reddit, cur autumnus insaluberrimus sit. Prima est, quia eadem die modo calor, modo frigus existit. Secunda, quia æstatem sequitur, in qua multi humores assati sunt. Tertia, quia uires ob calorem, in aliquibus debiliores effectæ sunt. Quarta, quia in æstate humores ad cutim mouebantur, & difflabantur, autumno autem superueniente, ob aeris frigiditatem repelluntur, et ad interiora remeant. Omnes hæ causæ omnibus hominibus communes sunt, quas effugere non possunt. Quintam causam addit, quam hi soli habent, qui uictu inordinatiori utuntur. In his enim nõ solum adest plenitudo aliorum ciborum, sed etiam fructuum horariorum, qui in ultima æstatis parte ad maturitatem peruenere, hi autem fructus in nobis humores gignunt, qui facile corrumpuntur. Scito autem ubi legitur, Quibusdam uero & uires sunt debilitatę, hæc duo uerba desunt, præcedente calore, quæ uerba necessario poni debent, quia sententiæ Galeni causam reddunt: etenim Galenus eo loco dicit, quod

æstiuum

æstiuum tempus autumnum præcedit, in quo æstiuo inquam tempore, multi humores assati sunt, & in quibusdam hominibus sunt uires debilitatæ. Cur autem uires debilitatæ sint, rationem affert, per hæc duo uerba, præcedente calore: quia æstiuus calor præcessit, ideo in autumno debiliores redditi sunt. Prope cōmenti finem ubi legitur, his uero qui nullo uictu utuntur, librarius contextum deprauauit. nam legi debet, In his uero qui malo uictu utuntur, ita enim habet Græcus contextus τοῖς δὲ οὐκ ὀρθῶς διαιτωμένοις, idest, his autem qui non recto uictu utuntur.

APHORISMVS X

A Vtumnus tabidis malus.

BRASAVOLVS

TABIDOS in autumno ut plurimum mori cum folia ab arboribus decidunt experientia compertum est, quāuis & in uere aliqui, in Mense martij, cum herbæ è terra prodeunt, occumbant. At in uere ob temporis mutationem, in qua humores mouentur, fit: in autumno autem ob proprias qualitates. Non solum uero tabidis malus est autūnus, idest, his qui per alia tempora tabem contraxere, sed etiā (ut in alio aphorismo dicetur, & Celsus capite primo secundi libri edocet) tabes generare potest. de his autem temporibus quæ tabidis disconueniunt, Hippocrates libro sexto Epidemiorum, ultimo folio pertractat, inquiēs, Tabidis autumnus malus est. Ver autem malum, cum fici folia cornicis pedis instar habere cœperunt, idest, cum in folijs fici scissuræ distingui incipiūt, qd' est prope finem Martij. pars autem media autumni, quę proprie autūnus est, illa est quæ tabidis obest. Quod etiam intelligere oportet si hæc tempora suam naturam seruent. nā si autumnus alias qualitates haberet, & non proprias, quæ tabidis propitiæ essent, non esset opus quod tali tempore uel perirent, uel peius haberent. unde opus est intelligere, Autumnum suum esse naturale seruare: ita enim auget tabem, ut eam (si occulta sit, ut in aliquibus uidetur) manifestet. Est autem malus potissimum tabidis, quamuis rarissimæ ægritudines sint, quibus non obsit. his solum bonus est, de quibus Hippocrates in libro De natura humana locutus est, quando dicebat, longas ægritudines in uere factas in autumno sanari.

τὸ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακὸν. idest, Autumnus tabidis malus.] Græci φθόην ἀπὸ τοῦ φθίνειν. i. diminuere deducūt. nam phthisis diminutionem & extremam extenuationem semper facit, immo in uno mēbro phthisim fieri Hippocrates docet. Sed cum hæc particula τοῖς φθίνουσι à uerbo φθίνω deducatur, ita potius interpretandum arbitror: Autumnus his qui efficiuntur tabidi malus. uel Græcum uocabulum seruarem: his qui efficiūtur φθισικοί. de his enim intelligit, qui in uia sunt ut fiant. nam qui facti sunt, iā sunt, quocunq; tempore obeunt: qui autem fiunt, ab alijs temporibus iuuantur, solus autumnus eos perficit, & tabem inducit. Scito autem, apud Celsum libro tertio capite uigesimosecundo inter phthisim & tabem hanc differentiam poni, quia tabes ad phthisim tāquam genus est. sub tabe enim tres species complectitur, una, quæ à Græcis dicitur ἀτροφία, alia καχεξία, tertia φθίσις. est autem ἀτροφία, quando corpus in summam maciem deuenit, quia non alitur. nā continue aliquid minuitur, & nihil additur, cui nisi occurramus, interficit, & proprie ἀτροφία dicitur, quasi sine nutrimēto, nos uulgo hanc maciē appellamus. Καχεξία est ubi malus corporis habitus adfuerit, ideo omnia alimenta in ipso uitiātur: hoc accidit ut plurimū, cū post lōgos morbos corpora uitiāt, q̄uis morbus absit, tamē non reficit. fit quādoq;, quādo corpus medicamētis affectū est, aut cū diu necessaria defuerint, aut cū aliquis diu inusitatos, & inutiles cibos sumpserit, aut aliquid simile incidit. In hac secūda specie, pręter tabē, quādoq; assiduis pustulis, aut ulceribus totum corpus afficit in summa cute, aut aliquę corporis partes intumescūt, ut καχεξία hydropē semper præcedat. Tertia tabis species, à Gręcis φθίσις nūcupat, à capite in pulmonē materia destillat, itaq; oritur. Cum hac fit pulmonis exulceratio, adest febricula parua quæ etiam cum quieuit, tamen & repetit, frequens tussis est, pus excreatur, interdum cruentum aliquid: quicquid excretum est, si in ignem positum sit, mali odoris est. Tabes ergo

apud

apud Latinos tres species complectitur, ἀτροφίαν, καχεξίαν, & φθίσιν. propterea cum hoc loco, Hippocrates φθίνουσι dicat, nõ interpretarer tabem, quia Phthisis est una tabis species, sed eodem uocabulo uterer, dicens autumnus his qui efficiuntur phthisici, malus, quis absolute omnibus tabidis autumnus malus sit, uel ἀτροφίαν, uel καχεξίαν, uel φθίσιν habuerint, ut in Galeni cõmento statim uidere licebit. immo omnibus ferè morbis obest autumnus, & his præsertim, qui ex pectore, & in ipso oriuntur: quia magnam intẽperiẽ & inordinationẽ habet, quæ uires nostri corporis debiliores reddunt, et ob frigiditatẽ suã malas materias intus impingit, ob frigiditatẽ uero & siccitatẽ phthisicis potissimum obest, quia magis quàm sint, exsiccantur. Tamen apud Celsum in aliis quibusdã locis φθίσιν, idest, tabem interpretatũ inuenies, ut primo capite secũdi libri. De his autẽ speciebus Tabis, in diuersis locis Græci authores pertractarũt, tanquàm de his sermonẽ haberẽt, quæ adeo distincta sint, ut unũ cum alio nihil habeat. unde Paulus Aegineta libro tertio, capite. 47. de Cachexia pertractat, capite autem trigesimosecũdo eiusdẽ libri de phthisi, quam ab ἐμπύου, idest, empyemate distinguit, quia in phthisi pulmo exulceratus est: sed capite. 51. secundi libri ἀτροφίης recordatur, quã ἀτροφίαν Plinius de his qui eam patiuntur loquens, semper interpretari uidetur, qui cibũ non sentiunt. Aetius de phthisicis particulariter libro octauo, capite. 67. pertractat, & Galenus in Introductorio dicit, Phthisim morbũ esse periculosissimũ, in quo materia à capite ad pulmones descendit, cõsumitque corpus misere. & Hippocrates in secundo libro De morbis, duas φθόης species prosequi uidetur, in libro aũt De morbis qui intus, tres Phthisicis species ponit, non tamen eo modo quo de tabe loquũtur Latini. Scito aũt, antiquos nõ solũ usos esse his uocabulis, ἀτροφία in habitu corporis macilento, & φθίσις in pulmonis exulceratione: sed etiã in oculorũ affectibus. nam Galenus in libro Definitionũ inquit, phthisis est pupillæ cũ debilitate uisus extenuatio. ἀτροφία est totius oculi et pupillæ paruitas, cũ uisus imbecillitate. Et in libro qui Introductorius, seu Medicus inscribitur (si hi libri Galeni sint) inquit, φθίσις appellatur dũ pupilla arcte coit, ut stimulo assimilis fiat, tũ hebetior, tũ rugosior, ut ex imbecillitate periculosa, aut ex capitis dolore uehementi. & Paulus Aegineta libro tertio capite uigesimosecundo dicit, Phthisis fit, quando pupilla angustior, & hebetior, corrugatiorque ex aliqua affectione redditur, in qua uisa maiora esse apparẽt, quàm sint, quæ quidẽ ex crassitie, & spissitudine, ab ariditate potissimum facta prouenit. Distinguitur aũt Phthisis ab Atrophia, quia Phthisis angustiorẽ pupillam facit, Atrophia uero oculũ exiliorem, & angustiorẽ reddit. At Hippocrates in libro De morbis qui intus, Phthisim renũ describit, in qua pus est in renibus. In libro autẽ De locis in homine, de Phthisi spinea tractat, quãdo pus ad spinã defluit. & in libro secundo De morbis, de illa Phthisi sermonẽ habet, quã de medulla fieri dicit, & quæ potissimũ nouos nuptos libidinosos corripit, qui febre carent, optimeque comedũt, tabescunt tamen, quos si percũcteris, dicunt de capite per spinã ueluti formicas discurrere, cumque talium mingit quis uel excernit, plurimũ semen genitale liquidũ, non prolificum progreditur. polluitur dũ dormit, cum uxore dormiat, uel non, nihilque generat, cumque iter facit, uel currit, spiritus angustia, debilitasque tã magna eum corripit, ut loqui nõ possit, caput grauescit, aures tinnitant cum tẽpore, hunc, cũ grauiter febriet, mœror absumet. hactenus Hippocrates de phthisi spinea. dicitur aũt à φθίνειν, quod est consumere. quicquid tamẽ sit, omnibus speciebus & modis Phthisis superius nominatis autũnus est malus. Tamen uocabulũ Tabes apud Latinos latius est, quàm apud Græcos Phthisis, at Latini authores cũ φθίσιν Græcorum interpretantur, semper tabem reddunt, ut etiam Celsus fecit libro secundo, capite primo. Nobis autem magis placeret græcam uocem seruare, & Phthisim dicere, quoniam proprium nomen illi correspondens non habemus, nisi generis nomine pro specie utamur. Sed alicui forte uidebitur, Phthisicis autumnum cõuenire, quoniam apud authores, Phthisis est exulceratio pulmonis: exulcerationi uero sicca & frigida conferunt: frigida inquam, quia in ulcere ut putredinis caliditas remittatur, frigida conueniunt, putredo enim calida est: sicca uero competunt, quia ulceri cuilibet, ut ulcus est, sicca exhibenda sunt: his igitur ulceribus autumnus conueniet, quia frigidus & siccus est. Respondemus, frigidam & siccam temperaturam, modo non excedat, Phthisicis conuenire, sed in autumno multa sunt, quæ obsunt. primo frigiditas, quæ nimia

nimia est, & inconstans, & præsertim in media autumni parte. ipsa enim intus calorem naturalem coangustat; ut in pulmone pus cito generetur, & propter inæqualitatem à capite ad pulmonem maiorem defluxum causat, & uires debilitantur, quoniam materiæ etiam retinentur, ne ob inæqualitatem exeant. Iterum probabis, siccum Phthisicis conuenire, si uera sunt quæ Galenus quinto libro Methodi medendi edocet: ibi enim Vesuuium montem pro phthisicis laudat. hic mons nunc uulgo Soma dicitur, ex quo uina optima Græca nuncupata Romam & Neapolim aduehuntur, distat autem Neapoli octo millibus passuum plus minus, laudat autem hunc montem propter siccitatem. Igitur & autumnus, quia siccus, phthisicis conueniet. Respondemus, autumnum ratione siccitatis huic affectui omnino conuenire, sed quia inæqualis est, & frigiditatem modo maiorem, modo minorem habet, propterea non conuenit, & præsertim ob causas superius citatas.

GALENVS

DAMNAVIT quidem & aliter autumnum in antecedente aphorismo. Nunc autem præcipue nocentem tabidis rursus uituperat. Vtrum uero illos solum nominet tabidos quibus pulmo est exulceratus, uel omnes quomodocunque tabefactos, non possumus coniectari. Liquet autem utrisque autumnum esse malum, cum sit siccus, simul ac frigidus, & inæqualis.

BRASAVOLVS

IN præcedente Aphorismo autumnum uniuersaliter accusauit, nūc particulariter, quod nocet tabidis, accusat. uel phthisicis potius.

Galenus autem dubitat, & discernere nescit, an per Tabidos illos, qui pulmonē exulceratum habent, uel omnes tabefactos intelligat: propter hoc omnes interpretatur, quia autumnus omnibus malus est. Rationē uero reddit, quia frigidus simul & siccus, & ἀνώμαλος est, idest, sine regula, inæqualis. Vbique uero in hoc commento, cum à Leoniceno Tabidum uertitur, ego Phthisicum interpretarer. propterea illam partē, utrum uero illos solum nominet tabidos, quæ Græce est πότερον δὲ τοὺς φθόην νοσοῦντας μόνους ὀνομάζει φθίνοντας, ita ego interpretarer, utrum uero phthoe ægrotantes solos nominet phthinontas, quibus pulmo est exulceratus. Illam etiam particulam, uel omnes quomodocunque tabefactos, ego colliquefactos interpretarer, Græce enim est συντηκομένους. Sūt uero hi consumpti, quos Galenus colliquefactos appellat, et qui habent ἀτροφίαν & extremam maciem, quique à siccitate temporis magis exsiccātur, quàm prius exsiccati sint, & colliquefacti, præsertim quia tempus inæquale est, & ἀνώμαλον. Eandem sententiam sequitur Philotheus. unde & ipse Aphorismum intelligit tam in extenuatis, quàm in pulmonem exulceratum habentibus, inquiens, φθίνοντας ὀνομάζει πάντας τοὺς ὁπωσοῦν συντηκομένους, καὶ οἷς ἑλκοῦται ὁ πνεύμων. ἀμφοτέροις οὖν τὸ φθινόπωρον κακόν. τοῖς μὲν διὰ τὸ ἀναπνεῖν τοσοῦτον [illegible] ψυχρὸν ἀέρα, ὅς τις πλήττει καὶ ἀνιᾷ, καὶ δάκνει τὸν πνεύμονα, καὶ μεγάλως αὐτὸν βλάπτει, ἕλκεσι γὰρ τὸ ψυχρὸν δακνῶδες. τῇ οὖν πλήξει, καὶ τῇ δήξει ταράττεται ὁ πνεύμων, καὶ εἰς βῆχα ἄτονον ἐπεγείρεται, εἶτα διὰ τὸ περιέχον ψυχρόν, οὐδὲν ἀναφέρουσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ταράττονται, καὶ ἐκ τῆς ταραχῆς καταβάλλονται, ἥ τε φύσις καὶ αἱ δυνάμεις, καὶ εὖ ἀπόλλυνται. τοῖς δὲ ἄλλοις ἐπειδὴ εὔσαρκοι εἰσίν, ἑτοίμως εἰς τὸ βάθος ἔρχεται ἡ ψῦξις διὰ τῆς διαπνοῆς, καὶ διεισδύνουσα ἐν τῷ βάθει, μεγάλως βλάπτει τὸ ἔμφυτον θερμόν. idest, Phthinontas nominat omnes qui quomodocunque absumūtur, & quibus ulceratus est pulmo. utrisque autumnus malus: his quidē propterea quod frigidū aerem respirant, qui percutit, & infestat, & mordet pulmonē, & ample ipsum lædit. hulceribus enim frigidū mordax. pulmo igitur ex percussione & morsu perturbatur, & ad tussim inefficacē excitatur. postea ob frigidum circunstans nihil referunt (scilicet tussientes quum nihil possint reuellere quod expuant,) sed magis perturbantur, & ex perturbatione, & natura & potentiæ dissoluuntur, & pereunt. Alijs uero (scilicet ex quacunque causa extenuatis nocet autūnus) quoniam bonam carnem habentibus uel carnosis existētibus, frigiditas ob respirationē in profundum facile uenit, & in profundum ingressa, calorem naturalem ample lædit. Vt ex his Philothei uerbis facile colligatur, hic per phthinontas, & illos intelligendos qui extenuati sunt, & illos qui pulmonem exulceratum habent.

Si uero dubites, quomodo autūnus anomalus, & inæqualis dici possit, quia ueri correspondet

respondet. nã & uer talem inæqualitatẽ habet. mane eñ & uesperi fit frigus, in meridie æstus, tamen uer inæquale non dicitur, igitur propter hanc causam & autũnus inæqualis dici non debet. Respondemus, in uere, mane & uesperi aliquam frigiditatem esse omnino, sed nõ talem, qualis est in autumno: & in autumno magis nocet, quàm in uere. in autumno enim à calore recedimus, propterea frigus excellentius sentimus: in uere autem à frigore recedimus, ideo & minus frigus sentimus, et minus nocet. unde in autumno maior intemperies & inæqualitas adest, quàm in uere.

Hoc unum scito, Leonicenum contextum Grecum habuisse Aldino similem, cuius initium est, ἐμέμφετο μὲν καὶ ἄλλως τὸ φθινόπωρον, idest, Accusauit quidem & aliter autũnum. At antiquus quidam contextus quem habeo, quatuor uersus præponit, postea sequitur ἐμέμφετο μὲν & reliqua. Versus autem qui anteponendi sunt subscribemus οἱ μὲν φθόην ἔχοντες βλάπτονται ἀεὶ εἰς πνέοντες ἀνώμαλον ἀέρα, καὶ γυμνὸν ἔχοντες τῶν φυσικῶν πεδίων πλημμύρων τῶν σαρκικῶν φημὶ τὸ σῶμα. οἱ δὲ συντηκόμενοι, τόνοις τε καὶ τὸ ζωτικὸν πνεῦμα καὶ αἱ φυσικαὶ δυνάμεις ἀσθενεῖς γίνονται. deinde sequi debet quod passim omnes codices habent ἐμέμφετο μὲν καὶ ἄλλως τὸ φθινόπωρον, idest, Accusauit quidem & aliter autũnum, quod solum habebat Leonicenus. Præscriptorum autem uerborũ sensus est. Qui phthoen patiuntur, offenduntur aerem inæqualem semper respirãtes, & nudum habentes naturalium tegmentorum carneorum, corpus inquam. his uero qui eliquantur, uitalis spiritus & naturales potentiæ imbecilles fiunt.

APHORISMVS XI

De temporibus, si quidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, uer uero pluuiosum, & australe, necesse est, æstate febres acutas, & lippitudines (Græci ophthalmias uocant) & intestinorum difficultates fieri, pręcipue uero mulieribus, & uiris qui natura sunt humidiores.

BRASAVOLVS

De diuersarum anni partium qualitatibus hoc loco Hippocrates tractare incipit, & ab his primo exorditur, quæ à naturali temperie non multũ recedunt. propterea hoc modo incipit, Cum frigidam & siccam hyemem nacti erimus, quam deinde uer calidũ & pluuiosum, idest, humidum consequatur, in sequente æstate hi morbi præualebunt, acutæ febres, lippitudines, intestinorum difficultates. hæc autem his potissimum accident, qui naturam habent humidiorem, quales in aliquibus uiris, & in omnibus mulieribus inuenire licet. Hippocrates in libro De aere, aquis, et locis, hunc aphorismum his uerbis affert, sin autem hyems aquilonia, uer pluuiosum & austrinum, lippitudines graues & uehementes per æstatem uigent, pueris autem, fœminisq; febres fiunt. Pauciora hic dicit, quàm in Aphorismo. nam difficultates intestinorũ omittit, & quod in Aphorismo omnibus humidis uiris applicat, in libro De aere, aquis, & locis, solum pueris. Aristoteles quoq; octauo problemate primi libri, hunc Hippocratis locum quærit, inquiens, Cur si uenti septentrionales occupauerunt hyemem, uer aũt Austros, pluuiasq; exhibuit, ęstas proxima grauis, tam febribus, quàm lippientibus. Respondet, quia ęstas corpora nostra multum humoris continentia excipit, & terra madet, & habitanti locus perhumidus est, talisq; redditur, qualis qui grauis perpetue constat. Causas autem illarum ægritudinum particulares deinceps dicemus, cum præsentem Aphorismũ per partes examinare incipiemus. Ego enim in Hippocrate id nõ inuenio de terra madida, qđ hic ab Aristotele dicitur, at Galenus uerba Hippocratis referẽs in libro De aere, aquis, & locis, hoc ponit quod terra madida sit, sed nos in nostro codice inuenire non potuimus, Galenus forte in suo habebat. Celsus præterea capite primo secundi libri inquit, Si hyems sicca septentrionales uentos habuit, uer autem austros & pluuias exhibet, ferè subeunt lippitudines, tormina, febres, maximeq; in mollioribus corporibus, ideoq; præcipue in mulieribus. Ex quibus excerpere potes, Celsum hæc in quocunq; tempore fieri dixisse, quod uero in æstate fieri debeant non meminit, nisi quis dicat, subintelligendum

gendum esse, quia æstatē uer sequitur. Nos antiquum Celsum habemus, in quo non legitur, Fere subeunt: sed loco huius particulæ Fere, illam habet æstate, legitq; Æstate subeunt. Philotheus uero hunc aphorismum alio modo introducit, inquiens, ἀνωτέρω μερικῶς ἐχρήσατο τρόπῳ. περὶ μιᾶς γὰρ ὥρας διελάμβανεν ἁπλῆν ἐχούσης τὴν δυσκρασίαν. ἐνταῦθα δὲ καθολικωτέρῳ κέχρηται τρόπῳ, καὶ διαλέγεται περὶ πλειόνων ὡρῶν. i. Superius particulari modo usus est: de uno enim tempore simplicem intemperātiam habente sermonem executus est: hic uero uniuersaliori modo utit̃, & de pluribus tēporibus disputat.

περὶ δὲ τῶν ὡρέων. idest, De temporibus autem.] Ac si Hippocrates pro aphorismis qui consequuntur, inscriptionem posuerit, quoniam de temporibus tractaturus est: propter hoc Theodorus interpretatus est, quod ad temporum attinet rationem. Celsus secundo libro, capite primo interpretari uidetur, ex tempestatibus, ubi & ipse de his tractaturus est. Dixit autem in plurali Temporibus, ut anni partes quæ se consequuntur, intelligeremus.

ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς, καὶ βόρειος γένηται. i. Siquidem hyems sicca & Aquilonia fuerit.] Theodorus squallida & Aquilonia interpretatur. Quod etsi conueniat, tamen nos cum Celso potius interpretandum ducimus, sicca & Aquilonia: quamuis & Celsus interpretetur, Septentrionales uentos habuerit. Boreas autem est uentus frigidus & siccus: tamen Hippocrates addere uoluit sicca, quia Boreas quandoq; pluuiosus est: propterea ut huius temporis conditionem expressius notet, sicca dixit. Si uero dubites, cur etiam non expresserit frigida. Respōdemus, quia in hyeme spirante Borea maxima frigora excitantur, uel pluat, uel ningat, uel neq; pluat, neq; ningat, tum ob qualitatem ipsam, tum quia mire imprimit Boreas. unde Hippocrates per hoc nihil aliud annotare uoluit, q̃ tempestatem ualde frigidam & siccam, quæ tempestas satis salubris est. Si uero arguas, Autumnus igitur qui has qualitates habet, salubris esse deberet. Respondemus, ratione harum qualitatum sanum esse, ob inæqualitatē autem suam insalubris est, tamen & in siccitatibus humores apti ad generandas acutas febres fiunt. Tuq; intellige, totam hyemē has qualitates habuisse: hocq; semper obseruato, quum de aliquo tempore ita se habente sermo fit, semper pro maiori parte intelligitur, ita quod præualeat.

τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον. idest, Ver autem pluuiosum & Australe.] Auster, uentus est calidus & humidus, ideo uideretur sufficisse dicere, Ver autem Australe: nisi quandoq; Auster pluuias non portaret: unde primo Epidemiorū Hippocrates in primo uel in secundo statu, Austrū sine pluuia ponit. Quum autem uer sit calidum & humidum, ut Hippocrates in hoc casu edoceat, magis calidum & magis humidum esse debere, q̃ suæ naturæ cōueniat, hoc modo loquendi usus est, pluuium & Australe, idest magis calidum, & magis humidum, quàm suæ temperaturæ par sit, quia Auster caliditatem facit. Eodem modo uolens in hyeme edocere maiorem frigiditatem esse, quàm conueniret, Aquiloniam hyemem pro frigida dixit: quia Aquilo ingentes frigiditates parit: siccitatem uero expressit, tanquam eam quæ fieri debeat, sed quādoq; ab Aquilone absit: unde uidere potes in his qualitatibus magnam differētiam non esse à suis naturalibus: nam hyems suapte natura est frigida, uer calidum & humidū: ideo in siccitate hyemis, solum dyscrasia est, quia hyems natura humida est: fatemurq; à naturali horum temporum constitutione non multum immutari. In his enim est solum auctio propriarū qualitatum, & in hyeme immutatio ad siccitatem. Nam hyems frigida & humida esse debet, sed mediocriter. Nunc autem in aphorismi proposito, frigida plurimum est & sicca, uer calidum & humidum esse oportet. Nunc ualde calidum est, & adeo humidum, quod dignum est ut pluuiosum nuncupetur: hoc autem, uel per totum uer, uel per maiorem ueris partem intelligere conuenit, quia satis superq; est hanc siccitatem præualere.

ἀνάγκη τὸ θέρος. idest, Necesse est æstate.] scilicet morbos fieri, qui consequentur. Hæc etiam quæ sequūtur, in ipso uere fieri possent: præsertim in ultima parte, quæ æstatis naturam sapit. Medicus igitur ut per suam artem exquisite operetur, non solum præsentia anni tempora cōsiderare debet, sed præterita etiam, quæ ad ægritudines generandas & demendas plurimū faciunt. Vnumq; hic animaduerte, quod etiam si hyems temperiem suam obseruet, uer autem ualde pluuiosum & calidum sit, etiam sequentes ægritudines accidunt. Scitoq; si hæc fieri debeant, opus esse æstatem suam temperaturā seruare

uare, quoniam si æstas multam caliditatem non haberet, humores ebullire non faceret, qui deinde ex ebullitione corrumpuntur. Addecp, plures alios morbos in his temporibus sequi, quos tamen Hippocrates non ponit: hos enim solos prosecutus est, qui frequentius accidunt.

Hic uero dubium non mediocre intercidit, quia si hyems frigida & sicca fuit, necessarium est, quod humanum corpus frigefecerit & exiccauerit: uere autem adueniēte calefit & humectatur, quod oppositum est eius quod in hyeme factum erat: propterea dubitatur, an possibile sit tantam esse humiditatē in uere & caliditatem, quæ frigiditatem & siccitatem ex hyeme contractam expellere posit, præsertim quia potissima hyemis qualitas actiua est, scilicet frigiditas: potissima autem ueris est passiua, scilicet humiditas. Respondemus, uer sua caliditate & humiditate, hyemis frigiditatem & siccitatem repellere posse: quia nostra corpora secundum aerem ambientem immutantur, & licet mutatio ita cito forte non fiat, tamen in tempore fit, & uer magis aptum est suas qualitates introducere: primo quia aer natura calidus est & humidus, & hæc est ueris essentia, ideo in suas qualitates facile deueniet, & nostra corpora alterabit. Secūdo, caliditas est magis actiua, quàm frigiditas. Sed dubium aliud surda aure prætereūdum non est, propter quid hi morbi in uere non fiant, sed æstatem expectent. Cui Philotheus respondet, inquiens, ὅτι μᾶλλον τότε πρὸς συμμετρίαν ἐπανέρχονται τὰ σώματα. ἐν δὲ θέρει διὰ τὴν ἄγαν θερμασίαν εὐθέως ἤρξαντο σήπεσθαι οἱ χυμοί. idest, Quod tunc corpora ad moderātiam magis conueniunt: in æstate autem ob nimiam caliditatē humores statim corrumpi incipiunt. Potest & alia reddi causa, de qua in alijs aphorismis agemus.

πυρετοὺς ὀξέας. idest, Acutas febres.] scilicet, necesse est in æstate fieri, quia superueniente æstate humiditates in nostrum corpus receptæ ebulliunt, & corrumpūtur, & acutas febres causant, quæ sunt uel continuæ uel intermittētes, sed ut plurimū continuæ, quoniam hi humores in uenis corrumpūtur. Rationem eandem reddit Aristoteles octauo problemate primi libri, cur febres fiant, quoniam (inquit) æstas corpora nostra multum humoris continentia excipit, & terra madet, & habitanti locus perhumidus est, talisq; redditur, qualis qui grauis perpetue constat. Et Philotheus in idem incidit, inquiens, διὰ τὸ δὲ, ὅτι ὁ χειμὼν ἄκρως ψυχρὸς γέγονεν, καὶ κατέβαλε τῇ ἄκρᾳ ψύξει τὰς δυνάμεις, καὶ τὴν κακοχυμίαν, τὴν ἀπὸ τοῦ φθινοπώρου ἀθροισθεῖσαν ἐν τῷ σώματι ἐνακέκλεισεν. εἶτα τὸ ἔαρ ἐλθὸν θερμὸν καὶ ὑγρὸν ὂν χύσιν ἐποίησεν τῆς ὕλης, καὶ ὑγρὰ τὰ σώματα ἀπειργάσατο τῇ ὑγρότητι. εἶτα παρελθὸν τὸ θέρος, κατὰ φύσιν θερμὸν καὶ ξηρὸν αὐτὸ τὴν ἰδίαν ὕλην εὑρὸν, εἰς σῆψιν μετέβαλεν. τῆς μὲν δὲ σήψεως οὖν τῆς σηπεδόνος διὰ τῶν ἀρτηριῶν πρὸς καρδίαν, ὀξέας γίνονται πυρετοί. idest, Propter hoc autem, quod hyems eximie frigida fuit, potentias eximia illa frigiditate destruxit, & malorum humorum abundantiam ab autumno congestam in corpore inclusit, postea uer adueniens calidum & humidum existens, materiæ effusionē fecit, & humida corpora, sua humiditate reddidit: deinde æstas superueniens secūdum eius naturam calida & sicca, propriam materiam inueniens, in corruptionē cōuertit: corruptione igitur per arterias ad cor ueniente, febres acutæ fiunt.

Hic uero dubium non dissimulandum occurrit, quomodo acutæ febres ob humiditatem ueri inexistentem generentur, nam potius diuturnæ generari deberent, quia acutæ in siccitatibus maxime fiunt. Respōdemus, febres simpliciter acutas non fieri, sed ob ebullitionem acutas, & quia nō est opus, si tempus siccum sit, quod febres acutæ generentur: quia pauca illa materia resoluitur, & ad generandas febres inepta efficitur: humida autem materia ebullit, & normam nō habet, ideo febres acutas facit, tamen à materia sicca acutiores fierent.

Καὶ ὀφθαλμίας. idest, Et ophthalmias.] quas Latini lippitudines uocant: sunt uero in albumine oculi tumores præter naturam rubri, qui fiunt quoties caput in uere humiditate plenum est, & superueniente æstate efferuescunt & ebulliunt, & per uenas & suos neruos ad oculos destillant, lippitudinesq; inducūt: immo non solum lippitudines, sed & alias egritudines, quæ oculos impetūt: in primisq; currente materia pruritus quidam in oculis sentitur. Vnde Celsus capite septimo secundi libri, inquit, Si frons prurit, lippitudinis metus est, quamuis de illis sermonem habere uideatur, qui uitia articulorum patiuntur, tumores inquam & dolores sine podagra, tamen absolute uerum est, in omnibus

bus qui lippitudinẽ incidere debent, prius fieri non circa frontem modo, sed & in oculis ipsis: fit uero potissimum à pituita, ut Celsus libro sexto, capite sexto edocuit. Galenus autem in libro De generalibus morbi temporibus, tempora diuersorũ morborum docere uolens, inquit, Sic etiam in lippitudine, principio quidem copiosus humor, tenuis & incoctus plurimum defluit: deinde paucior, crassiorq́ notam quandam concoctionis accipiens, postea temporis processu copia decrescente, cõsistentia uero ad crassitiem spectante, adeo concoctionis signa augentur, ut etiam palpebræ dormiẽtium inde conglutinentur. is humor, & ipse primum tenuis & copiosus, temporis autem spatio paucior & crassior euadens, morbi cõcoctionem, eiusq́ declinationem ostendit. Idem Galenus in Introductorio lippitudinem describit, quam sua lingua ophthalmiã uocat, quum album rubescit, & palpebræ attolluntur, cum dolore conniuent, ægreq́ manus admotas ferunt. unde aliqui ophthalmiam considerantes, palàm dixere, à sanguine uel bile continuo fieri: sed tunc ophthalmia, lippitudo non esset, quia Celsus ex pituita fieri lippitudinem dicit: propterea hi qui dicunt, ophthalmiã ex sanguine & acutis humoribus solum fieri, non recte considerarunt antiquos, quoniam & ex crassa materia fit, ut Paulus Ægineta libro tertio, capite uigesimo testis est. Aristoteles & lippitudines & febres octauo problemate primi libri, cur hac tempestate fiant edocere tentat: uerba eius hæc sunt. primum itaq́ lippitudines subeunt, cum excrementa humoris in capite delinquere incipiunt: ita enim intelligendum est, ut res eadem & calidissima & frigidissima reddi possit, ceu aqua uel lapis feruet: etenim illa urit hic uehementius. Fit igitur ut aer suæ crassitudinis causa calorem pleniorem suscipiens exardescat, & corpora pari ratione anxietate æstuq́ uexentur. æstus uero in corpore, febris: in oculis, lippitudo est. Denique mutatio quæq́ calida corpus peruertit, quum scilicet cœlo adhuc madente ęstas protinus sicca & calida occupauit. uitium etiã augetur, si pluuia æstas accessit: ita enim uis solis materiam late obtinet, quam feruescere tum in corporibus, tum in terra, tum etiam in aere faciat. Qua de causa febres oriuntur & lippitudines. Hæc Aristoteles præcitato loco.

Καὶ δυσεντερίαι γίνονται. idest, Et difficultates intestinorum.] Quæ eadem materia ebulliente, & à capite ad intestina trãsmissa fiunt: nam sua mordacitate eadem intestina corrodit, & exulcerat: tamen quia hæc materia multum acuta esse non posset, tunc diarrhiam & lienteriam, idest leuitatem intestinorum inferre posset. In Latino codice deest id uerbum Fieri, quod tamen addi oportet, quum in Græco etiam adsit. Celsus capite quintodecimo sexti libri hunc morbum Latine tormina intestinorum appellat, & non difficultatem intestinorum, dicit enim (prius autem de alijs intestinorum morbis sermonem habuerat) Proxima his inter intestinorũ mala, tormina esse censuerunt, δυσεντερία Græce uocatur, intus intestina exulcerantur: ex his cruor manat, isq́ modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi muccosis excernitur, interdum simul quædam carnosa descẽdunt, frequens deijciẽdi cupiditas, dolorq́ in ano est: cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur, atq́ eo quoq́ tormentum intenditur. Ex quibus colligi licet recentes omnes interpretatos esse δυσεντερίαν, idest, difficultates intestinorum. Celsus uero interpretatur, tormina intestinorum, uel absoluto uocabulo tormina, licet Græcum uocabulum difficultatem significare uideatur, cum dolore tamen: nam δὺς particula, quando in compositionẽ uenerit, dolorem semper & difficultatem significat. Non ab re igitur Plinius Græco uocabulo, ac si Latinum sit, semper utitur, dysenteria dicens: uel ergo cum recentibus, difficultates intestinorum: uel cum Celso, tormina intestinorũ interpretemur, nihil refert. Celso Plinius fauere uidetur, qui libro decimoquinto, capite uigesimoprimo, de sorbis tractãs inquit, unum genus esse quod dysenteriæ confert, propterea torminale appellari, tanquam id ad tormina, idest ad dysenteriam ualeat. Habent tamen alia nomina Græci, quibus tormina significent, ut στρόφοι. Sed per excellentiam hæc tormina sunt, quæ in dysenteria fiunt, quia nulla acutiora, utpote quæ breui interficiant, & cancros in intestinis pariant, uel dum hæc tormina patimur, fiant. Addit uero multas alias ægritudines Philotheus quas hic non enumerauit Hippocrates, & per quendam diuisiuum ordinem eas disponit. ne uero tu eius uerba desideres, hæc sunt: (prius uero cur febres acutæ fiant, causam assignauit, mox sequitur

tormina Celso

torminale plinio

tur) ἔπειτα πάλιν ἐκ τῆς σηπεδόνος ἀναπέμπονται ἀτμοὶ δριμεῖς ἐν τῇ κεφαλῇ. καὶ εἰ μὲν ἀσθενὴς ἡ κεφαλὴ ᾖ, μένουσιν ἐν αὐτῇ ἐπιληψίαι, καὶ ἀποπληξίαι, καὶ σκοτώσεις γίνονται. εἰ δὲ ἔρρωται, διωθεῖ τὴν ὕλην, ἢ εἰς τὰ παρακείμενα μόρια, καὶ ποιεῖ ὀφθαλμίας, καὶ ὠταλγίας, ἢ εἰς τὰ πόρρω. καὶ εἰ μὲν πρὸς τὰ ἀναπνευστικά, καὶ ποιεῖ δύσπνοιαν, καὶ βῆχα. εἰ δὲ εἰς γαστέρα καὶ ἔντερα, ποιεῖ δυσεντερίας, τῇ δήξει οὖν τῶν ἑλκουμένων. idest, Postea rursus ex corruptione acres uel acidi uapores in caput remittuntur, & si quidem caput debile sit, in ipso permanent morbi comitiales & apoplexiæ, & uertigines, & obtenebrationes uel caligines oriuntur. Si uero robustum sit, scilicet caput, materiã depellit, uel ad partes adiacentes & ophthalmias, atq; aurium dolores facit: uel ad has quæ longe sunt: & siquidem ad spiritales partes, anhelitus difficultatem & tusses facit. Si autem ad uentrem & intestina, intestinorum difficultatem facit, eisdem morsu exulceratis.

Μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξί. idest, Præcipue uero mulieribus.] Quia humidæ sunt, ideo ingentem copiam humorum habent, qui ebullientes, & ad has partes transmissi, lippitudines uel intestinorũ tormina faciunt, & simul, uel separatim acutas febres: hæc pars ad solam dysenteriam referri posset, ut sensum faceremus, fiunt dysenteriæ, sed potissimum mulieribus. Nos autem in omnibus intelligendum putamus, quòd omnes præscripti morbi, mulieribus potissimum accidunt, tanquam humidioribus, ociosioribus, & uiris in luxum procacioribus.

Καὶ τοῖσιν ὑγρὰς ἔχουσι τὰς φύσιας. idest, Et his qui humidas habent naturas.] Ita habet antiquus contextus quem habeo, & Aldinus, & ita in suis Theodorus & Constantinus habuere: tamen alium codicem habemus, qui Leoniceno conformis est, ita legentem, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας. idest, Et uiris natura humidioribus, uel qui naturas humidas habent, & hoc ratione prædicta. Hippocrates in libro De aere, aquis & locis, ubi huius aphorismi sententiam ponit, humidorum non meminit. Sed dicit, pueris & fœminis: ætatẽ quæ humida est edocens. Celsus uero inquit, Maxime hæc euenire in mollioribus corporibus: ideoq; præcipue in mulieribus. De humidis uero corporibus ita dicit Philotheus, εἰ γὰρ ὅλην τὴν κατάστασιν, ὡς σήπουσαν τὰ σώματα μεμφόμεθα, πρόδηλον ὅτι ἡ σηπεδὼν ἐν τοῖς ὑγροῖς ἐστὶ σώμασιν. idest, Si enim totam constitutionem, tanquam corrumpentem corpora accusemus, manifestum quod corruptio in humidis corporibus est.

GALENVS

De alteratione quæ in temporibus fit, hic docet, ab hyeme sicca & Aquilonia initium sumens: uere autẽ pluuioso, & austrino. Paruæ igitur tales mutationes, præter naturam tamen, quapropter & ad æstatem sequi ait hos morbos, febres acutas & lippitudines, & intestinorũ difficultates. Causam uero ob quam superabũdant in tali constitutione huiuscemodi morbi, ipse explicauit in libro De aquis, locis & aere. Verba autem eius se habent in hunc modum: Si autem hyems quidem sicca & aquilonia fuerit, uer uero pluuiosum & australe, necesse est æstatem febribus abundare, & lippitudines, & difficultates intestinorum aduenire: quando enim æstate strangulatio repente superuenerit, & terra madida ex pluuijs uernalibus, & ab austro fuerit, necesse est, æstum duplicari, & à terra madida atq; calente, & à sole comburẽte, non constantibus hominum uentribus, neq; exiccato cerebro. Neq; enim possibile est tali uere existente, nõ inflammari corpus ac carnem, unde febres accidunt acutissimæ, tum reliquis omnibus, tum præcipue pituitosis. Difficultates uero intestinorum mulieribus, & uiris humidioribus conuenit fieri. Hæc quidem Hippocrates in libro De aquis & locis & aere, dixit: Nos uero latius eius sermonẽ explanabimus, & primum quidem ob quam causam, neq; in hyeme, neq; uere per talem constitutionem dixerit uulgari morbos. Atqui in secundo Epidemiorum, in ipso tempore uitiato, ait, apud Cranonẽ factos esse carbones. Verba autem eius inibi hæc sunt: Pluebat in æstibus aqua ruente per totum, fiebant autem austro magis. Manifesta igitur ex his quæ dixerat causa, ob quam apud Cranonẽ facti sint æstate carbones. Neq; enim paulatim mutauit temperaturã, sed ad talem peruenit constitutionem, in qua facile putrent quęcunq; naturam habent ut putreant. Habiles enim sunt humiditates modum excedentes ad putrescendum. Nam (ut ipse inquiet) morbi in temporibus pluuiosis fiunt magna ex parte febres longę & alui fluxus atq; putredines, adhuc

adhuc autem magis in his quæ calidissima sunt. In unum itaque conuenie͂tibus adeo fortibus, atque immoderatis dispositionibus, ueluti in Cranone, tempus secundum corpus non expectat, uerum anticipat in priore plurimum offendi. Per hyemem uero siccam & Aquiloniam, corpora quidem tali modo afficerentur, qualem ipse dixit per hæc uerba: Si uero Aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, urinæ difficultates, horridi dolores laterum, pectorum: non tamen effatu dignus morbus adcrescet. nam & alioquin sicciores temperaturæ sunt salubriores. Ex toto enim ait siccitates pluuiosis temporibus esse salubriores, & minus mortiferas. Hyeme uero Aquilonia, ac sicca: nocebit quidem rectis stantibus hominibus, ad tusses, & alui suppresionem, & difficultate͂ urinæ, atque dolores locorum ad thoracem attine͂tium, non tamen febres uel difficultates intestinorum, aut tale quiddam operabitur. Cur autem neque in uere pluuioso atque Australi existente morbi uulgantur? quoniam antecessit hyems frigida ac sicca. Ipse uero dixerat non simpliciter præsentes constitutiones fore considerandas, sed ex qualibus, ad qualesue fiant permutationes exiccatum. Itaque corpus per hyemem, cuius sicca atque Aquilonia fuit temperatura, non modo nihil ex uernis pluuijs patietur, sed potius aliqua ex parte iuuabitur ad naturalem rediens mediocritatem. Si uero totum uer humidum fuerit ad contrariam ducetur corpus constitutionem, transcendens illam quæ medium tenet, mediocritatem. Quare æstas subsequens paratum excipiet offensioni, quum terra adhuc humecta sit, atque ob hanc causam strangulatione͂ efficiet, utpote Etesiis nondum potentibus flare. Nam illi postea, & post Canem flare incipiunt. Quare totum tempus medium habebit febres acutas propter caliditatem & humiditatem, humoribus in corpore putrescentibus, necnon lippitudines & difficultates intestinorum, pro aptitudine partium quæ offensionem recipere natura aptæ sunt. Aliæ enim alijs magis, aliæ minus passibiles sunt, secundum corporum temperaturas. Nam lippitudines fere omnes infestant repleto capite, quibusdam exceptis quibus oculi præualidi sunt. Difficultates uero intestinorum eos qui naturas humidas habent, & mulieres, hæ siquidem uiris sunt humidiores. Si igitur totam constitutionem, tanquam nostra putrefacientem corpora, da͂namus; liquet quòd putredo magis humidis adueniet corporibus. Ipsum siquidem humidum quod in nostris putret corporibus, quædam ueluti materia est à ui caloris patiens, humiditas uero ambientis aeris, quatenus exiccari non sinit humorum in corpore superabundantiam, eatenus adiuuat uim putrefacientem. Nihil itaque mirum si in talibus constitutionibus plus offendu͂tur naturæ humidiores, & propterea ait, febres pituitosis magis aduenire, hi siquidem necessario sunt humidiores. Manente igitur putredine in corpore, febres fiunt. Si uero per ue͂trem euacuetur, difficultates intestinorum. Et hæc per totam æstate͂ contingent, nisi fiat circa Canis ortum permutatio, de qua ipse in libro De aquis, locis & aere transegit, post uerba paulo antea scripta, post illa uidelicet: Difficultates autem intestinoru͂ par est fieri mulieribus, & uiris humidissimis. Nam sermonem continuans, scribit in hunc modum. Et si quidem superuenerit circa Canis ortum aqua, & hiberna tempestas, & etesiæ perflauerint, spes est quietis, & quòd autumnus salubris erit. Alioquin periculum est, ne pueri moria͂tur, & mulieres, minime uero seniores, & ne qui euaserint, in quartana͂ finiant, & ipsa quartana in aquam intercutem terminetur. Verum de his quæ adiecit in libris De aqua, & aere, & locis, cum librum illum exponemus, diligentius considerabimus. De his uero quæ in præsenti aphorismo proponuntur, sufficienter est dictum, excepta una dictione, ex necessitate, quam non solum apposuit in aphorismo, sed etia͂ in libro De aquis, locis, & aere, ostendens per eam, quòd rei natura persuasus, & non ex aliqua obseruatione, ista notauerit. Quotiens igitur uerisimile fit ipsum uidisse talem constitutionem, uel quot in locis, nunquid bis, uel ter, uel quater. Sed neque si sæpius inquias, possumus dicere quòd ita semper erit: sicuti neque si ex medicina aliqua uideris purgatos sex, uel septem homines, iam dicere certe poteris quod omnes posthac homines similiter purgabuntur. Quare pro manifesto relinquitur quòd rei naturam Hippocrates sequens, & non aliquam obseruationem, ita scriptitauerit, Necesse est æstate febres acutas, & lippitudines, & difficultates intestinorum fieri.

IN HAC Galeni commentatione plura sunt animaduersione digna, sed id potissimum in principio commenti, in quo multa desunt, quæ in antiquis codicibus Græcis scripta inueniuntur, licet Aldinus codex his careat, & in nostro antiquo non adessent, sed in margine à quodam uiro docto scripta sunt, qui simul principio commenti addenda esse ostẽdit. Si uero aliquis querat quæ nam ista sint, nos ea subscribere non pigebit. In hunc enim modum incipit Galeni commentum, & ita in antiqua quadam translatione habetur, & nonnulli recentes cum his uerbis legunt, αἱ ὧραι, ἢ φυλάσσουσι τὰς οἰκείας κράσεις, ἢ ἀλλοιοῦνται, καὶ εἰ ἀλλοιούμεναι, ἢ εἰς τὰς ὁμογενεῖς τούτων μεταβάλλουσιν διαφερούσῃ τῇ ἐπιτάσει, ἢ εἰς τὸ ἐναντίον. ἡ δ' ἀλλοίωσις, ἢ μιᾶς γίνεται, ἢ δύο, ἢ τριῶν, ἢ πασῶν. καὶ εἰ δύο, ἢ τριῶν, ἐφεξῆς, ἢ οὔ. καὶ ἢ κατὰ δύο ποιότητας, ἢ κατὰ μίαν, καὶ τὰ νοσήματα ποιοῦσιν, ἢ ἐν αὐταῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐφεξῆς, ἢ ἐν ταῖς ἄλλαις. τοῦτο δὲ γίνεται, περὶ τὰς μεταβολάς, ἢ σφοδρὰς οὔσας, ἢ ἀμυδράς, καὶ ἢ μᾶλλον ἐναντίον τῇ ἡμετέρᾳ φύσει, ἢ ἧττον. ἐναντίον μὲν γὰρ ἄγαν, ἢ θερμὰ καὶ ὑγρά. ἧττον δὲ θερμὰ καὶ ξηρά. Hæc sunt Galeni uerba, quæ passim in commentationibus desunt, deinde sequitur commentum, quod publice habetur, περὶ δὴ ἐν ταῖς ὥραις ἀλλοιώσεως. idest de alteratione, quæ in temporibus fit, & reliqua, quæ in commẽto passim impresso consequuntur. Si autem prædicta uerba Latine loqui cupias, ut integrum commentum habeas, hoc modo interpretari possunt: tempora uel seruant proprias temperaturas, uel alterantur, & si alterantur, uel ad congeneres qualitates pertranseunt intensione differente, uel ad contrarias. Alteratio autem uel unius fit, uel duorum, uel trium, uel omnium. Et si duorum, uel trium, uel deinceps, uel non, & uel secundum duas qualitates, uel secundum unam. Et morbos faciunt, uel in eodem, uel sequente, uel in aliis. Hoc autem fit circa mutationes uel uehementes existentes uel debiles, & uel magis contrarias materiæ naturę, uel minus. Contrarium enim ualde, si calidum & humidum, minus autem calidum & siccum. Post hæc sequantur uerba commenti, quæ in Leoniceni interpretatione habentur scilicet. De alteratione, quæ in temporibus fit, hic docet ab hyeme incipiens, & reliqua, quæ in toto cõmento continentur. Tot igitur uides in Galeno abesse, quæ & phrasim & Galeni doctrinam sapere uidentur. Nunc ad expositionem particularum quæ in commento sunt, deueniamus.

PRIMO docet Galenus, Hippocratem de alteratione, quæ in temporibus fit, tractare, ab hyeme uero frigida & sicca, & uere pluuioso & Austrino initium exorditur, quæ tempora à suis naturis non multum recedunt, tamen præter naturam esse constat, in æstate autem morbi sequuntur, de quibus Hippocrates. causam uero horum morborum in libro De aere, aquis, & locis explicauit, quæ in eodem libro non inuenimus, ut hic à Galeno referuntur, tamen in libro De capitis uulneribus, omnia posita sunt quæ hic refert Galenus. Arbitror ego uitio scriptoris hæc transposita esse, quæ spectant ad librum De aere, aquis & locis, & posita esse in libro De capitis uulneribus: quia re uera ad hunc librum non spectant. Tu rationem quam facit Galenus secundum Hippocratem uidere poteris, scilicet quia terra madida, ideo caliditas intensior erat.

Quod autem dicit, Quando enim æstate strangulatio repente superuenerit. Græcus codex habet, ὅταν γὰρ τοῦ θέρους πνῖγος ἐπιγένηται ἐξαίφνης. nos hoc modo potius interpretaremur, Quando enim æstate æstus superuenerit. Nam illa particula πνῖγος æstum significat & offocationẽ, quę æstus est, quam Ferrariense uulgus *suffogato* uocat, non autem strangulatio: quoniam re uera id uocabulum Strangulatio, hic ambiguitatem potius facit, quàm ueram sententiam uel conuenientem reddat.

Scitoq; quum à Galeno dicitur, Non inflammari corpus & carnem, ibi uti uerbo φλοιδιᾶν, quod est cum ebullitione inflammari.

SECVNDO, Galenus cur fiant hi morbi rationem sibi parat, sed hoc facere uolens dubium quoddam remouet: propter quid ab Hippocrate dictum non sit, quando hæc tempestas preualuerit in hyeme uel uere, tales morbos fieri, quum hyems & uer tempora uitiata sint, in quibus fieri deberent, & estatem non expectare: & quod dubium uehementius auget, illud est, quia in secundo Epidemiorum libro, de eadem tempestate sermonem habens Hippocrates, in Cranone dicit factos esse carbones eo tempore, quo tempus ipsum uitiatum erat, nempe in æstate, quando pluebat: quia humiditates ad pu-

trescendum habiles sunt, quando modum excedunt, ut deinceps uidere licebit, quum morbos in pluuiosis temporibus enumerabit. Respondet: si hæ qualitates multum intensæ sint, in illo tempore morbi fiunt, & tempus aliud non expectatur: Si autem adeo intensæ non sint, aliud tẽpus expectatur: unde hyems sicca & Aquilonia, ea inferre deberet, quæ superius dicta sunt, Aquiloniã tempestatẽ consequentia: tamen hi morbi magni nõ erunt, quia siccitates humiditatibus salubriores sunt, & ideo hyems Aquilonia & sicca, suas quidem ægritudines faciet, de quibus superius quinto Aphorismo tractatum est: sed febres non faciet, aut intestinorũ difficultates. Si uero quæras propter quid hi morbi in uere non fiant, sed expectent æstatem. Respondet, quia hyems frigida & sicca præcesit. Hippocrates autem non solum intelligit, præsentes temporum dispositiones considerandas esse, sed etiam pręteritas, & à quibus ad quales transitus fiat, per hyemem uero siccam corpus exiccatum habetur, ideo ueris pluuię lædere non possunt, sed potius iuuare, quia ipsum ad naturalem constitutionẽ deducunt. Erat autem ob aquiloniam tempestatem prius siccum. Si uero totum uer in humiditate perseueret, nõ solum quod ex hyeme cõtractum erat, corriget: sed corpus etiam ad contrariã temperiẽ deducetur, nempe humidam: & eo facilius quod siccitas rarius corpus effecerat, & latiores meatus: propterea æstate subsequente corpus ad suscipienda nocumenta paratum intuetur, præsertim quia non solũ corpus, sed & terra ipsa humida est: unde magnus æstus efficitur, quoniam Etesiæ nondum spirant, quæ plurimum exiccant, & post canem spirare incipiunt. ideo in principio æstatis hæ febres inuadent, quia in processu quum propter calorem ipsum æstiuum, tum propter Etesiarũ flatus, hæ terræ humiditates, & illæ quæ nobis intrinsecæ sunt (nisi prius corruptæ sint) resoluũtur: unde in hoc tempore ante Canem, & Etesiarum ortum febres acutæ fiunt: nam propter caliditatem & humiditatem, illam agentem, hanc patientem, in nostris corporibus humorũ putredines fiunt, quæ similium febrium causæ sunt. Hæc est in hac parte Galeni sententia, in qua multa quæ ad contextum pertinent, consideranda occurrunt.

Ea pars huius cõmenti, in qua hæc uerba scripta sunt, Neq; uere per talem constitutionem dixeris uulgari morbos: Græce habetur, μήτ' ἐν ἦρι περὶ τὴν τοιαύτην κατάστασιν, ἐπιδημεῖν φησὶ νοσήματα. quæ uerba nos potius hoc modo interpretanda existimamus. Neq; in uere per talem constitutionẽ dixerit morbos inuulgari. Paulo deinde, cum à Galeno dicitur, Atqui in ipso tempore uitiato: potius legendũ duco, In eodem tempore uitiato. dicit enim sua lingua, κατ' αὐτὴν ὥραν, per ipsum tempus uitiatũ. ut sensum faciat, quod in uitiato tempore in Cranone ἄνθρακες, idest carbones fiebant. Est autem hic locus statim in principio secundi libri Epidemiorum: tamen si Hippocratẽ ad libellam contemplari uolueris, de austro nihil dicit, quod magis fierent. At id in libro De capitis uulneribus inuenies. Potest id etiã Galeno imputari, quasi μνημονικὸν ἁμάρτημα. i. memoriæ uitium.

Cum deinde legitur, Habiles enim sunt humiditates modũ excedentes ad putrescendum. Græcus cõtextus habet, ἱκαναὶ γὰρ αἱ ὑγρότητες ἄμετροι γεννῆσαι σηπεδόνα. quæ uerba nos ita interpretãda suademus, Conueniẽtes enim sunt humiditates modũ excedẽtes, ad faciẽdas putredines. Aptius enim iudico dicere ad faciẽdas putredines, q̃ ad putrescẽdũ: quoniã deinceps rationẽ reddens cur febres acutæ fiant, inquit: quare totũ tẽpus mediũ habebit febres acutas propter caliditatẽ & humiditatẽ humoribus in corpore putrescẽtibus: ac si dicere uideat, humores ob caliditatẽ & humiditatẽ putrescere. & re uera ita est, quia calor humiditatẽ illam ebullire facit, qua inflãmata putredines causat: ꝓpterea cum Gręco cõtextu potius legendũ est, ad faciẽdas putredines, q̃ ad putrescendũ, q̃uis & ipsa putrescere posint. In illa etiam parte in qua dicitur, Adhuc autem magis in ijs quæ calidissima sunt. in Gręco codice habetur, ἔτι δὲ μᾶλλον αὐτῆς αἱ θερμότητες. i. Adhuc aũt magis illis calores. Sensus aũt est, Pluuiosa tẽpora & humida, longas febres & putredines facere: sed tempora calidissima has ægritudines adhuc magis faciũt, q̃ tempora humida. Si uero humida & calidissima tempora unà iungantur, aliud tempus ut hæ ægritudines fiant, non expectatur: sed statim ob causæ uehemẽtiam fiunt: & ideo Galenum ita interpreteris, Adhuc autem magis illis, scilicet humiditatibus, calores uidelicet ægritudines pariunt: tamen ne ad longas febres te determines, quia in calidissimis temporibus potius febres acutæ fiunt, sed cito ægritudines facit: quũ postea simul iuncta erunt

caliditas & humiditas (superflua scilicet) citius gignuntur, ut in Cranone accidit, quia magnus æstus erat, & superuenit humiditas.

Quod legitur, Verum anticipat in priore plurimũ offendi. deest una particula, ipso, quæ debet addi ante illam, priore: ut dicat, Verum anticipat in ipso priore, plurimũ offendi. Græce enim habetur, φθάνον ἐν αὐτῇ τῇ πρώτῃ μέγιστα βλάπτεσθαι.

Quod etiam legitur, Nam & alioqui ficciores tẽperaturæ sunt salubriores. hæc duo uerba hic desunt Alijs constitutionibus, uel Cæteris constitutionibus: ut hoc modo continuetur, Nam & alioqui ficciores temperaturæ, alijs cõstitutionibus sunt salubriores. Quæ duo uerba si non addãtur, necessario subintelligi debent. Sed addi potius debent: quoniam in Græco contextu ita habetur, πρὸς γὰρ τοὺς ἄλλοις, καὶ αἱ ξηρότεραι τῶν καταστάσεων ὑγιεινότεραι. idest, Ad alias enim & ficciores constitutiones salubriores. Vbi uides illam particulam καταστάσεων, idest Constitutionibus positam esse.

Id etiam quod legitur, Hyeme uero Aquilonia ac ficca nocebit quidem rectis stantibus hominibus, primo legi non debet Hyeme, sed Hyems, in recto: librarius incuria errauit. Deinde illa particula Rectis stantibus, conuenientem sensum facere non uidetur: habet autem Græcus contextus hoc modo, ὁ δὲ χειμὼν ὁ βόρειος καὶ αὐχμηρὸς, λυπήσει μὲν ὀρθοστάδην τοὺς ἀνθρώπους. Quæ si uerbum uerbo reddamus, hæc dicunt, Hyems autem Aquilonia & ficca, nocebit quidem hominibus. ὀρθοστάδην, Leonicenus interpretatur, Recte stantibus. & re uera, id uocabulum illud importat. Ego autem, Ex opposito, uel E directo, interpretarer: ut sensus sit, Nocebit è directo hominibus ad tusses, & alui suppresionem, & reliqua. Leonicenum de hac particula in hoc loco quandoq; interrogaui, respondit, ὀρθοστάδην hic, idest Statim, interpretandum esse. Hippocrates primo Epidemiorũ libro, in primo & secundo statu, utitur hoc uocabulo ὀρθοστάδην, quod Galenus interpretatur ἀλύπως, ita ut non solum propter hoc hominibus non obsit, sed etiam consuetas operationes dimittere non cogantur.

Quod dicitur, Sed ex qualibus ad quales'ue fiant permutationes. Hic duo uerba desunt, scilicet præconsiderare oportere: ut hoc modo legatur, Sed ex qualibus ad quales ue fiant permutationes cõsiderare oportere. Græce enim habetur, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐξ οἵων εἰς οἷα εἰσὶν αἱ μεταβολαὶ προσεπισκοπεῖσθαι. Sed & illud considerari oportet, Quales ex quibus fiant immutationes. In Leoniceni interpretatione ultimum uerbum omissum est.

Quod deinde sequitur, Exiccatum itaq; corpus. à chalcographo inepte impressum est, Quoniam ipse præcedentibus uerbis coniungit. Et tamen sequentibus iungi debet. Potiusq; legerem Præexiccatum, quàm Exiccatum. Nam Græcus contextus, προεξηρασμένον habet.

Illi etiam parti, in qua habetur, Si uero totum uer humidum fuerit, ad cõtrariam ducetur corpus constitutionem. Hæc uerba addi debent, Ei quæ prius inerat siccæ: postea sequatur transcendens illam quæ medium tenet mediocritatem. Nam Græcus contextus ita dicit, εἰ δὲ ὅλον τὸ ἔαρ ὑγρὸν γένηται, πρὸς τὴν ἐναντίαν ἀχθήσεται τὸ σῶμα κατάστασιν, τῇ ἔμπροσθεν ὑπαρχούσης αὐτῷ τῇ ξηρᾶς. idest (si ad uerbum reddamus) Si uero totum uer humidum fuerit, ad contrariam ducetur corpus constitutionem ei quæ prius inerat, siccæ scilicet.

Quod etiam legitur, Atque ob hanc causam strangulationem efficiet. hoc uerbum Strangulationem, ab Hippocrate dicitur πνῖγος: nos potius interpretaremur, offocationem intensi æstus: ut superius etiam fecimus.

Pro exquisitiori autem Galeni interpretatione scire oportet, Etesias uentos esse, qui decimooctauo calendas Augusti (ut Plinius libro decimooctauo, capite trigesimooctauo refert) flare incipiunt. Cæsar autem in Italia decimo calendas Augusti persentiri iudicauit. Desinunt uero quinto calendas Septembris, ut idem Plinius capite trigesimo primo libri decimioctaui testatur: & eodem authore teste libro secundo, capite quadragesimoseptimo, ex parte Aquilonis Etesiæ flant, ubi inquit, Post biduum exortus caniculæ, spirare Aquilones, quos prodromos uocant: perflant autem constantius diebus quadraginta, quos Etesias uocant: & addit, quod nulli uentorum magis stati sunt: nunquam autem noctu spirant, & a tertia diei hora oriuntur. Apud nos Ferrarienses singulis annis non spirant, sed quandoque spirant, mihi uisus est uentus inter Aquilonem & Orientem

Orientem, fortè ubi obseruabam, directe non spirabant. In loco quodam Scythiæ & in hyeme spirant, ut Plinius libro sexto, capite decimoseptimo refert. Quod tanquam mirum quoddam ab eo refertur, quum & apud nos hyeme spiret Aquilo. Quod autem Plinius uelit Etesias Aquilonem esse, manifeste deprehenditur libro decimooctauo, capite trigesimoquarto, ubi de Aquilone tractās inquit, quòd mollit sydera æstate media, mutatq; nomen, & Etesias uocatur: propterea mirum non est, si smaragdos bactrianos inueniant flantibus Etesiis, quoniam is uentus arenas dimouet, & uidentur inter saxa lucere, ut Plinius libro trigesimoseptimo, capite tertio edocuit.

TERTIO, Galenus rationem reddit, cur lippitudines fiant, quia hic morbus pleno capite fit: est autem plenum ob uernum tempus, quod pluuiosum fuerat.

QVARTO rationem assignat, cur difficultates intestinorum generentur, sed hoc mulieribus & uiris humidioribus solum applicat: tamen non solum humidis & mulieribus has intestinorum difficultates applicādas esse iubemus, imò & lippitudines & febres acutas. Quod uero humidis hæc potissimum accidant, ita suadet, quoniam uniuersam hanc constitutionem damnamus, quia humida: humidis ergo corporibus putredo magis adueniet: nam humidum in nostris corporibus putrescens materia quædam est, quæ à ui caloris patitur; ebullit enim & putrescit. Adde, quod aeris humiditas qui ambit nos, ad putrefactionem inclinat, quia nostri corporis humiditates & humores ipsos exiccari non sinit: nam nisi esset aeris humiditas exiccarentur, quia siccus aer nostri corporis humores exiccat. Ideo in his constitutionibus humidæ naturæ magis offenduntur: propterea pituitosi febrem incidunt, & si humores per uentrem descendant, intestinorum difficultates fiunt: si uero à capite ad oculos destillent, lippitudines oriūtur. Sed illud de intestinorum difficultatibus, ad mulieres & uiros humidos refert: & dicit, Hippocratem ad illos tantum referre, quum tamen nos putemus & omnes alias enumeratas ęgritudines, ut febres & lippitudines ad hos referri debere, & non ad solas intestinorum difficultates.

Id quod in hac parte habetur, Difficultates uero intestinorum, eos qui naturas humidas habent, mutilatum est: nam hæc particula deest, Vt ipse dixit. Græcus enim contextus in hunc modum se habet, δυσεντερίαι δὲ ὡς αὐτὸς εἴρηκε, τοῖς ὑγρὰς ἔχουσι τὰς φύσεις. Idest, Difficultates uero intestinorum, ut ipse dixit, eos qui naturas humidas habent.

QVINTO Galenus edocet, omnia hæc fieri, nisi in æstate mutatio cōtingat: est autem mutatio, quæ hoc potissimum prohibere potest, circa canis ortum. Vnde Hippocrates in libro De aere, aquis & locis, dicit: Si circa ortum canis ὕδωρ καὶ χειμὼν, idest (ut interpretes referunt) aqua & frigus hybernū: nos potius hanc particulam χειμὼν hybernam tempestatē interpretari malumus, quamuis re ipsa idem sint, & Etesiæ spirent, spes est quietis ab illis morbis, & autumnus eat salubris.

Verba autem, quæ à Galeno referuntur ex Hippocrate De aere, aquis & locis, in meo codice scripta non sunt, imò hoc potius habeo, quia Galenus illud de difficultate intestinorum ad mulieres & uiros natura humidos refert, ab Hippocrate uero ita non refertur, sed ad febres illos refert, nempe dicit, pueris autem fœminisq; febres fiūt. Nos uero (ut prædiximus) has humidas naturas, potius ad omnes ægritudines referimus, quàm ad unam solam. At si circa ortum Canis ista mutatio non fiat, periculum est, ne pueri moriantur, & mulieres: seniores autē minime, quia à calore ita affici non possunt: ex pueris uero, & mulieribus, eæ quæ mortem effugiunt, quartanam incidunt.

Denique Galenus unam particulam in aphorismo positam interpretatur, quæ est, ἐξ ἀνάγκης. idest, Ex necessitate. Aliquis enim dubitare posset, cur Hippocrates ista ex necessitate fieri edocuerit: quod etiā in libro De aere, aquis & locis, sentiebat: quamuis in meo codice non legatur. Respondet Galenus, Hippocratem hac particula, Ex necessitate, usum esse: quia ex sola ratione & ex natura rei, hanc sentētiam huius aphorismi proposuit, & experimentū secutus non est: nā & si bis, uel ter, uel quater similia tempora obseruasset, certam propositionē & uniuersalem colligere nō potest, per quam ita ex necessitate esse possit asserere: sicuti etiā si ex eadem medicina sex uel septē purgatos uideris, omnibus uniuersaliter cōferre dici non potest: unde in toto decursu humanæ uitæ, homo tales dispositiōes per tot uices uidisse nō potest, quòd uniuersalē propositionē ex necessitate

necessitate accipere conueniat. Ideo Hippocrates potius rationem secutus, quàm experientiam, huius Aphorismi sententiam protulit. Nobis autem uidetur, quod experientiam sequi potuerit, imò & hæc per experientiam sciuntur, si non per unum hominem, per decem, aut duodecim saltem habentur, qui hæc annotarint, & descripserint, deinde successores eadem legerint, & alia eisdem addiderint.

APHORISMVS XII

SI uero hyems Australis, & pluuiosa, & serena fuerit: uer autem siccum, & Aquilonium, mulieres, quibus partus ad uer inest, ex quacunque occasione abortiunt: Quæ uero parient, imbecilles, & morbidos infantes pariunt. Quare uel statim intereunt, uel tenues, & ualetudinarij uiuunt. Cæteris uero mortalibus, difficultates intestinorum, lippitudines siccæ fiunt. Senioribus autem destillationes, quæ cito interiment.

BRASAVOLVS

CONSTITVTIO hæc, de qua Hippocrates in præsentiarũ sermonem habet, præcedenti è directo opposita est de qualitatibus harum partium anni; unde & Philotheus dicit, ἐνταῦθα τὴν μεταστροφὴν ἐναντίως τῷ ἀνωτέρω ἀφορισμοῦ ποιεῖται. idest, Hic immutationem facit contrariam superiori aphorismo. Superius enim hyemem siccam & aquiloniam ponebat; hic ecõtrario hyemem humidam & austrinam; ibi uer pluuiosum & australe posuit, hic uer siccum & aquilonium ponit. Quando hæc tempestas præualebit, mulieres quæ ad uer partum expectant, facillime & ex minima causa abortiunt; quæ autem non abortiunt, sed pariunt, infantes ipsi imbecilles sunt & morbidi. Quare opus est, quum statim in lucem prodiere, moriantur; si uero superuixerint, imbecilles, tenues & ualetudinarij uiuunt. Hæc quantum ad mulieres uterum gerentes & natos; sed quantum ad alios homines spectat, intestinorũ difficultates incidunt, uel siccas lippitudines, & præter ista, senioribus in hac constitutione destillationes fiunt, quæ subito interimunt. Galenus hunc aphorismum ex Hippocrate citat in libro De aere, aquis & locis; quod in meo codice non est, sed in librum De capitis uulneribus trãspositum inueni. Si autem Hippocratis uerba in hoc libro scire cupias, hæc sunt; Si uero hyems austrina aquosa serenaque fuerit, uer autem aquilonium siccum & tempestuosum, primum quidem fœminæ prægnantes, quæque per uer pariture sunt, abortiunt. Si quæ uero pariant, non fortia, morbosaque pignora parient, quæ uel statim pereant, uel si uiuant, macilentia, non fortia, morbosaque sint, fœminis quidem hæc; cæteris uero difficultates intestinorum, siccæ lippitudines fient; quibusdam uero de capite in pulmonem destillationes defluent. pituitosis quidem intestinorum difficultates par est fieri, fœminisque, pituita de cerebro superfluente propter earum naturæ humiditatem: biliosis uero siccæ lippitudines, propter carnis caliditatem & siccitatem, senibus autem destillatiões propter uenarũ raritatẽ & distentionẽ. Quamobrẽ nonnulli mentis delirio & insania laborant, quidam uero dextera parte siderãtur. Quum uero hyems austrina calidaque sit, corpusque non sistatur, nec uenæ; quumque uer septentrionale, siccumque superueniat, cerebrum dissoluitur, purgat, destillat. Quum autẽ unà cum uerno tempore frigida grauedine, destillatione, raucitateque corripitur, tunc sistitur stringiturque, subitoque æstas & calor superueniat, mutatioque subito fiat, mala hæc supueniũt. Hactenus Hippocrates; qui deinde concludit, urbes quæ bene positæ sunt, soleque probe perlustrant, uentisque bonis perflantur, aquisque optimis utũtur, minus has mutationes sentire. Hæc ab Hippocrate in libro De uulneribus capitis, quæ ad librum De aere, aquis & locis, spectare uidentur.

Celsus primo capite secundi libri hunc aphorismum suo modo interpretatur, ita inquiens, Si uero austri, pluuiæque hyemem occuparunt, uer autem & frigidum & siccum est: grauidæ quidem fœminæ, quibus tum adest partus, periclitantur: hæ uero quæ gignũt, imbecilles, uixque uitales edunt. Cæteros lippitudo arida, & si seniores sunt, grauedines atque destillationes male habẽt. Aristoteles præterea problemate nono primi libri de hac

de hac tempestate dubitat; cur si hyems Austrina & pluuiosa fuit, uer autem siccum & aquilonium est, corpora tam uere quàm æstate morbi exercent. Respondet, quòd hyemis tepor & humor faciunt, ut corpora tepori eiusdem proxima in qualitate reddãtur, humida enim laxaq; fiant, & soluta necesse est: quę cum ita se habeant, uere frigido atq; sicco facile concrescere possunt & indurari. Itaq; grauidę, quibus tunc adest partus, abortu periclitantur, uidelicet incalescendi, crudescendiq; ratione, quę res sideratio appellata est, quam sicca illa committit frigiditas, impatiens omnino excernẽdi humoris: infantes uero quos gerunt, imbecillos læsosq; immodicam ob frigiditatem edunt. Accidit enim, ut qui tunc cœlo sereno nascuntur, ijdem pluuio benigne & cõstiterint & nutriti fuerint intra parentem. Cæteris uero cum pituita uitio suæ nimietatis purgata non est, quod fit ubi uer tepidum se exhibuit, sed coacta à frigore constitit, quum tempora occupauit, æstatis ui colliquescit, si biliosi sicciq; sunt: quod eorum corpora minime humidam, sed squallibundã sortiuntur naturam. Excitantur quidem humores, sed tenues: quamobrem eos lippitudo arida male habet. Si uero pituita redundat, raucitates, destillationesq; in pulmonem oriuntur, mulieres extorquent difficultates intestinorum, quia natura sunt humida frigidaq;, seniores stupor attonitos reddit, ubi uniuersus resolutus humor incubuit, exq; imbecillitate caloris natiui concreuit. Hæc Aristoteles pręcitato loco, quæ huc adducere placuit, ut Aristotelis furtum cognoscas: nam in libro De aere, aquis & locis, ad uerbum ferè scripta sunt. His autẽ præmissis, ex quibus uides unde hic aphorismus sumi posſit, & à quibus uiris adducatur, ad eius particulas singulatim exponendas descendamus.

ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἐπομβρος. idest, Si autem hyems australis & pluuiosa, ut hyemi præscriptæ qualitates oppositas habeat, & tales quales præcedens autumnus habebat. Quæ uerba ita à Celso interpretãtur, Si uero Austri pluuiæq; hyemem occuparũt. καὶ εὔδιος γίνεται. idest, Et serena fuerit.] Vt opus sit, hyemem esse Australem, pluuiosam & serenam. In quibus uerbis cõtradictio esse uidetur, quomodo hyems pluuiosa & serena inueniri posſit, nam pluuiosum, & serenum ex opposito distinctionem habent. Hoc uerbum serenum inter Nicolaum Leonicenum, & Ioannem Manardum magna disſidia parauit, adeo ut seniores illi alioqui reuerẽdi, apud multos pro re tam leui præliantes in derisum deuenerint, quia à rationibus ad iurgia peruenerant. Tres sunt Aphorismorum interpretationes: antiqua, & quæ secundum aliquos à Laurentiano facta est, sed ad Theodorum refertur, ego potius à Theodoro factam arbitror, & ad Laurentianũ relatam: & hæc tertia Leoniceni. Antiqua translatio habet tranquilla, Theodorus tepida, Leonicenus serena. Manardus epistola secunda libri tertij, has interpretationes reprehendit: quia si Australis, quomodo tranquilla? Si pluuiosa, quomodo serena? Etenim dici non potest, quòd eadem die pro parte serena sit, & pro parte pluuiosa. Hoc enim Hippocrati & Galeno non conuenit, uolentibus hyemem duas illas conditiones habere, quas uer præcedens habebat, & id uel semper intelligunt, uel quod præualeant. Quod etiam legi nõ potuerit Tepida, ex hoc apparet, quia Galenus hanc hyemem præcedenti contrariã facit. Præcedens autem, sicca & frigida erant. At si hæc contraria esse debeat, calidam & humidam esse opus est, non autem tepidam.

Propter hæc Manardus illam particulam superesse iudicauit, tum quia in aliquibus antiquioribus codicibus non inuenitur, tum quia in libro De aere, aquis & locis, posita non est: tum quia Celsus hunc aphorismum interpretans capite primo secundi libri, & Aristoteles primo Problematũ libro, eam particulã non posuere. Additq; idem Manardus, si hoc uerbum legendum sit, uocabulum corruptum esse, & legi debere, ἰκμῶδες penultima circũflexa, idest humida, uel θυελλῶδες, idest procellosa. Sed primũ horum mihi non satisfacit, quia si pluuiosa, etiam humida: non enim sine humido pluuiosum tempus est: quare nugaretur Hippocrates, idem sine utilitate bis ponens. De secundo præterea dubium non est, quòd auster procellosus sit. Leonicenus in Apologia quadam, serenum legi posse, probare conatur, & Manardum in plurimis taxat: econtrario Manardus Leonicenum Epistola prima noni libri retaliauit. Nos autem horum uirorum litigia his legenda omittamus, quibus otium est illa legendi: nam ex musca elephantum fecere. Id solum contẽplemur, quomodo Leonicenus suam sentẽtiam comprobet,

quod

quòd serenum legi possit. Primo illud probat ex Græcis commentarijs, quæ in Aphorismos habebat, ex Philothei inquam commentarijs, & cuiusdam innominati, qui εὔδιος, idest serena uel tranquilla legunt; nam inter tranquillũ & serenum differentiã modicam facit, quoniã ferè synonyma esse iudicat; & probat, suadetq; tepida legi nõ posse. An uero id censuerit Philotheus, tu ipse cõsiderare poteris; nam eius uerba ex suis commentarijs adducemus. inquit enim, ἦν δὲ νότιος ὁ χειμὼν, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὐδιεινός, τουτέστι θερμὸς καὶ ὑγρὸς, καὶ καθαρὸν ἀέρα ἔχων· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ εὐδιεινός. Contextus Grecus, quem ego habeo Philothei, hoc modo legit, quamuis arbitrer librarij gratia inuersam esse illam particulam εὔδιος, in εὐδιεινός: & hunc esse Philothei sensum, Si autem hyems Australis & pluuiosa & serena fuerit, hoc est calida & humida, & purum aerẽ habens: hoc enim est, εὔδιος, idest tranquillus: ut Philotheus per εὔδιος, idest serenum, purum aerem intelligat. Est autem purus cum pluuia, quando non spirabant uenti. & hic est Leoniceni sensus, uel hæc particula εὐδιεινός peruersa sit, & legi debeat εὐδιεινός, idest tranquillus. Quæ uox frequens Græcis, & in primis Theophrasto. Itaq; Leonicenus in suo Philothei contextu habuerit, propterea tranquillum apud ipsum dici inquit. Nam illi magis placet, quòd serenum, quàm tranquillum dicatur. Fieri autem potest, quòd Auster spiret, & tempus tranquillum sit, quoniam leniter spiret: & hoc ex Hippocratis uerbis in principio secundi Epidemiorũ suadet, unde uoluit, tranquillum significare quando aer uentis non perturbatur. Fieri enim potest, Austrum leniter spirare & pluere, & esse tranquillitatẽ uel serenitatem, eo quod leniter spirabit. Vnde tranquillitas est, quia leniter spirat: serenitas uero, quia serenum & pluuiosum simul esse possunt, præsertim comparatiue. Sicuti enim dicimus magnam rem ad aliud, ita hyems respectu ueris pluuiosa esse potest, & tamen serena. Propterea Galenus quædam in secundo Epidemiorũ uerba exponens, ubi Hippocrates de hyeme quadã sermonẽ habet, in qua pluuię abundantes & magnæ fuerũt, inquit, Multas dicimus aquas aliquo tẽpore fieri propter temporis longitudinem, etiam si non magno cum impetu in eodem tempore eruperint. Dicimus autem multas aquas, etiam si in pauco tempore uiolenter descenderint, ut Leonicenus uelit per diuersam comparationẽ, pluuiosam & serenam dici posse, & talem esse, qualem eam constitutionem, quam μιξαιθρίαν appellat, idest mixtam cum pluuijs serenitatem. Fortè huc adduci posset pro Leoniceni sententia Aristoteles primo Topicorũ capite quartodecimo, ubi comparationem facit tranquillitatis in mari & serenitatis in aere. Manardus hanc Leoniceni excusationem tolerare non potuit, imò alia epistola eum lacessiuit, quoniam & hæc particula, serena, ueri præcedentis aphorismi addenda erat. Nos igitur horum excellentissimorũ uirorum lites & iurgia his omittentes, quibus (ut diximus) otium suppetit illa legendi: quicquid in hac re nobis uisum sit, edoceamus. Hanc particulam ab Hippocrate omnino positam esse arbitramur, quoniã in omnibus exemplaribus, quæ unquã legerimus, εὔδιος scriptum est. tamen antiquissimos legimus, & obseruauimus, & antiquissimos habemus: nec putamus tanquam glossema ab aliquo additam esse, quia & in Galeni commento reperitur. Is autem qui contextui aphorismi glossema addidisset, Galeni commento præter necessitatem non addidisset: unde εὔδιος particulam ab Hippocrate positam esse iudicamus: putamusq; eius intellectum esse, si hyems australis & pluuiosa fuerit, uel australis & serena, quia frequenter Austro flante pluit, eo etiam flante quandoq; serenum est. At morbi qui futuri sunt, si talis constitutio uigeat, qualem dicit Hippocrates, ita sequuntur, si pluuiæ sint, sicut si serenitates, quia Auster humiditatẽ annexam semper habet, sed cum pluuijs maiorem. Nec turberis, etiam si à Galeno dictum sit, hanc constitutionem pręcedenti oppositam esse: & quod dixerit, Quale fuerit uer, hyemem talem esse oportere, & quod pluuiosum & serenum in uere non dixerit: quia hæ ægritudines solum in pluuioso uere & Australi fiunt: in sereno autem & australi non fiunt, eo quod in tali uere tanta humiditas sumpta non est, quin facile ab æstiuo calore solui posit. Id uero in hyeme non accidit, quando fit transitus ad uer, quia humiditates ab hyeme receptæ à ueris calore ita facile solui non possunt. Humiditates igitur quæ ex hyeme Australi & serena ortum habent, quia Auster humidus est sequentes ægritudines afferunt, quæ tamen efficacius & uehementius fiunt, si hyems australis & pluuiosa uiguerit. & ideo aphorismum in hunc modum

legendum

legendum ducimus, ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος ἢ εὔδιος γένηται.i. Si autē Australis hyems & pluuiosa, uel serena fuerit. ac si dicat, etiam si fuerit serena & nō pluuiosa, modo Australis sit, illæ ægritudines, quas enumerabimus, fient. Quod autem Auster sine pluuijs spiret, Hippocrates in principio primi Epidemiorum docet, imò hos Austros siccos appellat, non quidem ex proprietate: sed ex eo quod ipsis spirantibus non pluat, nam ex proprietate humidi sunt. Siue igitur legamus ἢ εὔδιος idest uel serena, siue καὶ εὔδιος idest & pro uel serena, ut (si dialectice loqui uelimus) copulatum diuisiuum sit, nihil refert. Hippocrates enim edocere intendit, sequētes egritudines in ea tempestate fieri, uel Auster cum pluuia, uel sine pluuia spiret, quia tota cōstitutio calida & humida est. Tamen in præcedenti constitutione suæ ægritudines ita secutæ non essent, si uer Australe & serenum fuisset: sed solum consequuntur quando Australe & pluuiosum erit, quia Austri humiditas, quando serenus est, tanta non est, quin facile ab æstatis calore resolui possit. Propterea in superiori aphorismo de uere Australi solū & pluuioso, & non de Australi & sereno sermonem habuit. Quod si dicas, hunc igitur Aphorismum præcedenti contrarium non esse, ut Galenus edocuit. Respōdemus, contrarium esse ratione qualitatum, & ratione huius quod est Australe, & pluuiosum, & hoc idem cum uere est. Sed ad pleniorem doctrinam Hippocrates addit, etiam si hyems australis sit & serena, prædicti morbi accidunt. & ratio in promptu est, quia humiditas in serenitate uiget, quando tempestas australis est. Pro Leoniceno tamen Hippocrates facere uidetur in libro De capitis uulneribus, ubi hunc Aphorismum habet (est autē in illa parte quę libro addita est secundum Galenum, spectat autem ad librum De aere, aquis, & locis) Hippocratis uerba hæc sunt, ἢν δὲ ὁ μὲν χειμὼν νότιος γένηται, καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδιος, τὸ δὲ ἦρ βόρειόν τε καὶ αὐχμηρὸν καὶ χειμέριον. idest, Si autē hyems australis & pluuiosa, & serena fuerit, uer autem Boreale, squallidum, & procellosum. Vbi uides εὔδιον id est serenum procelloso contraponi uel tempestuoso. Stat aūt serenum, quod apud Leonicenum tranquillum significat, idest in quo non spirant uenti, cum aquoso, & pluuioso: nam pluuiæ ingruere possunt, & tempus tranquillum esse, quod serenum dicitur ab Hippocrate: non potest autem esse tranquillum & procellosum simul. Tamen (ut diximus) hæc alijs fusius consideranda omittemus, & in hoc Hippocratis loco nos potius interpretaremur hæc uerba, εὔδιος, καὶ χειμέριον tranquillum, & procellosum, quàm alio quolibet modo, ut ex ipsis opposita cōnotetur. Nunc his omissis, ad reliquas aphorismi particulas interpretandas reuertamur.

τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον. idest, Ver autē siccum & Aquilonium.] Vt scilicet præscriptæ hyemi simile sit, & sibi ipsi opponatur. Opus uero est intelligere uer siccum & Aquilonium respectu sui ipsius cum in sua naturali dispositione est, & ita de hyeme calida, pluuiosa, uel serena. Celsus autem non dicit quod uer sit Aquilonium sed quod sit frigidum, & siccum: tamē impossibile, Aquilonem spirare, & uer non esse frigidum. At quia Aquilo pluuias quandoq; facit, propterea addit siccum, ut quod pluuiæ fieri non debeant, uel rarissime sint, specificet. Eodem modo Philotheus exponit αὐχμηρὸν & βόρειον, τουτέστι ψυχρὸν καὶ ξηρόν. idest squallidum & Aquilonium, hoc est frigidū & siccum.

αἱ μὲν γυναῖκες ἧσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἔαρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν. idest, Mulieres quidem, quibus partus ad uer (scilicet differtur) ex quacunq; occasione abortiunt.] Abortiunt & eadem causa, quibus partus in hyeme fit, & quibus in æstate, quando illa temporis impresio nondum correcta sit. Hippocrates uero in libro De aere, aquis, & locis rationem reddit esse humiditatē superfluam, & Galenus hic dicit, quia mulierum corpora διὰ τὸν εὔδιον χειμῶνα idest ratione hyemis serenę (quod tu intellige) & austrinæ, humida, ac mollia, & laxa facta sunt, & ideo ambientis aeris frigiditatem facile admittunt quę postea in uere est, unde frigiditas usq; ad intimas & fœtum transit, fœtus uero per longum tempus caliditati assuetus erat, frigiditate autē adueniente, hi quidem mortui sunt in ipso utero, illi uero in ipso partu moriuntur, ideo abortiunt. Sed causa, quam Galenus ponit, uidetur potius esse cur moriantur, quàm cur abortiant, licet abortus ad mortem sequatur: ideo nos addere debemus, ob humiditatem ligamenta relaxari, quæ cotylidones appellantur: unde ex quocunq; paruo motu facile disrumpuntur. Humiditas autem ea ligamenta relaxat, & ad disrumpendum facilia reddit. Veris autem frigidi

tate superueniente magnus fit motus, tum quia meatus aperti clauduntur, tum quia illa humiditas quæ in ligamentis erat, restringitur. Ideo ex omni causa quamuis facili, & ex omni etiam paruo motu abortiunt. Eandem ferè causam Philotheus assignare uidetur, inquiens: ὅτι ἐν τῷ χειμῶνι καταλύθησαν αἱ δυνάμεις τῷ λόγῳ τῆς πληθώρας καὶ συνεθίσθη τὰ βρέφη ἐν ἀλέᾳ καὶ τῆς μήτρας εἶναι καὶ τοῦ περιέχοντος, ἐπιλάμπει τὸ ἔαρ ψυχρὸν καὶ εἰσδύνει ἡ δύναμις τῆς ψύξεως παρὰ τὴν μήτραν, καὶ ἐμπλήττει τὸ βρέφος. πληττόμενον δὲ νοσεῖ, λακτίζει δὲ ἐπειδὴ βεβλαμμένη ἐστὶν ἡ μήτρα, καὶ οἱ σύνδεσμοι ὑπὸ τῆς ψύξεως. λακτίζον οὖν καὶ ἀτάκτως κινούμενον διαρρήσσονται οἱ σύνδεσμοι, καὶ τὰ ἀρτήματα, καὶ ἐξέρχεται τὸ βρέφος τῆς ἀποκριτικῆς δυνάμεως ἐπεγειρομένης, καὶ ἀποκρινούσης τὸ ἔμβρυον. ἐὰν δὲ τελεσθῇ ζῶν, παραυτίκα φησὶν ὁ Ἱπποκράτης, ἀπόλλυται προσομιλοῦν τῇ ψύξει, καὶ λεπτὸν καὶ νοσῶδες μένει διὰ τὴν πληγὴν τοῦ περιέχοντος. idest, Quoniam in hyeme ratione repletionis uel redundantiæ dissoluuntur potentiæ, & fœtus in uteri tepore & aeris ambientis assuetus est, uer frigidum affulget, & uis frigoris uterum penetrat & fœtum percutit, percussum autem egrotat: calcitrat uero, & quoniam uterus læsus est, & ligamenta à frigiditate, calcitrans igitur, & sine ordine se mouens, ligamenta & appendices disrumpuntur, & exit fœtus, potentia expulsiua exuscitata, & fœtum expellente. Si uero uiuus perficiatur, cõtinuo, inquit Hippocrates, conuersans in frigiditate perit, & tenuis atq; morbosus ob aeris circundantis plagam manet. In Galeno autem uidetur, per abortum, nos mortem intelligere debere: & re uera ita est, quia dicit has mulieres ad uer partus habere. Sed quomodo abortient, si ad tempus statutum pariendi peruenere? Nisi dicamus, quòd est in una parte ueris, in qua nondum pariendi tempus erat, quia in tertia parte ueris parere debebant. Tamen ego potius intelligo quòd abortiant, idest moriatur fœtus, quamuis in statuto partus tempore sint. Hanc enim temporis constitutionẽ uidimus millesimo quingentesimo trigesimo quarto, quo anno post dimidiũ Martij & per totum Aprilem usq; ad dimidium Maij multæ prægnãtes simul cum infantibus periere, & in aliquibus soli infantes, in alijs solæ matres defecerũt, tamen in nono mense à conceptu erant. Propterea secũdum Galenum expone abortire, idest fœtum perire, quamuis proprie abortus, sit intẽpestiuus fœtus. Vel etiam intelligamus uere abortire, quia fœtus ligamẽta emolliuntur, & acetabula uteri humida fiunt. Et hæc est una causa abortus, de qua aphorismo quadragesimoquinto quinti libri sermo habetur. Quam causam dicit, sine manifesta occasione esse: & Galenus in Commento manifestas occasiones edocet. Aristoteles uerò nono problemate primi libri, hanc causam abortus syderationem appellari dicit. Idq; euenit, quia humidæ, laxæ & solutæ fiunt: unde frigido & sicco uere superueniente, facile concrescere possunt, & indurari. Itaq; grauidæ, quibus tunc adest partus abortu periclitantur, uidelicet incalescendi crudescendiq; ratione, quæ res syderatio appellata est, quam sicca illa committit frigiditas, impatiens omnino excernẽdi humoris: unde uides & Aristotelem ipsum, per abortum intelligere, quando fœtus in eo tempore est, in quo deberet exire. Vel nos uniuersalius intelligamus, de abortu, & ante nonum mensem, & etiam de morte in nono mense. Ad hoc autem de morte, ex frigiditate rationem reddo, ut Galenus & Aristoteles fecere. De abortu uero, qui ante nonum mẽsem fit, ex humiditate quæ relaxat, rationem assigno, & adueniente frigiditate motus fit, tamen & in hyeme abortum patiuntur: imò omnia tempora quæ multum humida sunt, semper abortus causa fiunt. Sed tu fortè dubitabis, an omnes mulieres abortiant, & quænam illæ sint: Respondemus, non quidem omnes abortire, sed tamen ex omnibus temperaturis aliquas abortire posse: potissimum uero tenues & macilentæ abortiunt, quibus frigus ad fœtum usque facile transire potest: & illæ quæ debiles, quæq; in uictu nullam regulam seruarunt, & quæ superfluam humiditatẽ habent, quæ fœtus ligamenta implere possit. Si uero contra nostrum intelligendi modum argumenteris, quo diximus humiditatem in causa esse, quod id dici non possit, quia humiditas causa non est, si infans in lucem prodeat, quod moriatur aut imbecillis sit. Respondemus, imò esse causam, præsertim si temporis frigiditatem in quo fiunt, secum misceamus: tamen & hi errores in his infantibus adeo corriguntur, ut diu superuiuant, & bonam temperaturam enanciscantur, quod ex uictu moderato fieri certum est. Adde, in his temporibus mulieres frigidissimas potissimum abortire: dicit autem abortire ex quacunq; prophasi, id est occa-

est occasione; hoc est ex quocunque prætextu, uel ex minima causa: quod enim Græci πρόφασιν, nos occasionem & prætextum uocamus: & quod dicunt καιρός, nos etiam occasionem interpretari solemus. differunt tamẽ, quia καιρός occasio est quæ in tempore fit, πρόφασις est ex quacunque leui causa occasio. Scito præterea hanc partem à Theodoro hoc modo interpretatam esse: mulieres quarum partus iuxta uer properant, abortum ex qualibet causa facient. Mihi autem non placet, interpretari iuxta uer, quia si iuxta uer, ergo non in uere. nam intelligendus esset in hyeme, in illa potissimum parte quæ est iuxta uer. Tamen Galenus intelligit hæc non iuxta uer, sed in uere fieri, quãuis Celsus dicat, quibus tum adest partus.

Αἱ δὲ ἂν τίκτωσιν, ἀκρατέα, καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν. idest, Quæ uero pariunt, imbecilles & morbidos infantes pariunt.] Ex his colligitur per hoc quod dicit Parere, uiuos emittere intellexisse: sicuti per abortum faciẽtes, intelligebat uel in utero mortuos, uel in ipso partu dum emergũt. Celsus hanc partem ita exponit, Hæ uero quæ gignũt, imbecillos uixque uitales edunt. Galenus causam reddit, quia subitã illam mutationem ad contrarium non tolerant: ideo imbecilles & morbidi sunt. Aristoteles quoque in primo Problematum libro, ex frigiditate rationem reddit, cur imbecilles læsique sint. Accidit enim, inquit, ut qui tunc cœlo sereno nascuntur, idest Aquilonio frigido & sicco: iidem pluuio benigne & constiterint & nutriti fuerint intra parentem. Vnde Aristoteles & Galenus totam imbecillitatis causam in frigiditatem referunt. In qua re an his uiris consentiendum sit, dubitare compellor, quoniam infantes has repentinas mutationes egregie tolerare experientia docet. Multi enim in Germania sunt, qui suos infantes quum primum ab utero prodeunt, intra niues occultant & uelant. Et gens illa, quam uulgus Cinganos appellat, quos nonnulli Ægyptiacos putant, quum potius è Septentrionalibus partibus ueniant, & ego Scythas esse iudicem, quum primum suæ mulieres pariunt, nunquam desistunt, donec ter flumine uiuo abluerint. Quod non semel in profundissima hyeme his oculis uidimus. Et propterea Græci appellãt Rhenum ἐλεγξίγαμον, idest approbatorem & indicem nuptiarũ: quia accolæ, filios statim natos in eo mergunt, suos existimantes eos qui frigus patiuntur: cæteros uelut degeneres & adulterinos reprobant. Vnde causam imbecillitatis horum in humiditatem potius referẽdam existimamus, tamẽ frigiditate nõ despecta: humidiores enim natura imbecilliores sunt, quàm non ita humidi, præsertim de hac molli, laxa & flaccida humiditate intelligentes.

ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι ἢ λεπτὰ καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα. idest, Quamobrem uel statim intereunt, uel tenues & ualitudinarij uiuunt.] Cuius rei nullam aliam causam assignat Galenus, quàm subitam ad contrariũ mutationem, & re uera de contrario in contrarium repente mutari plurimum facit, & mortem inferre facile est. Mirum tamen uidetur, quomodo si repẽtinam mortem euitent, quod ualetudinarij uiuant, nam illa mutatione transacta (quæ tamen per aliquod temporis spatium imprimere potest) ex processu temporis, & etiam non multo corrigitur. Et ideo nos potius ex humiditate causam reddimus, quæ homines ualetudinarios facit: quum enim per totam hyemẽ talem constitutionem habuerint, calidam & humidam temperaturam contraxere, sed minus calidam, magis humidam. Quæ temperatura eo cæteris peior est: quia putredini magis apta, & morbosos homines reddit. Vnde hoc quod Aristoteles & Galenus frigiditati attribuunt: nos ad humiditatem potius referendum iudicamus, qua per totam hyemem affecti sunt illi, qui in uere generari debent: si uero in æstate in lucem prodituri fuissent, quicquid ex Australi humiditate receptũ esset, id totum per temporis & qualitatis mutationem correctum esset. Ideo bene notatur, quod ad uer parituræ sint: si enim in hyeme parerent, modo non esset in fine, qualitates illas adhuc receptas non habuissent.

Quod hic dicit νοσώδεα, superius Theodorus & Leonicenus interpretati sunt, morbidos: hic uero ualetudinarios interpretãtur: ego in utroque loco uel morbidos, uel morbosos, uel ualetudinarios interpretarer.

Quod etiam superius dicebat, Imbecilles: Græce est, ἀκρατέα: nos exponere possumus Impuros, impotentes, intẽperantes, idest temperaturã conuenientẽ non habentes.

τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι. idest, Alijs uero difficultates intestinorum, uel tormina intestinorum.] Ita simpliciter habent Aldinus contextus, & meus etiã antiquus, & Theo

dorus in suo codice illo modo habuit, & Galenus in Commento: tamen in aliis codicibus, & in eo quem Leonicenus sequitur, aliter scriptum est, scilicet, τοῖσι δὲ ἄλλοισι βροτοῖσι δυσεντερίαι. idest, Aliis uero mortalibus dysenteriæ. Antiqua translatio hanc particulam βροτοῖσι, idest iunioribus, interpretata est: quod absurdum uidetur: tum quia βροτοὶ, mortales sunt, ita Homero homines appellante: tum quia ratio non dictat, ut ad iuniores referatur: nam istud ad omnes ætates referri potest, & debet, & ad omnes dispositiones: quamuis Galenus per alios particulariter intelligat pituitosos & mulieres, quibus ob pituitam quæ à capite ad uentrem defluit, intestinorum tormina accidunt: nam propter calidam & humidam tempestatem, caput salsa pituita impletur: uere autem frigido adueniente, quodammodo exprimitur, & ad intestina tendit, eaque abradit. Sed & hoc in loco Philotheus legit, τοῖσι δὲ ἄλλοισι νεωτέροισι. idest, Aliis autem nuper natis. Quod eadem ratione ad rem ipsam nobis satisfacere non uidetur: nam Hippocrates de omnibus simpliciter intelligit, & ita esse constat. Aristoteles rationem reddere uidetur, quod hoc in æstate potius quàm in hyeme fiat: nam dicit, Cæteris uero cum pituita uitio suæ nimietatis purgata non est, adueniente æstate, hoc fieri in mulieribus, præsertim quia humidæ sunt. Hippocrates quoque in libro De capitis uulneribus, hoc de intestinorum difficultatibus ad pituitosos refert, inquiens: Nam pituitosis quidem (& de tempestatibus prædictis sermonem habet) intestinorum difficultates par est fieri, fœminisque pituita de cerebro superfluente, propter earum naturæ humiditatem. Vnde secũdum Galenum, hæc dysenteria ex salsa pituita intestina corrodente prouenit, quę potissimum à capite ad intestina descendit, in quibus quia diu moratur, excoriationem & corrosionem gignit. Propterea & Philotheus dicit, dysenterias accidere φλεγματώδεσι, idest pituitosis: nam humida & calida hyems corpus superfluitatibus impleuit, quæ difficultatem intestinorum faciunt, εἰ ἐς γαστέρα καὶ ἔντερα, idest, si ad uẽtrem & intestina descenderint (ut inquit) διὰ τὸ δριμὺ τοῦ αἰτίου. ἐν γὰρ τῇ προκειμένῃ καταστάσει ἁλυκὸν ἦν τὸ φλέγμα, διὰ τὴν ἐν τῷ χειμῶνι θερμασίαν. idest, Propter acredinem causæ: in proposita enim constitutione salsa pituita est, ob caliditatem quæ in hyeme fuit.

Καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται. idest, Et lippitudines siccæ fiunt.] scilicet in aliis, ut distinguamus, in aliquibus dysenterias fieri; in aliis lippitudines siccas: nã in pituitosis & mulieribus dysenterię gignuntur, ut Galenus in cõmento edocebit: in biliosis uero lippitudines siccæ. Celsus primo capite secundi libri inquit, Cæteros lippitudo arida male habet. & non solum biliosis hæ accidunt, sed etiam calidis, quãuis biliosi non sint. Quum autem duplex genus lippitudinis sit, humida in qua humiditas apparet, & epiphorę exeunt, & sicca, in qua nullus lachrymarũ defluxus est, Calidis & biliosis natura siccæ lippitudines accidunt; pituitosis autem humidas accidere posse non negaret. Hæ uero lippitudines fiunt, quia cerebrum calida & humida materia plenum est in hyeme, uere frigido superueniente, cerebrum à frigiditate ueluti à manu constringitur, & expressæ materiæ ad aliquam corporis partẽ descendunt, & ita secundum illam partem quam impetunt, morbũ faciunt: nam hæ materiæ ad partes nostri corporis debiliores descendunt. In his igitur qui oculos debiles habẽt, lippitudines fiunt, quæ cum lachrymis, uel cum materia essent. At quia aer exterior multum frigidus est: propterea exteriores oculi partes constipantur, & adeo densantur, ut nihil exire possit: unde ophthalmia sicca generatur, è qua nihil exit. Hippocrates in libro De capitis uulnerib. in hac cõstitutione idem fieri docet, inquiens, Biliosis uero siccæ lippitudines propter carnis caliditatem & siccitatem. Et Aristoteles ipse problemate nono primi libri, de biliosis & siccis natura dicit, quod in hac cõstitutione excitantur quidem humores, sed tenues: quamobrem eos lippitudo arida male habet: ut omnes authores in hoc unum cõueniant & conspirent, dysenterias in pituitosis, lippitudines siccas in biliosis fieri. Quod & ex Philothei sentẽtia confirmari potest, dicente, τοῖς μὲν φύσει θερμοῖς καὶ χολώδεσιν ὀφθαλμίαι ξηραί. i. natura quidem calidis & biliosis lippitudines siccæ. Si uero ab eodem Philotheo causam harũ lippitudinum quæsiueris: ipse respondet, in hyeme calida & humida corpus superfluitatibus impleri, & consequẽter cerebrum, ἐπιγενομένου τοῦ ἔαρ ψυχροῦ, θλίβον τὴν ὑγρότητα. καὶ εἰ μὲν εἰς ὀφθαλμοὺς ἐνεχθῇ, ὀφθαλμίαι γίνονται. ξηραὶ δὲ διὰ τὴν πυκνότητα τῶν ὑμένων, πυκνοῦται γὰρ ὑπὸ τῶν βορείων πνευμάτων, ἢ διὰ τὸ πάχος τοῦ χυμοῦ, καὶ τούτῳ τυχὸν, οὐκ ἐκρεῖν δύναται. idest, Ver enim frigidum

superueniens

superueniens, humiditatem exprimens, si ad oculos adduxerit, lippitudines fiunt: siccæ uero propter densitatem pelliculárum: densantur enim à borealibus uentis, uel propter crassitiem humoris: & si hoc contigerit, non fluit lachryma. Ideo quum ab Hippocrate dicitur, Cæteris uero mortalibus, non est opus intelligere, quod omnia ipsis accidant quæ sequuntur, ut ipse in libro De aere, aquis & locis, edocuit: sed quod aliquibus naturis unum, alijs aliud sequatur: unde additur,

Τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι συντόμως ἀπόλλυντες, idest, Senioribus autem destillationes, quæ cito, idest breui tempore interimunt.] Celsus capite primo secũdi libri hoc modo interpretatur, Et si seniores sunt, grauedines & destillationes male habent. At non dicit, quòd interimant: quia experientia uidemus grauedines & destillationes in senioribus diu perdurare, tamen male se habent: propter hoc Galenus per destillationes, non eas quæ à capite sunt ad pectus & guttur & asperam arteriam intelligit, sed omnes fluctiones, quæ per uenas à capite ad partes inferiores tendunt: nam hæ fluctiones uelocius terminantur: illæ uero quæ ad pulmones sunt, longius. Quod autem hoc uerum sit, ex Hippocrate sumi potest in libro De aere, aquis & locis (est uero in meo codice in libro De capitis uulneribus) inquit eo loco Hippocrates, senibus autem destillationes propter uenarum raritatem & distentionem: quamobrem nonnulli mentis delirio, & insania pereunt: quidam uero dextera parte syderãtur. At Aristoteles problemate nono primi libri inquit, seniores stupor attonitos reddit, ubi uniuersus resolutus humor incubuit, exq; imbecillitate caloris natiui cõcreuit. Tamen nihil impedit, etiam si more Celsi intelligamus destillationes ad pectus quæ cito interimant: nam multi ex abundantia materiæ facile suffocantur, ideo non solum attoniti fiunt, sed uere etiã suffocantur. Certum uero est, id uocabulum κατάῤῥους, secundum eius proprium significatum non sumi, præsertim secundum Galenum, de qua re superius diffuse tractauimus. Philotheus etiam quid per καταῤῥόου intelligit Hippocrates, edocens inquit, καταῤῥόου λέγει, οὐ τὸ ἐπὶ τὸν πνεύμονα φερόμενον ῥεῦμα ἢ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ἀλλ' ἐπὶ φλέβας καὶ ἀρτηρίας. ὥς τε συντόμως ἀπόλλυσιν αὐτοὺς, πληρώσεις ἐργαζόμενον, καὶ παράλυσιν, ἀφωνίας τε καὶ ἄλλα χαλεπά. idest, Catarrhum dicit, non destillationẽ, quæ ad pulmonem fertur, uel ad asperam arteriam, sed ad uenas & arterias. Quamobrem breui interficiunt ipsos, plenitudinem facientes, & neruorum dissolutionem, inuocalitatesq;, & alia plena difficultatis. Aliquis autem dubitare poterit, quænam sit peior anni temperies, an præcedens, in qua hyems sicca & frigida, uer calidum & humidum: an præsens, in qua hyems calida & humida, uer frigidum & siccum. Respondemus, hanc uideri peiorem, quia sui effectus in uere fiunt: illam meliorẽ, quia sui effectus ad æstatem transeunt. Vt autem Galenus in præcedenti Commento edocuit, quando ægritudines in ipsis temporibus distemperatis fiunt, ab intensiori causa proficiscuntur, quàm quum in alio tempore fiant. Adde, multam uariationem in temporibus esse, quia in ambabus qualitatibus distemperiem habent: in uere quidem ad oppositas, in hyeme ad unam oppositã: nam hyems, quæ suapte natura frigida & humida est, calida & humida efficitur, & uer quod sua natura calidum & humidum est, frigidum & siccum euadit, quæ sunt qualitates suæ naturæ penitus oppositæ. Nec obstat, quòd in præcedentibus intemperiebus acutæ febres & putredines fiant, quia & in intemperiebus præsentibus eadem fiunt, & abortus, & multa alia, quæ magis perniciosa sunt, quàm præscripta: propterea præcedentem intemperiem minus uituperio afficio, quàm præsentem.

GALENVS

CONTRARIO modo se habet temperatura duobus quæ in priore Aphorismo sunt dicta temporibus, ad illas quæ in isto dicuntur. Qualis enim erat hyems primum in illo, tale nunc est uer. Quale autem est in illo uer, talis nunc est hyems. Quod igitur non erat in illo necessarium, in uere morbos uulgari uehementes, sufficienter dictum est. Nunc autem quòd hyeme humida quidem ac calida facta, uere autem frigido ac sicco, necessarium sit in ipso uere homines ægrotare, est demonstrandum. Mulieres itaq; quibus partus ad uer, ex quacunq; abortiunt occasione, corpora siquidem humida ac mollia, & laxa facta, hyeme serena ad intimas sui partes aeris ambientis frigiditatem facile admittunt. Ita quòd quicũq; infantes longo tempore calori sunt assueti, per-

cussi uehementer à frigore, non absq; causa, hi quidem iam mortui in ipso utero sunt, hi uero in ipso partu morientur. Qui uero uiui in lucem æduntur non ferentes subitam ad contrarium transmutationem, uel breui post tempore moriuntur, uel exiles atq; insalubres creati, uix in uita perdurant. Alijs uero ceu pituitosis, ac mulieribus, difficultates intestinorum ait accidere, ex pituita à capite ad uetrem defluente. hunc enim humorem par est in dicta constitutione plurimum generari, hyeme quidem capite repleto, subito autem refrigerato circa ueris initia, quoniam cerebrum natura aptum est ad generandas pituitosas superfluitates. Cùm enim refrigeratur, non potest alimentum conuincere. Inest autem & hoc pituitæ generationi. Quæ enim à forti fit frigiditate, acida euadit. Quæ uero à caliditate replente caput, salsa. Sicuti & quæ à pauca fit frigiditate, uel paucam habet dulcedinem, uel nullam manifestam qualitatem. Ea igitur quæ fit in præsenti cõstitutione pituita, propter eam quæ est in hyeme caliditatem, salsa erit, & hac ratione maxime difficultatem intestinorũ generabit, quando longiori tempore mordens, atq; abradens intestinum offenderit. Vt enim illa quæ propter lentorem inter exeundũ in intestinis retineatur, & tardet, & semper ipsa detergat, propter qualitatẽ facit intestinorum difficultatem. His autem qui natura calidi sunt, ac biliosi, inquit ipse Hippocrates lippitudines siccas accidere, sic autem uocat eas quæ sunt sine fluxu. Par autẽ est calidis ac siccis naturis in sicca, ac frigida constitutione, quæ calidam atq; humidam excipit, tales lippitudines fieri. Caput enim prius repletum est in calida atq; humida constitutione. Frigus autem superueniens, ueluti manus quædam extrinseca capiens ac premens, quãdam uti spongiam cerebrum, exprimit illam quæ in ipso continetur humiditatem. Hæc uero delata alias ab uno loco ad alium, ex his qui faciles sunt ad patiẽdum, multos generat morbos, atq; ita his qui oculos habent natura imbecilles, lippitudines accidunt. Nihil uero ex ipsis effluet ad extra, propter aëris ambientis frigiditatem densantis superficiẽ exteriorem. Quod uero Hippocrates ipse hæc omnia quæ diximus ad causas referat antedictas, manifestum ex his quę scripsit in libro De aqua, locis & aere, in hæc uerba: Pituitosis itaq; par est difficultates intestinorum aduenire, & mulieribus pituita à cerebro defluente, propter naturæ humiditatem. Biliosis autem siccas pituitas ob carnis caliditatem ac siccitatem. Quod uero scribitur circa finem aphorismi, Senioribus uero destillationes quæ subito interimant, ipse in libro De aqua, locis & aere, per hæc uerba scripsit. Valde autem senibus destillationes propter raritatem & uenarũ colliquationem, ita quòd repente interimit quosdam, quosdam uero contingit dextra aut sinistra parte stupidos fieri. Per hęc uerba uidetur Hippocrates, non quas communi uocabulo destillationes cõsueuimus nominare, quæ scilicet ex capite fiunt ad pulmonem per asperam arteriam, sed omnes quæ feruntur fluctiones per uenas à capite ad partes inferiores: quare & cito interimẽtes, bene uidetur adiectum, quoniam hæ uelociter terminantur, quum aliæ diutius perdurẽt. Quidam uero expositores per destillationes audientes, illas quæ à capite ad pulmonem fiunt per fauces & arterias, cum negatione Non, hunc scribunt sermonem hoc modo, Non cito interimentes. Et recte quidem. Neq; enim fluctiones in ipsis concoquuntur ob ætatem. In quibusdam uero exemplaribus scriptum est, Cito interimentes: quoniam & in libro De aqua, locis & aere, ipse inquit, Ita quod repente intereunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, temperaturã in hoc aphorismo positam temperaturæ præcedentis aphorismi contrariã esse, & illam partem de prægnantibus satis bene explicat. In Aldino codice ita præcise habetur, ut in Leoniceni interpretatione scriptum est: sed in meo antiquo hoc modo legitur, ἐναντίως δὲ ἡ κρᾶσις ἔχει, idest, contrario autem modo se habet hæc temperatura. Certũ uero est, nisi hoc pronomen addiderimus, sensum esse qui lectorem non satiet: sola autem ista particula Hæc, quę in antiquis codicibus posita est, lectoris animum pacat.

Quod etiam à Galeno dicitur, Ita quod quicunq; infantes longo tempore: lege, Ita quod quicunq; infantes iam longo tempore. Nam Græcus contextus ita habet, ὡς ὅσα τῶν παιδίων ἤδη πολυχρόνια. Vides illam particulam ἤδη, à Leoniceno, uel potius à librario omissam esse.

Id etiam

Id etiam quod sequitur, Calori sunt assueti, lege, Calori aeris sunt assueti: nam in Græco adest hæc particula ἀέρος.

SECVNDO Galenus docet, quid intelligendũ sit per illam particulam Alijs, quoniam pituitosi intelligendi sunt, & mulieres. In hac autem parte plura animaduersione digna sunt, præsertim in generatione pituitæ. Tres pituitæ species hic Galenus enumerat, aridam, salsam, dulcem, penes sapores species uel modos distinguẽs: hoc autem addidimus, quia apud aliquos uitrea pituita reperitur: & re uera est, sed ad acetosam reducitur, quamuis alicui forte uidebitur, maiorem frigiditatẽ illam esse, quæ ad uitream pituitam requiritur, quàm ad acidam. Quod nos statim elargimur, dicentes, maiorem quidem frigiditatem ob globositatem exigi, sed tamen saporem illum posse seruare. Vnde hic Galenus docet, propter hyemis temperiem, caput humiditate plenum esse: uere autem frigido superueniente, cerebrum ipsum infrigidatur. Ideo humiditates resoluere, & conuincere non potest: propterea multæ pituitæ generantur, præsertim quia cerebrum suapte etiam natura pituitosum est: hæ uero pituitę species talem generationem sortiuntur. Si multa frigiditas sit, acida pituita generatᷓ, quæ alias pituitæ species in frigore excedit. At si aliqua caliditas in capite sit, pituita salsa generatur. Hic autem scito, Auicennam & Arabes, & eorum sequaces pituitam salsam ex miscella bilis & pituitæ generare: tamen Galenus hic, & ubi de hac re tractat, salsam pituitam ex caliditate, & non ex bile fieri dicit, tamen est pituita quæ per caloris actionem salsa efficitur: quando uero frigiditas pauca fuerit, dulcis pituita generatur, uel quæ manifestam aliquam qualitatem non habet, nos hanc, insipidam appellare consueuimus, aut ad ipsam insipidam deducimus. hæ præterea pituitæ species, diuersos effectus, secundum quod in corpore abundant, faciunt, unde Galenus in ultimo folio libri De plenitudine inquit: inter reliquas pituitæ species, alia dulcis est, alia acris, alia salsa. Prior somnolentos facit: Altera, cum abundat, famelicos: Tertia, sitibundos. Sunt tamen & aliæ pituitę species, ut illa, quam λευκοφλεγματίαν Græci uocant, quæ in hydropum genere est. de tribus etiam his pituitæ generibus Galenus libro quarto De ratione uictus in morbis acutis, commento decimotertio: tamen idem Galenus in libro Introductorio (si is Galeni proprius sit) ex pituita acri dysenteriã fieri dicit, nam quæ acris caliditatem habet. Ad Galeni sententiam redeuntes, in tali hyeme propter ipsius caliditatem, salsa pituita generatur, ideo ad intestina descẽdens dysenterias afferet, & illas quidẽ pessimas. Illæ enim quæ ex bile fiunt, sæuæ sunt: quæ uero ex tali pituita, sæuissime: nam pituita cum tenax sit, intestinis inhæret, & in ipsis permanens ea exulcerat: bilis uero quia est humor subtilis, non tenax, cito discurrit, nec tantam talem ue exulcerationem, tamq; profundam facit.

Quod in Galeno legitur, Subito autẽ refrigerato circa ueris initia. Græce habetur, ψυχθέντος δὲ ἀθρόως ἐν ἀρχῇ τοῦ ἦρος. idest, Refrigerato autem statim in initio ueris.

Quod sequitur, Quum enim refrigeratur: coniunctio Enim, uacare debet. sed legendum est Refrigerato hoc modo, quum refrigeratum non potest, & reliqua.

In illa parte in qua scriptum est, Quãdo longiori tempore mordens atq; abradens intestinum offenderit. Multa uerba desunt, quæ in meo antiquo codice scripta sunt, in Aldino absunt, & in illo quem Leonicenus secutus est, aberant. Quum ergo à Galeno dictum est, ὅταν ἐν χρόνῳ πλείονι δάκνου καὶ ξύου κακώσῃ τὸ ἔντερον. idest, Quãdo longiori tempore mordens atq; abradens intestinum offenderit. Deinde sequuntur in meo codice, & in alijs, non tamen in Aldino, ista: καὶ ἔστιν αὕτη χαλεπωτάτη δυσεντερία, ἐπειδὴ ὁ μὲν χολώδης χυμὸς τῇ διόδῳ ποιεῖ, ὁ δὲ γλίσχρος ὢν ἐναπομένει καὶ μένων ἐπὶ πλέον ἑλκοῖ. Quæ si ad uerbum interpretemur, hæc dicunt: Et est hæc difficultas intestinorum difficillima, quoniam biliosus humor in transitu facit, uel permeat: hic uero tenax existens permanet, & permanens amplius exulcerat.

Deinde illa pars sequitur, Vt enim illa quæ propter lentorem inter exeundum in intestinis retineatur, & tardet, & semper ita detergat. scito tamẽ quòd & hæc pars in Græco ita legitur, ὅτε γὰρ διὰ τὴν γλισχρότητα κατὰ τὴν διέξοδον ἐν τοῖς ἐντέροις ἰσχόμενόν τε καὶ βραδῦνον, ἀεί τε ῥύπτον αὐτό. Quam partem nos hoc modo interpretandam ducimus, ut quæ propter lentorem inter exeundum in intestinis retenta, & tardans, & semper ipsa detergens. Postea illa pars sequatur, Propter qualitatem facit intestinorũ difficultatem,

TERTIO Galenus docet, ſiccas lippitudines in quibus nullæ fluunt lachrymę, & nulla materia, biliosis & calidis natura accidere: nam in hyeme caput impletur, uere autem frigido ſuperueniente cerebrum exprimitur, tanquā ſpongia quæ manu compreſſa ſit, tunc humor qui in cerebro continetur, ad debiliora loca deſtillat: his igitur qui oculos debiliores habēt, lippitudines fiunt: quæ ideo ſiccæ ſunt, quia frigus exteriores oculorum partes denſat.

Quum dicit, Sic autem uocat eas quæ ſunt ſine fluxu: quidam addunt Lachrymarū: nos autem putamus hanc particulam addendam non eſſe, tum quia in Græco codice abeſt, dicente, οὕτω δὲ ὀνομάζει τὰς ἄνευ ῥεύματος. tum quia in humida lippitudine quandoq; materia fluit, quæ lachryma non eſt.

Id etiam quod legitur, Hæc uero delata alias ab uno loco ad alium: in Græco habetur, φερομένη δὲ αὕτη ἄλλοτε πρὸς ἄλλον τόπον. ideſt, Hæc uero delata alias ad aliū locum: poſtea ſequitur, ex his qui faciles ſunt ad patiendum.

Quod etiam dicit, Biliosis autem ſiccas pituitas: contextus à librario corruptus eſt; nam legi debet lippitudines, & non pituitas, quia Græce eſt ὀφθαλμίας ξηράς, & re uera nullæ pituitæ ſunt, quæ ſiccæ appellari poſsint.

QVARTO Galenus docet, ualde ſenibus deſtillationes accidere. Per deſtillationes uero, eas non intelligit quæ ad pectus fiunt, ſed deſtillationes propter raritatem & uenarum colliquationem, ita quòd repente interimant. Sunt autem & aliqui, qui dextera aut ſiniſtra parte ſtupidi fiunt.

Quod dicit, Ita quod repente interimit: lege, interimunt: nam ad deſtillationes refertur, quamuis Græcus codex legat ἀπόλλυσθαι.

Quod etiam legitur, Quoſdam uero contingit dextera aut ſiniſtra parte ſtupidos fieri: Græce habetur, τοὺς δὲ παραπλῆγας γίνεσθαι τὰ δεξιὰ ἢ τὰ ἀριστερά. ideſt, Quoſdam fieri dextera aut ſiniſtra parte paraplecticos. Leonicenus interpretatus eſt, ſtupidos. Antiquus contextus quem habeo, παραπλήκτους & παραπληκτικούς legit. Quam lectionem magis laudo, quàm illam codicis Aldini παραπλῆγας, quoniam παραπληγία eſt ipſe morbus, non is qui morbo correptus eſt: παραπληκτικοὶ uero ſunt uiri hoc morbo correpti. Galenus in libro Definitionum (ſi is liber Galeni ſit) apoplexiam mentis oppreſſionem eſſe dicit, cum priuatione ſenſus & motus, quæ à παραπληγία differt, quoniam paraplegia eſt diminuta apoplexia. Differt igitur, ut à toto pars: unde omnes apoplectici, paraplectici fiunt, ſed paraplectici non ſunt apoplectici: propterea paraplectici integram mentem habent, ſed aliquam corporis partem reſolutam. Ex his in hoc loco nos non interpretaremur παραπληκτικούς, ideſt ſtupidos, quoniam ſtupidi ſenſum habent, licet fortaſsis diminutū. De uno autem miror, quomodo paraplectici cito intereant, quum in dextera aut ſiniſtra parte ſolū offendantur: tales enim diu perdurare uidemus: ideo conueniens uidebatur, intelligere eos eſſe attonitos, ideſt uere apoplecticos, ſi cito mori debebant: aliter Galenum defendere neſcimus.

Quod legitur, Quæ ſcilicet ex capite fiunt: uidetur conuenientius legere Feruntur: quamuis Græcus contextus dicit, γιγνομένους.

Et quod legitur, Feruntur fluctiones: potius legendum eſt, Deferuntur: nam codex Græcus habet, καταφερόμενα.

Quæ etiam ita leguntur, Quoniam hæ uelociter terminātur: ita Græce ſcripta ſunt, διότι ταχεῖαν τὴν κρίσιν οὕτω ποιοῦνται. ideſt, Quoniam hæ uelocem iudicationē faciunt: quamuis ad uelocem iudicationem id ſequatur, quod uelociter terminentur. Tamen ſi ad uerbū interpretemur, per medicos terminos magis dictum uidetur: & etiam expreſſum Galeni ſenſum potius imitari debemus, quàm alium.

Deniq; Galenus quorundam interpretationem refert, dicentium, Hippocratem per deſtillationes eas intelligere, quæ à capite per fauces, & per arterias ad pulmonem deſcendūt: ſed poſtea Aphoriſmi uerba hoc modo negatiue legunt. Senioribus autem deſtillationes, quæ non cito interimunt. & nos legimus Græcum quendam cōtextum ita habentem, πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι οὐ συντόμως ἀπόλλυνται, quamuis in quotidiano uſu ſenioribus catarrhos aduenire uideamus, qui ſtatim ſuffocant: ideo nos intelligimus in tanta humiditate, quę hyeme fuit, materiam in capite collectam eſſe, quæ cum à frigore

exprimitur

exprimitur, & per fauces ad pectus tendit, suffocat: tamen Galeno potius uidetur, συν/τόμως, idest cito interimentes, affirmatiue, & non negatiue legamus, quoniam & in li/bro De aere, aquis, & locis dicit ἐξαπίνης. idest repente intereunt.

APHORISMVS XIII

SI uerò æstas sicca fuerit, & Aquilonia, autumnus uerò pluuiosus, & Au/stralis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque gra/uedines, quibusdam autem & tabes.

BRASAVOLVS

SVPERIVS de duorum temporum se inuicem consequentium temperaturis ser/monem habuit, hyeme inquam & uere: nunc de aliorum duorum temperaturis tractat, æstatis scilicet & autumni, & ab eisdem temperaturis exorditur: nam in undecimo apho/rismo hyemem siccam & Aquiloniam, uer Australe & pluuiosum posuit: hic æstatem siccam & Aquiloniam, autumnum pluuiosum & Australem supponit. Philotheus & ipse hanc intentionem ponit, περὶ χειμῶνος καὶ ἔαρος διελέχθη πρότερον, νῦν οὖν περὶ θέρους καὶ φθινοπώρου διαλέγεται. idest, De hyeme & uere prius disputatum est: nunc igi/tur de æstate & autumno disserit. Dicitur autem æstas sicca & Aquilonia, quia in ipsa plurimum spirat aquilo, & sine pluuia est: nam aquilo quandoque pluuiosus est, quamuis suapte natura siccus sit: propterea addidit siccam æstatem: at non dixit, æstatē frigidam: quia uere & simpliciter frigida non est, nisi ipsam ad alias æstates comparaueris, tamen Boreas in aliqua æstate spirat, imò Etesias & Boream idem esse grauissimi authores te/stantur. Autumnus autem pluuiosus & australis fit, quia Auster sine pluuijs quandoque spirat: at sicuti in illa cōstitutione undecimi aphorismi morbi qui sequebantur, erant in æstate, & non in uere, ita in hac constitutione morbi qui sequuntur in hyeme fiunt, & non in Autumno. Morbi uero qui hyeme accidunt, tales sunt, dolores capitis, tusses, raucedines, grauedines: quibusdam etiam hominibus phthises. Celsus capite primo se/cundi libri hunc aphorismum ita citat, At si sicca æstas aquilones habuerit, autūno ue/ro imbres, austrique sunt, tota hyeme quæ proxima est, tussis, destillatio, raucitas: in qui/busdam etiā tabes oriuntur. Celsus capitis dolores omittere uidetur. Aristoteles quoque primo Problematum libro, problemate decimo, de hac tempestate pertractat, in hunc modum loquens, Cur si æstas sicca & Aquilonia fuit, autumnus ex aduerso humidus atque austrinus: hyeme quæ proxima est, dolor capitis, raucitas, tussisque oriantur, atque in tabem demum euadant. Respondet, an quia hyems multum materiæ excipit: itaque hu/morem cogere, atque pituitam inde conficere magnum ei negotium est: ergo difficile est humorem densari, conficique inde pituitam. Quod si in capite humor constiterit, graui/tatem committet: & si nimius frigidusque est, cruditatem utique mouet, cui syderatio no/men est: necnon si ob nimiam sui copiā concrescere minus potuit, in locum defluit pro/ximum, atque ita tussim, raucitatem & tabem contrahit. Hæc Aristoteles. At Hippocra/tes in principio libri De aere, aquis & locis, de hac constitutione nihil meminit, sed de ea solum tractat, in qua æstas sit sicca, æstuosaque & australis, & autumnus aquosus aqui/loniusque sit, in qua tamen constitutione eosdem fere morbos fieri dicit, qui in hac fiunt. inquit enim, capitis dolores per hyemem, cerebri lancinationes fieri par est, desuperque raucedines, grauedines, tusses'que, quibusdam & flatus. ut colligere possis autumno etiam Boreali existente modo humidus sit, easdem ægritudines fieri, quæ si esset humi/dus & Australis, sequerentur: & de æstate an Australis sit, uel Borealis, nihil refert, modo sicca procedat.

ἢν δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται. idest, Si autem æstas sicca & aquilonia fiat.] quæ certe fiet, si aquilo spirauerit, quippe quum spirat, calorem remitti necessarium est, propterea Etesiis spirantibus, æstatis calor minor efficitur: quia Etesiæ idem sunt quod Aquilo. Dicit autem αὐχμηρὸν, quod uocabulum magnam siccitatem significat, talem inquam, ut squallida sit. Dicens uero sicca & borealis, multo minus calidam esse do/cet, quàm æstati conueniat.

τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον. idest, Autumnus autem pluuiosus & Australis.] Vt hęc comparatio cum illa eadem sit, quam in undecimo aphorismo posuerat: sed hęc in æstate & autumno, illa in hyeme & uere suas temperaturas euariabat, in uno tamen differunt, quia uer in constitutione undecimi Aphorismi suas proprias qualitates seruabat, sed magis intensas, in hac autem Autumnus suæ naturæ penitus oppositas habet, quia ipse suapte natura frigidus, & siccus est. Hic autem calidus & humidus supponitur, tamen Autumnus per proportionem ueri respondet: in æstate autem & hyeme talis est differentia, quia ibi hyems qualitatē actiuam propriam habet, sed magis auctam, passiuam uero contrariam; hic autem æstas passiuam habet propriam, sed multum auctam, actiuam uero contrariam.

Κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται. idest, In hyeme dolores capitis fiunt.] Et hæc constitutio in hyeme suos morbos facit: sicuti illa undecimi Aphorismi in æstate faciebat: non autem in ipsis temporibus, in quibus qualitatum dispositiones sunt, & hoc per eandem rationem, per quam in undecimo Aphorismo illa in æstate fiebant, quæ à dispositionibus in hyeme & in uere existētibus fiebant, quoniam hæ mutationes magnæ non sunt: nam æstas, quia sicca, corpora exiccat, humido autē autumno superueniente, siccitas corrigitur: sed postquàm correcta est, quia adhuc per totum autumnum perseuerat: propterea humiditas in nostra corpora impingitur, quæ in subsequente hyeme frequentes ægritudines parit. Si uero ex hoc aphorismo expositionē nostram duodecimi aphorismi reprehendere tentes, qua legebamus Pluuiosum uel serenum, quod addi non debeat illa particula Vel serenum, quoniam nec in istis temporū dispositionibus ponitur. Respondemus eodem modo, ut in undecimo aphorismo dicebamus, quòd si dispositiones illæ ita se haberent, ut uer australe esset & non pluuiosum, quia humiditates paucæ in corpore erant, ideo à calore ęstatis facile resolui poterant, unde illas ægritudines non peperissent: hyeme autem australi existente, siue pluuiosa, siue serena fuerit, tot humiditates colliguntur, quod morbos qui in duodecimo aphorismo enumerātur, omnino afferre possunt, præsertim & hyeme ipsa sua propria qualitate humida existente. Itaq; ad autumnum applicemus, si autumnus australis esset & serenus, tot humiditates receptæ non essent, quæ subsequentes morbos inducere possent. propterea in his aphorismis undecimo scilicet & decimotertio, hoc uocabulum serenū, apponere non est opus, quod tamen in duodecimo præexposito aphorismo mire cōueniebat. Philotheus & doloris capitis & aliorum affectuum hanc uniuersalem causam ponit, quæ his uerbis describitur: καὶ ἡ αἰτία ἐστὶν αὕτη, ὅτι τὸ θέρος ψυχρὸν ὑπόκειται καὶ ξηρόν. καὶ διὰ τοῦτο πίλησιν ἐποίησε τῆς ὕλης. εἶτα ἐλθὸν τὸ φθινόπωρον θερμὸν καὶ ὑγρὸν, ἀντεμαχήσατο τὴν δυσκρασίαν τοῦ θέρους, ὅμως καὶ αὐτὸ ἐπέτεινε τὴν ὕλην ὡς ὑγρόν. ἐλθόντος οὖν τοῦ χειμῶνος κατὰ φύσιν ψυχροῦ καὶ ὑγροῦ, ἔτι ἐπέτεινε τὴν πληθώραν, ἐκ δὲ πληθώρας οὖν ἀναθυμιάσεις ἀνερχόμεναι πρὸς τὴν κεφαλὴν κεφαλαλγίαν ἀπεργάζονται, εἰ ἀσθενὴς ἐστὶν ἡ κεφαλή. idest, Et hæc causa est, quòd æstas frigida & sicca supponitur, & ob hoc materiæ constrictionem facit & densat. Postea autumnus calidus & humidus superueniens intemperantiæ æstatis repugnat. Tamen & ipse utpote humidus materiam intendit. hyeme igitur secundum naturam frigida & humida aduenīete, plethoram, idest repletionem & redundantiam humorum amplius auget: ex plethora igitur exhalationes ascendentes ad caput κεφαλαλγίαν, idest capitis dolorem operantur, si debile fuerit caput: nam si robustum fuerit, alia sequētur: de quibus deinceps sermonem habituri sumus. Nunc uero exponendum est quid per κεφαλαλγίαν intelligere oporteat: quod uocabulū & Theodorus & Leonicenus, & omnes alij capitis dolores interpretantur. In capitis autem doloribus apud Gręcos authores plura nomina inueniuntur, quæ omnia capitis dolorem significant. hæc autem sunt, κεφαλῆς πόνοι, κεφαλῆς ὀδύναι, κεφαλαία, ἡμικρανία, ἑτεροκρανία, κεφαλαλγία. Vt autē ad unguem horum uocabulorū significata explicemus, quoties dolor capitis alium morbū sequitur, plerūq; κεφαλῆς ὀδύνας, uel κεφαλῆς πόνους, ut morbo uocabulum reddant, capitis scilicet dolores: non tamen hæc dico, quin etiam κεφαλαλγίαν appellent. quum aūt dolor iugis est, & totum caput occupet, κεφαλαία ab antiquis uocatur, quam Galenus in libro Definitionum medicarum (si Galeni sit is liber) definit hoc modo: Cephalea, morbus capitis, dolorem intolerabilem per circuitū redeuntem gignens, ita ut qui ita affecti sunt, tin-

nire

mè aures sibi putent, oculi eorum rubescunt, eminentioresq; apparent, extendunturq; cum eisdem quę in fronte sunt uenis, ac facies tota rubet. De qua cephalæa & recentes nostri diffusissime tractant. ἡμικρανία uero, & ἑτεροκρανία idem sunt, quoties una sola capitis pars dolet. à Galeno in eodem definitionũ libro definitur, heterocraniam esse, quando in altera parte ipsius capitis dolor accidit, fiuntq; intensiones, aliquando se remittit dolor. De his & recentes plura agunt, & uocabulum seruant hemicranea. Paulus quoq; Ægineta libro tertio, capite quinto, de ipsa tractat, quæ hemicrania, quasi semicraneum dicitur, una etenim sola cranei pars uexatur, eadem ratione heterocranea, quasi altera pars cranei uocatur. κεφαλαλγία uero est, quicunq; capitis dolor, ex aliquibus extrinsecis causis factus, quas antiqui procatarcticas, & recentes primitiuas appellant, ut Paulus Ægineta præcitato loco docet. Sunt autem hæ procatarcticæ causæ, ut strepitus, uel clamor, uel clara lux, uel meracioris uini potio, uel solares radij, uel allij, aut porrorum comestio, uel res quælibet alia quæ caput replet, dolor qui ex his causis gignitur, uel cũ febre, uel sine febre sit, cephalalgia uocatur. Cephalalgia igitur, cephalæa & hemicranea ita differunt: quia cephalęa & hemicranea ab intrinseco fiunt, & diuturnæ sunt affectiones: cephalalgia uero breuis affectio est, & quæ ab extrinseco fit, tamen processu temporis in cephalæã transire potest. Ad rem igitur redeuntes, quando prædicta tempestas fuerit in hyeme, dolores capitis fieri, quos Græci cephalalgias uocant, necesse est, & ab exteriori omnino progignuntur, quia caput ob autumni humiditatem, humiditate plenum est, frigida deinde hyeme superueniente hæc fiunt. At opus est intelligere, hyemem suam naturalem temperiem seruare: tunc enim humiditas intus compingitur, & dolores causantur, quia capitis partes magis extenduntur, quàm conueniat: nam una doloris causa, est solutio continui imperfecta, quæ est partium extensio. Et forte ob qualitatis mutationẽ ex calido in frigidum fiunt, tamẽ ob plenitudinem potisimũ proueniũt, materia ob constringentẽ & constipantẽ frigiditatẽ exire non potente, unde est causa primitiua, quamuis in capite sit. Habes igitur in Hippocratis lingua dubitandum non esse, an cephalæam, an hemicraneam intelligere debeamus, quia ipse cephalalgiam dicit ab illis distinctam. Idem Hippocrates in libro De aere, aquis, & locis, dicit, in hac tempestate capitis dolores fieri, & cerebri lancinationes, quas lancinationes ob eandem causam fieri necesse est. Celsus dolorũ capitis non meminit. Aristoteles problemate decimo primi libri, doloris capitis causam reddidit, quia si in capite humor constiterit, grauitatem committet: ideo secundum ipsum hic erit dolor grauatiuus, quãuis & simul extẽsiuus sit: imò Aristoteles addit, Si nimius frigidusq; sit, cruditatem utiq; mouet, cui syderatio nomen est.

Καὶ βῆχες. idest, Et tusses.] Quæ utiq; fiunt pleno capite, & per frigiditatem hyemis expressa materia, quæ ad pectoris partes destillet. Hippocrates in libro De aere, aquis & locis, dicit, Tussesq; quibusdam & flatus fiunt, quia pituitosa materia apta est in flatum conuerti. Aristoteles uero problemate decimo primi libri, inquit, Si materia quæ in capite est, multa sit, adeo ut eo loco concrescere non posit, in propinquum locum defluit, & ita tusim facit. At Philotheus hoc modo expositionẽ huius causæ continuat: prius ab eo dictum est, dolores capitis fieri, si caput debile sit. At si robustum sit, inquit, ἐκδιώκει τὴν ὕλην, εἰ μὲν ἐπὶ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν καὶ τὸν πνεύμονα, ποιεῖ κατάῤῥουν, εἰ δὲ ἐπὶ τὸν λάρυγγα, καὶ τὴν φάρυγγα, ποιεῖ βράγχους καὶ βῆχας. εἰ δὲ ἐπὶ τοὺς μυκτῆρας, κορύζας. ποιεῖ δὲ καὶ φθίσιν γίνονται τοῖοις, οἷς ῥέπει ἡ φύσις ἐπὶ τὸ φθινῶδες. idest, expellit materiam, siquidem ad asperam arteriam & ad pulmonem destillationem facit: si autem ad fauces & guttur, raucedines facit & tusses: si autem ad nares grauedines, nonnullis autem & phthises fiunt, quales hi sunt, quibus natura in phthisim inclinat.

Καὶ βράγχοι. idest, Et branchi, uel raucedines.] De quibus superius abunde pertractauimus. Eodem autem modo fiunt, ex tali materia, quæ in capite continetur, ad branchum fluente, & raucum hominem faciente; ut Hippocrates, Aristoteles, Celsusq; sentiunt.

Καὶ κόρυζαι. idest, Et coryzæ.] Quas Latini grauedines uocant, fiunt cum eadem materia quæ in capite retinetur, ad nares profluit. Hanc Celsus sub nomine destillationis intelligit. Nos uero in genere dicimus, Omne destillationum genus ex his fieri posse,

quæ

quæ à capite ad alias partes descendere solent, unde & ad aures, & ad nares, & ad pharynga, & ad larynga, & ad pectus, & ad uetriculum fieri nihil impedit. Galenus tamen hanc constitutionem non multum male sanam esse iudicat, & hi morbi qui in tali constitutione fiunt, multum sæui non sunt, sed plurimum mites.

ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες. idest, Quibusdam autem & phthises.] Hippocrates in sua constitutione libri De aere, aquis, & locis, hunc morbum non ponit: at Aristoteles in decimo problemate primi libri ponit: sed apud Aristotelē tussim & raucitatem sequi uidetur, ut tussis fiat raucitas & tabes: sed Aristoteles hoc modo non intelligit, quod unum post aliud fiat, quamuis fieri possit tussim & raucitatē phthisim præcedere, imò tussis necessario semper præcedit, phthisis autem non fit, nisi in his qui naturam habent ad phthisim paratam, de qua natura, & Galenus in cōmento, & nos in eodem loco loquemur: nunc autem ego potius phthisim, quàm tabem dicerem, quia proprie de hac specie tabis sermonem habet, quæ phthisis nuncupatur, in qua pulmo exulcerationem patitur, nec obstat quod Celsus in quibusdam tabes oriuntur dicat, quia ad hanc speciem exprimendam generis uocabulo utitur: melius fecit superius eodem loco, quando dicebat in autumno fieri tabem, quam Græci phthisim dicunt: nam his uerbis de qua tabe loqueretur, specificauit, quoniā, ut decimo huius libri Aphorismo docuimus, tabes tres species complectitur ἀτροφίαν, ἠπεδζίαν, & φθίσιν.

GALENVS

EANDEM temperaturam nunc simul posuit æstati & autumno, quam & paulo antea dixit de uere atque hyeme, quum ita dicebat, Si hyems sicca & aquilonia fuerit, uer autem pluuiosum & australe. Verum ibi quidem in hac æstatis constitutione dixit febres acutas, lippitudines & difficultates intestinorum fieri. Nunc uero hyeme dolores capitis, tusses, raucedines atque grauedines. Non autem uel ibi adiecit æstiuam constitutionem, uel hic hybernam, ut qui utrunque tempus suam seruare temperaturam supposuerit. Si enim & in his altera aduenerit aeris ambientis intemperies, erit aliquis propter illam à prædictis diuersus eius morbus, proprius intēperiei. Verum in illa quidem constitutione, qua dixit hyemem fieri siccam & Aquilonium, uer autem pluuiosum & australe, ipse subiecit causas ob quas tales morbi æstate fiunt, in libro De aere, locis & aquis. In præsenti uero constitutione, nihil dixit in illo. Nam post duas antea scriptas constitutiones, Alteram quidem in qua hyemem Aquiloniam & siccam uult fieri, uer autem pluuiosum & australe, Alteram uero in qua contrarium pluuiosam & australem hyemem, uer autem siccum & Aquilonium, & sequentem ordine post has tertiam existentem conuersionem, de qua præsens est sermo, non amplius adiecit, sed loco huius, alteram talem. Si uero æstas pluuiosa fuerit & Australis, & autumnus similiter, necesse est hyemem fore insalubrem. Deinde per ordinem quasdam alias, neque illas eodem modo quo ista proposita, se habentes. Sed de illis quidem, quum ad earum expositionem peruenerimus, sermonem faciemus. Nunc uero de ea quæ ab ipso dicitur in Aphorismis, agamus, idem nostro sermoni initium facientes, quod etiam antea diximus. Par etenim est seruare ipsam hyemem similem ei quæ est naturalis, hoc est frigidam atque humidam, quantum hæ duæ qualitates cōueniunt temperatæ regionis habitationibus, de quibus nos paulopost nominatim mentionem faciemus. Seruante itaque hyeme suum temperamentum, nulla fortior in ipsa ægritudo consistit, solum autem capitis dolores ac tusses, raucedines atque grauedines, quæ sunt repleti capitis accidentia. Si igitur (ut prius diximus) utrique tempori, æstiuo scilicet, atque autumnali fieri pluuias australes contigerit, forte & in ipsa æstate: si minus, saltem in ipso autumno uulgabuntur morbi propriæ constitutionis humidæ & australis. Nunc quoniam æstatē siccam & Aquiloniam fieri supposuit, Autumnum autem humidum & austrinum, par est nō solum quosdam non incipere ægrotare, uerum & immodicæ per æstatem siccitatis habere remediū non mediocre, eam quæ facta est in autumno humidam cōstitutionem. Quia uero totus autumnus talis est subsecutus, necesse erit his qui naturam habent humidiorem, sufficienter supra modum repleto capite, nuper dictos morbos hyeme aduenire, quibusdam autem eorum & tabem, qui scilicet ad hūc morbum apti natura sunt. Sunt apti natura & qui angusto sunt pectore, & quibus à capite ad pulmonem fluctio defertur. Hi igitur tabidi

bidi fient. Alijs uero nullus quidem fortior morbus adueniet, sed tusses, atque raucedines, & quicunque alij huiuscemodi casus fient, tempore hiberno capita suscipiente austrinis pluuijs antea repleta, siue in quibusdam hoc solum efficiente, quod superfluitas in capite perseuerans sit ipsi doloris causa. Nullam siquidem plenitudinem in parte aliqua corporis dissoluit hyems. In quibusdam uero coacto in unum, & compresso quodammodo capite expressa materia inutilis, ad loca capite inferiora descendit, hoc quidē ueluti purgatio quędam, & capitis est euacuatio. In quibus uero à multa materia grauatum antea laborauit, nec potuit hibernum frigus tolerare, subiectis sibi partibus refrigeratum iam propter maiorem intemperiem, est fluctionum causa.

BRASAVOLVS.

PLVRA circa huius aphorismi statum, quàm circa uerborum expositionem à Galeno dicuntur. Primo igitur Aphorismum præsentem undecimo Aphorismo in qualitatibus comparat, sed ibi de hyeme & uere sermonem habebat, hic de æstate & autumno. & sicuti in illo ægritudines in æstate fiebant, ita in isto in hyeme fieri debent. Aliquis autem dubitare poterit, quam temperaturam æstas habere debeat, in qua ex hyemis & ueris temperaturis ægritudines fiũt, & quam temperaturam hyems habere debeat, in qua ob æstatis & autumni temperaturas morbi fiunt. Respondet Galenus, hæc duo tempora suas qualitates naturales habere oportere, ut æstas sit calida & sicca, hyems frigida et humida, & ob hanc causam quia suas naturales temperaturas seruare debent, quas temperaturas habere oporteat, Hippocrates non aperuit, ut naturales & sibi proprias intelligeremus. nam si aliam temperaturam hæc tempora nacta essent, quàm propriam & naturalem, opus esset & morbos ipsos immutari, & alterius generis esse à præscriptis.

Cum in principio commenti scriptum est, eandem temperaturam nũc simul posuit, nos potius legendum putamus, Nunc simul apposuit. nam cõtextus Græcus dicit ἀνατίθεκε, Quod potius apposuit, quàm posuit significat, & conuenientius dicitur.

Cum etiam legitur, Erit aliquis propter illam à prædictis diuersus eius morbus, proprius intemperiei, in Græco illa particula, eius abest, & non dicit aliquis diuersus morbus, sed diuersus à prædictis morbis, inquit enim ἔσαι τι καὶ δι᾽ ἐκείνην ἕτερον ὧν τοῖς εἰρημένοις νοσήμασι τῆς δυσκρασίας οἰκεῖον, quæ si ad uerbum reddamus, hæc dicũt, Erit propter illam (scilicet æstatis intemperaturam) à prædictis morbis aliquis diuersus, intemperiei proprius.

Quod etiam in principio commenti habetur, uerum ibi quidem in hac æstatis constitutione dixit febres acutas, lippitudines, & difficultates intestinorum fieri, uidetur absurdum sensum facere, quia in præsentiarum in hac æstatis constitutione febres acutæ fiunt. nam de uere australi & pluuioso loquebatur. oporteret igitur quod australi & pluuiosa æstate existente illi morbi fierēt, sed ut statim in hoc cõmento uidere licebit, ęstas aliam temperaturam à propria habere non debet. propterea Græcum codicem cõtemplatus hæc dicere inueni, ἀλλ᾽ ἐκεῖ μὲν ὧν ταύτῃ τῇ καταστάσει τοῦ θέρους ἔφησε, τοὺς πυρετοὺς ὀξεῖς, ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γίγνεσθαι. idest, Verum ibi quidem in hac constitutione æstatis dixit febres acutas, lippitudines, & difficultates intestinorum fieri. non possum autem induci, ut credam Leonicenum, illam particulam, τοῦ θέρους, interpretatũ esse ęstatis, & cum illa particula coniunxisse hac constitutione, sed potius librarij culpa & incuria fuit. nam Leonicenus interpretatus est (me iudice) æstate in ablatiuo.

SECVNDO Galenus Hippocratem refert in libro De aere, aquis, & locis, qui rationem intemperiei undecimi Aphorismi reddiderit, de præsenti autem cõstitutione nihil proposuerit, quamuis multas alias temporum dispositiones enumeret, quæ in libro illo ab Hippocrate scripta sunt, in hoc autē non dicũtur. propter hoc Galenus edocet, ista in regione tēperata intelligēda esse, & quod hyems suam naturalē temperiē seruet.

Quæ in hac parte ita leguntur, de præsenti uero constitutione nihil dixit, in Græco habetur ὧν δὲ τῆς νῦν προκειμένης οὐδὲν εἶπεν ἐν ἐκείνῳ. idest, De ea quæ nunc proposita est constitutione nihil dixit in illo, uel de præposita cõstitutione nihil dixit in illo, tamē idē sensus est etiam si Leoniceni more legamus, sed græca uerba ita non exprimuntur.

Vbi etiam legitur, Quod etiam antea diximus, Græcus contextus habet, τὴν μικρῷ πρόσθεν εἰρημένην, idest, Quod parum antea diximus.

Quæ præterea leguntur, par etenim est seruare, ego interpretarer, decens etenim est, aut uerisimile etenim est seruare. quoniam in Græco habetur, φυλάτ]ειν γὰρ εἰκὸς ἐστιν. id est, Seruare enim uerisimile est, quia ex uerisimilitudine ita argumentatur.

Vbi scriptum est, de quibus nos paulo post nominatim mentionē faciemus, tria uerba hic desunt, hæc inquam, de eis sermonem facit. nam Græce habetur, ὑπὲρ ὧν ποιεῖται τὸν λόγον, ὧν ὀλίγον ὕστερον ὀνομαστὶ μνημονεύω. idest, de eis sermonem fecit, de quibus nos paulo post nominatim mentionem faciemus, ut hoc modo continuationem faciamus, quantum hæ duæ qualitates conueniunt temperatæ regionis habitationibus, de eis sermonem facit, de quibus nos paulo post nominatim mentionem faciemus. postea sequatur ut in Leoniceni interpretatione habetur, Seruante itaq; hyeme, & reliqua.

TERTIO Galenus aphorismum interpretatur, Supposito quod hyems suam temperaturam habeat, in ipsa ægritudines uehementes non fiunt, sed illæ solū, quæ in aphorismo enumeratæ sunt, scilicet repleti capitis accidentia. tu lege casus, quia ubiq; Leonicenus, ubi συμπ]ώματα inuenit, casus interpretatur. unde si æstas & autumnus humida sint, hi morbi in æstate, uel saltem in autumno generantur: si uero æstas sicca sit, humidusq; autumnus, conuenit non solum in autumno non incipere ęgrotare, sed ex autumni humiditate inductam siccitatem corrigi. propterea in hoc autumno, qui supra modū humidi sunt, prædictos morbos incidunt, & nonnulli phthisim, qui ad ipsam procliues sunt, in alijs uero hominibus nullus uehemēs morbus generatur, sed solum dicti casus, quia capita repleta sunt: in illis autem, in quibus perstat & perseuerat plenitudo, capitis dolorem facit. At in illis, in quibus caput comprimitur ut materia descendat fluctiones fiunt, quæ uel grauedines, uel raucedines, uel tusses appellantur, secundum loca ad quę perueniunt.

Nota, à Galeno dici hæc esse symptomata repletionis capitis, quia ex pleno capite emanant, plenitudo uero capitis ægritudo in numero est, tamen & ex hyeme mala, temperatura frigida induci posset, prius autem humida erat, ob humidas materias, quæ ex temperie autumni in caput receptę fuerant.

Quod uertit Leonicenus, Nulla fortior ægritudo, ego uehementior interpretarer, quamuis Galenus sua lingua dicat, οὐδὲν ἰσχυρὸν νόσημα. idest, nulla fortis ægritudo.

Quod etiam interpretatur, saltem in ipso autumno uulgabuntur, ego potius interpretarer (medice loquens) per populum uagabuntur, quod Græce est ἐπιδημήσειν. Id præterea quod ita legitur, par est non solum quosdam non incipere ęgrotare, sunt aliqui cōtextus qui affirmatiue legunt, non solum aliquos incipere ægrotare, ut Aldinus habet, sed noster antiquus negatiue legit, non solum aliquos non incipere ægrotare: quod magis probo, & aptior sententia fit.

Quod legitur, Sufficienter supra modum repleto capite, ego ita legerem, Supra modum sufficientem repleto capite, idest, magis plenum quàm cōueniat. nam & contextus Gręcus habet ἱκανώτερον τοῦ μετρίου πληρωθείσης τῆς κεφαλῆς. idest, Supra cōuenientem mensuram repleto capite.

Quę deinde sequuntur, Nuper dictos morbos hyeme aduenire, in contextibus Gręcis diuersę lectiones habentur, Aldinus enim dicit, ἀπαντῆσαι περὶ τὸν χειμῶνα τὰ προειρημένα νοσήματα. & similem contextum secutus est Leonicenus. At antiquum contextum habemus qui ita legit, ἀπαντῆσαι περὶ τὸν χειμῶνα τὰ προειρημένα συμπ]ώματα, ut hęc sola differentia sit inter Aldinum codicem, & hunc antiquum, quod ubi Aldinus dicit νοσήματα, idest, morbos, antiquus habet συμπ]ώματα, idest, casus, nosq; hanc lectionem potius laudamus, quia hę affectiones non sunt morbi, sed pleni capitis casus: ut Galenus ipse superius edocuerat. De his qui ad phthisim inclinati sunt loquens Galenus solum duo signa ponit, unum quod angusto sunt pectore, aliud quod à capite ad pulmonē fluctio descēdat. hoc secundum necessarium est, & semper exigitur, nisi in illis qui ob suppurationem ex pleuritide fiunt. Primum etiam exigitur, sed Galenus non dicit pectus, quippe inquit οἱ τὰ περὶ τὸν θώρακα στενοί. idest, Qui secundum thoracem angusti sunt. Thorax autem & pectus differunt, quamuis apud authores pro eodem quandoq; sumantur, et re uera Pectus thoracis pars est, quia pars illa supra mammas pectus dicitur. Thorax uero totum est à iugulo et scapulis deorsum, usq; ad Malum granatum nūcupatum, & ibi e

ibi è regione, ut in anatomicis aggressibus, oculis diebus elapsis uidere licuit. Sũt tamẽ plura alia indicia quibus cognoscitur aliquem ad phthisim natura pronum & inclinatũ esse, ut si collum oblongum & subtile habuerit, si caput ualde crassum & humidum, si humeros in arcum flexos, intra quos collum ingredi uideatur. Arabes hos Allatos appellant, & quibus uenæ sunt angustæ, & debile pectus habent, & adeo catarrho abundantes ut ob thoracis debilitatem, quicquid in pectoris cauitate cõtinetur, expuere nõ possint: qui nares clausas habent, ut materia ad pectus descendat potius quàm è naribus fluat, & qui subtiles uenas habẽt, adeo ut facile frangi possint, & hoc potissimum in thorace, hi ad phthisim proni sunt. Galenus duo potissimum signa enarrauit, unum ex materia & mittente, aliud ex recipiente. Cum uero & ipse Philotheus his phthisim accidere dixerit qui natura in ipsam propẽsi sunt, etiam quibus indicijs id cognosci posset, edocuit, inquiens, οὗτοι δὲ εἰσι σκηλιφροὶ, μακροτράχηλοι, πτερυγώδεις, καὶ στενοθώρακες, γίνεται δὲ αὐτοῖς ἡ φθίσις διὰ τάδε. ἐπειδὴ οὗτοι ἀμαθοῖ ἔχουσι τὸν θώρακα, καὶ ἑτοίμως πάσχουσιν καὶ ἀπὸ τῶν ἔνδον καὶ ἀπὸ τῶν ἐκτὸς. καὶ ἀπὸ μὲν τῶν ἐκτὸς ἐπειδὴ δυσχερῶς εἰσδύνει ἡ ψύξις ἐς τὸν θώρακα, πλήττει δὲ αὐτόν. ἀπὸ δὲ τῶν ἔνδον, ὅταν πληθώρας ὑποκειμένης, φέρεται ἐπὶ τὸν θώρακα, καὶ βλάπτει τὸν πνεύμονα ὡς ἀσθενῆ. σήπεται γὰρ ἡ ὕλη ἐκάστην ἐρχομένη, καὶ ἑλκοῖ τὸν πνεύμονα, καὶ ἐκ τούτου φθίσις. idest, hi autem sunt scelephri (nos putamus legendũ esse σκελισχνοὶ, idest, gracilibus cruribus prȩditi) oblongi colli, & in morem auiũ subtilis, et angusti thoracis. his autem fiunt phthises propter hæc quæ sequuntur. quoniam ipsi aridum et in modum pulueris exsiccatum habent thoracem, et facile ab his quæ intus et quæ extra adueniunt offenduntur. et ab his quidem quæ extra, quoniam frigiditas facile in pectus ingreditur, percutit autem ipsum. ab intus uero, quoniam subiacẽte plenitudine, ad thoracem fertur, et nocet pulmoni, tanquam ei qui debilis est: corrumpitur enim illa materia incipiens, et ulcerat pulmonem, et ex hoc phthises.

Nota etiam quod dicit hyemem nullam plenitudinem in parte aliqua corporis dissoluere, hoc fit quia naturæ frigidæ est. propterea constipat, si autem accidat catarrhos fieri, potius per accidens à frigore fiunt, quàm ex se, quia frigus adstringit, adstringendo exprimit, ueluti manus quæ spõgiam exprimat. Quod autem hic dicit dissoluit, ego potius interpretarer discutit, quia Græcus contextus dicit διαφορεῖ, et certe frigus non dissoluit, sed hoc caloris proprium est trahere et dissoluere. nam διαφορῶ digero, discutio. unde medicamenta διαφορητικὰ discussoria et quæ aluum subducunt.

Quod à Leoniceno interpretatum est, expressa materia inutilis, potius interpretari oportet, expressa materia impar, idest, superflua, quia id exprimitur quod superfluit. unde Aristoteles decimo problemate primi libri dicit, Si humor qui est in capite, nimius frigidusq; est, cruditatem uticq; mouet, cui syderatio nomen est. postea sequitur, Necnõ si ob nimiam sui copiam concrescere minus potuit, in locum defluit proximum, atque ita tussim, raucitatem, phthisimq; contrahit. unde uides potius interpretandum esse materia superflua, quàm materia inutilis, licet quod superfluum est, inutile sit, et quod inutile, quandoq; superfluat: tamẽ ad rei intellectum magis deuenimus dicentes superflua: et etiam uocabulum Græcum illi correspondens, idem significat. est aũt περιττὸν, Quod uocabulum potissimum apud mathematicos significat impar: quod uero impar est, superfluũ est. propterea nonnulli illaudati interpretes, ubi Aristoteles περιττὸν habet, abũdans interpretati sunt, immo ipsemet Leonicenus hoc idem uocabulum περιττὸν in hoc commento pro superfluo interpretatus est. nam per tres uersus, ante hũc locum, ubi dicitur quod superfluitas in capite perseuerans sit ipsi doloris causa, illa particula Superfluitas in Græco Galeni codice, περιττὸν est. nam dicit ὡς ἐν τῇ κεφαλῇ διαμένον τὸ περιττὸν, ἀλγήματος αἴτιον αὐτῇ γίνεσθαι. idest, (Si uerbum uerbo reddamus) quod in capite perseuerans superfluum doloris causa ipsi fiat. unde sicuti in hoc loco Leonicenus τὸ περιττὸν, idest, Superfluitas interpretatus est, ita paulo deinde interpretari debebat, quum dixit ἐκθλιβόμενον τὸ περιττὸν, idest, expressa materia superflua, uel id expressum quod impar, idest, superfluum est.

APHORISMVS XIIII

SI uero aquilonius, & siccus, his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus confert: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines: nonnullis uero & atræ biles.

BRASAVOLVS

HVNC Aphorismum à præcedenti distinctum non esse, & Galenus testatur, & series ipsa ostendit, quamuis alicui forte distinctus uidebitur, quoniam & apud Aristotelem in primo Problematum libro, & apud Hippocratem in libro De aere, aquis & locis, qui ante Aristotelem scripsit, distinctus est, tamen serie ipsa considerata distinctus non est. si tu distinctum Aphorismum habere cupias, necesse est in hunc modum aggrediaris, si æstas sicca, borealisque fuerit, & autumnus quoque siccus & borealis, his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus confert: sed cum de æstate nihil dicat, & solum de autumno prosequatur, primam partem præcedentis aphorismi subintelligendam esse supponit. Aestate igitur sicca & aquilonia præcedente, & autumno eisdem qualitatibus insignito consequente, mulieribus, & humidioribus uiris confert, quia in opposita constitutione sunt, ideo minus læduntur. Reliquis autem, qui humidi non sunt, lippitudines siccæ fient, acutę febres, grauedines, & nonnulli erunt qui atra bile uexabuntur. Philotheus uero ita hunc Aphorismum introducit ἐν μὲν τῷ ἄνω τούτῳ ἀφορισμῷ ὑποτίθεται τὸ φθινόπωρον ἔπομβρον, καὶ νότιον. ἐν τούτῳ δὲ ἐναντίως τὴν μεταστροφὴν ποιεῖται, καὶ ὑποτίθεται αὐτὸ ψυχρὸν, καὶ ξηρόν. idest, In præcedenti Aphorismo supposuit autumnum pluuiosum & austrinum esse: hic uero è contrario conuersionem facit, & supponit ipsum frigidum & siccum. tanquam Philotheus alterum Aphorismum à præcedenti distinctum faciat. Aristoteles undecimo Problemate primi libri, huius Aphorismi meminit, quærens, cur si sicca æstas, siccusque autumnus aquilones habuerint, mulieribus, & omnibus pituita abundantibus, secunda ualetudo contingat? Respondet, quia naturam utrorumque in alteram exuperat partem, itaque tempus in partem trahendo contrariam ad medium habitum bonumque perducit. eo igitur ipso tempore optime ualent, nisi quid ultro ipsi perperam agant, aut humidi ad hyemem ita deueniant, ut fomitem quendam, & incitabulum frigori subministrent. Sed Aristoteles in hoc loco de una solum aphorismi parte pertractat, quia solum rationem reddit quare humidi bene se habent. Cur autem reliqui qui pituitosi non sunt, morbos incidant, rationem non ponit, nec dubitat. propterea aliud problema facit de secunda parte Aphorismi, quod est duodecimum in suo ordine: dubitat cur si sicca æstas, & aquilonia, & autumnus siccus, eisdem aquilonibus perflatus morbo biliosos infestet? Respondet, quoniam ad idem, corpus eorum, ac temporis habitus uergunt, itaque uelut ignis igni adijcitur: cum enim corpora exiccentur, quantumque in his dulcedinis erat, euaporatum sit, uehementerque incalescant, necesse est ut dum humor consumitur aridæ lippitudines oriantur, residuumque quod biliosum remanserit, eodemque recalescente febres acutæ, utpote ex bili sincera euadant, Nonnullos insania rapit, quorum scilicet natura atra bile abundat, hæc etenim large superest, cum eius humores contrarij resiccescant. Celsus autem capite primo secundi libri supposito quod æstas sicca & aquilonia sit, inquit: sin autem autumnus quoque æque siccus ijsdem aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quæ muliebria esse proposui, secunda ualetudo cõtingit: durioribus uero instare possunt & aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, partim lõgæ, & hi morbi qui ex atra bile nascũtur. Hippocrates uero in libro De aquis, aere & locis, statim primo folio cum de ęstate sicca & humido autumno locutus esset, addit, Sin aũt Aquilonius (scilicet autũnus) & nõ aquosus sit, nec in arcturo, pituitosis quidẽ suapte natura maxime cõfert, hisque qui suapte natura humidi sunt, fœminisque, sed biliosis hoc infestissimũ est: nimis enim desiccãtur, lippitudinesque siccæ superueniũt, quibusdamque febres acutæ, longęque, cõcitationesque atrę bilis. nã quod humidissimũ, aquosissimũque est bilis, absumitur, quod uero crassissimum

sissimum est & acerrimum relinquitur, sanguisque eadē ratione, confestimque & ex improuiso hæc mala his fiunt. pituitosis uero hæc omnia auxilio sunt: nam siccescūt, ac in hyemem perueniūt, per alia, & ex alijs desiccati. quibus uerbis & symptomata & rationem symptomatum reddit Hippocrates: tamen præcise non est tēpestas de qua hic agit Hippocrates, nisi in siccitate, quia æstas sua est quidem sicca, sed australis, in aphorismo autem est sicca & borealis: uerum quo ad effectus qui sequuntur, idem sunt etiam si æstas borealis sit, & ab eadem causa dependent.

ἢν δὲ βόρειον ᾖ. idest, Si autem aquilonius sit, scilicet autumnus, καὶ ἄνυδρον, idest, et siccus, licet uocabulum ἄνυδρον, inaquosum potius significare uideatur, tamen ut Galenus in cōmento edocebit, idem est quod siccum. Galenus hunc autumnū talem refert, æstate sicca & aquilonia præsupposita. Tamē si omnia ab Hippocrate impleri uelimus, dicere possemus, quod intelligit æstate existente opposita, scilicet humida & australi, ut duodecimo Aphorismo correspondeat. nā in undecimo hyemē siccam & aquiloniam, Ver humidū & australe posuit, in duodecimo hyemē humidam & pluuiosam, uer siccū & aquiloniam: in tertiodecimo aūt, & quartodecimo in æstate & autūno easdem qualitates quæ in undecimo & duodecimo dictæ sunt, repetit. unde in. 13. siccam æstatem & aquiloniā, autumnum humidū & australem ponit, ut qualitatibus undecimi aphorismi correspondeat: in hoc uero. 14. qualitates in æstate & autumno ponendæ sunt, quę qualitatibus duodecimi Aphorismi correspondeāt. itaque Hippocratis sensus reddetur: Si æstas humida & australis sit, autūnus siccus & aquilonius humidis conueniet, quia quicquid humiditatis ex æstate sumptū est, totum in siccitate autumni consumetur. Alijs uero lippitudines siccæ fient, per rationē illam quæ in duodecimo Aphorismo scripta est, hoc autē biliosis fiet, & febres acutæ ob restrictionē materierum intus, quæ cum nimiæ sint & extra uasa pro parte putrescunt. itaque in alijs omnibus suas rationes inuenire possemus, & re uera nisi Aristoteles suaderet, quod in æstate tali scilicet aquilonia & sicca, & in autumno etiam aquilonio & sicco, hæc contingant, quę hic Hippocrates refert, id mordicus tenerem, illam fuisse Hippocratis mentem, quā superius enarrauimus. Id autem est apud Aristotelē in undecimo & duodecimo problematibus primi libri: immo sponte ab Aristotele dissentirem, nisi Hippocrates ipse in libro De aere, aquis, & locis, intelligeret, consequentem autumnum aquilonium & siccum sequi æstatem aquloniā & siccam. nam rationes, quas Hippocrates in hoc citato libro facit, solū probant eo supposito, quod æstas sicca & aquilonia fuerit: immo et Celsus hunc Aphorismum capite primo secundi libri interpretans ostendit, intelligendum esse æstatem siccam & aquiloniam præcessisse. Nam prius. 13. Aphorismum retulerat, in quo æstas erat sicca et aquilonia, postea sequitur: Sin autem autumnus quoque æque siccus ijsdem aquilonibus perflatur. Quibus uerbis manifeste ostenditur, quod morbi hoc loco numerati, æstate existente sicca et aquilonia fiant. Denique si æstatem pluuiosam et australem faceremus, rationes ægritudinum quæ sequuntur æque bene reddi non possent, licet de aliquibus ratio in promptu sit. Propter hęc igitur cum Galeno dicam, Hippocratem de tali tempestate in qua æstas sit sicca et aquilonia, et etiam autūnus, sermonem habere. In hac enim constitutione omnia, quæ inferius dicentur, sequuntur.

τοῖσι μὲν ὑγροῖσιν ἐοῦσι τὰς φύσιας. idest, his qui habēt humidas naturas, uel humidis natura.] Alium cōtextum habeo in quo ita scriptum est, τοῖς μὲν ὑγροῖς τὴν φύσιν, idest, Humidis natura. hoc est his qui suapte natura, et ab ineunte ætate humidi sunt.

Καὶ τοῖσι γυναιξὶ ξύμφορον. idest, et mulieribus conferet, quoniam ut Hippocrates in libro De aere, aquis, et locis scriptum reliquit, pituitosis et mulieribus hęc auxilio sunt, quoniam siccescunt, ac in hyemem perueniunt, per alia, et ex alijs desiccati. Et Aristoteles undecimo problemate primi libri, causam reddit, quia pituitosi et mulieres in humidum uergunt: tempus autem trahens ad oppositum, eos ad medium habitum reducit, nisi ipsi sponte ea agant, quæ ipsos offendant. Philotheus addit, ἀναλίσκεται γὰρ αὐτῶν ἡ ὑγρότης. idest, Consumitur enim ipsorum humiditas. Celsus uero non dixit pituitosis conferre, sed omnibus mollioribus corporibus. Sunt autem hi et pituitosi et sanguinei, inter quæ corpora muliebria intelligit. quare Celsus nō interpretatur humidis, sed mollibus, molles autem non solum pituitosi sunt, sed etiam sanguinei. propterea melius forte est

re est interpretari humidos uel molles, quàm pituitosos, quia pituitosum sub molli continetur. Adde sub molli pueros cõtineri, tamen pueri biliosi inueniũtur, quibus hæc cõstitutio ꝓdest. Ideo molles uel humidos dicẽtes, egregius dictũ uidetur, ꝙ si dixerimus pituitosos, quoniam & biliosi pueri ratione ætatis humidi & molles sunt, nõ tamẽ pituitosi. unde & Hippocrates in libro De aere, aquis, & locis, dicit pituitosis & humidis natura, & mulieribus: ut ostenderet humidos etiã esse, qui pituitosi nõ sunt, quibus tamẽ hæc cõstitutio per dictas rationes confert. Quanto autẽ magis humidi sunt, tanto magis cõfert, ideo mulieribus in suo sexu humidioribus magis confert, quia adeo corrigi non possunt, ut trãsmutatio quãdoq; in oppositũ fiat. nã autũnus iste preter suã naturã siccus est, quoniã siccitatem sibi propriã habet, sed in hoc casu siccitas est, quæ multũ excedit.

τοῖσι δὲ λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραί. idest, Reliquis aũt lippitudines siccæ erunt.] In alio codice legitur ἔπονται, idest, fient, non autem ἔσονται. Celsus nõ interpretatur reliquis, sed ut ei quod dixerat pro humidis mollioribus, suũ oppositum correspondere, hic dicit durioribus. nam durũ opponitur molli: sicuti autẽ molle humidũ significabat, et quod in se teneritudinẽ quandam haberet, ut pueri sunt, ita & hic durum dixit, ut siccum significaret & quod ex eo duritiem contraxit. Hippocrates in libro De aere, aquis & locis, non dicit reliquis, sed biliosis hæc accidere, quem Aristoteles problemate duodecimo primi libri secutus est, ubi dubitat cur in tali constitutione biliosi infestẽtur morbo. De sicca lippitudine superius dictum est, illam esse in qua nihil fluit, uel lachrymarũ uel alterius cuiuscunque materiæ, sed omnia intus clausa sunt. Aristoteles præcitato loco rationem reddit, quæ est, has siccas lippitudines fieri, quia biliosus humor uehementer incalescit, ideo necessarium est dum humor consumitur, aridas lippitudines oriri, sed non sunt nisi in his qui debiliores oculos habent. eandem rationem in libro De aere, aquis & locis assignat, hæc fieri docens et repente, quia quod humidissimum, & aquosissimum est bilis exsiccatur. fiunt autem potissimum in hoc casu hæ lippitudines siccæ ex uaporibus, ideo et Paulus Aegineta capite uigesimosecundo libri tertij dicit fieri lippitudinem, & intensos dolores ex spiritibus flatuosis. Quid etiam impedit has siccas lippitudines fieri, ob autumni frigiditatem superficiales oculorum partes obstruentem, ne humores qui intus continentur, exire possint, sed ophthalmiam inferant? Fiunt autem hæc secundum Philotheum διὰ τὴν πολλὴν ξηρότητα. idest, propter multam siccitatem.

Καὶ πυρετοὶ ὀξέες. idest, et acutæ febres.] Hippocrates in libro De aere, aquis et locis, non solas acutas febres fieri dixit, sed et acutas et longas, ob hanc causam quia biliosi humores nimis desiccãtur, et subtilissima ac aquosissima pars resoluitur, crassa autem permanet. Sed hæc ratio de diuturna febre solum esse uidetur, non autem de acuta, propterea dicamus quod in actu resoluendi, biliosa materia non resoluitur, sed aquosa. biliosa autem magis ignitur, ideo febres acutas facit. una autem bilis pars ualde crassa est, quæ quartanas gignit, unde & acutas, et diuturnas febres inducet. Aristoteles duodecimo problemate primi libri de solis acutis febribus sermonem habet, quas fieri dicit quia bilis, sincera reddita est, quæ recalescit, & re uera ea accensa exardescit æger. Celsus uero dicit fieri febres, partim acutas, partim longas, quod etiam intellige, ut superius à nobis dictum est. Eandem rationem his febribus reddit Philotheus, scilicet propter magnam siccitatem, quam lippitudinibus siccis reddebat.

Καὶ κόρυζαι. idest, & grauedines.] In alio antiquiori codice quem habemus legitur καὶ κόρυζαι χρόνιαι. idest, & grauedines longæ, & ita etiam antiqua aphorismorum translatio habet. Contextus quidam est, qui præter grauedines raucitates etiam fieri dicit, & re uera utrunq; dici potest. nã si materia ad βρόγχον tendat, raucitates fiunt. Si ad nares, grauedines. Hæc autem sequuntur, quum materia ob frigiditatem è capite expressa descendit, & hæc potius fiunt in his qui pituitam, quàm qui bilem habent, quia hæc symptomata ad pituitam potissimum illas partes occupantem consequuntur, fortassis fiunt in illo resolutionis motu quando bilis resoluitur. uel dicamus, hæc potius in pituitosis fieri frigore superueniente, uel in plenis humoribus humidis: propterea sunt potius plenitudinis symptomata, quando tempus humidum prius fuerit, deinde frigus sequatur, nisi dixerimus, Symptomata esse malam qualitatem frigidam consequentia, quæ qualitas ex tempore est. Hippocrates in libro De aere, aquis, & locis in hac constitutione

tione quando æstas sicca sit, & autumnus aquilonius ac borealis sequatur, nec grauedinis, nec raucedinis meminit, quod forte melius esse iudicādum est, quia ista potissimum cũ humiditate fiũt. Adde, nec Aristotelẽ duodecimo problemate primi li. grauedinis aut raucedinis meminisse: nec Celsum ca. primo secũdi li. ubi hunc aphorismũ interpretatur, propterea puto illã particulã κόρυζαι, idest, grauedines, ab Hippoc. positã nõ fuisse, consideroq; à librarijs inuersum esse uerbum, & id quod dicebat καὶ χρονικαὶ idest, & longæ, scilicet febres, in illud inuersum esse καὶ κόρυζαι, idest, & grauedines. nã Hipp. in li. De aere, aquis, & locis, dicit fieri febres acutas & diuturnas, & Celsus, partim acutas partim diuturnas, tamẽ in hac constitutione loquũtur. propterea nos illã partẽ hoc modo legendã putamus καὶ πυρετοὶ ὀξέες καὶ χρονικαί. idest, Et febres acutæ & lõgæ, nõ aũt καὶ κόρυζαι, idest, grauedines: quoniã grauedines in humiditatibus frigiditate superueniente potius fiunt. tamen Galenus in cõmento κόρυζαι apponere uidetur, imò contextũ Hippocratis ex li. De aere, aquis & locis, adducit, qui hoc modo habet. πυρετοὶ δὲ ὀξέες ἔσονται καὶ κόρυζαι, idest, febres aũt acutæ erunt, & grauedines. Nos aũt in nostro codice greco De aere, aquis, & locis Hippocratis, ita habemus, πυρετοὶ δὲ ὀξέες ἔσονται καὶ πολυχρόνιοι. idest, febres aũt acutæ erũt, & diuturnæ. imò si Galenũ in hoc cõmento cõsiderabis, quãdo rationẽ reddit cur hæc fiãt, de grauedine nihil amplius recordatur, nisi quod meminit illius uerbi grauedinis, in cõtextu Hippocratis positi. Sed nos putamus contextũ illũ corruptũ esse, & legi oportere ut à nobis dictũ est, & hoc maxime id probat, quia deinde in hoc cõmento Galenus rationẽ reddit acutę & diuturnæ febris. Cũ ergo in hoc Galeni cõmento cõtextus Hippoc. adducitur, hoc modo: lippitudines siccę, febres acutę, atq; grauedines accidũt: legendũ est, febres acutæ atq; diuturnę accidũt. uel opus erit dicere, quod hæ grauedines pituitosis, et nõ biliosis accidũt. Tamẽ Philotheus grecus author lõgas grauedines legit inquiẽs, καὶ κόρυζαι χρόνιαι. διότι ἡ ἀκραξηρότης μεταβάλλει τὰς δυνάμεις, καὶ τὸ λόγῳ τροφῆς ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ ἐρχόμενον, φέρεται εἰς μυκτῆρας διὰ τῶν ἰσθμοειδῶν ὀστῶν, καὶ κόρυζαι γίνονται. i. Et lõgæ grauedines, quoniã summa siccitas potẽtias mutat, & ratione nutrimẽti in cerebrũ ueniẽs ad nares fert̃, p̃ ossa isthmũ faciẽtia, quę à grecis isthmoida nũcupãt̃, & Grauedines fiũt.

Ἐνίοισι δὲ μελαγχολίαι. idest, Nõnullis uero & atræ biles.] & recte dicitur nõnullis, quia his solũ qui in ipsam proni sunt, accidunt, & qui bilem siccã habent, quæ facile in cinerẽ atrabilariũ uertitur. unde & Philotheus addit, ἐν τοῖς ἐπιτηδείως ἔχουσι περὶ λόγῳ τῶν ἐκδαπανᾶν τὴν ὑγρότητα. idest, In ijs qui cõmode possunt absumere humiditatẽ. & ratio est, ut Hippocrates in li. De aere, aquis, & locis dicit, quia humidissima pars atq; aquosissima bilis exiccatur & absumitur, crassissima uero relinquitur. propterea à Philotheo dicitur τὸ λεπτομερὲς καὶ χρηστὸν τοῦ αἵματος εἰ τὸ παχὺ καὶ γεῶδες ὑπερβάλλει, μελαγχολικὸν ἐργάζεται. idest, Pars tenuis & proba sanguinis, quũ pars terrestris superet, melãcholica efficitur. Celsus hęc Hippocratis uerba ita absolute nõ interpretatur, & atrę biles, sed & hi morbi qui ex atra bile nascũtur. Aristot. uero duodecimo p̃blemate primi li. dicit, nõnullos insania rapi (sua uero lingua utitur uocabulo μανία) quorũ scilicet natura atra bile abũdat. ipse uidetur μανίαν & insaniã specificare, quæ ex atra bile ortũ ducit. Additq;, hæc em̃ large superest, cũ eius humores cõtrarij resiccescãt. Quid aũt per μελαγχολίαν Græci intelligãt, paucis edocere oportet, sed Celsus præ alijs mihi placet, qui intelligit absolute morbos ex atra bile factos: hi enim uarij sunt. & re uera μελαγχολία uel atra bilis, (ut Galenus in sequẽti li. aphorismo uigesimoprimo edocebit) est humor ater, acris, corrodẽs, et acidus, qui in terrã effusus ebullit. p̃pter hoc à deiectionib. nigris differt, quę sunt ueluti sanguis niger, etenim sunt ueluti sanguinis limus. in hac tẽpestate μελαγχολικοὶ humores per adustionẽ fiũt, potissimũ (secundũ Aristot.) in melãcholicis. At secundũ Hippoc. in li. De aere, aquis, & locis, ex adustiõe bilis. ut aũt hanc rẽ cõmodius pertractemus, necesse est illa in mentẽ ueniãt quæ apud Galenũ scripta sunt in lib. εἰσαγωγή. i. Isagoge inscripto (si is liber Galeni sit) ἢ ἰατρὸς uel medicus. inquit aũt, τὰ δὲ περὶ τὴν διάνοιαν ἑκάστως, δύο μὲν τὰ ἐξέχοντα εἴδη, μανία τε, καὶ μελαγχολία, πολλαὶ δὲ καὶ ἐν τούτοις αἱ διαφοραὶ, ἀκατονόμασται δὲ σαι. συνίσταται μὲν οὖν περὶ κεφαλὴν πᾶσαν ἑκάστοις διανοίας. αἰτία δὲ τῆς μὲν μανίας ξανθὴ χολή. διὰ τοῦτο ταραχώδεις καὶ ἔκφοροι καὶ πρόχειροι ὑβρισταί τε οἱ τούτῳ ἐχόμενοι περὶ πάθει. τῆς δὲ μελαγχολίας αἰτία μελαγχολὴ ψυχρότερος χυμὸς καὶ ζοφώδης, διὸ ζοφώδεις τε εἰσὶ καὶ δύσθυμοι οἱ τοιοῦτοι, ὕποπτοι δὲ εἰς πάντα καὶ μισάνθρωποί τε καὶ ἐρημίαις χαίροντες. Quem si ad

uerbum imitari uoluerimus hæc dicit, Duę sunt potissimũ circa mentẽ alienationis species, mania scilicet & Melancholia, multæ autem & in his differentiæ sine nomine sunt. constituitur itaq; circa totum caput alienatio mentis, causa autem maniæ cholera flaua, propter hanc causam tumultuosi, præcipites, audaces manu prompti qui hac passione detinentur. Melancholiæ autem causa nigra cholera, quę humor frigidus & niger est, propterea nigro colore sunt tristesq; tales, suspitiosi de omnibus, hominum consuetudinem auersantes, solitudine gaudent. Vnde Galenus in hoc loco Homeri carmina citat, quibus Bellerophontes melancholicus describitur, Carmina autem hæc sunt.

Ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο

ὃν θυμὸν κατέδων πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

idest, errabat ille quidem per campos, animum suum crucians, hominum frequentiam uitans. Quæ sunt atræ bilis notæ. Ita uero latino carmine referuntur.

Sæpe etiam solus campis errabat Aleis
Et curis cor edens, hominum uestigia uitans.

Ex his colligere licet apud Galenum μανίαν, quam Celsus insaniã uocat, ex bile fieri flaua, μελαγχολίαν uero ex χολῆς μελαίνης. idest, ex bile nigra, & qđ in mania furiosi sunt, in melancholia, idest, bile atra, hominum consuetudines fugiunt, & soli cogitabundiq; morantur. At Galenus in libro definitionũ (si is etiã liber Galeni sit) Maniã definit, quã latini insaniã dicũt, esse mentis alienationẽ cũ cogitationis mutatione, & uocis amissione, & eorũ qui in ipsa sanitate sunt sensuum, hi aũt sine febre moriuntur. Postea melancholiã, idest, atrã bilem definit esse passionẽ rationi officientẽ cum cordis difficultate, & cũ nutritione eorũ quibus maximè uesci delectantur. Celsus de tribus insanię generibus tractat capite decimooctauo tertij libri. primũ est phrenitis, quę quoniam non fit ab atra bile, ualeat. secundũ genus ferè sine febre est, postea leues febriculas habet, in tristitia consistit, quã atra bilis contrahere uidetur. tertiũ genus duplex est, quia uel imaginibus falluntur, nõ mente qualem poetę Aiacẽ, uel Orestem faciunt: uel animo desipiunt. Si imaginib. fallũtur, uel tristes uel hilares sunt. hęc Celsus, qui omnes species ab atra bile fieri iudicat, & rectè quidẽ. Nec obstat qđ Galenus μανίαν ex bile fieri dixerit, quoniã intelligit ex bile adusta: cũ uero aduritur atra bilis effecta est, & uehementes illas ac feroces insanias parit, quas qui habẽt, furibũdi sunt. Nõ ab re igitur Galenus bilẽ esse dicebat, quia ex bile facta. Paulus æginetalib. tertio ca. decimoquarto melancholiã definit, esse alienationis mentis speciẽ quandã sine febre, quæ occupante cerebrũ intellectus sedem melancholico humore, magna semper ex parte prouenit, nõnunq; ipsomet affecto cerebro, interdũ uero uniuerso corpori affecto cõsentiente. ponit & tertiã speciẽ, quã flatuosam uocant hypochondriacãue: quandoq; futura diuinãtur, & à grecis φοιβαστικοὶ & ἐνθεάζοντες dicũtur. Hippoc. librũ fecit, quẽ de melancholia, insaniaue inscripsit. Ad rem igitur redeũtes, cũ ab Hippoc. dicitur Atræ biles, intellige omne genus morbi, quod ab atra bile fieri potest, & insanias omnes. propterea Aristot. primo Problematũ lib. utitur uocabulo μανία, alia melancholia. Potuisset tamẽ & dysenterias addere, quæ ex bilis redundantia fiunt, & quãto magis tenuis est & acuta, tãto intensiores, uehemẽtioresq; dysenterias facit, nec nõ ex atra bile sęuissimæ & insanabiles oriuntur, & experientia docet in hac tẽpestate fieri.

GALENVS

HIC sermo nũc dictus liquet ꝙ nõ est integer aphorismus, sed pars secũda unius aphorismi cuius priorẽ partẽ nuper destitimus explanare. Nã manente cõmuni que est æstatis dispositione, utrisq; sermonib. prior quidẽ pluuiũ, & australem in ipsa supponit autumnũ: secundus uero qui instat, siccũ & aquiloniũ. Quod uero nil differt, siue siccũ, siue squalentẽ, siue inaquosum dixerimus, unicuiq; est manifestũ. Ambobus ergo tẽporibus squalidis, & siccis effectis, humidæ quidẽ naturæ, nõ modo nihil offendentur ex tali constitutione, quin potius aliquã sentient utilitatem. Causam uero ipse dixit in libro De aquis, & locis, & aere, scribens in hũc modũ. Pituitosis uero hæc omnia auxilio sunt. Exiccantur enim, atq; ad hyemem minime laxi perueniunt, sed exiccati. Reliquis uero qui non sunt tali natura præditi, lippitudines siccę, febres acutæ, atq; grauedines accidunt, & nonnullis eorum atræ biles. Causam uero horum generationis, ipse in libro nuper dicto, per hęc uerba inquit. Biliosis uero hoc est inimicissimum, quia ualde exiccantur

tantur, & lippitudines his ficcę eueniunt, & febres acutę, & diuturnæ, & atræ biles. Deinde causam subinferens, inquit, Bilis enim pars humidissima, atque aquosissima exiccatur, atque absumitur. Crassissima uero, & acutissima linquitur, & sanguinis pariter eadem ratione, ex quibus hi morbi ipsis contingunt. Hæc itaque à nobis ad propositas constitutiones dicta sunt sufficienter. Cur uero de his solis constitutionibus fecerit mentionem Hippocrates, cum & plures aliæ sint, non habeo dicere. Volo autem potius declarare uiam, ac rationem, qua quispiam utens, omnes constitutiones complecteretur. Est autem talis. Primum igitur incipere est necessarium, ueluti ab elementis, à simplicibus aeris ambientis intemperaturis, atque ipsas diuidere, & in ualde paruas, & ualde uehementes, ac medias. Post hæc dicere de qualibet earum quæ dictæ sunt intemperaturarum, in singulis temporibus contingentium, quot scilicet morbos secundum unamquamque naturam generabunt. Posthac duorum temporum complecti inuicem intemperaturas, quemadmodum conatus est nunc & ipse Hippocrates facere. His uero transactis omnibus deinceps trium temporum coniungere uniuersas omnes intēperaturas. Deinde quatuor. Sic enim foret integra, atque perfecta meditatio. Hæc igitur & nos forte aliquando, si plus ocij nacti fuerimus, seorsum scribemus. Sufficiat autem in præsentiarum hoc dixisse solum, quod paucos admodum intemperaturarum complexus scripsit Hippocrates, adeo ut hæ potius quoddam exemplum uideantur, quam pars aliqua effatu digna totius circa talia disciplinæ. Dicemus autem plenius de ipsis, cum librum De aquis, & locis, & aere, & de Epidemijs primum exponemus. Quod uero paulo antea sum me dicturum pollicitus, hunc adiungens in ipso finiam orationem. Audire enim oportet omnes de quibus scripsit Hippocrates constitutiones in locis factas terræ habitabilis temperatis, exceptis ab hoc sermone Thraciæ locis, quæ à mari distant. Hæc enim in frigiditate, atque humiditate modum excesserunt, sicuti & quæ ad Aegyptum, ac Libyam attinent, loca calida sunt, ac sicca, exceptis & hic illis quę mari adiacent locis. In frigidis enim, quales sunt circa Thraciam, ac Pontum regiones, quoniam loca mari adiacentia humilia sunt, ob hanc causam calidiores habent temperaturas. In calidis uero, quales Aegyptus, ac Libya, quoniam æstate à uentis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus sunt calida, his quæ ad mediterranea recesserunt. Zona uero exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum, est quæ per Gnidum, & Coum, & quæcunque loca non multum ab his recesserunt, uel ad aquilonem, uel ad austrum. Oportet autem ut temperatam zonam nominatam, ab his qui talium habent peritiam, perfecte intelligas, excogitare quandam lineam rectam, extentam per ea quæ dixi loca. Quidam autem astrologi non zonas, sed parallelas, idest, æquidistantes uocant tales in terra habitationum similitudines, quæ ab ortu ad occasum protenduntur. Sermo igitur ab Hippocrate habetur, de his præcipue quæ diximus locis. Ordo autem temporum, sicuti ipse sæpius in libro Epidemiarum ostendit, & sicuti hi qui studio excelluere scripserunt, hic est. Ortus Pleiadis principium est æstatis, post quàm Canis ortus oporam, idest, fructuum generationem incohat, quam & ipsam pro secunda parte æstatis ponunt. Post hunc Arcturus oriens initium facit autumni. Deinde occasus Pleiadum hyemis principium facit. Deinde quod hyemem sequitur ęquinoctium, principium ueris habet.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno edocemur, hunc aphorismum præcedentis partem esse, in ipso enim primam præcedentis Aphorismi partem subintelligi supponit, μενούσης γὰρ κοινῆς τῆς τοῦ θέρους ὑποθέσεως. idest, Manente enim cōmuni æstatis hypothesi. Leonicenus rem ipsam considerans, ὑποθέσεως, idest, dispositione interpretatus est, potius quàm sequi uim uocabuli. hypothesis uero æstatis ad alia tempora est, quod unus autumnus australis est, & pluuiosus, alter ἄνυδρος, idest, inaquosus, & aquilonius. quod etiam dicit, supponit autumnum, lege tu, apponit autumnum.

SECVNDO quia Hippoc. & Galenus his uocabulis quandoque utuntur ξηρὸν, αὐχμηρὸν, ἄνυδρον, quæ apud Latinos hoc præcise significant, siccū, squallidū, inaquosum. propterea Galenus docet, quodcūque horū dicatur nihil differre, ideo unum pro alio sumi potest, & eædem ægritudines atque eadem symptomata semper consequuntur.

Tertio

TERTIO ex dictis Hippocratis causam reddit, cur hæc sicca constitutio humidis conferat, quia exiccantur, & ad hyemem exiccati perueniunt, unde (ut docet) biliosis non confert.

Quod ita legitur, in hac parte, exiccantur enim atq; ad hyemem minime laxi perueniunt, sed exiccati, nos potius interpretandum iudicamus humidi, uel flaccidi, quam laxi, nam græcus contextus habet ξηραίνονται γὰρ, καὶ ἐς τὸν χειμῶνα ἀφικνεῦνται, οὐ πλαδῶντες ἀλλ' ἀνεξηραμμένοι. idest, exiccantur enim atq; ad hyemem minime humidi perueniũt, sed exiccati. Cur autem biliosis illa contingant, quę enarrat Hippocrates, per ipsum Hippocratem in libro De aere, aquis, & locis Galenus edocet.

Quod hic legitur, Crassissima uero, & acutissima linquitur, græce habetur, τὰ δὲ παχύτατον, καὶ δριμύτατον λείπεται. in uno tamen codice legitur δριμύτερον, idest, acutius: Caluus acerrimum interpretatus est.

QVARTO, plures alias cõstitutiones esse docet, quas sponte omisit Hippocrates, & tradendi methodum ostendit, nos aũt amplioris doctrinę gratia, omnes in numerũ & ordinẽ disponemus. Primo, quatuor anni tempora, suas proprias tẽperaturas seruent.

Ver calidum sit & humidum, supra suam propriam temperaturam, & alia tempora proprias naturas seruent. Ver sit calidum supra modum, humidum æqualiter, & alia tempora suam naturam seruent. Ver sit frigidum & siccum, & alia tempora suam naturam seruent. Ver sit frigidum, in sicco & humido temperatum, & alia tempora suam naturam seruent. Ver siccum sit in calido & frigido temperatũ, alia tempora suam naturam seruent, hinc habes sex uariationes solius ueris. Aestatem eodem modo uariare oportet, ut de hyeme dictum est, alijs temporibus firmis in suis temperaturis manentibus, propterea & in ipsa sex uariationes erunt. Autumnum eodem modo uaria, alijs temporibus firmis manentibus. Hyemem eodem modo uaria, alijs temporibus firmis manentibus. Deinde uer & æstatem coniunge secundum omnes uariationes quæ fieri possunt in quatuor qualitatum distemperantijs, Autumnus uero & hyems in sua temperie permaneant. Deinde æstatem & autumnum eodem modo coniunge.

Deinde autumnum hyemi simili modo iungamus, Deinde hyemem ueri eodem modo, Deinde uer autumno, Deinde æstatem hyemi. Post hæc uer æstati & autumno secundum omnes distemperantias quę fieri possunt, coniunge, hyeme suam naturam seruante Deinde æstatem, autumnum, & hyemem eodem modo coniunge.

Deinde autumnum, hyemem, uer, Deinde hyemem, uer, ęstatem.

Postea distemperantias omnium quatuor tempora enumera, & ut uariabuntur, ita tu uaria, & tot membra facito, ac separate describito. Galenus autem promittit hæc omnia in libro de aere, aquis, & locis pertractare, quando illum Hippocratis librum interpretabitur. At hunc Galeni librum non habemus, ignotumq; est, an librum De aere, aquis & locis cõmentatus sit, licet commentari promiserit, & Hippocrates paucissima de hac materia tractauit, & illa quidem ut exemplum potius essent, quàm uera & exquisita rei pertractatio.

QVINTO à Galeno de diuersis terrę locis sermo efficitur, ut temperatas, atq; intemperatas regiones edoceat, necnon de uarijs anni temporibus agit. hoc autem facit, quia superius dictum est, hæc quæ ab Hippocrate dicuntur, in locis terræ habitabilibus temperatis intelligenda esse. propterea illa Thraciæ loca excipit, quę à mari distant, quia non solum temperata non sunt, sed in frigiditate atq; humiditate modum excedunt. unde Pomponius Mela capite primo secundi libri de Thracia loquens dicit, Regio est nec cœlo læta, nec solo, & nisi quà mari propior est, infœcunda, frigida, eorum quę serũtur, maligne admodum patiens, Raro usquã pomiferã arborem, uitem frequentius tolerat, sed nec eius quidẽ fructus maturat ac mitigat, nisi ubi frigora obiectu frondiũ cultores arcuere. uiros benignius alit, nõ ad speciẽ tamen: nam & illis asper, atq; indecẽs corporũ habitus est. cæterum ad ferociã & numerũ, ut multi immitesq; sint, maximè ferax. pars Europæ est in nona Europę tabula à Ptolemęo descripta, Byzãtium urbem habet, nũc Constantinopolim appellatam, sed hæc iuxta mare est, ideo magis temperata, quam Bizia Tonzos & Cabila, quæ sunt Thraciæ urbes à mari longe distãtes. nã humiditatẽ & frigiditatẽ mirã habet, propterea intẽperata loca sunt, de quib. in his aphorismis nõ intelligit

Hippocra-

Hippocrates. Addit & Galenus, de calidissimis locis nõ intelligere Hippocratem, qualia sunt illa, quæ in Aegypto & Libya caliditate, & siccitate exuperant, his etiam demptis quę iuxta mare sunt. in Libya enim & Aegypto sabulosa loca inueniũtur, quę adeo arentia sunt, ut nihil progignere possint, imò æstuãt: loca uero quę iuxta mare situantur, quia à septentrione afflantur, temperiem habẽt, ut est Alexandria Aegypti, quæ nõ multum in caliditatẽ inclinat. Scito aũt cum à Galeno dicitur, temperata regio, nõ est opus in omni tẽpore hoc intelligere, sed quod tẽpora suã naturã seruent, & nõ habeant unam qualitatem in summo. in Thracia uero loca quæ sunt circa mare, humilia sunt, ideo calidiores temperaturas habent, & ratio in promptu est, quia à meridionalibus uentis agitantur, à septentrionalibus minime, quia sunt humilia loca, quæ à montibus defenduntur, ne à septrionalibus uentis perflari possint. Hic Galenus putat zonam exquisite temperatam, uel parallelum, (ita enim appellant ϕίλοι τῶν ἀστρονομικῶν, ut habet contextus Græcus, non astrologi, ut interpretatur Leonicenus) exquisite temperatum eum qui per Gnidum & Coum transit. nam est medius orbis terrarum. in hac parte desunt duo uerba, quæ in meo antiquo codice scripta sunt, in Aldino absunt, ἀνατολῆς καὶ δύσις. idest, ortus & occasus, ut hic sensus fiat, zona uero exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum ab ortu ad occasum, est quæ per Gnidum & Coum fit. Græca autem continuatio talis esse debet, ἡ δὲ ἀκριβῶς εὔκρατός τε καὶ μέση ζώνη τῆς οἰκουμένης ἐστιν, ἀνατολῆς καὶ δύσις. An uero parallelus per Gnidum & Coum temperatissimus sit, dubitare cõtingit, quia hic est ille parallelus, qui à Ptolemæo per Rhodum appellatur, in prima Asiæ tabula descriptus, & est decimus parallelus, qui ab æquinoctiali differt per duas horas & dimidiam, maximã diem horarum quatuordecim & dimidiæ habet. Rhodus in Lycia est, ut etiam Pomponius docet libro secũdo capite quarto, Gnidus ac Cous in Caria, in longitudine differunt, quia diuersos habent meridianos, nam Gnidus urbs in longitudine gradus 56. minuta 15. habet. Cos insula in longitudine gradus 57. minuta 0. Rhodus uero insula in longitudine gradus 57. minuta 20. habere dicitur. At in latitudine, quæ est distantia à meridie ad septentrionem, Cos & Gnidus in gradibus nõ differunt, sed in minutis, quia Gnidus in latitudine gradus habet 36. minuta 0 Cos eodem modo gradus 36. habet, minuta 20. Rhodus uero in latitudine gradus 35. continet, minuta 20. Hæc autem omnia in quarto Climate sunt, ut ex Ptolomæo in prima Asiæ tabula patet. Galenus hoc Clima temperatissimum esse arbitratur. nam & is parallelus temperatissimus est, quod in secũdo libro Salubrium idem Galenus iterum repetit inquiens, id temperatissimum est, quod est exacte medium, ut Hippocratis patria, quæ æstate & hyeme est temperata, multoq; magis uere & autumno. Albumazar & multi alij in hac opinione Galenum secuti sunt, & præsertim Auicena, qui totis uiribus probare contendit, post æquinoctialis habitationem, quarti climatis habitationem omnibus alijs perfectiorem esse: etenim non uruntur ut qui in primo climate: nec ualde calescunt, ut in secundo, & tertio: nec multum frigescunt, ut illi qui sunt in fine quinti, aut deinceps. Auerrois omnes ita sentientes reprẹhendit in secundo libro sui uoluminis, quem inscripsit Colliget, quoniam homines quinti climatis sunt temperatiores, quod ex colore faciei, & capillorum colore suadet, propterea alijs temperatiorem iudicat, imò & Aristoteles secundo Meteororum libro, quartum & quintum climata omnibus alijs præmittit, tanquam temperatiora. Aristoteles tamen uidetur potius quartum clima probare, quia secundo Meteororum Græciam temperatam esse fatetur, quę tamen sub quarto climate pro maiori parte contineri uidetur, imò dicit illas esse terras naturales in calore, quæ in latitudine medię sunt, ut Gręcia est. De hac autem re quid dicere oporteat, ambiguum satis est. nam Rhodus quæ dat nomen parallelo, est insula calidissima, tamen est in quarto climate, in qua nisi essent uenti septentrionales, & Etesiæ, quæ per æstatem spirarent, illi qui Rhodum inhabitant, deficerent. Equites Hierosolymitani Galli & Itali non poterant æstatis ingentes ęstus ferre. Si etiam omnes alias urbes, quę sub illo parallelo sunt, considere mus, adeo calidas esse deprehẽdemus ut temperamentum longe effugiant. Sunt autem sub illo parallelo plurima loca ęgregie calida, in Peloponneso & Cilicia, imò si uniuersum quartum Clima consideremus, quod διὰ ῥόδου, idest, per Rhodũ nuncupatur, multa loca

loca inueniemus, quę temperiem excedere certissime scimus. nam à quarto climate pars Mauritanię comprehenditur, Vtica, Carthago, Thimisa, quam postea Tunetum, nunc uulgo *Tunici* nuncuparunt, Itali multi & Ferrarienses aliqui, quanto calore & quanta siccitate premerentur, suo magno incommodo nouere, cum 1535. Carolus imperator quintus in Aphricam nauigauit, ut Tuneti regem in regnũ reponeret, quod deo duce effecit. unde quæ Barbaria uulgo dicitur, & pars Aegypti sub hoc climate continentur, quas tamen calidissimas partes esse constat: imò una Italiæ pars sub eodem climate est, ubi Sibaris iacet, ubi Consentia & pars magnę Græciæ, ubi Crotoniates, ubi Leucopetra promontorium, quod uulgo *la punta de Otronto* nuncupatur: constat omnes has partes calidissimas esse, & earum incolas ob calorem multa perpeti, imò quinti climatis ingens pars quę magis frigida esse deberet, adeo calida est ut à paucissimis colonis habitetur, qualis Apulia, & Corsicæ magna pars ingentem calorem persentit. propter hæc nõ putamus parallelum per Gnidum & Con temperatiorem esse, quàm quilibet alter qui sit in toto mundo, imò nos multa loca hoc parallelo temperatiora esse arbitramur. propterea in hunc modum nos hanc rem aggrediemur: causa ob quam aliqua loca alijs temperatiora, uel intemperatiora sint, non est solum æqualis distantia septentrionis ad austrum, sed etiam situs, ratione montium, maris, & ratione qua alicui uento magis exposita sunt: & ideo absolute non profero ut aliqui recentes fecere, sextum clima magis temperatum esse quarto, at dicimus loca aliqua in quarto climate ob situm temperata esse, ut Gnidus & Cos, in quinto etiã temperata sunt, & in sexto, & aliqua distemperata, & multum frigida in sexto, tamen ratio Harmonica suadet loca posita in medio quarti, idest, distantia utrinq; gradibus 45. esse cæteris temperatiora: licet aliquæ particulares causæ possunt eam temperiem interpellare, & re uera interpellent, ut experientia ipsa ostendit. Quod uero clima quartum inter austrum & septentrionem medium non sit, ex hoc haberi potest, quia in latitudine est graduum trigintatrium, & quadraginta minutorum, tota autem sua latitudo est à gradu trigesimotertio & quadraginta minutis, usq; ad gradus trigintanouem præcise, sed tota hæc terrę latitudo est 3733. stadiorum, quæ distantia ab austro est, ideo quartum clima à Polo Boreo secundum suum finem, per gradus quinquaginta unum distat, propterea in medio non est. Adde, climata duodecim esse, licet communiter septem solum enumerentur, quæ habitabilia sunt. unde absolute intelligo, & nunc me ipsum explanare uolo, dici non posse, quartum clima temperatissimum esse, & parallelum per Con & Gnidum temperatissimum, quoniam sub illo multa intemperata loca inueniuntur: tamen hæc duo loca Cos & Gnidus temperata sunt, idest, anni tempora suas naturas seruant. nam locus temperatus nõ dicitur, quia per totum annum in qualitatibus præcise temperiem habeat, sed quoniam quatuor anni tẽpora à suis proprijs qualitatibus non uariant, quando non sunt alterata.

Post hæc Galenus ordinem temporum secundum Hippocratem edocere studet, qui inquit ortum pleiadis principium esse ęstatis. Plinius capite uigesimosexto libri decimioctaui dicit secundum Cæsarem Vergilias oriri mane scilicet cum sole (est autem ortus cosmicus, idest, ratione mundi) sexto idus Maij, nos in pręsentiarum inter duodecimam & decimamtertiam diem Iunij æstati initium damus.

Canis ortus oporam facit. respectu Ferrariæ canis oritur circa decimamquintam diem Iulij à Gręcis procyon nuncupatur, quamuis Galenus hic simpliciter dicat κύων, idest, canis, Romani (ut Plinius capite uigesimotertio libri decimioctaui inquit) caniculam uocant, oritur cum sol primam partem Leonis ingreditur, id fit circa decimamquintam diem Iulij, uel modicum prius. Galenus in duas partes æstatem distinguit, in primam partem, & in illam, quæ à Gręcis ὀπώρα uocatur, quod nomen apud latinos etiam opora est. sunt uero qui non ὀπώραν partem æstatis (nam uere ὀπώρα à gręcis dicitur Autumnus) sed ὥραν dicendam putent. unde & à græcis ὡραῖοι fructus proprie ęstiui dicuntur, & forte Leonicenus quum fructuum generationem dixit, ὥραν non ὀπώραν intellexit, tamen gręci authores pæonię artis proceres, hoc nomine opora, in hoc sensu passim utuntur: dubium uidetur quodnam tempus hoc sit, quod oporam nuncupant. nam plures sunt qui autumnum esse contendunt, hic Galenus æstatis partem oporam facit, & illam inquam quæ est post canis ortum. Leonicenus uero interpretatus est oporam, idest, fru-

ctuum ge-

ctuum generationem. Græci authores sunt qui ὀπώραν primum autumnũ significare uolunt, quo tempore uua, ficus, & alia huius generis maturescunt. Paulus Aegineta lib. primo hęc uerba habet, τὰ μὲν σῦκα καὶ σταφυλαὶ οἷον κεφάλαια τῆς ὅλης ὀπώρας εἰσίν. idest, ficus quidem & uuæ, ut principia totius oporæ sunt. De ficubus constat quod ante autumnũ maturescunt, quamuis & aliqui ad autumnũ perueniant. eodem modo aliquę uuæ post Canẽ maturescũt, & priusquã ad autumnũ accedamus, sed in uuis & ficubus hæc differentia est, quod maior uuarum pars in autũno maturescit, minor ante autumnũ: maior uero ficuum pars in ęstate, minor in autumno maturescit: tamen & hoc uocabulum opora fructus ipsos etiam significat, imò apud Græcos talis fructuum differentia inuenitur, quod hi opora, illi ἀκρόδρυα nuncupantur. opora fructus sunt qui nihil habent lignosum exterius, ut Persica, pira, poma: ἀκρόδρυα è contrario ligneo cortice induuntur, qualia nuces, auellanæ, castaneæ. hic Galenus oporam pro tempore accipit, quod est secunda pars æstatis. Addit deinde Galenus, orientem Arcturum autumno initium facere, oritur autem (ut Plinius capite quadragesimoseptimo secundi libri testatur) undecim diebus ante æquinoctium autumni. est uero Aequinoctij principium circa decimam tertiam diem septembris, propterea in principio, uel circa principium septembris oritur Arcturus. Occasus Pleiadum hyemi initium facit, propter hoc Plinius libro secundo, capite quadragesimoseptimo inquit: post id æquinoctium (scilicet autumnale) diebus ferè quatuor & quadraginta Vergiliarũ occasus hyemẽ inchoat, quod tempus in tertium idus nouembris coincidere consueuit. In æquinoctio post hyemem est principiũ ueris, nunc inter duodecimã & decimam tertiã diem Martij inchoare potest. Plinius præcitato loco inquit: uer ergo aperit nauigantibus maria, cuius in principio fauonij hybernum molliunt cœlum, sole aquarij uigesimam quintã obtinẽte partem. is dies sextus est ante februarias idus, Ipse igitur alteram diem ponit, quàm superius nos fecerimus, & quàm Galenus assignet.

APHORISMVS XV

EX anni autem constitutionibus, quod in totum dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

BRASAVOLVS

VNICVIQVE etiam mediocriter erudito hic Aphorismus patere potest. etenim si in omnibus qualitatibus caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate æqualitas sit, hic annus saluberrimus erit. Si aũt acciderit unam harum qualitatum excedere, puta humiditatem, aut siccitatem, siccitas semper est magis salubris, & minus mortifera humiditate: & ideo siccitates humiditatibus continue præferendæ sunt. nam humiditates putredinis, siccitates cõseruationis causæ sunt. unde Aristoteles primo Problematũ libro, problemate uigesimoprimo quærit, cur annus pestilens tunc inuadit cum sol multum uaporis de terra excitat. Respondet, quia tunc annus humidus pluuiusq; significetur necesse est, terramq; madescere necessariũ: fit igitur ut quasi locis palustribus grauibusq; proinde immutetur, & corpora quoq; multis tunc excremẽtis redundare necessarium est, ita ut ægrotandi materiã habeant in æstatem. Vides hic Aristotelem causam corruptionis ex humiditate posuisse.

τῶν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ. idest, Constitutionum autem anni.] Vel (ut Leonicenus) ex anni autem constitutionibus. Celsus interpretatur καταστάσιας tempestates, unde Hippocrates per anni tempestates, idest, per dispositiones temporum anni in suis qualitatibus, quid iudicandũ sit docet. Hæc autem pars, Ex anni constitutionibus, plurium aphorismorum consequentium inscriptio esse uidetur, sicuti etiã in principio undecimi aphorismi illam inscriptionem proposuit, De temporibus. in hoc igitur loco, ex statu partium anni in qualitatibus & in uniuersali, præsertim in passiuis, quid futurum sit iudicat. Philotheus hoc in loco differentiam ponit inter κατάστασιν, idest constitutionem, & μεταβολήν, idest mutationem, inquiens, κατάστασις μεταβολῆς οὕτως διαφορεῖ. ὅτι ἡ μὲν

κατάστασις βραχυχρόνιός ἐστιν, ἡ δὲ μεταβολὴ πολυχρόνιος. οἷον ὅταν παραδείγματος, ἐὰν. ξ. ἡμέρας τυχὸν τὸ θέρος ὑπογράφηται, εἰ ὅλον τοῦτο ἀλλοιωθῇ ὅταν τὸ ψυχρότερον, μεταβολὴ λέγεται. αἱ δὲ μόνον τυχὸν δέκα ἡμέραι, ὅταν τὸ ψυχρότερον τραπῶσιν, αἱ δὲ .ν. τὴν τοῦ θέρους κρᾶσιν φυλάξωσιν, κατάστασις ὀνομάζεται. εἶτα τὸ ἀνάπαλιν, ἐὰν. ν. ὑπὸ τὸ ψυχρότερον τραπῶσιν, αἱ δὲ δέκα ὅταν τὸ κατὰ φύσιν ἔχῃ. idest, Constitutio à mutatione sic differt, quod constitutio breuitemporis est, mutatio autem multitemporis. ut exempli gratia dicam, cum æstas sexaginta diebus describatur, si totum hoc in frigidius sit commutatum, mutatio dicitur: si autem decem solum dies acciderint in frigidius mutati, quinquaginta autem æstatis temperaturam seruauerint, constitutio nominatur: deinde è contrario, si quinquaginta in frigidius mutati, decem autem secundum naturam sint.

Τὸ μὲν ὅλον, idest, Quod in totum dixerim.] uel ut omnia comprehendam. Non est astr intelligenda hæc pars, ut recentes intelligunt, qui ad diuersas partes ipsam applicant, sed hic est sensus ut uniuersaliter dicam, & nunc ad particularium temporum constitutiones non transeam. hoc est dictum in totum, idest, in uniuersum.

Οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβριῶν εἰσὶν ὑγιεινότεροι, idest, Squallores imbribus sunt salubriores.] Vel dicamus, siccitates, quoniam ut in præcedenti aphorismo docuit, idem sunt αὐχμὸν & ξηρὸν, idest, squallidum & siccum, tamen squallidum aliud quiddam ex siccitate contractum significat; unde squallidum esse non potest nisi siccum sit, propterea squallor est siccitate intensior. est uero siccitas salubrior, quia duæ superfluitates continuo in nostro corpore generantur, aquosa quędam, quę per totum corpus sanguinē defert, & crassior tamen humida; hæ superfluæ humiditates in temporibus siccis exiccantur: in humidis uero, in eodem statu permanent, & potius augentur. hæc est Galeni causa cur siccitates humiditatibus salubriores sint. sed tu addas, & ob id salubriores esse, quia tot humores non generantur, & qui iam geniti sunt, corriguntur, & siccitas à putredine liberat, quam humiditas inducit. Illo autem uocabulo ἐπομβρίων, idest, imbribus usus est, ut magnam humiditatem annotaret.

Καὶ ἧσσον θανατώδεες, idest, Et minus mortiferæ.] Quia plures ex humiditate, quàm ex siccitate moriuntur. nam humiditas putredinum causa est, cum siccitas cōseruatiua sit, unde & Philotheus hic dicit κατὰ δὲ τὰς ἐπομβρίας ὕδατα τοῦ σώματος ἀθροιζόμενα σήπεται, καὶ σηπόμενα χαλεπὰ τίκτουσι. idest, Secundū autem humiditates, superfluitates in corpore collectæ corrumpuntur, & corruptæ molestos affectus pariunt. At si commentum sequens adduxeris, in quo dicitur, omnes morbos præter phthisin in siccitatibus fieri, ideo siccitates magis morbosæ uideantur. Respondemus, & si recentes hoc uelint, dicantq; siccitatem per se meliorem esse, per accidens uero deteriorem: hoc autem nobis non satisfacit, qui absolute & simpliciter arbitramur, siccitates humiditatibus salubriores esse: argumentumq; ex prauo Galeni intellectu prosequitur, qui in sequenti commento non dicit, omnes morbos præter pthisim in siccitatibus fieri. sed hæc sunt eius uerba, ad siccam uero constitutionem, quæ secundum caliditatem & frigiditatem naturaliter se habet, omnia alia magisquā tabitudines consequuntur. unde Galenus in hoc loco intēdit edocere, in siccitatibus tabitudines fieri impossibile esse, & hūc ferè sensum facit, quod ad siccā constitutionē potius omnes alij morbi sequātur, ꝙ tabitudines: & ideo nō dicit ꝙ sequantur omnes morbi, sed quod potius alij morbi etiā qui non fiunt in siccitatibus, in ipsis fierent, quàm pthisis, non tamen quod omnes in siccitatibus fiant.

Dubitabis etiam quia superius octauo commento dictum est, Autumnum pluuium esse magis sanum quàm siccum, Respondemus, intelligendum esse, non pluuium, in quo adeo pluat, ut in humiditate distemperatus efficiatur, quia in hoc casu peior esset: sed intelligit ad id usque pluuium, quod pluuiæ siccitatem illam naturalem autumni contemperent. Si forte iterum dubitabis, siccitates humiditatibus peiores uideri, quia uita in humido consistit, unde siccitas, quæ humido contraria est, etiam uitæ contraria esse uidebitur. Respondemus, siccitatem extremam, uitæ omnino contrariam esse, sed siccitas, quæ tempori conuenit, ideo bona est, quia humiditates superfluas resoluit. Nec ab ista difficultate abstinēdum uidetur, quod multo peiores in siccitatibus generentur, quàm in humiditatibus. nam biles generantur, ex quibus & acutiores morbi fiunt, ut in octauo Aphorismo dictū est. Respondemus, in siccitatibus morbos quidem

acutiores

acutiores fieri sed pauciores, imò & paucissima materia in siccitatibus fit, quæ & si acutum morbum pariat eum tamen cito resolubilẽ facit, & qui nõ ita diu uexat ut perimat: sed in humiditatibus multi humores generantur, qui putrescentes ob suam copiam, & quia longas ægritudines pariunt, interficiunt.

GALENVS

QVOD melius fuisset inter antea scriptos aphorismos, in quibus agit de temporum constitutione, hunc primum scribere aphorismum, quem nunc præ manibus habemus, ex ipsis rebus didicimus, quoniam ad confirmandos priores aphorismos hoc etiam eguimus, Et hoc ex necessitate didicimus, quoniam prius est natura, atq; doctrina, simplex composito. Post illum igitur aphorismum cuius initium, Haustri hebetantes auditum, caliginosi, caput aggrauantes, pigri, dissoluentes, Primo loco ponemus illum, cuius principium: Quotidianæ constitutiones, aquiloniæ quidem corpora in unum cogunt. Secundo loco hunc nunc propositum, in quo ex omnibus anni constitutionibus siccitates imbribus anteponit, & hoc cum ratione. Nam in siccitatibus superfluę humiditates dissoluuntur, per imbres autem intra corpus collectæ putrefiunt, nisi quis singulis diebus collectas exercitijs expurget. Quę enim fit per balneas euacuatio parua est, & solam ferè cutem euacuat. Quę autem sunt per carnem, & partes solidiores dispersæ superfluitates, haud sufficienter ex balneis euacuantur, neq; tamen ea quæ fit per purgantia pharmaca superfluitatũ euacuatio, idonea est. Nam ualde indigentibus, & ex longis interuallis, utilis est. Earũ uero quæ quotidie generantur in corpore superfluitatum, euacuatio minor est, quàm ut exigat purgantis pharmaci operationẽ. Si uero quispiam uoluerit bis mense, aut semel saltem ea uti, ueritus ne superfluitatũ multitudo aggregetur, præter id quòd nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinẽ. Alimenti siquidem pars una derosa est, quę ipsi gratia distributionis admiscetur. Altera ueluti fuliginosa superfluitas quæ in pluribus cibis, quæcũq; sunt peiora cõtinetur, quæ naturæ operationem subterfugit, cum neq; assimilari corpori quod nutritur, neq; agglutinari queat. Hę igitur omnes diebus singulis sunt euacuandæ, uerũ magis in siccis constitutionibus euacuantur, quàm in humidis, atq; ideo has dixit esse salubriores.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus quorundam aphorismorum ordinem assignat, nempe uult, ante istam partem de temporibus, illum aphorismum positum esse: austri auditum hebetantes, qui in ordine quintus est: deinde ille sequatur, Quotidianæ cõstitutiones, qui est decimusseptimus in ordine, & sextus efficiatur, postea pręsens aphorismus sequatur, qui est decimusquintus & septimus fiat: De temporibus: deinde secundum pręscriptum ordinem sequatur, & hoc non ab re, quia res simplex prior est natura & doctrina composita, præsertim si genus id doctrinæ per causas fiat. Quod aũt scriptũ est, & hoc ex necessitate didicimus, in Græcis codicibus secundũ duas lectiones inuenitur, nempe Aldinus codex ita habet, ἐκ τῶν δὲ ἀνάγκης ἐμάθομεν. & ita Leonicenum in suo contextu habuisse certum est, sed antiquus codex, quem habemus, aliter legit, hoc inquã modo, καὶ τῶν δὲ ἀνάγκης ἐπάθομεν, idest, & hoc ex necessitate passi sumus.

SECVNDO Galenus aphorismi rationem assignat, quia in siccitatibus humiditates superfluæ resoluuntur, per imbres uero crescũt, & aceruantur, nisi quis singulis diebus euacuetur, adeo ut nullo modo humores aggregentur: hęc aũt diuturna euacuatio difficulter exercetur. At quia una uia adest, quæ est exercere corpus, hæc uia semper fieri nõ potest: si quis aũt per balnea hoc efficere tentet, qualibus quotidie antiquitas uti solebat, hic euacuare nõ poterit: quia balneorũ euacuatio pauca est, & nihil per ipsam nisi quod superficiale est & cutaneum euacuatur, per balnea uero talia Galenus intelligit, quibus sudor prouocatur. nam ex his & per sudorẽ, & per insensibilẽ euacuationẽ euacuamus. Quod si dicas, Galenũ in secundo lib. Balneũ inter uniuersales euacuationes posuisse. Respondemus, inter illas posuisse, quę extrinsece à toto corpore euacuãt, nõ tamẽ intrinsece: nec ipsum exercitio cõparare conuenit, quia exercitiũ illas etiam humiditates resoluit quæ intrinsecus sunt, id uero à balneo fieri non potest. nam superfluitates quæ in solidioribus partibus sunt, non resoluit, aut istud saltem sufficienter non facit. At si dixeris illam materiam pharmacis quotidie euacuandam esse, Galenus hoc agendum non esse

monet, quia quotidie medicamentis uti non debemus, imò solis ualde indigentibus præbenda sunt, & ex longo interuallo. Tu igitur medice, qui probitati studes, nota, nota inquam, & ne mente tua excidat, quòd pharmaca non sunt danda nisi ualde indigentibus, nisi ualde indigentibus. noli igitur pro omni re minima ad purgantia medicamenta recurrere, imò & si indigeant, raro, raro inquam, exhibenda sunt. Id uero scire oportet, hæc medicamenta non esse Rhabarbarum, Cassia, Manna, Thamar Indi, Aloe, sed illa scammonium, colocynthis, elleborus. Superfluitates preterea, quæ in nostro corpore generantur, tot non sunt, quod purgante medicamento indigeant. Aliquis autem dicere poterit, ne hæc materia in nostro corpore colligatur, bis in mense, aut semel euacuandum esse. hoc etiam à Galeno prohibetur, quoniam & hoc nocebit: uires etenim debiliores reddet, solida membra extenuabit, & in maciem ducet: præter hęc autem, corpora in malam consuetudinem ducet. nam hunc hominem in hoc deducet, quod opus erit ut id semper efficiat, aliter si quandoq; prætermiserit, uehementius aggregata materia nocebit. Hoc igitur scito, atq; rescito, neq; ullo momento abs te fugiat, frequentare medicamenta purgantia pessimũ esse: tamen nihil est quod impediat, te his frequentius uti, Rhabarbaro, manna, cassia, quam aliàs longam siliquam appellauimus, Tamarindis, sena, aloe, nam medicamenta non sunt.

TERTIO Galenus Aphorismi expositionem perficit, notans ex alimento duas superfluas partes sumi, serosam unam, & alteram fuliginosam, quę in pluribus cibis continetur, & tanto magis abundat, quanto cibi peiores sunt. hæc superfluitas in natura nullum officium habet, quia nec corpori nutrito assimilari potest, nec agglutinari. serosa uero superfluitas officiũ habet ducendi sanguinẽ per uenas ad totum corpus, deinde nihil habet officij, quoniã nec ipsa nutrire, nec agglutinare potest. In nostro igitur corpore hę duæ superfluitates continentur, & illæ sunt quę quotidie euacuari deberẽt: in siccis constitutionibus maximè resoluuntur, in humidis minime: propterea ab Hippocrate dictũ est, siccitates humiditatibus esse salubriores. Adde tu, nõ solum ob harũ superfluitatum resolutionẽ esse salubriores, imò & propter humidos humores, qui in humidis cõstitutionibus in nostro corpore fiunt. Quod uero legitur, alimẽti siquidẽ pars una serosa est, in hoc loco deest hæc particula, & humida, quoniã in græco cõtextu ita habetur, τῆς γάρ τοι τροφῆς, τὸ μὲν, οἷον ὀῤῥῶδες ἐστὶ καὶ ὑγρόν. idest, Alimenti quidem, hoc tanquã serosum, & humidum. Id etiam, quod ita scriptum est, quæ naturæ operationem subterfugit, legere oportet, & naturæ, non quæ naturæ. nam Græce habetur καὶ διαφεύγει τὴν ἐργασίαν τῆς φύσεως, & effugit operationem naturæ.

APHORISMVS XVI

MOrbi in pluuiarum multitudine, magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, quos apoplexias græci uocant & anginæ. In siccitatibus autem tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum.

BRASAVOLVS

IN omni anni tẽpore simpliciter, uel in duobus, uel in tribus, uel in omnib. si pluuiarũ multitudines sint, hi morbi quos describet, ut plurimũ consequũtur, lõgę febres, alui profluuia, putredines, epilepsię, apoplexię, anginæ. Si uero omnia anni tẽpora, uel unũ uel duo, uel tria sicca sint, tabitudines fiunt, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia urinę, & intestinorum difficultates. hę igitur ęgritudines humidam distemperantiã consequuntur, & siccam, & hoc ut plurimum, & alia secundum proportionẽ, ut Galenus in cõmento edocebit. Conueniens aũt fuit in genere has ægritudines quæ ab his qualitatibus dependent, pertractare, cum ut eas prædicere sciremus, tum ne quis ex pręcedenti aphorismo id putaret, siccam constitutionem adeo humidam in sanitate excedere, ut in sicca suæ ægritudines non sint. propterea Philotheus uoluit hunc Aphorismum

pręcedenti

præcedenti coniunctũ esse, inquiens, ὅτ⊕ ὁ ἀφορισμὸς συνεχὴς ἐστι τοῦ πρώτου, ὡς ἐν⊕ γὰρ ἐρωτῶντ⊕, ποῖα εἰσὶ νοσήματα, ἃ τίκτουσιν αἱ ἐπομβρίαι, ποῖα δὲ τίκτουσιν οἱ αὐχμοί. idest, Hic aphorismus coniunctus est præcedenti, tanquã quodam interrogante, quales sunt morbi, quos humiditates pluuiales pariũt, quales aũt quos pariunt squallores: ἐπάγει λέγων. idest, inducit scilicet dissolutionem per hunc aphorismũ Hippocrates dicens, fieri febres acutas, & reliqua. Celsus capite primo secundi libri hunc aphorismum interpretans, de siccitate primo sermonem habet inquiens, in siccitatibus acutæ febres, lippitudines, tormina, urinę difficultas, articulorum dolores oriuntur. per imbres longę febres, alui deiectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio neruorum, quam παράλυσιν Græci nominant. Addit pręterea unum Celsus quod ab Hippocrate positum non est, illud inquam. Neq; solum interest quales dies sint, sed etiam quales ante præcesserint.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῆσι ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται. idest, Morbi autem in imbribus, uel per imbres (ut Cornelius dicit) magna ex parte fiunt.] Huic loco istum sensum assignare possumus, hanc partem à sequenti distinguentes, sitq; sensus, morbi ut plurimum in pluuiarum multitudine generantur, per morbos absolute & simpliciter morbos intelligentes, non determinantes nos ad particulares ægritudines: deinde alij particulares morbi sequantur, ut longæ febres, alui deiectiones, & alij qui scripti sunt. uel hanc partem consequenti iungamus, sensumq; faciamus, morbi autem hi in pluuiarum multitudine ut plurimum fiunt scilicet, febres longæ & reliqui. in hac enim humida constitutione omnes morbi generari possunt, tamen hi potissimũ sunt, qui frequentissime generãtur, quoniam ex ipsa humiditate fiunt, quę tunc uiget. opus enim est tale tempus intelligere, in quo frequentes pluuiæ descendant.

Πυρετοὶ δὲ μακροί. idest, Febres autem longę.] Aldinus codex ita habet, sed antiquus quem habeo, πυρετοί τε μακροί. idest, febresq; longę. si τε, idest, &, legerimus, & non δὲ, idest, autem, duas partes huic Aphorismo facimus: una erit, morbos imbribus fieri: alia, quod fiunt & febres longæ. fiunt autem longæ febres, quia humana corpora humiditate implentur, quæ facile putrescit: ea uero putrefacta, cum crassa, glutinosa, & densa sit, ad hoc ut resoluatur, multo tempore indiget. propterea longæ febres gignuntur, ὅτι ἡ ἐπομβρία (ut dicit Philotheus) φλεγματικὸν καὶ ῥοώδη τίκτει χυμόν. ὅτ⊕ ὁ χυμὸς εἰ σήπεται καὶ πυρετοὺς μακροὺς ἐργάζεται. πολλὴ γὰρ ὑγρότης οὐδέποτε ἀπὸ τοῦ σώματ⊕ διώκεται. idest, quoniã humiditas pituitosum, & fluxum humorẽ parit. hic autẽ humor corrumpitur, & febres longas facit. multa enim humiditas non potest à corpore depelli.

Καὶ κοιλίης ῥύσιες. idest, Et alui profluuia.] Celsus interpretatur, & alui deiectiones, quod melius uidetur, quàm interpretari profluuia. nam profluuiũ unum ex tribus generibus significat, dysenteriam inquam, diarrhiam, uel lienteriã. At in humiditatibus necesse non est, unam illarum trium profluuij specierum fieri, sed necessario aluus solum mollior efficitur. propterea frequentius deijciunt, unde Celsus non ab re dixit, alui deiectiones: propter humiditatem, quæ partes, & uias lubricas reddit.

Καὶ σηπεδόνες. idest, Et putredines.] Quia humiditas putredinum causa, & tanquam mater existit, propterea in humiditatibus alia etiam uidemus præter nostri corporis humores putrescere. Antiquus ille contextus qui apud me est, nõ legit καὶ σηπεδόνες, sed ἢ σηπεδόνες. idest, uel putredines, ut in hoc fere incidat, alui deiectiones facit, uel putredines facit, quas circa aluum etiam intelligere possemus, tamen putredines absolute intelligendæ sunt. exponit uero Philotheus putredines, idest, difficultates intestinorum inquiens καὶ οὐ μόνον διαρροίας ἀποτελεῖ, ἀλλὰ καὶ σηπεδόνας, τουτέστι δυσεντερίας. idest, & non solum diarrhias inuehit, sed & corruptiones, hoc est dysenterias. hac autem re non contetus addit: ἀλλ' εἰ μὲν ἄσηπτος κατέρχεται ἡ ὕλη, τὰς διαρροίας ποιεῖ, σηπομένη δὲ δυσεντερίας. sed si materia incorrupta descendit, diarrhoeas facit: corrupta uero, intestinorum difficultates, idest, dysenterias.

Καὶ ἐπίληπτοι καὶ ἀπόπληκτοι. Et morbi comitiales & attoniti.] Dictum est à nobis superius aphorismo quadragesimosecundo & quadragesimoquinto secundi libri, quod hi duo morbi in eodem membro fiunt, & ab eadẽ materia, & quod materia faciens ut plurimum pituitosa est. In hoc autem pluuioso tempore multa pituitosa materia generatur, quæ hos morbos facile afferre poterit. Celsus de apoplexia nihil dicit, sed inquit, Morbi

comitiales, resolutio neruorum, quam παράλυσιν Græci nominant. tamen & hic etiam morbus in imbribus fit, quamuis antiquissimi græci apoplexiam dicentes paralysim intelligerent, propterea apud Hippocratem inuenitur crus apoplecticum. hic uero Philotheus dicit εἰ δὲ παρὰ τὸν ἐγκέφαλον ῥεύσει, ποιεῖ ἀποπλήκτους. καὶ εἰ μὲν πάσας ἐμφράξει τὰς κοιλίας τοῦ ἐγκεφάλου ἀποπληξίαν ἐργάζεται. εἰ δὲ μερικῶς αὐτὸ ἐμφράξει, ἐπιληψίαν ἐμποιεῖ, idest, Si autem ad cerebrum irrepserit apoplecticos facit, & si quidem omnes uentriculos obstruxerit, apoplexiam facit. si uero partiliter obstruxerit, morbum comitialem facit.

Καὶ κυνάγχαι. idest, Et anginas.] Quę ob materias in corpore superabundantes fiunt, præsertim in capite & ad colli partes descendentes. possunt autem & κυνάγχας. idest, anginas, & παρακυνάγχας. idest, iuxta anginas uel falsas anginas inferre. Celsus libro quarto ca. quarto de his sermonē habet, sed à Paulo Aegineta libro tertio capite uigesimoseptimo elucubratius tractātur, ubi quatuor species percurrit, κυνάγχη, παρακυνάγχη, συνάγχη, παρασυνάγχη, latini nomina non habent, Græcis nominibus correspondentia. hæc duo solum apud probatos authores inueniuntur angina, & iuxtangina: fiunt secundum Paulum hoc modo: Quando interiores faucium musculi inflammantur συνάγχη fit, quando exteriores παρασυνάγχη, cum uero interiores gutturis musculi inflammantur, κυνάγχη fit, cum exteriores παρακυνάγχη. Cynanche uero multo peior est quàm synanche, quoniam Cynanche breui suffocat, & qui eam patiuntur canis uocem habent. Hippocrates libro quarto De ratione uictus in morbis acutis (si illa pars Hippocratis sit) inquit: angina fit cum hyeme, aut uere, multa eademq́ uiscosa fluxio ad iugulares uenas descenderit, quæ quidem utpote amplæ, plurimum ad sese spiritum conuellunt, & reliqua. Post hæc de alio anginæ genere tractat, quod ex calidis humoribus fit, de quo in illo loco plura ab eodem authore dicuntur. Nos ad propositum redeuntes dicimus per anginas, synanchas, & cynanchas, parasynanchas, & paracynanchas intelligendas esse, quæ à materia frigida, & pituitosa generantur. Philotheus uero dicit, anginas fieri, ὅτι ὑγρότης ὑπόκειται, ἥτις σηπομένη καὶ διωκομένη ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, ἐπὶ τοὺς μῦς τοῦ λάρυγγος χωροῦσα τῇ λήξει τὴν φλεγμονὴν ἐργαζομένη, τὴν κυνάγχην ἀποτελεῖ. idest, Quod humiditas subiacet, quę corrupta & impulsa à capite per musculos fauciū procedens, morsus inflammationem faciens, anginam perficit. Celsus addit cancros. Re autem uera cancri potius ab humiditate iuuari uidentur, quia eorum materia sicca est & atrabilaria. propterea nos dicimus ob hanc causam illis obesse, quia in humiditatibus multæ putredines generantur, quę cancrum augent.

Εν δὲ τοῖσι αὐχμοῖσι φθινώδεες, Ita habet Aldinus codex. At meus antiquus φθινάδες dicit. sensus autem est, in siccitatibus autem φθίσεις, Leonicenus tabitudines interpretatur. Celsus hoc uerbum prætermisit. in siccis ergo temporibus aut omnibus, aut pluribus, aut uno solo, modo siccitas ipsa præualeat, morbi qui sequentur, fient tabitudines, quod Galeno non placet. nam siccitas tabi confert, & pulmonis ulcera exiccat, & materias etiam, quæ si in corpore perseuerarent, illuc currerent, resoluit. Ideo in siccitatibus tabes, quas φθινώδεες Græci dicunt, fieri posse non uidetur, nisi dixerimus, sicuti apud latinos tabes tria significat, teste Celso, ἀτροφίαν, καχεξίαν, & φθίσιν, ita hoc uocabulum φθίσις quandoq́ apud Græcos hæc eadem significet, & pthisim ipsam quæ est ulcus pulmonis, & ἀτροφίαν, quæ est totius corporis siccitas, & καχεξίαν, quæ est malus corporis habitus. In hoc loco Hippocrates de ἀτροφίᾳ intelligit, idest, totius corporis ariditate. At quod φθίσις apud Græcos ἀτροφίαν significare possit, & quādoq́ significet, ex Galeno undecimo Aphorismo præexposito sumi potest. eo enim loco ab Hippocrate dicebatur, Autūnus Phthisicis malus. Galenus monet, aphorismū tam in Phthisicis, qui habēt exulceratū pulmonem, q̄ in tabefactis, & extenuatis intelligi posse. Adde deductionē huius uocabuli Phthisis, ostēdere phthisim extenuationē illam significare. dicitur enim phthisis ἀπὸ τοῦ φθίνειν, quod est corrūpi & extenuari. Hippocrates igitur in hoc loco, de uera phthisi intelligendus non est, quando pulmo hulcus habuerit. nā huic potius prosunt siccitates, quàm obsint. Tu ergo tabitudines, idest, ἀτροφίας intellige, quando corpus extenuatur, & ex his quæ per cibaria sumuntur, corpori nihil additur, sed potius diminuitur. Temporis siccitates ingentes hęc inferre possunt, & si pręfuerint augere

augere. Nec transeundum est ad oculorum tabitudines, de quibus in Galeni cōmento aliqua dicemus. Philotheus uero hanc partem hoc modo interpretatur, ἐπειδὴ ἡ ξηρότης, ὡς περ ἡ θερμὴ καὶ ξηρὰ δυσκρασία χολὴν γεννᾷ, αὕτη ἡ χολὴ φερομένη ἐπὶ τὸν πνεύμονα, δάκνει καὶ ἀνιᾷ, καὶ ἑλκοῖ αὐτὸν, καὶ ποιεῖ φθινάδα, ἥντινα οἱ ἀθηναῖοι φθίσιν ὀνομάζουσιν. οὐκ ἐπὶ πάντων δὲ, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῶν ἐπιτηδείως ἐχόντων πρὸς τὸ πάθος τοῦ αὐτοῦ λόγου. idest, Quoniā siccitas utpote calida & sicca intemperatura bilem generat, ipsa bilis delata in pulmonem, mordet & molestiam affert, & exulcerat ipsum, & corruptionem facit, quā Athenienses phthisim nominant. non uero de omnibus illi est sermo, sed de his qui ad hanc passionem apti sunt.

ὀφθαλμίαι. idest, Lippitudines] quod de siccis lippitudinibus intelligere oportet quæ ex materia biliosa, aridaq; ad oculos transmissa in siccitate fiunt, superficialibus etiā oculi partibus exsiccatis. unde & Philotheus dicit, ἡ γὰρ χολὴ φερομένη ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς δάκνει καὶ δριμύσσει, καὶ ἑλκοῖ αὐτοὺς, καὶ οὕτως ποιεῖ ὀφθαλμίας. idest, Bilis enim deducta in oculos mordet, & pruritum excitat, atq; exulcerat ipsos, & sic ophthalmias facit.

ἀρθρίτιδες. idest, articulorum dolores] qui fiunt ex humorum defluxibus ad articulos. Ideo Galenus dubitare uidetur, quomodo in siccitatibus fiant, in quibus humores potius resoluuntur, & nulli adsunt qui fluere possint. Galenus ipse qui prius dubitauerat, respondet, ob hoc fieri, quia nimię siccitatates, articulorū humiditatem consumunt. propterea difficilis motus infertur ex huius humiditatis siccitate, immo quandoq; dolores incurrunt, tamen arthritis non erit, nisi omnem articulorū dolorem arthritim nūcupare uoluerimus. Quod non probat Galenus ut in commento uidere licebit: additq; si fiant ex acritudine, esse præsertim caliditate superueniēte. Ipse Galenus in libro Definitionum suarum, (Si Galeni sit ille liber) ἀρθρῖτιν definit, inflammationem esse circa articulos permanentem, quæ male affectis neruis ualentissimos dolores afferat. Nos igitur dicamus, ueras arthritides in siccitatibus fieri, & etiam sęuiores, quàm in alijs tēperaturis: quoniam ut Paulus Æ gineta docet libro tertio, capite septuagesimooctauo, arthrites, ex sanguineis humoribus, ex biliosis, & atrabilarijs fieri possunt: tamē pro maiori parte ex pituitosis fiunt, sed non ita uehementes, quales eæ quæ à bile fiunt. In siccitatibus autem biles gignuntur, uel saltem acuuntur humores, qui in habentibus debiles artus ad ipsos currunt, & sæuissimos articulorum dolores faciunt: tamen & in humiditatibus illi fiunt qui ex pituita sunt. unde & Paulus in cura arthritidis ex bilioso humore labores immensos euitandos esse docet, ob id quia debilitant & exsiccant. Vnde & Philotheus dicit, ἀρθρίτιδες δὲ διότι ἡ ξηρότης καταβάλλουσα τὰς δυνάμεις τοῦ λόγου τροφῆς ἐν τοῖς ἄρθροις ἐρχόμενον ἄπεπτον, καὶ ἀπεπτόμενον, ῥευματίζονται τὰ ἄρθρα, καὶ ἀρθρίτιδες γίνονται. idest, Articulorum dolores autem, quoniam siccitas dissipans potentias ratione nutrimenti, in articulos ueniens indigestum, & indigestum profluit ad articulos, & articulorum dolores facit.

Στραγγουρίαι. idest, urinæ stillicidia] & hęc in siccitatibus fiunt, de strangurijs superius locuti sumus, quæ secundum Galenum in siccitatibus calore superueniente, aut frigore fiunt, tamen ex sola siccitate fieri non possunt. Nos quoq; hanc causam inducimus, quia in siccis temporibus biliosi humores, & acuti generantur, qui (ut Paulus Aegineta libro tertio, capite quadragesimoquinto dicit, stranguriā faciunt. et Philotheus eandem ferè causam assignat dicens, Vrinæ stillicidia fieri διότι ἡ χολὴ ἐρχομένη, δάκνει καὶ ἐπεγείρει συνεχῶς τὴν κύστιν, καὶ στραγγουρδῶς ἀπορεῖ. idest, quoniam bilis incipiens mordet, & continue excitat uesicam, & stillatim effundit urinam.

Καὶ δυσεντερίαι. idest, Dysenteriæ, quæ sunt intestinorum difficultates, uel tormina. unde Celsus capite primo secundi libri absoluto uocabulo δυσεντερίας, idest, tormina interpretatur, non addens illam particulam intestinorum.

GALENVS

FEBRES quidem longas ex multitudine fieri humiditatis, minime mirum, siquidē ægroti ad morborum solutionem egent coctione, plures autem humiditates non nisi in longo tempore concoqui possunt. Accedit ad hoc quod frigidiores, & magis pituitosi generantur humores in multitudine pluuiarum, sicuti contra in siccitatibus bi-

liosiores. Quare in temporibus pluuiosis febres erunt diuturniores, in siccitatibus autem acutiores. Neq; extra rationem est, quod alui profluia in temporibus pluuiosis eueniant, cum humorum superabundãtia per aluum expurgetur, sicuti etiam quod eisdem temporibus putredines fiant, quoniam perspicuum est, humida siccis magis esse putredini obnoxia. Sunt autem & morbi comitiales, & apoplexiæ, morbi ex pituita ortũ habentes. Angina autem fit nonnunquàm superfluitatum multitudine ad fauces collecta, fit etiam magna ex parte fluctionibus ex capite firmatis in faucibus. Quod autẽ in pluuiosis temporibus fluctiones, sed maxime ex capite uenientes superabundent, manifestum, & dictum est à me sepius. In siccitatibus autem, & tabitudines morbos ait abundare, & lippitudines, & articulorum passiones, & stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum, satis ut mihi uidetur indistinctum de hisce faciens sermonem. Morbi siquidẽ tabitudines nominati ad has duas sequuntur constitutiones, & ad frigidissimam, ex qua nonnulla ex uasis quæ sunt in respirationis instrumentis disrumpuntur, & ad alterã quæ coniunctam habet cum caliditate humiditatem, quarum occasione caput repletum mittit ad pulmonem fluctiones. Ad siccam uero constitutionem, quæ secundum caliditatem, & frigiditatem naturaliter se habet, omnia alia magis quàm tabitudines consequũtur. Quare mihi uidentur nonnulli fuisse coacti oculorum tabitudines intelligere, ut sit sermo huiuscemodi. In immoderatis autẽ siccitatibus lippitudines tabidæ fiunt, hoc est ad tabem oculorum terminantes, ex qua fiunt extenuati, ac sicci plusquàm naturæ conueniat, facta simul & ipsa pupilla angustiore, exsiccatis uidelicet humoribus, à quibus ipsa distenta, mediocriter quidem modum seruabat naturę conuenientem. Plus uero q̃ oporteat ad prauam latitudinem extendebatur. Si uero ipsas per se ipsas dictas lippitudines audiamus, uerbum siccas adiũgemus. Diximus autem, & prius causam ob quam siccę lippitudines in magnis fiant siccitatibus. Et quidem articulorum morbi, qui ex fluctionibus fiunt, nullo modo in immodicis siccitatibus fient. Qui uero ab aliqua acritudine accidunt, si & caliditas ulla immodica accesserit, tunc solum euenient. Quas igitur articulorum passiones in siccitatibus dixerit fieri, dignũ est inquisitione. Si enim immodice factæ cõsumpserint articulorũ humiditatem, difficilẽ motum, & siccitatem efficiẽt, forte uero & nonnunq̃ dolorem; eam passionem, quæ arthritis nominatur, haud quaq̃ efficiẽt, nisi quispiã omnem articulorũ dolorem ita uelit nominare. Atqui ipse in libro secundo Epidemiarũ, ita inquit. In Aeno per famem qui leguminibus uescebatur, infirma habebant crura, & qui orobos comedebant genuum dolores patiebãtur non arthriticos, sed genua dolentes ipsos appellauit. Quispiam uero fortassis dixerit, nõ unius articuli dolorem, sed multorũ simul arthritim nominari, & iuxta hoc genua dolentes nunquàm arthriticos appellari. De morbo igitur, qui arthritis nominatur, hæc dubitasse sufficiat. De urinæ uero stillicidijs deinceps uideamus. Neq; enim ad siccitates simpliciter consequuntur, nisi tribus adhibitis distinctionibus, quarũ prima est immodica siccitas, secunda si caliditas adiungatur, tertia si frigiditas, de quibus non fecit mentionem Hippocrates. Sed si cui libeat omnium anni constitutionum naturam inuestigare, sic ipsum facere oportet. Erit autem sermo exemplo manifestus huius propositę considerationis. Nam immodica siccitas in naturis bene temperatis aliam efficit corporis dispositionẽ, aliam in siccis, sicuti & in humidis aliam, sic & secũdum calidam, ac frigidam, aliam in alterutra faciet dispositionem. Secundum etiam coniugationes simplicium intemperaturarum, aliam quidem in calida & sicca. Differentem autem ab ipsa, in frigida & sicca, & in reliquis duabus eodem modo. Sicuti uero simplicẽ paulo antea seruantes aeris ambientis temperaturã, in unaquaq; natura propriã dicebamus facere dispositionẽ: sic cõpositam cõponentes, in unaquaq; rursus natura futuras dispositiones considerabimus. Erit aũt cõposita sicca aeris ambientis cõstitutio, quando frigiditati, uel caliditati adiungetur, quanq̃ & simplex uidebatur quodãmodo, & ipsa cõposita. Nã miscebatur bene tẽperatæ constitutioni, media inter immoderantiã utrãq;, & eam quæ est secundũ caliditatẽ, & alterã quæ est secundũ frigiditatẽ. Cum uero cõcessum sit in doctrinis, simplices quidẽ fieri tẽperaturas eas quæ secundũ unam qualitatẽ à modo naturæ recesserũt, non simplices aũt eas quæ secundũ plures: nõ sine ratione, cũ aer ambiẽs ea quę est secundũ siccitatẽ & humiditatẽ oppositiõe, fuerit male tẽperatus: in altera aũt quæ est scd'm caliditatem

ditatem, & frigiditatem, bene temperatus, simplicem dicemus esse intemperaturā. Hac igitur habita in omnibus cōsideratione, non est obscurum quàm fiet sermo prolixus de reliquis constitutionibus, & qui paulo antea dictus est in uesica. Nam urinæ stillicidia fiunt, & propter acutiem urinæ, & propter uis expulsiuæ, quæ est in uesica, imbecillitatem. Quæ rursus imbecillitas ex immodica intēperatura cōtingit. Cum uero octo sint immoderantiæ, in singulis earum debilis uesica erit, atque idcirco ad eam urinæ stillicidia consequentur, & quidem urinarum acritudines à quibusdam fiunt intemperaturis. Sed magis ea quæ est secundum caliditatem. Post hac autem ab ea quæ est secundū caliditatem, & humiditatem. Tertia ab ea quæ est secundum humiditatem. Fiet itaque & ob hæc urinæ stillicidium, demptis his quæ sunt propriæ uesicæ passiones, ad quas urinæ stillicidia casus ratione cōsequuntur, ueluti cum ob ulcus, aut erysipelas, aut abscessum in ea factum, uel inflammationem, aut tale quid aliud, urinæ distillicidium contigerit. Nunc enim non de his sermo existit, sed solum de illis quæ aeris ambientis ratione proueniunt, sicuti neq; de illis, quæ ex malo uictu habent occasionem. Quæ uero in urinæ stillicidio sunt dicta, hæc etiam à nobis dici in difficultate intestinorum oportet intelligere, de qua, neq; ipse idem cū Hippocrate sentio. Difficultas enim intestinorum, non simpliciter ad siccitates consequetur, nisi prius distinctio adhibeatur. Primum quidem quod sit exuperans siccitas, deinde quod aer ambiens secundum caliditatem, & frigiditatem permutetur, deinde & naturæ corporum patientes considerentur. Non autē adeo licet de Hippocrate dubitare, qui primus talis conditor contemplationis, non totam perfecerit, quantum de Diocle primum, & Mnesitheo post ipsum, demum & multis alijs medicis, quia ueras uias Hippocratis ingredientes, multa particulatim elaborare proposuere. Cum enim oporteret eos, si quicquàm aliud, & eam quæ est de temporū constitutionibus contemplationem, ut paulo antea proposui, corrigere, & totam elaborare, omnino cōtempserunt, Nos uero hoc facere aggrediemur proprio his dicato opere, si hæc priusquàm, quæ præ manibus habemus, absoluerimus.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno ratio assignatur, cur in humiditatibus lōgæ febres, in siccitatibus acutæ fiant. est autem hæc, quia in humiditatibus multi humidi humores in nostro corpore generantur, qui antequàm concoquantur, longo tempore indigent, præterea et frigidi et pituitosi gignuntur, qui longas febres inferre solent: in siccis uero temporibus biliosi humores fiunt, qui acutas febres inducunt, & citius resoluuntur.

In hac parte, quando legitur plures autem humiditates non nisi in longo tempore cōcoqui possunt, Grece habetur, τὰς πλέονας δὲ ὑγρότητας, εἰκὸς ἐν πλείονι χρόνῳ πέπτεσθαι. id est, conuenit autem plures humiditates in pluri tempore concoqui, sed Leonicenus interpretatur πλείονι longo.

Quod etiam legitur, In temporibus pluuiosis febres erunt diuturniores, ibi hæc particula deest, καὶ κατὰ τοῦτο. nam Græcus contextus ita habet, ὥς τε καὶ κατὰ τοῦτο χρονιῶσι μὲν ἐν ταῖς ἐπομβρίαις, ὀξύτεροι δὲ ἐν τοῖς αὐχμοῖς οἱ πυρετοὶ γενήσονται. Aldinus codex, ubi noster antiquus habet χρονιῶσι, ipse habet χρονίσουσι. Sensus autem est, Quamobrem & secundum hoc in imbribus quidem diuturniores febres, in siccitatibus aūt acutiores fiūt. ubi uides in Leoniceni codice hanc particulam, κατὰ τοῦτο defuisse.

SECVNDO, Galenus rationem reddit. quomodo alui profluuia in his temporibus fiant, quia humorum superabundātia per aluum expurgatur. nam in his temporibus humorum copia exuberat, & proprie humorum, quia humidi sunt. Immo & eadem ratione putredines generantur, quas σηπεδόνες appellat. etenim humiditas summa putredinum causa est. nam humiditatibus exuberantibus potissime fiunt.

Quæ ita in hac parte leguntur, Neque extra rationem est quod alui profluuia in temporibus pluuiosis eueniant: Contextus Græcus hoc modo habet, τὸ δὲ καὶ τὰς ῥύσεις τῆς κοιλίας, εἰκότως ἐν ταῖς ἐπομβρίαις γίνεσθαι, τῆς ἐν τοῖς χυμοῖς πολυπλησίας ἐκκαθαιρομένης διὰ τῆς γαστρὸς, οὐκ ἄδηλον. idest, hoc autem (quod scilicet in aphorismo dicitur) & fluxus uentris rationabiliter in imbribus fieri non dubium est, humorum superabundantia per uentrem expurgata.

TERTIO docet Galenus cur morbi comitiales & attoniti in hac tempestate generentur

rẽtur: quia ex pituita ortũ habent, ut ſuperius in ſecundo libro ubertim pertractauimus.

QVARTO, ad anginas ſermonem uertit, quæ quum ſuperfluitates ad fauces et guttur deſcendunt, atq; ibi firmantur, ſtatim fiunt. hæ uero humiditates potiſſimum à capite profluunt.

Quod in hac parte dicit, ad fauces collecta, Græce eſt ἐνεχθέντος εἰς φάρυγγα. ideſt, ad guttur inuecta. Addit deinde, quod fit ex materia in gutture firmata, ἐν φάρυγγι ῥευμάτων ἐνεχθέντων.

QVINTO, In pluuioſis temporibus fluctiones fieri edocet, ſed illas præſertim, quę ex capite deſcendunt. Si enim ex capite ad fauces, guttur, aut alias huius generis partes deſcendant, illarum partium morbi generantur. At ſi ad uentriculum & inteſtina, alui profluuia fiunt.

SEXTO Galenus Hippocratem quodãmodo uellicat, utpote eum qui de his morbis qui in ſiccitatibus fiunt, ſatis confuſe locutus ſit: & primo de tabitudine ſermonem habet, inquiens, Tabitudinem ad unam duarum cauſarum conſequi, nempe aut frigidiſſimam qualitatem ſequitur, ex qua in inſtrumentis reſpirationis uena aliqua diſrũpitur: aut materierum humidarũ à capite ad pulmonem cum aliqua caliditate defluxum ſequitur. Ob uenæ fracturam, ſanguis extra proprium locum corrumpitur, & pulmonẽ adeo male afficit, ut exulceretur & cõtabeſcat: ob defluxũ materierũ ad pulmonem in eo collectio fit, putrefactio, et pulmonis exulceratio. Certũ uero eſt quod tabitudines per has cauſas factas, ſiccitates potius ſanant, in quibus in caliditate, & frigiditate temperies fit. propter hoc nõnulli interpretati ſunt, oculorũ tabitudines, ut hoc modo Aphoriſmum legere oporteat, lippitudines tabidæ fiunt. eſt aũt apud Galenũ tabes in oculo, quando oculorũ humiditates adeo exſiccẽtur, ut pluſq; conueniat, exſiccentur, & pupilla anguſtior fiat: nam ob humiditates oculorũ pupilla extenſa manebat, quæ in magna ſiccitate cõtrahitur, & ideo exponendũ eſt. Lippitudines tabidę, ideſt, tales quę in tabe uel phthiſi oculorum terminãtur. Ad mediocrẽ igitur pupillæ ſtatũ humiditas exigitur, quæ ſi nimis excedat, pupillam magis dilatat, q; opus ſit: ſicuti ſi minus ſit q; oporteat, pupillam extenuat. Galenusq; huic antiquorũ ſententiæ aſſentire uidetur, utpote ei quæ uero nõ repugnat, immo inquit, ſi ſimpliciter lippitudines intellexerimus, ſiccas addere oportebit, de quibus ſuperius dicebat, illas eſſe, in quibus ab oculo nihil effluit. Celſus, qui primo capite ſecundi libri hunc Aphoriſmũ interpretatur, Tabitudines non ponit: tamen ſi ponendas eſſe iudicauerimus, ita intelligẽdas eſſe iubemus, ut à nobis in Aphoriſmo interpretando dictum eſt, quamuis Philotheus hoc in loco de phthiſi oculorum ſecundum aliquos interpretetur, inquiens, τινὲς καὶ ἀναγινώσκουσι, φθινάδες ὀφθαλμίαι, καὶ τὴν αἰτίαν οὕτως φασὶν, ὅτι ἡ ἀσύμμετρος δυσκρασία καταβάλλει καὶ τὴν δύναμιν, ἀλλὰ καὶ ἐκδαπανᾷ τὸ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς περιεχόμενον ὑγρὸν, καὶ τὸ πνεῦμα διαφορεῖ τὸ διοικοῦν τοὺς ὀφθαλμοὺς, κἀκ τούτου ἀτροφοῦσι καὶ ἰσχναίνονται, καὶ γίνονται φθινάδες καὶ ὀφθαλμίαι. ideſt, Quidam & legunt phthiſicæ lippitudines, & cauſam ſic dicunt. quod immoderata intemperies deſtruit potentiam, ſed & conſumit in oculis ambiens humidum, & ſpiritum diſcutit habitantem oculos, & ex hoc alimento deſtituuntur, & attenuantur, & phthiſes fiũt, atque ophthalmiæ.

Quod dicit, ex qua fiunt extenuati ac ſicci pluſquam naturæ conueniat, Græce eſt, καθ' ἣν ἀτροφώτεροι τε καὶ ξηρότεροι τῶν κατὰ φύσιν ἀποτελοῦνται. Nos potius hoc modo interpretandum putamus, Ex qua fiunt nutrimento caſſi ac ſicci pluſq; naturæ cõueniat: nam ἀτροφώτερον, caſſum nutrimento potius ſignificat, q; extenuatũ, & id merito, quia oculus humiditate nutritur: ſi uero deſit humiditas, uel ob ſiccitatẽ conſumatur, oculus innutritus derelinquitur. ut igitur magis proprie loquamur, innutriti potius, quàm extenuati interpretemur, quàmuis ad innutritum extenuatum ſequi oporteat.

SEPTIMO, De articulorum doloribus Galenus dubitat, quomodo in ſiccitatibus fieri poſſint, quia potius ex materierum defluxu generantur, & re uera ut plurimum humidis. Igitur in ſiccitatibus articulorũ dolores fieri non poterunt. Galenus hæc quæ ab argumento inferũtur uera eſſe fatetur. At ſi dicas, quæ igitur arthrites in ſiccitatibus generantur? Reſpõdet, illas quæ ex humoribus acribus fiunt, acres aũt humores non niſi in ſiccitate fiũt, ad quã immodica quædã caliditas acceſſerit, tũc enim hi acres humores gene-

generātur, qui hunc morbū facere apti sunt. Si uero tu instantius petieris, quomodo in puris siccitatibus hi articulorū dolores fiant, & qui nam sint: Galenus respondet, ex nimia siccitate articulorū humiditatē consumi, & difficiliorē motum fieri, & quādoq; dolorem. utitur autē Galenus particula forte, quia non est semper fieri necessariū. Fiēt igitur articulorum dolores, non tamē arthrites, nisi aliquis sit qui omnē articulorum dolorem, arthritim indifferenter nūcupare uoluerit. sed (inquit Galenus) non esse usum Hippocratis, oēm articulorum dolorē arthritim appellare, quia in 2. Epidemiorū dicit: qui orobos comedebāt, genuū dolores patiebantur. at non dicit arthrites, ut hinc manifeste sumi possit inter articulorū dolores, & arthritim differentiā posuisse. unde in genere cū unus articulus patitur, articulorū dolor: cum omnes patiuntur, arthritis ab Hippocrate appellatur. Duo aūt in hoc loco à nobis perpendenda sunt, unum quid uere arthritis sit apud antiquos, aliud quid orobus sit, præsertim quia recētes semen quoddā accipiunt, quod tamen orobus non est. De arthrite igitur primo sermonē habentes dicamus, Galenum in libro Definitionū arthritim definiuisse (si ille liber Galeni sit) esse inflāmationē, quæ circa articulos coierit permanentē, maleq; affectis neruis ualidissimos afferentē dolores. Et Hippocrates in libro De morbis qui extra, penultimo folio inquit, Arthritis cum habet caput ignis, & dolor corporis articulos, modoq; hunc, uel illū grauius, le uiusq; uexat. Græci uero alīj arthritim à particularibus aliquorū articulorū doloribus distinguūt, tamen & omnes arthrites sunt. Vnde Aetius capite sexto. 12. libri inquit: Podagra, & arthritis eiusdē speciei inter se sunt, differt aūt podagra ab arthrite, nō toto genere, sed affectis locis. In omnibus enim debilitas est articulorū diuturna cum fluxione, quæ quidē si in pedibus perficitur, podagra appellat: si uero in aliquo coxarū uertebro, ischias, idest, coxendicū morbus dicitur, si uero in multis corporis articulis innititur, arthritis, siue morbus articularis uocatur. docetq; eodē loco Galenus, quādoq; partē pedis infestare, postea ad genua tendere, postea ad coxas, postea ad manus: deniq; ad omnes articulos, et arthritis nominatur. Si aūt aliqui sint qui extreme arthritem patiantur, his spinæ uertebrę, & costarū iūcturæ, & genæ dolent, aliquibus aūt & guttur, neq; est aliqua ossiū cōnexio quæ ab hac affectione sit immunis. Eandē sententiā Paulus Aegineta habet, qui capite. 78. libri tertij inquit, Quādo igitur pedes infestarit, & humor solum perturbat, podagra morbus nūcupatur: cum aūt in omnes corporis articulos pene trauerit causa, iā tū arthritis nuncupari cōsueuit, in quo uertebræ spinæ, idest spondyli, & scapulę, & maxillæ, atq; oēs articuli patiuntur. Addesq;, nonnullis aures quoq;, & dētes, & guttur, & interdū etiam iecur, & lien arthritim patiuntur: sed uæ his, nisi cito occurratur. Voluntq; Græci hunc morbū non ex solis humoribus fieri, nec ex sola articulorum debilitate, sed ex his duobus simul, humoribus inq; & debilitate: Græci hoc nomen habent ἀρθρίτις, quo & dolorem articulorum significāt, qui in aliquo uel aliquibus sit articulis: & dolorē uniuersalem, qui in omnibus sit. Nos hoc nomine utimur, articulorū dolores pro omnibus doloribus, qui in aliquo uel aliquibus sint articulis. Sed articularis morbus, uel (ut Plinius utitur) articularius morbus, omnium articulorum dolorem significat. unde cum de illa ægritudine, quæ à barbaris Arthetica nominatur, sermo fit, Latinus uel articularem, uel articularium morbum nūcupare debet: quando autem de dolore in aliquo particulari articulo pertractat, si hæc affectio nomen non habet, denominanda est articuli nomine: si nomen habeat, suo nomine, ut in talo si dolor sit, podagram appellato: in coxa, ischiam: in genu uero, quia nomen non habet affectio, genuum dolor appellatur: in cubito, cubiti dolor, & eodem modo de alījs dicere oportet. Tamen dubium non prætereundum occurrit, quid sit articulus, quia non uidetur iunctura, sed potius media illa pars, quæ inter iuncturam & iuncturam interiacet, articulus dici debet. nam artus est, idest, membrum. & quod hoc uerum sit, ex Paulo Aegineta testimonium haberi potest, præcitato loco, ubi quomodo fiat arthritis edocens dicit, Superuacuus humor iuncturam articuli feriet. ex quibus uerbis manifeste elici potest, articulum à iunctura diuersum esse, quoniam dicit, iunctura articuli, ac si per articulum, ipsum membrum intelligat, per iuncturam suum extremum. Tamen Plinius egregie ostendit, non quidem membrum, sed iuncturæ extremum articulum esse. Ita enim dicit capite. 37. undecimi libri, Nodosq; corporum qui uocantur articuli, alibi

interuentu

interuentu, alibi ambitu, alibi transitu ligantes, hic teretes, illic lati, ut in unoquoque poscit figuratio. de neruis sermonem habet, qui in articulis illa faciāt.

Nunc modo quid orobus sit edocere tentemus. Nonnulli orobum genus ordei esse arbitrati sunt, qui tali errore ducuntur, ut nulla reprehensione digni sint. Nam à Dioscoride, Plinio, Galeno, & alijs antiquis authoribus inter legumina computatur: tamen hi ex præcitato Hippocratis loco argumentum sumere possent, quod orobus, legumen non sit. Verba enim Hippocratis ista sunt, In Æno per famem, qui leguminibus uescebantur, infirma habebant crura: & qui orobos comedebant, genuum dolores patiebātur. Ex his Hippocratis uerbis sumi posse uidetur, orobū à leguminibus distingui, quæ legumina infirma crura reddebant, orobus genuum dolores pariebat. Sed qui ita dubitaret, re uera pinguis Mineruæ esset: ex his enim quæ ex secundo Epidemiarum adducuntur, Hippocrates orobum genus leguminis esse non negat, immo in secundo libro De alimentis, inter legumina connumerare uidetur, quamuis in eo loco segetes & legumina confundat, tamen eius intentio non est, orobum à leguminibus separare, unde hic est ille Hippocratis loci sensus, Qui in Aeno legumina comedere, crura infirma habebant: qui autem id genus leguminis, quod orobus uocatur, comederunt, genuum dolores incurrebant. est autem orobus id quod Latini eruum appellant, de quo Poeta. Est mihi taurus in eruo.

quoniam (ut à Dioscoride & Plinio edocemur) iumenta saginat, immo et homines decolores bene coloratos reddit. Hinc ego illud quod à diuo Hieronymo contra Iouinianum dicitur, Pastos leguminibus gratum colorē acquisiuisse, de orobo intelligo. est autem orobus uel eruum id quod nos uulgo *Ruuione* appellamus, albissimum granum. propterea apud Dioscoridem & Plinium quod albissimū est probatur. quo uero Pharmacopolę per totam Italiam passim utuntur, orobus non est, sed quoddam semen quod ex Creta & Alexandria Aegypti in Italiam ferunt.

OCTAVO Galenus de urinę stillicidijs dubium mouet, quia ex siccitatibus simpliciter consequi non uidentur, nisi aliquæ conditiones addantur. una est quod sit immodica siccitas, tanta scilicet quæ uesicæ partes exsiccare possit. Secunda si caliditas admisceatur. Tertia si frigiditas & non caliditas mixta sit, propterea scito unamquãq; harum qualitatum per se urinæ stillicidiū inducere posse, intensa siccitas, caliditas, et frigiditas. Sed cum caliditas et frigiditas in causa sunt, non est opus, siccitatē multū intensam esse.

NONO, Documenta quædam, & canones à Galeno traduntur, quibus anni constitutiones in simplicibus, & compositis temperaturis cognoscantur, et quomodo diuersæ fiunt, si ad simplices temperaturas comparentur. Quæ omnia tu ipse in Galeno contemplari poteris.

In hac parte, ubi scriptum est, Sed si cui libeat, addenda est hæc particula, ut dixi, in Græco enim habetur, ἀλλ' ἐάν τις, ὡς ἔφην, ἐθελήσῃ πασῶν τῶν ἐν ταῖς ὥραις καταστάσεων ἐρευνήσασθαι. idest, Sed, si quis (ut dixi) uoluerit omnium anni constitutionum naturam inuestigare.

Quod deinde sequitur, Erit autem sermo manifestus huius propositę cōsiderationis, Græce est, αὐτοῦ τοῦ νῦν προκειμένου σκέμματος. i. huius propositi consilij, uel scemmatis.

In illa etiam parte, In unaquaq; natura propriam dicebamus facere dispositionē, hæc particula, quandam, addi debet, ut hoc modo legamus, In unaquaq; natura, propriam quandam dicebamus facere dispositionem, Græce enim est, καθ' ἑκάστην φύσιν ἔφαμεν τινὰ ἰδίαν ἐργάζεσθαι διάθεσιν.

Quod statim sequitur, Sic compositum componentes, legi debet. Sic compositum supponentes. nam in Græco codice legitur οὕτω σύνθετον ὑποθέμενοι. ubi uides hanc particulam ὑποθέμενοι interpretandam esse supponentes, non componentes.

Paulo deinde cum scriptum est, Cum uero concessum sit in doctrinis simplices quidem fieri temperaturas, legere oportet, simplices quidem fieri intemperaturas, quia ita habet contextus Græcus ἁπλᾶς μὲν δυσκρασίας γίγνεσθαι. ex teipso uides legi δυσκρασίας, & non κράσιας, idest, intemperaturas, et non temperaturas.

Vbi etiam legitur, Non est obscurum, quàm fiet sermo prolixus de reliquis constitutionibus, hic in aliquibus codicibus legitur coniunctio, et, hoc modo legētibus, Non est obscurū

est obscurum quàm fiet sermo prolixus, & de reliquis constitutionibus, tamen in Aldino codice, nec in meo antiquo adest particula καὶ.

DECIMO Galenus ad rem suam ea documenta applicat, quæ prius enarrauerat, nam urinæ stillicidium, ob urinæ acumen fit, & ob uirtutis retentiuæ imbecillitatem: Hæc autem imbecillitas ex immodica intemperatura fit. Octo uero sunt immoderantiæ, in quibus omnibus singulatim uesica debilis esse potest, unde urinę acritudo ab aliquibus intemperaturis fit, sed potisimum à calida, secundo à calida humida: tertio ab humida: ob has igitur causas stillicidium urinæ sequi potest. Ne quis uero alias causas asignet, per quas stillicidium fit, & tunc putet Galenum rei ignarum esse, ipse met Galenus in genere excipit, quando stillicidium ex aliqua pasione substantiæ uesicæ propria consequitur, ad hanc enim pasionem stillicidium urinę tanquam symptoma sequitur. est autem pasio uesicæ, de qua nunc sermo habetur, ut ulcus erysipelas, abscessus, inflammatio, & alia eiusdem generis. In proposito Galenus dicit de his tantum sermonem fieri, quæ ratione aeris ambientis proueniunt: nec etiam de illis hic locus intelligitur, quæ uictum inordinatiorem, & intemperatiorem consequuntur. Quæ igitur de stillicidio urinæ dicta sunt, eadem in omni altera pasione intelligere oportet, ut in difficultate intestinorum, & reliquis. In stillicidio autem urinæ Galenus latenter ab Hippocrate dissentire uidetur: In difficultate uero intestinorum sponte & aperte dissentit.

Quod legitur, Et propter uis expulsiuæ, quæ est in uesica, debilitatem. legi debet & propter uirtutis retentiuæ quæ est in uesica imbecillitatem. Etenim contextus Græcus ita legit, καὶ ἀῤῥωστίαν τῆ ἐν τῇ κύστει καθεκτικῆς δυνάμεως.

Quod etiam legitur, Et propter acutiem urinæ, Græcus codex habet διὰ τὴν λεπτομύτητα τῶν οὔρων. Deinde cum dicit, Et quidem urinarũ acritudines: ego potius acuties, quàm acritudines interpretarer. nam Hippocrates idem uocabulum seruat, quod Leonicenus prius interpretatus erat acuties, hoc enim uocabulo utebatur λεπτομύτητα. nunc iterum dicit, καὶ μὲν δὴ καὶ αἱ λεπτομύτητες τῶν οὔρων, idest & quidem urinarũ acuties, non autem acritudines, ne in duobus uersibus uocabulũ immutare uideamur, quamuis id etiam significet, uel in utrisque locis interpretemur acredinem.

VNDECIMO Galenus ab Hippocrate in intestinorum difficultate sponte dissentit, quomodo in siccitatibus fiant, inquiens, ad siccitates simpliciter non sequi, nisi addamus quod sint siccitates ingentes, & quod aer qui nos ambit, secũdum caliditatem, & frigiditatem permutetur, postea naturæ corporum patiẽtium considerandæ sunt. Mihi tamen uidetur, quod ex siccitate, stante in qualitatibus pasiuis æqualitate biles generari posint, & atræ biles, imò & generentur, & in copia, quæ postea dysenterias faciunt, propterea ab Hippocrate in hac re non dissentirem.

Denique Hippocratem excusat, utpote primum qui hanc scientiam tradiderit: antiquos uero accusat, Dioclem inquam, & Mnesitheũ, qui ueras Hippocratis uias ingredientes de temporum constitutionibus loqui omisere: ipseque Galenus de hac re particularem librum se facturum promittit, quem tamen nunquam composuit, quia re uera ardua res est, difficilis, & longa.

Quod legitur, Non etiam adeo licet de Hippocrate dubitare, contextus Græcus dicit, ἔστι δὲ οὐχ οὕτως ὑπὲρ ἱπποκράτους ἀπορῆσαι δίκαιον. idest, Est autem non ita iustum pro Hippocrate dubitare.

Quod statim sequitur, Qui primus: lege, Quoniam primus: nam Græce est, ὅτι.

In fine Cõmenti, ubi scriptum est, Si hæc prius quàm: lege, Si hæc prius: nempe simpliciter πρότερον dicit: quia si dixerimus Prius quàm, constructio perfecta non est.

APHORISMVS XVII

QVotidianæ autem constitutiones, aquiloniæ quidem corpora densant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciũt, & aluos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorẽ augent: austrinæ dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & uertigines faciũt, oculis atque corporibus difficilem motũ præstant, & aluos humectant.

BRASAVOLVS

DE HIS temporum cõstitutionibus quæ quotidie fiunt, in hoc aphorismo ab Hippocrate tractatur: at de solis duobus uentis sermonem habet, Aquilone & Austro, sub quibus omnes alios intelligere oportet: per Aquilonem enim, omnes frigidos & siccos uentos intelligit, quales & nonnulli Occidentales sunt: per Austrum, calidos & humidos, quales nõnulli Orientales. Si quis autem sit uere philosophus, ex his extremis, medios iudicare tentabit. Propterea dicit, Aquloniæ temporum constitutiones, quæ quotidie fiunt, corpora condensant, contenduntq́, & eadem bene mobilia faciunt: agiliora inquam, & ad motus magis prona, bono colore afficiuntur, & melius audiunt, quàm prius, imò & melius uident, melius odorant, & melius tactus sensum exercent, aluos exiccant, quia pro consueto non excernũt: circa oculos quidem morsus fit, & si aliquis dolor in pectore sit, in hac temporis cõstitutione augetur, quæ omnia pro parte in quinto huius libri aphorismo scripta sunt. In austrina temporis constitutione oppositum accidit, quæ calida est & humida, in ea enim corpora dissoluuntur atq; debilitantur, humidioraq́ redduntur: auditus obtusus fit, & cæteri omnes sensus obtusiores, capita grauiora fiunt, & pondere quodam pressa, uertigines accidunt, totius corporis motus & quarumcũq; partium difficilior euadit: proptera oculi difficulter mouentur, imò & eorum genæ graues & ponderosę uidentur, aluusq́ humida fit: sicuti contrarium in aquilonia constitutione efficiebatur: in his extremis constitutionibus hæc accidunt. Tu uero ex his extremis constitutiones medias deprome & contempleris. Nonnulli uero antiquiores putabant, iterũ de uentis ab Hippocrate agi, quibus tamen assentiri non oportet, ut Philotheus etiã docet, inquiens, ὅτι αὐτολογεῖ καὶ νῦν, ὥς φασί τινες, ἱπποκράτης περὶ ἀνέμων καὶ νῦν διαλεγόμενος, ἄνω μὲν γὰρ περὶ τῆς κακίας αὐτῶν καὶ μονῆς διελέχθη. idest, Neq; Hippocrates idem nunc repetit, ut quidam inquiunt, de uentis & nunc disputans. Superius enim de malicia ipsorum & perduratione disputauit. Deinde ipse intentionem ponit, inquiens, ἐνταῦθα μέντοι καὶ τὰ κακὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ λέγει, τὰ συμβαίνοντα ἐν αὐταῖς. idest, hic quidem & mala & bona dicit, quæ in ipsis accidunt.

Αἱ δὲ καθ' ἡμέραν καταστάσιες. idest, Constitutiones autem quæ de die in diem fiunt.] Hæc pars ueluti inscriptio est eorum quæ sequuntur, sicut & in alijs quibusdam aphorismis titulo uti uidetur, ut ea quæ consequuntur, indicaret. De his ergo constitutionibus sermo futurus est, quæ quotidie fiunt & perseuerant.

Αἱ μὲν βόρειοι, τά τε σώματα ξυνιστᾶσι. idest, Aquiloniæ quidem corpora densant uel constipant: nam Boreas uentus est frigidus & siccus, qui superfluos nostri corporis humores dissoluit, & eiusdem nostri corporis partes constringit. Vnde & Philotheus eadem ratione hæc fieri dicit, διότι ὁ βορρᾶς ψυχρὸς καὶ ξηρὸς ὤν, τὰ ἐν τῷ σώματι περιττὰ ἀναλίσκει, καὶ τόνον ἐντίθησι τοῖς ὀργάνοις τῇ πιλήσει καὶ ψύξει, καὶ συνέχει τὰς δυνάμεις, διὰ μὲν γὰρ τὸ φαίναι εὐκίνητα. idest, Quoniam quum Boreas frigidus & siccus sit, in corpore superflua consumit, & organis constrictione & frigiditate intentionem imponit, & continet naturales facultates, unde & bene mobilia uidentur. Quamuis Hippocrates in secundo libro De alimentis, Boream frigidum & humidum, Austrum calidum & siccum posuerit. At is liber à Galeno uel Thessali uel Herophili existimatur, non autem Hippocratis. Id uero intelligẽdum forte est, in locis propinquis, & eorum respectu qui sub Aquilone & Austro inhabitant. Tamen nos potius hanc sententiam omittamus, quoniam & quæ in illo loco sequuntur, absurda esse constat: ut id quod Auster à polo antarctico, & non à meridie spiret. Aquilo igitur nostris corporibus robur adijcit ea densando: qđ quisq; in se ipso facile experiri poterit: robustiores enim cũ spirat Aquilo, efficimur.

Καὶ εὔτονα. idest, Et contentiora corpora faciunt.] idest, robusta & tensa. nam quum nostri corporis partes exiccantur, tensiores fiunt, & ex consequenti robustiores. possemus etiam intelligere quod id uerbum ξυνιστᾶσι uel συνιστᾶσι, hanc particulam εὔτονα determinet, nisi hæc particula καὶ impediret, quæ distinctionem esse ostendit: tunc uero sensus erit, Aquiloniæ constitutiones robustiora corpora constituunt: nam & συνίστημι, constituo significat. Quicquid autẽ sit, Hippocrates edocere studet, nos in aquilonijs constitutionibus robustiores esse.

Καὶ εὐκίνητα. idest, Et bene mobilia] scilicet corpora faciunt, quia humoribus exiccatis

catis, corpus leuius efficitur, & siccitas uires neruorũ & neruosarũ partiũ exauget: propterea corpus bene mobile efficitur, & talem leuitatẽ sentit, quod cõtineri non possit.

Καὶ εὔχροα.] Theodorus & Leonicenus interpretati sunt, Coloratiora fieri corpora: sed nos potius Bene colorata, interpretãdum esse ducimus: nam corpus in malo etiam colore, coloratius esse potest, si malus color intendatur: & hoc præsertim, quia uocabulum hoc εὔχροον, bene coloratum significat: nam particula εὖ, bene significat, & uim comparatiui non habet. Etenim Aquilone spirante, iecoris uis fortior efficitur, & sanguificationes meliores euadunt: quoniam naturalis calor ex Aquilonis frigore contrahitur, & aptius intus operatur, multiq; spiritus generantur, qui quum ad circunferentiã exeunt, bonum colorem faciunt, idest uiuidum & apertum.

Καὶ ὀξυηκοώτερα ποιέουσι. idest, Et melius audientia faciunt.] Hoc uerbum Faciunt, superioribus etiam particulis deseruit. At non solum auditus in siccitatibus acuitur, imò & omnes alij sensus bene uigent, quoniam in siccitatibus nerui omnes cõualescunt, & inter ipsos nerui sensorij: fieri tamen posset uisum, odoratum & gustum in Aquilonia constitutione non uigere, sed illud per accidens est, si accidat ob uenti frigiditatem cerebrum humiditate plenum, tanquam à manu constringi: propterea materias aliquas ad oculos, nares & palatum transmittat, ut horum instrumentorum sensus obtundantur: ideo statim addit, Oculos mordere. At de solo auditu sermonem habuit, quia hæ materiæ, quæ per expressionem destillant, ad aures descendere uel transmitti consuetæ non sunt: sed bene ad oculos, nares & palatum. Philotheus addit, Boream corpora bene colorata reddere. Hæc quæ prædixit Hippocrates commoda sunt, quæ ex aquilonia constitutione haberi possunt. Nunc sequuntur incommoda, quæ (ut dicit Philotheus) ὅσα μικρὰ ἐν αὐταῖς κακά. idest, sunt parua in ipsis mala.

Καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι. idest, Et aluos exiccant.] Quia feces exiccantur, tum ob ipsam siccam tempestatem, tum quia totum corpus arescit. Adde, quòd exiccatis extrinsecis partibus à Boreæ flatu, hæ extrinsecæ ab intrinsecis humiditatem trahunt, ut Galenus quinto huius libri Aphorismo edocuerat, in quo loco ratio assignata est, cur in Aquilonijs constitutionibus alui duræ fiant: quum uero intrinsecæ partes extrinsecis humiditatem suam impartiantur, ipsas quoq; exiccari necesse est.

Καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι. idest, Et oculos mordent.] Nam ob Aquilonis siccitatem oculi exiccantur, ut morsus quidam persentiatur: ea enim sicca qualitas & per se ipsam in oculo morsus inferre potest: & quia ad oculos biliosas quasdam materias transmittere possunt. Nec obstat, mordicationem à calido fieri, quoniam & siccum ipsum mordicationem parit.

Καὶ περὶ τὸν θώρακα ἄλγημα εἴ τι προϋπάρχει μᾶλλον πονέουσι. idest, Et circa thoracem si quis dolor præest, magis dolent.] Ego enim thoracem potius interpretandum puto, quàm pectus: quoniam pectus thoracis pars est, nisi per pectus totam costalem partem, & medium uentrẽ intellexerimus: hæ enim partes à frigore male afficiũtur, ut longius aphorismo quinto dictum est, imò Aquilo ipse pectoris dolores, qui prius nõ aderant afferebat, quanto magis iam factos augebit? Hoc tamen in omnibus hominibus non inuenitur, sed in his potissimum qui tenues sunt & macilenti.

Αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα. idest, Austrinæ autem dissoluunt corpora.] Philotheus hic dubitat, inquiens, καὶ ἴσως ἀπορήσει τις, ὅτι ἀνωτέρω διαλεγόμενος περὶ τῶν ἀνέμων, ἀπὸ τοῦ νότου ἤρξατο. ἐνταῦθα δὲ ἀπὸ τοῦ βορρᾶ. καὶ λέγομεν, ἐπειδὴ ὑγιεινότερός ἐστι τοῦ νότου, καὶ θέλων ἐκτραγῳδῆσαι τὰ συμβαίνοντα ἐν αὐτοῖς, ἀπὸ τούτου ἤρξατο, ὡς πλεονεκτοῦντος· θέλων δ᾽ ἐξειπεῖν, ἀπὸ τοῦ νότου ἤρξατο, ὡς περιττεύοντος εἰς αὐτά. idest, Et forte quispiam dubitabit, quomodo superius de uentis disputans, ab Austro incepit, hic autem à Borea. Et respondemus, quoniã magis sanus est Boreas Austro: & enumerare uolens de his quæ in ipsis accidunt, ab hoc incepit; tanquam incipere uolens à præualente, ab Austro incepit, ueluti in hæc redundante. Ad rem igitur redeuntes, In Aquilonia constitutione (ut superius uisum est) multa bona habentur: in Australi uero nihil boni adest. In primis enim Boreas corpora densat, Auster uero dissoluit, debilioraq; reddit: nam corporis humani poros humiditate replet, & corpora ipsa grauiora reddit, & ad motum ineptiora, uiresq; tollit, & neruos implet: unde constitutiones Austrinæ nos resoluunt, &

quamuis humana uita in calido & humido sita sit, in his tamē moderate & per proportionem quandam sita est, & in intrinseco humido. Hæc autem extrinseca humiditas, cum simul caliditati miscetur, implet, aggrauat & dissoluit, quoniam ad uitam nostram proportionem nullam habent.

Καὶ ὑγραίνουσι. idest, Et humectant.] Nam Auster humidus est, & pluuiosi Noti à poetis decantantur.

Καὶ καρηβαρίας. idest, Est capita aggrauant.] Quoniā humiditate implentur: quæ ideo magis penetrat, quoniam caliditati iuncta est. Hæc autem humiditas grauitatem facit.

Καὶ βαρυηκοΐας. idest, Et auditum obtundunt.] Sicuti econtrario Boreas acutiorem reddebat, quia auditus organum humiditate impletur. Aliqui cōtextus sunt, in quibus hæc particula præcedentem antecedit: aliqui in quibus sequitur, sed quo ad rem ipsam nihil facit, uel dicamus auditum obtundunt, & capita grauant, uel capita grauant, & auditum obtundunt.

Καὶ ἰλίγγους ἐμποιέουσιν. idest, Et uertigines faciunt.] Nam capite multa humiditate repleto flatus excitantur, qui circa oculos mouentur, & uertigines pariunt. Est autem hæc uertigo quæ ἴλιγγος dicitur, ab ea multum diuersa, quam σκοτωμίαν uocant, & à qua σκοτωματικοὶ idest uertiginosi nuncupantur: nam hæc in cerebro fundamētum habet & sedem, & Paulo teste capite duodecimo libri tertij fit cum cerebrum gelidi glutinosiq; humores occupauerunt. Illa autem, de qua nunc sermonem habet Hippocrates, ex humidis & calidis humoribus fit ad oculos euaporantibus, & commotionem quandam fere & palpitationem circa uisum facientibus, propterea ego interpretarer, & uertigines oculorum faciunt, & non ut Theodorus interpretatur, qui ita dixit, uertigines mouent oculis: deinde illam particulam oculis, amplius non ponit, quæ cum sequentibus apponēda est, ut statim uidebitur. fit uero ex calidis & humidis uaporibus, qualem Aetius libro sexto, capite septimo etiam fieri dixit, & ideo nō sunt proprie uertigines, quæ σκοτωμίαι dicuntur, illæ quæ in hac constitutione fiunt, sed quæ ἴλιγγοι idest oculorum uertigines uocantur, quæ in Borealibus etiam constitutionibus per accidens fieri possent, tamen rarius accidunt, in australibus frequētius. Tamen Philotheus ἰλίγγους definit per σκοτοδίνησιν, inquiens, ἔστιν γοῦν ἡ ἴλιγξ, σκοτοδίνησις. idest, Est autē ilinx uel uertigo, scotomia. statim uero eandem ferè rationem assignat huius uertiginis, quam nos superius reddidimus, inquiens, γίνεται δὲ ἐν τοιαύτῃ καταστάσει οὕτως, ὅτι οἱ νότοι ὑγραίνουσι τὰ σώματα. αὕτη οὖν ἡ ὑγρότης ἀτμοειδῶς φέρεται ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ συναναπλέκει τῷ ψυχικῷ πνεύματι, καὶ ἀμαυροῖ ἐπὶ αὐτήν. τὸ γὰρ οὖν τὸ ψυχικὸν πνεῦμα μὴ δυνάμενον ὀρθοπορῆσαι περιφέρεται, καὶ εἰλίσσεται ὧδε κἀκεῖσε, καὶ ποιεῖ τοὺς ἰλίγγους. idest, Fit autem in tali constitutione hoc modo, quod austri humectant corpora. Ipsa igitur humiditas per modum uaporis in caput fertur, & complet frigido flatu, & offuscat ipsum. Hic igitur frigidus flatus non potens recte procedere circunfertur, & in eo loco flectitur, & uertigines facit.

Ἐν τε τοῖσι ὀφθαλμοῖσι, καὶ ἐν τοῖσι σώμασι δυσκινησίην. idest, In oculis autem, & in corporibus difficilem motum præstant.] Capite enim humiditate pleno, genæ etiam implentur, & oculorum intrinsecæ partes, unde ad motū ineptiores redduntur: & quia caput plenum est, in quo omniū neruorum origo inuenitur, propterea omnia corporis membra ad motum ineptiora redduntur. Addeq; totius corporis insensibiles meatus impleri, & ex consequenti corpora aggrauare: his etiā meatibus plenis, eæ quæ in nostro corpore sunt humiditates, resolui non possunt, neq; euaporare, unde totum corpus ad motiones ineptius redditur. Nec admiratione afficiaris, calida & humida corpora, naturali caliditate & humiditate, frigidis & siccis mobiliora esse, ut ex his præsentem aphorismum damnare cōtendas, quoniam hic de caliditate, & humiditate extranea sermonem habet, non autem de naturali.

Καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσιν. idest, Et aluos humectant.] Quod mirum non est, nam feces non exiccantur, sed humectantur, nec extrinseca membra coguntur ab intrinsecis humiditatem educere & exugere, quoniam ipsa satis superq; humiditatis habent: si uero in hac calida & humida constitutione quicquam bonum sit, hoc est (quod tamē simpliciter bonum dici non debet, sed cum respectu) si deniq; constitutiones istas unà comparemus, austrinam, & aquiloniam, statim austrinam aquilonia multo deteriorem esse

inueniemus

inueniemus. Nec illud obstat quod nonnulli in medium afferunt, Australes constitutiones à centro ad circunferentiam trahere, quia calidæ sunt, & ideo in his constitutionibus feces exiccentur. At nos ex opposito dicimus, hanc tractionem modicam esse, & imò humiditas ipsa quæ dominatur, totum replet, & omnes meatus occupat: transitque hæc humiditas (comite caliditate & adiutrice) ad intimas corporis partes. Argumenta uero quæ à recentibus in hunc aphorismum fiunt, ut id quod corpora ex ætate, & ex naturali temperatura, & ex morbo debilia, propter Boream fortiora non fiunt, sed potius debiliora. Addunt, frigiditate immobilitare, propterea ab Aquilone corpora mobiliora reddi non poterunt. Sed hæc nullius momenti sunt, quoniam aphorismus ipse in sanis & robustis corporibus intelligendus est, & quæ etiam bene carnosa sint, quoniam alij qui ita affecti non sunt, pro ægris existimãtur: nec tu per bene carnosos, pingues intelligas, sed eos qui in carne mediocritatem habent: imò & in tenuibus biliosis aphorismus uerus est, tum quia frigiditas per accidens calefacit, quoniam intus contrahitur calor, tum quia siccitati addita neruosa membra corroborat.

GALENVS

QVVM frigidus ac siccus uentus sit Aquilo, omnes corporis consumit superfluitates. Robur autem adijcit ipsis instrumentis, ex eo quod adstringit, & in unum cogit densando substantiam. Ob hoc (ut inquit) omnia meliora fiunt, & secundum naturæ, & animæ operationes. Nam animæ quidem operationes, ostendit per ea uerba, Bene mobilia, & melius audientia. Naturę uero, quum inquit: Bene colorata. Communis autem utrisque est, quod contentum nominat: & clarum est, quod ex uno sensu auditus, ueluti exemplo quodam, etiam de alijs ostendit. Hæc igitur bona adsunt Aquilonijs cõstitutionibus, quibus maxime perfruuntur, qui salubre corpus habent, & ex his ipsis humidiores. Adsunt uero & mala quædam hisce constitutionibus, uerum parua, & non similia malis, quæ Auster affert. Cur enim non parua sint, & aluum cohiberi, ac mordeti oculos, & præcedentes dolores pectoris excitari: nosces autem ipsorum paruitatem Australibus comparans constitutionibus, quas dixit dissoluere corpora. Maximum enim hoc malum ad opus omne, siue animæ sit, siue ad uitam pertinens. Non paruum autem, & malum est aggrauatio capitis, & difficilis auditus. De uertiginibus autem quid dicere oportet? quæ proximæ sunt morbis comitialibus, & his quos apoplexias nominant. Sed & difficilem (inquit) operatur, & oculorum, & totius corporis motum. Parui autem sunt huiuscemodi casus. Solum autem est in ipsis quoddam mediocre, quod aluos reddit humidiores. Hoc autem efficiũt & alia omnia, maxime quidem propter humiditatem, uerum etiam propter caliditatem. Et quod in initio sermonis scribitur, melius fuisset ordinem cõmutasse, ut primum quidem foret uerbum Humectant, secundum uero Dissoluunt, deinde ea quæ deinceps sequũtur. Quia enim humectant, ob hoc & singula alia operantur, conferente ad hæc & caliditate. Fiunt siquidem operationes per solidas animalis partes, quæ ueræ sunt eius partes. Aggrauantur autem & hæ, quapropter & deterius operantur, propter humiditatum excessum.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus rationem reddit bonorum quæ ab Aquilone fiunt, inquiens, Quum uentus sit frigidus & siccus, nostri corporis superfluitates consumit, & instrumenta robustiora reddit: hoc autem constringendo & in unum densando conficitur: propterea omnes operationes quum animæ, tum naturę, perfectiores euadunt. Sunt autem animæ operationes perfectiores, quia corpora bene mobilia & melius audientia fiunt, naturæ uero operationes fortiores sunt, quoniam corpora bene colorata faciunt. Id uero quod ab Hippocrate contentũ dicebatur, ad operationes naturæ, & animæ operationes commune erat. In uno autem auditus sensu exemplum dedit, ut in omni sensu idem esse uerum cognosceremus: quamuis & illud addi posit, in auditu hanc constitutionem semper prodesse: in alijs uero sensibus quandoque obest, licet per accidens sit, & potissimum in uisu, odoratu & gustu. Additque Galenus conditiones quasdam, quibus bene intellectis recentiorum argumẽta facile solui poterunt: unum est, quod hæc bona Aquilonijs cõstitutionibus adsunt, in illis præsertim hominibus qui salubre corpus na-

cti sunt: ex qua conditione, argumentum illud recentiorum ansam corruendi accipit, quando de ægris, de ualetudinarijs, deq; extreme tenuibus dubium fecere: sed hoc de tenuibus ex secunda conditione soluendum erit, quę talis est: Boream illis potissimum conferre, qui humidiores sunt. Ex quo educi potest, plurimum siccis non conferre: & ratio in promptu est, quia nimis exiccantur, & quia hi quum tenues præter modum sint, à Boreæ frigiditate male afficiuntur, quoniam adeo tenues sunt, ut frigiditas à latere in latus, ab ante & retro penetrare posit.

Quod ita in Galeno legitur, Ob hoc (ut inquit) omnia meliora fiunt, & secundum naturæ & animæ operationes: contextus Græcus hoc modo habet, διὰ τοῦτ' οὖν βελτίω πάντα γίγνεσθαι φησὶ κατά τε τὰς ψυχικὰς καὶ τὰς φυσικὰς ἐνεργείας. idest, Propter hoc igitur omnia meliora fiunt, & secundum animales, & secundum naturales operationes. In Aldino codice prius est naturales, deinde animales. Magis gratũ mihi est, Animales & naturales legi, quàm Animæ & naturæ. Sunt autem omnes animales, quæ à cerebro dependent, naturales uero à iecore: ab hepate totius corporis motus, & sensationes omnes dependent, à iecore bonus color.

Quod statim sequitur, Nam animæ quidem operationes & naturæ: legendum potius duco, Animales & naturales. quoniam & Græcus contextus semper habet, ψυχικὰς καὶ φυσικάς.

Quod postea legitur, Communis autem utrisq; est quod contẽtum nominant: Græcus codex habet, κοινὸν δὲ ἀμφοῖν, ἡ εὐτονία. idest, Commune autem ambobus quod contentum nominãt: lege Commune, non Communis. Leonicenusq; hanc particulam εὐτονία, intentio, contentum interpretatur. Nos potius interpretaremur, bene robustum esse, uel uehementia spirituum. Hæc enim partim ex ui animali, partim ex ui naturali prouenire possunt.

Quod etiam hoc modo scriptum est, Et ex his ipsis humidiores; aliqui sunt, qui hanc particulam Inquam, addere uolunt, ita legentes, Et ex his ipsis humidiores inquam. tamen Græcus codex non ponit, sed simpliciter ita habet, ἐκ τούτων αὐτῶν οἱ ὑγρότεροι μᾶλλον.

SECVNDO, Galenus ea mala prosequitur, quæ ad Aquiloniam constitutionẽ consequuntur, & quæ si ad unguem cõtemplemur, respectu malorum quæ ab austro fiunt, paruissima sunt, & modice molesta. Quid enim est aluum cohibere, oculos mordere, & præcedentes pectoris dolores excitare? hæc enim sunt uenialia peccata: sed corpora dissoluere, quod ab austro fit, ad omne opus ingens malum est, & mortale peccatum.

Quod dicitur, Nosces autem ipsorum paruitatẽ, australibus comparans constitutionibus: deest hæc particula Manifestius. nam hoc modo legẽda est hæc pars, Nosces autem manifestius ipsorum paruitatem australibus comparans constitutionibus. Græcus enim codex legit, γνώσῃ δὲ ἐναργέστερον αὐτῶν τὴν σμικρότητα, παραβάλλων ταῖς νοτίαις καταστάσεσιν. Ex quibus uidere potes hanc particulam ἐναργέστερον, à Leoniceno prætermissam esse, uel à librario: aut in suo Græco contextu non aderat.

Quod etiam dicit, Maximũ enim hoc malum ad opus omne, siue animæ sit, siue ad uitam pertinens. ego potius interpretarer, Et animale & uitale: quoniam Græce est, ζωτικόν τε καὶ ψυχικόν. Ita legunt antiquus noster contextus, & Aldinus. Sed alter est, qui habet φυσικόν τε καὶ ψυχικόν. idest, & naturale & animale. Et hæc lectio forte melior est, ut pręcedentibus correspondeat: nam superius de naturali solum & animali sermonem habuerat: tamen quicquid sit, & ipsæ uitales uires debiliores euadunt.

TERTIO, Galenus per omnia incommoda & mala quæ ab austro fiunt, discurrit: in quo loco, in hac Leoniceni interpretatione multa uerba desunt, quæ in Aldino codice sunt, & in margine antiqui mei. Quum enim à Galeno dicitur: De uertiginibus autem quid dicere oportet? quæ proximæ sunt morbis comitialibus, & ijs quos apoplexias nominant. post hæc uerba in Græco contextu ista sequuntur, ἴλιγγος γὰρ ἐστιν ἡ σκοτοδινεία, ἥ τις γίνεται ὑγροῦ μετὰ παχέος πνεύματος κινουμένου κατὰ τὴν κεφαλὴν, διὸ καὶ προγίγνεται ἐπιληψίας καὶ ἀποπληξίας. Quæ ita ad uerbum referri possunt, Vertigo enim est scotidinia, quæ fit humore cũ crassitie spiritus in capite moto, & ideo præcedit epilepsiam & apoplexiam. Postea in Leoniceni interpretatione sequitur, Sed & difficile (inquit)

operantur

operantur: & reliqua. Vides quam necessitatem habeant hæc uerba, quæ quid per ἴλιγγον, idest uertiginem, intelligendum sit, exponunt.

Quod deinde statim sequitur, Parui autem sunt huiuscemodi casus: Græcus contextus habet, μοχθηρὰ δὲ καὶ ταῦτα τὰ συμπτώματα. idest, Praua autem & hæc symptomata, uel, Praui autem & hi casus. arbitror librarium in causa fuisse, qui deprauauit contextum, & ubi erat Prauum, ipsum incuria sua Paruum, posuisse: reliquosq; sine consideratione, Paruos, semper impressisse.

QVARTO, Galenus docet, in australi constitutione quid boni habeatur: imò quũ nihil habeat boni, dicit hoc mediocre sibi inesse & non perfecte bonum, quod alui humidæ fiant, sed hoc etiam ab alijs humiditatibus infertur.

Quæ scripta sunt, Quòd aluos reddit humidiores: in plurali legenda sunt, Quòd aluos reddunt humidiores. Nam Græcus contextus habet, ὅτι τὰς γαστέρας ὑγροτέρας ἀποφαίνουσι.

QVINTO, Galenus uerba quædam in aphorismo posita ordinat: nam prius Humectat, legendum esse iudicat, postea Dissoluunt. & hoc merito, quoniam opus est, si partes dissolui debeant, quod prius humectentur: & deinde omnia, quæ in aphorismo ab Hippocrate scripta sunt, consequantur: sed hoc potissimum fit caliditate fauente: quod à Philotheo etiam annotatur.

Denique Galenus docet, per quam uiam animalium operationes fiant: inquit autem, Fiunt per solidas partes, quæ uere partes sunt: ideo ipsis humiditate plenis deterius operantur.

Quod dicitur, Aggrauantur autem & hæ, quapropter & deterius operantur: Græca ita leguntur, βαρύνεται δὲ ταῦτα, καὶ διὰ τοῦτο ἀργῶς χρᾶται. idest, Aggrauantur autem hæ, & propter hoc deterius operantur. Hoc modo commodior est uerborum applicatio.

Si uero dubitas, an omnes animalis operationes per membra solida fiant. Respondemus, omnino fieri: quia omnes partes quæ operantur, in ipsis sunt.

APHORISMVS XVIII

PEr tempora anni, uere quidem & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optime degunt, & sani sunt maxime. Æstate uero & autumno, usque ad aliquid, senes. Reliquum & hyeme, qui mediam ætatem habent.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus medicum adeo prudentem reddit, quod ex anni temporibus, quæ per circuitum fiunt, quicquid futurum sit, prædicere sciet. Hæc autem quatuor tempora sunt, in quorum singulo naturæ aliquæ peius melius ue se habent: ita ergo sentẽtiam suam exorditur, Pueri, & qui hanc ætatem sequuntur, usque in iuuentutem, uere & in principio æstatis bene se habent, quia respectu ipsorum temperata sunt: econtrario senes in æstate bene se habent, & in principio autumni primo: nam quum ad hyemem accesserint, male se habent: qui uero in media ætate sunt, ut consistentes, hi in hyeme & in reliquo autumni bene se habent. Ita uero à Philotheo hic Aphorismus introducitur: ἐνταῦθα λέγει, ὅτι αἱ εὔκρατοι ἡλικίαι, ἐν ταῖς εὐκράτοις ὥραις καλῶς διάγουσιν. αἱ δὲ δύσκρατοι, ἐν ταῖς δυσκράτοις ὥραις. αἱ δὲ μέσαι ἡλικίαι, ἐν ταῖς μέσαις. idest, Hic dicit, quòd bene temperatæ ætates, in bene temperatis tẽporibus bene degunt: intemperatæ uero, in intemperatis temporibus: at mediæ ætates, in medijs temporibus. Celsus capite primo secundi libri præsentem aphorismum hoc modo interpretatus est: Quod ad ętates uero pertinet, pueri, proximiq; his, uere optime ualent, & æstate prima tutissimi sunt. Senes, æstate, & autũni prima parte. Iuuenes hyeme, quiq; inter iuuentã senectutemq; sunt. Inimicior senibus hyems, ęstas adolescẽtibus est. Ita Celsus Hippocratẽ in hoc loco interpretatur. Galenus libro 8 De decretis Hipp. & Plat. hunc aphorismũ citat: quo in loco Platonẽ reprehendit, qui tali ordine doctrinæ uti debuerat: eumq; laudat, utpote qui de

his rebus medicis, quas ignorabat locutus non sit, tamen addit, scire debuisse, quia res naturæ sunt. At ne forte quæras, hæc sunt uerba huius aphorismi ibi citata. Atque in anni temporibus, uere & prima æstate pueri, quique his æstate quàm proxime accedunt, optime degunt, & maxime ualent: æstate & autumno ad quandam partem senes: extrema autumni parte & hyeme in media ætate constituti. Miraturque Galenus de Platone, qui quum Timæum conscripsit prouectus fuerit, hæc tamen ignorauerit.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας. idest, Per tempora anni.] Hæc pars tanquam aphorismi inscriptio uidetur, ut in quibusdam etiam præscriptis aphorismis fecit: nam de temporibus anni ad ætates comparando sermo futurus est: ut etiam Oribasius dicit, inquiens, Hippocratem hoc loco duo tempora in primis, & duas ætates comparare: postea duo alia tempora, & duas alias ætates: sed ipse ex uno duos aphorismos ordinat. Celsus huius aphorismi titulum non facit, ut de temporibus anni sermo fiat, sed de ætatibus: propterea dicit, Quod ad ætates uero pertinet & principium Commenti Galeni, intelligere uidetur, de ætatibus sermonem futurum. Ipse uero hunc aphorismum ad naturas ampliat, ad ætates, ad regiones, ad exercitia, quia ut in libro superius citato De decretis Hippocratis & Platonis octauo Galenus edocet, Hippocrates nunquam de uno horum pertractat, quin de omnibus alijs intelligendum esse iudicet.

Τοῦ μὲν ἦρος. idest, Vere quidem.] Opus autem est uer totum intelligere, quamuis & in medio & in ultima parte melius ualeant.

Καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος. idest, Et extrema æstate, uel Prima æstate.] Est uero prima æstas initium æstatis, quod aliquo modo ueris naturam sapit: nam quæ se consequuntur tempora, per media ad extrema proportionata pertranseunt. Æstas autem in tres partes secatur, sicut & alia tempora, quæ in tres menses distinguuntur. Itaque per primā æstatem primum æstatis mensem intellige, in quo ueris extremus mensis communicat: uer autem temperiem illam exquisitiorem habet, quę inter quatuor anni tempora haberi possit, deinde æstatis principium consequitur.

Οἱ παῖδες. idest, Pueri.] Quæ ætas calida & humida quum sit, ueri proportionata inuenitur, mediæ præsertim ueris parti, quæ omnibus alijs partibus temperatior existit.

Καὶ οἱ τούτων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν. idest, Et qui hos sequuntur ætate, uel qui his proximi sunt. Hi autem sunt adolescentes, ut Galenus interpretatur. Et Philotheus etiam exponens quid per has ætates intelligendum sit, inquit, τουτέστι τὰ μειράκια, idest, hoc est adolescentes. At Oribasius iuuenes intelligit, quorum ætas puerilem ætatem consequitur. Galenus uero ætatem τῶν μειρακίων, idest adolescentulorum ponit, quam omnium ætatum optimam esse dicit, quia summam temperiem calidi & humidi nacta est, si quæ altera ætas in his qualitatibus temperiem habeat.

ἄριστά τε διάγουσιν. i. Optime degunt] Ob conformitatē temperiei naturæ ad tempus.

Καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα. idest, Et maxime ualent.] Quoniam ob temporis constitutionem alterationes habere non possunt, quæ ipsos alterent, & ad malum permutent: quoniam temperiem conuenientem seruant, in qua conseruantur, & optime uiuunt, idest quiete & sine noxa. Et Oribasio teste, duæ sunt ętates, pueritia, & iuuentus (ego potius in Oribasio adolescentiam interpretatus essem) quæ se consequuntur, ita ut hæc duo tempora uer & æstas se consequuntur: in quibus temporibus hæ ætates congruæ sunt, & suaues humores habent, qui in nostro corpore nullum discrimen parere possunt. Bene autem ualent (inquit Oribasius) tum quia non ægrotant, tum quia si ægrotent, ægritudines cito finiunt. Galenus autem dicit, adulescētes uere, pueros autem in principio æstatis optime degere. Celsus inquit, pueros, & his proximos: cui assentiendum puto: pueros in uere optime sanos esse: qui autem sequuntur, in principio æstatis, quamuis in his omnibus temporibus hæc intelligi posint. Nos uero hanc rem bene cōsiderantes, induci non possumus, ut iuuenes intelligamus, qui in principio æstatis bene se habeāt, imo eis nocet hoc principium, ob caliditatem illam quam habet: quamuis adhuc intensa non sit. Per pueros ergo & sequentes uniuersum tempus à principio ortus usque ad iuuentutem intelligimus, in quo infantia & pubertas comprehenduntur: his autem ætatibus uer & principium æstatis, ob suam temperiem conferunt.

At si

At si dubites, pueros humidos esse, propterea ab humido potius lædi, & ideo in uere magis lædentur. Respondemus, pueros omnino humidos esse, si ad iuuenes & senes comparentur, tamen pro ratione uitæ humidi non sunt, imò principia uitæ potiora habent, & quæ si in eodem statu permanerent, & non immutarētur, in longum æuum traheremur, habentq; ratione uitæ temperiem, unde à moderatis temporibus iuuantur. Id tamen aduertito, inter pueros, alios magis temperatos esse, alios minus, quibus secundum suam temperiem, tempus aliquod respondet. Qui inter ipsos calidiores sunt, biliosiores'ue, his principium ueris magis conuenit: qui uero magis temperati, his medium: qui autem magis frigidi sunt & pituitosi, his ultima pars ueris & initium æstatis magis conuenit. nam temperatæ naturæ simili conseruantur, intemperatæ contrario.

τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μὲν τινὸς οἱ γέροντες. idest, æstate autem & autumno usq; ad aliquid senes.] Quia frigidi sunt, propterea in æstate bene illis est, & etiam per accidens humidi sunt: non autem ob ætatis decursum. bene autem se habēt, & optime degūt, idest motiones perfectiores habent, & intrinsecas corporis operationes, nec facile à morbis capiūtur: quia intemperaturæ omnes, ut illæ senum sunt, in temporibus sibi oppositis melius se habent. Per æstatem uero, medium æstatis intellige, & per aliquid autumni, principium & primam autumni partem quæ æstati affinis est. Vnde Celsus explicauit, senes æstate & autumni prima parte, hāc rationem asignat Philotheus: ἐπειδὴ ψυχροί εἰσιν τῇ φύσει, καὶ ὑπὸ τῆς θερμότητος τοῦ θέρους καὶ ὀλίγου τοῦ φθινοπώρου κολάζεται αὐτῶν τὸ ψυχρὸν, ἐντεῦθεν καλῶς διάγουσιν. idest, Quoniam frigidi sunt natura, & à caliditate æstatis atq; pauco autumno frigus ipsorum corrigitur, hinc bene degunt.

Si uero dixeris, æstatē siccam esse, propterea senibus qui sicci sunt natura, obesse potius, quàm prodesse. Respondemus, siccitatem omnino non cōuenire, nisi humidi sint, quod tamen per accidens est, unde in æstate ueri senes qui frigidi & sicci sunt, ob ætatem ex caliditate sola iuuamentum habent, quoniam non sinit eorum corpora in frigiditatem ætati propriam progredi. At aliqui senes peius, aliqui melius in æstate degunt: qui frigidi & humidi natura sunt, melius, biliosi uero peius uiuunt.

τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ χειμῶνος, οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι. idest, Reliquum autē autumni & hyeme qui mediam ætatem habent.] Leonicenus interpretatur Reliquum, & non addit autumni: & re uera in codice Aldino & in meo antiquo non adest, sed in alio codice adest: mihiq; magis placet quod adsit. Per medios ætate, illos Galenus intelligit, qui in summo uigore sunt. Oribasius, medios inter iuuentutem & senium, hi autem in summo uigore sunt. Et Celsus hoc eodem modo dicit, Quiq; inter iuuentam senectutemq; sunt. Ego autem & iuuenes & consistentes etiam intelligo, qui secundæ parti autumni & hyemi oppositam temperaturam habent. Tamen Philotheus dicit, per μέσους intelligendos esse ἀκμαζόντων, idest consistentes: & rationem asignat, ἐπειδὴ θερμοί εἰσιν τῇ ποσότητι, καὶ δριμύτερον ἔχουσι τὸ θερμόν. ἡ οὖν ψύξις τοῦ φθινοπώρου καὶ χειμῶνος, εἰς εὐκρασίαν αὐτοὺς ἄγει, κἀντεῦθεν καλῶς διάγουσιν. idest, Quoniam calidi sunt secūdum quantitatem & acriorē calorem habent. Frigiditas igitur autumni & hyems ipsos in bonam temperaturā ducit, & hinc bene degunt. Nec id existimes quod absolute uelit hisce ætatibus autumnum simpliciter conferre, sed solum ratione qualitatis frigidæ confert, & quia illis minus nocet quàm aliis, qui ętates alias habent. hic etiam intelligere opus est, iuuenes adeo pituitosos inueniri posse, q̄bus æstas proderit, & hyems nocebit. At Hippocrates hoc in illis intelligit, qui qualitates ætatis habere deberent.

GALENVS

NON solum in ætatibus, uerum & in omnibus aliis, quæ secūdum temperaturam uel modice se habent, uel immodice, si quis sermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit, uerum inueniet. naturis siquidem, ætatibus & regionibus bene temperatis optimū tempus est, quod summam habet temperiem, quum eum quo præditæ sunt habitum, non permutari, sed cōseruari desiderent: quoniam omne quod est, à similibus quidem conseruatur, à contrariis autem trāsmutatur. Quare puerorum ætas, adhuc autem magis adolescētium (hæc enim est omnium ætatum optima) uere optime degunt, & eadem ratione quæcūq; uel regiones uel naturæ sunt bene temperatæ. Adiunxit autem ueri principium æstatis Hippocrates in latum ostendens uniuscuiusq; theorematis

tis utilitatem. Magis autem exquisitus sermo fuisset, si ita scripsisset, Adolescẽtes uere, pueri æstatis principio, optime degunt. In senibus uero propter temperaturæ frigiditatem æstas utilissima est, sicuti his qui in ætatis uigore consistunt, hyems maxime confert. Hæc enim cõtraria est illi quæ in his fit ex bilis multitudine, intemperaturæ. Sic & naturarum, hæ quidem biliosiores, hyeme optime degunt. Pituitosiores autem, æstate. Bene autem temperatæ, uere. Similiter & regiones, quæ quidem bene temperatæ, optimum uer habent, ex alijs uero frigidæ æstatem, hyemem uero calidæ. Et quidem pessima tempora unicuiq; ætati, atq; naturæ, & regioni, ex his quæ dicta sunt, possumus inuenire, nam maxime cõtraria sunt optimis, pessima. Eadẽ ratione & media inuenies inter optima, & pessima. Illud prçterea animaduertere oportet, quod uer quidẽ optimũ dicitur esse adolescentibus, alijs uero omnibus mediũ, neq; enim optimũ est, neq; pessimũ. Sic & ad naturas, & regiones se res habet: autũnus quidẽ omnibus malus est ętatibus, naturis, ac regionibus. Minus quàm aliæ ex ipsis lædũtur calidæ, & humidæ per autũnum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus aphorismũ ampliat, ad naturas, ad regiones, ad consuetudines, & breuibus ad omnia quæ secundum temperaturam modice, uel immodice se habent. & communis horum ratio est, quia omnia quæ sunt, à similibus conseruantur, à contrarijs uero transmutantur: ideo in temperata tempestate temperati bene se habent: qui uero distemperati sunt, per oppositum seruari debent: nam communis intentio est, & uniuersalis apud omnes probos medicos & apud naturã ipsam, temperatos homines per temperiem seruare: alios uero, qui in una qualitate excedunt ad temperiem reducere, quod fit suo contrario: & ideo naturç calidæ, in frigoribus bene se habent, frigidæ in caloribus, humidæ in siccitatibus, siccæ in humiditatibus, & eadem ratio est in cõpositis: temperatos autem homines temperie seruare debemus, quoniam temperatũ ad magis temperatum deduci non debet, nec potest, sed in suo esse conseruari satis erit: propterea quum pueri temperiem fere attingant, & etiam adulescentes, imò hæc est omnium ætatum optima, in uere optime degunt, & integris munijs uitæ funguntur. In regionibus eadem ratio est, & naturis bene temperatis. Adde tu, in exercitijs, & in bene temperatis edulijs. Quod legitur, Si quis sermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit: Græce est, ἐξετάζων, exquirens.

SECVNDO, Galenus causam reddit, cur ueri æstatis principium cõiunxerit, ut huius aphorismi utilitatem dilataret. Sed, inquit Galenus, sermo plenior fuisset, & magis distinctus, si in hunc modum legisset, Adolescentes uere, pueri æstatis principio optime degunt. si ita debeant sequi tempora, secũdum Oribasium, ut sequũtur ætates, opus esset dicere, pueros in uere, adulescẽtes in æstatis principio optime degere. At quia pueri humidiores sunt, Galenus forte illos ad æstatem reseruauit, in qua in illa prima æstatis parte optime ualeant.

Quod in hac parte legitur, In latum ostendens uniuscuiusq; theorematis utilitatem: In contextu Græco habetur, εἰς πλάτος ἐκτείνων τὴν χρείαν ἑκάστου τῶν θεωρημάτων, idest, in latum extendens uniuscuiusq; theorematis utilitatem: illa enim particula ἐκτείνων non ostendens, sed extendens & reddens significat, atq; dilatans.

TERTIO, Galenus ad alias ætates sermonem uertit, inquiens, Senes frigidos esse temperatura, propterea æstas his proficua est: hi uero qui consistentes sunt, propitiam hyemem habent: hyems enim temperaturæ biliosæ contraria est. In genere igitur, biliosæ naturæ hyems confert, pituitosæ æstas: bene autem temperatæ uer. Si uero ad regiones ampliare liceat, bene temperatæ regiones uer optimum habent, frigidæ æstatem, calidæ hyemem: eodem modo de exercitijs intelligere oportet, de cibis, de naturis, & de omnibus alijs rebus, quibus hæc tempora applicari possunt, ut inde uniuersalem regulam colligi nihil impediat, qua facile pessima & optima tempora unicuiq; ætati, naturæ & regioni inueniemus, quia optima pessimis sunt ualde contraria.

Deniq; Galenus dubia quçdam remouet, ne lectori impedimento sint. Vnum est de uere, quomodo uarijs ætatibus conferat. Optimum, inquit, est adulescentibus, alijs autem ætatibus medium est: medium uero, quia neq; optimũ dici potest, neq; pessimum: & quod in ætatibus dictum est, idem in naturis & regionibus intelligere conuenit.

Aliud

Aliud dubium de autumno est, qui respectu omnium ætatū malus uidetur, omnium naturarum, & omnium regionum, tamen calidæ & humidæ naturæ minus læduntur, quàm aliæ, quia autumni qualitatibus contrariæ sunt, propterea omnibus ętatibus conuenit uer, sed præcipue adulescentibus; omnibus ætatibus obest autumnus, sed minus calidis & humidis.

Quod legitur, Neq; enim optimum est, neq; pessimum, & si Græce sit ὑπάρχει. id est Est, tamen superioribus commodius iungeretur, si Esse, diceremus.

Quod etiam legitur, Minus quàm aliæ. legendum est, Minus autem quàm aliæ in ipsis, quoniam Græcus codex habet ἧσσον δὲ ἐν αὐταῖς τῶν ἄλλων.

APHORISMVS XIX

Morbi, omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: quidam uerò magis in quibusdam ipsorum, & fiunt, & excitantur.

BRASAVOLVS

QVVM in his aphorismis qui statim consequuntur, de morbis, qui in diuersis anni partibus fiunt, sermonem facturus sit Hippocrates, ne aliquis deceptus putet morbos illos solis illis temporibus fieri, de quibus mentionem faciet, & non alijs, hoc uniuersaliter theorema proponere statuit: omnes morbi, idest omnia morborū genera, in omnibus temporibus fieri possint, tamen aliqui sunt morbi, qui in aliquibus particularibus temporibus frequentius fieri consueuere. & huius ratio est, quia morbi ex solo temporum decursu non fiunt: sed multa alia sunt præter temporum constitutiones, quæ morbos pariunt, ut uictus genera, quando circa illa errores cōtingunt, passiones animi, potus inconsueti & abundantes, & eiusdem generis alia, propterea morbos omnes in omnibus temporibus fieri contingit, quoniam ex re alia, quàm à sola temporis qualitate fiunt. At si temporis qualitas, & nihil aliud, morbi causa esset, in eisdem temporibus ijdem morbi semper inducerētur. Philotheus uero hanc morborum distinctionem facit, quæ hic sequitur, antequam aphorismi expositionem aggrediatur, τὰ νοσήματα ἢ συγγενῆ ταῖς ὥραις, ἢ ἀλλότρια. καὶ τὰ μὲν συγγενῆ γίνονται ἐν ταῖς πρεπούσαις τῶν ὡρῶν κράσεσιν, τὰ δὲ ἀλλότρια, διὰ τὰ ἄλλα τοῦ βίου πλημμελήματα, οἷον διὰ δίαιταν. idest, Morbi uel congeneres sunt temporibus, uel alieni. & congeneres quidem in condecentibus temporū temperaturis fiunt. alieni uero propter alios uitæ errores, ut propter diætam.

Galenus octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, contra Platonem disputans hunc aphorismum citat his uerbis: morbi omnes in omnibus temporibus quidem fiunt, quidam tamen magis in quibusdam, & fiunt, & iritantur.

Νοσήματα δὲ πάντα. idest, Morbi autem omnes.] idest, omnia indiuidua cuiuslibet generis morborum.

Μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνονται. idest, In omnibus quidem temporibus fiunt.] Nulla etiam habita temporis ad tempus differentia: sed in uere omnes morbi fieri possunt, in æstate omnes, omnes in autumno, & hyeme, non tamen simul omnes in uno, sed in eodem successiue.

Μᾶλλον δὲ ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται. idest, Quidam uero magis in quibusdam ipsorum & fiunt & excitantur, uel iritantur.] Quia in aliquibus temporibus morbi quidam peculiares sunt. Tertianæ enim febres, ut plurimum in æstate fiunt, tamen & in hyeme fieri quandoq; uidemus. Oribasius totius aphorismi sententiam ita intelligit, quòd non omnes ægritudines in singulis temporibus fiant, sed quòd in continuatione temporum fiant: idest non omnes in singulis temporibus, sed aliquæ in aliquibus. Philotheus uero dicit, τουτέστι πλείους καθ' ἕκαστον αὐτῶν, αἱ οἰκεῖαι νόσοι γίνονται, ἧσσον δὲ αἱ ἀλλότριαι. idest, hoc est plures secundùm unumquodq; ipsorum proprij morbi fiunt, minus autem alieni. At de phthisi, si arguas, quam Galenus superius in tēpore sicco fieri non posse dicebat. Respondemus, in eo tempore, tanquā à sua causa fieri non posse: at ob fracturam uenæ accidere potest, quæ ob acres humores, aut ob aliquas destillationes facta sit. Hæc autem in profundissima etiam æstate fieri possunt.

Et si in oppositum Aphorismi, acutas febres etiam uocabis, quæ solum in calore fiunt.

Respondemus

Respondemus, & in frigore fieri, & tunc in mortem perducere, & apoplexiam, quæ est hyemis morbus, in æstate quandoque fieri, experientia ipsa testatur.

Hippocrates in primo libro De morbis, huius aphorismi sententiam hoc modo proponit, Sed si quis recte uult in his & scire & prædicere, sic dicat, Homines omni tempore perire, superesse, pati quæ patiuntur.

GALENVS

SI AERIS quidem ambientis temperatura sola esset morborum causa, tunc nos quolibet tempore illos morbos pateremur qui sunt affines temporũ naturæ. Nunc uero cum etiam ob errata quæ in uictu contingunt, morbi fiant, omnes quidem in temporibus omnibus fient, plures uero qui sunt unicuique tempori natura proximi. Non parum autem in his confert, & differentia naturarum. Neque enim similiter ab eadem causa calidum corpus, & frigidum, offendi aptum est, uel humidum, & siccum, neque temperatum æqualiter istis, neque illis qui secundum aliquam qualitatum coniugationem à bono temperamento recedunt, ut anteà diximus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hoc docet, Si morborum causa, sola esset ambientis aeris intemperatura, id uerum esset quod in temporibus morbi ipsis affines & cognati fierent: sed quia ob alias causas morbi fiunt, quàm sit aeris intemperies: nam intemperatus uictus plura genera morborum causat; propterea morbi omnes in omnibus temporibus fieri possunt: plures tamen fiunt proximis temporum naturis.

Quod legitur, Tunc nos quolibet tempore illos morbos pateremur. in his uerbis deest particula ἅπαντες, idest omnes, quæ in tali loco poni debet: tunc nos omnes quolibet tempore illos morbos pateremur.

SECVNDO Galenus docet, quod ad hæc cognoscenda, naturarum cognitio plurimum facit quomodo differat: nam calidum corpus & frigidum ab eadem causa non læduntur: eodem modo humidum & siccum & temperatum, & eadem præcise erit ratio in qualitatibus coniugatis.

Ea uerba quæ in hac parte ita dicunt, Neque enim similiter ab eadem causa calidum corpus & frigidum offendi aptum est, uel humidum & siccum. In Græco contextu ita habentur, οὐ γὰρ ὁμοίως ὑπὸ τῆς αὐτῆς αἰτίας ὁ θερμὸς τῷ ψυχρῷ βλαβῆναι πέφυκεν, ἢ ὁ ὑγρὸς τῷ ξηρῷ. Quæ uerba nos potius ita interpretanda esse putamus, Neque enim similiter ab eadem causa, calidum frigido offendi aptum est, uel humidum sicco. Vides Leoniceni interpretationem alium quendam sensum proponere, quàm Græcus contextus faciat.

Quod statim sequitur, Neque temperatum æqualiter istis. In Græco codice aliter scriptum est, in quo etiam ponitur hæc particula sicut: nam hoc modo legitur, καθάπερ οὐδὲ ὁ εὔκρατος ἑκάστῳ τούτων. idest, Sicut neque temperatũ aliquo horum: nam ut calidum frigido, humidũ sicco cõparabat: ita temperatũ alicui illorũ, uel omnibus cõparari potest.

APHORISMVS XX

VEre etenim furores & atræ biles & morbi comitiales & profluuia sanguinis & anginæ & grauedines & raucedines & lepræ & tusses & impetigines & uitiligines & pustulæ ulcerosæ plurimæ & tubercula & articulorum dolores.

BRASAVOLVS

QVVM in præcedenti aphorismo in summa, in omni anni tempore morbos omnes fieri edocuerit, tamen in aliquibus temporibus suos quosdam particulares generari, propterea morbos illos enumerare incipit, qui in particularibus temporibus fiunt, & qui ratione temporis consequuntur. A uere autem incipit tanquam à primo anni tempore, quum sol primum Arietis gradum ingreditur: uel

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus.

nam ad hoc usque tempus extenditur uer: uel medice loquentes, quum tempus calidum & humidum est. Morbi autem qui potissimum uere uigent hi sunt, furores

rores, atræ biles, morbi comitiales, profluuia sanguinis, & à naribus, & ab hæmorrhoidibus, anginæ, grauedines, raucedines, lepræ, tusses, impetigines, uitiligines, multæ pustulæ ulcerosæ, multa tubercula, & articulorum dolores: omnes hi morbi in uere fiunt, tum quia tempus aperitur, & humores commouentur, tum quia in hyeme plures collecti sunt, nam hoc tempore multum comedimus, & parum mouemur. unde Celsus capite primo secũdi libri simul & semel aphorismi rationem, & eius interpretationem describere uolens inquit: uere tamen maxime quæcunque humoris motu nouantur, in metu esse consueuerunt: ergo tum lippitudines, pustulæ, profusio sanguinis, abscessus corporis, quos ἀποστήματα Græci nominant, bilis atra, quam melancholiam appellant, insania, morbus comitialis, angina, grauedines, destillationes oriri solent: hi quoque morbi qui in articulis, neruisque modo urgent, modo quiescunt, tum maxime & inchoantur & repetunt. hæc sunt quæ à Celso de hoc aphorismo scribuntur, partim rationem reddentia, partim in Latinum aphorismum interpretantia. Philotheus uero ita introducit, ὁ παρὼν ἀφορισμὸς παράδειγμα δὴ τοῦ πρώτου ἀφορισμοῦ. ὡς τινὸς γὰρ μέλλοντος ἀπορεῖν, ὅτι ποῖα, καὶ πόσα, καὶ πῶς ἐν ταῖς ὥραις γίνονται τὰ νοσήματα. idest, Præsens aphorismus exẽplum est præcedentis aphorismi, quasi aliquis dubitaturus esset, quod quales, & quot, & quomodo in temporibus morbi fiunt.

Galenus octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis huius aphorismi meminit, simul ostẽdens de his rebus Platonem non recte sensisse, ubi inquit, uere enim atræ biles, insaniæ, comitiales, sanguinis fluxus, anginæ, grauedines, raucedines, tusses, lepræ, impetigines, uitiligines, & pustulæ hulcerosæ plurimæ, & pani, & articulorum dolores. Idemque Galenus tertio Prognosticorum libro eundem aphorismum adducit, sectione quadragesima. Et in libro De humoribus: si ad plenum non describitur, saltem adumbratur.

Τοῦ μὲν ἦρος. idest, Vere quidem.] Nam ueris morbos enumerat. Si uero dubites quomodo hi ueris morbi dici possint, quando quidem uer sanissimum esse superius dictum sit. Respõdemus, uer omnino inter alia tempora sanissimum esse: at hi morbi, qui hic enumerantur, in ipso fiunt, non tamen ex propria ueris natura, sed ob suam caliditatem humores ad cutim trahit, qui in profundo delitescebant, & eos cõmouet: propter hoc ueris morbi nuncupantur, quia ueris temperatura, idest caliditas illa, cur fiant, in causa est, ex se uero sanissimum tempus est. unde & Oribasius ita respõdet, omnia quæ hic enumerantur, ex eodem tempore non esse, sed ex alijs etiã huc prodire. Quod enim in autumno & hyeme colligitur, uere se prodit. nam crassa calor ueris resoluit, & suggerit ægritudines non solum ex posteriori, sed etiam præcedẽte tempore, quia unum tempus duobus finitimum est, ut ueris initium propinquum est hyemi, finis autem ipsius, æstati, ergo proprium non habet nisi unum mensem, qui in medio est constitutus: sic & æstas, & omnia quatuor tempora, hæc Oribasius. Galenus & ipse hoc dubium soluit, simul ostendens, uer saluberrimum esse, quia morbi qui in uere fiunt, ad bonum potius inclinantur: hoc enim tempore profundum corporis expurgatur, nempe humores mali, qui in profundo sunt, & totius corporis centro, & principalioribus partibus quæ intus occuluntur, ad circunferentiam mouentur, ex quo impetigines fiunt, uitiligines, ulcera, uel ad ignobiliores partes transmittuntur, ut morbi articulares fiant. unde si quis sit qui bonis humoribus in uere refertus sit, optime cõseruatur, quod alia tempora non faciunt: imò alia tempora si bonis humoribus præditum corpus inueniant, in suæ temperaturæ humores conuertunt, ut æstas in bilem, hyems in pituitam. propterea exemplum ueris ad exercitationes facit, nam hæc in exercitationibus accidunt: si quis exercitatus sit bonis humoribus plenus, exercitationes illæ saluberrimæ sunt. At si exercitationes hominem inuenerint pituita plenum, uel atra bile, uel alio humore, ad morbum comitialem, aut ad apoplexiam, aut ad aliud discrimen inducunt: itaque hæc est Galeni sententia, quod uere si qui morbi fiant, per accidens potius sint, & ad bonum, quàm ad malum: nam gratia expurgandarum superfluitatum, quæ intus sunt, fiunt.

Τὰ μανικά. idest, Furores.] Morbos in præsentiarum enumerare incipit, qui in uere accidere solent, primoque furores nominat, cum aliquis furiose insanit, tamen & μανία insania à multis interpretatur. Celsus libro tertio, capite decimooctauo de tribus insaniæ

speciebus tractat, de quibus nos etiam superius egimus: nam φρενῖτιν inter insaniæ species enumerat. Galenus & ipse in libro εἰσαγωγὴ inscripto (si Galeni sit is liber) de alienatione mentis sermonẽ habens, eam in duas partes secat, in μανίαν idest, insaniam uel furorem, & μελαγχολίαν idest, atram bilem. Insaniæ causam (quæ mania est, uel furor) atram bilem esse dicit: sed tu addere debes, atram bilem ex adusta bile factam esse oportere. causa aũt melancholiæ. i. atræ bilis, est ex ipsa atra bile, & hæc tristes homines, atque suspitiosos facit: sed illa quę ex bile est, homines in furorẽ ducit, adeo ut se ipsos & alios interficiant, nisi prohibeantur. Atrę uero bilis infiniti sunt modi & species, quæ in uere cõmouentur. In libro autem Definitionũ (si & hic liber Galeni sit) μανίαν Galenus definit esse ἔκστασιν idest, mentis alienationem, & mutationem sine febre, ab hominis moribus, & in sanitate consuetudinibus. propterea scito quoties μανίαν dicimus, uel furorem, uel insaniam, mentis alienationem intelligimus: cum uero μελαγχολίαν, uel atram bilem nominamus, quandoque prauam quandam animi affectionẽ intelligimus, sed non cum furore, quandoque tristitiam animi significat: in hominibus atrabilariis. Hi humores in uere mouentur & agitantur, si atram bilem ex adustione atræ bilis habuerint, tales atrabilarij fiunt, quod mœsti cõtinuo sunt, & ex omni re timent. Si uero ex adustione bilis habuerint, furiosi fiunt, & potissimũ in uere, in quo tempore id genus multum uigere uidimus, quod Arabes ex similitudine motus Cutubuth appellant. est autẽ Cutubuth apud Arabes id genus alati uermiculi, quem nos typulam uocamus, qui supra aquas modo dextrorsum, modo sinistrorsum sine ordine mouet, & cum tibi uisum sit gressus in unam partem direxisse, ad aliam sine ordine mox uertitur: ita qui hoc melancholiæ genere laborant, huc & illuc sine ordine uagãtur. At si dixeris, hos morbos uernos non esse, imò potius autumnales, hoc cum Galeno fatemur, & quod illi humores in autumno geniti sunt, sed deinde in uere commoti. Si uero iterum dubites, quod uer saluberrimũ tempus non sit. Respondemus, imò ob hoc saluberrimũ esse, quia illos humores primo commouet, ut expellat, sed in motu hę passiones causantur. Adde si in autumno hæ passiones genitæ essent, multo peiores fuissent, quàm cum in uere fiũt. In aliquibus Græcis codicibus primo legitur τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικά, ut in Aldino: sed in meo antiquo prius est τὰ μελαγχολικά, postea sequitur τὰ μανικά. Pro aphorismi intellectione quicquid præcedat, uel sequatur nihil refert, mihi tamen id potius satisfacit, quod hæc particula τὰ μελαγχολικά præcedat, quia magis commune, τὰ μανικά uero minus commune. primum enim secundum complectitur, non econtrario.

Καὶ τὰ ἐπιληπτικά. idest, Et epilepsiæ.] Quas Latini morbos comitiales uocant, seu morbum sacrum & morbum Herculeum, imò & etiam apoplexiæ, in senioribus præsertim, quia hæ passiones ex pituitosis humoribus generantur, qui in nobis in hyeme aceruãtur, & qui uere adueniente liquescunt, & cerebri uentriculos occupare possunt, & denique hos morbos causare. Oribasius tamen comitiales morbos ex atra bile factos intelligit, quia epilepsiam ex eadem materia factam iudicat, ex qua insania, & atra bilis generantur: imò quod idem senserit Galenus, coniectura sumi potest, quia circa eius interpretationis initium, inquit comitialem morbum, furorẽ, & atram bilem autumnales morbos esse. in autumno autem melancholicum humorem uigere constat: quandoque enim ob hyemis frigiditatem, quę autumnum consequitur, humores fixi & immobiles manent, uere autem adueniente mouẽtur, & has passiones gignunt. sed ad Oribasium redeũtes, ipse inquit, insania, melancholia, & morbus comitialis ex eadẽ materia fiunt, atra inquam bile: tuncque dubitat cum in eodem loco fiant, & ab eadem materia, quomodo differant. Respondet, omnem læsionem tribus modis esse, aut leuem, aut mediam, aut maximam, ita in proposito ex una materia tres affectus sunt, & ab uno principio, sed diuersis locis, ideo his affectibus diuersa loca in cerebro facit, inquiens, Morbus comitialis in imaginatione est, melãcholia in ratione, insania in memoria. ut morbum comitialem in prima cerebri parte statuat, melancholiã in media, insaniam in ultima. Quę an ita præcise sint, dubitare conueniet, præsertim de insania, & melancholia, quia de comitiali morbo nullus dubitat in anteriori cerebri parte, in qua sensus communis est, potissimũ fieri. At de mania dubitatio esset an in ultima cerebri parte, idest memoria fiat, & de melancholia in media, idest ratione. Quas dubitationes aliàs dissoluere tentabimus

mus, nunc satis sit nos edocuisse, Oribasium illam sentētiam sequi, imò ipse iterum dubitat, cur insania potius in memoria, quàm in ratione fiat. Respondet, id quod congregatur in memoria, maius esse, quàm quod in ratione: ideo in memoria læsio fortior est: propterea quanto imaginatio minor est illis, tanto minorem offensam habet comitialis morbus. unde aliqui hanc passionem habent post duos menses, alij post sex, qui si bene se regant, quandoq; transeunt annum. sed melancholia fortior est morbo comitiali: quotidie enim commouetur, quum rationem obtinet. insania remissionem non habet: ideo dementes semper sunt hi, & non habent intermissionem: tamē quicquid sit, tres partes cerebri occupantur ab his tribus passionibus, prima, media, & ultima. Hæc Oribasius. Tamen (si ex experiētia loqui uelimus) omnes comitiales morbos, quos in uere factos uidimus, ex pituita potius ortum habuisse percepimus, multasq; biles atras hoc tempore uidimus, manias, furores'ue paucos. De melancholia & agitatione sua Hippocrates librum fecit, docetq; principium melancholiæ cruditates esse, & tres species assignat, ipsarum uarietates, & modum curandi edocens. Tu ad illum librum te uertas, si plene Hippocratis mentem scire studueris.

Καὶ αἵματος ῥύσιες, idest, Et sanguinis profluuia.] Celsus profusiones sanguinis interpretatur. Hanc passionem Oribasius ex uerno tempore fieri dixit: est enim propria ueris affectio, tum quia sanguis uere uiget, tū quia est ex propria ueris qualitate & temperatura, & quia sanguis hoc tempore multiplicatur, ac crescit. Intelligo autem sanguinis profusionē uel à naribus uel ab hæmorrhoidibus, uel per secessum, sed potissimum à naribus, quoniam experientia uidemus aliquos esse in quibus profluuia sanguinis, è naribus singulis annis in uere fiunt, quamuis & in aliquibus per hæmorrhoidas fluat. Græci habent hoc uocabulum αἱμοῤῥαγία, quod profluuium sanguinis significat. Sed ut Galenus in libro Definitionum dicit, hęmorrhagia est copiosi sanguinis effusio. Hic autem Hippocrates potius uti uoluit hoc uocabulo αἵματος ῥύσιες, idest profusiones sanguinis, quàm αἱμοῤῥαγίας, idest copiosas profusiones sanguinis, quoniam opus non est profusiones istas copiosas esse: at satis est, quòd sint profusiones: natura enim hoc tēpore solicita, ut quæ in profundo corporis sunt, expellātur ad nares, aut ad hæmorrhoidas superfluum sanguinem & nouum transmittit. præsenti anno millesimo quingentesimo trigesimoseptimo à CHRISTI nostri sospitatoris ortu, habui, & nunc habeo in cura in medio mensis Aprilis mulieres multas, quæ profluuiū sanguinis menstrui adeo copiose passæ sunt, ut manu medica indiguerint. Ideo & ad hunc locum addas, In uere etiam sanguinis menstrui profluuia erumpere.

Καὶ κυνάγχαι. idest, Et anginæ.] Illæ inquam quæ in musculis intrinsecis gutturis factæ sunt, in quibus canina uox redditur, & sunt omnium periculosissimæ: tamen & iuxtanginas fieri intelligas, & synanches & parasynanches: nam Hippocrates omnium periculosissimam speciem nominans, alias omnes subintelligēdas uoluit. Græci quatuor distincta nomina habent, quibus hæc uocant: Latini duo tantum, quibus omnes quatuor anginæ species complectuntur. Græcorum nomina sunt, συνάγχη, κυνάγχη, παρασυνάγχη, παρακυνάγχη. Latinorum uero angina, & iuxtangina. Oribasio placet anginam esse proprium ueris morbum, & omnes alios qui ex sanguine fiunt, unde uelle uidetur, anginam ex sanguine fieri. re uera quandoq; ex sanguine fit, quandoq; ex bile, quādoq; ex pituita, idest ex bilioso & pituitoso sanguine: ex atra bile rarissime aut nunquā fit, at fieri posse constat. si ex sanguine fiat, propria erit ueris ut Oribasio uisum est. Galenus uero anginam morbum autumnalem facit, quod ratione materiæ intelligendum est: nam si aliter intellexerit, certum est ęque bene in uere fieri: imò apud nos, multo plures anginæ in uere habentur, quàm in autumno, ut quotidiana experientia ostendit, & ideo hoc modo de angina proferendum esse censemus, Anginæ in temporū mutationibus potissimum fiunt, quando uel à calore in frigiditatem, uel frigore in caliditatem trāsitus fit, propterea in uere & autumno maxime fiunt. Tu ergo intellige, anginas simpliciter à quacunq; materia in uere fieri, quoniam ob temporis caliditatem humores liquescunt, & his locis inhærent, faucibus inquam, & gutturi, & pro maiori parte pituitosæ materiæ sunt bili commixtæ.

Καὶ κόρυζαι, idest, Et grauedines.] Quæ apud Oribasiū sunt morbi hyemales: in uere

enim pituita hyemis tempore in capite collecta, liquescit, & ad nares descendens grauedinem facit, quia narium meatus obstruit. Et Galenus ipse inter hyemales morbos grauedinē numerat: nam pituita in hyeme re uera generatur, imò & singulis annis in hyeme grauedines multas fieri percipimus.

Καὶ βρόγχοι. idest, Et raucedines.] Quæ & ipsę à Galeno inter hyemales morbos numerātur. Oribasius ex humectatione sanguinis fieri dicit, adeo ut quicquid humidi adderit, sonitum non reddat. Celsus non raucedines, sed destillationes interpretatur: & re uera destillationes sunt, & in uere destillationes uniuersaliter generantur.

Καὶ βῆχες. idest, Et tusses.] Quas & ipsas inter hyemales morbos Galenus ponit: & his simplicissimis uerbis Oribasius utitur, Tussis ex hyeme est. In Aldino codice per hunc ordinem legitur, Grauedines & raucedines & tusses. Eodem modo Galenus in Commēto legit, & Oribasius ordinat. Celsus tusses omisit, quas in destillationibus intelligit. Noster antiquus contextus primo legit tusses, deinde grauedines, tertio raucedines. Leoniceni ordinem potius laudo, quòd tusses ultimum locum occupent (quamuis Theodorus præmittat) quia hæ tres affectiones per ordinem partium disponuntur: prima ad nares tendit, secunda ad βρόγχον, tertia ad pectus descendit. Quicquid tamen sit, hic ordo nihil refert, modo rem ipsam de qua agitur intelligamus. Galenus octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc Aphorismum adducens eodem modo ordinat.

Καὶ λέπραι. idest, Et lepræ.] Quas Galenus morbos ueris facit, & morbos sine periculo: ueris autem sunt, quia ueris natura est à centro ad circunferentiam prauos humores ducere. Celsus lepræ non meminit, sed alia res est Grecorum antiquorum lepra, alia recentium nostrorum, & Arabum. Recentiorum lepra, est antiquorum elephantia, in qua usq; ad ossa caro corroditur & marcescit. In nostra Ferrariensi patria idem esset similem leprosum uidere, atq; album coruum. In Gallia & Germania leprosi tales, idest elephantia affecti copiosissimi sunt, qui plerunq; adeo deformantur, ut intuentes deterreant. In sacris autem literis, lepra, non pro morbo, sed pro immundicie accipitur, teste Augustino. Antiquorum uero lepra, scabiei species est, quæ parum à psora differt. Oribasius ex hyeme fieri prodit, à pituitoso sanguine salso. Est autem (inquit) lepra, cum in toto corpore excoriatio fuerit & inflammationes, in circuitu squamæ sunt, & in medio rubor. Quod uero dicat Oribasius, lepram ex hyeme esse: intellige eius materiā in hyeme genitam esse: imò & in autūno lepræ materia paratur, quando ex atra bile fiet, quod nonnunquam accidere potest. Galenus in libro Definitionum suarum (si suus sit liber) inquit, lepram esse cutis mutationem in habitum præter naturam, cui aspredo & pruritus iungantur, & squamulæ cadunt, & plures corporis partes depascantur. In eiusdem uero Galeni libro, qui εἰσαγωγὴ inscribitur, cum de lepra tractat, inquit esse mutationē in cute, quam mutationem hanc esse dicit, quod in colore subalbida est: nos autem arbitramur hanc particulam subalbidam apposuisse, ut ab elephantiasi distingueret. Paulus Ægineta capite secundo libri quarti de lepra & psora eodem capite tractat, dicitq; utrasque has passiones ab atra bile fieri; differunt uero, quia lepra profundius infestat, psora superficie tenus.

Καὶ λειχῆνες. idest, Et lichenes.] Quas impetigines Latini uocant. Aetius libro octauo, capite decimosexto, impetiginem ex mixto humore fieri docet: nam ex serosis, tenuibus, acribusq; humoribus, unà cum crassioribus permixtis generantur: quapropter in lepram & psoram facile transit. Idem quoq; Paulus Ægineta sentit capite tertio quarti libri, quòd impetigines fiunt mixtis saniebus, quos ἰχῶρας dicunt, tenuibus & acribus, cum alijs crassis, ideo in psoram & lepram facile transeunt. Celsus in relatione huius aphorismi nō meminit impetiginis. Galenus in Introductorio sibi adscripto duplex impetiginis genus facit, unū mitius, aliud asperius: quod asperius est, ἄγριον, idest agrestem & feram uocant, quoniam tolli non possit: additq;, squamulas ex summa cute descendere, sub quibus rubicundior locus, fereq; exulceratus apparet. Hic affectus apud Galenum ex pituita salsa & flaua bile generatur: & ideo secundum Galenum & alios Græcos, impetigines in summa cute fiunt, propterea aspredinem pariūt: unde Galenus præcitato loco inquit, ita decidere ex summa cute squamas, quales crustosæ squamę ex fictilibus

ficilibus decidunt, in quibus diu fuerint salsuginosa. Oribasius ex sanguine pituitoso oriri dicit, idest ex salsa pituita, & esse morbum ex hyeme. Galenus hic ueris morbum esse testatur: quod uerum est, quantum sit de exitu affectionis ad summam cutim, non autem de generatione materiei. In sibi etiam adscriptis definitionibus, idem Galenus dicit, lichen esse summæ cutis asperitatem cum multo pruritu: propterea à Græcis dicitur in psoram & lepram facile transire. Eum autem morbum, qui lichen dicitur, illum esse apud Græcos, quem Latini impetiginē dicunt (quia in hoc dubitari posset) ex hoc constat, quod Plinius capite primo libri uigesimi, ubi de elaterio pertractat, inquit, cum resina impetiginem & scabiem tollunt, quæ psoram & lichenas uocant: ut manifeste appareat psoram esse scabiem, & lichen esse impetiginem. Celsus capite uigesimooctauo quinti libri, impetiginis species tractat, & eas quatuor esse dicit. Prima species similitudinem scabiei repræsentat, tamen est magis exulcerata, & ueris similes pustulas habet, uidenturq; esse in ea quasi bullulæ quædam, ex quibus interposito tempore, squamulæ resoluuntur. Secunda species peior, similis papulæ fere est, sed asperior, rubicundiorq; figuras uarias habens, squamulæ ex summa cute discedunt: roseo maior est, celerius & latius procedit, rubica cognominatur. Tertia species etiamnū deterior est, nam & crassior est, & magis tumet, in summa cute finditur, & uehementius rodit, ipsa quoq; squamosa, sed nigra procedit, & late & tarde eminus serpit. nigræ cognomē est. Quarta species curationem omnino non recipit, distans colore: nam subalbida est, & recenti cicatrici similis, squamulasq; habet pallidas, quasdam subalbidas, quasdam lenticulæ similes, quibus demptis nonnunquam profluit sanguis: alioquin uero humor eius albidus est, cutis dura atq; fissa est, proceditq; latius. Festus dicit impetiginem dictam esse, quia propinqua petat: unde Q. Sereni Samonici carmen adest capite undecimo sui libri, de eadem re idem differens, quod ne quæras, subscribere statuimus:

Si uero uitium est, quod ducit ab impete nomen.

Is autem alter morbus est, de quo Plinius libro uigesimosexto, capite primo differit, & quem Græci lichena appellarunt. Inquit autem Plinius, lichenas appellatos Græco nomine: non tamen quod is sit morbus qui proprie à Græcis lichen dicitur: nam manifeste apparet illum morbum apud antiquos fuisse cognitum, sed is qui illo Græco uocabulo appellabatur, & Latini ioculari nomine mētagram dixere, quoniam à mento fere oriebatur, tamen totā faciem occupabat, oculis tātum immunibus, descendentemq; & in colla, pectus & manus, fœdo cutis furfure, in principatu Tiberij Claudij Cæsaris apparuit, ante non fuerat: fœminæ, serui, plebs humilis & media, nō persensit hoc malum. Ex solo osculo transibat in alterum, adeo erat uelox morbus & contagiosus: erant magis fœdi qui curabantur, quoniam cicatrix fœda remanebat: nam solum causticis curabatur, quia penetrabant usq; ad ossa. Venere ex Ægypto medici, qui hanc prouinciam susceperunt sanandi hunc morbum magna sua præda. nam Manilius Cornutus ex prætorijs legatus Aquitanicæ prouincię, ut seruaretur in eo morbo elocauit ad curandum sese, H·S C C. Multi putarunt eum morbum esse, quem nunc scabiem Gallicam uocamus: sed longe decepti, ut Nicolaus Leonicenus in libro De Gallico morbo egregie ostendit. Euanuit hic morbus: nūc ignotus est, & diu est quòd perijt: utinam & omnes alij simul perijssent morbi. Vocatus autem est & ille morbus lichenæ, ad similitudinem illius, qui à Græcis lichen, à nostris impetigo dicitur: quia & in lichena, cuius suprà meminimus, squamæ prodibant, & similitudinem cum recentiorum lepra habebat. Deformissimos in Gallia hoc morbo effectos uidimus, quibus tantum oculi splendescebant, lichenas fuisse arbitror. impetigines lichenæ dicuntur: sed is morbus, de quo præcitato loco Plinius, lichenæ Græca uoce, Latine uero mentagra dicebatur: quamuis mentagra proprium sit serpiginis nomen, sed ad hoc genus morbi tunc hoc nomen mentagra usurparunt ioculari nomine: est uero proprie mentagra illa cutanea affectio, quam nos uulgo *uolaticam* nominamus. Nunc morbus quidam nouus per Italiam uagatur ab eadem materia erumpens, à qua Gallica scabies, leuiori tamen & minus sæua inducente symptomata, uulgus medicorū *pellarola* & *dentarola* appellant, quoniā aliquibus omnes pili decidunt, alijs & præter pilos dentes collabuntur, ipsis maxime defœdatis: multi facile cōualescunt, & pili renascūtur, si medica manu curentur, at si dentes amiserint, non

reparantur amplius. De lichene in equo, uide Plinium libro XXVIII, capite XI.

Καὶ ἀλφοί. idest, Et uitiligines.] Qui morbus (ut Galenus inquit) ueris proprius est, & periculo uacat. Oribasius ex pituita quandoque fieri dicit, quandoque ex melancholico humore. Celsus in relatione huius aphorismi uitiliginum non meminit. Introductorius liber Galeno adscriptus, uitiliginem, quem ἄλφον Græci nominant, in duas species distinguit, in λευκὸν & μέλανα, idest in albam & nigram: nigra, ab atra bile generatur, propter quod magna ex parte melancholica subueniũt: alba fit, à pituita non salsa. Addit eodem loco Galenus, est tamen morbus quidam proprio uocabulo leuce nuncupatus: qui tamen ab alpho leuco, idest ab alba uitiligine, & differt, & cõuenit: nam quod à Græcis proprio uocabulo leuce dicitur, est quidẽ simile (ut Galenus dicit) alpho leuco: sed terrã albidam colore magis refert. à lepra distinguit, quod lenior hic cutis, minusque aspera quàm in illa sit: unde & Paulus Ægineta capite sexto quarti libri, inquit, alphos cõsimili cum leuce origine nasci, uerũ hæ quidẽ altius in corpus penetrãdo radices agunt, ita ut pili etiam consimiles inde nascantur. Alphi uero in superficie cutis oriuntur, nisi quòd ipsi quoque si diutius permaneant in corpus profundius penetrant, ut inde ob subiectum humorem pili natiuo colore mutato candescant. ex pituitoso namque humore candidi fiunt, nigri uero ex atræ bilis humore redduntur. Aetius capite cẽtesimo trigesimo secundo libri decimitertij ait, eandẽ esse generationẽ uitiliginis, quæ ἄλφος appellatur, leuces, & lepræ: sed in alpho est solum affectio in summa cute & uelut squamulæ quædam, si ab atra bile nigræ, si à pituita albæ. uolunt appellatum esse hunc morbum à Græcis alphum, quia cutis color immutatur: nam ἀλφαίνειν, immutare significat: apud Latinos uero dicitur uitiligo à uitio, uel secũdum alios à uitulo, quia candori eius membranæ assimiletur, qua nascitur inuolutus. Apuleius in Magia de hoc morbo sic tractat, quum caro in humorem crassum & spumidum, inimico igni colliquefacit, & spiritu in idem sparto, ex candore compressi aeris, albida & humida tabes fluit: tetra nanque tabes, si foras è poris spirauerit, maiore dedecore, quàm noxa diffundit, pectoris primorem cutem uitiligine insigniter, & omnibus commaculationibus conuariat. Celsus in fine quinti libri non interpretatur ἄλφον, idest uitiliginem: sed apud ipsum alphos est uitiliginis species. Vitiliginem etenim in tres species partitur: in alphum, melanem, & leucen, inquiens: uitiligo quoque, quãuis per se nullum periculum adferat, tamen fœda est, & ex malo corporis habitu fit. eius tres species sunt. ἄλφος uocatur, ubi color albus est, ferè subasper & non continuus, ut quædam quasi guttæ dispersæ esse uideantur, interdum etiam latius, & cum quibusdã intermissionibus serpit. μέλας colore ab hoc differt, quia niger est, & umbræ similis: cætera eadem sunt. λευκὴ habet quiddam simile alpho, sed magis albida est, & altius descendit, in eaque albi pili sunt & lanugini similes. omnia hæc serpunt, sed in alijs celerius, in alijs tardius. alphos & melas in quibusdã uarijs temporibus & oriuntur & desinunt: leuce quem occupauit, non facile dimittit. Hæc de his Celsus, ex quibus uerbis id sumi potest, illam affectionem quæ à Græcis leuce dicitur, à Latinis uitiliginem appellari, & alphum esse uitiliginis speciem: tamen in hoc Hippocratis loco interpretari ἄλφοι, idest uitiligines accommodatissimum est, quoniam omnes hæ tres species in uere potissimum fiunt.

Καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται. idest, Et pustulæ ulcerosæ plurimæ.] Celsus pustulas simpliciter interpretatus est, & nõ addidit Vlcerosas. Oribasius uero quid per pustulas intelligendum sit, exponens, dicit, ut est putredo & scabies, quæ ex sanguine & melancholico humore est, hic est apud Galenum ueris morbus, quia has materias ex proprietate sua ad cutim trahit. Celsus libro quinto, penultimo folio de pustulis sermonem habet, quas dicit uernis temporibus potissimum generari. Inter alias uero pustularum species, ἐξανθήματα prius enumerat. Est autem exanthema pustula illi pustulæ similis, quæ ex urtica aut sudore fit, quandoque rubent, quandoque colorem cutis non excedunt, nonnunquam plures sunt, & similes uaris, quandoque sunt maiores pustulæ liuidæ aut pallidæ aut nigræ, uel alio modo naturali colore mutato, & istis subest humor. Exanthema in duas partes distinguitur, in exanthema simpliciter, in quo nulla exulceratio inuenitur, & in exanthema ἑλκῶδες, idest ulcerosum, in quo exulcerata caro ferè apparet, quãdo hæ pustulæ ruptæ sunt, & ad exituram uenerint. Hoc loco Hippocrates de his ulcerosis

rosis pustulis sermonem habere uidetur: nam dicit ἐξανθήσιας ἑλκώδεας, idest pustulæ ulcerosæ: quamuis hic locus de omni pustularum genere intelligendus sit. Nam quod ab Hippocrate dictum est, lepræ, impetigines, uitiligines, nobis omnem cutis maculam significare debebat, uel leuce sit, uel alphus, uel melene, uel quæcunq; alia cutis defœdatio, quoniam hæc tempore ueris circum cutim plerunq; nascuntur, calore ueris profundos humores ad circūferentiam trahente, imò & scabiem ipsam, & omnes cutis asperitates & defœdationes subintellige. Quum uero dicit, Pustulas ulcerosas, omne pustularum genus intelligere oportet, & exanthematū, ut sunt etiā ἐπινυκτίδας, quæ sunt pessimæ pustulæ, subliuidæ uel subnigræ uel albæ, circa quas uehemens inflāmatio est, quæ quum apertæ sunt, intus mucosam exulcerationem habere inueniūtur, dolor est maior quàm sit pustula. Epinyctis autem uocatur, quia noctu ferè semper molestat. Ad hunc ordinē melicerias referas, acrocordones, thymios, myrmecios, clauos & papulas: quāuis nonnulli sint, qui quum apud Græcos authores ἐξάνθημα reperitur, ipsi papula interpretantur: sed decepti, quoniam ut ex Celso prope finem libri quinti haberi potest, papulæ ab exanthematibus distinguuntur, & de uno & alio diuerso loco tractauit: duo uero papularum genera describit. Vnum est, in quo per minimas pustulas cutis exasperatur & rubet, leuiterq; roditur, medium habet pauxillo leuius, tarde serpit: idq; uitium maxime rotundum incipit, eademq; ratione in orbem procedit. Altera papularum species, quam ἀγρίαν, idest feram dicunt, in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur exulceraturq;, ac uehementius & roditur & rubet, interdum etiam pilos remittit: nisi auferatur, in impetiginem uertitur.

Καὶ φύματα. idest, Et tubercula.] Celsus libro secundo, capite primo, tuberculorum loco, abscessus corporis ponere uidetur, qui ἀποστήματα uocantur: at quæ tubercula sint illa, quæ φύματα nuncupantur, dubium uidetur. Celsus libro sexto, capite decimooctauo, ubi de obscœnarum partium uitijs tractat, inquit, Tubercula etiam, quæ φύματα Græci uocant, circa glandem oriuntur, quæ uel medicamentis uel ferro aduruntur, & quum crustæ exciderunt, squama æris inspergitur, ne quid ibi rursus increscat. Ex hoc loco sumi posse uidetur, esse illum morbū, quem nos uulgo *tarolo* nuncupamus. tamen interpres libri De dogmate Hippocratis & Platonis, alioqui bonus interpres, in octauo libro, ubi Galenus hunc aphorismum citat, interpretatur φύματα, idest pani. quod nos reijciēdum putamus, tum quia Celsus libro quinto, capite uigesimooctauo, locum non determinat: sed libro sexto, capite decimooctauo, colem determinauerat. uerum ille locus, quia de pudendorū morbis tractat, de phymate in cole erat. Panus uero in adenosis inguinum partibus potissimum fit: propterea quod ab antiquis φύγεθλον appellatur, panus potius interpretandum est, quàm φῦμα. nam ut præcitato loco Celsus dicit, phygethlon est tumor non altus, sed latus, in quo quiddam pustulę simile est, dolor, distentioq; uehemēs est, & maior quàm pro magnitudine tumoris, interdumq; etiam febricula, idq; tarde maturescit, neq; magnopere in pus cōuertitur: fit maxime aut in uertice aut in alis aut in inguinibus, panum ad similitudinem figuræ nostri uocant, alij appellarunt panem: & in Celso legunt Panem, non animaduertentes ideo panum dici, ob figuram ad similitudinē extensi panni, quia eleuationem non habet: non autem quia sit ad similitudinem panis: tamen panus in inguinibus tumorem plerunq; habet. At Introductorius liber Galeno inscriptus φύματα, in inguinibus & alis fieri dicit & incidi, & de phygethlo & bubone in libro De tumoribus, sermonem habens Galenus dicit ab alijs tumoribus calore, & generationis celeritate differre. Postea addit, Sunt tamen qui phygethlum in inguinibus & alis duntaxat fieri dicant. & in libro Definitionū Galeno inscriptarū habetur, phygethlon esse abscessum, qui in inguine fieri solet. A probis authoribus phygethlum dicitur inflāmatio erysipelatodes, uel erysipelas cum inflammatiōe. φῦμα uero à Celso V libro, capite XXVIII, tuberculum dicitur furunculo simile, sed rotundius & planius, sæpe etiam maius: nam furunculus oui dimidij magnitudinem raro explet, nunquam excedit. Phyma autem latius patere consueuit: nobisq; uidetur id quod à Galeno bubo appellatur, esse panum: quoniam ut in libro De tumoribus dicit, est phlegmon absolute bubo: in alioq; loco, φῦμα cito ab initio augescit, & ad maturitatem puenit, nos uulgò à tumore appellamus *bognoni*. Vt deniq; de hac materia receptui

canamus, & in tanta authorum discordia sententiam nostram (qualiscunque sit) feramus. Ita dicendum esse arbitramur, φύματα & φύγεθλα morbi sunt in omnibus adenosis humani corporis partibus siti, qui in hoc differunt, quod phymata tubercula sunt, quæ crescunt, uel in alis, uel in inguinibus, & eleuātur, & cito ad suppuratione̅ ueniunt: phygethla uero non sunt tubercula, sed tumores in alis, uel in inguinibus potissimum, non alti, sed lati, tamen ab eadem materia fiunt, aut saltem consimili: possuntque tam φύματα, quàm φύγεθλα pani appellari. At re uera in inguinibus solū panos appellamus, in quibus etiam inguinibus bubones fiunt, qui sunt puræ inflammationes: sed phymata sunt inflammationes erysipelatodes uel erysipelas cum inflammatione. Eodem modo phygethla, quamuis & in istis materia etiam pituitosa esse possit. Omnia hæc uere fiunt, natura profundos humores ad circunferentiam transmittente, & ad cutaneas partes, atque superficiales. propterea & si hæ affectiones morbi sint, tamen boni & sani sunt, quoniā intrinsecas partes à prauis humoribus liberant, qui multo peius hominem tractarent, si intus remanerent, quàm cum exeunt, licet prædictos morbos pariant. Tuque per φύματα & phygethla, & omnia tubercula, & omnes tumores, & furunculos, & quæcunque talia intellige, quæ ex transmissione prauæ materiæ intrinsecæ ob ueris calore̅ attrahentem, & naturam ipsam mandantem ad extrinseca ductæ, ob ueris calorem attrahentem, & naturam ipsam mandantem, fiunt.

καὶ ἀρθριτικά. idest, Et dolores articulorum.] Hanc partem ita exponit Celsus. Hi quoque morbi qui in articulis, neruisque modo urgent, modo quiescunt, tum maxime & inchoantur, & repetunt. Tu uero intellige, & podagras, & chiragras, & ischiadicos dolores, & genuum, & aliorū artuum, ut hoc nome̅ arthritis in hoc loco ad omnes articulorum dolores, qui ob motum materierum temporis ueris ad extrema fiunt, commune sit. Et Oribasius dicit esse ueris morbos, quia ex pituitoso humore cōtrahuntur. tamen Galenus ob motū uernos morbos appellat. Celsus præter hæc addit lippitudines, quæ ab Hippocrate non numerantur, tamen non ab re Celsus addidit, quoniam in uere plerunque fiunt, & potissimum hoc anno millesimo quingentesimo trigesimoseptimo. Nos enim in præsentiarum multos curamus ophthalmiam patientes: sed in causa fuit præcedens hyems, quæ sicca & Aquilonia extitit, uer autem pluuiosum & Australe, in quo adhuc sumus decimoquinto calendas Maias. Philotheus hunc Aphorismum interpretari stude̅s, in hoc Aphorismo citatos morbos in diuisiuā methodū duxit, inquiens: καὶ ἡ αἰτία ἐστὶν αὕτη, τινὲς ἐν τῷ φθινοπώρῳ, καὶ ἐν τῷ χειμῶνι, μοχθηρὰς τροφὰς διαιτηθέντες, μοχθηροὺς χυμοὺς ἐπεσυνάξαν. τῇ ψύξει οὖν ὁ χειμὼν ἀποκλείει αὐτοὺς ἐν τῷ βάθει, εἶτα ἐλθὸν τὸ ἔαρ εὔκρατον ὂν, χύσιν μὲν πολλὴν ποιεῖται τοῦ ἀθροισθέντος χυμοῦ, φέρεται οὖν ἀτμοειδῶς ἐπὶ τὴν κεφαλήν. καὶ εἰ μὲν φλεγματικός ἐστιν ὁ χυμὸς, ποιεῖ ἐπιληψίαν. εἰ δὲ μελαγχολικὸς, μελαγχολίας καὶ μανίας. εἶτα πάλιν τὸ ἔαρ ὅσον ἐπὶ τῇ εὐκρασίᾳ ἄνοσον ἐστί· τήκεται γὰρ ἐν αὐτῷ ὁ αἱματικὸς χυμὸς οὗτος ἄμετρος ὢν, ἄνοσον διαφυλάττων τὸ σῶμα. εἰ δὲ παρεκτραπῇ, ἢ κατὰ ποιότητα παρεκτρέπεται, καὶ ποιεῖ συνόχους, ἢ κατὰ ποσότητα, καὶ ποιεῖ αἵματος ῥύσεις, εἴτε διὰ μυκτήρων, εἴτε διὰ βηχὸς, εἴτε ἐκ θώρακος. ποιεῖ δὲ ἕτερα πάθη, οἷον κυνάγχην, ὅτι αἵματος ποσότης ἐν τῷ ἔαρι συμφέρεται ἐν τοῖς μυσὶ τοῦ φάρυγγος, καὶ ποιεῖ φλεγμονὴν, καὶ τῆς ὕλης δι' ἀποφορᾶς ἐμπηγνυμένης. ποιεῖ καὶ βῆχας, τῆς ὕλης ἐν τῷ θώρακι φερομένης, ἀλλὰ μὴν καὶ λέπρας, καὶ λειχῆνας καὶ ἀλφοὺς, ὅτι εὐκράτου ὄντος τοῦ ἀέρος, ῥώννυται ἡ δύναμις. ταύτης ῥωννυμένης ἀποδιώκεται ἡ ὕλη ἀπὸ τῶν ἐντός. καὶ εἰ μὲν φλεγματικὴ ἐστὶν καὶ σεσημμένη, ποιεῖ λέπρας. εἰ δὲ ἀσηπὴς, ποιεῖ ἀλφούς. εἰ δὲ μελαγχολικὴ, φύματα, καὶ ἀρθριτικὰ, τῆς χολῆς ἐκεῖσε φερομένης, καὶ τῇ δήξει ὀδύνας ποιούσης. idest, Et ipsa causa est, quidam enim in autumno & in hyeme, prauos cibos assumentes, prauos humores congregant: hyems igitur ipsos frigiditate in profundum abducit: postea uer adueniens, quod bene temperatum est, congregati humoris profusionem multam facit. Fertur igitur per euaporationem in caput. Et si quidem pituitosus humor sit, morbum comitialem facit: si atrabilarius, atras biles & insanias. Rursus uer, quantū ad bonam tēperaturā, à morbis abest: in ipso enim sanguineus humor eliquatur, qui immoderatus existens corpus incolume seruat. Si aūt peruertitur, uel secundū qualitate̅ peruertitur, & cōclusas febres facit: uel secundū quantitate̅ & profluuia sanguinis cōficit: siue per nares, siue per tussim, siue per thorace̅. Facit aūt & alias passiones, ut anginā qn̄ sanguinis quātitas in uere existe̅s ad fauciū musculos fert, & inflāmatione̅ facit, & materia

superiores

superiores partes infestat, excitat & tusses materia ad thoracem delata, sed & lepras & lichenas & uitiligines: quum enim aer bene temperatus sit, uis corroboratur, qua corroborata materia ab intrinsecis partibus depellitur: & si quidem pituitosa est & pura, lepras: si uerò obscura, uitiligines facit: si autem atrabilaria, tubercula, & articulorum dolores, bile illuc delata, & dolores sua mordacitate faciente. Hæc Philotheus pro huius aphorismi interpretatione recenset.

GALENVS

ET quomodo antea recte ab eo dictum uideretur: Ver uero saluberrimum, & minime mortiferum, cum multæ in eo fiant passiones. Videtur si quidē magis quodlibet tempus adæquare, secūdum morborum, quos generat, uarietatē. Furores & enim & atræ biles, & morbi comitiales, & anginæ, sunt morbi autumnales. Grauedines autem, & raucedines, & tusses, & lepræ, sunt hyemales. De æstate autem ipse deinceps dicet, communionem eius ostēdens ad uer. Æstate uero quędam horum, scilicet prius dictorum in uere. Ex superabundanti autem, præter alios morbos, uer profluuia sanguinis, lepras, & impetigines, & uitiligines, & pustulas ulcerosas plurimas efficit, tubercula, & articulorū dolores. Hæc igitur quæcunq; sunt uerni temporis propria, omnia periculo uacant, & tantum absunt ut aphorismū illum falsum ostendant, in quo dixit: Ver uero saluberrimum, & minime mortiferū: ut potius ipsum uideantur confirmare. Nam hoc ipso tempore profundum corporis expurgatur uitiosis humoribus, à partibus principalibus ad cutem peruenientibus. Sic igitur & lepręe, & uitiligines, & impetigines, & pustulæ quædam ulcerosæ multæ generantur. Alio uero modo in tuberculis, & articulorum doloribus profundum corporis expurgatur, uitiosis humoribus ad loca uiliora transpositis. Quod autem & profluuia sanguinis, & multitudinem euacuant, & uitium humorum cohibent, & qui ex ipsis oriūtur, morbos, perspicuū existit. Si uero aliquod corpus bonos humores habens, uernum tempus excipiat, hoc seruat saluberrimum, nihil ex propria nouans natura. Non sic æstas, uel autumnus, uel hyems. Hæc enim tempora & si purum corpus, & omni uacans reprehensione suscipiant, hoc quidem flauam bilem ultra modum generat opportunū, hoc uero atram, hyems uero pituitā. Tale quid etiam uere contingit, quod in exercitationibus uidemus fieri. Etenim hæ quoq; sunt saluberrimę. Verum si hominem pituita plenum, uel flaua bile, uel atra, uel sanguine ipso uolueris ad exercitationem perducere, aut ei morbum comitialem, aut apoplexiam efficies exercitatione: aut si hæc mala non euenīet, periculum imminet, ne rupto aliquo in pulmone uase, in morbum incidat insanabilem. Multi uero cum febricitare cœpissent, propter exercitationes acutissimis morbis fuere correpti. Quibus uero uicē purgationis humorū qui sunt in profundo corporis exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans malorum humorum abundantiam; his & ulcera & scabies inde generatur. Et hoc innuens dicebat Hippocrates: Si impurgatus laboraueris, ulcera erumpent. Et quidem uerno tempore ex aere calor ambiente humores diffundens, educit ad cutem, & hoc quoq; opus ipsis exercitationibus persimile existit. Non solum autē ipsarum operibus ueris opera assimilantur, sed & naturæ ipsius, cuius opera, & occultam per totum corpus facere transpirationem, per quam excernuntur superfluitates, necnon & corpus in morbis uarijs modis expurgare.

BRASAVOLVS

PRIMO statim limine à Galeno dubitatur, quomodo ab Hippocrate superius dictum sit, uer uero saluberrimum & minime exitiale: quum multæ passiones in eo fiant, imò uer in morborum generatione alijs temporibus ęquale uidetur. Respondet, uer ob hanc causam saluberrimū esse, quamuis in eo multi morbi fiant, quia si in humano corpore bonos humores inuenerit, eos qui habent saluberrimos seruat: quod æstas non facit, nec hyems, nec autumnus, sed ad suam qualitatem alterant, & à temperie remouent. At uer nullam mutationē facit. Si uero corpus uarijs humoribus & prauis refertum inuenerit, hos ad circunferētiam reducit, aut ad ignobiliora loca transmittit, unde omnes ægritudines, quæ proprię ueris sunt, periculo uacant: illæ autē in quibus cum alijs temporibus participat, uel per eductionem à centro ad circunferentiam, uel per transmissionem ad ignobiliora loca fiunt. Hæc Galenus, ut breuibus explicemus. Qui uero sint

morbi

morbi ad uer spectantes, & qui non spectantes. Philotheus ita docet, ἰστέον δὲ, ὅτι συγγενῆ νοσήματα τοῦ ἔαρος εἰσὶν ἐνταῦθα, αἵματος ῥύσις, κυνάγχη, βήξ. ἀλλότρια δὲ μελαγχολία, μανία, ἐπιληψία, λέπρα, καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ ἀφορισμοῦ. idest, Sciendum autem quòd proprij morbi ueris hi sunt, sanguinis profluuia, angina, tussis: alieni uero atra bilis, insania, morbus comitialis, lepra, & alij qui in aphorismo enumerantur.

In primo uersu quod legitur, Videretur: Græce est δόξειεν, idest uideatur.

Quod deinde sequitur, Videtur siquidem magis: in Aldino etiam codice legitur, μᾶλλον, idest magis: sed antiquus quē habeo, legit μόνον, idest solum: quod egregie conuenit. sensus enim fit, uidetur si quidem solum quodlibet tempus adæquare secundum morborum, quos generat, uarietatem.

Quod etiam habetur, Grauedines autem, & raucedines, & tusses, & lepræ, sunt hyemales. hæc particula Lepræ, superflua est, quum quia à Galeno non ponitur, tum quia hyemalis morbus non est lepra: in meo antiquo Galeni contextu non adest, in Aldino tamen adest, sed obelo confodienda est, quia falsum enuntiat, lepram esse hyemis morbum quum non sit.

Quod etiam hoc modo legitur, Ex superabundanti autem præter alios morbos, uer profluuia sanguinis, & reliqua. legi debet, Præter alia tempora, & non præter alios morbos: quamuis Aldinus contextus simpliciter legat, παρὰ τὰς ἄλλας, sine aliquo adiunctio: sed hæc particula ἄλλας, morbum referre non potest, quia νόσημα neutri generis est, ἄλλας uero fœminei. Antiquus uero contextus quem habeo, legit, παρὰ τὰς ἄλλας ὥρας, idest præter alia tempora. Vtrunque tamen dici posset, & quod præter alios morbos uer sequentes habet. Melius tamen est Præter alia tempora, legere: ut sensus sit, Ver præter alia tempora illos morbos habet, qui sunt ei peculiares, & qui sunt ueris, ut uer est, & secundum opera ueris.

Quod deinde legitur, Alio uero modo in tuberculis, & articulorum doloribus profundum corporis expurgatur uitiosis humoribus ad loca uiliora transpositis. Hæc particula Ad loca uiliora, Græce habetur, εἰς τὰ ἄκρα μόρια, idest ad particulas extremas. ἄκρον enim extremū, & μόριον particulam significat: & re uera ad extremas particulas deducuntur: quamuis & illud uerum sit, quod ad uiliora loca transponuntur, tamen authores interpretandi sunt, ut eorum uerba indicare uidentur.

Illa quoque particula, Quod autem & profluuia sanguinis, & multitudinem euacuāt, & uitium humorum cohibent, & qui ex ipsis oriuntur morbos, perspicuū existit: Græce legitur, ὅτι δὲ καὶ αἱ τοῦ αἵματος ῥύσεις κενοῦσαι τὸ πλῆθος καὶ τὴν κακοχυμίαν, κωλύουσι τὰς ἐν αὐταῖς νόσους, ἄντικρυς δῆλον. idest, quod autem & profluuia sanguinis, & multitudinem euacuantia, & uitium humorum, cohibent eos qui ex ipsis oriūtur morbos, perspicuum statim existit. Vbi uides particulam Et, mutandam esse in illam particulā Eos. & id uerbum Euacuant, legendum esse Euacuantia: & hanc dictionem Statim, addendam esse: quoniam dicit ἄντικρυς δῆλον. idest, statim manifestum & perspicuum existit.

Quod statim sequitur, Si uero aliquod corpus bonos humores habens: Græce ita præcise habetur, εἰ δέ τι σῶμα. & reliqua. Tamen aliqui recentes legendum uolunt, Si uero corpus aliquos bonos humores habens. quod etiam uerum est: tamen & Leoniceni interpretatio despicienda non est, tum quia re ipsa constat, tum quia contextus Græcus eodem modo habet.

SECVNDO, Galenus in hoc Commento, ut ueris doctrinam perficiat, comparationem facit exercitiorum ad uer, per quam saluberrimum uer esse edoceat: & si aliquę ægritudines in uere fiant, eas fieri ob materias quę in corpore prius erāt. Ideo uer ut uer est, nihil incommodi perpetrari posse, imò hoc agens corpus potius expurgat, quia humores illos aut ad extremas partes, aut ad circumferentiam ducit, qui si in penitioribus & intimis partibus restitissent, obesse potius, quàm prodesse potuissent. Reliqua quæ in hoc Commento scripta sunt, interpretatione non indigent.

Quod legitur, Tale quid etiam uere contingit: Græce habetur, παραπλήσιον δέ τι συμβαίνει καὶ τὸ ἔαρ. idest, Tale quid autem uere contingit. Mihi magis placet interpretari, Tale quid autem: quàm, Tale quid etiam. quoniam hæc particula δέ, autem significat. & in hoc loco est continuatiua particula.

Quod

Quod etiam in fine Commenti est, Et quidem uerno tempore ex aere calor ambiente humores diffundens; Græca particula non Diffundens, sed Accumulans, dicit: nam est χέουσα.

Quod statim sequitur, Et hoc quoque opus ipsis exercitationibus per simile existit: legi non debet Ipsis exercitationibus, sed Ipsius: nam Græcus cōtextus hoc modo legit, καὶ τοῦτο τὸ ἔργον αὐτοῦ τοῖς γυμνασίοις δὴ παραπλήσιον. idest, Et hoc opus ipsius exercitationibus persimile existit.

Denique quod in Leoniceni interpretatione legitur, Et occultam per totum corpus facere transpirationem: commodius est legere, ut in Græco contextu habetur, Et occultam uocatam per totum corpus facere transpirationem. & ante hanc sententiam addenda est hæc particula, quæ in Græcis codicibus habetur, ταύτης γοῦν δὴ ἔργα, idest, Cuius opera sunt. Postea sequatur, Et occultam uocatam. & reliqua.

APHORISMVS XXI

Aestate autem nonnulli horum, & febres continuæ & ardentes & tertianæ febres & quartanæ & uomitus & alui profluuia & lippitudines oculorum & aurium dolores & oris ulcerationes, genitalium putredines & sudamina.

BRASAVOLVS

SICVTI æstas naturali incessu uer sequitur, eodem ordine post ueris morbos, de morbis æstatis tractat Hippocrates: nempe in æstate aliqui morbi fiunt, qui & in uere gignebantur: sed præter illos, hi accedunt æstati, continuæ febres & ardentes & tertianæ & uomitus & alui profluuia & oculorum lippitudines & aurium dolores & ulcerationes oris & putredines circa genitalia & sudamina. Hi sunt proprij æstatis morbi. Vnde & Philotheus dicit, ἐνταῦθα ἐν τῷ θέρει γινόμενα συγγενῆ τε καὶ ἀλλότρια νοσήματα καθὼς ἐν τῷ ἔαρι φησίν, καὶ πρῶτον μὲν ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων ἄρχεται. idest, Hic in æstate congeneres morbos & alienos dicit, sicuti in uere fecit, & primo quidem ab alienis incipit. Celsus capite primo secūdi libri hunc aphorismum interpretans, inquit: At æstas non quidem uacat plerisque ab his morbis, sed adijcit febres uel continuas uel ardentes uel tertianas, uomitus, alui deiectiones, auricularum dolores, ulcera oris, cancros & in cæteris quidem partibus, sed maxime obscœnis, & quicquid sudore hominem resoluit. Galenus & ipse in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc aphorismum ad uerbum citat, quo in loco Platonem reprehendere uidetur, & Hippocratem laudare.

Τοῦ δὲ θέρεος ἔνιά τε τούτων. idest, æstate autem nonnulli horum morborum qui uere fiunt. Quod Galenus in prima solum æstatis parte intelligit, quæ est ueri propinqua, in qua ob affinitatem, aliqui ueris morbi generantur, imò in ipsa aliqui iam facti perseuerant. Eodem modo Philotheus intelligit, nempe dicit, æstate quædam horum, τουτέστι τινὰ τῶν ἐν τῷ ἔαρι γινομένων νοσημάτων, καὶ ἐν τῷ θέρει γίνονται, κατ' ἀρχὰς μὲν, ῥύσεις αἵματος, καὶ συνεχεῖς πυρετοὶ, διὰ τὸ πλεονάζειν ἀκμὴν τὸ αἷμα. idest, Hoc est, quidam eorū morborum qui in uere facti sunt, & in æstate fiūt: nēpe ab initio, sanguinis profluuia, & continuæ febres, quod sanguis multum habeat uigoris. Celsus hanc partem ita interpretatur. Æstas non quidem uacat plerisque ab his morbis. qui potius sententiam ampliare uidetur, quàm Hippocratis contextum plene referre. Oribasius dicit, æstate aliqua ex uere, aliqua ex æstate fieri.

Καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες. idest, Et febres continuæ.] Celsus interpretatur Febres, postea per disiunctionem legit, uel continuas, uel ardentes. Oribasius inter continuas febres, causonem synochum, & febrem continuam numerat: per continuas autem febres, illas intellige, quæ ex illa materia fiunt, quæ in æstate generatur: est uero bilis. Ideo continuæ febres biliosæ in æstate fiunt. Tamen non imus inficias, ex quocunque etiam humore continuas febres in æstate fieri posse, uel pituitosus sit, uel atrabilarius: sed id & rarissime, & præter æstatis naturam contingit: propterea tales continuas intelligere oportet, quales illæ sunt, quæ ut plurimum in æstate gignuntur: hæ uero sunt biliosæ.

Καὶ καῦσοι. idest, Et ardentes.] Ita Celsus interpretatur. Aliqui, ardores uertunt. Causones dicunt recentes, secundum Oribasium ex bilioso humore alijs intermixto fiunt, ab ardore & caumate nomen habet: propterea ingẽtissimam sitim causat. Vnde & Galenus in libro Definitionum medicarum sibi inscripto, eam definit esse febrem factam cum multo ardore, non remittitur, linguam siccat, & nigro colore afficit, ingẽtemq́ frigidi appetitum facit. Fiunt autem secundum Philotheum, διὰ τὸ πλεονάζειν τὸν ξανθὸν χολικὸν χυμόν. idest, Quoniam flauibilcus humor redundat. Paulus Aegineta libro secundo, capite uigesimoseptimo, de ardente febre pertractat, quam dicit esse exquisitam tertianam, idest ex pura cholera accẽsam. Eodem pacto & synochus, quæ una accessione, ab initio ad finem usque perpetuo, sine ulla feruoris remissione permanet: dicitq́ hanc esse confinem ardentibus, à quibus sola acrimonia acutieq́ distinguitur. Aetius uerò libro quinto, capite septuagesimosexto, inter synochum, & ardentem febrem, his uerbis distinctionẽ ponit: Differt febris ardens à synocha putrida, quod hæc à putrescente sanguine fiat, & quod una tantum sit à principio usque ad finem exacerbatio: ardens uero febris à flaua bile putrescente incenditur, & alternis diebus excitata habet quandam febris quietem, & ueluti remissionem. Statim uero capite septuagesimoseptimo, de causone, idest ardente febre, hæc uerba habet: A flaua igitur bile putrefacta ignitur febris continua ardentissima, neq́ medicis, neq́ ægris inducias præbens: lingua enim horum exarescit, nigrescit, exasperatur, ac uentriculi erosio, sitis intolerabilis, uigiliæ sæpe & delirium infestat: curamq́ huius febris ex Philumeno prosequitur.

Καὶ τριταῖοι πλεῖστοι. idest, Et tertianæ plurimæ.] Qui interpretantur Et tertianæ febres, non recte interpretantur illam particulam πλεῖστοι, quæ non febres, sed plurimæ significat. Celsus legit, Vel tertianas: per has uero, interpollatas intellige, quæ de tertio in tertium molestant, & ex bile ortum habent. Conueniens est quod hoc tempore fiant, in quo bilis generatur & abundat.

Καὶ τεταρταῖοι. idest, Et quartanæ.] Hæc particula in Aldino contextu & in Hagoniensi scripta est: in meo antiquo abest. Nosq́ ex superfluo additã esse arbitramur, tum quia quartanæ æstate non fiunt: imò si quæ fiant, breues sunt. Rarissime uero accidit, quòd in æstate hæ febres molestent: & si quandoq́ fieri contingat, in fine æstatis fit, in illa parte quæ autumno propinqua est, & eius naturam sapit. Quartana uero proprius est autumni morbus. Tum etiam quia Celsus hunc aphorismum repetens, quartanas non ponit: nec Galenus in Commento, quartanarũ meminit. Tamen idem Galenus in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc aphorismum adducens, quartanas etiam refert. Si tibi placeat, quartanas in æstiuis morbis ab Hippocrate numeratas esse: per æstatem, ultimam illam partem intellige quæ autumno proxima est, & in qua biles adustæ sunt, & factæ atræ biles. At si illam particulam additam esse nolueris (quod magis probo) & hoc concedatur. Hippocrates in libro De hominis natura, dicit, bilem æstiuo tempore, & autumnali imperium corporis obtinere. Argumẽto, quòd homines & sponte sua, & per purgationũ potiones bilem, biliosissimasq́ res euomunt, uel excernunt. Quod item ex febribus & hominum coloribus patet. Oribasius quoq́ in hoc loco, quartanarum nihil meminit.

Καὶ ἔμετοι. idest, Et uomitus.] Nam biliosa materia exuberãte, quæ leuis est, ad uomitum prouocamur. Propterea & Philotheus dicit, fieri uomitus τῆς χολῆς ἐπιπολαζούσης, idest bile supernatante. Adde, superius dictum esse, ęstate superiores partes euacuandas magis, quoniam biliosæ materiæ hoc tempore generantur. Oribasius hoc modo intelligere uidetur, quia æstiuo tempore tertianæ fiunt, propterea uomitus fiunt: nam uomitus tertianam sequuntur. Verba eius hæc sunt, Item tertianæ hoc tempore potissimum subnascuntur, ad hæc uomitus, idest ad quas sequitur uomitus. & non intelligit simpliciter, & ex se absq́ febre uomitum fieri, sed uomitus sequitur tanquam febris symptoma, & re uera in tertianis febribus ut plurimum uomitus promouẽtur. Tamen Celsus & Galenus uomitum simpliciter fieri intelligũt, etiam sine febre, quamuis & in eisdem febribus eosdem uomitus fieri non negarent.

Καὶ διάῤῥοιαι. idest, Et alui profluuia.] Quæ à Celso alui deiectiones interpretantur, hæc fiunt tum ob biliosos humores, qui generantur, & qui ea quæ excernuntur madefacientes

facientes, ad excretionem irritant: tum etiam per accidēs, quia multam aquam potamus, noctu ut plurimum nudi & detecti dormimus, tamen sola ratio (ut Oribasius inquit) est biliosus humor, qui ad excretionem titillat. Philotheus uero fieri dicit τῆς ὕλης κάτω χωρέσης, idest, materia deorsum abeūte. Sunt autem talia profluuia, quæ à Græcis & Latinis diarrhiæ nuncupantur, quàmuis & ob bilem in æstate multæ intestinorum difficultates fiant. propterea id uocabulum intelligo ac si communiter de omni alui fluore dictum sit, & non solum de diarrhijs.

Καὶ ὀφθαλμίαι. idest, et lippitudines,] de siccis intelligere oportet, quæ fiūt, Philotheo teste, τῆς κεφαλῆς πληρωμένης, idest, capite repleto. Celsus lippitudines non refert, tamē est morbus qui in æstate fit. hæc particula oculorum addenda non est, ut fecit Leonicenus, sed simpliciter lippitudines interpretari oportet.

Καὶ ὤτων πόνοι. idest, Et aurium dolores] qui, secundum Philotheum, ex eadem causa fiunt, ex qua lippitudines, ex capitis inquam plenitudine. Celsus interpretatur, & auricularum dolores, ego potius aurium, cum auriculæ brutorū sint. Theodorus has duas particulas, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι hoc modo interpretatur, Et oculorum, & auriū dolores, itaq; Oribasius legere uidetur. nam dicit, oculorum item dolores ex illa materia constituuntur, unde & sicci sunt, tum auriū dolores, quia per has excrementa feruntur, & dum crassa fuerint, obturationem faciunt. at mihi potius legendum uidetur, lippitudines, quoniam & si cum lippitudine dolor sit, tamen potest esse dolor sine lippitudine, de qua lippitudine superius egimus. dolores autem aurium plerunq; ad suppurationem ueniunt. Paulus libro tertio, capite uigesimotertio, de uarijs aurium doloribus sermonem habet. nam aliqui ex frigidis humoribus fiunt, aliqui ex humidis, aliqui ex flatu, aliqui ex aqua, aliqui ex calore, aliqui ex siccitate. Hippocrates in præsentiarum de his qui sunt ex calidis & siccis humoribus intelligit, & etiam quandoq; ex flatu, quem ob immensum calorem libenter recipimus, uel modo ad exituram ueniant, uel non ueniant, ad rem ipsam nihil facit.

Καὶ στομάτων ἑλκώσιες. idest, & oris exulcerationes] quæ, ut inquit Philotheus, διὰ τὸν χολώδη χυμόν, idest, ob biliosum humorem, fiunt. Celsus hanc partem interpretatur, ulcera oris, quæ (ut Oribasius inquit) ipsa acredo biliosa concitat. nam multa bilis æstate generatur, quæ ad oris partes trāsmissa exulcerationes facit, de quibus Paulus Aegineta libro tertio capite uigesimosexto pertractat: Multaq; pustularum genera in ore fiunt, & potissimum biliosarum, fiuntq; aphthæ, quæ sunt pustulæ in puerorum ora serpētes, de quibus suo loco in cōsequentibus aphorismis sermonem habebimus. hoc unū nunc scito, exulcerationes in præsentiarum intelligere à biliosa materia factas.

Καὶ σηπεδόνες αἰδοίων. idest, & genitalium putredines.] Celsus hanc partem ita interpretatur, Cancros, & in cæteris quidem partibus, sed maxime obscœnis, re autem uera post putredines in genitalibus (nisi summa cura adhibeatur) cancri sequūtur. Quod autem in alijs partibus cancri fiant, uidere nescio, ubi exsiccans caliditas uiguerit, nisi dixerimus, humores acui, & cancros inferre. Philotheus in hoc loco simpliciter legit, καὶ σηπεδόνες, idest, & putredines: postea addit, καὶ αἰδοίων ἱδρωτίδες, idest, & genitalium sudores. Nos arbitramur, Philothei contextum deprauatum esse, & illam particulam αἰδοίων illi iungendam esse σηπεδόνες, ut habet Hippocrates. immo ipse statim causam reddit pudendorum putredinum, inquiens fieri διὰ τὸ ὑγρότερα εἶναι τὰ μόρια, καὶ ὑπὸ τῆς θερμότητος ταχὺ σήπεσθαι τὸ ὑγρόν. idest, Quoniam partes humidiores sunt, & humidum à caliditate cito corrumpitur. Celsus libro sexto prope finem de partium obscœnarum morbis tractat, & de cancris in cole, & inflammatione phagedæna, carbunculo, rhagadijs, condylomate, & morbis ani pluribus. Paulus Aegineta libro tertio, capite quinquagesimonono, ea quæ pudendis et sedi adnascuntur, describit. Hæc autem fiūt secundum Oribasium, quia loca genitalia calida et humida sunt, ideo illis biliosus humor superueniens celeriter putrescit. Non est autem Aphorismus in hac parte intelligendus, nisi in illis qui multas superfluitates habēt, quando æstas suam naturam seruat, et ad pudenda transmittuntur.

Καὶ ἵδρωα. idest, et sudamina] quam partem Celsus interpretatur, et quicquid sudore hominem resoluit. Quod si de pustulis intelligit, quæ ob sudorem fiant, ita ut sudor in

pustulas circa cutim resoluatur, tunc idem est ac si dixerit sudamina: si uero intelligit hominis resolutionem, idest, magnam defatigationem, & lassitudinem propter sudorem, non erunt pustulæ. Quid autem sint sudamina, in commento Galenus docet, pustulas esse in summa cutis parte inhærentes, quæ instar ulcerum cutim exasperant, quia fiunt propter sudores, aut biliosiores, aut mordicantes, qui cutim exasperant, mordēt, & pruriginosam reddunt, quandoque ut acumina acuum pungere uidentur. Quid sint sudamina Philotheus exponit dicens, ἱδρῶα δὲ, τουτέστιν ὑδρωτίδες, τὸ καὶ τοὺς πολλοὺς ἱδρῶτας χολωδεστέρους τὰ τηνικαῦτα εἶναι. δάκνουσι γὰρ αὐτοὶ τὸ δέρμα, καὶ κνισμώδεις ἐργάζονται. idest, Sudamina autem, hoc est sudores, quoniam tunc multi sudores biliosiores fiunt, qui cutim mordent, & pruritus excitant. Vulgus pulchro, & commodo uocabulo eas uocat, cocturas, quoniam ex coctione, idest, caliditate ingenti factæ sunt: iuuenes quandoque & pueri, his pustulis in æstate ita implentur, ut à uertice ad pedes ferè tecti sint, collum mire impetunt, scapulas, dorsum, & pectus, sanantur ex sola madefactione aquæ rosaceæ, immo & per se absque remedio sanantur. Non defuere qui per ἱδρῶα papulas interpretati sint. Primum genus quod à Celso quinto libro positum est, & Manardus putat, apud Plinium papulam sudorum ἱδρῶα esse, sed ego papulam sudorum apud Plinium inuenire non potui, cum in plurimis locis papulas inuenerim, & remedia quæ papulis exhibentur, sudaminibus etiam ualent. id uidetur sudamen, quod à Rasi alhasaphum sua lingua uocatur, & de quo tractat etiam Auicena, uidetúrque ipse appellare plantam noctis, de qua libro quarto agit Fen. 7. Tractatu tertio, capite decimo, quāuis potius sudamina illa esse uideantur, quæ ab eodem Auicena in illo loco capite octauo desudationes appellantur. Planta autem noctis apud eundem authorem, Græcorū epinyctis uidetur, de qua re aliàs sermonem habebimus. Oribasius causam reddit cur sudamina æstiuo tempore fiant, quia inquit biliosus humor celeriter euaporat.

GALENVS

AESTATE inquit, & nonnullos ex uernis morbis fieri, circa initia eius uidelicet. Nam quæ fini ueris continuantur, sicuti similem habent temperaturam cum æstate, ita & in morborum generatione cōmunicant. Inquit enim alios quosdam æstate generari illi proprios, ueluti febres continuas, & ardentes, & tertianas. Et (ut simpliciter dixerim) quæcunque ex flaua bile mala corporibus accidūt. Nam & uomitus hac per summam natante fiunt, & uentris profluuia ad inferiora defluente, & lippitudines quoque æstate plurimæ, utpote repleto capite. sic & aurium dolores, & alia similia æstate corpus patitur ex capitis repletione, aliam ad alias corporis partes superfluitatem deponentis. Oris autem ulcerationes quod propter biliosum humorem contingant, perspicuum existit. Genitalium uero putredines, non simpliciter, sed quando æstas, aut humida magis fuerit, aut nullus flauerit uentus, aut auster in ea abundauerit. nam cum plurimum à modo naturæ recesserit, ad humiditatem, aut flatuum carentiam, non genitalium tantum putredines facit, sed & cuiuscunque partis alterius, qualis est illa quæ scribitur in tertio Epidemiarum constitutio, uel in secundo circa eius initia. Quæ uero paruæ sunt aeris euersiones, genitalia tangunt, ut quæ ob humiditatem, ac caliditatem, ex quacunque occasione sint parata putrescere. Quare cum propriam æstas seruauerit temperaturam, qui multis superfluitatibus infestantur, quando hæ aliquam ob causam ad genitalia defluxerint, ipsorum putredines patiuntur. Sudamina autem è genere pustularum sunt in summa hærentium corporis parte, quæ instar ulcerum cutem exasperant. Proueniunt autem, quemadmodum & ipsum ostendit nomen, propter multos sudores, qui uel biliosiores, uel omnino mordaciores existunt: mordent enim hi cutem, & pruriginosam efficiunt, & per modum ulcerum exasperant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quando fiant illi morbi ueris, qui accidunt in æstate, inquiens, fieri in prima parte æstatis, quæ ueri propinqua est, & quæ ueris naturam sapit.

SECVNDO, Illos morbos æstatis proprios esse dicit, qui ex bile sunt. nam bilis in æstate generatur, & crescit: hi uero morbi sunt, ut continuæ febres ardentes, & tertianæ,

& uomitus

& uomitus, & uentris profluuia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris ulcera, quæ à biliosis humoribus causantur. In ea parte, in qua habetur, & alia similia æstate corpus patitur ex capitis repletione, In Aldino contextu ita præcise legitur, ut Leonicenus interpretatus est. Sed antiquus contextus addit hanc particulam, plurima, dicit enim, καὶ τὰ ἄλλα τὰ ὅμοια πολλὰ πάσχει τῷ θέρει τὸ σῶμα, διὰ τὴν πλήρωσιν τῆς κεφαλῆς. idest, & alia similia plurima æstate corpus patitur ob capitis repletionem.

Quod etiam legitur, Aliam ad alias corporis partes, Græcus contextus habet ἄλλοτε ἐς ἄλλο μέρος. idest, alias ad alias partes. nam sicut ἄλλο secundo loco positum, alias interpretatum est, ita ἄλλο primo loco positum, alias interpretari oportet.

TERTIO exponit Galenus, quomodo intelligendum sit, æstate genitalium putredines fieri. nam re uera æstate potius sanari deberent, quia omnia superflua & humida exsiccantur, in quibus putredo generari solet. propterea à Galeno edocemur, Hippocratem simpliciter intelligendum non esse, sed cum his conditionibus, quãdo æstas magis humida fuerit, uel cum nullus uentus æstate spirat: uel si aliquis uentus regnet, auster sit qui preualeat, quia cum præter suæ naturæ modum humida fuerit, aut uenti non flauerint, non solum in pudendis, sed in omnibus corporis partibus putredines fient, sicuti illa constitutio est, de qua in tertio Epidemiorum, uel in secundo circa principium sermonem habet. Est uero tertij Epidemiorum constitutio talis, quod totus ferè annus austrinus fuit, & in æstate consueti uenti non spirauerunt. Verba Hippocratis hæc sunt, Pluuius, austrinus, sine aura usque annus hic fuit, cum æstus prius cum austris uiguissent: circa Arcturum multum pluit, tenebricosus, & nubilus autumnus fuit, magna uis aquarum, hyems austrina, uda, lenis. post uero solis institium proxime æquinoctium, septẽtriones niuosi, non diu spirauerũt, uer rursus udum non perflatum, multum pluit, canem usque, æstas serena, calida, æstuosa fuit, uenti spirare per æstatem consueti, hoc est etesiæ, sparsim, raro, & non iugiter spirauerunt, circa uero Arcturum rursus cum septentrionibus multum pluit. Hippocrates in hac constitutione dicit, quod pudendis tubercula fiebant, immo & in toto corpore fiebant abscessus. hęc est constitutio, quam in hoc commento Galenus adducit ex tertio libro Epidemiorum, in qua circa pudenda pustulæ fiebant, quia annus præhumidus fuerat. propterea Galenus notat, quod genitalium putredines non fiunt, nisi in humiditatibus, in quibus non solum putredines in genitalibus, sed etiam in alijs partibus generãtur. unde hæ putredines, si in æstate suam naturam seruante intelligantur, in his solum fiunt, qui humiditatibus & humoribus pleni sunt, qui ad illas partes aliqua occasione mouentur, in quibus cum sunt, facile putrescunt. Adducit & Galenus constitutionem ex principio secundi libri Epidemiorum, in qua constitutione in æstu humiditates erant. Notat tamen & hic Galenus, cum natura pudendarum partium ex humiditate & caliditate putrescere apta sit, ideo ex qualibet etiam aeris minima mutatione putrescunt.

QVARTO Galenus interpretatur, quid significet id uocabulum ἱδρῶα, idest, sudamina. est autem sudamen pustularum genus in summa cute, quæ ipsam exasperant, & pruritum faciunt, immo quandoque pungunt, ac si aciculæ puncturæ sint. nomen suum ex quo fiant, ostendit: ex multis enim biliosis sudoribus, uel etiam mordacibus, qui cutem mordent, generantur: tamen in his qui quiescunt, sine sudore, ex ipso calore quandoque fiunt, tamen semper ex sudore factas dicendum est, aliter sudamina non essent, sed in his quæ quiescunt, sudor, idest materia illa, quæ sudorem facit, prodire necesse est, & cutim per modum ulceris exasperãt, quæ etiã pruriginosa effecta est. Quid uero prurigo sit, in consequentibus aphorismis edocere non grauabimur.

QVINTO in Leoniceni interpretatione in fine commenti dubium pulcherrimum abest, quo etiam codex Aldinus caret, In meo autem antiquo scriptum est, Dubium uero hoc est, quare circa sedem, & pudenda frequentius putredines fiant, cum tamen sicca membra sint, atque neruosa. Respondet causam esse, quia per illas partes humiditas continuo fluit, quæ est putredinis causa. non fiunt autem ratione ipsorum membrorum. Si uero aliquis sit, qui Galeni uerba scire percupiat, hæc sunt, ἐζήτησάν τινες τῶν παλαιῶν τὴν αἰτίαν τοῦ συνεχῶς γίνεσθαι περὶ τὴν ἕδραν, καὶ τὰ αἰδοῖα σήψεις. καὶ φασι, τὴν δ' αὐτῶν ἀεὶ ῥέουσαν ὑγρότητα αἰτίαν εἶναι. ἃ γὰρ τὰ σώματα αὐτῶν ἐστιν ὑγρά, καὶ μάλιστα τὰ

αὐδοῖα, ὑγρῶδες γάρ ἐστι. idest, Quidam antiquorũ causam quæsiuerunt, quare assidue putredines circa sedem & pudenda fiant. & respondent, humiditatem per ea loca semper fluentem causam esse: non enim ipsorum corpora humida sunt, & præcipue pudendi, quoniam neruosum est. Videtis quanto incommodo hæc pars omittebatur, quæ est scitu necessaria.

APHORISMVS XXII

AVtumno uero & plurimi, uel æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum, & leuitates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes (quas Græci asthmata uocant) ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles.

BRASAVOLVS

EX solis motu per signiferum circulum, autumnus æstatem sequitur, propterea ἀκολούθως (ut Philotheus dicit) καὶ περὶ τοῦ φθινοπώρου διαλέγεται. idest, consequenter & de autumno disputat. qui suapte natura frigidus & siccus est, & qui ægris periculosissimus existit, tum ex suis qualitatibus, quæ uitæ opponuntur, tum ex præcedente æstate, quæ uires deiecit, & in cuius extrema parte horarij fructus maturitatem acquisiuere. In autumno autem plures morbi fiunt ex his qui in æstate generabantur, quia in nostro corpore biliosi humores adhuc perseuerant, qui in æstate ortum habuerant. Sed præter hos æstatis morbos, aliqui sunt peculiares autumno, uidelicet quartanæ febres, febres inconstantes & erraticæ: lienes putrescunt, omnia aquæ intercutis genera fiunt, tabes generantur, & qui iam tabidi sunt moriuntur. Vrinæ stillicidia, intestinorum difficultates, atque etiam leuitates, coxendicum dolores, anginæ & ueræ, & nothæ, anhelationes, iliaci dolores, morbi comitiales, & præter hos, etiam furores, & atræ biles, quàmuis superius uere fieri dictum sit. Hi sunt morbi, qui ab Hippocrate in autumno fieri dicuntur, quàmuis in summa omnes fere morbi in autumno generentur. Celsus capite primo secundi libri, præsentem Aphorismum hoc modo interpretatus est, Vix quicquam ex his in autumnum non incidit, sed oriuntur eo quoque tempore febres incertæ, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, quam Græci φθίσιν nominant, urinæ difficultas, quam στραγγουρίαν appellant, tenuioris intestini morbus, quem εἰλεὸν nominant. fit item leuitas intestinorum, quæ λειεντερία uocatur, coxæ dolores, morbi comitiales. Hæc deinde quæ in Celso sequuntur præter Aphorismi sententiam uidentur, idemque tempus & diutinis malis fatigatos, & ab æstate tantum proxima pressos interimit, & alijs nouis morbis conficit, & quosdam longissimis implicat, maximeque quartanis, quæ per hyemem quoque exerceant: neque aliud magis tempus pestilentiæ patet, cuiuscunque ea generis est, quãuis uarijs rationibus nocet. Hæc de autumno Celsus, quod certe tempus ab omnibus authoribus damnatur. Galenus in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc Aphorismum ad uerbum citat: ubi Platonẽ accusat, & Hippocratem miris laudibus effert. Autũnus uero ex Hippocratis sententia tertio libro De ratione uictus, ab Arcturi exortu incipit ad Vergiliarũ occasum, in quo libro de uictu omnium temporum, & etiam autumni pertractat.

Τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ scilicet νοσήματα. idest, Autumno & æstiuorum multi.] Id enim non dicit quod Leonicenus interpretatur, scilicet Autumno uero & plurimi, uel æstiui morbi fiunt. Theodorus ad contextum magis accedit, inquiẽs, Autumno magna pars æstiuorum. Celsus hanc partem ita reddit, uix quicquam ex his in autumnum non incidit, ac si dicat, omnes fere æstatis morbos, uel etiam ueris (quia ad solam æstatem non se determinat) in autumno fieri. Si uero queras, qui nam sint illi æstiui morbi qui in autumno fieri possunt: Galenus respondet, illos esse, qui ex biliosa materia in æstate facta, & in autumno relicta fiunt, ut sunt continuæ febres, ardentes, tertianæ

tertianæ, & aliæ huius generis ægritudines. unde & Philotheus in hac parte dicit, καὶ ἐν τῷ φθινοπώρῳ γίνονται ἐν ταῖς ἀρχαῖς διὰ τὸ ἐπικρατεῖν ἀκμὴν τὸν ξανθοχολικὸν χυμόν. ταῦτα μὲν εἰσὶν ἑτερογενῆ, οἷον τριταῖοι, καῦσοι, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. γίνονται δὲ καὶ οἰκεῖα νοσήματα ἐν τῷ φθινοπώρῳ, οἷον τεταρταῖοι καὶ τὰ ἑξῆς. idest, & in autumni principijs fiunt (scilicet morbi æstiui) quoniam adhuc flauibileus humor uiget. hi enim sunt alterius generis, idest, improprij, ut tertianæ febres, & febres ardentes, & his consimiles. Fiunt autem & in autumno proprij morbi, ut quartanæ, & qui deinceps sunt: de quibus Hippocrates statim sermonem habebit.

Καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι. idest, & febres quartanæ] quæ autumni propriæ febres sunt, & quę non solum ex pura atra bile in profundo autumno fit, in quo generari potuit, sed etiam (ut Oribasius dicit) in principio autumni aliquando fit, ex bilioso perusto, & facto melancholico, immo hac eadem ratione in æstate quartanas febres fieri contingebat. Philotheus fieri dicit, διὰ τὸ ἐν τῇ τοιαύτῃ ὥρᾳ πλεονάζειν τὸν μελαγχολικὸν χυμόν, ἐξ οὗ γίνεται. idest, Quoniam in hoc tempore atrabiliarius humor abundat, ex quo fit.

Καὶ πλάνητες. idest, & erraticæ] Theodorus erroneas interpretatur. Celsus ita uertit, & febres incertæ. omnia dici possunt, quia uocabulum planeta apud Græcos erraticum significare uidetur, immo planetę ideo dicti sunt, quia errant, & per zodiaci latitudinem euariant cursum, & eadem linea semper non mouentur, dempto sole, qui sub ecliptica certo cursu continuo defertur. Oribasius erraticas febres fieri dicit, quia aeris qualitas dupliciter euariat, Philotheus autem διὰ τὴν ἀνωμαλίαν τοῦ καιροῦ, καὶ τῶν χυμῶν, idest, propter temporis inæqualitatem, & humorum. Hippocrates in libro De uirginum natura inquit, Cum uirgines habeant clausos locellos, colligitur in illis sanguis qui non potest exire, & multos morbos causat, multasq; affectiones, quas enumerat. Sed deinde addit, Cum enim hæ partes (idest, locelli) repletæ fuerint, cum febre horror ingruet, quas febres planetas, idest, erraticas uocant. Sunt enim erraticæ febres quæ in affligendo unum modum non obseruant, quia uno die affligunt, postea tertio die, deinde quarto, adeo quod ordinem non seruant, uel tertianæ, uel quartanę, uel alterius ob diuersitatem, & heterogeneitatem materię eam facientis, unde nec ordinem febrium seruant, nec ordinem motus humorũ, nec ordinem quo ad tempora, quibus accedere deberent. ad has autem erraticas febres quartanæ sequuntur, ut Hippocrates & Galenus tertio Prognosticorum libro, sectione uigesimanona testes sunt.

Καὶ σπλῆνες. idest, & lienes.] Celsus interpretatur lienis dolores, et re uera omnia quę lienem molestant, intelligenda sunt, uel sit in ipso durities, uel dolor, uel aliquid simile, ut obstructio, quę ex atra bile, illo tempore multum exuberante facile fiunt. nam (Philotheus dicit) διὰ τὸ μελαγχολικὸν περίσσωμα, idest, propter atrabilariam superfluitatē contingunt. additq; οὗτος γὰρ δοχεῖον ἐστὶ τοῦ μελαγχολικοῦ χυμοῦ, idest, hic enim lien scilicet atrabilarij humoris receptaculum est.

Καὶ ὕδρωπες. idest, & aquę inter cutem] quas à Liene fieri Oribasius docet, quum ignari medici tumorem in splene deprehendentes, dicunt se posse illum per cataplasma resoluere, ille in aquam conuertitur, & fit hydrops. At hęc esset solum ascitis, tamen & hoc tempore tympanitides generantur, sed ab obstruso liene proueniunt, à iecore ea expurgare non potente, quæ expurganda erant. propterea paulatim male afficitur, & ita coctiones prauas facere incipiens, flatum, & aquas exaggerat, quæ hydropas causant. unde & Philotheus per hunc ordinem fieri ostendit, liene pleno αὔρας ἐκπέμπει ψυχρὰς τῷ ἥπατι, καὶ καταβάλλει τὴν ἐξαιματοποιητικὴν δύναμιν τοῦ ἥπατος, καὶ οὐ πέσσει καλῶς, ἀπεψίας οὖν γινομένης ὕδρωπες γίνονται. idest, Frigidas auras ad iecur mittit, & effectricem sanguinis iecoris potentiam prosternit, & non bene concoquit. non facta igitur concoctione, aquę intercutes fiunt.

Καὶ φθίσεις, idest, et tabes, quæ secundum Oribasium ex ipsius temporis siccitate et frigore ortum ducunt. Superius dictum est, uocabulum Tabes commodius esse, quàm phthisis, ob hoc Celsus absoluto uocabulo interpretari noluit tabes, sed ita dixit, Tabes, quam Gręci φθίσιν nominant, ac si dicat, et tabes, non tamen ἀτροφία, uel καχεξία, sed illa quę φθίσις nuncupatur. Has fieri dicit Philotheus τῷ λόγῳ τῆς ἀνωμαλίας,

ποτὲ μὲν ψυχροῦ ἀέρος εἰσπνεομένου, ποτὲ δὲ θερμοῦ. τῇ ψύξει οὖν ἐπιτείνει τὴν βῆχα, καὶ γίνονται ῥεύσεις ἀγγείων, καὶ οὕτω φθίσις. idest, Ratione inæqualitatis, quandoque quidem frigido aere inspirato, quandoq; autem calido. ex frigiditate igitur auget tussim, & per uasa defluxus fiunt, & ita phthisis.

Καὶ στραγγουρίαι, idest, et stillicidia urinæ] de quibus superius à nobis plura indicata sunt, quæ (secundum Oribasium) ex frigoris tempore innascuntur. Philotheus autem dicit, καὶ στραγγουρίαι τῆς κακοχυμίας εἰσφερομένης, καὶ τῇ δριμύτητι ἀνιώσης, καὶ ἐπονούσης πρὸς ἔκκρισιν τὴν ἀποκριτικὴν δύναμιν. idest, et stillicidia urinæ humorum peruersitate penetrante, & sua acredine infestante: & ad effluxum secernentem facultatem prouocante. Celsus hoc loco interpretatus est urinæ difficultas, quam στραγγουρίαν dicunt, tamen urinæ difficultas potius est δυσουρία, quæ & ipsa hoc tempore fieri posset, & fit. nam æque ex frigiditate difficultas urinæ fieri potest, sicuti stillicidium urinæ. Galenus ob subitas transmutationes à calido in frigidum, & è contrario fieri docet.

Καὶ δυσεντερίαι. idest, & intestinorum difficultates] Celsus hanc particulam in suo aphorismorum codice non habuit, nec Galenus habuisse uidetur, nec Oribasius, quia in suis commentationibus nihil de dysenteria meminere. Theodorus quoque non habuit, tamen in Leoniceni codice adfuisse, & in Aldino adesse certum est: in antiquo nostro Galeni codice aderat, sed ab illo docto uiro qui librum scripsit, obelo confossa est. Philotheus quoque nec in suo contextu habuisse uidetur, nec illam particulam interpretatur. Quicquid sit, illo etiam tempore intestinorum difficultates in principio ex bile in æstate generata, et quæ usque ad autumnum permanserit, fieri possunt. In processu uero autumni, & prope finem ex atra bile fiunt, quæ insanabiles ferè sunt intestinorum difficultates. Galenus hunc aphorismum adducit in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, & in ipso hanc particulam δυσεντερία refert.

Καὶ λειεντερίαι. idest, & intestinorum leuitates] de quibus superius actum est. Oribasius ex glutinoso humore fieri dicit: causa autem eius est, quia uentriculus ob autumni inordinationem debilior efficitur, & in eo multæ humiditates colliguntur, & quia ob has humiditates uis contentiua deficit. aliquando in intrinseca uentriculi superficie, ex acutis humoribus in autumno relictis ulcera generantur, quæ cum adsint, statim sumpto cibo ob nocumentum quod persentitur, cibus non immutatus, uel parum immutatus ilico emittitur, & cum eadem ferè qualitate cum qua sumptus fuerat. Philotheus easdem ferè causas sequitur inquiens, Intestinorum leuitates fieri δι' ἀῤῥωστίαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως τῆς κοιλίας, καὶ τῶν ἐντέρων ἕλκωσιν. idest, ob ægrotationem contentiuę potentiæ uentriculi, & intestinorum exhulcerationem.

Καὶ ἰσχιάδες. idest, et coxendicum dolores] Theodorus absoluto uocabulo Coxendices interpretatus est, Celsus coxæ dolores, uulgus nostrum Græcum uocabulum imitatur, & Sciaticam uocat, quasi iscian. Fiunt secundum Philotheum ἐκ δριμυτάτου χυμοῦ ἰσχιάδες, καὶ τῇ κακοηθείᾳ τῶν χυμῶν, καὶ τῇ ψύξει. idest, ex uehementer acri humore ischiades, et malo habitu humorum, atque frigiditate. Sæuissimus morbus est, qui os coxæ quandoque à sua pyxide dimouet: Oribasius ex pituita fieri dicit, cum descendit per recta ossa in commissuras, et fit ibidem cõglutinatio, idq; ex hyeme est inquit, idest, hic morbus hyemalis est: ut de lienteria etiam dicebat, quod erat hyemis morbus, quia ex glutinoso humore fiebat. tamen & hoc tempore aliarum etiam iuncturarum dolores causantur, et arthritides, et podagræ, et chiragræ, potissimum fiunt. immo hoc est unum tempus, in quo uel de nouo articulorum dolores et morbi generantur, uel quia iam diu molestarunt, postea intermisere, excitantur. Nunc per coxarum dolores, omnium articulorum dolores intelligendos iubeo, fortè Hippocrates hunc articulum præ alijs elegit, tanquàm eum qui uehementissime infestat, sed re uera multi coxarum dolores in autumno excitantur, qui à materia penitus frigida et pituitosa ortum habent: propterea quantum sit ratione materiæ est morbus hyemis, qui tamen hoc tempore mouetur. nec opus est ita mordicus tenere, à materia frigida et humida fieri, quin à calida et sicca quandoque fieri contingat. Hermolaus Barbarus in papauere cornuto ubi Dioscorides dicit ἰσχιάδες, ipse interpretatur lumborum do-

lores

lores, & Plinius eodem modo dixisse uidetur, tamen re uera aliud est coxa, aliud lumbus, propterea nos potius consulimus, ubi apud Graecos ἰσχιὰς & ἰσχιάδα inuenimus, interpretandum esse coxæ uel coxarum dolores. Hippocrates in libro De morbis qui extra, quem Galenus Polybi esse iudicat, inquit, ἰσχιὰς cum sit, coxendicis iunctura dolitat, acceptabulum, summæ nates, totumque crus. & in libro De morbis qui intus, ultimo folio, ubi de crassis morbis sermonem habet, dicit, ἰσχιὰς de his præcipue causis, & alijs gignitur præterea multis, si diutius quis sub sole uersetur, & eat coxendicesq; calefiant, humorq; horum articulorum, & aliorum æstu siccescat, cogaturq;. Quod sic esse coniector: languens enim flectere mouereq; hos articulos, & alios præ dolore, qui inest, nequit, digiti compinguntur, lumbos, uertebras, quę secundum coxendices sunt, maxime dolet, coxendices, inguina, genua, grauis & æstuosus dolor uexat. Si quis eum attollat, præ dolore uehementer gemit, clamatq;, quandoq; neruorum distentio frigus, & febris superuenit, Coxendix etiam bile, pituita, sanguineq; gignitur, tanquamq; omnibus his malis laboret, similiter dolitat: quandoque etiam friget, leniterq; febrit. Hactenus Hippocrates in hoc libro De morbis qui intus.

Καὶ κυνάγχαι. idest, Et anginæ.] Angina (ut inquit Oribasius) ex pituita nascitur, tamen & ex alijs etiam humoribus, & bile ortum habet. Celsus in suo codice hac particula caruit, quamuis & hoc tempore anginæ fiant: sed apud nos in fine hyemis potissimũ, & in principio ueris generantur. Philotheus fieri dicit χολῆς φερομένης ἐπὶ τοὺς μῦς τοῦ λάρυγγος, idest, Bile ad musculos fauciũ delata. Statim uero addit, ἀλλὰ τοῦτο ἑτερογενὲς νόσημα. idest, & hic morbus alterius generis est.

Καὶ ἄσθματα. idest, Et anhelationes.] Quæ (ut inquit Oribasius) à pituita gignuntur. Celsus in huius Aphorismi relatione anhelationum nihil meminit: ἄσθμα in difficultate spirandi consistit. Apud Celsum libro quarto, capite quarto de spirandi difficultate hæc scripta inueniuntur: dum modica difficultas est, tamen ex toto non strangulat, δύσπνοια, idest, difficultas spirandi appellatur: sed cum uehementior est, ut æger sine sono, & anhelatione spirare non possit, ἄσθμα est. Dum uero hæc scribimus, filiolum nostrum Hieronymum hac passione mire deprehensum persentimus, quem dum audimus, paterna misericordia commouemur, & referentes horrescimus: adde præter sonum, quem ingentissimum edit, non potest nisi recta ceruice spirare. ὀρθόπνοια nuncupatur, & qui hanc affectionem patiuntur, orthopnoici nominari solent. primi illi, qui δύσπνοιαν, idest, difficultatem anhelitus patiuntur, diu uiuere solent, Asthmatici uero, & orthopnoici, breui intereunt, quod ego meo ingenti dolore in prænominato Hieronymo decimumseptimum mensem nondum agente, & hoc morbo sæuissime deprehenso experiar. De his Galenus in definitionum libro sibi adscripto ita pertractat, ut eo modo illa definiat quo definiri possunt. Paulus Aegineta libro tertio, capite uigesimonono dyspnoeam sine febre esse docet, eadem præcise ab Aetio dicuntur, quæ à Paulo scripta sunt. Recentes inter δύσπνοιαν & ἄσθμα differentiam faciunt, quod dyspnoea sine sono, asthma cum sono sit, propterea suo quodam carmine utuntur, ut hæc distinguant, carmen uero hoc est, Dyspnia se celat, canit asma, morbumq; reuelat. Asthmatis quatuor species recentes enumerant, una est, cum spiritus difficulter inspiratur, idest, attrahitur: altera cum difficulter expiratur, idest, emittitur: tertia cum simul difficulter inspiratur, & expiratur: quarta, cum non possunt nisi recta ceruice spirare, quæ est huius morbi pessima & perniciosissima species, Quicquid tamen sit ex humida materia in pulmone imbibita, quæ anhelitum impedit, generatur. At Philotheus per dispnoeam, asthma exponit inquiens καὶ ἄσθματα τουτέστι δύσπνοιαι διὰ τὸ τὴν ὕλην ἐπὶ τὰ ἀγγεῖα τοῦ πνεύμονος φέρεσθαι, καὶ ἐμφράττειν αὐτά. idest, & anhelationes hoc est difficultates anhelitus, propterea quod materia ad pulmonis uasa defertur, & illa obstruit.

Καὶ εἰλεοί. idest, Et ilei.] Theodorus interpretatus est uolui, Caluus conuolui, Celsus interpretatur tenuioris intestini morbus, quem εἰλεὸν uocant. hoc uero nomen accipit (secundum Oribasium) ob doloris uehementiam: fit humore pituitoso in flatus

 resoluto

resoluto, unde aliquando torquetur intestinum. Philotheus dicit εἰλεοὶ δὲ διὰ πάχει τῶν χυμῶν ἐμφράττεσθαι τὴν διέξοδον τῆς τροφῆς, ἢ διὰ τὸ φλεγμαίνειν. idest, Ilei autem crassitie humorum, nutrimenti transitum obstruente, uel inflammante. Hippocrates in libro De morbis qui extra, inquit: cum uero conuoluolus corripit, uenter durescit, nihilq́ demittit, totusq́ uentriculus inferior dolitat, febrit, sitit, quãdoq́ præ labore bilem uomit. In libro autem De morbis qui intus, inquit, Conuoluoli mala hæc uocantur quæ his de causis potissimum fiunt, cum quis hyeme, calido & humido nutricatu utitur, cibariaq́ respectans, non deambulet, sed satur & plenus usq́ dormiat, & subito per gelu longum iter facere cogatur, subterq́ ossa frigeãt: qui sic afficit, corpus totum inflatur, semperq́ adeo friget, uti si quid calidum admoueatur non sentiat: corpusq́ eius calida perlutum leuigatur, squamulasúe remittit, scortum præsertim, quod si digito premas, cedit, quod tibi os demonstrat: cumq́ bibit perstringitur, crura grauescunt, si deambulet labant, si cliuum ascendit, ualde anhelat, ulnæq́ uti onus suspendi & pendere uidentur, per noctemq́ ualde sitit, cibariaq́, quæ comedit, cruda demittit. hæc Hippocrates. ex quibus uerbis facile deprehendi potest, hunc morbum pessimum esse, sed adhuc in patientibus peiora uidentur, quàm ab Hippocrate dicta sint: tamen non est εἰλεός, de quo in præsenti aphorismo sermo fit, quamuis & hic fieri possit. In eodem loco Hippocrates de altero εἰλεῷ, uel conuoluolo tractat, quem secundum conuoluolum nominat, & quem per æstatem maximè infestare dicit: palustribus locis, sed potius aquæ potu, multi sub sole uersantes, morbum hunc, capitisq́ dolorem conceperunt. quare quæ priores patiuntur, præter colorem, qui corticis granati similis his redditur, quandoq́ oculi morbi arcuati implentur: & hic quoq́ alter conuoluolus uidetur quàm is de quo in aphorismo sermo habetur. Nos igitur in præsentiarum alium morbum esse ileum edoceamus, quàm illum, quem medicorum uulgus, ileum, iliacum, & *Mal de fianchi* appellat. nam cum quis crassioris intestini dolorem patitur, communiter iliacum, & *Mal de fianchi* appellant, cum tamen sit colicus dolor, quia in illo intestino fit, quod colon uocatur. Morbus autem iste, qui ilios dicitur, in ilio, idest, tenuiori intestino fit, quod intestinum medicorum uulgus pro colo habet, cum tamen non sit. Galenus in Definitionibus sibi adscriptis inquit esse intestinorum inflammationem, qua & spiritus, & excrementorum transitus obstruitur, adeo ut comitentur eam tormina ualidissima, & sæuissimi dolores. In libro etiam qui Isagoge inscribitur, & ileon, & coli affectionem intestinorum inflammationes esse dicitur. & re uera quendam incidi iussi, qui ex iliaco dolore obierat, is ingentem inflammationem habebat in tanta intestini tenuioris parte, quanta est manus extensio à pollice ad auricularem digitum. In altero quem etiam incidi iussi, solum pituitosos humores inuenimus, & talem in intestino extensionem, qualem in folle optime extenso uidere potes. & Paulus Aegineta, & Aetius, & Trallianus hunc acutissimum humorem esse fatentur, & qui sæuissimos dolores causet: non nisi rarissimi sanantur, qui sunt albæ cornices, & Iouis filij, quibus ab orco reuocare gradum à superis datum est. Volunt autem non fieri si intestinum adeo inuoluatur, ut uel flatus, uel stercora ad infernas partes transire non possint, sed sursum ascendant, & per os oleta exeant. Miserrimi profecto, & infelicissimi, quibus tali genere mortis obire contingat, unde & hic morbus dictus est, εἰλεός, ἀπὸ τοῦ εἰλεῖσθαι, quod est circumuolui, & circumagi. nam intestinum inuertitur, recentes medici hunc morbum appellant miserere mei, nempe qui eo afficitur, dei omnipotentis auxilium implorare debet, & suorum peccatorum ueniam petere, quia rarissimi sunt qui non obeant, tamen infinita remedia ab authoribus hinc inde posita non desunt,

Καὶ ἐπιληψίαι. idest, Et morbi Comitiales.] Quos Oribasius ex proprietate temporis fieri dicit, quia ex atra bile. Sed de hoc morbo superius Aphorismo uigesimo egimus. Philotheus uero fieri dicit διὰ τὴν ἀνωμαλίαν. idest, ob inæqualitatem.

Καὶ τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικά. idest, Et furores uel insaniæ, & atræ biles.] De his etiã in uigesimo Aphorismo pertractauimus. Celsus hos duos morbos in suo Hippocrate nõ habuit, tamẽ sunt morbi autumni: & si uere fiant, ortum habent in autumno, idest, materia illa, quæ ipsos causat, in autumno generatur. Philotheus dicit furores, ἀπὸ ξανθο

χολικῶ

χολικοῦ, ἡ δὲ μελαγχολικὴ ἀπὸ μέλανος γίνεται χυμοῦ, ἅπερ δὴ ἄμφω εὑρεῖν ἐν τῷ φθινοπώρῳ. idest, à flaua bile, atra autem bilis à nigro humore fit; quas biles ambas in autumno inuenire licet. Oribasius in hoc aphorismo addit, articulorum dolores, quos in coxendicum dolore intelleximus; tamen hæc particula in nullo contextu Græco (quem uiderim) inuenitur.

GALENVS

In autumno inquit, & æstiuorum morborum permulti fiunt, manente adhuc æstiuo humore in ipso, flaua bile scilicet. Neq; enim sicuti æstas ueri superueniens humores euacuat, ita & autumnus æstiuos, sed contrarium ex toto accidit. nam ex partibus extimis ad intimas ducit. Cum ratione igitur æstatem inquit nonnullos ex morbis uernis generare, autumnum uero non ex æstiuis aliquos, sed multos. Et quidem quartanas febres in hac ipsa hora fieri inquit, quia scilicet ex atra bile ortum habent quæ duplicem habet generationem: alteram quidem ex flaua bile superassata: alterã uero ex sanguine crasso. Fiunt autem & erraticę febres in autumno propter temperaturæ inęqualitatem, & lienes magnæ, ob atræ bilis superfluitatem, & aqua inter cutem ex liene contingit. Et si qua dispositio tabida in dubio est, maximè autumno deprehenditur propter frigiditatem, ac siccitatem, & temporis inæqualitatem. Nihilominus autem & propter humorum prauitatem. Fiunt autem ob easdem causas eo tempore maximè urinæ stillicidia. Nam uesica in exordinatis, ac repentinis ad calidum, & frigidum permutationibus refrigeratur. Et quę ex malis humoribus fiunt acritudines, ipsam molestãt. Et tum præsertim, cum facta ad frigiditatem subita commutatio, eos qui hactenus difflabantur, & per sudores euacuabantur humores ad uesicã conuerterit. Leuitates uero intestinorum sunt ueloces, & sine aliqua transmutatione ciborũ excretiones, aut propter ulceratione͂ in summa parte uentriculi, aut intestinorũ, quę eode͂ modo fit quo illa quę in pueris gręco uocabulo aphthę, idest, oris ulcera nominantur, uel propter potentiæ retinentis imbecillitatem. Quorum primum ex mordacibus, & substantiam tenuem habentibus humoribus fit. Secundum uero ex magna uentriculi, atq; intestinorũ prouenit intemperie. Hæc ambo uero maximè autumno fieri contingit. Coxendicum aũt dolores ex malignitate humorum, & frigiditate fieri par est. Anginæ uero ex biliosis humoribus ortũ habent, qui ad fauces decumbunt, ab illis quæ uere fiunt differentes, quoniã illæ sunt quodãmodo pituitosiores: & quæ asthmata, idest, anhelationes gręci uocant, tum propter humorũ motũ ad partes interiores, tum propter frigiditate͂ fieri consueuerunt. Propter hæc eade͂ & qui ilei, idest, uolułi nominantur: sunt aũt cibi superfluitatũ quæ per aluum inferiorem excernuntur retentiones, quæ magna ex parte fiunt ex alicuius intestinorũ partis inflammatione. Maximè uero par est, ut frigido, sicco, & inæquali, & malos gignente humores te͂pore, partes ad uentriculum, atq; intestina attinentes offendantur. Nam qui ęstate tenues, & bene mobiles humores sunt generati, autumnus excipiens qui frigidus simul atq; inæqualis existit, ad profundũ corporis agit. Sunt aũt in profundo etiam intestina. Morbi uero comitiales accidunt his qui naturã habent ad hanc passione͂ procliue͂, propter repentinã ad cõtraria transmutatione͂. Calor enim media die, frigus uero in prima, & ultima parte. Nihil aũt adeo comitialis accessiones, sicuti talis uarietas, aptũ est generare. Furores uero ob tenuem, ac biliosorum humorum eueniunt malignitatem, sicuti melancholiæ ex atra bile, de qua paulo ante dictum est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Cur multi morbi æstiui in autumno fiant, & rationem reddit, quia bilis adhuc in nostro corpore perseuerat, quæ ab autumno nõ resoluitur, sicuti ueris humores ab æstate resoluebantur. ideo non ab re superius ab Hippocrate dictum est, in æstate aliquos ueris morbos fieri: & hic etiã optime dicit, in autumno nõ aliquos, sed multos æstatis morbos generari.

SECVNDO docet fieri quartanas, aut ex flaua bile superassata, aut ex sanguine crasso: de quo Galenus uigesimoprimo aphorismo quarti libri sermone͂ habebit, ubi inter limum sanguinis, & atram bilem differentiam assignabit.

TERTIO, In autumno febres erraticas fieri docet, ob eius temperaturæ inæqualitatem. Quid uero sint erraticæ febres, in Leoniceni interpretatione Galenus non docet, neq;

cet, neq; in Aldino contextu, neq; in meo antiquo habetur, sed codicem habui, in quo ad uerbum (si uerbum uerbo reddamus) ita legebatur. fiunt autem & erraticæ febres in autumno propter temperaturæ inæqualitatem. erraticæ autem dicuntur, quæ circuitus interminatos habent, quod & nomen manifestat. fiunt & ob materiam subiectam, quæ est diuersorum humorum. Deinde sequitur in Galeno, & lienes magnæ, & reliqua.

QVARTO docet, lienes magnas fieri ob atræ bilis exuberantiã, ad magnitudinem uero atq; duritiem lienis aqua intercus sequitur, quoniam à iecore non attrahit, & ex consequenti debilior efficitur.

QVINTO docet, Tabidas dispositiones, quę dubiæ sunt aperiri, imò & nouæ aliquæ propter humorum prauitatem generantur.

SEXTO docet, Vrinæ stillicidia ab eisdem causis fieri, scilicet ob subitam frigiditatem & caliditatem, & ob humorum prauitatem, idest, ob ipsorum acredinem. Hoc loco contextus gręcus, ubi latinus habet, fiunt autem ob easdem causas, ipse legit δι᾽ ἃ δὲ τὰ αὐτὰ ταῦτα, καὶ αἱ στραγγουρίαι γίνονται, μάλιστα ἐπὶ τὴν ὥραν ἐκείνην. idest, ob quas, & hęc ipsa, & eo tempore maximè urinę stillicidia fiunt.

Quod statim sequitur, Nam uesica in exordinatis & repentinis &c. Gręce legitur ψύχεται γὰρ ἡ κύστις ἐν ταῖς ἀτάκτοις καὶ ἐξαιφνης ἐπὶ τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν μεταβολαῖς. idest. Nam uesica & ex eisdem repentinis ad calidum & frigidum permutationibus refrigeratur.

SEPTIMO docet, Quomodo, & ex quibus intestinorũ leuitates fiant, & quid sint, nam sunt ueloces, & sine aliqua, (adde tu uel pauca) trãsmutatione ciborũ excretiones, ubi causas ob quas fiunt, assignat, dicit aũt propter exulcerationem in summa parte uentriculi, hic Græcus contextus dicit, ἤτοι δι᾽ ἕλκωσιν ἐπιπολῆς ἐπὶ τὴν γαστέρα. idest, uel propter exulcerationem in superficie uentriculi.

OCTAVO, Ex quibus Coxendices fiant, pertractare studet.

NONO docet, Anginas ex biliosis humoribus fieri, qui ad fauces decumbunt, in quo loco deest hæc particula, autumno, potiusq; legendum est, ad guttur descendunt, quàm ad fauces. nam contextus Gręcus dicit κυνάγχαι δὲ ἐπὶ χολώδεσι χυμοῖς συνίσανται περὶ φθινοπώρῳ, κατασκήπτουσι δ᾽ εἰς τὴν φάρυγγα. idest, Anginæ uero ex biliosis humoribus ortum habent, qui ad guttur autumno descendunt. Conuenientius autem est, ad guttur interpretari, quàm ad fauces, quia Hippocrates utitur hoc uocabulo κυνάγχη, & non illo, συνάγχη, quippe συνάγχη est in faucibus, uel intrinsecis faucium musculis, κυνάγχη uero in intrinsecis gutturis musculis. sed quia id uocabulum φάρυγξ ab aliquibus pro faucibus ab alijs pro gutture interpretatum reperitur, atq; usurpatum, propterea opus est fidum interpretem ut conuenit aptare, cum enim κυνάγχη inuenies, & φάρυγξ sequatur, semper interpretari oportet, φάρυγγα, idest, guttur: at si inueneris συνάγχη, interpreteris φάρυγγα, idest, fauces, tamen & Anginæ in faucibus, quæ συνάγχαι sunt, & in gutture, quæ κυνάγχαι sunt, fieri possunt. In hoc igitur loco interpreteris φάρυγγα, idest, guttur.

DECIMO, De asthmate, quod latini anhelationem uocant, disserit, quæ propter humorum motum ad intrinsecas partes, & propter frigiditatem fiunt.

VNDECIMO docet, Ileon, idest, conuoluolum ab eisdem causis fieri, & quod magna ex parte ob inflammationem fiant, tamen inflammationem semper esse, non est opus. Quod autem hic dicit, maximè uero par est ut in frigido, sicco, & inequali, hic deest copula &. nam in gręco codice ita legitur, μάλιστα δὲ εἰκὸς ἐν ψυχρῷ καὶ ξηρῷ, idest, maximè autem par est in frigido & sicco.

In illa etiam parte, ubi scriptum est, calor enim media die, frigus uero in prima & ultima parte, hic deest uerbũ γίγνεται, idest fit. nam Gręcus cõtextus ita habet, θάλπος μὲν γὰρ, ἐν τοῖς μέσοις τῆς ἡμέρας, ψῦχος δὲ, ἐν τοῖς πρώτοις τε καὶ τελευταίοις γίγνεται. idest, Calor quidem media die, frigus uero in prima & ultima parte fit.

DVODECIMO docet, Morbum comitialem in his solum fieri, qui naturã ad ipsum procliuem habent, & fit propter inæqualitatem. Nec istud nos latere uoluit, nihil esse adeo aptum ad comitialem morbum generandum, ut est autumni uarietas, nempe eadem die mane & uesperi frigus, meridie calor, infestant. Deniq; de furore & atra bile sermonẽ habet, quorũ primũ ob tenues & biliosos humores, alterũ ob atrã bilẽ fit. Quod aũt hic dicit, fu

dicit, furores uero ob tenuem ac biliosorũ humorum, legi debet ob tenuium. nam Græce est, λεπτοῖς χυμοῖς.

APHORISMVS XXIII

Hyeme uero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ.

BRASAVOLVS

VLTIMA anni pars secundum præscriptam Hippocratis assignationem hyems est, quæ salubris est, quamuis rari illi morbi, qui hyeme contingunt, sæuissimi sint, atque perniciosi: imò & hi, quos hic Hippocrates enumerat, uehementissimi sunt, & eo uehementiores, quo in hoc salubri tempore fiunt, quales lateralis morbus, pulmonis inflammatio, & apoplexiæ. At hi nec uehementes, nec perniciosi sunt, grauedo, raucedo, tusses, pectorum dolores, atque lumborum, capitis dolores, & uertigines. Celsus primo capite secundi libri hunc Aphorismum ita interpretatur, hyems autem capitis dolores, tussim, & quicquid in faucibus, in lateribus, in uisceribus mali contrahitur iritat.

Scito autem, Hippocratem tantam præstantiam hyemi tribuere, quod prope finem libri De humoribus in hunc modum exordiri audeat: Similique modo intelligendum, & auscultandum est, si quis non diu uiderit, & obseruauerit, prædicat, quale fuit hybernum tempus, talia erunt uer, & æstas. Scito quoque, præcitatos morbos hyeme fieri, si propriam suam naturam seruabit: nam si aliis qualitatibus afficiatur, non est necesse hos morbos potius fieri, quàm eos qui ex oppositis qualitatibus generantur.

Hippocrates præterea penultimo folio libri De alimentis, de cibis hyemis, lotionibus, uestituque pertractat, & in principio etiam libri De alimentis de his copiosius & perfectius sermonem habet.

τοῦ δὲ χειμῶνος, idest, Hyeme autem] Celsus in recto interpretatur Hyems autem, sed suam constitutionem sequitur. incipit autem absolute hyemis morbos enumerare, non dicens quod aliqui autumnales, uel multi hyeme fiant, ut in præcedentibus aphorismis dixerat. Id forte in causa fuit, quia hoc subintelligendum esse uoluerit, uel quia autumnus nihil cũ hyeme cõmunicat, tamen ultima pars autumni, & prima hyemis eandem ferè naturam habet: propterea hoc modo dicamus, quod hic supposuit, illud subintelligendum esse. Vnde & Philotheus hoc eodem dubio utitur, & eodem ferè modo dissoluit, eius uerba hæc sunt, διὰ τί δὲ οὐκ εἶπεν· τοῦ χειμῶνος τὰ πολλὰ (.s. νοσήματα) τῶν φθινοπωρινῶν, ἢ ἔνια, ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἔλεγεν. ἔτι γε ἀπὸ τοῦ κοινοῦ βουλόμενος ἡμᾶς προσυπακοῦσαι τῶν εἰρημένων, καὶ γὰρ τὰ πρῶτα τοῦ χειμῶνος κοινωνεῖ τῷ φθινοπώρῳ, idest, propter quid autem non dixit? hyeme multi autumnales, uel aliqui, sicuti in prædictis dicebat, etiam uolens nos à communi subaudire iam dicta. etenim principia hyemis cum autumno communicant.

πλευρίτιδες, idest, Laterales morbi.] Vel costales, qui potius uere & autumno apud nos fiunt, ex omni humore fieri possunt, sed ex pituita & bile præsertim: in hyeme ex pituita plerunque causatur. unde Oribasius hic dicit, pleuritim quandoque frigore, quandoque ex calore fieri: ideo addit, aliquibus sanguinem mitti, aliquibus non: aliis lanam oleo calentem imponimus, ut æstate quando ex bilioso humore fit, qui adurit membranam illam quæ costas subcingit, ubi fit proprie affectio lateralis: quandoque calida medicamenta, & unguenta adhibemus, ut in hyeme, cum ex frigido humore fit. biliosus adurit, & tumorem facit, pituita aggrauat, ac per hoc utraque tumorem faciunt, tumor membranam extendit illas costas tegentem, & confricatur ad latera, quæ pleura dicuntur, unde & pleuriticus morbus est nuncupatus. dolores autem graues facit, quia molle cum ossibus confricatur. Hæc Oribasius. Hippocrates quoque in prima pagina libri De ratione uictus in morbis acutis, pleuresim inter acutos morbos numerat, de cuius uictu, & quid in ea agendum sit, in his quæ sequuntur,

eo libro

eo libro docet Hippocrates. opus autem est intelligere, laterales morbos ex pituita hyeme fieri ob temporis proprietatem: uel ex constringente frigore, & biliosum humorem ad pleuram exprimente excitari. quia in hyeme ęque uidemus ex bile sicuti ex pituita laterales morbos fieri, imò ut plurimum ex bile: imò apud nos in hyeme raræ pleuritides accidunt, nisi in extrema hyemis parte, quæ ueris naturam sapit, in qua multi hyemales uestes immutare incipiunt, aliquo autem boreali uento superueniente, aut maiori frigore, ob frigus illo morbo corripiuntur. Philotheus uero ex frigore causam reddit inquiēs, πλευρίτιδες, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια, διὰ τὸ κρύος, βλαπτομένων τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων, καὶ ἁπλῶς τῶν νευρωδῶν, κἀντεῦθεν ῥευματιζομένων. idest, Morbi laterales, & morbi his similes, organis respirationis, & simpliciter ijs quę neruis constant, propter frigus offensis, & hinc defluxum patientibus. Paulus Aegineta libro tertio, capite trigesimotertio de hoc morbo abunde pertractat, & Aetius, ac Trallianus suis locis, quem inflammationem esse dicunt, & in morbū lateralem nothum & uerum partiuntur, tu illos considera.

Περιπνευμονίαι. idest, Pulmonis inflammationes.] Vel ut absoluto uocabulo (Theodorum imitati) interpretemur, pulmoniæ, quæ ex frigore fiunt. nam ut Galenus inquit, cum omnes partes à frigore defendi possint, pectus & pulmo ob aerem quem attrahunt, non possunt. Celsus nec morbos laterales, nec dolores laterum, nec peripneumonias in hoc aphorismo referendo numerauit: sed id solum dixit, quicquid in lateribus, & uisceribus contrahitur, iritat hyems. Dolorem autem lateralem, & dolorem laterum in lateribus, peripneumoniam uero in uisceribus fieri constat, quia in pulmone uel circa pulmonem. unde & in Definitionibus Galeno adscriptis, dicitur, peripneumoniam esse pulmonis inflammationem, ad quam acuta febris & spiritus angustia sequitur, rubescuntq; his partes sub oculis eminentiores, quas partes Græci μῆλα, latini malas uocant. Sed hæc res exquisitius in Isagoge pertractatur, ubi secundum aliquos antiquos dubitari uidetur, an sit inflammatio, necne. Verba huius loci hoc innuunt, quæ hæc sunt, Aliquibus uidetur grauem pulmonis inflammationem, peripneumoniam esse, idq; grauitate indicatur. aliquibus è contrario uidetur non posse pulmonem inflammari, sed cum adiacentes & propinquæ pulmonibus partes in hoc malo fuerint, ab eis hoc malum inuenisse nomen. tamen in pulmone inflammationem esse, & Paulus libro tertio, capite trigesimo & Aetius cum alijs omnibus Gręcis idem sentiunt: & quod hæc affectio à materia à capite descendente quandoq; fiat, quandoq; ab angina, quandoq; ab ipso laterali morbo. Constat autem inflammationē esse. unde Celsus libro quarto, capite septimo & si non dicat inflammationem esse, tamen dicit: pulmo totus afficitur, hunc casum eius subsequitur tussis bilem uel pus trahens, præcordiorum, totiusq; pectoris grauitas, spiritus difficultas, magnæ febres, cōtinua uigilia, cibi fastidium, tabes. Id genus morbi plus periculi, quàm doloris habet.

Κόρυζαι. idest, Grauedines.] De quibus superius dictum est, sunt autem grauedines pituitosi morbi, & frequenter hyemales, ex obstructione partium nasi.

Βράγχοι. idest, Raucedines,] Celsus interpretatur, quicquid in faucibus contrahitur. In hoc loco, in Leoniceni codice ita legebatur, ut in sua interpretatione passim habetur, & ita antiquus contextus, quem habeo, & Aldinus legunt, sed codex alter post illam particulam κόρυζαι, non habet istam βράγχοι, sed hanc λήθαργοι. & re uera lethargi, idest, Veterni, hyemis tempore generantur, & ex materia pituitosa, & proprie sunt hyemis morbi. Tamen Galenus in commento, lethargi nō meminit. At in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis hunc aphorismum adducens lethargum ponit. Id mihi summe placeret, quod hæc particula lethargi ante illam Coryzæ poneretur, quoniam in capite lethargus fit. deinde grauedo in naribus, postea raucedo in faucibus uidelicet in βράγχῳ, postea sequuntur βῆχες, idest, tusses, quæ in pectore fiunt, ut partium ordo habeatur. hæ uero affectiōes, materia à capite ad has partes destillante fiunt, quæ (ut Oribasius inquit) pituitosa est. Idem sentit Philotheus inquiens, κόρυζαι δὲ, καὶ βράγχοι, καὶ βῆχες, καὶ ἴλιγγοι διὰ τὸ πλεονάζειν ἐν τῷ χειμῶνι τὸ αἴτιον τὸ ποιοῦν αὐτά. ὅπερ ἐστὶ ψυχρὸν καὶ ὑγρὸν φλέγμα. idest, Grauedines autem, & raucedines, & tusses, & uertigines, propterea quod in hyeme causa has affectiones faciens abundat, quæ est frigida & humida pituita.

πόνοι πλευρέων. idest, dolores laterum.] Celsus dicit quicquid in lateribus contrahitur. hoc loco unum scire oportet, Græcos distinctiora nomina habere quàm apud latinos sint. nam ipsi habent πλευρῖτιδα, & πόνοι πλευρέων. idest, Morbi laterales, & dolores laterum, tamen apud nostros authores, quoties de πλευρίτιδ@ sermo fit, quandoq; interpretatum reperitur morbus lateralis, quandoq; morbus laterum, quandoq; dolor lateralis, quãdoq; dolor laterum. propterea ego ita perpetuo suaderem, cum apud Græcos πλευρῖτις reperitur, interpretandum esse dolorem costalem, cum uero habetur πόνος πλευρέων interpretandum dolor lateris uel laterum. aut hæc sit distinctio, quod πλευρῖτις sit dolor lateralis uel morbus lateralis, πόνος πλευρέων uel ὀδύνη πλευρέων, uel πλευρᾶς πόνος interpretetur dolor laterum, non lateralis dolor. hic autem laterum dolor ex temporis frigiditate prodit & sine febre, ut Paulus Aegineta capite trigesimotertio tertij libri in fine docet. nunquam autem absq; febre pleuresis accidere potest. aliqui interpretati sunt languores lateris, quos laterum dolores, Hippocrates quinto Aphorismo huius tertij, spirante aquilone fieri dicebat, ob eius frigiditatem, quamuis & ob pituitosam materiam fieri nihil impediat, quod & Oribasius sentit. Celsus capite sexto quarti libri de laterum doloribus pertractat, quos uehementes fieri dicit, & initiũ uel ex frigore, uel ex ictu, uel ex nimio cursu, uel ex morbo est: tamen hic morbus nõ est pleuresis quia statim addit, interdũ ad perniciẽ quoq; procedit, oriturq; acutus morbus, qui πλευριτικός à Græcis nũcupatur. Postea sequitur, Huic dolori lateris febris & tussis accedit: ut ex Celso manifeste deprehendi possit primũ dolorem lateris sine febre esse, & pleuritim, atq; illum dolorem communi uocabulo dolores laterum appellasse.

πόνοι στηθέων. idest, pectorum dolores.] Non pectoris in singulari, ut Leonicenus interpretatur, ab eadem causa fiunt à qua laterum dolores. In meo antiquo contextu hic ordo est. ut primo dolores laterum, deinde pectorum dolores sequantur. In Leoniceni autem contextu, & in alijs, primo pectorum dolores, deinde laterum scripti sunt. At in re ipsa uel hoc, uel illud præponatur, nihil refert.

ὀσφύος supple tu πόνοι. idest, Lumborum dolores.] Nota tamen quod hęc pars quæ à Grecis dicitur ὀσφὺς, & etiam ἰξὺς à Galeno in descriptione humani dorsi, est ea pars qua homines cinguntur. proprie autẽ à cinctu usq; ad nates. & ideo lumbus proprie non est latinum uocabulum huius nominis ὀσφὺς, tamen omnes ubi interpretantur ὀσφὺς, uocabulo isto lumbus utuntur. constat autem ab eadem causa fieri, frigiditate inquam & pituitosis humoribus ad eam partem transmissis.

Κεφαλαλγίαι. idest, Capitis dolores.] Contrahuntur inquit Oribasius ex pituita, imò & ex frigiditate temporis. superius Aphorismo decimotertio huius libri differentiam posuimus inter κεφαλαλγίαν, & κεφαλῆς πόνους, uel κεφαλῆς ὀδύνας. nam κεφαλαλγία, ex sola mala temperatura quandoq; fit, uel ex superfluis humoribus, uel ex utrisq;, uel ex nimia uini potatione, uel ex sole, uel ex igne. sed qui κεφαλῆς πόνοι dicuntur, hi febrem sequuntur, addidimusq; ibi ἡμικρανίαν & κεφαλαίαν, quorum primum alteram cranei partem, aliud totum significat, esse iuges, & semper manentes dolores.

Ἴλιγγοι, idest, Vertigines.] De his Galenus nihil pertractat, à pituitosis humoribus ad oculos euaporantibus fiunt. de uertiginibus autem, quæ à græcis ἴλιγγοι nominantur, diffuse aphorismo decimoseptimo huius libri locuti sumus, eas ab his uertiginibus distinguentes, quas græci scotomias uocant.

Ἀποπληξίαι. idest, Morbi attoniti, uel apoplexiæ, quę ex materia pituitosa, spirituum meatus obstruente ut plurimum generãtur. habet enim hic morbus (ut Oribasius dicit) ex pituita originem, imò ex sola frigiditate fieri posse multi testantur. est autem proprius hyemis morbus, sed in fine hyemis apud nos multi concidunt. Celsus, nec uertigines, nec apoplexias, hunc aphorismum referendo, numerauit, quamuis ego intelligam & simul epilepsias, & alias eiusdem generis morbos, qui ex pituita generantur. Galenus hunc aphorismum ad uerbum ponit in octauo De decretis Hippocratis & Platonis libro.

GALENVS

HIEMALES morbos post autumnales exponens, non eodem modo, sicuti prius, dixit, neq; quòd hyeme multi ex autumnalibus. At qui prius in æstiuis ip

ſos comparans uernis, ita dixerat. Aeſtate uero horum nonnulli. In autumnalibus autem autumno, & æſtiuorum multi. Nunc uero morbos hyemis ſimpliciter connumerauit, ſiue quod ex communi uoluerit hoc quoq; in loco ſubaudire dictorum aliquid, uel ſimpliciter oſtendens, tanquam nihil autumnale tempus cum hyemali communicet. Atqui primas partes hyemis fit rationabile, atq; ita experientia comprobatur, cum autumno communicare. Ipſe enim inquit: Aeſtiuæ quartanæ magna ex parte fiunt breues: autumnales uero longæ, & magis quæ ad hyemem coniunguntur, niſi quis dixerit ipſum de illis, quæ in extrema autumni parte generantur facere mentionem. Verum morbos hyemis proprios hoſce uult eſſe, laterum, & pulmonis paſſiones, quoniam inſtrumenta reſpirationi ſeruientia ex frigiditate læduntur, cum alia ita bene poſſimus obtegere, ut nihil, aut minimum ſentiant ambientem frigiditatem. Anhelitum uero nemo poteſt cohibere, neque aliter datur reſpirandi facultas. Ob hanc igitur ipſam frigiditatem, tuſſes hyeme maximè fiunt, & laterum dolores, & ob eandem etiam caput oblæſum, grauedines, tuſſes, atq; raucedines operatur. Fiunt autem, ſicuti dolores laterum ob frigiditatẽ, ſic & capitis, atq; lumborum, & omnium partium neruoſarum, uertigines quoq; cerebri læſiones conſequuntur, ſicuti & apoplexiæ. Nam & hæc paſſio fit cum caput repletur pituita.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus dubitat, cur in hyemalibus morbis eodem modo non dixerit ſicuti in autumnalibus, quod multi ex æſtate fiunt, & ſicuti in æſtiuis aliqui ex uere generantur: & rationes aliquas reddit, ut in ipſo uidere potes. In principio commẽtationis ubi ſcriptũ eſt, neq; quod hyeme multi ex autumnalibus: illa negatio, neq;, ex ſuperfluo poſita eſt. nam & ſi Græcus contextus dicat οὔθ' ὅτι τοῦ χειμῶνος τὰ πολλὰ τῶν φθινοπωρινῶν. ideſt, neque quod hyeme multi autumnalium, ut contextus meus, & Aldinus habent, tamen affirmatiue legi debet ſine particula neq;, propter negationem quæ præcedit, ubi dicit, non eodem modo ſicuti prius. adde quod in margine mei antiqui codicis à uiro docto, litera ita commoderata eſt, ut affirmatiue legat, ὅτι τοῦ χειμῶνος τῶν φθινοπωρινῶν τὰ πολλὰ, ſine particula οὔτε.

Quod etiam legitur, Atqui primas partes hyemis fit rationabile, (atq; ita experientia comprobat) cum autumno communicare. hic deeſt una particula, ſcilicet in morbis, quę eo loco poni debet, cum autumno in morbis communicare. quamuis in Aldino contextu deſit, imò & in ipſo duo uel tres uerſus in hac parte deſunt, meus autem antiquus codex legit, κοινοῦντα τῷ φθινοπώρῳ τῶν νοσημάτων. In Aldino codice omnia illa deinde deſunt, ipſe enim uſq; ad illam partem in qua dicitur, uerum morbos hyems &c. nihil habet.

SECVNDO Galenus docet morbos in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate numeratos, eſſe proprios hyemis, quæ pars ex ſe adeo nota eſt, ut interpretatione non indigeat.

APHORISMVS XXIIII

IN ætatibus autem talia contingunt: paruis, & nuper natis puerulis oris ulcera (quæ aphthæ uocantur) uomitus, tuſſes, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

BRASAVOLVS

DE morbis quatuor anni temporum plene exegit Hippocrates: nunc morbos omnes, qui in diuerſis ætatibus ut plurimum fiunt, enumerare incipit, & hoc ordine, ut à principio ortus uſq; in finem, & extremum ſenium morbos conſequentes enumeret. hic autem non eſt æqua ratio in ætatibus, qualis in temporibus fuerat, quia tempora ob proprias qualitates illos morbos cauſabant: niſi dixerimus quod & ipſæ ætates proprias temperaturas mutant, unde & illi morbi quos enumerabit, ſint morbi ętatum, licet ab alijs cauſis fiant quàm ab ætate ſint. Ab infantili ætate igitur incipit, cum

pueri

pueri statim in lucem prodiere (non quidem omnes , sed aliqui) oris ulcera incidunt, quæ à græcis imò & latinis aphthæ nuncupantur, in eisdem uomitus fiunt, & in aliquibus uehementissimæ tusses , quæ plerunq; uomitus causæ sunt , uigiliæ in aliis , pauores , umbilici inflammationes , aurium humiditates ut purulentia quædam profluat. hi sunt morbi, quos nuper nati puerulí ut plurimum incidere possunt, si comitiales morbos addiderimus , quos nostrum uulgus *Brutam* appellat , quamuis solum *bruta* sit, cum bilis atræ portio mixta fuerit.

Celsus hunc aphorismum per aliam complicationem refert , quoniam illis Aphorismis ipsum iungit, in quibus de ætatibus sermo erat , & ad tempora comparat, uidelicet quod pueri & proximi his uere optime ualent , & æstate prima . coniunctis igitur & simul nexis aphorismis hunc ita proponit : tamen si qua imbecillitas oritur, proximum est, ut infantes , tenerosq; adhuc pueros, serpentia ulcera oris, quæ ἄφθας Græci nominant , uomitus , nocturnæ uigiliæ , aurium humor , circa umbilicum inflammationes exerceant. Galenus & ipse in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis hunc aphorismum citat, & ad uerbum usq; refert.

Hippocrates in lib. De capitis uulneribus, de urbibus quæ palustribus lacustribusq; aquis utuntur, sermonem habens, dicit, pueri neruis conuelluntur , spiritusq; angustia laborant, & morbo comitiali.

Ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιαῦτα συμβαίνει. idest, In ætatibus autem talia contingunt.] Hoc loco inquit Oribasius , cum in multis locis de ætatibus locutus sit Hippocrates , nunquam talem definitionem ætatum dedit , qualem nunc . sæpius enim sex definiuit ætates , nunc multo plures enumerat mutato ordine . unde & Galenus hic dicit , quod elaboratius ea tractauit quæ ad ætates attinent , quàm quæ ad tempora, facta in minores partes diuisione.

Τοῖσι μὲν μικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν. idest, Paruis quidem & nuper natis puerulis.] A principio ortus incipit, ut per totam humanam uitam quos morbos incidamus enumeret. Celsus primam partem non interpretatur , sed bene hanc secundam , hoc modo , Primum est ut infantes, tenerosq; adhuc pueros . cum enim in hac ætate sunt partui proxima , teneri sunt : & re uera morbi , quos hic enumerat , tenellis potissimum accidunt . hoc autem loco Oribasius dubitat , cum de hac tenera ætate sermonem habeat, utrum de pueris solum loquatur , an etiam de puellis . Quod uero de pueris , & non de puellis intelligat , indicium esse potest , quod nunquam reperitur de puellis Hippocratem disputasse. Respondet Oribasius cum omnia humana corpora medicinę subiecta sint simul cũ uiris de puellis differit. Nos uero addamus, de puellis seorsum tractasse Hippocratem, ut in libro De seminis genitalis natura, & in libro De pueri natura, de puella priuatim tractat.

Ἄφθαι, idest , Oris ulcera.] Iureconsulti de Edicto ædilitio disputant , an qui laborant aphthis , morbosi an uitiosi dicendi sint . In ore autem omnia pustularum , & ulcerum genera fieri possunt , hoc autem genus quod aphthæ dicitur , pueris accidit. Sunt autem parua ulcera alba , quæ & palatum & totam linguam in puerulis adeo tegunt , ut papillam circumligare , stringereúe non possint , & mori cogantur , aliqui tamen euadunt. Arabes hoc genus pustularum Alcola uocant , lactentibus puerulis , ob mollitiem membri , & partis serosæ lactis abstersionem accidunt , & ideo à Philotheo dicitur , hæc oris ulcera fieri διὰ τὴν μαλακότητα τῶν ὀργάνων μὴ φερόντων τὴν ποιότητα τοῦ γάλακτος. ἔχει γὰρ ὀῤῥωδέστερον καὶ δριμύτερον , καὶ τῇ δήξει , ἐργάζεται τὰς ἐξ ἐπιπολῆς ἑλκώσεις ἐν τῷ στόματι . idest, propter mollitiem organorum, lactis qualitatem non ferentium , quàm serosiorem & acriorem habet , & sua mordacite in superficie oris hulcerationes facit. Galenus in Definitionum libro sibi adscriptarum aphthas dicit oris ulcera esse , quæ in ore fiunt non multum profunda , quæ potissimum in pueris abundant . Plinius absoluto uocabulo oris ulcera nominat . Paulus Aegineta libro primo capite decimo de aphthis agens , ex colorum diuersitate tres species facit , uerba eius hæc sunt: ulcus quoq; oris , cui aptha apud Græcos nomen est, nuper natis plerunq; incidit , alias quidem subcandido , alias rubescente , quandoq; atro colore , & qualis in adustorum crustis uidetur , quod omnium periculosissimum , & maximè letiferum di-

citur. Nos frequentissime genus illud subalbidarum aphtharum uidemus, cum liuent uel nigrescunt, commoriuntur omnes. de liuidis nullam mentionem fecit Paulus, quoniam sub nigris eas intelligit, forte etiam de luteis nihil pertractauit, quia sub rubris luteas complexus est. humorum genera, ex quibus fiunt, aphthas distinguunt. tamen maxima aphtharum pars calida est. Aetius & ipse libro octauo capite trigesimonono de aphthis pertractãs inquit, quæ in superficie oris fiunt exulcerationes, Græci aphthas appellãt, habentes in se quiddam igneę caliditatis. fiunt autem ut plurimum infantibus, quum uitiosum existit lac nutricis, aut aliàs puer non probe concoquit. Ex quibus Aetij uerbis colligi potest, & in pueris, & in hominibus fieri aphthas, tamen apud nos utplurimum puerulis, & uitio lactis accidunt, & ulcera alba frequentissime apparent. Celsus nõ ab re serpentia ulcera aphthas appellauit, quoniam per totum os serpunt, linguam & palatum complentes.

Ἔμετοι. idest, Vomitus.] Qui potius ob lactis abundantiam, quod exugunt, fiunt, quàm ob aliquam intemperiem, paruum etenim uentriculum habent, qui ex pauca lactis copia facile impletur, unde & Oribasius cum Galeno dicit, Vomitus patiuntur propter copiam lactis ingesti. Quibus consentit Philotheus inquiens, ἔμετοι δὲ ἐπειδὴ ἀφνω παρὰ τὴν συνήθειαν τὸ γάλα τὰ παιδία δεχόμενα, καὶ πολὺ τῷ πλήθει βαρεῖται ὁ στόμαχος, καὶ ἀπεπτεῖται, τούτου δὲ ἀπεπτουμένου ἐμεῖται. idest, Vomitus autem, quoniam repente præter consuetudinem pueri lac haurientes: stomachusq; multum copia grauatur: nec concoqui potest. hoc autem non concocto, fiunt uomitus. Si quis ergo multum lactis uomit, huic uẽter sistitur, ut Hippocrates in libro De pueri dentitione docuerat. sed nos hunc uomitum inter ægritudines cõputandum non esse iudicamus. propterea Hippocratem contemplato, mihi uisum est per uomitum, non eum qui ex multitudine lactis intelligendum esse, sed illum qui ex relaxatione uentriculi fit. nam uentriculum mollem habent, qui ob copiam facile debilior efficitur, ut postea debilis effectus ex minori copia etiam euomat.

Βῆχες. idest, Tusses.] Nec Galenus, nec Oribasius hanc particulam interpretantur, tamen in meo antiquo codice, & in Aldino, & in pluribus alijs scripta est, & Galenus in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc Aphorismum referens, ponit tusses. At Celsus in suo codice non habuit, ueruntamen in illa ætate tusses fiunt: quoniam & Hippocrates in libro De fœminarum morbis, de tussi infantulorũ, & remedijs tractat, quamuis illa pars ab Hippocrate edita non putatur: nos uero in hac ætate ingentes tusses fieri in dies experimur, quæ frequenter causę uomitus existunt. & Philotheus tusses ponit: quas διὰ τὸ ὑγρὸν τοῦ σώματος, idest, propter corporis humiditatem fieri dicit.

Ἀγρυπνίαι. idest, Vigiliæ,] Celsus interpretatur Nocturnę uigilię. pueri (ut inquit Galenus) plurimum dormiunt: ideo uigilia, eorum passio non est: nisi quis dixerit, ob passionem uigilias infantibus induci: hoc enim uerum est, pueros humida capita habere, & illis continuo ferè propriam somni causam in promptu esse: imò & lac ipsum humiditatem & somni causas auget. at quia lac corrumpi contingit, & acres uapores ascendere, atque acutos qui cerebrum exiccant, propterea uigilias incidunt. Oribasius propter dolorem uigilias fieri putauit, dolor autem ex alijs affectibus euenit. Nempe hoc dubium mouet, quomodo uigilias infantibus & nuper natis adducit, quum somnus ex frigiditate & humiditate fiat? Imò infantes adeo humidi sunt, ut etiam eorum ossa tenella & humentia sint. Respondet, multa in unum conuenire, ut è contrario uigilias patiantur: infans enim ab utero per umbilicum pendet, per quem & nutritur, & dum recens editur, multis patet iniurijs: primo quia abscinditur illi umbilicus, secundo quia ab aere uexatur, tertio quia aduenientes mammæ aperiunt illi os, recens suscipit palatum, recens uentrem, recens uirtutes operatrices: hæc omnia de nouo suscepta exacerbationem præstant, ut umbilicus dolorem, dolor uigilias faciat. hæc Oribasius de puerorum uigilijs. Philotheus uero uigilias fieri indicat ἐπειδὴ αἱ ἄφθαι λυποῦσι, καὶ οἱ ἔμετοι ἐνοχλοῦσιν. idest, Quoniam oris ulcera dolorem afferunt, & uomitus turbant. Aliqui sunt qui noctu dormire non possunt, interdiu dormiunt: ego dolores uentris esse arbitror, qui potissimum ea hora molestent.

φόβοι

φόβοι. idest, Pauores.] Quos Galenus ex prauis humoribus os uentriculi mordicantibus fieri dicit, tunc insomnia terribilia accidunt, & ex consequenti pauores, qui in pueris etiam adultioribus contingunt, inter dormiendum potissimum fiunt, unde à Philotheo dicitur, φόβοι δὲ δηλονότι μετὰ τὸν ὕπνον. idest, pauores autem uidelicet per somnum. deinde horum pauorum causam assignat, ὅτι ταράττονται πολλάκις ἐνυπνίοις ὡς φαντασίαν ὑπομένοντες. idest, Quod perturbantur frequenter somnijs tanquam ab imaginatione patientes. iudicat uero Philotheus hos pauores, uentriculi passionem esse, inquiens τὸ δὲ πάθος στομαχικόν. Putamus Celsum sub nocturnis uigilijs hos pauores intellexisse, quos etiam ob humores atrabilarios ex matris utero comportatos fieri arbitramur. habent uero hos pauores, præsertim tempore noctis. Oribasius hoc loco pro pauoribus, manuum iactationes dicit, quas ob aeris frigiditatem fieri putauit, additq; hanc esse causam cur infantes à nutricibus deligentur, fascienturq;. Sed hac causa non contentus alias adducit, quæ sunt, primo ligari infantes, ut manus & pedes directę sint, secundo ne iactantes torqueantur: tertio ut constricti ab aere minime corrumpantur. minus autem corrupti, minus dolent. Hippocrates in libro De insania, uel atra bile, de puerorum terroribus tractat, quos ab atra bile fieri censet.

ὀμφαλοῦ φλεγμοναί. idest, Vmbilici inflammationes.] Nam umbilicus abscinditur (ut Oribasius dicit) & Galeno teste, cum sit nuper abscisus, non est præter rem quod inflammetur, sicuti in quacunq; alia parte corporis ulcerata. Eandem causam Philotheus assignat, inflammari διὰ τὴν τομὴν, idest, propter abscisionem. Celsus interpretatur, circa umbilicum inflammationes: sed re uera in ipso ὀμφαλῷ sunt, imò & in pellicula illa corrugata, quæ à latinis uetula, à Græcis γραῦς dicitur, fieri contingunt. facta enim incisione, humores multi illuc fluere possunt & præsertim sanguis, qui ibi firmatus inflammationem facit. phlegmon enim & inflammatio ex sanguine fiunt. imò soli tumores etiam in umbilico generantur, & plerunq; nimis dilatati cernuntur, ut in illustrissima Anna Estense in hac ætate, quæ tamen breui sanitati restituta est. Hippocrates post medium septimi libri epidemiorum, ubi de Hegesipolis paruo filio sermonem habet, casum ponit, in quo is puerulus ex umbilici dolore obijt.

ὤτων ὑγρότητες. idest, aurium humiditates.] Celsus aurium humor interpretatur: at non solum humor est, sed plerunq; pus uerum exit. filiam habeo Lauram nomine, cui statim ab ortu pus ex sinistra aure exire cœpit, & per multos menses cum teterrimo illius auris fœtore perseuerauit, in reliquis sanissima est. post nescio quot menses sinistra auris profluere cessauit, & dextera pus profundere cœpit, quod usq; ad decimum septimum mensem emanauit, deinde pus cessauit, & continuo sanissima uixit. Arbitramur hoc fuisse uniuersale naturæ iudicium, quo huius puellæ male affectum cerebrum expurgauerit. Oribasius causam assignat, aurium humorem pati, quia parum nutrimentum accipientes, totum ad concoctionem naturæ transferunt: in cerebro uero concoctio obitur, quum in aurium cauernis, quatenus nouitas sinit pinguis inuenitur materia, quæ in duritiem concocta, humorem aurium facit, unde humores procreantur. Dicimus enim ipsum lac quod accipiunt, concoctioni magis proficere, quàm excretioni, ideoq; humoribus ministratur, qui adhuc indigent. Sed nos putamus, etiam absq; tumore fieri: imò quod à cerebro humiditates quandoque transmittantur, quæ non sint pus, quandoq; uero & pus & tumor simul fiunt. Philotheus simpliciter διὰ τὸ πλεονάζον αὐτοῖς ὑγρὸν, idest, propter redundans humidum in ipsis causam esse censuit.

GALENVS

QVÆ ad ætates attinent diligentius elaborauit, quàm quæ ad anni tempora, facta in minores partes diuisione. In puerulis igitur nouiter natis, ait fieri aphthas, sic autem græci uocant ulcera, quæ summam oris occupant partem ob molliciem maxime facta instrumentorum quæ neque tactum, neque lactis sustinent qualitatem, quòd non paruam in se serosam continet partem. Hæc autem pars uim habet abstergendi. Quare non mirum si in corporibus mollibus quasdam per summa facit exulcerationes

Vomitus autem tunc his fieri par est, propter lactis quod assumunt multitudinem. Vigiliæ uero haud quaquam ipsis sunt assuetæ, ut qui maiori parte temporis dormiant, nisi forte ob ipsam passionem fieri infantibus uigilias opinetur, si quidem somni abundantia ipsis maximè secundum naturam inest. Et pauores etiam per somnum infantibus ad sunt, his præsertim qui sunt natura edaciores, quando loca ad uentriculum pertinentia sensu quidem uigeant, sed imbecillia existant, cibus uero corrumpitur. Nos siquidem obseruauimus, non in tantillis solum, sed etiam in ætate perfectis, terribiles fieri per somnos imaginationes, quando multi, & uitiosi humores grauant, & mordent uentriculum, præsertim ipsius os. Hæc enim ipsius particula præcipuum habet sensum. Vmbilicorum autem inflammationes non multo antea præcisorum, non sine ratione nouiter natis puerulis accidunt, non secus ac si qua alia pars foret ulcerata. Verum & aurium humiditates morbis annumerat, non tamen, & palati, & narium in eodem numero ponens, quoniam naturæ conuenit per nares, atq; palatum cerebri superfluitates expurgare, & fit hoc etiã his qui sunt ætate perfecta. A natura autem aliena est expurgatio per aures. Verum & infantibus etiam per aures cerebrum expurgatur, & recte Hippocrates inter proprias huius ætatis passiones, etiam aurium scripsit humiditates. Est quidem igitur & totum corpus nouiter natis puerulis maximè humidum, adeo quòd & ossium natura, in ipsis potius cærea, quàm lapidea uideatur. Præ cæteris uero partibus cerebrum humidum existit, ut quod etiam in perfectis talem habeat intemperaturam. Quare non absq; ratione in foramina eis, cum superfluitates abundent per omnia excernuntur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem de ætatibus elaboratius loqui, quàm superius de temporibus fecerit, quoniam in minutissimas ætates secat.

SECVNDO de Aphthis tractat, quas ob instrumentorum mollitiem fieri dicit, quæ neq; tactum, neq; lactis qualitatem substinent, in qua serum est, quod naturaliter uim abstergendi habet.

Quod in hac parte dicitur, sic autem græci uocant ulcera quæ summam oris ulcerant partem, Græcus contextus loco illius particulæ, summam, habet, ἐπιπολῆς, idest, superficiem. Inquit enim, καλῦσι δὲ οὕτως τὰς ἐπιπολῆς ἑλκώσεις περὶ τὸ σόμα, idest, sic autem uocant ulcera, quæ in superficie oris fiunt.

In Galeno dubium uideretur, quid intelligendum sit per hoc, quod instrumentorum mollities non substinet tactum. Respondemus, intelligendum esse, non substinere rem duram quæ tangat, uel habentẽ qualitatẽ aliquam acrem. Dicit præterea quod non substinet lac propter serum, quod uim abstersiuam habet. hic deest una particula, scilicet naturaliter, nam Græcus cõtextus ita dicit, ῥυπτικὸν δὲ ὂν τῶν τὴν φύσιν, idest, hæc aũt pars uim habet abstergendi secundum naturam, uel naturaliter. Quod statim sequitur, quasdam per summa facit exulcerationes, nos potius interpretandum iubemus, per superficiem. nam & hic dicit ἐπιπολῆς.

Sed dubium hoc loco non dissimulandum, nec sicco pede transeundum occurrit de seri qualitate, nempe abstersiuum dicitur: propterea dubitandum uidetur, quam qualitatẽ abstersiuã habeat, & an serum tale sit, uimq; exulcerandi habere possit. Videtur in primo statim disputationis uestibulo, si serum abstersiuum sit, calidam qualitatem habere, imò Dioscorides serum non solum abstergere dicit, sed etiam è corpore humores educere, quod est caliditatis indicium. unde & Galenus in tertio libro De alimentorum facultatibus, ubi de sero pertractat, inquit; ueteres ad aluum exonerandã creberrima hac potione usi sunt. & de lacte ipso tractans, causamq; cur soluat, assignans, inquit, esse propter multum serum, quod habet admixtum. In fine etiam huius partis, in qua de lacte agit, lac triplicem substantiam habere docet, caseosam, serosam & butyrosam. de serosa parte loquens inquit, crassitiem humorum extenuat, & aluum subducit. & in fine illius partis, in qua de acido lacte disserit, inquit, tãto magis lac subducere, quãto plus habebit seri: hæc aũt sunt caliditatis opera, nosq; experientia docet, Iecoris obstructionem sero aperiri, & singulis annis multi ex seri caprini potu ab obstructione liberantur. Mauritani quoque &

que & Damasceni medici serũ calidum esse testantur. Mesue etenim dicit, aquam lactis, calidæ & siccæ complexionis esse in primo gradu usque ad secundum. & Auicena capite. 444. secundi libri, de lacte tractans inquit, quod natura eius aquositatis est calida. Nosq; idem hoc medio suadere possumus, quia nullus est, qui non concedat urinam esse calidam: urina autem est aquositas sanguinis. At simile est in lacte serum, quod in sanguine aquositas, ideo eandem qualitatem habebit. à natura enim aquositas ad hunc finem generatur, ut sanguis per omnes corporis uenas deducatur. Deinde illa aquositas reuertitur, & ad urinæ meatus transit, atque exit, quia nullum aliud officium habet, nec nutrire potest. In lacte serum est hæc aquositas, quæ lacti mixta est. lac enim nihil aliud est, quàm sanguis in carne illa mamillarum glandulosa iterum coctus, quæ dum concoquit, rubrum colorem aufert, & album inducit. talis autem glandulosa caro frigida & humida est: unde hoc quod in lacte serum dicitur, est sanguinis aquositas, quæ cum per uias urinarias exit, urina nuncupatur. cum uero urina sit calida, & ipsa sit aquositas sanguinis, quæ serum dicitur, serum ipsum calidum esse oportet. nec ad illud tanquàm ad asylum fugiendum est, quod urina in renibus caliditatem acquisiuerit, per quos aquositas illa quæ serum dicitur, non transiuit, quoniam & in ipsis mammis altera coctio facta est. Neque ad istud tute confugere poteris, quod mammarum caro frigida sit, quia id opus concoctionis lactis per caliditatem fit. Adde, quod in uenarum dissectionibus, aquositas illa quæ à sanguine separatur, calorem, saporem, & urinæ substantiam habet, tamen ad renes adhuc non transiuit. tamen non iremusinficias, illius aquositatis caliditatem in renibus magis intendi, quum & ipsa suapte natura calida sit, quum uero ad renes profluit, & per meatum urinarum exit, sanguinis dispositionem ostendere putatur. ex his igitur inferendum uidetur, serum calidæ temperaturæ esse.

At in oppositam sententiam, Galeni uerba facere uidentur, qui libro quarto De simplicium medicamentorum facultatibus capite decimosexto, ubi disputat, propter quid mel ob caliditatem ualidiorem amaritudinem contrahat, lac uero dulcius efficiatur. In illo capite dicit, lac ex tribus substantijs compositum esse, caseo, butyro, & sero: postea addit, at excrementum illud serosum, & frigidum & humidum est. & in tertio libro De arte curandi, serum frigidum facit. & in septimo eiusdem De arte curandi libro idem colligi potest, immo & ad hoc probandum ratio quædam philosophica in promptu est. nam Aristoteles in quarto libro Meteororum (si is liber Aristotelis sit) docet, solum ea quæ frigida sunt, liquida, coagulari per frigus. At illa enumerans quæ frigore coagulantur, inquit, ut sunt quædam uina, acetum, lixiuium, serum. Igitur serum frigidum est, tum ex philosophi sententia, tum ex ratione ipsa, quæ ita esse demonstrat.

In hac igitur ambiguitate, quid dicere oporteat, inexplicatum uidetur, quoniam rationes & magnorum uirorum authoritates hinc inde tanquàm instructæ acies militare uidentur: immo si calidum sit quia euacuat & abstergit, erit in Galeno contradictio, qui in tertio libro De alimentorum facultatibus, ipsum soluere dicit. in quarto autem De simplicium medicamentorum facultatibus, capite decimosexto, frigidum et humidum esse iudicauit, immo & in decimo De simplicium medicamentorum facultatibus ipsum calidum ponit, quia & extergendi, & subducendi uim habet. Nos igitur (ut hanc controuersiam eo meliori modo quo fieri potest conciliemus) aliquam caliditatem sero inesse dicamus, tamen non talem, tantamúe, quin à frigidioribus partibus superetur. ratione huius caliditatis & acredinis cuiusdam non multum manifestę, tamen quæ aliquo modo sentiatur, si quis pensiculate gustet, in ipso uires sunt attenuandi, detergendi, & subducendi per aluum: suapte autem natura, & pro maiori parte frigidum & humidum est, ob maiorem mixtæ aquositatis copiam. Dioscorides libro secundo propter hanc paruam caliditatem & acredinem dicit, serum efficacius in purgando est, quàm lac, & quod his datur, quos sine acrimonia purgare uolueris, quales atra bile laborantes, comitiales, lepræ, elephantiases, & toto corpore papularum eruptiones. Experientia uero frigidum esse docet, propterea uulgus nostrum in mense Maij, ut bilis calorem supprimat, & erumpentibus pruriginosis pustulis succurrat, serum

rat, ferum copiose propinat: sed caprinum potissime quærit, aut asininum, & intentum assequitur. Adde, quod id lac apud authores frigidius existimatur in quo plus seri inuentum sit, ut de asinino Galenus infert. Serũ igitur frigidum esse constat, quod eius quoque gustus, qui insipidus est, probare uidetur. Nec ratio illa te commoueat, ut ipsum calidũ esse fatearis, quoniam abstergat. etenim aqua ordei idem efficit, tamen frigidam esse cõstat. Subducit uero serum ob modicam illam acredinem, & caliditatem, quam in se habet. Hæcque de sero dicta supersint, in quo & caliditatem aliquam, & aliquam acredinem inesse putamus, quæ abstergit, & aphthas in puerorum ora facit. His autẽ modicis qualitatibus Damasceni & Mauritani illecti, serum calidum esse professi sunt, cum tamen absolute non sit.

TERTIO Galenus dicit, uomitum fieri ob multitudinem lactis, quam exugunt. Nos uero addidimus, ob malam uentriculi affectionem, uomitum induci, at copia ipsa lactis malæ affectionis causa est.

QVARTO docet, Vigilias non inesse pueris, quia naturaliter dormiunt, tum ob naturæ humiditatem, tum ob lac, quod exugunt, nisi hoc sit propter passionem, quod Oribasius plenius docuit, ut in Aphorismi contextu dictum est.

QVINTO docet, Pauores in somnis fieri, saltem edacioribus, quando loca quæ ad uentriculum pertinent, multum sensibilia sunt, & cibi corrumpuntur, immo hoc idem inquit, accidit in ætate perfectis, quando multi uitiosi humores os uentriculi mordent, & aggrauant,

Quod legitur, Iis præsertim qui sunt natura edaciores, hæc particula, Edaciores, Græce est, ὠμοφάγοις, quæ significat quidem edaciores, sed etiam significat cruda comedẽtes, qui locus ita interpretari posset, ijs præsertim qui natura cibos crudos edũt: sed hoc uocabulum Natura ostendit melius esse interpretari edaciores, quam cruda comedentes.

In eo etiam quod legitur, sed imbecillia existant, deest est hæc particula, Natura, ut hoc modo legatur, sed imbecillia natura existũt. nam in hac parte Græce adest hæc particula, φύσει, quam in Leoniceni contextu defuisse arbitror.

In illa etiam parte, in qua scriptum est, hæc enim ipsius particula præcipuum habet sensum, desunt duo uersus, quos etiam puto in Leoniceni contextu defuisse. nam tãtus uir non omisisset, immo et in Aldino codice desunt, in meo autem antiquo scripta sunt, & necessario apponi debent, quia causam reddunt, cur pueri pauores incidant. Versus autem hi sunt, Νεωστὶ γὰρ ἐξελθόντα τὰς μήτρας τὰ παιδία ἐκπλήττονται τῷ ἐκτὸς περιέχοντος ἀέρος μεταστάσιν, ὅθεν φόβοι αὐτοῖς γίνονται. idest, Nuper autem ex utero exeuntes pueruli, à circunstantis aeris consistentia percutiuntur. unde timores ipsis fiunt. Tu ipse cognoscere potes, hanc particulam esse ualde necessariam, quia pauorum nuper natorum puerorum rationem assignat.

SEXTO umbilicorum inflammationes fieri docet, quoniã recenter abscisi fuerint, & ideo inflammatio fit, sicut & in alijs partibus abscisis fieri solet.

SEPTIMO aurium humiditates generari docet, ob nimiam totius corporis & capitis humiditatem. auris autẽ non est proprius locus expurgandi superflua, propter hoc inter puerorum discrimina enumerauit. non dixit autem palati aut narium humiditates fieri, quia per illas uias naturaliter fluunt. & licet naturaliter per aures materia quædam exeat, tamen nec humida est, nec in tanta copia, in quanta illa est, quæ puerulis exit in modum emanantis puris: immo plerunque uerum pus est, ut in puella mea, de qua superius sermonem habuimus. Notatque hoc loco Galenus, puerorum ossa cerea potius esse, quàm lapidea, quia in suam duritiem, in quam peruentura sunt, nondum peruenere: durescunt uero tum ex cibis, tum ex aere circunstante, tum natura ipsa hoc intendente, & perficiẽte, ut animales operationes, & motiuæ perfici possint. Hippocrates in libro De capitis uulneribus, de puerorum ossibus uerba faciens inquit, puerorum quidem ossa, tenuiora teneriora que sunt, quoniam sanguinolentiora: magisque caua sunt, minus uero conuexa, densa, dura, et solida sunt, minusque telis læduntur, cum paribus, similibus, ualidis, non ualidis similiter sauciantur, puerulique minus quàm pueri natu maioris, plusque & citius pus gignunt, citiusque sanescunt, quique uulnere perituri sunt, pueruli citius

quàm

quàm adultiores pereunt, ex quibus habetur, puerorum ossa, & tenella esse, & minus offendi, quàm duriora.

In fine commentationis Galeni ubi scriptum est, Quare non absque ratione in foramina, eis quum superfluitates abundent, per omnia excernuntur: hæc pars & prauum sensum, & constructionem prauam habere uidetur: quoniam illa particula, per omnia, hanc particulam foramina determinare debet, at recte iungi non possunt per omnia, & in foramina. Græcus præterea contextus aliter dicit, & alium sensum facit, qui & uerus est, & nullus alter dici potest. Galeni autem uerba, hæc sunt, ὥς τε εὐλόγως αὐτοῖς ἐν παιδὶ πλῆθος ὄντι τῶν περιττῶν, διὰ πάντων ἐκκρίνεται τῶν πόρων. idest, Quam ob rem rationabiliter eis, quum superfluitates abundant, per omnes excernuntur poros, idest, per omnes meatus, uel per omnia foramina. πόρος enim & meatum, & uiam, & foramen significat. Hic nos interpretaremur meatus, quoniam aures meatus sunt, per quos fit hoc tempore expurgatio.

APHORISMVS XXV

IN progressu uero cum iam dentire incipiũt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maxime cum caninos edunt dentes, & his præsertim pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

BRASAVOLVS

MORBI qui in præcedenti Aphorismo dicti sunt, perseuerant, quousque pueri dẽtire incipiant, sed postquàm dentire inceperint, his alij morbi fieri consueuerunt, circa gingiuas pruritus, qui symptoma est, febres, conuulsiones, & alui profluuia, sed hæc potissimum fiunt, quum caninos dentes edunt. Addeq́ꝫ, hæc potissimum fieri crassissimis pueris, & qui duras aluos habent. Philotheus dicit pręcedentem Aphorismum esse primam ætatem, hunc uero secundam. Verba eius hæc sunt, ἕως ὧδε περὶ τῆς πρώτης ἡλικίας φησίν, μετέρχεται δὲ λοιπὸν καὶ ἐπὶ τὴν δευτέραν. idest, Hactenus de prima ætate uerba fecit, postmodum transit ad secũdam. nam ipse hos duos aphorismos, ac si unum essent, simul copulauit. Celsus capite primo secundi libri hunc Aphorismum Latine ita refert: proprie etiam dentientiũ, gingiuarum exulcerationes, distentiones neruorum, febriculæ, alui deiectiones, maximeq́ꝫ caninis dentibus orientibus male habent, quæ pericula, plenissimi cuiusque sunt, & cui maxime uenter adstrictus est. Refertur q́ꝫ ad uerbum hic Aphorismus à Galeno octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis.

Scito etiam, passiones in præcedenti Aphorismo positas, posse & in alijs ætatibus prouenire.

πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν. idest, in progressu uero ad dentiẽdum] uel cum iam incipiunt dentire, uel (ut Galenus in octauo De dogmate Hippocratis & Platonis) dẽtitionem incipientibus. Celsus ita interpretari uidetur, proprie etiam dentientium. nam ex his passionibus aliquæ sunt, quæ solum dum dẽtiunt, fieri possunt. aliquæ uero sunt, quæ & dum dentiunt, & alijs etiam temporibus fiunt.

οὐλῶν ὀδαξισμοί. idest, Gingiuarum prurigines] hoc tẽpore fiunt, quia dentes prodeunt, & tanquàm stimuli, gingiuarum carni infigũtur, ideo pruritus cum quodam dolore causatur: propter hoc à mulierculis luporum dentes, atque elephantum, & coralia puerorum collis suspenduntur, ut gingiuas scalpant, ex hocq́ꝫ ingentẽ sputi copiam edunt, & senecias. Philotheus de hac affectione loquẽs dicit, ὀδαξισμὸς δὲ ἐστιν οἷον κνησμός τις μετὰ βραχείας ἀνίας, γίνεται δὲ τοῦτο, ὅπως σὺν τῷ κνησμῷ διαφορηθῇ τὸ αἴτιον. idest, Gingiuarũ titillatio, quæ ὀδαξισμὸς dicitur, est quasi pruritus quidã cum exili molestia: quando cũ pruritu causa exhalat, uel exitũ quærit. Oribasius dicit Hippocratẽ ad aliam ætatem trãsmisisse, & tempus specificat, quod est à septem mẽsibus usq́ꝫ ad annũ. & hoc non ab re, quia tũc dentire incipiũt, at ita cito non proficiũt: pruriginẽ uero causant (ut Oribasius dicit) quia superficiẽ ex alto pungũt, ideo et titillatũ excitãt. Celsus nõ gingiuarũ prurigines, sed exulceratiões refert: & re uera exulcerãt, quia gingiuę à prodeuntibus

tibus dentibus perforatur. De dentitione uero plura notatu digna uno in libello scripsit Hippocrates, quę quoniã breuia sunt, referre non grauabor, Quibus in dentitione (inquit) uenter plurimum demittit, minus hauriunt quàm qui rarius & parũ. Quibus in dentitione febris grauis & acuta superuenit, hi rarius hauriunt. qui cum dentiunt, non emaciantur, tamen deponuntur, periculũ est ne conuulsio supercapiat. qui hyeme dentiunt, si cętera pariter eant, hi melius, & tutius euadunt, & liberantur. qui cũ dentiunt cõuelluntur, non omnes pereũt, nã plurimi seruantur. Qui cũ tussi dentiunt, diutius durant: pueri cõpunctione magis emaciãtur, quos dentientes hyems superoccupat, si diligentius procurentur, dentitionẽ facilius ferũt. Hactenus Hippocrates, qui ad aliam materiam sermonem uertit. Hoc in loco quid prurigo sit declaratur, esse pruritum quendam cum aliquo dolore in gingiuis, quo torquetur, ut dicit Paulus capite octauo primi libri, docetque dẽtitionem & ipse circa mensem ferè septimum incipere, quo tẽpore (inquit nono capite eiusdem libri) gingiuarum, maxillarum, tendonumque inflammationes fiunt, immo & quandoque neruorum cõuulsiones. unde & Celsus prurigines interpretatus nõ est, sed exulceratiões. At hoc uocabulum prurigo apud authores dupliciter usurpatum reperitur, uno modo pro pruritu, sicuti in præsentiarũ gingiuarũ prurigines. et sunt pruritus in ipsis gingiuis, quibus Græci proprium nomen habent ὀδαξισμὸς, quàmuis apposuerit etiam οὔλων, idest, gingiuarum: alio modo prurigo accipitur pro exulceratione, à qua squamulæ abscedunt. De prima dicebat Celsus capite septimo secũdi libri, ex qua parte prurigo cum rubore aut calore est, ibi aliquid suppurat. De secunda uero superius habuimus aphorismo uigesimoprimo, ubi de sudaminibus loquens Galenus, quæ pustularum genera sunt, dicit quod cutim mordent, & pruriginosam efficiunt. utitur autẽ ibi alio uocabulo, quàm sit ὀδαξισμὸς. nam utitur κνησμώδεα, κνησμὸς autem prurigo et pruritus est, tamen quicquid sit, uel prurigo, quæ est in genere pustularum, uel quæ ipse pruritus est accipiatur, semper cum pruritu inuenitur: immo hanc passionem, quæ pruritus est, magis importare uidetur, quàm aliquid alterũ, & κνησμὸς in senibus raro curatur, ὀδαξισμὸς autem est in gingiuis pruritus, cum dentes prodeunt. Dentium uero ortum Galenus & Græci ὀδοντίασιν appellant, quam & Paulus ὀδοντοφυΐαν nuncupauit, & hic Hippocrates in principio Aphorismi uerbo ὀδοντοφυεῖν utebatur. prurigo pręterea scabiem quandam palpebrarum significat, quam Galenus ψωριῶντα βλέφαρα uocat, Paulus uero ψωροφθαλμίαν.

Πυρετοὶ. idest, febres,] non quod febres ex se absolute fiant, sed quæ ob inceptionem exitus dentium fiunt, tum ex dolore, tum ex motu humorum, et inflammationes & uigilias, unde & Philotheus fieri dicit διὰ τὰς φλεγμονὰς τῶν οὔλων, idest, propter inflammationes gingiuarum. Celsus interpretatus est febriculas, & re uera tales sunt.

Σπασμοί. idest, Conuulsiones, hoc tempore fiunt, dum dentes edũt, & ex dolore, inflammatione, atque uigilijs eueniunt. At potissima causa est humidarum materierum, & crudarum motus, & hoc præsertim quia neruosæ partes, quę maxime patiuntur, imbecilles sunt. causa unde hæ cõuulsiones, quæ ita fiunt, ex repletione esse oportet, non autem ex inanitione, ut Oribasius inquit. additque, causam esse, quia febres crassam materiã eliquant, & musculos tumescere faciunt. Sed nos rarissimos in cura habemus, qui hoc patiantur, tamen omnes, uel maior pars dum dentes emittunt, febres incidunt. Celsus distentiones neruorum interpretatur, quas & Philotheus διὰ τὴν ἀπεψίαν, idest, propter incoctionem fieri uoluit, καὶ διὰ τὴν συμπάθειαν τοῦ νευρώδους γένους, idest, propter compassionem neruosarum partium.

Διάῤῥοιαι. idest, alui profluuia,] uel secundum Celsum alui deiectiones. Sunt autẽ humorum defluxus, qui dentientibus puerulis non raro accidunt, fit secundum Oribasiũ ex febre, sed uera & exquisita ratio illa est, quam scribit Galenus, quia alimentum non bene coquitur, tum propter febrem, tum propter dolores, & ex consequẽti non bene distribuitur. Adde, quod illo tempore sitiunt, ideo uel bibunt magis quàm conueniat, uel lac exugunt magis quàm eorum uentriculus ferre possit: propterea non concoquunt, adeo ut alui profluuia incidant, & hic affectus proprie dentitionẽ consequitur. Easdem causas assignat Philotheus, quas ex Galeno superius adduximus, inquiens, διάῤῥοιαι διὰ τὸ μὴ καλῶς πέττεσθαι τὴν τροφὴν ἀπὸ τῆς δυσκρασίας τῆς φλεγμονῆς. idest, Alui profluuia

propterea

propterea quod non bene concoquit nutrimẽtum ab intemperie inflammationis. [Καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας. idest, & maxime, quando edunt caninos dẽtes,] hi enim tum quia acutiores, tum quia in loco magis doloroso maiorem dolorẽ pariũt, & deinde febres, sites, & alui profluuia, & cætera quæ superius fieri dicta sunt. Philotheus uero dicit, hæc fieri cum canini dentes prodeunt, διὰ τὸ πιτρῶσθαι τότε τὰ οὖλα ὑπὸ τῶν ὀδόντων καὶ ἀνιᾶσθαι. idest, Quoniam tunc gingiuæ à dentibus uulnerantur, & molestia afficiuntur. Celsus hanc partem ita refert, Maximeq; caninis dentibus orientibus male habent. Hippocrates in libro De carnibus inquit, In infantibus ultimo loco nasci dentes, quod capitis ossibus maxillarúmque pinguis glutinosi, quod inest, incrementũ fit, & augetur, caloreq; siccescit, peruritur, & absumitur, dentesq; redduntur duriores, & densiores quàm cætera ossa, quod in his nihil frigidi inest. Quibusdam tamen in matris locellis & uulua, nutrimenti copia primi dentes gignuntur, quibusdam uero postquàm editi sunt, & lac sugunt, cum autem hi decidunt, cibi potusq; copia decidũt. Siquidem cum ad primi cibi annos deuenerunt, decidunt. est autem quibus & prius decidant, si morboso nutrimento pullularunt: plurimi tamen, cum ad septem annos perueniunt. Qui uero postea nascuntur & pullulant, consenescunt, nisi morbo aliquo corrumpantur & senescant: propterea uero post hos alij suboriuntur, quod in maxillis solis ossium, uentriculoq; inferiore quædam uenulæ sunt, quæ nutrimentum ossibus subministrant. Hæc Hippocrates, qui in postrema eiusdem libri De carnibus parte inquit, pueri hos anno septimo uel peracto cõplẽt. & in ultima parte de septimestri partu dicit: nam septimo anno dentes pueris cadunt, & alij subnascũtur. De diuersitate autem dentium, officioq;, et in quot partes diuidãtur, & de eorum numero, Galenus in undecimo libro De usu partium agit, & in Isagogis sibi adscriptis. Sunt autem apud Galenum in his locis dẽtes trigintaduo, quamuis in. 11. De usu partium dicat hoc esse ut plurimum, quia in aliquibus re uera sunt tantũ uigintiocto. At maior hominum pars habet trigintaduos, quos in tres partes diuidũt, ut etiam in hoc loco Oribasius partitur, In τομεῖς, in κυνόδοντας, & in γομφίους uel μύλας, idest, in Incisorios, in caninos, & in molares, uel molas. Incisorij sunt primi octo anteriores, quos Gelasinos à risu uocant, quoniam semper cum ridemus apparent, & hi quibus desunt, ineptum risum habẽt. horum officium est, quæcunq; ori opponuntur, incidere. Statim post hos incisorios canini sequuntur, qui quatuor sunt, duo in parte superiori, & duo in parte inferiori è lateribus incisoriorũ: horum officium est apud Galenum frãgere, immo & incidere (ut inquit Oribasius) ea quę ab incisorijs incidi non possunt. Reliqui dentes uiginti sunt, qui omnes molares appellantur, asperi, ampli, duri, magni, quorum officium est omnia in leuorẽ exactum terere, quæ ab incisorijs incisa, uel à caninis fracta sunt. Galenus. 11. libro De usu partium rationes affert, cur necessario ita facti, & in tali loco siti sint: ibiq; addit, omniũ dentium radicem habere neruũ, quod et in libro decimosexto eiusdem De usu partium uoluminis edocuerat, neruos dentibus implantatos esse: uulgus nostrum, & tõsorum turba, illum neruum uidentes uermiculum esse putarunt, quem dentes erodere non solum fatẽtur, sed manus conferre uolunt si quis negat. At cur hic neruus dẽtibus implantatus sit, nono De usu partium libro edocuit, in Medicis autem definitionibus Galeno adscriptis habetur, dentium officium esse, cibũ conterere, conficere q;, & ad uocis articulationem nonnihil facere, hocq; loco Oribasius docet, dentes ossa esse, quæ propterea non apparent dum natus fuerit infans, quia inter gingiuas sunt, unde aliqui sunt, qui dentati nascuntur: redditq; aliam rationem Oribasius cur dentes renascantur, q̃ Hippocrates fecerit. nam Hippocrates dixerat renasci, quia propter defectũ alimenti cadebant. Sed recte dicit Oribasius, quod propterea renascũtur, quia à radicibus remittũtur, ut fit in arboribus incisis, à quibus pullulãt frutices. Anteriores sunt debiliores, canini fortiores, molares, uel maxillares fortissimi: quanto autẽ incisorij debiliores radices habẽt, tanto sunt subtiliores. Oribasius caninos appellari censet, quia canes horũ præsidio ossa frangunt, itaq; in hominibus compertũ est, quod incisorij incidere nõ possunt, caninis traditur, ut cõfringãt. Hęc aũt de Dẽtibus satis sint. At ad rẽ nostrã redeũtes, dicamus pueros deterius se habere in exitu caninorũ dẽtium, q̃ incisoriorũ, sed in maxillaribus pessime affliguntur, in his præsertim qui è regione oculorũ sunt, quãuis & canini è regione oculorũ

ſint, et uulgus caninos, oculorum dentes appellet. At quia maxillares adultioribus prodeunt, propterea non adeo moleſtantur, ſicuti cũ prodeunt canini. Adde quod molares tantam acutiem non habent, quantã canini nacti ſunt. Multi etiam inueniuntur, in quibus ſine aliqua noxa anteriores Gelaſini exeunt, & nonnulli in exitu dentium phthias patiuntur. Hæcq; de dentibus ſatis ſint, ut caninos edoceremus.

Καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων, καὶ τοῖσι τὰς κοιλίας σκληρὰς ἔχουσιν. idest, & his præſertim pueris qui craſſiſſimi ſunt, & aluos duras habent. Celſus hanc partem ita interpretatur, quæ pericula pleniſſimi cuiuſq; ſunt, & cui maxime uẽter adſtrictus eſt: ut omnes hos affectus pleniſſimis humorum ſcilicet & cibi potiſſimum ſuperuenire faciat, & qui aluos ſtrictas habent, quoniam non excernunt ut deberent. Galenus autem hanc partem ad conuulſiones ſolum referri debere cenſet, quia ſcilicet illi pueri conuellũtur, qui & magnam plenitudinem, & aluum adſtrictam habent. Philotheus cum Galeno hęc refert ad ſolam conuulſionem, & cauſam eſſe dicit, πληθωρικὰ γὰρ καὶ περιττωματικὰ τὰ τοιαῦτα. idest, etenim hi humoribus & ſuperfluitatibus pleni ſunt. Celſus omnino mihi placet, qui de omnibus plenis & ſtipticis intelligit. nam hi, & febres, et conuulſiones, & reliqua facilius incidunt ob plenitudinem, & alui cõſtipationem, quæ plenitudinem ſeruat, & auget. Oribaſius huic parti alium ſenſum & longe diuerſum tribuit, qui talis eſt, Pueri, qui craſſi ſunt, uentris conſtrictionem patiuntur, ut hoc ad paſſiones ſupradictas non referatur, quod ſcilicet craſſi illas potiſſimum patiantur, ſed quod pueri craſſi cum dentes ædunt, uentris conſtrictionem patiuntur: & rationem affert, ob ipſam materiam craſſam: ac ſi poſtea inferre uelit, illi qui craſſi non ſunt, alui profluuia incurrũt. At hic ſenſus (me iudice) non eſt uerus, quoniam & craſſiſſimi pueri cũ dentire incipiunt, aluos ualde lubricas & profluentes habent, quod anno elapſo obſeruare cœpi, anno 1537. & nunc etiam perſeuero.

GALENVS

PRVRIGINES quidem gingiuarum fieri cum dentes pullulare incipiunt puerulorum, nihil mirum. prurigo enim pruritus quidam eſt cum pauco dolore, febres uero, & conuulſiones, atq; alui profluuia accidunt pueris qui iam dentire incipiunt, & non adhuc morantur, quemadmodum & ipſe oſtendit inquiens, & maxime cum caninos edunt dẽtes. Liquet autem quod à perforatis gingiuis à dentibus prodeuntibus, hi caſus eueniunt, quemadmodum ubi ſtimulus infigitur carni, & ſane plus dentes affligunt quàm ſtimuli. Hi ſi quidem ſemel firmati in membro quieſcũt, cui ab initio infixi ſunt, dentes uero ſemper procedunt, & tantum, quantum augentur. Febricitãt ergo hac ætate pueruli, & propter ætates, et uigilias, et inflammationes. Conuulſiones autem eis accidunt, tum propter hæc, tum propter crudum alimentũ, et quia neruoſę partes nondum ſatis ualidæ ſunt. Ad hæc omnia etiam ex neceſſitate uentris profluuia conſequuntur, quoniam alimentum non bene coquitur, neq; diſtribuitur. Quod autẽ dicitur pueris qui craſſiſſimi ſunt, et aluos duras habent, ad cõuulſiones refertur, cum his maxime pueris dicat conuulſiones fieri, qui craſſiſſimi ſunt, et aluos duras habẽt. Tales enim plenum corpus habent, et abundans ſuperfluitatibus, et ideo conuulſionibus facile capiũtur, maxime uero naturas has conuulſiones offendunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, mirum non eſſe, ſi cum pueri dentire incipiunt, gingiuarũ prurigines fiant. nam prurigo eſt quidam pruritus cum pauco dolore. et alia etiam quæ enumerata ſunt, ut febres, conuulſiones, alui profluuia puerulis dentire incipientibus eueniunt, dum in dentiendi actu perſeuerant, et hæc maxime dum canini dentes æduntur. neceſſarium enim eſt, in dentitione gingiuas à prodeuntibus dẽtibus perforari, propterea hi caſus ſequuntur, præſertim ob dolorem: exemplumq; ponit, dẽtes ſtimulo carni infixo ſimiles eſſe. At dentis dolor inteſior eſt quàm ſtimuli, quoniam ſtimulus carni infixus amplius non mouetur, ſed dentes gingiuæ infixi prodeuntes continuo procedunt, nec quoad penitus exiuerint, morantur.

Quod in principio legitur, Dentes pullulare incipiunt, lege prodituri, uel pullulaturi ſunt, non autem incipiunt, quoniam Græcus contextus habet μέλλωσι.

Quod deinde legitur, prurigo enim pruritus quidam eſt cum pauco dolore, Græcus contextus

contextus habet, ὁ γὰρ ὀδαξισμὸς κνησμός τις ἐστὶ μετὰ βραχείας τινὸς ἀνίας. Diximus autem superius, quòd hoc uocabulum ὀδαξισμὸς, gingiuæ pruritum significat. Adde, quòd uocabulum ἀνία, tristitiam & molestiam significat, non autem dolorem: quãuis dolor, tristitia sit & molestia, tamen in dentitione non est necessariũ semper habere dolorem, sed bene opus est semper habere molestiam: propterea hãc partem nos hoc modo interpretandam ducimus. Prurigo enim gingiuarum, pruritus quidam est cum breui molestia, uel etiam cum pauca molestia: quia hæc particula βραχείας, utroq; modo interpretari potest: & quia re ipsa, prurigo, breuis & parua molestia est: opusq; est de molestia intelligere, quãtum sit de gingiuarum prurigine: quia gingiuarum dolor, ob dentis prodeuntis punctionem, nec breuis est, nec paruus: imò adeo magnus est, & adeo intense infestat, quòd febres, alui profluuia, & alia in aphorismo præscripta inducere potest.

Quod etiam dicitur, Quemadmodum ubi stimulus infigitur carni: in Græco codice habetur, καθάπερ ὅταν ἐμπεπαρμένος ᾖ σκόλοψ σαρκί. In aliquibus Græcis codicibus scriptum est σκώλοψ, per ω μέγα. sed utroq; modo spinam significat, palum, & rem acutam. Ego nunc potius interpretarer spinam, quàm stimulum; quia sæpe spinæ inter nostras carnes forte fortuna quum tractantur, infiguntur, quæ dum ingrediũtur, dolorem inferuht: at infixæ amplius dolorem non causant, uel remissior est, quàm prius fuerit: stimuli uero aut numquam infiguntur, aut infixi statim demuntur.

Quod etiam hic dicit, τὸ τῆς ἀνίας. & Leonicenus, dolores interpretatur. Tu (ut in his tibi constes, quæ superius dicta sunt) molestias interpreteris.

SECVNDO, Galenus docet, quare pueri hac ætate febricitent: ob dolores, inquit, ob uigilias, & ob inflammationes. In qua parte id notare debes, quod à Leoniceno interpretatum est, Propter ætates: in meo antiquo cõtextu & in Aldino abest: forte in suo ita scriptum erat. At contextus omnes, quos uiderim, ita leguntur, διά τε τὰς ὀδύνας καὶ τὰς ἀγρυπνίας καὶ τὰς φλεγμονάς. idest, Et propter dolores & uigilias & inflammationes. Galenus de ætatibus nihil loquitur: & re uera, febres propter ætates non fiunt.

TERTIO, Galenus docet, cõuulsiones propter supradicta, & propter crudum alimentum fieri, & quia neruosæ partes nondũ ualidæ sunt. Nos potius hanc partem, propter alimentum crudum interpretaremur, propter alimentũ indigestum, uel incoctum, quæ Græce est διὰ τὴν τροφὴν ἀπεπτουμένην: & si omnia quæ indigesta & incocta sunt cruda appellari possint, tamen crudum id significare uidetur, in quo nulla caloris naturalis actio inuenta sit. Indigestum uero, uel incoctum id non significat, quoniam quod incoctum est, aliquam caloris naturalis actionem suscepit.

QVARTO docet, necessarium esse ad hæc sequi alui profluuia, & re uera semper uel frequenter in dentitione alui profluere uidentur: ratioq; est, quoniam nutrimentum non bene coquitur, at crudum non est, sed non coctum, neq; etiam distribuitur, imò in uentriculo manet, propterea necessarium est, quod exeat incoctus, & profluuia secundum prædominantis humoris naturam faciant, aut cibus ipse semicoctus prodeat.

QVINTO, Galenus illam particulam, crassissimis pueris, & qui aluos duras habent, ad cõuulsiones refert, & non ad alios affectus, quoniam qui id habent, corpus necessario plenũ habent, & superfluitatibus exuberans, ideo conuulsiones facile incidunt quia tales naturæ illæ sunt, quæ conuulsiones maxime incurrunt. Quod dicitur tales enim plenum corpus habent, Græce scriptum est, non plenum corpus, sed πληθωρικὰ γὰρ ἐστι τὰ τοιαῦτα. idest, Tales enim plethorici sunt. Plethoricum uero aliud significat, quàm corpus plenum. nam corpus plenum ita significare potest, prauis humoribus plenum, sicuti bonis humoribus, sed plethoricum bonis humoribus plenum significat: unde uel absolute per plenum, bonis humoribus plenum intelligamus: uel specificantes interpretemur, tales habent plenum corpus, bonis tamẽ humoribus: propter hoc addit καὶ περιττωματικά, idest, Et superfluitatibus abundans.

In fine commenti, ubi Leonicenus interpretatus est, & ideo conuulsionibus facile capiuntur, maxime uero naturas has conuulsiones offendunt: in Aldino codice tota hæc pars ita legitur, καὶ διὰ τοῦτο εὐάλωτα, μάλιστα δὲ σπασμοὶ τὰς τοιαύτας καταλαμβάνουσι φύσεις. idest, Et propter hoc conuulsionibus facile capiuntur, conuulsiones enim tales naturas maxime capiunt. Leoniceni codex ita habebat sicuti Aldinus, sed antiquus meus

hæc uerba solum habet, post id uerbum πολυσώματικά, idest abundans superfluitatibus, hoc solum consequitur, καὶ διὰ τοῦτο σπασμοὶ τὰς τοιαύτας καταλαμβάνουσι φύσεις. idest, Et propter hoc conuulsiones tales naturas inuadunt. illa uero pars, conuulsionibus facile capiuntur, abest.

APHORISMVS XXVI

QVum uerò iam magis adoleuerint, tonsillæ, & uertebræ, quæ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos Græci asthmata uocant, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, uerrucæ, quas Græci acrochordonas uocant, satyriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipue antedicta.

BRASAVOLVS

DE ILLA ætate nunc agit quæ dentitionem sequitur, tamen non accedit ad pubertatem, quam Philotheus τρίτην ἡλικίαν idest tertiam ætatem uocat. In hac inquam ætate tonsillæ fiunt, & uertebræ quæ in occipitio sunt ad interiora luxantur, & asthmata incidunt, & calculus præsertim uesicæ, omniaq; lumbricorum genera in ipsis generantur, nempe rotundi lumbrici, lati, & ascarides, uerrucas etiam, & satyriasim patiuntur, strumæ in eis fiunt, & multa alia tuberculorum genera: sed prædicta illa sunt, quæ in ipsis maxime fiunt. Celsus capite primo secundi libri hunc Aphorismum ita refert, at ubi ætas paulum processit, Glandulæ, & uertebrarum quæ in spina sunt aliquæ inclinationes, strumæ, uerrucarum quædam genera dolentia (ἀκροχόρδονας Græci appellant) & plura alia tubercula oriuntur. Galenus quoq; in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis hunc Aphorismum ad uerbum adducit.

πρεσβυτέροισι δὲ γινομένοισι.] Si hæc uerba ut Græci significant, interpretari uoluerimus, id non dicet, quod à Theodoro, Leoniceno, aut Celso refertur: at si Aphorismum ipsum præcedentibus & consequentibus conferamus, horum uirorum interpretationem conuenire deprehendemus. nam in uigesimo quarto Aphorismo de nuper natis sermonem habuit, in uigesimo quinto de dentientibus, in sequenti uero de his loquitur qui iam ad pubertatem accessere. Ideo nunc de illa ætate pertractat, quæ inter pubertatem & dentitionem media est, quæ ætas (ut inquit Oribasius) inter pueritiam & pubertatem, medium occupat. Hæc autē ætas, de qua hic mentio fit, totum spatium post dentitionem usq; ad pubertatem complectitur. Non autem post dētium mutationem, quæ in septimo fit, quia illa ætas in hoc aphorismo cōtinetur. Pubertas uero (in hominibus) quarto decimo anno, uel parum ante, uel parum post, secundum temperaturas initium sumit. de his ergo intelligamus, qui in hac ætate sunt à quarto uel quinto anno usq; ad decimumtertium. At si aphorismum ut Græca uerba important, interpretari uoluerimus, ita dicere opus erit, Senioribus autem factis. Constat autem ipsos non esse senes, tamen respectu præcedentium ætatum enumeratarum antiquiores sunt: & ideo recte Leonicenus incommodū huius uocabuli, seniores, mutauit, Hippocratis sensum considerans & non uerba, dicitq;, Cum uero iam magis adoleuerint, idest cum magis in ætate progressi sunt: & Theodorus Adultioribus interpretatus est: imò & Celsus ipse hoc considerans interpretatur, at ubi ætas paulū processit. Apud Latinos uero non est propria illius ætatis denominatio, nec Latina lingua patitur quod in sensu Hippocratis senioribus dicamus: at in nostra materna lingua, idest qua uulgo utimur, uerba Hippocratis imitari nihil refert.

παρίσθμια. idest, Tonsillæ.] Celsus hoc loco non tonsillas, sed glandulas interpretatur, qui morbus apud Gręcos paristhmia, ex loco (ut in Galeni cōmento edocebimus) denominatur: at quo ad rem propositam spectat, scire oportet, hæc duo Græca nomina παρίσθμια & ἀντιάς, & hæc duo Latina tonsilla & glandula, & apud Arabes, præsertim Auicennam, amygdalam idem significare: tamen nos inter ipsa differentiā aliquam assignabimus. Id igitur te latere nō oportet, quod ipse Galenus in Aggressionibus anatomicis, & in undecimo libro De usu partiū docet. In radice linguæ, uel in intima oris

parte

parte, ubi gulæ & asperæ arteriæ initium est, illa pars uidetur, quæ γαργαρέων à Græcis, ab aliquibus Latinis gurgulio, ab alijs columella, ab alijs columna, ab Auicenna & Arabibus uua, à quibusdam recentibus uuula nuncupatur: tamen hæc uocabula differentias multas habent: nam hæc pars, quæ à Græcis dicitur γαργαρέων, si humiditatem & materiam à capite fluentem recipiat, adeo ut intumescat, à Græcis κίων, uel κιωνὶς, à nostris columna uel columella, ob similitudinem, nũcupatur. Si eius inferior pars crassa, & orbiculata fiat, à Græcis σταφυλὴ uocatur, quod nomen uuam significat: unde hæc pars non dicitur uel columella uel uua, nisi ut prædictis modis affecta est, quamuis multi authores deinde his uocabulis abutantur, & eis, ac si propria sint huius partis nomina, utantur. Hæc igitur pars, quam uulgus nostrũ uuula nominat, inter os & asperam arteriam ita producta est, ut breue quoddam spatium inter duas cauitates, ueluti inter duo maria, productum uideatur: propterea à Græcis ἰσθμὸς nuncupatur. Isthmus enim est breue terræ spatiũ inter duo maria, ita hæc uua breuis quædam extensio uidetur inter duas cauitates, præsertim quando tonsillæ humidæ fuerint. Sunt uero duo isthmi in terra celeberrimi, Achaicus uel Corinthiacus, & Thracius. Pomponius de Corinthiaco tractãs, inquit, Submouere Ægeum mare ab Ionio spatio quatuor milium, in cuius medio Corinthus urbs est. tamẽ sunt sex miliaria, unde etiam hodie illa angustia uulgo hexamilium dicitur. & quòd isthmus inter duo maria breue & angustum terræ spatium sit, Ouidius eleganti carmine docuit in Hermiones epistola, in qua ipsa à Pyrrho liberari optat, inquiens: Quà duo porrectus longe freta distinet Isthmos.

At ad rem nostram redeũtes, gargareon, idest uua uel columella, quæ in intima oris parte sita est, tanquã isthmus apparet, circum quam quatuor amygdalæ iacent (ut Auicenæ uocabulo utar) uel duo tonsillæ, quæ sunt glandulosæ carnes, à Græcis παρίσθμια nuncupatæ, quia isthmo adiacent, quorum officium & usum si scire concupisces, Galenum undecimo libro De usu partium, legere ne pigeat, ubi & de uua sermonem habere comperies. Græci παρίσθμια appellant, quando nullam affectionem habent: nam plerunque absque ulla læsione perseuerant: quum autem humidæ fiunt, à Græcis ἀντιάδες, à nostris tonsillæ & glandulæ nuncupantur: quãuis glandulæ in suibus proprie sint. Non desunt tamen uiri adeo in cognoscendis humani corporis partibus ignari, ut inter columellam & epiglottida distinguere nesciãt, quorum unus uidetur esse Marcellus in suis in Dioscoridem commẽtarijs libro primo, capite centesimo decimoseptimo, ubi de Lycio sermonem habet, quod si uelit, non parum aberrat: nam ἐπιγλωττὶς, quam Plinius minorem linguam, idest ligulam, alij sublinguam nuncuparunt, alia res est à columella: & de ea Galenus in alio loco sermonem habuit. nam de columella undecimo libro De usu partium: de minori autẽ lingua in septimo, imò hoc in loco, ubi de epiglottide Galenus tractat, hoc uocabulo larynx pro gutture utitur. Istud uero addidimus quoniam superius à nobis dictum est quòd φάρυγξ quandoque pro faucibus, quãdoque pro gutture sumebat: sed hic Galenus φάρυγξ pro faucibus, & λάρυγξ pro gutture utitur. Ad rem igitur redeuntes, & si hoc uocabulum glandula amygdalas in suibus significet, Celsus tamẽ pro amygdalis in hominibus utitur, unde capite primo quarti libri utitur hoc uocabulo glandula, pro ipsa amygdala dum sana est. Est autem caro glandulosa & adenosa, propterea communi uocabulo dicuntur adenes. At capite primo secundi libri utitur hoc uocabulo glandula, pro glandularum ægritudine: sunt autem inflãmationes, & ipsarum repletiones, quæ in hac ætate ob multos cibos, quos insumũt, & coquere non possunt, fiunt: ideo implentur, inflammantur, & prædurescunt: propterea à Celso glandulæ appellantur. Hippocrates in libro De glandulis per omnia membra, ipsas amygdalas sine mala affectione glandulas uocat. Quod uero de his tractet (ne forte in dubium uertas) ex hoc liquidum est, quia παρίσθμια nuncupari dicit. Cur autem facta sint in hunc modum edocet, Caput siquidem cauum & rotũdum superiacet, humoris totius corporis superfluentis & nimij conceptaculum: nam exhalationes omnes supra corpus in caput mittit, quas rursus caput in corpus reijcit: quod enim superfluit, ubi sedem non habet, manere non potest, nisi caput laboret: quare sese cohibet, humoris attractionem afficit, ac in glandulis ea fluctio cõuertitur, fluctumque illud nihil molestat, donec modicum est, glandulæque superant. Nam si multum, & acre superfluat, sicque ac glutinosum perma

neat, inflammat, faucesque turgescunt, ut ex his Hippocratis uerbis, & glandularum usu, & quomodo ea affectio fiat, & qualis nam sit, cognoscatur. In primo autem folio secundi libri De morbis, quem Galenus ab Hippocrate æditum esse non negat, ubi multos morbos enumerat, utitur hoc uocabulo ἀντιάδων pro morbo ipso, & non pro glandulis. idem in tertio folio eiusdem libri facit, in libro etiam De pueri detitione, hoc nomine paristhmia pro morbo in glādulis utitur, ubi dixit. Si ulcera sine febre in paristhmiis fiunt, tutiora esse. quāuis aliquis dicere posset, quod utitur paristhmia pro loco & glandula, non autē pro morbo: nam morbum, scilicet ulcera significat. at hoc nihil est, quia Hippocrates in præsenti aphorismo hoc nomine paristhmia pro morbo utitur, & non pro loco. Ex his omnibus quæ à nobis tumultuarie scripta sunt, illud inferre intendebamus, παρίσθμια, & ἀντιάδων apud Græcos, quandoque morbum, quandoque locum ipsum, idest amygdalas significare: tonsillas præterea & glandulas apud Latinos eodem modo indifferenter accipi, ut quandoque amygdalas ipsas idest carnes illas glandulosas, quandoque morbū significēt. Sed apud Græcos παρίσθμια locum, ἀντιὰς uero morbum plerūque significat, & ideo Paulus Ægineta libro tertio, capite uigesimosexto ubi de paristhmiorum phlegmone pertractat, παρίσθμια pro loco utitur, in fine uero illius partis ἀντιὰς pro tumore ipso accepit, inquiens, Est autem ἀντιὰς τῶν παρισθμίων prædurus tumor, ut manifeste colligi posit, ἀντιάδα prædurum in amygdalis tumorē esse, unde utitur uocabulo antias pro morbo, & nō pro loco. Aetius & ipse libro octauo, capite quadragesimooctauo ἀντιὰς pro glandula utitur, quamuis putemus, hoc uocabulum glandula, illi uocabulo ἀδένων correspondere, nempe per ἀδένων apud Græcos glandulosæ carnes intelliguntur, ita per glandulas apud Latinos, in quacunque corporis parte inueniantur: sed quæ in ultima oris parte insident, à Græcis proprio uocabulo παρίσθμια, à Latinis tonsillæ uocantur. ἀντιὰς uero morbi nomē est, licet in diuersis authorum locis nomen loci sit, in quo morbus ille generatur, sicut etiam tonsillæ quandoque pro loco, quandoque pro morbo in tali loco capiūtur. Sunt autem caruncula illæ glandulosæ, quos nostrum uulgus *boche saporite*, ex suaui sapore quem habent, appellat, de quibus Aetius capite centesimo uigesimoprimo secundi libri sermonem habens dicit, id commune esse omnibus glandulis (in communi uero tam de his, quàm de illis quę alias corporis partes occupant, loquitur) suauitatem in edendo ac teneritatē præstare. nam quæ in lactētibus mammis sunt, habent & à lacte comparatam dulcedinem, inter quas sumptæ à fœtibus suis reliquis omnibus præstant: nos uulgo has ex mammis glandulas, *lattesini*, uocamus, quos è uitulis libenter comedimus. Idem Aetius capite quadragesimo quinto octaui libri de ἀντιάδων inflammatione loquens, hoc uocabulum pro loco accepit, docetque, hac affectione eos corripi qui multo sanguine abundant: & pueros, utpote illos qui mixturam simplicem habent, & multo cibo se explentes: & infantes adhuc lactentes, ex haustu lactis id malum contrahentes. Hactenus Aetius. Alexander quoque Trallianus, inter posteriores Græcos præcipuus author, uocabulo παρίσθμια pro ipso morbo utitur libro primo capite quadragesimoprimo, in ea parte ubi medelā describit διὰ πηγάνου, idest ex ruta. prius autem in eodem capite, ubi de simplicibus medicamētis locutus est, quæ sunt anginæ præsidia, & de sulphure atque nitro loquens, inquit, nitrum sumi non debere aut sulphur in angina, donec ἀντιάδων, quæ, quoniam locus cui adiacent, isthmo similis est, παρίσθμια appellantur, unguento prius perungantur. Vbi uidere potes, & antiadem & paristhmia, pro loco, & non pro ægritudine sumi. Hæc de nominibus Græcis apud Græcos authores. Nunc (quo res felici omine succedat) ostendere oportet, apud Latinos hæc nomina tonsilla & glandula, quādoque pro loco, quādoque pro morbo usurpata inueniri: tamen quum pro morbo accipiūtur, pro morbo in tali loco sumenda sunt. Celsus capite primo secūdi libri hunc aphorismum referens, uocabulo glandula pro ipso morbo utitur, sed pro morbo in tali loco, quamuis glandula commune uocabulum sit ad omnes adenes. Idem Celsus capite primo quarti libri eodē nomine glandula pro loco & non pro morbo utitur, ubi dicit, Atque in ipsis ceruicibus glandulæ positæ sunt, quæ interdum cum dolore intumescunt. Plinius libro undecimo Naturalis historiæ, ubi de historia animalium per singula membra agit, dicit, Tonsillas in homine, in sue glandulas esse, tamen & in hominibus glandulæ nonnūquam appellantur

tur. Idem Plinius capite undecimo libri uigesimi, tonsillam pro morbo accepit: nam de erratica brassica sermonem habens, dicit, cõmanducatam tollere tonsillas: & capite decimoquarto eiusdem libri, mentam dicit utilem esse & cõtra tonsillas cum alumine: & decimoseptimo capite eiusdem uigesimi, dicit tragoriganum tonsillis & uuis medetur: & decimonono capite uigesimiprimi libri, ubi de uino ex rosa agit, inquit ualere ad tõsillas. at uigesimo præscripti uigesimi libri capite, uocabulo isto pro loco utitur, ubi de portaculaca loquens dicit, quod succus decoctæ tonsillarum ulcera sedat. Sed ne hæc res in cumulum non necessarium crescat, infinita alia sunt apud Plinium de tonsillis loca, in quibus quandoque id uocabulum pro glanduloso loco, quãdoque pro morbo illius loci accipitur. Ne igitur hanc rem diutius prorogemus, dicere oportet, Hippocratem in hoc aphorismo per tonsillas tumorem & inflammationem huius partis intelligere, quæ in pueris potissimum fiunt: quoniam in uictu inconstantissimi & inordinatissimi sunt, & eas partes ualde humidas habent: nosque id uocabulum παρίσθμια, tonsillas potius quam glandulas interpretaremur, ut Celsus fecit: quãuis (si Celsum sequamur) in eodem significato accipere opus sit. Oribasius eandem causam reddit inquiens, in hac ætate fieri, quia comedunt incomposite, & minus exercitãtur: & propter hoc, crassos nutriunt humores. At Philotheus tonsillas esse dicit φλεγμόνας τῶν περὶ τὸν ἰσθμὸν μορίων διὰ τὸ ὑπερκεῖσθαι ἐπὶ τούτων ὑγρὰν τὴν κεφαλὴν, ἥ τις εὐχερῶς ῥευματίζει αὐτὰ τὰ μέρη. τούτων οὖν φλεγματιζομένων, φλεγμαίνουσιν. idest, Inflammationes partium, quæ sunt secundum isthmum, idest oris gulæque interstitium: quoniam illis supariacet humidum caput, quod facile in illas partes destillat: istis ergo pituita concitatis inflammantur.

σπονδύλου τοῦ περὶ τὸ ἰνίον εἴσω ὦσιες. idest, Vertebræ quæ in occipitio sunt luxationes.] Celsus hanc partem ita interpretatur, Et uertebrarum quæ in spina sunt, aliquæ inclinationes. Ipse enim intelligit quomodocunque fiant istæ luxationes, uel etiam inclinationes sine luxatione: quod uerum est, quia in hac ętate talia fiunt. Sed Hippocrates de una solum parte loquitur, scilicet de luxatione ad interiora. Sunt autem hic apud Oribasium uertebræ uigintiquatuor, sex ceruicis, duodecim spinæ, & sex renũ. Alia ratio est apud Galenum: at nunc locus non est hæc tractandi, quæ in nostris anatomicis congressionibus ubertim descripta sunt, & in maiores ac minores portiones diuisa, & unicuique parti (ut fieri potuit) Græcum & Latinum nomẽ assignatum est. In hac ætate uertebræ in occipitio, quæ sunt uertebræ ceruicis interius ingrediuntur: & præfocationem atque anhelitum mouent, ut inquit Oribasius, qui ex hac re causam assignat, cur in angina ceruici cucurbitulæ applicẽtur: hæ autem inclinationes & luxationes intus fiunt, secundũ Oribasium, quia nouiter ad sarcinas applicãtur, & tenues sunt, & ideo intus mergũtur, unde tunc in ceruice nihil ferre possunt: postea crassus humor illas resoluit, introque inclinat, ideo hæc affectio luxatio nuncupatur. Hæc Oribasius. Galenus uero dicit, tonsillarum inflammationẽ, quandoque huius luxationis causam esse, quia à musculis inflammationem patiẽtibus uertebra tracta ad partem ceruicis anteriorem inclinat, ut in cõmento uidere licebit. Philotheus autem fieri dicit, διὰ τὸ συνέλκεσθαι τοῖς μορίοις τούτοις τὰ νεῦρα, καὶ ἐκ τῶν νεύρων τοὺς συνδέσμους, καὶ ἐκ τούτων τείνεσθαι τοὺς σπονδύλους. i. Quoniam ab ijs partibus contrahuntur nerui, ex neruis ligamenta: & ex his intenduntur spondyli. i. uertebræ.

ἄσθματα. i. crebri anhelitus, uel anhelationes] Celsus hanc partem in suo Hippocratis codice non habebat. Fit autem hęc passio ex humorum copia in superioribus partibus existente, quæ deorsum ad pulmones fertur, & crebrum anhelitum causat: de quo in uigesimosecundo huius libri Aphorismo perplura disseruimus. Philotheus causam assignat, διὰ τὸ καταῤῥέον αἷμα ἐπὶ τὰς σύριγγας, καὶ τὰς κοιλότητας τοῦ πνεύμονος καὶ στενοχωρεῖν τὸ πνεῦμα, ἄσθματα δέ εἰσι πυκναὶ ἀναπνοαὶ, αἳ συμβαίνουσι τοῖς δραμοῦσι. i. propter sanguinem defluentem ad fistulas & pulmonis cauitates & in angustum cogentem spiritum. Asthmata enim, idest anhelitus, sunt crebræ respirationes, quæ currentibus contingunt.

λιθιάσιες. i. calculi.] Sicuti proprius est seniorum morbus, renum lapis: ita puerorum uesicæ calculus, qui ex pituitosa materia subtiliori parte exiccata & crassa lapidescẽte, fiunt. Cum autem hi qui hanc ætatem habent, edaciores sint, multos crudos humores aceruant, quorum crassior pars, simul cum urina ad uesicam peruenit, & lapis generatur: & hoc tanto citius & facilius fit, quanto sunt calidiores. Philotheus τὴν διὰ τὴν ἀδδηφαγίαν

φαγίαν συναγομένων χυμῶν. idest, congregatis ob uoracitatē humoribus, fieri dixit. Hippocrates in libro quarto De morbis, de puerorum calculis scribēs, inquit, habere principium ex lacte non puro: quod est, quum nutrix pituitosa & non pura comedit & potat. Quæ deinde sequuntur, diffuse docent, quomodo lapis generetur, & ex qua materia, & quibus de causis in pueris. Et in libro De capitis uulneribus, postea quàm de lapide facto in capite locutus fuerat, inquit, quod & pueris præ lacte non sano euenit, quum nimis calidum biliosumque est, uentrem & uesicam calefacit, lotiumque coaccendit, quod calculum creat. Et ibi etiam, calculorum generationem in muliere describit. In fine uero quarti libri De morbis, quinque calculorum signa prosequitur, inquiens, Quum mingere uult, laborat, lotium paulatim stillat, uti difficulter mingentibus, quod subcruentum est, utpote uesica calculo lancinata, quæ inflammatur. sed hoc nō apparet, signum uero præputium est, quandoque arenosa mingit. habeturque in fine quarti libri de hac re aphorismus, Quibus in urinis arenosa subsistunt, his uesica laborat calculo. Paulus & Aetius hæc omnia referunt. At aliud signum est præ omnibus certisimū, quod tamen nullus antiquorum posuit: Is qui uesicæ calculo laborat, quando mingit, semper aut parum aut multum egerit: & si non egerit, saltem egerendi desiderio tenetur.

ἕλμινθες στρογγύλαι. idest, lumbrici teretes.] Sunt uero illi, quos in dies uidemus, longi & rotundi, qui ex putredine nascuntur, & non ex generatione per sobolem. Fiunt autē in lac exugentibus pueris, potissimum quum præter lac, carnes ederint: & uoraciores pueri, qui multos fructus uel multā carnem edunt, uermes incurrunt: at maxime in carniuoris pueris generantur: tamen & in omni ætate, omnique temperatura uermes generari possunt, sed in hac potissimum ætate, tanquam in ea quæ cæteris uoracior existit. Vnde & Philotheus dicit, fieri hos teretes uermes, & qui in Hippocrate consequuntur ascarides, διὰ τὴν σῆψιν τῆς ὕλης, idest, ob corruptionem materiæ. Addit deinde, quòd hi qui in hac ætate sunt, in quibus uermes generantur, θερμοί εἰσιν, καὶ ἐκ τῆς ἀδηφαγίας περιττωματικοί. idest, calidi sunt, & ex uoracitate superfluitatibus redundantes. Capularem senem in cura habui, qui duos supra octoginta annos natus, compositionem nostram accipiens ex scordeo, coralina, idest brio Thalassio factam, plures quingentis uermibus excreuit, & illico ex mortuo sanatus est. Et hæc fuit casualis cura: nunquam enim arbitratus essem, senem adeo Acherontium uermes incidisse: præsertim in tanta copia, ut puerorum symptomata inciderit. Hic fortè fortuna in me inspirauit, odorem foetidum persensi, qualem in puerulis uermes patiētibus aliàs odorauerám: tunc ipsum curare cœpi, ac si uermibus correptus esset, & illico in pristinam sanitatē reuocatus est. Nam magnificus & generosus comes Alphonsus Trottus, generalis illustrissimi ducis Ferrariȩ architriclinus, omnia quæ ad exequias exiguntur, parari iusserat. At ne putes, ex spiritu sentiri uermes: sed est putrescentis materiæ fœtor, quȩ in uermes conuertitur.

ἀσκαρίδες, idest ascarides] in hac ætate generantur. Sunt autem ascarides, uermium genus in intestinis concrescens, præsertim in intestino recto: & apud anum, uermiculi sunt paruissimi & albi: habent ferè effigiem acuminis acus, adeo parui sunt. Ingentissimam copiam in egregio iuuene Baptista Paulutio, solo rhabarbaro & scordeo expulimus. A Philotheo, λεπταὶ ἕλμινθες, idest tenues uermes esse dicuntur. De his Hippocrates locutus est in libro De fœminarum morbis, ubi dicit, Sin autem in fœminæ pudendis, uel ano, uermiculi innascantur, salicis marinȩ fructum, uel folia trita, cum bouis fellis obulo, cedrino oleo subigito. Quod uero de his tractet, ex hoc manifestū est, quia utitur uocabulo ascarides, inquiens sua lingua, ἐπὴν γυναικὸς ἐν τῷ αἰδοίῳ, ἢ ἐν τῷ ἀρχῷ ἀσκαρίδες γίγνωνται. Vt autē de uermibus exquisite loquamur, scire oportet, apud Græcos, ut Paulum capitibus quinquagesimoseptimo & quinquagesimooctauo quarti libri, & Aetium capite trigesimonono, quadragesimo & quadragesimoprimo noni libri, & Galenum in Introductorio sibi adscripto, tres lumbricorum species inueniri, quæ in humano corpore nascūtur. Vna est, lumbricus teres, de qua statim superius Hippocrates sermonem habuit: quoniam dixit, ἕλμινθες στρογγύλαι, idest lumbrici longi. Illi autem sunt, qui ut plurimum uidentur, & in humanis corporibus oriuntur. Apud Græcos, in gracilioribus intestinis generantur, & in eisdem inhabitant: quandoque in uentriculum serpunt, & euomuntur: ut inquit Paulus, & experientia docet. In aliquibus (eodem au-

thore

thore teste, & quod nos hodie uidimus) per nares defluunt: Arabes ipsos longos uocant. Galenus in Introductorio sibi adscripto, palmi magnitudinem habere, uel etiam maiorem dicit. Aetius inquit, magnitudine distingui, multitudine, colore, & tempore; censenturq; peiores maiores minoribus, plures paucioribus, & rubri albis. Re enim uera, qui rubris lumbricis uexantur pueri, ut plurimum moriuntur: hisq;, idest teretibus lumbricis, pueri maxime uexantur: qui uero ad pubertatem tendunt, ascaridibus. Hippocrates de teretibus lumbricis quarto libro De morbis, penultimo folio egit. Alia species est, lumbrici parui, qui cum teretibus similitudinem habēt, sed paruissimi sunt, qui (ut Aetius inquit) in extrema intestini recti parte fiunt, prope sphincterem, idest anum: imò nos & in ipso ano uidimus, & multi exibant, & circumcirca mouebantur errantes: unde à Paulo dicitur, Si anus aperiatur, uideri. At uunum hic est non mediocre ambiguum, quod Oribasius in huius partis expositione dicit: Ascarides, cucurbitę seminibus similes esse: & à multis & dictum & scriptum reperitur, cum cucurbitæ seminibus similitudinem habere. tamen his uel à Galeno, uel Paulo, uel Aetio, uel alio ex antiquioribus hæc forma non datur: & ideo uel necesse erit quartum lumbricorum genus describere: uel hoc genus cucurbitinum, ad unum trium ab antiquis positorum reducere. Decies in diuersis hominibus ascarides, idest paruos lumbricos ab antiquis descriptos, circa anum, & in ultima intestini recti parte uidimus. Semel autem uermiculos quosdam albos ad unguis latitudinem & longitudinem excretos uidimus, quos ex effigie in seminis cucurbitæ morem, cucurbitinos fuisse putamus, qui & uiuebant & mouebantur. Hoc etiam anno millesimo quingētesimo trigesimoseptimo, in Herculis illustrissimi ducis nostri equis, cucurbitinos nos uidisse testamur: nam equini pulli anniculi, ex eius seminio orti, incognita quadā peste peribant: quod illustrissimus dux audiens, iussit, nos re inspecta & perpensa, opem medicam afferre. Quod negotium, & si alijs magis necessarijs adstricti, pro nouitate rei libenter suscepimus. Primoq; iussimus, ut octo uel decem ex emortuis pullis aperirētur: in omnibus ingentem uermium copiam inuenimus, totum uentriculum integre occupantium. Erant autem colore rubro & feminigro, & cucurbitæ seminis formam referebant: in uentriculo potissimum uisebantur, & in intestinis crassioribus errabant. Equi his uermibus affecti, non comedebant, macrescebant, & quatuor uel quinq; dierum spatio obibant. Multa his equis propinanda iussimus: sed nihil uisum est profecisse, præter hydrargyrium & scordeum. Causam uero, propter quam illi uermes in equorum uentriculis generati fuerant, nos terræ attribueramus, quam præcedenti æstate comederāt per pascua à talpis eleuatam, & quia aquæ quas potauerant tota æstate, limosæ erant. Tertia species est, latus lumbricus, qui in tenuibus intestinis generatur, quam Paulus & Aetius definire uolentes dicunt esse permutationem pelliculæ intrinsecus tenuia intestina ambientis: in corpus quoddam uiuum, quod continuos stomachi morsus infert, & ad cibos incorrigibilem appetitum, Græci appellant *ταινίας* & *κειρίας*, unde in his lumbricis interior intestini pellicula in uermem transit. Tamen apud Hippocratem non reperio, quòd lumbricus latus intestini pellicula sit, sed quòd ex corrupta materia fiat: nam in postrema parte libri quarti De morbis, inquit: De latis autem lumbricis, siue *ἑλμίνθων πλατέων*, nunc dicam: quos dico pueris etiam in matris locellis creari: quum enim semel loculos exiuit, tantum tempus stercus in corpore non permanet, uti putrefactum has bestiolas uiuas & magnas gignat, quum quotidie recens, uariumq; oletet, siquidē homo sanus est: quæ non fierent, etiam si diutius oletaret. Multæ enim puero in utero matris sic fiunt, quum pus feruidum lacte sanguineq; redūdante, putrefactoq;, utpote dulci fit: propterea hæc bestiola illis gignitur. Hæc Hippocrates. In quibus uerbis, ego uidere nescio, quomodo censuerit, latos lumbricos ex ultima intestini pellicula fieri, imò potius ex lacte & pure & sanguine redundante: unum tamen est in Hippocratis cōtextu in eodem libro De morbis, ex quo Græcorum sentētia sumi posse uidetur. Nam dicit, Est autem species ipsius (scilicet uermis lati) ueluti abrasio intestini alba: indicia eius sunt, quod excernuntur interdum nonnulla cucumeris seminibus similia. At nos Hippocratem considerātes, uidere nescimus uoluisse hunc uermem esse albam intestini abrasionem, ut Paulus & Aetius putarunt: at id solum dicit, esse ueluti abrasionem, quia is la-

tus uermis in partes scinditur, ut quandoque solum unius cubiti, duorũ, uel trium partes exeant: uermis autem non parit, sed est una eius pars rescissa. alia deinde species, de qua sermonem habet, & ipsa in partes secatur, quæ ueluti cucumeris semina uidentur. Ideo apud Hippocratem lati lumbrici duæ species erunt, una, quam cum quis habet, partes duum, trium, uel quatuor cubitorum quandoque excernit. Alia, quam qui habet, partes similes seminibus cucumeris excernit. At re uera lũbrici, quos in equis illustrissimi ducis nostri uidimus, qui moriebantur, seminis cucumeris effigiem habebant, est autẽ cucumis id quod uulgo *anguriam* uocamus: tamẽ non erãt partes alicuius uermis, sed erant distincti, & per se nati lumbrici: uideturque Hippocrates sentire, lumbricos rotundos in uentriculo fieri, & alios generare, latos aũt non generare. re etiam uera, & si aliqui Græci, longos in gracilibus intestinis generari uoluerint: nos oculata fide & in uentriculo gigni uidemus, ut Hippocrati uisum est. Plinius libro undecimo Naturalis historiæ, capite trigesimotertio, inquit, intra hominem inuentas esse tineas tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine. forte hic Plinij locus corrigendus est, ut legendum sit tænia, non tinea, quoniam à Græcis hic uermis ταινία & fascia nuncupatur. Alexander Trallianus libro tertio capite tertio, ubi de βουλιμία sermonem habet, præsentem historiam recitat, se matronam quãdam nouisse, cuius uenter plurimis diebus officium non fecerat, quanquam prægrandem cibariorum uim usque ingereret, probeque concoqueret, atque ob id lancinationem, & morsum quendam in uentre, & capitis dolorẽ iugiter conquerebatur. hieram itaque catharticam ad propellendum id mali assumpsit, quæ functionem suam perficiens, lumbricum immanẽ amplitudinis duodecim cubitorum, & plurium eiecit, & eo momento à rabida cibariorum appetentia liberata est. propterea hæc à Tralliano subduntur, quod mulier illa eo bulimiam non patiebatur, sed lumbricus ille insatiabilem & intolerabilem inediam inuexerat. Vermis hic, de quo Trallianus agit, ex horum genere est, & ex eo de quo locutus est Plinius, & tineã appellauit, Græci uero ταινίας uel κειρίας idest tænias uel fascias. Superius autem docuimus, in Plinio legendum esse tęnias, nõ tineas, & hoc merito, quia eadẽ remedia suis tineis exhibet Plinius, quæ Galenus & Græci omnes tenijs adhibent. Felicianus in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, ubi Galenus hunc aphorismum adducit, ἀσκαρίδας, idest pitulas interpretatus est, quod an conueniat, tu ipse iudex esto. Vt ergo ea quæ dicta sunt in unam summam colligamus, apud Gręcos tria lumbricorum genera inueniri certum est, lumbricus teres, ascarides, & lũbricus latus. Nos deinde ascarides in cucurbitinos distinguimus, & proprie ascarides idest paruos uermiculos. at Arabes, Auicenna inquam & Serapio, adeo hæc nomina confundunt, ut quandoque pro ascaridibus latum uermem intelligant, quãdoque cucurbitinum, & de uera ascaride non loquatur. Sed hæc nos illis discutienda permittamus, qui hos authores adeo mordicus tenent, ut ubi manifestissimum errorem inciderint suis quibusdam deliris nugis excusare uelint. Nos præterea hoc solum addemus, apud Latinos authores, ut Celsum libro quarto, capite decimoseptimo solum duorum generum mentionem fieri, teretum, & latorum. De ascaridibus, aut cucurbitinis, nihil usquam apud ipsum inuentũ est. Paulus Aegineta libro quarto, capite ultimo, dracunculorũ quorundam meminit in lumbricorũ formam, in India, & regionibus supra Aegyptum nascentium, quod genus in intestinis, uel in uentriculo non uersatur, sed in nostri corporis musculosis partibus, ut in brachijs ac coxis. At hoc genus paruipendere debemus, utpote quod apud nos nec fiat, nec unquam uisum sit. Vnum pręterea est, quod ab Hippocrate edocemur, circa principiũ secundi Epidemiorum, lumbricos magis uexare post meridiẽ, quàm in altera qualibet hora. Denique Oribasius talem lumbricorũ diuersitatem ex humoribus fecit, ut nobis uisum sit, non esse dignum ut adducatur, si tu eius sentẽtiam cupias, sua cõmentaria uidere nihil impedit.

ἀκροχόρδονες. i. acrochordones.] Sunt aũt acrochordones uerrucarũ genus. Galenus acrochordona definiuit esse eminentiã rotundã in cute, quæ habeat angustã basim, nos uulgo *porri* nũcupamus. Sunt apud Latinos uerrucæ: sed uerruca nomẽ generalius est, quàm acrochordones: licet aliqui cũ hoc uocabulũ inueniunt, nomine generis interpretentur, scilicet uerruca. Est aũt aliud uerrucarũ genus quod formica uocatur, hoc basim latiorẽ habet, & fere sessilis est. Id uero nõ habẽt acrochordones, quia summã partẽ latã

habent

habent, cutim autem propinquam tenuem, unde à chorda nomen duxit: quoniam uti nexæ chordæ pendere uident: formica uero sensum corrodentis formicæ habet. De his Aetius libro decimoquarto, capite quarto, meminit: in qua parte semper illius loci interpres, ubi Aetius dicit ἀκροχόρδωνας, uerrucas interpretat. At Paulus Ægineta de acrochordone capite octuagesimoseptimo sexti libri exquisitius pertractauit, quàm quisq; alter, ubi inquit, ἀκροχόρδων uero tuberculum est quoddam paruū in summa cute absq; dolore, callosum, rotundum ut plurimum, ad cutem angustum, ut pendere uideatur, unde acrochordum nuncupatum fuit, quod chordæ summitati simile sit. Ego filiam habeo, quæ quintū annum exegit, Margareta nomine, cui plures acrochordones, & aliæ uerrucæ accidere, & per faciem ac manus innatæ sunt: sed sponte sua nulla ope medica adhibita sanatę sunt: & alij mei filij, qui eodem linteo faciem abstergebant, ex contagio infecti sunt, tamē nulla cura omnes euaserunt. Accidūt uero ob multos humores, quos ex ingluuie in hac ætate contrahunt, potissimum uero ex pituita fiunt: Oribasio teste. Celsus interpretatus est, uerrucarum quædam genera dolentia: Græci ἀκροχόρδωνας uocant: tamen re uera non dolent, nisi quis scalpens ui eradicare contendat. Acrochordones, strumas, & omnia alia tubercula, Philotheus ita fieri dicit, ὅτι κακοχύμου πλῆθους ἀεὶ ἐχόντων, ὅπερ πλῆθος ἐρρωμένης οὔσης τῆς δυνάμεως ἀπωθεῖται πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ ποιεῖ αὐτὰ τὰ πάθη, idest, Quòd mali humoris multitudine generantur, quæ multitudo potentia robusta existente ad superficiem reijcitur, & has passiones facit.

σατυριασμοί, idest satyriæ.] Galenus in suo contextu uisus est hanc particulam non habuisse, quoniam neq; illam interpretatur, neq; ipsius meminit: & Philotheus non habuit: & Celsus etiam in suo Hippocrate hanc partē non habebat. Oribasius uero & habuit, & uerrucarum genus esse dicit, quod in hoc ab acrochordone differt, quoniā acrochordon singulatim est, satyriasis uero unam excellentem uerrucam habet, cui multæ paruæ circunstant: tamen (addit) utraq; ex pituita fiunt, quæ in hac ætate plurimum uiget. Galenus pręterea in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc aphorismum adducens satyrias refert. At non desunt recētes, qui hunc locum de satyriasi intelligunt, quæ est membri uirilis erectio: sed hæc in ista ætate non fit. Est uero satyriasis (ut Galenus in Definitionibus sibi adscriptis edocet) malum quod fit intendente & erigente se hominis genitali, simulq; etiam propinquæ intenduntur partes: in aliquibusq; seminis eiectio cum uoluptate fit: alienantur mente aliquando, qui id patiuntur, sequiturq; neruorum distentio. Idem Galenus in sexto libro De symptomatū causis, inquit, Iam priapismus est, quum masculinū pudendum intumescit, & inflatur inuito, habetq; causam hoc symptoma spiritum inflantem. Ex quibus uerbis Paulus Ægineta differentiam posuisse uidetur inter satyriasmum & priapismum, nam capite quinquagesimosexto libri tertij, ubi de satyriasi sermonem habet, inquit, satyriasis est pudendorum palpitatio, phlegmonosam quandam seminaliū uasorum affectionem sequens, arrigente & intendente se hominis genitali, & nisi leniatur ac desinat, palpitatio illa in languorē & resolutionem (quam πάρεσιν dicunt) seminariorum uasorum euadere consueuit, aut spasmum inuehere, & cito necare, non sine alui tumore & frigido sudore: dicitq;, hunc morbum esse rarum. Postea capite quinquagesimoseptimo eiusdem tertij, de priapismo tanquam de re distincta loquitur, inquiens, priapismum esse uitium genitalis membri, quo in longitudinem & rotunditatem excrescit, nullo Venereorū stimulante desiderio: inflatio uero euidens est, quia illa corporis pars spiritu turget. fit autem ex humoribus tenacibus crassisq; cum calore mediocri: ut hinc manifeste appareat, satyriasim à priapismo differre: quia primum est extensio, aliud uero magnitudo membri: tamē unum pro alio usurpatur, & in eodem significato indifferēter accipitur. in satyriasi, palpitatio à Grecis recentibus παλμός nuncupat. Quod uero satyriasis & priapismus diuersa sint, ex Arabibus facile colligi potest: nempe Auicēna satyriasin acroin & arsacon uocat: & uno in loco de acrain & arsacon sermonem habuit: priapismum uero (qui in magnitudine priapi consistit) in illa parte in qua de multitudine erectionis absq; desiderio & priapismo locutus est, ptractauit: imò & apud Haliabalē distincta sunt: nā satyriasin titillationē uocauit, priapismū uero erectionē, à Grecis tamē differūt. At Galenus in ultima parte libelli De tumorib. pręter naturā, inter satyriasmū & priapismū differētiā facere nō uidet: inqt

enim

enim, καθάπερ καὶ τὰς παρὰ φύσιν ἐντάσεις τῶν αἰδοίων μὴ καθισταμένας, τινὲς ὀνομάζουσι σατυριασμόν, τινὲς δὲ πριαπισμόν. idest, Sicuti pudendorum intentiones non remittentes, quidam satyriasmum, alij priapismum appellant, ut nullam differentiam nisi in nomine facere uideatur. Tamen in præsenti Aphorismo non putamus satyriasim in hoc significato accipi, quia satyriasmi, idest uirilis membri erectiones in hac ætate non fiunt. Significat etiam satyriasmus apud Galenum secundum quosdam antiquos, ossium excessus iuxta tẽpora, sunt enim tales eminentiæ, ueluti tubercula in alijs partibus. Ita dici puto, quos poetica fictio in illis partibus cornua habere facit. Nec istud etiã intelligi potest, quia & si sit morbus in formatione, tamen est in quacunq; ætate, & non in hac solum. Sed Galenus in eadem parte eiusdem libri De tumoribus præter naturam, de elephante agit: Elephas uero ab humore melancholico, uel à sanguine melancholico ortum habet, & cum temporis processu atra bilis sanguinem excedit, grauiter olent, & ingratum aspectum habent. In Galeno deinde hæc sequuntur, ἐνίοις δὲ αὐτῶν καὶ ἕλκη συμπίπτει, τοῦτο τὸ πάθος ἀρχόμενον ὀνομάζουσι σατυριασμόν, ἐπειδὴ τοῖς σατύροις ὅμοιοι γίγνονται τὸ πρόσωπον. idest, Quibusdam autẽ ipsorum ulcera accedunt: hoc mali dum incipit, satyriasmum uocant, quoniam satyris similes facie fiunt. Nos igitur hanc satyriasim illam esse putamus, de qua Hippocrates in hoc aphorismo intelligit, & non illam quę uirile membrum extendit. Nam in Gallia multos in hac ætate uidimus tali facie deformatos. Hæ passiones apud nos non uigent, sicuti nec lepræ, & raras affectiones ingẽtes, ut elephas est, uidemus. Tamen quandoq; pueros uidimus satyriasmum circa fauces habentes, & talem habere cutem, qualem satyros habuisse describunt, denigratam, ob continuas exulcerationes: at sanantur, & abeunt maculæ.

χοιράδων, idest strumæ.] Sunt in adenosis partibus durities, quæ in collo, alis & inguinibus fiunt. Nonnulli dixere, nihil aliud esse, quàm adenes induratos: sed indurati quidem sunt, uerum ob pituitosam materiam, quæ ob ingluuiem in hac ætate generatur. Appellantur uero χοιράδες à Græcis, à suibus: quoniam χοίρους, sues uocant: & in hoc animante circa collum & ceruicem innumeræ crescunt: unde & recentes medici, scrofulas, à scrofa porca denominarunt: quamuis ipsi hinc significationis rationem accipiant, ita appellari, non quia sues strumas frequentes habeant, sed potius quia multæ semper reperiuntur, sicuti scropha multos filios gignit: unde differẽtia est inter nodum & alios tumores præter naturam in collo, & strumas: quoniam illi singuli sunt, strumæ plures. Aliqui putarunt, χοιράδας dictas esse à chœradibus, quæ petræ sunt per marinas aquas transparentes. Celsus libro quinto, capite uigesimooctauo, eodem modo de strumis agit, quo & Græci. Aetius capite quinto libri decimiquarti, strumas in suibus non fieri dicit, sed adenosos globulos, quibus strumæ assimilãtur, quas definire uolens inquit, esse carnes subcandidas, auctu faciles, intra membranam contentas, utq; summatim dicat, sunt glandulæ induratæ. Facitq; Aetius strumarum differentias, ex magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, & uasorũ multiplicatione. Magnitudine, quia aliquæ magnæ, aliquæ paruæ, aliquæ mediæ. Natura, quoniam aliquæ mites, aliquæ maleficæ. Loco, quia aliæ in posterioribus colli partibus, alię in obliquis, aliæ circa guttur, aliæ in superficie sub cuti, aliæ penitiores partes occupant. Ortu, quia quædã suspensa, quædam huc illuc facile mouetur, quædam inserta multitudine, quia modo una, modo plures: tamen recentes medici unam solam strumã fieri posse non iudicãt. Sed hæc pars ita distinguenda est, ꝙ modo plures, modo pauciores uasorum cõplicatione: nam quædam uenas & arterias cõplicatas habent, quędam non. Hæc est strumarum distinctio secũdum Aetium ex Leonida antiquo medico excerpta. Paulus Ægineta eodem modo de struma tractauit libro quarto, capite trigesimotertio, hoc dempto, ꝙ species non distinxit. Hippocrates in libro De glãdulis per omnia membra, de chœradibus, idest strumis agit, inquiens, esse ceruicis peculiare malũ, tamen & in axillis fieri. Idem Hippocrates in libro De capitis uulnerib. asserit, ubi de his urbib. differit, quæ quodãmodo frigidis uentis oppositæ sunt, utpote inter orientẽ & occidentẽ æstiuũ solis sitis, inquiens, ꝙ hi habẽt aquas crudas, duras, asperas, frigidas, dulces, copiosas aquas habent, homines harũ urbiũ habent capita sana & dura, plerũq; tamẽ strumis molestanť. Celsus dicit, Megen chirurgicũ referre, in mãmis mulierũ se strumas reperisse, ac si magnũ q̃d retulerit.

Nos

Nos enim non ſolum in mulierũ, ſed & in uirorum mammis ſtrumas uidimus: imò & ratio ipſa in mammis fieri poſſe oſtendit, quia adenoſæ partes ſunt: & nunc milleſimo quingenteſimo trigeſimoſeptimo, in menſe Aprilis opem medicam exercemus in mulierem quandam, quæ omnem ferè corporis partem, uſq; ad inguina ſtrumis plenam habet. Marcello uiro aliqui docto in aſphodelo uidetur, quod Plinius hoc uocabulo ſtruma ad duo tumorum genera utatur: nam apud Græcos hæc duo diuerſa nomina inueniuntur δοθιῆνας & χοιράδας, ideſt dothienes & chirades: ſecundum propriè ſtrumas, primum uero tumorem in carnoſa parte ad abſceſſum perueniētem ſignificat. At Marcellus dicit, Plinium ſemper ſtrumas interpretari, quando Græci authores δοθιῆνας, uel χοιράδας ſcriptum habent: ſed apud Plinium ita conſtare non declarat, propterea nos dicimus δοθιῆνας illos eſſe, quos Latini furunculos uocant: de quibus Celſus capite uigeſimooctauo quinti libri agit, inquiens; furunculum eſſe tuberculum acutum cum inflatione & dolore, maximeq; ubi iam in pus uertitur. Galenus in ultima parte libri de tumoribus præter naturam, inquit, δοθιῆν notum eſſe omnibus. Additq;, certè eſſe mitem, quia in ipſa cute ſola conſiſtit: malignum autem quum magis in altum radices fixerit, nam ſic tuberculo ſimilis eſt: differt tamē ab illo ſola duritie, eſtq; affectus phlegmonodes, apparetq; duritia differre à phymatibus, & ſecundum Celſum etiam acutie, phymaq; frequenter eſſe maius, planius & rotundius. Nec differt Galenus à Celſo, & ſi Galenus dicat eſſe mitem, Celſus uero cum maximo dolore: quoniam quando profundi ſunt, tunc maximo dolore moleſtant, at in ſuperficie mites exiſtunt. Vnde & Celſus in medio ferè capitis, inquit: In eo nullum periculũ eſt, etiam ſi nulla curatio adhibeatur. Auicenna de illo ſermonem habuit in illa parte, in qua de Aldemurenud pertractauit, Multi ſunt, qui ipſum clauum appellant, quoniam tanquam clauus infixus, præſertim quo ad dolorem uideatur: alij uero ſpinam uocant, quoniam ut infixa ſpina doloris ſpeciem refert. Sed ad rem noſtram redeuntes, à nobis oſtendendum eſt, ubi Græci δοθιῆνας dicunt, Plinium furunculos interpretari, & non ſtrumas, ut Marcellus putauit, imò ipſe inconſtans eſt: nam in uarijs & multis locis δοθιῆνας, ideſt ſtrumas interpretatur, ut in capite de naſturtio, in capite de groſsis ficorum & caprificorum, & in alijs multis locis. At in ſecundo libro δοθιῆνας, ideſt furunculos reddit: nam eo loco de tritico agit Dioſcorides, inquiens; καὶ δοθιῆνας σὺν ἁλσὶν ἐκπέσσει καὶ ἀναστομοῖ. Marcellus hæc uerba interpretatur, & furunculos cum ſale maturat & aperit, ut hic non amplius ſtrumas interpretetur: imò & in alijs locis, ubi inuenit δοθιῆνας, uertit tumores in carne ex craſſa materia, qui ueniunt ad abſceſſum, ut ferè totus inconſtans & uarius ſit. Hermolaus conſtantior eſt, qui ſemper δοθιῆνας furunculos uertit. Ad primũ igitur redeuntes, non ſolum Marcellus putat δοθιῆνας, ſtrumas ſignificare: ſed in capite etiam de aſphodelo dicit, Plinium idem ſentire, & ſemper interpretari δοθιῆνας, ideſt ſtrumas. At iſtud non eſſe uerum, facile oſtendemus. Nam Dioſcorides libro ſecundo, in capite de naſturtio, dicit, δοθιῆνάς τε ἐκπυοῖ σὺν ἅλμῃ καταπλασθέν. ideſt (ſecundum Marcelli interpretationem) ſtrumas præterea abſumit ex muria illitum. Hermolaus hanc ſentētiam per Plinij uerba reddit, tamen ſenſus alter eſt: nam dicit, furunculos concoquit cũ fermento. Nos potius uerteremus furũculos ad ſuppurationem ducit cum muria cataplaſmatis forma applicitum: quamuis Plinius libro uigeſimo, capite decimotertio, ubi de naſturtio agit, hæc uerba poſuerit, furunculos concoquit cum fermento. Certum uero eſt, & ſi non dicat cum muria, tamen & cum fermento ualet: & fortè Hermolai Dioſcorides eo modo ſcriptum habuit. Vnum uero eſt non omittendum quin conſideretur, In tota illa parte, ubi de naſturtio Plinius differit, de ſtrumis nihil haberi, ſed bene de furunculis, & Græcos omnes hoc ſponte fateri, quod δοθιῆσι, ideſt dothienibus ſuccurrat. At Marcellus huic ſententiæ inniti poſſet, & quicquid ſenſerit, comprobare: quoniam Plinius ubi de aſphodelo agit, ſtrumis ſuccurrere dicit. Dioſcorides uero ſtrumarum non meminit, ſed ſolum δοθιήνων, quod indicium eſſe poteſt, Plinium Dioſcoridem interpretatum eſſe, ut per δοθιῆνας ſtrumas intelligeret. Adde quod ubi Dioſcorides de ficorum & caprificorum groſsis ſermonem habet, inquit, δοθιῆνάς τε σὺν κηρῷ διαλύουσι. ideſt, dothienas que cum cera ſoluunt. Plinius uero libro uigeſimotertio, capite quinto, ubi de eiſdem groſsis loquitur, inquit, eis ſtrumas diſcuti. De furunculis autem

nullam

nullam mentionem facit. Verum hæc nihil faciunt, nihilq; probant, quod Plinius δοθιῆνας, idest strumas, interpretetur: quoniam Plinius non est Dioscoridis interpres. tamen & si id concedamus, Plinium Dioscoridem plerunq; interpretari, acrius ostendamus non uertisse δοθιῆνας, idest strumas, sed potius furunculos: nam ubi Dioscorides de galbano pertractat, inquit, ualere πρὸς δοθιῆνας, idest ad dothienas. & Plinius capite quinto libri uigesimiquarti, idem ad furunculos ualere dicit, & mox strumas specificat. At hoc quod sequitur, maximum est huius rei testimonium, quod apud Plinium, δοθιῆνες furunculi sint: quia Dioscorides libro quarto, capite de pycnocomo dicit, Quin etiam folia, emplastri modo imposita, φύματα καὶ δοθιῆνας διαφορεῖ, idest panos & furunculos discutit. Itaq; & ipse Marcellus, tanquam ab ipsa ueritate coactus, interpretatur in hoc loco δοθιῆνας, idest furunculos. Nunc Pliniū audias capite duodecimo libri uigesimisexti de pycnocomi remedijs differentem, hanc eandem sententiam his uerbis retulisse. Passim & in quacunq; parte ac maximo incommodo nascuntur, qui furunculi uocantur, mortiferum aliquando malum confectis corporibus. Remedio sunt pycnocomi folia trita cum polenta, si nondum caput fecerint. Vbi uides eadem folia quæ apud Dioscoridem δοθιῆσι ualent, apud Plinium furunculis opitulari. Adde & hoc aliud, Dioscoridem ubi de omni sale agit, scriptum reliquisse, σὺν σταφίδι δὲ ἢ στέατι ὑείῳ ἢ μέλιτι, δοθιῆνας διαφοροῦσι. idest, Cum uua passa, suillo'ue adipe, aut melle, dothienas discutiunt. Plinius modo libro trigesimoprimo, capite nono, de sale loquens inquit, quòd furūculos emendat cum passa uua exempto eius ligno, & seuo bubulo atq; origano, ac fermento uel pane. ubi uides idem ferè à Plinio de furunculo dici, quod à Dioscoride de Dothiene scriptum est. Deniq; ut in hac re finem faciamus, Dioscorides libro quinto, ubi de aphronitro agit, hæc uerba habet, ἀνασπᾷ δὲ καὶ δοθιῆνας ἀναληφθὲν τερμινθίνῃ ῥητίνῃ. idest, Extrahit autem & dothienes resinæ terebinthinę admixtum. Non pigeat modo Plinij uerbis libro trigesimoprimo, capite decimo, de nitri generibus & aphronitri pertractātibus aures accommodare, ubi dicit, furunculos admixtum resinæ extrahit, qui & si de terebinthina non specificet, satis est, quòd resinam nominauerit. Ex his ergo & alijs multis similibus Marcello fides adhibenda non est, quod Plinius δοθιῆνας, idest strumas interpretetur, sed potius furunculos, ut re uera sunt. Nam & Paulus Aegineta capite uigesimotertio quarti libri, inquit, δοθιὴν est tumor cum abscessu ex crassis humoribus in carnosis plerunq; partibus consistens: clemens quidem ac mitis, quum in sola cute constiterit: maleficus autem, curatuq; difficilis, quum non in summa cute, sed altius coierit. Non possum etiam ab hoc argumento temperare, quod nobis ansam præbere potest, δοθιῆνα apud Græcos, apud Latinos furunculum esse. Nam Auicenna libro primo, fen prima, doctrina quarta, capite secūdo, ubi de qualitate generationis humorum, deq; coctionibus loquitur, probare uolēs quòd aliqua coctio in ore fiat, dum masticamus, hoc argumento utitur: quia si triticum masticatum acceperimus, & furunculo superponamus, ad eius coctionem facit, quam triticum quum aqua pinsum non procurat: ex quo signum elici potest, quod ex masticatione aliquid acquirit. Paulus etiam Aegineta præcitato capite, ad δοθιῆνας, hoc remedium assignat, quòd triticum māsum, atq; dentibus ita friatum & impositū δοθιῆνας maturat. Sed hæc missa faciamus, & ad Hippocratem reuertamur, quoniam hęc dissidia in aliud tempus differentes exquisitius discutiemus: aliqui enim sunt, qui φύγεθλα, furunculos interpretati sunt.

Καὶ τὰ ἄλλα φύματα. idest, Et alia tubercula.] Quæ Oribasius enumerat, ut steatomata, ganglia. Superius autem nos per τὸ φῦμα quid intelligendum sit, edocuimus: nunc Hippocrates ad omnes tumores uocabulum φῦμα usurpat, imò & strumæ & satyriæ & uerrucæ, nunc φύματα uocant, licet multi per φῦμα panum intelligant. Nos autem superius scriptum reliquimus, in quacūq; parte glādulosa fieri φῦμα. Nunc uero addamus, plerunq; hoc uocabulū cōmune esse ad omnes tumores, ut in hoc aphorismo accipitur. Philotheus uero unde deducatur hoc uocabulū φῦμα, edocet, inquiens: φύματα δὲ αὐτὰ καλεῖ ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν φυομένων ἐν τῇ γῇ διὰ τὸ ταχέως φύεσθαι καὶ αὔξεσθαι καὶ ἐκπυΐσκεσθαι. idest, Vocat autem ipsa phymata per metaphoram eorum quæ producuntur in terra, quoniam celeriter nascuntur & augentur, & ad suppurationem perducuntur.

Μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα. idest, Sed præcipue antedicta] scilicet φύματα, ut illa omnia quæ

quæ in aphorismo numerata sunt, sub hoc uocabulo φῦμα complectatur. In aliquibus codicibus hæc pars abest, nam solum legunt, Et alia tubercula: postea nihil sequitur.

GALENVS

PRIMVM quidem scripsit de recens natis puerulis, deinde illis qui dentes edunt. Nunc uero de his qui mediam habent ætatem, inter illos qui iam dentes ediderũt, & qui sunt pubertati proximi. Nam deinceps sequenti aphorismo illorum cõmeminit, qui quartum ordine obtinent locum. Verum tertiam ætatem quæ nũc proponitur, quæ usq; ad duodecimum & tertiumdecimũ annum progreditur, capi ait passionibus, quarum primas tonsillas nominat, quæ sunt locorum ad isthmum attinentiũ inflammationes. Hic autem per isthmum oportet intelligere partem illam quæ os, & gulam interiacet, quæ per metaphoram quandam ita nominatur ab his qui proprie dicuntur isthmi. Sunt autem angusti quidam terræ transitus inter duo maria sitæ. Hæ autẽ tonsillæ sunt; nonnunquam solius tunicæ uentri, ac gulæ, & faucibus, totiq; ori communis inflammationes: nonnunquam uero, & subiectorum ipsi musculorum, quando & uertebræ quæ est in occipite fiunt ad interiora motiones, de quibus post tonsillas inquit, Et uertebræ quæ in occipitio ad interiora luxationes. nam à musculis inflammationem patientibus uertebra tracta, ad partem inclinat ceruicis anteriorem. Nominauit autem hãc partem Hippocrates, non anteriorem, sed interiorem, ut ad uertebram retro locatam suum sermonem referens: corporis si quidem ad profunda traductio, siue ex anterioribus, siue ex posterioribus fiat partibus, per unum uerbum, scilicet intra, monstratur. Quid igitur Hippocrates in nouiter natis puerulis neque de tonsillis, neque de uertebræ quæ est in occipitio luxatione aliquid dixit, cum tamen & isti nihilominus cerebrum humidum, & plenum habeant superfluitatibus, adeo quòd subiectis partibus possunt demittere fluctiones? an quia hac ætate prius moriũtur, quàm subiecti faucibus musculi una cum neruis fortem subeant inflammationem? adde quòd hi partes habent mollissimas, atq; ideo non possunt uehementius intendi, ita ut uertebra intus ad ipsas attrahatur, & quidem & asthma (sic autem Græci uocant crebrum anhelitum qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad uehementem ductis motionem) Sed in his quidem fit ob exercitium quod multa indiget animalis respiratione. Vbi autem nõ adest exercitium, ob angustiam eorum quæ sunt in pulmone uentriculorum. hæc uero angustia fit repleto uiscere ab his quæ de super ueniunt fluctionibus, hæ autem fluctiones plures quidem in recens natis puerulis sunt. Cito autem ipsos interficiunt, quoniam & aliter male se habent. Nam ex utero ad aerem ambientem transitus, & alimenti mutatio, & si aliqua adsit inflammatio, ab initio quidem locorum ad umbilicum attinentium, postea uero ob dentium generationem, ex his omnibus fiunt imbecilliores, & uix ea quæ dixi tolerant mala, nedum si ad hæc etiam fluctiones accesserint possint sustinere, ubi ad pulmonem decubuerint. Lapis uero propria est passio puerorum qui ob edacitatem non paucos crudos humores coaceruant, ex quibus pars crassior una cũ urinis ad uesicam perueniens fit lapidum generationis materia. Accedit altera causa, uehementia caliditatis. Aceruant enim & senes humorem crudum non paucum, non propter edacitatem, ut pueri, sed propter potentiæ concoquentis imbecillitatem: non tamen calorem fortem habent qui ex materia crassa uaporem resoluens lapidem generet. Lumbrici uero, atque ascarides uidentur alijs animalibus proportionaliter gigni, quæ non ex seminibus, sed ex putredine habent generationem. Sola enim putredo hæc non est ad generandum sufficiens, sed & calore plurimo indiget. Cibus autem plerumque corrumpitur in uentre, & præcipue inferiore puerulis, uerum caliditas in ualde tenellis nondum materiam obtinet, in adultioribus autem & materia idonea est ad animalium talium generationem, & præterea caliditas adest. Ascarides igitur sunt tenues quidam lumbrici qui in parte maxime inferiore crassi intestini gignuntur, & plurimi apparent in iumentis male cibum coquentibus, quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorum. Aliud uero genus lumbricorum est rotundorum, qui in superioribus magis intestinis generantur, adeo quòd ad ipsum quandoq; uentriculum ascendunt. Multo uero plures hi, quàm ascarides gignuntur in pueris. Rarior autem est lumbrici lati generatio, qui & longissimus est, & sæpe per tota extenditur intestina. Verum

de hoc nullam fecit Hippocrates mentionem, quoniam neq; eius erat propositum, de omnibus agere passionibus quæ mortalibus accidunt, sed de illis tantum quæ singulis ætatibus accidunt. Ob hanc igitur causam ipse enumeratis iam dictis, deinceps uerrucarum genus, quod Græci acrochordonas uocant, & strumas adiecit, quæ sunt uitiatæ multitudinis ad exteriora, & cutem repentis germina passiones. Omne autem ipsorum genus tubercula nominat, ita deinceps scribens: Acrochordones, strumæ, & alia tubercula. Quædam autem ex his præcipuo uocabulo tubercula nominantur, quędam sponte nascentes, & subito factæ inflammationes, quæ celerrime in altum attolluntur acumen, & celerrime etiam suppurantur, & plurima est horum in inguinibus & alis generatio: quoniam & in his partibus plures sunt adenes, qui apti natura sunt ad has superfluitates prompte excipiendas: horum passio struma quoq; est, non ex calida materia, neq; ad suppurationem properante, sed pituitosiore & frigidiore consistens.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus hunc aphorismum præcedentibus coniungit & continuat: nam Hippocrates prius de nuper natis puerulis sermonem habuit aphorismo uigesimoquarto, deinde aphorismo uigesimoquinto, de his qui dentire incipiũt locutus est. Nunc de tertia ætate pertractat inter eos qui iam dentiere, & pubertatem media, qua spatium ferè à septimo anno usq; ad duodecimum uel decimũtertium comprehenditur: nam pueri biliosiores & calidiores tertiodecimo anno, uel circa puberes efficiuntur: frigidiores uero & pituitosiores quartodecimo, uel circa. Morbos igitur qui in hac ætate generantur, edocere studet.

In primo huius commenti uestibulo, ubi scriptum est, Nunc uero de ijs qui mediam ætatem habent: in contextu Aldino ita præcise scriptum est, ut Leonicenus uertit, ἄτα νῦν περὶ τῶν μεταξὺ τῆς τῆς ἡλικίας. & reliqua. Sed meus antiquus contextus tria uerba habet, quæ in Aldino scripta non sunt: ita enim legit, ἄτα νῦν ἑτέρων τινῶν τρίτων, idest, Nunc uero de alijs quibusdã tertijs. postea sequatur, ut in Leoniceno habetur, Qui mediam habent ætatem inter illos qui iam dentes æddiderunt: & cætera. Id etiam quod in Aldino codice legitur, περὶ τῶν μεταξὺ, & reliqua: in meo antiquo, ἃ μεταξὺ, & reliqua quæ ibi scripta sunt, habetur.

In illa etiam parte in qua legitur, Capi ait passionibus: deest particula Pluribus, quæ in meo antiquo codice posita est: nempe dicit, ἁλίσκεσθαι πάθεσι πλείοσι φησίν, idest, Capi inquit passionibus pluribus. & conuenit hanc particulam ponere, quam tamen non habuit in suo codice Leonicenus, nec codex Aldinus habet, sed ita simpliciter legit, ἁλίσκεσθαι πάθεσι φησίν.

SECVNDO, Galenus ad morbos qui fiunt, descendit: & primo ad tonsillas, quæ nihil aliud sunt, quàm inflãmationes locorum ad isthmum attinentium. Interimq; quid isthmus sit, edocet. De isthmo uero in aphorismi interpretatione plura diximus, quod est breue terræ spatium inter duo maria. Quum uero à Galeno edoceamur, in homine quid isthmus sit, dicit partem illam intelligere oportere, quæ os & gulam interiacet: hic sua lingua uocabulo στόμαχον, pro gula utitur: nam quod œsophagum & stomachum Græci nuncupant, Latini cibalem fistulam & gulam uocant: quamuis hæc particulariter determinatis quibusdam partibus applicare possimus.

Quum etiam legitur, Ventri ac gulæ & faucibus: Gręce hæc tria uocabula ista sunt, γαστεὶ καὶ τῷ στομάχῳ καὶ τῇ φάρυγγι.

TERTIO Galenus docet, quandoq; inflammationes illas in musculis esse, & propter id uertebræ, quæ in occipitio est, ad interiora luxationes fiunt. Notatq; Galenus dictum esse interiorem, non anteriorem, ut suum sermonem ad uertebram recto locatam referat, quia corporis traductio ad profunda, uel sit ex partibus anterioribus, uel ex posterioribus, per unum uerbum explicatur. Dubitatq; Galenus, cur de tonsillis & de luxatione prædicta Hippocrates in puerulis nuper natis locutus non sit, quum tamen & hi hos morbos incurrere debeant, quia cerebrum ualde humidum habent. Respondet Galenus, quod in hac ætate prius moriuntur, quàm adeo pati possint, ut faucium musculi unà cum neruis inflammentur. Additq;, hos mollissimas partes habere, ideo uehementer intendi non possunt, ita ut uertebra intus ad ipsas attrahantur.

Quod

Quod dicit, Corporis siquidem ad profunda traductio: hæc particula Traductio, μετάστασις est, idest transmutatio, transitus, & etiam traductio.

Quod etiam legitur, Quid igitur Hippocrates in nouiter natis puerulis, neq; de tonsillis, neq; de uertebræ quæ in occipitio, luxatione. Pro luxatiõe utitur uocabulo ῥοπῆς, quod significat momentum illud, quando lanx inclinat: inclinat uero lanx, quando extra proprium locum cadit uertebra. Adde, pro uocabulo Occipitio, Græce dixisse, κατ' ἰνίον. Sed hoc nomen ἰνίον, apud authores pro neruo ceruicis, pro fibra, pro mensura, & pro occipite usurpatum reperitur, hic pro occipitio sumi debet.

Quod legitur, Adde quòd hi partes habent mollissimas: Græce scriptum est, ὅτι μαλακὰ πάντα ἐστὶν αὐτοῖς τὰ μόρια. i. quòd hi partes habent molles: non autem mollissimas.

QVARTO, Galenus causam reddit, cur in hac ætate asthma generetur. Est autem asthma, creber anhelitus, qualis his accidere solet qui cucurrerunt, uel motum aliquem uehementiorem exercuerunt: sed in his ob exercitium & motum fit, in quo multa respiratione indigemus. In illis uero qui non se exercuerunt, ex angustia uentriculorum pulmonis accidit, quæ in nuper natis puerulis ob multas fluctiones fit.

Quod etiam legitur, Et quidem est asthma: Græce habetur, καὶ μὲν δὴ καὶ τὸ ἆσθμα. idest, Et equidem & asthma, scilicet, præter luxationem in hac ætate causatur.

Quod deinde sequitur, Vocant crebrum anhelitum: Græce est, καλοῦσι δὲ τὴν πυκνὴν ἀναπνοήν. idest, Vocant autem crebram respirationem. Nam ἀναπνοὴ, respirationem, & non anhelitum significat.

Id etiam quod sequitur, Quod multa indiget animalis respiratione: Græce legitur, ἀναπνοῆς πολλῆς τοῦ ζώου χρῄζοντος. Vides Leonicenum statim post duos uersus interpretari ἀναπνοὴν, idest respirationem, & non anhelitum: præscriptamq; partem, nos ita interpretandam ducimus, Animali indigente multa respiratione. Nam in Leoniceni interpretatione conueniens constructio non est, quomodo enim hęc uerba construere poteris? Quod multa indiget animalis respiratione. Nam hæc particula Animalis, iungi debet illi particulæ Alicui, uel illi Respirationi, uel uerbo. Sed tunc sensus falsus est, & imperfectus. Melius fuisset in recto legere Animal: ut hic esset uerborum ordo, Quòd multa indiget animal respiratione. Sed nostra prius dicta interpretatio, Galeni sententiam probius exprimit.

Quod etiam legitur, Ob angustiam eorum quæ sunt in pulmone uetriculorum: hic deest particula Spiritus, quam meus antiquus codex ponit ita dicẽs, διὰ τὴν στενοχωρίαν τῶν ἐν τῷ πνεύμονι κοιλιῶν τοῦ πνεύματος. idest, Propter angustiã spiritus, eorum qui sunt in pulmone uentriculorum. Aldinus codex illi similis est, quem Leonicenus habebat: nam nec ipse hanc particulam τοῦ πνεύματος, idest spiritus habet.

QVINTO, ad uesicæ lapidem transit, quem propriam puerorũ passionem ob eorum edacitatem esse dicit, nempe humores multos & crudos coaceruant, quorum crassior pars unà cum urina descendens lapidum materia fit: & eo magis quo caliditas accedit, quæ satis uehemens est. Senes uero ob eandem causam humores non generant, quia edaces sint: sed ob id solũ, quòd uires imbecillas habent, quæ concoquere uel consumere non possunt: tamen quia multo calore insigniti non sunt, lapidem generare non possunt. Adde tu, quòd in senibus renum calculi generantur, quoniam in his partibus aliqua caliditas inest.

In illa deinde parte, Lapis uero propria est passio puerorum: duæ particulæ desunt, scilicet maxime & talium. Nam in antiquo meo contextu ita habetur, ἡ δὲ λιθίασις ἴδιον ἐστι μάλιστα τῶν τηλικούτων παίδων πάθημα. idest, Lapis autem propria est maxime talium puerorũ passio. At Aldinus codex eodem modo legit, ut in suo Leonicenus habebat, hoc dempto, quod in plurali legit, αἱ δὲ λιθιάσεις, ἴδιον ἐστι τῶν παίδων πάθημα. idest, lapides autem sunt propria puerorum passio.

Quod postea scriptum est, Qui ex materia crassa uaporem resoluens, lapidem generet: Græce habetur, ὃ τὴν παχεῖαν ὕλην ἐξατμίζον ἐργάζεται τοὺς λίθους. Quam partẽ nos ita interpretandam putamus, Qui materiam crassam euaporare faciens, lapidem facit: non quod crassum euaporet, sed q in materia crassa euaporandi naturam habens situm est, euaporat, & lapides fiunt: quod in plurali, non autem in singulari dicit Galenus.

SEXTO, Galenus edocet, quomodo ex putredine & calore lumbrici generentur: & tria illa lumbricorum genera enumerat, de quibus in aphorismo ubertim egimus, scilicet lumbricos rotundos, ascarides, & latos: tenetque in gracilibus & superioribus intestinis fieri, propterea quandoque in uentriculum irrepunt. Addimus autem nos, in uentriculo etiam generari, & materiam uidimus, quam pueri quidam euomuerãt, quæ in uermem nondum perfecte coaluerat, alia integer uermis erat, alia erat pura materia, uermiculi forma informis.

Quod in hac parte legitur, Verum caliditas in ualde tenellis nondum materiam obtinet: Græce habetur, ἀλλ' ἡ θερμασία τοῖς μὲν πάνυ νέοις οὐδέπω τῆς ὕλης ἐγκρατής ἐστιν. idest, sed caliditas in ualde iuuenibus aut tenellis, nondum est continens materiam, quia non est tanta ut uermes parere possit.

SEPTIMO, de uerrucis & strumis agit, quæ ex multitudine uitiosæ materiæ generantur: omnia autem hæc uno uocabulo ab Hippocrate φύματα nominantur: quæ omnia ex se clara sunt, si nonnulla in contextu animaduerterimus.

Quod dicit, Vitiatæ multitudinis: in Greco exquisitius exprimit, κακοχύμου πλήθους.

Quod etiam sequitur, Omne autem ipsorum genus tubercula nominat, ita deinceps scribens, acrochordones, strumæ, & alia tubercula: in meo antiquo contextu quædã sequuntur, quæ neque in Aldino inueniũtur, neque in suo Leonicenus habebat. Sunt autem ista: Quum dixit, καὶ τὰ ἄλλα φύματα, quam particulam omnes alij codices habent: postea in meo antiquo hæc sequuntur, quæ in alijs non sunt, τινὲς νόμισαν μὴ δὲ γινώσκειν τὸν ἱπποκράτην τὰς πλατείας ἐκ τοῦ φάναι αὐτὸν ἕλμινθας στρογγύλας αὐτὸς δὲ σαφῶς ὁμόλογον διδάσκει πρὸς τὰς πλατείας, καὶ οὐχὶ πρὸς ἀσκαρίδας. στρογγύλαι γὰρ καὶ αὗται, ἀλλ' ἰσχναὶ λίαν καὶ μικραί. idest (ut ad uerbum referamus) Quidam autem putant Hippocratem non cognoscere latos lumbricos, ex eo quod dixit (scilicet, quia non numerauit) Ipse autem cõtra distinxit lumbricos longos ad latos, & non ad ascarides: nam & ipsæ (scilicet ascarides) lumbrici longi sunt, sed graciles ualde & parui. Et re uera decipiebãtur, quia in aphorismo ostendimus, apud Hippocratẽ in libro quarto De morbis, latos lumbricos inueniri. Putamus autem hanc Galeni partem superius ponendam esse, ubi de lumbricis tractabat. Sequitur deinde in meo antiquo contextu, id quod in omnibus alijs scriptũ est, scilicet λέγεται δὲ ἐξαιρέτως ἔνια φύματα φλεγμοναί τινες αὐτόματοι τάχιστα μὲν γινόμεναι. idest, Præcipuo autem uocabulo quædam tubercula nominantur, quædam sponte nascentes inflammationes & uelocissime factæ. Melius est uelocissime interpretari, ut particula τάχιστα meretur, quàm subito. Quum Galenus de his tuberculis prosequitur, quæ Græce φύματα nuncupantur, dicit, Et plurima est horum in inguinibus & alijs generatio. hic contextus librarij gratia deprauatus est: legi enim debet Et alis, non Alijs: quia in axillis & in inguinibus φύματα, proprie fiunt. Græcus uero contextus generationẽ horum esse dicit, ἐν βουβῶσί τε καὶ μασχάλαις. Verum tamen est, quod nomen μασχάλαι, præter alarum concauitatem, in herbarum geniculis concauitates etiam significat.

Quum prope finem commẽti habetur, Horum passio struma quoque est: hic deest uocabulum, adenum. Græce enim legitur, τούτων τῶν ἀδένων ἐστὶ πάθημα καὶ ἡ χοιράς. idest, horum adenum passio, struma quoque est: nam & ipsa sub alis & in inguinibus fit, licet rarius in his partibus, quia plerunque colli adenes occupat.

APHORISMVS XXVII

GRandioribus autem & iam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia sanguinis.

BRASAVOLVS

IN præcedenti aphorismo de media ætate inter dentiendi ætatem & pubertatem locutus est, de his nunc sermonem habet, qui & pubertati propinqui, & iam puberes effecti sunt: his etenim multi morbi ex prædictis fiunt, quoniã & ætatem habent ualde propinquam & affinem præcedenti: quibus diuturnæ febres accedunt, & sanguinis profluuia ex naribus. Celsus præsentem aphorismum libro secundo capite primo, referens, in

his

his tantum intelligit, quibus iam instat pubertas. Ideo hæc sunt eius uerba, Incipiente uero iam pube, ex eisdem multæ & longæ febres, sanguinis ex naribus cursus. Galenus octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, hunc aphorismũ ad uerbum refert, τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι, καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι idest, grandioribus autem & ad pubertatem accedẽtibus] .i. qui iam sunt in pubertate, uel ualde propinqui pubertati. Philotheus dicit, περὶ τῆς τετάρτης ἡλικίας νῦν διαλέγεται, τουτέστι τῆς ἥβης. i. de quarta ætate nũc disputat, idest pubertate. quam ætatem nullus certe determinare potest, & in omni homine statutum tempus assignare, quia nec temperaturæ sunt æquales: nam qui biliosiores sunt, & calidiores, hi citius pubescunt: pituitosiores uero & frigidiores tardius: nullus reperitur, qui quintodecimo anno non pubuerit, & nullus ante duodecimũ puber est. Totum hoc spatium à duodecimo anno usq; ad decimũquintum, secundum maiorem & minorem caliditatem, citius & tardius pubertatẽ implet: sed nullus decimum quintum annum transcendit, & nullus ante duodecimũ pubescit, ut plurimũ uero decimoquarto anno puberes efficiuntur: ideo pubertatis terminus ab Hippocrate & Galeno, & alijs pluribus quartusdecimus annus assignat, quia rarissimi hunc transcẽdunt, & quia rarissimi duodecimo anno puberes fiũt: propterea in calidioribus à Galeno tertiusdecimus annus, pubertatis annus existimatur. hæcq; in uiris intelligenda sunt: nam mulieres citius pubescunt. Ipsæ enim à decimo anno usq; ad tertiũdecimum, secundum maiorem aut minorẽ caliditatem puberes fiunt, tamen raræ ad tertiũdecimum annum accedunt, & raræ decimo pubescunt: ideo undecimus annus & duodecimus in mulieribus pro pubertatis annis passim recipiuntur. Est autem pubes proprie lanugo illa, quæ circa pudenda oritur, in maribus circa decimũquartum annum, in fœminis circa duodecimũ. unde cum hæc incipiunt, puberes nuncupantur, quia uir tunc ad coitum aptus est, & implere potest: mulier uero cõcipere. Hippocrates in libro De pueri natura, folio secundo, pubertatis rationẽ affert, quã ipse uocat (ut hic etiam fecit) ἥβην. inquit autem, Nam cum puer pusillus est, uenæq; eius pusillæ, tenuesq;, semen per eas non currit, similiq; modo uirgunculis menses: simul enim & pueris & puellis, seminis & mensium uia paratur & fit, pubesq; eorum pilos emittit, cum iam superior pellicula rarescit, simulq; lanugo satis humoris habet quo nutricetur. Sic & in uiri barba habet: nam cũ superior pellicula rarefacta est humor de capite in eã decurrit, simul & in coitu, simul & medio tempore lanugo satis humiditatis habet qua nutriatur: tuncq; maxime cum humiditas, quæ de capite in coitu descendit, aliquantisper immoretur, & in mento quod à pectore distat. Signum autẽ quod in rarissimis pelliculæ superioris partibus pili nascantur, hoc est, si quis pelliculam superiorem ustulet, pustulamq; suscitet, sanetq; cutem, hoc pacto cicatrice condensata pili non fruticabunt. Qui autem in ætate puerili castrãtur, pilos in pube mentoq; nunquam habent, totiq; leues & sine pilis sunt, quoniam semini genitali uia non datur, nec nusquam eorum pellis rarescit, nam seminis uia læsa est & obturata. Postea Hippocrates rationẽ reddit, cur mulieres leues sint, & sine pilis, & de eunuchis qui non caluescant, & quare ob coitum caluities fiat; quę quoniam ad propositum non sunt, ideo ipsa omittamus, & huic rei finẽ faciemus, si prius addiderimus, antiquos non solum ob id decimũquartum annũ pubertati statuisse, quia ita in pluribus inueniatur: sed etiam quia secundæ hebdomadæ finis est: nam & per hebdomadas ætates distinguebant: in hac aũt hebdomada secunda, scilicet in fine, uox crassior & inæqualis fit, quod à Latinis hirquitallire dicitur, tunc enim hircum olent pueri. Aristoteles sua lingua uocabulo simili usus est, τραγίζειν, quod est hirquitallire. De his à Censorino in libro De die natali, multa scribuntur, præsertim ubi inscriptio est, Quid primũ in infante formetur.

Τουτέων δὲ τὰ πολλά. i. multi ex his] Non plurimi, ut Leonicenus interpretatur, q̃uis pauca differentia sit, tamen uocabulum πολλά, multa, non plurima significat. Ex prædictis inquã morbis in præcedenti aphorismo, multi in hac ętate fiunt, quia illi ualde propinqua est & affinis. Philotheus uero istud ad superiores ætates refert, & non solum ad præcedentem aphorismũ dicens, τουτέων δὲ τὰ πολλά, τουτέστι τῶν προλαβουσῶν ἡλικιῶν, οἷον ἕλμινθες, καὶ λιθιάσεις. ἐπειδὴ καὶ ἡ αὐτὴ ὕλη ὑπόκειται ἐνταῦθα. i. multi ex his, hoc est ex ætatibus præpositis, qualia sunt lumbrici, & lapides, quoniã & in hac ætate eadẽ materia supponitur. Celsus hanc partẽ interpretatus est, ex eisdem multæ, non aũt plurimæ.

Καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον. idest, Et febres diuturnæ magis] Oribasius causam assignat, quia sanguis in hac ætate abundat, & pituita. Philotheus uero dicit febres esse longas, διὰ τὸ τὴν ὕλην ὑποκεῖσθαι παχεῖαν, καὶ διότι αἱ δυνάμεις ἐρρωμέναι, αἳ ὀφείλουσι συμπαραμαρτῦσαι τῷ μήκει τοῦ νοσήματος. idest, propterea quod materiam crassam supponit, & ideo potentiæ robustæ prolixitatem morbi consequi debent. In hoc autem loco ad eos comparatio fieri debet, qui in præcedēti ætate sunt: scilicet quod in hac ætate febres magis diuturnæ fiant, quàm in præcedente, propter præcedentium febres magis acutas esse edocemur. nam (ut Galenus inquit) alterantur facillime puerorū dispositiones, propter humiditatem corporis & naturalis potētiæ imbecillitatē. uel hunc sensum faciamus quod in hac ætate diuturniores febres magis fiant, quàm alij morbi. Quod an uerū sit, tu ipse considera, mihi ita esse non uidetur.

Καὶ αἵματος ῥύσιες ἐκ ῥινῶν. idest, Et sanguinis profluuia ex naribus.] Necessariū fuit hanc particulā Ex naribus, apponere: quia si absolute profluuia sanguinis dixisset, absolute uerum non esset, quoniam & de fluxu ex hęmorrhoidibus intelligi potuisset: sed in hac ætate ex solis naribus profluit, ob humoris copiā, ut Oribasius inquit. sanguis uero in hac ætate (ut Galenus addit) incipit plurimum abundare, quia in ipsa minus sanguinis absumitur, eo quod in hac ætate augmētum minus est, quàm in præcedentibus: pueri enim in prima ætate plurimū crescunt: cum puberes sunt, adhuc crescunt: sed minus quàm cum pueri erant. Philotheus eandem causam reddit, quam Galenus reddiderat, inquiens, quod his qui sunt in tali ætate profluuia sanguinis narium accidunt, ἐπειδὴ τότε ὁ τοιοῦτος χυμὸς πλεονάζειν ἄρχεται. διατί δὲ τότε πλεονάζει πλέον τῶν εἰρημένων; ἐπειδὴ νῦν οὐ τοσοῦτον δαπανᾶται ἐν ταῖς αὐξήσεσιν, ὅσον παρ᾽ ἐκείνοις. ἡ γὰρ αὔξησις τοῦ σώματος ἥττον ἐν αὐταῖς γίνεται ἢ παρ᾽ ἐκείναις. i. Quoniam talis humor redundare incipit. quare aūt tunc redundat magis quàm in prædictis? Quoniam nunc non tantū absumitur in incrementis, quantum in illis: incrementum enim corporis fit minus in his, quàm in illis. Scito tamē in nostra plaga, & sub nostra cœli periodo hoc de fluxu sanguinis ex naribus, grādioribus potius quàm pubescentibus accidere, ideo tertio Prognosticorū Galeni sententia uidetur, quod citra trigesimūquintum annum profluuia sanguinis nariū superueniant, tamē addimus nos, à plurimo uini potu & frequēti, & ab ambulatiōe per solē adiuuari.

GALENVS

INCIPIVNT quidem pueri pubescere post annum quartumdecimum. Qui autem prope ad hanc ætatem accedunt, illi essent qui aut duodecimum aut tertiūdecimum aut quartūdecimum agunt annum. Neque enim est unus omnium certissimus terminus pubertatis, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi enim citius, frigidi uero tardius pubescunt. Laborant autem pueri hi plurimis quidem ex morbis antea dictis propter similitudinē temperaturæ, & præterea febribus diuturnioribus, quàm priores, non tamen aliquid dixit de his quæ illa ætate febribus superabūdant. Verum ex eo quod nunc dicitur clarum est, quod ostendit ipsas acutas esse. Alterantur enim puerorum dispositiones citissime propter corporis humiditatem, & naturalis potentiæ imbecillitatem. Sanguinis uero profluuia ex naribus fiunt in tali ætate constitutis, quoniam hic humor in ea incipit superabundare, non quia plus de eo generetur, quàm prius: sed quia nunc minus absumitur ex ipso, propterea quod & augmentum minus est hac ætate, quàm priore, ut ad corporis proportionem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, post decimūquartum annū pueros pubescere: tamen non desunt & qui ante & qui post hanc ætatem pubescāt: propterea à Galeno admonemur, pubertatis exquisitū terminum non haberi, sed ut temperaturę se habent uariari, ut calidiores citius, tardius frigidiores pubescant: hic uero per grandiores, illos intelligendos esse iudicat, qui duodecimum, decimumtertium uel quartūdecimum annum agunt: hi quidem multis ex antedictis morbis laborant, quia similē temperaturā habent, imò qui sunt in duodecimo eandem temperaturam nacti sunt, & in multis in tertiodecimo.

Quod Leonicenus in principio commenti legit, Illi essent qui aut duodecimum, aut decimūtertium aut quartūdecimum agunt annum. legi debet Illi sunt, & non Illi essent: præsertim quia antiquus codex, quem habemus, ita legit, εἰσὶ τῶν τὸ δωδέκατον ἢ τρισκαίδεκατον

λικ, & reliqua. At Aldinus codex legit, ἄγῃ ἂν ποτὲ ἐτῶν λυσιταὶ κτ ἢ τελεῖται. Mihi tamen potius uidetur legendum esse Sunt, & non Essent, ut cōstructio commodior assignetur. Quod etiam legitur, Neq; enim est unus omnium certissimus terminus pubertatis: Græcum uocabulum quod huic correspondet Terminus, in Græco idiomate maius quoddam significat, quàm apud nos Terminus: est uero προθεσμία: nam in contextu Græco ita habetur, ὁ γὰρ ἁπάντων ἀκριβὴς, καὶ μία προθεσμία τῆς ἥβης ἐστί. At hoc uocabulum προθεσμία, & legem significat, & præfinitū tempus, & diem præscriptū alicuius gratia: unde hoc modo integra illa sententia interpretari potest. Neq; enim omniū unus est certissimus dies præfixus pubertatis, uel certa lex, uel præfinitum tempus.

SECVNDO Galenus rationē affert, cur hi qui in hac ætate sunt, diuturnioribus febribus capiantur, q̃ illi qui in præcedentibus uersantur. Interim uero & mouet & soluit dubium, quia in præcedenti aphorismo de febre illius ætatis locutus non est, quomodo igitur hæ illis comparari possunt? Respondere uidetur, intelligendum esse in illa ætate acutiorem fieri, quàm in ista.

TERTIO Galenus docet, cur sanguinis profluuiū ex naribus fiat: quia, inquit, sanguine magis abundat, & interim dubium soluit, quomodo plus sanguinis in hac ætate generetur. Respondet, plus sanguinis generari, & minus consumi, quia non adeo augetur, ut in præcedenti ætate augebatur.

APHORISMVS XXVIII

Plurimæ autem passiones puerulis iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septem mensibus, nonnullæ uero in annis septem, quædam uero iam ad pubem accedentibus. Quæ uero permanserint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis cum mēstrua erumpunt, consenescere consueuerunt.

BRASAVOLVS

QVIA uariæ & diuersæ ægritudines in præcedentibus ætatibus usq; ad pubertatē fiunt, inter quas aliquæ soluuntur, aliquæ nunquam, aliquæ diu perseuerant: propterea Hippocrates in genere harum passionū terminos edocere statuit, inquiens, multas ægritudines in puerulis in quadraginta diebus iudicari, alias uero in septem mensibus, alias in septem annis, ut mensium & annorum septimanas enumeremus: aliæ uero sunt, quæ ad secundam annorum septimanā perueniunt: ideo cum ad pubem accedunt, terminantur. Si uero aliquæ passiones sint, quæ in uiris cum ad pubertatem accedunt, non sanentur: & in mulieribus, quando menstrua erūpunt: sanari non cōsueuere, sed in seniū usq;, imò & in mortem perseuerant. Celsus alio modo præsentem aphorismū adducere uidetur, q̃ ab Hippocrate dictum sit: nāq; dicit, Maximeq; omnis pueritia, primum circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno: postea circa pubertatem periclitatur: si qua etiam genera morborū in infantē inciderunt, ac neq; pubertate, neq; primis coitibus, neq; in fœmina primis mēstruis finita sunt, ferè longa sunt: sæpius tamen morbi pueriles, qui diutius manserunt, terminantur. Hæc Celsus. Hic idē aphorismus à Galeno in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis, ad uerbū refert.

τὰ δὲ πλεῖστα νοσήματα παιδίοισι κρίνεται. i. Plurimæ autem passiones puerulis iudicantur.] Scito autem quod de suprascriptis passionibus intelligit, & nō de omnibus, sed de solis diuturnis agit: de nulla enim tractat, quæ citra quadragesimū diem terminetur. Est aūt hic quadragesimus dies, chronicorū morborum initium & limē: unde sensus est: ex præscriptis passionibus plurimæ, illæ inquam quæ diutinæ sunt, in puerulis iudicatur. propterea & Philotheus his uerbis de longis sermonē ab Hippocrate fieri ostendit, inquiens, τὰ πλεῖστα πάθη, δηλονότι τὰ χρόνια, κρίνεσθαι φησὶν ἱπποκράτης. i. plurimas passiones, uidelicet longas, iudicari dicit Hippocrates. Docetq; idē author, quod hoc nomine Pueruli, prædictas ætates intellexerit, inquiens: ὡς τῷ παίδων ὀνόματι τὰς προειρημένας ἡλικίας προσορίζει. idest, nomine puerorum prædictas ætates determinat.

Τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι. idest, Hæc quidem in quadraginta diebus.] Qui dies chronicorum morborū initium est, & finis acutorum ex decidētia; unde & Philotheus

dicit, ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι κρίνονται, ἢ καὶ λύονται. idest, in quadraginta diebus iudicantur, uel soluuntur. Sunt autẽ passiones, quæ in quadraginta diebus iudicantur; uigiliæ, & aurium humiditates, quæ possunt in quadraginta diebus iudicari: de quibus in uigesimoquarto aphorismo locutus est, & (ut Oribasius addit) pleuritis, quãdo in peripneumoniam conuertitur, & multi ex supradictis.

ἐπειδὴ ἡ τεσσαρακοστὴ κρίσιμος ἐστὶ τῶν χρονίων νόσων, ἔσχατος δὲ ὅρος τῶν ἐκ μεταπτώσεως ὀξέων. idest, quoniã in quadraginta diebus iudicant uel soluũtur, quoniã quadragesimus dies iudicatorius est diuturnorũ morborũ: extremus aũt finis eorũ qui ex decidẽtia acutorũ.

Τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ μησί. i. nonnullæ in septem mensibus.] Vt quartana febris, & illa de qua in præcedenti aphorismo loquebatur, quam febrem magis diuturnam appellabat. Crebri etiam anhelitus diu perdurant, præsertim quando non sunt ualde intensi.

Τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι. i. aliquæ uero in septẽ annis.] Vt est morbus comitialis. Oribasius hoc modo differentiã facit, nouem menses ponit, postea septem annos, dicitq́; morbum comitialem in infantibus in nouem mensibus iudicari, in iuuenibus in septem annis. Quod mihi non placet: nam puerulos multos in cura habui morbo comitiali laborantes, qui sexto mense sanati sunt, septimo, octauo, nono: at qui usq; ad septimum annum peruenere, non sunt sanitati restituti, nisi in pubertate. Celsus non dicit sanari, aut iudicari: sed in his ætatibus periclitari.

Τὰ δὲ καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. i. nonnullæ autem iam ad pubem accedentibus.] Et hi sanantur in secũda annorum hebdomada, ut est comitialis morbus, qui in multis in ætate pubertatis iudicatur, & in mulieribus cum mẽstrua erũpunt. Duo in hoc aphorismo à Philotheo annotantur, quæ referre utile erit, nec ego grauabor meam operã impartiri: unum est hoc, ἰστέον δὲ, ὅτι πᾶσα μεταβολὴ ἡλικίας, τρέπει τὸ σῶμα, ἀλλ᾽ ἀνεπαισθήτως, ἡ δὲ τῆς ἥβης φανερῶς. i. sciendum autem q; omnis mutatio ætatis mutat corpus, sed insensibiliter: pubertatis aũt mutatio manifeste. Aliud quod à Philotheo animaduertitur, hoc est, ἰστέον δὲ, ὅτι αἱ κρίσεις τῶν νοσημάτων, ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας μέχρι τῆς εἰκοστῆς τετραδικῶς ἀριθμοῦνται. ποτὲ μὲν κατὰ διέχειαν, ποτὲ δὲ κατὰ συνέχειαν. ἀπὸ δὲ τῆς εἰκοστῆς μέχρι τῆς μ ἑβδομαδικῶς κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅσα δὲ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ὑπερβῇ κατὰ τὸν τῆς ἑβδομάδος λόγον ἴσχει τὴν κρίσιν, οὐκ ἔτι ἡμερῶν ἑπτὰ, ἀλλὰ μηνῶν εἶθ᾽ ἑξῆς ἐτῶν. i. sciendum autem q; iudicationes morborum à primo die usq; ad uigesimum per quatuor enumerantur, quandoq; quidem secundum diuisionẽ, quandoq; autem per continuationẽ: à uigesimo aũt usq; ad quadragesimũ, per septimanas eodem modo. Quæcũq; autem hunc numerũ superexcedũt, per rationem septimanarũ habent iudicium: non iam amplius per septenos dies, sed menses, & deinceps per annos.

ὅσα δὲ ἂν διαμένῃ. i. quæcũq; uero (scilicet passiones) permanserint.] Ita habet meus antiquus codex. Aldinus uero, διαμένῃ. Sequitur, τοῖσι παιδίοισι πάθεα. i. quæ uero permanserint in puerulis passiones, ita quod in his temporibus non abeant, neq; interficiant, & μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν. i. neq; in pubertate finierint. Antiquus cõtextus quem habeo, non legit ἀπολυθῇ, sed ἀναλυθῇ, idest resoluerit. Et forte Theodorus illo modo in suo contextu habuit: nam simili fere modo interpretatus est.

ἢ τοῖσι θήλεσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας. i. aut fœminis cum menstrua erumpunt] Quia hoc tempore solet multi morbi iudicari & solui. Nos multos comitiales morbos in hac ætate finire uidimus, & multas pustulas sparsim per corpus, & in mulieribus multas præfocationes, quæ erumpentibus menstruis sanatæ sunt.

χρονίζειν εἴωθεν. i. perseuerare consueuerunt.] Ita habet contextus Aldinus: meus autem antiquus legit συγγηράσκειν εἴωθεν. i. consenescere consueuerunt. Theodorus & Leonicenus habuere in suis cõtextibus συγγηράσκειν. Celsus uero habuisse uidetur χρονίζειν, quia interpretatur Fere longa sunt. Galenus quoq; in octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis hunc aphorismum referens legit, χρονίζειν εἴωθεν. Oribasius hanc partem ad morbos, qui in septem annis finiunt, referre uidetur: quos si transeant, cum ipsis consenescunt: deinde solent usq; ad alteram ætatem transire, ibiq; terminari. Si uero hi morbi à natura ablati non sint, ars ipsa nunquam auferet: unde & Philotheus dicit, ὃ γὰρ ἡ φύσις οὐκ ἴσχυσε ποιῆσαι, καὶ ἀπαλλάξαι αὐτοὺς τῶν παθῶν, πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ ἡ τέχνη ποιήσει, κἂν βοηθήμασι χρήσηται. idest, Quod enim natura facere non potuit, neq; ipsos à passionibus liberare: multo magis neq; ars faciet, & si præsidijs utatur.

GALE-

GALENVS

SI VERBVM Diutinæ, sermoni adiectum esset melius foret, unde & nonnulli nomen passionis, de Diutinis tantū ipsum arbitrantur intelligere. Verum contra hoc sunt sermones tales, quibus ipse utitur in aphorismis. In acutis passionibus raro, & in principijs uti medicationibus. Et tenues uictus, & in longis semper passionibus, & in acutis. Manifestum itaq; ex his est, quòd non in Diutinis tantum, sed etiam in acutis dicere consueuit Hippocrates nomen passionis. Videtur autem hoc in loco, aut de Diutinis passionibus intelligere, aut defectum sermonē protulisse. Nos uero ipsum supplentes, dicemus ita. Plurimæ autem puerulis Diutinæ passiones iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ uero in septem mensibus, quædam in septem annis. Ex diebus autem quadragesimus, primus eorum est ex quibus morbi diutini iudicantur: ultimus autem inter illos, qui acutos ex intercidentibus iudicant, sicuti etiam supra notauimus. quicunq; uero hunc transcendunt numerum, secundum septimanæ rationem habent iudicium, non à septem iam diebus connumeratis, sed primū quidem mensibus, deinde annis. Et quidem quòd qui hoc tempus transcendunt, ad quartumdecimum annum perueniunt, manifestum. Nam secūda septimana in hoc completur tempore, & alias in pubertate magnæ fiunt corporis commutationes, in fœminis maxime propter mēstruorum eruptionem. Quare si qui morbi, neq; hac ætate finiuntur, usq; ad longum tempus perdurare consueuerunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus, ut huius aphorismi sentētia perfectior efficiatur, particulā quandam addit, nam certum est, Hippocratem de solis longis passionibus sermonē habuisse, tamen non specificat, ideo melius fuisset addere uerbum Diutine, & hoc modo legere, πλεῖστα πάθεα χρόνια. idest, Plurimæ Diutinæ passiones.

SECVNDO quorundam sententiam reprehendit, qui putabant hoc uocabulum passio de longis passionibus proprie dici. reprehensio uero hæc est, quia primo Aphorismorum libro dicens Hippocrates in acutis passionibus raro, & in principijs uti medicamentis, utitur uocabulo passio pro acuta passione, Adde, quod ab Hippocrate in eodem libro dicitur: tenues uictus & in longis semper passionibus, & in acutis, in quibus non conuenit, periculosi: ut hinc facile haberi possit, uocabulum passio, & de longa, & de acuta passione dici. Verumtamen isti Galeni argumenta facile euitare possent dicentes, uocabulum πάθη si longum uel breue addatur, longiori, & breuiori morbo applicari posse: at si absolute, & sine aliquo addito passio dicatur, semper longa passio significatur. Nihil autem aliud per suas Hippocratis sententias adductas probat Galenus, quàm si huic uocabulo passio longum addatur, longam passionē significari: si acutum, acutam. Quod his non repugnat qui dicunt, cum absolute passio profertur, Diutinam passionem significari: cum uero aliquid additur, tunc ad intētum propositum specificatur. tamen Aristoteles in prædicamento qualitatis aliud sentit, quàm isti, nam ipse passionem dicit affectionem esse de facili mobilem, passibilem uero qualitatem de difficili mobilem, & hæc in tertia specie.

TERTIO Galenus addens uerbum χρόνια, & Diutinas passiones intelligens, dicit ex diebus accepisse quadragesimum, qui est primus morborum chronicorum, & ultimus acutorum ex decidentia. nam legi debet, ex decidentia, non autem ex intercidentibus. Græcus enim contextus dicit, τῶν ἐκ μεταπτώσεως ὀξέων: & alibi semper Leonicenus acutorum ex decidentia interpretatus est.

QVARTO Galenus docet, in mensibus & annis idem iudicium secundum septimanas haberi, quale id est quod de diebus habetᷓ, propter hoc decimusquartus annus, quia secundæ annorum septimanę finis est, multos morbos iudicat, unde & propter ordinem temporis, & propter pubertatem, & propter mulierum menses multi morbi hoc tempore finiuntur, qui alias diutini esse consueuerunt.

APHORISMVS XXIX

ADolescentibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, sed præcipue antedicti.

BRASAVOLVS

QVVM Hippocrates ad pubertatis ætatem peruenit, de terminis quorundam diuturnorum morborum uniuersalem sententiam interposuit, quod in præcedenti Aphorismo factum est: nunc iterum ad ætates particulariter descendit:& secundum Leoniceni interpretationem ita dicere uidetur, In adolescentibus sanguinis sputa,& phthises,& acutæ febres,& alij multi morbi,præter superius enumeratos fiunt, tamen hos potissimum, qui in hac ætate sunt,& ut plurimum incidunt.

Celsus capite primo secundi libri,hunc Aphorismum ad uerbum ita refert: Adolescentia morbis acutis,item comitialibus, tabiq; maxime, obiecta est:fereq; iuuenes sunt, qui sanguinem expuunt. Galenus præterea octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis,hunc aphorismum ad uerbum adducit.

τοῖσι δὲ νεανίσκοισιν.] Leonicenus, adolescentibus: Theodorus, iuuenibus: Celsus his antiquior, adolescentibus interpretatur. tamen si Galenũ hic imitari uelimus, opus uidetur nos Iuuenes interpretari debere: quia ipse dubitat, quum minutissime de ætatibus usque ad pubertatem transegisset, nunc suum morem prætermittere uidetur: quoniam ætatem mediam, inter eam de qua hic tractat,& pubertatem, omittit. At si uertamus, νεανίσκοισιν, idest adolescentibus, ætas nulla media prætermissa uidetur:eo quod adolescentes illi sunt, qui post pubertatem sequuntur. Ideo si Galeni expositionem imitemur, Aphorismus hoc modo legendus est: Iuuenibus autem sanguinis spuitiones:& reliqua. Vnde & Philotheus hæc considerans docet, τὴν τῶν μειρακίων ἡλικίαν κατέλιπεν, ὡς δυναμένην τοῖς τοιούτοις νοσήμασιν περιλαμβάνεσθαι ταῖς περιεχούσαις αὐτὴν ἡλικίαις. idest, Ætatem adolescentulorum omisit, ueluti eam quæ à circunstantibus ætatibus suorum morborum rationem accipere posit. Vnde & propter horum authorum sententias interpretari oportet νεανίσκοισιν, idest iuuenibus:& quia si ægritudines consideremus quas enumerat, iuuentutis ægritudines potissimum esse percipiemus: nempe experientia ipsa ostendit, in mulieribus præsertim sanguinis spuitiones in iuuentute fieri, potissimum quum uirginitatem seruare student, ut in nostris religiosis uidere licet. Ad sputa sanguinis tabes sequuntur, quæ à decimooctauo anno ad trigesimum quintum generantur:hæc uero est ætas iuuentutis. Fiunt præterea in iuuenibus acutæ febres, in quibus biles abundant. Vnde & ratio & Galenus, atque antiqui interpretes, suadent hanc particulam νεανίσκοισιν, idest Iuuenibus, exponendam esse. Imò & his multo posterior Theodorus hoc modo interpretatur. Et Oribasius dicit, quod inde Hippocrates ad iuuenes transgreditur, quamuis id uocabulum νεανίσκος, adolescentulum etiam significet.

Αἵματος πτύσιες. idest, Sanguinis spuitiones.] Celsus hunc aphorismum distinguere uidetur, ut alios morbos adolescentibus tribuat:his autem qui fere iuuenes sunt, sanguinis spuitiones condonet, quæ fiunt (ut Oribasius inquit) quoniam sanguine abundant. Id uero intelligere oportet, quia minus eo indigent, quoniam parum crescunt. Putat uero Galenus has sanguinis spuitiones ratione ætatis non fieri, sed potius ex iuuenum incontinentia, qui singulis diebus tuburcinantur & pergræcantur: eiq; simile est quod in secundo libro dixerat, Senes plerunq; minus iuuenibus ægrotare. Sunt uero omnes sanguinis excretiones (ut Galenus sexto De symptomatum causis, dicit) fere semper à toto genere præter naturam, his exceptis, quæ ex mulierum utero fluunt, nisi superabundauerint. Excretiones autem sanguinis, uel expuitiones fiunt, uel quia uas per impetum, aut percusionem, aut altero simili modo disruptum est, uel propter malam affectionem, quæ uel est in sanguine, uel in uase: in sanguine quidem, quia uitiatus est, ut uas erodat, uel adeo auctus ut à uase contineri non posit: in uase uero, quia nimis molle, uel nimis durum, uel nimis tenue:& expuitiones, uel à capite fiũt, uel à thorace. Vnde Paulus Ægineta libro tertio, capite trigesimoprimo, modos enumerans, quibus expuitio sanguinis fiat, dicit, uiolenter fieri rupta uena: quandoq; fit ex euidenti occasione, ut clamore, ictu, & similibus; quandoq; ex causa abdita, ut plenitudine uel frigiditate præter modum: quandoq; ex erosione uenæ. prima expuitio, scilicet ex fractione uenæ ab hac differt, quia in prima sanguis copiose exit, in hac secunda paulatim exit: prima à Græcis dicit̃ ἀναστόμωσις, quæ est apertio uasis sanguinis. uena aũt eroditur uel

uel ob acria & prana edulia, uel ob cibi abstinentiam, quæ à Græcis dicitur ἀσιτία, uel à capite ad pectus destillatio acris destillat: docetq́, quando à pulmone prouenit, sputum esse subcandidum & spumosum cum tussi: si à uentriculo, per uomitum exit: si absque his, à capite descendit, quem aut dolor aut grauitas capitis præcedit. Aetius quoq; de hoc sanguinis sputo, libro octauo, capite quinquagesimo nono, & in his quæ sequũtur capitibus plura egit: & Alexander Trallianus libro secũdo, capite quinto. Est uero sanguinis sputum symptoma, quod est exiens mutatum ab ægritudine, quę est solutio continui dependens. Philotheus quoq; causas spuitionis sanguinis enumerans, dicit: καὶ διὰ τὴν ῥῆξιν τῶν ἀγγείων, ἅμα ῥήγνυνται τούτοις καὶ ἐκ προηγουμένης & ἐπὶ ὄσης κράσεως. ἔτι γὰρ ἔχουσι καὶ αὐτοὶ αἷμα πολὺ, ὃ διατεῖνον ὑπὸ πλήθει ῥήγνυνται. ἔπειτα δὲ καὶ τῇ διαβρώσει τῆς ξανθῆς χολῆς τῆς πλεοναζούσης αὐτοῖς, ἢ διὰ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν. idest, Et propter uasorũ fractionem, simul autem his frangitur, & à præcedente & etiam à præsente temperatura: nam & ipsi multum sanguinẽ habent, qui multitudine extendens frangit: postea uero & erosione flauæ bilis redundantis in ipsis, uel propter officia ipsorum.

φθίσιες. idest, Tabes.] Adde tu quæ phthises dicuntur, quia ut superius dictum est, phthisis apud Latinos est una species tabis: at tabes ad spuitiones sanguinis consequuntur. Sicuti uero apud Galenum spuitio sanguinis huius ætatis morbus non iudicatur, sed fit ob iuuenum incontinentiam: ita & tabes propter eorundem incontinentiam generantur, & ad sanguinis spuitiones consequuntur. Tamen ab Hippocrate alibi dicitur, Tabes fieri maxime à decimooctauo anno usq; ad trigesimumquintum. Oribasius dicit, quòd his celeriter fit. Philotheus uero solum causam assignat, διὰ τὴν τοῦ αἵματος πτύσιν, idest propter sanguinis spuitionem.

πυρετοὶ ὀξέες. idest, Febres acutæ.] Quæ (ut inquit Oribasius) ex bile fiunt. In iuuenibus autem bilis copia generatur. Galenus Hippocratem corrigit, ut simpliciter dicendum non sit, his acutas febres fieri, quoniam & acutæ febres pueris fiunt. Sed tertianas dicendum erat, tamen nullæ fiunt quæ acutæ sint, & à bile non dependeant. De his autem febribus aliàs ubertim tractauimus. Celsus absolute, morbis acutis interpretatur. Philotheus dicit, πυρετοὶ ὀξέες διὰ τὴν σῆψιν τῆς πλεοναζούσης αὐτοῖς χολῆς. idest, febres acutæ propter corruptionem bilis in ipsis abundantis.

ἐπιληψίαι, idest Morbi comitiales.] Quos Oribasius uitio alterius humoris, quàm biliosi fieri iudicat: ac si uelit, esse præter naturam humorum qui in hac ætate generantur. Vnde Galenus admonuit hunc morbum propter uictus errorẽ fieri, tum in cibis & potibus, tum quia humi cubant, & se solari æstui & imbribus exponunt: si uero trigesimũ quintum annum transiuerint, & sani non sint, commoriũtur. Philotheus quoq; non uitio ætatis fieri dicit, inquiens, οὐ διὰ τὴν κρᾶσιν τῆς ἡλικίας, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐν τῇ διαίτῃ πλημμέλειαν. idest, non propter temperaturam ætatis (scilicet fit comitialis morbus in iuuenibus) sed propter delictum in uictu. Sed quia tu ambigere posses, an ex bile comitialis morbus fieri posit, quoniam superius in secundo libro à Galeno dictum est, Morbum attonitum & comitialem ex pituita fieri: propterea à Philotheo hoc annotatur, ἢ διὰ τὴν χολήν. γίνεται δὲ καὶ ἐκ ξανθῆς χολῆς ἐπιληψία, καθὼς ἐν τῇ διαγνωστικῇ εἴρηται, δακνομένου τοῦ στομάχου, καὶ κραδαινομένων τῶν ἀγγείων, καὶ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν. idest, uel propter bilem: fit autem & à flaua bile morbus comitialis: sicuti in iudiciarijs dicitur, mordente ore uentriculi, & uibrante uasa, & principiũ ipsorum. Quod etiam Galenus in libro De locis affectis, testatur, ut illi comitiales morbi, qui à uitio cerebri sunt, & non à membro mãdante, ex pituita fiant: qui uero alicuius membri ratione generantur, ut uentriculi, aut pedis, aut manus, quod nunc in muliere & uiro uidimus, possunt & ab alterius generis materia, quàm pituitosa fieri.

Καὶ τὰ ἄλλα νοσήματα. idest, Et alij morbi.] scilicet præter suprascriptos, in hac ætate fiunt. In Leoniceni contextu illud uerbum νοσήματα, defuisse putamus: propterea ipse hanc particulam Morbi, non posuit. Qui uero sint alij morbi, Philotheus edocet, inquiens, τουτέστι ὅσα τῆς ξανθῆς χολῆς ἐστὶ ἔκγονα, οἷον πλευρίτιδας, φρενίτιδας. idest, quicunq; sunt à flaua bile facti, ut laterales morbi, & phrenitides.

Μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα. idest, Maxime autem prædicti.] Nam hi potissimum in hac ætate generantur, quos enumerauit, licet & quandoq; alios fieri nihil impedit.

GALENVS

QVVM primas ętates ad pubertatem usq; minutissime diuiserit, nescio quomodo adolescentũ ætatem prætermiserit, quæ medium obtinet locum inter puberes & illos qui consistentis ætatis uigorem habent. Verum ex alijs quas tetigit, licet & de ista conijcere, quæ in multis quidem communicat illis quæ ex utraque parte ipsam circumstant, sed hoc habet peculiare in maribus, sanguinis ex naribus profusionẽ, de qua commeminit in illis qui sunt prope pubertatem. Nam hic casus incipit illa ætate apparere, sed maxime uiget in adolescẽtibus, deinde subsistit in uiris. Verum hanc ætatem transgressus Hippocrates, ad illam quæ est adolescẽtum peruenit, & primum sanguinis sputum scripsit, ac tabem: deinde febres acutas, & post has morbũ comitialem: deinde post hæc ait, & alij morbi, sed præcipue antedicti, recte quidem hoc adijciens. Nam rem ita se habere indicat usus. Quum uero non sat plene de morbis acutis dixisset, neq; enim dicere simpliciter oportebat acutos, qui & in pueris nihilominus fieri uidentur. Sed ex acutis tertianas maxime, & febres ardentes. Hæ enim præ cæteris febribus sunt biliosissimæ, & multis adolescentibus accidunt, quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ætate, in qua morbi tales in summo uigore consistentibus accidunt. Tabem autem & sanguinis sputum, non secundum ætatis naturam patiuntur, sed secundum aliquid, quod ei accidit magis: quare & antea dicebat, quòd senes plurimum minus egrotant iuuenibus: ubi & nos diximus, quòd ob incontinentiam iuuenibus, non ætatis imbecillitatem, ægritudines plurimæ accidunt. Secundum hoc igitur, & adolescentibus profluuia sanguinis accidunt, aut quia uulnerantur, aut quia franguntur, aut saliunt, aut clamant uehementius, uel quia refrigerantur, aut humi cubant, aut replentur, aut propter aliquam huiuscemodi causam. Ad sputum uero sanguinis tabes consequitur. Quare & propter hæc talia adolescentes ex accidenti ęgrotabunt non primum, neq; ætatis ratione. Morbi autem comitiales, quamuis malo uictu utantur, tamen ipsis non accidunt multi, ut mihi mirari subeat, quomodo & hos Hippocrates scripserit, quũ in alijs, non modo quòd abundant in pueris dixerit, sed quòd etiam ex hac causa morbus puerilis nominatur, & quòd ętatis mutatione sanantur. Fiunt igitur & in quibusdam adolescentibus morbi comitiales, qui prius non erant, propter uictus errorem, quem in his, quæ assumuntur admittunt, & in alijs, quę ab ipsis aguntur operibus, & quia humi cubant, & soli se exponunt, & imbribus atq; alijs similibus. Verum hi morbi non multi sunt. Et sunt quidam alij morbi eadem ratione. Quare melius fuerat ita scribere aphorismum. Adolescentibus autem & omnes alij morbi quos diximus alijs accidere ætatibus, sed præcipue ardores & tertianæ febres.

BRASAVOLVS

QVVM hanc ætatum cõtinuationem considero, & assidua speculatione mente reuoluo, & quomodo Galenus ordinẽ disponat, mihi uisum est in hoc aphorismo, quum Galenus νεανίσκος dicit, semper interpretandum esse iuuenis, & non adolescens: hicq; unũ annotato, quod in sequenti Cõmento melius intelliges. Non uideri Galenũ dicere ætatem consistentem, quę in eodem tenore, sine additione uel diminutione per aliquod temporis spatium perseueret: imò quum ætas in summo uigore iam est: confestim, ac si montis iuga cõscenderit, aut potius pyramidis, declinare incipit. Ideo hic de iuuenibus sermonem habens Hippocrates in uigore ætatis esse concedit. Propterea dubitat, cur Hippocrates ætatem τῶν μειρακίων, idest uel adolescentum, uel paruorum prætermiserit, quæ inter illos qui puberes sunt, & τῶν ἀκμαζόντων, idest eorum qui sunt in flore ætatis, uel in iuuentute, uel in uigore ætatis media, per quos nos iuuenes intelligẽdos præcipimus. Respondet Galenus, quod ex alijs quos enumerauit, licet de ista ætate conijcere: nam his ætatibus communicat, quæ ex utraq; parte ipsam circunstant: unde in maribus hoc peculiare est, profusio sanguinis ex naribus, de qua in aphorismo uigesimoseptimo locutus est, de his qui sunt in pubertate pertractans. In hac enim ætate, sanguinis defluxus è naribus incipit, at in adulescentia perficitur, & maxime uiget: per adulescentiam uero, ætatem illam mediam inter pubertatem & iuuentutem intelligimus. Scito q; neq; segniter quum de hac media ætate loquitur, eam appellat μειράκιον, nos adulescentem interpretari possumus. Quum uero de ętate, de qua in aphorismo agitur, tractat, utitur uocabulo

tur uocabulo νεανίσκος, nos iuuenis uertimus. Ideo cum in Leoniceni interpretatione legitur, Verum hanc ætatem transgressus Hippocrates ad eam quæ est adulescentũ peruenit, tu lege iuuenum, non adolescentum, quia utitur uocabulo τῶν νεανίσκων. Superius etiam ubi legebatur Verum ex alijs, quas tetigit, licet & de ista conijcere, ibi deest hæc particula, tibi, nam Græcus contextus dicit ἀλλὰ ἐκ τῶν εἰρημένων ἐνεστίν. idest, Verum ex his quæ dixit, uel (ut Leonicenus uertit) ex alijs quas tetigit, licet tibi, & reliqua.

SECVNDO Galenus enumeratis morbis, qui in hac ætate fiunt, docet exquisite dictum non esse acutas febres, quia & eædem febres in pueris fiunt. At opus erat dicere, tertianas febres, nam potissimum in hac ętate excitantur, in qua biles copiosæ ortum habent. Ideo per acutas febres, tertianas, & ardentes intelligere oportet, quæ præ cæteris febribus iuuenes molestant, utpote flaua bile abundantes.

Quod in Leoniceni interpretatione legitur. Nam rem ita se habere indicat uisus, Græce est, ὁρᾶται γὰρ οὕτως ἔχον. idest, uidetur autem sic se habere.

Quod etiam legitur, Cum uero non sat plene de morbis acutis dixit, legi debet. At uero, & non cum uero: & Græcus contextus dicit de febribus acutis, & non de morbis acutis. nempe ita habet, περὶ τῶν ὀξέων πυρετῶν. postea particulæ sequentes ad febres aptari debent, & non ad morbos, ut sequatur: Neq; enim dicere simpliciter oportebat acutas, quæ & in pueris. non uero acutos, nec qui in masculino.

Quod etiam legitur, Hæ enim præ cæteris febribus sunt biliosissimæ, & multis adulescentibus accidunt, illa particula, multis, non debet determinare illam adulescentibus, sed potius refert febres, & ita exponi debet, & plurimæ scilicet febres tales iuuenibus accidunt, & non adulescentibus. Græcus enim contextus Aldinus legit καὶ πλεῖστοι τοῖς νεανίσκοις γίνονται, idest, & plurimæ iuuenibus fiunt. Antiquus uero noster contextus non πλεῖστοι sed πλεῖστον, idest, plurimum legit.

Quod etiam legitur, Quoniam & flaua bilis hac ipsa superabundat ętate, in qua morbi tales in summo uigore consistentibus accidunt, illa particula, in qua, secundum Leoniceni interpretationem ætatem refert: at secundum Galeni contextum referre debet τὴν χολὴν ξανθὴν, idest, flauam bilem. dicit enim, ὑφ᾽ ἧς τοιαῦται νόσοι τοῖς ἀκμάζουσι γίνονται. idest, A qua tales morbi in flore ætatis existentibus fiunt. nam illa particula ὑφ᾽, cum genitiuo constructa significat ab, & non in. Si uero dicamus à qua, intelligi non potest, quod ab ætate fiant, sed à bile flaua, ut intelligenti patet.

TERTIO Galenus docet, Tabem, & sanguinis sputum, non esse huius ætatis morbos, sed esse ob inordinatam uictus rationem, & ob errorem in his sex rebus, quæ à recentibus non naturales appellantur, idemq; est in hoc loco iudicium, quale fuit in secundo libro cum ab Hippocrate dicebatur, Senes iuuenibus ut plurimum minus ægrotare. Quod non erat uerum nisi per accidens, quia iuuenes inordinati sunt: senes uero mortem timentes, ab omnibus sibi nocuis abstinent: iuuenes uero nihil intentatum omittunt, quod suis sapiat palatis, omnia quæ in mentem ueniunt, agunt, per Solem, pluuiam & uentum sine aliqua consideratione obambulant, humi cubant, uulnerantur, saltant, choreas ducunt, & (ut uno expediam uerbo) totis uiribus contendunt ut ægrotent. In tota hac parte ubi legitur, adulescentes, lege iuuenes. unde ibi secundum hoc, igitur & adulescentibus profluuia sanguinis accidunt, lege iuuenibus, quia dicit νεανίσκοις. Cum etiam legitur, Quare & propter hæc talia adulescentes ex accidenti ægrotabunt. lege iuuenes, quia & Græcus contextus habet νεανίσκοι. Vbi in principio huius partis legitur Sed secundum aliquid quod ei accidit, magis, illa particula magis, ex superfluo addita est, nam Græce legitur ἀλλὰ κατά τι τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ.

QVARTO Galenus de Hippocrate admirari uidetur, qui morbos comitiales in hac ætate fieri enuntiauerit, cum rari fiant, licet nullam uictus rationem seruent, & puerorum morbus potius sit, unde infantilem morbum merito nuncuparunt.

Quod autem dicit, fiunt igitur & in quibusdam adulescẽtibus morbi comitiales qui prius non erant, lege iuuenibus, quia dicit νεανίσκων.

Quod etiã legitur, Et soli se exponunt, & imbribus, legerem & procellæ maris: nam Græcus cõtextus dicit, καὶ χειμῶσι. χειμὼν uero maris procellam & hyemem significat.

QVINTO Galenus docet, alios etiam morbos quos numerat, præter comitialem, eadem ratione fieri, scilicet non ratione ætatis, sed potius ex inordinato uiuendi genere, propter hoc inquit, ita legendum est, τοῖς δὲ νεανίσκοις, idest, iuuenibus (nõ aũt adulescẽtibus, ut Leonicenus interpretat̃) & oẽs alij morbi accidunt, quos alijs ætatibus accidere diximus: sed præcipue accidũt καῦσοι. i. ardores, uel ardentes febres, & tertianæ.

Quum uero legitur, Iuuenibus autem, & omnes alij morbi, ibi deest uerbum ferè, ita enim legi debet, & omnes ferè alij morbi, quia Græcus contextus dicit, καὶ τὰ ἄλλα σχεδὸν πάντα. ubi uidès particulã σχεδὸν, idest, ferè, in Leoniceni contextu abfuisse. nam uir tantus, quantus Leonicenus fuit, necessariam particulam sponte non omisisset.

In fine huius cõmentationis, in meo antiquo contextu duo uersus sunt, qui et in Aldino, & in alijs codicibus desunt, tamen ad exquisitiorem expositionẽ huius ætatis plurimum faciunt, quos & in Leoniceni codice defuisse arbitror. Sũt autem hi, ne forte in cassum in alijs codicibus quærere tentes, ἰστέον ὅτι ἡ ἀκμαστικὴ ἡλικία λε. ἔτεσι περιγράφεται. ἡ δὲ παρακμαστικὴ τεσσαρακονταεννέα, quæ si ad uerbum referre uoluerim, inquit, Sciendum autem, quod consistendi ætas trigintaquinq; annis circunscribitur, declinatio autem quadraginta nouem.

APHORISMVS XXX

VLtra hanc ætatem asthma, idest creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenetides, ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates intestinorum, leuitates intestinorum, hæmorrhoides.

BRASAVOLVS

DE iuuentutis morbis in præcedenti Aphorismo locutus erat, & ætatem illam mediam inter pubertatem & iuuẽtutem omiserat, quoniam eius morbi ex extremis & ambientibus ætatibus intelligi possunt. Nunc uero ad illam ætatem, quæ iuuentutem consequitur, transit, in qua hæc quæ sequuntur, fiunt, asthmata, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardores, profluuia diuturna, choleræ, intestinorum difficultates, leuitates intestinorum, & hæmorrhoides. Celsus capite primo secundi libri hunc Aphorismum his uerbis interpretatur: post hanc ætatem, laterum, & pulmonis dolores, lethargus, cholera, insania, sanguinis per quædam etiam ora uenarum (αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant) profusio. Galenus libro octauo De decretis Hippocratis & Platonis hunc Aphorismum ad uerbum adducit.

Τοῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην. idest, His autem qui supra hanc ætatem sunt: uel ultra hanc ætatem, ut Leonicenus: uel qui hanc excesserunt ætatem, ut Theodorus: uel post hanc ætatem, ut Celsus, idest, post iuuẽtutem. ætas autem quæ iuuentutẽ sequitur, cõiter consistentia est. An uero consistant homines, idest, in una ætate sint, in qua cõtinuò permaneant in eodẽ statu & in eodem gradu, nec intendãtur, nec remittantur, dubiũ uidetur. Et re uera, si sic exquisite Galenũ cõsideremus, non uidetur ipse consistentiã posuisse, sed statim post iuuentutem, & iuuentutis uigorem declinatio sequitur, quæ tamen paulatim succedit, & (ut Galenus in cõmẽto dicit) per duas septimanas perdurat, ideo usq; ad quadragesimum nonum, uel quinquagesimũ annum diffunditur, uel (ut in fine præcedentis Aphorismi habet̃ (quadragesimonono, in quo anno declinatio incipit: nõ quia prius non declinasset, sed ita dicitur, quia hæc declinatio oculata fide, & sensu ipso percipitur: tamen certa & stata annorum computatio dari non potest, quoniam ipsę temperaturæ illæ sunt, quæ in ætatibus diuersitatem faciunt. De ætate igitur consistente, quæ iuuentutem sequitur sermonem habet, in qua tamen fortitudo illa quæ in iuuẽtute erat non inuenitur, sed paulatim atq; insensibiliter declinat. Morbi igitur qui sequuntur, per duas annorũ septimanas, post iuuentutẽ quę trigesimoqnto anno terminatur, fiunt. Philotheus Hippocrati hanc intentionem in præsenti Aphorismo attribuit, διαλεξάμενος ὁ ἱπποκράτης περὶ τῆς ἀκμαστικῆς ἡλικίας, νῦν ἐπὶ τὴν παρακμαστικὴν ἡλικίαν ἥκει. idest, Cum Hippocrates de uigore ætatis disputasset, nunc ad declinantem ætatem descendit. Quibus uero annis hæ ętates initium, & terminum habeant, idem author in fine commenti

his

his uerbis edocet, ἰστέον δὲ ὅτι ἀκμαστικὴ ἡλικία λε. ἔτη περιγράφεται, ἡ δὲ παρακμαστικὴ τεσσαρακονταεννέα. idest, Sciẽdum autem quod iuuenilis ætas trigesimoquinto anno circunscribitur, declinationis uero quadragesimonono.

ἄσθματα. idest, Anhelationes, uel crebri anhelitus] In hac ætate secũdum Galenum fiunt, qui & ipsi quoque ut iuuenes faciebant, intemperato uictu utuntur, tamen corpus multo imbecillius habẽt, quàm iuuenes. unde hic morbus, non est huic ætati proprius, sed ex accidẽti fit, & re uera paucissimos in nostra patria uidemus, qui in hac ætate asthmate corripiantur. Superius uero de asthmate ubertim locuti sumus. fit autem secundũ Philotheum hic, ex pituita, nam morbos hic enumeratos ab Hippocrate, aut ex bile, aut atra bile, aut pituita, quæ in nostris corporibus sunt, fieri docet. Quomodo autem hi humores diuersi & contrarij in hac ætate esse possint, ita edocet, ἔοικε γὰρ αὕτη ἡ ἡλικία τῷ φθινοπώρῳ. ὥσπερ γὰρ ἐν ἐκείνῳ πλεονάζει ὁ μελαγχολικὸς μᾶλλον, ἧττον δὲ ὁ φλεγματικός, φυλάττεται δὲ καὶ ἐν τοῖς ἀκμάζουσιν πλεονάζον χολῶδες. γενήσονται οὖν καὶ τὰ νοσήματα ἐν ταύτῃ τῇ ἡλικίᾳ, ὥς φησιν Ἱπποκράτης. idest, Assimilatur enim ipsa ætas autumno. nam sicut in illo magis abundat atra bilis, minus uero pituita, seruatur autem in his qui sunt in uigore ætatis abundantia bilis. fient igitur & in hac ætate morbi. Docetque longo processu ex bile flaua febres ardentes fieri, choleras, morbos laterales, phreneses, ex humore uero melancholico, atræ biles, & quartanæ fiunt: at ex pituita, peripneumoniæ, diarrhiæ, asthmata.

πλευρίτιδες. idest, Morbi laterales, uel morbi costales.] Celsus interpretatur laterũ dolores. ex bile fiunt secundum Philotheum: at Oribasius ex pituita eos generat, tamen rarissime apud nos laterales morbi ex pituita gignũtur. Iudicat Galenus huius ætatis proprium morbum non esse, tamen in hac ætate frequentius fieri quàm in iuuentute, quia hi iuuenibus imbecilliores sunt, & adhuc inordinatam uictus rationem seruant.

περιπνευμονίαι. idest, pulmonis inflammationes,] uel pulmoniæ, ut Theodorus inquit. Celsus dolores pulmonis interpretatur, quos Oribasius ex pituita fieri iudicat, cui & Philotheus, & ueritas ipsa consentiũt. Galenus putat non esse ratione ætatis, sed potius ratione uictus inordinati, & quia ætas debilior effecta est, quàm in iuuentute fuerit.

λήθαργοι. idest, Lethargi, ueterni] ex pituita fiunt, ut Oribasius inquit. & Galenus lethargicas febres, ex pituita in cerebro aceruata fieri contendit. In hac autem ętate in hominibus calor deficere incipit, ideo in medio cõmenti illam Galenus senilem ætatẽ appellat, quoniam à summo uigore declinare iam cœpit, in hocque morbo non solum dormiunt, sed omnium etiam obliuiscuntur, de quo plura statim disseremus, cum aliũ morbum hanc ætatem consequentem, & huic cõtrarium enumerauerimus. est uero hic, φρενίτιδες, idest, phrenitides, uocabulum apud Latinos desideratur, quo phrenitim significent. ex bile fit, quod & Philotheus testatur, & Galeno teste iuuenilis morbus est, quia ex proprio illius ætatis humore ortum habet, tamen & in consistenti ætate accidit, quia hic humor adhuc seruatur, sequiturque dementia (ut Oribasius dicit) & exagitatio incõposita. Vt autem de lethargo exquisite loquamur, scire oportet, phrenitim lethargo oppositam esse, tum ex humore, tum ex effectibus: in lethargo pituita peccat, & fere semper dormiunt: in phreniti peccat bilis, & ferè nunquàm dormiunt. est uero lethargus (ut Galenus in libro Definitionum sibi adscripto docet) καταφορὰ δυσδιέγερτος μετὰ ἀχροίας καὶ οἰδήματος φυσώδους, σὺν ἀτονίᾳ τῶν στερεῶν αὐτῶν καὶ τοῦ σφυγμικοῦ πνεύματος γινομένη, τὸ πάμπαν ἐπὶ βληχροῦ καὶ κακοήθους πυρετοῦ. γίνονται δὲ οἱ λήθαργοι οἱ μὲν παθούσης τῆς ἀρχῆς, οἱ δὲ ἐπὶ ἀποστάσει. Quem si ad uerbum referre uoluerimus, hæc dicit, Est autẽ lethargus cataphora, idest inclinatio in somnũ inexpugnabilis cum discoloratione & tumore uentoso, cũ debilitate ipsarum solidarũ partium, & pulsatilis spiritus facta, omnino in debili & maligna febre. Fiunt autem lethargi hi quidem principio patiente, illi autem in particula digrediente à principio. Celsus capite uigesimo tertij libri inquit, Alter quoque morbus est, alter phrenitico contrarius. in illo difficilis somnus, prõpta ad omnem audaciam mens est. at in hoc marcor, & inexpugnabilis penè dormiẽdi necessitas, lethargum Græci nominant. Atque id quoque genus acutũ est, & nisi succurritur, celeriter iugulat. unde et Hippocrates in principio primi libri De morbis acutis, acutos morbos enumerans, inter ipsos lethargum ponit. Idem Hippocrates in penultimo folio secundi

libri De morbis inquit. Cum lethargus surrepit, tussit multũ, liquidumq; spuit, nugatur, cũ hoc cessat, dormit, olidũq; oletat. In principio etiam libri tertij De morbis inquit, qui patitur hunc morbũ hæc patitur, tussit, soporatur, multũ liquidũq; spuit, ualde debilitatur, cũq; periturus est, per inferna multũ liquidũq; demittit, pusilla uitę spes huic est. Idẽ Hippocrates in libro De Coacis p̃notionibus inquit in. 2. folio, Lethargici, tremuli manibus fiũt, somnolẽti, discolores, turgidi, pulsibus tardis & debilibus, oculorũ inferiora turgẽt, sudores superueniũt, uẽtres nõ ualidos, biliosos, siccosq; habent, lotia et oleta non sentientes proiectãt & demittũt, lotiũ iumenti simile mingũt, potũ uero non petũt, nec aliud quicq;. Cũ aũt resipiscũt, ceruicẽ dolere dicũt, p auresq; tinnitũ cursitare. Qui uero lethargicorũ seruantur, purulenti plurimi fiũt. Galenus etiã in Isagogico libro sibi adscripto inquit λήθαργος καταφορά ἐστι βαθεῖα καὶ δυσανάκλητος. οἱ κάμνοντες ἐπιλανθανόμενοι πάντων ὅσα λέγουσι. ταῦτα δὲ ἐν πυρετῷ αὐτοῖς συνεδρεύει. τόπος μὲν οὖν τοῦ πάθους ἡ κεφαλή. περὶ γὰρ μήνιγγας αὐτοῖς συνίσταται. αἴτιον δὲ τοῦτο φλέγμα, χυμὸς ψυχρὸς καὶ τῇ ψύξει καὶ τῇ ὑγρότητι εἰς ὕπνους αὐτοὺς κατάγον. θεραπεία δὲ ἁρμόδιος, ἡ ὑπεναντία τῇ φρενίτιδι. Et de eius cura ibidem Galenus copiose tractat, sed hæc quæ ad lethargi intellectionem faciunt satis sint, quæ si Latine referre uelimus, hæc dicit, Lethargus est delatio in somnũ profunda, & inexcitabilis, qua qui deprehendũtur, omniũ quæ dicũt, obliuiscũtur: hæc autẽ in febre ipsis accidunt. Locus huius passionis caput est, circa mẽbranas etenim constituitur: causa ipsius pituita est, humor frigidus, qui frigiditate & humiditate in ipsos somnos ducit. curatur contrario modo, q̃ phrenitis. Paulus etiã capite nono tertij libri profundum & inexpugnabilẽ somnum uocat, multa de ipsa pertractans. Eodem modo de hoc morbo Trallianus libro primo capite uigesimo egit, et Aetius libro sexto, capite. 3. de lethargo ex Archigene & Posidonio disputauit, in duasq; species partitur, in eam quæ in cerebro proprie est, & in eam, in qua præcordia & uiscera primario affectu lęsa, cerebrum ad consensum ducunt. Tu ea quæ in Aetio sequuntur, contempleris, perpulchra quidem & digna scitu: nos interim ad propositum redeuntes dicemus, apud Græcos hæc duo inueniri, λήθαργος, & κάρος, quæ utraq; ab eadem materia, & in eodẽ membro fiunt: in hoc uero differunt, quod lethargus remissior est, carus intẽsior. Etenim fit carus, ut Aetius præcitato libro dicit, capite quinto, ob frigidos, & humidos, pituitososq; humores cerebrũ occupantes. cum lenta febri carus inuadit, quem sensuum, uniuersarumq; motionũ priuatio cum imperantiũ actionũ nocumento cõsequitur, oculiq; in hoc affectu perpetuo cõniuent. Differt à lethargo, quia lethargici interrogati respondẽt, neq; omnino muti decũbunt: sed qui caron habent, tantam profunditatẽ somni habent, ut si stimulẽtur, sentiant quidẽ, sed tamen nihil dicãt, neq; oculos aperiant. Paulus Aegineta idẽ de caro dicit capite nono tertij libri. Differunt aũt, quia Aetius in caro febrẽ lentam esse dicebat. Paulus uero dicit, pręcedere febrẽ uehementẽ. Conciliari forte poterũt, quod præcedat quidẽ, sed postea lenta fiat: uel est quidẽ lenta, sed eius respectu quæ in lethargo sit, uehemẽtior est. unde quo ad materiã & quo ad patientẽ locũ, idem sunt lethargus & caros: sola uero intensione, & remissione differre cõstat, in utrisq; aũt somnus est, & obliuio. Ideo cum Celsus de lethargo sermonẽ habuit, caron prętermisit, nisi quis cõtendat, apud ipsum post mediũ capitis de lethargo, carõ pertractari, cũ dicit, post lõgas febres accidere hunc torporẽ, & quod in eo cætera seruãda sunt, qualia in lethargo. Hic torpor nihil aliud est, q̃ caros. Sed forsan dubitare poteris, an Latini nomẽ habeant, quo lethargũ significent, Respondemus, multos esse recẽtes, qui cũ apud Græcos lethargũ inueniũt, ueternũ interpretantur, quos non laudo. nam putamus, & ita esse certũ tenemus, id quod à Græcis κάρος dicitur, ab antiquis Latinis, ueternus, interpretatũ sit, & illi qui caron patiuntur, ueternosi homines nuncupẽtur. hoc aũt ita persuadeo: Plinius libro uigesimo capite quarto, ubi de napo, rhaphano & suo semine disserit, inquit, quod ueternosis prodest, pręsertim qđ acerrimũ est. Deinde in eodẽ capite dicit, lethargicis ex aceto, uel sinapi sumptos cõferre. ut hinc certũ sit, ueternosos à lethargicis alios esse. Cum autem & ipsi in somni profunditate peccent, nihil aliud erunt, q̃ qui carũ patiuntur. Præterea idem Plinius libro uigesimooctauo, capite 17. statim in principio dicit, Lethargicos excitat asini lichen, naribus illitus ex aceto. postea in eodẽ uersu sequitur, Iecur aprinũ itaq; & ueternosis datur. ut inter lethargum & ueternum, manifeste

leste interesse uideatur, unde hi qui patiuntur ueternum, illi sunt qui caro corripiũtur. propterea & Marcellus, & alij Græcorum authorũ interpretes (mea quidẽ sententia, decipiuntur, qui ueternũ cõmune uocabulum esse ad lethargũ & caron putarunt. nam caro solum conuenit, & Latini nomen non habent lethargo correspondẽs, ideo Græco nomine utuntur, ut Plinius semper facit, & Celsus: immo & Celsus, prope finẽ capitis de Lethargo, utitur hoc uocabulo Lethargus, ad significandũ caron, cum dicit eadem fieri ad illam speciẽ stuporis quæ sequitur ad longos morbos. Re autem uera qui caro correpti sunt, stupidissimi & insensati euadũt. Eos etiam audiendos non puto, qui cum inueniunt λήθαργον, soporẽ interpretantur, cum id uocabulum sopor potius de dulci quiete, quàm de ista lethargi dicatur. Nec etiam uocabulum stupor, lethargo conuenit, licet illi quodãmodo stupidi sint, qui lethargũ patiuntur. Sed Græci stupidũ, tardum, lentum ad agendũ, ad sentiendum, ad intelligendũ νωθρὸν, καὶ νωθρότητα appellant. Tamen exacte Plinium considerãs, ipse utitur uocabulo sopor, et soporiferũ in malam partem, ut libro uigesimo, capite. 18. uidere licet, ubi dicit, papaueris uero largus densatur, et in pastillos tritus in umbra siccatur, non ui soporifera modo, uerũ si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnũ. opion uocant. & libro uigesimoprimo capite. 31. de strychno loquens dicit, Quin & alterum genus quod & halicacabon uocant, soporiferũ est, atque etiã opio uelocius ad mortem. ut hinc manifeste appareat, soporem in his locis, in malã partem sumi. Tamẽ libro nono cap. 13. ubi de uitulo marino agit, inquit, præterea dexteræ pinnæ uim soporiferam inesse, somnosque allicere subditã capiti. ubi sopor in bonũ sumi uidetur. At alio in loco dicit, Curandum aũt ne somnus sopor fiat. ubi uides soporẽ in malam partem sumi. Quicquid tamen sit, etiam si in malam partem sopor accipiatur, apud Latinos lethargum significare non potest, quia lethargus sine febre non est, quàm uis modica sit: sed sopor, & cum febre, & sine febre esse potest. Ad rẽ igitur redeuntes, quod Græci λήθαργον dicunt, Latini eodem nomine utuntur, & lethargũ appellant, ut apud Celsum & Plinium ubique legitur, cum de hac re disserũt, quod uero à Græcis κάρος dicitur, apud Celsum sub lethargo est, Plinius autem ueternum appellare uidetur. Quãuis poetarũ princeps primo Georgicorũ, cum Iupiter aut hominibus inuidens, omnia mala in mundum inuexit, aut eos exercere cupiens, ueternum pro desidia accepit dicens,

Nec torpere graui passus sua regna ueterno,

Tamen Marcus Cato per ueternosum, illum intellexisse uidetur qui hydropẽ patitur, unde dicit, Cum plurimum ueternosus bibit, tunc maxime sitit. Iuxta illud,

Cum plus potantur, plus sitiuntur aquæ.

Tamen nos illum locum ita corrigebamus, ut uentrosos, non ueternosos legẽdum putaremus. Columella etiam libro septimo, capite decimo, ubi de suũ medicina agit, ueterno pro ingenti somno utitur inquiens, Solet etiã uniuersum pecus ægrotare, ita ut emacietur, nec cibos capiat, productumque in pascua medio campo procumbat, & quodam ueterno pressum, somnos æstiuo sub sole capiat. Vt autẽ his omnibus extremã manum cõdonemus, scire oportet etiam apud Græcos uocabulum καταφορὰ inueniri, quod recentes multi in malam partem semper accipiũt, ut somnũ profundum, & pessimũ, quique ducat in malum, significet. Nos autem ostẽdemus uocabulum καταφορὰ medium esse, & ita in bonum, sicuti in malum sumi posse, tamen grauitatem quandam in somno semper significat. Ideo Galenus lethargum definire uolens cataphora pro genere usus est, & hoc tam in Definitionibus, quàm in Isagogis sibi adscriptis. et Paulus Aegineta cum Aetio lethargum per cataphorã definiuere, ut indicium sit cataphorã ampliorem esse, quàm malum somnum, omnes tamen recentes eo in malam partem utuntur. At re uera delationem uel inclinationem in somnum significat. hinc uero hoc uocabulum καταφορὰ deducitur, quoniam qui sopiuntur, κάτω φέρονται, idest, deorsum feruntur, & deorsum inclinantur: semper enim dormientium caput deorsum inclinatur, præsertim cum erecti sunt, aut sedent, uel caput (quomodocunque sit) eleuatum habent.

Φρενίτιδες. idest, Phrenitides] quæ potius sunt morbi iuuenum, quàm declinantium, ut Galenus testatur, tamen & in declinantibus fiunt, quoniam biles ad hanc usque ætatem reseruantur. fit autem (inquit Oribasius) quandoque ex bile, ut demẽtia sequatur, & exagitatio incõposita: ac si dixerit, quandoque fieri sine bile: quod ita intelligo, quandoque

fieri ex bile pura, quandoq; ex non pura. Celsus libro tertio, capite. 18. de tribus insaniæ generibus loquens, Phrenitim inter hæc genera primum numerat, quam dicit tunc demum esse, cum continua demētia esse incipit, aut cũ æger q̃uis adhuc sapiat, tamē quasdam uanas imagines accipit, ubi mens illis imaginibus addicta est. Celsusq; in hæc genera distinguit, quia alij hilares, alij tristes, alij facilius continentur, & inter uerba desipiunt, alij consurgunt, & uiolenter quædam manu faciunt, atq; ex his ipsis, alij nihil nisi impetu peccant, alij etiam artes adhibent. hæc Celsus de phrenesi uel phreniti, nam utroq; modo dici potest Samonico Sereno ita canente,

Ex uitio cerebri phrenesis furiosa mouetur.

dicitur autem ἀπὸ τοῦ φρενός à mentis inquam deturbatione. cum uero Quintus Serenus penultima breui phrenesim fecerit, Iuuenalis longam protulit inquiens,

Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenitis.

Sed hæc missa faciamus, quæ ad grãmaticos potius q̃ ad medicos spectant: satis autem sit, apud uarios authores inueniri phrenitim, phrenesim, & phrenesim, atq; à materia biliosa fieri, quæ quanto magis pura, tanto intẽsior: quanto uero magis mixta alijs humoribus, tanto remissior est, & secundũ hanc humorum miscellã, species illæ causantur, de quibus & Celsus agebat, & nos superius retulimus. Adde, Aetiũ libro sexto, capite. 2. phrenitim ex Posidonio definiuisse, esse inflãmationem mẽbranarum cerebri cũ febre acuta, delirium & rationis errorẽ, afferentẽ. Additq; unũ Aetius, quod nos frequentius experientia cõprobauimus, raro phrenitim simul cum febre inuadere, sed plerisq; post quartã, aut quintã, aut sextã incipit, ac serius: multasq; eius species facit. Sed rem deniq; ad tres resoluit, quia uel imaginatiua solum læsa est facultas, seruata ratione et memoria: uel ratio tantũ iniuria afficitur, saluata imaginatione & memoria: uel sola memoria saluabitur, imaginatione simul & ratione corruptis. Galenus & ipse in isagoge ad medicinã sibi adscripta, phrenesim definit esse mentis alienationẽ, cuius notæ sunt insania uehemens, temeraria manuũ gesticulatio, flocorũ & festucarũ collectio, & febris acuta, causam habet ut plurimũ bilem. In Definitionibus uero medicis sibi adscriptis duas definitiones assignat. unam phrenitim insaniam esse, uel mentis diminutionem cum acuta febre: aliam phrenitim esse desipientiam, uel mentis alienationem breuiusculam, cum tremore, & uocis debilitate, atq; palpitatiõe, prorsus à malignitate febris procedentẽ. Paulus quoq; libro tertio, capite sexto inquit, phrenesim esse panniculorum cerebri inflammationem, nunc quidem ipso cerebro pariter inflãmato, nunc uero præter naturam caliditatis abscessu incidẽte. morbus autẽ originẽ trahit, aut ex sanguinis redundantis copia, aut immodico flauæ bilis humore, aut flaua etiã bile nimiũ assata & torrefacta, iãq; in atram tendente, unde fit uehementior demẽtia. Et multa alia eodẽ loco de phrenesi, & eius speciebus differit, multaq; à Tralliano libro primo, capite. 19. de eadẽ re differuntur. Græci aũt medici multa describũt, quæ ex phrenesi & lethargia cõmixta sunt, ut catochus, coma, coma uigilans, & alia plura, de quibus suo loco differemus.

Καῦσοι. idest, Ardores, uel ardentes febres] quas recentes eodem uocabulo causones uocant, & quas Galenus iuuenum morbos esse iudicat, tamen & declinantibus biliosa materia in declinationem ætatis seruata, accidere possunt, quæ materia in iuuentute, & facta & aceruata sit. nascitur enim (ut hic Oribasius, & Philotheus dicunt) ex bile.

Διάῤῥοιαι χρόνιαι. idest, Profluuia diuturna] uel diarrhię, quia diarrhia est una profluuij species (ut superius dictum est) in qua humores profluunt, ideo hoc modo interpretari poterimus humorũ profluuia diuturna, ut cõtra intestinorũ difficultates & leuitates (de quibus statim dicet) distinguatur. Itaq; in hoc Aphorismo tria fluorũ genera annotẽtur.

Χολέραι. idest, Cholerę] ita ab omnibus hoc nomen uertitur. Nõnulli uero hic decepti sunt, putantes cholerã esse bilis plenitudinẽ, ut Hippocratis sensus sit, in hac ætate esse bilis abundantiã, ignari apud Græcos & Latinos, cholerã esse genus morbi, quod Paulus Aegineta libro tertio, capite. 39. definit, esse immoderatã uentris perturbationẽ, quæ merito bilis fluxu, cũ alui deiectione, tũ uomitu fit, inhęrẽte cibariorũ in stomacho cruditate. Galenus in medicis definitionibus sibi adscriptis duas choleræ definitiones prosequitur. una est, cholerã esse passionem peracutã, molestã atq; grauẽ, quę statim hominẽ ad catarrhũ adducit cũ uomitu, & uẽtris deiectione multa, & in tormina intestinorum

rium, doloresq́, deinde in febres recidit. Alia definitio sequitur, Cholera est passio acuta, cũ uomitionibus uitiosis, atq; immodica uẽtris exinanitiõe, uel eneruatione, & etiã contrahuntur suræ crurũ, infrigidanturq́ corporis partes extremæ; pulsus in ipsis minores fiunt, & imbecilliores. In lib. uero qui Medicus inscribitur, duplex genus choleræ secũdum Hippocratẽ distinguit, unũ, quod dicitur humida cholera, in qua uehemens est excretio, bilis infra supraq; erũpit, intestina torquẽtur, accedunt cõuulsiones, sæpe etiã crurum suræ cõtrahuntur. Aliud sicca cholera dicitur, quæ ab eadem prouenit causa, in eisdemq; cõsistit, sed citra uentris fluorẽ, ac uomitum. Aetius ca. duodecimo libri noni choleram nuncupari dicit cũ ob multas cruditates uomitus biliosus, & nidorosus, & acidus oboritur, ad plures horas cõtinue perseuerãs, & uenter inferne eadẽ excernit, sequiturq; sitis, & exudatio, & impeditus pulsus, musculorũq; manuum ac pedum, maxime uero surarum contractio, ac tensio. & Trallianus libro tertio, capite decimoquarto acutissimum malũ esse dicit. est aũt immodica uentris perturbatio, cũ uomitione molesta cõiuncta, in qua simul & stomachus & uenter torquẽtur. Recẽtes quoq;, & Arabes in hac passione hoc eodẽ nomine scilicet cholera, utũtur, & Celsus inter Latinos li. quarto, ca. undecimo de intestinorũ morbis acturus, à cholera incipit, quoniã inquit cõmune stomachi, atq; intestinorũ uitiũ uideri potest. nam simul & deiectio & uomitus est, præterq; hæc inflatio est, intestina torquentur, bilis supra infraq; erumpit, primũ aquę similis, deinde ut in ea recens caro lota esse uideatur, interdũ alba, nonnunquã nigra, uel uaria. Apud Plinium quoq; choleræ mentio facta inuenitur. nam lib. uigesimo, capite septimo, ubi de lactuca disserit, inquit, in cholera quoq; coctas pastillis dederunt. & eodem libro, capite duodecimo de Ozimo agens dicit, Choleras eo, & distillationes stomachi inhiberi. Quo significatur esse hanc ægritudinẽ, de qua sermo fit. & capite sexto libri uigesimitertij inquit, cotonea cruda matura prosunt cholericis. & lib. uigesimoquarto, ca. decimoterto dicit baccas paliuri cœliacis, dysentericis, ac cholericis prodesse. eodem capite circa finẽ de Ruborum moris loquens dicit, cũ hypocisthide tantũ & melle bibuntur in cholera. libro etiã uigesimoseptimo, ca. 12. de Polygono uerba habens dicit, cholericis, & dysentericis dari. unde certum est Pliniũ de hac cholera locutũ esse, quæ uentriculo, & intestinis cõmunis passio est, & quæ altera res est & multo diuersa à colica. hæc enim ita dicitur, eo quòd in crassiori intestino fiat, quod κῶλον uocatur. fit aũt hic morbus etiã in iuuentute, sed cũ & ex cruditatibus, & ex incoctione fiat, necesse est quod in hac ætate quæ iuuentutem sequitur, generetur, quoniam hæc ętas multas cruditates parit, nempe imbecilliores homines reddit, quàm cũ iuuenes erant, & æque in uictu inordinatiores perseuerãt.

Δυσεντερίαι. idest, Intestinorum difficultates, quæ (ut Galenus dicit) nihilominus iuuẽnibus, quàm declinantibus accidunt, ex bilioso humore fiunt, ut Oribasius & Philotheus hic dicunt, tamen & ex atrabiliario fieri contingit.

Λειεντερίαι. idest, Leuitates intestinorũ] Quæ (ut Oribasius dicit) ex glutinatione intestinorum fiunt, & debilitate contentiuæ uirtutis

Αἱμορροΐδες. idest, hæmorrhoides.] Tu uero per hęmorrhoidas harum uenarum apertiones, & defluxus sanguinis ex ipsis intellige. sunt enim uenæ (ut Oribasius dicit) quæ ab hepate egrediuntur, & per dorsum ueniunt melancholicum sanguinem deferentes. unde hæc in hac ætate quàm maximè fiunt, in qua melancholicus humor abundat, & deorsum fertur. propterea & Philotheus dicit, γίνεται δὲ ἐν αὐτοῖς αἱμορροΐς, τῆς ὕλης ἤδη τὰ κάτω φερομένης, καὶ τὰ περὶ τὴν ἕδραν ἀναστομούσης. idest, fit autem in ipsis hæmorrhois, materia deorsum delata, & cum circa sedem ora uenarum aperta sunt. tamen utiles sunt huic ætati, & pro seruanda sanitate plurimum conferunt, propterea & eodem loco addit Philotheus, ἣ καὶ ἐπωφέλεια γίνεται τῶν παρακμαζόντων. idest, Quæ & utilitatem præbet declinantibus. Celsus hanc partem ita interpretatur, sanguinis per quædam etiam ora uenarum (αἱμορροΐδας Græci appellant) profusio. Theodorus, & multi alij hic interpretantur mariscæ. Quod nobis minime placet. nam si illa quæ Iuuenalis canit consideremus,

Cęduntur tumidæ medico ridente mariscæ,

certum est mariscas hæmorrhoidas non esse, quia si inciderentur, patiẽtes uitæ discrimẽ. inciderẽt, nisi ferro candẽti, & hoc nõ sine periculo uterẽt. At mariscę ꝓprie excrescẽtię

carnium sunt, quas nos cristas, ex similitudine cristarũ galli uocamus. fiunt aũt cum illę partes turpi & inhonesta cõfricatione agitantur & cõfricantur, tunc carneæ quædã eleuationes & tubercula excitantur, quę nisi ferro incideris, & locũ igne nõ domueris, frustra sanare cõtendes. Multi decipiũtur qui mariscas Celsi sycosim esse cõtendunt. nã Celsus de sycosi li. sexto, ca. tertio agit, uultq; esse quidẽ carnis excrescentias in locis qui teguntur pilis, ut in barba & supercilijs. At mariscæ circa anũ solũmodo fiunt. diciturq; συκωσις ulcus rotundũ, quod à Celso in duas partes distinguit, in durũ, & in humidũ, quod antiquatur & callosum fit, maximè in barba est, in palpebris etiã. unde à latinis palpebrę ficosæ dictę sunt. antiquatũ & in callum redactum à Græcis τύλωσις uocatur. Mariscæ uero fiunt ob confricationẽ circa illas partes, in quibus in multis mulieribus desunt pili. Ideo marisca antiquorum, sycosis non est, quamuis marisca genus fici sit, & ideo Plinius libro decimoquinto capite decimooctauo ubi de serẽdis ficis loquitur, inquit: ficos mariscas in loco cretoso aut aperto serito. & libro decimosexto capite uigesimoseptimo dicit, quod mariscæ inferiore sui parte sunt fertiliores. Aliqui dicunt mariscas esse ficus insipidas, ob id quod Martialis cecinit.

Infanti Melimela dato, fatuasq; mariscas.
Nam mihi quæ nouit pungere chia sapit.

Alij putarunt, Mariscas ficus esse, quę ob pinguedinem aperiantur. propterea à Columella hoc uersu pingues dicuntur.

Purpureæq; chelidoniæ, pinguesq; mariscæ.

Ad rem igitur redeuntes, mariscę pro hæmorrhoidibus rectè non ponuntur, licet sint apud sedem tubercula, nec hæmorrhoides incidi possunt, quamuis nonnunquam ut sanguis ater exeat, pungantur. An uero ficus sint Mariscæ, præsertim de ficubus sui Cęciliani apud Martialem, Grammaticis discutiendum omittamus.

GALENUS

ADOLESCENTUM ætas quinta septimana terminatur. Iuxta hoc igitur, & ipse in prognosticis dicebat. Magis autem expectare oportet sanguinis quidem profluuium in his qui nondum trigintaquinq; annos attigere. Nam quæ adolescentibus ætas continuatur, ad duas sequentes septimanas extenditur, in qua ætate omnia uitæ munia æque atq; illi, qui in uigenti ætate consistunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt. Nam ex adustione, & algoribus, & humi cubatu, uigilijs, atq; repletione, plusquã illi offenduntur. Et quidem horum temperatura plus atræ bilis habet, atq; ideo in ea multi insaniunt, ueluti ex anni temporibus in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidum existens, ruffam excipit bilem tempore æstiuo exassatam: sic declinantium ætas iuuenilem, quæ maximè æstati similatur, subsequitur. Et mirandum est cur in ea non scripserit melancholiã. Ego tamen in quibusdam exemplaribus hanc quoq; scriptam inueni, siue aliquis sit ausus apponere id quod defecerat, tanquam ab Hippocrate prætermissum, siue ab alijs qui exemplarium errori fidem adhibuerunt. Moriuntur aũt & ex tabe hac ætate, & ex iuuenibus quicũq; ex sanguinis sputo in tabem incidunt, ex ea moriuntur, non tamen hac ætate multi sanguinẽ spuunt, quoniam neq; in talibus sanguinis est multitudo. Asthmasiati crebris anhelitibus, & pulmonis inflãmationibus, ac laterũ doloribus magis capiuntur q̃ iuuenes, ut qui & uictu simili, & laboribus etiã utantur, sed multo imbecillius q̃ illi corpus habent, & omnino eos quos prętermisit in ætatibus uigore consistentiũ morbos nominare, eos nunc omnes enumerat. Nam & phrenitides, & ardores, & cholerę, & difficultates intestinorũ nihilominus iuuenibus quã declinantibus accidunt, occasionẽ sui ortus ex flaua bile capientes. Diuturniora aũt in declinantibus uentris profluuia cõtingunt, propter alimenti distributionis defectũ. Nam omnium ferè ætatum, ea quæ declinat paucis indiget ad corporis resumptionẽ, si quidem & id quod ex ipsis resoluitur paucissimũ est. Neq; enim corpus similiter calidum, sicuti prius, neq; amplius in augmentũ quicq; absumitur, sed neq; uirtute cõtentiua satis imbecilli, sicuti in senibus, plus aliquid ex corpore defluit. Quia igitur uentris profluuia, uel coctione uel alimẽti distributione frustratis accidũt, fiunt aũt & propter bilis acritudinẽ abradẽtis intestinũ, hæc aũt omnia in declinãtibus sunt, nõ sine ratione in eis alui profluuia diutina sunt. febres quidẽ lethargicę fiunt ex humore pituitoso in cerebro aceruato.

Prioribus autem ętatibus humor hic deficit magis quàm superabundet. In senili autem ætate plurimus quidem est, uerum propter ętatis frigiditatem febres non accendit. In his autẽ qui ab ætatis uigore declinant, & hic superabundat, & nondum corpus frigidum est. Lenitates uero intestinorum, ostensæ sunt hæ quidem à frigida fieri pituita, hę uero à sola intemperatura quæ uim alui contentiuam reddit imbecillem. Quę autem ab ulcerosa fiunt dispositione, hæ omnes in declinantibus superabundant. Sanguinis uero per ora uenarũ, quod græci hęmorrhoidas uocant, profluuiũ, uere ætatis est passio, sicuti sunt atræ biles. Fit enim ex atra bile quando ad uenas quæ in sede sunt repente decumbit. A me quidem omnium enumeratarũ passionum causa fuit explicata. Scientia autem, cum horum probatione illis adueniet qui legerint demonstrationes, quas super his in nostris scripsimus tractationibus, quæ quot sint, ac quales, & quam doceant cõtemplationem, legenti librum de ordine nostrarum commentationum, licebit discere. Ex his enim permotus, quomodo earum singulæ sint perlegendæ, cognoscet.

BRASAVOLVS

PRIMO de huius ætatis termino Galenus differit, inquiens, quinta septimana terminari, idest, trigesimoquinto anno. Quod aũt in principio cõmenti dicitur Adulescentiũ ætas, & græce τῶν νεανίσκων, Iuuenũ legendũ est. nam iuuenilis ętas illa est quæ trigesimo quinto anno terminatur, post quã cõsistentia sequitur, quæ per duas hebdomadas extenditur, & anno quadragesimoseptimo, uel quinquagesimo finẽ habet. in hac ætate omnia adhuc quæ in iuuentute operabantur, agũt, tamẽ eodẽ modo ad labores nõ sufficiũt, & ab his quæ secundũ naturæ usum nõ sunt, magis offenduntur. unde ex inordinato uictu, ex cubatu in uda humo, & ambulatione per solẽ & imbres magis læduntur, quàm iuuenes: propter hoc in consistenti ætate multi insaniũt. Itaq; hæc ætas ad iuuentutẽ assimilatur, ut ęstas ad autumnũ. nã æstate biles adurũtur, quas autũnus ita superassatas recipit: eodẽ modo à iuuẽtute bilis assatur, quæ ab ætate cõsistẽtiæ exassata recipit. propterea Galenus admiratiõe afficitur cur Hippoc. melancholiã præterierit, quæ tamẽ morbus uidetur in hac ætate progenitus: imò addit, in aliquibus Hippocratis exẽplaribus se hanc particulã additã inuenisse, uel modo ab aliquo adscripta, qui temere ausus sit Hippocrati illã addere, uel ipsemet Hippoc. apposuerit, sed librariorũ incuria in multis exẽplarib. omissa sit.

Quod dicit, In ijs qui nondum trigintaquinq; annos attigere, græce est, τοῖσι νεωτέροισι πέντε καὶ τριάκοντα ἐτέων. idest, Iunioribus quinq; & triginta annorum.

Quod etiã sequitur. Nam quæ adulescentibus ætas cõtinuatur, legi debet. nam quæ iuuenibus ætas continuatur. græce enim est, ἡ γὰρ ἐχομένη τῶν νεανίσκων ἡλικία.

SECVNDO Galenus huic aphorismo nõnihil addere uidetur. nã multi in hac ętate ex tabe moriuntur, qui ex sputo sanguinis in præcedenti ætate tabem incidere, uel qui sanguinem prius expuentes, in hac ætate tabidi fiunt: tamen sanguinis sputum difficulter incidunt, quia sanguinis multitudine carent.

Quod dicit, Moriũtur aũt ex tabe, Græce est ἀπόλλυνται δὲ καὶ τῶν φθινόντων πολλοί. i. Moriũt aũt & tabidorũ multi: qui ob sputũ sanguinis præcedẽtis ætatis pthisim incurrere.

TERTIO morbos enumerat, quibus cõsistentes magis capiãtur quàm iuuenes, hi sunt asthmata, inflãmationes pulmonis, dolores laterũ. quia simili uictu utuntur ut iuuenes, & similibus laboribus, sed ætas eos imbecilliores reddidit. unde Hippocrates hoc unũ hic facit, morbos enumerat, quos in uigore ætatis, idest, iuuentute sponte prætermiserat. nã phrenitides, cholerę ardores, difficultates intestinorũ, iuuenũ potius sunt quàm declinãtiũ morbi: ex flaua enim bile progignuntur, quæ in iuuenili ætate abundat plurimũ, & generatur. Scitoq; consistentiã ipsam, declinantẽ ætatem nuncupasse, quoniã & si alias consistentia uocetur, & multũ declinare non uideatur, tamen à Iuuenili uigore, & summo illo uirium impetu recedere incipiũnt. propterea apud Galenũ, & ueritatẽ ipsam nulla consistentis ætas esse uidetur, in qua homo in summo uigore iam sit, & per aliquod tẽporis curriculũ in eodem perseuerent, ut multi putarunt, sed statim cũ ad extremũ iuuentutis uigorem peruentum est, declinatio incipit, quæ est ab hoc summo uigore decessus, qui paulatim in principio succedit, ut sensu non percipiatur, priusquã in processum ætatis peruentum sit. Ex his igitur exploratũ sit, consistentem ætatem illo modo non dari, ut tibi luce clarius constabit, si hoc Galeni commentum contemplari ne pigeat.

Quod

Quod legitur, Asthmasiati, Græce est ἄσθμασι, idest, Asthmatibus.

Quod etiam legitur, Occasionem sui ortus, græce habetur ὑπόθεσιν sui ortus.

QVARTO rationem reddit cur in hac ætate, quã declinationẽ uocant, uentris profluuia cõtingant, nempe propter distributionis alimẽti defectũ. nam inter ætates illa, quę declinat, paucis pro refectione indiget, & quod resoluitur, paucũ est. nam corpus ita calidum non est, ut erat prius, neq; aliud in augmentũ consumitur. unde cũ profluuia sanguinis, uel ob coctionẽ fiant, uel ob distributionẽ alimenti, uel ob acritudinẽ bilis, quæ intestinum corrodit, his de causis in hac ætate longa profluuia generari contingunt.

Quod dicit, Nam omnium ferè ætatum, ea quæ iam declinat paucis indiget ad corporis resumptionem, græce habetur, σχεδὸν γὰρ ἁπασῶν τῶν ἡλικιῶν, ἡ παρακμαστικὴ βραχυτάτων δεῖται τῶν ἀναλαμβανομένων εἰς τὴν ἕξιν. idest, Nam omnium ferè ætatum, ea quę iam declinat paucis indiget reuocantibus rebus ad habitum.

Quod etiam legitur, Neq; amplius in augmentum quicquam absumitur, Grece est, οὔτ᾽ εἰς αὔξησιν ἔτι δαπανᾶται κατ᾽ αὐτήν. idest, Neq; amplius in augmenũ adhuc absumitur.

QVINTO rationem reddit cur in hac ætate lethargicæ febres causentur. quia pituitoso humore superabundant, quo illi qui erãt in præcedenti ætate carebant. At si quęras cur in senili ætate non fiant, in qua plures humiditates uigent, Galenus respondet, in senio non fieri propter ætatis frigiditatẽ, in qua febris facile non accenditur, sed in ætate à uigore declinãte pituita abundat, & tantã caliditatẽ habent, quod febris accendi potest.

Quod legitur, propter ætatis frigiditatẽ febres non accendit, hoc uidetur absurde dictum quod pituita febres non accendat: nempe febres non accendit pituita, sed ipsa febris est, quę in pituita accenditur: propterea legendũ puto, febris non accenditur. quãuis Grecus contextus dicat, οὐκ ἐξάπτεται πυρετούς. uel sicut dicimus, sulphure ignem accendi, ita forte dici potest, pituita febrem accendi quasi alimento.

SEXTO docet Galenus leuitates intestinorum in hac ætate & pituita fieri ex sola intemperatura, quæ uim alui continuam imbecillam reddit, & ab ulcerosa dispositione, ab omnibus his causis in declinationibus fit.

Quod legitur, Quæ autem ab ulcerosa fiunt dispositione, legi debet, quædam aũt ab ulcerosa fiũt dispositione. nã Gręce habetur, αἱ δὲ ὑπό τινος ἑλκώδους διαθέσεως γινόμεναι.

SEPTIMO dicit huius ætatis proprium esse, ex uenis hæmorrhoidalibus profluuiũ sanguinis habere, sicuti & ipsæ atræ biles huius ætatis proprie sunt. fit aũt hoc profluuium ex atra bile ad sedis uenas decurrente: & hic Oribasio teste: hæ uenæ à iecore ortum habent, & per compendia ad sedem terminantur.

Cum dicit, uere huius ętatis est passio, Græcus contextus legit, οἰκεῖον ὄντως, καὶ αὐτὸ τῆς ἡλικίας ταύτης πάθος. idest, Et huius ætatis propria sic sunt passio (scilicet hæmorrhoides) ut facile uidere possis, in Leoniceni interpretatione deesse uocabulum passio.

Quod legitur, fit enim ex atra bile, quando ad uenas, quæ in sede sunt, repente decũbit. hæc ultima pars scilicet repente decumbit, græce est ἀθροώτερον κατασκήψῃ. In aliquibus codicibus legitur ὑποσκήψῃ, at id nihil refert. ego potius interpretarer ἀθροώτερον, id est statim, & non repente: propterea dicerem, statim decumbit.

Deniq;, quia Galeno uisum est, quod morbos in Aphorismo ab Hippocrate enumeratos ad unguẽ non tractauerit, propterea seipsum excusat dicens, cur passiones ab Hippocrate enumeratas non exposuerit, in causa fuit, quia aliàs de ipsis in particularibus libris particulariter pertractauit. Si quis aũt scire cupiat in quibus libris hæc sint, Galeni librum legat de ordine suarum cõmentationum. nam Galenus librum edidit, in quo nõ solum, de quibus in uno quoq; libro pertractet, edocuit, sed etiam quo ordine quæq; legenda sint, & quæ prius addiscenda, & quę posterius, instituit.

Quod legitur, Scientia autem cum horum probatione illis adueniet, Græce est, τὸ δὲ ἐπιστημονικὸν τῆς πίστεως αὐτῶν ὑπάρξει. idest, scientia autem cum fide illis adueniet. quamuis & Leoniceni more interpretari liceat, scientia scilicet cum probatione.

Quod etiam legitur, Et quam doceant contemplationem, ibi deest hęc particula, singula: ut hoc modo legendum sit, & quam singula doceant contemplationem. nam Græcus contextus dicit καὶ ἣν τινα θεωρίαν ἑκάστῳ διδάσκει.

Oribasius in hoc Aphorismo cardiagmon legit cũ de illo Hippocrates ipse nihil dicat. est autem

est autem stomachi uitium, licet à corde nomen habeat, quod nunquam afficitur. de hac autem affectione in quarto Aphorismorũ libro loquemur, ubi Galenus Cardiagmon ad cor etiã referri edocebit. Causam uero hoc loco Oribasius reddit cur ipsum cor nõ patiatur: quia (inquit) habet duas auriculas, unde egrediuntur duæ arteriæ. illa quæ in sinistram partem uadit, plus sanguinis habet, ideo ab illa parte uenã secamus: illa uero quę in dexteram, plus spiritus. unde & in dextera manu pulsum tangimus. Sed an hæc uera sint, nunc discutere non est opus: tu ipse quid sit, contemplari nihil impedit.

APHORISMVS XXXI

SEnibus spirandi difficultates, destillationes cum tusse, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorum, & narium humiditates, uisus obtusus, glaucedines, auditus graues.

BRASAVOLVS

DE ILLA ætate nunc agit quæ in nostræ uitæ cursu ultima est, in qua spirandi difficultates, & destillationes multæ fiunt, quæ etiam nunquam sanantur. Tusses eiusdem generis accidunt, stillicidia, & difficultates urinæ, dolores articulorum, passiones renum, uertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus per totum corpus, qui & ipsi arceri nullo medicamine possunt, uigiliæ, alui, oculorum, & narium humiditates, imo & destillationes, & materierum abundantiæ. hac ætate uisus obtunditur, & caligant oculi, glaucedines incidunt, & auditus grauis efficitur. hi morbi in hac ætate potissimũ fiunt, sed quod cæteris summum est, nescio an pessimum, mors aduenit, quæ ab infinitis ferè passionibus caducum hominem liberat, quam tamen odio magis habent, atq; refugiunt ij qui in hac ætate sunt, quàm iuuenes: nempe hi magis ægreferunt, & de morte ipsa condolent, quàm faciant, qui in præcedentibus ætatibus sunt.

Celsus in fine primi capitis secũdi libri inquit, in senectute spiritus, & urinę difficultas, grauedo articulorum, & renum dolores, neruorum resolutiones, malus corporis habitus (καχεξίαν Gręci appellant) nocturnę uigiliæ, uitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipueq; soluta aluus, quę sequũtur hanc, tormina, uel leuitas intestinorum, cæteraq; fusi uentris mala.

Galenus quoq; octauo libro De decretis Hippocratis & Platonis hũc aphorismum ad uerbum adduxit.

τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι.] Alij contextus habent πρεσβύτῃσι. Sed quomodocunq; legatur, nihil refert, uel etiam legamus ut alij faciunt, πρεσβύτῃσι; semper significat senibus. habent gręci duo uocabula, quibus senes significantur πρεσβύται, & γέροντες. nonnulli erant qui putarunt illud uocabulum πρεσβύτας illos significare, qui in primo senio constituti sunt, γέροντας uero in ultimo senio. Tamen cum hic Hippocrates uocabulo πρεσβύτῃ utatur, Galeno placet ut eos intelligamus, qui ultimũ senium iam peragunt, quoniam in hoc Aphorismo de his sermonem facit qui in ultima uitæ parte sunt: hic enim toto humanę uitę cursui habenas imponit. nam in præcedenti Aphorismo ubi dicebat, ultra hanc ætatem scilicet iuuenum, quæ est ætas consistentiæ & declinationis, erat autem primum senium, propterea & conuenit, & necessariũ est, quod hic de ultimo senio loquatur, & extrema uitę parte, ut inquit Oribasius, in qua passiones, quę dicentur, accidere possunt, & in dies accidunt.

δύσπνοιαι, idest, Spirandi difficultates.] Quæ sine sonitu fiunt, quãuis & in hac ætate asthmata cõtingũt, sed tũc facile & ex leui causa occũbunt. Celsus interpretatur spiritus difficultates, quæ secundũ Oribasium ex materia frigida & humida ortũ habent. Philotheus dicit fieri dyspnœã διὰ τὸ κατάῤῥειν ἐπὶ θώρακα τὸν πλεονάζοντα ἐν αὐτοῖς φλεγματικὸν χυμὸν, καὶ δι᾽ ἀσθένειαν τῶν μορίων. idest, propter destillationem pituitosi humoris in ipsis thoraces implentis, & propter partium debilitatem.

Κατάῤῥοι, idest, Destillatiões.] Quas incidunt, quia partes ad caput attinẽtes, in ipsis senioribus facillime refrigerantur, & plurimis pituitosis materieb. abundãt, nẽpe cerebri

partium

partiũ temperaturã multum frigidã habent, & etiã humidam Oribasio teste. Leonicenus interpretatur destillationes cum tussi: tamen contextus omnes quos legerim græci, habere uidentur destillationes, postea tusses: iudicatq; ex eadem causa generari Philotheus, ex qua spirandi difficultates ortum habuere.

Βηχώδεα. Aldinus contextus, & meus antiquus hoc modo legunt. at antiquus meus correctus est à uiro satis antiquo & probo, legitq; βῆχες, idest, tusses, quæ à materia pituitosa fiunt ad pectora descendente, & ut cum Philotheo summatim dicamus, ex eadem materia, ex qua spirandi difficultates accidebant. Nempe in hac ultima ætate iam senio confecta ad omnes corporis partes destillationes cõtingunt, itaq; & ad pectus stillant, & hę illæ sunt, quæ tussim incitare possunt, & frequentissime in hac ætate insanabiles excitat.

Στραγγουρίαι, δυσουρίαι idest, Stillicidia urinæ, difficultates urinæ.] Quæ secũdum Oribasium ex frigida materia oriuntur. Celsus urinæ difficultatum solum meminit, Philotheus fieri dicit διὰ ἀσθένειαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως τῆς κύστεως, καὶ διὰ φλέγμα ἐμφράττον τὸν πόρον. idest, propter debilitatem contentiuæ uirtutis uesicæ, & propter pituitam obstruentem meatum.

Ἄρθρων πόνοι. idest, Articulorũ dolores.] An uero aliud sint ἄρθρων πόνοι, ab ἀρθρίτιδι, dubium uideretur, nisi experientia sciremus, in hac decrepita ætate & arthritides, & articulorum dolores fieri, & quod idem omnino sunt, si uniuersaliter, idest, in omni artu contingant: si uero in parte, idest, in aliquibus membris generantur, idem non sunt. nam arthritis simul est in omni artu, sed articulorum dolor in aliqua statuta parte, ut in pede, genu, cubito, ex pituita consequi Oribasius dicit. Galenus uero ex superfluitatibus ad hæc loca fluentibus quandoq; fieri docet, quandoq; autem ex frigiditate instrumentorum quæ natura fabricauit ad motum. & Philotheus inquit, hos dolores fieri διὰ τὸ δυσκίνητα γίνεσθαι τὰ πολλάκις ψυχόμενα τῶν νευρωδῶν μορίων. idest, propterea quod ob difficilem motum, partes neruosæ sæpius frigidæ fiunt. Celsus articulorum grauedines interpretatus est. At πόνος laborem significat, non autem grauitatem. quamuis grauedo quædam laboris species sit, tamen re ipsa considerata, grauedines articulorum in hac ætate contingunt, & tales ut gressum tentare non possint.

Νεφρίτιδες. idest, Renum dolores.] Qui & ipsi (ut Oribasius dicit) ex pituita generantur. Paulus Aegineta capite quadragesimoquinto tertij libri de Nephritide egit, ut Aetius capite trigesimo noni libri, & Trallianus libro tertio, capite trigesimoquarto. Te uero non lateat, calculum renum dolorem excitare, & hunc dolorem qui λιθίασις dicitur nephritidis speciem esse. Nam apud græcos uocabulum νεφριτικὸς ad omnia renum uitia, quæcunq; illa sint, cõmune est, ut Galenus sexto aphorismorũ li. aphorismo sexto luce clarius ostendit. & illi qui patiuntur, nephritici nuncupãtur. unde & Philotheus hic dicit, nephritides aũt ὅπερ δηλοῖ, ἢ πόνον νεφρῶν ἢ λιθιάσεις. γίνονται δὲ ὁ μὲν διὰ ἔμφραξιν τῶν νεφρῶν ὑπὸ παχέος χυμοῦ. ἡ δὲ λιθίασις, διὰ τὸ πάνυ εἶναι ὠμὸν τὸν χυμὸν, καὶ παχύν. idest, Quod quidẽ significat, uel dolorẽ, uel lapides renum. fiunt aũt dolores propter obstructionẽ renum ab humore glutinoso: lapides uero ob id quod humor est ualde crudus & glutinosus.

Ἴλιγγοι. idest, Vertigines.] Quæ scotomiæ non sunt, fiunt autem ob uaporosum spiritum (ut Galenus inquit) qui in cerebri partibus inordinato motu cietur. Philotheus dicit, fiunt autem ilingi, τουτέστι πλημμελεῖς κινήσεις περὶ τὴν κεφαλὴν διὰ πνεῦμα ὅπερ ἢ κατὰ τὸν ἐγκέφαλον γεννᾶται, ἢ κατὰ τὴν γαστέρα, κἀκεῖθεν ἄγεται. hoc est, inconditi & incompositi motus circa caput, propter spiritũ qui quidem uel per caput oritur, uel per uentrem, & hinc fertur. Celsus non enumerauit ilingos, tamen in hac ætate contingunt.

Ἀποπληξίαι. idest, Attoniti morbi.] Quorum etiam non meminit Celsus, proprius est huius ætatis morbus, & ex pituita ortus, senioresq; in hyeme hoc morbo corripiuntur, presertim in ultima hyemis parte, quando prius intensum frigus uiguerit, deinde remitti incipiat, his uiris oppletiones ex pituita generantur. unde & Philotheus hic dicit, καὶ μὴν καὶ ἀποπληξίαν διὰ τὸ πληροῦσθαι τὸν ἐγκέφαλον φλεγματικῶν περιττωμάτων. idest, etiam apoplexiam ob id quod cerebrum pituitosis superfluitatibus abundat.

Καχεξίαι. idest, Mali habitus.] Quos quàm maximè reperiri in senibus Oribasius dicit. De Cachexia Paulus Aegineta capite quadragesimoseptimo libri tertij agit, quam hydropico-

hydropicorum caput esse dicit, nam qui hydropem incidunt, primo in cachexiam perueniunt, quę est in toto corpore malus habitus, ut Aetius definit lib. tertio, capite uigesimotertio. omnes autem Gręci authores de cachexia loquuntur, ante hydropem. Aetius libro decimo capite decimonono dicit, in cachexia uniuersam corporis miscellam laxiorem fieri, atq; emollescere, quod ex somno inæqualiter contingente maximè manifestum est, corpusq; ipsum totum cum uirore albicans redditur, & inualidum, ita ut crura inter eundum uacillent. & in principio quidem coctiones impediuntur, manente etiamdum appetitu, postea uero & fastidium accedit, & respiratio ipsis fit rara & debilis, quæ motibus & actionibus condensatur, aluus etiam inæqualia recrementa excernit. Hæc affectio ut plurimum ex longo morbo fit, & quandoq; ex uiscere indurato, aut liene aut iecore, quandoque fit in longa dysenteria, & in cœliacis dispositionibus, & quandoque fit quia solitus erat quis quædam excernere, quæ non excernit, ut in mulieribus menses, in uiris hæmorrhoides. Sed ut ea quæ ad Aphorismum spectant, referamus, Aetius eodem loco dicit, Capiuntur autem hac affectione maximè senes, qui etiam maximè liberantur, imò & pueri hac affectione detinentur, sed facile pereunt propter uitalis firmitatis debilitatem, & quod ob cutis raritatem succi in eis facile transpirant. Sed qui in uigore sunt, raro incidunt, & facile se inde extricant. Quod si diutius adsit malum, in aquam intercutem transit. Rationem uero cur fiant in senibus cachexiæ, ita reddit Philotheus, καχεξίαν δὲ διὰ τὸ, τῆ λόγῳ τροφῆς φερομένων ἐν ὅλῳ παντὶ σώματι, ἀπεπτεῖσθαι τῇ ἀσθενείᾳ τῆς δυνάμεως. καχεξία δέ ἐστιν, τὶς ἀτροφία τοῦ σώματος. διὸ καὶ ξυντήκονται, καὶ κακοχροοῦσι. idest, Cachexiam autem ratione nutrimẽti, quod in totum corpus defertur, & debilitate potentiæ non coquitur. Cachexia uero est quędam innutritio corporis, unde & corrugantur, & male colorantur.

Ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου. idest, Pruritus totius corporis.] Nam senes facile pruriginem incidunt, quia humores illi qui pruritum faciunt per cutem difficulter euacuantur, ut Galenus inquit. nam eorum cutis ex frigiditate densatur, & ideo multæ superfluitates & crassæ retinentur, & pruritum excitant. & hæc ratio est cur in senibus hi pruritus non sanentur, immo in plurimis ad mortem comitari soleant. Theodorus interpretatus est asperdines totius corporis, quæ licet in senibus fiant, quia eorum cutes exiccantur & indurantur: tamen Galenus ostendit, pruritus intelligendos esse, qui fiunt (Oribasio teste) ex salsa pituita, corporis superficiem petente, de qua Aetius libro decimotertio capite 129. agit. non defuere, qui interpretati sint prurigines, quæ in senibus certe fiunt. At Græcis non ξυσμοὶ, sed κνισμοὶ nuncupantur. nos autem superius Aphorismo uigesimoquinto huius libri hæc exposuimus: de κνισμῷ uero Paulus libro quarto capite quarto disseruit. Celsus in huius Aphorismi interpretatione hanc particulam non ponit. Philotheus uero in sua commentatione legit κνισμοὶ, & non ξυσμοὶ, nempe dicit. πάλιν δὲ κνισμοὶ ὅλου τοῦ σώματος γίνονται, διὰ τὸ σήπεσθαι τὸ φλέγμα ἐν αὐτοῖς, καὶ ἁλμυρότερον φέρεσθαι πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ σώματος. διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, καὶ ψῶραι, καὶ λέπραι, καὶ ἀλφοί. idest, Rursus autem prurigines totius corporis fiunt, quoniam ipsis pituita putrescit, & quoniam ad superficiem corporis salsuginea defertur. propter eandem causam, & psoræ, & lepræ, & uitiligines fiunt: quamuis ab Hippocrate hoc in loco non enumerentur.

Ἀγρυπνίαι. idest, Vigiliæ.] Celsus interpretatur nocturnas uigilias. hic notat Galenus, tanto magis uigilare, quanto magis sani sunt, quia uigiliæ ex siccitate fiunt, sicci autem sunt suapte natura seniores, ideo uigilant, & etiam, quia senectus plena curarum est. unde in senectute, omnes partes naturaliter sicciores euadunt, tamen ob debilitatem materierum pituitosarum multitudinem aceruant. unde multi extitere qui senectutem frigidam, & humidam esse existimarunt, sed longe decepti, cum illud ex uirium debilitate fiat, Galeno in libro De temperaturis magno teste: & ideo illi senes, in quibus humiditates istæ in corpore manent, & non euacuantur, immo & in ipso capite sunt, hi plurimum dormiunt. Illi uero, quibus hæ superfluitates euacuantur, uigilant. propterea dormire ipsis præter naturam contingit, uigilare uero ob ætatem naturale habent. In pueris è contrario res se habet. hoc autẽ symptoma, quod est nimis uigilare, quia simpliciter præter naturam est, ab Hippocrate numeratur, licet senioribus proprium sit, & quia in aliquibus uigiliæ adeo lõgę sunt & morosæ, quod nisi succurratur, uaria mortis

discrimina incidant. Oribasius dicit, quod uigilias patiuntur ob indigentiam. humidi quidem sunt, sed humectatio partium in ipsis iam diminuta est. nam ex humiditate fit sanguis, quando mediocris fuerit, ac si Oribasius uelit hanc senilem humiditatem talem non esse, ut somnum conciliare possit. Paulus libro primo, capite nonagesimo octauo de his uigilijs tractat, quæ bene habentes infestant. At si dubites quomodo sint bene habentes si hac re molestentur, Respondemus, esse bene habentes, quia febre carent, & nullæ operationes præter hanc dormiendi impediuntur. Est autem symptoma prauæ qualitatis siccæ cerebri. unde & Philotheus dicit, in his uigilias fieri διὰ τὸ φροντισικὸν, καὶ διὰ τὴν τοῦ σώματος ξήρανσιν. idest, propter curarum plenitudinem, & propter corporis siccitatem. At sicuti superius, quando lethargiæ species exponebamus, malas somni affectiones apud græcos edocuimus, ita nunc malas uigiliarum affectiones apud eosdem pertractare conueniet. ἀγρυπνίαι, idest uigiliæ apud græcos illæ sunt, quales eæ quæ senioribus contingunt, & quæ negotiosis in dies accidere uidemus, Appellant & Græce κῶμα somnum, & medici authores in malam partem utuntur. At poetæ pro somno naturali etiam accipiunt. Habent & græci medici alia nomina ut κῶμα ἄγρυπνον, idest, coma uigilans, uel somnus uigilans, & κάθοχος, quæ affectiones somniculosas significant, ex materia pituitosa, & biliosa genitas. unde sunt mediæ quædam passiones inter phrenitim & lethargiam, ut unus humor alium superat. etenim si bilis superet, κῶμα ἄγρυπνον, idest, coma uigilans nũcupatur, si uero pituita superet cathochus uocatur. At hæc in aliud tempus exquisitius enucleanda differamus, nunc autem satis sit, uigilias illas edocuisse, quæ senioribus sine febre, & sine alia passione, sed ob solas curas, aut ob suam temperiem naturalem siccam, contingere solent. κοιλίας ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, idest, Alui oculorum, & narium humiditates. fiunt uero narium & oculorum humiditates (ut Galenus inquit) ob cerebri superfluitates, quæ etiam cum descendunt, ad aluum accedere possunt, & alui humiditatem generare, & excrementa mollia reddere. semper enim senioribus perstillant nares, & gramiosos oculos atq; epiphorarum plenos habent. Oribasius autem dicit uentris solutionem fieri, aut qualitate, aut quantitate: qualitate ciborum, cum coctio expedite obitur. quantitate humorum, cum ex ipsorum conglutinatione fit. Item oculorum, & narium humiditas, quàm maxime in senibus est, quia quicquid humidum est, semper decurrit. Philotheus uentri, oculis, & naribus suas rationes hoc modo assignat, τὸ μὲν λόγῳ τῆς ἀπεψίας, καὶ τὸ μὲν ἀναδόσιν γίνεσθαι πολλὴν. τὸ δὲ διὰ τὰ περιττὰ τοῦ ἐγκεφάλου. idest, hoc quidem (scilicet uentris humiditas) ratione incoctionis, & hoc (scilicet oculorum humiditas) quoniam multa fit digestio & distributio alimenti per corpus. Hoc aũt (scilicet nariũ humiditas) propter superflua quæ in capite sunt. Celsus addens aures hoc modo interpretatur, uitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipuéque soluta aluus (addit deinde Celsus) quæ sequuntur hanc tormina, uel leuitas intestinorum, cæteraq; fusi uentris mala. Opus autem est hæc in his senioribus intelligere, qui aluum siccam in iuuentute habuere, quæ in senectute deinde humida effecta sit: quamuis Aphorismus ille uniuersaliter uerus non sit, in quo id prædictum erat, qui aluos in iuuentute humidas habebant, in senectute siccas habituros, & è contrario. experientia enim docet, in senioribus multis aluos humidas fieri, tum quia non concoquunt, tum quia humiditatibus ex hac incoctione abundant, qui alioqui sicci suapte natura extitissent, hæ autem humiditates ad uentriculum & intestina descendentes aluum lubricam reddunt. & hoc ea sententia non obstante, quæ in penultimo aphorismo secundi libri dicitur, uidelicet senescentibus magna ex parte exiccantur. quia hoc per se est & ratione ætatis senilis, humiditates uero per accidens sunt, quia ob ætatis decursum concoctrices potentiæ debiliores effectæ sunt.

Ἀμβλυωπίαι id est oculorũ hebetudines, uel obtusus uisus.] Celsus hanc particulam sub illa, uitia oculorum, complexus est, quia ob potentiã sensibilem, quæ imbecillis est, uisus imbecillis redditur (ut Galenus inquit) est autem imbecillis, non ipsius ratione, sed quia instrumentum indisponitur, nam anima semper bene operaretur, si instrumenta in sua naturali constitutione permanerent, ut in libro De anima Aristoteles docet. Oribasius dicit, has hebetudines ob ætatem accidere, ideo conspicilijs utuntur. Philotheus

theus autem ita causam reddit, inquiens, ἀμβλυωπίαι δὲ καὶ βαρυηκοΐαι, διὰ τὴν τῆς αἰσθητικῆς δυνάμεως ἀμαύρωσιν. idest, Oculorum autem hebetudines, & graues auditus, propter sensitiuæ potentiæ obtusionem.

γλαυκώσιες, idest, Glaucedines.] Celsus in suo codice, & Theodorus hãc particulam non habuere: fiunt autem secundum Galenum ob immodicam instrumentorum siccitatem, & quia speciem quandam suffusionis habent, immo multi decipiuntur, qui suffusiones esse existimarunt. Vidimus nos ocularium medicum, qui glaucedines has suffusiones esse arbitratus, deponere uolens hominem exoculauit. Oribasius oppositum sentit, quàm Galenus faciat. nam Galenus ex siccitate fieri, Oribasius ex humiditate putauit. Inquit enim, Glaucomata accidunt, quoties quatuor tunicę oculorum humectationem perpessæ fuerint, & opticus neruus apertior fuerit, & in tertia tunica infixus, unde procul nihil uident, prope autem uident. Galeno Oribasius hoc modo conciliari posset, quod Galenus ex siccitate instrumentorum fieri dicit, sed ex humiditate illuc currente, propterea dicit, quod speciem suffusionis habent. Oribasius uero instrumentorum nihil meminit, sed de fluente materia solum sermonem habet. Scitoq;, & ex ipsis antiquis aliquos glaucoma suffusionem esse putasse, à græcis enim non solum γλαύκωσις, sed etiam γλαύκωμα nuncupantur, à nostris glaucedo. Græci quoque posteriores suffusionis speciem esse arbitrati sunt, quorum unus est Philotheus ita inquiens: γλαυκώσεις δὲ, ὅπερ ἐστὶν εἶδος ὑποχύματος, διὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν ὀφθαλμῶν. idest, Glaucedo autem quæ species suffusionis est, propter debilitatem oculorum fit: ut hic author aliam causam ab illa Galeni assignare uideatur. In Definitionibus medicis Galeno adscriptis, Glaucoma definitur esse mutatio naturalis humoris in colorem cæsium. In libro autem Introductorio inquit, Glaucosim esse humoris, quem Græci κρυσταλλοειδῆ uocant, in album atq; aqueum colorem mutationem, cuius gratia uisus impeditur. Quod uero ex siccitate fiat, ex Galeno decimo libro De usu partium post secundum folium manifeste apparet, ubi edocere uolens: humorem in oculo necessarium esse, inquit, de humore uero ex his utiq; disces, quòd scilicet non solum ad replendam uacuam regionem, sed etiam ne siccetur ipse humor crystalloeides, & interna Rhagoeidis portio, maximè est necessarius, si primum cognoueris quod nocumentum sit uisioni, quando is plurimum euacuatur in punctionibus. postea sequitur: quodq; affectus à medicis nominatus γλαύκωσις, idest Glaucedo, est siccitas, & coagulatio immoderata crystallini humoris, occæcat autem si quis alius oculorum morbus. est autem alia res, & longe diuersa γλαύκωμα uel γλαύκωσις, quàm glaucedo spontina, & oculus naturaliter glaucus, de quo colore Galenus capite uigesimo septimo Artis medicinalis egit, inquiens fieri, uel propter magnitudinem, uel propter splendorem humoris, qui à gręcis crystalloides nominatur, uel propter situm prominẽtem, uel propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla existit, puritatem & paruitatem. atq; omnibus quidem in unum conuenientibus fit glaucissimus oculus: ut hinc colligere possis, hunc naturalem colorem, quando ægritudo non est, ob aquei humoris paucitatem fieri. quando autem ægritudo est, fit quia exiccatur: semperq; ægritudinem uel symptoma γλαύκωμα uel γλαύκωσιν appellant, in oculo autem naturalem colorem γλαυκὸν ὀφθαλμὸν uocant. Paulus etiam Aegineta libro tertio, capite uigesimo secundo, quorundam antiquorum errorem ostendit, qui idem esse γλαύκωμα, & ὑπόχυμα, idest, suffusionem putarunt. At posteriores distinguere tentarunt, quia γλαυκώματα sunt crystallini humoris in oculo uitia, quæ ex humiditate in glaucum colorem transeunt: sed hypochymata, idest, suffusiones, circa pupillam fiunt in medio corneæ & crystallinæ, speciem, lucemq; impediunt. ut hi Oribasij sententiam sequantur, quoniam ex humiditate fieri dicunt. Galenus uero ex siccitate fecit. Glaucomata nunquam sanantur, ut inquit Paulus, quem Auicena in capite De destructione uisus secutus est. Glaucum uero oculi colorem in capite De uarietate, oculi uiriditatem appellauit. Si uero de glauco colore ambiguus sis, qui nam sit ille, uia quædam est regia inueniendi illum, si antiquos authores pensiculate contempleris, quas res naturales glaucas appellarint, & naturali re conspecta atq; considerata, in coloris glauci cognitionem deuenies. scito igitur Græcos antiquiores, quos deinde recentes secuti sunt, noctuam γλαῦκα ex cæsio oculo-

rum colore nuncupasse:tu igitur oculorum noctuæ colorem considera, ille est glaucus color, & floridus adeo atque pulcherrimus, ut Homerus plerunq; Palladem γλαυκώπιδα uocet, eo quod oculos glaucos haberet. Tamen Lucianus uituperat glaucum colorem in oculis, et propterea dicit Palladem in iudicium trium dearum noluisse prodire sine galea, ut turpitudinem oculorum obtegeret. Mare etiam, & ab Homero, & ab alijs antiquioribus glaucum uocatur. si ergo maris colorem contempleris, colorem glaucum statim cognoscere poteris. & Virgilius glaucam salicem appellat, quoniam ex uno latere uiridia folia, & alio glauca uideantur. ut inde facile sit colorem glaucum ex naturalibus rebus percipere, tamen hic color satis latus est, idest, penes intensionem & remissionem latitudinem quandam habet, nam cæsius color & ceruleus, qui differũt, glauci uocantur. cæsius enim in solis oculis dicitur secundum aliquos, tamẽ Catullus appellauit Cæsium leonem. Cæruleus & in alijs multis rebus. Glaucus uero tam de oculis, quàm de alijs rebus dici inuenitur. Laudat Virgilius in equis colorem glaucum, cõstat aũt non esse uiridem, sed potius eum esse, quem baiũ clarũ uulgus appellat. nam quem uere baium uulgus dicit, spadix est: tamen Seruius exponit Glaucos, idest, felineis oculis, idest, quodam splendore perfusis, ut hunc colorem in equorum oculis intelligat, & non in pelle. Sed hæc missa faciamus, quoniam hic locus non est de coloribus, eorumq; differentijs disputare, satis sit nos glaucos oculos uulgo *gazolli* nuncupare à colore illarum picarũ quas *gazas* uocamus, glauco colore maculatas, immo nos simplici uocabulo illas gazas dicimus, ac si diceremus glaucas, à colore: forte id genus picarum est de quo Plinius libro decimo, capite uigesimooctauo, & uarium appellat à colore. Aetius libro septimo, capite quingentesimo de glaucedine certius tractare uidetur, quàm alij. nam inquit duobus modis intelligi, uno modo proprie, & est crystallini humoris ad glaucum colorem transmutatio, arefactio, & concretio. Altera species glaucedinis ex præcedenti suffusione producitur, humore in pupilla uehementissime congelato, & arefacto, quæ quidem insanabilis est. illa uero, quam proprie glaucedinem appellauimus, in principio nonnunquã sanari potest. ut ex his Aetij uerbis facile sit Oribasium Galeno conciliare.

Βαρυηκοΐαι. idest, Auditus graues.] Qui (ut Galenus dicit) ob potentiæ sensitiuæ imbecillitatem generantur. nam ex pitutosa materia fiunt, ut Oribasius inquit. Philotheus autem fieri dicebat propter τῆν δὲ αἰσθητικῆς δυνάμεως ἀμβλυωσιν: idest, sensitiuæ potentiæ hebetudinem. Hippocrates uno uerbo dicere potuisset, omnes sensus in hac extrema ætate labuntur & debilitantur, non ratione potentiæ & animæ intrinsecæ, sed ratione instrumenti, quod ex ætate paulatim afficitur, & deficit, quia ex elementis compositum est.

GALENVS

SENES à senioribus nõnulli Hippocratis sectatores distinguunt, nomen seniorum ultimæ ætati tribuentes, & hoc perpetuum esse existimantes. Senes autem in priori ætate statuentes quę media est inter iuuenes, ac seniores. Sed nunc manifeste monstrauit se senes eos qui extremam agunt ætatem nominare, quare ad ipsos sermonem terminauit, ut qui iam iam omnes ætates percurrisset. Hi uero sæpissime à destillationibus, quæ sunt cũ tusse, capiuntur, quoniã partes ad caput attinentes in ipsis facilime refrigerãtur, & quia multæ in ipsis fiunt pituitosę superfluitates, cum iam satis frigidam cerebri habeant tẽperaturã. Asthmata uero, hoc est, crebri anhelitus, ex his destillationibus ortũ habent, cum alioquin & ipsa spirandi instrumenta non raro habeant proprium sui algoris principium, quando & in ipsis multæ ac crassę superfluitates generantur, & pręterea uirium imbecillitate pręsente, renes sæpius obstruuntur, & lapides generãt, quando tenax, uel crassa superfluitas ibi firmata in similem callo substantiam transierit. Articulorũ aũt dolores fiunt fluentibus aliquando ad hęc loca superfluitatibus, aliquando uero propter instrumentorũ, quę natura ad eorum motionẽ fabricauit, frigiditatẽ. Vertigines aũt ipsis accidunt propter spiritum uaporosum, qui in partibus cerebri inordinato cietur motu, sępius uero & in uentriculo uitiosis superfluitatibus aceruatis ad cerebrum fertur exalatio uaporosa. De apoplexia aũt quid oportet dicere? Nullus enim morbus adeo est senili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus. Si quod uero ulcus aduenerit senibus, difficulter sanatur propter defectum sanguinis, & frequenter se

ter se scalpunt, quod prurigines appellant, quoniam illæ quæ pruritum operantur superfluitates, difficilem habent per cutem euacuationem, rationabile siquidem existit, & cutem in ipsis ex frigiditate densari, & superfluitates plures simul, ac crassiores existere: pluresq; ipsorum, neq; enim omnes, continuo uigilant, quòd eis accidit, quia senectus plena curarum est, & preterea corpus habet exiccatum: unde & tunc magis uigilare contingit, quando integra sanitate fruuntur. Dictum autem à nobis est, & in commentarijs de temperaturis, ipsas quidem corporis partes in senectute fieri sicciores, sed multitudinem superfluitatum pituitosarum aceruari, ob quam causam à multis putatur senectus frigida, & humida. In quo autem tempore hæ plures aggregantur, fiunt senes magis somnolenti. In quo uero bene excernuntur, peruigilant. Contingit autem & pauciores superfluitates generari, & citius excerni, magis eo tempore, quo salubriter degunt, unde & maximè propria passio senilis ætatis uidetur esse uigilia. Humiditates autem in ipsis, & oculorum, & narium, liquet fieri propter cerebri superfluitates, quibus eis ad aluum defluentibus, & ipsa sæpius humectatur. Hebetes autẽ uisus, & graues auditus, propter potentię sensibilis accidunt imbecillitatem. Glaucedines uero propter immodicam instrumentorum siccitatem, & quia speciem habent suffusionis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus in hoc commento, quid per senes intelligendum sit, exponit: tamen hæc pars si Græcis uocabulis utamur, aptius quàm latinis intelligitur, quoniam nos indifferenter his uocabulis senes & seniores utimur. At Gręci duo nomina habent longe distincta, scilicet γέροντας, & πρεσβύτας. Nõnulli ante Galenũ fuere, qui dicebant γέροντας ἀπὸ πρεσβυτῶν distingui, quia γέροντες illi sunt qui ultimam ætatem agunt, & qui à nobis ultimi senes uocantur. πρεσβύται uero illi sunt, qui in primo senio uersantur, & hoc perpetuum esse existimarunt. At Galenus illos coarguit, quoniã hic Hippocrates utitur uocabulo πρεσβύται, tamen de his sermonem habet qui in ultima ætate sunt: ad hos enim sermonem terminat tanquam ad ultimos in hominum ætate.

SECVNDO rationem reddit, cur in his senioribus destillationes fiant, quoniam inquit partes, quæ ad caput attinent, in his decrepitis facile refrigerantur, & multæ pituitosæ superfluitates in ipsis fiunt. nam ex decursu ætatis, cerebri partes satis frigidæ effectæ sunt.

Quod legitur, Hi uero sæpissime à destillationibus quæ sunt cum tussi, capiuntur, Aldinus codex eodem modo legit ἁλίσκονται δὲ ὅτι συνεχέστατα κατάῤῥοις βηχώδεσι, & meus antiquus codex eodem modo legebat. sed ille antiquus qui librum scripsit, contextũ aptauit, & ubi βηχώδεσι legebatur, ipse βραγχώδεσι. idest, destillationes, quę raucum faciunt, legendum instituit.

Quod etiam legitur, cum iam satis frigidam cerebri habeant temperaturã, contextus Gręcus habet ψυχρὰν τὴν κρᾶσιν ἱκανῶς ἤδη γινομένων τῶν περὶ τὸν ἐγκέφαλον: ubi apparet illam particulam, τῶν περὶ τὸν ἐγκέφαλον, non esse exponendam, cerebri, sed potius partium quæ circa cerebrũ sunt. nam in hac ætate omnia membra, & illa etiã quę calida sunt, frigida efficiuntur, & non solum frigidissimæ partes, quale cerebrum est.

TERTIO, cur asthmata fiant, rationem assignat inquiens, cum habeant frigidiora capita, in quibus pituitosę superfluitates abundant, ad respirationis instrumenta destillant. immo quandoq; hę materiæ ad renes tendunt, & obstruuntur, & lapides generantur, quando crassa materia ibi firmata, in callum redacta fuerit. Quod autem legitur, in similem callo substantiam transierit, græce scriptum est, πωρώδη λάβῃ σύστασιν. uides Leonicenum hanc particulam πωρώδη interpretatum esse similẽ callo, cum potius lapideum significet, & durum. nam græci uerbum habent πωρέω, quod solidare, & durum facere significat, & πῶρος dicitur lapidosa articulorum duricies. propterea & hic interpretandum est, in lapideam substantiam transierit, & non in similem callo.

QVARTO docet articulorum dolores duplici de causa fieri posse, uel ex superfluitatibus ad hæc loca fluentibus, uel ex frigiditate instrumentorum, quæ natura ad eorum motum fabricauit.

QVINTO docet, & uertigines ipsas duplici de causa contingere posse, uel propter spiritum uaporosum, qui in cerebro est, & in suis partibus inordinato motu mouetur:

 uel exhala

uel exhalatio uaporosa ex uitiosis humoribus in uentriculo aceruatis ad cerebrũ fertur.

SEXTO docet nullum morbum esse magis peculiarem huic ætati apoplexia, quia cerebrum pituita repletur.

SEPTIMO, uniuersaliter profert omnia ulcera, quæ senibus contingunt, ob sanguinis defectum difficulter sanari: unde sese frequenter scalpunt, & pruriginem incidunt, quia superfluitates, quæ pruritum faciunt, difficilem habent per cutim euacuationem. In hac enim ætate cutis ob frigiditatem densatur, & multa superflua crassiuscula habent, quæ & pruritum faciunt, & difficulter mitigantur, ut non nisi magno negocio in sanitatem reduci possint.

Quod legitur, se scalpunt, utitur uerbo κνῶνται, idest scalpuntur.

Quod etiam legitur, & quod prurigines appellant, Græce est, ὀνομάζει, idest appellat.

OCTAVO rationem reddere cupiens, cur in hac ætate uigilent, inquit, hoc non esse in omnibus necessario, immo aliqui sunt, qui optime dormiunt. At cur uigilent causa est, tum quia senectus plena curarum est, tum quia siccum corpus habent, tantoq; magis uigilant, quanto magis sani sunt. Nam ut in libro De temperaturis edocuit, partes corporis in senectute sicciores fiunt, tamen & pituitam aceruari contingit. propterea multi decepti sunt, putantes senectutem frigidam & humidam esse. Ad rem igitur redeuntes, illi, in quibus superfluitates pituitosæ aceruantur, & non excernuntur, plurimum dormiunt. Illi uero, in quibus bene excernuntur, peruigilant: cum autem sani sunt, pauciores superfluitates generant, & citius excernunt, propterea quando sani sunt, propria ipsorum passio uigilia est.

Quod dicit, quia senectus plena curarum est, Græce legitur, ὅτι φροντιστικόν πως ὑπάρχει τὸ γῆρας. Prouerbium antiquum est, plena curarum senectus. Sed adde tu, & morborum omnium, atq; uitæ discriminum, ut in eo carmine habetur,

φόβου τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον, idest,

Metue senectam, non enim sola aduenit. Et id aliud passim inuulgatum,

χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρος, idest

Pergraue senectus est onus mortalibus.

& apud Terentium in Phormione, Senectus ipsa morbus est. unde & Homerus 8. Iliados.

σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ τε γῆρας ὀπάζει, idest

Viribus effœtum iam te premit aspra senectus.

Est apud Homerum frequens χαλεπὸν γῆρας, idest molesta senectus, quam tamen Aristoteles in quinto libro De animalibus νόσον φυσικὴν, idest, naturalem morbum uocet. De qua hæc dicta satis sint, si illud Virgiliarum addiderimus, de senectute in Georgicorum libris.

Subeunt morbi, tristisq; senectus. nihil enim aliud est, quàm defectus, declinatio, & extrema debilitas, de cuius incommodis pleni sunt, & uniuersim consperſi authores, Quamuis Marcus Cicero totis uiribus illam ab aliorum calumnijs defendere nitatur. Sed nos ut huic libro finem condonemus, hæc dissidia his authoribus discutienda relinquamus.

Quod dicit, in quo aũt tempore hę plures aggregantur, deest particula, circa cerebrũ, uel in cerebro: legi enim debet, in quo autem tempore plures in cerebro aggregantur: nam Græcus contextus hoc modo scriptus est, ἐν ᾧ μὲν χρόνῳ ταῦτ᾽ ἀθροισθῇ πλείω περὶ τὸν ἐγκέφαλον. immò & addere conuenit, quia si in alia parte essent, somnolenti necessario non fierent.

Quod etiam legitur, In quo uero magis excernuntur, peruigilant, hæc particula peruigilant, Græce est ἀγρυπνητικοί, idest uigilantiores, & potius hoc modo interpretandum est, ut hęc particula uigilantiores, illi correspondeat, magis somnolenti.

Quod etiam ita scriptum est, contingit autem & parciores superfluitates generari, & citius excerni, magis eo tempore, quo salubriter degunt. In hac sententia hæc particula, magis, in græco codice abest.

NONO causam assignat, cur in senioribus oculorum & narium humiditates fiant, scilicet ob cerebri superfluitates, quæ ad aluum sępe fluunt, & eam humectant.

Decimo

DECIMO propter sensibilis impotentiæ imbecillitatem, hebetes uisus, & grauiores auditus fieri dicit.

Deniq; inquit in senioribus glaucedines fieri, propter siccitatem immodicam instrumentorum, & quia suffusionis speciem habent. Immo multi antiqui (decepti tamē) suffusionem esse putarunt. Sunt uero longe distincta γλαύκωμα, idest, glaucedo, & ὑπόχυμα, idest, suffusio.

Quod legitur, Quibus eis ad aluum defluentibus, legi debet, quibus eisdem. nam Græce est τῶν αὐτῶν δὲ τούτων. etenim si legamus eis, ad senes referendum uidetur; at ad ipsas humiditates referri debet. Ideo quibus eisdem, et reliqua, potius legēdum est. Itaq; huic nostræ interpretationi in tertium librum Aphorismorū extremam manum imposuimus die. 30. Maij, Anno à Christi ortu. 1537, eam uero inceperamus die. 26. Februarij eiusdem anni, quam in triginta quatuor lectionibus exegimus, dum publice in Ferrariensi Academia hunc librum interpretaremur.

TERTII LIBRI

FINIS.

AD MAGNIFICVM ALPHONSINVM TROTTVM EQVITEM HIEROSOLYMITANVM ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.

NESCIO magnifice Alphonsine, quid illud in te sit tam glutinosum & tenax, quo in morem Magnetis, omnes qui literas ac bonas disciplinas sectantur, in tuum amorem prouocas, et quasi hamo quodam irretitos tenes. Quum mecum ipse cogitarem quid hoc esset, statuebam bona fortunæ id efficere non posse, quandoquidem multi diuitijs affluētes, à probis tamen uiris odio habeantur, id quod certum est, Naturæ bona multo minus hoc efficere posse, cum & multos his bonis præditos sapientibus inuisos uideamus. Sed (ni fallor) hamus hic tam glutinosus & aduncus, ut uideo omnes existimare, in animi bonis situs est, quæ adeo ample & fulgide in te splendent Alphonsine uir Magnifice, ut omnes facile in tuum amorem pellicere possis his animi bonis, idest, egregijs uirtutibus, liberalitate, animi magnitudine, comitate: fortunæ, atq; naturæ bona tam indissolubili nodo iūxisti, ut ex ijs diuinitas quędā resultet, qua omnes in tuum amorem uelint nolint pertrahātur. En ego diuino quoque hoc numine ductus, in tuum decus Quartum hunc Aphorismorum librum in lucem prodire uolui, quem si læta (ut soles) fronte te excepisse intellexero, multum eius commendationi acreuisse, mihi certo persuadebo. Bene uale, & me ama.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN QVARTVM LIBRVM APHORISMORVM Hippocratis & Galeni, Commentaria, & Annotationes.

IOT SVNT ILLA, ET TAM VARIA, QVAE in hoc libro ab Hippocrate edocentur, ut eorum quæ ab ipso dicũtur nulla breuis repetitio fieri possit, & tanquàm prçludiũ, quod ipso Hippocrate breuius sit. Adde, aphorismos istos tam diuersos esse, ut hominum facies sunt. unde Hippocratis sententiam breuibus, & per epilogum explicare, prope impossibilitatem accedit, uerum si aliqua breuis introductio fieri contingat, hæc est quæ sequitur.

In hoc libro ab Hippocrate canones quosdam edoceri, quos necessarium est, Medicum secundum artem incedentem, in omni euacuatiõe tam naturali, quàm arte facta obseruare, & totis uiribus attendere.

APHORISMVS I

VTero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & usque ad septimum, sed has minus. Iuniora autem, & seniora uereri oportet.

BRASAVOLVS

NON ab re fuit Hippocratem de purgatione sermonẽ facturum, ab ea carceres aperire, quæ cæteris periculosior existit, ut eius discipulum in hoc discrimine constitutum, promptiorem reddat, qui & quo tempore, & quibus affectibus id fieri possit & debeat, prompte cognoscat, & secundum certas Hippocratis leges operetur. Nempe hæc purgatio, à qua incipit, & si periculosa, plerunq; tamen necessaria est. nam ut Philothei suerbis utar, *περὶ καθάρσεως διαλέγεται τῶν ἐγκυμονουσῶν γυναικῶν, καὶ διδάσκει πότε δεῖ καθαίρειν αὐτάς.* idest, De prçgnantium mulierum purgatione disputat, & quãdo illas euacuare oporteat edocet. Breuisq; huius aphorismi sensus est, utero gerentes medicandæ non sunt, nisi materia turgeat. Immo & si turgida sit, tempus in quo fieri possit, considerare oportet: nam quarto, quinto, sexto, & septimo mensibus (quãdo expedit) euacuare oportet. tamen quæ septimum mensem agunt, minus purgandæ sunt, idest, in his diutius considerandum, & temere agendum non est in hoc mense, in quo quandoque pariunt, & fœtus superuiuere possunt, ne inconsulte purgemus. ut id denicq; colligi possit, prçgnantem, quæ iunior sit quarto mense, & quæ antiquior septimo, purgandas non esse. at si quandocq; ab aliquo affectu purgare cogamur, id non sine magna cautione tentare oportet.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρις ἑπτὰ μηνῶν. idest, Vtero gerẽtes, si materia turget, medicari conuenit quarto mense usq; ad septimum.] Multa sunt circa utero gerentes mulieres, & earundẽ purgationes atq; morbos speculatione digna. Hippocrates nunc de sola materia turgida sermonem habere uidetur. Materia uero turgida uocatur, quæ cõcitata est, & loco stare non potest, sed absq; ordine mouetur ut discrimen sit, ne mẽbro nobili infigatur, & illa pereat, quæ materia hac turgida afficitur. Philotheus quid esset turgere edocens inquit, *ὀργᾶν δὲ τὸ κινεῖσθαι*, idest, turgere autem moueri est. Cum autem materia turgida est, morbum acutum esse oportet. nam & citę terminationis est, & grauia symptomata habet. Addeq;, hãc materiam necessario calidam esse. At

esse. At fieri potest mulierem utero gerentem acuto morbo corripi, & tamen turgidam materiã non habere. Propterea multa à nobis hoc loco discutienda occurrunt, quæ nũc per ordinem describemus. Primo an in utero gerentibus, acuto morbo correptis, sed non turgido, pharmaco, idest, medicamento purgante uti conueniat. Secundo, an turgente materia purgatio solum in quarto mense usque ad septimum fieri debeat, etiam si ante quartum, uel post septimum turgeat. Tertio, an in utero gerente ægra, in qua expediat, sectio uenæ fieri debeat. Vt nos hæc dubia eo faciliori modo quo fieri possit, remoueamus, scire oportet, cũ Hippocrates utitur uerbo φαρμακεύειν, uehemens pharmacum propinare, aut uorandum dare intelligit. propterea à Philotheo dicitur, φαρμακεύειν δὲ τὸ καθαίρειν, idest, Medicari est purgare medicamento cathartico, qualia sunt scamoneum, colocynthis, & eiusdem generis alia. nam tempore Hippocratis Manna, cassia (quam nos siliquam oblongam uocamus) & Rhabarbarum, ignota erant. Cum ergo accidit morbus acutus, & non turgidus, quia acutus, materia (ut plurimum) calida est: at quia non turgidus, materia fixa & inhærens erit. Si ergo utero gerentem mulierem hoc morbi genere corripi contingat, medicanda non est. hoc ita persuaderi potest. Hippocrates in primo Aphorismorum libro, aphorismo uigesimoquarto docuit, in acutis passionibus, & in principijs, raro nos medicamentis purgantibus uti debere: & quando uti expedit, etiam cum magna præmeditatione faciendum. Idq; tam in uiris, quàm in mulieribus simpliciter intelligit: quanto magis in utero gerentibus mulieribus premeditari oportebit, & purgationem euitare debebimus: presertim quia in præadducti aphorismi commento à Galeno dicitur, omnia pharmaca esse potentia calida. cum uero morbus acutus sit calidus, obesse potius quàm prodesse poterunt. Adde, quod medicamenta plurimum agitant, ideo aborsum facere poterunt, & fœtui atque matri mortem inducere. Scito tamen quod Galenus libro tertio Epidemiarum hunc Aphorismum adducens annotauit paucissimas prægnantes ex his acutis morbis absq; corruptione fœtus euadere, & quod in tertio & quarto mense magis sanantur quàm in alijs. Immo adest Hippocratis aphorismus in quinto libro dicens, Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est. In quo loco Galenus dicit, morbum acutum cum febre continua esse. Si uictu morbo conuenienti uti uelimus, infantem interficimus. nam hic uictus est nimis tenuis, propterea illi nutrimentum auferimus. At si pleniorem uictum quàm morbo conueniat exhibere uelimus, morbus augebitur, & mater unà cum filio peribunt. Ad rem igitur redeuntes, primæ dubitationi ita satisfactum iri uolumus, Mulierem utero gerentem, quæ morbo acuto correpta sit (modo ipsa materia non turgeat) non esse medicamento purgante, qualia erant quæ ab antiquis cathartica uocabantur, euacuandam. At nos aliqua habemus medicamenta quæ in eorum numero quæ euacuant, collocari possunt, tamen utero gerentibus propinari possunt, & non procurant aborsum: qualia sunt præparata cassia ne flatus excitet, Rhabarbarum, Manna, quæ tuto exhiberi possunt, & non fiet aborsus. immo in dies, quando opus est exhibemus, & nulla incidunt discrimina utero gerentes mulieres. Adde quod Paulus Aegineta in principio sui primi libri Rhaponticum utero gerentibus præbet, etiam in passione nullius ferè momenti. tamen Rhaponticum (si alia res sit, quàm Rhabarbarum, ut re uera est) easdem uires habet, quas Rhabarbarum possidere dicitur, sed debiliores & inefficaciores. Ideo pro Rhabarbaro duplex Rhapontici pondus propinant Arabes, & proficit. estq; adstringentium uirium Rhabarbarum, posteaquàm peccantem materiam eduxerit. propterea fœtum in utero corroborat atque confirmat. Licet nonnulli recentes ausi sint dicere, & aperte profiteri, quod utero gerentibus aduersetur, quod & absurdum est, & suis Arabibus repugnat, qui tamen soli de Rhabarbaro loquuntur. In acuto igitur utero gerentium morbo, ubi materia non turgeat, pharmaco uti non debemus, per pharmacum medicamẽtum electiue euacuans intelligẽtes, ut Galenus & Hippocrates ipse intelligũt. Tamen et alterare, & euacuare licet per ea medicamẽta, quæ à recentibus Benedicta nuncupãtur. Quo euacuandi modo ego in dies utor, et semper ad uota succedit. Et ratio in prõptu est, quia hęc medicamẽta non agitant, immo utero gerentes, ex spõtinis suis uomitionibus, quas habẽt primis mensibus, magis perturbantur, quàm ex his euacuationibus. Immo unũ hic addam,

Mulieres

Mulieres illæ utero gerentes, quæ ideo abortire solent, quia acceptabula plena mucoris sunt, si frequenter dum utero gerunt, Rhabarbaro utantur, continent, & ad partum usque fœtum deducunt, ut nos hoc anno experientia uidimus. Ab aloe tamen summe cauendum est.

Ad secundam dubitationem, constat Hippocratis sententiam esse, si in utero gerēte materia turgeat, & concitata sit, purgari debere. & hoc Galenus, atque omnes alij antiquiores medici cum Hippocrate sentiunt, idque medicamēto purgante, idest, forti, & humori turgenti conueniēti, qui plerunque calidus est, fieri uolunt. tamen non est nisi euacuatio coacta, quā non tentaret medicus, nisi uitæ discrimē præuideret. Sed an quarto mense usque ad septimum hæc purgatio solum fieri debeat, & non primis mensibus, neque ultimis, etiam si materia turgeat, non mediocre dubium incidit. pro quo enucleādo nos dicimus, Hippocratis sententiam non esse, quod alijs mensibus si materia turgeat, purgatio fieri non debeat, præterquam à quarto usque ad septimum. immo in quocunque tempore materia turget, semper euacuāda est. nam ut in decimo aphorismo sequēti dicet, cum materia turget, eadem die medicandū est, neque expectare oportet. quia expectare in his nocuum est, atque periculosum. Ideo turgente materia, in quocunque mense sint utero gerentes, in primo, secundo, septimo, uel octauo, semper purgandæ sunt, nec expectare oportet, quia nocuum est. Quod uero ab Hippocrate dicitur, quarto usque ad septimū utero gerentes purgandas, ita intelligi non debet, quod alijs mensibus purgari non conueniat, quando opus fuerit. Sed hic est sensus, cū materia turget etiam in utero gerētibus, semper purgandum est, tam in primis & ultimis mensibus, quam in medijs, tamen illa purgatio quæ quarto mense usque ad septimū fit, tutior est, quam quæ in primis & ultimis mensibus exercetur. unde utero gerentes si materia turgeat, quarto mense usque ad septimum sunt medicandæ, quod tutius, & sine ullo incōmodo fieri potest. At in alijs mensibus si materia turget, medicandū quidē est, sed non ita tute, nec præter aliquod discrimen fœtus. & ratio in prōptu se offert, quia primis illis mensibus, ligamenta fœtus tenella sunt, mollia, subtilia, ut facile à purgantis medicamenti cōmotione disrumpi possint, ętate uero procedente, crassa, dura, & robustiora fiūt, & ideo minus lædūtur. Adhuc procedente ætate cum fœtus ad maturitatē accedit, grauior fit, & adeo ponderosior, quod pauca etiam, & parua cōmotione facta, disrūpuntur ligamenta, ut Galenus in cōmento egregie per exemplum in arboribus edocebit. Simpliciter igitur semper sunt medicandæ si materia turget, sed tutius est quarto mense usque ad septimū, quam primis, uel ultimis mensibus. Nos præterea tutiorem uiam habemus, quam antiqui habuerint; quoniam Rhabarbarum, cassiam, mannam, & alia eiusdem generis exhibemus, quæ antiquioribus medicis occulta erant, & penitus ignota. hæc enim, non modo non agitant humana corpora, sed longe corroborant. Auerois aūt tertio libro eiusdem uoluminis, quod inscripsit Colliget, capite quarto, hunc aphorismū adducit, sed nō per uerba Hippocratis, ita enim scriptum reliquit. Dicit Hippocrates, Mulier prægnās non debet phlebotomiari, nisi quando embryonis uirtus fuerit fortis, hoc est à quarto mēse usque ad septimum, nisi humores fuerint furiosi, & pharmaciā concedit tunc. ego autem dico quod phlebotomia quando adest repletio, qua embryo non indiget, non est mala, sed pharmaciam non credo ad bonum peruenire finem, immo necessario lædit embryonem. Hæc Auerrois satis incompte, qui statim tribus argumentis probare nititur, fœtum à medicamentis lædi. Primum est, quia medicamentum in se substantiam uenenosam habet, ideo fœtum interficere poterit, illum enim ueneno afficiet. Secundū, malos humores adeo concitare poterit, quod ad fœtū profluent, & ipsum lædent. Tertiū, omnia purgantia medicamēta, urinam prorītant, quę uero illam prorītant, menses etiam prouocare possunt. quod autem menses prouocat, abortire facit. propterea sententiā hanc tanquam ab Apolline dictā Auerrois infert, Medicamenta utero gerētibus propinanda non esse, unde in his uenæ sectio fieri debet. Medicamenta uero euitare oportet. Sed Auerrois (me iudice) prauo, inuidoque animo in Hippocratē utitur. primo enim mentitur, ab Hippocrate dici, uenā mulieri utero gerenti secandam non esse, nisi à quarto mense usque ad septimum, quando fœtus uires robustiores erunt. immo libro quinto, aphorismo trigesimoprimo, Hippocrates dicit, Mulier utero gerens sanguine misso ex uena, abortit, & magis si fœtus sit maior

sit maior. Et Galenus in commento rationem reddit, quia nutrimentum illi demitur: tamen pluri utitur, quàm cum esset in primis mensibus. Argumenta uero illa, quibus Auerrois probat mulieri utero gerenti medicamentum exhibendum non esse, nullius momenti sunt. nam supponimus materiam furiosam esse & concitatam, quæ apte per sectionem uenę educi non potest, ideo si euacuari debeat, medicamento sibi conuenienti indiget. Id certe uerum est, medicamentum omne aliquid uenenosi participare, sed à nobis corrigitur. præterea uis ueneni demitur, ex transitu quem facit medicamentum per matris uentriculum & hepar. Adde, quod medicamenta uias uteri ita facile non petunt. Denique si materia illa turgida omittatur, adhuc peius est, quia ueneno participat: unde & matrem & filium æque interficere poterit. Idcq; contra Auerroem dicamus, Hippocratem libenter medicamenta non propinare, in his præsertim quæ utero gerunt. Sed à morbo coactus exhibet: ut uel utrorunq; mortem, uel saltem matris euitet. At Hippocrates non ignorabat, his medicamenta exhibere non esse conueniens: sed uis morbi, & materia turgida ad hoc inuitant atque perpellunt. Ad secundum quod est, medicamentum humores in motum ponere, propterea ad fœtum confluere posse. Respondemus, Auerroem parum prudenter argumentari: quippe qui non considerauerit, iam in motu esse atque defluxu, quia turgidi. ideo & sine medicamento ad fœtum cōfluere possunt. immo cum materia turgida est, minus potest ad fœtum defluere sumpto medicamento, quàm non sumpto: quia medicamentum naturaliter per aluum, aut per uomitum ducit. Tertium Auerrois argumentum simpliciter absurdissimum est, quod omnia medicamenta purgantia urinam prouocent. Immo hoc etiam gratis concesso, dicimus non exhiberi medicamentum, ad corroborandum fœtum, sed solum ut prohibeamus ne turgida materia huc illucq; uagans, fœtum & matrem interficiat. Scimus enim, medicamentum exhibere malum esse: sed maius malum est non exhibere. ex duobus autem malis, minus eligere oportet. Cum igitur ab Hippocrate utero gerenti medicamentum præbetur, inuite præbetur. ita uero operari cogitur, ne maius malum sequatur, quod est mors, uel fœtus, uel matris, uel utriusque, nisi furiosa materia euacuetur. Ad tertiam dubitationem de uenæ sectione, respondemus, Si utero gerens magnam sanguinis copiam habuerit, & talem abundantiam, ut pro fœtu, & pro ipsa nutriendis satis habeat, & aliquid etiam superabundet: tunc in quocunque tempore (quando opus est) uenæ sectio tuto fieri potest. Tamen primis illis mensibus, cum fœtus adhuc paruulus est, & tanto nutrimento non indiget, securius fieri potest, quicquid de hac re Auerrois sentiat. At si magnam sanguinis copiam non habuerit, sed uel paruam, uel tantam solum, quæ satis sit. Tunc dicimus uenam post tertium mensem secandam non esse, sed potius medicamēto uti debemus, quod secundum materiam peccantem exhibeatur: in tali enim non abundat sanguis, & fœtui nutrimentum demeretur, itacq; periret. In primis uero mensibus fieri potest, quia fœtus tanto nutrimento non indiget. propterea mulieres primis mēsibus multas materias euomere solent, quia fœtus tot menstrua non cōsumit, quot habet mater. Et hæc est Hippocratis & Galeni sententia quinto aphorismorū libro, aphorismo. 31. ubi Hippocrates dicit, Si sanguis è muliere utero gerente è uena mittatur abortit, & magis si fœtus sit maior. Galenusq; in commento addit, quod non solū ex sanguine misso ex uena fœtus destruitur, sed etiā ex longiori inedia. unde quanto maior est fœtus sanguine misso, tanto magis destruitur, quia plurimo indiget alimento. At in morbo utero gerētis ex materia furiosa cōparatione facta, dubitare contingit, quid magis faciendū sit, an sectio uenæ, uel medicamēti exhibitio. Peto an magnam sanguinis copiā habeat, & materia furiosa sit, tali furore, quod per uenæ sectionem sanari possit: quoniam si sit biliosa materia (quæ ut plurimum est) per uenæ sectionem non bene euacuatur. Si ergo turgida sit, & eo modo quod per uenę sectionem sanari possit, & magnam sanguinis copiam habeat, in quocunq; tēpore melius est secare uenam, q̃ medicamentum exhibere. Si aūt sanguinis copiam non habuerit, & in quarto, uel post quartū mensem sit, medicamento uti melius erit. Quādo uero omnia æqualia sunt, idest, quod per uenę sectionē sanari possit, & multo sanguine nō abundet, in principio melius est per uenę sectionē ꝓcedere, q̃ per medicamētū. At si materia turgeat, et ꝑ uenę sectionē euacuari nō possit, in quocūq; tpe medicamēto uti opus est.

Cum uero

Cum uero sanguinis copia non adfuerit, & ita per medicamentũ, sicuti per uenæ sectionem demi possit, in his quæ excedunt quartum mensem, potius medicamento uti debemus, quàm uenæ sectione. Scito tamẽ materiã furiosam plerunq; per medicamẽta euacuari.

In illa parte, Quarto mense usq; ad septimũ, decepti sunt Iacobus, Vgo, & cæteri recentiores, ideo cogũtur illã partem dupliciter interpretari, inclusiue, & exclusiue, uidelicet includẽdo quartum mẽsem & septimũ, & excludendo quartũ mensem et septimũ, & de uero sensu explicare se nesciunt, quoniã ueram interpretationẽ nõ habebant. nam illa præpositio à superest, nẽpe legi debet sine præpositione à, quarto mẽse usq; ad septimũ. Si enim ita legatur, manifeste apparet quod mẽsem quartũ excludere non possunt, quoniã Hippocrates dicit, quarto mense purgandas esse, quod est in ipso quarto mense cõstitutas. Idq; magis perfectum est in Græca lingua, in qua dicitur τετράμηνα, ac si dicat quadrimestres, quo uocabulo eas explicat, quæ in quarto sunt mense. Quod etiam septimũ mensem incluserit Hippocrates, particula, quæ statim sequitur, ostendit. Illa inquam, minus uero hæ, scilicet utero gerentes, quæ in septimo mense sunt, purgare expedit. At non mirum quod ita interpretentur, quoniam ut statim uidere licebit, hanc particulam, Minus uero hæ, adeo extorte intelligunt, ut nihil peius dici possit, uel excogitari. Immo & Cõciliator differentia. 166. summe hallucinatur, uolẽs hic septimum mensem ab Hippocrate excludi. Nouem etenim menses in tres partes diuidit. primo secundo & tertio mensibus potius uenam secat, quàm medicamentum præbeat. quarto, quinto, & sexto potius medicatur, quàm uenæ sectionem exerceat. septimo, octauo, & nono nihil facere instituit. Deniq; infert, Hippocratem exclusiue intelligendum esse, usq; ad septimum, septimum ipsum excludentes. Sed (ut statim uidebimus, hoc modo intelligere impossibile est, ob hanc particulam, Minus uero hæ, quæ sequitur. Sed quia Arabes, & eorum imitatores de hac re plurima dicunt, quæ Hippocrati & Galeno aduersantur, tu illos lege, qui bonos authores imitaris, & ex teipso (si eorum dicta recte recenseas) satisfacere nihil impediet. mihi enim animus non est illos authores Græcis immiscere, ne simul tritico loliũ miscentes, bonas horas perdere uideamur. Cur uero quarto mense medicamento uti debeamus, Philotheus rationem assignat, inquiens, τὸ τηνικαῦτα γὰρ ἀκριβῶς συνέχεται τῇ μήτρᾳ τὸ κυοφορούμενον. ὥστε καὶ κινήσεων σφοδροτέρων ἀνέχεσθαι τὴν κύουσαν, τοῦ ἐμβρύου μηδὲν ἀδικουμένου. idest, Tunc enim fœtus, qui utero fertur, diligenter ac tuto uulua continetur: & prægnans uehemẽtiores motus perfert, quũ embryum siue fœtus nulla sit iniuria affectus.

ἧσσον δὲ ταύτας. idest, Minus uero has, quæ sunt in septimo mense purgare expedit.] Græcum contextum habemus, in quo legitur ἧσσον δὲ τὰ ταύτας, idest, minus autem quæ iuxta has sunt, idest, quæ in octauo mense erũt. Sed hunc codicem, sicuti in multis alijs, ita in hoc deprauatum esse iudicamus. Leoniceni interpretatio corrigi debet. quod enim dicit, Sed has minus, lege Sed hæ minus scilicet purgandæ sunt. Iacobus, Vgo, & alij recẽtes hanc partẽ ita intelligũt, quod utero gerẽtes non gerẽtibus utero minus purgandæ sint, & ideo sensum faciunt minus uero hæ, scilicet utero gerentes sunt purgandę, quàm non gerentes utero. At quàm insulse, ne dicam ridicule aberrent, quisq; etiam mediocriter eruditus intelligere potest. quid eñ egregium ab Hippocrate diceretur, si eius uerborum sensus sit, minus purgãdas esse utero gerentes, quàm non gerentes utero? Quis enim adeo pinguis mineruæ in hoc dubitare posset? quippe certum est, utero gerentes periculum incidere, quod non gerentes utero non incidunt. & quod mirũ est, ipsi ac si egregium facinus aggrediãtur, id totis uiribus probare nituntur: quia utero gerentes debiliores sunt non gerentibus utero, & quia ex euacuatione maiora nocumenta incurrere possunt. O rem egregiam quam probarunt. Adduntq; illam dictionem minus, tribus modis exponi posse. primo, minus frequẽter. secundo minus, quia minori & debiliori medicamento. Tertio minus, quia minori euacuatione. at ipsi tot inculcarunt atq; exaggerarunt, quia Hippocratis sentẽtiam ignorabant. Nos autẽ ueram ueritatem exprimentes dicimus, Hippocratis sensum esse, minus uero hæ, idest illæ quæ in septimo mense sunt, minus purgari debent, idest tot non sunt quæ in septimo mẽse sunt purgandæ, quot illæ quæ in quarto quinto & sexto. Ratióque in promptu est, quia multæ in septimo mense pariunt, quarum partus superueniunt, & illæ purgandæ non sunt.

Tu uero

Tu uero statim dubitabis, quomodo hoc sciri posit, quãdo uterũ gerens septimo mẽ se paritura sit, & quando non sit paritura, ut tunc purgationem euitare posimus. Respondemus, apud Hippocratẽ & Aristotelem in libro De animalibus, certas quasdam regulas de hac re inueniri, quas si discere cupias, hæ sunt quæ sequũtur. Statim cum semen in uterum recipitur, uterus tanquam manus ipsum capit, stringit & cõtinet, & circa ipsum pellicula quædam connascitur, quam secundam uocant, quæ & semen continet, & fouet, hocq; ab Hippocrate in principio de fœtus natura edocetur, hoc modo dicente. Si quidem semen ab utrisq; profectum in mulieris locellis remanet, primum quidem simul miscetur utpote fœmina nõ quiescente, cogiturq; & crassescit, calefactumq; densatur. Spiritum deinde cõcipit, tumescitq; utpote in loco calido cum sit, adeo quod Hippocrates dicit, in sex dierum spatio cuiusdam pilæ formam habere. Nam casum ancillæ suæ uxoris refert Musoergos nomine, quæ cum hominibus uersabatur: ut uideretur honesta concepit, putamus nos intelligendum esse, ut uideretur non abuti uenere. Hippocrates hoc sciens, septimo die iussit ut è loco alto desiliret. Sciebat autem esse talem diem ipsa, quia obseruauerat, semen quod receperat non exisse. Cum ista è loco altiori desiluit, semen in terram decidit, & sonuit. Erat autem simile, si quis oui putamen auferat, membranamq; interiorem relinquat, quod intus est liquidum comperiet, quod similiter ferè habebat, tamen coloris rubri, & rotundum erat quædamq; fibræ crassæ albæ in membrana inesse cernebantur sanie crassa & rubra conuolutæ, circaq; membranam extrinsecus uarices quædam cruentæ connectebantur, medioq; membranæ loco tenue quid extabat, quod mihi umbilicus uidebatur, quia primo respiraret, membranaq; tota semen complexa ex eo circuntendebatur, hoc est quod semen acquirit in sex diebus. Postea paulatim procedit, ut in nono die uirtus formatiua incipiat lineamenta partiri, in quintodecimo die sanguis per totum penetrauit. Infans autem si fœmella sit, longius spatium formationis fit in diebus quadragintaduobus. Si uero mas fit, longius spatium est triginta duorum dierum. nam plerunq; (inquit Hippocrates) hoc tempore, uel paulo quidem maiore, aut minore tempore conformatur. His prælibatis, scito mulieres quæ alias concepere, quando cõcipiunt id scire: & quia multæ tales dicunt quòd ignorant, mentiuntur omnes, nisi stolidæ sint. Illæ autem quæ nondum concepere ex hoc scire possunt, quando semen uterum non exierit. Semper enim uterũ exit, nisi conceperint. Si hoc tempus obseruent quod omnes obseruant, & illæ quæ ut rei ignaræ uideantur, dicunt se non obseruasse, mentiuntur. Scit ergo mulier quæ tempus conceptionis obseruauerit, quod omnes prudentiores, & non ineptæ obseruant. Deinde obseruent quo tempore fœtus moueri incipiat. Si tertio mense moueatur, quod est spatiũ nonaginta dierum, hoc spatium in tres partes diuide. Tertia pars sunt triginta dies, ille fœtus in triginta dierum spatio fuit conformatus. nam cum infans conformatus est, si totum hoc tempus à conceptu ad conformationem multiplicando triplices, statim id tempus habebis, quo moueri cœpit. Si deinde totum tempus à principio cõceptionis usq; ad motum triplicando multiplices, in fine huius spatij temporis in lucem erumpit. Vnde qui in triginta diebus conformatus est, in nonaginta diebus mouetur. Si deinde nonaginta dies triplicabis, fient ducenti septuaginta dies, qui sunt nouem integri menses. Si in uigintiquinq; diebus conformatus sic in septuagintaquinq; moueri cœpit, in ducẽtis uigintiquinq; nascitur, qui sunt septem menses & semis. At si in uiginti tribus diebus conformatus sit, in sexagintanouem diebus mouetur, & in septem mensibus nascitur. Hanc igitur regulam obseruato, quæ non fallit, quando in septuagintaquinque diebus, uel sexagintanouem, uel circa mulier infantem moueri sentit, iudica hanc septimo mense parituram, hanc septimo mense non purgabis. Quod si feceris, purgatio tuta non est. at nihil considerandum est, si materia turget. Multi autem ex his qui septimo mense nascuntur pereunt. Causam uero in libro de septimestri partu asignauit Hippocrates. At increbuit fama, infantes omnes qui octauo mense nascuntur perire, & ita in libello de octimestri partu iudicauit Hippocrates. astronomi ex planetis rationem asignant. nam primo mensi Saturnus præest, secundo Iupiter, tertio Mars, quarto Sol, quinto Venus, sexto Mercurius, septimo Luna, quæ in partu benigna est: unde qui in septimo mense nascuntur, superuiuere possunt. Iterum octauo mense Saturnus regnat,

qui & pessimus & lethalis planeta est: propterea qui hoc mense nascuntur, obeunt; qui uero nonum mensem attingunt, cui Iupiter dominatur, planetarum benignissimus: & qui Saturni malitiam deijcit, hi superuiuere possunt. Naturales autẽ causam aliam adducunt, quia infans septimo mẽse conatum fecit, ut exiret, ideo agitatus est, & debilior effectus: unde si octauo mense nascatur, quia motus ille, & illa imbecillitas nõdum correcta sunt, propterea obeunt: at si nonum aut decimum mensem expectet, imbecillitas recedit, & effectus fortior superuiuit. Adde, dierum quadragenarias in octauo mense non esse perfectas, sed in septimo & nono perfectæ sunt: etenim septem quadragenariæ perfectæ sunt: ut in libro De octimestri partu, docet Hippocrates. Tuq; (si lubet) astrologos de genethliacis diebus & mensibus legere potes, ubi hæc suam rationem habere uident. Ptolomæus etenim, Hali, & multi alij, hæc ad unguem pertractarũt. Nos hoc tãtum addemus, simpliciter uerũ non esse octimestres occumbere & decimestres, ut dicit Hippocrates, licet excedant septimam quadragenariam: nam illustrissimi ducis nostri Herculis secundi primogenitus decimestris in lucem erupit, tamẽ non obijt. Sed de his aliàs ubertim agemus, simul & Plinij uerba de octimestri partu adducẽtes. Nunc id solum addemus, nos aliam causam assignare, cur in septimo uiuant, in octauo non uiuant infantes, quæ hæc est: Statutos esse à natura terminos generationis septimũ & nonum mensem: illi qui citius animantur, citius perficiuntur, & septimo mense perfecti exeunt, & uiuunt: hi si sexto mense erumpant, uiuere non possunt, quia imperfecti. Illi qui tardius animantur, tardius perficiuntur, & hoc est nono mense, uel supra nonum: hiq; non sunt perfecti in octauo, ideo si in octauo prodeant, moriuntur. Illi ergo qui in septimo habebant perfectionẽ, uiuunt, si in septimo gignantur, imò & si in principio octaui. Octauo autem mense nullus perfectus est, sed nono. Ideo nonus & septimus superuiuentes faciunt: alij minime. Hæcq; satis sint pro expositione illius particulæ, quòd pauciores debent in septimo mense purgari, quàm in quarto, quinto & sexto: nam illæ non sunt purgandæ, quæ septimo mense parere debent. Quæ autem hæ sint, ex præscriptis regulis inuenire poteris.

Τὰ δὲ νήπια, καὶ τὰ πρεσβύτερα εὐλαβεῖσθαι χρή. idest, Iuniora autem & seniora uereri oportet.] Vocabulum νήπια, puerilia & infantilia significat. At si ad Hippocratis sensum redeamus, iuniora optime uerti potest. Theodorus, recẽtiora interpretatus est: eas intellige quæ sunt in primo mense usq; ad quartum. Vnde Philotheus totũ id tempus, quo mulier utero gerit, in tres partes diuidit, inquiens, ἰστέον δὲ, ὅτι νήπια καλεῖ τὰ ἀπὸ τοῦ πρώτου μηνὸς, ἕως τοῦ τετάρτου, μέσα δὲ τὰ ἀπὸ τεσσάρων ἕως ἑπτὰ, πρεσβύτερα δὲ τὰ μέχρι τῆς γονῆς idest, sciendum autẽ quòd iuniora uocat à primo mense usq; ad quartum, media autem à quarto usq; ad septimum: seniora uero usq; ad nonum. Sensus uero Hippocratis est, nos ita temere, eas quæ sunt ante quartum mẽsem, & quæ post septimum, purgare non debere: sed quando eas purgare uolumus, quia opus sit, multum uereri. Ex quo educas ab Hippocrate non dici, iuniora & seniora non esse purganda, si materia turgeat: sed quod magna cum præmeditatione faciẽdum esset, & non nisi cum magna necessitate: quod in his quę in quarto mense sunt, usq; ad septimum, septimum ipsum includentes, ita presse considerãdum non est. Causa uero, cur in his uereri oporteat, est, quia primis mensibus fœtus ligamenta debilia sunt, atq; mollia: ideo facile disrumpi possunt. In ultimis etiam mensibus debilia sunt, tum quia prope natiuitatem, tum quia fœtus magis ponderosus est: ideo in his mensibus non sine timore purgabis. In medijs uero mensibus, ligamenta fortiora sunt, & crassiora: propterea purgatio tutius fieri potest, & sine periculo, uel cum minori periculo, quàm id esset quod primis & ultimis mensibus imminebat. Philotheus etiam easdem causas refert, cur primis & ultimis mensibus uereri oporteat, inquiens, ἐν μὲν τοῖς πρώτοις διὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν ἀρτημάτων, καὶ τῶν συνδέσμων, καὶ διὰ τὸ ἀσθενικὸν τοῦ ἐμβρύου, ἐν τοῖς τελευταίοις δὲ διὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν δυνάμεων, καὶ τὸ βάρος τοῦ κυοφορουμένου. idest, in primis quidem propter debilitatem retinaculorum & ligamentorum, & propter fœtus debilitatem: in ultimis uero propter facultatum imbecillitatem, & propter pondus eius, qui intus fertur fœtus. Scito tamen, quòd in primis mensibus sectio uenæ tutior est, ubi per uenæ sectionem sanari possunt: in ultimis est minus periculosa pharmacia. Si quis uero dicat, in ultimis mẽsibus prouocare ad exitum con

ueniens esse, ideo medicari præter rem non esse in utero gerentibus, nam & ad hanc intentionem balnea in illis temporibus fiunt: Ad hoc dicimus, & si forte ratione prouocationis conueniret, tamen quia nescimus an perfectus sit fœtus, ideo ne abortiuus ducatur, dari non debet: nec etiam ratione uenenositatis, quam habet medicamentum (licet hoc sit nullius momenti) exhibere conuenit.

GALENVS

AD VTEROS fœtuum connexus eandem habent proportionem, quam fructus ad plantas. Hi siquidem in prima generatione debilioribus capulis continentur, & ideo facile decidunt quando uehementior uentus ipsos concusserit. Post hac aucti, difficilem habent à plantis dissolutionem, sicuti rursus cum perfecti sunt sponte sua sine ui extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore seminis iniectionis, si aliquando saltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo, uel secundum animam, uel secũdum corpus moueri uehementius, facilime disrumpuntur. Sic quando & iam perfecti sunt. Tempore uero intermedio firmiorem habent coalitum, quare mulier utero gerẽs potest fortiores motus sustinere, sine fœtus offensione, quæ omnia Hippocrates noscens, recte inquit: Vtero gerẽtes sunt medicandæ, si materia turget quarto mense, usque ad septimum. quod est in medio tempore fœtationis, cum fœtus utero firmiter alligatur. Non tamen omnes quæ hoc tẽpore indigent purgatione, permittit purgari. Sed si materia turget, inquit, hoc est cogat accelerare. Tractum enim uocabulum est ab animalibus ad coitum cõcitatis, cum superabundantes humores mouẽtur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellẽdos natura incitatur, & aliquo indiget manũ porrigente, & hunc humorum motum ad aluum deducente. Eos uero qui aliqua in parte sunt firmati humores, nõ oportet mouere. Sic igitur & illud dictum est. Quicunque inflammationes in morborum principio medicamento conantur soluere, nihil de eo auferunt, quod intentum est, atque inflammatũ. Neque enim passio, ut quæ cruda sit, cedit: quæ uero sana sunt, & morbo resistunt, simul eliquant. Quod autem Hippocrates uerbo medicari, pro purgare medicamento, consueuerit uti: omnes confitentur, quicunque paruam habent de eius dictione notitiam. Nam ut quispiam alia omittat ipsius uolumina, & de solis scriptis aphorismis meminerit, nihil aliud per uocem Medicari, in eis posse significari, paulopost fiet manifestum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus pulchram fœtus similitudinem ad fructus in arboribus facit. fructus enim in prima generatione debiliores pediculos habent, propterea facile decidunt uehementiori aliquo uento spirante: succedente tempore crassescunt pediculi, & adeo robusti fiunt, ut difficulter decidãt. adhuc procedente tẽpore cum fructus perfecti sunt, sponte sua decidunt. idem in fœtu euenit, primis mensibus ligamẽta facile rumpuntur, si mulier uel cadat, uel saltet, uel aliquid simile contingat: eodem modo quãdo sunt perfecti sponte decidunt. Intermedio autem tempore fœtus adeo alligati sunt, ut facili motu separari non possint. Sed mulieres motus etiam grauiores, sine ullo discrimine pati possunt. Vnde & Oribasius hic dicit, in principio purgationem fieri non debere, quia subtilis adhuc est ipsa seminis coagulatio. In medio iubet fieri, quando iam ueluti confirmatum est semen. In ultimo uero non iubet fieri propter quantitatem, quia & uenæ & arteriæ plenæ sunt, & matrix iam nimiũ repleta est, adeo ut si uel graues odores senserint, ista substantia deponatur.

Quod in principio dicitur, Ad uteros fœtuum connexus: illa particula Connexus, Græce exqsitius exprimit̃ συμφύσεις, ac si dicat̃, cõplantationes, insitiones, cohæsiões.

Quod etiam legitur, Difficilem habent à plantis dissolutionẽ: Græce habetur, δύσλυτον ἔχει τὴν πρὸς τὰ φυτὰ κοινωνίαν. idest (si ad uerbum reddamus) difficilem solutione communionem habet ad plantas. Id enim uocabulum κοινωνία, communionem & societatem significat, non autem dissolutionem. Credendum uero est in Leoniceni codice illam particulam κοινωνία defuisse.

Quod etiam scriptum est, Tempore uero intermedio firmiorem habet coalitum: hęc particula Coalitum, Græce est τὴν σύμφυσιν, idest complãtationem: ut firmior quidam

naturalis connexus adnotetur.

SECVNDO aphorismum exponit, quod utero gerentes sunt medicandę si materia turget, quarto mense usq; ad septimum. Quod tempus medium est temporis fœtationis, quo tempore fœtus utero firmiter alligatus est. tamen omnes non sunt purgandæ, quæ hoc tempore purgatione indigent, nisi materia turgeat: multæ autem purgatione indigent, quas ob fœtum non purgamus. Hæ enim morbos acutos habent, sed non turgentes. nam cum turgentes sunt, ob periculum, quod imminet, purgamus.

Nos aũt si materia non turgeat, sed morbus acutus sit, adeo ut purgatione indigeat, cassiam, mannam, rhabarbarum, & similia propinamus. quæ sine ullo uitæ discriminę humores prauos educunt.

Quod in hac parte legit̃, Quarto mense usq; ad septimũ, accipere debet coniunctionem &, quarto mense & usq; ad septimũ: Græce enim dicit, τετράμηνα καὶ ἄχρις ἑπτὰ μηνῶν.

Quod etiam legitur, Hoc est cogat accelerare: Græce habetur τουτέστιν ἐπείγῃ, id est hoc est cogat, uel solicitet, uel urgeat.

TERTIO Galenus docet uocabulum ὀργᾷ. i. turget, deductum esse ab animalibus ad coitum concitatis. nam superabundantes humores cõcitati per totum corpus feruntur, & aliquo in loco firmati non sunt. natura enim ad hos expellẽdos mouetur: sed per se sola non potest. nam alterius auxilio indiget quod manũ quasi porrigat, & ad aluum ducat. Sed humores in aliqua parte firmati moueri non debent. unde alias ab Hippocrate dicitur, qui conatur inflammationes soluere medicamẽto in principijs, is nihil aufert de eo quod est intẽtum, atq; inflammatum. In hac enim passione, quando medicamentum exhibebimus, quod crudum est non demetur: quę autem sana sunt, & morbo contrariantur, illa à medicamẽto eliquantur. hinc aliqui dixere, uenarum sectiones, quæ in pleuritide, & in inflammationibus fiunt, esse potius diuersiones, & totius sanguineæ massæ euacuationes, quàm illius particularis materiæ quæ inflammationem facit. At si Galenum recte consideremus, de euacuatione per medicamentum, & non de sectione uenæ sermonem habet, quamuis id uerum sit, quod in illis principijs, uenæ sectio materiam quæ in locum fluxit, non euacuat, sed eam quæ fluxura est, diuertit.

Quod in hac parte legitur, Tunc ad eos expellendos natura incitatur: Græce habetur, τηνικαῦτα πρὸς τὴν ἀπόκρισιν αὐτῶν ἡ φύσις ὁρμᾷ. idest, Tunc ad eos expellendos natura impetum facit. ὁρμᾷ enim potius interpretandum est, impetum facit, quàm incitatur, quia quiete incitari potest, sed nunquam impetum facere quiete.

Quod etiam legitur, Neq; enim passio, ut quæ cruda sit, cedit. Græce dicitur, οὐ γὰρ ξυνδίδωσι ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. idest, Neq; enim passio consentit, idest illa inflammatio cruda cum sit, tamen & id uerbũ ξυνδίδωσι interpretari potest, dat tergum, remittitur, inclinatur.

QVARTO Galenus docet, uerbum medicari, ab Hippocrate pro purgare medicamento accipi, & hoc per testimonium eorum omnium qui modos loquendi Hippocratis audire consueti sunt. Imò iubet solum nos esse cõtentos his locis quibus Hippocrates utitur uerbo φαρμακεύειν, idest medicari, quod in aphorismis consequentibus manifestum fiet. nam uerbum φαρμακεύειν, idest medicari, semper accipitur, pro eo quod uti medicamento purgante.

Quod legitur, Omnes confitẽtur quicunq; uel paruam habent de eius dictione noticiam, ego potius interpretarer de eius locutione, quàm de eius dictione, quãuis Græcus contextus dicat, ὅσοι καὶ ἐπὶ βραχὺ τῆς λέξεως αὐτοῦ συνίασιν.

Quod etiam legitur, Et de solis scriptis aphorismis meminerit, legi debet, & de solis consequẽter scriptis aphorismis meminerit. In contextu Leoniceni deerat forte illa particula, consequenter. At Græce est, μόνων δὲ τῶν ἐφεξῆς ὧδε γεγραμμένων ἀφορισμῶν μνημονεύσει. In ultima commenti parte deest particula Vt, ubi legitur Paulopost fiet manifestum, legi debet, Vt paulopost fiet manifestum. Græce enim legitur, ὡς ὀλίγον ὕστερον ἔσται δῆλον.

APHORISMVS II

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, utilia: quæ uerò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

BRASAVOLVS

HVIVS aphorismi sententia ab Hippocrate frequenter descripta est, tamen nullus est locus, in quo Galenus hæc exquisitius tractet, quàm iste, cuius sensus est, In medicationibus talia educere è corpore, utile erit, qualia exire utilia sunt, quãdo sponte exeũt: si uero aliqua sint, quæ à corpore inutiliter prodeant, uel ab arte uel sponte sit, medicus cohibere debet, & ne fluant prohibere. Vnde & Hippocrates in libro De humoribus, quum in fine primi folij de euacuatione sermonẽ habuerit, inquit: sed si dum hæc ages, male haberent, læderent, aliò uertito, uel desiccato, uel reuellito. Quum uero alij interpretes aphorismũ præsentem tam in uiris quàm in mulieribus uniuersaliter intelligant, solus Philotheus ad præcedentem aphorismum referens, ita introducit: Quum in præcedenti Aphorismo de purgatione utero gerentium mulierum pertractauerit, νῦν καὶ ποίων χυμῶν ὀφείλον συγκαθαίρεσθαι, παραδίδωσιν. idest, nunc & quales humores purgari debeant, edocet.

ἐν τῇσι φαρμακείῃσι. idest, In medicationibus.] Theodorus in usu medicamentorũ interpretatus est: per hoc uocabulum proprie significatur in exhibendis, uel sumẽdis medicamentis. De medicamentis uero purgantibus sermonem habet.

τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος οἷα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμον. idest, Talia educere è corpore, qualia si sponte prodirent, utile foret.] Hoc est, medicus recte operans quando medicamentum exhibet, talia è corpore euacuare debet, qualia à natura ipsa euacuarentur, & dum euacuaret, conferet: ea enim euacuatio optima est, & ab ęgro optime fertur. Aliqui contextus sunt, qui loco huius particulæ οἷα, idest, qualia: ὁκόσα, idest quot, legunt. Quod certe non conuenit. Nam ad talia referri debet, quæ particula qualitatem rerum quæ euacuantur notare uidetur: non autem quantitatem. quantitas enim consideranda non est, sed solum si talia euacuentur, qualia euacuare oportet: non enim multitudine existimandæ sunt deiectiones. Aldinus codex habet ὁκοῖα, quæ particula etiam à Græcis ponitur pro ὁποῖα, idest qualia. Omnes etiam ferè contextus legunt, χρήσιμα, idest utilia. & ita etiam Philotheus habet, inquiens: χρήσιμα τέ εἰσι, καὶ αὐτόματα καλοῦνται. χρήσιμα μὲν ὅτι ἐκκενοῦνται τὸ περιττόν. αὐτόματα δὲ, ὅτι χωρὶς τοῦ πρᾶξαι τι τὸν ἰατρὸν ἐκκρίνονται. ὅσα δὲ παρὰ φύσιν αὐτὴν διακειμένην ἐκκρίνονται. idest, Vtilia autem sunt, & ultronea uocantur: utilia quidem, quoniam superfluum exhauritur. Spontina uero, quoniam sine opera etiam medici excernuntur: quæcunque autem sunt præter naturam ipsam dispositam, excernuntur uel egeruntur. Sed antiquus quem habeo, à quodam antiquo correctus legit χρήσιμον. Mihi potius arridet, quòd χρήσιμον, idest utile, quàm χρήσιμα, idest utilia, legamus: quoniam utilia ad ea quæ euacuantur, referri uidentur, sed utile ad hominẽ qui euacuatur. Illa uerò sponte euacuari intelligit, quæ sine auxilio medicamenti, aut rei exterioris à natura euacuantur, quomodocũque euacuentur, modo conferant. Hoc à nobis additum est, propter illos, qui ea solum sponte euacuata esse intelligunt, quę debito ordine sunt euacuata, ita ut natura quidem iritetur à materia, sed non per hũc ordinem, ut est expulsio materiæ concoctæ. Nos uero sponte euacuari intelligimus, quę à natura intrinseca euacuantur, uel per ordinem, uel symptomatice hoc accidat, modo conferat, & utile sit quod euacuatũ. Oribasius dicit, sponte dixisse, idest ex natura. Inquit enim, medicũ considerare oportere, qualis nam materia sit, quę in aliquo abundet, uel si prius uentris fluxum pertulit ad purgationem, ut ad ipsum humorem abũdantem offerat auxilium. At dubitare, an medicus eodem modo prouocare debeat, quo natura expellere solet, uanum est: quandoquidem nos alijs instrumẽtis utamur quum euacuamus, quàm natura faciat: tamen nostris instrumentis per easdem uias utimur.

Id etiam quod à recentibus dubitatur, an medicus naturã symptomatice operantem imitari debeat, ita nos dissoluemus, Si talia euacuentũ, quæ conferant, fieri debere. Nam medicus semper cõsiderare debet, an id quod euacuatur, corpori utile, an inutile sit. Et si casus qui accidunt recte attendamus, medicus naturam imitatur symptomatice operantem: quia quum materia furiosa est, ipse hoc symptoma considerans, eodem die euacuat, & non expectat: & quamuis bonum atque malum ducat, ægrum debilitare non curat, ut illi diutius uitã protrahat, prohibens, ne alicui nobili membro materia infigatur. Sed omnes hos & medici & naturæ incessus per accidens esse constat, & pręter consue

tos naturæ & artis incessus & modos. nam à symptomatibus quæ accidunt, ita operari coguntur: propterea & hæc euacuatio symptomatica nuncupatur. Quod etiam dubitatur non uideri medicum semper imitari naturam, quia illa euacuante, medicus euacuare non debet, Nullius momenti est: nam euacuatio, de qua hic tractat Hippocrates, intelligenda est, quando natura non euacuat. etenim quando artifex euacuare debet, qualia euacuare oporteat, docet, talia inquam, qualia conferunt quoties natura sponte euacuat. propterea uerum est, quod natura euacuãte, medicus euacuare non debet, nisi natura imperfecte operetur. Sed de hac re nõ tractat Hippocrates. nam intelligit quando aliquis indiget euacuatione per artem, quum natura non euacuat qualia euacuãda sint, de qualitate humorum euacuandorum loquens, non autem de euacuatione ipsa, ut euacuatione, hocq; per spontinas euacuationes edocere intendit, ut sæpe fecit, & sæpius deinceps faciet. Deniq; hic non mihi uidentur deserenda quæ Philotheus ita dicit, ἡ φύσις ἡνίκα κατακρατήσῃ, κένωσιν τοῦ λυποῦντος ἀπεργάζεται χυμοῦ, προπέμπουσα τοῦτον. εἰ δὲ παρὰ φύσιν ἡ διάθεσις, οὐ πάντως ὁ λυπῶν χυμὸς ἐκκενοῦται. ὅθεν ἐκεῖ μὲν εὐφοροῦσι, ἐνταῦθα δὲ δυσφοροῦσιν. λοιπὸν οὖν ὅσα κατακρατήσῃ τῆς φύσεως κρίνεται. i. Quando natura prępotẽs fuerit, infestantis humoris euacuationẽ operatur, ipsum transmittens. Si aũt præter naturã sit dispositio, non omnino infestans humor exhauritur. unde illic quidẽ bene ferunt: hic uero ægre ferunt. Reliquum igitur iudicatur, prout natura præpotens fuerit.

τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα, παύειν. idest, Quæ autem contrario modo prodeuntia sunt, ab ijs cessare oportet.] Hæc secunda pars primæ opposita est. In prima enim talia educenda iubebat, qualia ea sunt, quæ cum educuntur à natura, nobis utilitatem præstant, econtrario quando natura euacuat, & non prosit, cohibendum est: ita si ars ea euacuet quæ si natura euacuaret non prodessent, sistere debet, & amplius non procedere, quia talia sunt, quæ integram qualitatem participant. propterea conferunt si permaneant: si euacuentur, obsunt: ut nihil aliud in toto hoc aphorismo uelit Hippocrates, quàm humores prauam qualitatem habentes, euacuandos esse, & probos humores retinendos, qui decenti qualitate affecti sunt. unde quod dicit cohibere oportet, intellige si prodeant sistenda: si non prodeunt, non prouocanda, sed potius dimittenda. Quod recentes dubitant, an omnis symptomatica euacuatio cohibenda sit, ita soluere oportet, non omnẽ euacuationem cohibendam esse, præsertim quando materia turgida sit, adde quando æger multum debilis non sit, & per conuenientes uias progreditur, tamẽ hanc euacuationem cohibere difficile est, tum quia maxima & impetuosa, tum quia nimis cita.

GALENVS

SPONTE euacuari è corpore dicimus, quæcunq; sine aliqua medicatione excernuntur, nonnunquã ea quæ nostrum regit corpus potentia ipsum expurgãte, nonnunquam ex iritamento aliquo, aut quia à uasis non contineantur. Quum itaq; natura superfluum euacuat, iuuatur animal: quum uero alioquin excernit, casus ratione, neq; inde utilitas ulla prouenit, & talis euacuatio prauæ dispositionis est signum. Recte igitur Hippocrates cõsulit imitari naturam. Est autem imitatio in unoquoq; morbo tales humores euacuare tentãdo, quales nouimus in spontinis ꝓdesse euacuationibus. Prius itaq; dictum est ab ipso de omni euacuatione generalius, hoc modo: Et uasorum inanitio, siquidem talis fiat qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt. Nunc uero de sola purgatione eundem fecit sermonem, quoniam de hac docere proposuerat in præsentis libri loco. Melius igiť fortasse fuerit de omnibus euacuationibus, quas medici moliuntur circa ægrotantiũ corpora sermonem repetere. Fiunt igitur hæ aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia, & per uomitus, & deiectiones. Nonnũquam uero medicina partis alicuius est euacuatiua, ueluti quæcunq; per palatum, & nares à capite abducunt superfluitates. E genere autem superfluitates expurgantium sunt, & quæ per tussim expurgant, quæcũq; in pectore sunt atq; pulmone, & quæ per urinas abducunt totius sanguinis serosam superfluitatẽ. Clysterem quoq; ex hoc genere feceris, & quodcunq; aliquod totum corpus æqualiter euacuãs, quẽadmodum & uenæ sectio creditur euacuare, & omnino sanguinis missio, quæcunq;, & quouis modo facta. Ex talibus aũt est euacuationibus, & quæ per uterũ fit, & per ora uenarũ sedis, siue per exercitia, & frictiones, & omnem motum atq; calorem, & balneas calidas, præsertim nitrosas, sulphureas

reas & bituminosas, & ex accidenti inedia. Hæc siquidem omnia uidentur totũ æqualiter corpus euacuare. Si quis tamẽ exactius perquirat, non æqualiter inuenietur euacuari. Verum in his quum sit paruus excessus alterius ad alterum, secundũ eorum quæ euacuantur qualitatem & quantitatẽ, ideo æqualis euacuatio uidetur. Attamen quæ pharmaca purgatoria nominãtur, speciem faciunt euacuationis manifeste differentẽ, de quibus (ut dixi) nunc ipsi docere propositum: non tamen quicquã plus docet, quàm quod de omnibus euacuationibus ipse iam dixit. Vna etenim est omnium intentio humor superabundans, cuius notitia est perquirẽda ex eo qui in toto corpore præter naturam color repręsentatur: & præterea ex casibus & morbis & tẽpore & regione & ætate & constitutione & natura ęgrotantis & industria & uictu. Veluti si ita contigerit, colore ruffo in toto corpore apparente, quemadmodũ in illis qui regio morbo laborãt, non euacuata per sedem bile, aut pustulis aliquibus biliosis per totũ corpus dispersis. Particulatim aũt si morsus in uentriculo aliquis, atq; fastidium sentiatur, & adsit cibi appetitus defectus, ac sitis, ore uentriculi ad amaritudinẽ alterato, aut quia in aliqua parte corporis sit erysipelas, aut quia tertiana febris hominẽ habeat, aut ex ardentibus illa quæ ex amara fit bile. Nam in his omnibus flaua bilis abũdat, atq; idcirco conabimur ipsa educere illis medicamentis quę cholagoga, idest bilis eductiua, ab effectu nominantur. Et hoc est quod ab Hippocrate dicitur: Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt. Quod enim dicitur Qualia oportet, superabũdantiam significat superfluitatũ sua qualitate infestantiũ ægrotantem. Ob hanc igitur causam ait, tales conferre euacuationes. Sed quoniam omnes artificiosæ in actionibus coniecturæ aliquãdo aberrant (similitudines etenim, ut ipse inquit, non solũ uulgares, sed etiã medicos eruditos aliquando decipiunt) alterum nobis dedit indicium bonarum euacuationũ, tolerantię facilitatẽ, ut & in hoc fiduciam habeamus, quum recte fecerimus euacuationẽ. Quod igitur in flaua bile dixi, ueluti in exẽplo, hoc idem mihi & in atra intellige: nam & in hac, color totius corporis ad nigritiem tendit, & pustulę nigræ fiunt ex atræ bilis colore: & quicũq; morbi ex eius fiunt exuperantia, multitudinẽ humoris indicant manifeste: quemadmodum elephas, cancer, & quartanus circuitus ex melancholico humore generãtur, & lien magnus, & uarices denigratæ, sunt eiusdem humoris germina passiones, quemadmodũ & quæ melancholia nominatur, & omne mentis deliriũ, cui ira, temeritas atq; immanitas iungitur. Hippocrates uero, etiam ex menstruis, superabundantẽ in fœminis humorem coniecturabatur, & scripta sunt ab eo indicia in primo libro De mulieribus. Ex his igitur ꝙ atra bilis abundet, dignoscere oportet, & has habentem intentiones ad eius accedere euacuationem. Secunda aũt, in ipsa euacuatione intentio habenda, est tolerantię facilitas. Quæcũq; uero in atra bile & flaua sunt dicta, hæc mihi & in pituita intellige, tumores ueluti inflatos, pustulas & totius corporis colorem secũdum humoris speciẽ, & febres quotidianas, & mentis pigritiem atq; torporem, & somnos profundos, & capitis grauitates, & quosdã acidos ructus, quãdo in uentre superfluitas aderit. Hæc em̃ omnia suadẽt medicamentũ dare pituitã purgans. Facta uero iam purgatione, tolerantiæ facilitas attestabiť, & dignotioni, & ei quã ausus es facere propter ipsam euacuationi. Ad dignotionẽ uero, & spem euacuatiõis, habes etiã cõferentẽ aliquid, nõ solũ ætatẽ, uel naturã ægrotãtis, sed etiã anni tẽpus, & præsentẽ constitutionẽ, præterea & regionẽ & uictum antecedentẽ, unà cũ aliis uitę institutis. Etenim didicisti, ꝙ hæc omnia, nõnulla pituitã, nõnulla flauã bilẽ, nõnulla atrã exaugẽt. Hæc quidẽ omnia, ut dictũ est, sunt intẽtiões exhibẽdi medicamentũ, uim habẽs humorẽ infestantẽ expurgãdi. In ipsa uero euacuatiõe altera erit intẽtio, uel nobis ferẽs recti iudicii testimoniũ, uel erroris: recti quidẽ iudicii, tolerãtię facilitas: erroris aũt, difficultas. nã infestãtibus sup̃fluitatib. euacuatis, facile tolerabũt ęgrotãtes: si q̃d uero aliud, & non qđ infestat euacuať, necessariũ omnino male tolerare. Qđ igiť dixi, in principio libri p̃ unũ ostẽdit aphorismũ, ita scribẽs: Sic & uasorũ exinanitio, siq̃dẽ talis fiat qualẽ fieri oportet, cõfert, & leuiter ferũt. Hũc in hoc loco nũc in duas secãs partes, in medicatiõibus: per priorẽ quidẽ sermonẽ, quę sint conferẽtes purgationes: per alterũ aũt qui sequiť, ꝙ tales euacuationes firmũ indiciũ subsequitur facilitas tolerãtiæ, docet. Exẽplum uero ipse apposuit earũ, quæ sponte fiunt euacuationũ ad bonum. Multa quidem in libris Epidemiarũ: pauca uero in hoc ipso libro

Aphorismorum, qualia huiuscemodi sunt: Quem aqua intercutem habet per uenas in uentrē aqua fluente, solutio. Si lippitudo adsit, ab alui profluuio capi bonū. Quibus biliosæ deiectiones, surditate superueniēte cessant: & qbus surditas, biliosis factis, cessant.

BRASAVOLVS

MVLTA in hoc commento notatu digna habentur, de his quos in ægritudinibus euacuare opus sit. Quamuis Galenus seorsum de his quos oporteat purgare, & quibus medicamentis, librum scripserit. Primo igitur Galenus quid sit sponte euacuari (quod ipsi αὐτομάτως dicunt) exponit. Illa enim sponte purgātur, quæ sine aliquo medicamento purgantur. Sed quomodo hoc fiat, edocet; quoniam uel ab ipsa potentia fit, quæ nostrum corpus regit, & quæ ab ipso aliàs calor naturalis appellatur: uel quia aliquo modo iritatur. Sed natura nihil expurgaret, nisi iritaretur: uel quia materia adeo abundat, ut à uasis contineri non possit, ob has causas spontaneæ euacuationes contingunt. Vnde quum natura superfluum euacuat, animal iuuatur. Sed cum ratione alicuius symptomatis aliud excernitur, quàm superfluum, nulla utilitas inde prouenit: & illa euacuatio est prauæ dispositionis signum. Vnde Hippocrates bene consulit, naturam imitandam esse: & quomodo illam imitari oporteat, edocet. Tunc enim in morbis naturam imitamur, quādo tales humores euacuamus, quales scimus in spontinis euacuationibus prodesse. Et ideo superius in primo libro de omni euacuatione sermonē generalissime habuit, ubi dicebat, Et uasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri oportet, & confert, & leuiter ferunt. Nunc autem absolute de omni euacuatione non loquitur: quia nec de sectione uenæ, nec de alijs, sed de euacuatione tantum, quæ per medicamentum purgans efficitur. Vnde melius erit, nos de omnibus euacuationibus quas medici moliuntur circa ægros, repetere.

Quod in principio Commēti habetur, Quæcūq; sine aliqua medicatione excernuntur: Græce est, ὅσα χωρὶς τῶ πρῆξαί τι τὸν ἰατρὸν ἐκκρίνεται. idest, quæcūq; sine aliqua medici operatione excernuntur: nam & si medicatio, sit medici operatio, tamen melius est Galeni sensum exprimere, quàm aliud dicere.

Quod deinde scriptum est, Prius itaq; scriptum est ab ipso de omni euacuatione generalius hoc modo. postea sequitur, Et uasorum inanitio: addi debet hæc particula Sic, ut legatur, Sic & uasorū inanitio. nam in Græco adest hæc particula, οὕτω. Sunt & nonnulli, qui hanc particulā Generalius, quę in cōparatiuo est, superlatiue legunt, Generalissime scilicet. Sed omnes Gręci cōtextus quos legi, γενικώτερον in cōparatiuo habent.

SECVNDO Galenus de intentionibus pro euacuatione sumendis sermonem habet, generalem quandam euacuationum sectionem hoc modo præmittens. Aliquę sunt uniuersales totius corporis euacuationes: aliquę sunt determinatorū quorundam membrorum particulares. uniuersales per secessum, & per uomitum fiunt: particulares uero tales fiunt, ut illa quæ per nares, aut per palatum caput euacuat, aut pectus per tussim & pulmonem. Clyster quoq; euacuat à parte. Sectio autem uenæ, & quælibet sanguinis missio inter uniuersales euacuationes computatur. Similiter euacuatio per mulierū menses, per hæmorrhoidas, per exercitia, per frictiones, per omnem motum, per calorem, per balneas calidas: sed præsertim per tales quæ ex nitrosis aquis fiunt, ut in Regiensi agro aqua fontis aquarij est: aut sulphureis, ut in agro Patauino aqua fontis Aponensis: aut bituminosis, ut in eodem agro sancti Bartholomæi aqua. Inedia præterea ad uniuersales euacuationes pertinet, at ex accidēti: quia nihil educēdo euacuat. Sed quia quicquam nō damus, propterea & sanguis & totum nutrimentū exhauritur. At si quis bene consideret, hæ uniuersales euacuationes differunt. Differētia uero insensibilis est. Tamen euacuatio quæ per medicamenta fit, ab his alijs euacuationibus multum distincta est, & suam distinctā speciem habet: de qua & hoc loco tractat Hippocrates, & nos aliàs tractaturi sumus. Propterea hic Aphorismus, à secundo primi libri differt: quia in illo de omni euacuatione absolute loquebatur: hic autem de illa sola, quæ per medicamentum purgans efficitur. Ideo & nos particulariter de intentionibus quæ ad euacuationem requiruntur, pertractemus.

Quod in principio huius partis scriptum est, Fiunt igitur hæ aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia. Ita præcise in contextu Aldino, & in antiquo quem habeo

habeo legitur: uidelicet, γίνονται γὰρ αὗται ποτὲ μὲν διὰ τῶν καθαιρόντων ὅλον τὸ σῶμα φαρμάκων. Sed alium contextum uidimus, in quo tria uerba addita erant, qui hoc modo legebat, γίνονται γὰρ αὗται, ὁσαχῶς ἡ κένωσις γίνεται, ποτὲ μὲν διὰ τῶν καθαιρόντων ὅλον τὸ σῶμα φαρμάκων. Quæ si ad uerbum referantur, hæc dicunt, Fiunt igitur hæ quotupliciter euacuatio fit, aliquando per medicamenta totum corpus expurgantia. Tamen hæc uerba in multis Græcis exemplaribus absunt.

Quod etiam legitur, Clysterem quoq; ex hoc genere feceris, & quodcunq; aliud totum corpus æqualiter euacuãs. In hac parte deest particula Non, & legi debet, Et quodcunq; aliud totum corpus non æqualiter euacuans. Nam per clysterem totum corpus non euacuatur, sed pars solum. Græcusq; contextus dicit, καὶ τῶν ὁποιῶν ἄλλο τῶν μὴ κενούντων ὁμοτίμως ὅλον τὸ σῶμα. Vbi uides illam particulam μὴ, negatiuam esse: & legendum, Non æqualiter euacuans. Sequens deinde pars quæ dicit, Quemadmodum & uenæ sectio creditur euacuare. hoc intelligẽdum est per oppositum sensum, scilicet quodcunque totum corpus non æqualiter euacuans, sicuti sectio uenæ, quæ totum corpus æqualiter euacuat.

De clysteri uero recẽtes dubitant, an à toto corpore euacuet, ut quidam fatentur, dicentes, ab intestinis, à uentriculo, à capite, & à meseraicis, & consequenter à uenis euacuare. Sed re uera à toto corpore euacuare nõ potest, quia neq; à solidioribus partibus, neq; à longinquioribus, sed solũ à uijs. Ad quã uero partẽ clysteres attingant, authores certant, Galenũq; in libris De arte curandi adducũt, qui dixerit, actu non transire ieiunum, sed sola uirtute. Quod tamen Galenus sentire non uidetur: imò uoluit raro transcendere ieiunum: uerumtamen sexto libro De symptomatum causis, inquit: Quippe nonnullis clysteres adeo ascenderunt, ut uomitione reijcerentur, quẽadmodum & stercus per lethales uoluulos. Mox quid de hac re dicendum sit, prosequitur, inquiens: At qui satius fuerit per huiusmodi affectus, ut dicamus, uentriculum non trahere, sed suscipere duntaxat ea quę ob intestinorum compressionem uiolenter sursum feruntur. Ideo hic casus, quo in uentriculum ascendit, ratione constrictorum intestinorum fuit, quam constrictionem à natura habent. Arabes & Mauritani authores, de his multa disserunt, quæ nos suis sectatoribus consideranda relinquimus.

Scito etiam, omnes illas euacuationes, quas Galenus uniuersales appellat, ut de exercitio, de frictione, de calore, esse quidem uniuersales, sed primo partes cutaneas, deinde interiores exhaurire.

Scitoq; apud Galenum & antiquiores usum balnearum non fuisse, nisi pro balneandis & lauandis corporibus: habent autẽ sulphureæ aquæ, nitrosæ & bituminosæ ingentem exiccandi uim, sed longe maiorem, nostro modo sumptæ, per os inquam, aut per stillicidium supra membra: dixi autem nostro modo epotæ: quia antiqui in tanta copia non præbebant, tamen potui dabant, ut ex Plinio constat capite secundo & sexto libri trigesimiprimi.

TERTIO Galenus intentionem unam edocet, quam medicus qui secundum artem euacuare intendit, obseruare debet. Scito autem sanos non esse purgãdos, neq; euacuandos: iuxta Hippocratis regulam secundo Aphorismorum libro, dicente, Carnes sanas habentes non esse euacuandos, quia exoluuntur. & Galenus in principio illius libri quem inscripsit Quos oporteat purgare, quibus medicamentis & quo tempore, inquit: Qui sano corpore sunt, si purgentur, molestias sentiunt: nam & uertigines & tormina patiuntur, ægreq; purgatio succedit, & cum hoc etiam celeriter exoluuntur. Causa autem horum omnium medicamentũ est, quod quum sibi obnoxium humorem educere cupiat, nec ipsum reperiat, sanguinem & carnes colliquat, ut ex eis quod suum est eliciat. Si uero æger sit, quum in nostro corpore sint quatuor humores, necesse est aut unum, aut plures, aut omnes peccare, secundum quod sunt, tali medicamento nos uti debemus, aut simplici, aut composito. Ad rem igitur, ægrum aliquem euacuare uolentes, primus σκοπὸς, idest prima intentio quæ occurrit, & primus finis est superabundantem humorem cognoscere. Sunt deinde multa media, quæ nos in huius superabundantis humoris cognitionem ducunt: quæ si scire cupias, hæc sunt: Color præter naturam, qui totũ corpus occupauerit, unum est medium: secundũ, symptomata: tertiũ, mor

bus

bus ipse, quo æger affectus est: quartum, tempus: quintum, regio: sextum, ætas: septimum, constitutio: octauum, natura ægrotantis: nonum, industria: decimum, uictus. Per hæc omnia, uel aliqua in humoris peccantis cognitionem deuenimus, aut humorum si plures sint qui peccent.

Quod Leonicenus interpretatus est, industria: Græce habetur ἐπιτηδεύματων. ἐπιτήδευμα uero Latine significat studium, institutum, exercitium. Nos potius exercitium interpretaremur, quàm industria, quoniam ars quam homo exercet, in cognitionẽ humoris in corpore super abundantis nos ducit.

QVARTO Galenus ad particularem cognitionem descendit, quãdo humor biliosus peccauerit. Si aliquem uideris, qui totius corporis colorẽ ruffum habeat, ut illi sunt qui regio morbo laborant, & bilis per sedem euacuata non sit, aut pustulas quasdam biliosas per totũ corpus dispersas pullulare uidebis, & particulariter, si in uentriculo morsus aliquis sentiatur, & cibi appetentiæ defectus adsit, sitiat, os uentriculi amarescat, & amaritudo ad supremum usq; os, & linguam ascendat, uel in aliqua parte erysipelas sit, uel tertiana febre, aut ardente correptus sit, quæ fit ex amara bile (appellant uero amaram bilem, eam quæ & ruffa dicitur, ad differentiam atræ, & acidæ) his signis præuisis necessarium est flauam bilem abundare, quam his medicamentis educere oportet, quæ à Græcis χολάγωγα, à nostris ducentia bilem nuncupantur. propter hoc ab Hippocrate dictum est, si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt, ut per hanc particulam, qualia, notetur, superabundantiam superfluitatum educendarum esse sua qualitate ægrum infestantem. unde dixit, tales euacuationes conferre. unum tamen aduertit Galenus, quod quantũcunq; per omnes dictas coniecturas procedamus, quæ artificiosæ sunt, tamen aliquando aberrant: quia in similitudinibus non solum uulgares, sed etiam eruditi medici quandoq; decipiũtur. propter hoc, illud edocuisse non contentus Hippocrates, quod talia expurganda, qualia purgare utile est, aliud edocere statuit, quo facile cognoscere poterimus, euacuationem & bonam, & conuenientẽ fuisse. Hoc autem est tolerãtiæ facilitas. Cum igitur uidebis ægrum euacuationem facile tolerasse, & profuisse, statim iudica, talia esse euacuata qualia euacuare oportebat, & te hoc cognouisse, neq; in coniecturis deceptum esse.

Quod in hac parte legitur, Colore ruffo in toto corpore apparente: Græce dicitur, χροιᾶς uel χρόας ὠχροτέρας. idest, Colore ruffo, ita Leonicenus interpretatur. est autẽ ὠχρὰ color pallidus. at is color non est pallidus quem nos uulgo pallidum uocamus. Is enim qui uulgo pallidus dicitur, liuidus est. Qui uero à Græcis ὠχρὰ nũcupatur, ab antiquis Latinis pallidus interpretatur, qui illi similis est, quẽ qui morbo regio laborãt habent. Leonicenus rufum uocat. Rufus & pallidus per magis & minus differũt, ut tunc ostendemus, quãdo de coloribus, secundum antiquos & recentes seorsum pertractabimus.

Quod etiam legitur, Aut pustulis aliquibus: Græce est, ἢ τινῶν ἐξανθημάτων. Superius uero libro tertio, quæ apud Græcos & Celsum exanthemata essent, docuimus.

Quod etiam scriptum, Atq; fastidium sentiatur: Græce habetur, καὶ ἄσης, sed hoc uocabulum ἄση, ex nimia ciborum repletione fastidium significat, & detrimentum, & tristitiam. In hoc autem loco est fastidium ex repletione bilis. Tamen in mulieribus utero gerentibus Hippocrates uocabulo ἄση frequentissime utitur, pro fastidio in quod incidunt post conceptum, ex mensium retentione.

Quod etiam legitur, Et adsit cibi appetentiæ defectus: Græce habetur, καὶ ἀσιτίας. Est autem ἀσιτία ieiunium & inedia, adeo quod hi ieiunent, ieiunant uero quia non appetunt, inappetentia.

At quæ sint cholagoga, idest bilem ducentia medicamenta, Paulus Ægineta libro septimo, capite quarto, docet. Nos uero illa disponemus, ut deinceps scripta sunt. Aloe, helleborus albus, & niger, scammonium, colocynthis, elaterium, tithymallus, lathyrides, peplium, agaricum, iris Illyrica, centaurium minus, tragoriganum, chamælea, aristolochia, polypodium. Deinde idem Paulus eodem libro, capite quinto, de compositis cholagogis tractat, quæ hoc loco enarrare non est opus. Aetius libro primo, empetron bilem educere uoluit, sed & cum pituita. Et multa alia eodem loco enumerat, quæ nos ob breuitatem omittimus: ad tertium Aetij librum, uigesimo quarto

quarto, uigesimoquinto, uigesimosexto, uigesimoseptimo capitibus, lectorem remittentes: quibus locis, de flauam bilem purgantibus sermonem habet: & capite sexagesimotertio eiusdem libri, uinum ad bilem purgandam describit: & alia multa in sequentibus capitibus, quæ composita sunt ad bilem flauam educendam, enumerat: & in octuagesimonono capite eiusdem libri, & in capitibus consequentibus eandem fabulam canit. Nostri uero recentes sua cholagoga medicamenta & simplicia & composita habent, quæ adeo trita sunt, & apud uulgus nota, ut referre non sit opus. Vnum tamen adde, Nullum esse compositum medicamentum, ex recentibus nostris, quod bilem puram euacuat: sed alios etiã humores secum ducit: propterea illa potius danda sunt, quæ statim ad humoris propositum faciant, quàm illa composita propinare, quæ plus educunt, quàm medicus plerunque educere uelit, & quàm egeat æger, à quo sola bilis fortè ducenda est, aut solus aliquis alter humor. Hæ autem recentes compositiones, omnes humores ducunt, & ex omnibus simplicibus ferè omnes humores educentibus compositæ sunt.

Sed ad rem nostram redeuntes, tu per omnia indicia quæ superius dicta sunt, ut in perfectam cognitionem humoris peccantis peruenias, hoc modo discurrere potes. His etiã omissis, quæ à Galeno dicta sunt, quando discurrebat, probans esse bilem quæ peccaret. Primo enim ex colore totius corporis discurrebat, quem si pallidum esse uides, bilem flauam peccare iudicas. Symptomata etiã si illa sint quæ à bile prouenire solent, bilem abundare ostendunt. Morbi autem, ut est tertiana, febris ardor, & erysipelas, flauam bilem exundare significant. Tempus, si æstas sit, iudicium tribuit, bilem in causa esse, quæ in hoc corpore ægritudinẽ parit. Regio calida, ætas iuuenilis, constitutio temporis si calida sit, & natura ægri si biliosa, bilem peccare ostendunt: exercitium, ut sunt fabri, & qui in igne & labore uersantur, iudicium de flaua bile nobis præstant: uictus, ut qui aromatibus & calidioribus cibis uescuntur, flaua bile abundare iudicatur. Hæc igitur omnia considerantes, per hanc rationalem coniecturam in huius humoris cognitionem deuenimus: & ita de alijs humoribus per eadẽ ferè indicia discurrẽtes, & hoc præsertim, si illa considerauerimus quæ ab Hippocrate in libro De humoribus dicta sunt.

QVINTO Galenus iubet eodem modo in atra bile discurrẽdum esse, sicut ipse in flaua bile prius fecerat. Quum enim totius corporis colorem atrum, aut ad nigredinem tendentem uideris, & corpus nigræ pustulæ commaculent, & febris quartana, aut alter morbus ex his quos bilis atra facit, diuexent, hæc humoris atrabilarij copiã in hoc corpore abundare significant. Morbi autem particulares ex atra bile, sunt elephas, cancer, quartana, lien magnus, uarices denigratæ, melancholia, passio ita appellata, omne genus delirij, ira, temeritas, immanitas: hæc omnia ex atra bile dependent. Intellige uero per iram & temeritatem illa quæ ab atra bile fiunt, non quæ à flaua, quæ ex intensione discernuntur, & ex perseuerantia. Imò & Hippocrates, ex menstruis etiam superabundantes humores in mulieribus coniecturabatur. Propterea in primo libro De mulieribus, harum rerum indicia descripsit. unde tum per hæc, tum discurrendo per illa quæ superius dicta sunt, atram bilem esse cognosces, quam euacuare oportet per illa etiam medicamenta, quæ cholagoga dicuntur, sed quæ cholen atram euacuant. Paulus Ægineta libro septimo, capite quarto, simplicia quæ atram bilem euacuant, enumerat. Sunt autem epithymon, epithymbron, pulegium, tragoriganum, alypon, parthenium, alysson. & Aetius præadductis locis, de his quæ atram bilem euacuant, sermonẽ habet: & Paulus capite quinto septimi libri composita atram bilem educẽtia prosequitur: & Aetius libro tertio. Nos uero Senam habemus mirificam herbam, quæ atram bilem maxime ducit, antiquis ignotam: nunc autem in summo usu, mireq; proficit. Habent & sua composita ad atram bilem recentes, quæ tu in nostro compositorum medicamentorum examine uidere poteris, ubi illa totis uiribus corrigere studemus.

Quod dicit, Et omne mentis delirium, cui ira, temeritas, atq; immanitas iungitur. id uocabulum Immanitas, Græce est θηριώδης, idest feralis: esse in morem feræ, in morem bestiæ quæ fera est.

Quod etiam dicit, In primo libro De mulieribus: librarius contextum deprauauit, qui Græce dicit, τῶν γυναικείων, idest De muliebribus.

SEXTO

SEXTO Galenus eodem modo in pituita incedendum esse docet, sicuti in atra bile & flaua processerat, quum æger liuidum corporis colorem habuerit, quotidianam febrem, pigritiam, atque mentis torporem, somnos profundos, quos Galenus καταφορὰς ὑπνώδεις, idest delationes in soporem uocat, grauitates capitis, ructus acidos, statim pituitam peccare iudicato, tunc medicamenta exhibe, quæ pituitam euacuent. simplicia, quæ à Paulo numerantur, phlegmagoga, idest pituitam ducentia sunt: styrax, quæ uulgò calamita appellatur, non autem liquida, quia liquida est stacte, idest myrrhæ expressio: cortex radicis oleæ, pyrethron, semen lychnidis, cyclamini radix, chamæpitys, squama Cypria, folia uiridia daphnidis, cortex radicis cucumeris syluestris, ricini grana, chamærhaphanon, bdellium, commi. In capite uerò quinto composita medicamẽta ad pituitam enumerat: & Aetius locis suprà adductis simplicia & composita prosequitur: recentesq; multa alia habent, quæ nec posita sunt, nec ab antiquis excogitata.

Galenus de euacuationibus aliorum humorum nostri corporis, nihil aliud prosequitur: tamen præter enumeratos, duos alios habemus recõditos humores in corpore, sanguis & aquositas. Pro aquositate ducẽda, multa apud antiquos medicamẽta inuenies, quæ ὑδραγωγὰ uocantur. Est uero frequens horum medicamentorum usus in ascite, quæ est aquosa hydropis species, in cuius notionem ex uisu & tactu facile deuenire poteris. Adde, quod his etiam hydragogis in albis mulierum profluuijs utimur, & in his qui fluidis ulceribus affecti sunt. Paulus Ægineta capite quarto septimi libri, simplicia quæ ὑδραγωγὰ sunt, idest aquam ducentia refert. Sunt uero lepidis Cypriæ drachma una cum mulso pota, granum cnidium, euphorbiũ, semen lonchitidis, cnici semen, guttæ ammoniacæ thymiamatis, drachma una ex melicrato pota, succus corticis radicis sambuci. Nunc syrupus rosatus solutiuus habetur, qui aquam mire educit. De compositis autem hydragogis à Paulo, quinto capite eiusdem septimi, & ab Aetio præadductis locis pertractatur.

At quod maius dubium ingerit, sanguis est, quem ex totius corporis rubore peccare cognoscimus: sed quia sanguis sola multitudine peccat, & non praua qualitate: propterea de sui purgatione, neq; hic à Galeno, neq; alibi ab aliquo authore sermo fit: solũ enim per uenæ sectionem euacuatur. Si uero dicas apud antiquos hæmagoga medicamenta inueniri, quæ nihil aliud importare uidentur, quàm sanguinem educentia. Respondemus, reperiri quidem uocabulum, sed medicamenta non extare, nullusq; unquã medicus uel usquã hæmagogis medicamentis usus est, quia per solam uenæ sectionem educitur, nec medicamento indiget illo attrahente, neq; enim corrumpitur: quoniam si corrumpatur, non est sanguis. Scito tamen medicamenta inueniri, quæ sanguinem educant: sed eis uti non debemus, quia interficiunt, ut Galenus in libello De uirtute quæ purgatorijs medicamentis inest, edocuit: imò addit eo loco Galenus, Si sciuisset medicamentum sanguinem educens, quod illud scriptis non dedisset, quia uenenũ est. & historiam quandam refert, quæ in Bithynis Thraciæ populis accidit, ipso adhuc puero. quidam uir herbam inuenit, quam si quis assumpsisset, sanguinem primo, deinde uitam egerebat: exhibebatq; hanc herbam multis, qui moriebantur: unde comprehẽsus est, & ductus ad magistratum hic herbarius. qui interrogatus unde hoc didicisset, & si quem alterum docuisset, Respondit, se id per seipsum inuenisse: nam quum aliquando in suburbanum iecur suillum deferret, urgente uentre, super herba quadam iecur deposuit; quod aliquãto post quum substulisset, uidisse ex uniuerso iecinore sanguineos riuulos ad herbam confluere. Ex hoc coniectura facta, corpori sanguinem ea detrahi posse, periculo in obuio quodam facto, ut uerũ comperit, quod fore sperabat, ad malos usus herbam deinde transtulisse: negauitq; se eam herbam alicui alteri monstrasse. Vnde prætor quum nouisset illis locis plurimũ huius herbæ nasci, uinctis oculis eum ad supplicium duci iussit, ne cui inter eundum herbam indicaret. Galenus ergo concludit, multa esse hæmagoga, idest sanguinem ducentia medicamẽta, & hoc à principio, sed melius esse ea reticere, sicuti & alia uenena tacent, quicunq; ratione aliqua præditi sunt. Et in eos inuehitur, qui uenenorum compositiones tractant & docent. Nota uero dictum esse, Trahere sanguinem à principio, quia omne medicamentũ in fine sanguinem trahit, si in magna copia sumptum sit, sed sanguis est ultimus. Vnde Galenus in eodem libro De atra bile

bile dubitat, quæ est fex sanguinis, quomodo prius ipso sanguine ducatur. Respondet, naturam id semper seruare in quo consistit uita; ideo si quis uoluerit sanguinem per uenas & intestina euacuare, & alios humores relinquere, is interficere tentat. Infert ergo Galenus, medicamenta quæ sanguinem primo educunt, esse uenena; propterea nullus eis uti debet. Non mirum igitur, si hoc loco de sanguine euacuando per medicamētum locutus non sit. Additq; Galenus in eo libro, Educere sanguinem per pharmacū, iugulare est, non purgare. Si uero herbam illam quæras, quę sanguinem ducit, putamus nos illam nouisse, & apud nos rarissimam esse, imò non nisi fictilibus transportatā, sed eam celare statuimus, ut sapientissimus Galenus iure præcepit.

SEPTIMO Galenus docet, quomodo cognoscatur euacuationē fuisse perfectam ex tolerantiæ facilitate. Ad humorem uero cognoscēdum, & ad euacuationis speciem cognoscendam quæ conuenit, facit non solum ætas, & natura ægrotantis, sed tempus anni, præsens constitutio, regio, uictus antecedens, & alia uitæ instituta. Hæc enim & generant & augent peccantes humores, aliqua pituitam, aliqua flauam bilem, aliqua atram: unde hæc ducent nos in cognitionem exhibendi medicamētum. Sed an rectam intentionem habuerimus & iudicium, uel non rectam, tolerantię facilitas ostendit: quia superfluitatibus euacuatis, quæ ægrotantes infestant, euacuationē facile tolerant. Si uero id euacuetur, quod non infestat, male fert æger, quia quod bonū est euacuatur. Hoc autem in secundo Aphorismo primi libri edocuit: in hoc autem loco duas partes fecit, quoniā primo in hoc aphorismo quæ sint conuenientes purgationes, edocuit: in sequēti uero, quod percipitur euacuationem fuisse conuenientem ex tolerantiæ facilitate.

Quod dicit, Hunc in hoc loco: Græce est, τῶν. idest, Istud in hoc loco, nunc in duas partes secans.

Postea sequitur, In medicationibus: in codice Aldino hæc pars dicit, ἐν φαρμακείαις. In antiquo quem habeo prius legebatur, τῶν φαρμακείας. Sed contextus ab antiquo illo qui librum scripsit, uiro quidem docto commoderatus est: & legit, ἐν τοῖς φαρμακοῖς, id est In medicamentis, non In medicationibus. Differunt autem, quia medicatio, est medici actio circa ægrum, quando medicamentis utitur: ut Græcū uerbum ostendit, φαρμακεύειν. Sed medicamentum, est ipsum instrumentum, uel ipsum medicamentum, quo ad euacuandum utitur medicus.

Deniq; Galenus docet, quibus locis Hippocrates de spontinis euacuationibus loquatur, inquiens, quod in libris Epidemiorum de multis ad bonum factis euacuationibus pertractauit. Non est autem opus nos hæc loca adducere, quia infinita ferè sunt ad bonum & ad malum terminantia. Addit uero Galenus, quod in hoc Aphorismorum libro spontinas quidem euacuationes posuit, sed paucas: ut in illo aphorismo sexti libri, Quem aqua intercutis habet per uenas in uentrem aqua fluente solutio: & in eodem libro, Si lippitudo adsit, ab alui profluuio capi bonum: & in illo aphorismo quarti libri, Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, biliosis factis cessat. Tuq; in hunc ordinem multos alios aphorismos adducere potes, ut decimum, undecimum, tredecimum, & multos alios in sexto libro consequētes, in quibus de spontinis aliquibus euacuationibus sermo fit.

APHORISMVS III

SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria uerò grauiter.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus ab Hippocrate in primo libro bis descriptus est: nunc iterum ab eodem authore repetitur, quod ob hanc causam factum esse, Galenus in cōmento præcedenti iudicauit, ut ostendat quomodo cognosci posit euacuationem, de qua in præcedenti aphorismo loquebatur, rectum iudicium secutum esse, & medicum in coniecturis nullam deceptionem incurrisse. Propterea inquit, ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρονται, συμφέρει τε, καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δὲ ἐναντία, δυσχερῶς. Addeq; hunc aphorismum ob utilitatem

litatem toties ab Hippocrate repetitũ esse. Philotheus uero inquit, hic dari signum euacuationis spontinæ, & artificio factæ, & per uiam symptomatis: hocq; addit, quod ab Hippocrate expressum non est, de euacuatione per modum symptomatis, quamuis ex ipso authore elici posſit & debeat. Verba Philothei hæc sunt: In præcedenti aphorismo ab Hippocrate conuenienter dictum esse euacuationem fieri ἢ φυσικῶς, ἢ τεχνικῶς, ἢ βίᾳ συμπτώματος. καὶ διὰ μὲν τοῦ εἰπεῖν, ἐν τῇσι φαρμακείῃσι, τὴν τεχνικὴν ἐδήλωσε κένωσιν. διὰ δὲ τοῦ αὐτομάτως, τὴν φυσικήν. διὰ δὲ τοῦ ἐναντίως, τὴν λόγῳ συμπτώματος. ἐνταῦθα δὲ τῶν τοιούτων κενώσεων παραδίδωσι τὴν σημείωσιν. τῶν μὲν τὴν εὐφορίαν, τῶν δὲ τὴν δυσφορίαν. idest, Vel naturaliter, uel artificialiter, uel uiolentia symptomatis. & certe propter hoc quod dicit, in medicationibus, artificialem euacuationem ostendit: per spontinam uero, naturalem: at per eam quæ contrarie fit, illam quæ est ratione symptomatis. Hic uero talium euacuationum signum præbet. horum quidem facilem tolerantiam, illorum autem difficilem.

GALENVS

PRIVS hic aphorismus à nobis expositus est in præcedentis aphorismi expositione, scriptus etiam in superiori libri parte ijsdem uerbis. Quare & nonnulli eum de hoc loco substulerunt.

BRASAVOLVS

BREVIBVS commentationẽ suam expedit Galenus, inquiens, hunc aphorismum in præcedenti expositum esse, & in primo libro. propter hoc aliqui interpretes illum de hoc loco substulerunt. Tamen Galenus in præcedentis aphorismi commento ob eius perfectiorem intellectionem, addendum esse censuit.

APHORISMVS IIII

MEdicari æstate superiores magis, hyeme uerò inferiores.

BRASAVOLVS

IN æstate, quantum sit ratione temporis biliosi humores generantur, calidi & sicci, natura ignei & leues, propterea & facile ascendunt, & in superioribus maxime inueniũtur. Vnde in æstate uentres superiores magis purgandi sunt, in quibus & flaua bilis abundat, & ad eas partes facile mouetur. In hyeme uero quantum sit ratione temporis pituita generatur, quæ est frigidus humor & humidus de natura aquæ, & glutinosus, crassus, atq; ponderosus. propterea infernæ partes eò magis implentur, & suapte natura deorsum tendit. ex hoc hyeme inferiores uentres magis expurgandi sunt, cuius rei & Hippocrates in libro De humoribus testimonium affert, docens per æstatem flauam bilem uigere, hyeme uero pituitam.

Galenus prope finem secundi folij libelli De sectis, hunc aphorismum adducit, ut contra Methodicos probet, necessarium esse medicum tempora considerare.

Φαρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω. idest, Æstate medicari quidem superiores partes, magis.] idest uentres (ut Galenus inquit) sunt per superiora purgandi. nam (ut dicit Oribasius) humor biliosus hoc tempore crescit, qui ad superiora duplici de causa confugit, una quia ad aerem sibi similem confugit, idest calidum, quo allicitur. alia causa, quia leuior tãquam oleum, quod in aqua, uel uino positum, semper supernatat. sed hæc sententia duplicem sensum habere potest, unus quod in æstate uentres superiores purgandi sint, hoc est caput, pectus, nẽpe, totũ corpus in tres uẽtres diuiditur, in superiorẽ uentrem, qui est caput, in inferiorem, qui est uẽtriculus & intestina, & medium, qui est pectus. Alter sensus est, quod æstate per superiora, idest per uomitum purgandum sit. hi duo sensus ueri sunt, & hinc inde apud Galenum indistincte dicti reperiuntur. Verum etenim est æstate bilem generari, & etiam superiores partes petere, nam capiti infigitur. propterea superiores purgandæ sunt, non tantum per uomitum, sed etiam per inferna, & per secessum. Accidit præterea in uentriculo bilem coaceruari, & in uenis uentriculi, tunc iste per uomitum purgandus est. quoniam in sequentibus aphorismis sexto inquam, septimo, & nono, Hippocrates se de uomitu loqui manifeste ostendet. Tamen hoc non est absolute uerum, quod æstate per uomitum, hyeme per inferna semper purgandum

gandum sit, & quod bilis continuo per superiores partes, pituita per inferiores purgãda sit. Sed hoc uerum est, ut in pluribus. Dubium enim hoc loco facit Philotheus, inquiens, εἰ δέ τις εἴποι, ἄρα οὖν οὐδέ ποτε χρώμεθα ὑπηλάτοις ἐν θέρει, οὐδὲ ἐν χειμῶνι ἐμετικοῖς; λέγομεν, ναὶ, ἀλλὰ τοῖς μὲν μᾶλλον, τοῖς δὲ ἧττον. ἐν μὲν γὰρ θέρει μᾶλλον τοῖς ἐμετικοῖς, ἧττον δὲ τοῖς ὑπηλάτοις, ἐν χειμῶνι δὲ τοὐναντίον. idest, Si autem quis dixerit, Nunquam ergo utimur æstate euacuãtibus per inferiores partes, neque hyeme cientibus uomitum? Respondemus, plane: sed his quidem magis, illis autem minus, in æstate quidem magis per uomitum, minus autem per secessum, in hyeme uero è cõtrario. Sed Hippocrates in libro De uictus ratione priuatorum, aliter sentire uidetur, quàm in hoc loco faciat. Inquit enim, Sex hybernis mensibus, uomere utile est: nam & pituitæ plus & capitis grauitas subest. In æstate uero iubet esse usum clysmatũ, & quod superiores corporis partes per inferiores purgandæ sint. Galenus in illius partis Commẽto animaduertit, quia pituita per hyemem in uentriculo generatur. Ideo Hippocrates consulit, quòd per uomitum euacuetur, & quia æstate bilis sursum conscendit, deorsum reuelli. Hanc eandem sententiã habet Celsus capite tertio primi libri, ubi dicit, uomitus utilior est hyeme, quàm æstate: nam tum & pituitæ plus & capitis grauitas minor subest. Hæc quæ ex Hippocrate, Celso & Galeno adducta sunt, præsenti aphorismo contraria esse uidentur, dicenti, æstate per superiores partes, hyeme per inferiores euacuandum esse: imò ratio in promptu est, quòd pituita quandoque per uomitum euacuanda sit, quando scilicet uentriculum occupauerit, & bilem per inferiora, quando in intestinis fuerit. Nos huic dubitationi respondere tentabimus, ut Galenus in libro De uictus ratione priuatorum, facit: in quo loco præcitata Hippocratis uerba exponens, quòd hyeme sit uomendum, hunc aphorismum adducit, ubi inquit, primo secundum Hippocratem hyeme exercendum uomitum, ut pituita educatur, æstate bilem sursum conscendentem, deorsum reuelli. Addit deinde, Attamen ubi totum corpus purgare uolueris, æstate per superiorem, hyeme per inferiorem uentrem medicandum est, sicut in aphorismis dictum inuenimus: etenim iam abundantibus purgatio illac qua uergunt adhibita medetur, quippe ducenda quò uergunt per loca idonea. Ex quibus facile colligi potest, Galenum uoluisse, quãdo pituitam per uomitum euacuas, illam esse particularem euacuationem, de qua in illo loco tractat Hippocrates, sed de uniuersali euacuatione in hoc aphorismo sermonem habet. unde uniuersaliter in æstate per superiora euacuare debemus, sed particulare membrum per superiora etiam in hyeme purgare possumus & debemus, præsertim uentriculum. Aphorismus ergo uerus est, quando totum corpus à superãtibus humoribus euacuare statuimus: sed ubi aliquem humorem ne augeatur, prohibere intendimus, per contrariam regionem euacuare oportet. Illi uero audiendi non sunt, qui dicunt, æstate per uomitum, hyeme per clysteres euacuandum: quia Hippocrates de euacuatione sermonẽ facit, quę per medicamentum exercetur, ut id uerbum ostendit φαρμακεύειν. Ad id uero quod dictum est, Si pituita in uentriculo sit, & bilis in intestinis, quod per superiora pituita, per inferiora bilis educenda sunt. Respondemus, hanc euacuationem particularem esse, & non uniuersalẽ, & est euacuatio ratione humoris in tali loco existẽtis, non ratione temporis: nam temporis ratione, quia in æstate humores aeris caliditate allecti ascendunt: propterea per superiores partes, & ipsasmet superiores partes euacuare oportet, quia euacuandum quò maxime natura uergit per cõuenientes regiones: quoniã ut Philotheus dicit, ἐν γὰρ θέρει γεννᾶται ἡ χολή, καὶ ὡς λεπτὴ καὶ κούφη, ἐπιπολαίως φέρεται καὶ ἐν τοῖς ἄνω μέρεσιν, διὰ τοῦτο οὖν ἄνω ἐστὶν ἡ χολή. idest, In æstate bilis generatur, quæ utpote tenuis & leuis in superficiẽ & in partes superiores fertur: propterea superius est bilis, & illa est eius regio conueniens, per quam ferri debet. Et ad hoc propositum Galenus in libro Quos oporteat purgare, inscripto, quibus medicamẽtis, & quo tempore (inquit) conuenit, insuper amaram bilem per superiora, pituitam per inferiora excernere, quãuis interdum contrarium facere oporteat, si in uentriculo pituita, in intestinis aggesta bilis constiterit: nam atra bilis per inferiora semper est eijcienda. Mox idem Galenus hunc aphorismum adducit, inquiens: Quo ad anni autem tempora attinet, in Aphorismis Hippocratis scriptum est, Æstate superiores, hyeme inferiores uentris partes medicandæ sunt. & in eo loco Galenus hunc aphorismum ad regiones ampliat, ad ætates, ad consuetudi-

nes, per proportionem ad tempora anni: in regione enim calida, & ętate, partes superiores magis sunt medicãdæ, in frigida regione & ætate partes inferiores. In eoq; libro De purgatione per helleborum tractat, præsertim per uomitum quomodo fiat, & quomodo is qui uomiturus est prius præparandus sit. Additq; Hippocrates illam particulam magis, quia quandoq; etiam per inferiora æstate purgandum est, in his præsertim qui difficulter uomunt, tabidis, & ualde pituitosis. Ideo in æstate & partes superiores euacuandæ, & humores qui superius ascendunt, idest biliosi, & per partem superiorem, idest per uomitum. Si uero quæras quid intelligẽdum sit, per partes superiores, iam prius à nobis ex Galeno explicatum est, esse illas partes, per quas fiunt uomitus, unde & Philotheus dicit, ἰστέον δὲ, ὅτι ἄνω κοιλίας λέγει τὸν στόμαχον καὶ τὰ γαστέρα. idest, Sciendum autem quod superiores uentres dicit os uentriculi, & uentriculum ipsum. Vereor autem ne locus sit corruptus: & legendum sit τὰ ὑπὸ γαστέρα, idest stomachum uel gulam, & partes quæ sunt supra uentrem.

Χειμῶνος δὲ τὰς κάτω. idest, Hyeme uero inferiores.] scilicet uentres purgandi, quod opposito modo intelligere oportet, inferiores partes, humores ad inferiora tendentes, & per inferiores uias per secessum, scilicet & intestina. Philotheus enim intelligit per inferiores partes τὰ ἔντερα, idest intestina. Hoc autem fit, quia (ut Oribasius inquit) tunc uiget pituita, & omnis calor naturæ, hyeme inferius est. Adde quod pituita est grauis humor, crassus, qui facile inferiora petit, unde & à Philotheo dicitur, ὅπερ βαρὺ ὄν, κάτω βρίθει. idest, Quæ quidem grauis existens deorsum uergit. Si uero pituitam per superiores partes euacuare tentes, multis modis lędit, primo enim cõturbatur natura, secundo, quia ad peregrina loca non uenit (ut Oribasius sequitur) tertio quia debilem reddit uirtutem. Additq; idem Oribasius, nomine hyemis intelligendum esse uer, & autumnum, tamen hæc pręcise intelligenda non sunt, sed id quod innuit Hippocrates in libro De ratione uictus priuatorũ, per hyemem sex menses intelligit à medio autumni usq; ad medium ueris, per æstatem sex alios menses, à medio ueris usq; ad medium autumni, quamuis in pręcipuis temporibus aphorismus magis uerus sit. Idem in libro De humoribus, sentit Hippocrates.

At tu dubitare poteris, cum in æstate medicamẽtis uti non liceat quia molesta sunt, & in hyeme etiam profunda non liceat, quomodo per superiora magis in æstate, per inferiora hyeme, medicandum erit. Respondemus, hoc intelligi quando opus est, & medicamenta exhibere cogimur.

In hac etiam secunda parte aphorismi adde particulam illam magis, scilicet hyeme uero inferiores magis uentres medicari expedit, quoniam hyeme quandoq; per uomitum expurgare expedit, semper de uniuersali euacuatione secundum Galenum intelligentes, quia in particulari contrarium fit, ut ex Galeni libro De uictus ratione priuatorum superius adducto colligi potest.

GALENVS

SVBAVDIRE oportet, uidelicet uentres. Recte autem ęstate quidem purgat superius. Quoniam & qui tunc humor superabundat flaua bilis est, & omnino tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad superiora mouetur. Quælibet autem superfluitas eo quo uergit ducenda per loca conuenientia, quemadmodum ipse in libro De humoribus scripsit. Addidit huic aphorismi sermoni uerbum, magis, neq; simpliciter dixit: Medicari æstate superiora, hyeme uero inferiora. Nam etsi nõ sæpius, raro tamen tempore æstatis humor melancholicus uisus est superabundare, sicuti hyeme aliquando flaua bilis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus huic aphorismo addit particulam, uentres, quia absolute ab Hippocrate dicitur, medicari æstate superiores, & non specificat quid intelligere oporteat per illam particulam superiores. propterea addit uentres, hocq; addendum esse duabus rationibus ostendit: prima quia flaua bilis superabundat, secunda quia tota natura animalis, propter ambientis aeris caliditatem, magis ad superiora mouetur. Est autem regula ex libro Hippocratis De humoribus sumpta, quamlibet superfluitatem ducẽdam esse, quo magis natura uergit per loca conferentia.

SECVNDO Galenus docet, Hippocratem addidisse particulam, magis, quia tempore æstatis quandoq; humor atrabilarius abundat, licet raro. hic autem humor (ut in libro, Quos oporteat purgare, docuit) nunquã per superiora purgãdus est. Merito etiã bilem atrã accepit, licet non sit humor hyemis proprius, quia nũquam atra bilis per uomitum arte euacuatur: sed bene pituita nonnunquam arte per uomitum educitur. Antiquus contextus quem habeo, ubi Aldinus habet μελαγχολικός, ipse eodem modo legit, sed correctus est, & loco huius particulæ μελαγχολικός, scriptum est φλεγματικός.

APHORISMVS V

SVb cane, & ante canem difficiles sunt medicationes.

BRASAVOLVS

VNA est communissima & infallibilis regula, quum materia turget, semper medicandum esse, nullo habito respectu, aut ætatis, aut sexus, aut temporis ægritudinis, aut coctionis, aut cruditatis materię, aut temporum anni. At quum materia est fixa non turgens, solum medicari oportet cocta materia ut ætati conuenit, tempori ægritudinis, & tempori anni. In præsenti aphorismo Hippocrates de materia non turgente sermonem habet, difficiles esse, molestas, & periculosas purgationes sub cane, & ante canẽ dicens. Ideo pro re parui momenti exercendæ non sunt. At si opus esset quia materia turgeret, etiam si sint difficiles hoc tempore, exerceri debent.

ὑπὸ κύνα, καὶ πρὸ κυνός. idest, Sub cane, & ante canem.] Duos canes in cælo esse testantur authores, maiorem, & minorem. Maiorem Arabes Alhabor uocant, minor à Græcis procyon nũcupatur, ac si dixerint, Antecanis. Alphonsus rex maiorem canem ex uigintinouem stellis constare dicit: Hyginus solum ex octodecim. minorem canem ex duabus stellis constare inquit Alphonsus: Hyginus ex tribus, licet unam in numerum non ponat. Quum cancro canem maiorẽ oriri tradit Hyginus, hic canis in lingua stellam habet, quæ peculiari nomine canis appellatur, in capite alteram, quam nonnulli Sirion uocarũt. hinc apud poetas plerunq; Sirium ardere reperitur, quoniam hac stella cum sole oriente, ingentissimi calores excitari solent. canem minorem Hyginus procyona appellari dicit, quia ante maiorẽ canem exoritur: cum leone oritur. sed quodnam astrum hoc sit, quod ab antiquis & recentibus canicula nuncupatur, an scilicet canis maior, uel minor dici debeat, dubium uidetur. Nam Plinius libro decimooctauo, capite uigesimooctauo inquit, Ægypto uero procyon matutino æstuosus, quod sydus apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc uelimus intelligi hoc est minorem canem, sane ut in astris pingitur. ut hinc facile colligi possit procyonẽ, idest minorem canem esse caniculam. Paulopost idem Plinius addit: decimosexto calẽdas Augusti Assyriæ procyon exoritur. Dein postridie ferè ubiq; confessum inter omnes sidus indicans, quod canis ortum uocamus. Sole primam partem leonis ingresso hoc fit, post solstitium uigesimotertio die. Sentiunt id maria & terræ, multæ uero & feræ, ut suis locis diximus. Nec est ei minor ueneratio, quàm descriptis in deos stellis. Accenditq; solem, & magnam æstus obtinet causam. ut hinc manifeste habeatur, procyonem apud Plinium caniculam esse. Imò & hoc argumentum addemus, quod procyon apud antiquos canicula sit, quia antiqui caniculam cum leone oriri prodidere. Sed est minor canis qui cum leone oritur, ut Hyginus docet. nam canis maior cum cancro oritur. Ita etiam Ptolemæus cum leone oriri facit, & Abraham astronomus hanc sententiam promit, solstitium esse circa octauam partem cancri: ortum uero caniculæ circa octauam partẽ leonis facit. putat equidem quod à solstitio usq; ad caniculæ ortum sint ferè dies triginta, unde canis ortus erit circa diem uigesimam primã Iunij. Philotheus uero dicit γίνεται δὲ ἡ ἐπιτολὴ τοῦ κυνὸς ἀπὸ δέκατης ἐννέα τοῦ ἰουλίου μηνός. idest, Fit autem canis ortus à decimonono mẽsis Iulij. Sed hoc tempore oritur procyon, idest canis minor: quare canicula secũdum antiquos, uidetur potius canis minor quàm maior, quãuis oppositam sententiam omnes recẽtiores ferè sequantur. Nec obstat quod Sirius stella sit in ore ca-

nis perniciosa, imò in ore maioris canis, & non minoris: & quæ ita uocetur, ἀπὸ τοῦ σειριᾶν, quod est arefacere. Vnde & Statius in primo Syluarum libro cecinit:
Nec calido latrauit Sirius astro.
Et Sirium ardere scriptum reperitur. Seruius octauo calendas Augusti Sirium oriri facit, Germani nunc scribentes, cum parte cancri ortum habere iudicarũt. Galenus in secundo libro De alimentorum facultatibus, capite secundo, tempus quando oritur canicula annotare uidetur, inquiens, Horam (anni id tempus appellant Græci) in cuius medio canicula exoritur, durãs per quadraginta dierum spatium, quo tempore omnes horarij quos uocant fructus, proueniunt: alij florere tum incipiẽtes: alij iam deflorere, seu consenescere: alij in suo uigore, aut ultra paulum, aut citra cõsistentes: ut hinc secũdum Galenum haberi posit, in medio tempore ortus fructuum fugaciũ oriri caniculam: fructus autem fugaces appellantur, uel horæi, qui non cõduntur, ut conditur triticum, hordeum, & alia eiusdem generis, quæ diu seruantur. Paulus Ægineta capite undecimo septimi libri, in cõpositione διὰ κοραλλίου, caniculæ ortum annotauit, ubi dicit hanc compositionem ab æquinoctio autumnali sumendam esse, quod est circa uigesimãquartam diem mensis Septembris, atq; diebus deinde quinquaginta continuis sumito, & unde uiginti intercalatis diebus, ad eandem te antidotum eodem ritu cõuerte, atq; ita donec dies quibus accipis trecenti sexagintaquinq; impleantur, peragito. Deinde sequitur, Sub cane autem omnes dies uacato, hoc est à uigesimoquarto die Iunij usq; ad Augustum completum, ut hinc facile haberi posit, secundum Paulum, caniculam uigesimaquarta die Iunij incipere, & caliditatis impresiones usq; in finem Augusti perdurare. Scitoq; hos authores putare hoc die uigesimoquarto Iunij esse solstitium. At nos solstitium habemus circa decimamtertiam diem Iunij, ideo & ortum caniculæ prius habere debemus. Oritur autem respectu Ferrariensis orizontis simul cum sole post quintamdecimam diem Iulij. Quod etiam Plinius fateri uidetur libro secundo, capite quadragesimoseptimo: quoniam tertia die post leonis ortum oritur. In hac igitur authorum diuersitate quid dicendum sit, ambiguum uidetur. Non defuere recentes, qui dixerint, caniculam quæ est canis maior, antiquitus oriri cum cancro: nũc autem cum leone ascendit. Qui adeo mire decipiuntur & anguntur, ut reprehẽsione digni non sint, quia canis maior nunquã mutauit locum, nec mutare potest. Sed nunc oritur cum cãcro, & prius oriebatur, & deinceps orietur: & semper posterioribus pedibus, à hyemali circulo diuiditur: semper Orionis pedem penè suo capite coniungit, & capite ad occasum spectat, sed caput ad æquinoctialem circulum tendit. Nos putamus hunc errorem contigisse, & in hanc differẽtiam deuenisse authores: quia antiqui caniculam procyonem, idest canem minorem appellauerint, qui cum leone oritur. Recentes uero caniculam esse uoluerint canem maiorem: & etiam inter antiquos aliqui uocarunt caniculam maiorẽ canem. Totaq; causa fuit Sirius stella in ore maioris canis sita: quæ quum oritur, calor ingens fit: ideo modo caniculã uocarunt maiorem canem, propter Sirium: & quia in eius capite, stella ita uocatur: modo minorem canem caniculam nũcuparunt: & ideo aliqui de minori cane loquentes, caniculã cum leone oriri dicunt: aliqui de maiore cane, cum cancro oriri uolunt. Sed & nunc cum cãcro oritur maior canis & procyon cum leone, & semper hoc modo ortus est. Paulus Ægineta qui uigesimoquarto Iunij oriri facit, ob hanc causam ita facit, quia in pluribus leonis partibus oriri putabat. Sed hæc missa faciamus, quæ potius ad astronomum spectant, quàm ad medicum, licet non sit exquisitus medicus qui hæc ignorauerit. Ad rem igitur nostram uel canis oriatur, uel non oriat, modo sit ingens calor, semper medicationes sunt difficiles. Tota enim ratio quæ à Galeno asignatur, cur sint difficiles purgationes nulli alteri rei innititur, quàm ingenti calori. Vnde dicit, quod hoc tempore exusta natura, acredinem medicamentorũ purgantium non fert, quia calidum calido additum efferuescere facit. Sunt autem omnia medicamenta potentia calida, ut Galenus primo Aphorismorum libro docuit. Verum quia ut plurimum hoc tempore oriente cane, scilicet minore, qui cum leone oritur, sunt ingentes calores: propterea ab Hippocrate & ab alijs, quum summus calor notatur, caniculares dies adducũtur, oriente canicula: utpote illi qui ut plurimũ calidi esse soleant

& æstuosi

& æstuosi. Philotheus uero tres rationes assignare uidetur, cur medicamenta in his caniculáribus diebus exhibenda non sunt, inquiens, διὰ τὸ τηνικαῦτα ἀσθενῆ εἶναι τὴν δύναμιν, καὶ τὸ καῦμα, καὶ δέος μὴ προκαταλυθῇ τῇ καθάρσει. ἄλλως τε ὅτι τὸ περιέχον θερμὸν ἀνάπτεται, καὶ πυρέττουσι τότε πολλοί, καὶ μὴν καὶ τὸ διδόμενον φάρμακον θερμόν, καὶ ἡ ὕλη δριμεῖα, καὶ δέος μή πως οὐκ ἀσφαλὴς γίνεται ἡ κάθαρσις ἐκπυρουμένου τοῦ θερμοῦ, καὶ δυσκρασίας πολλῆς καταλαμβανούσης τὸ σῶμα. ἄλλως τε ὅτι μάχεται τὸ φάρμακον, καὶ ἡ τοῦ ἀέρος κατάστασις. ἡ μὲν πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν ἕλκουσα τὴν ὕλην, τὸ δὲ φάρμακον ἀντισπῶν ἔσω, καὶ δέος μή πως μαχομένων ἀμφοτέρων διασπασθῇ ἡ φύσις. idest, propterea quod tunc debilis est potentia, & æstus, & periculum ne dissoluatur propter purgationem: alioqui aer calidus circũambiens incendit, & febricitant tunc multi, quin & medicamentum quod præbetur calidum, & materia acuta: & periculum ne purgatio non sit tuta, calido incendente, & multa intẽperie comprehendente corpus. Alioqui quod medicamentum & aeris constitutio pugnant: hæc quidem ad circũferentiam materiam trahens, medicamentum uero ex aduerso intrò retrahens, & timendum ne pugnantibus utrisq; natura distrahatur uel dissipetur. At hic dubitare poteris, quid intelligẽdum sit per Ante canem, quod Hippocrates sua lingua dicit πρὸ κυνός. Respondemus, intelligẽdos esse dies calidissimos, quales hi esse solent, qui præcedunt ortum caniculæ: nam & ante caniculam æstus ingentes fieri solent: sub cane uero significat, quãdo iam ipsa canicula orta est. Quot uero sint dies caniculares, idest sub cane, uidentur à Galeno & ab alijs quadraginta enumerari: quamuis calor ingens raro sit per omnes quadraginta. At quot dies intelligi debeant, qui sint ante canẽ, nullus expresse, præter Philotheũ edocuit, qui ita dicit, ἄλλο πρὸ κυνός, καὶ ἄλλο ὑπὸ κύνα, πρὸ κυνὸς μὲν λέγονται αἱ πρὸ τῆς ἐπιτολῆς τοῦ κυνὸς εἴκοσιν ἡμέραι. idest, aliud est ante canem & aliud sub cane: nempe ante canem dicuntur uiginti dies ante ortum canis. Sed hic dubium non prætermittendum occurrit. An medicationes ratione caloris molestæ sint & difficiles, an potius ratione malignitatis huius stellæ, quæ nobis aduerset. Alicui forsan uidebitur esse ratione stellæ, quia Plinius præcitato loco capite uigesimooctauo libri decimioctaui, dicit, sentiunt id scilicet caniculã, maria & terræ, multæ uero & feræ, ut suis locis diximus, Neq; est ei minor ueneratio, quàm descriptis in deos stellis, accẽditq; solem, & magnam æstus obtinet causam. Hucq; caput quadragesimũ libri secundi adducas: in quo Plinius hæc uerba habet. Nam caniculæ exortu accendi solis uapores, idest radios quis ignorat? Cuius syderis effectus amplissimi in terra sentiuntur: feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis uina, mouentur stagna. Orygem appellat Aegyptus feram, quam in exortu eius contrastare, & contueri tradit, ac uelut adorare quum sternuerit. Canes quidem toto eo spatio, maxime in rabiem agi, non est dubium. Capite etiam quadragesimoseptimo secundi libri, ubi de uentorum generibus sermonẽ habet, dicit, Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur caniculæ sydus, sole primam partem leonis ingrediẽte, qui dies quintusdecimus ante Augusti calendas est: huius exortum diebus octo ferme aquilones antecedũt, quos prodromos appellant: post biduum autem exortus ijdem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos Etesias uocant. Molliri eis creditur solis uapor, geminatus ardore syderis: nec ulli uentorum magis stati. Adde, hunc eundem authorem libro quartodecimo, capite decimooctauo, de prodigiosis uini generibus loquentem, dixisse, Vina in apothecis, canis ortu mutantur quædam, posteaq; restituuntur sibi. Quæ omnia ostendunt, caniculam ipsam multum operari. Quibus & illud addere non inopportunum uidebitur, quod dicit nono libro, capite decimosexto, ubi de augurijs & diuersitate piscium tractans, inquit, Fluuiatilium silurus caniculæ exortu syderatur, & aliàs fulgore sopitur. Hoc & in mari accidere cyprino putant. Et alioquin totum mare sentit exortum eius syderis. Quod maxime in Bosphoro apparet. Algæ enim & pisces superferuntur, ab imo uersa omnia. Sed in hunc ordinem multa addere decreuimus, quæ ab Hippocrate ipso caniculæ attribui uidentur. Nam quinto Epidemiarum libro, ultimo folio, ægritudines multas enumerat post canem factas, ac si canis eas excitauerit. Et in fine fere eiusdem libri, inquit: Sub cane strangulantes æstus plurimi, calidi que, sudoriferæ febres, tubercula plurimis secundum aures fiebant. Et statim in principio septimi

Epidemiarum libri de multis febribus, & alijs post canem ægritudinibus meminit. Et in penultimo folio multas ęgritudines sub cane factas refert. Et quod maximum in hac re testimonium afferre potest, Hippocrates in primo folio libri De aere, aquis & locis, uoluit pro exhibendis medicamentis, urendo, secando, ortus astrorum obseruandos esse, ubi inquit, Præterea ortus astrorum, præsertim caniculæ, caueto & obseruato, deinde Arcturi Vergiliarumq́ occasus, mala siquidem potissimum decernunt, nonnullaq́ corrumpunt, quædam cessant, quædam in aliam speciem & statum transeunt & mutantur. Nos autem pro hac re dissoluẽda dicemus, canem minorem uel maiorem circa humana corpora nihil operari: sed esse intensum calorẽ, qui tunc regnat, & qui eadem corpora exurit. Ideo si uelimus medicamenta exhibere, duplici calore corpora afficimus: itaq́ adeo exurũtur, ut pereant. & hoc est ratione solis, qui in nostro hemisphærio & in septentrionalibus signis magis uersatur, & per multos dies uersatus est, ita ut solum uehementer incaluerit, & nunc supra nostra capita uehementer calefacit, unde tota ratio est ex calefaciente sole. Et si Plinius aliquo in loco ita non credat, imò hoc syderi attribuat, sibi imputetur: tamen nunquam syderi attribuit, nisi ratione caloris: nam semper dicit feruere uina, feruere maria. Adde, si in libris Epidemiarum caniculæ mentionem factam inueniamus, id fit ut anni tempora distinguat, quia antiqui per ortus & occasus syderum, anni partes secernere consueuerunt: imò in illis libris meminit Arcturi Pleiadum & aliorũ astrorum, non ut astris aliquid tribuat, sed solum mutationi temporis attribuit, quæ astris illis orientibus uel occidentibus fit. Idq́ testimonium ex libro De aere, aquis & locis, nihil aliud significat, quàm obseruãdos esse ortus, propter temporum distinctiones, quia in illis temporibus fiunt magnæ mutationes ob solem qui tempora uariat. Et ideo prius dicebat, Maximas autem anni mutationes ualde caueto & obseruato, nullumq́ libens medicamentum in his dato, nec urito, nec secato, quod ad uentriculum pertineat, prius q̃ decem aut plures dies transeant. Decem enim dies utræq́ solis mutationes, solstitiaq́ præsertim æstiua, atq́ æquinoctium utrunq́, sed autumnale potissimũ, periculosissimæ esse putantur. Vt hinc haberi possit, non solum sub cane medicationes esse difficiles, sed etiam decem dies post solstitia, præsertim æstiua, obseruandi. Quæ postea de ortu astrorum consequuntur, omnia ad partes temporum anni referuntur, in quibus magnæ mutationes, non ratione illorum astrorum, sed temporis mutationum fiunt. Ad rem igitur redeuntes, sensus Hippocratis est, Sub cane, idest ipso cane iam orto: & ante canem, idest antequã oriatur, quia calores ingentissimi sunt: propterea medicationes difficiles esse cõsequitur. Si etiam alio tempore magnus æstus ingrueret, tũc medicationes difficiles esse opus erit, quia exusta natura magis adureretur. Illi uero audiendi non sunt, qui per ante canem, profundam hyemem intelligunt: quamuis id uerum sit, in ingenti frigore medicamẽta difficilia esse. Quod etiam per canem & caniculam temporum distinctiones intelligere debeamus, ex Galeno colligi potest, qui in libro De sectis contra dogmaticos, probat, tempora esse de consideratione medicorum, hunc Aphorismum adducens, Sub cane, & ante canem. Eo non obstante, quod hic ab Oribasio dicitur: putat ipse caniculam intensiorem calorem educere, quia sol est caniculæ subiectus: tunc autem tale accidit, quale scuto subposita lucerna. Canicula enim quæ est pestifera à sole subiecto inflammata, terram calore reuerberat, & suis uaporibus inficit. Nam terra, cœlo ueluti punctum est. Ergo in eo tempore sol ueluti in ipsa lineamẽta ascendens, idest in quatuor, quę sunt inter tria & tria, unde oriuntur uenti, & sol facit solstitium, & canicula fricatur cum sole ipso, propter hoc calor eius duplicatur. Forte id intellexit Plinius quando dixit, Solis uapores accendi, quod nos radios interpretamur. At hoc nõ est ratione astri, sed potius ratiõe solis, qui nobis propinquus est, & qui iam diu terrã calefecit, & exussit. Et quia Oribasius dicit canem esse Sirium, oporteret hunc calorem ui Sirij causari: tuncq́ necesse esset, quod his qui ad antarcticũ polum inclinant, eundem calorem præstaret: nam eadem inclicatione uergunt, qua nos qui sumus ad arcticum uergimus: tamen quum nos ingentes calores habemus, illi intentissimo frigore agitantur. Oribasius Aphorismum intelligit, non sub cane, idest ipso iam orto, & antequam oriatur: sed intelligit, ante canem, & post canem: propterea dubitat

dubitat, quare non dixit in medio canis. Dupliciter respondet, uel ut ita intelligendum omiserit, ante canem, & post canem, quum sint difficiles medicationes, consequens est ut in medio canis interficiant. Aliter respondet, quòd philosophi per extrema, media subintelligunt: sed re uera Oribasius (si illa sit Oribasii commentatio, quæ circũfertur) uerum contextum non habuit, qui dicit, ὑπὸ κύνα, idest, sub cane.

ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι. idest, Difficiles medicationes.] Quæ medicamento exoluente procurantur. Omnia autem exoluentia medicamẽta potentia calida sunt, ut Galeno placet, & re ipsa constat: quare si propinentur, corpus quod ex calore defectum est, magis deficere faciunt: ideo sunt difficiles. Vocabulum ἐργώδης, durum & operosum significat. Sunt duræ, quia molestæ & difficiles. Nos uero medicamenta habemus, quæ possimus ardente æstu exhibere, qualia mãna, cassia, tamarindi, syrupus rosatus solutiuus, quæ etiam quantum satis est euacuant.

GALENVS

EXVSTA enim tunc natura eam quæ à medicamentis purgantibus non fert acritudinem. Quare & plures purgati hoc tempore, incidunt in febres: & natura ex æstu imbecillis magis ex purgatione dissoluetur, & quidem purgatio hæc praua fiet, quum calor aeris ambientis in partem trahat extrinsecam, contrariam ei ad quam medicina ducit humores. Sicuti enim balneæ calidæ natura aptæ sunt obsistere purgationibus, sic & calor æstatis, & tunc præcipue, quum se ipso uehementior extiterit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus rationem reddit, cur sit difficilis medicamentorum usus, quia natura exusta est: propterea medicamẽtorum acredinem non fert. Ideo multi qui hoc tempore purgari uolunt, febres incidunt: & natura quæ propter calorem imbecilla est, dissoluitur. Quod in principio legitur, Exusta enim tunc natura: ibi deest hæc particula Nostra. Græcus enim contextus ita legit, ἐκπεπυρωμένη γὰρ ἡμῶν ἡ φύσις. idest, Accensa enim natura nostra. Quod etiam dicit, Acritudinem; Græce est δριμύτητα, idest acrimoniam. Quamuis & acritudo ex caliditate proueniat.

SECVNDO Galenus docet, purgationem hoc tempore exercendam non esse, quia aeris calor ad circũferentiam trahit. Medicamentum uero ad oppositam partem ducit humores. Quod ex balnearũ exemplo manifestum est, quæ purgationi obsistunt, quando ex aqua calida fiunt: nam balnea ad cutim trahunt, medicamenta ad oppositum, ita facit æstatis calor, præsertim quando intensior erit.

APHORISMVS VI

GRaciles, & facile uomentes, purgare superius, cauentes hyemem.

BRASAVOLVS

QVVM Hippocrates de purgatione, quæ tum per uomitum, tum per secessum fit, in quarto aphorismo præexposito sermonem cœperit, deinde interposuerit, quod in maximo calore non sit purgãdum, iterum ad uomitum reuertitur. Vnde & à Philotheo dicitur, νῦν ἐκ τῆς ἕξεως τοῦ σώματος καὶ τὴν φυσικὴν κατασκευὴν εἰς δεῖξιν Ἱπποκράτης λαμβάνει, καὶ προτρέπεται τοὺς ἰατροὺς, τοὺς ἰσχνοὺς τῷ σώματι εὐεμεῖς ὄντας, ἄνω φαρμακεύειν. idest, Nunc ex habitu corporis Hippocrates naturalem apparatum in probationem accipit, & medicos hortatur, gracilibus corpore qui facile uomunt, medicamẽta propinare debere. At cauendum est, ne hoc hyeme fiat, ne contra regulam quarti aphorismi supra expositi agatur.

τοὺς ἰσχνοὺς, idest graciles.] In secundo libro De gracilibus, diffuse sermonem habuimus, quos in duas partes distinximus: nam aliqui sunt graciles atrabilarij, qui & arctas uenas, & modicum carnis habent. Alij uero sunt graciles biliosi, qui latas uenas habent, quamuis parum carnis habuerint: in his bilis copia generatur, & (ut Philotheus dicit) θερμοὶ καὶ ξηροί εἰσιν. idest, calidi & sicci sunt: propterea per superiores partes purgandi sunt: tum quia eis (Philotheo etiam teste) biliosus humor abundat, qui facile ascendit: tum quia æstatem esse supponit. At Aphorismus in gracilibus atrabilarijs

uerus

uerus non est: in ipsis enim potius atra bilis augetur, quæ semper (ut Galeno placet) per inferiores partes purgari debet.

καὶ εὐημέας. idest, Et facile uomentes.] Nempe satis non est, quòd homo gracilis sit, nisi etiã facile uomat. Sunt enim aliqui difficulter uomẽtes, quos si uomere cogas, periculũ est, ne uena in pectore disrũpatur, & pereat: propterea facile uomentes esse debent.

ἄνω φαρμακεύειν. idest, Superius purgare] scilicet, conuenit. Notatq; Galenus addendam esse particulam, Magis: quia plerunq; per superiora medicamento purgandi sunt, si conditiones adfuerint. Non enim intendit Hippocrates, quòd omnes tales per superna purgandi sint: ut hoc habeamus inter corpora, quæ per uomitum purganda sunt, talia sunt gracilia, bene uomentia, quantum sit de ratione corporis: sed aliud addi debet, de tempore conuenienti ad uomitum prouocandum: unde addit,

ὑποστελλομένους χειμῶνα. idest, Cauentes hyemem.] Vt sibi concors sit in quarto aphorismo, in quo dicebat, Hyeme per inferiora potius purgandum esse. Non intelligit autem adeo in hyeme euitandum uomitum, quòd si necessaria sit purgatio, per uomitum fieri non debeat. Sed quando indifferens est, in hyeme illam euitare debemus, ob occlusionem humorum intus, & quia in hyeme non sunt puri biliosi, quales sunt in sex mensibus æstiuis. Oribasius intelligere uidetur, in macilentis, qui euomere assueti sunt. Ideo quod dicitur, Facile uomentes: secundum ipsum intelligendi sunt, apti ad uomitum. Vnde propter tria, per superiora purgandi sunt: secundo, quia in ęstate: tertio, quia hi graciles bile abundant. Scito tamen, quòd hi qui ad uomitũ dispositi sunt, uehementioribus medicamentis frequenter ad uomitum prouocari non debent: sicuti è contrario, ad alui profluuia propensi, medicamentis per inferna exoluentibus frequenter exercendi non sunt. Quòd si dicas, in æstate humores ad circunferentiam esse dispersos, in hyeme intus coadunatos: ideo in æstate uomitum prouocare, difficilius uideri, quàm in hyeme. Respondemus, hoc uerum esse in particulari uentriculi euacuatione, sed in uniuersali euacuatione subtiles humores facilius per superiores partes euacuãtur, præsertim in æstate: quia etiam à calore suapte natura allecti, superiora petunt: ut experientia patet in quocunq; nostrum, qui tepidarium aut calidarium ingrediatur, humores ad superiora mouentur. Celsus tamen capite tertio primi libri de uomitu uerba faciens, inquit, Inutilis est gracilibus & imbecillum stomachum habentibus. sed de gracilibus atrabilarijs loquitur: quod uerum esse ex hoc patet: nam statim addit, Vtilem esse plenis & biliosis omnibus. Constat uerò biliosos, graciles esse.

GALENVS

HIC addere oportet, quod paulò antea dictum est, uerbum Magis. Magna enim ex parte, graciles sunt biliosi. Si igitur hoc accesserit, ut sint ad uomendum faciles, sunt per superiora purgandi, nisi obsistat hyems. Nam suprà dictum est, Æstate magis superiores, hyeme autem inferiores purgare oportet.

BRASAVOLVS

PAVCISSIMA à Galeno, & illa quidem facilia in hoc aphorismo notantur. Etenim iudicat hic uerbum Magis, addendũ esse: ut in quarto aphorismo ponebatur, Quia biliosi ut plurimũ graciles sunt. Si ergo hi facile euomant, per superiora purgandi sunt, nisi obstet hyems: ne aphorismo quarto huius libri oppugnetur, in quo scriptum est, Æstate magis superiores, hyeme inferiores uentres purgare oportet.

APHORISMVS VII

VOmentes uero difficulter & mediocriter bene carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

BRASAVOLVS

OPPOSITAS dispositiones illis quæ in præcedenti aphorismo dictę sunt, in præsenti enarrat. Ibi enim de facile uomentibus sermonem habet, hic de difficulter uomentibus. Ibi de gracilibus, hic de bene carnosis mediocriter, idest non corpulentis tractat. Ibi hyemẽ caueri iubebat, hic æstatẽ. Ibi ex suis conditionibus per superiora purgandũ esse

esse inserebat, hic autem per inferiora: & ideo qui difficulter uomunt, & bene carnosi sunt, per inferiora purgari debent, quando purgandi necessitas urget: sed in hoc opere æstatem cauere oportet, in qua per superiora euacuare conuenit. Celsus hunc aphorismum capite tertio primi libri refert, & de uomitu abunde pertractat.

τοὺς δὲ δυσημέας. idest, Difficulter uomentes.] Nuncupatur autem difficulter uomentes, quicunque quum uomunt, discrimen aliquod aut noxam uel offensam incurrunt: uel qui potentiam retentricem robustam, expultricem debilem habent: uel qui uomere non possunt, nisi re magna impellente & proritante. Vnde illos intellige difficulter euomere, qui ex leui causa non euomunt, & ex uomitu læduntur, & potissimum quia humores crassi & glutinosi & graues in hoc homine abundant, non tamen in solo uentriculo, sed in toto corpore: quia si in solo uentriculo essent, per uomitum educerentur: iuxta Galeni præceptum in libro De ratione uictus priuatorum, ubi edocuit particularem uentriculi euacuationẽ, secundum Hippocratem per uomitum in hyeme fieri, uniuersalem uero minime. huic uero difficulter uomenti, & mediocriter bene carnoso, Philotheus pituitosum & atrabilarium humorem abũdare putat: propterea per inferiora purgandum esse. Inquit enim, εἰ γάρ ἐστι μέσως εὔσαρκος καὶ δυσήμετος, οὐ μέντοι ἀκριβῶς, τούτῳ φλεγματικὸς χυμὸς ἢ μελαγχολικὸς πλεονάζει, καὶ διὰ τῶν κάτω κενοῦσθαι χρή. idest, si enim est mediocriter bene carnosus, & difficulter uomens, non quidem exacte, idest non perfecte, huic pituitosus humor, aut atrabilarius superabundat: & ob hanc causam per inferias partes euacuare oportet. Scito etiam multas alias esse causas, quæ uomitum prohibent, præter enumeratas, ut est colli longitudo, propensum esse ad uenæ fracturã in pectore, pinguedo totius, euomendi insuetudo, pectoris angustiæ, & alia multa, quę omnia aphorismo accommodari possent.

καὶ μέσως εὐσάρκους. idest, Et bene carnosi cum mediocritate] non corpulenti, sed qui carne abundant, quæ ob suam naturam quę pituitosa est & in sanguinem uergit, humoribus abundat, qui facilius, commodius & conuenientius per inferiora, quàm per superiora euacuantur.

κάτω. idest, Per inferiora] purgandi sunt.

φυλασσομένους τὸ θέρος. idest, Cauentes æstatem.] Ne hic aphorismus quarto huius libri oppugnet, qui dicebat, æstate per superiora euacuandum esse, Oribasius dicit, ob tria in hoc casu per inferna purgandum esse: primo quia materia crassa, secundo ob insuetudinẽ euomendi, tertio quia tempus non cõuenit: facitque Oribasius ex hoc aphorismo & præcedẽti unum aphorismum: quod & Philotheus etiam fecit, qui præter hoc dubitat, si nobis proponatur non quidẽ mediocriter, sed diligẽter bene carnosus, quid agendum sit. Respondet, hunc non esse euacuandum, quia commoderatus est: propterea purgatione non indiget. Verba eius hæc sunt, πρόκειται ἡμῖν ἀκριβὴς εὔσαρκος· ἐὰν γὰρ ὁ τοιοῦτος διάκειται, οὐ δεῖται καθάρσεως, διὰ τὸ ἐν συμμετρίᾳ εἶναι παντί. idest, proponatur nobis diligenter bene carnosus: si enim talis disponitur, purgatione non indiget, quoniam plenam habet contemperantiam: imò de his solum intelligit Hippocrates, etiam si graciles sint, qui indigent purgatione.

GALENVS

SIQVIDEM facilis ad uomẽdum, & gracilis sit, per superiora purgandus est, nisi sit hyems, hoc est æstate, autumno & uere. Si uero difficulter uomat, & mediocriter bene carnosus sit, per inferiora, si res urgeat, solum cauendo æstatem: aliud autem anni tempus non oportet cauere.

BRASAVOLVS

NIHIL aliud frugis in hoc Commẽto habetur, nisi quòd Galenus admonet, quum in præcedenti aphorismo dicebat, Nisi sit hyems: in tribus aliis temporibus fieri posse intelligebat: unde intelligit uer, æstatem & autumnum. Ex opposito, quum hic dicitur, Cauentes æstatem: in aliis tribus temporibus fieri posse intellige, autumno, hyeme & uere. Quod uero legitur, Aliud autem tempus non oportet cauere: in Aldino codice ita præcise habetur: sed in meo antiquo addita est particula Omne: ut legatur, Aliud autem tempus omne non oportet cauere. nam Græce dicit, τὴν ἄλλην δ᾽ ὥραν πᾶσαν οὐ φυλακτέον.

APHORISMVS VIII

TAbidos uerò cauentes, ad superiores purgationes.

BRASAVOLVS

CONSVLIT Hippocrates, ne tabidos per uomitum purgemus. Per tabidos uerò secundum Galenum & Oribasium, eos intellige qui tumorem in pulmone habent. Hi enim si quandoque purgationem exposcant, per inferiora potius fieri debet: quoniam & hic morbus, ex pituita ut plurimū, ortum habet. Adde, quòd si phthisim patientem euomere cogas, ex hoc motu pulmonis ulcus augetur: & ob hanc cōmotionem, pus quod in pulmone est, agitatur: & fumi, uel ipsum pus, cor petunt, morsque plerunque succedit. Hic aphorismus ad illos etiam ampliari potest, qui ad phthisim parati sunt. Hi enim ob longum collum habēt, pectus angustum, uenas ad fracturam faciles: ideo hoc motu uenam frangere possent, & id incidere quod euitare nitebantur. Tamen materia quæ in phthisico est, per superiora, idest per sputum euacuari debet, & non per uomitum: imò & in hoc casu euacuantia per secessum eadem ratione euitare debemus. Causa uero cur phthisici per uomitū purgari non debeant, à Philotheo assignatur, dicente, διὰ τὴν τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων ἀσθένειαν. idest, ob debilitatem organorum respirabilium, idest ad respirationem pertinentium.

τοὺς δὲ φθινώδεας ὑποστελλομένους, πρὸς τὰς ἄνω φαρμακείας. idest, Tabidos cauentes ad superiores purgationes, uel ad medicamenta quæ per superius euacuant.] In hoc aphorismo duo uerba desunt, quæ in meo antiquo codice scripta sunt. In Aldino uero illa uerba in principio Commenti posita sunt: tamen sunt uerba aphorismi: & hæc sunt quæ sequuntur, οὐδέ ποτ' ἄξεις. idest, nunquam duces. ut hoc modo aphorismus interpretari debeat, Caueamus, ne tabidos unquam ad medicamenta per superna euacuantia ducamus. In Aldino codice hæc sunt uerba Commenti, & non Aphorismi. At si rectè perpendamus, potius ad Aphorismum pertinent, quàm ad Commentum. Vide enim quomodo Leonicenus incipiat: Nunquam tabidos duxeris. Sed Aldinus contextus aliud principium facit, hoc modo: ἐπὶ τὰς ἄνω φησὶ φαρμακείας, οὐδέ ποτ' ἄξεις εὐλαβούμενος. In meo autem antiquo codice hæc particula οὐδέ ποτ' ἄξεις, est in ultima parte aphorismi. Commentum uero ita incipit, εὐλαβούμενος δηλονότι αὐτῶν τὴν ἐν τοῖς ἀναπνευστικοῖς. & reliqua. ut Commenti principium ita incipiat, Veritus, scilicet ipsorum instrumentorum, quæ respirationi obseruiunt.

GALENVS

NVNQVAM tabidos duxeris, ueritus scilicet instrumentorum quæ respirationi obseruiunt, imbecillitatem. Per tabidos autem intelligere oportet eos, qui morbum à Græcis phthisim nominatū patiuntur, uel qui ad eum sunt natura proni: de quibus ipse in primo libro Epidemiarum scribit, Et maxime moriebantur, quibus natura ad tabem prona erat. Est autem his pectus angustum, & qui in eo continetur pulmo.

BRASAVOLVS

HVIVS Commentationis principium (ut à nobis superius dictum est) in illa parte incipit, Veritus scilicet instrumentorum quæ respirationi obseruiunt, imbecillitatem. At illud principium, Nunquam tabidos duxeris, est pars Aphorismi, non Commenti. Quum igitur tabidi habeant instrumenta ad respirationem imbecilla, propterea cauendum est, ne per uomitum euacuentur: quia illa agitatio posset ea instrumēta dissoluere, & ægrum suffocare. Additque Galenus, per φθινώδεας, idest per tabidos, illos intelligendos esse qui φθισικῇ νόσῳ, idest eo morbo qui dicitur phthisis, affecti sunt: ut manifestè appareat, uocabulum φθινώδεας, commune esse ad ueram phthisim, & etiam extenuationem: ut in tertio & secundo libro iterum habuimus. Ampliatque aphorismum Galenus, & ad eos qui in phthisim proni sunt, quamuis phthisici non sint: quod ex testimonio primo Epidemiarum sumpto, ostendit.

Denique Galenus illos docet, qui naturam ad phthisim pronam habent. Sunt autem illi, qui pectus angustum, & etiam pulmonem in pectore contētum, angustum habent.

APHORISMVS IX

MElancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes.

BRASAVOLVS

HIC humor melancholicus, omnium humorum qui in nostro corpore sunt, grauissimus est: quia terreus & de natura terræ, propterea per infimas partes magis descendit. unde & per inferius purgandi sunt, qui eo abundant. hac eadem ratione qua superiores per suas uias purgabantur.

τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς. idest, Melancholicos,] per quos illos intellige qui melancholicam temperaturam habent, & illos qui tali humore abundant, etiam si melancholicam temperaturam non habuerint, quia humor hic in his qui illo abundant, per inferiora duci debet.

ἁδροτέρως τὰς κάτω. idest, Plenius ad inferiores] quia uehementioribus medicamentis ad atram bilem euacuandam uti debemus. unde & Philotheus exponit quid significet uocabulum, plenius, inquiens, τὸ ἁδροτέρως, τὸ σφοδρότερον δηλοῖ, idest, Id quod dicit, plenius, uehementius significat. redditque causam, propter quam iubeat Hippocrates melancholicos per inferiores partes purgari, inquiens, διὰ τὸ τὸν πλεονάζοντα χυμὸν γεώδη καὶ παχὺν ὄντα κάτω ῥέπειν. idest, propterea quod superabundans humor terreus & crassus cum sit, deorsum uergit. Scitoque medicamenta, quæ atram bilem educunt, alijs uehementiora esse. quoniam in ordine attrahendi medicamentorum, quando unum est quod alicui humori quem attrahat, proprium non sit, hic est apud Galenum in libro Quos oporteat purgare, inscripto, educendi ordo. hoc medicamentum prius aquam educit. Si aqua educta adhuc uis eius uigeat, bilem trahit: tertio pituitam, quarto atram bilem. Si adhuc medicamentum uim habeat, sanguis fluit ab ipso attractus. Si uero medicamentum aliquod uim habeat, humorem aliquem primo educendi, ut exempli causa atram bilem, primo hanc educit, secundo aquam, tertio bilem, quarto pituitam, denique sanguinem, si eius uis adhuc uiguerit. At si aliud medicamentum uim habeat primo educendi bilem, hanc primo euacuat, secundo aquam, tertio pituitam, quarto atram bilem, denique sanguinem. hicque ordo est, si medicamentum primo pituitam trahat, primo illam educit: secundo aquam, tertio bilem, quarto atram bilem, denique sanguinem. At si medicamentum sit quod sanguinem prius educat, (quo tamen uti non debemus, quia uenenum est.) primo sanguinem educit, mox uitam. nullus enim ordo est in educendis humoribus post sanguinem. Ex his ergo elici potest, atram bilem semper ultimum humorem esse qui euacuatur, dempto sanguine, qui per medicamentum euacuari non debet. Ideo atra bilis uehementiori medicamento indiget. Tuque intellige illum euacuandi ordinem, quando medicamentum suam uim seruauerit, quoad alios humores traxerit. nam fieri posset quod medicamentum bilem euacuans, solam bilem, & nullum alium humorem euacuet, ob id quia uim suam iam amiserit. propter hoc igitur ab Hippocrate dictum est, Atrabilarium plenius deorsum esse purgandum. At si dixeris, Paulum & Aetium iubere in quartana febre fieri uomitum. Respondemus id dici in accessionum principijs, & illa non est euacuatio uniuersalis, sed particularis membri, in quo atra bilis collecta est, itaque fieri debet iuxta Galeni sententiam in libro De uictus ratione priuatorum.

Τῷ αὐτῷ λογισμῷ τὰ ἐναντία προστιθείς. idest, eadem ratione contraria apponentes.] quia (ut dicit Galenus) atrabilarius humor, qui in melancholicis abundat, per contrariam partem educi debet, ea à qua educitur bilis. Philotheus uero cur hæc uerba ab Hippocrate dicta sint, causam reddit inquiens, εἰ ἄνω ῥέπῃ ἡ ὕλη ἄνω δεῖ κενοῦν. εἰ δὲ κάτω θῇ, κάτω. καὶ πάλιν, εἰ κούφη εἴη ἡ ὕλη, ἄνω ἀνακτέον. εἰ δὲ βαρεῖα, κάτω, idest, Si materia sursum uergat, per superiores partes euacuare oportet. Si deorsum, per inferiores: & rursus, si leuis sit materia, sursum ducendam, si grauis, deorsum. Oribasius pro hoc aphorismo dicit, Melancholicum humorem infra purgabis, qui propter frigiditatem suam inferius uergit. Sed poterat superius purgari, nisi frigiditas eum retraheret. Hæc Oribasius.

GALENVS

VENTRES autem, uidelicet inferiores melancholicorum oportet ratiocinari debere plenius medicari. Plenius autem dixit pro fortius. Quia autem ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem, non sine ratione ipsum iubet per uentrem inferiorem euacuari, sicuti flauam bilem per superiorem, cum sit leuis humor, & spõte continuo fluitet. Commune quidem in ambobus, ut ducantur quo uergunt per loca conuenientia. Proprium uero alterius humorum per superiora loca euacuari, quoniam ad hæc uergit. Alterius uero per inferiora, quoniam & ad ista declinat. Contraria itaq; est per superiora euacuatio illi quæ fit per inferiora. Quorum utrunq; fit secundũ unam cõmunem rationẽ. Quare & recte dixit Hippocrates: Eadẽ ratione contraria apponẽtes.

BRASAVOLVS.

ARBITROR (& ita est) huius commentationis principium in hunc modum legi debere, inferiores uidelicet uentres: quia Galenus exponit quid intelligendum sit per illam particulam inferiores, & inquit intelligendum esse, uentres, quamuis cõtextus Aldinus, & antiquus, quem habeo, ita præcise legãt ut à Leoniceno interpretatum est, scilicet φαρμακεύειν δηλονότι τὰς κοιλίας τὰς κάτω. tamen hic deest particula, autem, quam Leonicenus addidit. At contextum quendam uidimus hoc modo legẽtem, φαρμακεύειν τὰς κάτω δηλονότι τὰς κοιλίας, idest, Medicari inferiores uidelicet uentres. Qui cõtextus mihi potius arridet. nam opus est plenius, & uehementius atrabilarios purgare.

Illæ etiã duæ particulę, quas in interpretatione sua Leonicenus habet, scilicet ratiocinari debere, supersunt, nec in cõtextu Aldino scriptę sunt. At in antiquo, quem habeo, duæ lectiones habentur. una est, δηλονότι δεῖ λογίζεσθαι τὰς κάτω τῶν μελαγχολικῶν. Altera lectio ea est, quam superius adduximus, in qua hæc duo uerba, ratiocinari debere, desunt. nam legit φαρμακεύειν δηλονότι τὰς κοιλίας τὰς κάτω τῶν μελαγχολικῶν ἁδροτέρως χρή. Primam lectionem ego non recipio, sed hanc secundam, in qua hæc duo uerba δεῖ λογίζεσθαι desunt. immo mihi uidetur secũdum primam illam lectionem, quod recte interpretari non possit, nisi Galeni litera distorqueatur.

Exponit deinde illam particulã ἁδροτέρως, idest, plenius, seu ualidius (ἁδροτέρως est aduerbium comparatiuum,) per illam particulã σφοδρῶς, idest, uehemẽter. at antiquus contextus, quem habeo non legit σφοδρῶς, sed ἰσχυρῶς, idest, fortiter. propter hoc Leonicenus fortius interpretatus est.

Quod statim legitur, Quia aũt ad inferiora declinat hic humor propter grauitatem, In Aldino codice abest hæc particula, propter grauitatem, ita enim legit ὅτι δὲ ῥέπει κάτω ὁ χυμὸς οὗτος, idest, quoniam aut deorsum uergit hic humor. at in antiquo codice quẽ habeo, adest hæc particula, propter grauitatem, sed est ueru confossa. dicit enim, ὅτι δὲ ῥέπει κάτω τὸ βάρος ὁ χυμὸς οὗτος. arbitror Leonicenum hanc lectionem habuisse. utraq; lectio conuenit, & sensum integrum facit.

Quod dicit, & sponte continuo fluitet, Græce legitur ὑπερπολάζοντα συνεχῶς αὐτόματον, idest, continue sponte suprafluitet. Quia bilis continue superius fluitat.

Quod etiam legitur, propriũ uero, alterius humorũ, addi debet particula, quidẽ, hoc modo, ꝓpriũ uero, alterius quidẽ humorũ. nã Græce est ἴδιον δὲ, τῶ μὲν ἑτέρου τῶν χυμῶν.

Reliqua huius cõmenti adeo clara sunt, & à Galeno ita explicate proponũtur, ut ulla expositione non indigeant. Recentes tamen hic multa dubia excitarunt, quæ potius sunt extra intentionẽ cõmenti, quàm quod hic fieri possint. Vnum est, an Melancholia omnibus alijs humoribus nequior sit, quod (inquiunt recentes) in cõmento à Galeno dicitur: & arguunt, non esse peiorem, quia eruginosa bilis, quæ ueneni naturã sapit, atra bile peior est. Respondemus nos, esse quidem deteriorem bilem eruginosam quo ad uenenositatem, sed non quo ad exitum. nam atra bilis ineptius exit, & hoc modo Galeni propositio intelligenda esset, si ab ipso ita diceretur ut recẽtes adferunt. Aliud dubium faciunt Quomodo plerunq; sola aliorum humorum corruptionem portat. Respondemus, id esse, quia omnes humores in atram bilem transmutari possunt, ipsa uero in nullum, & hoc etiam per corruptionem. Dubitant præterea quomodo sit fex aliorum humorum. Respondemus, quia tanquàm fex subsidet, & ex aliorum cineribus generatur. At hæc dubia in Galeni commentatione fieri non possunt, quia ipse illam conditionẽ

conditionem non ſcripſit, ſed fuit Conſtantinus huius libri interpres, qui poſt dimidiũ commenti, ipſe ſponte ſua hæc uerba addidit. Vehementius autem, quia eſt uiolentior, nequior, glutinoſior. eſt enim fex aliorum humorum, unde ſola portat corruptionẽ omnium humorum. Hæc Conſtantini uerba recentes ad illa dubia promouere, quæ tamen à Galeno dicta non ſunt. Verum pro huius aphoriſmi ſententia perficienda, dubium occurrit, ſilentio non prætereundum. An idem medicamen duos humores euacuare poſſit, Reſpondemus, nullum eſſe medicamentum ſimplex, quod ſimul duos diuerſos humores primo euacuare poſſit. Sed bene unum poſt aliud euacuabit: in cõpoſitis uero medicamentis ſecus eſt, quia talia eſſe poſſunt, quæ omnes humores ex diuerſis partibus primo educent. omnino omnia ferè compoſita Arabica & Mauritana omnium humorum purgatiua eſſe uidentur.

APHORISMVS X

MEdicari in ualde acutis, ſi materia turget eadem die. Tardare enim in talibus malum eſt.

BRASAVOLVS

MORBOS ſimpliciter acutos in quatuordecim diebus terminari, & in primo, & in ſecundo libro dictum eſt. Illi uero ſunt ualde acuti qui citra quartumdecimum diem finiunt, in quarto inquam, uel in ſeptimo. Si in quarto terminentur, exacte peracuti. Si in ſeptimo, ſimpliciter peracuti nuncupantur. In his igitur peracutis exacte, & ſimpliciter peracutis, quos ualde acutos uocat, ſi materia turget, eademmet die, qua materiam turgere uidemus, medicari oportet. nempe in talibus morbis retardare malum eſt.

φαρμακεύειν. ideſt, Medicari, quod de uehementi & exacte purgante medicamẽto intelligere oportet: & ideo illi decipiuntur, qui uolunt ſectionẽ uenæ inter hæc numerandam, quæ & ſi euacuatio ſit, nunquam tamen per uerbũ medicari ab Hippocrate exprimitur: ſed per medicari intelligit medicamento uehementi uti, quale eſt ſcamoneum, colocynthis, & helleborus..

ἐν τοῖσι λίην ὀξέσι. ideſt, In ualde acutis, qui in quarto, aut ſeptimo die terminantur, et qui ut plurimum à calida materia accenduntur, quæ ſuapte natura mobilis eſt, & loco ſtare neſcit. Oribaſius illos morbos intelligit, qui quarto die terminãtur, ut angina: ſed Philotheus uſque ad ſeptimum extendit, inquit enim, λίαν ὀξέα λέγει, τὰ κατόξεα νοσήματα, ὧν ἔσχατος καιρός ἐστιν ἡ ἑβδόμη ἡμέρα. ideſt, Valde acutos dicit peracutos morbos, quorum extremum tempus eſt ſeptimus dies. per hoc etiam illos complectens, qui in quarto finiunt.

ἢν ὀργᾷ. ideſt, Si turget, uel concitata ſit] appellatur autem turgida, & concitata materia illa quæ de loco ad locum modo huc modo illuc mouetur, quaſi propriam ſedẽ querens, cum non habeat. & ideo Philotheus non ſolum dicit ipſam turgere, ſed etiam addit, ἢ ὁρμᾷ καὶ κινεῖται ὧδε κἀκεῖσε περιπλανωμένη. ideſt, uel impetũ facit, & mouetur huc & illuc circũerrans. Tunc enim dubiũ eſt, ne alicui membro nobili infigatur. ideo medicanda eſt, & educenda. hæc aũt turgida & furioſa materia ex omni humorũ genere fieri poteſt, quamuis ut plurimũ bilioſa ſit, ideo medicamẽto ſibi proprio eſt educẽda. poteſt etiã eſſe mixta materia, quæ medicamẽto mixto indigebit. Si uero ſanguis ſit, de quo timeamus, an membrũ aliquod nobile petere poſſit, ſectione uenæ prohibeatur. ex hac enim quietior redditur, & ſanatur. Illi uero decipiũtur, qui dicunt, ſanguinẽ non poſſe turgere. Nos autẽ dicimus ſanguinis copiã ad cor quandoque motam, & ad cerebrũ ſuffocaſſe, & ideo Aetius capite quarto libri 6. ubi de cathocha uel catalepſi pertractat, inquit, quod is affectus cõtingit nonnunquam ob ſanguinis multitudinẽ affatim ad caput irrumpẽtem, ipſumque opplentem: & caſum ponit de ſanguineo puero, qui per tres dies, neque conniuens, neque ad obiectas minas oculis nutãs, neque reſpondens, quarta die eruptio ſanguinis è naribus redundauit, & protinus omnes turbulentiæ receſſerunt. ut in hoc caſu ſanguinem turgidũ fuiſſe deprehendi poſſit. licet quiſpiã diceret, ſanguinẽ ſolum eſſe multum, non autem furioſum: in multitudine uero ſectio uenæ ſemper fieri debet. & ideo

quod dicunt recentes, esse materiam furiosam ex multitudine, si sit sanguis, per uenę sectionem semper remoueri debet, & hoc statim. at si sit alia materia quæ fixa sit, & non mobilis etiamsi multa, non debet uehementi medicamẽto purgari, sed benedicta (ut dicunt) medicina.

αὐθημερὸν, idest, eadem die. ac si dixerit, Cum materia turgida est & mobilis, cũ id uideris, statim illam educas per eandem diem, confestim intelligit & sine mora, ne mẽbro nobili infigatur. Ita etiam exponit Philotheus inquiens, αὐθημερὸν τὴν κάθαρσιν ποιητέον, τουτέστιν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ, μὴ ἀναμένας δευτέραν, ἢ τρίτην ἡμέραν. idest, eadem die euacuationẽ facito, hoc est statim in principio, nec secundã uel tertiam diem expectes. Statimq; huius rationem reddit inquiens, διὰ τὸ μὴ φθάσαι καταλυθῆναι τὴν δύναμιν, τῇ τοῦ πυρετοῦ μεγίστῃ θερμασίᾳ, καὶ διὰ τὸ μὴ εἰς κύριον κατασκῆψαι μόριον τὴν ὕλην, καὶ τοὺς ἀλωμένους κατὰ τὸ σῶμα χυμούς. idest, ne facultas naturalis magna febris caliditate dissoluatur, & ne ob hoc materia, & dispersi per corpus humores, in præcipuã aliquam partem irruãt.

χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοισι, κακόν. Tardare enim in talibus malum.] malum inquam, quia dum in motu est, ad exitus uias facilius duci potest. At si nobili mẽbro infigeretur, euacuatio frustra fieret, cum materia iam fixa effecta sit. Sed hic dubium non prætermittimus. An cum in membro nobili materia fixa fuerit, euacuationem exercere oporteat. Respondemus, si materia prius turgida sit, & per motum nobili membro infigi cœperit, uel non diu transiuerit quod fixa sit, uehementi medicamento à partibus capitis uehementer attrahente illam euacuare debemus. At si materia iam diu fixa sit in membro nobili, & prius furiosa non fuerit, eam euacuare non debemus, sed sinere & concoquere, nisi sectione uenę iuuare possimus. tunc enim uenam secamus, quoniam uenę sectio etiam si cruda sit materia fit: quoniam id in hac operatione non attenditur.

GALENVS

DICTVM est & à me prius, quod uerbum, turget, Hippocrates transtulit ab animalibus quæ ad coitum properant, cum naturali concupiscentia moueantur ad seminis excretionẽ. Ostensum est enim in libris de semine, quod fœmina etiã in coitu semen excernit. Quando igitur in toto corpore similis huic fuerit naturæ impetus, ad excretionem superfluitatum, uel si non in toto corpore, saltem in partibus prnicipalioribus, tale quid consueuit Hippocrates per uerbum, turgere, significare, et statim per medicamentum euacuationem faciendam iudicat. Prius uidelicet quàm robur corporis dissoluatur, uel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant hi qui per corpus uagantur humores. Quod autem ualde acutos morbos nominauerit, quos prius peracutos dixit, unicuiq; liquet. Et quidem quod horum terminus est prima septimana, dictum & à me prius hoc est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quid ab Hippocrate per uerbum, turgere, intelligatur, sicuti in primo libro iterum fecerat. Nam uerbum est ab animalibus quæ ad coitum properant, translatum, nempe ad excernendum semen, naturali quodam desiderio, & innata concupiscentia mouentur. Quod intelligere oportet, quando animal semine plenum tentiginem adeo ualidam habet, ut motum quendam titillantem persentiat, quoad semen excreuerit. hicq; motus in brutis animalibus frequentius inuenitur, quàm in hominibus: quoniam mares brutorum animalium semper ad coitum parati sunt, fœminæ uero statutis temporibus, & ideo coguntur mares suarum fœmellarum dispositiones expectare. Itaq; multo semine implentur. Sed homines suas fœminas semper paratas habent. ideo non solum seminis copiam non colligunt, sed quandoq; adeo profundunt ut totius corporis nutrimentum consumant. Cum ergo in ægro homine, in morbo presertim ualde acuto, ad expellendas materias similem motum uiderimus, quæ materiæ uel totum corpus, uel unam uel plures ex principalioribus partibus molestant, hunc motũ Hippocrates turgere appellat, & statim per medicamentum euacuationem faciendam iudicat, nullumq; uel tantillum intermittendum tempus quin hoc opus peragatur. Interposuit uero Galenus, eundem motum eijciendi semen in fœminis inueniri, quoniam ut in

ut in libris De semine ostendit, fœmina etiam in coitu semẽ emittit, ne quis in maribus solum, motum illum inueniri putaret.

Quod legitur, properant, Græce est ἐπειγομένων, nos potius interpretaremur urgentur, nam ἐπείγομαι urgeo significat, quamuis et propero significare soleat, sed magis exprimitur materiæ urgentis affectus, si urgetur interpretemur, quàm si properat, nam talis materia concitata urget.

Quod etiã legitur, Cum naturali concupiscentia moueatur, legi debet, cum naturali quadã concupiscentia, Græcus enim contextus ita dicit, φυσικὴν τινὰ ταύτην ἐπιθυμίαν.

Quod etiam legitur In partibus principalioribus, legi debet, In partibus principalissimis, quia Græce dicitur, περὶ τὰ κυριώτατα τὰ μέρη.

SECVNDO Galenus rationem assignat, quare in ægritudinum principijs in materia furiosa euacuatio fieri debeat, inquiens ægritudinem corporis robur dissoluere, dari autem debet priusquàm corporis robur dissoluatur, aliter amissis uiribus fieri non posset, immo si fieret, periret æger. Alia ratio est, quia omne medicamẽtum natura calidum est, febre igitur molestante, quæ calor est, exhiberi non deberet. At ægritudine procedente febris caliditas augetur, propterea tunc medicamentum exhibere minus cõuenit. Tertia causa & potissima est, quia si tardabis, nostri corporis humores ad aliquod principale membrum decumbent, & repentinam mortem inducent.

TERTIO Galenus exponit ualde acutos morbos, idest, peracutos, qui in prima septimana terminum habent, uel absolute peracuti, uel exacte peracuti sint.

Quod legitur, & quidem quod horum terminus, legi debet, & quidem quod horum iudicationis terminus. Librarius hanc particulam, iudicationis (me iudice) omisit, non autem Leonicenus. Græcus enim contextus ita habet, καὶ μέντοι καὶ ὅτι τῆς τούτων κρίσεως ὅρος ἐστὶν ἡ ἑβδομὰς ἡ πρώτη.

APHORISMVS XI

QVibus tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neq; aliter soluitur, in aquam intercutem siccam firmatur.

BRASAVOLVS

IS, qui circa umbilicum tam in superiori parte, quæ ἐπιγάστριον, quàm in inferiore, quæ ὑπογάστριον dicitur, tormina patitur, & fastidium quoddam persentit, immo & lũbi ipsi doleant, tamen nulla arte intrinseca, uel extrinseca iuuari possit, nec etiam medicamento: statim tu ipse iudicato aquam intercutem siccam, idest, tympaniam, hunc incidere debere: ut ex his quæ præsentia sunt, futura prædicere discamus. Vnde à Philotheo dicitur, καὶ οὗτος ὁ ἀφορισμὸς, διαγνωστικός ἐστιν τῶν παρόντων, καὶ προγνωστικὸς μελλόντων συμπτωμάτων. idest, Hic aphorismus comparatus est ad præsentium cognitionem, & futurorum euentuum prospicientiam.

ὁκόσοισι στρόφοι. idest, Quibus tormina,] à torquendo uocata. ac si dixerit, Qui dolores habent. nempe tormina apud Celsum quarto libro dysenteriam, idest, difficultatem intestinorum significant. hoc autem loco hæc difficultas intelligi non potest, sed potius intestinorum dolores: quamuis præter rem non uideretur per στρόφους non dolores, sed commotiones, & contortiones intelligere, quæ potissimum ex copia flatus in intestinis geniti & conuoluti fiunt, ac si dicat, commotiones, & non intelligere dolores, sed solas motiones, deinde per sequentem particulam dolores intelligere.

Καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν. & circa umbilicum, πόνοι, idest, labores,] per quos dolores intelligo qui è regione umbilici, & circumcirca infestẽt, qui ex materia flatuosa intestina occupante ut plurimũ fieri solent. hæc enim intestina adeo extendit, quod imperfecta continui solutio fit, quæ doloris causa est. Galenus uero in secundo libro cõmentariorum De ratione uictus in morbis acutis, exponit hoc uocabulum πόνος, idest, labor, uolens cũ proprie accipitur significare dolorẽ, quandoq; tamen significare malã affectionẽ, quę in morbis acutis fit. est autem hoc sectione quadragesimaseptima, deinde. 53. dicit uocabulum πόνος, idest, labor in illo Hippocratis contextu læsionem significare, quæ mul-

tis particularibus læsionibus genus existit. Cicero reprehendit Græcos qui dolorem & laborem nesciuerint distinguere, utrunque sub hac uoce πόνος indicantes.

Καὶ ὀσφύος ἄλγημα. idest, & lumborũ dolor.] hic per lumbos uere lumbos non intelligimus, sed intestinalẽ partem lumbis adiacentem. hoc uocabulum ὀσφὺς à Latinis interpretatũ est lũbus, quia nullũ aliud uocabulũ habetur illi correspondens: tamen ὀσφὺς mediã renum partẽ in posteriore hominis parte proprie significat. Galenus in anatomicis libris dicit in ea parte esse in qua homines cinguntur, & ὀσφὺν ἱερὸν appellari. Ad rem igitur, intellige dolores in ea parte intestinorũ quæ dorso inhæret. Philotheus ita disponit uerba, ut hanc particulã στρόφοι, umbilicũ, idest, intestina determinare faciat: & illam particulã πόνοι, lumbos determinare faciat, quod præter rem esse non uidetur.

Μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτε ἄλλως, idest, Qui neque à medicamẽto, neque aliter soluitur:] nam medicamenta dolores in illis partibus soluere solẽt, materia & flatu euacuatis eos dolores facientibus. Adde, quod fomenta, inunctiones, & clysmata eosdẽ dolores soluere cõsueuerunt. hoc est quod dicit, neque aliter, scilicet quod non solũ ex medicamẽto nõ soluatur, sed nec ex fomento, nec ex clystere, nec ex inũctione, nec ex emplastro, nec alia re simili, ut uno solo uerbo à Philotheo exprimitur dicente, ἢ ἄλλως, τουτέστι δι' ἄλλων βοηθημάτων, idest, uel aliter, hoc est per alia præsidia. Cum enim non soluitur, signum est in illis partibus esse malã qualitatẽ, quę remoueri non potest, & quę continuo flatus parit. unde sequitur, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύνεται. idest, in aquã intercutẽ siccã firmatur. etenim flatus est qui illos dolores parit, qui etiã auferri non potest, nec mala tẽperatura ipsum pariens. propterea illo multiplicato id genus aquæ intercutis sequitur, quod tympania appellatur, à sonitu quẽ facit uenter percussus. Hanc eandẽ causam & ægritudinis & nominis assignauit Philotheus inquiens, γίνωσκε ὅτι δυσκρασία τίς ἐστιν ἑκτικὴ τῶν μορίων, ἥτις πολυχρονίζουσα ξηρὸν ὕδρωπα ἐργάζεται, ὃν ἔνιοι τυμπανίαν ὀνομάζουσιν διὰ τὸ ἀποτελεῖν ψόφον τυπτόμενον οἱονεὶ τύμπανον. τὴν δυσκρασίαν δὲ ταύτην ἐφ' ἧς ὁ τοιοῦτος ὕδρωψ γίνεται, ἀποτελεῖ ψύξις μεγάλη, τίκτουσα παχύτατα πνεύματα. κατὰ ποῖον δὲ τρόπον ὕδερος ὀνομάζεται ὁ τυμπανίας; καθὸ καὶ ὑπ' αὐτοῦ ὡς ἐπὶ τῶν λοιπῶν ὑδέρων πίμπαται ὁ περιτόναιος. idest, Scito quod malũ temperamẽtum ex habitudine profectũ, uel diuturnum partium est, quod hydropẽ siccam inducit, quã quidam tympaniã uocant, quoniã percussus strepitum facit, tanquam tympanum. hoc aũt malum tẽperamentum, ex quo talis hydrops fit, magna frigiditas crassissimũ flatum pariens facit. Secundũ qualem autẽ modũ hydrops nominatur tympanias? in quantũ & in ipsa, ut in reliquis hydropibus impletur peritoneũ. Cũ uero hydrops quandoque fiat ex iecore primo male affecto, quandoque ex alio mẽbro, tamen iecur denique offendẽte, hæc de qua in Aphorismo sermo fit, potest & ex iecore primo male affecto cõsequi, ex quo flatus procurentur, & ex parte male affecta, & deinde iecur ipsum afficiente. Tamen Philotheus iudicauit hanc hydropis speciem ex parte male affecta iecur deinde afficiẽte prodire. Inquit eñ ἰστέον δὲ ὅτι ὁ ὕδρωψ διχῶς γίνεται, ἢ πρῶτα παθόντος τοῦ ἥπατος, ἢ ἄλλῳ τινὶ συμπάσχοντος. ἐνταῦθα οὖν κατὰ συμπάθειαν ἑτέρων ἀποτελεῖται ὕδρωψ. idest, Sciendum autem, quod aqua intercus dupliciter fit, uel primo patiente iecore, uel cum alio quodam compatiente. hic igitur per compassionem aliorum perficitur aqua intercus: de cuius speciebus in Galeni commentatione agere decreuimus.

GALENVS

TORMINA fiunt & propter morsum uehementẽ, & spiritũ flatuosum, qui nõ habet exitum. Sed intestinorũ inuolucri est interceptus. Quod uero dolores ad tales dispositiones cõsequantur, nemini dubiũ: at cum circa umbilicũ, ac lumbos se firmauerint, neque à medicamẽtis, neque alijs soluũtur auxilijs. Quædã est earum partiũ habitualis intemperatura, quæ magna ex parte perseuerãs, eam aquã intercutẽ efficit, quæ ab Hippocrate sicca nominatur. Vocatur aũt hic morbus à posterioribus medicis tympanias, quoniã summus uenter percussus talẽ sonũ edit qualẽ tympana. Nam et in illis per cutẽ extentã aer percutitur, quẽadmodum et ille qui in profundo locatur, in tali morbi genere. Quod uero & hoc morbi genus hydropẽ, idest, aquã intercutẽ, Hippo. nominet, est manifestum. Non tamen humidum est, sicuti qui ascites, ab utris similitudine dicitur. In quo materia collecta non est flatuosus aer, sed humor aquosus. Videtur autem à maiori frigiditate

frigiditate generari aquosus hydrops, quem ascitem uocant, quoniã ueluti in utre quodam in membrana abdominis interiore humor continetur. A minore autem tympanias. Neq; enim humida substantia in flatuosum aerem sine calore aliquo potest transmutari.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno cur tormina fiant duæ causæ redduntur, una est morsus uehemens, altera spiritus flatuosus. Morsus ut plurimũ à bilioso humore in intestinis contento, ut qui ea mordet, inducitur. Tamen flatus quandoq; speciem quandam morsus inducere potest, quando hinc inde mouetur. At non est uerus morsus. spiritus uero flatuosus, idest, uentus qui frequentissime crassus est, extendendo intestina tormina facit, quia exitum nõ habet, sed in intestinorum inuolucris intercipitur: uel etiam si exitum habeat, & non exeat, quia in intestinis ipsis firmatur, ex quo dolores fiunt, qui sunt symptomata ad illas dispositiones consequentia, idest uel ad morsum, uel ad extensionem, quæ est solutio quædam continui, ut apud Galenum in libro Artis medicinalis uidere licet. Tormina igitur casus sunt, uel symptomata, quæ à uehementi morsu uel ab extensione spiritus flatuosi, tanquam à suis ægritudinibus dependẽt, & eas, sicuti umbra corpus, sequuntur.

SECVNDO Galenus docet, cum hi dolores circa umbilicum & lumbos firmantur, qui locus proprie est pars, ubi incipit tympanias, neq; per uim medicamentorum, uel aliorum generum præsidiorum soluuntur, signum est in illis partibus esse quandam habitualem intemperiem, frigidam uidelicet quę magna ex parte perseuerat, & illam intercutis speciem inducit, quæ ab Hippocrate sicca nominatur. posteriores uero medici illam tympaniam appellant, quoniam summa uentris pars percussa, talem sonum edit, qualẽ percussa tympana edere solẽt. nã & in tympanis aer per cutẽ extensam percutitur, sicuti in hoc genere morbi aer qui in profundo corporis latitat, percutitur, & resonat.

Quod legitur, At cum circum umbilicũ & lumbos se firmauerit, statim sequi debet, postea neq; à medicamentis: librarius sua incuria illam particulam, postea, omisit. nam græcus contextus ita habet ἔπειτα μήθ' ὑπὸ φαρμακείας.

Quod etiam legitur, quę magna ex parte perseuerans, Græce est, ἥτις ὡς τὰ πολλὰ χρονίζει, idest quæ multũ perserans. hæc particula ὡς τὰ πολλὰ nunc diu significat, & multum. cum enim diu & multum perseuerabit, aqua intercus sicca consequetur.

Quod etiam legitur, Quoniã summus uenter percussus, Gręce habetur ὅτι κρουόμενον τὸ ὑπογάστριον, idest quoniam pars superior uentris, quæ epigastrium dicitur. est uero epigastrium pars uentris supra umbilicum, quę præcordia complectitur. ita habet antiquus codex, quem habeo. Aldinus uero legit ὑπογάστριον, cui magis assentiendum arbitror. nam hypogastriũ est pars uentris sub umbilico, in qua & fiunt potissimum & confirmãtur hydropes. quamuis & superiores partes impleantur, quando turgescit æger. tunc enim non solum ὑπογάστριον, sed & ἐπιγάστριον intumescunt, parsq; epigastrij, quæ ob hypogastrij tumorem extenditur, magis sonat.

Quod etiam legitur, Quemadmodum & ille qui in profundo locatur in tali morbi genere, Gręce est, καθάπερ ἐν τῷ πάθει τῶν τοιούτων ὑδρώπων, idest quemadmodum in passione talium aquarum intercutum. & illa particula, in profundo, abesse debet, ut hoc modo contextus continuationem habeat. Nam & in illis per cutem extensam aer percutitur, quemadmodum in passione talium aquarum intercutum, scilicet siccarum, quæ tympaniæ dicuntur.

TERTIO Galenus dubium remonet, quod quidem tale est, an Hippocrates hoc morbi genus hydropem uocet, inquiens manifestum hoc esse: tamen & si aqua intercus nuncupetur, non est humida, sicuti illa species, quæ ascites dicitur ab utris similitudine, in quo materia collecta, non est uentus sed aquosus humor. & quamuis apud Aristotelem aer sit humidior aqua, quoniam termino proprio minus clauditur, quàm aqua: tamẽ quia aqua magis madefacit, quàm aer, à Galeno humida simpliciter dicitur: & quod non madefacit, humidum non appellat, ut est flatus.

Quod legitur, Non tamen humidum est, in Græco contextu deest illa particula, est, etenim dicit, οὐ μὴν ὑγρόν γε.

Quod etiã legitur, ab utris similitudine dicitur, illa particula in Græco cõtextu abest.

ita enim graece continuatur, οὐ μὴν ὑγρόν γε καθάπερ τὸν ἀσκίτην, ἐφ᾽ οὗ τὸ συνειλεγμένον. id est, non tamē humidū sicuti ascitim, in quo quod collectū est. Postea sequatur, non est flatuosus aer, sed humor aquosus. & ideo illa particula, ab utris similitudine, à Leoniceno addita est. in graecis autem codicibus abest. quam tamen particulam aliqui ita legerunt, à similitudine tumoris, & non, ab utris similitudine. sed quicquid in re sit, omnia uera sunt. At quia à Galeno non dicuntur, lectorem admonere uoluimus

QVARTO Galenus docet, Hydropem aquosam à maiori frigiditate fieri, quàm flatuosam: quia humor in membrana abdominis interiore ueluti in quodam utre continetur. sed tympanias à minori frigiditate inducitur: quia fit ab humida substantia, & sine aliquo calore, flatuosus aer fieri non potest. Quod legitur in membrana abdominis interiore, Graece est, τῷ περιτοναίῳ, idest, in peritoneo. an uero peritoneum abdomen sit, dubitare non est opus. quia ut Galenus libro quinto De aggressionibus anatomicis scripsit, & libro sexto, peritoneum pellis est quaedam, quae omnia intestina tegit, quam Arabes siphac appellant. Abdomen uero in totum est, musculos, pelliculam, & pinguedinem complectens, ab Arabibus mirach uocatur. Leonicenus huic parti quam Greci uocant περιτόναιον, latinum nomen fingere uoluit, & dixit membrana abdominis interior, sed re uera nobis hoc nomen non satisfacit, quia pellicula supra uentrem inferiorem extensa est membrana exterior. intus uero adest & alia pellicula quae abdomen integit, quae appellari potest, membrana abdominis interior, sub qua peritoneum inuenitur, membrana ab abdomine distincta. Ideo simpliciter interpretari debemus peritoneum, uel membrana sub abdomine. nam in aqua intercute aquosus humor inter abdomen, & pelliculam istam, quae peritoneum dicitur, continetur. Sed ut huius Aphorismi sensus commodius habeatur necesse est Aquae intercutis species secundum antiquos percurrere, & quomodo fiant, edocere. Hippocrates libro quarto De ratione uictus in morbis acutis, duorum aquae intercutis generum solum meminit, unum subcarnosum, quod hyposarca appellant. Id (inquit) hominem cum aggreditur, ineuitabile est. Alterum ex flatibus constat, hoc tympaniam dicunt, quod multa eaq; bona fortuna indiget. In calce autem libri quarti de morbis, tria hydropis genera prosequitur. nam & aquosam hydropem, quae ascites dicitur, enumerat. forte in libro De ratione uictus in morbis acutis, sub tympania ascitem complectitur, quoniam ascites, & tympania simul continuo inueniuntur. Celsus libro tertio capite uigesimoprimo tres hydropis distinctas species pertractat. Nam modo uentre uehementer intento creber intus ex motu spiritus sonus est. modo corpus inaequale est, tumoribus aliter aliterq; per totum id orientibus. modo intus in unum aqua contrahitur, & moto corpore ita mouetur, ut impetus eius conspici possit. Primum τυμπανίτην, secundum λευκοφλεγματίαν uel ὑποσάρκα tertium ἀσκίτην Greci nominant. Haec Celsus de aquae intercutis speciebus, quam Graeci ὕδρωπα uocant. Paulus Aegineta libro tertio, capite quadragesimooctauo & ipse trium hydropis specierum meminit, tympanitis, ascitis, quae ab ἀσκοῦ, idest, utre dicitur, & leucophlegmatia, uel hyposarca, uel anasarca. nos carnosam uocare possumus. Aetius quoque libro decimo, capite uigesimo easdem tres species enumerat, & Alexander Trallianus capite trigesimo libri tertij, tres species ponit, aquosam, flatuosam, & carnosam. sed in qua parte fiant, omnes hi authores praetermittere uidentur. Id solum in hyposarca dicentes quod est totius corporis crementum. fit autem ex pituita, quae in omnes corporis partes penetrat, adeo ut Graeci hunc morbum λευκοφλεγματίαν uocarint, ac si dixerint albam pituitam. hanc uero hydropis speciem semper καχεξία, idest, malus habitus praecedit. immo si hanc hyposarcam, idest, subcarnosam hydropem consideremus, est intensior cachexia, quam ut nomen hoc cachexia significet. unum est, hyposarcam nunquam fieri, quin cachexia praecesserit. In quo autem loco aliae duae species, scilicet tympanitis & ascitis, fiant, dubium non mediocre est. Alexander Trallianus praecitato loco dicit, circa abdomen siue sumen fieri, cum aquosi humores tanquam utercu lo, quem ἀσκὸν Graeci dicunt, collecti continentur, uentremq; intendunt, & moto huc illuc corpore cum borborygmo euidente decurrunt. est autem βορβορυγμὸς uentris strepitus ueluti aqueus, quasiq; in eadem parte quidam tumultus, unde ex Tralliano colligitur circa abdomen

abdomen fieri, sed nec ostendit, nec specificat locum. Aetius locum esse uoluit inter peritoneum & intestina. nam pellicula illa quæ integit intestina (ut dictum est) peritoneum uocatur, cum aqua inter ipsam, & intestina continetur, hæc hydrops ascites nuncupatur. si uero sit flatus, tympanitis. Paulus quoq; Aegineta licet locum non specificet inter peritoneum & intestina, tamen dicit inter peritoneum & partes ei subiacentes aquam esse. sunt uero peritoneo subiacentes partes, intestina. Nec Galenus aliter sentit, quàm inter peritoneum & intestina aquam esse in libro qui inscribitur Introductorius. Idem Galenus libro quinto De locis affectis capite sexto, cum has tres species enumerauerit, inquit, sed spatium quod inter peritoneum, & partes ei adiacentes est, aquoso humore impletur. sunt uero peritoneum, & partes ei adiacentes, spatium inter intestina & peritoneum. Conuenientiusq; fuisset, Copum non esse interpretatum, partes adiacentes, sed potius, partes subiacentes: quia etiam superiores partes, quæ sunt abdomen, sunt adiacentes, non tamen subiacentes. Contextusq; Galeni Græcus dicit subiacentes, & non adiacentes, inquit enim καὶ τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ σωμάτων: ubi uides illam particulam ὑποκειμένων, potius subiacentium, quàm adiacentium interpretandum esse. Ex his supinus quorundam recentiorum error panditur, qui dicunt aquam esse (ut eorum uerbis utar) inter siphac & mirach, idest, inter peritoneum & abdomen. Galenus uero & cæteri Græci authores supra citati inter peritoneum & intestina, uel zirbum, idest, omentum aquam ponunt. Arabes etenim peritoneum siphac, abdomen mirach, omentum, idest, reticulum zirbum uocant. Ad rem igitur redeuntes, inter peritoneum & omentum aqua colligitur, quæ etiam peruenit ad intestina. nam à Galeno, Paulo, & Aetio dicitur supra partes peritoneo subiacentes fieri, & non supra intestina. Tamen & si dicerent supra intestina, nihil referret, quoniam omentum ad intestina statim terminatur, nec illa adeo egregie tegit, quin aqua intestina ipsa possit attingere. Aqua igitur intercus apud antiquos colligitur inter abdomen & omentum uel intestina: Quod ita esse non solum experientia & sensus ostendunt, sed & modus ille curandi per incisionem id dicere nos cogit. nam abdomen deorsum trahitur, deinde perforatur quo usque ad aquam perueniamus. deinde aquæ quantitate extracta, ut medico uidetur, abdomen in suum locum transire permittitur: ut peritonei foramen integat, ne amplius aqua exeat. Quæ operatio uana esset, nisi sub peritoneo aqua contineretur. Adde quod in his qui herniam patiuntur & hydropem, necesse est scortum aqua impleri, quod fieri non posset, nisi sub peritoneo contineretur. Tot à nobis de hac tam facili re prædicenda fuere, ut à recentiorum animis falsam illam opinionem euelleremus, qua uolunt inter siphac & mirach aquam contineri. Quando solus flatus extiterit, ab Hippocrate hydrops sicca, idest nullam habens aquositatem, uocatur. Oribasius autem iudicat, nihil aliud esse hydropem siccam, quàm penuriam sanguinis, qui per hepatis uenas ministratur. sed re uera an ex solo flatu hydrops facta inueniatur, dubium non mediocre est. & ingenue fatebor, rationem fieri posse, dictare. nunquam uero inuenimus ex puro flatu factum hydropem, quin aquam commixtam habeat. propterea Galenus in Introductorio sibi adscripto inquit, Nam tympanitis, & ascitis eiusdem speciei sunt, quoniam in utraq; nutrimentum in aquam redactum inter intestina & peritoneum transfunditur, sed in hac aquæ plus, quum spiritus in unum intus contrahitur: in illa copiosior spiritus, minor humiditas est. ut ex hoc loco colligi possit, tam in tympanite, quàm in Ascite aquam esse: sed in Ascite maior copia, minor in tympanite reperitur. & hoc conueniens est, quia utræq; species à mala qualitate frigida iecori cõmunicata fiunt. propterea ea in mentem reuocato, quę ex Philotheo etiam superius adduximus, omnes hydropis species fieri aut ex iecore primo per se male affecto, aut ex alio membro iecori communicante, & male afficiente. sæpe uero lien est. si uero iecur ex se hydropem inducat, aut id ob frigiditatem facit, aut ob nimiam caliditatem, aut ob tumorẽ pręter naturam, aut ob aliud simile, quod in numerum referunt authores. & quamuis à nimia caliditate fieri possit, id non est à caliditate, ut caliditas, sed quia huiusmodi caliditas iecoris temperaturam, actionem, & naturam corrumpit ac destruit, & frigiditatem inducit. propterea simpliciter dici posset, hydropem, uel à iecore primario, uel per compassionem fiat, semper ex mala ipsius iecoris affectione consequi, quæ frigida denicq; efficitur.

Omnium

Omnium specierum deterrima est hyposarca, quam Celsus insanabilem facit. Nonnulli uero Recentes hyposarcam inter alias species minus deteriorem faciunt, eo decepti, quia hominem cachexiam patientem, hyposarcam habere iudicarunt. sed à frigiditate iecoris fit tympanitis, à maiori fit Ascites, à maxima uero hyposarca, in qua Galenus in introductorio sibi adscripto inquit, Solidę totius corporis partes in aquæ naturã transeunt. hanc Hippocrates immedicabilem esse scribit.

Si uero dubites quomodo Tympania ex frigiditate induci possit, quia flatus (Aristotele in secundo meteororum libro teste) ex calido temperato generatur, & ratio cur in uere & autumno multi flatus spirent nulla alia assignatur, quàm harum anni partium calor temperatus. In hyeme uero ob frigus, & in ęstate ob ingentem calorem rariores uenti spirare consueuerunt, Respondemus, ad flatum generandum duo potissimũ requiri: unum est materia in flatum apta transire, aliud agens: materia in flatum transire apta, est humida materia: agẽs, est calor, qui sit ita proportionatus ut ualde intensus non sit: aliter totam humiditatem adeo resolueret, ut flatus nõ fieret, sed euanesceret, ut in magnis ęstibus fieri experimur. At si calor adeo paruus sit, ut nullo modo possit resoluere aut attenuare humiditatẽ, flatus etiam non fit, quia agens ineptum est, & nimis debile. At si calor tantus sit, qui possit humidam materiã attenuare, sed nõ resoluere, flatus generantur. Et ideo flatus à caliditate diminuta respectu resolutionis fit: & à caliditate superante, respectu huius quod materiã attenuat. ideo Recentiorum disputationes quibus diu uexantur, probãtes aliqui à caliditate superante, aliqui diminuta flatus generari, uanæ sunt, & nullius momenti. Quia utrunque uerum est respectu diuersorum. unde & Galenus in fine huius commenti dicit, flatum ex aliqua caliditate fieri.

Denique ex hoc Aphorismo nos prædicere nouimus quid in hoc casu futurum sit, quia (ut Oribasius dicit) per omnia Hippocrates uoluit doctum esse medicum tanquam augurem.

APHORISMVS XII

QVorum alui intestinorum leuitate laborant, hyberno tempore supra purgari malum.

BRASAVOLVS

INTESTINORVM leuitas est, quando ea quæ comeduntur, celeriter deijciuntur, ideo Philotheus illam definire uolens, dicit, λειεντερία δέ, ταχεῖα διέξοδος τῶν προσφερομένων σιτίων ἀμεταβλήτων ἐκκρινομένων. idest, intestinorũ leuitas est uelox transitus cibariorum sumptorum, quæ nõ mutata secernuntur. Oribasius hic addit, leuitatem fieri ex glutinoso humore, qui est crassus, & ponderosus, ideo per inferiora purgandus, præsertim hyemis tempore. nempe si per superiora purgare tentabis, malum est, & potius obesse poteris, quàm prodesse.

ὁκόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες. idest, Quorum alui intestinorum leuitatem habent.] Vtitur uocabulo κοιλία, quod proprie interiorem uentrem significat à latinis aluum nuncupatum. Est uero intestinorum leuitas, quam Græci lienteriam uocant, quoties uel cibus ut comeditur deijcitur, uel parum immutatus. Hippocrates in libro De morbis qui extra, dicit, Leuitas autem intestinorum, cibaria non putrefacta liquidaque demittit. dolor autem non inest, ac corpus emaciatur, & id merito fit, quia cibus non transit in sanguinem, sed exit inconcoctus. docetque eodem loco Hippocrates tunc fieri, quoties de capite, superioreque uentriculo in inferiorem pituita magnopere defluit: quod cum fit, cibaria refrigerantur, humescuntque, non putrefactaque statim demittuntur, corpusque tabescit, partim cibarijs non concoctis cum non satis in uentriculo steterint, partim uentriculi nimio calore præter naturam calefactis. In libro autem tertio De alimentis idem Hippocrates ait, lienteriam fieri ex frigiditate, & humiditate. ex frigiditate nanque non concoquunt, ex humiditate egerunt. In libro uero De fœminarum

rum morbis, lente, tritico, & setanio lienteriam curat. At in libro secundo Prædictio num dicit, leuitas autem intestinorum assidue longeq;, tempore omni, & hora, die & nocte, cum crepitu, & sine, hæ omnes malæ sunt si durant cum oleto subeunte ualde crudo, nigro, leui, liquido, & olido. nam sitim faciunt, potumq; in uesicam non mittunt, uti meiatur, sed os ulcerant, tumidumq; ruborem in facie creant, lentigines, uitiliginesq;, & colores uarios, simulq; uentres fermentatos, & rugosos faciunt. propterea homines uesci, deambulareq; non possunt, & cætera quæ peragenda forent, facere. Malum quidem hoc senibus grauissimum, periculosissimumq; est, uiros etiam ualde molestat, cæteras ætates minus multo. Quisquis ergo hac ætate non est, quam dico malo hoc morbi corripi, minusq; signorum, quæ mala esse scripsi, habet, tutissime hic deget, disponeturq;. Tantisper uero morbus hic curationis eget, donec rata potus ratione, portioneq; meiat, & corpus cibis intrantibus augeatur, malisq; coloribus liberetur. Cæteræ uero fluctiones, quæ sine febre sunt, & non longæ, lenes sunt. nam inedia remoratæ sedantur, uel sua sponte cessant. Quare cum uentrem tetigeris, nullus motus inerit, crepitusq;, & flatus in excrementi fine prodierit. fluxum hunc exitum cessaturum prædicito. Hæc Hippocrates in libro Prædictionum, quem tamen librum Hippocratis esse negant. & re uera colores illi (dempto pallore) in lienteria non fiunt. Galenus in Definitionum libro sibi adscripto, lienteriam malum esse dicit, quod intestinorum tormina plerunque sequitur cum multis cicatricibus ab exulceratione factis: hisque inducto leuore non retinent cibos intestina, sed antequam à uentriculo coquantur, celerrime excreta dilabuntur, simplicia, non cocta, & qualia paulo ante sumpta fuerunt, sed hoc est mortis indicium. Paulus uero Aegineta libro tertio, capite quadragesimo duplicem intestinorum leuitatem ponit, alteram à Galeno iam dictam, quæ ex intestinorum exulcerationibus & cicatricibus oritur. equidem est lienteria, quæ ad dysenteriam plerunque sequitur, aut ex alijs destillationibus, sed hæc in aphorismo intelligenda non est: Alteram uero dicit ex infirmitate, languoreq; uirium, quæ alimenta in stomacho distinent, prouenire. & hanc cum cœliaca confundi arbitratur, in qua utique languente & imbecilla stomachi uirtute cibi neque coquuntur, neque perferuntur, concoctiue distrahuntur, sed molles, crudi, perliquidi, imperfectiq; euadunt, continuo fluxu tentata aluo. Sed in intestinorum leuore celerius, quàm in cœliacis, quæ assumpta sunt alimenta deijciuntur, tanquam graui cruditate, ut assumpti quoque nutrimenti genus liquido inde cognoscatur. & his quidem cœliaci distinguuntur. Aetius libro nono, capite quinquagesimo primo de lienteria tractans, inquit. lienteria, quemadmodum ipsum nomen indicat, leuor quispiam intestinorum est, qualis etiam forinsecus in corporis cuticula, ex cicatrice contingere solet. Oboritur autem frequenter, dysenteria magna præcedente, & ex profunda ulceratione, cicatrice densa & leui succedente, quæ deinde ob densitatem quidem suam, ciborum per corpus digestionem fieri non permittit quum sane uenarum ora sint ueluti obturata: uenarum inquam, quæ alimentum ex intestinis ad se auellunt. ob leuorem uero statim cibum priusquam permutationem & perfectam coctionem admittat, dilabi sinit. Cæterum lienteria ipsa proprie ex permutantis cibos ac digerentis facultatis debilitate contingit: cuius signum est, quod cibi crudi, & nihil immutati excernuntur. quæ ratio & ex hoc amplius corroboratur, quod non solum à dysenteria hæc affectio oboritur, sed & post frequentia uoluulosa tormina, & post longum profluuium uentris, aliquando etiam aqua intercutem per uentrem euacuata, lienteria consequi solet. ex quacunque igitur causa lienteria orta sit, ægri cibum non sentiunt, & malum corporis habitum acquirunt, quod utrunque malum incorrigibile existit. succedit enim ægris assidua excretio cruda, colore subalbida, inæqualis, & aquosissima, citra sanguinis & bilis complexum. Adest autem simul & ardor per tota præcordia se dilatans, quem cibi fastidium concomitatur. Hactenus Aetius. Celsus quoque capite sextodecimo quarti libri: ex torminibus, idest, dysenteria (inquit) intestinorum leuitas oritur, quæ continere nihil possunt, & quicquid assumptum est, imperfectum protinus reddunt. Id interdum ægros trahit, interdum præcipitat.

In hoc aphorismo de leuitate à pituita facta, quæ in intestinis sit, potissimum sermo habetur. nam per inferiora purgari debet, & præsertim tempore hyemis. quamuis Philotheus uelit de illa intelligendum esse, quæ uentris ulcus consequitur. eius uerba hæc sunt, quibus lienteriæ causas enumerat, γίνεται δὲ, διὰ ἀῤῥωστίαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως, καὶ διὰ ἕλκωσιν ἐπὶ πολὺ τῆς γαστρὸς, καὶ διὰ φλέγμα ψυχρὸν ἐν τοῖς ἐντέροις ἐμπεπλασμένον. περὶ τῆς δευτέρας οὖν λειεντερίας λόγος τῷ ἱπποκράτει. idest, fit autem ob debilitatem contentiuæ potentiæ, & ob diuturnum uentris ulcus, & ob frigidam pituitam in intestinis affixam. De secunda igitur intestinorum leuitate sermo Hippocrati est. Si uero causam quæras, à quo humore fiat hæc lienteria, statim idem Philotheus ita respondet, γίνεται γὰρ αὕτη ὑπὸ χυμοῦ δριμέως, καὶ λεπτοῦ, ἥ τις καὶ φαρμακείας τῆς ἄνω δεῖται διὰ τὸν χυμὸν τὸν πλεονάζοντα, ἀλλ' οὐκ ἐν χειμῶνι, τότε γὰρ ὁ φλεγματικὸς χυμὸς πλεονάζει. idest, fit enim ipsa ab humore acri, & tenui, quæ ob humorem abundantem medicamento per superius indiget, sed non in hyeme: tunc enim pituitosus humor abundat.

Χειμῶνος ἄνω φαρμακεύειν, κακόν. idest, Hyeme supra purgari, malum.] Malum autem est quocunque tempore, etiam si æstas sit, quando lienteriam ex pituita factam intellexerimus, quæ in intestinis uagetur. nam si in uentriculo esset, etiã si pituita sit, & hyems (intelligo autem in uentriculi cauitate) per superiora purgari debet. At si Philothei more lienteriam ex acuto humore, & tenui, idest bilioso factam intelligamus, in æstate per superiora purgari posset, non autem in hyeme, nisi in intestinorum cauitate sita fuerit. si uero quæras an intestinorum, an uentriculi passio sit hæc lienteria, Philotheus respondet, εἰ καὶ ἐκ τῶν ἐντέρων λαμβάνεται, οὐ μόνον τῶν ἐντέρων ἐστὶ πάθος, ἀλλὰ καὶ αὐτῆς τῆς γαστρός. idest, & si ex intestinis apprehenditur, non solum intestinorũ passio est, sed & ipsius uentris.

GALENVS

QVANDO celeriter ea quę comeduntur deijciuntur, hanc passionem leuitatem intestinorum nominant. Fit igitur ex potentiæ contentiuæ debilitate. Consequitur autem ad omnium quæ ad aluum pertinent instrumentorum intemperaturas, hoc est ipsius uentriculi, in quem cibos deuoramus, & eorum quæ ex hoc suscipiunt, atque transmittunt intestinorum. Fit autem quandoque & leuitas intestinorum ex aliqua summas partes occupante exulceratione, simili illis quæ in ore fiunt, quas græci aphthas nominant. Intemperantiæ igitur nonnunquã fiunt habituales (sic uero nominãt illas quæ ipso corporum habitu læso fiunt) & quandoque propter frigidam pituitam, qualis est acida maximè. Earum autem quę in summa parte hærent exulcerationum, causa est humor acris, & tenuis, Hic igitur & si per superiora purgari debet, quoniam huiuscemodi humores magis fluitare soleant, quàm ad inferiora secedere, non tamen hoc hyeme faciendum est, sicuti etiam superius est dictum. Alter uero pituitosus, quando adhæserit intestinis, nunquam est per superiora purgandus, hoc est per uomitoriam medicinam. Sola enim euomi natura apta sunt quæ in uentriculo continentur. Eorum uero quæ continentur in intestinis, nihil potest per uomitus euacuari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus intestinorum leuitatem describere uidetur, inquiens tunc esse, quum illa quæ comeduntur, non immutata, uel parum immutata deijciuntur. sed alicui uidebitur, si quis uentriculum ad citam digestionem aptissimum haberet, & ad superflua expellendũ, quod is celeriter, ea quæ comederet, deijceret, præsertim si illa insumat quæ cito coquuntur & nutriunt. nam eorum quæ cito nutriunt, ueloces quoque secessus fiunt. hic ergo celeriter ac cito deijciet, quæ insumet, & tamen lienteriam nõ habebit. propter hoc Galeni uerba consideranda sunt. nempe in Leoniceni interpretatione, quatuor uerba desunt, quæ in Græco Galeni contextu insunt, ita enim græce dicit ὅταν ἐν τάχει τῶν ἐσθιομένων ἡ διαχώρησις γίνηται τοιούτων οἷα κατεπόθη, λειεντερίαν ὀνομάζουσι τὸ νόσημα siue πάθος. idest, quãdo celeriter ea quæ comedũtur, deijciũtur talia, qualia deglutita sunt, hanc passionem leuitatem intestinorum nominant. ex quibus uerbis perfecta leuitatis intestinorum circunscriptio habetur, quæ in Leoniceni interpretatione non habebatur. mihique potius placet nos legere τὸ πάθος, idest, passionẽ, quàm τὸ νόσημα, idest, morbum. quoniam lienteria passio est, & symptoma, non autem morbus: prouenit uero à morbo, idest mala qualitate ut statim cognoscemus.

SECVNDO Galenus leuitatis intestinorum causas reddit. scito autem quandoque ex cibi & potus natura prouenire posse, & de hac leuitate hic sermo non fit: quandoque fit ex potentiæ contentiuæ debilitate, & expultricis fortitudine: quandoque ad omniũ instrumentorum ad aluum pertinentiũ intẽperaturas sequitur. si uero petas quæ sint hæc instrumenta, dicit esse uentriculum, in quem cibi, quos comedimus, tendunt, & intestina, ad quæ uentriculus transmittit. Id uero quod hoc facit, est frigida & humida intemperatura. Quãdoque leuitas intestinorũ ex aliqua exulceratione fit, quæ summas partes occupauerit, quam Græci autores dicunt ex dysenteria fieri lienteriam, simileque est illis exulcerationibus, quæ in ore fiunt, & aphthæ uocantur.

TERTIO prædictas causas ad rem ipsam applicat. una causa est in summa parte exulceratio, quę (ut etiam Philotheus dicebat) fieri nõ potest, nisi ab humore acri & tenui. hic uero humor per superiora quidem purgari debet, sed non hyemis tẽpore. Ideo is qui intestinorum leuitate laborat, in hoc casu per superiora purgandus non est. si uero ab intemperatura fiat, quæ uel sit facta habitualis uentriculo, uel intestinis, uel à pituita acida fiat, quæ frigidissima est, si ad intemperaturam quæ frigida sit consequatur, cum ab ea frigidi humores generentur, per superiora nunquam purgandus erit, præsertim si hi humores intestina occupabunt, & hyems uigeat. At si fuerint pituitosi humores, qui intestinis inhæreant, nunquam est per superiora purgandus, idest nunquam uehementi medicamento euomere faciente purgandus erit. & summa ratio cur per superiora purgari non debeat, est, quia sola illa euomi apta nata sunt, quæ in uentriculo continentur, sed illa quæ in intestinis continentur, per uomitum purgari non possunt. Vnde hæc sit cõmunis, & quæ non fallit regula, si intestinorum leuitas à pituita fiat, quæ intestina occupauerit, per superiora is qui patitur nunquam purgandus est præsertim hyeme. Si uero in uentriculi cauitate contineretur, posset & deberet per superiora purgari. æque si bilis intestina occupauerit, per inferiora purgato. si in uentriculo, per superiora quocunque tempore. Nam & si regulas superius habuerimus, hyeme per inferiora, & æstate per superiora purgandum esse, eæ regulæ intelligendæ sunt, quoties nullæ aliæ conditiones impediant. unde id semper uerũ est, pituita ut pituita per inferius semper purganda, & hyeme ut hyems est, per inferius continuo purgandum: & è contrario bilis ut bilis, semper per superiora purgari debet, & æstate ut æstas est semper per superiora purgandum. sed hæ regulæ nonnullis conditionibus aduenientibus transmutantur. nam pituita si in uentriculi cauitate extiterit, etiam hi hyems sit, per superiora purgari debet: & cum bilis in intestinis fuerit, potius per inferiora duci debet, quàm magno incommodo & periculoso per superiora educere tentare.

Quod legitur, earum autem quæ in summa parte hærent exulcerationum, nos potius in superficie interpretaremur, ut aliàs fecimus, quàm in summa parte. quamuis idem sensus sit. est autem Grȩce τῶν δὲ ἐπιπολῆς.

APHORISMVS XIII

AD helleboros qui non facile supra purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda sunt.

BRASAVOLVS

ANTIQVI frequentius per superiora purgabant, idest uehementiori medicamento materias educebant: quo euacuationis genere raro nos utimur. Inter illos autem qui per superiora purgatione indigent, aliqui facile purgantur, alij difficulter. Qui facile purgantur, aut helleboro, aut alia simili re purgandi sunt. Qui uero difficulter purgantur, non sunt temere sine medio purgandi, sed eorum corpora præhumectare debemus, quod duobus modis expedire debemus. primo corpus in quiete detinentes, secundo plurimum cibi tribuentes.

Hic Aphorismus ex principio epistolę Hippocratis de ueratri purgatione, siue helleborismo ad Democritum, statim sumitur. eius uerba hæc sunt: qui non facile supra pur-

gantur, ante potionem corpora multo cibo, quieteque madefaciāt. Celsus libro secundo capite decimotertio de helleboro præsertim albo loquens inquit, quisquis daturus erit, id agere antè debet, ut accepturi corpus humidius sit.

Πρὸς τοὺς ἑλλεβόρους. idest, Ad helleboros.] Aliqui sunt qui ita scribunt ἐλλεβόρους, idest eleboros sine aspiratione, & cū unico λάμβδα, & ita in multis antiquioribus contextibus legitur. Horatius per duplex l. scribere uidetur inquiens,

Expulit helleboro morbum bilemque meraco,

Certum est apud multos Græcos sine aspiratione scribi, quamuis Apuleius & alij cum aspiratione scriptum reliquerint. sed hoc nihil refert, modo rem ipsam cognoscamus. Duo sunt hellebori genera, album & nigrum, nunc in multis hortis Ferrariæ utrunque genus uiret. Antiquitus & album, & nigrum propinabant. Recētes & à trecentis annis citra, nigrum exhibent, album propinare non audent. Nos autem antiquiores imitati utrunque cum expedit, præbemus. Nigrum (ut inquit Paulus, & Aetius, & hoc loco Oribasius) per inferna magis ducit, album per superna: utrunque tamen & per inferiores & per superiores partes educit: sed nigro pars inferna, albo pars superna magis propria est. Nigrum sine discrimine quotidie præbemus, & optime euacuat, quandoque ad drachmam usque peruenientes. Datur autem (ut inquit Celsus capite duodecimo secundi libri) aut atra bile uexatis, aut cum tristitia insanientibus, aut his quorum nerui parte aliqua resoluti sunt. etiam datur si caput graue est, si oculi caligant, si morbus maioris intestini est (quod Græci κῶλον nominant) si in imo uentre, aut in coxa dolores sunt, si in stomachum quædam biliosa concurrunt, uel etiam pituita. & alia multa ibi à Celso dicuntur, quæ longius à Theophrasto libro nono De plantarum historia, & Dioscoride libro quarto, à Plinio libro uigesimoquinto, capite quinto, & denique à Galeno, Paulo, & Aetio repetuntur: appellantque hoc nigrum, ueratrum melampodium, à Melampo, qui ad Clitorium Arcadiæ ciuitatem apud fontem, furorem filiarum Prœti sacrificijs curauit, unde & prœtion nuncupatum est. Nos nigrum ueratrum absque aliqua præparatione præbemus, & optime soluit. quamuis Aetius libro trigesimo capite uigesimoseptimo præparare uideatur. Nos ut plurimum in catapotia reducimus. nam si potu bibatur, uomitum potius iritat. Magnus calor, & magnus æstus euitari debent, in alijs temporibus eo tute utaris, quia multum proficere deprehendes, & eos optime iuuare, quibus conuenit. Nonnunquam & album præbere ausi sumus in his ægritudinibus quæ à Celso decimotertio capite secundi libri ponuntur, scilicet ubi longi, ualentesque morbi sine febre sunt, ut comitialis, aut insania, id (inquit) neque hyeme, neque æstate rectè datur, optime uere, tolerabiliter autumno. quandoque huius scrupulum dedimus sine præparatione uel corporis, uel ueratri, & duos scrupulos corpore solum præparato. nam multis modis eius uis corrigitur. Ne uero quicquam uel utile, si non necessarium, intactum prætermittam, scire oportet, album helleborum pasta præparari, in qua imponitur, & torresit, ut de scamonio fieri consueuit, quando diagridium uocatum parant. Quandoque præbui ita torrefactum, & expertus sum, sine ullo discrimine per superiora & per inferiora purgare. hunc uero parandi modum ex Dioscoride colligere potes, qui libro quarto de albo ueratro tractans inquit: pani etiam compinsitur, & torretur. Sed quandoque hunc panem dedimus, in quo helleborus incoctus est, & non ipsum helleborum, qui panis absque ullo discrimine egregie purgauit, & quale purgare oportebat. Neque istud absque ratione experti sumus: immo à Galeno accepimus libro primo De alimentorum facultatibus, qui in fine prohemij de scammonij præparatione loquens dicit, excauata interiore parte cotonei scammonium imponi, & assari. postea iubet pomum ipsum mandi, & non scammonium. Ita nos in hellebori præparatione panem dedimus, & non helleborum. Quandoque etiam curaui, ut cotoneo malo corrigeretur, quia ita correctus mire profuit. Idemque cotoneum ipsum operabatur. Hic est unus helleborum album præparandi modus. Alter est modus, si per octo dies aceto maceretur, tunc tenellus efficitur, deinde in umbra exiccatur, postea ut lubet uti poteris, mireque proficiet. Germanus quidam helleborum in aquam ardentem, quam uitæ aquam uocant, imponit, deinde aquam urit, qua usta helleborum præbet. Itaque colocynthida parat: quę illis quibus conueniunt mire proficiunt propinata. Quandoque helleborus albus

albus raphano infigitur, & per tres dies dimittitur, deinde raphanus ipse, idest radicula comeditur, uel (ut Galenus docet in libro, Quibus medicamentis purgare conueniat) hic raphanus per integrum diem & noctem in oxymelle perstet. deinde oxymel bibatur. Posset autem secundum alias uarias formas sumi, de quibus sumendi formis Aetius libro tertio, capite 124. usq; ad caput 136. diffusissime pertractauit, & ipse hanc Galeni præparationem in raphano hoc modo facit. nam subtiliores hellebori radices, in raphanum canna perforatum imponit, deinde illas extrahit, & raphanum in oxymel ponit. sed Galenus helleborum non extrahit, dum oxymel ingredi debet, ut in libro, Quibus medicamentis oporteat purgare, inspicere licet. Paulus autem Aegineta libro septimo capite decimo, ubi de optimo modo præparandi helleborum tractat, in partes minutissimas ad sesami formam incidit, non tamen reducit in puluerem: deinde in succo ptisanæ, aut halicæ drachmam, uel duas hellebori drachmas elixat, & potui dat. & ideo apud Paulum alia præparatio esse non uidetur, quàm cum succo ptisanæ uel halicæ præbere. Docetq; eodem loco Paulus modum præparandi raphanos ex helleboro. Sed alia est hellebori præparatio ratione corporis recipientis, & non ratione ipsius hellebori. Quia si quispiam ad uomitum inassuetus sit, Galenus in libro Quibus medicamentis oporteat purgare inscripto, iubet nos hunc assuefacere debere, ut ad helleborum præparetur. Assuescit autem, si alia uomitoria faciliora quàm helleborus sit, accipiat: uel si ipsum helleborum in raphano & oxymelle prius seruatum desumat. sunt uero helleboro leuiora, raphani, idest radiculæ succus, agarici decoctio, aut aqua, in qua fuerit, licet non sit facta decoctio. hac autem præparatione facta, corpus prius nutriri debet, ut in hoc Aphorismo dicetur, & debet in quiete detineri. Hæc sunt præparamenta quo ad corpus eorum qui helleborum supturi sunt. Dictum est ab Hippocrate, ad helleboros, puto hanc particulam esse tanquam huius aphorismi, & plurium sequentium, qui de helleboro loquuntur, inscriptionem. & quod in helleboro dicit, in omni alio medicamento intelligi potest, quod uim uenenosam, ut helleborus habet, & per superiora purgat: quamuis Philotheus uelit hic proprie de helleboro tractari, & non de alio medicamento. Philothei uerba hæc sunt, φαίνεται δὲ, τὸ τοῦ ἐλλεβόρου ὄνομα, ποτὲ μὲν κοινῶς ἐπὶ παντὸς καθαρσίου, ποτὲ δὲ ἰδίως. καὶ κοινῶς μὲν, ὡς τὸ, ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσιν. ἰδίως δὲ ὡς ἐν τοῦθα. περὶ γὰρ τοῦ κυρίως ἐλλεβόρου, τουτέστι τοῦ φυτοῦ, νῦν ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει, idest: uidetur autem nomen hellebori quandoq; quidem communiter ad omne medicamentum purgans, quandoq; autem proprie sumitur. & communiter quidem, sicut illud, helleborus sanas carnes habentibus periculosus. proprie autem, sicuti hic. de helleboro enim proprie, idest planta ipsa nunc sermo Hippocrati est. Prosequitur deinde Philotheus, ὅτος δὲ διπλὸς, ὁ μὲν λευκὸς, ὁ δὲ μέλας, καὶ ἀμφότεροι παχέων, καὶ γλίσχρων, καὶ φλεγματικῶν περιττωμάτων εἰσὶ καθαρτικοί. idest iste autem duplex, hic quidem albus, hic autem niger: & utriq; crassarum, glutinosarum, & pituitosarum superfluitatum purgatiui sunt. Quod si quæras per quam uiam id faciant, statim respondet, καὶ ὁ μὲν λευκὸς καθαίρει ἄνω, ὁ δὲ μέλας, κάτω. idest & albus quidem per superius purgat, niger autem per inferius.

Τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι. idest Qui non facile supra purgantur.] Aetius quibus causis quispiam non facile supra purgatur, edocet. Scito autem aliquos esse, qui non solum non facile supra purgantur, sed etiam non debent, quamuis ratione humorum indigerent. ut illi sunt qui oblongum collum habent, pectus angustum, & de quibus ambigitur ne in pectore uena frangatur, qui phthisici sunt & ethici. At hic Hippocrates eos intelligit non facile supra purgari, qui uomitum difficilem habent, & qui siccam & calidam complexionem nacti sunt. quod hoc intellexerit Hippocrates, id testimonium est, quia iubet ut humectentur. nam si id non fieret, facile possent febrem incidere, aut ex inanitione conuulsionem, aut extremam siccitatem. præsertim quia de albo helleboro Hippocrates intelligere uidetur. Quod & Philotheus censuit dicens, ἐν τοῦθα οὖν περὶ τοῦ λευκοῦ φησὶν, καὶ δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν, τοῖσι μὴ ῥηϊδίως ἄνω καθαιρομένοισι, τουτέστι τοῖς μὴ εὐκόλως ἐμοῦσι. idest hic igitur de albo dicit, quod manifestum est ex eius sermone, his qui non facile supra purgantur, hoc est, qui non facile uomunt.

πρὸ δὲ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα. idest ante potionem præhumectanda sunt eo-

rum corpora.] Quod indicium est, id esse uerum quod superius à nobis dictum est, Hippocratem in temperatura calida & sicca potissimum intelligendum esse. Cur autem hoc fiat uidetur Philotheus edocere, inquiens, πρὸς τὸ διεύρυτους γίγνεσθαι τοὺς χυμοὺς τῇ ὑγράνσει τῶν ἐπιτηδείων πρὸς ὑγρώσιν τροφῇ, κἀκ τούτου ῥᾳστην γίγνεσθαι τὴν κάθαρσιν, τοῖς μὴ εὐκόλως καθαιρομένοις. idest, ut humores bene fluibiles fiant ex humiditate rerum uictui accommodatarum ad humidum nutrimentum, & ex hoc facilem fieri purgationem ijs qui non facile purgantur. quomodo autem corpus humectari debeat, Hippocrates per duo instrumenta fieri docet, quæ statim sequuntur, scilicet,

πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει. idest, Pluri cibo, atque quiete.] Galenus in libro Quibus medicamentis oportet purgare, idem precise dicit, immo hunc Aphorismum citat. Celsus, Paulus, & Aetius, locis superius adductis ijdem uolunt corpus humidum esse debere, & hoc fieri cibis atque quiete. immo Galenus in præcitato libro docet, non esse sumendum cibum in magna copia, sed potius conueniente. inquit enim: at cibus quamuis longe ingestus non omnis humectat, sed is qui uehementes qualitates non habet, hoc est nec salsedinem, nec acrimoniam, nec amarus, nec acerbus sit. Si quis autem cupiat scire quale sit hoc, est uitulina caro, oua recentia, caro hædina, & maximè caro agnina. Idem sentit Philotheus inquiens, τὸ γὰρ πολλῇ τροφῇ οὐ ποσότητι ληπτέον, ἀλλὰ ποιότητι. ὅτι ὁ ἐλλέβορος δραστήριός ἐστι, καὶ δῆξιν ἐργάζεται, καὶ σπασμοὺς ἐπιφέρει καὶ ἕτερα χαλεπά. εἰ δὲ προϋγρανθῶσιν τὰ νεῦρα, καὶ οἱ σύνδεσμοι, καὶ τὰ ἄλλα μόρια τῇ ὑγρᾷ τροφῇ καὶ ἀναπαύσει, οὐ ῥᾳδίως εἰς σπασμὸν ἔρχονται, καὶ εἰς τὰ ἄλλα χαλεπά. idest, Hoc autem quod dixit, multo nutrimento, non quantitate intelligendum est, sed qualitate. Quoniam helleborus laboriosus est, & morsum excitat, & spasmum inducit, & alias difficultates. Si autem præhumectati sint nerui, & ligamenta, & aliæ partes, humido cibo, & quiete, non facile in spasmum uenient, & in alia molesta. Si uero dubites, corpore cibis humectato, obstructiones induci, & consequenter ad euacuationem ineptius reddi. Respondemus, hanc humectationem talem non esse, ut illud agere possit: uel & si id agere posset, diu tamen in ipsa non immoramur, sed statim helleboro purgamus, cum tantam humiditatem contractam habuerimus, quod helleborus amplius lædere non possit. Nam quia helleborus in tertio ordine calidus est, radicalem membrorum humiditatem dissoluere aptus est, & præsertim neruorum & neruosarum partium, & cerebri: quod non solum facit exiccando, sed & humiditates horum membrorum naturales ad se trahendo. Quod Hippocrates considerans, ac si eius uim refrangere uoluerit, corpus humectare iubet. Quo etiam humectato, facilius euomimus. quoniam ob humiditatem partes quodammodo relaxatæ sunt, & humores ipsi ex humiditate naturam quandam lubricam acquisiuere, ut facilius exeant. Minus etiam obesse potest neruosis partibus si humidiores effectæ sint solito. Quod si quæsiueris an dari oporteat pleno, an uacuo uentriculo. Respondemus, quanto citius è corpore expelli potest, tanto melius esse, ne obsit neruosis partibus, & uentriculo, qui nerueam naturam habet. propterea cum cibo dandus ut facilius exeat. & ideo præcitato loco Galenus cum oxymelle tribuit, & ita Paulus, & Aetius faciunt. quamuis Aetius multos exhibendi modos prosequatur. Scito tamen si à remotis partibus tractione indigueris, ipsum sine cibo dare, nihil impedit. aliter à remotis partibus non ita. Cum uero à propinquis partibus ducere cupis, aut cum re quæ naturam cibi habeat præbe, aut post cibum, aut in tali hora, in qua uentriculus uacuus non sit. Quod autem de helleboro dicitur, idem in omni alio medicamento eiusdem naturæ intelligo.

Aliud instrumentum humectandi corpus præter cibum, est quies. nam Galenus in libro Quibus medicamentis purgare oporteat, ita dicit: ac quietem quidem istud facere nemini dubium esse potest (scilicet corpus humectare) quando ut exercitatio membra exiccat, ita quies cum uacatio quædam, & exercitio contraria sit, humores conseruet. unde ob quietem illi humores permanent, qui postea per motum exiccarentur. Hac autem quiete, cum cibis ex melle & milij farina confectis suos anseres Hebræi impinguant, oculos eis consuentes ut in maiori quiete sint.

Si uero dubites, An cito corpus præparetur, an pluribus diebus indigeamus, Philotheus ita respondere uidetur, δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι πρὸ τῆς πόσεως τοῦ ἐλλεβόρου, χρὴ προϋ-

γραίνεσθαι

ὑγραίνεσθαι, καὶ ἀναπαύεσθαι τὸν μέλλοντα ἐλλεβορίσαι ἱκανὰς ἡμέρας. id est, scire autem oportet, ante hellebori potum, eum qui sumpturus est, præhumectari oportere, & in quiete seruari per decentes dies. At quot sint hi dies nullus certe prædicere potest: sed id in prudentis medici pectore latet, qui cognoscit iam satis humectum esse corpus, ad sumendum helleborum.

GALENVS

PRIVS oportet tentare eum qui helleborum sumpturus sit, quomodo se habeat ad superiores purgationes, hoc est ad eas quæ fiunt per uomitiones. Fiat autem periculum per medicamenta uomitoria, quæcunque sunt mediocria. Si igitur de facili non purgari uideatur, non oportet huiuscemodi hominem ad helleborum ducere, antequam præparetur. Hoc autem fiet si per continuos uomitus adsuescat is qui est sumpturus helleborum ad prompte uomendum. uerum hoc, ut paruum aliquod, atq; omnibus notum, Hippocrates prætermisit. Melius autem fieret prius humectando corpora. Præhumectantur autem plurimo alimento atq; quiete. Et de quiete quidem clarum est. Sicuti enim exercitia sunt apta natura exiccare, sic & quies (quod ocium est, & ab exercitatione uacatio) seruat humiditatem. Cibus uero non simpliciter plenior est aptus natura humectare, sed quicunq; nullam habet fortem qualitatem, hoc est neq; acerbam, neq; acrem, neq; salsam, neq; amaram. Forte autẽ neq; simpliciter cibus hic qui talis est appellandus. Sed hoc totũ, cibus medicinalis, sicuti illi qui est cibus simpliciter, soli hoc inest ex omnibus, ut ex sua natura non autem ex accidenti solidas partis animalis humectet, hoc ipsum non per se, sed ex accidenti faciente quiete. Quia enim eam quæ prouenit ex cibo humiditatem non exiccat, idcirco dicitur humectare. Aqua uero neq; pota, neq; extrinsecus occursans, natura apta est solidas animalis partes humectare. De talibus autem perfectiorem possit quispiam habere doctrinam legendo librum nostrum de potentijs naturalibus, & librum De tabe.

BRASAVOLVS

NIHIL ferè in hoc commẽto inuenire poteris, quin ab eodem Galeno in libro Quibus medicamentis oporteat purgare inscripto, repetatur. Primo docet in eo qui per uomitum purgari debet, experiundum esse, an uomitum facile ferat, necne. supponit Galenus nos nullum hominẽ per uomitũ purgare debere, quem antea nõ purgaueramus.

SECVNDO docet, hoc experimentum per uomitoria medicamenta fieri debere, sed tamen talia sint, quæ uim medicamentosam habeant. Si uideas quod facile non purgetur, sed ex uomitu crucietur, huic helleborum, priusquam ipsum præparaueris, ne exhibeto. ea uero quæ uomitum protitant, illa sunt, quæ statim describemus: radix iridis, folia lauri in potu sumpta, omatarichos ex mero sumpta: est uero omatarichos, quam nos Thuninam uocamus. fasiolus uomitum præstat, raphanus etiam, & radix peponis arida cum aqua mulsa, radix asphodeli commanducata, bulbus uomitorius, capparis apulus. ex origano, cepe, & semine Rhu egregium fit uomitorium, semen anagyris, Betonicæ radix ex aqua mulsa, semen papaueris aphrodes cum aqua mulsa: mandragoræ succus cum mulsa, hellebori loco dari potest, semen Daphnoidis, id est laureolæ, aliqui uocant Mezereon: elaterium, succus radicis silybi ex aqua mulsa, Balanus myrepsica, quam nos Been uocamus, radix narcissi cocta, & commanducata, melicratum ex oleo, Aes ustum ex aqua mulsa, Chrysocolla, quæ uulgo Boraso nuncupatur, Rubrica lemnia, sed omnia uenenosa sumpta euomere facit. Hæc sunt omnia antiqua uomitoria, quibus antiqui utebantur, addito utroque helleboro. Tu uero si experiri cupis, an quis facile uomat, à melicrato ex oleo incipe, deinde ad raphanum tendas, postea ad uomitorium bulbum, quem nos uulgo *scalognu* appellamus, una est eius species, post hæc ad helleborum in raphano, id est radicula ex oxymelle in pauca quantitate deuenies. si difficulter ferat, facto semel aut bis in prædictis periculo, corpus prius preparato antequam helleborum præbeamus.

TERTIO docet, quomodo is uir qui helleborum sumpturus est accingere se debeat: primo uomitui assuescat, quod ab Hippocrate hic non dicitur, quia notissimum erat: sed dixit solum, humectanda esse corpora pluri alimento, & quiete, ut humectandi modos edoceat.

Quod legitur, humectantur autem plurimo alimento, legi debet pluri alimento, quia Græce est πῶς ὑγραίνεται δὲ πλείονι τροφῆ.

QVARTO docet, otium & quietem corporis humiditatem seruare, & hoc per comparationem ad exercitium, nempe motus, & corporis exercitium exiccat corpora. nam labore incalescimus, & resoluimur. cum uero contraria, aut opposita oppositos effectus habeant, propterea & quies, quæ motui opposita est humectabit. est uero quies ob hoc causa per accidens humiditatis, quia id non facit ut quies, sed solum quia calor non acuitur, ut per motum facit. unde & in libro Quibus medicamentis oporteat purgare inscripto, inquit, ut exercitatio membra exiccat, ita quies cum uacatio quædam & exercitio contraria sit, humores conseruat. ideo corpus per accidens humectat, quoniam id solum facit, quia non exiccat. Tamen fieri potest ut quies etiam exiccet, uim nutritiuam & concoctricem remittendo, itaque nihil corpori applicetur, & in marasmum aut ethicam ducat. & quamuis Galenus dicere uideatur, quietem natura exiccare aptam esse, intelligendus non est, quod id per se agat, sed quod aptitudinem quandam habet ad illud inducendum.

Ea pars quæ dicit, Sic & quies, quod otium est, & ab exercitatione uacatio, Græce legitur ὅπως ἡ ἀνάπαυσις, ὅπερ ἐστὶν ἡσυχία τε, καὶ ἀγυμνασία. idest sic requies (intellige quæ est exercitio opposita) quæ est quies, & ab exercitatione uacatio.

QVINTO docet, quod genus cibi ad hoc peragendum promptum sit. nam cibus plenus quilibet hoc agere non est aptus, sed is tantum qui nullam forte qualitatem habet, ut etiam in libro Quos oporteat purgare docebat, qui uidelicet nec sit acerbus, neque acris, neque salsus, neque amarus, ut sunt oua, carnes, uinum, cui desint isti sapores, lactuca (ut inquit Oribasius) & ptisana. sed Galenus dubitat, hos forte non esse dicendos simpliciter cibos, nisi addamus medicinales: & recte usus est uerbo, forte, quia re uera sunt cibi, licet medicinales nuncupari possint. At Galenus forte de cibis solum humectantibus sermonem habet, & non de illis qui solidas partes humectant. nam iste cibus & ipse humectat, & per se: immo dici potest omnem cibum in quantum nutrit humectare.

SEXTO differentiam ponere uidetur inter humiditatem quæ corpori præstatur, à cibo & à quiete. nam quæ à cibo præstatur, est humiditas per se: quæ autem à quiete, est per accidens. Solum enim est, quia humiditatem non exiccat, à cibo prouenientē. propterea humectare dicitur.

SEPTIMO cuidam ambiguitati occurrere uidetur, si quis dicat, cum aqua sit omnium humidissima, hominem qui helleborum sumpturus est, ea per intrinseca & per extrinseca humectare poterimus. Respondet, quod aqua neque epota, neque extrinsecus occursans solidas animalis partes apta est humectare, sed bene superficialiter humectat. Ideo aquæ nullum usum inuenit Auicena. Eadem ambiguitate utitur Oribasius dicens, si humectare debemus, dabimus ergo aquā quæ est frigida & humida? Respondet non, quia neruos infirmat, & medicamentū occidit potiusquā iuuet. Quid igitur, uinum ne? Respondet non, quia inebriat & dissoluit. Nos autem & præter alia simul cum Galeno uinum propinamus, sed non in tanta copia ut inebriare possit.

Denique Galenus lectorem ad librum suum De potentijs naturalibus remittit, & ad librum De tabe, in quibus habes quomodo solidæ corporis partes nutriantur, & ad nutrimentum suum quibus indigeant.

APHORISMVS XIIII

CVm biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad somnos uero atque quietem minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

BRASAVOLVS

CVM superius de præparatione ante hellebori sumptionē disseruisset: nunc post sumptum

ptum helleborum, ut optime euacuet, & si præter modum euacuet, quid agendum sit edocemur. Hancmet introductionem Philotheus posuit inquiens, ὁ πρὸ τοῦδε ἀφορισμὸς τὴν προπαρασκευὴν παρέχει τῶν μελλόντων λαμβάνειν τὸν ἐλλέβορον. οὗτος δὲ μετὰ τὸ ληφθῆναι τὸν ἐλλέβορον, διδάσκει τί δεῖ ποιεῖν ἡμᾶς. idest, Aphorismus qui hunc præcedit, his qui sumpturi sunt helleborum, præparationem præbet; hic autem post sumptum helleborum, quid nos facere oporteat docet. Cum quis ergo helleborum sumpserit, ut uel per uomitum, uel per secessum euacuetur, scito si hunc optime euacuare uolueris, corpus mouendum esse: quia ex motu magis ducit. fit enim ex motu magna humorum turbatio. Quod an uerum sit, nauigatio ostendit. Nauigatione etenim, quę motus quidam est, corpus & humores turbãtur, & hoc præsertim quando nauigatio in mari est, in quo non sit malacia, sed uentis agitatum tumeat, qui assueti non sunt, adeo turbantur, ut euomant, & excernant. immo, & qui assueti sunt, in magno æstu maris idem plerunque agere coguntur. Si uero menti habeas helleborum amplius non ducere, somnum præcipito & quietem. Ex hoc igitur Aphorismo id boni habemus, quod in medicamentis supramodum euacuantibus ne effrenitent, & si non euacuent, quid agere oporteat ut euacuent, quid agendum sit addiscimus.

Hippocrates in epistola ad Democritum de helleborismo, hunc Aphorismum pro prima saltem parte descripsit inquiens. Cum autem ueratrum potauerint, corpora magis commoueant, nec dormiant. Quod autem agitatio & motus, corpora conturbet & moueat, nauigatio demonstrat.

Oribasius alium sensum huic Aphorismo tribuit, quàm uel à Galeno, uel ab ipso Hippocrate intelligatur. dicit enim, hoc uelle Hippocratem, si dimiserit antea dormire, quàm egeratur, malũ est, quia interius exulcerat. Quod uerum non est. nam qui helleborum sumpserit aut aliud pharmacum, statim per horam dormiat, aut per duas horas, ut alleuetur, incipiatq; trahere materias quas ducere debet ad uentriculum. postea prohibendus est somnus, & potius mouendum si non ducat, uel ægre ducat, aut desideramus quod uehementius ducat. In fine uero Aphorismi. 13. idem Oribasius huius Aphorismi sententiam ponere uidetur, quæ non est illa nũc à nobis citata. dicit enim, ubi acceperint medicamentum hoc exagitare eos iubet, idest, uoluere in terra, & releuare, & iterum reponere. Quod si forsitan delicati sunt, exhibeatur ueluti nauigatio, ut cito coquatur hoc præsidium. nam motu exagitationẽ facit, & celerius concoquitur. Vnde qui nauigat, uomit propter exagitationem & auram maris. Hæc Oribasius, quæ re uera Hippocratis sententiam exprimere non uidentur.

ἐπὴν πίῃ τὶς ἐλλέβορον. idest, Cum quis ueratrum biberit.] hoc dicit quia ut plurimum in potu dabant, & cum pulte, uel ptisana, uel oxymelle, tamen & Aetius in puluerem redactum præbet, & in orbiculos, sed communissimus usus est, in potu dare: et conuenit etiam, quia cum hac potione mixtus, minus obesse potest. Tuq; de utroque genere ueratri intellige, quamuis præcedens Aphorismus de albo solum intelligere uideatur. Addeq; euacuationem tam per uomitum, quàm per secessum intelligendã esse, & quod nomine hellebori omne uehemens medicamentum intelligi oporteat.

πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν. idest, Ad motiones quidem corporum magis ducere.] Corpus enim moueri debet, sed non statim sumpto helleboro. at postquàm fuerit actuatus: tunc enim si magis ducere uolueris, quàm ducat, moue corpus: aut si non ducit, & ducere cupias moue corpus. Moue inquam, sed non motu impetuosissimo, quoniam is deijcit uires, & humores ad extrinsecas partes trahit: at motus tantus sit, quod materiam agitet, & nostri corporis uires ad expellendum iritet. Philotheus nonnullas huius rei causas assignat, una est hæc, ἡ γὰρ κίνησις φέρει τὴν δύναμιν ἐφ᾽ ἧπαρ, καὶ φλέβας, καὶ ἀναστρέφεται πρὸς ἐγκέφαλον, καὶ θώρακα, καὶ τὰ ἄλλα μόρια. καὶ οὕτως ἕλκει τὸν χυμόν. idest, Motus enim ad hepar & uenas potentiam fert, & conuertitur ad caput, & thoracem, & ad alias partes, & sic trahit humorem. Deinde aliam rationem reddit, quam dicit esse secundum Hippocratem, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει, καὶ δηλεῖ ἡ ναυτιλίη, μέχρι τοῦ καὶ πρὸς ἔμετον ὁρμᾶν. καὶ δραστικώτερον τὸ ἐμετικὸν φάρμακον ἀπεργάζεται τῇ συμμαχίᾳ. idest, Quod motus corpora perturbat, etiam ostendit nauigatio, quæ usque ad uomitum impetum facit,

& medicamentum uomitorium efficacius reddit dum simul pugnant. Deinde tertiã rationem assignat, ὅτι ἡ κίνησις χύσιν τῶν χυμῶν ποιεῖται, καὶ εὔρυνοι τὸ τηνικαῦτα γίνονται. idest, Quod motus fusionem humorum facit, & dilatati tunc fiunt.

Πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας ἧσσον. idest, Ad somnos autem & quietes minus.] Volunt recentes hanc particulam minus dupliciter intelligendam esse, primo minus, idest rarius. nempe casus aliqui sunt, in quibus corpus quiescere debet, hi uero raro contingunt. solum enim accidunt quando uires multum debiles fuerint, aut medicamentum effrenitauerit. Secũdus intellectus est, minus, idest, minori tẽpore, primamq; expositionem magis laudant. Quantum uero hallucinentur facile est uidere, si quis uel tantillum Græcas literas attigerit. nam ἧσσον, idest, minus refertur ad μᾶλλον, idest, ad magis. magis, autem particula ducere determinat, ideo & hæc particula, minus, eandem particulam determinare debet. ut sensus sit, motus magis ducit, & somnus minus ducit, idest, minus prouocat: immo si supra modum purgetur, somnus refrangit & temperat purgationem. Causam assignat Philotheus, ἐπειδὴ ἐν τοῖς ὕπνοις καὶ τῇ ἀκινήσει, μᾶλλον ἐνεργοῦσιν αἱ φυσικαὶ δυνάμεις, καὶ πέσσουσι τὸ καθάρσιον, idest, Quoniam in somnis & quiete naturales potentiæ magis operantur, & digerunt medicamentum.

Δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλία, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει. idest, ostendit autẽ & nauigatio quod motus corpora perturbet,] hoc indicio utrasque huius aphorismi partes Hippocrates probat: primam, quia nauigatio quæ est motus corpora perturbat, & ob aliud non perturbat, nisi quia humores commouet & sensus, ac cerebri partes. Secundam etiam probat, quia contrariarum causarum contrarij sunt effectus. Si ergo motus corpora perturbat, ut nauigatio ostendit, quies, quæ est motui opposita, non perturbabit.

GALENVS

IPSE attulit causam ob quam eorum corpora moueri præcipiat, qui assumpserunt helleborum, quies siquidem in eodem statu conseruat, motus uero transmutat, atq; alterat corpus, ut indicat nauigatio, quæ motus quidẽ est. Turbat autem corpora adeo, ut excitet uomitum. Cum igitur talis motus fuerit sufficiens, & solus ad uomitum corpus præparare, fit sane rationabile, ut si uomitorio medicamẽto coniungatur longe maiorem habeat efficaciam. Quidam pro nauigatione nauseam scribunt, ut sit sermo talis. Ostendit autem & nausea quæ uehementioribus corporis aduenit motionibus, ex motione corpus perturbari. Liquet aũt quod & hic sermo eandem uim habet cum priore.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus ex uerbis Hippocratis Aphorismi rationem reddit. nam quies in eodem statu seruat. motus è contrario transmutat & alterat corpus, ut nauigatio ostendit, quæ adeo corpora perturbat, ut uomitum excitet. Cum ergo hic motus sufficiẽs sit ad uomendum præparare corpus, rationabile est, uomitorium medicamẽtum epotum, simul cum motu intensiorem efficaciam habere.

Sciendum hic est, Galenum dixisse, quietem in eodem statu conseruare. hoc intellige priusquàm euacuatio inceperit: quia dum euacuatio fit, in eodem statu nõ seruat, sed euacuationem impedit, & eam remittit.

Scito præterea, Galenum id uideri sentire, quod hic nauis motus uomitorio medicamento iungatur. Tu uero omnem motum intellige.

Notaq; hic ex Galeno, Hippocratem potissimum intelligendum esse in euacuatione per uomitum. ideo per helleborum album potius quàm nigrum intelligere oportet, ut in aphorismo quinti libri docet, quamuis simpliciter, & de albo, & de nigro, & de quocunq; alio medicamento intelligi possit & debeat.

Quod legitur, Cum igitur talis motus fuerit sufficiens & solus ad uomitum corpus præparare, Græce habetur, ὁπότ' οὖν ἡ τοιαύτη κίνησις ἱκανὴ καὶ μόνη παρασκευάσαι τὸ σῶμα πρὸς ἔμετον. ubi uides hanc particulam fuerit, non adesse, ideo nos potius eius legendum loco diceremus sit.

Quod etiam legitur, fit sanè rationabile, ut si uomitorio medicamento coniungatur longe maiorem habeat efficaciam, Græce habetur, εἰκὸς δήπου συνελθοῦσαν αὐτὴν ἐμετικῷ

ἐμετικῷ φαρμάκῳ σμικρῷ τινι, γενέσθαι δραστικωτέραν. idest, Rationabiliter igitur si uomitorio medicamento quamlibet paruo quodam coniungatur, maiorem habere efficaciã. Vides si illam particulam, Paruo, illi addas, medicamento, alium sensum facere, quàm si Leoniceni more legatur, nostro enim modo dicit: Si etiam parua res illi motui adiungatur, maiorem efficaciam habebit.

SECVNDO Galenus quorundam expositionem refert, qui pro nauigatione nauseam legebant, sed inquit, utrunque esse uerum, quia & nausea uehementioribus aduenit corporis motionibus. In Græca lingua facilior est trãsitus nauigationis in nauseam, quàm in Latina. nam hæc sunt Greca nomina ναυτιλία, ναυτία, idest, nauigatio, nausea.

Disputant recentes, an epoto medicamento, dormire liceat, & conciliator in suis differentijs hoc idem disputauit. Nos breuibus dicemus, quocunque medicamento epoto, dormire licere, quoad actuatum sit. Sed quia aliquod citius, aliquod tardius in opus ducitur, propterea medico recte considerandum est, quod medicamentum præbeat. Nam Manna, cassia, tamarindi facile actuantur. ideo post horum sumptionem semihora concedatur: in his autem quæ tardius in opus ducuntur, hora condonetur: in tardissimis duæ horæ concedi possunt. Tamen experientia uidemus, multa catapotia, quæ uesperi ante cibum, uel post cibum sumuntur, ab operatione sua non impediri. At si discere cupias, quid commodi à somno inducatur, si statim post medicamentum fiat. Respondemus, quod materias ad uentriculum trahit, ut deinde per suas uias facile transmittantur. Adde, quod prohibet ne mala impressio fiat. etiam in somnis in quo naturalis caloris contractio facta est, medicamentum in fumos resoluitur, & per uenas ad trahendas materias quæ euacuari debent, penetrat. Preterea interim quod bonum est, à malo segregatur, & coctio quædam quodammodo fit. Denique corporis uires simul cum medicamento, ad prauas materias per suas conuenientes uias expellendas impetuosius concurrunt.

APHORISMVS XV

CVm uolueris magis ducere helleborum, moue corpus: cum uero sistere, somnum facito, & non moueto.

BRASAVOLVS

NOS hunc Aphorismum ex præcedenti, tanquàm conclusionem, quæ ex ipso infé ratur, emanare putamus. Nempe cum quis helleborum biberit, motus magis ducere facit, quies uero & somnus minus. Collige igitur, quando helleborum ducere uolueris, moue corpus: cum uero sistere, somnum procurato, & quiescere iubeto. Hippocrates in Epistola ad Democritum de helleborismo, hunc Aphorismum pro parte ponit inquiẽs, Cum autem ueratrum magis agere, & purgare uolueris, corpora magis commoueto. de quiete autem nihil ponit, forte ex suo opposito id nobis intelligendũ relinquẽs. Oribasius alium sensum huic Aphorismo præstare uidetur, quàm Aphorismus ipse habeat, nempe inquit, quod ordinem ostendit, ut cum institueris uomitum, moueas corpus: sed ubi concoxerit, & uoluerit dormire, dimitte. Scito enim somnum requiem esse totius corporis. ut hinc colligere liceat, quod secũdam aphorismi partem ita intelligat, quod coctione facta quiescendum sit.

ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον. idest, cum uolueris magis ducere helleborum,] aut quàm ducat tunc, quia iam ducere inceperit, sed egre: aut simpliciter quando ipsum uehementer ducere habebit. Quod potissimum per uomitum intellige, & de albo helleboro, sub quo omne simile medicamentum intellige. immo in omni medicamẽto uerum est, & in euacuatione etiam per secessum. Vnde à Philotheo dicitur, καὶ ἔστιν ὁ λόγος ἁρμόδιος τῷ παντὸς καθαρσίου. idest, & est sermo omni purganti medicamento cõpetens.

Κίνει τὸ σῶμα. idest, Moue corpus.] aut simili motu, qualis est nauigationis motus, aut altero.

ἐπὴν δὲ παῦσαι. idest, Cũ uolueris cessare,] uel quia medicamentũ iam cœperit, & nimis euacuet

mis euacuet: uel quia euacuare non placet: sed frequentissime est quia supra modum euacuat. nam uehementissimum medicamentum est Helleborus, præsertim albus, de quo ut plurimum sermo fit.

ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει. idest, somnum facito, & non moueto.] Quoniam ut in præcedenti Aphorismo dictum est, somnus uim fortium medicaminum supprimit. Redditque rationem Philotheus, quoniam ὁ ὕπνος ἀνάπαυλαν ποιεῖται τῶν ψυχικῶν καὶ ζωτικῶν δυνάμεων, καὶ τούτων ῥωννυμένων, δύναται πεφθῆναι τὸ καταληφθὲν καθάρσιον, καὶ οἱ καταληφθέντες χυμοί. idest, Somnus animalium & uitalium potentiarum quietem facit, & his corroboratis conceptum purgamentum, conceptique humores concoqui possunt.

GALENVS

PRior quidem aphorismus quomodo oporteat hominem qui helleborum sumpsit ad purgationem præparare, nos docuit, præsens uero quomodo sistere purgationem. Non est autem absque ratione, quod ea quæ sistunt purgationem, sint contraria his quæ uomitum cient. Si igitur motiones ciebant, sistent quietes, & multo magis somnus, in quo motus animales ociantur, qui & per sensum fiunt, & præterea per musculos in motibus qui fiunt ex appetitu.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc Aphorismum ita introducit, ut in præcedenti Aphorismo docuerit quomodo hominem præparare oporteat, qui helleborum sumpturus sit ad purgationem: nunc uero docet quomodo purgatio sistenda sit. Sed re uera id non agit præcedens aphorismus, quod à Galeno dictum est, nec aphorismus præsens solum loquitur quomodo sistenda sit purgatio. propterea nos putamus alio ordine apud Galenum hos Aphorismos disponi, ut scilicet præcedens Aphorismus cum decimotertio idem sit. In hoc autem secundam partem Aphorismi solam legat, & non primam.

SECVNDO, inquit cur ea quæ sistunt, his contraria sint, quæ uomitum cient, non esse præter rationem, & hoc uerum est, quia motus cient, ideo quietes sistunt. Sed quia inter quietes somnus est maxima omnium quietum: nam non solũ motiui motus otiantur, sed etiam animalis, qui per sensum fit. otiatur præterea motus per appetitum, idest, per uoluntatem, qui motus à musculis fit. ut hinc habeas, apud Galenum motum musculorum esse per appetitum & uoluntatem.

Quod legitur, Si igitur motiones ciebunt, sistent quietes, Græce est ὅπερ οὖν κινήσεις ποιοῦσιν, αἱ ἡσυχίαι παύουσι. idest, Quod igitur motiores faciunt, quietes sistunt.

APHORISMVS XI

CArnes sanas habentibus helleborus periculosus, facit enim conuulsionem.

BRASAVOLVS.

QVI medicamento non indigent, si eo utantur, necesse est discrimen aliquod incidere: quia nihil culpatum est, in quod uis eius exerceatur. Ideo si quis sanus sit, & inculpatos humores habeat, cui helleborum præbeas, periculum incidit. nam discrimen imminet, ne conuulsionem incidat, quam facit helleborus.

Hippocrates in epistola ad Democritum de helleborismo, hunc Aphorismum ponit inquiens, Veratrum autem iis periculosum est qui sanas carnes habent. Celsus capite sexto secundi libri, in quo de signis mortis differit, inquit, Aut qui epoto ueratro, exceptus distentione neruorum est, uidelicet hoc est mortis signũ. unde si quis sano homini ueratrum dabit, nolens interficiet.

ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι. idest, Helleborus periculosus his qui carnes sanas habent.] nam eo non indigent. At quamuis carnes dicat, intelligendus est corpora, ut pars sit & conclusio Aphorismi uigesimiseptimi secundi libri, in quo ab Hippocrate dicitur, Qui corpore bene se habent, difficulter ferunt medicationes: propterea cum helleborus sit medicamen, difficulter feretur à sanis: statim uero Hippocrates quod discrimen pariat, addit.

Σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει. idest, Conuulsionem enim facit,] quia eius proprium est, uehementissime euacuare, & à partibus præsertim neruosis humiditates trahere, & adeo exsiccare, ut conuulsionem ex inanitione inducat, quæ letalis est. Oribasius hic dicit Hippocratem id uituperare, quod caute offerẽdum iusserat: & addit, Hippocratem dicere, ueratrum carnes sanas exulcerare, quando ijs datur, quibus non cõuenit. tamen de exulceratione nullum sermonem habuit Hippocrates, quãuis & illam facere possit. Philotheus cur helleborus conuulsionem faciat, hanc causam assignat, διὰ τὸ σφοδρὸν τῆς ἐνεργείας. περιττὸν γὰρ μὴ εὑρίσκων ἐν τῷ σώματι τὴν συνεκτικὴν ὑγρότητα δαπανᾷ, κἀντεῦθεν συμβαίνει γίνεσθαι τὸν σπασμόν. idest, propter uehementiã operationis. etenim in corpore superfluum non inueniens, radicalem humiditatem consumit, & hinc spasmum fieri contingit.

GALENVS

QVOD in præcedentibus dixerat in omnibus purgationibus, hoc nunc in ea sola dicit quæ fit per helleborum, ita quod duo aphorismi possunt inuicem iungi, tali modo. Qui corpore bene se habent, difficile est medicari. Sic ergo & helleborus carnes suas habentibus periculosus. Conuulsiones enim facit. Habet namque helleborus istud præcipuum, facere conuulsionem propter operationis uehementiam.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc Aphorismum breuibus transigit, nunc particulariter in uno scilicet helleboro id ostendens, quod in secundo libro in omnibus purgationibus per medicamenta factis edocuerat, ut ex duobus Aphorismis, scilicet trigesimoseptimo secundi libri, & hoc præsenti unus Aphorismus fieri possit, in quo prima pars uniuersalis sit, secunda uero tanquam conclusio à prima dependens, hoc modo, Qui bene se habẽt corpore, difficulter ferunt medicationes. Ideo & helleborus his periculosus est qui bene se habent corpore, quia conuulsiones inducit.

SECVNDO docet, hoc esse præcipuum hellebori nocumentum, conuulsionem facere: & tota causa est, suæ operationis uehemẽtia: quia omnes humiditates trahit, & siccitatem inducit. Alia uero medicamenta id proprium non habent, conuulsionem excitare, sed alias passiones prouocant. nã bonos humores euacuant, qui corpus seruabant. propterea ex aliorum medicamentorum sumptione à sano uires deficiunt. Immo & ex helleboro idem prouenit. Adde quod omne medicamentum est potẽtia calidum, & ueneni naturam sapiens, propterea malam quandam qualitatem corpori cõdonat. Deniq; ob humorum & spirituũ calefactionem, eorum magna resolutio contingit, & magnus ipsorum consensus ad cor & cerebrum. Itaq; totus homo commouebitur.

APHORISMVS XVII

SI quis febrem non habens, abstineat à cibo, & cordis morsum, seu uertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat.

BRASAVOLVS

CERTVM exploratumq; est, cum bilis in uentriculo exundet, appetitum deijcere, atque oris uentriculi mordicationes quasdam inducere, uertiginem, & oris amaritudinem facere. Cum hæc indicia se offerent, iudicabimus statim bilem superabundare, & in superioribus uentriculi partibus uigere. propterea inferemus, si in pristinam sanitatem restitui debeat, euacuatione per superiora indigere, & hoc ratione peccantis humoris, & etiam ratione loci, in quo peccat. Philotheus hoc modo Aphorismum istum introducit, ἀνωτέρω διδάσκει καθάρσεις ποιεῖν, ὅπου ἂν ῥέπει ἡ φύσις διὰ τὸ ξυμφέρον τῶν χωρίων. ὡς τινὸς ἀκροωῦτος, καὶ πόθεν ἔχω γνῶναι ποῦ ῥέπει; παραδίδωσι σημεῖα. idest, Superius docet euacuationes facere quorsum natura uergit per conuenientem regionem. At si quidam dubitauerit, & unde cognoscere possum quorsum

natura

natura uergat? Signa præbet, nunc scilicet in hoc Aphorismo. Galenus libro quarto De ratione uictus in morbis acutis, hunc aphorismum refert inquiens: dictum autem in aphorismis est, si non febrienti inappetentia fuerit, oris uentriculi morsus, tenebricosa uertigo, & oris amaror, id per superiora purgatione indigere significat. Additque Galenus, Si autem os amarum est, siticulosi sunt. tamen amaricare posset ob modicam bilē pituitæ copia à capite descendente, tunc enim opus non est, quod siticulosi sint.

ἀπυρέτῳ ἐόντι, idest, Si quis febrem non habet.] quia si hæc in his qui febrem patiuntur, appareant, necessariū non est quod per superiora purgentur. nam quæ uomere faciunt, ut Helleborus, calidissima sunt. ideo cum adsit febris, nec multū calescat, & illius corpus exsiccetur, à tali euacuatione abstinemus. Vel dixit, non febricitantes, ut simpliciter edoceat, omnes qui conditiones illas habent, etiam si febre carent, per talem uiam purgari debere, ne quis illos solos euacuandos esse putaret, qui febrem habent, & qui actu ægrotant, & non illos qui sunt parati.

ἀποσιτίη. idest, Ieiunet, uel abstineat à cibo, hoc est nihil appetat, quia inappetētia ex humoribus uentriculum circa os potissimum occupantibus fit, & ideo Philotheus dicit, ἰστέον γὰρ ὅτι ἡ χολὴ καταβάλλουσα τὴν ὀρεκτικὴν δύναμιν ποιεῖ ἀποσιτίαν. idest, Sciēdum autem, quod bilis potentiam appetitiuam deijciens, inappetentiam facit.

Καὶ καρδιωγμός. idest, & cordis morsum,] scilicet sentiat. Est uero cor, ut Galeno placet quarto libro De symptomatum causis, os uentriculi, quod ob eius ingentem sensibilitatem ita appellatur, et quoniam inter cor, & os uentriculi maxima colligantia existit. Adde, ex oris uētriculi affectione æque fieri syncopim, sicuti ex cordis affectione. Cum uero circa uentriculum, & circa os potissimum bilis fit, illum commordicat. Possemus καρδιωγμὸν stomachi erosionem interpretari. Theodorus dolorem cordis uertit, itaque uidetur Græce Philotheus interpretari inquiens ἔχει δὲ καρδιαγμὸν, τουτέστιν ὀδύνην στομάχου, idest, habet autem cardiagmon, idest, dolorem oris uentriculi. Idemque author de ore uentriculi dicit, οἱ γὰρ παλαιοὶ τὸν στόμαχον καρδίαν ὠνόμαζον, idest, Antiqui enim os uentriculi cor nominabant. Cur autem fiat hic oris uentriculi dolor, secundum Philotheum hęc est causa ab omnibus citata, ὅτι ἡ χολὴ δάκνουσα καὶ τὸν στόμαχον τὸν καρδιαγμὸν ποιεῖ, idest, Quoniam bilis os uentriculi mordens, in illo dolorem, aut morsum facit.

Καὶ σκοτόδινος. idest, & uertiginem patitur,] aut caliginosam uertiginem habet (ut Theodorus interpretatur) intelligas factum esse ex uaporibus ad oculos ascendentibus, & caliginem quandam inducentibus: uaporibus inquam ab his humoribus eleuatis, qui in uentriculi ore sunt. nam hi obscuritatem quandam inducunt, unde & Philotheus dicit, bilem esse huius causam, quæ πρὸς τὸν ἐγκέφαλον ἥκουσα, καὶ μολύνουσα τὸ ψυχρὸν πνεῦμα ποιεῖ τὴν σκοτοδίνην. idest, Quæ ad cerebrum profecta, & frigido spiritu labefactato, uertiginem facit.

Καὶ στόμα ἐκπικρούμενον. idest, & os amarum sentiat,] uel oris amaritudinem, quæ non nisi à bile contingere potest, ab aliqua superiori parte demissa, & in os recepta. sed hoc potissimum à uentriculo fit, quamuis & à biliosis uaporibus circa os condensatis fieri nihil impediret. nam ut Philotheus dicit, bilis ἄνω φερομένη διὰ τοῦ ὑμένος τοῦ ὑπαλείφοντος τὸν στόμαχον καὶ τὸν φάρυγγα, ποιεῖ τὸ στόμα ἐκπικροῦσθαι, idest, Sursum perlata per pelliculam allinentem os uentriculi & fauces, facit os amarescere.

ἄνω φαρμακείας δεῖσθαι σημαίνει. idest, per superiora medicamento indigere significat] quia prædicta fieri non possunt nisi à bile, præsertim si omnia simul concurrant, & à bile inquam superiores partes, & uentriculi os occupante. Ideo per superiora purgari debet, tum ob locum, in quo est humor, tum ob humorem ipsum, qui huius generis est, ut superiora petat. Oribasius hic nostrum corpus in partem supra diaphragma, & in partem sub diaphragmate distinguit. Supra diaphragma, & uentriculum, & hepar ponit. Quod an uerum sit, tu ipse cōsidera, forte per superdiaphragma totam illam partem intelligit, quæ etiam à mendosis costis continetur, licet non sit intra costas, & à thorace contenta. Sed ita dicatur quia illæ ultimæ & mendosę costæ, è regione uentriculi, & iecoris sunt. Vel ita dicit ob communitatem quandam, & complicationem, quam hę partes simul habent, simul enim connectuntur.

GALENVS

ABSTINENTIA à cibo idem significat, quod inappetentia. Cordis autem morsus, est cordis, hoc est oris uentriculi passio. Prisci siquidem & hoc cor nominabant. Vertigo autem est quando simul uidentur circumuolui, hoc est circunstantia moueri, quęcunque conspicimus, & sensus uisus repente destruitur, cum uideantur tenebræ circunfusæ. Fit autem hoc ore uentriculi à malis humoribus morso. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum à cerebro ueniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Hi itaque casus sunt communes humorum omnium mordacem habentium naturam. Os autem sentire amaritudinem, solius bilis, quæ ruffa, & flaua nominatur, est opus: quare recte in huiuscemodi casibus inquit Hippocrates significari, quòd oporteat purgari per superiora, quod explanatum talem habebit interpretationem. Huiusmodi autem casus significant medico indigere hominem purgatione per superiora, hoc est per uomitiones.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quid intelligendum sit per abstinentiam à cibo, quam sua lingua ἀσιτίαν uocat. Idem inquit significat, quod inappetentia, nam aliquis arbitrari posset spontinam quandam abstinentiam esse, qualem faciunt, aut facere debent religiosi. At illa non significat euacuationem per superiores partes fieri oportere.

SECVNDO docet quid intelligendũ sit per cordis morsum, quem καρδιωγμὸν Hippocrates uocabat, nempe non de corde ipse intelligendus est, sed de morsu oris uentriculi. Prisci enim os uentriculi cor nominabant. Idem dicit in quarto libro De symptomatum causis, in quo loco inquit, nullam esse partem, quæ uel adeo exacte sentiat, uel principium partium utranque pro suarum affectionum modo proinde afficiat, atque uentriculi osculum. Quòd autẽ antiqui ita appellauerint, Galenus præcitato loco, & Paulus, & Aetius testantur. uocabant enim καρδίαν cor, & uentriculi osculum, & hoc uarijs in locis apud Hippocratẽ inuenitur, in quibus cor intelligi non debet, nec potest, quando utitur uocabulo καρδία, sed bene os uentriculi. Et Thucydides hoc ostendere uidetur in secundo libro belli Peloponnesiaci, ubi pestilentem quẽdam morbum describit, qui totam Græciam inuaserat, cuius notas prosequens dicit quod uomitus incurrebant: sed ne eius uerba desideres, hęc sunt: nec multo post dolor in pectus descendebat, excitabaturque tussis: & cum ἐς τὴν καρδίαν, idest, & in stomacho hæsisset, illum subuertebat, & bilis uomitus sequebãtur, quotquot à medicis suis nominibus dictæ sunt. quę uerba si considerentur, manifeste apparet ad uentriculum referenda esse, & non ad cor. hincque argumentum sumo, quod hoc conueniat, quia Hippocrates, qui os uentriculi καρδίαν appellat, tempore belli Pelopõnesiaci scribebat, & artem exercebat. Idem testatur Gregorius Nyssenus in quarto libro qui De uiribus animæ est, capite decimoquarto, in quo de timore sermonem habet inquiens: consueta enim appellatione ueteres cor, & os uẽtriculi uocãt, sicut Hippocrates & Thucydides in pestilentiæ mẽtione scribens ita: cum in corde firmabatur euertebãt illud, & omnes choleræ expurgationes quotquot à medicis nominatæ sunt, sequebantur. Postea addit Gregorius: quod enim euertebatur os uẽtriculi erat, quod cogebatur uomere, non autem cor erat quod patiebatur: ac si & ipse Nyssenus ostendere uoluerit, in illa pestilẽtia à Thucydide descripta nihil aliud per καρδίαν intelligi posse quàm os uentriculi. Sed quia Hippocrates utitur uocabulo καρδιωγμός, hic interpretandũ est cordis morsus, tamen per cor uentriculum intelligentes. quia ut Galenus secundo libro De Hippocratis & Platonis dogmatibus docet, ὁμωνυμία quædã est in καρδίας nomine. tamen in sexagesimoquinto huius quarti libri aphorismo Hippocrates utitur hoc uocabulo καρδιωγμὸς ad significandum cordis motum palpitationi similem. In hoc autem loco ita intelligi non potest.

Quod legitur, Cordis autem morsus, est cordis, hoc est oris uentriculi passio. potius legi debet oris uentriculi morsus, quàm passio. quoniam & Græce legitur, ὁ δὲ καρδιωγμὸς, δῆξίς ἐστι τῆς καρδίας.

TERTIO docet Galenus quid per uertiginem intelligendum sit, quam σκοτόδινος Hippocrates uocat. tunc enim ita appellatur, quoniã omnia quæ conspicimus circumuolui uidentur, & repente uisus destruitur, adeo ut tenebræ circumfusæ uideãtur. Istud

autem fit, quia uentriculi os à malis humoribus mordetur. Neruosum enim est, & magni nerui ad ipsum à cerebro ueniunt: ideo cum hæc pars afficitur, necessarium est animæ opera, ut sentire ipsum, detrimentum pati. Et hæc sunt communia omnium humorum habentium mordacem naturam symptomata.

Habent Græci duo hæc nomina, ἴλιγγος, & σκοτόδινος, quibus uertiginem significant: sed ut uigesimotertio aphorismo libri tertij edocuimus, ἴλιγγος, uertiginem paruam significat, ex parua impressione factam. Sed σκοτόδινος, est magna & ingens uertigo, in qua obscuritas sit: à uerbo σκοτοδινάω, idest obtenebresco, deducta.

Quod legitur, Vertigo autem est quando simul uidentur circũuolui, hoc est circumstantia moueri quæcunque conspicimus. in Aldino contextu hæc particula, Hoc est circunstantia moueri: abest. Ita enim dicit, σκοτόδινος δὲ ἐστιν ἐπειδὰν ἅμα περιδινεῖσθαι δοκῆ τὰ βλεπόμενα. idest, uertigo autem est, quando simul circumuolui uidentur quæ conspicimus. Sed in antiquo contextu quem habeo, adest illa particula, Hoc est circunstantia moueri: sed est in fine huius sententiæ, & non in medio, ut Leonicenus posuit. Ita enim habet, σκοτόδινος δὲ ἐστιν ἐπειδὰν ἅμα περιδινεῖσθαι δοκῆ τὰ βλεπόμενα, τουτέστι κινεῖσθαι τὰ περιξ. idest, Vertigo autem est quando simul circumuolui uidentur, quæ conspicimus, hoc est circumcirca moueri.

Quod legitur, Et sensus uisus repente destruitur: Græce legitur, Vel sensus uisus, ἢ ἡ δὲ τῆ ὄψεως αἴσθησις ἐξαίφνης ἀπόλλυται.

Quod etiam legitur, Cum uideantur tenebræ circunfusæ. adde particulam Ipsis, hoc modo: Cum uideantur ipsis tenebræ circunfusæ. Nam Græce legitur, δοκοῦντων αὐτῶν σκότος περικεχύσθαι.

QVARTO Galenus docet, cur dicatur oris amaritudo, quia solum bilis ruffa & flaua ea est, quæ apta est amaritudinem facere: hæc sunt quæ faciunt Hippocratem ita expositum recte dicere, quod hic indiget purgari per superiora: nam oris uẽtriculi morsus, bilem circa ipsum significat, quæ ob duas causas per superiora euacuari debet, tum quia bilis, tum quia in parte superiori, & in tali loco ut facile posit per uomitum ejici. Inappetentia idem significat, biliosos humores in ore uentriculi abundare. Vertigo etiã in partibus supernis humores dominari significat. Amaritudo oris idẽ præ se fert. Ideo omnia hæc medico suadent, ut hominem talia symptomata habentẽ per superiora purget. Hæc sunt Galeni uerba, In nostro corpore sola bilis amara est. Addidit deinde, τῆ ὠχρᾶς καὶ ξανθῆς, Leonicenus interpretatur rufum & flauum: tamen ὠχρά, ab Hermolao luteum interpretatur: licet omnes boni interpretes pro ὠχρά pallidũ uertant. Sed talis pallor est, qualis eorum qui in luteum quendam colorem tendunt.

Quod in fine legitur, Huiusmodi autem casus significant. in Aldino contextu deest hæc particula, Autem. Nam legit, τὰ ἑρμηνεύα συμπτώματα σημαίνει. At in antiquo contextu, qui apud me est, habetur hęc particula. Ita enim legit, τὰ δὲ ἑρμηνεύα συμπτώματα σημαίνει. tamen illa particula δὲ, quadã cruce signata est, puto ut ostendat expungi debere.

APHORISMVS XVIII

SVpra præcordia dolores, purgatione indigere per superiora, significant. Quicunque uerò inferiora molestant, per inferiora.

BRASAVOLVS

QVÆ IN præcedenti Aphorismo dicta sunt, tantum in oris uentriculi affectione intelligenda erant: propterea in hoc aphorismo illam sententiam ad omnes partium superiorum dolores ampliat, sint quæcunque illæ partes. Quoties inquam dolores supra præcordia fuerint, hi supra præcordia euacuandi sunt, qui illis doloribus infestantur: si uero in partibus sub præcordijs afficiantur, hos per superiora purgare oportet.

Τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα. idest, Supra præcordia dolores.] Qui inquam dolores facti sint ab humoribus uel crassis, uel mala qualitate affectis. Græci φρένας dicunt, quod nos septum transuersum uocamus. Qui enim mala aliqua in eo panniculo affectione

ctione læduntur, hi mente capiuntur: ideo nomen habet φρένας, à mente quæ afficitur. Leonicenus hic interpretatur, præcordia. Sed re uera, præcordia apud Celsum illa sunt, quæ à Græcis ὑποχόνδρια nominantur: quamuis etiam uerus sit aphorismus, si intelligamus, purgandos esse per superiores partes, qui supra hypochondria, idest præcordia dolent. Sed re uera potius hic interpretarer, supra septum trāsuersum, quàm supra præcordia. Et ita Philotheus Græcus author Græce interpretatur, inquiens, φρένας ἐνταῦθα, τὸ διάφραγμα ὀνομάζει. idest, phrenas hic septum transuersum nominat. Adde, nos contextum habere, qui non legit, τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν: sed potius, τὰ ὑπὲρ τῶν διαφραγμάτων. tamen idem sunt. In antiquo meo exemplari, & in illo quem Leonicenus habebat, statim sequitur, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει. idest, per superiora medicamento indigere significat. Sed Aldinus contextus ante hæc uerba, ista alia habet, ὁκόσοι καθάρσιος δέονται. idest (ut totum aphorismum repetamus) supra septum transuersum dolores, quicunque purgatione indigent, per superiora medicamento indigere significat. Et hæc particula, Quicunque purgatione indigent: uel ponatur ab Hippocrate, uel non ponatur, subintelligi debet: ut Galenus in Commento docet: & Philotheus illam subintelligit. Si ergo ab Hippocrate ponatur, nihil subdere oportet: si uero nō ponatur, ut multi contextus leguntur, in quibus abest, subintelligenda est: ut Galenus notat. In antiquo contextu quem habeo, in margine descripta est: sed antiquus quidam illam ueru præfixit: at subintelligenda est, quia non omnes dolores supra septum transuersum purgante medicamento indigent, ut illi qui à solo flatu gignuntur.

ὁκόσοι καὶ κάτω, κάτω. idest, Qui & infra, idest sub septo transuerso: infra, idest per infernas partes] purgandus est: &, ut Philotheus dicit, διὰ τῶν ὑπηλάτων φαρμάκων. idest, per medicamentum, quod subducit. Sicuti quæ supra septum transuersum purganda sunt, διὰ τῶν ἐμετικῶν φαρμάκων. idest, per uomitorium medicamentum. Vnde tota aphorismi ratio est, quia transitus facilior uidetur, si humores per illas uias ducamus, quæ sunt illis propriæ, & magis directæ. At si rem ipsam oculate perpendamus, quum humores in thoracis cauitate continentur, per medicamentum uomitorium purgari non possunt, aut difficillime fit: sed per illa solum quæ sputum ciunt, educi debent. Si etiam materia in capite sit, per uomitum illam purgare difficillimum est. Propterea nos rarissime, etiam in partium superiorum doloribus medicamento uomitum ciente utimur. Vnde in pleuritide, & peripneumonia, quando opus est, exoluētia medicamenta, & non illa quæ uomitum cient, propinamus. Aphorismus autem in illis materiebus uerissimus est, quæ sunt in partibus superioribus, & per uomitum facile exire possunt. Et ideo idem Hippocrates in dolore laterum, quando pertingit ad clauiculam, uenæ sectionem in interna cubiti uena fieri iubet, & non præcipit uomitum. Si uero dolor sit sub septo transuerso, medicamentum exoluens dari suadet. At facilius est, ea quæ sub septo transuerso sunt, per medicamenta deijcientia purgare, quàm illa quæ sunt supra septum transuersum per medicamentum uomitorium superius educere. In aliquibus etiam partium inferiorum doloribus uomitus, diuertendi causa iubetur, & partim etiam euacuandi, ut in dolore colico fit, & in pluribus intestinorum doloribus, & in dolore renum: & quia dolor per opposita diuertitur, ut Hippocrates ipse in quintodecimo aphorismo sexti libri testatur.

GALENVS

HIC Aphorismus quod antea in uno dolore docuit oris uentriculi, hoc ad omnes extendit dolores, quicunque supra præcordia consistunt, purgatione uidelicet indigentes consulens per superiora purgari. Quicunque uero infra præcordia, clarum est, quòd hi per inferiora purgationem requirunt. Addidi autem sermoni, Purgatione indigentes: ne quis forte arbitretur curare Hippocratem omnes dolores simpliciter per euacuationem. Neque enim nunc dixit hoc, sed quòd secundum humorum infestantium motiones, oportet etiam facere euacuationes: & neque supra præcordia dolores per subducentia medicamenta euacuare, neque infra consistentes per uomitiones.

BRASAVOLVS

PRIMO, Galenus aphorismum hoc modo introducit, prius in oris uentriculi dolore per superiora euacuandum iussit, nunc ad omnes dolores supra septum transuersum factos ampliat.

SECVNDO, Galenus aphorismum limitat, omnes dolores purgatione indigentes supra septum transuersum, sunt per uomitum euacuandi. Et uidetur fuisse Galenus, qui hanc particulam Purgatione indigentes, addiderit: ne quis putaret Hippocratem intelligere, omnes dolores per euacuationem sanari. quod simpliciter uerum non fuisset. Et ideo Philotheus Galeni uerbis motus, de his & ipse intelligit: καθάρσεως δεομένας. idest, qui purgatione indigent.

TERTIO dicit, quòd dolores qui sunt sub septo transuerso, per inferiora purgari debent: cui parti & illam conditionem addere oportet, Si tales dolores sunt, qui purgatione indigeant.

APHORISMVS XIX

QVi in medicamentis purgati, non sitiunt, non quiescunt prius quàm sitiant.

BRASAVOLVS

NON SEMEL aut iterum, sed frequenter à Galeno dictum est, omne medicamentum natura & potentia calidum esse. Quum etiam aliquis euacuatur, corporis humiditates exeunt, & superiores partes siccæ & aridæ relinquuntur. Propterea qui aliquo medicamento purgatur, & adhuc in purgatione sit, & non sitiat, hic non quiescit: idest, euacuatio perseuerat quousque sitierit. nam quum sitierit, & humiditates omnes erunt euacuatæ, medicamentum impressionem suam fecisse deprehendemus.

Hippocrates in Epistola ad Democritum de helleborismo dicit, Præterea qui post potionis purgationem non sitiunt, purgatio adhuc peracta non est, nec ea prius cessabit, quàm sitis aduenerit. ut in his uerbis Hippocrates manifestius suam sententiam aperiat, quàm in hoc aphorismo fecerit: quamuis idem esse debeat, & sit sensus.

ὁκόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι. idest, Qui in medicamentis.] uel, ut Theodorus, Qui in medicamētorum potione. ut purgationis actus notetur: ac si dixerit, Quum aliquis medicamentum sumpserit, quod actu iam educat, μὴ διψῶσι καθαιρόμενοι. idest, non sitiunt purgati: hoc est, & hic qui est in actu purgationis non sitit, indicium est, perfectam & integram purgationem factam non esse, quia humiditates superiores partes occupantes, ad uentriculum nondum ductæ sunt, ut deinde per intestina ad suas statutas, & determinatas uias exeant.

οὐ παύονται. idest, Non cessant.] uel, non quiescunt: scilicet ab opere, quod à medicamento fit, idest euacuatio perseuerat.

πρὶν ἢ διψήσωσιν. idest, Prius quàm sitiant.] Semper igitur medicamentum euacuare perseuerat quousque sitierint: quum enim sitiunt, tunc & medicamentum impressionem fecit, & humiditates euacuatæ sunt, quæ superiores partes occupabāt. Tale autem medicamentum intellige, quod ab Hippocrate pharmacum nuncupatur catharticum: hoc enim electiue euacuat, & uehemens est, ut nunquam fallat, quin euacuet, si in dosi sua conuenienti præbeatur. Et hoc intelligo, in medicamentis potissimum quæ per secessum euacuant: quia illa magis inducunt sitim, quàm quæ per uomitum ciunt. tamen & ad ea quæ per uomitum euacuant, ampliari posset. At aphorismi perfectam causam in Galeni Commento uidebimus. Philotheus uero dicit, ὅτι ἡ δίψα γινομένη ἐν ταῖς φαρμακοποσίαις ἀγγέλλει ἔνδειαν τῆς ξηρότητος, τὸ δὲ ἄδιψον, δηλοῖ μὴ ἐκκενοῦσθαι τελέως τοὺς χυμούς. idest, Quòd sitis facta in medicamentarijs potionibus siccitatis indigentiam nunciat: uacare autem siti, humores perfecte non purgari ostendit.

Sunt qui intelligant illam particulam, Non quiescunt, prius quàm sitiant: idest, quiescere

ſtere non debent, uel dormire, niſi ſitierint, ſed potius ambulare debent: quia adhuc uis medicamenti uiget. Sed quod iſtud noluerit, manifeſte apparet Hippocratem legenti in Democriti epiſtola de helleboriſmo, ubi manifeſte habetur, quod de quiete euacuationis intelligit, & non de quiete corporis.

GALENVS

QVI purgantur, nonnulli ſtatim ſitiunt, nonnulli poſtea. Et fit hoc propter ipſius uentriculi diſpoſitionem, & propter datum medicamentum, & propter humoris euacuati naturam. Ventriculi quidem ratione, qui ex caliditate, uel ſiccitate, uel ambabus qualitatibus prompte ad ſitiendum perducatur, ſiue hoc natura inſit ei qui biberit medicamentum, ſiue illo ſolum tempore. Ratione autem medicamenti quum acutum fuerit, & calidum, ac mordax. Propter humorem uero euacuatum, quando bilis amara fuerit, hiſce quidem de cauſis fiunt ſitibundi. Ex cõtrarijs uero longo tempore ſine ſiti perſeuerant, quando uidelicet uel frigidiorem uel humidiorem uentriculum habuerit homo qui purgatur, uel ab initio, uel in tempore purgationis, uel quando medicamentum omni uacat mordacitate, & tertio quando humor pituitoſus, aut aquoſus extiterit. Verum & in his, quando abunde fuerint euacuati, conſequitur ſitis. Sufficiens etenim eſt ea quæ ex euacuatione prouenit ſiccitas, hanc efficere, ac præterea ea quæ eſt medicamenti purgantis uis habẽtis aliquam, & ſi neq; manifeſtam, neq; ſenſibilem, attamen latentem, acritudinem, ac caliditatem.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno notatur, inter illos qui purgantur, aliquos ſtatim ſitim incidere, alios in proceſſu euacuationis.

SECVNDO, cauſas enumerat quare aliqui ſitim incurrunt, quæ tres ſunt. Prima, diſpoſitio uentriculi. Secunda, datum medicamentum. Tertia, natura euacuati humoris. Ventriculi diſpoſitio, quia caliditate uel ſiccitate, uel ſimul caliditate & ſiccitate afficitur, & ita ſitis inducitur. hanc autem diſpoſitionem, uel habet uentriculus ſuapte natura, uel pro eo tempore ſolum habet. Medicamentum datum eſt cauſa ſitis, uel quia acutum & calidum, uel quia mordax. Humoris euacuati natura, eſt cauſa ſitis, ſi fuerit amara bilis: hæ ſunt cauſæ omnes quæ ſitim inducunt, dempto labore, & æſtu, & ſalſis cibarijs, atq; alijs multis quæ extrinſecus adueniunt. Philotheus & ipſe eaſdem fere ſitis cauſas referre uidetur, inquiens fieri: ἢ γὰρ διὰ κρᾶσιν θερμὴν τῆς γαστρὸς κινεῖται εἰς δίψαν· ποτὲ μὲν πρὸ τῆς κενώσεως, ποτὲ δὲ ὀλίγον μετὰ τὴν κένωσιν. ἢ διὰ τὸ εἶδος τοῦ φαρμάκου δριμυτέρου καὶ θερμοτέρου ὄντος, ὡς εὐφόρβιον. ἢ διὰ τὴν ἰδέαν τῶν κενουμένων χυμῶν, εἰ ξανθόχολοί εἰσιν. περιῤῥέοντες γὰρ περὶ γαστέρα θερμοὶ ὄντες δίψαν ποιοῦσιν. γίνεται δίψα καὶ λόγῳ κενώσεως τῶν περιττωμάτων, δι᾽ ἧς λόγος τῷ Ἱπποκράτει, ἣν καὶ ὅρον τῆς κενώσεως τίθησι. ideſt, Etenim uel ob calidam uentris temperaturam in ſitim mouetur: quandoq; quidem ante euacuationem, quandoq; uero parum poſt euacuationem: uel propter ſpeciem medicamenti, quod acutum & calidum ſit, ut euphorbium: uel propter naturam humorum qui euacuantur, ſi flauibilei ſint: qui quum calidi ſint ad uentrem circumfluentes ſitim faciunt. Fit & ſitis ratione euacuationis ſuperfluitatum, de qua ſermo Hippocrati eſt, quam & terminum euacuationis ponit.

Quod legitur, Et propter humoris euacuati naturam: Græce eſt, καὶ τὴν ἰδέαν τοῦ κενουμένου χυμοῦ, ut hic per ideam naturam ſignificet, & ſpeciem humoris, non tamen ideam ſeparatam, Platonis more, intelligit.

Quod legitur, Quum acutum fuerit & calidum ac mordax: quidam cõtextus legit, ἢ δηκτικὸν, ideſt uel mordax. Antiquus quem habeo, legit, ὅταν δριμὺ καὶ δηκτικὸν καὶ θερμὸν ὑπάρχῃ. ideſt, quum acutum fuerit, & mordax, & calidum: tamen poteſt eſſe acutum, & non mordax: non tamen acutum, & non calidum: ideo potius iungerem particulam calidum, cum illa particula acutum, ut Aldinus contextus facit, qui hoc modo legit, ὅταν δριμὺ καὶ θερμὸν καὶ δηκτικὸν ὑπάρχῃ.

TERTIO Galenus docet, quod ex contrarijs cauſis ſine ſiti perſeuerant. Sunt uero cauſæ contrariæ tres, uel uentriculi diſpoſitio, uel medicamentum epotum, uel ſpecies humoris euacuati. Ventriculi diſpoſitio, quia frigidus ſit, uel humidus, uel ſimul

frigidus & humidus. Et hoc uel à natura, & semper habet, uel pro eo tempore habet. Medicamentũ epotum quia acre non fuerit, neq; calidum, neq; mordax. Scitoq; Galenum de caliditate mentionem non fecisse, quia apud ipsum omne medicamentum est potentia calidum. Species humoris euacuati, si fuerit pituitosus, aut aquosus humor.

QVARTO Galenus aliam causam subiungit, quæ in euacuatione siccitatem inducit, scilicet abundantia euacuationis. Nam & hæc euacuationis abundantia, sitis causa est. Et hæc satis est, ut à medicamento inducatur: & etiam quia ipsum medicamentum quum sit potentia calidum, per caliditatem suam sitim inducere potest. Docetq; Galenus, has duas esse sitis causas factas à medicamẽto: una est, siccitas, quæ ob magnam & plenam euacuationem fit. nam humoribus euacuatis, necesse est insitam humiditatem, & roridam oris uentriculi exiccari. Et hoc fit magis cum alia causa aduenerit, quæ medicamenti epoti caliditas magis exiccans. Quando autem euacuabat, non exiccabat: quia materiæ adhuc in uentriculo erant, & tunc sitis induci non poterat.

Scito tamen hæc intelligenda esse in uentriculo naturaliter non sitiente: quia si naturaliter sitiat, secus est: ut meus facit, qui ob calidam & siccam qualitatem os uentriculi occupantem, naturaliter sitit. Ideo statim à principio euacuationis sitim incurro, imò & antequàm euacuatio incipiat. Propterea nos intelligimus, hanc esse illã sitim, quæ perfectam euacuationem notat, quoties præter sitim, notabilis materiæ quantitas euacuata est, & is qui euacuatur, leniter fert, & se exoneratum persentit. Nec istud pro certo euacuationis signo habemus, nisi alia simul iungantur. Sunt enim præter hoc, plura alia: sed Hippocrati hoc signum potissime ponere placuit, quia in magnis euacuationibus sitis frequentissime inducitur, ut experientia ipsa testis esse potest, imò in spontaneis defluxibus, ob decursum humiditatum & materierum ad infernas partes, sitis fit.

Si uero quæras (ut recentes faciunt) quare in sectione uenæ sitis non fiat. Respondemus, propter id quod os uẽtriculi in sectione uenæ non exiccatur. Tamen si magna & abundans sectio uenæ fieret, sitis omnino consequeretur. Quod etiam uolunt recentes, uomitiuum medicamentum sitim magis inducere, quàm subductiuum: tum quia acutius & uehementius, tum quia humores calidiores ducit, tum quia uentriculi partes magis agitat, & consequenter magis exiccat. Simpliciter uerum non est: ut in eo casu, si quis ex aqua & aceto pituitam euomuerit.

Si iterum dubites, Qua de causa in superfluis euacuationibus fames non inducatur, sed sitis. Respondemus, Quia fames est appetitus calidi & sicci. Calescit autem in euacuatione, & exsiccatur os uentriculi: ideo eius oppositum appetit, scilicet humidum & frigidum. Hic uero appetitus, ab Aristotele in secundo De anima libro, sitis appellatur.

APHORISMVS XX

NOn febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgare inferius oportere significatur.

BRASAVOLVS

HIPPOCRATES in aphorismo decimoseptimo docuit, quibus indicijs cognosci possit, hominem per superiora purgari oportere. In hoc autem uigesimo, indicia illa prosequitur, quibus statim deprehenditur hominem per inferiora purgandum esse. Sed quemadmodum illo in loco omnia signa non aderant, quæ id ostendere possent: ita nec præsens aphorismus ad unguem omnia explicat, quæ subductionem faciendam explicant. Illud tamen satis est, quoties illa signa uidebuntur, per superiora purgabimus: quum uero ista uiguerint, quæ nunc afferuntur, per inferiora ducemus. Et ideo Philotheus dicit, συνεχὴς καὶ οὗτος ὁ ἀφορισμὸς ἐκείνῳ, ἐν ᾧ γέγραπται, ἀποσιτίη καὶ καρδιαγμός, idest, Continuus est & hic aphorismus illi in quo scribitur, Abstinentia à cibo & cordis morsus

dis morsus

dis morsus. Sermoq; Hippocratis in non febricitantibus est, nempe in febricitantibus omnia hæc indicia fallunt. Si igitur non febricitantibus tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur: quia inferiores partes affectæ sunt, & materiæ quæ hæc symptomata inducere solent, frigidæ & graues existunt.

ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν. idest, Non febricitantibus.] De quibus ideo sermonem habet: quia si quis forte correptus febre hæc symptomata habuerit, possunt febris causa prouenire, & non materiæ in infernis partibus aberrantis. Vel, ut in decimoseptimo Aphorismo dicebamus, de non febricitantibus loquitur: ut admoneat nos, non debere multum audere in febricitantium euacuationes: quia omnia medicamenta, potentia calida sunt. Vel e contrario, ut tanto magis nos audaces reddat ad euacuandum: quia si in absentia febris, euacuari debent, tanto magis in eius præsentia euacuare oportebit.

καὶ γίγνηται στρόφος. idest, Si tormina fiant.] Celsus quum hoc uocabulo Tormina, simpliciter utitur, intestinorum difficultatem significare uidetur. Hic autem per στρόφους, Hippocrates dolores intelligit, qui in intestinis sunt, à uentriculo usq; ad umbilicum: & etiam inferius, per hypogastrium, qui ut plurimum à materia crassa, pituitosa, & flatuosa generantur. Possunt uero Latine dici tormina, à torquendo.

Celsus non uidetur hoc uocabulum στρόφος, interpretari. Sed libro uigesimo, capite undecimo, ubi de his tractat, qui de recenti hydropem incurrere debent, inquit: Eiusdem morbi nota est, ubi circa umbilicum intestina torquentur, στρόφος Græci nominant. Ac si isto modo interpretetur στρόφος, idest, ubi circa umbilicum intestina torquentur. Hæc addere placuit, ut huius uocabuli στρόφος, apud Græcos, & huius Tormina, apud Latinos, uim & potentiam enodaremus. Vnde & si hoc uocabulum Tormina, apud graues uiros Theodorum & Leonicenum, idem significare uideatur quod στρόφος, apud Græcos: tamen quia Celsus & Plinius quum dicunt Tormina, intestinorum difficultatem intelligunt, quam dysenteriam Græci nominant: propterea non ab re forte erit, quoties apud Hippocratem, aut aliquem antiquiorem medicum, hoc uocabulum Στρόφος inuenimus, intestinorum dolores interpretemur, & non Tormina.

Καὶ γουνάτων βάρος. idest, Et genuum grauitas.] Quæ ut plurimum ob crassas materias illas percurrentes, & has partes relaxantes & pergrauantes fit. Propter hoc in illis partibus grauitas quædam sentitur, quæ crura ad ambulandum ineptiora reddit. Et licet de solis genibus sermonem habeat Hippocrates, tu ad alios inferiores articulos eius sententiam extende, ut de talo (si in homine sit talus) & de coxendice, in quibus idem iudicium esse debet. At genu tanquam medium, ex quo extrema intelligamus, accepit.

Καὶ ὀσφύος ἄλγημα. idest, Et lumborum dolor.] Dolor inquam, qui dorsi partem circa renes & supra renes etiam infestet.

Κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει. idest, Per inferiora medicamentis purgari debere significat.] Quia (ut Oribasius inquit) quum hæc sine febribus patiuntur, sine dubio noxijs humoribus abundant. Quum uero cum febribus, potius ex his, scilicet febribus, huiusmodi tormina accedunt: quia febris, calor est præter naturam, qui totam apprehendit habitudinem. Propter hoc (inquit Oribasius) dixit, Sine febribus. Intelligit autem per inferiora purgari debere, scilicet per clysterem, aut medicamen, aut purgationem, quæ inferiorem purgent uentrem. Vnde huius partis aphorismi duplex sensus esse potest: unus, quod per secessum euacuari debet, ut ab euacuatione per uomitum facta distinguatur: alter, quod per illa medicamenta euacuetur, quæ inferiores partes euacuant. & uterq; sensus uerus est. Philotheus quoq; omnibus signis positis, eandem rationem reddit, quam assignauimus, propter quid per inferiora purgandum sit, inquiens, διὰ τὸ τὴν ὕλην ἐπιγίνεσθαι κάτω φλεγματικὴν οὖσαν. idest, propter id quod materia quum pituitosa sit, deorsum incumbit ac uergit.

GALENVS

SICVTI paulo antea docuit, eorum quos oporteat purgare superius: ita nunc docet, ea per quæ cognosceret aliquis, quando oporteat inferius purgare. Est autem communis utrisque ratio in differentibus casibus. Nam pro motione noxiorum humorum, facere oportet euacuationes.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus continuationem quandam facit: sicuti habuimus signa, quando oportet per superiora purgare: ita conueniens fuit signa prosequi, quando opus sit per inferiora purgare. Quod in hoc aphorismo fit.

In principio Commenti, ubi dicit, Sicut paulo ante docuit. tu adde Signa; quoniam in Græco codice ponitur hoc uerbum, τὰ σημεῖα.

SECVNDO Galenus docet eandem rationem esse in illo aphorismo, & in isto: sed symptomata differre, quia opus est euacuationem procurare, ut humores mouentur.

Quod legitur, Nam pro motione noxiorum humorum: Græce est, πρὸς γὰρ τὰς ῥοπὰς. At id uocabulum ῥοπὴ, proprie momentum significat, quando lanx inclinat: ut interpretari possimus, Nam pro inclinatione noxiorum humorum.

APHORISMVS XXI

DEiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte uenientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores magis praui fuerint plures, peius: cum medicamento uerò melius, & quanto colores plures non praui.

BRASAVOLVS

IN HOC Aphorismo genus quoddam egestionis ab Hippocrate edocetur, quod semper exitiale est quum apparet, siue is qui excernit, febre correptus sit, siue non. Et præterea docet quid significetur, si cum medicamento, uel sine medicamento excernatur: unde nigræ deiectiones, qualis est sanguis, quæ sponte prodeunt, & non ui alicuius medicamenti, siue is qui excernit, sit infebriens, uel etiam sit febre correptus: hæ inquam deiectiones pessimæ sunt, & tanto peiores erunt, quanto colores sunt plures & magis praui: quia si essent colores boni, hoc nihil referet. Si uero hæ nigræ deiectiones ex ui medicamenti exierint, melius est, & non sunt pessimæ: imò quanto colores plures fuerint, & non praui, tanto sunt meliores: quia & si cum medicamento exierint, fieri non potest quin sint prauæ. At nihil referunt, quia in hoc patiente futurum malum non significant: quod tamen malum sequitur, si deiectiones sponte prodierint. Philotheus, ut genus hoc euacuationis edoceret, euacuationem in species distinxit, inquiens: ἐνταῦθα περὶ αὐτομάτων καὶ τεχνικῶν κενώσεων διαλέγεται ὁ ἱπποκράτης, ἀλλ' ἡ αὐτόματος κένωσις διττή. ἢ γὰρ ὑπὸ φύσεως γίνεται, ἢ βίᾳ συμπτώματος. ἐνταῦθα οὖν περὶ τῆς βίᾳ συμπτώματος γινομένης κενώσεως διαλέγεται. idest, Hic de spontaneis & arte factis euacuationibus differit Hippocrates. Sed spontanea euacuatio dupliciter est: uel enim à natura fit, uel à uiolentia symptomatis. Hic igitur de euacuatione à uiolentia symptomatis facta differit.

ὑποχωρήματα μέλανα ὁκοῖον αἷμα μέλαν. idest, Deiectiones nigræ, qualis sanguis niger.] In antiquo contextu quem habeo, & in Aldino ita scriptum est. Sed in Hagonensi, illa particula μέλαν, post illam αἷμα, posita non est: sed simpliciter legit, Qualis est sanguis: & non addit, Niger. Imò si Galenum consideremus in aphorismo uigesimotertio huius quarti libri, hæc particula Niger, non est posita ab Hippocrate, sed eam supplere oportet. Et ideo omnino intelligendus est Hippocrates, Qualis est sanguis, scilicet niger: sed simpliciter legendus, Deiectiones nigræ, qualis sanguis. Et ideo Philotheus

exponere uolens hanc particulam, ὁποῖον αἷμα, idest, qualis sanguis: non addit, niger: inquit, τουτέστι ὁποῖον τὸ ἐξ ἀναστομώσεως ἀγγείου πρὸς γαστέρα φερόμενον αἷμα πηκτὸν μελανθέν. idest, Hoc est, qualis sanguis concretus denigratus, qui ex apertione oris alicuius uasis ad intestina feratur. Sunt uero deiectiones, ea quæ per secessum demittuntur, & nigras appellat, non quidem ipsam atram bilem, sed nigras deiectiones. Sunt enim aliquæ deiectiones, quæ non sunt uera atra bilis, tamen sunt nigræ. latiori autem uocabulo, atra bilis nuncupari possunt. Vera enim atra bilis, has conditiones habet: acris est, corrodens, & acida, & si in terram eijciatur, ebullit. Hæ uero deiectiones, de quibus Hippocrates nunc sermonē habet, his conditionibus carent, sed nigredine sola insignitæ sunt: ideo simpliciter nigræ deiectiones appellantur, quæ sanguini similes sunt, quum per aliquod temporis spatium extra uenas extiterit, & præsertim in aliqua nostri corporis cauitate, uel feci nigri uini similes sunt. Nos atramento spissiori similes uidimus, & feci atramēti. Ipsas uero Hippocrates sanguini nigro comparat, idest sanguini qui extra uenas inspissatus diu extiterit. Galenus autem iudicat, ex hac nigra materia si in corpore perstet atq; putrescat, bilem nigram exquisite fieri: unde splenis natura est, à iecore sanguinis fecem trahere, ut iecur expurget, & lienem hoc melancholico humore nutriat: superfluitates uero quas facit, ad intestina transmittit, & excernuntur. Quandoq; accidit, quòd lien non bene expurgatur, & à iecore sanguinis fecem non trahit: ideo limus ille ibi manens, iecur inficit atq; debilitat, & quandoq; excerni opus est: quum uero excernitur, sunt superfluitates nigræ, qualis est sanguis niger. Philotheus quoq; eandem causam assignare uidetur, inquiens, ὅτι ἄμφω τὰ σπλάγχνα πάσχει, ὅ τε σπλὴν καὶ τὸ ἧπαρ. καὶ ὁ μὲν σπλὴν αὐτὸς καθ' αὐτὸν, τὸ ἧπαρ δὲ διὰ τὸν σπλῆνα. μὴ δυνάμενος γὰρ ὁ σπλὴν τὸ τρυγῶδες τοῦ αἵματος, ὅπερ ἐστὶν ὁ μελαγχολικὸς χυμὸς, ἕλξαι πρὸς ἑαυτὸν, ἐν τῷ ἥπατι τούτου οὖν ἀσθενοῦντος, καὶ μὴ δυναμένου κατέχειν τὰ περιττὰ, τῇ οἰκείᾳ αὐτῶν τυραννίδι, ἐξέρχονται τὰ καλούμενα μέλανα. ταῦτα γὰρ τὰ διαχωρήματα, οἷον μέλαν αἷμα αὐτομάτως διαχωρούμενα, κακά ἐστιν. idest, Quod utrunq; uiscus patitur, lien quidem & iecur, & ipse lien secundum seipsum: iecur uero propter lienem: lien enim feculentum illum sanguinem qui in iecore est, & qui est melancholicus humor, ad se trahere non potens, hoc scilicet iecore debilitato, & superflua, ob propriam ipsorum tyrannidem superare impotente, exeunt excrementa uocata nigra: hæc enim excrementa ut sanguis niger, sponte uenientia, mala sunt.

Sed ut de hac re plenum sermonem habeamus, scito deiectiones nigras non ab una sola causa fieri posse, sed à pluribus, & etiam contrarijs, nempe à calido & à frigido. à calido inquam, quia ingens caliditas humores in iecore existētes adurere potest, & sanguinem ipsum. itaq; nigri humores fiunt, qui à natura illos ferre non potente expelluntur: tamen non uidetur hoc fieri posse sine febre. Et hanc sententiam Oribasius sequitur, quod Hippocrates de nigris deiectionibus loquatur, quæ ob caliditatem nigræ sunt. nam dubitat, cur mortem inferant. Respondet, id esse triplici ratione: primum, quod incendit naturam, & loca unde transit: deinde, quod debilitat: tertio quoq;, quia uiscositatem eius ferre non potest natura, adeo ut uitalia feriat & occidat: qui dum egestus fuerit, in terra ebullit, nec ferri potest odore, donec in interiorem partem terræ decurrat.

Hæc Oribasius, qui non solum aphorismum de deiectionibus nigris calidis quæ incendunt, intelligit: sed etiam uerā atram bilem intelligere uidetur. Quod non sentit Galenus. Alio modo deiectiones nigræ, ex frigiditate fieri possunt, quæ naturalem calorem extinguat, & mortificet: nam quum deest calor, spiritus desunt, & ita sanguis & alij humores parum spirituum habent, & ideo nigri atq; obscuri euadunt. Quod & in omni corporis nostri parte calore depauperata usu uenit: nigra enim fit, ut in initijs febriū uidere licet, quando intrusus & obstipatus calor, extimas corporis partes spiritibus uacuas relinquit: tunc enim nigri efficimur. Nos Hippocratē intelligimus in his deiectionibus nigris, quæ à causa frigida fiunt: quamuis Galenus de his etiam intelligere uideatur, quæ à causa calida, & adurente ortum habent. Recentes uero multas alias nigrarum egestionum causas ponunt, ut si iecoris contentiua & discretiua potentiæ debiles sint, adeo ut melancholicum humorem à sanguine non disgregent, tunc cum egestionibus, huius plurimum egeritur. In hoc autem aphorismus intelligi nō potest, quia non

sunt

ſunt puræ egeſtiones, ut ſanguis niger, ſed fecibus mixtæ. Aliam cauſam aſsignant hoc modo: quando iecoris obſtructio aperitur, ſanguis exit, qui niger eſt: nam is ſanguis, qui obſtructionem faciebat, denigratur. At non niſi paulatim exit cum fecibus, ſicuti obſtructio paulatim aperitur: ut de hoc etiã aphoriſmus uerus eſſe non poſsit. Alia cauſa eſt, debilitas attractiua ſplenis, quę ob hoc melancholicum humorem attrahit, ut ſanguis purus in hepate remaneat: uerum quia uis attractatiua ſplenis debilis eſt, attrahere non poteſt: ideo melancholicus humor ſanguini mixtus remanet, quem natura plerũq; per inferiora expellit, unde nigrę egeſtiones apparent. Tamen hæc eſt una cauſa, ex his quas refert Galenus, & quã ex Philotheo ſuperius reddidimus. Hepar enim ob hoc debile euadit, quia hi atri humores à liene non attracti, in ipſo permanent. Aliam cauſam adducere ſolent, ſi in iecore abſceſſus ſit ab atra bile factus, qui prius quàm faciat pus, diſrumpatur. In quo caſu aphoriſmus uerus eſſe poterit, quoniam deiectiones quæ ab hac cauſa ſunt, peſsime indicant. At uere de his ſolum loquitur, quæ à cauſa frigida, aut à cauſa calida fiunt.

ἀπὸ ταυτομάτου ἰοῦσαι. ideſt, Sponte uenientes.] Hoc eſt nullo extrinſeco adueniente, quod eas exire fecerit: hoc eſt nullo medicamento, & nullo altero præſidio adhibito. Sunt uero qui intelligant ſponte uenientes, ideſt ſine aliquo coctionis ſigno, quod ad rem nihil facit quandocunq; ueniunt: quia ipſe tam in febre, quàm ſine febre ſermonem habet, modo ſit deiectio ratiõe ſymptomatis, ut docuit Philotheus. Si uero dubites, unde hoc haberi poſsit, quod ſermo Hippocratis intelligendus ſit, τῇ βίᾳ συμπτώματος, ideſt, uiolentia ſymptomatis. Philotheus reſpondet, ἐκ τοῦ εἰπεῖν ἰοῦσαι. τοῦτο γὰρ τὸ ὄνομα, μῆκος χρόνου ἐνδείκνυται. ἡ δὲ νόμῳ φύσεως κένωσις, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ἀπαλλαξιν τῶν χυμῶν ποιεῖται. ideſt, Ex hoc quod dixit Venientes: hoc enim nomen, longitudinem temporis demonſtrat. Euacuatio autem ratione naturæ, in paruo tempore humorum remotionem facit.

καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ. ideſt, Siue cum febre, ſiue ſine febre. κάκιστα, ideſt peſsime.] Semper enim ſunt peſsimæ, quia à mala cauſa & peſsima fiunt, ingenti inquam caliditate, uel ingenti frigiditate, quæ mala ſunt. Opus uero eſt de his deiectionibus intelligere, quæ per anum exeunt ex inteſtinis: nam ſi per hæmorrhoidas exirent, is ſanguis, uel is humor ut ſanguis niger, bonũ potius eſſet, quàm malum: quia hæc mala materia expurgaretur. Id tamẽ uerum eſt, quòd illam materiam in corpore eſſe, malum eſſet: ſed eandem exire, bonum eſt: nec æque eſt in alui deiectionibus, quod bonæ iudicari debeant, quia exeant: nam iecoris naturam longe debilem eſſe ſignificant. Et ſi dubites, ut recentes faciunt, in quo tempore morbi hæ deiectiones intelligi debeant. Reſpondemus, in omni tempore malas eſſe: ſed potiſsimum in principio, augmento, & ſtatu, ſimpliciter uero malæ ſunt, quoniam & ſine febre, ideſt ſine aliqua temporum morbi diſtinctione malæ ſunt: nam ubi non adeſt febris, necq; alter morbus, dubitari non poteſt, in quo tempore morbi hæ deiectiones appareant.

καὶ ὅσῳ ἂν χρώματα πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κακόν. ideſt, Et quanto colores plures, magis praui fuerint, peius.] Antiquus contextus quem habeo, non legit μᾶλλον κακόν, ſed κάκιον, quod eſt peius, ſine particula μᾶλλον. Quanto colores ſunt plures, & ſint mali colores. Illi autem ſunt mali colores, qui uel incoctionem, uel nimiam aduſtionem ſignificant. Hi uero colores peius ſignificant, quoniam ex eis materiam malignã eſſe notatur, & quod diuerſas naturas habet, necq; poteſt à natura uinci, aut regulari. Sunt qui intelligunt uarios eſſe colores nigros, quia aliqui nigri intenſius, alij remiſsius. Sed tu uarios colores intellige ſecundum diuerſas ſpecies malorum colorum, qui in egeſtionibus apparent. Vnde Hippocrates in libro De morborum decretorio, inquit: Si oletula uaria ſunt, diuturniora ſunt quàm nigra, cæteraq; mortifera, nihilo tamen minus pernicioſa ſunt, quæ hæc ſunt, ſcobi lignorum ſimilia, felli ſimilia, uiridia, cruenta, nigra, ſimulq; modo multa, modo particulatim & parum demittere.

ξὺν φαρμάκῳ δὲ ἄμεινον. ideſt, Cum medicamento uerò melius.] Quoniam ſi ui medicamenti nigræ deiectiones exierint, ſignum eſt non fuiſſe adeo malignas, ut naturam ad illas expellendas incitarent, quomodocunq; eſſet expulſio, uel recta, uel ſymptomatica. Eſt autem expulſio, de qua ab Hippocrate ſermo fit, ſymptomatica: ideo

melius

melius est, si cum medicamento exeant, idest minus malum est: nunquam enim tales materias in corpore habere bonum est. Causa uero cur sine medicamento sint malæ, à Philotheo redditur, dicente, ὅτι λόγῳ συμπτώματος ἐκκενοῦνται, ἡττωμένης τῆς φύσεως, καὶ μεγάλην κάκωσιν ἐνδείκνυνται τῶν σπλάγχνων. idest, Quod ratione symptomatis euacuantur superata natura, & magnum malum uiscerum demonstratur. Cum medicamento uero melius est; ὅτι, inquit, ἀπαλλάττεται ἡ φύσις τῆς ἐνοχλούσης κακοχυμίας. idest, Quod natura preualet, malorum humorum plenitudine superata. Scito tamen multos deceptos esse, casiam uulgatam (cui nos oblongam siliquam nomẽ indidimus) exhibentes; quæ simul cum stercore, & humoribus exiens putabant casiæ substantiam esse inter hęc genera humorum nigrorum, uel esse atram bilem.

Καὶ ὅσῳ ἂν πλείω χρώματα οὐ πονηρά. idest, Et quanto colores plures non praui.] scilicet melius. sensus enim est, Quanto colores deiectionum quæ per secessum ducuntur, plures fuerint, modo non sint praui colores, tãto melius: secus esset, si essent praui, quoniam in hoc corpore diuersas materias heterogeneas, idest dissimilium naturarum esse significarent, quæ naturæ rebelles essent. Sunt uero qui bonas esse dixerint, quia per deiectionum uarietatem purgationis complementum denotetur. Alij uero dicunt, si plures colores cum deiectione nigra ui medicamenti egrediantur, non oportet esse peius, quàm si simplex egrediatur. At re uera Hippocratis sensus ille est, quem nos diximus, quia hæc particula illi particulæ iam dictæ correspondere debet, & quanto colores magis praui fuerint plures, peius; ita per oppositum hæc sententia in euacuatione per medicamentum ponitur, quanto colores plures & non praui per medicamẽtum exierint, tanto melius: sicuti præcedentes erant tanto peiores.

Sed dubium mouere posses, quia in aphorismo quartodecimo secundi libri dictum est: In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat. Hic uero excrementorum mutationes taxat. Responde, quod in hoc loco de his mutationibus intelligit, quæ in principio apparent: in secundo autem libro De mutationibus, quæ postea apparent, loquitur: uel melius, quod in hoc aphorismo mutationes excrementorum taxat, quando sunt colores uarij, & mali, in secundo autem libro iuuare dicit, quando sunt boni colores.

GALENVS

De deiectionibus nunc ipsi est sermo, quæ à priscis quidem nigræ uocantur, bilis uero nigræ exquisite non sunt. Nam acre, & corrodẽs, & acidum non habent. Multo uero magis, neq; in terram effusa buliunt: uerum est, sicuti quis eius describens imaginem, diceret manifeste, ueluti sanguinis limus, qualis uinis crassioribus iam consistentibus solet subsidere, quem fecem nominant: quę si diutius moretur in corpore, & neq; per aliquem sensibilem effluxum, neq; occultum excernatur, uerum trasmutetur, atq; putrescat, fit bilis nigra exquisite. Antequam uero hæc generetur, splen trahit eam quæ est ueluti sanguinis fex, hepar expurgans, quemadmodum in commentarijs de potentijs naturalibus est demonstratum. Et quidem utitur hoc melancholico humore ad sui nutritionem splen; & quantam ipse fecerit superfluitatem, hanc rursus totam expellit ad uentrem unà cum alijs superfluitatibus excernendam. Si quando igitur neque splen bene expurgauerit, & ille qui in hepate continetur sanguis, multum huius limosæ superfluitatis habuerit, accrescet debilitas uisceri, ita quòd non continebit in se ipso superfluitates: & tunc illæ, quæ nigræ uocantur, fient deiectiones, de quibus nunc sermo habetur ab ipso. Adiecit autem suo sermoni, ueluti sanguis, tale quoddam ostendens: qualis fit sanguis denigratus, dum per intestina defertur, tales sunt nigræ deiectiones. Nam extremæ dementiæ fuerit existimare sanguini secundum naturam se habenti, tales deiectiones assimilari. Fient etenim hæ & rubræ & nigræ. Atqui impossibile est sanguinem eundem & rubrum & nigrum esse. Plurimas uero huiuscemodi deiectiones, in pestilenti hoc morbo longo conspeximus, quæ non magis in his qui exitio proximi erant, quàm in alijs saluandis apparebant, non tamen uel in principio, uel in cremento morborum conspiciebantur. Tunc enim quæ euacuabantur, erant & flaua & ruffa colore colliquamẽta; quæ uero mox apparebant, nigra erant, ueluti sanguinis fex, siue ipso superassato habuissent generationem, siue quum aliquam

extraneam

extraneam putredinem assumpsissent, illis quæ in uentriculo fiunt cruditatibus proportionaliter, quãdo ad uitiosos humores corruptio terminauerit. Quare ab initio quidem nunquam ad bonum fiunt huiuscemodi deiectiones, magnam uisceris læsionem ostendentes: ad morbos uero consistentes sequuntur sæpius, natura superfluitates expurgante. Non tamen hoc in aphorismo adiecit Hippocrates, quamuis alibi dixerit in uniuersum, signa iudicatoria non statim appareant. In sequẽti autem aphorismo particulatim, dum inquit, Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis uel supra uel infra exierit, letale est. Nunquid igitur satis uisus est sui animi manifestare sententiam, utens hoc uerbo Venientes, quod temporis spatium ostendit, tãquam uidelicet per morbum totum, uel per longum ipsius tempus tales ueniãt deiectiones. Si enim aliquod unum tempus ostendere uoluisset omnino, uel quæ post apparuissent, uel quæ uenissent, protulisset Non sponte uenietes. Hoc enim uerbum Venientes, non aduenisse, sed aduenire significat. Assumpto tamen medicamento quod uim habet purgandi nigra, talia deijci, nihil mirum. Sic quidem multi deiectionum colores pręter naturam, sponte quidem euacuati, multarum atq; malarum in corpore dispositionum sunt signa. A medicamẽto autem ducti uim habente, plures humorum species euacuare, nihil absurdum significat.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, per nigras deiectiones quid intelligere oporteat: notatq;, aliud esse apud antiquos dicere, nigras deiectiones, & bilem nigrã exquisite: quoniam hæc exquisita bilis, acris est, corrodens, & acida, & quæ si in terrã ceciderit, ebullit. At deiectiones nigræ hoc non faciunt. Si quis uero harum deiectionum imaginem referre uoluerit, hic dicere poterit, deiectiones nigras esse ueluti sanguinis limum, aut crassioris uini fecem, qualem superiori anno in magnifico domino Prisciano uidimus, in morbi initio, breuiq; ex ea ægritudine obijt: nam secunda die bilem atram exquisite deijcere cœpit, sexta die obijt.

Quod legitur, Quæ à priscis quidem nigræ uocantur: legi debet, A priscis medicis: quoniam Græce est, ὑπὸ τῶν παλαιῶν ἰατρῶν.

Quod etiam legitur, Bilis uero nigræ exquisite non sunt: legendum est, Bilis uero nigra exquisite non est. Græce enim dicitur, μέλαινα δὲ ἀκριβῶς οὐκ ἔστι χολή.

Et deinde quod legitur, Multo uero magis neq; in terrã effusa bulliunt: lege, Effusæ.

Et id quod ita scriptum est, Verum est, sicuti quis eius describens imaginem diceret manifeste. hoc Græce habetur, ἀλλ᾽ ἔστιν ὥσπερ ἄν εἴ τις εἰκάζων εἴποι σαφῶς. idest, Sed est sicuti si quis asimulans manifeste dixerit.

Quod etiã legitur, Qualis uinis crassioribus: lege, Qualis & uinis crassioribus: Græce enim habetur, οἷα καὶ τοῖς παχέσιν οἴνοις.

SECVNDO Galenus docet, quòd hæ nigræ deiectiones si in corpore commorentur, & neq; occulte neque palàm excernantur, sed corrumpantur, bilis nigra exquisita fiunt, quæ prius quàm generetur, lien iecur expurgat, & ad seipsum illam crassam partem trahit, quæ est ueluti sanguinis fex: ut Galenus in libro De potentijs naturalibus ubertim docuit: lienq; hoc nigro humore, ad sui nutritionem utitur: superflua uero quæ in hac nutritione fiunt, ad uentrem transmittũtur, ut unà cum alijs superfluitatibus excernantur. Nonnũquam uero accidit, quòd lien non bene expurgat iecur: nec etiam id superfluum quod in se habet, unde in iecore talis fit sanguis qui multũ limosam superfluitatem commixtam habeat: propterea necessarium est ea uiscera debilitari, iecur inquam & lienem, propterea multas huius generis superfluitates cõtinere non poterunt: imò necesse est, quod per modum symptomatis excernantur: tuncq; deiectiones nigræ apparent, quas in hoc aphorismo pessimas esse Hippocrates testatur.

Quod in hac parte legitur, Quæ si diutius moretur in corpore: Græce est, χρονίζουσα δὲ αὐτὴ ἐν τῷ σώματι. idest, ipsa autem si diutius moretur in corpore.

Quod etiam legitur, Et quantam ipse fecerit superfluitatẽ, hanc rursus totam expellit ad uentrem. in hac parte deest particula Rursus, quæ ibi primo poni debet: Et quantam ipse rursus fecerit superfluitatem. deinde iterum poni, Hanc rursus. quoniam contextus Græcus ita habet, ὅσον δὲ αὖ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐργάζεται περίττωμα, τοῦτο ὠθεῖ πᾶν πάλιν εἰς τὴν γαστέρα μετὰ τῶν ἄλλων περιττωμάτων ἐκκενωθησόμενον. Quantumcunq; rursus ipse

fecerit

fecerit superfluitatē, hoc rursus impellit in uentrē cum cęteris superfluitatibus excretū.

TERTIO Galenus illam particulam, ueluti sanguis, interpretatur, quam dicit esse positā, ut ostendat tales oportere esse deiectiones nigras, qualis est denigratus sanguis, dum per intestina defertur. nam is delirus esset, qui existimaret tales deiectiones sangui ni secundum naturam se habenti similes esse. nam hæ deiectiones rubræ & nigræ fient. At imposibile est, sanguinem hunc habere modum, scilicet rubrum simul & nigrum esse. Refertq; se uidisse plures similes deiectiones in quodam pestilenti morbo suo tempore, quæ in ijs apparebant magis qui exitio proximi erant, quàm in alijs saluandis, sed non in principio, uel in augmento. in his enim temporibus exibant colliquamenta flaua & ruffa, postea ruffa sequebantur, uel ob nimiam caliditatem superassantem, uel ob extraneam putredinem mixtam, cruditatibus, quę in uentriculo sunt, proportionatam, quando corruptio ad uitiosos humores terminatur.

Quod in hac parte legitur, Quæ uero mox apparebant, potius legerem: quę uero po steriori tempore apparebant, nam Græcus contextus habet τὰ δὲ ὕστερον ἐπιφαινόμενα.

QVARTO docet, quod hę deiectiones nunquam in principio bonæ sunt, quia ma gnam uisceris læsionem significant: sed in consistentia fiunt sæpe natura superfluitates expurgante.

QVINTO Galenus in Hippocratem ambigere uidetur, cur hoc non annotauerit, in principio pessimas esse, in augmento uero non pessimas. uidetur fere tacite respondere, id ex his quæ alibi dixerat colligi posse. alibi uero dixerat, signa iudicatoria nō statim apparere, uel dicas, quod in aphorismo consequente hoc particulariter tractat: uel eius sententiam manifestauit utens hoc uerbo uenientes, quod temporis spatium significat, ac si per longum temporis spatium, uel per totum tempus tales deiectiones uenire significet. nam si unū tempus specificare uoluisset, id egregie facere sciuisset, uel quæ post apparuissent, uel quæ uenissent (aut nos eius uerbis utamur ἃ ἢ ἐπιφανέντα ἢ ἐλθόντα εἴπῃ) & non dixisset uenientes, quia hoc uerbum uenientes, non aduenisse, sed aduenire significat.

Quod legitur, Non sponte uenientes, aliqui sunt qui demunt illam particulam, sponte, quam nos potius addendam iudicamus, quia contextus omnes Græci ita habent, οὐκ ἀπὸ ταὐτομάτου ἰόντα.

Deniq; si medicamentum accipiatur, quod uim habeat nigros humores euacuandi, nihil mirum si exeant. Multi etiam humores diuersorum colorū sponte euacuati, multas malas dispositiones in corpore esse ostendunt: at nihil refert si à medicamento uim plures humorum species euacuare habente ducantur.

APHORISMVS XXII

Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, uel supra, uel infra exierit, letale.

BRASAVOLVS

DE humore nigro in præcedēti aphorismo sermonem habuit Hippocrates. nunc de atra bile naturali pertractat, quæ si uel supra, uel infra exierit, in quorumcunq; morborum principijs signum letale est. quoniam significatur in hoc corpore ingentem malignæ materiæ copiam abundare, quæ à natura superari non potest. Philotheus autem iudicauit, hunc aphorismum esse ueluti exemplum præcedentis aphorismi, dicit enim: οὗτος παράδειγμα ἐστὶ τοῦ πρώτου ἀφορισμοῦ. ὡς τινὸς γὰρ ἀπορoῦντος, ὡς ὅτι πότε, κάκιον, τὸ, οἷον μέλαν αἷμα διαχωρήματα, καὶ τὰ ἄλλα πονηρὰ ἐκκρινόμενα. idest, Hic aphorismus præcedentis exemplum est, ueluti quodam dubitante, quando malum est hoc quod dicitur deiectiones ueluti sanguis niger, & alia praua quæ excernuntur. In hoc aphorismo fere ab Hippocrate respondetur, tempus esse in morborum principijs. At de omnibus his, hic sermonem non habuit, quæ uarios habent colores, sed ut dicit Philotheus, ποιεῖται οὖν τὸν λόγον περὶ ἑνὸς τῶν πονηρῶν χρωμάτων. idest, Igitur circa unum prauorum colorum sermonem facit.

νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων. ideſt, Morbis quibuslibet incipientibus.] Recentes de morbis à ſola bile factis intelligunt, alij ab atra bile. Nos ſimpliciter Hippocratem in quocunque morbi genere, à qualibet materia facto intelligimus, in principio uniuerſali in quo nulla eſt coctio, & nihil probum exire poteſt, quia omnia cruda ſunt. Celſus in ſecundo libro capite ſexto uniuerſale morbi principium oſtendere uolens, ita aphoriſmum interpretatur: & cui protinus in recẽti morbo bilis atra uel infra uel ſupra ſe oſtendit. Hæc particula, protinus in recenti morbo, apud Celſum principium uniuerſale intelligi poteſt.

ἢν χολὴ μέλαινα. ideſt, Si bilis atra.] Quæ ſcilicet uera atra bilis ſit, & non humor niger. Recentes quia in ſuis interpretationibus habuere fel nigrum, propterea diſtinctiones uarias ponunt, quæ ad rem ipſam non ſunt.

ἢ ἄνω, ἢ κάτω ἐπέλθῃ. ideſt, Vel ſupra, uel infra exierit.] Supra autem, ideſt per uomitum, aut per nares, aut per ſputum. nam per has omnes partes malum eſt: ſed peius per uomitum, quàm per nares, & quàm per ſputum: minusque malum eſt, per inferius exire, quàm per ſuperius. per inferius autem exire poteſt uel per ſeceſſum, uel per urinam. Si per ſuperiora exeat, & per ſputũ, ardor in ſpiritualibus partibus ſignificatur. Si per uomitum cum ſuapte natura deſcendat, raptus materierum ad ſuperiores partes oſtenditur. Si uero per inferiora exeat, uehemens aduſtio in liene, iecore, & inteſtinis ſignificatur: imò inſanabilem inteſtinorum difficultatem inferunt. Propterea dicitur,

θανάσιμον. ideſt, Mortale.] Nam ut plurimum qui hanc bilem atram emittunt, moriuntur. quamuis nos curauerimus Capitaneum Caprilem Ferrarienſem uirum robuſtiſsimum, qui in morbi principio ſupra, & infra atram bilem emittebat, tamen ſanatus eſt: ſed ab ea ęgritudine adeo peruerſe tractatus eſt: quod per ſex menſium ſpatium conualeſcere non potuit. Huius uero cauſam aſsignat Philotheus, cur ſcilicet mortale ſit hanc atram bilem exire, inquiens, ὅτι σημαίνει τὴν φύσιν παντελῶς κακῶς ἔχειν. ἔθος γάρ ἐστιν τῇ φύσει, τὰ περιττὰ πρῶτον πέττειν, καὶ τότε τὴν κένωσιν αὐτῶν ποιεῖν, ὥστε οὖν εἰ κενοῦνται ἐν ἀρχαῖς, οὐ νόμῳ φύσεως κενοῦνται, ἀλλὰ τῇ οἰκείᾳ αὐτῶν τυραννίδι. ideſt, Quod ſignificat naturam omnino male habere, mos enim naturæ eſt, prius ſuperflua concoquere, & tunc ipſorum euacuationem facere. quamobrem ſi in principijs euacuantur, lege naturæ non euacuantur, ſed propria ipſorũ tyrannide. Cum hanc cauſam poſuerit, ſtatim aliam proſequitur idem Philotheus inquiens, ὅτι ἡ μέλαινα χολὴ διαβρωτική ἐστιν. ἔχει γὰρ τὴν γένεσιν ἐκ μελαγχολικοῦ χυμοῦ σηπομένου, ἢ ἐκ ξανθῆς χολῆς ὑπεροπτωμένης. αὕτη οὖν ἡ μὲν κάτω ἐκχυθεῖσα διὰ τῶν ἐντέρων, ξύει καὶ διαβιβρώσκει, καὶ δυσεντερίας ἀπεργάζεται. εἰ δὲ ἄνωθεν, ξύει τὸν στόμαχον, καὶ ἑλκοῖ, καὶ εἰς συμπάθειαν φέρει τὸν ἐγκέφαλον, καὶ τὰ ἄλλα μόρια, διὰ οὖν ταύτας τὰς αἰτίας θανάσιμον. ideſt, Quod nigra bilis excedit, quippe ex melancholico humore putrefacto generationem habet, uel ex flaua bile immodice aſſata. Ipſa igitur ſi deorſum adducatur per inteſtina, abradit & exedit, & inteſtinorum difficultatem facit. Si uero ſurſum uerſus, abradit uentriculum & exulcerat, in cerebrumque & in alias partes mutuum perpeſsionis reſpõſum fert. ob has igitur cauſas mortale. Oribaſius uero totam rationem ex hoc reddit, quia uiſcoſa (inquit) eſt, pernicioſa, peſsima, acerrima adeo, ut dyſenteriam exciet quando emanauerit: tunc ſignificat naturam iam cum uitalibus interius præfocari ab ipſis, quæ natura non ut ſuperflua reſpuit, ſed quod iam retinere nõ ualuit. Hæc Oribaſius. At quamuis ſuperius in præcedenti aphoriſmo differentiam poſuerimus inter bilem atram, & ſanguinem nigrum, tamen hic de hac re Philothei ſententiam afferre non grauabimur, inquit ille, ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ, οἷον μέλαν αἷμα διαχωρήματα, τῆς μελαίνης χολῆς οὕτω διαφέρει. ἡ μὲν γὰρ μέλαινα χολὴ, τὸ δριμὺ, καὶ διαβρωτικὸν, καὶ ὀξῶδες, καὶ στίλβον προσκέκτηται. τὸ δὲ οἷον μέλαν αἷμα, τῶν τοιούτων οὐδὲν ἔχει, ἀλλ' ἔστιν ὡς περ τις ὕλη αἵματος, ὥσει ἐν τοῖς παχέσιν οἴνοις, ἡ συνεσταλμένη τρύξ. ideſt, Sciendum autem, quod hoc quod dicitur, deiectiones ſicuti ſanguis niger, ab atra bile ſic differũt. atra enim bilis denſa, & exedens, & acuta, & ſplendens dominatur. quod autem eſt ueluti ſanguis niger, nihil horum habet, ſed eſt tanquam materia ſanguinis, ueluti in craſsis uinis compacta fex.

GALENVS

FACTA eſt à nobis & in antecedente aphoriſmo diſtinctio inter humorem melancholicũ, & nigram bilem de qua nunc ſermo habetur ab ipſo, & cauſam ob quam ab initio

ab initio letales sint huiuscemodi humores, postea uero iudicatorij appareant, in illo aphorismo sufficienter percurrimus, sed & nunc repetemus, quoniam ea quę sunt ad artem maxime necessaria, saepe tractare sit melius. Quãdo aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturae ratione, sed sunt omnia haec casus praeter naturam earum quae sunt in corpore dispositionum: quo enim in tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile. Siquidem oportet coctionem praeire, subsequi uero discretionem, & postea euacuationem, ut bona sit crisis, siue iudicium. Haec autem nos ipse docuit in primo libro Epidemiarum, ita inquiens. Coctiones iudicij securitatem salubrem significant. Cruda autem & incocta ad malos abscessus conuersa, iudicationis carentiam, uel labores, uel tempora, uel mortes, uel eorũdem malorum reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquis humorum uitiosus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, ubi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem, si uero aliter excernantur sine signis coctionis, exitialis est casus, quare cum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala erit humorum talium euacuatio.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, & superius in praecedenti aphorismo atrae bilis mentionem factam esse.

SECVNDO, illa edocet, quae expedit saepe tractare, scilicet in morborum principio illa quae excernuntur, omnia symptomatice excerni, & non per naturae rationem. naturae enim processus hic est, ut in principio nihil excernatur, quia humores crudi sunt: sed opus est primo coctionem praecedere, deinde sequi discretionẽ, postea euacuationem, ut crisis bona sit, quae primo Epidemiarum libro docuit. Notaq́ꝫ, humoris discretionem ab humore aliam rem esse secundum Galenum, quàm coctionem, quia ipsam à coctione & ab euacuatione distinctam facit.

Quod legitur, Sed sunt omnia haec casus praeter naturam earum quae sunt in corpore dispositionum. illa particula, praeter naturam, illam particulam, casus, determinare non debet, sed illam, dispositionũ: ut legi oporteat, praeter naturam dispositionum, Graecus enim contextus dicit, ἀλλ' ἔστιν ἅπαντα συμπτώματα τῶν ἐν τῷ σώματι παρὰ φύσιν διαθέσεων. idest, Sed sunt omnia symptomata earum quae sunt in corpore, praeter naturam dispositionum.

Quod etiam legitur, Coctiones iudicij securitatem salubrem significant: sunt uerba Hippocratis primo Epidemiarum, in ipsis deest in principio haec particula celeritatem, ut legi debeat, Coctiones celeritatem iudicij securitatẽ salubrem significant. nam Graece legitur, πεπασμοὶ ταχυτῆτα κρίσιος ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσιν.

Quod etiam legitur, Vel labores, uel tempora, uel mortes. In illa particula, uel tempora, Graecus contextus legit, ἢ χρόνους. quamuis in uno contextu legatur, ἢ τρόμους, & non ἢ χρόνους. τρόμος autem idem significat, quod tremor. Nos primum Epidemiarum Hippocratis librum considerantes, hanc sententiam, quam hic adducit Galenus, in secũdo statu esse reperimus prope finem, & ita dicere, Nam coctiones iudicij celeritatem portendunt, certamq́ꝫ salutem: cruda uero & incocta (licet Caluus legat concocta) & in malos abscessus conuersa, uel malas iudicationes, uel labores, uel tempora, uel mortes, uel eorundem reuersiones portendunt. ubi uides Hippocratem legere, tempora, & non, tremores. At si deinde consideremus quid significet illa Hippocratis sententia, quod cruda portendant tempora, conueniens dictu non uidetur, nisi intellexerimus, quod temporis longitudinem portendunt.

TERTIO Galenus infert, quando post coctionem aliquis prauus humor euacuatur, tũc corpus expurgari. ideo uel sit atra bilis, uel quicũq́ꝫ alter humor, qui post signa coctionis excretus sit, semper est bona euacuatio. Si uero absq́ꝫ signis coctionis excernatur, mala est, ut hinc inferri liceat, cum in morbi principio semper cruditatis signa adsint, talium humorum euacuatio in principio semper est mala.

Quod legitur, Quando igitur post morbi coctionem aliquis humorum uitiosus excernitur: Graece habetur, ὅταν οὖν μετὰ πέψιν νοσήματος, ἔκκρισις γίνηται μοχθηροῦ τινὸς χυμοῦ.

idest, Quando igitur post coctionem morbi crisis fit praui alicuius humoris. Ita legunt contextus Aldinus, & antiquus quem habeo: tamen contextum quendam legimus, in quo loco huius particulæ μοχθηρῶ, idest praui, habet καθαρῶ, idest puri. Nos potius legendum putamus, μοχθηρῶ.

APHORISMVS XXIII

QVibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, uel ex uulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue uti sanguis niger de subter exierit, postridie moriuntur.

BRASAVOLVS

DVO præcedentes aphorismi de atro humore sermonẽ habuere, uigesimusprimus de atro humore, qui tanquam fex sanguinis sit: uigesimussecũdus de atro humore, qui sit uera atra bilis. In præsenti aphorismo utrunq; complectitur, & atrum humorem, qui ueluti sanguis niger est, & uerã atram bilem, inquiens, Quicũq; extenuati sunt, si atram bilem excernant, aut ueluti sanguinem nigrum per inferna, hi postridie moriũtur. Sint uero extenuati, uel ob acutam febrem, quæ illos extenuauerit, uel ob diuturnã, uel ob uulnus, uel quocunq; modo extenuentur, semper postridie moriuntur. Tamen magnificus dominus Priscianus extenuatus non erat, & postridie mortuus est. sed hic Hippocrates ut certam mortem notaret, addit particulam Extenuatis: quippe quum extenuati fuerint, nulli dubium est, quod postridie moriũtur. Oribasius causam reddit: quia (inquit) nigra bilis, quæ mater morborum dicitur, ipsius humoris superfluitatẽ significat. Sanguis uero niger significat sui corruptelã: nam uenæ corruptæ, aut effluunt, aut continentur, & sanguis concrescit, unde etiam niger est. Vera autem ratio cur tam cito obeant, est: quia in hoc uiro pessimæ materiæ abundant, & uires sunt debiles. Vnde & à Philotheo dicitur, ἀδύνατος γάρ ἐστιν ἐν τῶν τοιούτων ἡ φύσις, ὥς τε μή τε πέψαι δύνασθαι, μή τε διακρίναι, τὰ ὄντα πονηρά. idest, debilis enim est in talibus natura, quamobrem neq; coquere possunt, neq; secernere, quæ in ipsis sunt praua.

ὁκόσοισιν. idest, Quibuscunque.] scilicet hominibus.

ἐκ νοσημάτων ὀξέων. idest, Ex morbis acutis.] Cuiuscunq; sint generis hi acuti morbi, uel sit febris, uel alter acutus sine febre, uel sit acutus simpliciter, uel peracutus, uel exquisite peracutus, uel acutus ex decidentia. De his omnibus uerus est Aphorismus.

ἢ πολυχρονίων. idest, Vel diuturnis.] In quocunq; diuturnorum morborum genere sit.

ἢ ἐκ τρωμάτων. idest, Aut ex uulneribus.] Quę adeo ingentem sanguinis copiam eduxerint, ut uires debiles effectæ sint. Recentes legunt, Aut abortibus. & ita in antiqua translatione habent. At re uera, etiam si ex abortu extenuatio sit: idem iudiciũ ferri debet, & si ex partu: unde statim addidit Hippocrates,

ἢ ἄλλως λελεπτυσμένοισι. idest, Vel quouis alio modo extenuatis.] Quicunq; sit ille morbus ex infinitis qui in mundo sunt, quibus homines extenuari possunt. Intellige uero per Extenuata, multum debilitata: etiã si in corporis mole aliqui extenuati non fuerint, quia uirium debilitas ad huius aphorismi uerificationem satis est; tamen corpora quæ debilitata sunt, simul ac semel ut plurimum tenuiora reddita sunt.

χολὴ μέλαινα. idest, Nigra bilis.] Quæ fuerit nigra bilis naturalis.

ἢ οἷον αἷμα ὑπέλθῃ. idest, Vel uti sanguis desubter exierit.] Noster antiquus codex ita habet, Vel ut sanguis. & non adest particula, niger: & Galenus in Commento non esse ponendam edocet, sed inter interpretandum supplendam. tamen Aldinus codex ipsam posuit, inquiens, ἢ οἷον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ. Dicit uero, subter exierit: per hoc nõ inficians, si per superiora exierit, quod idem iudicium ferri nõ debeat: nam & si per uomitum exeant, postridie moriuntur. Propterea nos potius legendũ putamus, ut Hagonensis contextus facit, ἐπέλθῃ, idest exierit, & non ὑπέλθῃ, idest per infernam partem exierit: nam siue per superiora, siue per inferiora exierit, mortem postridie futuram prædicit, & forte per superiora, magis quàm per inferiora.

τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσιν. idest, Postridie moriuntur.] Quid uero intelligendum sit per postridie

postridie, dubium uidetur: multi intelligunt breue spatium significari: alij propinquum diem iudicatoriū. Nos uero intelligimus id quod à particula postridie significatur, idest die sequēti, uel altera die. Antiquus codex qui apud nos est, correxit particulā ὑστεραία, & legit τῇ ὑστερᾳ ἡμέρᾳ, idest postera die. Oribasius cur moriant̄ edocere uolens, inquit, Et tribus quoq; modis moriuntur: hoc quia laborat natura: altero quia ipse sanguis unde habuit alimentum natura, emanat: tertio quod locum ubi consederit, occidit & debilitat, quare postero die moriūtur. Imò ipse hoc loco pulsum tendentis ad mortem in ordinem ponit: nam primo (inquit) fluctuosus pulsus iuxta pollicem, qui est uehemens & frequens, postea uermiculans, qui etiam est debilior priore, deinde formicans, qui proximam ostendit mortem.

GALENVS

SERMO in hoc aphorismo est potentia talis: siue atra bilis, de qua antecedens docuit Aphorismus, siue nigra, quæ sanguini nigro assimilantur, de quibus prior aphorismus, his qui ad extremā extenuationē uenerint, apparuerint, postridie moriuntur. Est enim in talibus natura imbecillis adeo, ut non possint cōcoquere, neq; discernere, neq; excernere, quæ ita praua existunt. Propter morbi igitur magnitudinē, cum contineri nequeant, effundūtur, & idcirco sunt difficilia. Mortem aūt non in postremis afferunt, ut in alijs cōtingit morbis propter uiriū imbecillitatē. Ostendit tamē in hoc aphorismo manifeste, quod & in priore, cum dicebat, Deiectiones nigrę qualis sanguis, subaudire oporteat niger: ut tale sit plenū deiectiōes nigræ, uel qualis sanguis niger. Ostendit aūt & quod nos bene à nigris bilem nigrā separauimus. Hæc enim sanguini denigrato similia uident̄, differētia in eo quod fusa sunt, & non concreta, ut ille. Nigra aūt bilis & in eo quod fusa est absq; cōcretione, & quia fulgentē habet nigredinem, & præterea mordax est, sicuti acetum, & terram abradit, atq; fermentat, quorum nihil nigris adest.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus aphorismi sententiam enarrat, inquiens, Si atra bilis, aut sanguis niger exierit, in his qui extreme extenuati sunt (notaq; hanc extremā extenuationem) postridie moriuntur, quia naturam adeo imbecillem habent, ut concoquere non possit, neq; discernere, neq; excernere illa quę ita praua existunt. Ex quo loco id etiā colligere oportet, aliud esse concoquere apud Galenum, aliud humorem ab humore discernere, & separare. Cum uero morbus ingens sit, hæc contineri non possunt, sed effunduntur, & magnam difficultatem ostendunt.

Quod legitur, De quibus prior aphorismus: Græce est, περὶ ὧν ὁ πρὸ ἐκείνου. idest, de quibus aphorismus qui ante illum.

Quod legitur, Propter morbi igitur magnitudinem cum contineri nequeant, effunduntur: Græce est, διὰ μέγεθος οὖν τοῦ νοσήματος ἐκχεῖται μὴ στεγόμενα. idest, propter magnitudinem igitur morbi effunduntur, non tolerantia. Antiquus contextus quem habeo, hanc partem aptat, legens ἐκχωρεῖ τὸ μὴ στεγόμενον. idest, excernit non tolerans, uel non contectum. Quod legitur, Et idcirco sunt difficilia: Gręcę est, καὶ ταύτῃ χαλεπόν. nos potius legendum putamus, Et idcirco sunt molesta. ut facilius id quod dicitur exprimatur: quamuis uocabulum χαλεπὸν, difficile etiam significet.

SECVNDO Galenus docet, mortem postero die sequi ob uirium imbecillitatem, sicuti & in alijs morbis fit, in quibus uirium imbecillitas est causa mortis.

Quod legitur, Mortem autem in postremis afferunt, legendum est, Mortem autem altera die afferunt Græce enim est, τὸν θάνατον ἐν ὑστέρῳ φέρει.

TERTIO Galenus docet & in hoc aphorismo quando dicitur, Et ueluti sanguis, addendum esse uel subintelligendum, niger. Sicuti etiam fecit in aphorismo uigesimo primo, ubi dicebat, Deiectiones nigræ, uel sicuti sanguis: subaudire oportebat, niger.

Quod legitur, Ostendit tamen: Græce est, ἐνδείκνυται μὲν. idest, ostendit quidem.

Deniq; Galenus docet, ab Hippocrate differentiam ostendi inter bilem nigram, & sanguinem nigrum: quam differentiam & ipse superius posuerat. hic uero differentiam in aliquibus manifestius ostendere uidetur, quàm superius fecerit. nam dicit, humores ueluti sanguis niger, sanguini denigrato similes uideri, ab ipso autem denigrato sanguine in hoc differunt, quia sunt fusa & non concreta, ut est sanguis denigratus: & nigra bi

lis est quidem fusa, & fulgentem habet nigredinem, & mordax est, sicuti acetum, & terram abradit atque fermentat: quas operationes nigra illa excremẽta, quæ sanguini nigro assimilantur, facere non possunt.

APHORISMVS XXIIII

DIfficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, letalis est.

BRASAVOLVS

ALIAS à nobis dictum est, in tertio præsertim Aphorismorum libro, salsam pituitam, atram bilem, & flauam bilem difficultatem intestinorum inducere posse: & præter hos, nullum alium humorẽ eandem uim habere. At si tu in medium afferas, bilem prasineam, & eam quã Auicenna suo nomine zinariam uocat, erugini ferri similem, quum hæ ex bilis naturalis adustione fiant, eas ad atræ bilis symptomata deducere oportet: nempe & difficultates intestinorum, quæ ab his incipiunt, letales sunt: modo sint huius generis biles per adustionẽ factæ, & non humores eodem colore imbuti, uiridi inquam & eruginoso, qui quãdoque ex incoctione in nostro corpore nascunt̃, sed biles non sunt: imò potius inter pituitæ species numerari debent. Ad rem igitur. Quæ à flaua bile fit, intestinorum difficultas, ita perniciosa non est, sed ex ea multi sanantur: sanantur quoque & qui ex salsa pituita affecti sunt. At si ab atra bile initium habuerit (ut hic dicit Hippocrates) letalis est. Vlcera enim profunda in intestinis facit, quæ ob intestinorum tenuitatem sanari non possunt. Et ut Philotheus hic dicit, εἰ γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς ἐκχεομένη ἡ μέλαινα χολὴ ζυμοῖ αὐτήν, διὰ τὸ δριμὺ καὶ λεπτόν, ὥσπερ ὄξος, πολλῷ μᾶλλον ἐν τῷ σώματι ἡμῶν ἀναίρεσιν ποιήσεται, ὑγρῷ ὄντι καὶ εὐαισθήτῳ. ὥς τε οὖν διὰ τὸ διαβρωτικὸν τῆς χολῆς, θανάσιμος ἡ δυσεντερία. idest, si enim nigra bilis in terram effusa fermentat ipsam, propterea quod acris est & tenuis, sicuti acetum: multo magis in nostro corpore interitum faciet, quum molle sit, & sensibus præditum. Quamobrem propter exesionem bilis, difficultas intestinorum mortalis est.

Δυσεντερίη. idest, difficultas intestinorum.] Quæ solum est, cum sanguis excernitur, & intestinorum abrasiones simul, adeo ut intestina ipsa exulcerentur. Tamen quãdoque ab alijs membris intestinorũ difficultas inducitur, & non ab intestinis: ita intelligentes, quod alia membra huius generis materias ad intestina transmittant, quæ ea excorient, at materia illa ab ipsis intestinis initium non habeat. Nos Hippocratem de ea intestinorum difficultate potius loqui putamus, quæ ab intestinis initium habet: fit quandoque ab extrinsecis causis, ut à salsugineis cibis, amaris & excoriatiuis: sed nisi in intestina uehemẽter impresserint, & illius generis humorũ multitudinẽ genuerint, illis cibis posthabitis ex se ferè sanantur. ἢν ἀπὸ μελαίνης χολῆς ἄρξηται. idest, si ab atra bile inceperit.

Θανάσιμον, idest letalis.] Scito autem bilem atram ex omnium humorum adustione fieri posse: tamen illa sola letalem dysenteriam facit, quæ ex adustione bilis, uel atræ bilis fit. Et ideo hic atram bilem intellige, ex bilis adustione, aut atræ bilis factam.

Si uero dicas, uideri bilem flauam, dysenteriam periculosiorẽ inducere debere, quàm uel adustam, uel atram bilem, quia magis calida, magis subtilis, & magis penetrans. Respondemus, hanc flauam bilem facilius à natura regulari, & facilius ad benignum conuerti. Atra uero bilis magis inhæret, & ob eius lentorem dimoueri non potest: nec medicamenta intestinis inhęrere possunt: quia ab hac atra bile iam occupata sunt, & ita inhæret, ut intestinorum cancer appellari possit, & Galenus eam dixerit, ueluti cancrum intestinorũ. unde Galenus in libro De atra bile, secunda pagina, inquit: Nunquid enim dum flaua bilis in partem aliquam decumbit, erysipelas generabitur? dum atra, carbunculus & cancer? Quoniam profundæ corporis partes adamantis naturam sortitæ non sunt, sed eisdem quoque subijciuntur affectibus. Quorum utique causam effectricem certo poteris cognoscere, in his clare bilis utraque intestina rodere. Aliàs aliud apparet, cuicũque potissimũ inhæserit. Interdum dysenteriam longe periculosissimã, & nullo pacto curabilem pariunt. Atque hinc Hippocrates in aphorismis scriptum reliquit, Dysenteria si ab atra bile inceperit, letalis est. Ego aũt insanabilia esse omnia, quæ propter atrã bilem exulcerata

exulcerata sunt, affirmaui: nisi quis sanationẽ uocare uelit, quando partem affectam orbiculatim ad sanas ac integras usq; excideris uniuersam. Quemadmodum igitur intestinum ab atra bile, nulla curationis spe exulceratur; periculose uero à flaua, constat alias partes singulas, quæ in alto latẽt, longe intestinis esse nobiliores. Huc accedit, ꝙ intestina facilius curari possunt pharmacis, quæ per anum mittuntur, affectis partibus statim incidẽtibus: in alijs neq; hoc facile potest fieri. Vnde ex Galeno hic habes, dysenteriam ab atra bile factam, insanabilem esse: tãto minus morbi alij in alijs partibus, qui ab atra bile fiunt, sanari poterunt: tum quia intestina ignobiliora sunt, tum quia medicamenta per intestina transeunt. Quod dictum, rationẽ quandam à recentibus factam, absurdam reddit. Nam ipsi rationẽ reddere uolentes, cur hæc dysenteria quę ab atra bile fit, insanabilis sit, inter alias suas causas hæc referũt, quia remedia ipsis applicari non possunt. Cuius oppositũ hic dicit Galenus, Remedia inquã intestinis facilius applicari, imò medicamenta per ipsa transeunt intestina. quod de his quæ per os sumuntur, intelligere oportet. Et ad partes penitiores comparationẽ facit. nam si de partibus superficialibus intelligeres, ut dicet in hoc cõmento Galenus, ipsis facilius remedia applicãtur, ꝙ intestinis. hocq; uerũ est in his medicamẽtis quæ forinsecus applicanť, non aũt in his quæ bibunť & degluttiuntur. Galenus quoq; in Introductorio sibi adscripto dicit, dysenteriã factam ab humore acri incurabilẽ esse. At si locum illum contẽplemur, id nõ dicit quod multi putant, dysenteriã talem esse incurabilẽ: sed dicit, Hippocratẽ prohibere ne curetur, & de dysenteria loquitur, quæ in morbi decessione fit, & quæ secundũ Hippocratẽ curari non debet: causam uero addit Galenus, ne aliũ quempiã maiorẽ morbũ accersat. Galenus etiã in quinto libro De usu partiũ, docere uolens naturã esse iustissimam, quę omnibus mẽbris quæ sibi conueniũt, tribuat, ut neruos maiores partibus quæ magis sentire debẽt, & minores partibus quæ minus sentiũt, & ad nutrimẽti mẽbra transeũt: ꝓpterea docet, intestina unũ quẽdam neruũ & illum paruũ habere: unde sensum aliquẽ, & non perfectũ neq; exquisitũ habẽt. Tunc inquit: unde alicubi ait Hippocrates, dysenteria si ab atra bile inceperit, letale. An uero aliqua dysenteria incipit à nigra bile, tantũ sensum habẽtibus intestinis, ut cõfestim quod cõtristat expellãt, fortassis utiq; interrogabit nos aliquis. Ad quẽ respõdere iustũ est, quod incipit, aperte apparet: causam uero si uis, eius quod fit discere, memẽto mihi reuolutionũ, quas ut non effundať, exeatq; cito ab intestinis cibus, factas esse mõstrauimus. In cõuersionibus enim & fluxionibus intestinorum detẽta quãdoq; acris superfluitas, primo quidem radit intestinũ, deinde aũt & corrodit: ex quo igiť & nũc nõ sufficit sentiẽdi facultas, & promptitudo ad nil patiendũ: sed ulcerant plerũq;, aut acredine sug̃fluitate corrosa, aut multitudine immoderata, uelut κατακλυσμῶ. i. diluuio aliquo uiolẽter cõpulsa, quid utiq; putamus ea pati potuisse, si uix sensitiua facta essent? ꝓpter hãc igiť causam unus in unãquãq; circũuolutionẽ disseminať neruus, sicuti & arteria & uena. unde & si parũ sentiãt intestina, tamẽ male afficiunť, & ulceranť: & ulcerationes fiunt adeo profundę, ut in cancrũ transire uideanť. Scito præterea, ab Hippocrate dici, Si inceperit: quia hoc dicẽs, in intestinis diu fuisse significat: nam cum sit humor tardus & frigidus, tardius imprimit, præsertim quia intestina parũ sentiũt. Adde, ꝙ si in declinatione sit, ita letalis non est, sed quãdoq; bonum prædicit, si morbũ aliquẽ qui in declinatione sit, consequať. Et ideo ab Oribasio dicitur, Quę si ab initio ab ipsa nigra bile initiũ habuit, omnibus modis mortale est. Sed si prius fiat dysenteria, & sic subsequatur atra bilis, utrum mortem inferet an non? Dicimus id aliquãdo, non semper accidere, quia iam affectus debilis inuenitur, uirtus autem fortior.

GALENVS

AB illa quæ à quibusdã ruffa, ab alijs bilis flaua nominatur, magna ex parte incipit intestinorũ difficultas, abrasis prius in summa parte propter humorũ acritudinẽ intestinis: postea uero exesis, adeo ꝙ exulcerenť. Hanc igiť intestinorũ difficultatẽ sæpe sanauimus. Quæ uero ab atra bile fit, insanabilis est, cum nihil differat à cãcro ulcerato. Vbi igitur hic cancer in summa parte cõsistens, sit cũ difficultate sanabilis, aut omnino insanabilis, cum tamẽ possit cõtinuo medicinã habere insidentem, rationabile est illum qui occupat intestina, non solum quia nihil illi continuo adhærere potest, uerum etiam quia semper ab alimenti superfluitatibus tangitur, esse penitus insanabilem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quod multas dysenterias à flaua bile ortas sanauerit, in quibus intestina prius abradebantur, deinde uero adeo exedebantur, ut ulcerarētur. & nos hoc anno millesimo quingentesimo trigesimoseptimo, qui hunc morbum ferè epidemicum habuit, multos ope medica sanauimus.

Quod legitur, A quibusdam ruffa, ab alijs flaua, duo sunt uocabula Græca hoc in loco, ὠχρᾶς & ξανθῆς. Leonicenus interpretatur ὠχρὰν ruffam. Hermolaus pallidam, & luteam, ea autem bilis lutea est.

Quod legitur, Abrasis prius in summa parte propter humorū acredinem intestinis. illa particula in summa parte, in contextu Græco non adest: Et illa, humorum, legit humoris. inquit enim, ξυομένων μὲν τὰ πρῶτα τῇ τοῦ χυμοῦ δριμύτητι τῶν ἐντέρων. idest, exulceratis quidem prius propter humoris acritudinē intestinis. & melius est legere humoris, in singulari, scilicet biliosi: quàm humorum, in plurali: quia de flaua bile hic tantum sermo fit. Quod etiam sequitur, Postea uero exesis adeo quod exulcerētur: sequi debet, & accidat, uel fiat dysenteria. nam Græcus contextus ita habet, ἀναβιβρωσκομένων δ᾽ ὕστερον ὡς ἑλκοῦσθαι, καὶ γίνεσθαι δυσεντερίαν. idest, Postea autem exesis adeo ut exulcerentur, & fiat dysenteria: tamen in antiquiori meo codice illa particula est obelo confossa.

SECVNDO Galenus docet, dysenteriam ab atra bile factam, insanabilem esse, quia ab ulcerato cancro nihil differt. Cancer autem si in summa corporis parte sit difficulter sanatur, aut non sanatur: cui tamen possunt continuo applicari remedia, quanto magis intestinorum cancer insanabilis erit, cui præsidia quæ inhæreāt, applicari non possunt. Secus est de præsidijs quæ per os dantur. nam illa (ut Galenus in libro De atra bile docet) melius eunt ad intestina, quàm ad alias partes, tum etiam quia semper intestina à superfluitatibus alimenti tanguntur. Ideo hæc dysenteria insanabilis est.

Quod legitur, Non solum quia nihil illi continuo adhærere potest. loco huius particulæ, nihil, Græce legitur Nullum medicamentū: dicit enim, οὐ μόνον τῷ μηδὲν ἔχειν δύνασθαι διαπαντὸς ὁμιλεῖν φάρμακον ἑαυτῷ. id est, non solum quia nullum medicamentum illi continuo adhærere potest.

APHORISMVS XXV

SAnguis quidem supra, qualiscunque fuerit, malus, infra autem bonus est.

BRASAVOLVS

QVOTIES humor aliquis per uias sibi improprias euacuatur, nunquam bonum est: per proprium uero & conuenientem meatum euacuari bonū est. Quod sanguis per superiora euacuetur, est regio non propria: per inferiora satis propria, ideo sanguis, qui per superiores partes euacuatur, qualiscunq; sit, malus est: qui uero per inferiores, bonus. Philotheus dicit, καὶ ἐνταῦθα περὶ τῆς κενώσεως τῆς βίᾳ συμπτώματος διαλέγεται. idest, Et hic de euacuatione per uiolentiam symptomatis disputatur.

Αἷμα ἄνωθεν μέν. idest, Sanguis quidem supra.] Potest autem sanguis superius exire, & per nares, & per os, & per oculos, & per aures. Si per nares exeat, non semper malus est, sed plerunq; optimus. nam eo nonnunquam optime crises fiunt, & multæ ægritudines (Oribasio etiam teste) sanguine fluente ex naribus sanātur, ut causon, & synochus, & angina, & dolor capitis. ideo hic Hippocrates, de exitu sanguinis ex naribus sermonem non habet, quoniam tantus author mentiri non solet, nec fallere lectorem. ex auribus non nisi rarissime sanguis exit, aut ex oculis, nisi hæ partes percussæ sint. ideo malus est, qui ita exit sanguis, saltem per uiam signi. Tamen nos religiosam uidimus, & nunc curamus, quæ menses non habet, quum in ea ætate sit, in qua habere deberet: at singulis mensibus sanguinis copia ex oculis & auribus exit. Aliam curauimus, & sanitati restituimus, cui singulis mensibus sanguis ex ore prodibat. Plures uero nouimus, & nunc cognoscimus, quibus singulis mensibus per nares sanguis scaturit. Siue ergo ex ore prodeat sanguis, siue ex auribus, siue ex naribus, siue ex oculis,

semper

semper est malus: quia per inconuenientia loca prodit is sanguis in mulieribus: sed est bonus, quia illos humores euacuat, qui per conuenientem uiam non euacuantur, uia conueniens esset uterus. Malus autem est hic sanguis, quia malas dispositiones tum uteri, tum superiorum partium significat: uteri inquã, quia adeo obstrusus, ut id quod exire deberet, non exeat: partium uero superiorum, quia & ipsæ male affectę sunt. nam sanguinem recipiunt, quem recipere non deberent. In uiris autem sanguis semper malus, qui per aures, oculos, & os exit: non autem qui per nares. Galenus, & post ipsum Oribasius, per sanguinem supra, sanguinem per os emissum intelligunt. nam re uera (in uiris pręsertim) per aures & oculos, non nisi per uiolentiam emittitur: per nares plerunque est bonus: per os uero nũquam est bonus. nam si per os exeat, opus est uel à capite, uel à pulmone, uel à canna, uel à pectore, uel ab ore ipso, uel à uentriculo prodire. A quacunque uero parte harum prodierit, semper est malus, quia in aliqua parte malum præsignificat. nec intelligas, quod sit malus sanguis, idest eius substantia mala sit, quia etiam bonus esse posset, & tamẽ malum prædicere. Non desunt uero sua indicia si à prædictis locis exeat sanguis. Nam si à pulmone fluxerit, cum tussi expuitur, & ualde spumosus est, atque subtilis. si à pectore uenit, non multum spumosus est, tamen aliquam habet spumam. nam & qui ab ore exit, aliquam spumam habet, quia spiritus qui per cannam ad os transit, ipsum agitat. Sed qui ab ore est, cum saliua exit. Si ex pulmonis canna prodierit, pruritus quidã in illa parte persentitur, & cum rascatione exit. Si ex capite fluat, cum attractione quadam à partibus superioribus ducitur: si à uentriculo, cum uomitu. Sed à quocunque horum membrorũ exierit, semper est malus. nam semper malũ quid portendit. cum enim per os exit, opus est aliquod prædictorũ membrorum disruptam uenam habere, aliter non exiret sanguis: uel os apertũ habere. & ideo signum malum est, & ipse sanguis malus esse posset, si mala qualitate affectus esset; tamen quod ipse malus sit, non est opus.

ὁποῖον ἂν εἴη. idest, Qualiscunque fuerit.] Ita antiquus meus contextus habet, sed Aldinus, & alij legunt, ὁκοῖον ἂν ᾖ. tamen sensus idem est, & etiam uerba: quia ὁκοῖον ἀντὶ ὁποῖον in usu est apud Iones: quorum linguam peculiarem habet Hippocrates. Intellige autem qualiscunque fuerit sanguis, uel bonus, uel malus, uel mixtus alijs humoribus, uel simplex, uel niger, uel ruber, uel calidus, uel frigidus, uel ex uena exeat, uel ex arteria; uel crassus, uel subtilis, uel paucus, uel multus. adeo ut illa particula, qualiscunque (licet sanguinis qualitatem significare uideatur) tamen & ad quantitatem, & ad alia præenumerata amplietur. Philotheus hoc modo interpretatur, ὁποῖον ἂν ᾖ, τουτέστιν εἴτε ἀφρῶδες, εἴτε ξανθόν, εἴτε ἐρυθρόν, εἴτε μέλαν, ἄνωθεν διὰ στόματος ἐκχυθῆ, κακόν ἐστιν. idest, Qualiscunque fuerit, hoc est siue spumosus, siue flauus, siue ruber, siue niger, sursum per os fluens, malus est.

Κακόν] idest, Malus est hic sanguis, uel quia malum significat, quamuis contingere posit, quod & ipse sanguis malus sit. Est autem malus secundum Oribasium, quia est uniuersalis excretio: nam ex sanguine totum corpus nutritur: excretionem itaque sanguinis, mors subsequitur. Philotheus autem cur hæc mala sint, causam reddere uidetur inquiens, ἐπειδὴ τὰ ἄνω μόρια κυριώτερα εἰσὶν τῶν κάτω, καὶ αὐτὸ τὸ ἀναφερόμενον αἷμα, ἢ διὰ ἀναστόμωσιν τῶν ἀγγείων, ἢ δι' ἀνάβρωσιν, ἢ διὰ ῥῆξιν ἐξέρχεται. ὅπερ κακόν ἐστιν. idest, Quoniam partes quæ superius sunt, magis propriæ sunt quàm illæ partes quæ deorsum sunt, & ipsemet sanguis qui superius fertur, uel per apertionem capitum uasorum, uel per dilatationem, uel per disruptionem exit: quod quidem malum est.

Κάτω δὲ ἀγαθόν. idest, Deorsum autem bonus.] Ex hoc enim corporis uires, ualidas esse ad ea expellenda quæ obesse possunt, significatur, & hoc fit per uias conuenientes. Scito tamẽ, sanguinem deorsum exire posse per uterum, per anum, per uesicam, & per hæmorrhoidas. Qui per uesicam exit, semper malus est, saltem per uiam signi. qui per anum exit, & non per hemorrhoidas, & ipse malus est. nam exire non potest nisi aliqua uena disrupta, quæ si sanguinis copiam emittat, pessimus est: si parũ, minus malus. Qui per hemorrhoidas exit, bonus, idest (ut Galenus interpretatur presertim de hæmorrhoidibus) minus malus: & quandoque bonus est, quia (ut Oribasius dicit) sanat quandoque à magnis ægritudinibus. nam aliquando melancholicos, aliquãdo elephanticos sanat, &

corpus

corpus ab atra bile expurgat. Leonicenus ita absolute interpretatur, Infra autem bonus est: & nihil aliud addit. Idem facit Theodorus, qui dicit, Infra autẽ bonus est: & nihil aliud addit. Sed in antiquo Gręco codice quem habeo, & in Aldino, & in omnibus quos uidi, & in antiqua translatione duo alia uerba sunt: hæc inquam, τὰ μέλαινα ὑποχωρέοντα, idest, nigra subfluentia: ut simpliciter non dicat, sanguinem qui per inferna exit, bonum esse: quia etiam malus esse potest. Sed dicit, Infra autẽ si niger fluxerit, bonus. Hoc Galenus in Commento interpretatur, ut uidebimus. & illi Græci contextus melius se habent, qui illam particulam Nigra fluentia, in fine non ponunt, sed in medio: ut is contextus facit, qui ita legit, κάτω δὲ καὶ τὰ μέλαινα ὑποχωρέοντα ἀγαθόν. contextus uero Hagonensis legit, κάτω δὲ ἀγαθὸν, καὶ τὰ μέλαινα διαχωρήματα κακόν. ac si dicat, esse mala quando niger fuerit. Philotheus etiam totum hoc simul coniungere uidetur: deorsum autem bonũ nigra subfluentia. Eius uerba hæc sunt, κάτω δὲ ἀγαθόν, τὰ μέλαινα ὑποχωρέοντα, ἤτοι ἄμεινον. ἐπειδὴ ἀκυρώτερα ἐστὶ τὰ ἄνω τῶν κάτω. idest, deorsum autem bonum nigra subfluẽtia, uel melius, quoniam ea quæ superius sunt, minus propria sunt his quæ deorsum sunt. Sed hac ratione non contentus, alteram ponit, inquiens, ἀγαθὸν δὲ τὸ μέλαν ὑποχώρημα, οὐχ ἁπλῶς ὁ μελαγχολικὸς χυμὸς, ἀλλὰ ἡ κένωσις ἡ διὰ αἱμοῤῥοΐδων γιγνομένη. ἰᾶται γὰρ τὰ μελαγχολικὰ πάθη. ὅταν γὰρ ἡ φύσις τοῦ ἀνθρώπου πολὺν ἀθροίσῃ τὸν μελαγχολικὸν χυμὸν, καὶ κενοῦται δι' αἱμοῤῥοΐδων, τοῦτο ἀγαθόν ἐστιν, ἤτοι ἄμεινον. καὶ γὰρ οὐδ' αὐτὴ ἡ κένωσις κυρίως ἀγαθή ἐστιν διὰ τὰς ἀμετρίας. τούτῳ γὰρ τῷ λόγῳ, πολλάκις ὑδρώπας ἐργάζεται. idest, bonum est (hoc quod dicitur) nigrum excremẽtum, non simpliciter melancholicus humor, sed euacuatio per hæmorrhoidas facta: nam melancholicas passiones sanat. quando enim hominis natura multum melancholicũ humorem aggregauerit, & per hæmorrhoidas euacuatur, hoc bonum est, uel melius: etenim neq; ipsa euacuatio proprie bona est ob immoderantiam. Hac enim ratione frequenter hydropes inducit.

GALENVS

De nigris deiectionibus sermo habitus ab ipso est in præcedentibus Aphorismis, nunc uero de his quæ uel per os, uel sedem excernũtur uerba facit. Quare in proposito aphorismo audiemus ipsum dicentem, supra, eam quæ fit per os solam excretionem, illa quæ fit per nares omissa. Hanc itaq; ait omnino esse malam, qualiscunq; fuerit is qui excernitur sanguis, hoc est siue spumosus, siue rubeus, siue flauus, siue niger, siue aquosus, siue crassus: melius enim esse inquit, ut infra exeat, & neq; huc per modũ disrupti sanguinis, sed paulatim fluentis, ita quod sui exitus tarditate denigretur. Ipsum itaq; sanguinem cõfluere omnino ad aliquod intestinum, malum oportet existimare. Melius autem quando paucus, quàm quando multus, ueluti disruptus, effluxerit. Quare quod dicitur bonum, non tanquam proprie dictum, sed tanquã melius diceret, est audiẽdum: quasi ita diceret, Infra autẽ melius nigra deijci. Vere enim hoc eligibilius, quàm per os modo quocunq; sanguinem ferri. Hoc quidem dixerit quispiã, eam quæ uidetur in uerbis antiqui pugnam dissoluens, quum aliquando dicat bonum esse, ut nigra deijciãtur, quod paulo antea malum dixerat. Contingit autem & ita audire nigra, quẽadmodum ipse in Epidemijs dixit de sanguine ex uenis, quod hæmorrhoidas uocant, profluente, tanquam sanante melancholicas passiones. Vere enim iam factæ melancholiæ maximum est remedium sanguinis ex his uenis profluuium, quam etiam si futura sit, prohibet. Sic itaq; nobis audientibus sermo talis erit. Sanguis supra, qualiscunq; fuerit, malum: infra uero per hæmorrhoidem, bonum, quando nigra euacuantur, hoc est quando hominis natura multum talem accumulauerit sanguinem. Aliter autem non est assuefaciendum ei quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi, quæ periculosam habet utranq; immoderantiam, siue supra modum sanguis excernatur, siue ex toto supprimatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum præcedentibus continuat: nempe de nigris deiectionibus superius sermonem habuit: de his nunc pertractat, quæ uel per sedem, uel per os emittuntur.

SECVNDO notat, Hippocratẽ de superiori excretione solũ loqui, quæ per os fit, & non per nares: hæc enim excretio per os semp est mala, qualiscũq; sit hic sanguis q exit.

TERTIO notat, melius esse si inferius exeat, & exponit quid intelligendum sit per

bonum

bonum, idest melius, uel eligibilius.

Quod legitur, Melius enim esse inquit, aptius est legere, Melius autem, ἄμεινον δέ.

QVARTO Galenus dubium facit ut contradictionem remoueat, quæ in Hippocrate uidetur. Quomodo enim hic dicit, si exierint nigra, bonum esse: cum superius dixerit: si deijciātur nigra, pessimum esse? Respondet, superius sermonem factum esse de his quæ per intestina & per anū exeunt. Hic uero de his quæ per hęmorrhoidas fluunt, quoniam ex hoc sanguine passiones melancholicæ sanantur.

Quod legitur, Quod paulo ante malum dixerat, in antiquo codice, quem habeo, legitur κακόν, sed in Aldino κάκιστον, idest pessimum.

Quod legitur, Vere enim iam factæ melancholię, id intelligendum non est, ut aliqui faciunt, quod melancholiæ tempore ueris factæ per hæmorrhoidas sanentur: sed intellige tu, uere pro equidem. nam Græce dicitur ἤδη.

Deniq; docet, non esse multum assuefaciēdum euacuationi per hæmorrhoidas. nam continuo in euacuationibus metrum & mensura seruari non possunt, utraque enim immoderantia periculosa est: si enim supra modum excernatur, debilis fit, & iecoris uires deficiunt, uariasq; ægritudines incidit is qui ita euacuatur. At si non excernatur, & hæ uenæ penitus obstruantur, hydropem incidit is cui supprimuntur. Ideo melius est huic euacuationi non assuescere, quia secundum ęqualitatem modum & mensuram seruare non possumus. Intelligo autem illum esse assuetum, qui hanc euacuationem singulis mensibus procurabit, ut nonnulli sunt, qui tanquam mulieres statuto mensium die expurgantur. Notaq;, ex illa parte huius commenti, in qua Galenus sanguinis qualitates enumerat, & dicit, siue spumosus, siue rubeus, siue flauus, colligi posse unū solum esse humorem apud Galenum, sanguinem, scilicet qui pituitosus est, uel biliosus, uel atrabilarius, uel sanguis purus.

Quod legitur, Ex uenis quod hæmorrhoidas uocant: lege, Ex uenis quas hæmorrhoidas uocant.

APHORISMVS XXVI

A Difficultate intestinorum habito, si ueluti carunculæ exeant, letale est.

BRASAVOLVS

HOC est quod ab Hippocrate breuibus dicitur, si quis intestinorum difficultatem patiatur, & ueluti carunculæ exeant, hunc moriturum iudica: imò adde & breui moriturū. unde ut Philotheus dicit, ἐντεῦθεν δὲ περὶ τῆς ἤδη δυσεντερείας διαλέγεται, idest, Hic autem de dysenteria iam disputatur.

ἢν ἀπὸ δυσεντερείης ἐχομένῳ. idest, Si à difficultate intestinorum detento.] Hoc est, si quis dysenteriam patiens cuiuscunq; generis illa sit, uel à salsa pituita, uel à bile acuta, uel ab atra bile.

ὁκοῖον σάρκες ὑποχωρέωσι.] Antiquus contextus quem habeo ita legit. Aldinus uero caret illa particula ὁκοῖον. Hagonensis legit ὁκοῖαι ἂν σάρκες. Aldinus, atq; Hagonensis legunt ὑποχωρήσωσι. At hæc ad Hippocratis sensum nihil referunt, legamus igitur, uel si carnes exeant, uel si ueluti carnes, uel si ueluti carunculæ, uel si quales carnes extuberauerint, uel excesserint, sensus continuo in idem incidit. Galenus in quarto libro De usu partium, non multum ante finem, intestina duplicem tunicam habere docet, dubitatq; hoc modo, cur tunicæ intestinorum duæ factæ sunt, si similiter quidem se habent ambæ? Superflua enim uidetur esse altera. Respondet: sed non est superflua: intestinorum enim tunica facta est duplex, partim ut uirtus excretoria ipsorum esset ualentior, partim ut hæc ipsa organa minus afficerētur. Sicut nanq; in uentre manere plurimum, ut perfecte coquerent melius fuit cibaria, ita hic non manere. propterea enim quod deferuntur per uiam longam & strictam, diligenter simul & cito, quæ ex eis ad hepar est anadosis facta est. Quod autem ad securitatem, & ad dyspathian, difficultatemq; patiendi perfectiorem, continuatioremq;, non paruam intestinis commoditatem duæ tunicæ præbent, indicant uel maxime dysentericæ passiones. multis nanq; & persæpe uidimus

grauiter

grauiter diuq; ægrotantibus, magnam partem intestinorum putrescere, ut multis partibus tota interna deperiret tunica. Attamen uixerunt ij, & euaserunt: non tamen sanati fuissent, nisi secunda quædam alia extrinsecus esset super corruptam tunicam. Hæc Galenus, qui eodem loco simul docet intestinũ habere unam speciem motus, scilicet propulsoriam. Ideo habet unam speciem tunicæ in transuersos & rotundos uillos resolubilem: unde sunt uilli transuersi intrinsecus intestinorum, qui continetur à rectis in parte extrinseca intestini. Experientia autem hoc docet, intestina duas tunicas habere, extrinsecam, & intrinsecam: & inter utranq; tunicam crassities quædam est, quam dicunt esse musculos, & carnem: in intrinseca etiam intestinorum parte, adest quædam ueluti pinguedo, ex his intensio & remissio dysenteriæ distinguitur. natura enim hanc pinguedinem fecit, ut intestina lubrica sint, illaq; facilius elabantur, quæ per intestina emittũtur: & ut ipsa intestina quantum possibile est, ab acutis materiebus & salsugineis tueantur, quæ per ipsa transire oportet. Si bilis, aut atra bilis, hanc materiam ab intestinis abraserit, initium dysenteriæ est: si uero simul pelliculæ quædam cum sanguine exeant, est prima intestinorum tunica quæ exit. Ad hoc usq; patientes sanari possunt: & nos multos sanauimus, & in dies sanamus. Sed cum crassities illa, quæ inter intestina continetur, exit, tunc uidentur quasi carunculæ exire: omnes tunc fere moriũtur. tamen quandoq; sanari etiam uidimus: & nos ipsi curauimus, quibus carunculæ, aut ueluti carunculæ exibant. Quum uero secunda intestinorum tunica exit, hæc dysenteria insanabilis penitus est. Rarissimi etiam sunt, qui euadant, quum primam intestini pelliculam affectio transit. Hoc est igitur quod ab Hippocrate dicitur, Si carunculæ in dysenteria exeant, [θανάσιμον], idest mortale.] Quia rarissimi sanantur: & non nisi illi, quos æquus amauit Iuppiter. Sunt uero hæ carunculæ, ipsorum intestinorum partes, quę quum tam magnæ exeant, ut carnes nuncupari possint, statim amicis ægri, & cognatis, eius mortem prædicas: quoniam neq; caro crescere potest in his membris exanguibus, neq; cicatrix induci, nec ibi possunt applicari præsidia quæ ibi permaneant. Vnde Galenus non uidetur ponere inter intestinorũ tunicas carnem, sed esse tunicarum substantiam. Et Philotheus etiam dicebat, αὐτῆς τῆς οὐσίας τῶν ἐντέρων πεπονθυίας, idest, ipsa intestinorum substantia affecta. Dixerat enim exulcerata esse, & tali exulceratione, quæ sanari non poterat. Oribasius uero dicit, nullum membrum esse simile intestinis, quæ intus sunt carnosa, foris neruosa, & sub carne glutinosum habent humorem. In aliquibus contextibus legitur, Si carunculæ exeant, aut excretiones nigræ, letale est. & Oribasius ita legere uidetur, inquiens: Ergo hoc Hippocrates innuit, Si uelut sanguis niger, aut quasi caro est, mortale est: quia sanguis effusus de loco suo nigrescit, & quanto magis nigrescit, tanto periculosior efficitur locus. nam ex ipso non nutritur ipsa substãtia carnis, sed corrumpitur: & si ipsa corrumpitur, quæ erit spes uitæ? Infertq;, esse malam dysenteriã quæ ab atra bile nascitur: tamen nos non putamus quicquam in hoc loco ab Hippocrate de nigris deiectionibus sermonem haberi: nam superius abunde de ipsis, uno & integro aphorismo pertractauit.

GALENVS

IN difficultatibus intestinorum, quum adhuc constituuntur, quædam corpora pinguia excernuntur: post hæc autem, nisi finiri anticipauerint, quædam ramenta ipsorum intestinorum abiecta horum superficie interiore, quæ membranosa existit, & densa, illi quæ cutem exterius contegit membranulæ proportionalis. Post hac autem & aliquid ex ipsa abraditur substantia intestinorum, in quo tempore non adhuc fieri difficultatem intestinorum, sed iam factam atq; constructam dicimus esse. Quando igitur partes adeo magnæ intestinorum excernũtur in difficultate intestinorum, ut possimus eas carnes nominare, letalem ait esse morbum, quum neq; caro concrescere, neque cicatrix obduci in tali possit exulceratione.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus ordinẽ intẽsionis & remissionis dysenterię describit: primis enim diebus pinguia corpora exeũt: postea si perseueret, quædã intestinorũ ramenta apparẽt: quia interior intestini superficies, quę mẽbranosa est, exit. Si adhuc pseueret, non fit amplius difficultas intestinorũ, sed iam actu facta est, nã partes substãtiæ intestinorũ exeũt.

Quod

Quod legitur, Cum adhuc constituuntur. Aldinus contextus legit ἔτι μὲν συνισταμένας. At antiquus meus idem præcise habebat, sed ab antiquo quodam docto (ut arbitror) uiro emendatus est, & legit ἀρτὶ μὲν συνισταμένας, idest, cum nuper consistunt, uel constituuntur. nam hic casus in principio dysenteriæ est, quod exeunt corpora pinguia, quæ intestinis inhærent, & nondum est dysenteria, sed fit.

Quod legitur, abiecta horum superficie interiore. Aldinus contextus pro abiecta legit ἀποῤῥιπτομένης: sed antiquus cõtextus quem habeo legit, ἀποῤῥίπτεται uerbum. Sensus uero in idem incidunt.

SECVNDO Galenus docet, tunc esse hũc morbum letalem, cum adeo magna intestinorum frustula exeunt, ut carnes appareant, & carnes uocari possint. nempe neque caro in ipsis intestinis concrescere potest, neq; cicatrix obduci in tali exulceratione, quę à dysenteria fit.

APHORISMVS XXVII

QVibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, cum reficiuntur, alui his humectantur.

BRASAVOLVS.

SI uir aliquis febre correptus copiosum sanguinis defluxum inciderit, uel ex naribus, uel ex hæmorrhoidibus, uel ex aliqua alia sui corporis parte, cum hic reficitur, aluum humidam habet, etiam si suapte natura siccam habuerit: quia ex ingenti sanguinis defluxu uires defectæ sunt, quæ integre concoquere non possunt. Sunt autem uires naturalis calor, qui concoquit, non potens uero concoquere, neq; bene attrahere, superfluum alimenti humidum relinquitur, & ex hoc aluus humectatur. Philotheus intelligit hos defluxus per modum iudicatorium fieri: propterea dicit, ἐνταῦθα λέγει, ἐὰν νοσημάτων κρίσις γένηται, τούτοις ἐν τῇ ἀναλήψει αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται, idest, Hic dicit, si in morbis crisis fiat, his in uirium reparatione alui humectantur.

ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι, idest, Quibus in febribus] nam Hippocrates in febribus forte id fieri dicit, quia sæpe eruptiones sanguinis in febribus, & iudicia per sanguinis emissionem in aliqua parte fiunt: tamen & sine febre cum tanta sanguinis copia exierit ut naturalis calor remissus sit, & ferè exhaustus, & hic idem gracilis effectus sit ob illum sanguinis exitum: si reficiatur, cum reficitur, aluus humectatur.

αἱμοῤῥαγέει πλῆθος, idest, Sanguinis fluxerit multitudo.] Quia si tantus sanguis non exeat, qui naturalem calorem debilitare possit, Aphorismi sententia in eo casu uera non est. Hoc quoq; non solũ intelligi posset in sanguinis euacuatione, sed & in qualibet omnium humorũ euacuatione, quia cũ tanta multitudo exierit, ut naturalis calor deficiat, aluũ humectari opus est. Quod si dicas, in omni debilitate naturalis caloris hoc fieri debere. Respondemus, in omni quidẽ debere, quãdo refectione opus est: sed quando non est opus refectione, non humectantur, quia etiã ad plenũ non comedunt, ut ij faciũt, qui refici cupiunt. Quãta uero esse debeat sanguinis copia qui exire debeat, non adest determinatus modus, neq; determinata mẽsura: sed hic sit canon qui nõ fallit, multitudo tanta sit, quod uires corporis, & naturalẽ calorem debilitauerit. nam comparatio ad totius corporis sanguinem fieri non debet, sed ad uires & calorem. Auicenna in corpore humano uigintiquinq; sanguinis libras inueniri putauit. Quod simpliciter uerũ esse non putamus. nam aliqui excedunt, aliqui minus habent. Nos his manibus. 18. sanguinis libras recta lance põderauimus, quæ ex naribus Illustrissimę Dianæ Estensis Contrariæ prodiere, illo etiã despecto qui per terram, per lintea, per sudaria & sudariola spargebatur: erat aũt sine febre, & quia nos illam paulatim refecimus, alui humiditatẽ non incurrit. cibo enim tenui, & paulatim refecta est, quoad in pristinum uigorem redierit.

ὁκοθενοῦν. idest, Quacunq; ex parte,] quia Hippocrates non magnifacit, an à naribus fluat, an ab hæmorrhoidibus, an à fracta uena, sed in febribus ex naribus ut plurimum fluit, hoc quotidiana experientia in febribus cum crises fiunt, ostendit, quandoq; tamen & per hęmorrhoidas fluit, sed absolute quisque locus intelligendus est ex quo sanguis

fluit. unde & Philotheus docens, intelligendum esse Hippocratem de euacuatione sanguinis facta διὰ τῶν φυσικῶν ὑπονόμων, idest, per naturales meatus. partes per quas fiat, enumerat, inquiens, τουτέστι διὰ μυκτήρων, διὰ αἱμοῤῥοΐδων, διὰ γυναικείων ῥοῦ. idest, hoc est per nares, per hæmorrhoidas, per defluxum muliebrem.

ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι. idest, In refectionibus uel resumptionibus.] idest, cum reparantur uires. Nos per refectionem, cibandi modum intelligimus, qualem hi sumere solent qui impinguari cupiunt, & quod deperditum est, acquirere. nam si quis refici desideret, non est opus ut supra uires comedat, & naturalem calorem excedat. propterea non mihi displicet intelligere, in refectionibus, idest, dum conualescunt, quia in hoc tempore ingẽtes fames fieri consueuerunt, quæ magis insumere cogunt, quàm corporis uires coquere possint. unde Aphorismus absolute uerus non est, nisi intellexerimus, quod hæc resumptio per talem cibum fiat, qui naturalem calorem exuperet. nam si per tantã cibi copiam resumeretur, quanto suo naturali calori satis est, aluum humectari non esset opus: nisi dixerimus, quod resumptio, maiorem cibi copiam semper exigit, quàm naturalis calor expetat. nam reficere, & resumere, est deperditũ acquirere. Quod uero deperditum est, non potest solo cibo restaurari qui calori naturali satis sit: nam ille solum cibus calorem conseruaret. Sed hoc dici non debet, quia naturalis calor semper in plus extenditur, quàm ipsi pro sui conseruatione opus sit: hoc autem plus, corpus reficere potest.

Τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται. idest, his alui humectantur.] nam quibus sanguinis multitudo fluxerit, necesse est iecur debile fieri, quia ex magna sanguinis copia effluente frigescit, & consequenter debilius efficitur, eiusq; attractiua uis debilior effecta, chyli humiditatem per meseraicas uenas attrahere nõ potest. unde humiditas illa in intestinis relinquitur, et fecibus immiscetur, propterea alui humectant̃. & adde quod ipse etiam uentriculus debilior efficitur, & frigidior, tum ex emisso sanguine, qui frigiditatis totius corporis causa fuit: tum ex ipso iecore, quod uentriculo caliditatem præstare solet: ideo non recte concoquit, sed humidæ feces demittuntur, & etiam iecore ipso debilitato, non recte sanguificatur, & totum corpus humidius redditur, multaq; pituitosa materia generatur, quæ ad uentriculum transmittitur, ut iterum coquatur, & à uentriculo per intestina transmittatur. itaq; aluus humida efficitur. Philotheus & ipse totam rationem huius Aphorismi ex uentriculi & iecoris frigiditate reddit, nam dicit, quod nimius ille sanguinis defluxus ἔνδειαν ποιεῖται τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, κἀντεῦθεν ἀτονοῦσιν αἱ πεπτικαὶ δυνάμεις. ἐν τῇ ἀναλήψει οὖν ἀτονουσῶν τῶν πεπτικῶν δυνάμεων τῆς γαστρὸς καὶ τοῦ ἥπατος ἀπεπτεῖται ἡ τροφὴ, καὶ ἀπεπτημένη φέρεται διὰ ἐντέρων, καὶ ποιεῖ ὑγρὰ τὰ διαχωρήματα. idest, Defectum facit calidi insiti, & hinc digestiuæ uel concoctrices potentiæ debilitantur. In refectionibus igitur potẽtijs concoctricibus uentriculi & iecoris debilitatis, nutrimentum non coctum per intestina defertur, & deiectiones humidas facit. Scitoq; hunc Aphorismum necessarium non esse, nisi cõditionibus quibusdã seruatis, ut quod hic plurimum comedat, & quod à iecore integra coctio non fiat. Oribasius ita Aphorismum intelligit, ut ex uentriculo fiat, qui non recte concoquat, & in ipso pituita generetur.

GALENVS

CALORE natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neque cibi bene concoqui, neque in sanguinem transmutari, multo autem magis, neq; distribui possunt per corpus: & propter hæc omnia, aluos fieri humidiores par est, donec processu temporis uires suas natura recuperauerit.

BRASAVOLVS

GALENVS quàm breuius fieri potuit Aphorismi causam assignauit, quod ex sanguinis profluuio natiuus calor debilitatur: et tunc cibi exquisite non coquuntur, neque in sanguinem mutantur. quod si non fit, per corpus etiam non distribuuntur. propterea alui humidiores fiunt, & hoc non semper perseuerat, in his præsertim qui aluum siccam natura habent, sed adeo perseuer[illegible], ut hic suas pristinas uires recuperauerit.

Quod

Quod dicit, processus temporis, in Galeni contextu habetur, ἐν χρόνῳ πλέονι, idest, In multo tempore. hoc enim magis exprimit diffusum tempus exigi, quàm si dicatur, processu temporis, quamuis in eundem sensum uergant.

APHORISMVS XXVIII

QVibus biliosæ deiectiones, superueniẽte surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.

BRASAVOLVS

ANNO illo uniuersæ ferè Italiæ ob pestilentem morbum infortunatissimo, A Christi ortu. 1528. adeo frequenter hunc Aphorismum uidimus & experti sumus, ut in uno eodemq; ægro ter quaterq; transmutationem hanc fieri obseruauerimus. Nam cum surdastri effecti essent, superuenientibus biliosis deiectionibus surditates cessabant. postea cum deiectiones cessarent, superueniebat surditas, & id ter, quaterq; mutabatur. In aliquibus ob materierum copiam, surditas simul & biliosæ deiectiones perseuerabãt. Hoc est igitur quod ab Hippocrate dicitur, Qui biliosas deiectiones habent, superueniente surditate cessant: & qui surditatem habent, superuenientibus biliosis deiectionibus, surditas cessat. nam à capite ad infernas partes diuersio fit, & à partibus infernis ad caput. Celsus octauo capite secũdi libri inquit, nihil plus aduersus surditatem quàm biliosa aluus potest. Galenus primo libro De locis affectis, edocere uolens inferiores partes ad superiores transmittere, & biles, & presertim uentriculum, hunc Aphorismum adducit inquiens, Cum itaq; rursus dicat Hippocrates, quibus deiectiones biliosæ exeunt, surditate superueniente finiũtur: & quibus surditas præcesserit, desinit, si deiectiones sequuntur biliosæ. Quis est autem adeo demens interpres, ut omittat in huius sermonis enarratione aurium affectum? aut tum dicat nasci surditatem, quum bilis quæ antea per aluum uacuari consueuerat, ad oculos efferatur? Igitur semper incipere oportet à læsæ actionis instrumento, deinde quærere quis sit noxæ modus, utrũ uidelicet dispositio permanens, an adhuc fiens, ita ut perseuerare nõdum nata sit. ex quibus Galeni uerbis colligere licet, hũc Aphorismum non solum uerum esse si materia ad aures tendat, sed etiã si ad oculos, uel ad aliam partem superiorem: quia partes superiores ab inferioribus continuo diuertunt, & inferiores à superioribus. Sed hic casus & hic materierum motus ut plurimum est circa aures: uideturq; hoc loco Galenus intelligere, quod surditates à biliosis materiebus quæ in uentriculo sint, fiant, & si hæ materiæ ascendant, surditatem faciunt. cum uero descendunt, prius autem ascẽderint, à surditate liberant. Hanc eandem sententiam Oribasius sequitur inquiens, bilioso humore stomachum occupãte, aut uapor ipsius cerebrum tangit, aut ipse humor superiora petit, et surditatem facit. Ergo si solutio uentris infra illum deijcit, supra minime ascendit, & sic soluitur affectus.

ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα. idest, quibus biliosæ deiectiones,] si etiam pituitosæ essent, aut atrabilariæ deiectiones, idem sequeretur: si caput ita peterẽt, ut surditatem facerent, postea descenderent, surditas cessaret. At rarissimum est quod pituitosæ deiectiones, aut atrabilariæ ascendant. nosq; fatemur, sæpissime hunc affectũ curasse, & semper fuisse biliosas deiectiones, nũquàm uero pituitosas aut atrabilarias uidimus, & etiã id facilius est, quia bilis leuis existit, & facile ascendit.

Κωφώσιος ἐπιγιγνομένης παύονται. idest, Surditate superueniẽte, cessant.] Hæc autem surditas non est exquisita surditas, neq; naturalis, neq; diuturna: sed est diminutio auditus, quandoq; intensior, quandoq; remissior. unde & à Philotheo dicitur, κώφωσιν λέγει, οὐ τὴν μόνιμον, ἀλλὰ τὴν γινομένην διὰ τὴν ὑπὸ τῆς ξανθῆς χολῆς φερομένης ἀνάδοσιν. idest, Surditatem dicit, non stabilem & naturalem, sed prouenientem propter diffusionẽ flauæ bilis superiora petentis. Nosq; plerunq; hunc affectum cum mẽtis perturbatione uidimus. nempe obtusam mentis aciem, & obtusos sensus habebant. unde non ab re Galenus in primo De locis affectis libro, de bile intelligit, quæ in uẽtriculo sit, ut deorsum eat, postea ascendat. Surditas uero non est causa quod deiectiones ascendant, & quod cesset profluuium, sed signum est solum, per hoc enim significatur materias superiora

petere, & non amplius inferiora. immo non est necessarium quod penitus cesset defluxus, sed bene remittitur.

Καὶ οἷσι κώφωσις. idest, & quibus surditas.] hoc est, qui iam surditatem ex ascendentibus materiebus contraxere, ut non intelligatur de surditate quæ est habitus iam diu cõtractus, sed de surditate quæ pro eo tempore facta sit.

ἐπιγιγνομένων χολωδέων, παύεται. idest, Superuenientibus biliosis deiectionibus, cessat.] quia materiæ quæ in capite erant, diuertũtur, & ad inferiora transeunt, ut etiam dicit Philotheus, τῆς ὕλης ἐκ τῶν ἄνω ἐπὶ τὰ κάτω χωρούσης, idest, materia ex superioribus partibus in inferiores descendente. Si uero dubites an solum per fluxum uentris hæc surditas sanetur, scito quandoq; per defluxum sanguinis narium sanari, quandoq; per defluxum urinæ. & ideo in sæuissimo illo pestilenti morbo, qui uniuersam ferme Italiã. 1538. uexauit, multi ex copioso defluxu urinę ex surditatibus sanati sunt: alij ex sudoribus. In genere uero omnes capitis morbi per diuersionem ad infernas partes sanantur. unde & Hippocrates in libro De morborũ decretorio, de surditate uerba faciens dicit, non solum discuti ex deiectionibus, sed etiam ex dolore coxendicũ, & omnium locorum inferiorum. Verba eius hæc sunt, Qui in febre surdescunt, necessario febre non discussa delirant, quod sanguis de naribus fluens soluit, uel si uenter solutus biliosa demittat, uel si difficultas intestinorũ superueniat, uel coxendicũ, genuũmue dolor. Scitoq; hunc superuenientem fluxũ, causam esse cur cesset surditas, & signũ quod cesset. Hocq; intellige si materia copiosa non sit, quia in tanta copia esse posset, quod pro inducenda surditate & defluxu satis esset. nempe ad surditatẽ inducendam multa materia non exigitur. Oribasius uero alio modo Aphorismum intelligere uidetur, non quod de surditate loquatur, quæ per defluxum humorum ad inferiora sanetur: sed de surditate ex solutione uentris facta, uel nimia euacuatione uerba facit. hæc enim surditas constrictione sanatur, quia ipse dicit, contraria contrarijs esse remedia. Tu autem uidere potes Oribasium in Hipppocratis intellectione hallucinari. nempe non est Hippocratis sensus, quod surditas ex inanitione fiat. Si deniq; ambigas, per quam uiam humores qui in capite sunt, descendant. Recentes uiam ponunt per colli uenas ad uenam magnam, quę est circa dorsum, & pellitur ad hepar, & ad meseraicas, & ad uentrem inferiorem: tamẽ adest & alia uia ad uentriculum.

GALENVS

NON de ea quæ ex habitu difficulter soluitur nunc illi sermo, surditate, sed de ea quæ repente in febribus, uel aliter fit incurrente ad cerebrum bile, sermo ipsi est. Ipsa siquidem cum meatus auditorios occupauerit efficit surditatem, Cum uero hinc ipsam natura expellente, ad excretionem peruenerit, soluit surditatem.

BRASAVOLVS.

HIC solum à Galeno notatur de qua surditate uerba fecerit Hippocrates. una enim surditas inuenitur, quæ habitus est, & hęc difficulter soluitur: immo cum de perfecta priuatione in habitum transitus non sit, hæc nũquàm soluitur, de qua nec Hippocrates sermonem habet. est altera surditas, quæ repente in febribus oritur, uel etiam sine febre, sed ut plurimum in febribus, cum bilis ad cerebrum recurrit, de hac Hippocrates uerba facit. nam cum bilis auditorios neruos occupauerit, ut species pertransire non possint, surditas efficitur: cum uero excernitur, surditas cessat. In illa autem surditate, quam dicit difficulter solui, utitur uocabulo δυσλύτου, idest, difficulter solubili.

APHORISMVS XXIX

QVibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

BRASAVOLVS

QVI febre, continua præsertim correpti sunt, si in iudicatorio die rigores incidant, optimum signum est. nam materia illa quę in uenis claudebatur, extra uenas eijcitur. Si uero rigor sexto die fiat, qui dies iudicatorius non est, iudicium inconstans & difficile

ſequitur, quia uel recidiuationem incidet, uel morietur æger, uel longa erit ægritudo, uel noua quædam materia eo die mota eſt, quæ occulte latitans quieſcebat.

ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν. ideſt, Quibus in febribus,] quia ſine febre hi rigores ſexto die fieri non poſſunt, & intellige continuas febres, nam ſi interpolatæ eſſent, quotidie rigores fieri poſſent.

ἑκταίοισιν ἐοῦσι. ideſt, Sextanis exiſtentibus,] uel ſexto die. eſt uero ſextus dies à Galeno in libro De diebus iudicatorijs tyrannus nuncupatus, & tyranno comparatus. nam in ipſo nunquàm bonam criſim fieri inuentum eſt, ſed ſemper uel interfecit, uel ægrum male multauit.

ῥίγεα γίνεται. ideſt, Rigores fiunt.] Apud Latinos uocabulum Rigor proprie conuulſionem ſignificat, & illam præciſe ſpeciem, quæ à Græcis τέτανος, à noſtris neruorum conuulſio ad utranque partem uocatur, in qua extenſa & rigida pars manet, ut apud Celſum, Plinium, & alios probatos Latinos uidere licet. Immo ubi Græci dicunt ῥῖγος, preſertim Hippocrates, & accidit Celſum interpretari, ipſe interpretatur horror, & nunquàm apud Celſum, uel rigor inuenitur pro eo, quod in principijs febrium ſuperuenit, uel alia uox, quę huius nominis ῥῖγος uim habeat præter illam horror. Cuius rei teſtimonium eſſe poteſt caput duodecimum libri tertij, ubi Celſus de curatione horroris in febribus pertractans inquit, horror autem eas ferè febres antecedit, quæ certum habent circuitum, & ex toto remittuntur. Certum uero eſt in toto illo capite, Celſum de illo affectu tractare, qui à Græcis, & à recentibus rigor nuncupatur, quamuis ſub hoc nomine horror illum ſignificet, & in capite tertio libri tertij, ubi de febrium generibus diſſerit, inquit, Cotidianæ uero uariæ ſunt & multiplices, aliæ à frigore, aliæ protinus à calore incipiunt, aliæ ab horrore: frigus uero ubi extremæ corporis partes membrorum inalgeſcunt, horrorem ubi totum corpus intremit. Quod autem apud Celſum idem ſit horror, & apud recentes rigor, manifeſtum erit ſi conſideremus quomodo ipſi rigorem definiant, poſtea Celſi definitionem recentiorum definitioni comparemus. dicunt enim, rigorem eſſe concuſſiuum membrorum motum, quo inuoluntarie membra mouetur, ad excutiendum rem præter naturam in eis malam diſpoſitionem imprimentem. unde uolunt eſſe concuſſiuum motum membrorum, in recto ſenſu intelligentes: ideo quod à Celſo dicitur horror, eſt recentiorum rigor, & Hippocratis ῥῖγος. Quod uero Celſus interpretetur Hippocratem, ubi dicit ῥῖγος, horror, ex hoc apparet, quia apud Hippocratem in hoc libro aphoriſmo quinquageſimooctauo ita ſcriptum eſt, A cauſone habito rigore ſuperueniente ſolutio. ubi Hippocrates utitur uocabulo ῥίγεος: & Celſus hunc Aphoriſmum referens libro ſexto capite octauo circa medium, pro ῥίγεος uertit horror. Verba eius hæc ſunt, Febrem autem ardentem, quam Græci καυσώδη uocant, ſubitus horror exoluit. immo ipſemet Celſus capite quarto ſecundi libri, ubi de malis ægrotantium ſignis uerba facit, hunc Aphoriſmum pro malo ponit inquiens, à ſexto die incepiſſe inhærere malum, quod indicium eſt, ipſum ῥίγεα, ideſt, horrores interpretari. An uero conueniens ſit nos in hoc ſignificato uti uocabulo rigor, cum antiqui pro conuulſione acceperint: Reſpondemus, cum Græci dicant ῥῖγος, nihil refert nos interpretari Rigor, ut Theodorus Gaza, & Leonicenus, uiri doctiſſimi fecerunt. Nec Marcellum laudo, qui interpretari uoluerit ῥίγεα, ideſt, cum tremore algores; quia uocabulum algor nimis amplum eſt, & differt ab algore tremor, diuerſaque ſunt ῥῖγος & τρόμος, ideſt, rigor, & tremor. nam rigor per tremorem definitur. unde cum apud Græcos uocabulum ῥῖγος inuenirem, aut horror interpretarer, ut facit Celſus: aut Græcam uocem imitarer, & ſimpliciter rigor dicerem, ut probatiſſimi uiri Theodorus, & Leonicenus, & multi alij fecere. Quod uero rigor à frigore differat apud Hippocratem expreſſiſſime patet in principio libri De prædictionibus, ubi dicit, Qui poſt rigorem refrigerantur nec caleſiunt, malum eſt. utiturque uocabulo ῥῖγος, ſi tamen ille liber Hipocratis ſit, quoniam Hippocratis eſſe non putatur. Philotheus quoque, qui poſt Celſum multo tempore ſcripſit, in rigoris definitione Celſum imitari uidetur, inquiens, ῥῖγος ἐστιν περίψυξις τοῦ παντὸς σώματος μετὰ κλόνου γινομένη τῶν μυῶν, καὶ ὁ μὲν κλόνος γίνεται διὰ δῆξιν τῶν μυῶν δακνομένων τῶν μορίων. ideſt, Rigor eſt totius corporis frigiditas, cum quaſſatione muſculorum facta: & quaſſatio quidem fit propter morſum muſculorum particulis com-

morſis. Si uero cauſam frigiditatis quæſiueris, ſtatim à Philotheo redditur dicente, ἡ δὲ ψύξις, διὰ τὸ δραπετεύειν εἰς τὸ βάθος τὸ ἔμφυτον θερμόν. ideſt, frigiditas autem propterea, quod naturalis calor in profundum fugit.

Δύσκριτα. ideſt, difficulter iudicatur.] uel iudicium difficile ſequitur. quia uel moriũtur, uel ægritudo longa efficitur, uel relabitur, uel ſimile aliquid patitur, quod iudicium difficile conſequi cogit. nam in ſexta die nunquàm aliquis bene iudicatur, immo opus eſt ſi non moritur, male tractari ægrum. Cum autem rigores in febre continua fiunt, fieri non poſſunt niſi materia extra uenas expulſa, quod cum fit, eſt motus ille naturæ, ſed imperfectus ſi ſexto die fiat. propterea difficile iudiciũ ſequitur. ut enim Philotheus docet, rigor in febribus bonus eſt, & iudicatorius ſecundum Hippocratis dogma, ἐὰν μετὰ πέψεως, καὶ ἐν ἀγαθῇ ἡμέρᾳ γένηται: ideſt, Si poſt concoctionem, & in bona die fiat. at ſi non fuerit in bona die, oppoſitum ſequitur, & ideo idem author dicit, δύσκριτα οὖν ἤτοι δύσβλητα τὰ ἐν ἑκταίοις πυρετοῖς γινόμενα ῥίγη, διὰ τὴν ἀκρίσιμον ἡμέραν. εἴωθε γὰρ αὕτη ἐπὶ κακῷ κρίνειν. ὡς γὰρ εἴρηται, ἡ ϛ ἡμέρα ἔοικε τυράννῳ, ἡ δὲ ζ βασιλεῖ. ideſt, Difficiles igitur iudicatu ſeu coniectura, qui fiunt in febribus ſextilibus rigores; quod ea dies ſit à iudicando auerſa. Solet enim illa ad malum iudicare; ob id ſexta dies tyranno æquiparatur, ſeptima uero regi. At Oribaſius dicit, iudicium difficile ſexta die fieri, quia quatuor concurrunt, ſi natura fuerit infirma, ſi non fuerit concoctio urinarum uel uentris, ſi fuerit uehemens affectus, ſi fuerit uirtus debilitata. Vnum uero dubitat Oribaſius, quare pares dies mortiferi ſunt. Reſpondet, quia fortiorem habent uirtutem, & in diebus paribus morbus reficitur. Sed hoc abſurdum eſt, quia multi ſunt iudicatorij & boni dies pares. Infertq́; Oribaſius, ſi ſexto die frigus ſuperuenerit, eſſe omnino inſolubilem morbum. quod etiam abſurdum eſt, ſed (ut bene dicit Hippocrates) eſt difficilis morbus, & iudicatio difficilis. Nosq́; per diem ſextum etiam quemcunq; alium diem non iudicatorium intelligimus: at dies ſextus eſt cæteris peior, atque tyrannus. propterea de ipſo ſolo mentionem fecit Hippocrates: quia & re uera in ipſo potiſſimum uerum eſſe deprehenditur. Nec opus eſt in hoc loco addere præcedentibus ſignis coctionis, uel non præcedētibus: quia omnis motus ſexta die factus ſemper eſt ſuſpectus uiro, ad unguem perpendenti. Reperitur autem ſermo in diuerſis locis apud Hippocratem de rigore in febribus facto. nã in hoc quarto Aphoriſmorum libro, aphoriſmo quinquageſimooctauo dicit, à febre ardente habito rigore ſuperueniente ſolutio. hoc loco de rigore facto in die iudicatorio, & præcedentibus coctionis ſignis loquitur. Ideo ille Aphoriſmus non eſt huic oppoſitus. Tamen alter locus eſt, in quo in febre continua rigorem, malum facit. nam mortem prædicit, præſertim ſi æger ſit debilis. eſt uero Aphoriſmus quadrageſimusſextus huius libri, in quo dicit, Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili letale eſt. Inuenitur & apud ipſum rigor, qui in acceſſionum principijs fit, & qui ſemper in bonũ ſumi debet, nam ſignificat febrem non eſſe continuam. de hoc autem ſexageſimotertio aphoriſmo huius libri ſermo habetur, dicente, Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur.

GALENVS

QVICVNQVE ad febres, & præcipue ardentes rigores ſuperueniunt, iudicium habere ſolent bonum, atq; perfectum, ubi in die iudicatoria fiũt, & cum ſignis coctionis. Non bonum aũt, neq; perfectum, quãdo uel diei, uel coctionis ſigna fuerint imperfecta. Quod igitur concoqui oporteat quæ bene iudicari debeant, in primo libro docuit Epidemiarum, per ea uerba quę pauloantea diximus, quorum initium, Coctiones celeritatem iudicij. Quod autem neque in omnibus diebus, & in prognoſtico ſcripſit, & in hoc ipſo aphoriſmorum libro, & præterea in primo Epidemiarum. Collecta autem à nobis hæc omnia cum oportuna expoſitione, quæcunque quidem de diebus iudicatorijs ab eo ſcripta ſunt, in tractatu de diebus iudicatorijs inſcripto, quæcunque uero de ſignis coctionis in altero de iudicijs. Dictum autem & in ipſis eſt de eo quod fit in die ſexta iudicio, de quo nunc etiam faciens mentionẽ ait, eos qui in hoc die fiunt rigores difficile habere iudiciũ, hoc eſt malum afferre iudiciũ, ac ſi male iudicãtes dixiſſet, uel non firmiter, immo in quibus facilis foret fieri recidiuã, uel in longũ tempus extenſum, ac

ſum, ac ſi dixiſſet difficulter ſolubiles: cum caſibus uero quãdoq; difficilibus ſextæ diei iudicium fit, de quibus omnibus integre ſcripſimus in his, quas nuper nominauimus tractationibus. Hęc igitur in hunc modum fieri etiam ipſa experientia teſtatur. Ipſorum autẽ cauſas longum eſſet in præſentiarũ exponere. De diebus enim iudicantibus tertio diximus libro, de iudicatorijs diebus, de rigore autem, opere ad id dedicato ſeorſum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus quinquageſimum octauum huius libri Aphoriſmum refert, uel eius ſententiam, ut ad oppoſitum ſuum applicet. nam rigores, qui in ardentibus febribus fiunt, perfectum iudicium habent ſi in die iudicatorio ſint, & coctionis ſigna præceſſerint: non eſt autem perfectum iudicium, quando nec coctio facta ſit, nec in die iudicatorio factus ſit rigor.

Quod legitur, iudicium habere ſolent bonum, atq; perfectum, Græce habetur, ἀγαθὴν μὲν καὶ τελέαν κρίσιν. ideſt bonum quidem, & perfectum iudicium. nam uerba exquiſitius aptantur, ſi addiderimus, quidem.

SECVNDO Galenus docet, opus eſſe, illa cocta eſſe quæ bene iudicari debeant, quod ex Hippocratis ſententia libro primo Epidemiarum oſtendit, per illa uerba quæ ſuperius Aphoriſmo uigeſimoſecundo adduxit, quæ ita incipiunt, Coctiones celeritatem iudicij ſalubrem ſecuritatem ſignificant. At quod quilibet dies bonum iudicium non faciat, & in libro Prognoſticorum, & in hoc Aphoriſmorum libro, & in primo Epidemiorum ex Hippocrate colligi poteſt.

Cum Galenus Hippocratis uerba in primo Epidemiarum refert, Leonicenus, uel potius parum diligens librarius, tria uerba omiſit. nam hoc ſolum refert. coctiones celeritatem iudicij, ſed in græco codice ſequuntur & hæc uerba, ſecuritatem ſalubrem ſignificant. Ita enim habetur πεπασμοὶ ταχύτητα κρίσεως ἀσφάλειαν ὑγιεινὴν σημαίνουσιν.

TERTIO Galenus ſuos libros refert, in quibus de his diſſerit. nam in libro De diebus iudicatorijs de his omnibus quæ ab Hippocrate de diebus iudicatorijs dicuntur abunde pertractat, & diligenti expoſitione perquiruntur. Quæ uero de coctionis ſignis ab Hippocrate dicta ſunt, illa omnia etiam à Galeno in libro De criſibus diſputata ſunt, ut ex his facile colligere poſſis, quæ in his Galeni libris edoceantur.

QVARTO Galenus docet, quod de iudicio ſextæ diei in libro De diebus iudicatorijs diſſeruerit, de quo iudicio nunc etiam Hippocrates uerba facit dicens, Rigorem in hoc die factum difficilẽ eſſe, in quo uel facile recidiuationem incidit, uel longũ tempus extenditur. adde tu, uel moritur. Reliqua intellectu facilia ſunt.

Quod legitur, facilis foret fieri recidiuam, lege, facile. nam græce ῥαδίως dicit.

Quod legitur, uel in longũ tempus extenſum, græce eſt ἢ εἰς μακρὸν ἐμπίπτοντα χρόνον, ideſt uel in longum tempus incidentes.

APHORISMVS XXX

QVibuſcunq; acceſſiones fiunt, quacunq; hora febris dimiſerit, ſi eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

BRASAVOLVS

QVI febre correpti, tales acceſſiones habent, quæ eandem horam ſeruent, cum accedunt, de hora uero receſſus febris cura habenda non eſt, ſi ſequenti die eadem met hora febris occupet, hæ febres longiores ſunt, quoniã materiam fixam eſſe ſignificatur, quæ ad idem tempus aliter non rediret, & ad idem momentum, niſi fixa eſſet: nam ſi mobilis eſſet, alia hora ſuperueniret. quę uero fixa ſunt, illa difficulter eradicantur, uel longo tempore indigent, propterea iudicium difficile eſt, quia breui non fiet, & in itineribus longis frequentiſſime diſcrimina incidunt, diuerticula, flumina, & periculoſa præcipicia. Philotheus uero dicit, quod ὁ νῦν ἀφορισμὸς διαγνωστικός ἐστιν νοσημάτων μηκυνομένων. ideſt præſens aphoriſmus prolixorum morborum indicatiuus eſt.

Ὁκόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται. ideſt, Quibuſcũq; acceſſiones fiunt.] Græce uero dicũtur

 acceſſiones

accessiones παροξυσμοί. Hoc addidi, quia recentes legere uidentur exacerbationes, & putant exacerbationes continuis proportionalibus proprie attribui, paroxysmos aũt interpolatis. Certum uero est, non dici ab Hippocrate exacerbationes, & Galenum in omni febre tam continua, quàm interpolata aphorismum intelligere. immo exacerbatio est una paroxysmi pars, ea inquã in qua æger impetuosius à morbo tractatur, quæ consistentia, uel status appellatur.

Ἀνὴν ὥραν ἀφῇ ὁ πυρετός. idest, Si quacunq; hora febris dimiserit.] Hanc partem per parenthesim legendam arbitramur, ut sensus sit, paroxysmos incidunt (non considerata hora qua finiunt) Vt per hæc uerba id solum inferre uelit, considerandam esse horam qua paroxysmi, idest accessiones superueniunt: sed horam qua abeunt, non esse considerandam.

Εἰς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥραν λάβῃ. idest, Si cras eadem hora apprehenderit.] Intellige eadem qua die præcedenti apprehendit, sed de hora terminationis cura non sit. Sunt enim in febribus hæ differentiæ, quod aliquæ habent accessiones antecedentes, aliquæ subsequentes, aliquæ eandem horam seruant, de quibus nunc agit Hippocrates. ex hoc enim quod eadem hora apprehendunt, necesse est materiã esse fixam, esse crassam, & esse glutinosam. præsertim quando accessiones perseuerant, quia si non perseuerarent, non esset opus, morbi longitudinem significare. nam si semel tantum eadem hora apprehendisse uideris, firmum iudicium facere nõ potes. at cum accessiones anticipant, signũ est, materiã esse magis mobilem, & cõsequenter ægritudinẽ longã nõ fore. Cum uero postponunt, id ex materiæ paucitate prouenit, propterea citius sanantur. Nec etiam putes quod hæ accessiones si eadem hora apprehenderint, longũ morbum significare possint, nisi signa cruditatis cõmixta sint, & nisi absint symptomata difficilia. quia intensa symptomata morbum abbreuiare possunt. ideo Aphorismus cũ limitatione solum uerus est. Aliqui legunt non cras, sed postridie. tamen & si dicat cras, accessionẽ intelligit illi correspondentem, uel sit eadem die, uel tertia die, uel quarta.

Δύσκριτοι. idest, Iudicium habent difficile.] Hæc autẽ iudicij difficultas intelligenda nõ est ut in præcedenti aphorismo, quod iudiciũ malum esse oporteat, quia hoc significari non potest per accessionum apprehensionem, quæ eadem hora fiat: sed cũ Galeno intelligamus, iudicium esse difficile, idest longum fore morbũ, & hæc sit difficultas quæ in iudicio sit. Philotheus & ipse dicit, δύσκριτοι, τουτέστι μηκύνεται τὸ νόσημα. idest iudicium difficile, hoc est quod morbum producit. huiusq; rei causam assignat, quoniã ἐστηριγμένον ἐστὶν τὸ τῶν παροξυσμῶν αἴτιον. εἰ γὰρ ἦν ἀστήρικτον, οὐκ ἂν ἐφύλαξεν τάξιν τε καὶ περίοδον. idest; Quoniã accessionum causa fixa est. nisi enim esset fixa, ordinẽ nõ seruaret, neq; circuitũ.

GALENVS

SVPPONATVR quispiam prima die cœpisse febricitare hora tertia, & quieuisse quauis alia hora, deinde die secundo eadem hora tertia cœpisse, mox cessasse febrem quacunq; hora, & tertio rursus die hora tertia cœpisse, mox rursus quouis tempore finita febre, cœpisse iterum quarto die eadem hora tertia, & ita deinceps, seruari quidem semper horam tertiam in qua accessio suum facit initium, non seruari autem alias in quibus finitur: hunc qui tali laboret morbo necesse est temporibus longioribus ægrotare, horam habentibus inicij accessionis exordinatam. Hoc quidem nos ab experientia comprobatum, dictum fuisse arbitramur. Sunt uero quidam qui tale aiunt esse quod dicitur. Si primo die accessionẽ ægrotus habuerit, exempli gratia hora tertia, & si ita contigerit hora duodecima febris desierit, rursus die secundo hora duodecima cœperit febricitare, morbum aiunt difficile iudicium habiturum, nullam apponentes rationem. Sed neq; id ab experientia comprobari potentes ostendere, non tamen difficile habens iudiciũ, aliter possumus interpretari quàm difficulter solubile: adeo quòd tale sit, quod ab Hippocrate dicitur, siue quauis die, siue per tertiam, siue per quartam ægrotus habeat accessionem eadem hora, difficulter solubilis est morbus huiusmodi, siue multas, siue paucas accessio occupet horas. Hoc igitur ut dixi, experientia comprobatur, eius uero causam talem esse opinandum est. Quando causa accessionum non fuerit fixa, ac stabilita, non seruare eundem terminum, aut circuitum. Vbi uero firmata fuerit seruare: atque ideo difficulter solubile quod fixum, ac stabilitum, facile uero solubile quic-

se quicquid non tale. Firmata enim magnam uim demolientem exposcunt, longo tempore, & per fortiora ac plura factam auxilia.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus casum aphorismi disponit, quod si quis prima die, hora tertia febricitare inceperit, & ita secunda, tertia & quarta & quinta die hora tertia febre corripiatur, necesse est febrem esse longam. Sit uero terminus febris quacunque hora, iudicatque Galenus, hoc ab Hippocrate dici, quia ita experientia comprobauerit.

SECVNDO Galenus quorundam sententiam docet, qui ita Hippocratem intelligere uolebant, si hodie febris tertia hora apprehenderit, & desinat duodecima hora, cras uero incipiat hora duodecima, morbus erit difficilis. Sed inquit Galenus, hi sine ratione loquuntur, nec pro se ipsis experientiam habent.

TERTIO Galenus docet, illam particulam, difficile habens iudiciū, aliter interpretari non posse quàm difficulter solubilis. unde secūdum Galenum talis est Hippocratis sensus, cum eadem hora febris apprehēdit, aut omnibus diebus, aut tribus, aut quatuor, quotquot horæ in accessione consumātur, uel paucæ, uel multæ sint accessionum horę, hic morbus est difficulter solubilis & longus.

Quod legitur, non tamen difficile habens iudicium, Græce est οὐ μὴν δὲ τὸ δυσκριτον, idest, neque hoc quod dicitur iudicium habens difficile.

QVARTO Aphorismi causam reddit per experientiam comprobatam, quando causa quę accessionē facit nō fuerit fixa, idem tempus non seruatur: sed cū causa firmata est, idē terminus seruatur. Omnia aūt quę nō sunt firmata, facile & breui soluuntur. Quę uero firmata sunt, difficulter soluūtur, & longiori tempore indigent, quia magnā uim exposcūt quæ firmata sunt & cōstabilita, & per fortiora ac plura auxilia remoueri debēt.

Scito illam particulam, firmata enim magnam uim &c. Græce legi, μοχλείας γὰρ ὡς ἂν ἄποιλες.

Quod etiā legitur, longo tempore, & per fortiora ac plura factam auxilia, Græce est, ἅπερ ἐν χρόνῳ πλείονι καὶ διὰ βοηθημάτων ἰσχυροτέρων τε καὶ πλειόνων γίνεται. Quæ uerba hoc modo interpretari debent, quæ in tempore longo, & per auxilia fortiora & plura fit.

APHORISMVS XXXI

LAssitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

BRASAVOLVS

QVI febre correpti sunt si per totum corpus lassitudinem sentiant, hoc fieri non potest, nisi ob aliquem humorē, qui febrem ipsam inducit, & in tanta copia abundat, ut per corpus expansus omnia membra aggrauet, & lassitudinem faciat: cum hæc materia consumi non possit, ad aliquem locum à natura transmittitur. At inter nostri corporis partes articuli, & maxillæ facile recipiunt, propterea hæc materia circa maxillas, aut articulos mota, & in his partibus firmata, abscessus inducit.

Τοῖσι κοπιώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν. id est, Qui lassantur in febribus, uel lassitudinem habentibus in febribus.] In secundo huius uoluminis libro, aphorismo quinto, de lassitudinibus ante morbum, & ante febrem disseruit Hippocrates, quo in loco edocebat, spontaneas lassitudines morbos prædicere, & nos simul cum Galeno de triplici lassitudine sermonem habuimus, ulcerosa, tensiua, phlegmonosa, ita enim Græci uocāt has lassitudines ἑλκώδεις, τονώδεις, φλεγμονώδεις. hic Hippocratē de lassitudinib. sermonē habere uidetur, quæ ex febribus fiunt. Sed hæ febriū lassitudines quia esse nō possunt nisi materiæ musculosas partes occupauerint, ꝓpterea ad spōtinas lassitudines eas deducere oportet. Scito igit̄ ex febre duplicē lassitudinē oriri posse, una est quæ ex caliditate præter naturā fit, corpus nostrū afficiēte & molestāte, sine aliqua materia: & de hac nō intelligit Hipp. qđ abscessus fiūt. Altera lassitudo est, quę ex materia febrē faciēte, & nostri corporis mēbra aggrauāte inducitur: & de hac uerus est Aphorismus, lassitudinē habētibus in febribus

in febribus in articulos, & circa maxillas abscessus fiunt. In febribus autem aliquæ lassitudines sunt, quæ eas antecedunt, & hæ futuram febrem prædicunt: aliquæ simul cum febre fiunt, & hæ significāt materiā ad crisim, uel ad membra transmutari. aliquæ febrem sequuntur, ex quibus significatur materiā ad membra & ad iuncturas iam esse transmutatam, & licet Aphorismus in omni harum lassitudinū uerus esse uideatur, Græcus tamen cōtextus de hac solum uerba facere uidetur, quæ cū febre est. nam dicit κοπιώδεσιν, ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν. idest, in febribus (si ita dici posset) lassitudinarijs, hoc est, quæ simul lassitudinem habent. nam & febres multæ sunt absq; tali lassitudine. hanc uero lassitudinem Celsus lib. secundo cap. septimo nō longe à fine, sensum lassitudinis uocat. ita enim ipse hunc Aphorismū latine reddit. Si lassitudinis etiā sensus in febre est, uel in maxillis, uel in articulis, aliquid abscedit.

Ἐς ἄρθρα. idest, Ad articulos.] Tu uero per articulos, omnis corporis iuncturas intellige, tam pedum, quam manuum, coxarum, brachiorum, & omnium partium.

Καὶ περὶ τὰς γνάθους. idest, Et circa maxillas.] Vel circa mentum. quia & in maxillis, & in adenosis partibus circa mentum hi abscessus decumbunt. Scitoq; & si de maxillis Hippocrates specificare uideatur, tamen id uerum est in omni parte adenosa: quia materia potissimum à membris principalibus ad adenosas partes transmittitur.

Μάλιστα. idest Potissimū, uel maximè.] Quia semper ad has partes nō transmittuntur, sed quandoq; resoluūtur, quandoq; ad exitus uias transmittuntur, quandoq; ad alias partes quæ non sunt maxillæ uel articuli. Ad maxillas uero præsertim materia illa transmittitur, quę ad cerebrū eleuatur, quod cum impotens sit ad eam materiā per uias aliquas, quæ corpus exeunt pellendam, ad maxillas tanquā ad suam cloacam expellit, Ad hæcq; membra potissimum putridarum febrium materia expellitur, nisi aliud quoddam membrum sit uel debilius, uel nimis angustum, uel nimis latum, uel nimis concauum, uel nimis rarum, uel sit inferius, ad quod facilius materia decumbat. eæ enim omnes sunt causæ cur materia aliqua ad membra descendat.

Αἱ ἀποστάσιες γίνονται. idest, Abscessus fiunt.] Id enim uocabulum ἀπόστασις digressionem significat. cum uero partes abscedunt, digredi uidentur: & ideo Theodorus & Leonicenus recte interpretati sunt ἀποστάσιες abscessus, in quibus abscedunt & abinuicē digrediuntur partes. Philotheus uero duplicem considerationē facit, propterea dicit quod σκόπος διττὸς in hoc aphorismo est, ὁ μὲν ἀπὸ κινήσεως φανερᾶς, ὁ δὲ αὐτόματος. idest, hæc quidem consideratio à manifesto motu, illa autem à spontino. factaq; hac distinctione, docet quomodo ad has partes materiæ decumbant à manifesto motu prius, deinde quomodo à spontino. dicit ergo prius, ἐὰν οὖν τις κοπώδης φανερῶς ἀπὸ τῆς ἔξωθεν κινήσεως, ἐν ἀρχῇ πυρετοῦ, ἐν τοῖς ἄρθροις καὶ περὶ τὰς γνάθους αἱ ἀποστάσεις γίνονται. καὶ ἐν τοῖς ἄρθροις μὲν, διότι εὐρύχωρά εἰσιν, καὶ θερμανθέντα τῇ θερμότητι ἐπισπῶνται τὴν ὕλην. εἰ δὲ καὶ λεπτοτέρα τύχῃ ἡ ὕλη, ἰδοὺ τὴν κεφαλὴν ἀναφερομένη πρὸς τὰς γνάθους ἀφίσταται διὰ τὸ εἶναι αὐτὰς πάνυ ἀσθενεῖς, καὶ μὴ δύνασθαι ἀποδιῶξαι εἰς ἕτερα μόρια τὸν τοιοῦτον χυμόν. idest, Si quis igitur à motu manifesto, qui de foris est, laborauerit, in principio febris, ad articulos, & ad maxillas abscessus fiunt: & ad articulos quidem, quoniam lata spatia sunt, & caliditate calefacti materiam attrahunt. Si uero materia tenuior fuerit, in caput sublata, ad maxillas firmatur, quia sunt ualde debiles, & non possunt talem humorem ad alias partes transmittere. Hæc de motu manifesto Philotheus dicit. de motu uero spontino inquit, καὶ ἰδοὺ τοῖς αὐτομάτοις κόποις, ἐν πυρετοῖς τὸ αὐτὸ γίνεται, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, καὶ μάλιστα ὅταν αὐτόματος κόπος διὰ πλῆθος ἐστὶν, ὥστε οὖν ἐπ' ἀμφοτέρων τῶν κόπων ὁ λόγος ἐστὶν τῷ Ἱπποκράτει. idest, & in spontinis lassitudinibus, in febribus hoc idem fit propter eandem causam, & potissimū quando spontinæ lassitudines ob multitudinē fiunt. Quamobrē de utraq; lassitudine sermo Hippocrati est. Tamen nos ipsum in spontina solū intelligimus. In hoc aūt Aphorismo secundū Oribasiū plura alia uerba insunt, quām in Hippocratis Aphorismis scriptū sit. nam post illam partē, Qui per febres lassantur, ijs in articulos & maxillas potissimū abscessus decūbunt: sequitur in suo codice, si uero ex abscessibus febres fiunt, eruptione soluuntur. rationemq; reddit, quia natura superfluitates in locum debiliorem transmittit, articuli uero, quia frigidi, debiliores sunt, & quia mouentur & humidi sunt. Intelligit uero per articulos, talos, quos dicit esse (nescio an sit error librarij) calidos & humidos; datq;

datq; exemplum, si misceas simul æs, plumbum, aurum, & argentũ uiuum, & petas quo decurrant. Respondet, aurum ad argentum uiuum, ad æs plumbum, quod illi aptum est, & ita humores alij ad similia decurrunt, alij ad debilia. Hippocrates in libro De humoribus hunc Aphorismũ in febribus longis intelligere uidetur. nam dicit Per longas uero febres, in articulis & iuncturis, uel secundum maxillas potissimũ abscedit. At alia res est longitudo febris, quàm lassitudo febrilis. Ideo illa sententia in libro De humoribus Hippocratis alter aphorismus est, quàm hic descriptus.

GALENVS

DICTVM prius est quod lassitudinum, nonnullæ quidem in multis accidunt motibus, quæ simpliciter & proprie labores nominantur: quidã uero neq; multis, neq; uehementibus acti motibus lassitudines pati consueuerunt, tales itaq; labores, non labores simpliciter, sed spontaneos labores nominare consueuerunt. Amborum autem ipsorum communis est locus perpessus, hic uero est totum genus in corporibus musculosum. Qui uero ex motibus labores accidunt, ipsis adest proprium peculiare caliditas articulorum, quare in his nihil mirum ad articulos abscessus decumbere, ut qui unà cum musculis laborauerint, atq; ultra modum cõcaluerint. Spontaneis aũt laboribus, una sola ratione fluctiones, ut decumbant ad articulos euenit, sicuti & omnibus alijs ferè morbis qui per abscessus iudicantur, cum latiora ipsorum spatia prompte se habeant ad superfluitates suscipiendas. Rariores igitur in illis abscessus sunt, in laboriosis plures, & præcipue cum labor spontaneus fuerit, & ex his maximè quibus ex multitudine labor inest. Erit igitur in aphorismo sermonis hæc summa. His qui quomodocũq; in febribus lassitudinem habent, ad articulos, & circa maxillas præcipue abscessus fiunt. Hoc uero contingit propter eam quæ est in febribus caliditatẽ, relata multitudine ad caput, mox inde suscipientibus illis qui circa maxillas adenes existunt, sicuti qui circa inguina, & alas sunt, quando ad illas partes multitudo peruenerit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus significata huius uocabuli lassitudo, quam Græci κόπος uocant, distinguit. Sunt aliquę lassitudines, quæ ex multis motibus fiunt, & hæ simpliciter & proprie κόποι, idest lassitudines appellantur. sunt & aliæ lassitudines sine multis motibus, & hæ non simpliciter lassitudines uocari debent, sed spõtanæ lassitudines, de quibus secundo libro aphorismo quinto intellexit. utræq; hæ lassitudines communem locum habent, in quo fiunt, musculi scilicet & musculosæ partes. lassitudines uero ex multis motibus non solum simpliciter lassitudines dicuntur, sed etiam habent hoc nomen caliditas articulorum. In istis mirum non est quod materia ad articulos decumbens abscessus faciat. nam articuli cum musculis laborant, & præter modum concalescunt.

Quoties in hoc commento inuenies labor, labores, laborum: corrige, & legas lassitudo, lassitudines, lassitudinum. græce enim habetur κόπος, κόποι, κόπων. & licet hoc uocabulum κόπος laborem etiam significet, tamen in hoc loco pro lassitudine potius interpretandus est, quamuis & labor lassitudo sit.

Quod legitur, Qui uero ex motibus labores accidunt, ibi deest hæc particula, pluribus, ut ita legi debeat, qui uero ex motibus pluribus labores accidunt. nam græce est, ὅσοι δὲ ὑπὸ κινήσεσι πλείοσι γίνονται κόποι.

Quod sequitur, Ipsis adest proprium, peculiare, licet in Aldino contextu, & in meo antiquo ita præcise legatur πρόσεστιν αὐτοῖς ἴδιον ἐξαίρετον, tamen in alio cõtextu hoc modo habetur, ἴδιον καὶ ἐξαίρετον, idest proprium & peculiare cũ particula copulatiua, quod magis conuenire uidetur.

SECVNDO, cum Galenus docuerit, quomodo abscessus in lassitudinibus ex multo labore factis consequantur, deinde prosequitur quomodo in lassitudinibus sponte factis accidant. In his enim non fiunt, quia partes ob laborem incaluerint, sed ob id fiunt, quia articuli sunt partes, spatia magis apta ad suscipiendam materiam habentes.

Quod legitur, Cum latiora ipsorum spatia, tu lege, quod latiora ipsorum satia, Græce est, τὰ εὐρυχωρίας.

Et quod legitur promptu, Græce est ἑτοιμοτάτως, idest aptissime.

Tertio

TERTIO Galenus morbos illos, in quibus non ſunt laſſitudines, his comparat in quibus ſunt laſſitudines, docens, in iſtis rariores eſſe abſceſſus, ſed in morbis, in quibus ſunt laſſitudines, plures ſunt abſceſſus, & præſertim ſi laſſitudo ſpontanea fuerit.

Quod dicit, rariores igitur in illis abſceſſus fiunt, intellige in alijs morbis in quibus non ſunt laſſitudines: uel intellige, quod his qui non laborarũt, rariores fiunt abſceſſus, in laborioſis uero plures.

Deniq; Galenus Aphoriſmi cauſam reddit, ſed ſolum reddere uidetur, cur materiæ ad maxillas decumbant: quia ex febris caliditate, materię caput petunt, deinde deorſum feruntur ad mentum, ſicuti fit quando materia ad inguina & alas deſcendit: quia illuc materiæ multitudo peruenit, quæ ibi proxime ſita eſt.

APHORISMVS XXXII

QVibuſcunq; reſurgẽtibus ex morbis ſi quid laborauerint, hic fiunt abſceſſus.

BRASAVOLVS

ACCIDIT plerunq; aliquibus hominibus qui ex morbis eleuantur, ut aliqua corporis parte doleant. Tu ſtatim iudicare debes, in illa parte futurum eſſe abſceſſum. quia materia in morbo relicta, illa eſt quæ illuc decumbit, & ad illam partem dolor trahit, immo ob dolorem pars inflammatur, & debilior efficitur, propterea materia facilius in eam deſcendit.

Ὁκόσοισιν ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νόσων. ideſt, Quibuſcũq; reſurgẽtibus ex morbis.] Hoc intellige præſertim in febribus, quamuis & in alijs morbis uerum ſit. hi autem ſunt conualeſcentes, & uere ex his morbis conualeſcentes, licet in abſceſſus incidant, tamen ex præcedenti morbo ſanantur. unde intelligimus ueram eſſe conualeſcentiam ratione morbi qui adfuerat, licet materia aliqua relicta ſit, quæ abſceſſum facit, tamẽ non eſt amplius apta præcedentem morbum inducere. Et ideo Philotheus dicit, μὴ τελέως δὲ τὴν κρίσιν δεξάμενοι, ἀλλ' ἔχοντες τὰ περιττὰ ἐγκαταλελειμμένα. ideſt, Non perfecte autẽ criſim facientes, ſed ſuperflua derelicta habentes.

Ἤν τι πονήσῃ.] Quamuis aliquis contextus legat πονέσῃ, ſed hæc eſt dialectωn differentia. Illa autem uerba ita latine reddi poſſunt, ſi quid laborauerit, ideſt aliqua corporis pars, uel membrum aliquod laborem patiatur, ideſt dolorem, uel moleſtiam. hic enim laſſitudinem non intelligo: quia Hippocrates amplius non utitur uocabulo κόπος, ſed utitur uocabulo πόνος. quamuis Galenus in præcedenti Aphoriſmo, in præſenti, & in conſequenti laſſitudinem intelligere uideatur. nam in præcedenti de laſſitudine in morbo, in præſenti de laſſitudine poſt morbum, in ſequenti de laſſitudine ante morbum, ut ſuo loco oſtendemus. Vel igitur laſſitudinem intelligamus, uel laborem, ideſt dolorem, nihil refert. quia in his omnibus uerus eſt Aphoriſmus. At Philotheus dicit πόνον δὲ ἀκουστέον, ἢ τὴν σφοδρὰν κίνησιν, ἢ τὴν βλάβην. ideſt, per laborem uero intelligere oportet, uel motum uehementem, uel nocumentum.

Ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται. ideſt hic abſceſſus fiunt.] In hac inquam parte in qua labor eſt, uel ſit laſſitudo, uel dolor: ſed & ſi dolor ſit, laſſitudo eſt. Quid uero intelligere oporteat per, hic, à Philotheo exponitur, articuli, & maxillæ. nam dicit ἐκεῖσε δὲ ἐν τοῖς ἄρθροις καὶ περὶ τὰς γνάθους. ἡ γὰρ ὀδύνη, προτρέπει τὰ ῥεύματα, ἀλλ' ἐκεῖσε διὰ τὴν ἔμπροσθεν εἰρημένην αἰτίαν. ideſt, Illuc autẽ in articulis & ad maxillas. dolor enim deſtillationes excitat, ſed in illam partem ob eam quam ſuperius diximus cauſam. Oribaſius autem intelligit, hos de quibus in aphoriſmo ſermo eſt, non eſſe perfecte ſanatos: quod ſi ſimpliciter intelligit, uerum eſt: at ſi intelligat ab illa ægritudine à qua tunc liberantur, uerum non dicit. quamuis id uerum ſit quod per continuum cibum, quem hic inſumit, malus humor derelictus augeatur, & materia in debiliorem locum propellitur. Quem aphoriſmum in dies experientia uerum eſſe comprobamus, præſertim in autumno, quamuis & omni alia anni parte quandoq; contingat.

Hippocra

Hippocrates in libro De humoribus hunc aphorismũ describere uidetur, inquiens, qui uero recens ex morbis conualescent, si manus pedes, statim parte aliqua doleant, intus abscedet. ut in hoc loco Hippocrates in statutis partibus id assignet, quod in aphorismis simpliciter in omni parte intelligebat.

GALENVS

SI QVIDEM labor, & uehementem significat motum, & dolorem, & læsionem, sicuti prius dictũ liquet, quod & laborare, & pluri uti motu significabit, & aliquẽ habere uel dolorẽ, uel læsionem, & quidem in nõnullis qui ex morbo reualescũt apparet, quando humores morbum facientes non satis fuerint expurgati, sed quasdam reliquerint superfluitates, cum laborantem, siue dolentem partem quampiam habuerint, illuc morbum decumbere, cum labor quidam habeat causę rationem, dolor uero signi. Nam in uehementioribus motibus, & uires fiunt imbecilliores, sicuti & caliditas maior accenditur, dolor autem iam fluctione decumbente perficitur. Hoc igitur, ut diximus, est signum abscessus qui fit. Caliditas autem, atque imbecillitas ad locum affectum prouehit superfluitates. Vtroq; igitur, ut diximus, modo audire possumus uerbum laborare. Toti tamen sermoni qui nunc ab Hippocrate fertur alterum magis conuenit significatum, siquidem antea de laboriosis febribus locutus, deinceps autem rursus inquit: Sed & si quid antea laborauerit. Videtur enim prior aphorismus, cuius intium, lassitudinem habentibus in febri, de lassitudinibus morborum habuisse semonem. In eo autem qui nunc proponitur, de his qui fiunt in conualescentibus, in sequente uero de illis qui morbum antecedunt.

BRASAVOLVS

PRIMO in hoc commento Galenus, quid significet hoc nomen, labor, ostendit: sua uero lingua utitur uocabulo πόνος, & non illo κόπος, quo in præcedenti Aphorismo utebatur. Ideo nos illud semper lassitudo interpretabamur. Tria uero per hoc uocabulum labor significantur, motus, dolor, & læsio. Eodem modo labor noster hæc tria significat, unde cũ in aliquo qui reualescat humores expurgati non sint, sed aliquæ superfluitates sint relictæ, cum is aliquam partem laborantem habuerit, uel ob motum, uel ob dolorem humores in hanc partem decumbunt, & labor est causa, dolor uero signum: quamuis & dolor aliquo modo causa dici possit, in uehementioribus etenim motibus uires imbecilles fiunt, & caliditas maior accenditur, & dolor ex humore decumbente perficitur. propterea dolor est signum abscessus, tamẽ quia ob dolorem, humores etiam in illam partem in maiori copia decumbunt, ideo causa dici potest. is autem locus imbecillis fit, & simul caliditas ad locum magis attrahit.

Quod legitur, Illuc morbum decumbere, græce non legitur, morbum, sed apostema, dicit enim græcus contextus, ἐκεῖσε ἀποκλίνεσθαι ἀποστήματα, idest illuc accessum decumbere.

Quod legitur, Sicuti & caliditas maior accenditur, illa particula sicuti, superflua est, in Aldino enim contextu, & in aliјs non ponitur. In meo autẽ antiquo posita erat, sed ab antiquo quodam obelo confossa est.

SECVNDO Galenus docet, illud uerbum laborare utroq; modo intelligi posse, & pro motu, & pro dolore: tamen Galeno magis arridet, quod in labore intelligatur, qui est dolor & lassitudo. quia in præcedẽti aphorismo de labore qui lassitudo est pertractat, & hoc in ipsa febre iam uigente. In sequenti uero Aphorismo de his laboribus agit qui ante morbum fiunt, ut merito in præsenti Aphorismo de laboribus qui in conualescentibus fiunt, sermonem habeat, & in omnibus idem modus laboris sit, is inquam labor qui lassitudo est, de qua & in præcedenti Aphorismo, & in quinto secundi libri ubertim disseruimus.

Quod legitur, in eo autem qui nunc proponitur, græce est ὁ δὲ νῦν προκείμενος, idest hic autem qui nunc proponitur, uel hic autem nunc propositus. In media fere commenti parte, quod legitur cum labor quidam habeat causæ rationem, legendum est cum labor quidem, græce enim est μὲν.

APHORISMVS XXXIII

Sed & si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur.

BRASAVOLVS

DE lassitudine in morbis aphorismo trigesimo primo disserebat, de ea quæ post morbum fit in præcedenti locutus est. In isto autem de illa tractat, quæ morbum antecedit. Nempe priusquam morbus aliquis, uel febris aliqua contingat, & hic cui contingere debet aliqua corporis parte doleat, morbus in hac parte firmatur. quoniam materiæ morbum facientes illuc decumbunt, & ibi firmatæ abscessus inducunt. Intellige uero dolentem partem, quocunque doloris genere. Hanc eãdem intentionem, quam superius proposuimus, Philotheus habet inquiens: οἱ μὲν πρὸ τούτου δύο ἀφορισμοί, ὁ μὲν εἷς, οὗ καὶ ἡ ἀρχὴ, ἐν τοῖς κοπιώδεσι πυρετοῖς, περὶ τῶν ἐν τοῖς νόσοις κόπων διελέγετο. ὁ δὲ μετ᾽ αὐτὸν, περὶ τῶν ἐν ταῖς ἀναλήψεσιν. οὗτος δὲ, περὶ τῶν προηγουμένων τῆς νόσου κόπων. idest duo aphorismi qui ante hunc, unus quidem cuius initium est, lassitudinem habentibus in febribus, de lassitudinibus in morbis disputauit. Aphorismus uero qui ipsum sequitur, de his quę in refectionibus, seu instaurationibus fiunt. Iste autem, de lassitudinibus morbum præcedentibus.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονήκῃ τι ἡ. idest, Sed & si ante doluerit aliqua parte.] De uero dolore intellige, uel de labore, si aliqua parte intenso motu laborauerit, uel in illa parte dolorem habeat, uel ex quocunque genere lassitudinis, lassitudinem sentiat. nam ut Hippocrates in libro De humoribus dicit, corporis partes qua morbus est, maximè laborant, namque eò tendit.

πρὸ τοῦ νοσέειν, uel νοσεῖν. idest, antequam ægrotet.] Quod intelligere oportet ante ipsam ægritudinem, uel ante febrem, uel ante abscessum qui fieri debeat, & ideo Philotheus exponens quid intelligendum sit per hanc particulam, & si ante doluerit aliqua parte, dicit, τουτέστι ἐὰν καὶ πρὸ τοῦ νοσεῖν, ὀδυνηθῇ τὰ ἄρθρα, ἐκεῖσε γίνεται ἡ ἀπόστασις, idest, Hoc est, si & antequam ægrotet, articuli doluerint, illuc fit abscessus. Vnde & Hippocrates in libro De humoribus dicit, quin etiam si quid ante morbum doleat, eò sistetur, & abscedet. quẽadmodũ cecidit Perinthijs tussibundis, anginosisque, ut Hippocrates in abscessibus intelligere uideatur, & nihil aliud hunc morbũ qui in loco dolente fit, quàm abscessum: quamuis postea addiderit, quod hæc mala faciunt & febres.

Ἐνταῦθα νόσος στηρίζει. idest, Illic morbus firmatur.] Nam praua materia quę in hoc corpore est, illuc tota decumbit, & ut Philotheus dicit, ἐλπὶς δὲ κατὰ ἀπόστασιν γίνεσθαι τὴν κρίσιν. ἐκεῖσε γὰρ ἑδράζεται διὰ τὸ πάχος τῆς ὕλης. idest, Spes est per abscessum iudicium fieri, illuc enim ob materiæ crassitudinem, residet.

GALENVS

SIVE quis uelit connectere duobus prioribus sermonibus illum qui nunc dicitur ad unius aphorismi integritatem, siue seorsum unũ quemque scribere, nihil differt: nam & cõmunitas eorum ostensa est, & singulorũ proprietas in sermóne præposito. Dicetur autem & à nobis adhuc breuibus. Quãdo in morbo sensus aliquis lassitudinis fuerit, expectare oportet abscessum aliquẽ ad articulos fore, præsertim iuxta maxillas. Simili modo si quis ex morbo relatus parte aliqua corporis laborauerit, uel ante quàm ægrotaret: nam plurimũ solet ad talia decumbere, in illis uidelicet morbis, in quibus speratur abscessus futurus, neque morbus per excretionem antea iudicandus. Dictum est igitur & in pręcedentibus de talium morborum dignotione, sermo uero uniuersus in commentarijs de crisibus, siue iudicijs est explanatus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum, cum duobus præcedentibus iungi posse, & unum fieri edocet.

SECVNDO, hos tres Aphorismos refert.

Quod legitur, Quando in morbo sensus aliquis ægritudinis fuerit, adde ægrotanti. nam græce dicitur, ὅταν ἐν νοσήματι κοπώδης αἴσθησις ᾖ τῷ κάμνοντι. idest, Quando in morbo sensus aliquis fuerit ægrotanti.

TERTIO Galenus docet, quando ad locum illum dolorosum materia decumbet, quando inquam speratur abscessum futurum, & quod morbus per euacuationem non sit iudicandus, antequam fiat abscessus, quoniam euacuatio illa causa esset quod non fieret abscessus. Deniq; docet & prius de talium morborum dignotione dictum esse, & uniuersalius in libro De crisibus.

APHORISMVS XXXIIII

SI à febre habito tumore non existente in faucibus, strangulatio repente superuenerit, letale est.

BRASAVOLVS

ID QVOD ab Hippocrate in hoc Aphorismo dicitur, tale est: si quis febre correptus sit, & strangulatio repẽte fiat, idest modus quidã strangulationis, ut idẽ persentiat, quod his accidit qui strangulantur, tamen in faucibus nullus tumor uideatur, tu hunc moriturum iudicato: quoniã illa suffocatio ab intentiori adhuc anginæ specie fit, aut ab aliqua materia in pulmone, uel pulmonis canna, uel alia spirituali parte fixa, ut strãgulari uideatur. Sed hoc potissimũ ex illis partibus in quib. angina firmat: quia nõ fit repẽtina strangulatio nisi in gutture. Philotheus uero dicit, quod σημαντικὸς δὲ ὁ παρὼν ἀφορισμὸς, καὶ περὶ κυνάγχης διαλέγεται. idest præsens Aphorismus significatiuus est, & de angina disputat. unde & ab Hippocrate lib. tertio Prognosticorũ sectio decimaoctaua, de angina uerba faciente dicitur, Angina grauissima est, ac celerrime interimit, quæcũq; neq; in ceruice, neq; in faucibus conspicuũ aliquid efficit. plurimũ uero doloris infert, ac spirationis difficultatem, hæc enim eodem die, & secundo, & tertio, & quarto strangulat.

Ην ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ. idest, Si à febre occupato.] Vel si ei quẽ febris apprehendit, uel intensa sit febris uel remissa nihil refert. tamen in intensa, quia maiori & uehementiori respiratione indigent, quę fieri nõ potest, quia strangulantur, citius intereunt: & etiam Hippocrates in Epidemiorum libris hoc modo loquendi uti consueuit, à febre habito, quando de aliquo sermo haberetur, qui intensiori febre correptus erat. Celsus li. secũdo, ca. sexto, ubi de indicijs mortis agit, hunc Aphorismũ ita refert: neq; is seruari potest, qui sine ullo tumore febricitans, subito strangulatur, aut deuorare saliuam suam non potest.

οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι. idest, Tumore nõ existente in faucibus.] Nota hic si tumor nõ sit in faucibus, & strãgulatio fiat, necesse est in loco magis periculoso fieri: quoniã supponitur uel ore aperto tumorem uideri non posse, uel (ut Oribasius dicit) digito nõ posse tangi. Scitoq; Theodorum, & Leonicenũ hoc uocabulum οἰδήματα simpliciter interpretatos esse, tumores, & hunc morẽ secuti sunt omnes fere latini interpretes, immo Hippocrates ipse in eo significato οἴδημα capit. Tamen post Hippocratem tumor uocabulum est magis amplum, quàm οἴδημα. nam tumor apud medicos quatuor species cõplectitur, phlegmonẽ, erysipelã, scirrhũ, & œdema. est uero œdema tumor laxus, quem Arabes uadimiã uocãt, à pituita factus & tenui pituita: quia ille qui fit à pituita crassa, tenaci, & glutinosa, uel ab atra bile, σκίῤῥος à græcis, à latinis durities, ab Arabibus sephiros nũcupatur. Si uero tumor fit à bono sanguine, à Græcis φλεγμονὴ, à latinis inflãmatio dicitur. At si tumor à bile fuerit, uel à sanguine tenui & feruido, uel à sanguinis biliosi, & bilis miscella, à græcis ἐρυσίπελας, à latinis ignis sacer nuncupatur. Hippocrates in hoc loco non utitur uocabulo œdema, ut solum tumorem laxum significet, qui proprie œdema nuncupatur, à pituita subtili factum: sed omne genus tumorum intelligit à quocũq; humore factũ, ut alias cõsueuit, quando utitur hoc uocabulo οἴδημα, licet quispiam erysipelam tumorem non iudicabit, quia tumidam eleuationem non faciat. Ad rem igitur nostram, omne genus tumoris in hoc loco intelligere oportet, quod adeo releuat ut spiritus meatus ita obstruere possit ut strangulatio sequatur. Ideo hi authores non ab re tumorem simpliciter interpretati sunt. Intelligo uero tumorẽ, non qui nõ adsit, sed qui nõ uideatur, nec tangi possit. Ideo à Philotheo dicitur, διὰ τὸ ἐπειδὴ οὐ φαίνεται τὸ πάθος αἰσθητῶς ἐν τῷ τραχήλῳ, idest propter id, quoniam passio sensibiliter in gut-

turæ non uidetur. Sæpe etiam dubitauimus, quid esset φάρυγξ apud Hippocratem. ex hoc loco sumi potest, talem partem esse, in quam aperto ore intueri possimus, & uidere nunquid hic tumor in eo sit, qui strangulationem inducere possit. est uero pars illa gulæ, quam latini fauces appellant, ingressus inquam in canales, ut melius interlegendum commentum exponemus.

πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγίνεται. idest, Suffocatio, uel strangulatio repente fit.] Ii suffocantur, uel strangulantur, qui inspirare & expirare non possunt, ut illi faciunt, qui in aquam decidunt: suffocantur, quia aqua canalem illum ingreditur, per quem aer trãsire deberet, & impedit ne trahatur, & adeo pectoris partes implet, ut proprium musculorũ motum, & pulmonis motũ qui à musculorũ motu fit, tollat. Si strãgulatio hæc in homine qui febre correptus sit, repente fiat, uel sit hęc febris intensa, uel remissa, θανάσιμον, idest mortale uidelicet signũ est. hoc enim iudicamus quia si intensa sit febris, magna indiget respiratione. Si parua, etiã secundũ eius caliditatẽ respiratione indiget. Philotheus & ipse cur mortale sit, causam edocet, primo causam strangulationis hoc modo describens γίνεται δὲ ἡ πνὶξ τρόπῳ τοιῷδε, διὰ τραχείας ἀρτηρίας τῶν ἐν τῷ [...] μυῶν φλεγμαινόντων ἐν τῷ πέρατι αὐτῆς, καὶ τούτων ἐμφραξάντων τὴν ἔξοδον, καὶ τὴν εἴσοδον τοῦ πνεύματος, καὶ διὰ τοῦτο, θανάσιμον. idest, strangulatio aũt hoc modo fit, spiritalis cannæ musculis inflammationẽ patiẽtibus in termino ipsius, & ex his exitu & ingressu spiritus obstructis, & ob hoc mortale. statim uero idem Philotheus aliam causam refert inquiens, ὅτι πυρετὸς ὑπόκειται, καὶ τὸ βάθος ζεῖ, τηνικαῦτα ψύξεως χρήζει διὰ τοῦ ἔξωθεν ἀέρος. ἀδύνατον δὲ τοῦτο γίνεσθαι διὰ τὴν πνίγα, καὶ διὰ τοῦτο, θανάσιμον. idest, Quod febris supponitur, & profunditas feruet, tunc frigiditate indiget ab aere, qui deforis est: impossibile aũt hoc fieri ob suffocationẽ, propterea mortale. Strangulatio uero à multis & diuersis causis fieri potest, his etiã omissis quæ extrinsecæ sunt, ut aqua, & laqueus. nam ob multam pulmonis plenitudinem quãdoq; cõsequitur, uel ob multam cauitatũ repletionẽ, uel quia motus pectoris uoluntarius impeditur, ut in apoplexia fit, uel ob debilitatem uirtutis mouẽtis pectus, uel ob abscessum in epiglotto, uel ob illius partis obstructionem, tamen (ut Galenus dicit) strangulatio repente nunquam fit nisi ex tumore, qui guttur occupauerit.

GALENVS

LICET quidem & simpliciter audire initiũ aphorismi in quo ait, Si à febre habito, tanquam ita dixisset, si homini febricitanti tumore non existente. Licet autem & cum maiori aliqua significatione, quemadmodum solet in Epidemijs scribere, non simpliciter quouis modo febricitãtem ostendens, cum dicit, Febris ipsum habebat, sed de eo cui magna insit febris, ita loquens. Contingit autem & sine magna febre, strangulatione repente superueniẽte, hominem interire. Ineuitabilior autem, & citior mors adeo quod neq; ex inopinato unquam homo saluatur, cum uehemens febris detinet ægrotantem. Indiget enim huiuscemodi febris (ut in sermonibus De difficili anhelitu fuit à nobis ostensum) inspiratione abundanti. Fit uero nedum abundans, uerum omnino pauca strangulatis. Neq; enim aliud est strangulatio, nisi interitus subitus propter defectum inspirationis, qui fit ex angustia alicuius instrumenti, ex his qui obseruiũt respirationi. Nam talis angustia ipsorum seorsum in eo genere est, quod anhelitus carentia nominatur, quæ & ipsa fit, uel propter imbecillitatẽ potentiæ illius, quæ mouet thoracẽ, uel propter frigiditatẽ uitalis principij. Strangulatio uero omnino fit ex angustia. angustia autẽ uel repleta intermedia regione quæ inter thoracẽ est atq; pulmonem, aut pulmonis cauernis, uel aliqua inflammatione totum occupante uiscus, uel asperam arteriam, uel eam partem quæ est ueluti caput eius, quam nominant guttur, quæ etiam inflammatio fieri aliquando solet in præiacente spatio, quod fauces appellant. Nam & Homerus ita nominauit inquiens. Per fauces autem uinum impellebatur, spacium illud laxius quod inter gulam & guttur præiacet nominans fauces. Videtur autem & nunc Hippocrates hanc eandem partem eodem modo quo etiam Homerus nominasse. Dicit igitur, tumore nõ existente in faucibus: tanquam possibile sit ore multum adaperto partem ipsam diligentius inspicere, quod in gutture fieri nequit. Fiet igitur sermo uniuersus huiusmodi. Si à febre habito strangulatio repente superuenerit citra tumorem fauces occupantem, letale est. Prisci etenim per tumorem, & inflationem idem intelligebant. Neque nos latet

latet triplicem esse tumorum differentiam. Vel enim sunt cum dolore quos iuniores inflammationes nominant, uel absq; dolore duri, quos græci scirrhos uocant, uel sine dolore, & molles, quos iidem græci œdemata, idest inflationes appellant, & propterea ab antiquo usu recesserunt, ut qui non omnia præter naturam incrementa sub uocabulo inflationis complectantur. Cum igitur fauces sine tumore apparuerint, strangulatio autem repente superuenerit, solius gutturis est huiuscemodi passio. Strangulantur (ut dixi) & propter morbos alios, quos paulo ante dixi. Repente autem strangulari soli gutturi inest. Morbus enim, quem græci peripneumoniam uocāt, non repente strangulat ægrotantes, uerum paulatim ab initio incrementum suscipiens, usq; ad propriam consistentiam in qua talem casum affert. Et si quod tuberculum, & abscessus in pulmone fit, hæc quoq; passio diuturna est. Sicuti & spacium inter pulmonem, atq; thoracem pure repletum, sæpius hominem strangulat, abscessu scilicet in ipsum dirupto, qui scilicet & ipse in longo tempore fuit constitutus. Asperæ quidem arteriæ inflammatio difficultatem spirandi aliquam efficere potest, strangulationem uero non potest propter magnitudinem meatus in ipsa latioris, & tunicæ tenuitatem. Impossibile si quidem est corporis adeo tenuis inflammationem spatium effatu dignum replere. Reliquum igitur est guttur quod subitam potest facere strangulationem, quoniam in ipso angustatur pulmonis meatus. Et musculi anteriores una cum ambiente tunica inflammationem patientes, uiam spiritus ualent intercludere. Nominant autem medici quidem talem dispositionem, non per, s, synanchen, sed per c, cynanchen, quibus placet faucium inflammationem per, s, synanchen nominare. Nonnulli uero & iuxta synanchen, & iuxta cynanchen nominant. Iuxta synanchen quando adiacentium faucibus partium inflammatio fuerit, iuxta cynanchen autem quando extra guttur. Ex his igitur quæ dicta sunt rationabile est talem dispositionē gutturi aliquem inferre dolorem, & uidetur Hippocrates eius manifeste meminisse in libro prænunciatiuo, hisce uerbis. Fauces dolētes tenues cū quadam difficultatē strangulantes uelociter exitium afferētes. Nunc uero dolentes non dixit, siue quia in his quæ dixerat ante poterat subintelligi, uel quia etiam iam absque dolore aliquando dictam putauit in præcedente sermone fieri posse strangulationem, & si omnino potest esse sine dolore strangulatio, & talibus causis potest hoc fieri, possibile est multitudine humiditatis, & pituitosæ præcipue, madefaciente tunicam gutturis interiorem, aliquem fieri absque dolore tumorem. Possibile etiam est aperientibus ipsum musculis resolutis, meatum reddi angustiorem. Contingit autem & utrunq; coniungi. Sed neq; impossibile est quin propter superfluam siccitatē musculi gutturis intrinseci supra modum extenti meatum reddant angustiorē. Qui uero sint hi musculi, & quomodo claudant guttur, ostensum est in tractatu, qui de uoce inscribitur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, per hanc particulā, à febre habito, simpliciter intelligi posse habentem febrem, uel magna sit, uel parua hæc febris: uel posse intelligi ut in libris Epidemiorum, quando hoc loquendi modo utitur, à febre habito, intensam febrē intelligit. letale est tam in parua febre quàm uehemēti: sed citius & sine euitatione in magna febre interit, quoniam inspiratione magna indiget. hi uero qui strangulantur, paucam inspirationem habent, propterea citius intereunt.

Quod legitur, Ineuitabilior autem, & ocyor mors, adeo ut neq; ex inopinato unquā homo seruetur, græce est, ἀφυκτότερος δὲ καὶ θᾶττων ὁ θάνατος, ὡς μηδὲ ἐκ παραλόγου ποτὲ σωθῆναι. Tu in his uerbis cōsiderato illā particulā, ex inopinato, eam esse quæ græce habetur ἐκ παραλόγου præter expectationē & opinionē: quæ particula & si opinionē significet, tamen significat & admirationē, nosq; potius hoc modo interpretaremur: Neq; præter admirationem unquam homo saluatur. nam si saluatur is qui febrem intensam habet cum strangulatione, hi qui hunc saluari uident, admirantur.

SECVNDO docet, strangulationē esse subitum interitum propter defectū inspirationis, qui defectus ex angustia instrumentorum respirationis infertur. hæc autē angustia, anhelitus carentia appellatur, quæ anhelitus carentia, uel sit ob imbecillitatem potentiæ quæ mouet thoracem: uel ob frigiditatem uitalis principij, idest cordis. Strangulatio uero ex angustia consequitur, quæ fit, Vel repleta intermedia regione, quæ inter thora

 cem est

cem est, atq; pulmonem, Vel plenis pulmonis cauernis, Vel aliqua inflammatione totum occupante uiscus, Vel occupante asperam arteriam, Vel guttur, Vel fauces. Intelligit autem hic Galenus per fauces præiacens spatium in ore, unde summæ partes huius asperæ arteriæ, uel huius canalis animæ (ut Plinius uocat) ubi arteria ad linguę radices & tonsillas coniungitur, à græcis φάρυγξ dicuntur, à latinis uero fauces, & ita Galenus hic intelligit, qui Homeri testimonium adducit dicentis, uinum per fauces impelli, & cibos percurrere. ut apud Homerum deprehendere possis, φάρυγξ esse fauces, quoniã utitur hoc uocabulo φάρυγξ, estq; talis pars, qualem in homine os apertum habente uidere possumus, & conspicere an in illa parte inflãmatio sit, an nõ sit. Sed λάρυγγα, idest, guttur inspicere nõ possumus. Intelligit uero per λάρυγξ spatium illud & animæ canalẽ quem græci asperã arteriã, nos in proposito aphorismo guttur uocamus, quoniã si quis febre deprehensus sit, & tumor in faucibus non uideatur, & strangulatio repente fiat, letale est: quia in λάρυγγι, idest gutture abscessus est. Tamen & si hæc duo uocabula id significẽt, quod à nobis dictũ est, apud alios antiquos authores & Philosophos uario modo usurpata reperiuntur, & adeo cõfusa habere significata, ut unum pro alio sumatur. Tamen Aristot. tertio Ethicorũ lib. accipit uocabulũ φάρυγξ pro canali, per quẽ tendit cibus, ubi de Philoxeno Erexio uerba faciens, dicit, quod precabatur, ut à dijs gruis φάρυγγα haberet. uerba eius hæc sunt διὸ καὶ ηὔξατό τις Φιλόξενος ἐρύξιος ὀψοφάγος ὤν, τὸν φάρυγγα αὐτῷ μακρότερον γεράνου γενέσθαι. idest, propterea & Philoxenus quidã Erixius qui cũ esset uorator, optabat ipsi pharynga, idest fistulã cibalem longius fieri grue. & Aristophanes dicens λαρυγγιῶ, καὶ νικίαν ταράξω, idest uoce & clamore Niciam perturbabo, ostendit, quod larynx asperam arteriã significet. Quæ omnia à Iulio Polluce secũdo lib. sui Onomastici abunde pertractantur. Cum Galenus Homeri authoritatẽ refert, inquiens per fauces aũt uinum impellebatur: à Leoniceno, uel potius à librario, in his Homeri uerbis, duo alia uerba, quæ à Galeno de illa authoritate referuntur, omissa sunt. uerba aũt hæc sunt, Cibiq; percurrebant. hoc enim est Homeri carmen,

φάρυγγος δὲ ἐξέσσυτο οἶνος, ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι, idest

Per fauces autem uinum impellebatur, & cibi percurrebant.

TERTIO Galenus docet, antiquos idem intellexisse per tumorem, & inflationem, adducitq; triplicẽ tumorum differentiã, Aliqui sunt cũ dolore, qui à Recẽtibus inflamationes dicuntur: alij absq; dolore & duri, qui scirrhi à græcis, ab Arabibus Sephiros, à latinis durities appellãtur: alij molles sine dolore fiunt, qui œdemata à Græcis, nos tumores laxos, uel tumores molles, uel (ut Leonicenus interpretatur) inflationes nuncupare possumus: unde ab antiquo usu recesserunt, ut qui non appellent omnia præter naturam incrementa, inflationes. In hoc aũt loco pensiculate considerãda sunt uerba Galeni, & Leoniceni interpretatio. illa enim pars, quam Leonicenus interpretatur, prisci etenim per tumorem, & inflationem idem intelligebant, græce legitur ὡσαύτως γὰρ ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ τό, τε οἴδημα, καὶ τὸν ὄγκον, idest, (Si uerbum uerbo reddamus) eodem modo enim nominabant prisci & œdema, & oncon. Quid autem sit œdema, superius docuimus, tumorem inquam laxum, uel mollem, sed uocabulum ὄγκος, tumorem proprie significat, idest (ut Galenus in principio illius libri quem inscribit περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων, idest, De tumoribus præter naturam definiuit) eleuationem in latum, longum, & profundũ. unde id proprie quod nos tumorẽ uocamus, Græci appellant ὄγκον, eleuationẽ scilicet præter naturam. nam eleuatio secundum naturã non est ὄγκος, ut est sua eleuatio in homine ualde crasso. ὄγκος enim cumulum significat, eleuationẽ, & aceruum, idemq; apud nos significare certum est. & Hippocrates quoq; librũ fecit περὶ ὄγκων, idest de tumoribus. Immo cũ apud Galenum, Paulum, Aetium ὄγκος inueneris, semper tumorem interpreteris, quãuis Leonicenus inflationem uertat. At re uera inflatio, potius à flatu inducitur, uel nomen est per uulgi ora uagans, sed nõ latinũ pro tumore. Cũ uero ὄγκος, idest tumor in tres species distinguatur, in φλεγμόνας, idest inflammationes, in σκίρρους, idest duritiẽ, & in οἰδήματα, idest inflationes secundũ Leonicenũ, secundũ nos, tumores laxos, ex hoc cognosci potest, quod œdema secundũ gręcos est species ὄγκου, idest tumoris. & ideo Greci, qui tẽpore Galeni scripserũt, & circa rem medicam uersati sunt, ab antiquo usu recesserunt. quia græci antiquiores, & præsertim Hippocra-

Hippocrates, sub hoc uocabulo οἴδημα tumorem omnem præter naturam intelligunt: sed Græci posteriores non intelligunt sub hoc uocabulo οἴδημα omnem tumorem, sed tantum laxum tumorē. Scitoq; ubi Grecus contextus habet οἴδημα, uel οἰδήματος, uel οἰδήματα, Leonicenũ semper inflationē, inflationis, inflationes interpretari: nos aũt potius interpretandũ putamus tumores laxos, uel œdemata nõ mutato uocabulo. In summa hoc Galenus edocere intendit, quia Hippocrates in Aphorismo dicit οἰδήματος, id est, œdemate. œdema aũt apud posteriores Græcos est una species ὄγκου, idest, tumoris: at pro ueritate aphorismi, non solũ mortis signum est si sit œdema, sed etiã si sit alter tumor. propterea docet, quod apud antiquos idē significatur per οἴδημα, quod per ὄγκον, idest, tumorem. licet posteriores οἴδημα speciem ὄγκου, idest, tumoris faciant.

Quod legitur, uel absq; dolore duri, adde coniunctionem, &, uel absque dolore & duri. nã cõtextus Aldinus legit ἢ χωρὶς ὀδύνης καὶ σκληροί. At antiquus cõtextus, qui apud nos est, non legit καὶ σκληροί, sed δὲ σκληροί, ut sensum faciat uel sine dolore sunt duri.

Quod legitur, Quos iidem Greci œdemata, adde particulã proprie, hoc modo, quos iidem Græci proprie œdemata uocant. Contextus enim Græcus ita habet, προσαγορεύονται δὲ καὶ τοῦτοι οἰδήματα ἰδίως.

QVARTO Galenus docet, si fauces sine tumore uiderimus, & suffocatio repente superueniat, hæc passio solius gutturis est. Certum enim est, quod & uiri propter alios morbos strangulantur, sed repentina strangulatio solius gutturis est. nam peripneumonia cito strangulare non potest. Abscessus, uel tuberculũ pulmonis cito non strangulat. plenitudo spatij inter pulmonem atq; thoracem cito non strangulat. Asperæ arteriæ inflammatio non strangulat, sed anhelitus difficultatem parit. Gutturis inflãmatio, aut tumor possunt cito strãgulare, & cynanche appellatur, quia in gutture pulmonis meatus angustatur, qui meatus & in ore est latior, & cum pertingit pulmonem: hocq; in loco quatuor anginæ species enumerat, de quibus tertio libro abunde disseruimus.

Quod legitur, Et si quod tuberculum & abscessus in pulmone fit, Græce habetur, καὶ εἴ τι φῦμα, καὶ ἀπόστημα περὶ πνεύμονα γίνεται. idest, & si quod phyma, & abscessus in pulmone fit, Leonicenus interpretatur φῦμα tuberculum, sed est tuberculum quod cito augetur (ut inquit Celsus) & ad suppurationem accelerat.

Quod legit, Apostemate in ipsum disrupto, hæc particula Disrupto Græce est ῥαγέντος, ac si impetũ notet. Antiquus codex quē habeo legit συῤῥαγέντος, quod oppositũ est, sed hæc particula signata est, & ab antiquo quodã uiro in margine scriptũ est ῥαγέντος.

Quod deinde sequitur, Qui scilicet & ipse. in Græco codice illa particula, Scilicet, non adest.

Cum in principio huius partis legitur, Strangulatur ut dixi, lege strangulatur enim (ut dixi) Græce enim est πνίγονται μὲν γὰρ ὡς ἔφην.

QVINTO Galenus rationabile putat, hanc dispositionem gutturi dolorem inferre. immo Hippocratem in libro Protrheticorum adducit, qui id sentire uidetur. Ratio autem cur in hoc Aphorismo huius rei nõ meminerit, est, uel quia subintelligi poterat, uel quia existimabat quandoq; fieri posse strãgulationem absq; dolore. nam si pituita ad interiorem gutturis tunicam descendat, in ea tumorē absq; dolore inferre potest. Nihil etiam impedit ex resolutione aperiētium musculorũ, meatum angustiorē fieri, & utrũq; contingere potest, immo & ob nimiã intrinsecorum musculorũ siccitatem supramodũ extentorum potest meatus angustior reddi: hicq; omnes casus sine dolore contingent.

Quod legitur, in libro prænuntiatiuo, Græce est ἐν τῷ προῤῥητικῷ.

Qđ legit, possibile est multitudinē humiditatis, lege multitudine, fuit error librarij.

Quod legitur, Aliquem fieri absq; dolore tumorem, lege aliquem fieri in ea absq; dolore tumorem. nam Græce est γενέσθαι τὸν τινὰ ὄγκον ἀνώδυνον ἐν αὐτῷ.

Quod legitur, possibile est etiam aperientibus ipsum musculis resolutis, hæc particula resolutis in meo antiquo contextu legitur παραλυθέντων, sed in margine correctus est, & legit παχυνθέντων: & ita Aldinus codex legit παχυνθέντων, ac si dicere uelit, crassioribus redditis, & non resolutis: quia resolutio non nisi extorte meatum angustiorem reddit, licet id facere possit.

Cum prope finē legit, sed neq; impossibile est quin ꝑpter superfluã siccitatē musculi

gutturis intrinseci supra modum extenti, meatum reddant angustiorem. In codice Greco hæc pars in plurali est, & non in singulari, ita enim dicit, οὐκ ἀδύνατον δὲ οὐδὲ δι' ὑπερβάλλουσαν ξηρότητα τῶν μυῶν τοῦ λάρυγγος ἐντὸς τῶν ἐπὶ πλεῖον ταθέντων στενωθῆναι τὸν πόρον. id est, Sed neque impossibile est, propter excedentem siccitatem musculorum gutturis intrinsecorum supra modum extentorum meatum reddi angustiorem.

APHORISMVS XXXV

SI à febre habito collum peruertitur, & uix potest deuorare sine ullo tumore, letale est.

BRASAVOLVS

IN eodem ferè casu, & in eodem discrimine illi sunt, qui in hoc aphorismo continentur, sicuti illi erant qui in præcedenti cõtinebantur. Si quis ergo febre correptus sit, et illi adeo collum peruertatur ut uix deuorare possit, tamen nullus tumor appareat, letale signũ est: quoniã in ipsa gula, uel in musculis, qui gulę preiacẽt, inflãmatio facta est, quę talis fuit ut colli partes contraheret, & uertebras suo loco dimoueret: uel est tãta harum partiũ siccitas, ut collũ peruertat, & cõuulsionem ex inanitione, quæ mortalis est, facit. Celsus libro secũdo, capite sexto hunc aphorismũ ita refert, Cuiue in eodem febris, corporisque habitu ceruix cõuertitur, sic ut deuorare æque nihil possit, seruari non potest.

ἢν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ. id est, Si à febre habito.] hic & isto modo loquendi utitur (Galeno teste) ut febris intensionẽ notet. præcedens Aphorismus in febre etiam remissa uerus erat, hic uero nõ nisi in intẽsa, uerus est, quis & in remissa quandoque letale signũ sit.

ὁ τράχηλος ὑποστραφῇ. id est, collũ peruertitur.] Theodorus, Leonicenus, & noster antiquus codex ita legunt: Aldinus uero, Hagonensis, & multi alij contextus alio modo habent, scilicet ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἀποστραφῇ, id est, Collũ repente peruertitur. unde sicuti in præcedenti Aphorismo particula repente, ponebatur, ita in hoc, illis ponendã esse uisum est. Tamen hic Aphorismus sine particula repente intelligi debet. Collum uero multis de causis peruertitur, & à procatarcticis & extrinsecis, ut si quis percutiatur, uel in terram cadat, uel alio quodã ictu peruertatur, & à causis intrinsecis & corporalibus, & ideo de hac re loquens Philotheus dicit, ἢ ὑπὸ προκαταρκτικῶν αἰτιῶν, ἢ ὑπὸ προηγουμένων. καὶ προκαταρκτικῶν μὲν, ὡς ὑπὸ ῥηγμάτων, ὑπὸ προηγουμένων δὲ ὡς ὑπὸ φυμάτων ὄγκων. id est, uel ab euidentibus & extrinsecis causis, uel à pręcedentibus, intrinsecis & corporalibus. & ab extrinsecis quidem, ut ab eruptionibus, à corporalibus & ab intrinsecis uero, ut à tuberculis, & tumoribus. Sed ut ad rem breui descendamus. Gula uertebris colli inhæret, & musculos habet, qui & inflãmari, & in tumorem uerti possunt: si inflãmentur, secundũ illam partem in qua inflãmatio fit, musculi uertebras trahunt, & in illã partem collũ peruertitur. Itaque strãgulantur, unde Oribasius dicit, tale quid accidere naturæ in istis, quale accidit loculo, per quẽ si trahas corrigiã foris, totũ claudis, nam in ipso etiam tanquàm uertebræ subiunguntur. Ergo siue sursum ascendat uertebra, siue inferius, siue in dexteram, siue in sinistram, strangulat. Hæc autem fieri non possunt, nisi uel in gula, uel in musculis gulæ præiacẽtibus abscessus fiat, qui etiam sit effatu dignus. Sit aũt hæc peruersio uel in dexterũ latus, uel in sinistrũ, uel æqualiter ad utraque latera, adeo ut cõcauitas extra sit, biliositas intus. Has aũt peruersionũ species, egregie Philotheus enumerauit, inquiens, quod collum peruertitur ποτὲ μὲν ἔσω ὑπὸ τὸ βάθος, καὶ καλεῖται λόρδωσις. ποτὲ δὲ ἔξω, καὶ καλεῖται κύφωσις. ποτὲ δὲ ὑπὸ τὰ δεξιά, ἢ ὑπὸ τὰ ἀριστερά, καὶ καλεῖται σκολίωσις. id est, Quandoque quidẽ intus in profundũ, & regibbositas uocatur: quandoque aũt extra, & gibbositas uocatur: quãdoque uero in dexterã, uel in sinistrã, & obliquitas uocatur. Reperiuntur ergo apud Græcos κύφοι, uel κυρτοὶ ἐκ κυρτώσεως, uel etiam ὗβοι, quos Latini gibbos appellant, & λόρδοι, quos regibbos uocant, & σκολιωμένοι, quos obliquos nominare consueuerunt, & quamuis hæ passiones in dorso fiant, tamen ut Philotheus dicit, γίνεται δὲ τοῦτο τὸ πάθος ὃ καὶ εἶδος συνάγχης ἐστίν. id est, fit autẽ hæc passio, quæ & species anginæ est.

Καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται. id est, & uix deuorare potest, uel etiam deuorare non potest, quod magis mortale est. At si uix possit, tamen aliquo modo possit, non est adeo mortale. cum enim hoc accidit ut deuorare non possit

non possit, necessario accidit aut ob inflãmationem, quæ in gula est, uel in gulæ musculis, & hoc in intrinsecis: nam illa quæ in extrinsecis fit musculis, si magna sit, oculis extrinsece percipitur. potest tamen et hoc deglutiendi impedimentũ à siccitate prouenire, quæ adeo illas partes exsiccauerit, ut cõtrahantur. Quod in his ut plurimũ qui ex lõga ægritudine moriũtur, accidere uidemus: immo quandoq; adeo exsiccãtur, ut quę bibũt, ueluti in caniciũ tubũ descẽdere uideãtur. Consideraq; Hippocratẽ in præcedenti, et in præsenti aphorismo mira arte procedere. nam in præcedẽti de gutturis tumore sermonẽ habuit, quẽ cynanchẽ uocauit, & qui difficultatẽ anhelitus inducebat, quã strangulationẽ nũcupauit. In præsenti uero aphorismo de tumore gulę, aut musculorũ gulæ agit, quẽ uocat synanchẽ, & trãsglutiendi difficultatẽ parit: tamen utrũq; inferre posset, et anhelitus scilicet & trãsglutiendi difficultatẽ. tamen & affectio, quę in hoc aphorismo continet, species anginæ est, sicuti p̃cedẽs erat anginę species. κατα πίνειν est etiã deglutire, sed Theodorus, & Leonicenus, ut comedẽdi actũ denotarent, deuorare interp̃tati sunt.

οἰδήματος μὴ ὄντος. idest, Tumore non existente.] uel sine tumore scilicet qui uideatur: nam opus est intrinsecũ tumorem adesse, qui oculis non discernatur, aut siccitatem ipsam id efficere. Si uero tumor uideatur, deglutiendi impedimenũ non sequitur: & si adsit, paruũ est, & tumor in exteriori parte collũ peruersum apparere facit, cũ tamẽ non sit. utiturq; Hippocrates hoc uocabulo οἴδημα communiter, ut in præcedenti Aphorismo fecit, ut idem significet quod ὄγκος, non autem proprie pro tumore laxo.

θανάσιμον. idest, Letale signum est,] quoties hæc apparebũt, collum inquam peruerti, cum illis conditionibus quæ sequũtur, ut uix deuorare possit, & nullus tumor extrinsece uideatur. Philotheus huic aphorismo talẽ rationem assignat, ἐὰν οὖν ῥεύματι δῶσιν οἱ τοῦ στομάχου ἐσώτεροι μύες ἢ αὐτὸς ὁ στόμαχος, φλεγμαίνουσιν, καὶ φλεγμαίνοντες διαστρέφουσιν τὸν τράχηλον κατὰ λόρδωσιν. ἕλκουσι γὰρ τοὺς συνδέσμους τῶν σπονδύλων πρὸς ἑαυτούς. τούτων οὖν ἑλκομένων ἐπὶ τὰ ἔσω τεινομένων, ὠθοῦσι τὴν φλεγμονὴν, καὶ ἀποθλίβεται ὁ οἰσοφάγος. ἐκ δὲ τοῦ οἰσοφάγου, καὶ ἡ τραχεῖα ἀρτηρία, ὥστε μὴ δύνασθαι καταπίνειν τὸν ἄνθρωπον. κἀντεῦθεν πνιγμὸς, καὶ θάνατος ἐπιγίνεται, ἐπιμενούσης δηλονότι τῆς φλεγμονῆς. idest, Si igitur intrinseci gulę musculi, uel ipsa gula defluẽte materia impleantur, inflãmãtur, et inflãmati collũ peruertũt, secundum regibbositatẽ. trahũt enim uertebrarũ cõiunctiones ad seipsos. his igitur tractis, & intus extensis, inflammationem expellunt, & cibalis cãna constringitur. ex hac autem cibali canna, & spiritalis canna, ut homo transglutire non possit, & hinc suffocatio, & mors superuenit, inflãmatione scilicet permanente. Cum uero hęc causa, quã adduxit Philotheus ex materia sit, aliam assignare uoluit ex pura siccitate, inquiens, ἄλλως τε ὅτι πυρετὸς ὑπόκειται, καὶ τοιοῦτος ὥστε τῇ ξηρότητι αὐτοῦ, καὶ διαστροφὴν τοῦ τραχήλου ἀπεργάζεται, ὅπερ καὶ ὀλέθριον. idest, Aliterq; quod febris adest, & talis ut siccitate sua & peruersionem colli faciat: quod etiam perniciosum est.

GALENVS

NON etiam adiecit hic locum, in quo inquit, Tumore non existente, sicuti in præcedenti aphorismo gutturis meminit, inquiens, Tumore non existente in faucibus. Nos uero dicemus alterum duorum, uel ex communi audiendum esse in faucibus, uel in omnibus colli locis. Cum enim in nullo horum apparuerit, neque ore aperto in faucibus, neque extrinsecus tumor, hominem uero contigerit non posse deuorare, casus est exitialis: qui fit ex inflammatione aliquando musculorum, qui gulæ præiacent, aliquando gulæ ipsius. Est enim quædam societas partibus his per neruos, ac ligamenta, & ad spinalem medullam, & ipsas ambiẽtes membranas, ac pręterea ossa uertebrarum, quæ his extrinsecus adiacent. Extentis itaque ad partes inflammatas, & ligamentis, & neruis trahi uertebras, uel intra, uel ad latus est necessarium: siquidẽ in altera nerui propagine fieri tentionem contigerit ad latus, si uero in ambabus ad extra. Plenius autem de istis dicemus, librum De articulis exponentes, in quo ait fieri spinę euersiones tuberculis crudis intra ipsam constitutis. Igitur in libro illo & gibbos fieri dixit tentis intra uertebrarum partibus, non solum recuruationes, & obliquationes. Et in secundo quidem libro Epidemiarũ, de proposita nũc in aphorismo angina uerba faciẽs, inquit, Erãt aũt anginam patientiũ tales affectus, colli uertebræ intro uergebant, et extra apparebat collum habere cauitatem, & hoc tactum dolebat. In hoc itaq; sermone

unam ostendit uertebræ euersionem ad intra factam, in præsenti uero aphorismo, generaliori utens sermone, inquit, Si collum euertatur. Verbum enim euerti, eam quę est ad id quod præter naturam euersionem, ostendit omnem rectitudinis uertebrarum. In secundo autem libro Epidemiarum sermoni adiecit, Et hoc tactum dolebat. Hic uero nihil de dolore dixit, atqui necessarium adesse dolorem unà cum ea quæ collum obtinet inflammatione, & hic eam quæ fit propter siccitatem excedentem tentionem, tractum, & euersionem partium tantummodo ostendit, & propter hoc ipsum casum inquit esse exitialem, cum alter qui prouenit ex inflãmatione non sit omnino exitialis, qualis erat prior, cui coniuncta erat strangulatio, Neq; enim est æquale periculum, si homo stranguletur, & uix possit deuorare: uerum si propter excedentem siccitatem id accidat, & collum euerti, & uix posse deuorare, letalis est casus, & præcipue cum uehemens est febris, ut uerba illa, Si à febre habito, etiam in hunc sensum audiantur. ob hanc autem febrem ipsam, & iam immodicam fieri par est in membris siccitatem, & duplicem habebit febris uehemens ad mortem rationem, & quia signum erit quod fiat euersio propter siccitatem, & deuorandi difficultas, & quoniam & ipsa aliquid afferet, ut una ex causis perducentibus ad mortem.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus causam reddit, cur in hoc Aphorismo locum non adiecit, quando dixit, tumore non existente, sicuti in præcedenti aphorismo fecerat, in quo dicebat, tumore non existente in faucibus. duasq; assignat causas, uel quod intelligatur ut in precedenti Aphorismo, tumore non existēte in faucibus: uel hūc locum simpliciter in omni colli parte intelligamus, tumore non existēte, in aliqua scilicet colli parte, tumore inquam, qui uideri possit: nam neq; extrinsece uidetur, neq; intrinsece, etiam si os multum aperiatur. quoties hoc accidit, & deglutire non potest, exitiale signum est: quoniã quandoq; fit ex inflammatione musculorum, qui gulæ preiacent, quandoq; ipsius gulæ.

Quod legitur, sicuti in pręcedenti aphorismo gutturis meminit, lege faucium meminit, & non gutturis. nam Græce est ὡς πρὸ ἐν τῷ πρὸ αὐτοῦ ἀφορισμῷ τῆς φάρυγγος ἐμνημόνευσεν.

Quod legitur, Musculorum qui gulæ præiacent, Græce est τῶν προβεβλημένων μυῶν τοῦ στομάχου, hæc particula προβεβλημένων, quã Leonicenus interpretatus est præiacent, In antiquo contextu, quem habeo, legitur ὑποβεβλημένων, quamuis antiquus quidam supra syllabam ὑπο, scripserit syllabam προ.

SECVNDO Galenus docet, in his partibus, gula inquam, musculis suis, & uertebris, affinitatem quandam esse, quę affinitas per neruos est, & ligamen ad spinalem medullam, & ad uertebras, adeo ut cum extenduntur ligamēta & nerui ob inflãmatas partes, uertebræ ad intra, uel ad latus trahuntur. Si enim una neruorũ propago trahatur, ad latus peruersio fit: si uero in utrisq; neruorũ propaginibus fiat, ad intra fit peruersio. Sed in expositiõe libri De articulis, ipsius Hippocratis, de his plenius loquemur: quoniam & gibbos, & recuruationes, & obliquationes, ex his uertebris contractis fieri docet.

Quod legitur, Siquidem in altera nerui propagine fieri tentionem contigerit ad latus, Græce est, εἰ μὲν ἐπὶ τὴν ἑτέραν ἀπόφυσιν τῶν νεύρων, τὴν τάσιν συμβαίη γίνεσθαι, πρὸς τὸ πλάγιον. ubi uides legendum esse in altera neruorum in plurali, quia in unaquaq; parte multi sunt complãtati nerui: & id uerbum ἀπόφυσιν, quod Leonicenus propaginem interpretatur, complantationem significare uidetur.

Quod statim legitur, Si uero in ambabus ad extra, Græcus contextus legit ad intra. nam dicit εἰ δὲ κατ᾽ ἀμφοτέρας, εἰς τὰ ἐντός. Tamen Aldinus codex legit ἐκτός, idest, extra, & eodem modo antiquus noster contextus legebat, sed à uiro quodam docto correctus legit ἐντὸς per ν & non per κ. Rarissime tamen & difficulter extra fit, frequentius uero & facilius ad intra, tamen & ad extra fieri nihil impedit.

Quod legitur: & gibbos fieri dixit, Græce est, καὶ τὰς κυφώσεις ἔφη γίνεσθαι, idest, & gibbositates fieri dicit.

Quod dicit, Non solum recuruationes, & obliquationes, Græce est οὐ μόνον τὰς λορδώσεις τε καὶ σκολιώσεις. Vocabulum uero λόρδωσις non solum recuruationem significat, sed

cat, sed etiam uertebrarum luxationem. Meusq; antiquus contextus loco huius particulæ σκωλιώσεις legit κυφώσεις. utrunq; tamen uocabulum gibbositatem significat.

TERTIO Galenus docet, quod in hoc Aphorismo ab Hippocrate dicitur, in secundo Epidemiarum quodammodo repeti. Nam & in hoc libro de ista angina sermonē habet. At hæc differentia est, quia in secundo Epidemiarum, de euersione ad intra facta solum agit, in hoc autem aphorismo uniuersalius loquitur, & euersionem tam ad intra, q̄ ad extra intelligit. etenim hoc uerbum euerti, quicquid pręter rectitudinem collocatum sit, significat. Alia differentia est, quia in secundo Epidemiorum dicit, & hoc tactum dolebat, in hoc autem Aphorismo nihil meminit doloris, tamen necessarium est esse dolorem cum inflammatione colli. Est uero hæc angina, de qua Hippocrates mentionem facit in secundo Epidemiarum, parum ante segmentum quartum de uenis.

Quod legitur, Euersionem ostendit omnem rectitudinis uertebrarum, Græce scriptum est, ἐκτροπὴν ἅπασαν δηλοῖ τῆς τῶν σπονδύλων ἰθυωρείας. uocabulum ἰθυωρεία rectum cursum, uel rectum incessum significat.

Quod etiam legitur, & hic eam quæ fit propter siccitatem excedentem tentionem, priusquam legi debeant hæc uerba, in quibus quartum incipit, quod à Galeno edocetur, desunt duo uerba, quæ sunt πλὴν εἰ, idest, præterquam si, deinde sequitur, & hic eam quæ fit propter siccitatem excedentem tentionem.

QVARTVM quod à Galeno docetur hoc est, diximus quod in secūdo Epidemiorum libro de dolore mentionem fecit, hic uero nihil de dolore meminit, quia in inflammatione dolorē esse intelligitur: nisi dicere uelimus, quod hic de tentione loquatur, quę ob excedentem siccitatem consequitur, & ideo inquit casum exitialem: quoniā alter casus, qui ex inflammatione prouenit, semper exitialis non est, sicuti erat præcedens cui strangulatio coniungebatur: unde non est æquale periculum si homo stranguletur, & si uix deuorare possit. Sed si ob siccitatem excedentem hic casus accidat, ut collum euertatur, & uix deuorare possit, letalis est casus, & pręcipue cum febris intensa sit, quod per illam particulam significatur, à febre habito. nam ut in præcedenti Aphorismo docuit, hic loquendi modus, à febre habito, apud Hippocratem febris uehementiā significat.

QVINTO docet, Ratione febris siccitatem intendi, & uehementē febrem ad mortem duplicē rationem habere. Primo quia exsiccans colli euersionē, & deuorandi difficultatem parit. Secundo quia & ipsa aliquid afferet ut una ex causis ad mortē producētibus. nempe ipsa febris per se sola absq; ullo symptomate, mortis causa esse potest.

Quod prope finem legitur, & deuorandi difficultas, Græce habetur καὶ τὸ καταπίνειν μόγις, idest, & hoc quod est, uix posse deuorare, ut Galeni commentum Hippocratis contextui correspondeat.

APHORISMVS XXXVI

SVdores febricitanti si inceperint, boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & uigesimo, & uigesimoseptimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui uero non ita fiūt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

BRASAVOLVS

DE bonis, & malis sudoribus, idest, his qui bene & male iudicāt, in hoc Aphorismo sermo habetur: unde Philotheus dicit, περὶ κριτικοῦ σημείου, τουτέστι τῶν ἱδρώτων, διαλέγεται νῦν ὁ ἱπποκράτης, idest, De iudicatorio signo, hoc est de sudoribus Hippocrates nūc disputat. Nēpe sudores oēs copiosi scilicet, & perseuerātes, q incipiūt tertio die, septimo, nono, undecimo, quartodecimo, decimoseptimo, uigesimo, uigesimoseptimo, trigesimoquarto, oēs inq; sudores, q his diebus fiūt, boni sunt. nā morbos iudicāt. i. bn̄ finiunt. Qui aūt in alijs diebus fiūt, boni nō sunt, nec bene iudicāt, sed uel morbi longitudinē, uel recidiuā significāt. Si uero diaphoretici sint, mortē etiā significāt: & ratio in promptu est, quia sudores in diebus decretorijs incipiētes, ęgritudinē ad bonū terminaturā significāt, igit boni sunt. Si aūt in alijs diebus nō decretorijs fiāt, boni nō sunt, qa ęgritudinē

laborē

laborem aliquem habere oportere significant. Sunt uero plures alij dies decretorij boni, in quibus si incipiant sudores etiam boni sunt, sed Hippocrati omnes enumerare nõ placuit. Satis enim illi fuit omnes enumerare, qui ut plurimum uidentur. Id diximus, ne præter trigesimumquartũ diem bonos sudores esse non posse arbitrareris, immo & boni sunt in quadragesimo, & sexagesimo, et in pluribus alijs diebus in ęgritudinibus diuturnis. Sed hoc raro contingit, tamen nõnullæ chronicæ per sudorẽ terminãtur. Vnde Hippocrates in hoc Aphorismo de morbis acutis ex decidẽtia solum pertractat, & non de diuturnis, qui supra quadragesimũ diem terminum habent: quia hi raro per sudorem iudicantur. Idem iudicauit Philotheus, nam intentionẽ Aphorismi ponens, quod scilicet Hippocrates de iudicatorio signo, idest, de sudoribus disputat, postea addit, καὶ περὶ ὀξέων νοσημάτων, idest, & de acutis morbis. Causam uero, cur de acutis morbis sermonẽ habeat Hippocrates, in expositione his uerbis assignat Philotheus inquiens, ὅτι δὲ περὶ ὀξέων νοσημάτων ὁ λόγος ἐντοῦθα ἱπποκράτει, δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν, τοὺς ἱδρῶτας ἀγαθοὺς εἶναι ἐν γ. καὶ ε. ἐπιφαινομένους. τὰ γὰρ ὀξέα τὰ σὺν ἱδρῶτι κρινόμενα, ταῖς περιτταῖς ἡμέραις μᾶλλον τὴν κρίσιν ἴσχει. idest, Quod autem de acutis morbis hic sermo Hippocrati sit, manifestum est, ex eo quod dicit, sudores bonos esse qui in tertio, & quinto apparent. Acuti enim morbi cum sudore iudicati, iudicium diebus imparibus magis habent. Non contentus hac causa Philotheus aliam assignat inquiens, ὅτι τὰ ὀξέα σὺν ἱδρῶτι κρίνονται, τὰ δὲ χρόνια οὐ διὰ ἱδρώτων πεφύκασιν λύεσθαι, ἀλλὰ περὶ σύμπεψιν, ἢ διὰ ἀποστημάτων. idest, Quod acuti morbi per sudorẽ iudicantur. Diuturni uero per sudores solui natura non consueuerunt, sed per concoctionem, & per abscessus.

ἱδρῶτες πυρεταίνοντι ἢν ἄρξωνται ἀγαθοί. idest, Sudores febricitanti, si inceperint boni.] Tuq; de perseuerantibus sudoribus intellige. est autem sudor humorum subtilissima & tenuissima pars, & præsertim sanguinis, in uapores conuersa, & per carnis & cutis porositates exiens, immo & in aquæ speciem exiens, & ideo ab Arabibus definitur, esse sanguinis aquositatem. Sudor uero multis modis consideratus, nobis potest ansam iudicandi bonum, uel malum præbere. Vnus est modus, si ipsum consideremus secundum dies in quibus fit: de hisq; in hoc aphorismo pertractat, et bonos, atq; malos dies, in quibus sudores fiunt, edocet. Alter modus est, si sudorẽ penes eius quantitatẽ consideremus, an paucus, an multus sit. de multo sudore Aphorismum fecit Hippocrates, per multum uero sudorẽ, sed in cõcoctione & declinatione factum, morbi finẽ iudicamus, per illum uero qui in principio uel augmẽo sit factus, morbi longitudinẽ prędicimus. Si aũt paucus sit sudor, nondũ perfectã esse coctionẽ percipimus, & uias nondũ esse apertas. de hoc aũt plurimo sudore Aphorismo quadragesimoprimo huius libri aget. Alius modus est, si secundũ eius qualitatẽ sudorem consideremus, quæ qualitas diuersa est secundũ quod penes diuersas qualitates cõsiderari potest. Sunt uero qualitates ad sensus pertinẽtes, ut quãdoq; per colorem iudicemus sudores, quia uel luteus, uel albus, uel niger, uel nullo modo lintea tingit, et quãdoq; sanguineus appareat, ut de Christo seruatore nostro legitur dũ in horto oraret, & ita humorẽ superabundantem ostẽdit, quia sudor ex omni humore decidi potest. Per odorẽ præterea sudorẽ iudicamus, quia uel male olet, uel non male olet: uel erugineũ odorẽ habet, uel acidũ, uel acrẽ. Itaq; cum de humoribus iudiciũ ferimus, per saporẽ iudicare possumus, sed medicus iubeat assistentes mulieres illas esse quę gustẽt, an amarus, an dulcis, an insipidus, an salsus, & an acer sit, itaq; de humore iudiciũ feremus, tamen ut plurimũ salsus est sudor. Adde per mollitiem et lubricitatem, quæ ad tactum pertinẽt, de sudore iudicium ferri posse: per caliditatem & frigiditatem de sudore considerationem facimus, ut is aphorismus qui statim sequetur, ostẽdet. Ex parte etiam corporis in multarum rerum cognitionem ex sudore deducimur: nam si in toto corpore fit, unum iudicamus: si in parte, aliud. immo Aphorismũ deinceps habebimus, ubi sudor, ibi ægritudo. Tempora etiam coctionis supra sudorem iudicare faciunt: quia ante coctionem unum, post coctionem aliud iudicamus. Hippocrates uero de his sudoribus uerba facit qui in febre contingunt, quia rarissimi alij morbi præter febrem per sudorem sanantur. Et etiam sudores sunt qui ab intrinseco fiunt hi de quibus intelligit, non de his qui ab extrinseco inducuntur: quia illi qui ab extrinseco ueniunt, iudicium ferre non possunt, nisi hoc, is qui facile ex motu sudat

ſudat, meatus apertiores habet, quàm qui non ſudat. Scitoq; ipſum de his ſudoribus loqui, qui in diebus quos enumerabit, incipiunt. nam ſunt decretorij dies morborum, qui per ſudorem terminantur. Nec illud te prætereat, noſtrum antiquum contextum pro huius aphoriſmi inſcriptione, hunc titulũ habere, περὶ ἱδρώτων idest de ſudoribus.

Τριταῖοι καὶ πεμπταῖοι. idest, Tertiani & quintani.] Qui tertio die, & qui quinto die incipiunt, in medio uero quartum diem omittit, qui tamen decretorius eſt. nam re uera & ipſe quartus iudicatorius eſt, & forte à librario omiſſus, qui Hippocratis librum ſcripſit. uel quia morbi accelerantes in tertio principium faciunt, retardantes in quinto incipiunt: uel quia morbi acuti, de quibus ſermo eſt à bile ortum habent. bilis uero de tertio in tertium mouetur. ideo uel tertio, uel quinto, uel ſeptimo, uel nono, uel undecimo bonos ſudores fieri dicit. Philotheus & ipſe huic dubio ita reſpondet inquiens, πρὸς δὲ τοὺς λέγοντας, ὅτι οἱ σύνοχοι πυρετοὶ ὀξεῖοι εἰσίν, καὶ ἐν τῇ τετάρτῃ κρίνονται, καὶ διὰ τί οὐκ ἐμνήσθη τούτων ἱπποκράτης. λέγομεν, ὅτι οἱ σύνοχοι διὰ αἱμοῤῥαγίας κρίνονται, οὐ διὰ ἱδρώτων. ἐνταῦθα δὲ περὶ ἱδρῶτος οὖν ὁ λόγος αὐτῷ, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐμνήσθη αὐτοῦ. idest, Ad dicentes uero quod febres concluſæ acutæ ſunt, & in quarto iudicantur, & propter quid harum non meminerit Hippocrates. Dicimus, quod concluſæ per defluxum ſanguinis iudicantur, non per ſudores: & ob hoc ipſius, ſcilicet quarti, non meminit. Tamen non habetur ſolutio perfecta illius dubij, quare non meminerit quartę diei, niſi in febre concluſa. At contra ea quę à nobis prius dicta ſunt dubitare poſſes, quia deinde quartumdecimum diem, & uigeſimum enumerat, qui ſunt dies pares. Scito cum undecimum tranſeunt in computatione dierũ per hebdomadarũ horas, tertiusdecimus eſt fere medium, & quartusdecimus illius termini motus bilis: ſed hæc diffuſius in libro De diebus iudicatorijs, à Galeno traduntur, quàm opus ſit à nobis in præſentiarum referre. Iudicauit tamen & Oribaſius, quartum eſſe quidem iudicatorium, ſed rarius per ſudorem. Si uero petas cur primum & ſecũdum diem non enumerauerit, Oribaſius dupliciter reſpondet, Primo philoſophice, quia primus, & ſecũdus numerari non poſſunt. nam apud Græcos duo non ſunt numerus: tertius uero eſt numerus quia in ipſo reperiuntur par, & impar. primum igitur, & ſecundum non numerauit, quia primus & ſecũdus non ſunt numeri, ideo numerari non poſſunt. Secundo medice reſpondet, quia tertio die omnes typicæ ægritudines, ut eſt tertiana, cognoſcũtur. nam ſi primo die commouetur, & diem interpolatum habuerit: & tertio die commota fuerit, ſignificat tertianam: ſic & quotidiana quotidie demonſtratur. quartana uero quæ uno die commouetur, & duos dies interpolatos habet, ſignificat quomodo unum tempus finitur, alterum initium habet. Idem Oribaſius dubitat, quare dies impares ſunt boni, pares mali. Reſpondet, eſſe rationem in Aſtrologia. Aliter reſpondet, quod deus impari numero gaudet. Sed non decet philoſophum hoc modo reſpondere. Nos igitur dicamus, ſi ſudores contingant, humor bilioſus maxime peccat, qui ſubtilis eſt, & de tertio in tertium mouetur, uſq; ad quartumdecimum diem in quo mutare incipit, quia ſecunda ſeptimana inter decimũtertium & decimumquartum diem finem habet.

Καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐνναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι. idest, Eſt ſeptimo die, & nono die, & undecimo die.] Omnes inquam qui per hos dies impares incipiunt, boni ſunt. Oribaſio autem uidetur: ſi ſudor tertio die incipiat, quinto perficiat: ſi quinto incipiat, ſeptimo perficiat: ſi incipiat ſeptimo, nono perficiat. & re uera de inceptione ſudoris in his diebus uerba facit, & non de termino, & de tali inceptione, quæ primitiuã cauſam non habeat.

Καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι. idest, Et decimoquarto, & decimoſeptimo die.] Hi etiam ſunt iudicatorij, & ſi in his diebus ſudores incipiũt, ſignum eſt quod perſeuerabunt, & bonum iudicium facient.

Καὶ εἰκοσταῖοι, καὶ εἰκοστοτεταρταῖοι, καὶ εἰκοστοεβδομαῖοι. idest, Et uigeſimo die, & uigeſimo quarto, & uigeſimoſeptimo.] Hi quoq; ſudores qui in his diebus incipiunt, boni ſunt. Hanc lectionem habet antiquus noſter contextus, ſed Aldinus, & alij plures, & antiqua translatio habent diem uigeſimumprimum.

Καὶ τριακοσταῖοι, καὶ τριακοστοτεταρταῖοι. idest, Et trigeſimo die, & trigeſimoquarto. Leonicenus trigeſimum non legit, ſed bene Theodorus, & noſter antiquus codex, at in antiqua translatione etiam legitur, trigeſimoprimo die: quem diem habet etiam con

hh textus

textus Hagonensis dicens, καὶ τριακοστὴ πρώτη: tamen hic dies iudicatorius non uidetur, & ideo nos ipsum omittendum putamus.

Οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νόσους κρίνουσιν. idest, Hi enim sudores morbos iudicant.] Hi inquam qui in diebus enumeratis incipiunt, & causa est, ut inquit Philotheus, ὅτι τὰ κρίσιμα σημεῖα, καὶ συμπτώματα, ταῖς κρισίμοις ἡμέραις ἄρχεσθαι θέλει. idest, Quoniam iudicatoria signa, & symptomata diebus iudicatorijs incipere uult.

οἱ δὲ μὴ οὕτω γινόμενοι. idest, Qui autem non sic fiunt.] idest non incipiunt in his enumeratis diebus: sed incipiunt in alijs diebus intermedijs.

πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νόσου, καὶ ὑποτροπιασμόν. idest, Laborem significant, & longitudinem morbi, & recidiuam.] Nam cum in alijs diebus qui decretorij non sunt, illi motus fiunt, symptomatici sunt, & materierum non regulatarum à natura, quæ in diebus non iudicatorijs inordinate mouentur. Hippocrates in libro De crisi, uel de morborum decretorio, hunc aphorismum ad uerbum ferè ponit, inquiẽs, Sudores febrientibus tertianis, quintanis, septimanis, nonarijs, undenarijs, quartanis & decimanis, unis & uigesimis, trigesimis ue, morbos sistunt si fiant. Qui uero tales non sunt, labores portendunt. Hinc uides nec quartum hic ab Hippocrate numerari, nec uigesimum poni, sed uigesimum primum.

GALENVS

NON sudores tantum, sed alij excrementa effatu digna, & urinæ multæ, & iuxta aurem abscessus, uel aliquem alium articulum, in dictis diebus optime apparent. Sermo enim in uniuersum est talis, Iudicatoria signa, ac casus, in diebus iudicatorijs incipiant, & sermo iste dictus sufficiebat. Verum Hippocrates non de omnibus ipsum fecit iudicatorijs. Sed de sudoribus tantum, & nobis memorię subiecit iudicatorios dies, qui sunt intra quadragesimum. Morbi enim istis diuturniores, non admodum solẽt per sudores iudicari, sicuti neq; omnino per excretiones, sed uel per concoctionem, uel per abscessus. Quod uero non omnis numerus dierum sit ad iudicãdum idoneus, experientia manifeste demonstrat, & quispiam admiraretur illos qui aiunt, nullam in illis esse differentiam: melius enim ex his quæ apparent manifeste, eos discere differentiam. Causam uero eius quod fit per multum ocium considerare, quod nos in tractatu De diebus iudicatorijs, egimus, id quod ad artis refert utilitatem in primis Commentarijs transigentes, causas autẽ ipsorum tentantes in tertio perquirere. Non parua autem est de diebus scriptis in aphorismo discordia, quum alij alios pro arbitrio scribant. Nos uero illa secuti, quæ ab ipso Hippocrate scripta sunt, & in Prognostico, & Epidemijs, & ipso libro Aphorismorum, ipsorum fecimus cõnumerationem. Verba autem quibus de hisce diebus Hippocrates scripsit, habes omnia in tractatu De iudicatorijs diebus, & de iudicijs collecta. Nunc uero à tertio incepit, qui anticipat quartũ in breuioris temporis morbis, & post hunc quintum scripsit uno die quarto tardiorem. Sic enim ferè in omnibus exemplaribus inueniet, quum quartus dies in aphorismo non sit scriptus, quamuis hic dies sit primus iudicatorius. Verum tamen ipsum nunc prætermisit, uel ipse Hippocrates, uel qui primus librũ scripsit. Si uero omnino Hippocrates illum præterijt, hanc ob causam existimo illud fecisse, quoniã morbi plurimi per acuti, qui cum sudore iudicantur, tertio, & quinto die, magis quàm quarto iudicium suscipiunt. Rariores enim sunt, qui die quarto iudicantur, & hoc à me plurimum fuit inuentum per experientiam, ob hoc ipsum quærẽte, quoniam dies quartus fuerat ab Hippocrate in aphorismo prætermissus. Hic autem uidetur accidere, quoniam morbi peracuti primam statim accessionem uehementissimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium. Didicimus autem quòd in uehementioribus accessionibus iudicia fiunt, & quòd morbi qui in diebus imparibus accessionẽ habent, citius iudicant, qui uero paribus tardant. Atq; ideo si etiam in principio aliquis morbus incitatur, hoc magis accidit in diebus imparibus: si tardare debeat, ad dies pares uehementiores accessiones transferũtur. Hæc itaq; habeo dicere de die quarto. In fine autem aphorismi, nonnulli trigesimũprimum diem, nonnulli trigesimumquartum scribunt. Scimus autem hos in dierum iudicantium numero contineri, & fortasse trigesimusquartus maiorem uim habet, non tamen quadragesimi meminit; quoniam hunc principiũ morborum longorum existimauit, qui non

admodum

ad modum per sudores iudicantur. Nam & trigesimūprimum & trigesimumquartum, & ante ipsos uigesimumseptimum raro inueniemus per sudores iudicare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus aphorismum ad alia ampliat, quæ in his diebus per modum euacuationis apparent, unde non solum sudores, sed & alui excremēta copiosa, & copiosæ urinæ, & abscessus iuxta aures, & ad articulos: omnia hæc si in diebus iudicatorijs fiāt, & in aphorismo præscriptis, bona sunt: Si uero in illis diebus numeratis non fiant, mala sunt. Ideo hic Aphorismus uniuersaliter in his omnibus præscribi poterat. Sed in hoc aphorismo de solis sudoribus tractare Hippocrati placuit, imò addit quod de his solum uerba facit, qui citra quadragesimum diem sunt: non tamen quin etiam supra quadragesimum non terminentur per sudorem, sed ut plurimum supra quadragesimum per coctionem, uel per abscessus finiunt. Si uero dubites cur alij dies non sint ad iudicandum idonei, aliam causam non attulit, præter eam quod experientia ipsa istud edocuit. Causam uero in libro De diebus iudicatorijs exposuit, quam (quia nimis diffusa est) referre non placuit. Quod legitur, Melius enim ex ijs quæ apparent manifeste, eos discere differentiam, illa particula Eos, superflua est. nam Græce dicitur, ἄμεινον γὰρ ἐκ μὲν τῶν ἐναργῶς φαινομένων διδάσκεσθαι τὴν διαφοράν.

Quod legitur, Id quod ad artis refert utilitatem. nonnulli recentes hanc partem corrigere uoluerunt, dicentes, id quod artis præcellit usum: tamen Galenus id potius dicit quod Leonicenus interpretatus est. Græce enim habetur, τὸ μὲν εἰς τὴν χρείαν τῆς τέχνης διαφέρον. idest, id quod ad artis refert utilitatem.

Quod etiam legitur, Causam autem ipsorum tentantes. à nonnullis recentibus demitur illa particula Ipsorum: quam tamen Galenus in suo codice posuit, inquiens, τὰς δὲ αἰτίας αὐτῶν. idest, Causas autem ipsorum.

SECVNDO inquit Galenus, in referendis his diebus qui hic ab Hippocrate numerantur, magnam discordiam apud antiquos fuisse: sed ipse promittit, se Hippocratem in Prognosticis secuturum, in Epidemijs & in Aphorismis: hic uero à tertio incipit, qui in morbis breuibus quartum præcellit, & ad quintum transit, qui est tardior quarto.

Quod legitur, Qui anticipat quartum: Græce habetur προλαμβανούσης τὴν τετράδα, idest assumente quartum. nam tertius in breuioribus modis, quarti officio fungitur.

TERTIO Galenus de die quarto dubitat, qui primus inter iudicatorios est: tamen uidetur omissus: dicitq; uel fuisse Hippocratē, uel eum qui primus Hippocratis librum scripsit. Tamen & si Hippocrates data opera quartum diem, hanc fuisse causam iudicat Galenus, quia plurimi peracuti morbi qui cum sudore iudicantur, tertio & quinto die magis quàm quarto iudicium habent, ut experiētia comprobauit. Et ratio in promptu est, quia morbi peracuti primam accessionem uehemētissimam habēt, & alias per diem tertium consequentes. Iudicia uero in uehementioribus accessionibus fiunt: & morbi, qui per dies impares mouent, citius abeunt. Qui uero per pares, tardius: propterea morbi qui magis citi sunt, per dies impares mouentur. Si uero longus morbus fieri debeat, uehementiores accessiones in diebus paribus fiunt.

Quod legitur, Et hoc à me plurimum fuit inuentum per experiētiam, ob hoc ipsum quærente. Græce habetur, καί μοι τοῦτο ἐξεύρηται πάνυ σφόδρα, δι' αὐτὸ τοῦτο ζητήσαντι. idest Et à me hoc inuētum fuit uehementer propter hoc ipsum dubitante. non adest uero illa particula Per experientiam, quam Leonicenus addidit.

QVARTO animaduertit, in fine aphorismi ab aliquibus legi trigesimumprimum diem, ab aliquibus trigesimumquartum, Imò nos & Græcos contextus & Latinos habemus, qui simul & trigesimumprimum & trigesimumquartum legunt: tamen iudicat forte maiorem uim habere trigesimumquartum diem.

QVINTO Galenus causam refert, quare diem quadragesimum omiserit, quoniam chronicorum morborum initium est, qui per sudores non multum iudicātur, imò non solum quadragesimus raro per sudores iudicat, sed & trigesimumprimum & trigesimumquartum, & ante hos uigesimum septimum, raro uidit Galenus per sudores iudicare.

APHORISMVS XXXVII

FRigidi ſudores, cum acuta quidem febre mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant.

BRASAVOLVS

VTINAM non uidiſſem ſuperioribus diebus huius aphoriſmi ſententiam ueram eſſe in Antonio Auguſto cõſobrino cariſsimo. Is enim frigido ſudore madebat, & acuta febre correptus erat, & ea met die qua frigidi ſudores cœpere, obijt. per hunc enim frigidum ſudorem caloris naturalis extinctio ſignificatur. nam uehementia morbi calorem ſuperat, aut ſaltem eſt diſpoſitio extinctioni caloris naturalis propinqua. Si uero febris acuta non ſit, ſed mitis, morbus erit longus. quia hic ſudor à frigida materia, uel à multa, uel à frigida ſimul & multa conficitur, quæ ad coctionem inepta eſt. Celſus ſecundo libro capite quinto de ſignis longæ ualetudinis uerba faciens, locum ſpecificat, inquiens, protinus tamen ſigna quædam ſunt, ex quibus colligere poſſumus morbum, & ſi non interemerit, longius tamen tempus habiturum, ubi frigidus ſudor inter febres non acutas, circa caput tantum, & ceruices oritur. ut hinc habeas, ſudorem iſtum, qui longitudinem morbi oſtendit, circa caput & ceruicem potiſsimum uerſari: quod re uera ita eſſe experiẽtia probat. At capite ſexto eiuſdem ſecundi libri idem Celſus pro prima aphoriſmi parte inquit, ſudor quoqꝫ frigidus in acuta febre peſtiferus eſt. Hippocrates præterea in libro De criſi, hunc aphoriſmum ferè poſuit, inquiens, ſudores frigidi cum febre graui ſi fiant, mortiferi ſunt: cum leniore, morbum producunt.

οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες. ideſt, Frigidi ſudores.] Intellige quos medicus, & aſsiſtentes uere frigidos eſſe percipiant, non autem ipſe æger, quia de ipſo cura non eſt: imò quanto minus ipſe frigiditatem ſentit, tanto citius mortem portendunt: nam ſolet æger in hoc caſu, etiam linteorum frigiditatẽ perquirere, & intus calore intenſiſsimo peruritur. Si uero quiſpiam acuta febre correptus, in uẽto detectus maneat, uel aqua frigida madeſcat, uel flabello euentetur, & frigidus ſudor contingat, qui tunc exire accidat, ex hoc mors iudicanda non eſt, quoniam ſudoris frigiditas, ex qua futuram mortem iudicamus, ab extrinſeco fieri non debet, ſed à febre ipſa, quæ uires imbecillas huic ægro reddiderit: quamuis Philotheus in principio ſuæ commentationis à frigida materia fieri dicat inquiens, ψυχροὶ ἱδρῶτες γίνονται ἐν ὀξέσι πυρετοῖς, τοῦ χυμοῦ ψυχροτάτου ὄντος, καὶ μὴ νικωμένης τῆς ψύξεως αὐτοῦ ὑπὸ τῆς πολλῆς θερμασίας, οἳ τινες καὶ ὀλέθριοί εἰσιν. Frigidi ſudores in acutis febribus fiunt humore frigidiſsimo exiſtẽte, & multa caliditate frigidum ipſum uincere non potente, qui quidem & pernicioſi ſunt.

Σὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γινόμενοι. ideſt, Cum acuta quidem febre facti.] Quia febris acuta requiritur, ſi hic ſudor mortem prædicere debeat. nam cum adſit acuta febris, quæ calidiſsima eſt (intellige uero peracutã uehemẽtiſsimam febrem) hæc inquam ſimul cum frigido ſudore eſſe non poteſt, niſi ingens materiæ, & naturæ pugna & controuerſia interſit, imò & naturæ defectus. nec opus eſt, quod hęc febris acuta, & frigidus ſudor, per duas ſolas, aut tres horas ęgros ſolicitent, ſed per tempus perſeuerare oportet, imò uſqꝫ in mortem ſemper intẽditur, & hic ſudor eſt ſignum mortis. febris uero (ut in commento uidebimus) eſt ſignum & cauſa, quia corpus noſtrum diſſoluit. Cum uero præter naturam uideatur, quod febris acuta ſit, & frigidus ſudor contingat, propterea Oribaſius iſtud in dialecticum dubium reuocauit inquiens, Quæſtio nobis oritur, ſi regula eſt dialecticorum, duo contraria in uno tempore in eodem ſubiecto eſſe non poſſe, quomodo dicit Hippocrates acutam febrem, quę eſt calida frigidos ſudores emittere? Reſpondet, hoc dubium eſſe prætermiſſum ab omnibus interpretibus aphoriſmorum, Domno inquam, Pelope, Lyco & Ruſo. Sed Galenus reſpondet, & ſuæ rationi acquieſcit Oribaſius, de qua re in Galeni commentatione diſſeremus. Sed & ipſe Philotheus huius dubij cauſas reddere conatur, inquiens, εἰ δέ τις εἴποι, καὶ πῶς γίνεται ὑπὸ τοῦ τοιούτου χυμοῦ ὀξὺς πυρετός; λέγομεν, ὅτι πολλάκις καὶ ὠμὸς χυμὸς σηπόμενος δύναται ποιεῖν ὀξὺν πυρετόν. ideſt, Si uero quis dixerit: & quomodo à tali humore febris acuta fit? Dicimus quod frequenter & crudus humor putrefactus, acutam febrem inducere poteſt. Tamen ſi bene

consideremus, Philothei dubiũ circa aliud uersatur, quàm Galeni, & Oribasii dubium fecerit. Apud Oribasium quæritur, quomodo in febre acuta, quæ ex calidissima materia fit, frigidi sudores consequantur: Sed Philotheus in principio suæ commentationis frigidos sudores ex frigidissima materia fieri edocuerat, postea dubitat, quomodo à tali humore, scilicet frigidissimo, acuta febris fieri possit. & respondet, putredinem in causa esse, tamen post hanc causam, aliam assignat, quæ optime Galeni dubium & Oribasii dissoluit, inquiens, ἄλλως τε ἐνδέχεται ἐν ταῖς φλεψὶν εἶναι θερμὸν χυμὸν, ποιοῦντα ὀξὺν πυρετόν. τὸν δὲ ψυχρὸν χυμὸν ἐκτὸς εἶναι, ὃς καὶ ἀναλυόμενος ποιεῖ ἱδρῶτας. ψυχροὺς δὲ διὰ τὸ μὴ θαλφθῆναι ὑπὸ τῆς θερμασίας. idest, Contingit in uenis calidum humorẽ esse, febrem acutam facientem, frigidum autem humorem extra esse, qui & dissolutus sudores facit: frigidos autem, quoniam à caliditate non calefiunt. Cuius rei idem Philotheus exemplum assignat inquiens, καὶ ἔστι τοῦτο φανερὸν ἐπὶ κρυστάλλου, ὁ γὰρ ἥλιος καταλάμπων αὐτὸν ἀναλύει, καὶ οὐκ εὐθέως δὲ, καὶ τὸ ἀπορρέον θάλπει. idest, Et hoc manifestum est in glacie: sol enim ipsam irradians dissoluit, non tamen statim etiam quod defluit (scilicet à glacie) calefacit. Nobis præterea graue non erit causas omnes referre, cur in ægritudine acuta sudores frigidi exire possint. Vna causa est, caloris debilitas, & materia multa, ideo ab hoc calore q tenuis est, ad calidum immutari nõ potest. Alia causa est materia uenenosa, quæ sub forma sudoris expellitur: naturales spiritus illi sunt qui calefaciunt corpus, tamẽ ob hanc uenenosam materiam adeo resoluuntur, ut partes calefacere non possint, unde illa materia quæ per modum sudoris exit, frigida est. Si uero dixeris cum materia quæ febrem facit putrida sit, & putredo caliditatem secum ducat, quomodo in tali febre sudor frigidus esse poterit? Respondemus, omnino adesse putredinalem caliditatem, & præter naturam, sed tanta non est, quanta est naturalis caliditas. Tamen ut rem ipsam, de qua agitur, edoceamus, hi frigidi sudores in hac febris acutie potius ex uirium debilitate fiunt, quàm ex alia re, quia naturalis calor deficit, & corpus relaxatur, propterea sudor exit, & inordinate, & frigidus, & is qui sudat an sit frigidus an non sit, non persentit.

Θάνατον. idest, Mortem.] Hoc enim mortem significat acuta febris, cum qua sit frigidus sudor. Ex hoc uero ne putes, calidum sudorẽ ex opposito salutem significare, quia multi in febrium acutarum initiis cum debilibus uiribus frigido sudore madent: at in fine uitæ frigidus efficitur, quia per relaxationem sudor irregulatus exit, & in eodem uitæ fine, ob caloris defectum infrigidari necesse est.

Σὺν δὲ πρηϋτέρῳ. idest, Cum mitiori autẽ.] scilicet febre, unde ex hoc notatur mitem febrem contra acutam distingui, ideo acutum intensum significat, mite uero remissum. Erit uero mitior febris, quæ à pura biliosa materia non pendebit, sed uel à mixta materia, uel pituita, uel atra bile. In hac mitiori febre opus non est quod sudor ob debiles uires frigidus sit, quia ob id etiam frigidus esse potest, quoniam materia quę febrem facit crassa erit, & glutinosa, & adeo densa, ut calefactioni inepta sit. Et si dixeris, per sudorẽ exire non posse nisi attenuetur, & attenuari non potest nisi calefiat. Respondemus, omnino calore aliquo indigere, sed non tanto, qui caliditatem usq; ad extra seruare possit. Scito tamen multo maiorem esse frigiditatem illam, quæ in acuta febre fit, quàm istam quæ in mitiori inducitur. imò illa in acuta febre, tanta est, quod in medicorum digitos mortiferam quãdam frigiditatem imprimit, quæ per aliquot horas in digitis perseuerat. posset etiam in mitiori febre ex materiæ multitudine esse, licet non sit crassa.

Μῆκος νούσου σημαίνουσι. idest, Longitudinẽ morbi significant.] Quia cum materia crassa sit & multa, in molli febre cito digeri & resolui nõ poterit. propterea morbus longus erit. Hic uero intellige quod uires constent. nam si non cõstarent, non possent tam diu morbum etiam molliorem sustinere, quod ad coctionem peruenirent.

De sudore uero & bono & malo, primo Prædictionum ab Hippocrate & Galeno pertractatur. De sudore malo peragẽs inquit, pessimus sudor est, si frigidus egrediatur, & circa caput tantummodo, uultum, & ceruicem. hinc Celsus accepit loco præadducto quinto capite secũdi libri. deinde prosequitur Hippocrates, hic enim cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore morbi longitudinẽ indicat. Galenus uero in illius partis commento docet, in acuta febre frigidum sudorem, quomodocũq; exeat, uel per totum corpus, uel per caput solum, ceruicẽ, & collum, semper mortem significare. Si uero circa

ro circa has partes solum, etiam si calidus sit sudor, malus est, quia syncopem minatur. Et hoc in primi Prædictionum commento Galenus ostendit in mitiori febre, nos uires bonas esse supponere, & usq; in materiæ coctionem perdurare posse. nam dicit, Si uero mitior febris est, poterit facultas non absumpta prius ab acuta febre, spatio tēporis prauos concoquere humores.

GALENVS

QVOD quidem ita fiat, sæpius experientia docet. Causa uero huius exploranda. Nam plurimam mihi uidetur habere dubitationem, quomodo febre calidissima hominem detinente, sudor fiat frigidus. Quod igitur in alijs partibus corporis sit necessarium, esse uehementem caliditatem: ex alijs uero sudores frigidos euacuari, est manifestum. Essent enim calefacti, si ex partibus calidissimis efferrētur. Euacuantur autem ex cute sudores, quam frigidam esse contingit: quum tamen ea quæ sunt sub ipsa, comburuntur. Nam quibusdam humoribus putrescentibus, ostensum est, febres acutas fieri: hi uero putrescunt sæpius quidem in toto corpore, sæpius uero in uasis solis. Quum uero hæc aliquando duo contigerint, & humores qui sunt in uasis putrescere: eam uero quæ solida corpora regit naturam, quæ secundum Hippocratem est calor naturalis, uel extingui omnino, uel proximam esse extinctioni, quæ quidem ex his euacuantur, frigida sentiuntur. Eam uero quæ fit ex putredine caliditatem, nihil prohibet uehemētissimam esse. Atq; ideo signum exitiale, ostēdens in animalis corpore humorum multitudinem superabūdare, tantam habentium frigiditatem, ut neq; à calore natiuo, neq; à febrili calefiant. Tepidis quidem existentibus febribus contingit saluari hominem, concocta in tempore multitudine humorum, atq; euicta à natura. Acuta enim febris causa est, & signum perniciosissimum. Causa quidem, quia prompta est dissoluere corpora. Signum autem, quoniam humorum multitudinem esse frigidissimam ostendit, ut quæ neq; à calore febrili transmutetur. Febris uero quæ non est acuta, sed mitior, permittit tempore longiori à natura multitudinem concoqui, quum non anticipet dissoluere hominē: non est autem signum adeo perniciosum, sicuti uehemens febris. Contingit enim in tepida febre, & si modice frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus dubitat, quomodo possibile sit sudorem fieri frigidum, quum febris calidissima sit. Respondet, ex alia parte exire sudorem, in alia uero esse caliditatem: nam causa febris, quæ est putrida materia, calida est intus, uel in toto corpore, uel in uasis. Si in uasis, idest uenis & partibus putrida materia existens, calida sit: naturalis uero calor extinctus sit, uel extinctioni proximus, illa quæ per sudorem euacuantur, frigida sentiuntur, & caliditas putredinalis est ualde intensa: propterea hoc signum mortis est, quia significatur tantam humorum copiam abundare, ut neq; à natiuo calore, neq; à febrili calefiant. Si uero hic dubites, igitur febris nō est naturalis calor mutatus in igneū, quia Galenus hic in febriente duos calores ponit, febrilem & naturalem. Nos uero respondebimus, & si alibi dicat febrem esse calorem naturalem mutatum in igneum, non it tamen inficias, calorem naturalem ibi semper esse potētia, aliter febriens in pristinum statum nunquam reduci posset.

Quod legitur, Nam quibusdam humoribus putrescentibus. à nonnullis recentibus demitur illa particula Quibusdam: quum tamen in omnibus Gręcis Galeni codicibus inueniatur dicentibus, σηπομένων γὰρ τῶν τινῶν χυμῶν.

Notaq; naturalem calorem in hac parte à Galeno uocari τὸ ἔμφυτον θερμόν, ac si dicat Complantatum, innatum atque ingenitum.

Quod etiam legitur, Tantam habentium frigiditatem. In Aldino codice ita habetur ψυχρῶν τοσοῦτον. sed in antiquo quem habeo, scripta erat illa particula ψυχρὸν, & illa τοσοῦτον deerat. Sed antiquus scriptor, & re uera doctus, particulam illam ψυχρῶν, obelo signauit, & in margine scripsit illam particulam τοσοῦτον, in contextu addendam: propterea hanc partem ita legamus oportet, ostendens in animalis corpore humorum multitudinem superabundare tantam, ut neq; à calore natiuo, neq; à febrili calefiant. Nec opus est addere illam particulam, Habentium frigiditatem: quoniam & si non sint frigidi, sed multi, id faciunt.

SECVNDO Galenus secundæ aphorismi partis causam reddit, quod in tepidis, & mollioribus febribus in tempore coctis humoribus homines saluantur.

Quod legitur, Concocta in tempore multitudine humorum: Græce non dicit, humorum, sed ψυχροῦ. inquit enim, ἐν χρόνῳ τοῦ ψυχροῦ πλήθους πεφθέντος. idest, in tempore multitudine frigidi (scilicet humoris) concocta. In Aldino codice legitur, ἐν χρόνῳ πλείονι, idest, in multo tempore.

TERTIO primæ partis aphorismi rationem perficit Galenus, inquiens acutam febrem esse causam & signum mortis: causam quidem, quoniam caliditate sua corpora dissoluit. Signum uero, quia ostendit humorum multitudinem frigidissimã esse, ut quæ nec à calore naturali, nec à calore febrili, qui præter naturam est, transmutari possit. Philotheus idem cum Galeno sentit, inquiens, quod in acutis febribus febris ipsa est καὶ ὡς σημεῖον, καὶ ὡς αἴτιον. ὡς σημεῖον μὲν, ἐπειδὴ θερμανθεὶς ὁ τοιοῦτος χυμὸς, μήτε ὑπὸ τῆς κατὰ φύσιν θερμασίας, μήτε ὑπὸ τῆς παρὰ φύσιν δεῖται πάντως χρόνου πρὸς τὸ πεφθῆναι, εἰς χρόνους οὐκ ἐκτείνεται ὀξέος ὄντος τοῦ πυρετοῦ, κἀντεῦθεν γίνεται θάνατος. ὡς αἴτιον δὲ, θανάσιμον ὅτι προκαταλύει τὴν δύναμιν. idest, & tanquam signum, & tanquam causa: tanquã signum quidem, quoniam talis humor calescens, neq; à naturali calore, neq; à præternaturali ad coctionem omnino tempore indiget: diu autem non extenditur, quum febris acuta sit, & hinc fit mors: tanquam causa uero, mortale, quoniam potentiam dissoluit.

QVARTO Galenus secũdæ partis aphorismi rationem perficit: quia mitior febris hominem non dissoluit, ideo permittit ut longiori tempore hic humor concoquatur.

Quod legitur, Febris uero quæ non est acuta, sed mitior. hæc particula Sed mitior, Græce legitur ἀλλὰ μέτριος, idest, sed mediocris.

APHORISMVS XXXVIII

QVa parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

BRASAVOLVS

VEL in toto corpore, uel in parte una, uel in pluribus simul sudorẽ uiderimus, qui non semel fiat, sed frequentius, & perseueret, iudica eo loco morbum latitare, quoniam tu oculis & tactu causam morbi instantem & urgentem uides. Causa enim est (ut Philotheus dicit) ὅτι ἐκεῖσε ἐστὶν ἡ ὕλη, ἧς καὶ μέρος τι διεξερχομένης τοὺς ἱδρῶτας ποιεῖ ἐν τῷ πάσχοντι μορίῳ. idest, Quoniam illic est materia, cuius excurrentis pars quædam in patiente parte sudores facit.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος ὁ ἱδρώς: idest, Et qua parte corporis sudor est.] Additur in Græco contextu hæc coniunctio Et, qua continuatio cum præcedenti aphorismo notatur, in quo de sudore sermonem habuit Hippocrates: dicẽs uero, qua parte, idest quacunq; parte, quia si in omni parte sit, in toto corpore erit ægritudo. Intelligeq; uel ægritudinem quæ iam actu molestet, uel quæ præsentẽ causam habeat, ut facile induci possit. Sudor uero potest nobis peccantem humorem denotare, qui ægritudinem inferre aptus est. Hoc autem ex his indicijs de sudore iudicabimus, de quibus in præcedenti aphorismo mentionem fecimus.

ἐκεῖ φράζει τὴν νοῦσον. idest, Hic significat morbum.] scilicet in hac parte, ex qua sudor emanat, qui perseuerans sit, & non sit factus per motum, uel per calorem extrinsecum, uel aliquam extrinsecam causam, sed sponte exeat. At si dixeris, quum morbus sit operationũ læsio, hic operationes læsæ non uidentur, quamuis sudor emanet. Respondemus, intrinsecas operationes esse læsas, & aptas esse ut lædantur, quia aphorismum non solum in actu, sed etiam in potentia intelligimus. Si præterea dubites de his, qui morti propinqui sunt, in quibus natura ad caput sudorem compellit, tamẽ ibi non erat morbus, si posuerimus febrem ex natura in pectore factam interficere. Responde, necessarium esse pro eo tempore morbum in capite esse, & morbi causam, uel (ut dicunt recentes) non perseuerat. At quia uidemus semper usque in finem perseuerare, ideo ibi morbum esse fateamur.

GALENVS

SI PER totum animalis corpus morbus extenderetur, ex toto etiam æqualis fieret euacuatio. Fiunt enim sudores, uel natura humiditatē superfluam euacuante, quando & optime iudicium fit, uel quando non cōtinetur in corpore morbi ratione, sed siue hoc, siue illo modo fiant, membrorum patientium humiditatem euacuant.

BRASAVOLVS

CVM aphorismus solum de corporis partibus loqui uideatur, primo Galenus hoc idem in toto corpore uerum esse dijudicat: quia si per totum corpus morbus extenderetur, euacuatio ex toto corpore æqualiter fieret.

SECVNDO docet quomodo sudores fiant: fiunt primo quando natura superfluam humiditatem euacuat, ad quas bonum iudiciū sequitur, uel quando ratione morbi hæc humiditas superflua in corpore non reperitur, quæ expellatur, sed tamen expellitur humiditas humoralis, quæ non est humiditas aquosa, quę per sudorem exit. At quomodocunq; exeat, uel primo uel secundo modo, semper patientium humorum humiditatem euacuant. Ac si Galenus dixerit: duplex humor est, unus qui fit ex superflua humiditate in corpore existente: alter hac humiditate non existente, quia non contineatur in corpore, ἢ τῷ μὴ στέγεσθαι, idest uel non reperitur in corpore ob morbum qui exiccauerit. Si quid uero exeat, est alia humorum humiditas, quæ non est illa superflua. Oribasius uero ita distinguit, Sudor uel uniuersalis est, uel particularis: uniuersalis est duobus modis: uno modo, quia est abūdans materia: altero, quia non est uirtus ualida. Particularis item fit trifariam: primum, si est abundans aliqua materia: deinde, si est ibi uirtus debilis: tertio, quia locus qui suscipit, patit̄: sicut & nunc Hippocrates dicit. Hęc Oribasius.

APHORISMVS XXXIX

ET qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus.

BRASAVOLVS

INTER hunc aphorismum & præcedentem cōtinuatio esse uidetur, quod per coniunctionem Et, ostenditur. non solum sudor exiens patiētem locum ostendit, sed etiam quacunq; parte corporis calor aut frigus extiterit, quæ perseuerēt, & quæ sint effatu digna, in hac parte iudica esse morbū: & si in pluribus partibus, uel toto corpore hoc sit, in pluribus partibus, uel toto corpore est morbus: nam per has qualitates, uel caliditas sit, uel frigiditas, significatur partem illam à naturali temperie excedi, præsertim si insignes sint hæ qualitates: aliter morbum ibi esse non significant. At si dixeris, quomodo significatur ægritudinem hic esse, quia potius caliditas & frigiditas ægritudines sunt, quia malæ qualitates. Respondemus, esse quidem ægritudines, sed etiam significare ibi esse illam ægritudinem ubi apparet.

Καὶ ὅκου ἐν τῷ σώματι ψυχρὸν ἢ θερμόν. idest, & qua parte corporis calor, aut frigus.] Adde quæ intensa sint & perseuerent, nec sint facta ab extrinseca causa.

ἐν τούτῳ ἡ νοῦσος. idest, Ibi morbus.] In eo loco scilicet, in quo sint caliditas & frigiditas. Posset tamen aphorismus hoc modo intelligi, si quis sit qui morbi mineram cognoscere cupiat, partes illas consideret, quæ magis calidæ sunt, uel magis frigidæ: in illis inquam est morbi minera. Et eodem modo in præcedenti aphorismo intelligendū sit, ubi sudor, ibi est morbi minera. Hippocrates in libro De crisibus, hunc aphorismū ad uerbum fere posuit, dicēs, Corporisq; parte quacūq; calor uel frigus, illic & morbus inerit.

GALENVS

QVACVNQVE parte corporis insignis caliditas, aut frigiditas fuerit, hic morbum necessarium est esse: hoc siquidem exīt à temperie naturali, quæ sanitas est.

BRASAVOLVS

ADDIT Galenus particulam ἐπίσημος, idest insignis, quia si esset parua caliditas, morbum non significaret: & præterea causam reddit cur ibi morbum esse significetur, quoniam inquit, exeūt à naturali temperie caliditas & frigiditas insignes, quod est esse ægrum: habere uero temperiem, est esse sanum: sanitas etenim in temperie sita est.

An uero

An uero hæ qualitates à medico etiam persentiri debeant, uel nō persentiri. Respondemus, hoc non esse opus, sed satis esse quod ab ægro sentiantur, & medico referat; tamen & is æger mente constare debet.

APHORISMVS XL

ET ubi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, uel rursus calefiat, uel color alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat.

BRASAVOLVS

VIDETVR & in hoc aphorismo cum præcedentibus continuatio quædam inueniri, sed talis ut de re altera hic pertractetur: solum enim de morbi longitudine infertur, ubi in uniuerso corpore mutationes appareant: mutationes inquam tales, quod corpus refrigeretur, deinde rursus calefiat, & color mutetur, ut ruber in pallidum, & aliæ similes mutationes fiant, quæ ostendunt materiam facientem morbum uariam esse, & adeo diuersam, ut non possit facile & breui tempore exhauriri: propterea ad illam cōcoquendam & resoluendam longo tempore indigemus: unde morbus diuturnus fiet, ut ostendatur has mutationes intelligendas esse, ægritudine iam præsente. Celsus capite quinto secundi libri de signis longitudinis morbi disserens, inquit, Aut ubi corpus modo frigidum, modo calidum est, & color alius ex alio fit. ubi hunc aphorismū ad uerbum interpretari uidetur. Imò & ipse Hippocrates in libro De crisi, eundem aphorismum ad uerbum ferè refert, inquiens, Corpusq; si modo calescat, modo frigescat: colorq; si de alio in alium mutetur, morbum longum portendit: quod non mirum est, ut inquit Philotheus, quia εἰ ἁπλῆ μεταβολὴ τῆς τοῦ σώματος κράσεως, μῆκος νόσου σημαίνει, τὸ δὲ ποτὲ ψύχεσθαι, καὶ αὖθις θερμαίνεσθαι τὸ σῶμα, ὅπερ δή ἐστι σύνθετος δυσκρασία, πολλῷ πλέον, μῆκος νόσου σημαίνει. idest, si simplex mutatio tēperaturæ corporis, prolixum morbum significat: hoc aliquando scilicet frigescere, aliquando rursus calescere corpus; quæ res est composita intemperies, multo magis longitudinem morbi significat.

Καὶ ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαί. idest, Et ubi in toto corpore mutationes.] Tu ad omnium contrariorum mutationes ampliato, quę ratione diuersarum materierum fieri possunt, & nō solum de caliditate & frigiditate & coloribus, sed in humiditate etiam & siccitate intellige, in mollitie & duritie, & in aliis omnibus, quę breuitatis gratia ab Hippocrate omissa sunt. Opus autem est intelligere per totum corpus, uere totū; quia non esset opus longam ægritudinē sequi, si in una corporis parte talis mutatio fieret: tamen si in una parte sita esset, ratione illius partis longa ægritudo fieri posset: & tunc Hippocrates exponendus est in toto corpore, idest in quacūq; totius corporis parte. An uero ita intelligendus sit Hippocrates, ut hæ mutationes repente consequantur, ut recentes in suis contextibus legunt: nos nō uidemus uel quod hic Hippocrates uel in libro De crisi, particulam Repente, addiderit. Et Celsus qui hunc aphorismum interpretatus est, non posuit particulam Repente, dum ipsum refert: propterea non intelligimus has mutationes repente fieri. Sed in tempore breui, & frequentes esse, adeo ut calefiat, deinde refrigeretur, iterumq; calefiat, & sint eructationes ab intrinseco: quoniā aliquis hyemis tempore uento expositus frigescit, deinde calidarium ingrediens calescit: si iterum uento exponatur, frigescet, & in calidarium rediens calescet. Ob hoc autē non dicetur longum morbum significari, etiam si esset æger is qui immutatur, quia ab extrinseco fit, & non ex diuersitate materiæ.

Καὶ ἢν τὸ σῶμα ψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται. idest, Et si corpus refrigeretur, uel rursus calefiat.] Vel interpreteris, Et modo corpus refrigeretur, modo calefiat, ut notetur uariis uicibus fieri debere, & perseueranter: non potest uero calefieri, & refrigerari corpus nisi materiæ sint diuersæ, & una sit calida, alia frigida, quæ simul complicatæ prolixum morbum faciunt: una enim alterius coctionem impedit. Nam ratio est, qua probatur febrem ex pituitoso humore factam breuiorem esse, facta ex bilioso & pituitoso simul: id autem est, quando febres non simul inuadent: illa inquā, quæ est ex bile, & illa quę est ex pituita. tunc enim cum natura est occupata ad concoquendā bilem mouetur pituita, & natura ab illa coctione diuertitur, unde ægritudo producitur. Nec illud argumentum

mentum contra hoc quicquam suadebit, quod tertiana notha breuior sit, quàm pituitosa febris: ideo breuior sit febris ex cholera & pituita, quàm ex sola pituita. Ad argumentum enim respõdebimus, in tertiana notha bilem & pituitam ad unam formam redacta esse, quod in præscripto casu non est, in quo pituitam & bilem diuersis temporibus tanquam diuersos humores suas accessiones inducere supponimus.

ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίγνηται. idest, Vel color alter ex altero fiat.] idest colorum transmutationes adeo ita fiant, ut modo sit pallens, modo ruber, modo lutheus, quibus materierum diuersitas significatur, nempe diuersæ materiæ diuersos in nostro corpore colores, sapores, & alias qualitates inferũt. Vnde & Philotheus dicit, colores δραστικαῖς ποιότησιν ἕπονται. idest, efficaces qualitates sequuntur.

νόσου μῆκος σημαίνει. idest, Morbi longitudinem significat.] Quod nulla alia de causa fit, nisi quia ob prædictas mutationes, materiæ difformitas significatur & multitudo, quæ prolixum morbum parit: quum enim materia difformis est, longũ morbum facit, tum quia multitudinem auget, tum quia uires prosternit calorem dissoluẽdo, tum quia naturalis calor diuertitur: ne ita bene agat, sicuti ageret, si materia cõformis esset, & homogenea. Est uero longus morbus si uires robustæ sint, uel modo sanetur, uel denique moriatur: sed si uires debiles sint, hic necessario moritur. At si materiæ solum essent difformes, & non multæ, in sanitatem restitui posset. Docet uero Philotheus, morbũ prolixum fieri ex diuersitate harum dispositionũ, quia natura has dispositiones diuidat in partes, καὶ τῇ μιᾷ μαχομένῃ, ἡ ἑτέρα αὔξεται. idest, Et una pugnante, altera crescit.

Quod legitur, Alterum ex altero, illa particula Ex, significat post, sicuti & Auerrois & omnes Aristotelis interpretes quum Græci, tum Latini, in primo De physico auditu libro, quum illam propositionem interpretantur, ex priuatione fit forma, idest post priuationem fit forma.

GALENVS

VARIÆ dispositiones diuturniores sunt, quàm quæ sunt uniusmodi, quum non possit natura in paruo tempore multas conficere dispositiones.

BRASAVOLVS

GALENVS aphorismi causam reddit, quia uariæ dispositiones sunt diuturniores, quàm illæ, quæ uno modo sunt, quia natura in paruo tempore multas dispositiones destruere non potest. In principio Commenti deest particula Semper: nam legi debet, Variæ dispositiones semper: quia Græce legitur, αἱ ποικίλαι διαθέσιες ἀεὶ χρονιώτεραι γίγνονται. idest, Variæ dispositiones semper diuturniores fiunt.

Quod in fine legitur, Multas conficere dispositiones: Græce est, κατεργάζεσθαι τὰς πολλὰς διαθέσιας. Leonicenus interpretatur multas conficere dispositiones. Nos potius interpretamur, Multas destruere dispositiones. nam uerbũ κατεργάζομαι, destruo etiam significat. Conficere autem uerbum est ambiguum.

APHORISMVS XLI

SVdor multus ex somno factus absq; causa manifesta, corpus uti pluri cibo significat. Si uero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quòd euacuatione indiget.

BRASAVOLVS

QVI plurimum sudat dormiens, sine aliqua extrinseca causa, ut qui non sit in calidario, nec sit nimis tectus, sed id per se agat, hunc nimis comedere iudicato: nam ex pluri cibo plures humiditates gignuntur, quæ à naturali calore, qui in somnis intus redactus est, ad cutim expelluntur: & ita per modum sudoris exeunt. Si uero hæc sudoris copia in homine accidat, qui nõ multum comederit, hunc multis humoribus plenum esse iudicabis, qui hunc sudorem inducũt: propterea is qui dormiens sudat, & non ex causa manifesta, nec pluri cibo usus est, euacuatione indiget. Hippocrates, hũc sudorem in homine sano fieri intelligit, non in ægro: & ideo id quod ex hoc loco habeẽ est prognosticũ signũ, & etiã docet preseruare à morbo: quia euacuãtes, quãdo quispiã euacuatiõe indiget, à morbo, & plerũq; à morte præseruabimus. unde & idẽ Hipp. de homine sano

loquens in libro De crisi, inquit, Sanus si multum sine causa sudet, morbum significat: si per æstatem, minorem: si per hyemem, maiorem eodem accessurum. Ideo cum hos sudores uidebimus, ne febrem aut aliam ægritudinem incidat, euacuare debemus. nam si non euacuabimus, ægrotare opus erit: propterea in eodem loco addit, Quem si per se consistere sinas, per inferna ueluti ramenta demittet: si pauca, morbus pusillus & breuis erit: si multa, magnus & longus.

ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου γινόμενος. idest, sudor multus ex somno factus.] Bene multus, quia si paucus esset, nihil significaret, uel esset nullius momēti: cum uero multus est, necessario à multa materia fiet. Sed cum supponamus hūc comedere, iudicandū est, quod ex pluri cibo proueniat, quem insumit, quàm pro uictu insumere deberet, & pro sanitate seruanda. Sed dubitabis, an hic sudor tam de die quàm de nocte in somno fiat. Respōdemus, si etiam in die dormiamus, his qui multum comedêre profluit sudor, imò & in uigilia etiam profluit, sed non ita facile, quia naturalis calor non est intus contractus ut ad cutim facile expellere possit. Hippocrates uero uigiliæ non meminit, quia in uigilia ex multis causis sudor fieri potest. Vnde & Philotheus dubitat propter quid, in somnis dixerit, inquiens: διὰ τί δὲ εἶπεν ἐξ ὕπνου; ὅτι ἐν τοῖς ὕπνοις ἐνεργοῦσι πᾶσαι αἱ φυσικαὶ δυνάμεις, καὶ τότε τὰ ἄχρηστα ἀπὸ τῶν χρηστῶν διακρίνεται. idest, propter quid autem dicit ex somno? quoniā in somnis omnes naturales potentiæ operantur, & tunc inutilia ab utilibus discernuntur. Sunt uero multæ causæ, quare somnus sudores abundantiores faciat, quàm uigiliæ. una est naturalis caloris contractio, qui ob hoc fortior redditus materias ad sudorem aptas facilius extra transmittere potest. Sudor enim (ut Galenus in ultima parte libri Artis medicinalis edocet) omnes euacuationes sedat, præter sudorem: & ratio est, quia illo tempore à naturali calore per totum corpus nutrimentum transmittitur, cum quo sunt humiditates, quæ per sudorem exeunt: & ideo hæc est altera causa, cur in somnis magis sudamus, quia nutrimētum per totum corpus distribuitur, & nutrit: propterea humidæ materiæ ad sudorem aptę, quæ in insensibilibus cutis meatibus sunt, tunc facilius expelluntur. Et alia causa ex hoc sumitur, quia cū omnes aliæ excretiones in somnis retineantur, illæ magis abundant, quæ ad sudorem pertinent. Adde, in uigilia quia naturalis calor ad cutim extenditur, multæ materiæ egrediuntur & resoluuntur, quæ in somno condensatæ per uiam sudoris expelluntur.

ἄνευ φανερῆς αἰτίης. idest, Sine manifesta causa.] Hoc quia nimis tectus non sit, nec cibaria multum calida comederit, nec insensibiles meatus, quos poros uocant, multum apertos habeāt, nec debiles sint eorum uires: quoniam ob hoc posset per relaxationem sudare, & manifesta causa haberetur. Nec repletionis signa appareant, quoniam si adessent, manifestam causam haberemus.

τὸ σῶμα σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται. idest, Corpus significat, quod pluri cibo utatur.] Quoniam altera causa reddi non potest, quàm cibi multitudo. Ex cibi enim multitudine multi humidi uapores cutim petentes eleuātur: qui condensati per modum roris exeunt. Imò addens ad humores, qui in corpore sunt uapores multiplicanť, & sudor consequēter emittitur. Vbi etiam multus cibus ingeritur, multi humores fiunt, qui plurimi sudoris causa existunt. Vnde & Philotheus dicit, καὶ γὰρ αἱ τροφαὶ, μάλιστα δὲ αἱ θερμαὶ θερμαίνουσι τὰς ὕλας, καὶ λεπτύνουσιν αὐτὰς, καὶ ἐκδιώκουσιν ἐπὶ τὸ ἐκτὸς, καὶ ἱδρῶτας ποιοῦσι. idest, Etenim cibi, potissimum uero calidi, materias calefaciūt, & attenuant ipsas, & impellunt ad extra, & sudores faciunt.

ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίνηται, idest, Si autem in cibum non accipiente hoc fiat.] scilicet sudor profluat, in homine qui pluri cibo non utatur, tamen fiat sine causa manifesta (sicuti prius dictum est) opus est hunc materiā multam in corpore repositam habere, quæ est sudoris causa. In Aldino codice hæc particula τοῦτο γίνηται, legitur τοῦτο πάσχει. i. hoc patitur: tamē in aphorismi intellectione quicquid horū legatur, nihil refert.

εἰδέναι ὅτι κενώσιος δεῖται. idest, Scire oportet ꝙ euacuatione indiget.] Aldinus contextus legit, σημαίνει ὅτι κενώσιος δεῖται. i. significat ꝙ euacuatione indiget. quicquid aūt legatur, ad rem ipsam nihil refert. Indiget aūt euacuatione, ne ægritudinē incidat. nā ex hoc sudore plethoria. i. humorū abūdantia significať. Quod si dicas non uideri indigere euacuatione, quia sudor ipse euacuatio est, quæ pro his humoribus euacuādis satis esse

uidetur

uidetur. Respondemus, omnino esse unam euacuationem, sed non est plena, nec tanta, quanta indigemus, quoniã subtiliores partes solum euacuamus, quæ insensibiles meatus facile exire possunt: crassiores uero partes intus remanent, & hæ maiori potentia indigent, si expelli debeant. Si uero dubites propter quid is qui nimis comedit euacuatione non indiget: Respõdemus ob id, quia quod de nouo assumitur, alijs humoribus adhuc mixtum non est, propterea ex sola abstinentia resoluitur. hoc autem in humoribus fieri non potest, qui per longum tempus collecti sunt: nempe nisi euacuentur, non possunt per inediam resolui.

GALENVS

NONNVLLI ita scribunt aphorismum, Sudor multus ex somno factus sine causa manifesta. Alij uero, sine aliqua alia causa: uerum hæc etsi non adijciantur, millies in mille sermonibus ab ipso prætermissa intelliguntur, quia hæc etsi non dicantur, tamen subaudiuntur à nobis, ut qui semel ab ipso didicerimus, quòd qui à causa extrinseca non ex dispositione corporis casus proueniunt, nullam faciunt certam præcognitionẽ, hoc itaq; semper oportet meminisse. Quod uero in præsenti aphorismo docetur, in uerbo, multus, adiecto maxime existit. Si enim sudor multus non esset, posset & propter uirium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere. Ipsius uero multitudo, altera duarum causarum fit, uel propter ciborum qui sunt recenter assumpti immoderantiam, uel illorum qui antea. Quod si propter recenter assumptos, prohibere oportet ne plures assumant: quod si propter prius assumptos, euacuare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus illam particulã, sine causa manifesta, duobus modis legi suadet, uno modo sine causa manifesta, alio modo sine aliqua causa: tamen & si hæc non adijciantur, cum sint millies ab Hippocrate dicta, ea repetere non est opus, sed continuo subintelliguntur. quoniam quæ ab extrinseco fiunt, nullam certam præcognitionem facere possunt.

SECVNDO Galenus notat, id uerbum multus, ideo positum esse, quia si paucus sit sudor, & ex imbecillitate uirium, & ex raritate corporis prouenire potest. Si uero sit multus, uel est propter cibos recenter assumptos, uel propter eos qui antea assumpti sunt: si propter assumptos recenter, prohibe ne amplius assumat: si ob prius assumptos, euacua. Qui nihil aliud sunt, quàm humores coaceruati. Vnde & Oribasius hunc aphorismum commentari uolens, hac distinctione utitur, sudor aut ex repletione, aut ex inanitione fit. ex repletione, aut cibi, aut humoris. & Philotheus dicit multum sudorem in somnis fieri, ἢ γὰρ διὰ πολλὴν τροφὴν, ἢ διὰ περιττώματα. idest, Vel ob multum cibum, uel ob superfluitates. At superfluitates nihil aliud sunt, quàm id quod Galenus uocat cibum antea assumptum.

APHORISMVS XLII

SVdor multus, calidus, uel frigidus superfluens, frigidus magis, calidus minus, significat morbum.

BRASAVOLVS

SVPERIVS dictum est, Vbi sudor, ibi ægritudo. & ideo si in quocũq; tẽpore morbi, præter quàm in die iudicatorio sudor multus appareat, considerandum est, an frigidus, an calidus sit. nam quilibet sudor morbum significat, sed frigidus intensiorem, calidus minus intensum. unde in omnibus ægritudinum temporibus indifferenter ab Hippocrate sudoris frigidi ad calidum comparatio fit. à materia etenim frigida frigidus fit, à calida calidus: sed frigida materia à naturali calore minus uinci potest, quàm calida, propterea frigidus sudor morbum magis significat, quàm calidus. uocat autem Philotheus & hunc aphorismum σημειωτικὸν, idest significatiuum.

ἱδρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρός. idest, Sudor multus calidus uel frigidus.] scilicet morbũ significant, quoniam ubi sudor, ibi ægritudo. Theodorus Gaza non uidetur hanc aphorismi

rismi partem recte interpretatus esse. Ipse enim hoc modo interpretatur, modo calidus, modo frigidus, sed ea quæ sequũtur ostendunt, quod separatim de calido, & separatim de frigido loquatur, non de calido, & frigido, quæ in eadem ægritudine diuersis temporibus succesiue fiant. quoniã ubi id fit, est signum mortis, sed de calido sudore in uno, & de frigido in altero, uel in eodem homine, sed in diuersis temporibus, & in diuersis ægritudinibus intelligere oportet. Oribasius dicit multum sudorem illum esse qui hoc significet, & nõ paucum. quoniã ex pauco sudore iudicium nõ fit. Meus antiquus contextus legit, ἢ καὶ ψυχρός, idest uel & frigidus. addit enim illam particulam καὶ. Philotheus uero non habet particulam ἢ, sed legit calidus & frigidus: quod non probo. Leonicenus, & alij multi contextus prius calidum quàm frigidum legunt, sed Aldinus contextus primo legit ψυχρός, quàm θερμός, idest frigidus quàm calidus, sed hoc ad rem ipsam nihil facit.

ἀεὶ ῥέων. idest, Semper fluens.] Non superfluens, ut Leonicenus interpretatur. magis probe interpretatur Theodorus, asidue fluens, quamuis eum errorem librario potius quàm Leoniceno attribuendum iudicemus. dicitur uero, semper fluere, ut significetur de sudore in quocunque morbi tempore sermonẽ fieri. Philotheus uero ita dicit, ἰσέον δὲ, ὅτι διὰ τὸ, ἀεὶ ῥέων, τὴν ἐπίμονον ῥύσιν τοῦ ἱδρῶτος ἐδήλωσε. idest, Sciendum autem quod propter hoc, semper fluens, constantem sudoris fluxum ostendit.

ὁ ψυχρὸς πλέων. idest, Frigidus magis] scilicet morbum significat. quia etiam superius dicebat, frigidos sudores cum acuta quidem febre mortẽ, cum mitiori uero morbi longitudinem significare. tamen non est opus, ex hoc dicto statim inferre, calidos sudores esse bonos, quoniã simpliciter dictum est, ubi sudor, ibi morbus est. Fit uero multis de causis frigidus sudor, quandoque ex defectu naturalis caloris, ut in febribus acutis quandoque contingit, quando ægri sunt prope mortem: uel ob multam frigidam materiã, uel ob crassitiem suam, uel quia materia uenenosa est. Sed quomodocunque sit, semper peior est hic sudor, quàm calidus, & morbum longiorem esse ostẽdit. Cuius rationẽ assignat Philotheus inquiens, διὰ τὸ πάχος τῆς ὕλης καὶ τὸ δυσδιαφόρητον. ὅπως μὲν κεχρωσμένοι ὄντες σημαίνουσιν. idest, Propter crassitiem materiæ, & difficilem ut discutiatur. Sic enim colorati existentes, significant.

ὁ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει. idest, Calidus minus morbũ significat.] Nam facta comparatione calidi ad frigidum, frigidus semper intensiorẽ morbum in eadem specie morbi significat, facta etiam in omnibus morborum paritate: quoniam si quis posuerit peracutam febrem patientẽ, & talem quę duceret in mortem cum sudore calido: alter uero febre lenta deprehensus esset cum sudore frigido, peior esset in hoc casu calidus sudor, quàm frigidus. At paria paribus reddentes, semper frigidus sudor calido peior erit, quoniam eius materia coctiõi magis rebellis esset, quàm materia sudoris frigidi. Vnde Oribasius dicit, frigidus sudor ex pituita est, & ideo longiorem ægritudinẽ significat, propter ipsum humorem, qui tarde extenuatur. Calidus ex bilioso est, ideoque minorẽ ægritudinem significat, eo quod celerius finitur. Notatque, frigidum & calidũ naturaliter de sudore non fieri, nisi aut frigidus sit, aut calidus: tamẽ alias etiam qualitates habet, quia male olens, & non male olens. Philotheus uero dicit, breuiorem morbum significare calidum sudorem: διὰ τὸ εὐδιαφόρητον τῆς ὕλης ἢ ὅτι ἡ ξανθὴ χολὴ, καὶ τὰς δυνάμεις ἐρρωμένας ἐνδείκνυνται. idest, Propter facilem ad discutiendum materiam, idest ut discuti posit, quæ flaua bilis est, & potentias robustas esse demonstrat.

At si tu dubitabis, si contingat sudorem & calidum & frigidum fieri, quid portendet? Respondemus, si in eodem ægro sit, mortem proximam significat, præsertim quum uires sũt debiles. At Philotheus dicit, εἰ δὲ ἄμφω ὑποστῶσιν παρὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. εἰ μὲν θερμὸς ἐπικρατεῖ, βραχυχρόνιον τὸ νόσημα. εἰ δὲ ψυχρὸς, μακροχρονιώτερον. εἰ δὲ ἴσοι ὦσι, κακὸν μᾶλλον, ἢ ἀγαθὸν σημαίνει. idest, Si uero utrunque secundum magis & minus substineant: siquidem calidus superabundabit, breuis temporis morbum significat: sin frigidus, longi temporis: at si æqualiter sint, potius malum, quàm bonum significabitur.

GALENVS

DE sudoribus quidem qui in diebus iudicatorijs fiunt dictum est prius. De his uero qui in toto morbi tempore apparent sine iudicatione in hoc ostendit aphorismo. Difficiliores quidem inquiens esse frigidos sudores, minus uero his malos, calidos esse. Indicant quidem utriq; multitudinẽ adesse, sed alteri frigidam, qui & peiores sunt. Alteri uero calidam, qui & minus illis sunt exitiales.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem superius de sudoribus qui in diebus iudicatorijs fiunt, locutum esse: nunc uero de his agit, qui in toto morbi tempore sine iudicatione apparent.

SECVNDO docet Galenus, peiores esse frigidos sudores calidis, certum enim est, & calidos & frigidos sudores multitudinem materierum in corpore esse significare: sed frigidi frigidam materiam, calidi calidam portendunt. Est autem frigida materia difficilius à natura superabilis, quàm calida. ideo & sui sudores magis exitiales sunt, quàm sudores materiæ calidæ.

APHORISMVS XLIII

FEbres quæcunq; non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocunq; autẽ modo intermiserint, periculum abesse significatur.

BRASAVOLVS

AB HOC aphorismo, quem nunc interpretãdum suscepimus, usq; in finem ferè huius libri quarti, ab Hippocrate de febre, aut de symptomatibus quæ morbũ consequuntur, sermo fit. Nunc autem docet, febres omnes continuas, tamen tertianis proportionales, quia tertia die semper uehementiores sunt: hæ inquam sunt, periculosiores, quàm intermittentes. Nempe securissimæ sunt intermittentes, continuæ uero minus securæ, quia nunquam ægrum deserunt quin affligatur, & semper habent sæuiora symptomata continuæ, quàm intermittentes habeant: & in continuis uires magis deijciuntur, quàm in intermittentibus. Adde, quod continuarum materia maiorem directionem habet ad cor, & ideo sunt magis periculosę. Philotheus hunc aphorismum in conclusis febribus intelligere uidetur inquiens, νῦν δὲ περὶ συνόχων πυρετῶν διαλέγεται. idest, Nunc de conclusis febribus disputatur: nisi per συνόχον idem quod continuum intellexerimus: aliter, synochus est species una continuæ febris, cuius minera in uenis propè cor continetur, & putret. In nostro antiquo contextu ante hunc aphorismum præfixus est hic titulus, περὶ πυρετῶν, idest de febribus: & non immerito, quia plures aphorismi qui sequuntur, de febribus, aut de febrium symptomatibus sermonem habent.

Πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες. idest, Febres quæcunq; non intermittentes.] sed continuæ, uel proportionales, uel (ut recentes dicunt) conclusæ. Imò & Philotheus idem intelligit, inquiens, μὴ διαλείποντες γὰρ, οἱ συνεχεῖς εἰσιν. idest, non intermittentes enim quæ conclusæ sunt: imò intelligit ardentes, quia statim subsequitur, ἀλλὰ συνεχῶν ἐκείνων τῶν καυσωδῶν πυρετῶν. idest, sed ex ipsis continuis, febres ardentes. Tamen non putamus, Hippocratem ad ardentes febres uel ardores arctandum esse, præsertim quia non fiunt tertia die fortiores, sed etiam secunda.

Διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται. idest, Per tertium fortiores fiunt.] Vel tertio die, ut Leonicenus interpretatur. Eas uero notat, quæ per tertium fiunt, quia malæ sunt febres magis molestæ tertianis, ut Galenus in libro De morborum temporibus, hunc aphorismũ exponens docet. Nota hic dici, tertia die fortiores fieri. tamen si tertia die fiant æqualiter fortes, sicuti prima die, adhuc periculum esse, intelligere oportet. Hoc addidi ob sententiam quandam recentiorum, qua dicunt, opus esse tertia die esse fortiores, quàm prima die. Sed Hippocrates intelligit potius quàm secunda die, ut notet esse tertianas. Propterea in meo antiquo contextu duæ lectiones sunt, una est ἰσχυρότεροι, idest fortiores: alia ἰσχυροί, idest fortes: imò etiam adest particula Et, καὶ ἰσχυροί, idest & tertio die sint fortes, quales fuere prima die. Hæ inquam sunt magis periculosæ. Ideo addit,

Μᾶλλον ἐπικίνδυνοι. idest, Magis periculosæ sunt] quàm illæ quæ intermittunt: nam continuæ nũquam sinunt naturam quiescere: certum est enim, morbum qui semper affligit, periculosiorem esse eo qui per temporis spatium intermittit, & cum natura inducias facit. Philotheus uero dicit, esse periculosiores has non intermittentes febres, ὅτι ἐνδείκνυται πάχος ὕλης καὶ ἀσθένεια δυνάμεως, ἀλλὰ μὴν καὶ ὅτι οὐ καιρὸς ἐπιδόσεως τροφῆς ἐστὶ τὸ τηνικαῦτα, διὰ τὴν συνέχειαν τῶν παροξυσμῶν. idest, quoniam crassities materiæ demonstratur, & potentiæ debilitas. Sed certe & quod non adest tunc tempus augẽdi nutrimẽtum, ob continuationẽ accessionum. Aliam causam reddit Philotheus, inquiens: ὅτι σημαίνουσι κύριον μόριον φλεγμαίνειν, τυχὸν πνεύμονα ἢ ἧπαρ. idest, quod significat principalem aliquam partem inflammari, fortasse pulmonem uel iecur.

ὅτῳ δ᾽ ἂν τρόπῳ διαλείπωσι. idest, Quocunque autem modo intermiserint.] Non, ut dicunt recentes, de tertio in tertium intermittunt tertianæ, de quarto in quartum quartanæ, de quinto in quintũ quintanæ: ut sensus sit, quomodocunque intermiserint, idest quantocunque tempore, uel unum diem, uel duos, uel tres intermiserint.

Σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι. idest, Significat quod sine periculo sunt.] Nos uero hoc modo non intelligimus Hippocratẽ, sed eum ex Galeni uerbis exponimus in libro De morborum temporibus, qui hanc particulam intelligit, quocunque autem modo intermiserint, in illa febre solum, quæ de tertio in tertium affligit. Inter has uero aliquæ sunt, quarum accessiones per duodecim horas perseuerant, aliquæ per quindecim, aliæ per decẽ & octo, quomodocunque intermittant, uel per maius spatium, uel per minus, periculum abesse significatur. Imò & Galenus in præsentis Aphorismi commentatione hunc sensum huic parti tribuere uidetur. Nunc uero Galeni uerba adducemus, ne ea longius petere cogaris, quibus non modo docet quod dictum est, sed & quod intermittere est per aliquod spatium à febre liberum esse. Inquit ergo in libro De morborum temporibus: proinde quum Hippocrates dixerit, Febres quæ non intermittunt tertio die fortiores, magisque periculosæ fiunt, quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur. hoc intermittere de alia parte circuitus qui integritatem transgreditur, capiendum est. non enim iam hoc ait, quocunque modo se habeant: nam hoc falsum est. quippe cum tertiana febrium deterrima sit, tamen in declinationem quibuslibet manifestã peruenit: & alijs omnibus hac parte synochis dissimiliter: quoniam hę solæ febres nec inclinationem sensibus expositam, nec uniuersum circuitum, aliamque prædictorum differentiam obtinent, sed qualem tertianarum magnitudinis aliquo tempore statum esse dicimus, talem illi habent uniuersum fere ipsarum decursum. Si igitur, ut diximus, natura periculo uacant, quæ ad integritatem desinunt, sicuti in libris De febribus, ostẽdimus: non aliud Hippocrates intermittere nominauit, quàm ad integritatem finire. Vnde conijcere potes, totum Galeni studium in hoc loco esse, edocere quid significetur per uerbum Intermittere: est autem intermittere, ad integritatẽ uenire. Integritas uero est, cum inter accessionem & accessionẽ homo non febrit, quod recentes appellarunt uenire ad infebriam. tamen uidetur Philotheus non intelligere penitus infebriã, per hoc tempus, inquiens, διάλειμμα δὲ ἀκουστέον οὐ τὴν παντελῆ ἀπυρεξίαν, ἀλλὰ τὴν μειοπυρεξίαν. idest, residuum uero (scilicet temporis, quod inter unam & alteram accessionem interponitur) intelligendum est non omnino priuationem febris, sed imminutionem. Celsus quoque capite quarto secundi libri, ubi de malis ægrotantium signis tractat, cõtinuas febres periculosas facit, inquiens, Et eas febres, quæ quotidie tempore eodem reuertunt, quæue semper pares accessiones habeant, neque tertio quoque die leuentur, quæue continuent, uel per accessiones increscant, per discessiones tãtum molliãtur, nec unquam integrum corpus dimittant, pessimũ est, si ne leuatur quidem febris, sed æque concitata cõtinuet.

Oribasius dicit, ab Hippocrate dictum esse, tertio die fortiores, quia quàm maxime typicæ omnes in tertio die cognoscũtur: quodque sint continuæ magis periculosæ quàm interpolatæ, exemplo ostendit, in homine qui unomet equo duobus diebus centũ milliaria peragrare uoluerit, si illa successiue pagrabit, equus ualde deficiet. At si quinquaginta perficiat, deinde diem interponat, facilius alia quinquaginta trãsibit. Quod exemplum ad intermittentes febres deinde aptat: quia natura in die intermissionis uires colligit, ut sequenti die facilius cum morbo præliari possit. Si uero differentiam inter in-

termittentem, & non intermittentem febrem quæsiueris, facile erit assignare. nam non intermittentes semper molestant, intermittentes non semper. non intermittentes à materia fiunt quæ in uenis continetur, intermittentes ab ea quæ est extra uenas. non intermittentiũ materia ut plurimum est in loco nobiliori, intermittẽtium in ignobiliori, non intermittentium materia faciliorem habet raptum ad cor, intermittentium minime. sæuiora sunt in non intermittentibus symptomata, mitiora in intermittentibus. non intermittentes uires corporis magis deijciunt, intermittẽtes minus. Si uero dubites an quispiam ex intermittente febre obire possit. Respõdemus, non posse obire, ut interpolata est, nisi symptoma aliquod superueniret, quod hoc inferret. unde comparatio fit intermittentium febrium ad non intermittẽtes, & infertur esse magis periculosas non intermittentes intermittentibus. Quod intelligere oportet, si omnia sint æqualia, quia in intermittente talia symptomata inesse possent, & in non intermittente abesse; quod intermittens in illo casu esset magis periculosa non intermittente.

GALENVS

QVOD Hippocrates per uerbum Intermittere, accessiones intelligat quæ in quietem febre uacantẽ desinunt, manifestum fecit in hoc aphorismo, febres illas quæ per tertiam accendũtur, si quouis modo quieuerint, inquiens esse absq; periculo. Solæ enim illæ quæ in quietem febre uacantem desinunt, periculo carent, etiam si uehementissimam, & satis longam habuerint accessionem. Si enim adeo breuis fuerit, ut in tertianis legitimis, minori duodenis horis tempore circunscripta, non modo sine periculo talis est febris, sed etiã cito iudicatur. Si uero longius quàm duodecim horarum occupet tempus, adeo ut ad triginta, uel decem & octo peruenerit horas, est quidem & hęc citra periculum. Tanto autẽ longior, quanto & eius accessio maior extiterit, quàm tertianæ exquisitæ. Non absq; ratione autem eas quæ in quietem febre uacantem desinunt, esse absq; periculo inquit, ut quæ non ex inflammatione aliqua, neq; ex maligna humorum putredine occasionem habeant. Neutra enim harum ad quietem peruenit febre uacãtem. Quocunq; autem modo intermiserint, periculum abesse significatur, hoc est, siue uehemens, siue longa fuerit accessio.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid significetur per uerbum Intermittere, quod ipse sua lingua dicit διαλείπειν, intellige uero per intermittere, accessiones quæ in talem quietem desinunt, ut is qui habet, febre careat, & hoc in pręsenti aphorismo docuit: unde solæ istæ febres quæ intermittunt periculo carent, etiam si uehementissimæ sint, & longam accessionem habuerint.

Quod in principio commenti legitur, Quod Hippocrates per uerbum intermittere, accessiones intelligat: Græce habetur, ὅτι τὸ διαλείπειν ὁ ἱπποκράτης ἐπὶ τῶν εἰς ἀπυρεξίαν παυομένων παροξυσμῶν λέγει. idest, quod hoc quod dicitur intermittere, Hippocrates in accessionibus intelligat, quæ in quietem febre uacantem desinunt.

Quod etiam legitur, Solæ enim illæ quæ in quietem febre uacantem desinunt, periculo carent. deest una particula ante illã Periculo carẽt, quæ est inter has. Gręcus enim contextus dicit, μόνοι γὰρ οἱ εἰς ἀπυρεξίαν ἐξ αὐτῶν, εἰσὶν ἀκίνδυνοι. idest, solæ enim illæ quæ in infebriã, uel secũdũ Leonicenũ, in quietẽ febre uacantẽ desinũt ex ipsis, periculo carẽt.

SECVNDO Galenus per intermittentes febres discurrit, docens, si fuerit exquisita tertiana, quæ duodecim horas non pertransit, imò in minori etiam tempore desinit, hęc & sine periculo est, & cito iudicatur: si uero sit adeo longior, ut ad decem & octo horas perueniat, citra periculum omnino est: sed tanto longior est, quãto eius accessio maior extiterit, quàm tertianæ exquisitæ accessio.

Quod legitur, Vt in tertianis legitimis: Græce est, ὡς ἐν τοῖς ἀκριβέσι τριταίοις. idest, ut in iustis tertianis, uel exquisitis tertianis. tamen & id mihi placet, in legitimis tertianis.

Quod legitur, Si uero longius quàm duodecim horarũ occupet tempus, adeo ut ad triginta, uel decem & octo peruenerit horas: hoc præcise habetur in antiquo meo contextu, qui ita legit, ἐὰν δὲ μακρότερος τῶν δώδεκα ὡρῶν, ὡς τριάκοντα ἢ δεκαοκτὼ ἐν τύχῃ ὑπάρχειν. Quæ uerba idem præcise significant, quod Leonicenus interpretatus est. Tamen omnia hæc uerba in eodem nostro antiquo contextu obelo confossa sunt: & hoc

modo

modo legendum esse ostenditur, ἐὰν δὲ μακρότερος, ὡς ὀκτὼ καὶ δέκα ὡρῶν εἰ τύχη ... id est, si uero longior ut ad decem & octo perueniat horas. Itaq; etiam legit Aldinus contextus: putamusq; hanc esse ueram huius partis lectionem, nec particulā Triginta, addi posse: quia in tertianis etiam notissimis accessiones ad triginta horas nunquā perueniūt.

Deniq; Galenus huius partis aphorismi rationem assignat, merito dicens febres illas absq; periculo esse, quę in quietem febre uacantem desinunt. nam neq; ex inflammatione fieri possunt, neq; ex maligna humorum putredine. quæ enim uel ex inflammatione, uel ex maligna humorum putredine fiunt, non ueniunt ad infebriam. unde intermittere, quocunq; modo sit, uel breue, uel longum sit spatium, semper periculum abesse significatur.

APHORISMVS XLIIII

Qvibus febres longæ, his tubercula, uel labores in articulis fiunt.

BRASAVOLVS

IN trigesimosexto huius libri aphorismo à Galeno docemur, febres, quæ quadragesimum diem excedunt, raro per sudorem terminari: tamē non imus inficias id fieri posse, sed ut plurimum per tubercula terminātur, quæ in articulis fiunt, imò & in omnibus alijs partibus: uel terminantur per articulorū dolores. Nos frequenter diuturnas febres in psoras ualde humidas terminare uidimus, & quandoq; in aridas, quādoq; in dolores podagricos aut chiragricos. Et horum affectuū ratio in promptu est, quia in febre longa materiæ insunt, quæ nec à uiribus extra per modum crisis trāsmitti possunt, nec ipsæ sua sponte aptæ sunt, ob crassitiem quam habent, & glutinositatem expelli. ex hac enim materia fiunt diuturnæ febres. nam Philotheo teste, πυρετοὶ μακροὶ γίνονται διὰ πάχος ὕλης. idest, diuturnæ febres fiunt ob materiæ crassitiem.

ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροί. idest, Quibus febres longæ.] In his enim febribus potissimum materiæ insunt aptæ, ut expelli possint ad articulos, quia multæ & frigidæ, ut dicit Galenus: propterea febrem diuturnam parant. In hac enim febre (ut Philotheus dicit) κατ' ἀπόστασιν ἡ κρίσις γίνεται, ὥσπερ τοῖς ὀξέσι διὰ ἱδρώτων. idest, per abscessus iudicium fit, sicuti in acutis per sudores.

τουτέοισι ἢ φύματα. idest, In his uel tubercula.] At quamuis φῦμα, tuberculum significet, quod in partibus adenosis fit, & quod uelocem habet accessum ad maturitatem: tamen in præsenti omne genus abscessus, in quacūq; parte intelligere oportet. Propterea non ab re Philotheus exponit ἀποστάσεις, idest abscessus: quos ita dicit fieri, εἰ γὰρ ῥωμαλαῖαι εἰσὶ αὐτῶν δυνάμεις, ῥίπτουσιν ἐπὶ τὸ δέρμα τοὺς χυμοὺς, κἀντεῦθεν φύματα συμβαίνει γίνεσθαι. idest, si enim robustæ sunt ipsorum potentiæ, humores in cutim eijciunt, & hinc tubercula fieri contingit.

ἢ εἰς τὰ ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται. idest, Vel ad articulos dolores fiunt.] Hæcq; est nostri antiqui contextus lectio, qui non iungit illam particulam Ad articulos, cum illa Tubercula: sed solum particulam illam Ad articulos, cum illa Labores complicat: & hoc multum conuenit: quia φύματα, idest tubercula, in articulis non fiunt, sed in inguinibus, & sub alis. Experientia uero nos docet, in diuturnis febribus hæc tubercula (quæ panos uocamus) sub alis fieri, in inguinibus, & plerunq; in toto corpore: tamen contextus Aldinus illam particulam Tubercula, cum illa In articulis, simul iungit, inquiens, ἢ φύματα ἐν τὰ ἄρθρα. Et ita uisus est in suo contextu habuisse Theodorus. Leonicenus uero indifferenter Labores, & Tubercula, ad Articulos coniūgit. Nos igitur simpliciter diceremus, uel fieri phymata per quamcūq; corporis partem, uel fieri dolores ad articulos, ut Galenus in Commēto innuere uidetur, inquiens: Par igitur est & tubercula fieri, & ad articulos superfluitatem decūbere. Nos igitur magis probamus antiquum nostrum contextum, qui legit, ἢ φύματα, ἢ εἰς ἄρθρα πόνοι ἐγγίνονται. idest, uel tubercula, uel ad articulos dolores fiunt. ut horum affectuū unum fieri ostendat: tamen quandoq; utrūq; fit, quandoq; nullum, præsertim quum materiæ penitus resoluuntur,

aut inconcoctæ euacuantur. At quum fieri contingunt, ideo fiunt, quia natura de robustiori membro in minus robustum materias transmittit: id uero à natura fit, quia impotens est per conuenientes uias expellere. ad articulos uero in diuturnis febribus transmittuntur, ut Philotheus dicit, διὰ τὴν εὐρυχωρίαν, ἢ διὰ τὴν θερμασίαν τῶν ἄρθρων. idest, Propter latum spatium, uel propter caliditatem articulorum. Caliditas enim aperit, & ad se trahit; capacitas uero complectitur: & ita fiunt dolores in articulis & labores: nam Philotheus duobus uocabulis utitur, πόνοι καὶ ὀδύναι. Hippocrates in umbilico ferè libri De humoribus, quem Galenus non negat esse Hippocratis, hunc aphorismum ampliat, dicens, Per longas uero febres, in articulis uel iuncturis, uel secūdum maxillas potissimum abscedit. Oribasius uero huic aphorismo alium sensum præbere uidetur, quàm habeat Hippocrates, hunc scilicet, Si in febribus tumor apparuerit, tunc ostenditur ægritudinem abscessu finituram. putat igitur iam apparere, & tunc iudicari.

GALENVS

NON semper neq; hoc fit, sicuti neq; quicquam aliud huiuscemodi, sed magna ex parte uidelicet contingere uidetur. Causa autem est manifesta. Nam propter multitudinem, uel crassitudinem, uel frigiditatem humorum efficiētium febres, in longum tempus morbi extenduntur, cum longum exigant tempus ad coctionem. Par igitur est & tubercula fieri, & ad articulos superfluitatē decumbere. Siue autem per labores, dolores intelligerimus, siue læsionem, uterque intellectus habet rationem. Vtrunq; enim horum ad abscessus sequitur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus aphorismum in uerum sensum deducit, ostendens id quod dicitur, non semper contingere, quia in diuturna febre materiā resolui nihil impedit, tamen plerunque fieri constat.

Leonicenus de uerbo ad uerbum principium Commēti interpretatus est: sed nostra lingua pro negatione duas particulas negatiuas non patitur. Dicit autem Græcus contextus, οὐ διὰ παντὸς οὐδὲ τοῦτο. Leonicenus interpretatur, non semper neq; hoc fit. At exponi debet, non semper hoc fit.

SECVNDO reddit causam Galenus, cur ita fiat: nam diuturnæ febres, propter multam materiā, crassam, glutinosam & frigidam fiunt: quia eiusmodi materia multum tempus exigit ut exhauriatur & coquatur: quum uero non possit per iudicium perfectum expelli, par est ut tubercula faciat, & ad articulos decūbat, & labores pariat, quoniam insensibiles cutis meatus exire non potest.

Quod legitur, Nam propter multitudinem, uel crassitudinem, uel frigiditatē: in meo antiquo contextu adest hæc particula ἢ γλίσχρον, idest uel tenacitatem: quæ prædictis addi debet.

Quod etiam legitur, Par igitur est & tubercula fieri: deest una particula, scilicet In ipsis, nam legi debet, Par igitur est in ipsis & tubercula fieri. Græce enim legitur, εἰκὸς ἦν ἐπ' αὐτοῖς, καὶ φύματα γίνεσθαι.

TERTIO Galenus docet, siue per πόνους, idest labores, intellexerimus ἀλγήματα, idest dolores, siue βλάβην, idest læsionem: utrunq; uerum est: nempe horum utrunque ad abscessus consequitur.

Quod legitur, Vterq; intellectus habet rationem. hic deest particula, Quandam. legi enim debet, Vterq; intellectus habet quandam rationem. Græce enim est, ἑκάτερον ἔχει τινὰ λόγον.

Quod etiam legitur, Intelligerimus: Græce est ἀκούσομεν, idest intellexerimus.

APHORISMVS XLV

QVibus tubercula, uel in articulis labores fiunt, hi pluribus utuntur cibis.

BRASAVOLVS

PRÆCEDENS aphorismus de tuberculis, & de laboribus in febribus sermonem habet. Præsens uero de his quæ in conualescentia fiunt, pertractat: nempe conualescentes

tes, qui uere conualescentes sunt, tamen in ipsis tubercula fiunt, uel articulorum labores incidunt: post longas febres, ij magis comedunt, quàm ipsis opus sit. Hoc autem ueris conualescentibus accidere intelligit, quia ex diuturna febre uires imbecilliores redditæ sunt. Propterea qui multum comedunt, integre cōcoquere non possunt: ideo multæ materiæ in ipsis generantur, quæ inconcoctæ à natura ad illas partes trāsmittuntur, ad quas transmittere potest. Si ad partes adenosas, uel ad cutem transmittantur, φύματα, idest tubercula fiunt. Si ad articulos, articulorum dolores inducuntur. Oribasius exemplum ponit, Sicut oleum (inquiens) in marmore decurrit, & ubi inuenerit concauitatem retinet se: sic & hi crudi humores in articulis detinentur. Propterea podagricos & articularios arcemus à cibis. Philotheus hunc aphorismum introducere uolens, inquit: ὁ νῦν ἀφορισμὸς περὶ τῶν ἀνακομιζομένων ἐκ νόσου εἴρηται. idest, præsens aphorismus de his qui redeunt ex morbo, dicitur.

ὁκόσοισιν ἢ φύματα. idest, Quibus uel tubercula.] Ita legit antiquus noster contextus. Aldinus uero legit, ὁκόσοισιν φύματα ἐς τὰ ἄρθρα. idest, Quibus tubercula ad articulos. Nobis aūt magis arridet antiqui nostri cōtextus lectio. quamuis Theodorus Aldinum cōtextum sequi uideatur. Leonicenus uero nostrum antiquum, hoc dempto, quod ipse non habet disiunctionem Vel, ante illam particulam Tubercula. Legamus igitur, Quibus uel tubercula, & labores applicemus ad articulos, quia per totum corpus tubercula fiunt, & in inguinibus & aliis: ideo tubercula restringenda non sunt: ut de his solum intelligamus quæ in articulis fiunt. Sed ut superius fecimus in præcedenti aphorismo, ita & nūc simpliciter in omni corporis parte tubercula intelligamus, quæ fiunt (ut Philotheus dicit) si materia ὠθῇ τὸ δέρμα, idest ad cutem transmittatur.

ἢ ἐς τὰ ἄρθρα πόνοι. idest, Vel ad articulos dolores.] Vt hæc particula Vel, notet articulos iungi cum laboribus. Tamen Philotheus intelligere uidetur, quòd tubercula in articulis fiant, & deinde ex tuberculis dolores, inquiens, ὅταν εἰ μὲν πρὸς τὰ ἄρθρα ἀποσκήψωσιν, γίνονται ἀποστάσεις καὶ ἐκ τούτων πόνοι, idest, quando quidem ad articulos decumbunt, abscessus fiunt, & ex his dolores.

ἐκ πυρετῶν μακρῶν γίνονται. idest, Ex febribus longis fiunt.] Hæc particula in Leoniceni interpretatione abest: puto librarium fuisse qui omiserit. Particula autem Ex, exponi debet pro Post: ut in primo De physico auditu libro, dicitur: Ex priuatiōe fit forma. idest, post priuationem fit forma. Fit autem hoc adeo post longam febrem, ut uere sit pòst, quia febris terminata sit, & hic sit uere conualescens.

οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται. idest, Ii pluribus utuntur cibis, quia non adest alia causa, cur ista fieri deberent: nam quum uere conualescentes sint, nullos culpatos humores habent. Si uero de nouo culpati humores generent̄, alia de causa generari non possunt, nisi quia præter modum comedunt. Non est aūt opus semper, quum nimis comedunt, tubercula fieri, uel articulorū dolores: quia per sudorem, quicquid de nouo fieret, euacuari posset, & per secessum, & per alium quendam defluxus modum. Philotheus totius huius aphorismi causam hoc modo reddere uidetur, inquiens, ὅτι ὑπὲρ τὴν ἀναλογίαν τῆς δυνάμεως αὐτῶν κέχρηνται τῇ τροφῇ, κἀκ τούτου ἀπεπτοῦσιν, καὶ περιττότερα ἀθροίζονται τὰ περιττά. idest, quoniam supra proportionem potentiæ ipsorum nutrimēto usi sunt, & ex hoc non concoquunt, & superfluitates magis superfluas congregant.

GALENVS

De conualescētibus docet. His enim repletis rationabile est casus plethoricos aduenire, & maxime ob uirium imbecillitatem.

BRASAVOLVS

GALENVS breuibus docet, Hippocratis sermonē esse de conualescentibus. Nam hi multis cibis repleti, quum imbecilles uires habeant, & diuturnam febrem, ab re non est, quod plenitudinis symptomata incidant, quæ sunt, tubercula incidere, uel articulorum dolores.

Quod legitur, De conualescentibus docet. hic deest unum uerbum, scilicet ex morbo. Græcus enim contextus ita dicit, περὶ τῶν ἀναλαμβανομένων ἐκ νόσου διδάσκει. idest, de ijs qui se ex morbo recipiunt, docet.

APHORISMVS XLVI

SI rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, letale est.

BRASAVOLVS

QVVM febris non intermittens ægrum adeo molestauerit, ut debilis effectus sit, & rigor superueniat, statim prędicere oportet, hoc esse signum letale & perniciosum, quia natura materias prauas expellere tentat, quas tamẽ expellere non potest, sed ab ipsis potius uincitur, propterea iudicatur extremus uirium casus, & denicꝫ mors. Galenus in quinto libro De symptomatum causis, quendam rigoris modum à frigida materia factum, & ueteribus ignotum edocere uolens, inquit: Atcꝫ ut huiusmodi rigoris modus parum fuit ueteribus cognitus, ita perniciosus in morbis rigor, ipsis non fuit ignotus: dicente in aphorismis Hippocrate: Si rigor per febrem non intermittẽtem acciderit imbecillo, letalis est. Postea causam assignat, quæ est præsentis aphorismi causa, inquiens: Etenim in huiusmodi rigoribus, insurgit quidem natura contra res noxias, quo eas expellat, sed uicta cadit, extinguiturcꝫ: atcꝫ hanc ob rem redditur symptoma perniciosum. unde, quia materia expelli incipit, & extra mouetur ab intrinseca parte, ideo fit rigor. Quum uero sit natura debilis, perficere non potest: propterea in medio cursu, magis etiam debilitata sistit: unde consequens est, ut ad hunc rigorem mors sequatur.

ἢν ῥῖγος ἐμπίπτῃ. idest, Si rigor incidat.] Dictum est superius, apud Latinos uocabulum rigor, distentionem neruorum significare, & conuulsionẽ, qua membra rigida afficiũtur, ut Celsus utitur, Plinius, & antiqui Latini. Quum uero Celsus interpretatur uocabulum ῥῖγος, semper dicit horror: ut superius aphorismo uigesimonono docuimus: tamen in præsentiarum Gręcum uocabulum insequentes, rigor etiam Latine dicemus. Accidit autem rigor, quia natura materias prauas expellere intendit, tamen ob eius imbecillitatem non potest. Addit deinde,

πυρετῷ μὴ διαλείποντι. idest, Febre non deficiente.] Quoniam quum fit rigor, ex febre non intermittente febris intermittens fieri cõsueuit. In uero rigore, de quo sermo est, febris non intermittens in intermittẽtem non transit, imò adhuc non intermittens febris perseuerat: quia & si factus sit rigor, tamen non est expulsa materia, imò in hac actione uires effectæ sunt magis debiles. Si uero febris cessaret, uel intermittens fieret, etiam si uires debiles essent, indicium sanitatis accipere oporteret. quoniam & si uires respectu huius imbecilles sint, tamen respectu materiæ peccantis & morbi robustæ sunt. Hoc uidemus frequẽter accidere in his, qui ex non intermittentibus febribus in sanitatẽ transeunt. In his enim materia ex uenis extra uenas pellitur, & ita rigores inducuntur, qui prius aberant.

ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι. idest, Ægro iam debili.] Hoc est, quod hic factus rigor, quum febris in eodẽ tenore perseuerat, & non minuitur, necꝫ abijt, tamen iam debilis fit: quia in hoc ultimo naturę conatu, in quo ut sibi opem ferat, nocua expellere tentat, adhuc debilior efficitur. Propterea non ab re addit,

θανάσιμον, idest letale.] Est inquam signum letale, quia adhuc effecta est debilior natura. Rigor autem ob multas causas fieri potest, & semper letalis est. Vna causa rigoris, est uis contentiua: quãdo adeo imbecillis effecta est, ut membra in suo naturali esse conseruare non possit: unde tremunt membra, & rigorem patiuntur, ad quem mors sequitur: sicuti foliorũ in arboribus defectum quãdo tremunt, eo quod cito cadere debeant, consequi solet: tamen hic proprie non est rigor, quamuis tremor quidam sit letalis.

Alia causa rigoris esse potest, non materia illa quæ febrem faciebat, quia erat in uenis, sed alia noua materia quæ extra uenas recenter mouetur, & quæ rigores inducit. hi uero rigores signum mortis sunt, quia si iam uires imbecilles erant, quando ab una sola materia offendebantur, quanto imbecilliores reddentur, alia materia superueniente: imò sicuti necꝫ Hercules ad duos, ita nec hæ debiliores uires ad duas materias ualere poterunt. Alia rigoris causa est membrorum motus, qui concussiuus nuncupatur, quo mẽbra nocuos humores expellere solẽt: si hi nocui humores expellãtur, bonũ est, & hi ægri sanantur: at si uires expellere incipiant, postea sistant, ita ut rigores à materia

mota

mota fiant, & per hoc materia extra corpus non exeat, naturã deficere significat. Vnde hic rigor letalis est, & hic præcise de quo in hoc aphorismo Hippocrates intelligit, quãuis & alij præscripti rigores intelligi possent. Rigor præterea fieri posset, quia spiritus ad cor contraheretur, eo quod in spiritualibus partibus ob aliquam causam resolutio facta sit. & hæc resolutio talis est, ut ad eam plerunque syncopis consequatur. Vnde & hic rigor letale signum est, de quo rigore aphorismus non agit: tamen & ad ipsum ampliari posset. Philotheus uero rigorem hunc letalem esse ob hoc ostendit, ὅτι ἐπὶ τῶν ῥίγει, ἢ κενοῦνται τὰ περιττὰ, ἢ οὐ κενοῦνται. καὶ εἰ μὲν κενοῦνται, πλέον καταλύεται ἡ δύναμις διὰ τὴν κένωσιν. εἰ δὲ οὐ κενοῦνται, δηλοῦται παντελῶς ἀσθενὴς εἶναι ἡ δύναμις, καὶ διὰ τοῦτο ὀλέθριον. idest, quoniam in rigore, uel superflua euacuãtur, uel non euacuantur: & siquidem euacuentur, magis dissoluuntur potentiæ propter euacuationem. Si uero non euacuãtur, potentia omnino debilis esse ostenditur: & propter hoc perniciosum. Statim alia ratione utitur idem Philotheus, inquiens, ἄλλως τε ὅτι εἰ κενοῦνται τὰ περιττὰ, ὁ δὲ πυρετὸς μένει, δηλοῦται περιουσία χυμῶν. εἰ δὲ μὴ κενοῦνται, δηλοῦται ἀδρανὴς εἶναι ἡ δύναμις, καὶ διὰ τοῦτο θανάσιμον. idest, aliterque quod si superflua euacuantur, febris uero maneat, humorum abũdantia significatur: si autem non euacuãtur, potentia imbecillis esse significatur: & propter hoc, letale. Oribasius hic dubium facit, Cum sæpe uideamus rigores in tertiana, & in quotidiana, cur non moriuntur ægri? Respondet, si febri superuenerit rigor, & debilis fuerit æger, tunc mortale est. Adde tu, in tertiana & quotidiana ægrum non esse in febre, cum rigor accidit, sed in principio febris, & etiam non esse imbecillem: & quãdo in tertiana & quotidiana rigores fiunt, febres sunt intermittentes. Causam uero affert Oribasius talem cur sit letale, quia (inquit) biliosus humor iam uitalia penetrauit & occidit.

GALENVS

NON idem est si quis dixerit, Si inciderit, & si incidat. Verbum enim Inciderit, unum significat rigoris insultum, incidat uero plures. Semel igitur rigore incidente, nõdum liquet, an mors, an iudicatio optima sit secutura. Potest enim & propter uirium imbecillitatem casus esse letalis; potest autem & iudicatio periculosa, bonum tamen habere finem. Sæpius uero fieri rigorem febre non deficiente, & alioquin bonum non est, in uirium autem factus imbecillitate perniciosus. Nam si aliqua euacuatio rigorem subsequatur, quę nullam faciat intermissionem, propter utrunque dissolui hominem fit uerisimile, & quia uis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, & quia ab euacuatione dissoluitur. Si uero solus accidat rigor, nulla euacuatione subsequente, utroque modo casus caret bonitate. Nam & sicuti mala causa uim corporis tanget, & malum signum erit illius indicans imbecillitatem, quæ solita erat noxios humores in rigoribus euacuare, nunc uero hoc non potest efficere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in modo loquendi aphorismi diuersitatem esse, quoniam aliqui codices habẽt ἐπιπέσῃ, idest inciderit: alij habent ἐμπίπτῃ, idest incidat, multumque differunt: nam inciderit, unum tantum rigoris insultum notat: incidat uero, plures. ideo Galenus magis approbare uidetur, quod legamus ἐμπίπτῃ, idest incidat, ut multi rigorũ insultus annotentur: quia uno solum rigorum insultu facto, an mors cõsequi debeat, an bona iudicatio, prænotare non possumus: nam posset esse letalis ob uirium imbecillitatem: posset etiam iudicatio periculosa fieri, tamen in bonum finem tenderet. At quod rigor in non intermittente febre sæpius fiat, non solum bonum non est, sed in imbecillitate uirium est ualde perniciosum.

SECVNDO Galenus suum intentũ exponens prosequitur, inquiens, Si euacuatio aliqua rigorem sequatur, tamen intermissionẽ non faciat, ob utrunque homo dissoluitur: primo quia uis imbecillis rigoris agitationẽ ferre non potest: secundo ab euacuatione dissoluitur: & ideo si cum euacuatione aliqua fiat rigor, tamen non cesset febris, malum est, si modo absque euacuatione rigor incidat. Casus est perniciosus, quoniã est mala causa, & malum signũ: causa etenim mala est, quia uires corporis debilitat: malum signum est, quia uirium imbecillitatem ostendit: nempe in rigoribus noxij humores euacuari solent: quod effici non potest in hoc casu, uel quod non efficitur.

Quod legitur, Et quia uis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem. id uocabulum

lum Agitationem, Græce dicit τὸν κλόνον. quod interpretari poteſt, pugnam uel turbationem. In fine ferè Commenti quum dicitur, Illius indicans imbecillitatẽ. deeſt hæc particula Extremam. legi enim debet, Illius indicans extremam imbecillitatem: Græce enim eſt, ἐνδεικνύμενον ἀῤῥωστίαν ἐσχάτην αὐτῇ.

APHORISMVS XLVII

EXcreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ, & bilioſæ. Et ſi bene exeunt, ſiue per alui excretionem, ſiue per urinas, bonæ. Si uero non aliquid eorum quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

BRASAVOLVS

NON ſolum in febribus non intermittentibus id uerum eſt quod hic ab Hippocrate dicitur, imò & in intermittẽtibus & in ipſa ſanitate, ideſt in infebria, liuida excrementa, cruenta, fœtida & bilioſa, malum quid portendunt: cum febre uero non intermittente deterius quid ſignificant: non enim poſſent talia excrementa exire, niſi intrinſecę partes male affectæ fuiſſent. Tamen quo nam modo exeant, conſiderare oportet: ſiquidem bene exeant, ideſt cõmode, eo quod bene ferat æger, & alleuietur, bonum ſignum eſt, quia ſignificat naturã expurgari, & has prauas materias uincere. Si uero male exierint, ideſt facile non toleret, imò nocumenta, faſtidia, & dolores incurrat, peſsimæ ſunt: quia talium materierum multitudinem ſignificant, quæ deniq; quum exeunt, interiment, & æger nihil proficiet. Si uero aliquid ex his rebus quæ non iuuãt, excernatur: ſed potius iuuant, ſi in corpore perſtent, etiam malum eſt. Intellige autẽ excretiones per quẽcunq; locum exeant, uel per urinas, uel per aluum, uel per uomitum, uel per ſputum, uel per nares. nam per has omnes partes materiæ hic enumeratæ exire poſſunt, uel liuidæ ſint, uel cruentæ, uel fœtidæ, uel bilioſæ, uel ſecũdum alium affectum diſpoſitæ. Philotheus dicit, quod ὁ παρὼν ἀφορισμὸς ἐκ σημείων μοχθηρῶν χρηστὴν ποιεῖται διάγνωσιν. ideſt præſens aphoriſmus à prauis ſignis bonum iudicium facit.

Αἱ ἀποχρέμψιες, ideſt excreatiões.] Quæ ſunt ſputa per os emiſſa, quibus ſupra malam pectoris affectionem ſignificatur: tamen Hippocrates ipſe de quocunq; excretionis genere ſe loqui oſtẽdit, quia dicit ſiue per alui excretionem. At particulariter (ut Galenus dicit) de excretione, quæ per os fit, ſermonem habet: propterea illi recentes qui legunt Excretiones, ideſt excrementa, Hippocratis mentem non attingunt. Nempe potius legendum eſt Excreationes: quia primo in hac parte de excrementis quæ per os exeunt, ſermonem habet.

ἐν τοῖσι πυρετοῖσι μὴ διαλείπουσιν. ideſt, in febribus non intermittentibus.] Quamuis abſolute malum ſit etiam in intermittẽtibus, & in illo qui febre caret: nam indicatur in pectore malas affectiones eſſe, quia excreatus à pectore proprie fluunt, licet & à capite & à uentriculo quandoq; proueniant: ſed tunc maxime ſunt excreatus, quando à pectore uel à pulmone uel à canna pulmonis ueniunt. Oribaſius tamẽ hoc ſentire non uidetur, ſed potius per excreationes ſaliuam quæ per os decurrat, intelligit: nam (ut dicit) aliud eſt excreatio, aliud tuſſis, aliud non excreare, & non tuſsire: tamen quicquid ſit, nos omnia ſputa intelligimus, quæ uel à pectore, uel à pulmone, uel à canna cum tuſſi exeunt, uel quæ à capite per modum raſcationis, uel à uentriculo per uomitum quendam prodire ſolent. Philotheus ſimpliciter intelligit, omne genus excretionum per quamcunq; partem exeant, inquiens, ἢ διὰ στόματος, ἢ διὰ οὔρων, ἢ διὰ χωρημάτων, ἢ διὰ πρὸ πέψεως ἐκκρίθωσιν, ὀλέθριαί εἰσιν. ideſt, uel per os uentriculi, uel per urinas, uel per alui excremẽta, uel per præcoctionem emittũtur, praua ſunt. Si uero cauſam petieris cur ſint praua, ſtatim dicit praua eſſe, λόγῳ γὰρ συμπτώματος, καὶ οὐ νόμῳ φύσεως ἐκκενοῦνται. ideſt, quoniam ratione ſymptomatis, & non lege naturæ euacuantur. Deinde ſequitur, εἰ δὲ μετὰ πέψιν ἐκκριθῶσιν ἀγαθαί εἰσι νόμῳ φύσεως ἐκκρινόμεναι, καὶ οὐ βίᾳ συμπτώματος. ideſt, ſi uero poſt concoctionẽ expellantur, bona ſunt: quoniam ratione naturæ expelluntur, & non uiolentia ſymptomatis.

Καὶ πελιδναί. ideſt Et liuidæ.] Quæ in cinericium colorem cum nigredine quadam aut

aut fuscedine ferè uergunt. Illam enim liuidam carnem uocamus, quę percussa fuste, ob uerberum cōtusionem, cum obscuritate quadam pallescit, & signa illa obnigra liuores appellantur. Quum uero in febre non intermittente liuida sputa apparuerint, praua indicia sunt: nam in spiritualibus membris, mortificatio quædam significatur. Humores enim spiritu priuati, hūc colorem faciunt. Quum deinde per os exeūt, liuorem habent, qui spiritus & naturalis caloris extinctionem ostendit. Vnde & à Philotheo dicitur, αἱ μὲν οὖν πελιδναὶ ἀποχρέμψεις, τουτέστιν αἱ καθάρσεις, αἱ διὰ φάρυγγος καὶ τραχείας ἀρτηρίας πρὸ πέψεως γινόμεναι, νέκρωσιν τῶν μορίων σημαίνουσιν. idest, liuidæ igitur excretiones, hoc est purgationes per fauces & asperam arteriam ante coctionem factæ, illarum partium mortificationem significant.

Καὶ αἱματώδεις, idest Cruentæ.] Quum enim cruenti excreatus in febre non intermittente apparuerint, in pectoris partibus uenam quandam apertam esse significatur, quia de puris cruētis intelligit. Est enim cruor, sanguis extra uenas. Idem sentit Philotheus, αἱ δὲ αἱματώδεις διὰ βρῶσιν ἀγγείου. idest, cruentæ uero ob exesionem uasis. Si uero dixeris, non uideri uerum, quod in non intermittentibus febribus excretiones cruentæ sint malæ, quia cruenta sputa in laterali morbo sanitatis speciem præstant, & tamen non intermittente febre corrupti sunt, qui morbo laterali laborant; Respondemus, in laterali morbo non esse ueras cruentas excretiones, sed ita mixtas, ut luteum quēdam colorem præ se ferant. tamen & in laterali morbo peiores sunt hæ cruentæ excretiones quàm albæ, & quàm puræ luteæ: quoniam morbi longitudinem significant.

Καὶ δυσώδεις, idest Et fœtidæ.] scilicet excretiones malæ sunt, quia in spiritualibus partibus corruptionem significant, uel ulcus, uel aliquod in eisdem partibus pessimum, unde & Philotheus hic dicit, αἱ δὲ δυσώδεις σηπεδόνας. idest, fœtidæ autem corruptiones significant.

Καὶ χολώδεις, idest Et biliosæ] excretiones malæ sunt, quia ex ipsis in spiritualibus partibus accensio significatur. Hæ etenim partes ex quibus sputum educitur, sunt bile plenæ, quæ est humor calidus, accēdens, & qui æstum in illis partibus facit. Philotheus dicit, καὶ αἱ χολώδεις, χολὴν ἄκρατον. idest, & biliosæ bilis abundantiam significant.

πᾶσαι κακαί, idest Omnes malæ.] scilicet prædictæ excretiones. Leonicenus hanc particulam ante illam Biliosæ, habebat in suo cōtextu: nam hoc modo legebat, Liuidæ & cruentæ & fœtidæ omnes, malæ & biliosæ. Et eodem modo antiquus meus contextus habebat. Sed à quodam antiquo correctus est, ut illa particula χολώδεις, idest biliosæ, illam præcedat πᾶσαι κακαί, idest Omnes malæ. Aldinus etiam cōtextus, & omnes alij Græci quos uidi, ante illam particulā Omnes malæ, habent illam Biliosæ: eodemq; modo in suo contextu habuit Theodorus. Sed in alio longe maiori differunt, quia Aldinus contextus illam particulam Omnes, non applicat illi particulæ Malæ: at potius cum præcedentibus, ut sensum faciat, Liuidæ & cruentæ & fœtidæ & biliosæ omnes, malæ. Hoc tamen quantum ad aphorismi intellectionē nihil facit, quoniam uel omnes prædictæ excretiones sint malæ, uel malæ omnes, ad excretiones semper refertur: & est particula excretiones uniuersaliter determinans, & non illam particulam Malæ. Oribasius hanc partem ita interpretatur, si in febribus excretiones liuidæ aut cruentæ aut fœtidæ aut biliosæ fuerint, malum est: quia uena aut corrumpitur aut desudat aut ulceratur: si rumpitur, & descendit in concauitatē humor, & multo tempore illic detinetur, occidit locum, & mortem infert multis modis. In primis, quia ex ipso sanguine nutritur corpus: deinde, quia occidit locum: tertio, quia mortificat ægrotum. Liuidum significat quod extra uas fit. Cruētum, quod uena disrupta sit. Odor grauis, signum est quia multo tempore locum putrefecit, & ideo mortem operatur; nam quando uena rumpitur, non eijcitur, sed in loco detinetur.

ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς ἀγαθαί. idest, Et si bene exeunt, bonæ.] Dicuntur uero excretiones bene exire, quæcunq; cum coctione exeunt, & cum bona tolerantia. Vnde istæ excretiones sunt bonæ, quando facile exeunt, & æger in declinatione sit; & ideo per modum crisis exeunt. Sunt uero bonæ, quia significant naturam superare materiam, & illam iam expellere cœpisse. Hæc pars cum præcedenti iungenda est, quamuis aliqui sint, qui potius cum sequenti coniūxerint: ut dicant, Si bene exeant, quæ per secessum,

& per

& per urinam exeunt, bona esse. Nobis autẽ uidetur hanc particulam, & cum his quæ præcedunt, & cum his quæ sequuntur iungi posse & debere.

Καὶ διὰ διαχώρησιν, καὶ διὰ τὰ οὖρα. idest, Et per secessum, & per urinam.] Bonæ sunt excretiones, quæ bene exeunt: bene autem exeunt, quæ post coctionem exeunt, & æger facile tolerat: unde excrementa per secessum & per urinam liuida, cruenta, fœtida, & biliosa, omnia sunt mala. Sed si bene exierint, scilicet cocta materia, & æger facile toleret; non sunt mala, imò bona. Philotheus quoq; dicit, κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, καὶ ἐπὶ οὔρων, καὶ διαχωρημάτων ἐκκρινόμενα. idest, secundum eundem morem, & in urinis, & in excretionibus alui p deiectiones excretis. Intelligit aũt bonas esse, quæ μετὰ πέψιν. i. post coctionem fiunt, & æger facile ferat: malas uero quę ante coctionem, & æger difficulter ferat.

ἢν δὲ μή τι τῶν ξυμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν. idest, si uero nihil ex his, quæ iuuant, per hæc loca excretũ est, malum.] idest, Si per hæc loca, scilicet per urinam & per secessum, imò & per sputum aliqua exeant, quæ non iuuant, si excernantur, malum est, quia quum non iuuent si excernantur, potius retinenda sunt, quàm expellenda. Theodorus in sua interpretatiõe alium sensum facere uidetur, quàm à Galeno dicatur, uel ab ipso Hippocrate fiat. Nempe hoc modo interpretatur: at si nihil commode per ea loca excernitur, malo est; unde sicuti prius dixerat, deiectiones & urinas bene iuuare, quæ commode exeunt: ita hic oppositum dicit, quæ per illa loca non commode exeũt, malum est. Illa uero non cõmode exeunt, quæ cocta non sunt, & quæ dum exeunt, non facile feruntur. Nobis uero (ut in Galeni commentatione uidere licebit) id magis arridet, quod superius dictum est, si uero per hæc loca nihil excernitur eorum quæ iuuant quando excernuntur, malum est: quia si nihil excernitur, tamen adsit, uires imbecilles esse significatur.

GALENVS

FORTE conueniens fuerat doctrinæ aphoristicæ dici compendiosius, omnes prauas excretiones, quum bene exeũt ad bonum terminari. Hippocrates uero non ita locutus est, sed primum quidem trium generum excretionum meminit, & eius quæ fit per os, & eius quæ fit per aluum inferiorem, & tertiæ quæ fit per urinas. Deinde & eius quæ fit per os magis particulatim. Non enim simpliciter dixit, prauas excretiones bene exeuntes bonas esse, sed speciatim ipsarum meminit, inquiens: Liuidæ, cruentę, fetidæ, & biliosæ. Vna autem cõmunis est in hisce omnibus ratio. Malæ excretiones sunt prauarum signa dispositionũ, & fiunt sæpius eodem modo, quo in ulceribus putridis, quibus liquores saniosi defluunt, nihil dispositioni conferentes. Nonnunquam uero ita sicuti pus, ex abscessu disrupto bene expurgans partem patientem. Indicia uero quod bene excernatur, maxima sunt, & coctio, & bona tolerantia, cum ipsis uero & morbi species, & cum his tempus anni, & regio, & ætas, & natura ægrotantis. Quod uero est in fine aphorismi, duobus modis scriptum inuenitur. In quibusdam quidem, ut antea scriptum est, Si uero non aliquid eorum quæ iuuant excernatur. In quibusdam uero sine particula Non, hoc modo, Si uero aliquid eorum quæ iuuant, excernatur. Et erit secundum primam scripturam sermo talis. Si aliquid eorum quę non iuuant excreta, uidetur euacuatũ, non est bonum. Secundum uero secundam scripturam, si aliquid eorum quæ iuuant, & sunt animali conuenientia, excernatur, non est bonum. Melior autem est scriptura prior.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus Hippocratem corrigere uidetur: nam quum doctrina aphoristica breuis esse debeat, Hippocrates breuius dicere potuisset, Omnes prauæ excretiones quum bene exeunt, ad bonum terminari: quum uero male, ad malum.

SECVNDO Hippocratis sensum explicat, qui breuiter transigere uoluerit: sed de tribus excretionum generibus sermonem fecerit, per os, per secessum & per urinam, & quod magis particulariter de excretione per os locutus sit: nam particulariter non dixit, prauas excretiones bene exeuntes esse bonas, sed ipsarum meminit, liuidæ, cruentę, & cætera: dicens. Ex hoc igitur sumi potest, in prima aphorismi parte hoc non intendi, quod excreationes liuidæ, cruentæ, & cæterę, sint malæ: sed hic sit totus & integer sensus, In febribus non intermittentibus excretiones liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, &

omnes

omnes etiam malæ præter istas, si bene exeant, sunt bonæ: ut omnes quidem malas enumeret, sed ob bonum exitum bonas esse dicat, quæ de se, & aliter essent malæ: efficiuntur uero bonæ, uel bonum significant per uiam signi, & etiam per uiam causæ, quia bene exeunt.

Quod legitur, Hippocrates uero non ita fecit, Græce est, ὁ δὲ ἱπποκράτης οὐχ οὕτως ἐποίησεν.

Quod etiam legitur, & eius quæ fit per aluum inferiorem, Græce est καὶ τοῖς τῶν διαχωρημάτων, idest, & eius quæ fit per alui excretionem.

Quod etiam Leonicenus interpretatus est magis particulatim, Græci unum solum uerbum habent λεπτομερέστερον.

TERTIO Galenus docet, esse unam cõmunem rationem in his excrementis, quia prauæ excretiones, semper prauarũ dispositionũ signa existunt, & ideo dupliciter fiunt, sicuti in abscessibus contingit: quandoq; exit sanies & ichor, qui exiens nullam utilitatem præstat: quandoq; pus uerum exit, quod illam partẽ, in qua ulcus est, probe expurgat. In his quæ excernuntur idem contingit, quandoq; aliqua excernuntur, ex his quæ nihil conferunt excreta, quandoq; conferunt, quia bene excreta sunt. Hic scito Galenũ duobus uocabulis uti, ἰχῶρες, & πύον. Leonicenus interpretatus est ἰχῶρες, liquores saniosos, πύον uero pus. Nos in illo Aphorismo secundi libri, qui incipit Dũ pus fit, quid nomine ichoris, & nomine pyi significetur, ubertim docuimus. nam πύον uerum pus, coctum & perfectum uocant Græci authores: ἰχὼρ uero est aquosa sanies, quæ ex ulceribus exit, apud Celsum incocta, quę à recentibus uirus & uirulentia nuncupatur. Si autem de his nominibus ampliorem doctrinam percupias, præcitatam quadragesimisepti mi secundi libri aphorismi commentationem nostram legas, in quibus hæc diffusissime pertractãtur. Non ab re igitur Leonicenus interpretatus est ἰχῶρες, idest, saniosos liquores, quia semper est aquosa sanies.

Quod legitur, & fiũt sæpius eodem modo, Græce habetur, καὶ γίνονται πολλάκις μὲν οὕτως, idest, & fiunt sæpe quidem eodem modo.

QVARTO Galenus docet, quibus signis hæc praua excrementa bene excerni cognosci possit, duo uero sunt præcipua signa, coctio scilicet materierum, & bona tolerantia. Sunt deinde alia signa concomitantia, quæ & si non sint semper omnia, nihil tamen refert: hæc uero sunt, tempus anni, regio, ætas, & ægrotãtis natura, quæ hæc excrementa faciunt, augent, uel non augent.

Quod legitur, & cum his tempus anni, Græce habetur καὶ μετὰ αὐτὴν ὥρα, idest, & post ipsam anni tempus.

Deniq; Galenus docet in ultima Aphorismi parte duplicem lectionẽ inueniri, Vna, quæ negatiue legit, ut superius secundam aphorismi partem exposuerat, scilicet si uero non aliquid eorum, quæ iuuant, scilicet quando excernuntur, per hæc loca excernatur, malum est. ut si quando ἰχὼρ, idest, sanies aquosa ab ulceribus exit, tunc unũ exit, quod exiens nihil confert, ideo malum est. Altera lectio affirmatiua est, quæ ita legit, Si uero exeat aliquid eorum quæ conferunt, malum est: quia omnino, si quę conferunt, exeant, bonum esse non potest. At Galenus lectionem primam secundæ præfert, quamuis utraq; ueræ sint.

APHORISMVS XLVIII

IN febribus non intermittentibus: si partes exteriores frigidæ, interiores urũtur, & sitim habeat, letale est.

BRASAVOLVS

GALENO uidetur in præsenti Aphorismo hanc particulam, in febribus non intermittẽtibus, ex superfluo additã esse, quia hic casus nunq; inueniri potest, nisi in febribus non intermittẽtibus: tamen ex superfluo non additur, quia genus febris specificatur, ne quis petat an hoc in omni febre fiat, immo re uera hoc in intensissimis & calidissimis febribus solum inuenitur, quod exteriores partes frigidę sint, interiores urantur, & sitim

habeant. cum hæc in ægro aliquo inueneris, letale signum esse iudicato, quoniam nota tur inflãmationem aliquam in profundiore corporis parte, uel erysipelas inueniri. propterea totus calor ad illum locũ currit, & extrinsecæ partes frigidæ relinquũtur. immo & cum uires ob intensissimã febrem imbecilles fiunt, exteriores partes frigescunt, interiores uero calescunt: quia naturalis calor paulatim contrahitur. Sed Oribasius hic dubitat, quia sæpe in typicis febribus frigus esse uidemus, sitim, & ardorem, attamen non fuit mortale, neq; malum. Respõdet, in typicis febribus illa esse ante accessionem, sed in his de quibus agit Hippocrates, sunt post accessionem: unde supponitur, esse prius febrem & imbecillitatem, & quod hæc deinde superueniant, tunc signum letale est, quia in uitali loco adhuc natura cum humoribus luctatur, & naturalis calor per locum patientem decurrit, & dum natura quærit liberare, ipsa potius occidit ægrotum. Celsus libro secundo capite sexto, ubi de signis mortis differit, hunc Aphorismum referens, illũ his uerbis interpretatur, Aut cui febre æque non quiescẽte exterior pars friget, interior sic calet ut etiam sitim faciat.

ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν. idest, In febribus non intermittentibus.] quia in intermittenibus hic casus non cõtingit, licet Oribasius id uoluisse uisus sit, sed in accessionibus. nos autem nullo modo fieri dicimus, quia in accessionibus exteriora frigida non sunt, & interiora uruntur: at in principijs exteriora & interiora frigida uident̃, nec opus est sitim adesse. Adde, quod in intermittẽtibus non perseuerat frigus, ut in his facit quæ non intermittentes sunt, quando ob imbecillitatem frigescere contingit.

ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ. idest, Si partes exteriores frigidæ sint.] Tu uero per exteriores partes cutem intellige, & omnes superficiales partes, in quibus frigus tactu sentire possumus. nã is qui ægrotat, uel frigus non sentit, uel sentire non est opus, sed est medicus, & assidentes: æger uero de summo calore conqueritur, unde & si exteriores partes gelascere persentias, ipse ęger non sentit, sed detegit seipsum, & se totum ardere putat. Maxime uero hæc frigiditas circa partes extremas sentitur, hoc est caput, frontem, manus, pedes: unde & Hippocrates in primo Aphorismo septimi libri dicet, In morbis acutis frigus partium extremarum, malum. quoniam ut Galenus in commento dicet, ibi inflammationem esse significatur. & Hippocrates in secundo Prognosticorum libro, sectione quarta inquit, Si caput, manus, ac pedes frigidi sunt, uentre, costisq; calentibus, malum est. ubi uides hic Hippocratem extremas partes, caput scilicet, manus & pedes specificare.

Τὰ δὲ ἔνδον καίηται. idest, Interiores urantur.] per interiores partes, pectoris partes, & uentris potissimũ intellige, ut secundo Prognosticorum ab Hippocrate dicitur, quia ita specificat, uentre, costisq; calentibus: per uentrem partes à uentriculo infra intellige: per costas pectus, non quidem extrinsecas costas, quoniã illæ possent esse frigidæ, idest, cutis superior quæ costas integit. uri uero est intensissimã caliditatem habere, qualẽ habent qui καῦσον, idest, ardentem febrem, quæ acuta est, patiuntur. Ideo hoc (ut Galenus in secundo Prognosticorum libro sectione quarta docet, & in primo Aphorismo septimi libri) reperiri non potest nisi in febre acuta, in diuturna autẽ non inuenitur. per hæc enim quę in aliquo ægro inueniũtur, Philotheus dicit, quod Hippocrates δηλοῖ φλεγμονὴν εἶναι ἐν τοῖς σπλάγχνοις, ἢ ἐρυσίπελας, idest, ostendit inflammationem esse in uisceribus, uel erysipelam. & talem rationem reddit, ἐπειδὴ ἡ φύσις πρόνοιαν ποιεῖται τοῦ πάσχοντος μορίου, συννεύει πρὸς τὰ ἐντὸς μετὰ τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, κἀντεῦθεν τὰ ἔξω ψύχεται, τὰ δὲ ἔνδον καίεται. διὰ οὖν τῆς ἀξιολόγου φλεγμονῆς, τοῦ σπλάγχνου, ἢ τοῦ ἐρυσιπέλατος ὁ θάνατος ἕπεται. idest, Quoniam natura patienti parti prouidet, & interioribus partibus naturali calore succurrit, & hinc quæ extra sunt frigescunt, quæ uero intus uruntur. Igitur ob uisceris inflammationem insignem, uel ob erysipelam, mors sequitur.

Καὶ δίψαν ἔχῃ. idest, & sitim habeat.] ex hoc enim incendio, uel in uentriculo, uel in pectore tanta sitis inducitur, ut in his casibus nigerrimam linguam plerunque uideas & asperrimam: quia à superabundanti calore intrinseco humidum mẽbrorum exsiccatur. Ideo fit sitis intensa, quam Philotheus ingentem inflammationem significare his uerbis ostendit, ὅτι δὲ ἀξιόλογος ἡ φλεγμονὴ, δηλοῖ ἡ δίψα. idest, quod autem inflammatio insignis uel memorabilis sit, sitis ostendit. Cum hæc iudicia in ægro aliquo uideris, iudica

signum

signum esse θανάσιμον, idest, mortale: quia uis imbecillis, tam arduam & acutam ægritudinem quæ hæc symptomata faciat, ferre non poterit. Oribasius in hominibus Cōstantinopolitanis de hac re pulchrum exemplum tribuit, inquiens: frigidæ ideo sunt partes exteriores, quia derelinquit calor superficiē, & interius refugit, & tale quiddā tunc patitur corpus in istis, quale Constantinopolis, cuius ciues concurrentes ad palatium quotidie, ubi senserint domum ardere currunt cum situlis, ut liberent domū. Cum ergo cessarit incendium, abeunt, & rursus augeri permittunt. Sic & natura uult liberare, sed potius occidit, quàm liberet. hæc Oribasius. At multis de causis fieri potest quod exteriora frigeant, & interiora caleāt. una causa potest esse, uenarum & arteriarum obstructio, illarum inquam quæ ad extrinsecas partes tendūt. Ideo naturalis calor, qui per has uias transit, ad has partes calore illustrādas peruenire non poterit. Si deinde intus in humoribus corruptio adsit, cum extra euentatio fieri non possit, prauum signum est. Alia causa potest esse crassa materia, glutinosa, & uehementer frigida, quæ in uapores paulatim resoluatur, qui cum sunt intus, calidi sunt. At ad cutim exeuntes, quia à naturali calore abducuntur, & elongantur, & frigidi efficiūtur. Sed in Aphorismi casu, potissimum est materia biliosa, quæ intus inflammationem facit, ut Galenus in commento edocebit: quandoq; tamen syncopis extremorum frigiditatem inducit: quandoq; materia frigida in interioribus partibus sita, hoc idem facit, quando naturalem calorem intus obsidet: quandoq; bilis crassa in causa est, à qua uel nulli, uel pauci uapores eleuantur, qui resoluuntur: propterea intrinseca calēt, & extrinseca frigent, sed hæc ad rē ipsam nihil faciūt.

GALENVS

DIGNVM animaduersione est nunquid huiuscemodi casus possint in febre fieri intermittente. Ego enim neq; uidi, neq; animo capio. Videntur siquidem solis accidere in febribus, quæ causones ab incendio nominātur, perniciosis, uel si aliter libeat appellare ualde malignis, ueluti lipyrijs. Nulla uero febris alia profundiora perurit, cute refrigerata: neq; enim mitior causon, neq; tertiana, quæ duæ febres præ cæteris sunt calidissimæ. Videtur itaque non distinctionis gratia in aphorismo adiecisse, In febribus non intermittentibus, sed similem protulisse sermonem illi quo dicitur, Vertebræ autē quæ in spina sunt: non quasi aliqua alia corporis parte sint uertebræ, sed ueluti si ita diceretur, Vertebræ quibus hoc inest, ut in spina sint. & nunc ita sermonem Hippocratis audiemus. Si profundæ partes urantur, cute refrigerata, letale est. fit autem hoc in nonnullis febribus non intermittentibus. Causa uero huius talis existit, quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori, uel Erysipelas euenerint, totus ex toto corpore sanguis ad locum trahitur patientem, atq; ideo uruntur profunda, sed cutis refrigeratur, ut fit in principijs accessionum.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus dubitare uidetur, an hæc symptomata in febre non intermittente fieri contingat. Respondet, se nunq; id uidisse, nec animo capere posse, quomodo accidere possit. quoniam hæc in solis illis febribus fieri uidentur, quæ causones ab incendio nominantur, quæ uel perniciosæ sunt, uel admodū malignæ, ut sunt lipyriæ. etenim nullæ aliæ febres hoc facere possunt. immo nec mitior causon, nec tertianæ, quę sunt febrium calidissimæ id facere possunt. Vnde in solis magnis causonibus id fieri cōtingit.

Quod legitur, Valde malignis, Græce habetur, κακοηθεστάτοις, idest, malignissimis, quæ in pessimam consuetudinem abierunt.

Quod legitur, Sicuti lipyrijs, λειπυρίαις Græce dicitur. cito lipyriam febrem esse, in qua exteriora frigent, & interiora calent, esseq; pessimam febrem. Galenus in secundo Prognosticorum in fine commenti quarti, relegat hoc nomen lipyria ad illas omnes febres, in quibus interiora calent, & exteriora frigida sunt.

SECVNDO Galenus docet, in hoc aphorismo non esse additam hanc particulā, in febribus intermittentibus, distinctionis gratia, sed hunc sermonē illi similem esse, quando dicimus, uertebrę quæ sunt in spina. non enim dicitur quę sunt in spina, distinctionis gratia, eo quod aliquę uertebrę inueniantur, quæ in spina non sint, sed sensus est, uertebræ quę sunt in spina, idest, quibus hoc inest ut in spina sint. Eodem modo, non dicitur,

hæc symptomata in febribus intermittentibus fieri, eo quod in aliis etiam febribus fieri contingant, sed quia in his solum inducuntur, ut sensus sit, hæc quibus datum est in febribus non intermittentibus solum fieri. ut illa figura sit, quę à Grāmaticis pleonasmos nuncupatur, de qua longius ipsi disserunt.

TERTIO Galenus Aphorismi rationem assignat inquiēs, cum in profundâ corporis parte inflāmatio aliqua, uel erysipelas contingit, natura semper illuc ex toto corpore sanguinem transmittit, unde profundiores illæ partes uruntur, & cutis refrigeratur. Cutis uero ita refrigeratur ut in accessionum principiis fieri solet. Hanc eandem rationem & in secundo Prognosticorum libro, commento quarto superius citato, & in primo Aphorismo septimi libri etiam superius citato Galenus reddit.

APHORISMVS XLIX

IN febre non intermittente, si labrum, uel oculus, uel nasus, uel supercilium peruertatur, uel non uideat, uel non audiat, iam debili existente corpore quicquid horum euenerit mors proxima est.

BRASAVOLVS

QVICQVID incommodi & mali accidat, quando uires imbecilles sunt, id omne perniciosum est, & quæcunq; mala signa apparent, eadem perniciosa esse constat. unde in non intermittente febre, in qua uires debiles sint, Si labrum, uel oculus, uel nasus, uel supercilium peruertatur, uel non uideat, uel non audiat, quicquid horum acciderit, uel unum, uel duo, uel plura, uel omnia cōtingant, mortem propinquam, & ferè in limine esse significant. nam per unum horū, plurium, uel omniū in capite & cerebro uehemens nocumentum uel iam adesse, uel fieri significatur. Philotheus Aphorismum istum hoc modo introducit, ἐν τῷ παρόντι ἀφορισμῷ θανατώδη σημεῖα καταλέγει, καὶ ἔνδειξιν λαμβάνει ἀπὸ τῶν ψυχικῶν δυνάμεων, ἤτοι κινητικῶν, idest, In præsenti aphorismo mortalia signa enumerat, & ab animalibus potentiis, uel motoriis demonstrationem accipit. Celsus libro secundo capite sexto hunc aphorismū ita refert, eademq; labra, & nares, oculiq;, & palpebræ, & supercilia, aliquáue ex his peruertuntur, isq; propter imbecillitatem iam non audit, aut non uidet, eadem mors denuntiatur. ut ex Celso uideri possit, non uidere, & non audire ad imbecillitatem referri.

ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ. idest, in febre non intermittēte.] quia intermittentes febres, aut nunquàm, aut rarissime interimunt. nempe (ut Galenus superius edocebat) cū intermittunt, quietem aliquam condonant. propterea uires reficiuntur, quæ prius in afflictione & pugna imbecilliores redditæ erant.

ἢν χεῖλος. idest, Si labrum] scilicet peruertatur. peruersiones istę de quibus sermonem habet Hippocrates, ob neruorum contractionem ad sua principia factæ sunt. Si unius partis oris, nerui contrahantur, & hæc cōtractio non fit ob ægritudinē, quæ labro inhæreat, scilicet cum potius ob cerebri ægritudinē cum febre non intermittēte, & uiriū debilitate, signum letale est. Si uero cōtractio utrinque fiat, in una oris parte obtortio non inducitur, sed utrinq; potius musculorum tractio, ut os ferè apertum detinere cogātur, & hinc mortem prope esse significatur. nam (ut Philotheus dicit) δηλοῦται ἄμετρος θερμότης ἐκ φλεγμονῆς τοῦ ἐγκεφάλου. ἥτις καὶ τὸν ὑπὸ ξηρότητι σπασμὸν ἐργάσατο, ὑφ᾽ οὗ καὶ τὰ προειρημένα μόρια διεστράφησαν. ὁ τοιοῦτος δὲ σπασμὸς ἀνίατος. idest, inordinata caliditas ex cerebri inflammatione significatur, quæ & ex siccitate conuulsionem operatur, à qua & prædictæ partes peruertuntur. Talis autem conuulsio immedicabilis. Aliam rationem idem Philotheus reddit inquiens, ὅτι ἀσθένεια τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος δηλοῦται, idest, Quod spiritus animalis imbecillitas significatur.

ἢ ὀφθαλμός. idest, uel oculus.] scilicet peruertatur ob eandem causam.

ἢ ῥίς. idest, uel nasus,] scilicet peruertatur, ob prædictam causam, & non ob aliquam quæ in ipso membro sit.

ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ.] idest, uel supercilium peruertatur, quod ob eandem fiat causam, & non propter aliquid quod in membro sit, sed ob cerebrum fiat, mortem significat.

Oribasius

Oribasius de labro dubitat, quia in paralysi sæpe uidemus labium torqueri & alia, tamen non sequitur mors. Respondet, cũ febre, & debilitate significari per ista, principiũ, idest, cerebrum pati, propterea mors sequitur. Hippocrates in libro De morborum decretorio, plura ex his quæ in hoc Aphorismo sunt, enumerat, non tamen integrum Aphorismum & continuatum, ut de pluribus alijs facit.

ἢν μὴ βλέπῃ, idest, Si non uiderit.] non uidet autem ob magnam in cerebro læsionem, quia iam uisiui spiritus non trãseunt ad oculum, & exhausti sunt. nam sicuti nasi cõtorsio, & superciliorum, & labiorum fieri non poterat nisi ob magnũ in cerebro nocumentum, uel à materia uenenosa, uel ab abscessu factum, & consequenter partes circa faciẽ contrahuntur: ita uisiui spiritus exsiccantur, unde hi non uident qui hæc habent, & tales sunt qui morti proximi sunt.

ἢν μὴ ἀκούῃ. idest, Si non audiuerit.] propter eandem causam, quia auditiui spiritus sint exhausti, & aures suo officio non fungantur.

ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος. idest, iam debili existente corpore.] Immo hæc fieri non possunt, nisi cum magna corporis debilitate. præsertim si multa sint, & non unum solum: tamen & hoc posito, sicuti plerunq; euenit letale.

ὅ, τι ἂν τουτέων γένηται. idest, Quodcunq; horum sit.] hoc dicit Hippocrates, ne quis putet necessarium esse, omnia hæc signa adesse, sed uel unum, uel plura, uel omnia adsint, id semper consequitur.

ἐγγὺς ὁ θάνατος. idest, propinqua mors est.] at quanto plura signa adfuerint, tanto magis significatur, mortem propinquiorem esse. Philotheus notat ab Hippocrate læsionem poni, & uirium motiuarum & sensitiuarum, inquiens, ἰστέον ὅτι εἰπὼν ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς διαστραφῇ, ἐδήλωσε τὰς κινητικὰς δυνάμεις πάσχειν. τὰς αἰσθητικὰς δὲ, διὰ τοῦ εἰπεῖν, ἢν μὴ βλέπῃ, καὶ τὰ λοιπά. idest, Sciendum quod dicens, si supercilium, uel nasus peruertatur, motiuas potentias pati significat. Sensiles autẽ, per id quod dicit, Si non uiderit, & reliqua. Si uero hæc iudicia adfuerint, octauę sectionis primi Prognosticorum libri habetur, scilicet quod ægri facies non erit similis sibi bene ualenti, immo quammaxime contraria, quia obtorta: propterea signum perniciosissimum. quæ uero in nona, decima, & tertiadecima sectione dicuntur, ad hoc propositum non faciũt, quia sunt alia signa ab his partibus, & ab his membris sumpta: tamen quintadecima primi Prognosticorum sectione, huius aphorismi sententiam ferè describit inquiens, Si peruertitur, aut liuida palpebra est, aut labrum, aut nasus, cum aliquo alio signo, mortem prope esse sciendum est. Id aliud signum erit, si non uideat, si non audiat, cum uiriũ imbecillitate. Hicq; ab Hippocrate de palpebræ liuiditate ponitur, quod in aphorismo non est. & Galenus animaduertit in aliquibus codicibus non legi peruertitur, sed distrahitur. Hippocrates in contextu illius partis non est usus eodem uerbo, quo hic utitur, scilicet διαστρέφομαι, sed inquit ἢν δὲ καμπύλον γένηται, idest, Si obortum fiat. Interpretes uertũt, si peruertitur. Galenus uero in commẽto illius partis dicit ἀντὶ τοῦ καμπύλον τὸ ῥικνόν, idest, pro eo quod dicitur peruersum, poni distractum, in aliquibus codicibus.

GALENVS

PARTIVM fiunt peruersiones, extentis, atque contractis his qui ad eas nerui pertingunt. Quod autem extendantur, hoc ipsis accidit, uel propter inflammationes, uel duros tumores, aut siccitates, aut immodicas frigiditates. Hæc autem grauia sunt, quando prope neruorum originem fuerint constituta. Quare cum febris continua fuerit, & æger debilis, non absque ratione mortem esse uicinam est existimandum. Multo autem magis, quando non audiat aliquis, uel non uideat propter uirtutis sensibilis debilitatem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quomodo peruersiones fiant. fiunt inquam peruersiones, quas διαστροφὰς uocat, quando nerui extenduntur & contrahuntur. ab una nanq; parte extenduntur, & ab alia contrahuntur.

Quod legitur, extentis atque contractis ijs qui ad eas nerui pertingunt, ibi deest una

particula, ad propria principia, quæ in illa parte interponi debet, contractis & ijs: hoc modo, extentis atque contractis ad propria principia, ijs qui ad eas nerui pertingũt. Græce enim dicitur τεινομένων τε, καὶ συνελκομένων ὑπὸ τὰς ἰδίας ἀρχὰς τῶν εἰς αὐτὰ καθηκόντων νεύρων.

SECVNDO Galenus docet, ob quam causam nerui extendantur, id fit uel propter inflãmationem, uel duros tumores, uel ingentes siccitates, uel ingentes frigiditates, quę grauia sunt, quandoquidem prope originem neruorum constituta fuerint.

Quod legitur, hoc ipsis accidit, illa particula, ipsis, superflua est, & in Græco codice uacat.

TERTIO Galenus Aphorismi sententiam infert, in febre non intermittente ægro existentę debili, mors propinqua est, sed eo maxime cũ non audiat, uel non uideat, quia uis sensibilis magna etiam debilitas significatur.

APHORISMVS L

VBi in febre non intermittente difficultas spirãdi, & delirium acciderit, letale.

BRASAVOLVS.

HIPPOCRATIS sermo in febre non intermittente adhuc perseuerat, in qua si spirandi difficultatem inueneris, & simul delirium, letale signum esse iudicato. quoniã per hæc duo in cerebro, & in partibus spiritualibus nocumentum esse denotatur, quod nocumentum non paruum esse oportet, aliter hæc symptomata non consequerentur. Philotheus hoc modo Aphorismum introducit, δύσπνοιά ἐστι, κακὴ ἀναπνοή. αὕτη οὖν ἢ μεγάλη ἐστὶν, ἢ πυκνή. ἢ μεγάλη καὶ ἀραιά, ἢ μικρὰ καὶ πυκνή, ἢ μικρὰ καὶ ἀραιά. ἐνταῦθα οὖν περὶ τῆς μεγάλης καὶ ἀραιᾶς ὁ λόγος ἐστὶ τῷ ἱπποκράτει. αὕτη γὰρ τὴν παραφροσύνην δηλοῖ. id est, Dyspnœa est mala respiratio. Ipsa igitur magna est, uel densa, uel magna & rara, uel parua & densa, uel parua & rara. hic igitur de magna & rara Hippocrati sermo est, ipsa enim delirium ostendit.

Celsus libro secundo capite sexto de signis mortis differens, inquit hoc esse signum mortis, aut qui febre æque non quiescente, simul & delirio, & spirandi difficultate uexatur. Hippocrates quoque in libro De morborum decretorio, hunc Aphorismum pro parte describit.

ὁκόσοισιν ἐν πυρετῷ μὴ διαλείποντι. idest, Quibus in febre non intermittente.] In aliquibus contextibus legitur ὅπη, idest, ubi, & ita in suo contextu Leonicenus habuit. Theodorus uero legebat ὁκόσοισιν, quia interpretatus est, Quibus, tamen ad rei intellectionem, quicquid legatur nihil refert. At quamuis hæc signa in febre non intermittente pessima sint, & letalia, tamen opus est ita intelligere quod non fiant ratione febris tũc uexantis, quoniam multi sunt, qui in febre delirãt, & spirandi difficultatem habent, sed non perseuerant: quoniam cum ad inclinationem illius accessionis perueniũt, hæc cessant. propterea opus est, & quod perseuerẽt, & quod ex cerebri & pectoris læsione fiãt, uel saltem ex læsione septi transuersi, ad quam & difficultas anhelitus, & deliria consequuntur.

Δύσπνοια γίνεται. idest, Difficultas anhelitus fit.] quæ ex febris accessione non sequatur, sed ex læsione spiritualium membrorum, quia materia uel in pulmonibus, uel in pectoribus, uel in alijs spiritualibus partibus sita sit, & tali modo sita quod pseueret, malum signum est. Δύσπνοια uero est spirandi difficultas, & est Asthmatis species, de qua in tertio libro abunde tractauimus. Ideo ne eadem semper repetere cogamur, tu ad locum illum recurras, in quo & Asthmatis species & distinctiones posuimus. Philotheus uero exponit, quid intelligendum sit per dyspnœam, inquiens, τουτέστι μεγάλη καὶ ἀραιὰ ἀναπνοή, idest, hoc est magna, & rara respiratio.

Καὶ παραφροσύνη. idest, & delirium fiat.] quod ex materia in capite contẽta fit, uel in pectore, quæ abscessum inducat, à quo fumi caput petentes eleuẽtur. Tamen possemus etiã intelligere, quod hæc ui febris inducerent. nã intẽsa febris sua caliditate perseuerãte cerebrum

cerebrum exiccare posset, & deliria facere. Eodem modo si adeo exiccare pectoris lacertos, ut commode moueri non possent, anhelitus difficultatem inferrent: unde & ob ipsam febrem hæc fieri possent. At quia non possunt nisi à magna causa fieri, & tali quę mortem inducat, etiam si à sola febre fiant, propterea addit,

θανάσιμον. idest, Lethale signum est hoc.] Nam his suppositis, in his partibus ingens nocumentum esse ostenditur, quod uel ad abscessum, uel ad materias in ipsis cõtentas, uel ad ipsam febrem nimis exiccantem consequitur. Omnium uero horum causam esse dicit Philotheus, ὅτι ἡ μὲν τὴν καρδίαν δηλοῖ πεπονθέναι. ἡ δὲ παραφροσύνη τὸν ἐγκέφαλον. γίνεται δὲ αὕτη ἡ δύσπνοια, ἥτις καὶ τὴν παραφροσύνην μηνύει διὰ βλάβην τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων φλεγμαινόντων. ἡ παραφροσύνη δὲ διὰ τὸ πέμπεσθαι ἀτμοὺς περὶ τὸν ἐγκέφαλον, ὡς ἔστιν ἰδεῖν ἐπὶ περιπνευμονίας. γίνεται δὲ ἐπὶ τῆς περιπνευμονίας φλεγμονὴ ἐν τῷ πνεύμονι, καὶ διὰ ταύτης βλάπτεται ἡ ἀναπνοή, ἀτμίζουσα δὲ, πέμπει πρὸς τὸν ἐγκέφαλον, καὶ ποιεῖ παραφροσύνην, ὥστε προηγεῖται ἡ δύσπνοια τῆς παραφροσύνης. idest, Quod quidem cor passum esse ostendit, scilicet difficultas anhelitus, deliriũ uero, cerebrũ. fit aũt ipsa difficultas anhelitus quę & deliriũ nuntiat, ob nocumentũ spiritualiũ organorũ inflammationẽ patientiũ. deliriũ uero, quoniã mittuntur uapores ad cerebrũ, ut uidere est in peripneumonia, fit uero in peripneumonia inflãmatio in pulmõe & propter hãc respiratio læditur. Euaporans aũt ad cerebrũ mittit, & deliriũ facit, quamobrẽ difficultas anhelitus deliriũ præcedit. Hæc Philoth. Vnde tu hinc notare debes, Hippocratẽ anhelitus difficultatẽ prius posuisse, deinde deliriũ, quia frequẽter ad lęsionẽ quę in capite est, deliria sequũt.

GALENVS

FIT quidem nonnunquam ex eadem causa horum utrunq;, & difficultas spirandi, & deliriũ, patiente cerebro, & tunc apparet spiritus, ut ipse in prognostico inquit, magnus, ex multo interuallo, hoc est magnus & rarus. Contingit aũt & propter aliquã earum partium quæ respirationi obseruiunt, passionẽ, spirandi difficultas. Nam & morbus lateralis, & pulmonis inflammatiões, & reliquę thoracis, atq; pulmonis passiones, spirandi faciunt difficultatem. Hæc uero omnia periculosa sunt, febre præsertim continua adiuncta. Nam semper cum tali fieri consueuerunt, quare & hic uerba illa, Cum febre nõ intermittente, eadẽ uidẽtur ratione esse dicta, qua etiã in aphorismo antecedẽte.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quod ab una & eadem causa horum utrunq; fit, & anhelitus difficultas, & delirium, ut à cerebro læso: nam hoc lęso deliria fiunt, & in delirijs anhelitus difficultas inducitur. quoniam qui delirant, fortes imaginationes, & ualde fixas habent, unde uirtus ad anhelitum procurandum, non nisi in magna necessitate redit, propterea magnum anhelitum facit, sed rarum. quod ferè omnibus circa aliquid intense occupatis contingit. hi rariorem habent, sed fortiorem anhelitum. rariorem quidem, quoniam uis circa aliud occupata ad mouendos thoracis musculos, qui motu uoluntario mouentur, non accedit, nisi cum necessitatem refrigerandi cor persenserit. ideo ob hoc uis ipsa molestata, magnum anhelitum facit, sed non frequentem, rarum uero, quia circa aliud occupata. Ideo ab unamet causa & deliria, & anhelitus difficultas inferuntur. Immo & aliam causam reddere possemus, scilicet quod cerebro læso, nerui læduntur, & chartilagines, & ex cõsequenti pectoris partes, quæ anhelitus difficultatem faciunt. è contrario à causa difficultatis anhelitus prouenire possunt. Nam si lateralis morbus in septo transuerso fit, ab hac causą & una difficultas anhelitus, & deliria fiunt. propterea gręci hanc partem φρένας, idest mentes appellant, quia ubi in ipsa læsio fuerit, mentis tenebricositas & deliria sequuntur. tamẽ huius nõ meminit Galenus, sed illi sat fuit, uno exemplo ostendere quod hæc duo ab una causa fieri, nihil impediat.

Quod statim in primo uersu legitur, ex eadẽ causa, graece habetur, καὶ διὰ μίαν αἰτίαν, idest & per unam eandem causam.

Quod legitur, Magnus ex multo interuallo, græce habetur, μέγα τε καὶ διὰ πολλοῦ, idest magnus & per multum. tamen Leonicenus optime finxit sententiam Hippocratis explicans, & dicens, magnus ex multo interuallo.

SECVNDO Galen. docet, spirãdi difficultatẽ fieri, etiã nullo existente in cerebro nocumẽto, sed solũ in partib. spiritualibus, ut lateralis morbus & pulmõis inflãmatio &c.

TERTIO notat Galenus, hanc particulam, in febre non intermittente, eodem modo intelligendum esse ut in aphorismo quadragesimooctauo exposuerat illud, spondyli dorsi, est uero pleonasmos, quia non sunt spondyli nisi in dorso: ita hæc symptomata non nisi in non intermittente febre contingunt: quia in intermittente fieri non possunt. Ideo eodem modo, ut ibi fecimus, hanc aphorismi particulam intelligere oportet.

Oribasius in hac parte Galenum refert, in re quam nunquam somniauit Galenus. Dubitat enim quid habeat delirium cum difficultate spirandi, cum in diuerso corporis loco fiat. Respondet, alia dici hic à Pelope, alia à Lyco, sed Galenum reddere rationem anatomicam, quia prouida natura tres musculos descendentes fecit à dextro iugulo ad dextram coxam, & duo qui in orbem circumeunt, circuli modo mittuntur, quorum alij aperiunt, alij claudunt, ut naturalem ministrent motum uel spiritum. Nerui à cerebro procedunt, & communionem cum musculis habent & intexunt carnes. In his autem alienatio significat iam musculos à tumore præfocatos, & cerebrum eis compati, & dum duo principia, idest cor & cerebrum patiuntur, quæ erit spes uitæ? At tu bene considera, nec Galenum hæc somniasse, nec eadem incorruptæ ueritati conuenire.

APHORISMVS LI

IN febribus abscessus, qui ad primas iudicationes non soluunt, longitudinem morbi significant.

BRASAVOLVS

SOLENT plerunque febres, præsertim diuturnæ per abscessus iudicari. Si uero contingat abscessum fieri, & in die iudicatorio tamen morbus non soluitur, hunc morbum futurum longum iudicato, quoniam & re uera denotatur esse multitudinem materiæ, quæ naturæ non obedit: & adde quod uirtus non est supra materiam robusta, aliter ad abscessum totam materiã propelleret, itaque solutus esset. Immo ut Galenus dicit, si morbus ad primas iudicationes non finit, diuturnus erit.

Ἐν τοῖς πυρετοῖσιν. idest, In febribus.] A quacunque materie hæ febres contingant,

Ἀποστήματα μὴ λυόμενα, πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας. idest, Abscessus qui ad primas iudicationes nõ soluuntur.] Hoc est, Abscessus illi qui in febribus fiunt, & in primis iudicationibus, idest, in primis diebus iudicatorijs non soluuntur: ut si abscessus febre existente fiant, tamen hic abscessus in primis diebus iudicatorijs non sanetur, materię abundantia significatur. propterea inferre oportebit, morbum diuturnum futurum. Aliqui intelligunt, non solui abscessus, idest, non rumpi: & re uera nisi disrumpantur, diuturnus est morbus, quia humoris cruditas significatur. Tamen nos Hippocratem intelligimus, non quod non rumpatur, sed quod non sanetur. Leonicenus interpretatur, non soluunt, propterea nos quandoque aphorismo hunc sensum tribuebamus, quod febres diuturnæ sunt, in quibus fiunt abscessus, & tamen ipsi abscessus morbum, idest febrem non soluunt. & hic sensus omnino uerus est, tamen Hippocratis mentem non exprimit, quia græca Hippocratis uerba ostendunt, ipsum de solutione & sanitate abscessus loqui, non autem febris. Quid uero intelligendum sit per primas iudicationes, exponere oportet. Aliqui intelligunt uigesimum diem, alij quadragesimum. Nos spatium trium septimanarũ intelligimus, quod est uiginti dies. Si hos pertranseant ęgri ita affecti, & non sanentur abscessus, multam esse materiam significatur, quæ apta est diu morbum conseruare. Philotheus uero ita exponit, πρώτας κρίσεις λέγει, τὴν τετάρτην καὶ ἕκτην ἡμέραν. idest, primas iudicationes dicit quartã & sextam diem. At nos non ita Hippocratem arctamus, quia nõ sunt longi morbi nisi quadragesimũ diem pertransierint. fieri aũt potest quod ante quadragesimũ diem sanetur hi abscessus qui quarta aut sexta die iudicati non sint. Oribasius exponit, si quis febricitans abscessum habuerit ante criticum diem, signum est uirtutem esse ualidam, quæ illum expellit: Si eruperit, & à prima crisi non recesserit ægritudo, abundantiam significat humoris, & longam ægritudinem

tudinem quia tanta fuit copia humoris ut abscessum moueret, quum ægritudo permaneret. unde per hæc postrema uerba Oribasius intelligere uidetur non quod abscessus soluatur, sed ægritudo. nulla autem alia ægritudo adest quàm febris.

Μῆκος νόσου σημαίνουσιν. idest, Morbi longitudinem significant.] Nam multam materiam præsentem ostendunt: unde & à Philotheo dicitur hanc esse causam, διότι ἡ ὑποκειμένη ἐν τοῖς ἄρθροις ὕλη παχυτάτη ἐστὶν, καὶ διὰ τοῦτο χρόνου δεῖται πρὸς πέψιν. idest, Quoniam subiacens in articulis materia crassior est, & propter hoc ad sui coctionem longo tempore indiget.

GALENVS

SERMO ita clarus est, ut forte Hippoc. nõ indiguerit. Liquet enim quòd eo ipso, quod ad primas iudicatiões nõ soluũtur, huiuscemodi passiones sint diu duraturæ.

BRASAVOLVS

GALENO uidetur huius Aphorismi sermonem adeo clarum esse, ut forte Hippocrate non indigeat. Nobis quoque uidetur, Galenum adeo facile loqui, ut nostra expositione non indigeat.

APHORISMVS LII

QVicunque in febribus, uel in alijs morbis sponte illachrymant, nihil absurdũ: qui uero non sponte, absurdius.

BRASAVOLVS

SPONTINÆ lachrymæ nihil aliud præ se ferre possunt, quàm illud propter quod fiunt. ut si quis sponte illachrymet, quia ita illi placeat, aut aliquod ingens malum illi nuntiatum sit, At si non sint spontinæ lachrymę, sed absque manifesta causa fluant, ex cerebri contentiua uirtute debili id fit, quæ impotens est ipsius humiditates retinere, sed musculis ob humiditatem relaxatis, profluunt. propterea in febribus, uel alijs morbis, si quis sponte illachrymet, quia lachrymare uoluerit, uel aliquid sinistri sibi acciderit, malum non est. At si non sponte illachrymet, sed absque causa lachrymæ fluant, absurdum est, & malum: quia in cerebro ipso læsio significatur. In spontinis uero lachrymis nihil mali significatur. unde & Philotheus huius Aphorismi interpretationem hoc modo aggressus est, δάκρυόν ἐστιν ὑγροῦ κένωσις διὰ ὀφθαλμοῦ. γίνεται δὲ τὸ δάκρυον, ἢ κατὰ προαίρεσιν, ἢ ἀπροαιρέτως. καὶ κατὰ προαίρεσιν μὲν, ἢ διὰ ὀδυρμόν, ἢ διὰ στέρησιν φίλων καὶ χρημάτων. ἀπροαιρέτως δὲ, διὰ ὀδύνην, καὶ πολλὴν οἰνοποσίαν, ὥστε θερμαίνεσθαι τὰς ὕλας ἐν τῇ κεφαλῇ. ἢ διὰ φλεγμονὴν τοῦ ὑπεζωκότος ὑμένος τῶν ὀφθαλμῶν. ἢ διὰ ἀσθένειαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως, περὶ ἧς νῦν ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει. idest lachryma est humiditatis euacuatio per oculũ. fit autem lachryma uel uoluntarie, uel inuoluntarie. & uoluntarie quidem, uel propter miserationem, uel propter priuationem amicorum & diuitiarum. Inuoluntarie autẽ, quando propter dolorem, & multam uini epotationem materias in capite calefieri contingit: uel propter inflammationem pelliculæ quę oculis inheret, uel propter debilitatem contentiuæ potentiæ, de qua nunc sermo Hippocrati est. Hęc Philotheus.

Ὁκόσοι ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀρρωστίῃσιν. idest, Quicunque in febribus, uel in alijs morbis.] Quamuis interpretari possemus uel in alijs imbecillitatibus, tamen ad rem magis est interpretari, in alijs morbis, quia & præter febrem multi alij morbi sunt, tamen nulli, uel rarissimi acuti sunt absque febre.

Κατὰ προαίρεσιν δακρύουσιν. idest, Sponte illachrymant.] uel secundum uoluntatẽ uel secundum propositum, uel secundum institutũ, uel secundum delectum. nam hoc uocabulum προαίρεσις omnia hęc significat, immo & liberã uoluntatẽ etiã significat. Mihique potius arridet, quod interpretemur uoluntarie, uel secundũ propositũ, quàm sponte. Quia semper ubi usus est uocabulo sponte, quod erat gręca lingua αὐτομάτως, de euacuatione à natura intrinseca facta sine uoluntatis imperio intelligebat: hic uero de lachrymis sermonem habet, quæ per uoluntatis imperium factæ sunt, uel quæ causam aliquã ab appetitu sensitiuo dependentem habeant. Oribasius harum lachrymarum ex uoluntate

exemplum

exemplum dat, ut si quis uisitans hominem, fingat sibi dolorem, ut plangat sponte, uel si affectus corde lachrymas emittat.

οὐδὲν ἄτοπον. idest, Nihil absurdum est hoc.] Cum sunt uoluntariæ lachrymę, tamē hoc mali habent, quod capitis dolorem inducere possent.

ὁκόσοι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν ἀτοπώτερον. idest, Quicunque autem non uoluntarie (scilicet lachrymant) hoc est absurdius.] Quia in ipso cerebro læsio signatur. Scito autem inuoluntarias lachrymas, multis de causis prouenire posse. una causa potest esse festuca, quę in angulum oculi ceciderit. Alia causa potest esse particulares oculorum morbi, ut est ophthalmia. Alia causa potest esse magna cerebri naturalis humiditas, & de his omnibus Aphorismus uerus non est, quamuis in eisdem casibus semper malum portendant, tamen fiunt quandoque lachrymæ ob cerebri concussionem, quæ ex agitatione fit à magno nocumento in ipso. fiunt etiam à nimia caliditate febrili exiccante & cerebri humiditatem ad oculum exprimente. fiunt & à uirium debilitate, propter quam musculi lachrymales relaxantur, & lachrymæ prodeunt. His omnibus modis Aphorismus intelligi potest. nam experientia in his qui mori debent, inuoluntarias lachrymas ob relaxationem partium & oculorum, & cerebri, circa oculos uidemus. Solent etiam plerunque exire lachrymæ in his in quibus sanguis è naribus fluxurus est. unde & Hippocrates in primo Epidemiorum libro dicit, Quibus in acutis febribus, præcipue causonibus inuoluntariæ lachrymæ fluunt, in his à naribus sanguinis fluxus expectandus, nisi in alijs perniciose se habuerint. in his enim qui male habent, non sanguis fluxum, sed mortem portendunt. ut simul colligere possis, quando sanguinis fluxum, & quando mortem portendant. Idem Hippocrates in quarto Epidemiorum libro prope finem hunc Aphorismum repetit: dicens, Qui uoluntarie lachrymant, malum non est: Qui non sponte, contra. & in principio sexti libri idem dicit, lachryma uoluntarie emanans in grauibus morbis, & male habentibus, bonū est: non uoluntarie uero econtra. Celsus quoque capite quarto secundi libri de malis ægrotantiū signis loquens, inter alia hoc scribit, sine uoluntate lachrymare. Tu que Celsum perpende, qui sponte nō dixit, sed sine uoluntate. quia illi uisum est id uocabulum προαίρεσις, illud potius significare apud Hippocratē, quàm sponte. propterea & Hippocrates ipse primo Prognosticorū libro, capite quarto, sectione decimatertia de malis signis quæ in oculis existūt, tractās, hoc ponit, aut nolentes illachryment: in quo loco Galenus docet, si quis ob lippitudinem, aut fluxionem aliquam à capite illachrymet, est quidem præter naturā affectus, tamen non significat mortē. Si aūt sit propter debilitatem detētoriæ facultatis, exitiosum indicium letaleque est. Philotheusque id confirmat, fieri scilicet διὰ ἐσχάτην ἀτονίαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως. idest, propter summam debilitatem contentiuę potentiæ. Denique Philotheus hoc notat, ἰστέον δὲ ὅτι ἐκ τοῦ μερικοῦ παραδείγματος, τουτέστι τοῦ ὀφθαλμοῦ, ὅλον τὸ σῶμα ἐδήλωσεν αὐτὸν ἔχειν τὴν καθεκτικὴν δύναμιν. idest, Sciendum uero quod ex particulari exemplo hoc est oculi, ostendit totum corpus contentiuam potentiam habere.

GALENVS

DICTVM quidem & in prognostico, lachrymari non esse bonum signum, quando uidelicet oculus ipse nullum affectum habet proprium, atque præcipuum, ueluti lippitudinem, uel in palpebris asperitatem, uel tale aliquid. Nam debilitas quædam ostenditur potentiæ contentiuæ, quando & si talia non adsunt, illachrymant. Non recte autem scriptum fuit absurdius comparatiue, melius enim fuerat absolute absurdum dicere, & mihi uidetur hic error, culpa magis primi librarij, quàm ipsius Hippocratis contigisse.

BRASAVOLVS

HOC quod à Galeno in prima parte ponitur, primo Prognosticorū libro reperitur capite quarto, sectione decimatertia in quo loco Galenus hęc dicit, si oculus lachrymet, uel ob lippitudinem, uel ob asperitatem in palpebris, uel ob aliud simile, hoc significat quidem affectū præter naturam, sed nō significat omnino abolitionem. Si uero propter debilitatem uirtutis detentiuæ fluant lachrymę, exitiosum indicium letaleque est.

SECVNDO Galenus Hippocratē corrigit, ut nō sit legendum, absurdius, per comparationem, sed potius simpliciter, absurdum. At potius iudicat hunc fuisse librarij errorem qui

rem qui scripserit ἀποπώτερον, cũ debuisset scribere ἄτοπον. & re uera sicuti dicebat, uoluntarias lachrymas nihil absurdi præ se ferre: ita hic intelligendus, quod non spontaneæ aliquid absurdi significent. Contextus uero Hagonensis in superlatiuo legit ἀτοπώτατον, quod mihi non displicet, quamuis Aldinus contextus, & antiquus noster, & multi alij ἀτοπώτερον habeant. immo & Galenus in suo contextu ita se habuisse fatetur.

APHORISMVS LIII

QVibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.

BRASAVOLVS

LENTORES circa dentes tam in sanis, quàm in ægris generantur, sed in ægris citius fiunt, ob magnam febris caliditatem, quæ naturam à capite descendentem circa dentes exiccat: In sanis uero etiam ex caliditate fiunt: sed nõ nisi in diuturno tempore. Cum ergo in febribus lentores quosdam circa dentes uidebis, hos febres intensas esse iudicato. quoniam si remissæ essent, hos lentores saltem cito non inducerent. Philotheus dicit σημεῖον γὰρ τοῦτο δίδωσι τοῦ εἰς χρόνους ἐκτείνεσθαι τὸ νόσημα. idest, signum hic dat productionis morbi ad tempus.

ὁκόσοισιν περὶ τῶν ὀδόντων, ἐν τοῖσι πυρετοῖσι, περίγλισχρα γίνεται. idest, Quibus circa dẽtes in febribus lentores fiant.] Non ab re dixit in febribus, quia & sine febribus fiunt, dentes uero cooperiunt, & etiam propinquam gingiuarum partem. Sunt autem περίγλισχρα lentores, & uiscositates exiccatæ circa dentes, quæ ex uaporibus ab humore humido in caput ascendentibus fiunt, qui postea condensati, & crassiusculus humor effecti, ad os descendunt, & circa gingiuas & dentes à calore febrili exiccantur, & in sputa non transeunt. propterea humiditas illa quæ per modum sputi exire deberet, ob febris calorem circa dentes exiccata lentores appellatur. immo gypseam naturam lapideamq; adipiscuntur, & ex dentibus plerunq; laminæ tartaro similes eleuantur. Huius rei exemplum dat Oribasius ita fieri, sicuti si quis nouiter cædat ligna è siluis, & apponat illis ignem, & dum hæc lingua faciunt fumum, habent humectationem. ubi consumpta fuerit humectatio, uelociter flamma efficitur, & tamen fuliginem in superficie relinquit. Sic itaq; natura ex glutinoso humore febrem facit, & ex ipso eodem humore fumum quendam in cerebrũ nostrum emittit, unde & dentes inficiuntur, quia in cerebri extremitate positi sunt, & dum istud inuenerit medicus, tunc prædicit uehementiorem, & periculosiorem febrem adhuc fore. At unum supponit Oribasius, quod semper uerum non est, scilicet febrem ex glutinoso humore semper fieri. Tamen & Philotheus idem sentire uidetur inquiens, σημαίνει γὰρ παχεῖαν ὕλην καὶ φλεγματικὴν εἶναι τὴν τοῦτο ποιοῦσαν. idest, Significat enim crassam materiam & pituitosam esse quæ hoc faciat. At quomodo lentores ipsi fiant, eodem ferè modo Philotheus docet, ut superius dictũ est, inquiens, γίνεται δὲ οὕτως τὸ περίγλισχρον, ψυχρῶν χυμῶν ὄντων ἐν τῷ στομάχῳ ἀτμωδῶς εἰς τὰ οὖλα τῶν ὀδόντων ἀνιεμένης τῆς ὕλης, καὶ πηγνυμένης εἰς τοὺς ὀδόντας, διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς ψυχροὺς καὶ ξηρούς. idest, Sic aũt fit lentor, cũ in uentriculi ore frigidi humores sint, uaporabiliter ad dentium gingiuas ascendente materia, & supra dentes concreta, propterea quod sunt frigidi, & sicci.

ἰσχυροὶ γίνονται οἱ πυρετοί. idest, Fortes fiunt febres.] Quia materiæ illæ humidæ non exiccarentur, præsertim cito, nisi ingens caliditas adesset, quę illas exiccaret. Aliqui legunt, fieri febres fortiores, & diuturniores, & ita antiqua translatio habebat. propterea Recentes errare fecit, qui secundum ipsam interpretantur dicentes quia materia est crassa uiscosa, propterea ægritudo longa est. At quia lentores fiunt, caliditas est intensa, & febris fortis. Non aduertunt autem quod materia glutinosa quæ est circa dentes, illa non est quę febrem faciat, & quod febris non potest esse fortis (ut eorum uerbis utar) simul & longa, quoniam omnes uehementes febres cito terminantur.

Celsus libro secundo capite quarto hanc dictionem γλίσχρα interpretari uidetur humores glutinosos, & ideo de signis ęgrotantium malis loquens, istud quoque inter mala signa connumerat, inquiens, habere humorem glutinosum dentibus inhærentē. Hippocrates & ipse quarto Epidemiarum libro prope finem, hunc aphorismum ferè describit. At ipse non dicit, quod febres intensæ sint, sed quod ita habere malum est. eius uerba hæc sunt, Quibus glutinosa dentibus hærent, malum est.

GALENVS

NEQVE enim nasci possunt huiuscemodi lentores sine caloris multitudine pituitosiorem humiditatem exiccante.

BRASAVOLVS

GALENVS de his lentoribus rationē reddit, quos ob ingentem calorem circa dentes fieri dicit, qui pituitosam humiditatem in ore existentem, & circa dentes exiccat.

Quod legitur, pituitosiorem humiditatem exiccante, Græce habetur ὑγρότητα φλεγματικωτέραν σημαινούσης. hic uidere potes hanc dictionem σημαινούσης non significare exiccante, sed potius significante. Itaque antiquus noster contextus, & alij multi legunt, sed Aldinus cōtextus habet ξηραινούσης, idest exiccante, quod magis probo: & hanc esse Galeni lectionem arbitror, quam in suo contextu Leonicenum habuisse constat.

APHORISMVS LIIII

QVibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

BRASAVOLVS

QVI febres ardentes patiuntur, quales illæ sunt quæ à Gręcis causones appellātur, & unà siccam tussim habent, quæ ægrum non multum molestet, hi à siti parū molestantur: tamen illæ febres suapte natura sitim inducere solent, & causa est, quoniā hæ tusses ab aliqua humida materia, ad pulmonē, ad guttur, & ad œsophagum descendente, & illas partes humectante fiunt. Cum uero ad has partes destillat, tussim quandam inducit, quæ tamen sicca est, tum quia materia pauca, tum quia ab ardente febre exiccatur.

ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ. idest, Quibus plurimum.] Hoc ita intelligimus, illi qui in toto ferè morbi tēpore, uel in maiori parte. Non desunt tamen aliqui contextus in quibus deest hæc particula, plurimū, & Theodorus in suo contextu non habebat. Oribasius dicit, βῆχες ξηραὶ, idest, siccæ tusses: illæ uero sunt siccę tusses, in quibus nihil expuitur. unde & Philotheus dicit, βῆχες ξηραὶ λέγονται ἐφ᾽ ὧν οὐδὲν ἀναπτύεται. idest, siccæ tusses dicuntur, ex quibus nihil expuitur. fiunt aūt, uel ob pulmonis & cannæ siccitatē, uel quia canna ob siccitatem prædura effecta sit, & punctura persentiatur, ideo stimulata natura ad œsophagi siccitatem uenit: uel ob humidam materiam ad pulmonis & cannæ partes descendentem, quæ cum tenuis multum sit, natura illam expellere tentat, sed ob eius tenuitatem, quia tanquam aqua est uias madefaciēs, expellere non potest. unde natura ut expellat conatum facit, ex quo tussis excitatur. at deinde expellere non potens, nihil expuitur: ideo tussis sicca est. Si autem materia crassa esset, expueretur, & tussis sicca non esset. ut plurimum uero istæ materię quæ ita tenues sunt, humidæ sunt, & facile sitim tollunt. unde hoc fieri putamus ex destillatione, quæ à capite ad oris & pectoris partes descendit. hæc enim sitim soluit, & has partes udas conseruat. Philotheus & ipse hoc modo siccam tussim fieri docet inquiens, γίνεται δὲ ἐπὶ τραχύτητι τοῦ φάρυγγος ἀπὸ ψυχρᾶς δυσκρασίας, ἥτις διὰ τὴν ἐν τῇ βηχὶ κίνησιν, ἐκ τῶν πλησίων ἕλκει ὑγρότητα, κἀκ τούτου παύει τὴν δίψαν τῶν καυσωδῶν πυρετῶν. idest, fit autem in aspera arteria fauciū ab intemperie frigida, uel ob motum in tussi, ex plagis humiditatem trahit, & ex hoc in ardentibus febribus sitim cessare facit.

Βραχέα ἐρεθίζουσαι. idest, Leuiter iritātes.] Vel ut habet Aldinus cōtextus, ἐρεθίζουσιν, idest iritant. opus aūt est esse leues, quia si uehementes essent, magis exiccare possent. Oribasius uero dicit, modice, quia in faucibus sunt & non in profundo corporis. ex hac

autem

autem particula Philotheus notat Hippocratem intelligere de tussi, quæ ex humiditate fiat. quoniam (ut dicit) αὕτη καὶ μόνη βραχέα ἐρεθίζει. idest, ipsa & sola leuiter iritat.

Ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσι. idest, In febribus causodibus.] hoc est in ardentibus febribus, quæ à biliosissima materia fiunt, & quæ ingentem sitim inducere solent. nam magnam anhelationem faciunt, & pulmonis partes exiccant. hac uero materia descendente, hæ partes humectantur. tamẽ ne ex hoc putes quod nullo modo sitiant, sed minus sitiunt, quàm in his febribus facere soleant. propterea sequitur.

Διψώδεες οὐ πάνυ τι εἰσι. idest, Non multum siti infestantur.] Non multum siticulosi fiunt: ac si dicat, omnino ob ingentem illius ardentis febris calorem opus est ut siti infestentur, at non multum infestantur, ut naturaliter fit, quando aliquis sine parua tussi ardentem febrem habuerit. hæc enim febris pulmonem inflammat, quo inflammato, fit sitis, & hoc potissimum in febribus. Sedatur uero hæc sitis si materia ad pulmonem destillet, ut fit quãdo tussicula adest. Quod uero ex pulmonis affectione sitis generetur, Galenus in libro Artis medicinalis docet, ubi de uentre agit, quoniam exiccato pulmone œsophagus etiam exiccatur.

Oribasius uero quomodo sitis sedetur, alio modo edocere uidetur, primo dicens sitim induci, & ex stomacho, & ex pulmone. Quæ ex stomacho, potu tẽperatur. quæ ex pulmone, potu incitatur. De febrientibus uero dicit hos tussire quia anhelãt, & dũ quęrunt trahere aerem, frigus ingreditur nimiũ, & tussiculam facit, & ex ipso aere temperatur sitis: non quod aer sitim tẽperet, sed quod ipsa siccitas quæ tussim facit, tẽperat sitim quæ est in aspera arteria, & in pulmonibus, quò nõ ingreditur potus, sed aer. Illam uero sitim, quę nascitur in stomacho, potus temperat, quia fit ex acerbatione hepatis, uel uentris, quò ingreditur potus, qui sitim tẽperat, idemq; sitim facit. quoties enim in pulmonibus sitis fuerit, & bibant ægri, extenduntur uiscera, & opprimitur aspera arteria, & aer qui ingredi debebat, non ingreditur, & plus excitatur tussis, & sitis. Sed re uera perfectã rationẽ Oribasius non reddit, quia nõ solus aer sitim soluit, quę ex pulmonibus est, At omnis ferè sitis ex pulmonibus est, quæ in febribus fit, & non ab aere solo sedatur, sed à materia tenui & humida, quæ à capite ad pectoris partes, & pulmones descendit. immo & ex potu sedatur. nã eius quod bibitur humiditas aliqua ad pulmones tendit. aliter neq; eclegmata, quæ potu lõge crassiora sunt, illuc ire possent. De his tussibus quicquid dictum sit, etiam si humectent, tamen ab Hippocrate sexto Epidemiorũ libro malæ iudicantur, ubi in ultima parte dicit, quin & in febribus laboriosis tusses siccæ fiunt, quæ cum febre si intus remanent, artus & articulos debilitant.

GALENVS

SICCAS tusses illas nominant in quibus nihil expuitur. Fiunt autem aliquando ob intemperiem instrumẽtorum quæ obseruiunt respirationi, aliquando uero in faucium asperitate, uel aliquo tenui, & pauco humore destillante. Quicquid horum acciderit, aliquo modo madescunt loca quę ad asperam pertinent arteriam, & ideo minus siticulosi fiunt. Nam si asperitas sola fuerit propter motum in tussi factum, ex locis uicinis humor aliquis trahitur, sic autem & si sola fuerit intemperatura.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligendum sit per siccas tusses, illas inquam, in quibus nihil expuitur.

SECVNDO docet quomodo ob intemperaturam instrumentorum respirationi seruientium quandoq; fiunt, quę in tẽperatura sicca sit, aut frigida, aut ualde humida: quandoq; ex asperitate faucium inducitur, per quam fit punctio, & natura illuc humores ducit: quandoq; fit ab aliquo humore tenui destillante.

TERTIO Galenus docet, ex quacũq; causa ex prædictis fiant, semper madere asperam arteriam, uel loca ad ipsam perinentia, propterea minus siticulosi sunt.

QVARTO quomodo hæc fiat, ostendit. nam si fauces asperæ sint, tussis fit. At ob tussis motũ ex uicinis locis humor aliquis attrahitur. Si uero sit sola intẽperies, etiã ad tussis motũ, humor aliquis mouetur qui partes illas humectat. Si aũt tussis ex destillãte aliquo humore pauco fiat, ita etiã illæ partes humectãtur. Nobisq; potius arridet, quod Hippocratẽ hoc modo intelligamus, quàm quocunq; alio ex enumeratis superius modis.

APHORISMVS LV

EX inguinum tumoribus, febres omnes malæ, præter diarias.

BRASAVOLVS

FEBRIVM distinctio apud probatos authores in tres species fit, in ephemeras, quæ diariæ latine uocantur, & in spiritibus inflammationem habent: In putridas, quæ & humorales dicuntur, quoniam in humoribus accensio primo est: & in ethicas, quæ in solidis membris accensionem habent. Febres omnes, quæ in inguinum tumoribus fiunt, malæ sunt, Ephemeris, siue diarijs exceptis. nam hæ non sunt malæ. aliæ uero malæ sunt, quia & cordi, & superioribus partibus nobilioribus putredinem communicari significant, quod non faciunt diariæ, utpote illæ quæ solum in spiritibus accensionem esse ostendant. De ethicis uero si quis dubitet an hic ab Hippocrate intelligantur: Respondemus, intelligi posse, & semper malas esse.

οἱ ἐπὶ βουβῶσι πυρετοί. idest, In inguinum tumoribus febres.] Vel in bubonibus. nam & recentes hoc nomine utuntur, quoties panũ significare uolunt. hæc autem uox bubo apud Græcos authores ad omne genus tumoris præter naturã significandum in quacunque corporis parte posita reperitur, deinde id uocabulum coarctarũt, ut solum de adenum tumoribus intelligeretur, ut alarũ, inguinum, & colli, denique ad id deduxere recentes, ut solum panum significet, idest, tumorẽ in inguinibus, quẽ Celsus phygethlon appellari dicit. nam panum à Romanis appellatũ esse phygethlon edocuit libro quinto capite uigesimooctauo. tamẽ Galenus in libro de tumoribus præter naturã bubonẽ à phygethlo distinguit, ubi prope finem libri dicit, Tertius his succedit bubo, & quartus, qui phygethlon nonnullis uocatur, calore simul, & generationis celeritate ab alijs tuberculis dissidentes. Sunt tamen qui in inguinibus, & alis duntaxat phygethla oriri uoluerint, utpote glandularũ inflammationes. Quicquid tamen sit, constat apud Galenum, phyma, phygethlon, & bubonem adenum affectiones esse: differre autem, quia phyma statim in principio augetur, & ad suppurationem tendit, de quo Celsus capite uigesimooctauo quinti libri differit. Phygethlon uero est, uel phlegmone erysipelatodes, uel erysipelas phlegmonodes, de quo Celsus præcitato loco dicit, tumorem esse, non altum, sed latum, in quo quiddam pustulæ simile est, dolor, distentioque uehemens est, & maior quàm pro magnitudine tumoris, interdum etiam febricula: idque tarde maturescit, neque magnopere in pus conuertitur. fit maxime, aut in uertice, aut in alis, aut in inguinibus. Panum ad similitudinẽ figuræ nostri uocãt. Bubo aũt est absolute phlegmone. Sed opus est de bubone intelligere apud antiquos. Nos uero hoc nostro tempore bubones habemus, qui ex muliebri concubitu, quando morbo gallico affectæ sunt, oriuntur. hi ab omni humore fiunt, & à bile, & à pituita, & ab atra bile. & quandoque simpliciter est phlegmone, tamen ab atra bile, & pituita ut plurimum infertur. In Aphorismi proposito, non me determino ad bubonem secundum recentes, idest, inguinũ tumorem, sed absolute omnem tumorẽ in adenosa parte intelligo, uel inguen, uel ala, uel ceruix. propterea hanc partẽ non interpretarer, ut Theodorus & Leonicenus faciunt, ex inguinum tumoribus, sed potius ex adenũ tumoribus, uel in tumoribus adenũ, aut simpliciter græca uoce uterer in bubonibus. nempe facile est, quid per bubones significetur, intelligere. opus enim est adenosarum partium tumorẽ intelligere, sed simpliciter factus sit hic tumor, & ex his non sit qui nunc ob gallicam scabiem fiunt. nam de his nullam cognitionem habuit Hippocrates. Et Paulus Aegineta capite uigesimosecundo libri quarti, & Aetius, in omni adene bubones fieri ostendũt. Sed & Philotheum de hac re ita differentem audias, βουβών ἐστιν φλεγμονὴ ἀδένος, ἀδὴν δέ ἐστι, σῶμα σπογγῶδες. ἀλλ' οὗτοι οἱ μὲν ὑπὸ προκαταρκτικῆς αἰτίας γίνονται, οἱ δὲ ὑπὸ προηγουμένης, ὅσοι ὑπὸ προσπταίσματος τοῦ ποδὸς, ἢ λύπης ἢ θυμοῦ. οἵ τινες καὶ ἐφήμεροι καλοῦνται, καὶ ἀκίνδυνοί εἰσιν, διὰ τὸ λύεσθαι διὰ μιᾶς ἡμέρας. οἱ δὲ ὑπὸ προηγουμένης αἰτίας γίνονται, οὓς καὶ κακοὺς λέγει νῦν ἱπποκράτης, διὰ τὸ ἐνδείκνυσθαι τὰ σπλάγχνα φλεγμονὴν ὑπὸ σήψεως. καὶ τοῦτο δῆλον, ὅτι φλεγμονή ἐστιν ἐν τοῖς ὑποχονδρίοις, ἐκ σήψεως, τουτέστι συμπάσχουσι καὶ τὰ ἀδενωδέστερα μόρια. δέχονται οὖν τὴν ὕλην ταύτην οἱ βουβῶνες ὡς ἀδενώδεις διὰ λόγον τοῦ πλήθους, καὶ ἐξογκοῦνται φλεγμαίνοντες. i. Bubo est inflãmatio adenũ. aden uero

uero est spongiosum corpus. sed hi quidem ab extrinseca & euidente causa fiunt, illi uero ab intrinseca & abstrusa, quicunque ab errato pedis, uel tristitia, uel animo. quidam & diarij uocantur, & sine periculo sunt, quoniam una die dissoluuntur. qui uero ab intrinseca causa fiunt, quos & malos esse dicit Hippocrates, propter hoc, quoniam demonstratur uiscera à corruptione inflammationem pati, & hoc manifestum, quod inflammatio est in præcordijs, ex corruptione, hoc est compatiuntur & debiliores partes. suscipiunt igitur hanc materiam bubones, tanquam debiles ratione multitudinis, & inflammationem habentes intumescunt. Vnum deinde tanquam uniuersale theorema docet Philotheus inquiens, δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι ἐκ τῶν καταρκτικῆς αἰτίας γιγνομένοις βουβῶσιν ἕπεται πυρετός. τοῖς δὲ ἐκ τῶν κρυπτομένης προηγεῖται. idest, Scire autem oportet quod febris bubones sequitur ex exteriori causa factos, ex intrinseca & abscondita uero causa factos præcedit. Sed statim dubium mouet & soluit idem Philotheus dicens, εἰ δέ τις λέγει ὅτι εἰ καὶ τοῖς μὲν βουβῶσιν ἕπεται πυρετός, τοῖς δὲ προηγεῖται, διατί ἱπποκράτης ἁπλῶς εἶπεν, οἱ ἐπὶ βουβῶσιν πυρετοί; λέγομεν ὅτι συνήθει ἀκολουθίᾳ τοῦτο εἶπεν. ἡ γὰρ συνήθεια βουβῶσιν φησὶν ἕπεται πυρετός, idest, Si autem quis dicat, quod si bubones febrem sequuntur & præcedunt, propter quid Hippocrates simpliciter dixit, in bubonibus febres, dicimus quod consueta consequentia hoc dixit, consuetudo enim dixit febris bubones sequitur.

πάντες κακοί. idest, Omnes malæ.] Scilicet febres quæ putridę sunt. nam cum hæ putridæ febres fiunt, ex uiscerum inflammationibus fieri significatur, propterea & febres ipsæ, quę cum his tumoribus gignuntur, omnes malę sunt.

πλὴν τῶν ἐφημέρων. idest, præter diarias.] Quia si febris diaria sit, in spiritibus solum inflammatio inuenitur: & hi tumores ab extrinsecis causis proueniunt, & nō ab intrinsecis uisceribus male affectis. Oribasius malam esse febrē quę nō sit diaria in his tumoribus dicit. quia natura tribus modis læditur, uno quod fluxus sit humoris, alio quod locus debilis, tertio quod febris. Hippocrates in secundo Epidemiorum libro, ubi de Polemarchi ancilla sermonem habet, hunc Aphorismum ad uerbum describit, immo addit καὶ οἱ ἐν πυρετοῖσι βουβῶνες κακίονες, Bubones in febribus peiores.

GALENVS

FEBRES diariæ omnes ab ipso uocantur, quæcunque sui ratione una die durant. Tales autem sunt ex tumoribus inguinum, quando ex causis manifestis consistūt. Alios uero tumores inguinum qui sine causa manifesta fiunt, fit uerisimile ex uiscerū inflammationibus fieri, atque ideo febres quæ una cum ipsis eueniunt malas esse.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quę sint diariæ febres, illæ inquam sunt, quæ sui ratione, idest, ut febres, & sine aliquo remedio una die perdurant. nam & aliquæ humorales ob remedia uno die finire possent, sed id non esset ratione sui, sed ratione remediorum.

SECVNDO docet, diarias febres ex adenū tumoribus induci, quando hi tumores ex manifestis causis fiunt: Quas Oribasius enumerans dicit, quando fiunt aut ex percussu, aut ex flatu. adde, aut ex equitatione, aut casu. Tamen quicquid sit, Paulus Aegineta libro secundo capite decimosexto has febres, quæ in bubonibus fiunt, esse considerandas, & curandas iubet.

TERTIO rationem reddit Galenus cur aliæ febres malæ sint, quoniam, inquit, alij adenum tumores, qui intrinsecam causam non habent & manifestam, quæ oculis pateat, ex uiscerum inflammatione fieri uerisimile est, propterea hę febres malæ sunt, quia intrinsecam partem inflammatam esse significant, & quia ab eadem materia, quæ inflāmationem facit, dependet.

Si uero dubites an de febribus loquatur, quæ ante tumores fiunt, an de his quæ in tumoribus, an post tumores. Respondemus secundum Galenum, ipsum de his intelligere quæ una cū tumoribus fiunt: quia si tumores febrē sequerentur, per uiā crisis progredi possent. itaque febris mala nō esset. Si etiam febris tumorem sequatur, febris ab alia causa fieri posset, quàm à tumore. propterea tu de febre intellige, quæ simul cum tumore fit, ut Galenus intelligit dicens. Atque ideo febres quę una cum ipsis eueniunt. Tuque, ubi inguinum tumor in hoc commento habetur, lege adenum tumor.

APHORISMVS LVI

FEbricitanti sudor superueniẽs febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

BRASAVOLVS

SOLENT qui febrem patiuntur, cum sudor apparet, à febre liberari. Si uero sudores in febricitante fiant, & tamen nõ deficiat febris, malum indiciũ est: malum inquam, quoniam morbi longitudinem significat, quæ ob exuberantem humiditatẽ infertur. humiditas uero multam materiã inesse significat, quæ breui consumi non potest, & exhauriri. At si hic Hippocratem contemplemur, expositione aliqua indigere non uidetur, quoniam & sententiam ponit, & sententiæ rationem statim addidit.

πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγινόμενος μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακόν. idest, Febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum.] Hinc enim de longitudine morbi indicium sumitur, Si quis in augmento particularis accessionis, & uniuersalis sudet, uel etiam in principio, quoniam talis materia potius per rationem symptomatis exit, quàm per naturalem exeundi modum. Tu uero per non deficientem febrem eam intellige, quę hominem non deserit, sed continuat, & etiam per sudorem non remittitur. Hoc autem intellige in quocunq; die fiat uel iudicatorius sit, uel nõ sit, modo febris non remittatur, uel hominẽ non deserat. Vanumq; est dubitare de quo sudore intelligat Hippocrates, an de eo qui fit ante febrem, an in febre, an post febrem. quia de illo intelligit qui in febre profluit. dicit enim hunc sudorem superuenire febricitanti, non aũt febricitantẽ præcedere. & si de eo loqueretur qui febrem sequitur, non diceret febre non deficiente. & Hippocratis sermo in putrida febre est, unde & Oribasius hic dicit, si sit ex putredine humorum febris, & superueniat sudor, febrisq; non iudicetur, signũ est crassos humores in altitudine remansisse, & tenues ad superficiem expulsos. unde medicus prędicet longiorem adhuc & periculosiorem fore febrem. Si etiam febris non minuatur, adhuc longior erit. nam sudor iudicationes ęgritudinum moliri solet. Quia uero per sudorem non iudicatur, materiam abundantem esse significat. unde & Philotheus dicit, quod huius causa est, πλῆθος ὑγρότητος, ὅπερ χρόνου δεῖται εἰς πέψιν. διὰ οὖν τὴν ὑγρασίαν τὴν πολλὴν, μηκύνεται τὸ νόσημα. idest, Multitudo humiditatis, quę ad coctionem longo tempore indiget: ob multã igitur humiditatẽ morbus producitur. Ratio aũt quę hunc Aphorismũ uerum facit, in omni euacuatione intelligi potest, & nõ in ea sola quæ per sudorem fit, quando febricitanti sudor superueniat, & non dematur, uel nõ minuatur febris, morbus est diuturnus: quãdo febricitanti egestiones multę educentur febre nõ deficiente, morbus etiam est longus: quando per urinã, quando per fluxum, & per omnia illa quæ iuuare solent & iudicare morbos, & non iuuant, necq; iudicant, morbus est longus, immo & periculosus.

Μηκύνει γὰρ ἡ νόσος. idest, Prorogatur enim morbus.] intelligẽtes, quod hic morbus sit salubris, quoniam si mortalis esset, hic sudor mortẽ magis propinquam, & prope fores iam esse demonstrat.

Καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει. idest, Et humiditatem multam significat.] Hoc est multos humores & copiosos, sed potissimum humidos, qui per sudorem exeunt. opusq; est talem sudorẽ intelligere, quem alia euacuatio non sequatur. quoniã & si sudor non sedaret, uel non finiret morbũ, sequẽs illa euacuatio nõ finire possit: itaq; nõ esset longus. uel absolute solum intelligamus, quoniam alia euacuatione superueniente, si sudor nõ soluit, & euacuatio illa soluat, ad aphorismi propositum non est, quia Aphorismus tam de sudore, quà de alia quacunq; euacuatione intelligit.

Hippocrates in libro De morborũ decretorio hunc Aphorismũ ponit, dicens, febriensq; si febre non cessante, sudet, malũ est. morbus eñ producitur, humiditatemq; significat.

GALENVS

OPORTVIT hunc aphorismum cum altero paulo antea dicto cõiungi. In quo dicit, Sudor multus, frigidus, uel calidus semper fluens. Ipse uero ostendit quo pa-

cto talem sudorē dixerit esse malum, & propter quam causam. Malus itaq; existit quia morbum non soluit, quare & ipsum prorogari significat. Causam uero secundum tempus prorogationis, multam ait esse humiditatem: quam in tempore longiori, dissoluente, ac concoquente natura, necessarium est morbum esse longum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hūc Aphorismum quadragesimo secundo huius libri Aphorismo iungendum esse, in quo dicebat, sudorem multum calidum, uel frigidum semper fluentem, frigidum magis, calidum minus significare morbum. ideo quisq; talis sudor malus est. In præsenti uero Aphorismo docet, quomodo talem sudorem malū esse dixerit, & ob quam causam sit malus.

SECVNDO malum esse docet, quia morbum nō soluit, sed ipsum prorogari significat. prorogationis autem causa multa humiditas est, quæ breui à natura concoqui nō potest ac dissolui. propterea necessarium est morbum esse prolixum.

Quod legitur, Malus itaq; existit, quia morbum nō soluit, quare & ipsum prorogari significat. Græce habetur κακὸς μὲν οὖν ἐστιν, ὅτι πρὸς τῷ μὴ λύειν τὴν νόσον, ἔτι καὶ μηκυνεῖν αὐτὴν δηλοῖ. idest, Malus quidem est, quoniam præter id quod morbum non soluit, amplius & ipsum prorogari significat. ut manifeste deprehendere possis, hanc particulā, præter id quod, deesse: & loco illius, quare, legendum esse, amplius.

APHORISMVS LVII

QVi à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.

BRASAVOLVS

CONVVLSIO, distentioq; à materia frigida fiunt, & ut plurimū pituitosa, propterea qui hęc patitur superueniente febre liberatur. quia febris sua caliditate humiditatem neruo imbibitā exiccat. Si uero cōuulsio febrē sequeretur, malū indiciū esset, presertim si febris uehemēs infestaret. quia cōuulsionē ex inanitiōe esse significaret. propterea in secūdo li. aphorismo uigesimosexto dicebat, melius esse febrē conuulsioni superuenire, q̃ cōuulsionē febri. Græcus contextus nō dicit febre superueniente liberatur, sed potius, febris superueniens soluit morbum. dicit enim, πυρετὸς ἐπιγινόμενος λύει τὸ νόσημα. ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐχομένῳ. idest, Qui à conuulsione, uel distentione neruorum tenetur.] Ita habet antiquus meus contextus, & ita Theodorus, & Leonicenus habebant: sed Aldinus contextus, & Hagonensis non legunt ἐχομένῳ, sed ὀχλουμένῳ, idest, turbatur, uel fatigatur. uocabulum hoc spasmus generale est ad omnem neruorum conuulsionem. ideo illi apud latinos uocabulum conuulsio correspondet, uocatq; Celsus communi uocabulo, rigorem neruorum, quem capite tertio quarti libri in tres species distinguit, in ὀπισθότονον, ἐμπροσθότονον, & τέτανον. primum est, quando in partem inconsuetam inclinat membrum, secundum, quando in partem consuetam. tertium, quando membrum erectum stat, & riget, unde à Celso rigor appellatur, à Theodoro hic, & Leoniceno distentio. quia id membrum uere distentum est. Sed de hac re secundo libro diffusius egimus aphorismo uigesimosexto, & latina nomina græcis con tulimus. Hic ergo dici posset, qui à conuulsione, aut neruorum rigore, aut distentione fatigatur. nam rigor, & distentio idem significant, quod apud græcos τέτανος, & Celsus omnem conuulsionis speciem plerunq; rigorem uocat. Dubitat hic Oribasius quia conuulsio particularis est, distentio uniuersalis, quare illam prius posuit? Respondet, nimirum quia conuulsio genus est, distentio species. Sed re uera in eo dubium facit quod oppositum est, quàm ipse dicat. nam conuulsio uniuersalis est, distentio particularis. Sed Philotheus alio modo dubium hoc ab Oribasio positum proponit, inquiens, εἰ δέ τις εἴποι, καὶ εἰ ὁ τέτανος, σπασμός ἐστιν, πῶς προσέθηκεν ἱπποκράτης εἰπὼν, ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου; λέγομεν, ὅτι ἵνα ἄμφω δηλώσῃ, καὶ τὸ γένος, καὶ τὸ εἶδος. ὁ μὲν γὰρ σπασμὸς γένος ἐστίν, ὁ δὲ τέτανος εἶδος. idest, Si uero quis dixerit, & si distentio spasmus sit, quomodo Hippocrates proposuit dicens, à conuulsione, seu distentione?

Respondemus, quod id fecit ut utraque ostenderet, & genus, & speciem. Conuulsio enim genus est, distentio species. Tamen hæc non uidentur dubitationi satisfacere. nos enim potius dicemus conuulsionem præposuisse distentioni, quia multi putarunt distentionem à conuulsione distingui. propterea ut utraque hæc secundum omnem opinionem intelligerentur, ita proposuit. Sed re uera dubium futile est, & multi errores hic ab Oribasio dicuntur. nam distentionem ab Opisthotono, & emprosthotono distinguit, quæ (inquit) accidunt conuulsioni. Quæ absurdissima sunt. nam distentio, quæ tetanus à Græcis dicitur, opisthotono & emprosthotono contra distinguitur, ut speciem à specie separamus, & sunt conuulsionis species: uideturque idem Oribasius inter conuulsionem & distentionem differentiam ita facere, quod conuulsio aut ex inanitione fit, aut ex repletione; distentio uero, quoties extensum, uel incuruatum totum rigidum corpus est. At si quis recte consideret, hæc non est uel uera, uel conueniens inter ista distinctio. immo & si Philotheum legamus, tres easdem esse species à nobis ex Celso superius enumeratas uidebimus. Inquit uero, δεῖ δὲ καὶ τοῦτο γινώσκειν, ὅτι σπασμοὶ τρεῖς εἰσίν. ὁ μὲν ἐμπροσθότονος ὀνομαζόμενος, ὃς ἐπὶ πάθει τῶν ἐντὸς μυῶν τῆς ῥάχεως γίνεται. ὁ δὲ ὀπισθότονος, ὃς ἐπὶ πάθει τῶν ἐκτὸς μυῶν γίνεται. ὁ δὲ τέτανος, ὃς ἐπὶ πάθει τῶν ἐντὸς καὶ ἐκτὸς μυῶν τῆς ῥάχεως γίνεται. idest, Scire autem & hoc oportet, quod conuulsiones tres sunt, emprosthotonos quidem dictus, qui in passione musculorum scapulæ uel spinæ intus fit. Opisthotonos uero qui in passione extra musculorum fit. Tetanus autem uel distentio, qui in passione intus & extra musculorum scapulæ uel spinæ fit.

πυρετὸς ἐπιγινόμενος λύει τὸ νόσημα. idest, Febris superueniens soluit morbum.] Quia humiditates exiccat, quæ hunc morbū inducebāt. nā ex repletiōe erat. quoniā is qui ex inanitione est, sine febre non fit. Eandem causam Philotheus reddit, inquiēs, solui morbum, ὅτι πυρετὸς πέττει καὶ διαλύει, καὶ διαφορεῖ τὴν ὕλην, τὴν ταῦτα τὰ πάθη ἐργαζομένην, idest, Quoniam febris concoquit & dissoluit, & discutit materiam tales passiones facientem. Hippocrates in libro De morborum decretorio prope finem hunc Aphorismum describit inquiens: neruorum dolore, conuulsione, distentioneue correpto, si febris superueniat, discutit. hic uero una particula addita est, illa inquam neruorum dolore, sed dolor ille ab eadem causa fit, à materia scilicet frigida neruis impacta.

GALENVS

Est quidem & distentio neruorū cōuulsio, sed nō uidētur in ipso partes cōuulsæ, quoniā æqualiter ante, & retro tenduntur: atque adeo præcipuū illi nomine est datū distentio, ita quod omnes cōuulsiones sunt numero tres græcis uocabulis. Opisthotonus, idest tentio ad posteriora, Emprosthotonus, idest tentio ad anteriora, & Tetanos, idest æqualis tentio nominatæ. Omnes uero secundū ipsum fiunt cōuulsiones, uel ex repletiōe, uel ex euacuatione, partiū uidelicet neruosarū. Quæcunque igitur cōuulsiones ad febres ardentes sequuntur, has par est fieri ex siccitate. Quæcunque uero ab initio inuadunt, ex repletione habent generationem. his conuulsionibus febres aduenientes, partim quidem superfluam dissoluunt humiditatem, partim uero cōcoquunt frigiditatem, quæ duæ sunt medicis remediorum intentiones. Non absque ratione igitur in febribus ardentibus letales sunt conuulsiones, non letales uero quæ febres antecedunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galēnus ut dubium quoddam remoueat, de quo superius dictum est. dubium uero est hoc, cur distentionem dixerit, cum prius dictum fuisset conuulsionem, quæ conuulsio distentionem complectitur. ut igitur hoc dubium persoluat inquit, omnino distentionem esse conuulsionem, quia est una eius species, sed in ipsa partes conuulsæ non uidentur, quia rigent, & distentæ erectæ permanent. propterea datum est illi nomen peculiare τέτανος, idest distentio uel rigor.

SECVNDO docet, tres esse conuulsionis species, de quibus libro secundo ubertim egimus.

TERTIO docet, cōuulsiones & ex repletione & ex inanitiōe fieri, & quod illę quæ ardentes febres sequuntur, ex inanitione & siccitate sunt. quæ uero statim sine febre fiunt, hæ ex repletione inferuntur, propterea superueniente febre duo aguntur, humiditates

ditates resoluuntur, & maturatur frigiditas, quæ duę sunt in hoc casu medicorũ intētiones, ut hinc rationem colligere possis, quare conuulsiones quæ febres sequũtur, letales sint. ratio enim est, quia ex inanitione fiunt, non letales uero eas, quæ febres præcedũt, quia ex repletione sunt.

Quod legitur, Quæcunq; uero ab initio inuadunt, Græce habetur ὅσοι δὲ ἀπ' ἀρχῆς ἰδίας ἐσβάλλουσι, idest, Quæcunq; autem à principio proprio inuadunt.

Quod legitur prope finem Non absq; ratione igitur in febribus ardentibus letales sunt conuulsiones, illa particula, ardentibus, uacat: quoniam in Græco contextu non ponitur, dicente εἰκὸς οὖν ὀλέθριοι μὲν ἐπὶ πυρετοῖς σπασμοί, idest, non absq; ratione igitur in febribus letales sunt conuulsiones.

APHORISMVS LVIII

A Febre ardente habito, rigore superueniente, solutio.

BRASAVOLVS

FEBRIS ardens ex biliosa materia in uenis contenta ortum habet, quæ si extra uenas mittatur, supra musculos mota rigores facit. Cum igitur in ardēte febre rigores apparuerunt, febres solui oportere iudicabimus: quoniam materia, quæ in uenis erat, uenas exit: is propterea in sanitatem restituitur, modo sexto die contingat: quoniã rigores sexto die facti pessimi sunt. immo quælibet mutatio in morbis sexto die facta, semper suspecta esse debet.

ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ. idest, A febre ardente habito.] quam Græci ab intensissima caliditate καῦσον uocant. Quæ fit aut ex bile pura prope cor accensa, aut ex humore sanguini mixto (ut salsa pituita est) in eadem parte putrente, semper autem est in uenis. Oribasius hic dicit ex bilioso humore fieri, sed sanguini ultra modum commixto. est peracuta affectio, quæ ad septem dies usque perdurat, aliquando in ipso septimo die iudicatur.

ῥίγεος ἐπιγινομένου λύσις. idest, Rigore superueniente, solutio.] Si Celsum imitaremur, dicere oporteret, horrore superueniente, solutio. nam octauo capite secundi libri, his uerbis hunc Aphorismum refert, dum notas edocet quæ in quoque morbi genere uel specie uel particula ostendunt: febrem autem ardentem, quam Græci καυσώδη uocant, subitus horror exoluit. Est hic aphorismus à Celso relatus, quamuis ab Hippocrate illa particula Subitus posita non sit, sed simpliciter ῥίγεος dixerit. Si igitur Celsum imitari uoluerimus, horrore superueniente, dicere oportebit. Si uero Theodorum, Leonicenum, & omnes ferè alios Hippocratis & Galeni interpretes, simpliciter Græco nomine utemur, ῥίγεος, idest, rigore. de nomine autem cura non sit, modo re ipsa conueniamus. Conueniemus autem si illa in mentem reuocabis, quæ à nobis superius Aphorismo uigesimonono huius quarti libri dicta sunt. Fit uero rigor, ut Philotheus docet, διότι ἐπὶ τοῦ καύσου, χωθεῖσα ἡ ὕλη τῶν ἀγγείων, συνεχῆ τὸν πυρετὸν ἐποίει. τὸ δὲ ῥίγος ἐπιγινόμενον, μετάστασιν τῆς ὕλης ἐποιήσατο, ἀπὸ τῶν ἔσω ἔξω, ἧς διὰ ἱδρώτων ἀποδιωκομένης, καὶ ἀπαλλαττομένου τοῦ σώματος, λύσις ἀνάγκη τοῦ πυρετοῦ γίνεται. idest, Quoniam in ardente febre, materia quę intus in uasis est, continuam febrem facit. Cum uero fit rigor, materiæ migratio à partibus intrinsecis ad extrinsecas fit: qua per sudorem impulsa, & liberato corpore, necessario febris solutio fit. Oribasius duplicem rigorem ponit, alterum à frigore & à materia frigida, alterum à calida & biliosa, quæ supra musculos mouetur, & ut hic dicit Galenus, impetuose & motu ueloci. propterea, inquit Celsus, membra tremunt. Oribasius uero contingere dicit, quoties biliosus humor ad superficiem uenit, & erosionem mouet. Docetq; si in febre ardente rigor superueniat, duobus modis soluitur. primo quia bilis ad superficiem uenit & euaporat: secundo quia frigus intro ingreditur, unde calor euaporat. At ne putes, quod & si ab Hippocrate dicatur, febrem solui, is penitus liberari debeat: quoniã fieri potest, ut febris solum remittatur: immo si uires imbecillę essent, potius ęger moreretur, q̃ à febre liberaretur, immo hi rigores suspecti essent, nisi coctionis signa præcesserint. Addeq; suspectos esse

rigor calido / frigido

& malos in die sexto, & nisi sit iudicatorius dies, semper nobis suspecti erunt hi rigores. Galenus hunc rigorem definire uidetur in fine quarti libri De symptomatum causis, ubi dicit, Voco autem rigorem, non illum quidem uehementis frigoris sensum, sed inæqualem uniuersi corporis concussionem, quassationemq́ʒ. unde & in quinto libro De symptomatum causis, dicit in rigore fieri multum motum, citum, & densum. multum uocat ex ipso motionum numero, citum ex motionis impetu, densum breui tempore quietis. Nec putat rigorem esse motum esse ex toto præter naturam, immo totus rigoris motus ad natiuam facultatem, idest, ad uirtutem expultricem referendus est. Causa uero præter naturam est, quæ ad expellendum naturam irritat. Est autem causa humor ualde biliosus. Deinde Galenus in eodẽ quinto libro docet et à calido, & à frigido, cum intensa sint, rigorem induci, & hoc exemplo ostendit. Si quis per alicuius dorsum frigidissimam aquam iniecerit, aut calidissimam, fit rigor. Fit autem ab humoribus, qui non sunt in uenis, sed per carnem sparsi, & per totum corporis habitum. unde dicit potissimum fieri in calidis febribus, & biliosis. propterea addit quanto sint biliosæ febres à synceriori bile, tanto magis rigores inducunt. Nam & ardentem febrẽ rigor superueniens soluit, authore Hippocrate. Quomodo autem hæc febris soluatur, in eodem loco rationem assignat Galenus, quod bilis, quæ interim in uenis cõtinebatur, à natura per carnes ad cutem critice excutiatur. Igitur motionis ipsius, qua per sentientia corpora bilis defertur, rigor simul & symptoma est & signum. nam huiusmodi rigore affecti, postea sudant, eiecta ipsis bile. Ne tamen ex hoc putes ardentes febres per hunc modum continuo sanari. nam & eodem loco Galenus addit, interdum non ad cutem, sed ad internas partes impetum faciens, uel uomitione, uel alui solutione deijcitur. Sæpenumero & intro & foras eodem die defertur, ut simul & sudore & uomitione, & alui deiectione, bilis euacuetur. Tu uero ex his forte dubitabis, in ardente febre hoc esse præstans remedium, rigorem inducere. Galenus eodem loco, in quinto scilicet De symptomatum causis libro, Respondet, quod rigor non facit quiescere febrem, sed quiescit cum sudauerit, uel pallidam bilem uomitione, aut alui solutione eiecerit. propterea illos reprehendit, qui dicebant, in ardente febre ideo sanari qui rigorem incidunt, quia rigor refrigerat. unde dicebant rigorem esse salubrem causam, quia contraria contrarijs curantur. Eos uero reprehendit, quia si hoc uerum esset, liceret rigorem excitare in causone, quod facile fit, si laborantem frigida aqua uel aspergas, uel perfundas, aut si nudum frigido aeri exposueris, aut in aquæ frigidæ cisternam demergas. unde inducto rigore oporteret febrem quiescere. Sed post rigorem, uehementiorem febrem uidemus, nisi sudor sequatur, aut uomitus, aut deiectio biliosa, uel duo horum, uel omnia simul. Tractatq́ʒ eodem loco Galenus de quodam rigore sine febre. Tamen in aphorismo proposito rigor qui fit, est à materia biliosa: quia in ardente febre bilis syncera illa est quæ morbum facit. Idem Galenus in quarto libro commentationum De ratione uictus in morbis acutis commento duodecimo hunc Aphorismum refert, & quomodo sanetur febris ardens docet, non quidem per rigorem, sed per illa quæ sequuntur rigorem, sudor, aut euacuatio. Verba eius hæc sunt, nempe quod in aphorismis dicitur, A causone habito, rigore superueniente solutio, uerissimum existit. rigorem autem hunc de necessitate sequitur, interdum quidem sudor solus, interdum uero & biliosorum uomitus solus, atque interdum deiectio sola: sed plerunq́ʒ ex dictis tribus duo fiunt, & rursus quandoq́ʒ tria. Nempe horum duorum de necessitate alterum in causone fit, si ad integritatem desinere debeat. nam biliosi humores uel perfecte euacuabuntur, uel extinguẽtur. hocq́ʒ in loco Galenus docet potissimum remedium ardentis febris esse potare aquam frigidam, non tamen quin quandoq́ʒ aliqui moriantur qui potent, sed quos curauit ipse, omnes sanatos dicit. Qui autem uehementissime tractantur adeo ut sanari non possint, etiam ab aqua frigida non sanabuntur.

Hic tamen unum annotatione dignum est, à nobis superius dictum esse in uigesimo nono huius libri Aphorismo, à Celso horrorem interpretari, quod à Græcis ῥῖγος dicitur: tamen habent Græci aliud uocabulum, quod est φρίκη, Recentes interpretantur φρίκη horror, uel horror frigoris. Re uera in præcitato loco quinti libri de symptomatũ causis, Galenus docet ῥῖγος, & φρίκην ab eisdẽ causis fieri, sed φρίκην esse minorẽ. unde

non con-

non concutiũtur adeo mẽbra in φρίκη sicut in rigore. propterea φρίκη est cõmotio quędam membrorum parua, magna uero est ῥῖγος. Si Celsum imitari uelimus, ut ῥῖγος interpretemur horror, necesse erit φρίκην interpretari frigus, quamuis Graeci aliud uocabulum frigoris proprium habeant. nam περίψυξιν frigus appellant, & illos qui frigus patiuntur περιψυχομένους uocant. Galenus uero prope finem quinti libri superius citati illud notat, quod inter φρίκην, & ῥῖγος multae sunt, per magis & minus differentiae. Quapropter (ut in hac re finiamus) si Celsum imitabimur, dicemus ῥῖγος esse horrorem, & φρίκην frigus. quoniam & capite tertio libri tertij solũ meminit frigoris & horroris, inquiens, Vbi extremae partes membrorum inalgescũt, frigus esse: horror, ubi totum corpus intremit. Si uero alios sequamur, tria erunt, περίψυξις, φρίκη, ῥῖγος, idest, frigus, horror, rigor. fit autem à frigore in horrorem, ab horrore in rigorem transitus, & hoc mihi arridet magis distinctionis gratia. nam & in ipsa experiẽtia tria haec distincta percipiuntur, frigus remissum, & intensum, & rigor. At Philotheus in hac parte dubitationem quandam facit, & soluit, quae eiusmodi est, πρὸς δὲ τοὺς ἀκροῶντας ὅτι πῶς ἐνδέχεται ῥῖγος γενέσθαι ἐπὶ τῶν θερμῶν ὑλῶν, εἴ γε ὁ καῦσος ἐπὶ χολῇ γίνεται. δεῖν εἰπεῖν ὅτι δριμεῖα ὕλη ὑπόκειται καὶ θερμή. ἐπὶ τῶν τοιούτων οὖν πυρετῶν διὰ τὴν ἀνίαν τῆς δριμύτητος τοῦ χυμοῦ, τὸ ἔμφυτον θερμὸν ἐπὶ τὸ βάθος συννεύει, κἀκ τούτου ῥῖγος γίνεται. idest, Ad dubitantes uero, quomodo in materiebus calidis rigor fieri contingat, siquidem febris ardens ex bile fit. Dicere liceat, quod acuta materia supponitur & calida, in talibus autẽ febribus ob molestiam acuminis humoris, naturalis calor in profundum declinat, & ex hoc fit rigor. Nos autẽ addimus & motum materierum etiam calidarum supra musculos.

GALENVS

OSTENSVM enim est in sermone de rigore, ob flauam bilem, quae per membra sentientia ueloci motu defertur, fieri rigorem, post quem uidelicet & alui soluuntur, & sudores, & uomitus biliosi superueniunt. Bile igitur ex qua febris ardens habuit ortum expurgata, soluitur febris. Nam febrem ardentem fieri nouimus ęstiuo tempore quando uenae exsiccatae, acutos, ac biliosos ad se liquores attraxerint.

BRASAVOLVS

GALENVS de rigore librum fecit, in quo multas rigoris causas à nobis superius citatas edocet, & quinto etiam De symptomatum causis, hanc rem diffuse pertractat. In praedictis uero locis rigorem fieri ostendit ob flauam bilem quae per musculos & carnem, & sentientia membra ueslociori motu mouetur. In quibus etiam locis docuit solutiones alui biliosas, uel uomitus biliosos, uel sudores rigorẽ sequi. unde hic infert, cum febris ardens à bile fiat, superueniente rigore, signum est, quod ad expurgationem mouetur, expurgata autem soluitur ardens febris. si uero non expurgaretur, non solueretur febris. ideo opus est post rigorem sequi uel biliosum uomitum, uel deiectiones alui tales, uel sudores. certum enim est ardentes febres fieri, cum aestiuo tempore uenae exsiccatae humores biliosos ad se trahunt.

Quod legitur, ostẽsum enim est in sermone de rigore ob flauam bilem, hic deest coniunctio, &. Graece enim legitur, καὶ διὰ τὴν ξανθὴν χολήν, idest, & ob flauam bilem. Est autem illa coniunctio, &, necessaria, quia in eo sermone docet etiam ob frigiditatem fieri rigorem, & ob flauam bilem, ut alijs etiam modis fieri notemus. Hunc uero solũ modum ponit, quia is ad propositum febris ardentis facit, quae rarissime ex alio humore fit quàm bile.

Quod legitur, Et sudores, & uomitus biliosi superueniunt. Aldinus contextus non legit, superueniunt, sed ἐπιφαίνονται, idest, apparent. noster uero antiquus contextus legit ἐπιγίνονται, idest, superueniunt, ut in suo contextu Leonicenus habuit. sed haec particula ἐπιγίνονται obelo confossa est, & loco eius in margine haec scripta est ἐπιφαίνονται, à uiro (ut arbitror) probo, nosq; potius laudamus ut legatur, apparent.

Quod legitur, Nam febrem ardentem fieri nouimus aestiuo tempore, quando uenae exsiccatae &c. illa particula, quando, ante illam, aestiuo tempore, poni debet, & non ante illam, uenae exsiccatae, ut hoc modo legatur, nam febrem ardentem fieri nouimus, quando

quando æstiuo tempore uenæ exsiccatæ. Græce enim habetur καῦσον γὰρ ἴσμεν γινόμενον, ὅταν ἐν θερινῇ ὥρᾳ ἀναξηρανθῶσι τὰ φλέβια et reliqua. Et re uera si conueniens sensus esse debeat, illa particula, quando, huic, æstiuo tempore, iungenda est.

Quod Leonicenus interpretatur liquores, Græce est ἰχῶρας, aliàs nos interpretati sumus saniem subtilem: & re uera ita est, ut in secundo libro docuimus in illo aphorismo, Dum pus fit, dolores, & febres magis quàm iam cõfecto. hic uero per hoc uocabulum, subtilem saniem non intelligit, sed humorem, quem ut Leonicenus ἀπὸ χύμου, idest, ab humore distingueret, ἰχῶρας, idest, liquores potius interpretatus est, quàm aliquod alterum, nec immerito.

APHORISMVS LIX

Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, iudicatur.

BRASAVOLVS

RECENTIORES interpretes huic Aphorismo talem sensum condonarunt, qualem nec quisquam ex Hippocratis uerbis elicere poterit, nec ipse Hippocrates, uel Galenus unquam somniarunt. Nempe inquiunt Aphorismi conclusionem esse, Tertiana exquisita, quæ in septem periodis non terminatur, longissima est. Hanc uero suam sententiam ita probant, quia ita se habet periodus ad intermittentem febrem, sicuti se habet dies ad continuam: sed biliosa uera non intermittens, septimum diem transiens, longissima est. Igitur & intermittens septem periodos trãsiens longissima erit. At hũc non esse, nec esse posse Hippocratis sensum, quisque, qui ipsum contempletur, cognoscere potest, & ratio non esse dictat, quia tertiana exquisita septimum circuitum nunquã pertransit. nam si ipsum transiret, notha esset, & non exquisita. propterea Hippocratis sensus alter est, quàm à recentioribus referatur, quem si scire desideres, hic est, Tertiana exquisita septenos circuitus transire non potest, etiam si longissima sit. & ideo non est Hippocratis sensus, eam quæ pertransit septem periodos esse longissimam: sed hic potius, longissima septem periodos transire non potest. Quia puræ & syncerę bilis motus uelox est, & morbum peracutum facit, qui in septem periodis terminari consueuit. Philotheus hunc Aphorismum ita introducit, ὁ νῦν ἀφορισμὸς προθεσμίαν ποιεῖται νοσήματος ἀκριβοῦς τριταίου. ἡ δὲ προθεσμία ἐστὶν ἡ δεκάτη τετάρτη ἡμέρα, καὶ δῆλον διὰ τὸ λέγειν ἐν ἑπτὰ περιόδοισιν. idest, Præsens Aphorismus, summę ac exactæ ægritudinis tertianæ prę scriptum tempus facit. præscriptum uero tempus est decimusquartus dies, & hoc manifestum est ex eo quod dixit, in septem circuitibus.

Τριταῖος ἀκριβὴς. idest, Tertiana exquisita.] & quæ à pura & exacta bile facta sit. Vocant autem tam antiquiores, quàm recentes medici tertianam febrem illam quæ à bile fit, uel pura sit bilis, uel alijs humoribus mixta, uel in uenis contenta sit, uel extra uenas sparsa. Si quidem pura bilis sit, & in uenis contenta, exquisitam tertianam non intermittentem facit. Tertiana uero nũcupatur, tum quia à bile, tum quia de tertio in tertium magis molestat, nisi uenas cordi propinquas occupauerit. tunc enim intensam æqualitatem habet, & non intermittentem febrem facit synocham à Græcis dictam, à recentibus conclusam. Si uero à pura bile sit quæ extra uenas uagetur, febrem intermittentem exquisitam facit, quæ de tertio in tertium ægros uexat. At si bilis sit alijs humoribus mixta, quicunq; illi sint, si uenas occupent, tertianam notham non intermittẽtem facit, quæ de tertio in tertium molestat. Tamen simplici uocabulo utentes, cum tertianam dicimus, intermittentem febrem intelligimus, quæ de tertio in tertium uexet, si à pura & syncera bile ortum habeat. Totum unius accessionis tempus, etiam si longissimum sit, duodecim horas non transit, sed multæ in octo horis, & decem finiunt. Nosq; in quinq; & sex horis multas finire uidimus. Philotheusq; dicit, ab Hippocrate dictum esse τὸ μακρότατον, idest, quod longissimum. quoniam ἐστὶν ὅτε καὶ τῇ ἑβδόμῃ καὶ τῇ ἐννάτῃ καὶ τῇ ἑνδεκάτῃ πρώτῃ λύεται. idest, est quando & septimo & nono & decimoprimo soluitur. Cum rigore autem incipit, & satis ingenti, & ut plurimum cum uomitu, & cum sudore ut plurimum terminatur, quãdoq; & cum bilioso uomitu finem habet, aut cum

biliosis deiectionibus. Sed à non pura bile facta, cum rigore non incipit, sed cum aliquo frigore, nec cum uomitu, & cum sudore nõ finit, & eius accessio per decem & octo horas quandoq; perdurat, nec in septem circuitibus terminatur. propterea multos audiuimus, immerito in hac tertiana febre Hippocratem reprehendentes, utpote qui dixerit, longissimam etiam in septem circuitibus finiri, tamen quãdoque nec in uiginti circuitibus terminum habent. Sed hi mire decipiuntur: quoniam Hippocrates de illa quæ exquisita est, & à pura bile facta sermonem habet. ipsi uero unam accipiunt, quę pura non est, neq; à pura bile ortum duxit. unde à Philotheo dicitur, ἔστιν οὖν τριταῖος ἀκριβὴς, ὃς ἔχει χολώδεις ἐμέτους, διαῤῥοίας χολώδεις, καῦμα σφοδρὸν. ὃς καὶ κρατεῖ δώδεκα ὥρας, τὸ μήκιστον. ὁ γὰρ μὴ τοιοῦτος τριταῖος νόθος ἐστιν. idest, Est igitur tertiana exquisita, ea quæ biliosos uomitus habet, defluxus biliosos, intensam caliditatem, quæ & duodecim horas tenet, etiam si longissima sit. Tertiana uero quæ talis non est, notha est.

Κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισιν. idest, iudicatur in septem circuitibus, qui sunt tredecim dies, aut quicquam plus: quoniam perfecte decimumquartum diem non attingunt, sed in decimoquarto morbus integre finitus est. Scito autem, totũ illud afflictionis & quietis spatium, ab unius accessionis principio quousq; ad aliam accessionẽ perueniamus, à Græcis περίοδον, à Latinis circuitum nuncupari. unde Galenus in medicis definitionibus ipsi adscriptis periodum definit esse, ex intensione & remissione in ægritudine tempus. In calce uero eiusdem libri dicit esse statuto tempore circuitum, & morbi recursum. Sed hæc ab eodem Galeno uere & exquisite in libro De morborum temporibus edocentur, ubi in febribus intermittẽtibus περίοδον, idest, circuitum ponit, quem ex sex partibus constare docet. Principio, in quo est frigus. tempore inæqualitatis, in quo frigus paulatim deponit. Incremento, in quo crescit calor. consistentia, in quo stat, & amplius non crescit. Inclinatione, in qua remittitur calor. & integritate, in quo homo penitus à febre immunis est & liber. Totum hoc sex horum temporum spatium, quoad iterum alterius accessionis principium accedat, circuitus & integra periodus est. In exquisita tertiana horas quadragintaocto complectitur, in quibus ad summum tantum sunt duodecim horæ afflictionis. nam principium, unius horæ spatium perdurabit, tempus inæqualitatis, semihoræ, augmentum quatuor horas implebit. declinatio alias quatuor & semis. Integritas trigintasex horas complectetur. hoc autem est, si afflictionis tempus duodecim horarum spatio perdurabit. Si uero breuior fuerit accessio, integritatis tempus secundum proportionem longius existet.

Τὸ μακρότατον. idest, Quod longissimum est.] non ut recentes interpretantur, quod longissima sit tertiana, quæ septem circuitus pertransibit: quoniam nulla exquisita tertiana id spatium pertransire potest: sed sensus est, etiam si longissima sit, in septem circuitibus finit. etenim longissima est quæ septem circuitus pertingit, unde exquisita tertiana in septem circuitibus iudicatur, quæ etiam longissima est: nam plerunque in quinque aut quatuor circuitibus finem sortiuntur. ea enim uera non sunt, quæ à uulgo publice dicuntur, necessarium esse tertianam febrem per impares circuitus dimittere, & non per pares, ut tres, quinque, septem, sed quotidiana experientia in quatuor et in sex periodis quandoq; finem habuisse nos docet. Tamen secundum recentes hic ordo seruandus uidetur: ut opus sit primum circuitum principium esse: secundum (qui & magis augetur) augmẽtum: tertium adhuc maiorem: & quartum statum: quintum omnibus minorem, & uniuersalem inclinationem esse. Experientia uero istud uerum non esse ostendit, quoniam plerunq; febre in uno eius circuitu, in summo uigore existente, alia accessio amplius non redit, quia est tenuis materia & pura, quæ facile, atque breui euanescit & resoluitur.

GALENVS.

TERTIANA febris, ab ea quæ ardens nominatur, humore faciente non differt. Vtraq; enim à flaua bile fit. Differunt autem, quoniam febris ardens habet in uenis una cum sanguine bilem plurimam ebulientẽ. Tertiana uero eandem bilem habet in toto corpore latam, ac motam. Exquisita igitur tertiana erit sui ipsius naturã puram seruans, atq; syncerã. Seruat autem, ubi flauã bilem habet, ut dixi superabundantem, et motã, & præterea, tempus æstiuum, & locum tẽpori similem, calidũ scilicet, ac siccum, & hominis

& hominis ætatem, & temperaturam similem. Statim uero & in tali tertiana accessio fieret una cum rigore, & solutio eius per sudores, uel per uomitum, aut per aluum inferiorem, flaua bile euacuata, uel omnibus istis pariter factis. Erit & huic tertianæ tẽpus accessionis minus multo, quàm quietis. Duobus siquidem diebus, et totidem noctibus toto eius perfecto circuitu. Exquisitam tertianam nunquàm inuenies extra duodecim horas suam accessionem protẽdere. Talem itaq; ait Hippocrates in septem circuitibus, quod sit longissimum, iudicari. Quod enim in cõtinuis una dies potest, hoc in intermittentibus accessio. Secundum igitur istarum connumerationem, earum fiunt iudicationes, hoc autem innuit & ipse in Prognostico, ubi de quartana loquitur, ita inquiens, Fit autem & quartanarum cõsistentia ex ordine tali. Est autem & à nobis obseruatum, tum in quartanis, tum etiam in tertianis, fieri iudicationem secũdum numerum circuituum, non dierum. Statim itaq; in tertiana febre ab initio septima accessio in tertium & decimum incidit diem, & sæpius in ipso morbus iudicatur non expectato quartodecimo. Sicuti igitur in morbis continuis, acutorum quidem morborum terminus est quartus decimus, peracutorum uero septimus, sic in intermittentibus breuissimi temporis tertiana febris, terminum habet circuitum septimum. Rursum autem sicuti in peracutis morbus poterat iudicari, & in quinto, & in quarto, & in tertio die, sic & in tertiana in eisdem circuitibus fieri solutionem contingebat, non expectante natura septimũ. Hippocrates igitur tertianam aliquãdo cum adiectione exquisitam nominat. Aliquando uero simplici appellatione contentus, tertianam tantummodo, sicuti & nunc quoq; consuetudo Græcorum est huiuscemodi res omnes dupliciter nominare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus inter tertianam febrem & ardentem differentiam ponit, ne quis has febres idem esse arbitraretur, cum ab eadem materia fiant: sed inquit ipse, quamuis utræq; à bile flaua ortum habeant, differunt tamen, quia febris ardens unà cum sanguine bilem in uenis abundantem habet; sed tertiana eandem quidem bilem habet, uerum in toto corpore sparsa, delata, & mota est. Dubitat uero hic Oribasius, cũ ex bile utraq; fiat, cur hæc intermittens sit, ardens uero non. Respondet, id propterea esse, quia una ipsius humoris materia tribus modis subsistit. aut enim minima est, aut media, aut maxima. Sicut biliosus humor ex mediocri, ergo ipsius humoris substãtia fit tertiana, & peruenit usque ad minimum, & euaporat, & fit dissipatio: unde est dies interpolatus, & alia die remouetur. Ardens autem febris ex maxima fit materia, uel si usque ad medium ueniat, ad minimum non pertinget, & propterea non habet interpolationẽ. Forte Oribasius hanc non esse ueram causam cognoscens, aliam addidit: quia bilis putrefacta ardentem febrem facit. Adhuc, quia est intra uasa, non est intermittens.

Quod legitur bilem plurimam ebullientem, lege bilem flauam redundãtem & ebullientem. Græce enim habetur τὴν ξανθὴν χολὴν πλεονάζουσάν τε καὶ ζέουσαν.

SECVNDO Galenus docet, tertianam exquisitam puram, suam naturam seruare, quod faciet, si ex bile flaua pura sit, si tempus æstiuum sit, & locus tempori similis, scilicet calidus & siccus, & hominis ætas talis sit, calida inquam & sicca, & temperatura talis, biliosa, scilicet calida & sicca. quatuor enim sunt, quæ à Galeno enumerantur. Oribasius uero dicit, exquisitam tertianam sex modis cognosci. modos autem enumerat, qui hi sunt, materia, natura, tempus, regio, copia ciborum, temperies. Immo & exercitium, & alia multa addi possunt, quæ semper enumerare nõ est opus. At si aliquod horum defuerit, ab Oribasio exquisita non putatur, quod tamen absurdum est, quia in pituitoso natura homine quandoq; fieri contingit, quandoque in hyeme, licet raro fit, & experientia ipsa sine his conditionibus quandoq; fieri ostendit.

TERTIO Galenus docet, exquisitam tertianam cum rigore incipere, & finire cum sudore, uel cum uomitu bilioso, uel cum alui deiectione biliosa, uel cum his omnibus: tamen cum ultimis duobus raro contingit. cum sudore ut plurimum terminatur, & in accessionis principio uomitus sæpissime fit.

QVARTO Galenus docet hanc tertianam breuius accessionis tempus habere, quàm quietis, nempe totum unius circuitus tempus duos dies & duas noctes integras

tegras, ideſt horas quadraginta octo habet, in quo temporis ſpatio acceſsio etiam ſi longiſsima ſit, duodecim ſolas horas occupat. De hac exquiſita ſermonem habens Hippocrates dicit, in ſeptem circuitibus, quod ſit longiſsimum, terminari. Vnde Galenus hanc particulam, longiſsimū, ita intelligere uidetur, cum inter tertianas exquiſita quæ habet longiſsimam acceſsionem, ſit duodecim horarum, in ſeptem circuitibus finietur, hæc quæ longiſsima eſt, ideſt quæ pro acceſsione duodecim horas habet. Tamē puto Galenum ita intelligere, ut nos in aphoriſmi expoſitione diximus, quod ſcilicet & illa tertiana exquiſita quæ longiſsima eſt ſeptem circuitus non tranſit: tamen & hoc modo interpretari nihil impedit, quod tertiana quæ longiſsima eſt, in ſuis ſcilicet acceſsionibus, adeo ut ad duodecim horarum ſpatium tota acceſsio perueniat, in ſeptem circuitibus iudicatur.

QVINTO Galenus docet conſiderandas eſſe acceſsiones in intermittētibus, quia in intermittentibus ipſis integer circuitus ab initio unius acceſsionis, uſq; ad initium alterius idem poteſt, quod in non intermittentibus una acceſsio, & unus dies. unde iudicationes in intermittentibus numerum acceſsionum pro ſuo iudicio ſequuntur, ſicuti non intermittentes dierum numerum ſequuntur. propterea Hippocrates in libro Prognoſticorum, ubi de quartana agit, inquit, Fit autem quartanarum conſiſtentia ex ordine tali, Eſt autem in tertio libro, ſectione octaua. Obſeruauitq; Galenus, in tertianis, & quartanis ſecundum numerum circuituum, & non ſecundum numerum dierum iudicationes fieri. unde in tertiana ſeptima acceſsio, decimumtertium incidit diem, in quo die iudicatur, non expectato quartodecimo, & ideo in acutis morbis continuis, terminus eſt, decimusquartus dies, in peracutis ſeptimus dies: ita in tertiana ſeptimus circuitus eſt terminus, quia tertiana eſt peracutus morbus, qui cito terminum habere debet, & ſicut peracutus morbus ſeptimum diem ita determinatum non habet, quin etiam in tertio, quarto & quinto ſanari poſsit: eodem modo tertiana non habet ita ſtatutum ſeptimum circuitū, quin etiam in tertio, quarto, & quinto ſolui non poſsit, quod in dies cōtingere experimur, alios ſcilicet in tribus acceſſionibus ſanari, alios in quatuor, alios in quinq;. Oribaſius autē ex diebus iudicat, & non ex circuitibus. inquit enim: ſeptem circuitus ueniunt ad quatuordecim dies, quare eſt acuta affectio, tamen ſecundum Galenum peracuta eſt. Quod forte putādum eſt ſenſiſſe Oribaſium, quia deinde ſequitur, Tantum ergo durat, quantum ardens febris, quæ durat ſeptem dies, tertiana quoq; ſeptem, nam ad quartumdecimum diem ſepties commouetur. Hippocratis uerba à Galeno ex tertio Prognoſticorum libro adducta, illa inquam, Fit autem & quartanarum conſiſtentia ex ordine tali: Græce ſunt, γίνεται δὲ καὶ τῶν τεταρταίων ἡ κατάστασις ἐκ τοῦ τοιούτου κόσμου. ubi uides hoc uerbum ordine Græce eſſe κόσμου. κόσμος uero ornamentum ſignificat, & ordinem quendam præcipuum.

Quod etiam legitur, Statim itaq; in tertiana febre ab initio ſeptima acceſsio, legi debet, ſeptima ab initio acceſsio, ut ſenſus conueniens ſit. Græce enim dicitur, ὁ ἕβδομος ἐκ τῆς ἀρχῆς παροξυσμός.

Quod etiam legitur, Fieri ſolutionem contingebat, lege continget, ἐνδέχεται.

Deniq; Galenus notat, tertianam febrem ab Hippocrate quandoq; ſimpliciter tertianam appellari, quandoq; cum hac adiectione tertiana exquiſita. Quod & tempore Galeni adhuc obſeruabatur.

Quod legitur, Hippocrates igitur tertianam aliquando cum adiectione exquiſitam nominat, in his uerbis deeſt particula, talem, ut ita legi oporteat, exquiſitam nominat talem. Græce enim habetur ἀκριβῆ τριταῖον ὀνομάζει τὸν τοιοῦτον.

Quod etiam legitur, Sicuti & nunc quoq; conſuetudo Græcorum eſt, legi debet: ſicuti & nunc quoq; conſuetudo aliorum omnium Græcorum eſt, nam Græce habetur ὥσπερ καὶ νῦν ἔθος ὄντος καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἕλλησι.

APHORISMVS LX

QVibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata ſoluit morbum.

BRASAVOLVS

HVIVS aphorismi sententiam pro una parte, superius aphorismo uigesimooctauo habuimus, ubi dictum est: Quibus biliosæ deiectiones, superueniente surditate cessant: & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat. In hoc solum iste aphorismus ab illo differt, quod in illo febris nihil meminit, in isto solum in febribus loqui uidetur. quamuis rarissime hic casus sine febre contingat. Alia differentia est, quia ibi nihil meminit defluxus sanguinis narium: hic autem dicit, & surditatē solui, si sanguis ex naribus fluxerit. In libro uero De morborum decretorio, & huius defluxus sanguinis per nares, & multorum aliorum mentionem facit Hippocrates, ubi in calce fere libri dicit, qui in febre surdescunt, necessario febre non discussa delirant, quod sanguen de naribus fluens soluit, uel si uenter solutus biliosa demittat, uel si difficultas intestinorum superueniat, uel coxendicum, genuum'ue dolor. nam hæ partes ab auribus diuertunt. propterea & surditas sanatur, quæ præerat ex materiebus aures occupātibus. quoniam (ut Philotheus dicit) ἐν πυρετῷ κωφοῦνται τὰ ὦτα ἀτμῶν ἀναφερομένων ἐκ τῆς ὑποκειμένης ὕλης, καὶ τοὺς ἀκουστικοὺς πόρους καταλαμβανόντων καὶ ἐμφραττόντων. idest, In febre aures obsurdescunt uaporibus ex subiecta materia ascendētibus, & auditorios meatus occupantibus, & obstruentibus. Celsus hunc aphorismum ita refert capite octauo secundi libri, inquiens, si in febre aures obtusæ sunt, si sanguis è naribus fluxit, aut uenter resolutus est, illud malum desinit ex toto.

ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι. idest, Quibuscunque in febribus.] Quamuis & sine febre contingere possit, sed hoc rarissime accidit.

τὰ ὦτα κωφωθῇ. idest, Aures obsurduerint.] Quæ ut plurimum ex biliosa materia surdæ fiunt, quæ utrunque infert & surditatem & febrem: uel ex materia mixta, quæ pure biliosa non sit, tamen à biliosa frequētissime fit. propterea & in aphorismo uigesimooctauo solius biliosæ materiæ mentionem facit, quam Galenus in uentriculo esse iudicat, & ad caput moueri. cum uero deorsum tendit, si ad narium uias perueniat, ex defluxu sanguinis narium euacuatur. Si autem ad uentriculum, & ad infernas partes, materierum biliosarum per aluum defluxum facit. At si ad genua, uel coxas, uel pedes tendat, dolores in illis partibus inducit: ut Hippocrates in libro De morborum decretorio ostendit.

Αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυέν. idest, Sanguis ex naribus fluens.] Est autem hic sanguis ut plurimum biliosus, quia biliosus humiditatem inferebat.

ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα, λύει τὸ νόσημα. idest, Vel aluus turbata soluit morbum.] scilicet surditatem, quæ est actio læsa. turbata autē aluus, illa est, quæ defluxum patitur, & quæ humores à capite ad aluū transmissos recipit: at morbus soluitur, ut inquit Philotheus, ἐπειδὴ ἡ ὕλη ἐκενώθη ἡ ποιοῦσα τὸν πυρετὸν, καὶ τὴν κώφωσιν, καὶ διὰ τοῦτο ἐπαύθη ἡ κώφωσις. idest, Quoniam materia febrem faciens & surditatem, euacuata est, & ex hoc cessat surditas.

GALENVS

DICTVM quidem & ab ipso antea surditatem fieri, si biliosa excremēta retineantur, & ad caput recurrant, & talem solui surditatem, si aluus turbetur. Dictum autem & nunc ab ipso hoc idem, & præterea de profluuio sanguinis è naribus. & enim & hoc soluit surditatem, eam scilicet quæ in febribus fit absque ulla propria atque præcipua instrumenti auditus passione, & nihil mirum si euacuatis aut transmutatis noxiis humoribus cessant passiones.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, superius ab Hippocrate dictum esse, surditatem fieri, si biliosa excrementa detineantur, Hoc autem fuit uigesimooctauo aphorismo huius libri. nam ad caput bilis retēta decurrit. Mox addit, hanc surditatem per alui turbationē solui, nūcque idem repetit. At unū hic addit de sanguinis profluuio quod à surditate liberat.

SECVNDO Galenus docet, quam surditatem soluat, eam scilicet quæ in febribus fit, in qua auditus instrumenta nihil patiuntur.

TERTIO infert Galenus, mirum non esse, si noxiis humoribus euacuatis passiones cessant.

Quod

Quod legitur, Noxijs humoribus: Græce habetur, τῶν λυπούντων χυμῶν. idest, tristitiam afferentibus humoribus.

Quod etiam in fine legitur, Cessant passiones, noster antiquus contextus ita habet παύονται τὰ παθήματα, ut Leonicenus interpretatus est, & in suo contextu habuit: sed ab antiquo quodam probo uiro emendatus est, & legit, παύονται τὰ νοσήματα. idest, Cessant morbi: itaque Aldinus contextus habet, & plures alij, quos uidemus.

APHORISMVS LXI

Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismũ ab Hippocrate factum esse, non iudicauit Galenus, quoniam & falsus est, quippe hunc habet sensum, qui febre correptus est, si febris relinquat, & dies impares non sint, recidiuare solet. Hoc autem falsum esse & absurdum manifestum est, quia si in quartodecimo, aut uigesimo, aut quadragesimo, aut sexagesimo, aut octogesimo die febris relinquat, hi sunt uere sani, & in recidiuam non incidunt, nisi aliqua materia derelicta sit, quæ euacuata non sit: sed hoc erit per alterius aphorismi uim dicentis, quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. Philotheus hoc modo aphorismum introducit, ἐνταῦθα περὶ τῶν ὀξέων νοσημάτων ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει, καὶ δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν, ἐν περιοσσῇσιν. ταῦτα γὰρ ἐν περιτταῖς, ἤγουν παρὰ μίαν παροξύνεται, διὰ τὸ εὐδιαφόρητον, καὶ θερμὸν τῆς ὕλης. ὅπου δὲ ὁ παροξυσμός, ἐκεῖ καὶ ἡ κρίσις. idest, Hic de acutis morbis sermo Hippocrati est, & hoc manifestum est, ex eo quod dixit, in diebus imparibus. Hæc enim in imparibus, idest præter unã (scilicet diem) accessio fit: propterea qđ materia facile discuti possit, & calida sit. ubi aũt accessio, ibi & iudicatio est.

πυρέσσοντι.] Sed noster antiquus contextus legit πυρέσσοντα ἢν μὴ ἐν περιοσσῇσιν ἡμέρῃσιν ὁ πυρετὸς ἀφῇ. idest, Febricitantem nisi diebus imparibus febris dimiserit.

ὑποτροπιάζειν ἔωθεν. idest, Recidiuare solet.] Sed cum hic aphorismus ita intellectus absonus esse uideatur, propterea Galeno uisum est, legi non debere ἐν περιοσσῇσιν ἡμέρῃσιν, i. diebus imparibus, sed hoc modo legendũ putat, ἐν κρισίμοις ἡμέρῃσιν. i. diebus iudicatorijs: & ita uerus est aphorismus. nã nisi in dieb⁹ iudicatorijs fiat, recidiuare solet. Imò (ut dicit Oribasius) etiam si in diebus iudicatorijs fiat, quandoque recidiuat, quãdo scilicet coctionis signa non præcessere, & in die iudicatorio una sola materiæ portio depellatur: idem sentit Philotheus cum Galeno, intelligendũ esse in diebus iudicatorijs. nam huius aphorismi duas causas reddit, quarum ultima est Galeni sententia, inquiens, nisi diebus imparibus febris dimittat, recidiuare solet, διὰ τὸ μὴ νόμῳ φύσεως γεγενῆσθαι τὴν κρίσιν, ἀλλὰ βίᾳ συμπτώματος. ἄλλως τε τὸ ἐν περιοσσῇσιν, ἀντὶ τοῦ ἐν κρισίμοις εἴρηται. ἐὰν οὖν ἐν κρισίμοις ἡμέραις ὁ πυρετὸς ἀφῇ, ἀγαθόν. idest, Quoniam non ratione naturæ, sed uiolentia symptomatis iudicium fit. Alioqui hæc particula, in imparibus, pro illa dicta est, in iudicatorijs. Si igitur in iudicatorijs diebus febris dimiserit bonũ. Putatque Philotheus hanc expositionem omnes alias præcedere inquiens, καὶ ἔστιν ἡ ἐξήγησις αὕτη ἀναγκαιοτέρα τῆς ἑτέρας συμπεριλαμβάνουσα τὴν τετάρτην καὶ τὴν δεκατεσσάρτην καὶ εἰκοστὴν, καὶ μ. αἱ πᾶσαι κρίσιμοι. idest, Et hæc expositio magis necessaria est alia, quoniam quartum diem, & quartumdecimum & uigesimum, & quadragesimum simul comprehendit, qui iudicatorij sunt. Celsus capite septimo secundi libri huius aphorismi sensum fere innuit, ubi de notis tractat, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit, & inquit, febris autem quæ subito sine ratione, sine bonis signis finita est, fere reuertitur. Si huic aphorismo hunc Galeni sensum condonemus, statim uerus efficitur.

GALENVS

NESCIO si hunc aphorismum Hippocrates scripserit, an fuerit à quopiam adscriptus, si quidem in Prognostico dierum iudicantium incrementa, ac compositiones fieri in quaternis edocuit, & in hoc ipsorum libro Aphorismorũ, atque etiam in Epidemijs, non modo die quartodecimo multos uidit iudicatos, sed etiam in uigesimo, & quadragesimo, & sexagesimo, & octuagesimo. Ipsi uero iudicãt, & uigesima quarta, &

trigeſimaquarta, & ab initio protinus quarta. Quomodo igitur ait nunc, quod niſi in diebus imparibus febris ceſſauerit, non ſit fida iudicatio? Melius itaque pro imparibus ſcribere iudicatorijs, ut quibuſdam uiſum eſt. Multa tamen exemplaria in numero plurali, & imparibus, & diebus ſcriptum habent.

BRASAVOLVS

NVNC Galenus iudicat hunc Aphoriſmum huic libro fuiſſe adiectum, & non ab Hippocrate ſcriptum: quoniam in hoc Aphoriſmorum libro, in libro Prognoſticorum & in Epidemijs, ipſemet Hippocrates docet, & dies pares eſſe iudicatorios, ut quartus decimus, uigeſimus, quadrageſimus, ſexageſimus, octogeſimus. Propterea uidere neſcit Galenus quomodo hic ab eo dictum ſit, non eſſe tutam ſanitatem, niſi diebus imparibus iudicatio facta ſit.

Quod legitur, Et in hoc ipſorum libro Aphoriſmorum. Græce habetur, καὶ ἐν τοῦτ᾽ αὐτὸ τὸ βιβλίον τῶν ἀφορισμῶν. ideſt, Et in hoc ipſo libro aphoriſmorum. ut hæc particula αὐτὸ, deſeruiat illi particulæ Libro, & non illi Aphoriſmorum, cui iungenda non eſt.

Quod legitur, Ipſi uero iudicant & uigeſimaquarta, & trigeſimaquarta. legi debet, Ipſorum uero iudicant: ideſt, ipſorum dierum. Græce enim dicit, κρίνει δὲ αὐτῶν καὶ εἰκοστὴ τετάρτη, καὶ τριακοστὴ τετάρτη.

APHORISMVS LXII

QVibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.

BRASAVOLVS

OMNIA quæ in morbis cõtingunt, in diebus non proprijs, praua ſunt. Ideo ſi morbus regius ante ſeptimum diem in febribus cõtingat, malum eſt: nempe uel in toto corpore nocumentũ eſt, quod ſatis intenſum eſſe oportet, uel eſt motus naturæ ſymptomaticus, natura ob ingentem biliosi humoris copiam ſtimulata, uel abſceſſus eſt in iecore, uel in eodem iecore obſtructio inuenitur, ut bilioſus humor ad fellis ueſiculam tranſire non poſſit: quæ omnia malum quoddam portendunt. Si uero in ſeptimo die fiat, aut in alio iudicatorio, natura fortis eſſe poteſt, quæ totam bilioſam materiã iudicatorio motu ad circũferentiam expellet. Philotheus uero ex pręcedenti aphoriſmo hunc introducit, inquiens, ἐν τῷ ἀνωτέρῳ ἀφορισμῷ εἰπὼν τὰς ἀγαθὰς κρίσεις, ἐν περιτταῖς, ἤτοι ἐν κρισίμοις γίνεσθαι, ἐξ ἀνάγκης τοῦτον τὸν ἀφορισμὸν τίθησιν, διδάξαι βουλόμενος τὰς ἀχρήστους κρίσεις ἐν ἀρτίοις, ἤτοι ἀκρισίμοις ἡμέραις γίνεσθαι. ideſt, In ſuperiori Aphoriſmo bonas iudicationes, in imparibus diebus, ideſt in iudicatorijs, quum fieri dixerit, ex neceſſitate hunc aphoriſmum ponit, docere uolens malas criſes imparibus diebus, ideſt in nõ iudicatorijs, fieri.

οἷσιν ἐν πυρετοῖσιν.] Ita legit antiquus noſter contextus: ſed Aldinus, ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν. tamen in utriſq; lectionibus idem ſenſus eſt, Quibus in febribus. & non ab re in febribus dixit, quoniam ſine febre ſingulis diebus euenire poteſt: tamen & cum ſine febre contingit, malum etiam eſt, quia ſaltem obſtructionem ſignificat.

ἴκτεροι ἐπιγίνονται. ideſt, Morbi regij fiunt.] Hunc uero morbum, uel potius hanc affectionem, Oribaſius definire uolens dicit eſſe cutem defœdatã: ſed quod mirum eſt, inquit, ex humore melancholico fieri quoties exuberauerit aut qualitate aut quantitate. Qualitate, inquit, cũ per conſuetudinẽ habet acceſſus paruos & per ſe excreuerit: quantitate, quãdo tumet iecur, & exprimit illum ſui ſuperfluitate redundans, ita quia leuior eſt, ſuperna petit. Hæc Oribaſius. Sed re uera à ſolo atrabilario humore non fit. Imò ut plurimum à bilioſo: & hic proprie eſt uerus morbus regius. Paulus Ægineta libro tertio, capite quinquageſimo, duas ſpecies enumerat: unam ex atra bile, alteram ex flaua bile factam. Idem Aetius facit, & idem omnes Græci. In hoc loco Hippocrates de illo ſermonem habere uidetur, qui à bile flaua ortum habet. de quo Celſus capite uigeſimo quarto tertij libri, in quo loco hunc aphoriſmum adducit, inquiẽs, Quem Hippocrates ſi poſt ſeptimũ diem febricitante ægro ſuperuenit, tutum eſſe. Hęc Celſus. & addit, Vbi diutius manet, totum corpus cum pallore quodam inalbeſcit: inquitq;, ut plurimũ eſſe dexterã partem pręcordiorũ duram: ſicuti quãdo eſt nigra bilis ſparſa, ſiniſtra pars dura eſt. Sũt igitur duæ huius morbi ſpecies: una, in qua flaua bilis per totũ corpus ſpargitur: alia in qua

in qua bilis atra: potissimum uero quæ à bile flaua in oculis apparet, ut Celsus, Paulus, & ipsa experiētia ostendunt. unde ab Oribasio dubium mouetur, cur oculos magis tingat, quàm aliud membrum. Respōdet, ob quatuor causas id fieri: una quia humoribus opportuni sunt, ut ab eis cito tangantur, & colorem acquirant: deinde quia lenes sunt, & delicati: tertio quia subtiles & aquosi: quarto quia cito apparet in illis quilibet color. Hic etiam morbus uarijs nominibus appellatur. nam à Græcis ἴκτερος dicitur, quo nomine Hippocrates, Galenus, Paulus, & cæteri Greci authores publice utuntur. Celsus arquatum morbum, & regium morbum uocat, Plinius præter hæc nomina fellis suffusiones nominat, & ictericos felle suffusos. Recentes omnes, & Arabes icteritiam nuncupant. Non desunt qui ob pallorem, quem habet auro similem, auriginē appellare uoluerint. symptoma est, non morbus. quoniam obstructionem sequitur, quæ morbus est. non potest etiam ex pura bile fieri, nisi pituita interfuerit. nam cum bilis tenuis humor sit, per carnis meatus exiret, nisi crassi humores, glutinosi, & pituitosi interpositi fuissent, qui cutaneos meatus obstipant, & bilem exire non sinunt. Sicuti (ut Galenus inquit quarto De ratione uictus in morbis acutis libro, sectione octogesima prima) in abscessibus omnibus fieri consueuit. Quot autem modis, idest à quot causis, humanum corpus hoc colore infici possit, authorum libri pleni sunt. tamen ne laborem subterfugere uideamur, cum hinc inde sparsæ sint, in unum colligemus. Aurigo per totum corpus induci potest, ob assumptum uenenum intensissime calidum, quod sanguinē ebullire faciens, corpus luteum reddit. Nempe ad circunferentiam spargitur, quam hac infectione colorat. Tamē scito hanc infectionem ex ueneno, pure luteam non esse, sed multæ maculæ per dorsum potissimum efficiuntur, aliquę luteæ, aliquæ nigræ, aliquæ subnigræ. quoniam dum sanguis, & humores ebulliunt, in una parte maior adustio, in alia minor inducitur: propterea partes aliquæ magis nigræ, aliæ magis luteæ efficiūtur: imò hoc non solum in eo qui uenenum potauerit apparet, sed in eo etiam, qui ex pestilenti & uenenosa materia perit, ut quandoq; uiolaceum colorem & ceruleum circa dorsum habere cōspexerim. De hoc autem genere in hoc aphorismo Hippocrates non tractat, quia quandocunq; fiat, malum est. Quādoq; hic color in humano corpore, ob alicuius uenenosi animalis ictum infertur: sed potissimū partem illam occupat, in qua ictus est. Vidimus tamen quendam ab echidna, idest marassio ictum, qui trium horarum spatio ab ictu uitam cum morte commutauit, & totus maculis affectus est, luteis, uiolaceis, nigris. At nec de ista cutis fœditate nunc loquitur Hippocrates. A Galeno autem tria in suis Commentarijs enumerantur, quæ omnia à iecore male affecto innascuntur. Opus autem est, unum horum trium affectuum habeat, aut duritiem, aut inflammationē, aut obstructionem: quum unum horum trium in iecore fuerit, uis discretiua bilem à sanguine nō distinguit: propterea per totum corpus bilis spargitur, & cutim inficit. Si ante septimum fiat, secundum Galenum, ex tumore prēduro esse non potest, quia morbus diutinus est: uel si fiat ex hoc præduro tumore, malum etiam est. Si uero ob inflammationem uel obstructionem sit, citius fieri potest. Tamen sunt & aliæ causæ, præter has ex Galeno citatas: nā fieri potest ex bilis copia naturā stimulātis & iritātis: ꝓpterea iritata natura bilē ad cutim mittit, quæ ideo ibi firmatur, quoniā in cute obstructionē inuenit. Quādoq; ex obstructione fieri potest, non quidē iecoris, sed uiæ à iecore ad fellis uesicā tendētis: propterea fel ipsum per corpus spargit̄, qđ in sua uesica colligi deberet. & qm̄ natura felleā substantiā ad intestina trāsmittit, ut stercora inficiat, quæ mox expultrices uires ad expellendū iritet: unde si uia à fellis uesica ad intestina obstruatur, in cumulum adeo ingentem, & in tam amplam copiam fel in sua uesica abundabit, ut ab ea contineri non possit: propterea per corpus spargitur, & cutē inficit. Alia causa potest esse temperatura biliosa, ob quam totus sanguis biliosus effectus sit, & hoc non solū secundum naturam, sed etiam secundum colorem. Omnes hi modi mali sunt: imò hic pessimus. tamen quendam in cura habuimus morbo regio & febre laborantem, cui iecorariam uenam incidi iussimus, totus sanguis erat luteus, excrementa lutea, lutea sputa, urinæ luteæ: huius totum corpus bile plenum erat, & (ut arbitror) nihil boni habebat, tamen ab hac febre liber effectus est: & nunc cum suo regio morbo superuiuit, & eisdem urinis, & excrementis, adeo ut eius anima in bile uiuat, uel potius in humore corrupto. At ne

huius uiri nomen desideres, est Sulpitius Tombesius. Philotheus quoque multas aurigi-nis causas affert ex his quas superius citauimus. Eius uerba hæc sunt, ἴκτερος γίνεται ἐν ἐμφράξει τοῦ χολώδους ἀγγείου. οὐκ ἀναφέρεται γὰρ ἡ χολὴ τὸ τηνικαῦτα διὰ τὴν ἔμφραξιν, καὶ ἀκάθαρτον ἀναδίδοται τὸ αἷμα, καὶ γίνεται ἴκτερος. γίνεται δὲ καὶ ἀποσκιρρωθέντος καὶ φλεγμαίνοντος τοῦ ἥπατος. ἐκχολοῦται γὰρ τὸ τηνικαῦτα ὅλον τὸ αἷμα διὰ τὴν δυσκρασίαν, καὶ οὐκ ἰσχύει ὅλον ἑλκῦσαι ἡ χοληδόχος κύστις, ἀλλ' ἄνω δίδοται οὕτως χολωδέστερον τὸ αἷμα ἐν παντὶ σώματι, καὶ γίνεται ἴκτερος. γίνεται δὲ φυσικῷ τρόπῳ τοιῷδε. ἡ φύσις ἐκκαθαίρουσα τῶν ἐν βάθει μορίων κριτικῶς ἐκρίπτει τὴν ὕλην ἐπὶ τὰ ἐκτός, καὶ γίνεται ἴκτερος, ὥσπερ ἐπὶ καύσου καὶ τριταίου τῆς φύσεως σηπούσης τὰ ἐν βάθει τῶν μορίων, καὶ πρὸς τὰ ἐκτὸς τὴν ὕλην ἐκριπτούσης. οἷον πρὸ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας ἴκτερος ἐν πυρετοῖς ἐπιγινόμενος, κακόν. idest, Morbus regius in obstructione uasis bilis fit: non enim bilis tunc ob obstructionē defertur, & impurus sanguis dispergitur, & fit morbus regius. Fit autem & indurato & inflammato iecore: tunc enim totus sanguis ob intemperiem biliosus fit, & uesicula fellis totum continere non potest, sed ad superiores partes, idest cutaneas, sic biliosus sanguis in toto corpore spargitur, & regius morbus fit. Fit autem naturali modo ita, Natura enim partes quæ intus sunt, & in profundo curat, materias ad illas quæ extra sunt, proijcit, & fit morbus regius: sicuti in ardente febre, & tertiana, natura putrefaciēte partes illas quæ in profundo sunt, & ad eas quæ extra sunt, materiam proijciente: ut ante septimum diem morbi regij in febribus factí, malum. Hæc Philotheus.

πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν, κακόν. idest, Ante septimum diem, malum.] Nam quum hæc affectio ante septimum diem contingit, significatur, aut prædictas affectiones iecori inesse, aut amplam bilis copiam abundare, quę per totum corpus sparsa naturam stimulat atque iritat: iritata uero coctionem expectare non potest, sed ad ipsam circunferentiam transmittit. Oribasius uero malum esse dicit, quia natura superfluitatē non expellit, sed quātitas uincit. Si enim non fuisset ualde stimulata natura, non expulisset, nisi in die iudicatorio, in quo esset facta concoctio. Plinius libro sextodecimo, capite duodecimo, hunc aphorismum refert, & uidetur fere Hippocratem latenter carpere, atque mordere: nam dicit, Morbum regium in oculis præcipue mirari est, tenuitatem illam densitatemque tunicarum felle subeunte. Hippocrates à septimo die in febre mortiferū signum esse docuit. Nos scimus uixisse aliquos etiam ab hac desperatione. De Plinio autē mirari oportet, qui putet Hippocratem uoluisse simpliciter ante septimū diem auriginem, mortale signum esse: nam & ante septimum si contingat, semper mortale non est. Propterea opus est pro Hippocrate intelligendo, Hippocratē ipsum in alijs locis uidisse, & totum Hippocratem sibi ipsi cōstantem reddere. Si igitur Plinius Hippocratem legisset in quarto libro De ratione uictus in morbis acutis, facile deprehēdisset, semper non esse mortale signum. eo enim loco docet, quando signum pestiferum, & quādo non, morbus regius fecerit. Nosque in dies uidemus, morbo regio affectos, qui ante septimum diem colorantur, sanari, & diu superuiuere. Hippocratis uerba hæc sunt, sectione octogesimaprima eiusdē libri, In biliosa febre morbus regius cum rigore ante septimū diem enatus morbum soluit: si uero absque rigore pręter occasionē superuenerit, pestiferum. In quo tamen loco Galenus animaduertit, quod neque ante septimum diem, neque post septimū morbus regius cum rigore ueniens soluit morbum: sed ita distinguendū iudicat, Febriētibus morbus regius superuenit, interdum quidem tanquam affectionis hepatis symptoma, interdum quoque & natura bilem per cutim excernere contēdente, sed nequeūte, ueluti in abscessibus omnib. fieri cōsueuit. Postea Galenus eum ex his morbis regijs qui febrē soluat, & qui non soluat, non exprimit. Nos uero Hippocratē intelligimus, quod soluit febrē quando ita fit cū rigore, ut materia quæ intus erat, expellat: expulsa aūt supra musculos mota rigores inducit. Tamē, ut ad Pliniū redeamus, si Plinius in hūc Hippocratis aphorismū inuehit, profecto apud Pliniū non est legendū, à septimo die in febre, quod significat post septimū diē in febre: sed potius ante septimū diē in febre. Sic enim scribit Hipp. Galenus libro quinto De locis affectis, capite septimo, morbos quibus regius morbus fieri possit, diffusissime docet, & uenena enumerat, & uenenatorum ictus, & omnia quę superius à nobis in ordinē descripta sunt: imò & à splene fieri dicit, sed color fuscior est, quam is qui uel à iecore, uel per uiā crisis, uel per magnā bilis copiā in toto corpore fit. At non solū Plinius refert, uisos esse quibus superuenerit ante septimū diē morbus regius,

& esse

& esse sanatos: sed et Auerrois quarto libro sui uoluminis inscripti Colliget capite xliij. ubi de signis malis prognosticis disserẽs, inqt: Quod dicit Hippocrates, icteritia ueniẽs ante septimũ diem in acutis febribus, malũ, reprobatũ est experientia in nostris terris: & si ueniat in quinta die, laudabile multũ est uiua ratione, & maxime in tẽporibus calidis, & corporibus calidis. Et hæc est sentẽtia collegiorũ medicorũ omniũ Persarũ & Indiæ maioris, & pro maiori parte illorũ de Entalis: & possibile est ꝙ illud quod dixit, locũ in Græcia habuit, quia terra illa, hac frigidior existit. Et istud qđ dixit Hipp. ꝙ erat signũ malũ, est ideo, quia hæc est una ex reb. ex qua ꝓuenit crisis, & omnis crisis ueniẽs ante digestionẽ est malum. Et possibile est ꝙ uiderit in terris suis crises uenietes per icteritiã ante septimũ esse malas & sine digestione. Hæc Auerrois. Nos quoq; multos uidimus ante septimũ, morbũ regiũ incidisse, & sanatos esse: sed re uera nõ erat exqsitus morbus regius: poniturq; ab Hipp. tanq; signũ ꝑniciosum: non aũt tanq; signũ, quod cum adsit, nullus euadere possit. imò si in Auerroim cauillari uoluerimus, ostendemus eius patriã esse frigidiorẽ Græcia. Sed hæc alias, nos hic Hippocratẽ recte sensisse arbitramur.

GALENVS

MORBVS regius fit aliquando & iudicatorie reponente natura ad totũ corpus, & præcipue ad cutem flauam bilem. Fit autem & huiuscemodi casus hepate male se habente. Ipsius uero affectus ex quibus morbus regius solet aduenire, tres sunt, tumor durus, inflammatio, & obstructio. Verum tumor prædurus diutinus morbus existit. Inflammatio uero, & obstructio repente fieri possunt, & qui regij morbi ante septimum accidunt diem, ex aliquo istorum ortum habent, nam citius non potest iudicatorie bilis perduci ad corpus. Ante septimũ quidem diem, morbum regium esse malum uerum existit, non tamen post septimum uacare periculo est pariter uerum, neque hoc nunc dictum est. Potest enim & inflammatio, & obstructio longiori tempore permanere, ante septimum tamen bilem iudicatorie efferri est impossibile. in quibusdam uero exemplaribus adiectum est aphorismo, circa finem, Nisi humores ex aluo prodeant, uolentibus his qui hæc adijciunt per aluum bilem expurgari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus duas causas morbi regij adducit, una est quãdo natura per uiam crisis ad cutem flauam bilem transmittit. Alia causa est mala iecoris affectio.

Quod legitur, Fit autem & huiusmodi casus hepate male se habente. Græce est, γίνεται δὲ καὶ σύμπτωμα κακοπραγοῦντος ἥπατος. i. Fit aũt & symptoma male agente iecore.

SECVNDO tria esse docet, per quę iecoris ratione morbus regius inducitur. unum est tumor durus, idest durities quæ in iecore persentitur: secundũ est, inflammatio, quæ in iecore ipso fit: tertiũ est obstructio. forte Galenus obstructionẽ cõmuniter intelligit, tam in iecore existentẽ, quàm in uijs, ut in uia folliculi fellis, aut fellis ad intestina uiæ.

Quod legitur, Ipsius uero affectus, Græce habetur, αἱ κακοπραγίαι δὲ αὐτοῦ, idest malum negotium autem ipsius, uel malus affectus.

TERTIO Galenus illa tria simul cõparat, quia prædurus tumor est morbus diuturnus. propterea morbũ regium cito inferre non potest. Sed regius morbus ex inflãmatione, aut obstructione cito fieri põt. ꝓpterea qui ante septimũ fiũt, ab his causis depẽdent, ideo mali sunt, quia bilis per bonã crisim non potest ita cito per corpus ꝓduci. In aliquibus cõtextibus ubi legit̃, Et obstructio repẽte fieri possunt, addit̃ quarto die: tamen nec in meo antiquo, nec in Aldino particula hæc inuenit̃, quã nec addendã esse putamus.

QVARTO infert, ante septimũ diem regiũ morbũ malum esse: tamẽ ex his Hipp. uerbis inferri nõ licet, ꝙ post septimũ diem periculo uacet: nec ab Hippocrate hoc uel dicitur uel intẽditur: nam obstructio & inflammatio, longiori tempore permanere possunt: sed hoc non tollit ꝙ ante septimum bilis ipsa per uiam crisis excerni non possit.

Qđ legit̃, Ante septimũ quidẽ diẽ. Græce habet̃, ὄν πρὸ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας. i. ante septimum igit̃: potius enim legendũ est, Igit̃ quã quidẽ. quia Galenus in hac parte cõcludit.

Quod etiã legit̃, Ante septimũ tamẽ bilẽ iudicatorie efferri est impossibile. Illud uerbum, efferri: Græce est, ἀναχυθῆναι. i. resolui, uel effusum esse. Deniq; Galenus notat, in qbusdã exẽplaribus in fine adiectũ esse, nisi humores ex aluo prodeãt: quia si prodirẽt, humores expurgari possent. Itaq; malũ non sequeret̃. cõtextus Hagonẽsis ita habet in fine, ἢν μὴ ξυνδόσιες ὑγρῶν ἐπὶ τὴν κοιλίαν γίγνωνται. Ideq; in suo cõtextu Philotheus habet.

APHORISMVS LXIII

QVibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.

BRASAVOLVS

FEBRIVM differentia hæc una est, quod aliquæ non intermittentes, aliquæ intermittentes. Non intermittentes à materia quæ in uenis existit, fiunt: propterea sine rigore, sine frigore, & sine alio simili fiunt. Quæ autem ex materia extra uenas inducuntur, intermittentes fiunt, & cum rigore & frigore incipiunt. At si in non intermittẽtibus frigus quandoq; fieri contingat, malum est, & priuatiuum appellatur. febres intermittentes, quæ per rigorem huius generis esse cognoscuntur, qui quotidie fit, etiam quotidie soluuntur: quoniam tota materia, quæ particularẽ febrem facit, una & eadem die resoluitur: & si altera febris fieri debeat, necesse est materiam nouam aggregari, quæ illam faciat. Philotheus hoc modo aphorismum introducit, περὶ ἀφημερινοῦ διαλέγεται, καὶ σαφὴς ἡ ἔννοια τοῦ ἀφορισμοῦ ἐξ αὐτῆς τῆς φράσεως. idest, De una die affligente disputatur, & ex ipso genere locutionis, aphorismi sensus manifestatur.

ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνωνται. idest, Quibuscunq; in febribus quotidie rigores fiunt.] Theodorus legit Frigus, & non Rigores. tamen utrũq; uerum est, uel frigus sit, uel rigor, uel utrunq; simul, à materia extra uenas existente gignũtur, quæ in una accessione consumitur.

Καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται. idest, Quotidie febres soluuntur.] Quoniam quotidie tota materia quæ accessionem facit, resoluitur. Nam aphorismus solum uerus est in intermittentibus febribus, ut tertiana est, & quartana. In quotidiana etiam, si suas sex quietis horas habuerit: tamen raro est, quod à quotidiana æger sit penitus mundus & liber: semp enim aliquid habet, quod si non sit perceptibilis febris, est tamen falsa quies. Idem uero est falsa quies, & quietem non habere. propterea potissimum in tertiana, quartana, quintana, sextana, octona, & in similibus, Hippocratis aphorismus uerus est: & in genere hoc nunquam fallit, quum frigus aut rigor apparẽt, intermittens est, & materia est extra uenas, & is qui patitur quotidie, à febre liberatur: quia materia quæ particularem accessionem facit, quotidie resoluitur, quantocunq; tempore intermissio fiat, uel de tertio in tertium, uel de quarto in quartum. Ratio uero aphorismi est (ut Philotheus dicit) quoniam ἡ ὕλη ἐκτὸς τῶν ἀγγείων ῥίπτεται, ἥ τις ἐντὸς οὖσα τὸν πυρετὸν ἐποίει. idest, Materia extra uasa effunditur, si intus existens febrem faciebat. Idem Philotheus dubiũ facit de hemitritæo, inquiens, ἀλλ' ἀπορῶσι τινὲς λέγοντες, καὶ πῶς ἐπὶ τοῦ ἡμιτριταίου καθ' ἑκάστην ῥῖγος ποιοῦντος οὐ παύεται ὁ πυρετός. καὶ λέγομεν, ὅτι περὶ τοῦ ἁπλοῦ πυρετοῦ ὁ λόγος ἱπποκράτει νῦν, οὐ περὶ συνθέτου. οὗτος δὲ σύνθετός ἐστιν ἐκ δύο πυρετῶν, ἀπό τε συνεχοῦς ἀφημερινοῦ, καὶ τριταίου διαλείποντος. idest, Sed dubitant quidam dicentes, & quomodo in hemitritæo quotidie rigore facto, non cessat febris? Et dicimus, quod de simplici febre Hippocrati nunc sermo est, non de composita. Hæc autẽ ex duabus febribus composita est, ex non intermittente quotidiana, & tertiana intermittente. Oribasius uidetur legere Frigus, & non rigor. Et Hippocrates prope finem libri De morborũ decretorio, inquit, Quibus frigus in febre superuenit, febris soluitur: de frigore sermonem habet, & non de rigore: tamen (ut diximus) utrunq; uerum est: imò in non intermittẽtibus non fit rigor, nisi uel ad malum, si in sexto die contingat: uel ad bonum, si in intermittentem transiuerit. Frigus tamen in non intermittentibus bene superuenire potest. Sed, ut dictum est, potius priuatiuum nuncupari debet, quàm positiuum. & ita recentes ipsum nuncuparunt. Tamen sunt aliquæ intermittentes, quæ eadem die non finiunt: sed ad quadragesimam, & quadragesimamoctauam horam pertingunt: sed hæ non fiunt à pura materia, imò à ualde mixta. Vel intellige, quotidie soluuntur, idest antequàm alia accessio contingat, febres soluuntur.

GALENVS

CVM bile per omnem corporis habitum mota rigores accidant, atq; ideo singulis accessionibus expurgetur, atq; euacuetur, non absq; ratione ad infebricitationem peruenit talium febrium intermissio. Hoc igitur est quod nunc dictum est ab eo,

quotidie febres soluũtur: ac si dixisset, ægrotos quotidie sine febre fieri: sicuti aũt quemadmodum quotidie rigores fiũt, quotidie etiam febres cessant, sic uidelicet si & per tertium diem, uel etiam per quartum, quod scilicet fieri uidetur, & in tertianis & in quartanis circuitibus, in quibus febres soluuntur, & rursus redeunt. Remanet tamen quædam dispositio præter naturam in corpore, à qua secundum circuitum febres, & alij casus generantur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus causam refert, quomodo rigores fiant. Fiunt enim bile per omnẽ corporis habitum mota, præsertim supra musculosas partes.

SECVNDO rationem assignat, cur febres quotidie soluantur: quia in singulis accessionibus illa bilis quæ febrem facit, expurgatur atque euacuatur.

Quod legitur, Atque ideo: Græce habetur, καὶ διὰ τοῦτο. idest, Et propter hoc.

TERTIO Galenus aphorismũ intelligit, si quotidie rigores fiant, febres quotidie cessant, etiam si fiant de tertio in tertium, uel de quarto in quartum soluũtur. Sed quod eadem die soluatur, necesse non est: satis enim est, quod ante aliam accessionem soluantur, ut in quartana. Deniq; Galenus docet, quod in intermittẽtibus & si tota materia resoluatur, quæ accessionem facit, & sine febre perstet, tamen quædam dispositio præter naturam in corpore permanet, à qua fiunt per circuitum febres. nam humores in loco quodam coaceruãtur, in quo est minera & mala ista qualitas quæ illos humores afficit, qui sunt apti corrumpi: ideo corrumpuntur, & alia fit accessio.

Quod in fine legitur, Et alij casus generantur: Græce habetur, καὶ τὰ ἄλλα συμπτώματα γίνονται. Et hoc in antiquo nostro exẽplari. Putamusq; hunc esse Galeni sensum, quẽ Leonicenus expressit. tamen contextus Aldinus legit, καὶ τὰ ἄλλα νοσήματα γίνονται, idest Et alij morbi fiunt non autẽ alij casus, uel alia symptomata: ut Leonicenus in suo codice habebat: & ita præcise in meo scriptum est. utrunq; dici potest: sed potius laudo quod συμπτώματα legamus.

APHORISMVS LXIIII

QVibus in febribus morbus regius septimo uel nono uel undecimo uel quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrum ilium obduruerit: si uerò non, non bonum.

BRASAVOLVS

IN sexagesimosecundo aphorismo ab Hippocrate dictum est, Ante septimum diem morbũ regium esse, malum, tamen ob id sequi non oportebat, si post septimũ fiat, quod bonum sit: sed tãtum bonum est, si in die iudicatorio fit. propterea ferè coactus est Hippocrates dies enumerare, in quibus bonum est: & si non omnes, saltem aliquos: unde si in febribus, regius morbus septimo die superueniat, uel nono, uel undecimo, uel quartodecimo, bonum signum est: quia significatur à natura factam esse bonam crisim, quoniam in iudicatorio die facta est. Sed unum addere oportet, nisi dextrũ ilium obduruerit, tunc enim non est adeo bonũ, quia in iecore mala aliqua erit affectio. Vnde & à Celso dicitur capite octauo secundi libri: At in morbo arquato durum fieri iecur, periculosissimum. Si autem hic morbus in præscriptis diebus non fiat, bonum non est: quia in diebus iudicatorijs non fit. Est autem tunc potissimum bonum signum, quoniam coctionis signa præuisa sunt.

ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι. idest, Quibuscunq; in febribus.] Quia si non esset febris, dies non computarentur: nam sine febre quandocunq; ueniat, semper est mala: etenim obstructionem saltem significat. Oribasius dicit, Hippocratem laudare, in febribus morbum regium fieri: quia iam neutra est ægritudo, & natura ualidior eiecit ipsum humorem noxium ad superficiem: unde fit iudicatio febris. Oribasiũ intellige quod dicat, In diebus ab Hippocrate numeratis, non aũt simpliciter in febribus, quia in alijs diebus malũ est.

Τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐνάτῃ, ἢ τῇ ἐνδεκάτῃ, ἢ τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθόν. idest, Septimo, uel nono, uel undecimo, uel quartodecimo, morbus regius superuenerit, bonum.] Quia in die iudicatorio accidit, in quo natura quicquid mali in nostro

corpore

corpore continetur totis uiribus expellere conatur: at quartumdecimū diem non pertransit, quia biliosa materia acutum morbum inducit; cuius terminus est decimusquartus dies. Si hic dies pertranseatur, regius morbus niger ex atra bile potius fit. At hic de bilioso sermonem habet, ut ex hoc colligi possit, quia hoc in loco quartumdecimum diem non pertransit. Oribasius hic dicit, morbum regiū fieri ex quantitate & qualitate. ex qualitate fit, quoties abundans fuerit biliosus humor, & sursum tetenderit: ex quantitate fit, quoties humor fuerit in iecore: tumor nanque exprimit fel illud, iactatque ad superficiem. Philotheus uero dicit, hos morbos regios esse bonos, quoniam νόμῳ φύσεως γεγόνασιν ἐν κρισίμοις ἡμέραις φανέντες. idest, lege naturæ facti sunt in iudicatorijs diebus apparentes. Additque hic author, quod ab Hippocrate tres dies positi sunt, πρὸς διορισμόν, idest ad distinctionem.

ἢν μὴ τὸ ὑποχόνδριον τὸ δεξιὸν σκληρὸν γένηται. idest, nisi hypochondrium dexterum obduruerit.] Noster antiquus contextus non σκληρὸν, sed σκληρότερον, idest magis durum effectum sit, legebat. Celsus ὑποχόνδρια uocat præcordia non autem ilia, capite primo quarti libri, ubi ponit, sub præcordijs à latere dextero iecur, à sinistro lienem: quamuis in eo capite dubius sit. Sed capite tertio secundi libri, ubi de bonis signis ægrotantium loquitur, hoc dicit: si præcordia eius sine ullo sensu doloris, æqualiter mollia in utraque parte sint. hoc autem accipit ex libro Prognosticorum Hippocratis Celsus. ubi Hippocrates utitur uocabulo hypochōdrium. Et quod Celsus hanc partem ilia appellare non possit, ex ipso colligi potest capite primo quarti libri prope finem, ubi dicit: Ipsa autem ilia inter coxas & pubem imo uentre posita sunt, à quibus ac pube abdomē sursum uersus ad præcordia peruenit. Vides igitur secūdum ipsum præcordia supra abdomen esse: abdomen uero ad umbilicum uenit. Ideo pręcordia partem supra umbilicum statim occupabunt. Propterea nos hic interpretādum putamus secundum Celsum præcordia & non ilia, ut Theodorus & Leonicenus transtulerunt: imò si Celsum ipsum libro tertio, capite uigesimoquarto contemplemur, ubi de cura morbi regij differit, hunc aphorismum describit, & præcordia interpretatur. Verba eius hęc sunt: quem Hippocrates ait, si post septimum diem febricitante ægro superuenit tutum esse, mollibus tantummodo præcordijs substantibus. ut facile uideri possit per hoc uocabulum præcordia, ὑποχόνδρια intelligere. Idem accipitur capite quarto secundi libri, ubi simul edocemur, periculum esse, quando in dextera parte dura permanent. Ibi enim de morbo regio loquens, inquit, Post arquatum morbum febrem oriri, utique si pręcordia dextera parte dura manserint, ac dolentibus his leua, periculosum est. Hippocrates uero id intelligit, quod sub præcordijs cōtinetur, idest nisi hepar, quod est sub hypochondrio dextero obduruerit: quia quum hæ partes duræ sunt, semper malum est: ut in libro Prognosticorum edocuerat. In quocunque igitur die morbus regius contingat, si dexterum hypochondrium obduruerit, semper malum est, quia, ut dicit Philotheus, φλεγμονὴ δεῖ τοῦ ἥπατος. idest, inflammatio iecoris est. Oribasius alio modo aphorismum intelligere uidetur, quàm fecerimus: inquit enim, Si ex duritia iecoris arquatus fiat, bonū est: quia relaxatio est aliqua. Si enim non fuerit arquatus, maius malum est. Fortè Oribasius intelligit, Si obduruerit dexterum latus, minus malum est morbo regio correptum esse, quàm non habere, si obdurescat hepar, quia in morbo regio aliqua materiæ portio saltem ablata est.

ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν. idest, Si autem non, non bonum.] Hæc pars ab Oribasio ad dexterum hypochondrium applicari uidetur. Si autem non, idest si non ita sit, quod iecur obdurescat, & morbum regium habeat, non est bonum: sed peius est, quia in iecore tota biliosi humoris massa retinetur, & nihil emittitur: melius autem est, quod materiæ portio emittatur. Putamus nos meliorem sensum esse, si hæc pars ad iudicatorios dies enumeratos referatur: ut sensus sit, Si morbus regius in diebus enumeratis non fiat, bonum non est: quia in iudicatorio die non fit. tamen ita malum non est, sicuti quādo ante septimum cōtingit. Propterea hic non dixit esse malū, sed non esse bonum. Philotheus uero intelligit, si dextrum ilium obdurruerit, idest iecur inflammationem patiatur, καὶ ἐν κρισίμοις ἡμέραις ἐπιγένηται ἴκτερος, κακόν ἐστιν, διὰ τὸ νοσερῶς διακεῖσθαι τὸ ἧπαρ. idest, & si in diebus iudicatorijs morbus regius fiat, malū est: quoniā hepar morbose dispositū est. Vnde iudicatorij dies regiū morbū ad bonū terminari nō faciūt, si hepar inflāmationē patiat.

GALE-

GALENVS

QVI ante hunc scribitur aphorismus absq; ordine mihi uidetur fuisse interiectus. Melius enim fuisset, hunc qui nunc scribitur aphorismum illi fuisse coniūctum; in quo ait, Quibus in febribus morbus regius ante diem septimū accidit, malum: ut totus sermo talis procedat, Ante septimum quidem diem morbum accidere regium, malum omnino: post septimū uero, optimum, nisi dextrum ilium obduruerit. idest, nisi aliquis malus affectus, ex his quos antea diximus, uisceri hepati acciderit. Expurgato enī in ipso sanguine, & bile translata ex uenis ad meatus bilem recipientes, siue obstructio fuerit in locis ad quæ trāsfertur, siue inflammatio aliqua, uel durus tumor, necessarium omnino non expurgari sanguinem, & una cum ipso bilem per totum corpus deferri, & hinc morbum regium generari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat, præcedētem aphorismum sine ordine fuisse interpositum, quia hic potius sexagesimumsecundum aphorismum sequi debebat.

SECVNDO duos illos aphorismos unà continuat, ut dicat, Morbum regium ante septimum diem, malum: post septimum uero, bonum: nisi pars dextera præcordiorum obduruerit. i. nisi iecur aut duritiem aut inflammationem aut obstructionem habuerit.

Quod legitur, Post septimum uero, optimum. Græce non habetur Optimum, sed χρηστόν, idest bonum. & ita dici oportet. Imò dubium contra Galenum incidere posset: quia uerum non uidetur: si post septimum accidat, bonum esse. nam bonum nō est, si in non iudicatorio die contingat. Propterea dicere oportet, Galenum intelligere bonum esse post septimum, in uno die ex his qui ab Hippocrate numerantur.

In toto hoc Commento, quod à Leoniceno interpretatum est Ilium, Græce habetur ὑποχόνδριον, quod præcordia interpretari debet, ut superius ostensum est.

TERTIO aphorismi rationem reddit, nam in iecore sanguis purgatur, & à bile separatur. Si autem in illa parte ad quam bilis duci oporteret, obstructio sit, uel inflammatio, uel tumor prædurus, bilis cum sanguine per totum corpus decurrit: & ita hic morbus qui regius appellatur, infertur.

Quod legitur, Visceri hepati acciderit: potius legendum est Visceri hepati, uidelicet acciderit.

Quod legitur, Et bile translata ex uenis: hæc particula in nostro antiquiori contextu, & in Aldino eodem modo dicit, ἐκ τῶν φλεβῶν. idest, ex uenis. At antiquus noster à quodam probo uiro correctus est, & legit ἐκ τῶν κοιλιῶν, idest ex uentribus, uel cauitatibus: quod fortè magis conueniens est, quia in illis iecoris partibus, bilis inuenitur.

APHORISMVS LXV

IN febribus circa uētriculum, & fortis æstus, & cordis morsus, uel dolor, malum.

BRASAVOLVS

QVVM aliquis acuta febre correptus sit, quam hæc symptomata concomitentur, magnum circa uentriculum incendium & cordis morsus, malum signum est. Nam ex hoc significatur bilem ualde putrefactam uentriculum & potissimum os eius occupare, quod antiqui cor appellarunt. Ipsa enim bilis duo ista inducit, & intensissimum calorem, & cordis morsum: de quo statim dicemus. Oribasius dicit, malum esse signum, quia significatur bilem uicisse naturam.

ἐν τοῖσι πυρετοῖσι. idest, In febribus.] supple tū, Intensis & acutis. nam bilis illa, quæ incendium infert, necessario & intensam febrem inferre consueuit.

περὶ τὴν κοιλίην. idest, Circa uentriculum.] Theodorus interpretatur, Circa aluum. Sed aptius est intelligere, Circa uentriculum: qui ab hoc uocabulo κοιλία significatur. quis & aliàs Leonicenus interpretatus sit κοιλίαν, idest aluum. nam aphorismo quinto tertij libri, ubi Hippocrates dicit, Boream facere κοιλίας σκληράς, ipse interpretatū aluos duras: at pro ratiōe rei de qua sermo fit, interpretari oportet: modo uētriculū, ut in hoc loco: modo inferiorē partem, ut in aphorismo præcitato: tamē hoc uocabulū κοιλία inferiorem

riorem uentrem semper significat, qui est à uentriculo inferius, uentriculum etiam capientes. & quod uentriculus intelligi debeat, ex Philotheo colligi potest dicente, νυνὶ κοιλίαν λέγει νῦν, τὴν ὑποδοχὴν, καὶ δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν τὸν καρδιωγμόν. idest, Nunc cœlian uocat, cibi receptaculum. & manifestum hoc est, ex eo quod dicit, cordis morsum. Nempe hic morsus circa os uentriculi infertur, propterea sequitur Philotheus διὰ οὖν τὸ ἀσθενεῖν τὸν στόμαχον τῇ δήξει τοῦ χυμοῦ, κακόν. idest, Quoniã igitur os uentriculi humoris morsu debilitatur, malum.

Καῦμα ἰσχυρόν. idest, Fortis æstus.] Hæc intentissima caliditas in alia parte esse non potest, nisi in ista. Et (ut Galenus dicit) à bile fit in uentriculi tunicis ebulliente: nam (ut dicit Oribasius) signum est, bilem uicisse naturam: nam ueniens ad stomachum, illic retinetur, & ebulliens (ut Galenus dicit) in illa parte æstum maximum facit. Est uero æstus intensissimus calor, de quo summe conqueritur æger, & circa illam partem ardere se dicit. A medico uerò cognoscitur ex magna linguæ ariditate, quam æger habet, & ex febris intensione, quam ex pulsu percipit, & etiam ex calore ad tactum.

Καὶ καρδιωγμὸς, κακόν. idest, Et cordis morsus, malum.] Quod in Leoniceni interpretatione legitur Vel dolor, obelo confodiendum est. Theodorus, dolorem cordis interpretatur, non autem morsum cordis: de quo superius aphorismo decimoseptimo secundi libri sermonem habuimus. Pro hoc autem loco intelligendo scire oportet, hoc uocabulum καρδιωγμός, oris uentriculi morsum, qui à bile fit, significare: & quandoq; ueri cordis tremorem significat: ut Galenus in Commento edocebit. Oribasius dicit inferri hos morsus, quia bilis in uentriculi ore detinetur: ideo excitat mordicationem: & quia os uentriculi uitiosum est, compatitur illi cerebrum, ubi est principium uitæ, & ideo est malum totius corporis. At potius dicendum erat, ut Galenus facit, cor compati, nanq; ex oris uentriculi passione compatitur, quod à bile mordicatur, unde uel intelligas os uentriculi morderi, uel cor ipsum, est malum: sed de corde peius est, in quo (ut Galenus fatetur) uis uitalis inuenitur. Ille autem cordis tremor in corde fit, aut ob uirium defectum, in quibus cor agitatur, ut uires resumat: at si quid nociuũ expellere tentet, & motum illum tremulum facit. Aut est uis ipsius, quæ id quod nociuum in ipso est, expellere conatur, uel sit biliosa materia, uel alia, itaque tremit.

GALENVS

QVOD non solum ei uisceri, quod sua natura palpitat, cor nomen fuit apud antiquos, sed etiam ori uentriculi, pro confesso habetur apud omnes, sicuti etiã quòd cordialgiam, idest cordis dolorẽ, huius partis dolores appellant, & uerbum cardiossin apud Græcos, plurimi exponẽtium aphorismos pro cardialgin, idest cordolere acceperunt: nonnulli ipsius uisceris motum quendam palpitationi similem, per cardiogmon uerbum intellexerunt. Fortis itaq; uentriculi æstus à flaua bile in ipsius tunicis ebulientis generatur. Rationabiliter aũt his qui ita affecti sunt, & uentriculi mordetur os, atq; ob id malus est casus. Si quis uero per cardiogmon uerbũ, quo Hippocrates utitur in aphorismo, crebrum, & uelocem cordis motum, & præcipue etiam similem palpitationi intellexerit, extremum ex eo malum significatur, uim scilicet uitalem maximo incendio laborare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nomẽ hoc cor apud omnes significare, non solum uerum cor, quod suapte natura palpitat, sed etiam os uentriculi. Cor enim sua natura σφύζει, id est salit, mouetur, uel palpitat.

SECVNDO etiam docet apud omnes uocabulum καρδιαλγίαν, significare huius μέρους ἄλγημα, idest huius partis, scilicet oris uentriculi dolorem: & multi aphorismorum interpretes utũtur hoc uerbo καρδιώσσειν, pro eo quod est καρδιαλγεῖν .i. dolere cor.

TERTIO docet, quosdam intelligere per καρδιωγμὸν, non dolorem uel morsum oris uentriculi, sed ipsius uisceris, idest cordis motum quendam similem palpitationi.

Quod legitur, Nonnulli ipsius uisceris: Græce habetur, ἔνιοι δὲ τῆς καρδίας αὐτῆς, λέγω δὲ τοῦ σπλάγχνου, idest nonnulli autem ipsius cordis, dico autem uisceris: ut hæc pars tota desit, cordis dico autem uisceris.

Quod etiam legitur, Motum quendam palpitationi similem: Græce habetur, κίνησίν τινα

τινὰ παλμώδη. idest motum quendam tremori similem, etenim παλμὸς tremor est, qualis is qui in febre fieri solet.

QVARTO Galenus docet, fortem uentriculi æstum à bile in ipsius tunicis ebulliente fieri. propterea non mirum si æstus inducatur, & morbus, & praua symptomata consequantur.

QVINTO docet, si quis per καρδιωγμὸν, ueri cordis motū, uelocem, & tremulum intelligere uoluerit & non oris uentriculi, tanto peius erit, quia significabitur uim uitalem, hoc est cor ipsum cui uis uitalis inhæret maximo incendio laborare, imò & ipsam uim esse defectam.

APHORISMVS LXVI

IN acutis febribus conuulsiones, & circa uiscera dolores fortes, malum.

BRASAVOLVS

SÆPIVS dictum est, cōuulsionem ex repletione, & ex inanitione fieri. Si in febre acuta conuulsio sit, ex inanitione & siccitate factam esse, potius quàm ex repletione iudicare oportet. At conuulsiones ex inanitione letales sunt, propterea cum in febre acuta conuulsionem uideris, & circa uiscera dolores qui intensi sint, de hoc uiro qui ita laborat, male iudicato. Tamen possent etiam ex ui febris humores multi ad neruos detrudi, & conuulsionē ex repletione inferre, quod & malum esset: sed non adeo malum, ut id quod ex siccitate fit. At Hippocrates potius intelligendus est, quando ob siccitatem hæc fiant. tunc enim ratione febris, & non alterius ratione inferuntur.

ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν. idest, In acutis febribus.] Quamuis in omni febre malū sit, uel acuta, uel nō acuta sit: sed in acuta peius, tum quia & ipsa periculosior: tum quia genus spasmi ex siccitate est, quod mortem inferre solet, & febrem cōsequitur. Hæc autem conuulsio, quæ ex repletione est, febris ratione non consequitur.

Οἱ σπασμοὶ. idest, Conuulsiones.] Quæ ex siccitate potissimum & inanitione fiunt. nam hæ potissimum ex febrili calore intenso dependent.

Καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν. idest, Et circa uiscera dolores fortes, malum.] Fiunt autem ob multas causas circa uiscera fortes dolores, propter uiscerum inflammationem, propter magnam obstructionem, propter abscessum. Quod autem huiuscemodi dolores periculosi sint, etiam si febris acuta non sit, dubitare non opus. propterea cum hæc de se mala sint, tanto magis cum acuta febre periculosa erunt. ideo Galenus conuulsionem intelligit in extis, & intraneis partibus ex siccitate factam, quæ ab intenso febris calore inducitur, quod & Philotheus intelligit. unde & Oribasius infert nullam esse spem uitæ, si acutæ febri acuta superuenerit affectio: & ideo uel dolorem intelligas ex supradictis causis factum, inflammatione inquam, duritie, uel obstructione, & ita nulla est uitæ spes: uel dolorē intelligas ex febrili siccitate factum, qui etiam maius erit. nam intensam caliditatem uiscera exiccantem & mortem inducentem denotabit. Sunt uero apud Græcos σπλάγχνα ea quæ à Latinis exta, & uiscera nuncupantur. uocabulum est ab aruspicinis sumptum, quo potissimum principaliora intranea significabant, ut cor, iecur, pulmo: tamen & in medica arte pro intrinsecis omnibus partibus, quæcunque illæ sint, usurpatur. Si antiquos obseruemus in uictimis, uidentur in iecore præsertim uti uocabulo σπλάγχνον, quia aruspices iecur potissimum inspectabāt: tamē & pro alio uiscere etiam sumitur. In aphorismi proposito pro omni intrinseca parte accipitur, qua exiccata, mors sequi posit, uel sint etiam intestina uel uētriculus (imò & hæ partes ab aruspicibus quandoque considerabantur) uel sit una principalior pars. Philotheus uero per σπλάγχνα ὑποχόνδρια interpretatur.

GALENVS

FEBRES uehementes, ueluti ignis neruos exiccantes eos extendunt, atque conuellunt, atque hoc modo malas afferunt conuulsiones. Nonnunquam uero & uiscera ipsa in tali affectu dolorem sentiunt propter incendij uehementiam, ac siccitatem, atque idcirco malum esse inquiūt. Peior autem fuerit, si fortes dolores acciderint. Scimus au-

tem quòd propter inflammationem, uel herysipelas, uel fortem obstructionem, uel abscessum aliquem, in uisceribus dolores fiunt, sed nõ fit uerisimile, ut de his nunc sermo habeatur ab ipso. Manifestum enim in ipsis periculum, quod neq; necessario adiũgitur conuulsioni, & cum Hippocrates in febribus dicit morbos febriles, intelligit quãdo febres ipsæ sunt passio, & non casus partis alicuius, quæ aliquo dictorũ affectuũ laboret.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, prauas esse conuulsiones, quæ in uehementi febre contingũt. quoniam ex siccitate fiunt. nam febrilis calor neruos exiccat eodem modo, quo facit ignis. propterea extenduntur, & conuelluntur.

SECVNDO docet, & ipsa uiscera eodem modo exiccari, & propter hanc ingẽtem siccitatem dolorem pati, & ideo malum est.

Quod legitur, Malũ esse inquiunt, Græce habetur, malũ esse inquit. nam dicit φησίν.

TERTIO Galenus prohibet ne aphorismum de his uiscerum doloribus intelligamus, qui ex inflammatione, erysipelate, obstructione uehemẽti, uel abscessu fiunt. quia uerisimile non est, quod de his Hippocrates loquatur. in his enim per se periculum est, & non est opus quod conuulsioni iungãtur, sed ipsa ex se absq; cõuulsione letalia sunt. Adde, quando Hippocrates dicit, in febribus, semper intelligere consueuit morbos febriles, quãdo ipsæ febres, ut febres & passiones id faciunt, & non sint aliarum partium symptomata. Itaq; febres non sint aliorum morborũ symptomata: ut in his esse posset, in quibus febris ab illis dispositionibus dependeret.

Quod legitur, Intelligit, legendum est, intelligere consueuit, uel dicere. nam Græcus contextus ita habet, εἴωθε λέγειν.

APHORISMVS LXVII

IN febribus, ex somnis timores, uel conuulsiones, malum.

BRASAVOLVS

HÆC non solum in febribus mala sunt, sed etiam sine febre: in febribus tamen peiora, timores scilicet & cõuulsiones: per hæc enim multas prauas materias in corpore esse significatur, quę dum homo dormit agitantur & cõmouentur, & timores inducunt, pręsertim si naturam atrabilariam habeant, & conuulsiones, propterea aliud prædicere non possumus, quàm malum. Philotheus putat præcedentem aphorismũ, & alios multos de spasmo tractare. propterea inquit, καὶ ἐν τούτῳ περὶ σπασμοῦ διαλέγεται. idest, Et hic de spasmo disseritur.

ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν. idest, In febribus.] Supple tu, acutis, quia illæ quæ acutæ non sunt, raro hæc symptomata habent, & ita grauia non sunt.

οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι. idest, Ex somnis timores.] Qui ratione febris contingant, & non ratione somni. propterea opus est, hoc in illa parte febris intelligere, in qua potius timores, & symptomata omnia sedari deberẽt. unde ab ipso Hippocrate in primo aphorismo secundi libri dictum est, ubi somnus laborem præstat, mortale: & de somno in declinatione facto intelligebatur, idest in tali tẽpore in quali somnus potius prodesse, quàm obesse consueuit: & ideo hic per febrem, illam febris horã intelligamus, in qua somnus prodesse deberet, quæ est hora declinationis. si enim in principio accessionis in somnis timores fiant, mirum non est. quia in tali hora æger dormire non debet, & ita si in augmento uel in statu fiant. Sed si in declinatione contingant, in qua somni prodesse consueuerunt, malum est. quoniam sicuti in secundo aphorismo secundi libri dicebat, ubi somnus delirium sedat, bonum. Itaq; per oppositum ubi somnus timorẽ facit, malum. Timor autem fit uel ob atrabilarias materias corpori & cerebro inexistentes, quæ somni tempore mouentur, uel ob fumos qui à prauis materiebus eleuantur, præsertim atrabilarijs os uentriculi occupantibus, & in caput ascendentibus: timoresq; inducuntur, qui potissimum in somnis fiunt, quoniam tũc naturalis calor intus retractus, & fortior effectus, has materias magis agitat, & commouet. propterea cerebrũ facilius occupant. unde Oribasius hunc aphorismum interpretari uolens inquit, consideremus quot modis fiat

dis fiat pauor, primum euenit ĳs quibus applicatur gladius, aut quibus subito perturbatio aliqua animę oboritur, aliisq; multis causis. Hunc pauorē uapor aliquis excitat, qui ascendit ad cerebrum, cuius substantia est alba. dum enim tincta fuerit ipso uapore, & inde læsa, tunc sensus hominis, quasi in alienum ingrediuntur, non cognoscētes se, alienatur mens, & fit pauor, & ideo malum est, quia patitur totius corporis principiū. Hic autem Oribasii casus & intellectus est adhuc peior, quia simul ponit deliria cum timoribus. Galenus animaduertit, in aliquibus contextibus non legi φόβυς, idest timores, sed πόνυς, idest labores, & nos uarios legimus cōtextus utrunq; habentes hoc modo, εἰ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι καὶ πόνοι, idest ex somnis timores, & labores. & reuera si utraq; hæc symptomata iūcta sint, adhuc peius erit. imò & soli labores in febre ex somnis semper malum portendunt.

ἢ σπασμοὶ, κακόν. idest, Vel conuulsiones, malum.] Vel igitur unum fiat, uel aliud, malum est & perniciosum. Fit autem hæc conuulsio ex materiebus uel uaporibus ad cerebrum ascendentibus, & ipsum implentibus, deinde cerebro ad neruos transmittente, quorum ipsum, principium est. propterea conuulsionem ex repletione factam intelligere oportet, nam malum est, quia naturalis calor in somnis fortior erat, tamen materiam resoluere non potuit, sed caput petĳt, & ad neruos transmissa est, quāto minus id faciet cum erit minus fortis? Oribasius & ipse hic conuulsionem ex repletione factam intelligit. unde quia nerui à cerebro oriuntur, materia abundans in cerebro constrictionem facit, ac retractionem neruorum, & conuulsio fit. Sequiturq; Oribasius, Quid ergo aliud est conuulsio, nisi in uoluntarius motus, uoluntaria obtinens loca? Philotheus totius aphorismi causam ita reddit, δηλοῦται γὰρ μελαγχολικώτερος χυμὸς εἶναι ἄπεπτος ὁ ἐμφράττων τὰ νευρώδη μόρια, ὅς τις τὸν σπασμὸν ποιεῖ. ἀναβαινόμενος δὲ πρὸς τὴν κεφαλὴν, ὁ μολύνων τὸ ψυχικὸν πνεῦμα, τὸν φόβον ἀπεργάζεται, ὅτι δὲ ἄπεπτος ἐστὶν ὁ χυμὸς, δῆλον ἐκ τοῦ βλαβεροὺς ἐπιφέρεσθαι τοὺς ὕπνους. idest, Ostenditur enim humor magis melancholicus incoctus neruosas partes obstruens, qui spasmum facit. At ad caput progrediens, & spiritum animalem inquinans timorem facit. Quod autem incoctus sit humor, manifestum est ex eo quod noxĳ inferuntur somni.

GALENVS

DICTVM ab ipso & antea fuit, quod somnus lædens ægrotantem mortalis est, qui autem non lędit, non est mortalis, ubi & exēplum sermonis adĳciens, inquit: ubi delirium somnus sedat, bonum, uti somno existente aliquo ex quo delirium non sedatur, sed excitatur aliquando, ac generatur. Verum & hic alia dixit exempla noxæ ex somno aduenientis, timores, ac conuulsiones. Quidam uero non timores scribunt, sed labores; & quidem nos sæpe uidimus in morbis exitialibus, & timores, & labores, & conuulsiones factas ex somnis. Hoc autem uidetur contingere, quando in somnis ad cerebrū humor infestus peruenerit, tunc magis intra quàm extra natura mota, & quidem sicuti à cibo ad somnū conuersi implent caput, sic in plethoricis dispositionibus, somni ipsum replentes aggrauant cerebrum. Si igitur ea multitudo magis ad atræ bilis naturam uergit, timores fiunt, sed si talis non fuerit, labores ac conuulsiones. Et somni uidelicet semper nocerēt, quatenus ad profundum, & uiscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrēt utilitatis, quàm sit damnum, quod ex motu ad interiora cōsequitur. Non solum autem in cerebro ipso mali humores aceruati tales afferunt casus, sed & ex ipso ore uentriculi: quare & in somnis magis euaporant, cum incocti permaneant, sicuti coctionem, utiles somnos inducunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum cum duobus primis secundi libri aphorismis coniungit: tota illa pars clara atq; dilucida est. nam in hoc aphorismo alia noxarum exempla quæ in somno fiunt, edocet.

SECVNDO docet aliquos scribere non φόβυς, idest timores: sed πόνυς, idest labores: quod ipse legi posse confirmat: quoniā ipsemet in exitialibus morbis hæc tria simul uiderit, timores, labores, & conuulsiones ex somnis.

TERTIO hæc fieri dicit, quando in somnis humor aliquis malus ad cerebrū peruenerit: quia tunc natura magis intra quàm extra mouetur. Vnde sicuti qui statim post

cibum dormiunt, eorum capita implentur, ita in plethoria somni replent caput, & cerebrum aggrauant. Si autẽ hi humores cerebrum aggrauantes, ad atram bilem uergant, timores fiunt. Si uero ad atram bilem non uergant, labores & conuulsiones fiunt.

QVARTO dubium quoddam remouere uidetur, quod est, somnos semper nocere, quia materiæ ad profundum & ad uiscera in somnis fluunt. Respondet, omnino uerum esse, sed maiorem utilitatem, quàm dispendium comparamus: dispẽdium quidem faciunt intus moti, sed deinde utile est quod intus eant, quia tunc coquũtur, quod non facerent, si intus non essent profecti.

Deniq; docet hæc symptomata non solum ex humoribus in cerebro aceruatis prouenire, sed etiam ex humoribus in ore uentriculi existẽtibus prouenire posse, qui ad caput, & ad cerebrũ effumant. At id magis in somnis quàm in uigilia faciunt. Quare cum permanent incocti, magis euaporant. Cum uero coquuntur, illi somni sunt utiles, uel cum sunt cocti: quia ad illos somnos nulla symptomata sequuntur, qualia illa sunt quæ sequuntur, cum incocti permanent.

Quod in fine legitur, Sicut coctione, lege, Coctiones. ἅμ γε πέψιες.

APHORISMVS LXVIII

IN febribus spiritus offendens, malum. Conuulsionem enim significat.

BRASAVOLVS

SI QVIS febre correptus in spirando impedimentum nactus sit, quod tamen ante febrem non habebat, de hoc male iudicato: quia facile conuulsionem incidet. imò iam pro parte facta est ipsa conuulsio, & facta in pectore, atq; in his partibus neruosis, quæ mouent thoracem, ut dicit Philotheus, καὶ ἐνταῦθα περὶ σπασμοῦ διαλέγεται. idest & hic de conuulsione disputatur.

ἐν τοῖσι πυρετοῖσι. idest, In febribus.] Supple intensis & acutis, quamuis & in remissioribus febribus malum sit, sed tamen in ipsis adeo exitiale non est.

τὸ πνεῦμα. idest, Spiritus.] Per spiritum uero uniuersam spirationẽ intelligit, ut Galenus dicit primo Prognosticorum libro, capite decimo, sectione trigesimasexta, & in libro De difficultate spirandi. Spiratio autem ex inspiratione & expiratione componitur. Inspiratio, est attractio aeris intus: expiratio, est emissio aeris extra. spiratio uero & respiratio ad has duas actiones communia uocabula sunt.

προσκόπτον, κακόν. idest, Offendens, malum.] Verbum προσκόπτω, omnino offendo significat, & προσκόπτον offendens. tamen Theodorus interpretatur spiritus subsistens, quod ferè ita interpretandum esse à Galeno innuitur. nam inquit intelligendum esse de spiritu, qui uel inspiretur, uel expiretur, bis emittatur, uel intus cum difficultate trahatur. At nec illud displicet, si interpretemur offendẽs, quia aer ita attractus offendit. nam προσκόπτω proprie est allido, & offendo. ut προσκόπτειν πρὸς λίθω, idest offendere ad lapidem. & quoniam ea quæ hoc modo offendunt, idest quæ inueniunt aliquid, quod cursum uel impetum remoretur, subsistunt & se firmant, hinc factum, ut pro subsistere accipiatur. & Celsus capite quarto secundi libri hunc aphorismum eodem modo intelligere uidetur, ubi de malis ægrotantium signis loquens, inquit: mali etiam morbi testimonium est, uehementer & crebro spirare. Hoc autẽ est habere offendentem spiritum: tamen potius iudicanda est haberi apud Celsum huius aphorismi sententia capite septimo secundi libri, ubi de quorum faucibus in febre eliditur spiritus, instat his neruorum distentio. & sicut in primo Prognosticorum Hippocrates dicit, spirationis facilitatem esse optimum signum in omni morbo acuto, ita erit pessimũ difficultas spirandi in omni morbo acuto, præsertim cum febre: unde spiritus offendens uel subsistens, erit spiritus interruptus, de quo in commento agemus. Hic autem spiritus (ut Oribasius dicit) ob tres causas subsistit, aut ex nimia & acuta febre, aut ex abũdante materia, aut ex debilitate uirium. hæc autem omnia mala sunt: nam ex acutie febris, conuulsio ex inanitione efficitur, quæ pectoris partes adeo exiccauerit, ut moueri non possint, & suo officio fungi. Si ex abundanti materia contingat, signum est suffocationis, quia natura ob

materiæ copiam aggrauantem pectoris folles mouere non poteſt. Si ex uirium debilita te ſequatur, non adeſt tantus uigor, qui muſculos thoracem mouentes, eleuare poſsit.

Σπασμὸν γὰρ σημαίνει. idest, Conuulſionem enim ſignificat.] Hic ſcilicet offendetis ſpiritus. quæ cõuulſio dupliciter fieri poteſt, & ex inanitione, & ex repletione. ex repletione inquã, ſi multæ materiæ ad pectus tranſmittantur, quę ipſius muſculos impleant, adeo ut facile moueri nõ poſsint, ſed ita difficulter moueãtur, ut offendant, uel ſubſiſte re faciant. adeo ut una uice ſpiritus trahi non poſsit. Sed ut in plorantibus duæ & tres aeris tractiones contingunt, ita in his accidit. uel ſit conuulſio ex inanitione, quoniam ex intenſa febris caliditate, muſculi pectus mouentes exiccẽtur, adeo ut motus eorum impediatur. & hic forte eſt uerus aphoriſmi ſenſus. Nam hæc conuulſio ex ſiccitate leta lis eſt, & ab intenſa febre facile infertur. Poſſunt tamen eſſe & aliæ cauſæ, quæ ſpiritum offendant, & quæ pectoris muſculos, nè moueri poſsint, impediant. A cerebro etenim huiuſcemodi offenſio prouenire poteſt. eo enim læſo, omnes uoluntarij motus collæ duntur. At pectoris motus uoluntarij ſunt, quia à muſculis facti. Tamẽ nos aphoriſmũ intelligimus in ſiccitate ſolum, quæ à calore febrili in pectore fuerit inducta. Galenus de offendente ſpiritu ſermonem habet in quarto De ratione uictus in morbis acutis libro, ubi offendentem ſpiritum interruptum eſſe docet. Id autem eſt, ſectione uigeſima prima. Philotheus totius huius aphoriſmi hanc cauſam reddit, καθ' ἱπποκράτην σπασμὸς σημαίνει τὴν ξηρότητα ὅλου τοῦ σώματος, καὶ μάλιστα τῶν τοῦ θώρακος μυῶν. τούτων γὰρ παθόντων, ἡ ἀναπνοὴ ἐμποδίζεται. πῶς; διαστελλομένου γὰρ τοῦ θώρακος γίνεται ἡ εἰσπνοή, συστελλομένου δέ, ἡ ἐκπνοή. οὗτος οὖν ὁ σπασμός, καὶ τὴν ἀναπνοὴν προσκόπτειν ποιεῖ, ἧς καὶ διασπωμένης, κακόν ἐστιν. διότι ἡ ἀναπνοὴ σύνθετός ἐστιν, ἐκ τῆς εἰσπνοῆς καὶ ἐκπνοῆς γινομένη. ἐὰν οὖν ἡ εἰσπνοὴ διακόπτηται, οὐκ ἐμψύχεται τὸ ἔμφυτον θερμὸν ὑπὸ τοῦ ἔξωθεν ἀέρος, καὶ κινδυνεύει ἀπομαρανθῆναι. ἐὰν δὲ πάλιν ἡ ἐκπνοὴ διακόπτηται, συνάγονται τὰ λιγνυώδη περιττώματα μὴ δυνάμενα διὰ τῆς ἐκπνοῆς ἐξελθεῖν, καὶ πλημμυροῦντα, καὶ ἀποσβεννύουσι τὸ ἔμφυτον θερμόν. idest, Secundum Hippocratẽ, ſpaſmum, totius corporis ſiccitatem ſignificat, & maxime muſculorum thoracis, his enim patientibus reſpiratio impeditur. Quo modo? quum enim thorax dilatatur, fit inſpiratio: quum autem cõprimitur, expiratio. Hæc igitur conuulſio & reſpirationem allidere uel ſubſiſtere facit, qua & diuulſa, malum eſt: quoniam reſpiratio compoſita eſt ex inſpiratione & expiratione facta. Si igitur inſpiratio inciditur uel intercipitur, non refrigeratur calor naturalis ab extrinſeco aere, & periculum eſt, ne exareſcat uel ſicceſcat. Si autem rurſus expiratio incidatur, fuliginoſæ ſuperfluitates congregantur, per expirationem exire non potentes, & redundant & calorem naturalem extinguunt.

GALENVS

SPIRITVM nunc audiendum eſt ipſum dicere, ſicuti in Prognoſtico reſpirationem, qui ubi offendit hoc eſt medio ſui interruptus ſubſtiterit, conuulſionem ſignificat. Et enim fit mouentibus thoracem muſculis, ac neruis iam cõuulſioni paratis, qua diſpoſitione in ſuper aucta, & plures occupante partes, manifeſta conuulſio hominem apprehendet. Cum uero duplex ſit in reſpiratione motus, alter quo ſpiritus fertur ad interiora, qui inſpiratio dicitur, alter quo ad exteriora, & contrariam accepit appellationem, expiratio nominatus. Offendit autem ſpiritus aliquando quidem inſpirantibus, ſicuti cum ipſe dicit duplex intra reuocatio, ueluti adſpiratio: aliquando expirantibus, ſicuti cum dicit & ſpiritus offendit extra delatus. In his igitur utriuſq; partis reſpirationis ſeorſum meminit. In propoſito uero aphoriſmo de tota ipſa pronũcians, inquit. Spiritus offendens, ſiue in motu ad intra, ſiue ad extra, ſiue ad utraq; tale quid patiatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid ab Hippocrate per ſpiritum intelligatur, id inquam intelligitur, quod in primo Prognoſticorum, capite decimo & ſectione uigeſimaſeptima intelligit, ſcilicet reſpirationem uel ſpirationem, quæ ubi interrupta fuerit, conuulſionem ſignificat.

Quod legitur, Sicuti in prognoſtico reſpirationem: in meo antiquo cõtextu ita præciſe habetur, ὥσπερ, καὶ ἐν τῷ προγνωστικῷ, τὴν ἀναπνοήν. idest, ſicuti & in ipſo prognoſtico reſpirationem. Sed contextus Aldinus aliter habet, legit enim, καὶ ἐν τῷ προγνωστικῷ, τὸν ὑπὲρ τὴν ἀναπνοήν. idest, ſicuti & in prognoſtico, eum qui per reſpirationem.

Qđ etiã legit, Qui ubi offendit. Græce est, ὅπῃ ἐνιδίαν προσκόψῃ. i. qui ubi offenderit. Quod etiã legitur, Hoc est in medio sui interruptus substiterit. Græce habetur, τουτέστιν ἴσχηται μεταξὺ καὶ διακόπτηται. idest hoc est detinetur intra, ac substiterit uel præciditur.

SECVNDO conuulsionis causam assignat, quæ est ob musculos thoracem mouentes ac neruos, in primis ad conuulsionem dispositos: postea hac dispositione aucta, quia plures partes occupantur: propterea fit conuulsio manifesta.

Quod legitur, Iam conuulsioni paratis. Græce habetur ἤδη σπασμωδῶς διακειμένων, idest iam dispositis (ut ita dicam) spasmaliter, quoniam in febris principio disponi incipiunt, in processu plures partes occupantur, febre perseuerante quæ has partes exiccat.

TERTIO docet, in respiratione esse duplicem motum, unum quãdo spiritus intus reducitur, & inspiratio uocatur: alterum quando spiritus exit, & expiratio dicitur.

QVARTO docet, spiritũ offendere, aliquando inspirantibus, ut quum uidetur ferè duplex reuocatio intus, ac si sit quædam adspiratio: quia uis aerẽ attrahere intendit, sed musculorum & neruorũ siccitate impedita non potest: propterea quasi uires colligens, iterum aerem attrahit, ut ferè attractionem ingeminare uideatur. In emittẽdo etiam spiritum idem casus accidit: & Galenus hoc probat per quædam Hippocratis uerba in libro Prognosticorum, quæ nos apud Hippocratem inuenire nesciuimus. Insertꝙ in illo loco utriusque partis respirationis seorsum meminisse.

Quod legitur, Sicuti quando ipse dicit: Græce legitur, ὥσπερ ὅταν αὐτὸς εἴπῃ. idest, sicut quando ipse dicit. quamuis in aliquo contextu particula ὅταν, sit ante particulam ὥσπερ. & tunc sensus sit, quando, sicut ipse dicit. Duplex intro reuocatio, ueluti adspiratio. Hæc autem uerba ita Græce leguntur, διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις οἷον ἐπιπνέουσα.

Quod legitur, Seorsum meminit. lege, solũ meminit. nam Græce dicitur, ἐμνημόνευσε μόνον. noster antiquus contextus legit μόνου, ut applicari debeat ad respirationẽ: itaꝙ dicatur, solius respirationis. Deniꝙ infert, hunc aphorismum communiter intelligendum esse de spiritu offendente, uel intra, uel extra, uel intra simul & extra: uerusꝙ est aphorismus in omni offensione ex prædictis.

APHORISMVS LXIX

QVibus urinæ crassæ, grumosæ, paucæ, nõ sine febre, multitudo ueniens ex his tenuis iuuat: præcipue uerò tales ueniũt quib⁹ ab initio, uel breui sedimẽ inest.


BRASAVOLVS

NOSTER antiquus contextus hunc aphorismũ tali inscriptione præfixit, περὶ οὔρων, idest de urinis, & hoc non ab re, quoniã ab isto aphorismo usꝙ in libri finẽ de urinis sermo habetur. Ipsius uero aphorismi sententia hæc est: Qui crassas urinas meiunt, grumosas, paucas, cum febre: deinde tenues & copiosæ fiant, bonum iudicium est: & hæ urinæ morbum leuare solent: quia significatur uires robustas esse, & ad attenuãdas crassiores urinas, & ad expellendas materias. Sed urinæ tales in his hominibus potissimum apparent, in quorum urinis uel à principio, uel statim post principium sedimen apparet: quoniam in his crassas materias esse significatur, quæ paulatim à natura procedente tẽpore tenuiores efficientur. Philotheus Hippocratẽ summe laudat, ob id quia post febres, urinas disposuit, inquiens, θαυμασίως ὁ ἱπποκράτης τὴν σπανίως αὐτῷ ἑωραμένων, τὴν κατάστασιν ὑποσημαίνει. ὑποτίθεται οὖν πυρετὸν ἐν πλήθει καὶ πάχει χυμῶν ἀπέπτων γινόμενον. idest, mirifice Hippocrates ea quæ ipsi raro uisa sunt, cõditionem assignat. Supponitur igitur, febrem in multitudine & crassitie crudorum humorum factam. At pro huius aphorismi & sequentium quorundam intellectione, quædam præfari libet, & quosdam artis apparatus de urinis præmittere opus est, quę nos facilius ad illos aphorismos assequendos deducent. Scire igitur oportet, Hippocratem, Galenum, & antiquiores medicos de urinis nusquam exacte tractasse: sed hinc inde apud hos authores quædam sparsa sunt, & adeo breui disseminata, ut exquisitam artem nobis præstare nõ possint. Theophilus quidam inter antiquiores de urinis breuia quædam mutilaꝙ conscripsit. Circumfertur & nunc quidam

quidam Galeni libellus De urinis, nuper inuentus, qui ita Galeni est, ut eius qui nunquam fuit: nempe nec phrasim, nec Galeni scientiam, nec ipsius modum tractādi sapit. Propterea ex antiquioribus nihil ferè certi de urinis haberi potest. Ea uero quæ nunc in medium adducemus, pro sequētium aphorismorum intellectione, partim ab Actuario summo uiro, qui inter posteriores Græcos egregia de urinis perscripsit, partim ab Hippocrate & Galeno ea quæ sparsim dixere, colligemus. Vrinam definiunt, sanguinis colaturam esse, quæ hoc modo fit. In uentriculo, coctio una procuratur: trahunt deinde chylum meseraicæ ad iecur, & secunda coctio perficitur, in qua humores quatuor generantur, & quinta quædam aquositas, cuius officium est, sanguinem qui ex se prædurus est, ad omnes corporis uenas ducere. Exacto hoc officio, ad iecur reuertit, & ad renes atque uesicam trāsmittitur: & ita potissimum supra sanguinis dispositiones & iecoris & renum & uesicæ significat. Quum igitur in matulam urinam mingimus, tres matulæ partes considerādæ sunt: & id corpus urinæ, quod in matula continetur, in tres partes diuidere oportet: nam contenta quæ in urinis sunt, possunt hæc diuersa loca occupare. Sit igitur hoc ueluti exemplum, urinam quæ in matula sit conspicias, atque contempleris, quæ spatio undecim digitorum alta sit. In hac altitudine tres partes facito, ut primæ parti, quæ est à fundo ascendentes, tres digitos condonemus: deinde quartus digitus omittatur, tanquam terminus communis huius partis & sequentis: postea mediæ regioni tres digitos elargiamur, quos si cum alijs computes, erunt septem: deinde octauum digitum relinquamus tanquam communē terminum mediæ regionis, & ultimæ: denique supremæ parti tres digiti relinquuntur, qui sunt usque ad urinæ summum: eo supposito, quod urinæ altitudo undecim digitorum fuerit. Tu uero per digitos mēsuras aliquas tuo modo intellige, & ut corpori urinæ conuenire possunt. Vt autem hanc partium urinæ diuisionem aptius intelligatis, scitote in urina duo esse: unum est ipsa urina, idest aquositas illa: aliud res aliqua in ipsa urina, quæ uel humor est, uel decisio ab humore, uel pus, uel sanguis: hocque contentum ab antiquioribus & recentibus nuncupatur. Eodem enim modo & Græci hæc uocant περιεχόμενα, idest cōtenta. nam in qualibet corporis urinæ parte continētur. Ob hæc contenta, tota urinæ altitudo in tres partes diuisa est. Si hęc contenta in fundo sint, uel non plus ascendant, quàm sit quatuor digitorū spatium, ab antiquis ὑποστάσεις uocantur, ac si dixerint subsistentia, à uerbo ὑφίστασθαι, idest subijci. At totum hoc spatiū inferius, quod digitos quatuor altitudinis complectitur, in tres partes diuiditur. nam quandoque contentū totum in fundo penitus subiacet: quandoque est penitus totum eleuatū, adeo ut nec tangat fundum, nec in regionem mediam pertranseat, sed in illius confinio & contermino sit: quādoque partim tangit fundum, & partim eleuatur, & hanc optimam hypostasim esse dicunt: quando uero in fundo penitus est, à recentibus sedimentū appellatur. Quæ in media urinę parte supra quartum & quintum digitum sunt, tamen non ascendant usque in tertiā urinæ partem, à Græcis ἐναιωρήματα, idest sublationes uel sublimia uocantur. Et hæc quoque tres regiones habent: illam, quæ præcise in medio est: & illam, quæ statim supra mediū: & illam, quæ statim sub medio. At si hæc contenta in suprema parte sint, scilicet supra nonum digitum, à Græcis νεφέλαι, à Latinis nubes dicuntur, ac si à terra summe atque extreme secedant, matulæ fundum, terræ proportione correspondere putantes. Nubes uero tres locos habere possunt: nam uel est in suprema urinæ superficie tota extensa: uel incipit à superficie urinæ, & parum descendit: uel est sub superficie, & superficiem non tangit. Itaque in tota urinæ altitudine tria generalia loca inuenientur, & unusquisque locus in tres partes dissecatur. Propterea uniuscuiusque urinæ re uera nouem solæ partes erunt: nos tamen undecim posuimus: ut per duas inter generalem partem, & aliam partem etiam generalem distinctionem poneremus. Hæc autem urinarum loca, ad uarias dispositiones cognoscendas, & partium corporis, & humorum, plurimum faciunt. In urina enim hęc contenta secundum eorum diuersitatem plura nobis indicant, ut in Hippocrate uidere licebit. In superficie quoque urinæ plura consideranda occurrunt, de quibus suo loco dicemus: ut illa quæ innatant, ut bullæ, corona, imò & urinę quātitas & qualitas, idest color, odor, sapor, in urinæ consideratione ueniunt, & substantia sua, de quibus omnibus paulatim agemus, ut sese offerent in sequentibus aphorismis discutienda, eorū rationes

& causas semper adducentes. Nunc autem, ut illa quæ nunc dicta sunt facilius memoriæ commendentur, formulam quandam (Actuarium sequentes) effingere non uerebimur. Est autem hæc, quæ hic descripta conspicitur.

Scaphium, siue matula.



Tu ergo tuo arbitratu omnem urinæ quantitatem in tres partes diuidere poteris, & illas in tres alias, hoc modo. Nuncq; ad aphorismum reuertamur.

ὁκόσοισιν οὖρα παχέα. idest, Quibus urinæ crassæ.] Vrinas crassas intellige quãtum sit de urinæ substantia, idest ipsius aquositatis, ut scilicet urina ipsa sit crassa. Crassa autem urina dupliciter considerari potest, aut per respectum ad urinam simpliciter, aut per respectum ad hunc hominem, qui urinam minxit: quia prius tenues mingere solebat, ut crassæ sint per respectum ad illas quas prius mingebat, & hoc modo crassas urinas considerare oportet, quamuis & simpliciter crassæ intelligi possint. Crassarum uero urinarum (ut Actuarius libro primo De urinarũ differentijs docet, capite nono) aliquæ sunt turbidæ, aliquæ non turbidæ. In hoc aphorismo Hippocrates seipsum non exprimit, an de turbidis, an de non turbidis loquatur. Propterea tu de crassis, non turbidis intelliges quamuis & de turbidis uerum esse possit.

θρομβώδεα, idest trombosæ uel grumosæ.] θρόμβος enim apud Græcos, & grumum & fragmentum significat. Hoc autem ad urinam non spectat, sed ad contentum in urina: hocq; grumosum contẽtum, hypostasis est, & non in alio loco ob suam grauitatem, & ideo plerunq; in fundo sunt, ut à recentioribus sedimenta uocentur. Actuarius uero opinatur capite secundo libri primi De urinarum causis, contenta in urinis in tertia cõctione fieri: ideo grumosæ hæ materiæ, quæ in urinis apparẽt à tertia coctione deciduntur. Addeq;, ostendere humores crassos in hoc corpore esse: unde & libro secundo De iudicijs urinarum, capite tertio, idem Actuarius docet, crassa apparentia contenta (qualia sunt illa quæ hic ab Hippocrate grumosa dicũtur) si non male olent, & perlenia fuerint: non etiam sanies erunt, sed erunt humorum crudorum quorũdam in uenis manentium amputatio, ita ut ratione habita quantitatis & crassitudinis humorem uigẽtem testetur. Sunt autem grumosæ urinæ illæ, uel quæ habent multũ crassam hypostasim, uel quæ ipsam habent in globos confictam & conformatam. Nec Hippocrates de urinis crassis simpliciter dixit, sed de crassis & grumosis, quia in libro De morborum decretorio oppositum dicere uidetur, ꝙ hic dicat: At de urinis crassis solum uerba facit, non autem de grumosis: dicit uero, si de crassis tenuia fiant, male decernũt, tutaq; & certa non sunt, ut hinc uideas, in Hipp. contradictionẽ uideri: nisi dixerimus, qđ in libro De morborum decretorio, de crassis sermonem habuit, quæ tenues fiant, sed in pauca quantitate: hic

te:hic uero de crassis quæ tenues fiunt, & in magna quantitate: propterea nulla contradictio in Hippocrate erit, quoniam diuersis modis in his libris intelligit.

ὀλίγα, idest paucæ.] Sunt aũt paucæ ob crassitiem magnam humorũ copiam conglobantem & continentẽ: & etiã quia apte exire nõ possunt per uias, nisi prius attenuẽtur.

οὐκ ἀπυρέτοισιν ἰοῦσι. idest, Non sine febre.] Aldinus contextus non habet hanc particulam ἰοῦσι. Febris autem hæc quæ cum his urinis molestat, ex ea materia accenditur, quæ per urinam exit: propterea opus est, esse febres non multum intensas, quoniam à crassa materia ortum habent. Philotheus hic notat, si quis habuerit paucam urinam, & quæ hypostasim crassam habeat & irregularem & crudam, malum esse: ἀσθένειαν γὰρ τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως ἐνδείκνυται, μὴ ἰσχυούσης λεπτῦναι, καὶ πέψαι, καὶ ἀλλοιῶσαι τὴν ὕλην, διὸ καὶ διὰ τὸ πάχος μόλις διερχόμενα, ὀλίγα ἐκφέρεται. idest, debilitatem enim alteratiuæ potentiæ ostendit, attenuare nõ potentis, & coquere, & alterare materiẽ: unde & ob crassitiem uix exeuntia pauca deferũtur. Deinde idem Philotheus ad aphorismi propositum ita sequitur, ἐὰν δὲ μετὰ ὀλίγον χρόνον ἔλθοι πολὺ καὶ λεπτὸν οὖρον ἐκ τούτων, ὑπόστασιν ἔχον λείαν καὶ ὁμαλήν, ὠφελεῖ, ὥς φησιν Ἱπποκράτης. δηλοῦται γὰρ ἡ ἀλλοιωτικὴ δύναμις ἐρρῶσθαι λεπτὸν ποιήσασα. idest, si autem post paucum tempus urina multa & tenuis ex his uenerit, hypostasim habens lenem & æqualem, confert, ut dicit Hippocrates. ostenditur enim, quod alteratiua potẽtia tenuem faciens, robusta effecta sit. propterea ita Hippocrates sequitur,

πλῆθος ἐλθὸν ἐκ τούτων λεπτὸν ὠφελεῖ. idest, Multitudo ueniens ex his tenuis iuuat.] id est, multitudo urinæ tenuis, quæ post prædictas crassas fluxerit, iuuat. nam ostenditur, uires materiã superare, & iam ipsam adeo attenuasse, ut in maiori copia exeat. Non est autem opus, quod simpliciter subtilissimę sint: sed intellige subtiles, respectu crassarum, quia illa crassa urina attenuata est, & grumi sunt ferè liquefacti. Vnde & à Philotheo dicitur, λεπτὸν δὲ οὐ κυρίως λεπτόν· τοῦτο γὰρ ἄπεπτον, ἀλλὰ πρὸς σύγκρισιν τῶν θρομβωδῶν, ὡς εἶναι αὐτὸ σύμμετρον. idest, tenue autem nõ proprie tenue, hoc enim incoctum est, sed ad comparationem grumosarum, ut esse ipsam mediocrem. Imò si Galenum contemplemur, nihil aliud est concoquere, quàm quod crassum est, attenuare: nempe in hoc casu natura urinam crassam & grumosam habẽtem hypostasim, attenuauit, idest ad mediocritatem deduxit, aperuit uias & expulit: tuncq́ natura leuior effecta est. Propterea noli intelligere ualde tenuem, aliter malum esset, ut Hippocrates in libro De morborum decretorio docebat, quod transmutatio ex crassa in tenuem est mala: idq́ non solum intelligebat, quando quãtitas est pauca, sed etiam de multa tenuitate. Scito tamen, multas urinas aliter fieri posse, quàm ex attenuatione crassæ substantiæ urinæ & grumorum: nam quandoq́ ob colliquationẽ naturalium humiditatum, & solidorum membrorum fiunt: quandoq́ ob contentiuæ debilitatem: quandoq́ ob fortitudinem uirtutis attractiuæ, quæ in renibus continetur, & à iecore humiditates trahit. Sed hæ multæ urinæ quando ob has causas prodeunt, semper malæ sunt: de quibus omnibus Actuarius in suis libris causas reddere conatur. Quum igitur febricitantem uisitabis, urinas istas crassas, grumosas, & paucas emittentem, attenuantibus utaris, ut materias illas crassiores attenues: & id arte efficias, quod natura longiori tempore (nisi ab arte adiuta esset) effecisset. Vnde & Oribasius dicit, uel arte uel natura fiat, proficere.

μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται, οἷσιν ἐξ ἀρχῆς, ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει. idest, Maxime autem tales ueniunt, quibus ab initio, uel paulopost (uel breui) hypostasis inest.] idest, illi potissimum has tenues urinas post crassas faciunt, quãdo in principio febris statim, uel parum post principium, urinæ hypostasim habent. quoniam in principijs morborum, in quibus multa concoctio est, urinæ crudæ apparere solent, & potius nebulas habentes, q̃ hypostases. Si uero in principio hypostases habeant, materiã crassiusculã esse indicaẽ. Hypostases etenim illæ sunt, quæ in fundo subiacẽt, uel in prima urinæ regione quæ ad fundum est, continẽtur. Theodorus & Leonicenus hoc uocabulũ hypostasis, sedimen interpretantur. uocabulũ hypostasis, uidetur significare subiectũ, Celsus desidentiam uel subsidentiã uocat. nam utitur uerbo desidere, pro eo quod est in urina hypostasim facere: id uero est capite septimo secundi libri. Cum igiẽ urinæ in principio hypostasim faciunt, materias crassas & multas in hoc uiro esse significaẽ, quæ tamen suapte natura facile attenuari possunt, & uias esse satis latas & præparatas: ideo attenuatiõe facta

exibunt

exibunt. Philotheus ita hanc partem intelligit, Maxime autem tales ueniunt, quibus ab initio, uel paulopost hypostasis inest, τοιοῦτον δὴν, μάλιστα δὲ τοῦτο συμβαίνει ἐπ' ἐκείνων τῶν πυρετῶν, ἐφ' ὧν ἂν ἢ τῇ πρώτῃ, ἢ τῇ δευτέρᾳ, ἢ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, εὐθὺς ὑπόστασιν ἔχει τὸ οὖρον, λόγῳ βάρους τῆς ὕλης, οὐ λόγῳ φύσεως. idest, Hoc est, maxime autem hoc accidit in illis febribus, in quibus uel prima die uel secunda uel tertia protinus urina hypostasim habet, ratione grauis materiæ, non ratione naturæ. Et Actuarius libro primo De urinarum iudicijs, capite undecimo, inquit, Illud autem scire oportet, interdum in ægritudinum determinationibus multitudinem profluere urinæ albioris & tenuioris, atque mediocrem continentis hypostasim, præsertim quum præcesserit urina crassior & globulentior.

GALENVS

NON simpliciter urinas crassas dixit, sed & grumosas adiecit, duorum alterum ostendens, uel crassitudinis quantitatem, uel consistentiæ inæqualitatem, ac diuulsionem, ita quòd plures ueluti grumi ipsarum consistentiæ circũscriptæ appareant. Nonnulli uero non grumosas scribunt, sed cœnosas, sicuti Mimisianus & Dionysius, siquidem per hoc uerbum fœtorem quendam simul ostẽdentes, plus aliquid, quàm alij demonstrantes. Si uero quasi crassitudinis quantitatem, nihilo plus hoc ipso docentes. Sermo uero Hippocratis totus nõ uidetur de urinis esse fœtorẽ habentibus, sed de paucis tantum ac crassis, ut ex opposito manifestat, inquiens, Multitudo ueniens, ex his tenuis iuuat. Quare si hoc solũ scriberetur, quibus urinæ crassæ, paucæ, nihil sermoni deesset. Fiunt autem & sine febribus urinæ tales, natura expurgante per renes totius corporis superfluitates. Fiunt autem & cum febre, in quibus quispiam forte existimaret ad contrariam transmutationem non esse bonam, quoniam magna ex parte in febribus, ex urinis ab initio tenuibus fit ad crassiores cõuersio, tendente iam morbo ad solutionem, atque ideo mihi uidetur ita scriptus ab ipso fuisse aphorismus, id quod raro accidit edocente. Contingit enim aliquãdo uel per initia morbi, uel non multo post urinas factas crassius habere sedimen. His igitur urinis sedimen, bonum signum non est, sicuti alijs, quæ ab initio tenues existentes ratione totius morbi coctionis sedimen capiunt. Non absque ratione autẽ crassæ urinæ sunt multitudine paucæ, ut quæ uix renes pertranseant. Cum itaque & simul maior pars talium humorũ malorum fuerit euacuata, simul autem & residuum concoquitur, tunc excernuntur multo prioribus tenuiores. Melius enim si ita dicatur, & non tenues absolute, quemadmodum dixit Hippocrates. Quæ enim secũdum naturam sunt, non simpliciter tenues existunt, sicuti neque crassæ, sed medium tenent inter utrunque excessum, & cum mediocritatẽ habeant, crassiores quidem sunt atque dicuntur aquosis, tenuiores uero grumosis: multæ uero cum ratione excernuntur, quia prius fuere retentæ, quo tempore crassæ existentes difficulter exibant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat cur Hippocrates simpliciter nõ dixerit, urinas crassas, sed adiecerit θρομβώδεα, idest grumosas. Hoc inquit adiectum est ob alterum duorum, uel ut crassitudinis quantitatem significaret, uel hypostasis inęqualitatem, ac diuulsionem, ut hypostasis multis grumis sit referta.

Quod legitur, Vel consistentiæ inæqualitatẽ. Græce habetur, ἢ τὸ τῆς ὑποστάσεως ἀνώμαλόν τι. idest uel hypostasis inæqualitatem. Leonicenus interpretatur ὑπόστασιν consistentiam: nos potius interpretaremur, subiecta: ut & ipse fecerat in interpretatiõe aphorismi sedimina: uel Græco uocabulo uterer, hypostasis: quoniam apud medicos notissimum est: quamuis recentes in eo exprimendo plurimum hallucinentur.

Quod legitur, Ita quod plures ueluti grumi ipsarum consistentiæ circũscriptæ appareant: Græce habetur, ὡς καὶ κατὰ περιγραφήν τινα φαίνεσθαι πολλὰς αὐτῶν συστάσεις ὥσπερ θρόμβους. idest, ita ut & per circumscriptionem quandam plures ipsarum appareant consistentiæ, ueluti trombi. In nostro antiquo contextu uacat illa particula καὶ.

SECVNDO lectionem quorundam refert, qui non legebant, grumosas, sed cœnosas, ut una per hoc uocabulum θρομβώδεα fœtorem ostenderent, ut aliquid plus hi dicant, quàm alij. Scito autem quod hoc uocabulum βόρβορος, cœnum quidem significat, sed etiam fœtorem: propterea nos fœtorem interpretaremur. Nonnulli uero non grumosas scribunt, sed fœtidas.

Quod

Quod deinde sequitur, Siquidem per hoc uerbum fœtorem quendam simul ostendentes. Græce est, εἰ μὲν καὶ δυσωδίαν τινὰ συνεμφαίνοντες διὰ τῆς λέξεως, idest, siquidem & putredinem quandam per hanc dictionem coostendentes.

Quod legitur, Mimisianus: est proprium authoris nomen, qui Hippocratem interpretatus est: sed legi debet, Numisianus, Νουμισιανός.

TERTIO Galenus probat, Hippocratis sermonem non esse de urinis fœtorem habentibus, sed de paucis & crassis: quod ex ipsius Hippocratis dictis comprobat: nam sequitur, Multitudo ueniens ex his tenuis, iuuat: & de bono odore mētionem non facit: sicuti de fœtore secundum istos sermonem habuisset. Vnde addit Galenus, quod Hippocrati satis fuisset dicere, Quibus urinæ crassæ, paucæ: & non addere, grumosæ.

QVARTO Galenus docet, has urinas quandoque fieri cum febre, quandoque sine febre: sine febre quidem, natura totius corporis superfluitates per renes expurgante: cum febre, alicui fortè uidebitur non esse bonam transmutationem ad contrarium, quia in febribus ex urinis tenuibus in principio ut plurimum ad crassiores conuersio fit, quando morbus ad solutionem tendit. propterea Galenus iudicat Hippocratis aphorismum talem esse, Quandoque accidit in principio morbi crassas urinas hypostasin habere, in quibus hypostasis non est bonum signum: sicuti in alijs bonū signum est, quæ sunt in principio tenues, & in temporis processu dum fit coctio, hypostasin capiunt. Scito autem hic ex Galeno colligi posse, coctionem non solum esse attenuare quod crassum est, sed etiam incrassare quod tenue, & ad mediocritatē reducere. nam aliàs dictum est à nobis, non reperiri quod tenues materiæ incrassentur: sed bene quod crassæ attenuantur. Hic uero dicit, urinas tenues processu temporis crassas fieri quum coquuntur. Igitur coctio in crassiorem materiam reddendo etiam fit. Sed si tibi libeat secundum Galenū id dicere, quod coctio sit potius attenuare (ut ipse ubique ferè dicit) quàm incrassare. Respondeas, Hippocratem hic nō dicere coctionē esse incrassare: sed de urina uerba facit, quæ coctionis signum est. Signū uero est hoc modo, quum materia coquitur, quæ in nostro corpore continetur, semper est crassa quæ attenuatur: in principio tenues urinæ apparebant, quia ob suam crassitiem à materia peccante nihil decidebatur, cum materia attenuari incipit, superflua quædam in urinam demitti incipiunt, & ita coctione exquisite facta urina ad mediocritatem redacta est, quæ prius erat tenuis. Vnde hic uidere potes, quod nec à Galeno hic dicitur, coctionē esse incrassare, quod tenue est: sed quod ostenditur coctio per urinam, in materia peccante, quando ipsa crassa fuerit, & attenuatur.

Quod legitur, Atque ideo mihi uidetur ita scriptus ab ipso fuisse aphorismus. ibi deest particula Præcipue, quæ hoc modo addenda est. Atque ideo mihi uidetur ita scriptus ab ipso præcipue fuisse aphorismus. Græce enim habetur, καὶ διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ μάλιστα καὶ ὁ ἀφορισμὸς αὐτῷ γεγράφθαι.

Quod etiā legitur, Quod raro accidit edocēte. Græce habetur, διδάσκοντι τὸ σπάνιον τοῦ πράγματος. idest edocente rarum huius negotij. i. rem quæ raro accidit, ostendente.

Quod etiam legitur, Vrinas factas crassius habere sedimen. Græce habetur, οὖρα γινόμενα παχέα διὰ τὸ βάρος ὑπόστασιν ἴσχειν. idest, Vrinas factas crassas propter grauitatem hypostasim habere, uel sedimen, uel subiectum. Nos autē pro hoc nomine hypostasis, semper hoc nomine sedimen utamur. Ex hoc loco uidere potes, in Leoniceni contextu illam particulā Crassas, non recte applicari, quia ipse ad sedimen applicat, quum ad urinas applicari oporteat: & etiam in eodem Leoniceni contextu deest hæc particula, διὰ τὸ βάρος. idest, propter grauitatem, quæ tamen necessaria est.

Quod iterum legitur, Ratione totius morbi coctionis. Græce habetur, τῷ λόγῳ τῆς πέψεως ὅλου τοῦ νοσήματος. idest, Ratione coctionis totius morbi: illa particula ὅλου, idest totius, & in contextu Aldino, & in meo antiquo posita est. Sed in meo antiquo obelo confossa est. quod mihi magis placet, aptiusque est, præponere illam particulā coctionis, sicuti in Græco contextu præposita est illi particulæ Morbi: ne quis illam iungat huic particulæ Sedimen, ut facile fieri posset, si ita legamus ut Leonicenus coniunxit, aut chalcographus impressit.

QVINTO Galenus docet, rationabiliter urinas crassas esse paucas, quia ob crassitudinem uix renes pertranseunt; unde quum magna pars illorum humorum, qui per crassam

crassam urinam exeunt, fuerit euacuatã, & reliquum coctum sit, excernuntur tenuiores multo prioribus.

Quod legitur, Concoquitur: potius legi debet in præterito, Concoctum fuerit. Græce enim est, πεφθῇ. Quod & si in præsenti interpretari possit, tamen Galeni sensus ostendit, in præterito intelligi oportere: nam tenuiores urinæ non exeunt quando cõcoquuntur, sed quando sunt concoctæ. Deniq; Galenus docet, melius esse ita dicere, tenuiores prioribus, quàm simpliciter dicere tenues: ut Hippocrates fecit. quia urinę quæ nũc exeunt, in præcitato casu absolute tenues non sunt, sed tenues ratione crassarũ: nam urinæ sunt secundum naturam. Vrinæ uero secundũ naturam absolute tenues esse non debent, neq; absolute crassæ, sed mediam quandam naturã inter utrunq; excessum habere debent: unde ad extrema comparatæ, & tenues & crassæ dicũtur: nam si eas ad aquosas compares, crassæ sunt: si ad crassas, tenues. Additq; rationem cur dictum sit ab Hippocrate, multæ: quia (inquit) quando crassæ erant, bene exire non poterant, unde retentæ fuere: nunc uero attenuatæ in digna effatu copia exeunt.

Quod legitur, Sed medium tenent inter utrunq; excessum, & quum mediocritatem habeant. Græce legitur. μέσα δὲ ἑκατέρας τῆς ὑπερβολῆς ὄντα καὶ σύμμετρα. i. sed cum medium inter utrunq; excessum & mediocritatem habeant. differẽtia est, quia ponitur illa præpositio Quum, ante particulã Medium, & demitur ab illa particula Mediocritatẽ.

Quod in extrema parte legitur, Difficulter exibant. Græce habetur, μόγις διεξῄει. id est, uix exibant.

APHORISMVS LXX

QVibus urinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, his dolor capitis uel adest, uel aderit.

BRASAVOLVS

QVI turbulentas urinas mingunt, & tali turbulentia affectas, qualis est iumentorũ turbulentia, hos iudica uel capitis dolorem pati, uel in ipsis capitis futurum esse dolorem. nam ostẽditur crassos uapores & multos caput petiisse, uel petere debere, ipsumq; uel impleuisse, uel implere debere. ad quam plenitudinẽ capitis dolor consequitur. Philotheus hic dicit, ὁ παρὼν ἀφορισμὸς σημειωτικός ἐστιν, ἀπὸ γὰρ οὔρων διαγινώσκει κεφαλῆς διάθεσιν. i. præsens aphorismus significatiuus est, nam ab urinis capitis affectum cognoscit.

οἷσιν οὖρα ἀναπεπταραγμένα. idest, Quibus urinæ perturbatæ.] Ita in suis codicibus Theodorus, & Leonicenus habebãt. nam Theodorus interpretatur, Quibus urina turbulenta, & noster antiquus contextus eodẽ modo incipit. Sed Aldinus codex ante hęc uerba, alia habet, hæc scilicet, ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀναπεπταραγμένα. idest, Quibuscunq; autem in febribus urinæ perturbatæ. Vides in hoc cõtextu adesse particulam In febribus, quã alij non habent: eodemq; modo in antiqua translatione legebatur. Nos hanc particulam In febribus, uel addendam uel subintelligẽdam putamus: quia multis ob laborem ex ambulatione, uel ex ueloci equitatu similes urinæ contingunt, & mihi quandoq; accidere: tamẽ nec alijs, nec mihi aut doluit, aut dolebat, aut doluerat caput: propterea opus est intelligere urinas in febre factas, & etiam perseuerantes: quoniam si semel, aut bis solum apparuerint, doloris capitis signa esse non possunt. Idq; addendum est, quod renes non expurgentur: tamen sua indicia adsunt, quando urinæ perturbatæ sunt, quia renes expurgantur. Nos in pestilenti morbo has urinas uidimus ferè semper: & Hippocrates prope finem septimi Epidemiorum libri in casu coniugis Eualcidæ in Thaso dicit: nam lotia spissa turbulentaq; ualde, clarum & certũ signum sunt capitis dolentiæ, conuulsionis, mortisq;: in quo loco casus plures describit eorum qui has urinas mingebant, & capite dolebant, atq; pro maiori parte moriebantur: omnes aũt hi de quibus mẽtionem facit Hippocrates, febre correpti erant: propterea & hunc aphorismũ in febre intelligendũ esse arbitramur. Tamen Galenus de febre nullam mentionẽ facit in tertio libro supra primũ epidemiorũ, ubi dicit, spasmi & saltus atq; urina similis his quę sunt iumentorũ, indicia sunt humoris crudi & crassi. Ast nos in febribus has turbulẽtas

uel

uel perturbatas urinas intelligimus. Scito autem in urinis duplicem turbulentiam esse posse. una est quando urinæ putrescunt, eo quod in matula magnam moram traxerint, de qua hic sermo non est. Alia turbulentia est in ipsis urinis, cum statim minguntur, hęc autem ob crassorum humorum, densorum, uel opacorum copiam à calore agitatorũ fit, nam propter hanc caloris agitationẽ multi fumi & crassi uapores per urinæ substantiam disperguntur, qui humores dispersos per totam urinæ substantiã seruant, ut in unum locum non descendant, uel colligantur. propterea non ab re Galenus in commẽto dicit, quod fiunt propter caloris agitationem. Caloris autem agitatio etiam postquàm mictę sunt, permanet: quia etiam à nostro corpore decisa urina quędam calorem per aliquod temporis spatium seruat. Cum autem hęc caloris agitatio circa hos crassos humores fit, crassi fumi & uapores multum densi eleuantur, qui caput petentes, & simul cum calore ascendentes, capitis dolorem inducunt.

οἷον ὑποζυγίων. idest, Quales sunt iumentorum.] Dat hic exemplum Hippocrates, ut quisq; etiam mediocriter eruditus, quales sint urinæ perturbatæ, de quibus sermonẽ habet, intelligere possit. Sunt uero similes iumentorũ urinis, hoc est equorum, boum, et aliorum animalium, quæ iuga ferunt. Si quis horum animalium urinas obseruet, facile cognoscere poterit, quid Hippocrates per urinas perturbatas intellexerit: turbulentiam habent, & præterea in eodem statu permanent, & non clarescunt. fiunt autem in iumentis urinæ tales (ut Oribasius dicit) quia crassa materia abundat, hæc autẽ à calore agitata urinam turbulentam efficit. crassos uero humores iumenta habent ob uictus genera quibus uescuntur. Nempe paleam, stipulas, fœnũ, quę non nisi crassos humores gignere apta sunt. Philotheus uero has perturbatas urinas ex tribus componi docet, ἐξ ὠμῆς ὕλης, καὶ φυσώδους πνεύματος, καὶ ὑδρώδους ὑγρότητος, idest, ex materiæ cruditate, & flatuoso spiritu, & urinæ humiditate. Si uero petas, unde spiritus fiant. Philotheus respondet, γίνονται δὲ πνεύματα ἐξ ὕλης παχείας ὑποβληχροῦ πυρετοῦ θερμαινομένης, idest, fiunt autem spiritus ex materiæ crassitie, tenui febre accensa.

Τούτοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται. idest, his dolor capitis uel adest, uel aderit.] nam si fumi qui eleuantur ex ebullitione illius crassæ materię, in caput nondũ peruenerint, nondum dolet, sed dolebit postq; tunc peruenerint. dictũ aũt aliàs à nobis est, quid proprie sint κεφαλαλγίαι apud Græcos authores: nunc ad huius aphorismi propositum eandem fabulã ferè canemus quando capitis dolor, aut febrẽ, aut alium morbũ sequitur. Solent Græci ὀδύνας κεφαλῆς, & πόνους κεφαλῆς, idest, capitis dolores appellare, tamen quandoq; hoc uocabulo κεφαλαλγία utuntur, sed proprie cephalalgia est, quando ob prauã temperaturam, uel ob nimiam materiæ copiã in corpore contentam, & ad caput effumantẽ, uel ab aliqua procatarctica causa, ut ictu, ingẽti solis calore, uino multo epoto, aut re aliqua simili, capitis dolor infertur. Hunc igitur affectũ Gręci κεφαλαλγίαν uocant. nos in omnibus unum nomen solum habemus, & hoc ex duobus compositum, scilicet dolor capitis. est uero capitis dolor, quandoq; κεφαλαία, quando totum obtinet caput, & nos aliud uocabulum non habemus, q̃ cephalæa. quandoq; est ἑτεροκρανία uel ἡμικρανία, quando unam solam capitis partem obtinet, nos etiam Græco uocabulo utimur, dicentes hemicranea, quam Serenus uno carmine eleganter descripsit, inquiens, Hemicranem esse,

Portio si capitis morbo tentetur acuto.

κεφαλαία uero, & ἡμικρανία ut plurimum diuturni morbi sunt. At κεφαλαλγία breuis esse potest. Ad rem igitur, si uapores à materia illa crassa agitata ascendentes, unã solam capitis partem peterent, semicrania induceretur: at si hi uapores totum caput occuparent, κεφαλαία esset. tamen nos experientia uidemus, in his qui urinas habent, quales iumentorum perturbatas, totius capitis dolores superuenire, & stupores quosdã, ut in pestilenti morbo id genus affectionis incidant, quã uulgus *Male de mazucho* appellat, qui medius est inter phrenesim & lethargiã, in quo & dormiũt & uigilant. Si lethargiæ materia superet, Græci cathochos, quasi detẽtos appellãt. At si phrenesis materia superet, à Gręcis dicitur ἄγρυπνον κῶμα, nos uertere possumus coma uigilans. Si autẽ æqua sit portio in afficiendo patientis cerebrum, & materiæ phrenitidis & lethargiæ, Græci nullum nomen habẽt, minus habent Latini, uulgus *Male de mazucho* appellat, & cathocho etiã, atq;

comēq uigili cōmune nomen est, modo nō sit uera phrenesis, neq; uera lethargia, sed de utraq; ægritudine participet. Experientia igitur edocebit non solū fieri ueros dolores, qui sunt tristes sensationes in capite, sed etiam fieri perturbationes, & desipiētias quando hæ urinæ turbulētæ apparent, quales sunt iumentorū, ut quotidiana experientia docet. propterea cū ab Hippo. dicitur τούτοισι κεφαλαλγίαι, quod Theodorus & Leonicenus interpretantur, his capitis dolores: nos potius interpretandum ducimus, his capitis dolores, uel perturbationes fiunt: uel uno uocabulo dicamus, his capitis læsiones fiūt, uel postea id uocabulū, dolor, ad omnē laborem significandū ampliemus. Hic dubitat Oribasius, quid ad urinā capitis dolor? Respōdet, urinam esse colamentum sanguinis, quod ex hepate uenit. ideo significat totius corporis dispositionem. nam residens cruditas materiei in stomacho, suo humore cerebrū tangit (nos intelligimus suo uapore pro suo humore) & extendit arterias, doloremq; capitis facit. propterea medicus uidens tales urinas prędicat, quod si non adest capitis dolor, mox aderit. Galenus uero in primo De Crisi libro capite decimo hāc distinctionē innuit, quod urinarū aliquæ sunt tenues, aliquæ turbidæ: tenues cruditatem significant: turbidæ uero differunt, quia aliquæ minguntur turbidæ, & turbidæ remanent: aliquæ minguntur turbidæ, & efficiuntur claræ: aliquæ minguntur claræ, & efficiuntur turbidæ. Primæ, quæ sunt turbidæ, & remanēt turbidæ, ob actionem caloris intrinseci agentis fiunt, qui materias febrē facientes adeo agitat, ut multi crassi fumi, & ferè opaci exeant, & multæ materiæ. propterea in illa turbulentia in qua erat, permanet. hoc contingit in pestilentibus febribus in augmento & statu, & hæc urina à Galeno media iudicatur, quia non est pessima, nec minus mala. Illa autem quæ mingitur turbida, & clara efficitur, morbum iri coctum significat: quia cum coctio facta est, multæ materiæ simul exeunt, unde emittitur turbida, sed postea illæ materiæ in fundum secedunt, & ita efficitur clara: & hæc est bona urina, quæ coctionem significat. ideo fiunt tales urinæ utplurimum in declinationibus morborum. Si uero mingatur clara, & turbida efficiatur, signum est nondum factum esse coctionis principium. ideo hæc urina deterrima est, etenim multum tempus requirit, & facultatem ualidiorem ad coctionem, ideo emittitur clara, quia actio caloris nondum fecit ebullitionem. efficitur autem turbida, quia adsunt & uapores, & materię mixtæ per urinam, quæ cum urina frigescit, congelantur, & repręsentant in ipsa turbulentiā. Hæc igitur colligamus apud Galenum pręcitato loco. Vrinę quę turbidę mingūtur, & efficiuntur clarę, optimę sunt, quia coctionem iam factam significant. Quæ autem minguntur turbidæ, & remanent turbidæ, sunt mediocres, quia coctionē fieri actu significant: quæ uero minguntur claræ, & efficiūtur turbidæ, pessimæ sunt, quoniā nondum cœpisse coctionem significant. propterea Galenus in eodem loco dicit, primas significare factam esse perturbationem: secundas, fieri: tertias, nondum cœpisse. Si uero petas de quibus turbidis in hoc aphorismo sermonem habuerit Hippocrates. Respondemus, de his quę minguntur turbidæ, & remanent turbidæ: aut de his quæ minguntur claræ, & fiunt turbidæ. nam illæ quæ minguntur turbidę, & fiunt clarę, per uiam crisis minguntur, quod bonum est. propterea doloris capitis uel futuri, uel pręsentis signa esse non possunt. forte præteritum dolorem præ se ferre possent. propter quid autem urinę in aphorismo citatæ dolorem capitis significent, & ipse Philotheus causam reddit inquiens, τῶν πνευμάτων ἐν τῇ κεφαλῇ χωρησάντων, ἀλλὰ καὶ δηλώσει μελέτην γινομένην τοῦ πάθους, διὰ τὴν θερμότητα καὶ τὸ πνεῦμα. idest, Spiritibus in caput progressis, sed & ostendet exercitationem factam passionis ob caliditatem, & spiritum.

GALENVS

HVNC nonnulli aphorismum cum superiori coniūgunt, tanq; eius partem, ita scribentes. Quibus urinę obuersæ, hisce dolores capitis. Et uolunt quidam uerbum, obuersæ, contrarias ostendere his, quas antea grumosas nominauit, nonnulli uero ipsas urinas perturbatas. Falsum autem est quod urinæ tenues sint cum dolore capitis. Vidētur em̄ dolores capitis aliquando antecedere, aliquādo simul esse cū perturbatis urinis, & quales nā hæ sint manifeste mōstrauit, inquiens, quales sunt iumentorū, & tales fiūt materia crassa ac dēsa à calore agitata. Hę em̄ uidēt maximæ, et ab extrinseca caliditate in spiritum

in spiritum solui, sicuti bitumen, pix, atque resina. Nonnullę igitur urinæ longo tempore manent perturbatæ, nonnullæ uero cito sedimen crassum habent, & cito morbum solutum iri significant. Quæ uero non resident, si uires adfuerint longum fore morbū ostendunt, si imbecillitas adsit, ægri mortem prænuntiant. hæc quidem ex superabundanti à nobis sunt dicta, quoniam non carent utilitate, quę uero ad ipsum attinentia aphorismū adhuc dicere oportet sunt ista. Vrinis perturbatis capitis dolores necessario, aut adsunt, aut aderunt, ut inquit Hippocrates, quoniam spiritus flatuosus unà cum calore prompte fertur ad caput. Non tamen siquis dolet caput, aut doliturus est, huic omnino tales sunt urinæ futurę. Fiunt enim dolores capitis etiam ex calore solo. Nonnunquam uero ex flaua bile, quæ uel in capite, uel in uentriculo continetur, & ex humorum abūdantia caput opprimente, uel propter aliquam loci obstructionem, uel spiritu flatuoso habente in parte ipsa generationem, quorum nihil talem facit urinam ex necessitate.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus quorundam opinionem recenset, qui hunc Aphorismum præcedenti coniungere uolebant, ut ita cōtinuetur, Quibus autem urinæ obuersæ, hisce dolores capitis. immo illorum nonnulli addunt, quod uocabulum, obuersæ, grumosis opponitur. aliqui uero intelligūt ipsas perturbatas urinas, non tamen grumosis cōtrarias.

Quod legitur, Quibus urinæ obuersæ. Ibi addenda est particula, autem, & legendū, perturbatæ & non obuersæ. nam Græcus contextus Aldinus ita dicit, οἷσι δὲ ἀναπεταραγμένα τὰ οὖρα, idest, Quibus autem perturbatę, uel turbulentæ urinæ. quamuis noster antiquus contextus non dicat ἀναπεταραγμένα, sed ἀνεστραμμένα. uerum probus quidam uir immutauit, & expunxit illam particulam ἀνεστραμμένα, & eius loco illam subiecit ἀναπεταραγμένα.

Quod etiam legitur, & uolūt quidam uerbum obuersæ, lege perturbatæ. ut semper sit continuatio in nominibus. nam & Græce idem nomen semper est ἀναπεταραγμένα.

Quod etiam legitur, contrarias ostendere ijs quas antea grumosas nominauit, antiquus noster contextus, τοῖς θρομβώδεσι, idest, grumosis legit, sed Aldinus habet τοῖς λεπτοῖς. At uerba quæ sequuntur, nobis ostendunt, quod legi debeat, θρομβώδεσι, idest, grumosis: quoniam Galenus hos reprehendere uidetur, qui urinas ἀναπεταραγμένας, idest perturbatas, θρομβώδεσι, idest, grumosis opponebant. nam si grumosis contrariæ sunt, tenues esse oportet, sed urinæ tenues, capitis dolorem non significant. ex hoc igitur Galeni argumento, quo sumit urinas tenues, certū est, in præcedenti sententia urinas θρομβώδεις, idest, grumosas intelligendas fuisse, quibus λεπταὶ, idest, tenues opponantur. aliter hoc argumentum, quod facit falsum esse, urinas tenues capitis dolorem non significare, ad propositum non uideretur, neque esset.

Quod legitur, Sint cum dolore capitis, Græce habetur εἶναι κεφαλαλγικά, idest, dolorem capitis significent, uel esse cephalalgica.

SECVNDO docet capitis dolores, urinas perturbatas quandoque antecedere, & quandoque sequi. tamen adde tu, quod nunquàm materiæ ebullitionem & agitationem antecedit, quamuis fumi in caput nondum peruenerint. ostendit autem quales nam hæ sint, quæ sunt similes iumentorum urinis, quæ à materia crassa, ac densa, à calore agitata fiunt. uerbum agitata Græce est κατοργαζομένης.

TERTIO docet has urinas, & ab extrinseca caliditate in spiritum solui, ut pix, bitumē, atque resina faciūt, quæ quid sint, nos diffuse in nostro simpliciū examine docuimus.

QVARTO, Turbulentarum urinarum duplex genus ponit, unum est urinarū quę minguntur turbidæ, & efficiuntur claræ, & hæ morbum solutum iri significant. Aliud urinarū quæ minguntur turbidæ, & diu manent turbidæ. Si quis integras uires habens has urinas minxerit, morbus erit longus: si uero sit imbecillis, ægri mors prædicēda est. Non meminit autē Galenus urinarū quæ minguntur clarę, & efficiuntur turbidę, quia forte putat in aphorismo illas intelligi quæ turbidæ minguntur, & turbidæ permanent.

Quod legitur, Nonnullæ igitur urinæ, Græce habetur, τινὰ μὲν οὖν τῶν τοιούτων οὔρων, idest, Nonnullę igitur talium urinarum.

QVINTO excusat se cur hæc exposuerit, dicens, esse ex superabundanti dicta, quia utilia sunt. Græce autem dicit, ἐπὶ τὸ πάρεργον, Leonicenus interpretatur ex superabundanti

perabundanti. At πάρεργον obiter atque intempestiue significat.

SEXTO Galenus ad aphorismi expositionem se conuertit inquiens, ab Hippocrate dici urinas perturbatas præsentem capitis dolorem, uel futurum significare, quia spiritus flatuosus unà cum calore fertur ad caput.

Deniq; docet, non conuerti, si cui doleat caput, quod urinas perturbatas esse oporteat: sicuti si quis perturbatas habeat, illi caput dolet. quoniam capitis dolor ab alijs multis causis fieri potest, & non solum ab ebullitione crassorum humorum, à quibus flatuosi spiritus eleuentur, qui unà cum calore caput petant. nam quãdoq; capitis dolores ex sola intemperie calida fiunt: quandoq; ex flaua bile, quæ in capite uel in uentriculo sit: quandoq; ex humorum copia caput opprimente: quandoq; ob partium capitis obstructionem: quandoq; à spiritu flatuoso in capite generato. hæc autem urinas perturbatas non faciunt, ideo non sequitur, si alicui doleat, uel doliturum sit caput, quod has perturbatas urinas habere debeat.

Quod legitur, Capitis dolores necessario aut adsunt, aut aderunt: ante hoc uerbum, adsunt, poni debet hæc particula, aut adfuerunt. nam Græce habetur ἢ γεγόνασιν, ἢ σύνεισιν, ἢ ἔσονται, hoc modo in antiquo nostro contextu legitur: sed Aldinus non habet hanc particulam γεγόνασιν, idest, adfuerunt. Ex his apparet, Aphorismum etiam intelligi posse in urinis perturbatis, quæ claræ fiunt, quoniam & ipsæ dolorem capitis adfuisse significant.

APHORISMVS LXXI

QVibus septima iudicatur, his nubeculam habet quarta die urina rubeam, & alia ex ratione.

BRASAVOLVS

QVI in septem diebus ex suis morbis iudicari debent, indicia quædam præmittunt, quibus facile deprehendi potest, in illo die iudicium futurum. nam die quarta, quæ est septimæ indicatiua, nubecula quædam rubra in urina apparet, & alia omnia signa, quæ breui futurum iudicium significãt. ex hac enim rubra nube, materiam ferè coctam esse ostenditur. propterea si quarta die appareat, hac die est ferè cocta materia: unde ad perfectam coctionem septimam diem transire non potest, & tunc iudicium fiet, quod tanto certius eueniet, quanto & alia signa hoc ipsum demonstrabunt.

Οἶσιν ἑβδομαῖα κρίνεται. idest, Quibus septima iudicatur.] Quamuis multi contextus legant ὁκόσοισιν, idest, Quibuscunq;: at ad aphorismi sensum hoc nihil facit. Theodorus interpretatur, Quibus septimo die iudicatur ad salutem, sed hoc addendum non erat. quoniam cum Hippocrates simpliciter dicit, Iudicatur & iudiciũ, semper bonam iudicationem, & bonum iudicium intelligit: nunquam uero de mala iudicatione uerba facit, nisi cum præfatione, male iudicatur, uel malum iudicium. Sensus Hippocratis est, hi qui septimo die iudicari debent.

Τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρόν. idest, His nubeculam habet urina quarta die rubram.] nam quarto die, de septimo iudicium ferre potes, an bonum sit, an non bonum iudicium: quia dies quartus septimæ diei indicatiuus est. Si aũt in quarto die facta sit notabilis coctio in materia, adeo ut urinæ nubeculam rubrã habentes appareant, signum est in septimo die coctionem perfectam futurã, Itaq; in septima iudiciũ fiet. Sed & per oppositum intellige, si in quarta die signa mortis appareant, ut urina, quæ nigram nebulam habuerit, septimus dies iudicium faciet ad malum. Galenus in tertio libro De crisi, capite tertio & quarto hæc diffusissime tractat, ubi eos docet qui in secundo die, qui in tertio, qui in quarto, qui in septimo, qui in quartodecimo, & qui in alijs temporibus iudicari debeant. id enim fit secundum ægritudinis motũ. Immo casum quendam describit, si quis, nec primo die, nec secundo, coctionis signa habuerit, hic in primo quaternario non sanabitur. At si postea appareant, in septimo die iudicabitur. Actuarius libro secundo De urinarũ iudicijs capite octauo, ubi de iudicio cõtentorum subrubeorum & rubeorũ uerba facit, inquit, contenta subrubea atq; rubea cruditatem quandam

quandam in tertia coctione, ob rubeæ bilis excessum, demonstrant. putantur tamen me diocria, atq; fortasse absq; periculo apparere: materia alia memorata cõtenta, nõ minus quantitate, q; qualitate nocentia sunt. hæc uero sola quãtitate solent uirtutẽ ipsam offen dere, cuius nimietas si auferatur, uirtus per quã facile ad seipsam reuertitur. Ex quibus Actuarij uerbis excerpere potes, rubram nebulam nõ esse malam, sed coctionem signi ficare, quæ tamen nondum perfecta est: perficitur uero in septimo die, ideo tũc fit crisis, quæ in bonum terminatur. Oribasius dicit, non semper hoc fieri, propterea considerat, quando semper fiat, & quando non fiat. dicit autem, superius dictum esse ab Hippocra te, quartum diem iudicare sextum, sexto uero adueniente, septimi signa præcedunt, ut eo ueniente fiat iudicatio, sicut & nunc docet. Si quarto die præcesserint urinæ tales, & ad ueniente sexto die capitis dolor fuerit, et uirtus ualida, septimo die iudicabitur ad salutẽ. At hoc ab Hippocrate dictum non est, quod quartus de sexto iudicet, nec ista ratio, quã assignat Oribasius, conuenire uidetur. Scitoq; dictum esse ὑπονέφελον, idest, nubeculam: tamen proprie nubem significat, quæ non sit penitus in superficie.

Hic uero dubium fit à Philotheo, quod tale est, διατί εἶπεν ὑπονέφελον ἴσχει ἐρυθρόν, καὶ οὐκ ἔπε λευκόν, idest, propter quid dixit, Supernebulam habuerit rubram, & non dixerit albam? Respondet, διότι θερμὴ καὶ χολώδης ὕλη ὑπόκειται, καὶ φλεγματική, καὶ ἐκ τοῦ δῆλον, ἐκ τοῦ τῇ ἑβδόμῃ κρίνεσθαι, idest, Quoniam calida & biliosa materia subiacet, non crassa et pituitosa, & hoc manifestum est ex eo quod dixit septima iudicari. At hoc dubio remo to, aliud facit inquiens, καὶ ἐπειδὴ ὕλη ξανθὴ ὑπόκειται, καὶ θερμή, διὰ τί μὴ εἶπεν, ὑπονέφελον ἴσχει ξανθόν, idest, & quoniam materia flaua subiacet, & calida, propter quid nõ dixit, nebulam habuerit flauam? Respondet statim, ἀλλὰ τὸ ξανθὸν οὐ φαίνεται ἐν ὑποστάσει, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸ διαφανές, καταχρησάμενος οὖν ἀντὶ τοῦ ξανθοῦ ἐρυθρὸν εἶπεν, idest, Sed flauum non uidetur in hypostasi, ob id quod est perspicuum. Abusus igitur pro flauo rubrum dixit.

Καὶ τὰ ἄλλα κατὰ λόγον. idest, & alia secundum rationem.] alia inquam scilicet signa in quarto die apparere debent, si iudicium in septimo die futurum sit. Philotheus exponit quæ sint hæc alia signa, inquiens, ποῖα εἰσὶ τὰ ἄλλα; διαχωρήματα, πτύσματα, μάλιστα εἰ τὸ πάθος ᾖ τοῦ θώρακος σφυγμός. ἐὰν γὰρ ταῦτα πάντα κατὰ λόγον εἰσὶν, καὶ τὸ οὖρον ὑπονέφελον ἴσχει ἐρυθρόν, πέψιν δηλοῦν τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ, πάντως τῇ ἑβδόμῃ κριθήσεται. διὰ τί; διότι δηλωτική ἐστιν ἡ τετάρτη τῆς ἑβδόμης, καθὼς αὐτὸς φησίν, τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. idest, Qua lia sunt alia? deiectiones, sputa, presertim si passio thoracis pulsus fuerit. Si igitur hęc om nia secundum rationem sunt, & urina rubram nubeculam habuerit, coctionem signifi cat quarta die, omnino septima iudicabitur. propter quid? Quoniã quarta septimæ iudi catiua est, secundum quod ipse dixit, septenorum quartus est index. Galenus præter illa quæ in hoc commento disserit, alia multa in tertio De crisi capite tertio repetit. nam in quit considerandum esse morbi motum, & eius magnitudinem considerandam, conside randa symptomata, & considerandam ętatem, considerandum anni tempus, regionem, & illa omnia quæ morbum remorari & recidere possunt. Tamen in huius aphorismi cõ mento ipse intelligit, alia ex ratione, idest, alij dies ex ratione de his indicãt, supra quos indicare debent, & de illis excrementis quæ hoc iudicant, uel sint per sputa, uel per al uum inferiorem, uel per urinas, uel per sudorem, uel per aliam euacuationem ex his quæ indicant futuram crisim. Hippocrates in libro De urinæ notis, signis, & differen tijs (si is liber Hippocratis sit) inquit, urinam bonam esse, quæ rubra mingitur. nam co ctionem significat, & sanguinis copiam: additq;, in febribus continuis apparere.

GALENVS

SICVTI in pluribus alijs seipsos imperitos artis Hippocratis ostenderunt plurimi eorum qui eius librum exposuerunt, sic & in isto. Putant enim adiecta fuisse apho rismo, & alia ex ratione, quæcunq; circa somnos, uel uigilias, uel respirationem, uel ac cubitum, uel surrectionem, uel tale aliquid, in prognostico scripsit, ut si hęc omnia bene facta uideantur, post septimum futuram speremus iudicationem. Videntur autem igno rare capita maxima ad præcognitionem facientia. Vigilãt enim magna ex parte, & gra uiter se habent, ac febriunt uehementius ægri quanto iudicatio appropinquat. Plures uero eorum prope iudicationem spirant difficulter. Non igitur neque quod ex urinis ap

paret signum, sine talibus casibus fit ad firmiorem futuræ iudicationis spem signum in urinis, sed multa alia quæ frequentius, quàm istud apparent, de quibus nihil uidentur cognoscere, qui audent Hippocratis commentarios exponere, priusquàm totam ipsius artem perdiscant. Nam cum quarta dies sit index, quemadmodum ipse edocuit, & qualis sit futura septima nunciet, omne quod in ipsa dignum effatu signum coctionis apparuerit, futuram septima die iudicationem ostēdit, adeo quod non solum rubra aliqua nubes apparens, antea non uisa, iudicationem significat, sed & alba multo plus ipsa. Adhuc autem magis & sublimamentum album, æquale, atq; consistens. Si uero ueclociter admodum morbus moueatur, & mutatio coloris, & consistentię, sunt sufficientia signa futuræ iudicationis. Tenuis itaque urina si mediocriter crassa efficiatur, & si alba rufa fiat, in tali morbo iudicationem significat. Vnius itaque signi nominatim Hippocrates meminit, urinæ scilicet rubræ. Dignum autem existimat, ut sicuti hoc, ita & alia ex ratione intelligamus, quæcunque futuras iudicationes ostendunt. Sunt autem hæc quæ in diebus ab ipso uocatis indicibus, & contemplabilibus fieri consueuere, uel in urinis, uel in excrementis alui inferioris, uel sputis: semper enim hæc talia omnia iudicationes significant, non tamen bonas semper. Solis enim coctionis signis in diebus contemplabilibus apparentibus, bonæ futuræ iudicationes indicantur. Sensus ergo uerborum aphorismi talis est. Meminit autem nubis rubeæ tanquàm signi perrari. Albæ enim frequentissime apparent, & sunt signum coctionis manifestum. Rubeæ uero raro fiunt, & nisi hoc in loco de ipsis dixisset Hippocrates quod in diebus indicantibus apparentes futuram nunciat iudicationem, forte nemo talem ipsis adesse uim expectaret: siquidem Hippocrates colorem rubeum quidem salutarem, diutinum tamen esse uult. Nam in Prognostico ita ad uerbum scribit, Si uero urina fuerit subrubea, & sedimen subrubeū, & leue, magis quidem hæc diutina, quàm illa. Sed admodum salubris. Nunquid igitur quarta die talis nubes apparens futuram in septima iudicationem significabit, in alia autem aliqua indice non significabit, diligentius est inquirendum, quod in ipsis operibus est obseruandum. Nam quantum ad rationes attinet, sunt ad utranq; partem argumenta, & magis ad alteram, quod non significabit nisi morbus ualde uehemēter moueatur. Nam si quarto die fiat æquale tempus priori, id quod sequetur assumens non est impossibile quod iudicationem ostendat. In undecimo autem apparens non mihi uidetur admodum tribus solis egere, sed etiam pluribus. uerissimum si quidem est, colorem talem aliquid suffragari solutionibus. Ego quidem raro signum tale in alijs diebus uidi præter quartum. Cui uero in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit iudicatus: cui uero quartodecimo, hic in uigesimo. Apparuit autem cuidam alteri in undecimo, qui decimoseptimo iudicatus est: & cuidam alij in eodem undecimo rursus, qui uigesimo die fuit iudicatus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus interpretes quosdā antiquos reprehendit, qui illam ultimam Aphorismi particulam, & alia ex ratione, male interpretabantur. uolebāt enim alia sequi ex ratione, idest, illa quæ in primo Prognosticorum enumerata sunt, quæ hæc sunt, Si bene dormiant, bonam respirationem habeant, naturaliter accumbant, & reliqua, quæ ab Hippocrate in illa parte enumerantur: sed Galenus ipsos reprehendit. quia Hippocrates hoc non uoluit. & quod id uerum sit, apparet: quoniam cum est futura crisis, non est opus quod in his bene se habeant quæ ab Hippocrate in illa parte referuntur. nam quando iudicatio ad bonum futura est, uigilant ægri, grauiter se habent, respirare nequeunt, intensius febriunt. propterea hi non intelligunt Hippocratem, qui ita exponunt. Nempe omnia Hippocratis commentaria prius addiscere debebant, quàm hoc opus interpretari inciperent.

Quod legitur, uel tale aliquid in Prognostico scripsit, legi debet, uel tale aliquid aliud in Prognostico scripsit. nam Grece habetur, ἢ τι τοιοῦτον ἄλλο τῶν ἔμπροσθεν ἐν τῷ προγνωστικῷ γεγραμμένων, illa particula ἔμπροσθεν in antiquo nostro contextu adest. In Aldino minime, neq; illam habuit Leonicenus in suis.

Quod legitur, post septimam, futuram speremus iudicationem, Græce habetur, τὴν κρίσιν ἔσεσθαι μετὰ τὴν ἑβδόμην ἡμέραν ἐλπίζωμεν, idest, secundum septimum diem, uel in septimo

septimo die futuram speramus iudicationem. nam iudicatio, de qua sermo fit, non post septimum, sed in ipso septimo contingit.

Quod etiam legitur, Quando iudicatio appropinquat, ὅσῳ περ ἂν ἐγγυτέρω ἡ κρίσις ἀφίκωνται. idest, quanto iudicatio magis appropinquat: uel potius, quanto magis iudicatio appropinquat.

Quod etiam legitur, Non igitur neq; quod ex urinis apparet signum sine talibus casibus fit ad firmiorem futuræ iudicationis spem. græce scriptũ est, οὐκοῦν δ' εἴτοι τὸ περ τὸ διὰ τῶν οὔρων φαινόμενον σημεῖον, ἄνευ τῶν εἰρημένων συμπτωμάτων ἐς πιστοτέραν ἐλπίδα τῆς μελλούσης ἐστὶ κρίσεως σημεῖον ἐν οὔροις. Quæ si nos ad uerbum referamus, inquiũt, Non igitur oportet, neq; quod ex urinis apparet signum sine talibus symptomatibus fieri ad firmiorẽ futurę iudicationis spem. Scitoq; hanc ultimã particulã, quę dicit σημεῖον ἐν οὔροις, & à Leoniceno interpretata est, signum in urinis, uacare. quamuis in Aldino contextu adsit, tamen ut superflua auferri debet, quę Hippocratis seriem perturbat. non enim potest cum prædicta sententia recte copulari.

SECVNDO Galenus Aphorismũ interpretari incipit, cum dies quarta de septima indicet, ideo omne coctionis signũ in quarta die apparẽs, coctionẽ in septima die futuram ostendit: propterea non solum rubra nubes hoc significat, sed & multo magis alba, & album sublimamentum, equale atq; consistens. unde si morbus uelociter moueatur, & sufficientia coctionis signa appareant, ut si urina tenuis fuerit, quæ mediocriter crassa efficiatur, & alba ruffa fiat, hæ urinæ quia coctionem significant, etiam in hoc morbo futuram crisim ostendunt.

Quod Leonicenus interpretatur, sublimamentum album, græce est, ἐναιώρημα λευκόν. est autem ἐναιώρημα illud contentum in urina quod in media regione est, nos superius interpretati sumus sublationem, uel sublime.

Quod sequitur, æquale atq; consistens, hęc particula, cõsistens, in aliquibus cõtextibus legitur συνεστηκός, in alijs σύνεστος, idest compactũ, solidum, quod dispersum non sit.

Quod legitur, tenuis itaq; urina, legi debet, ut tenuis urina. aliter perfecta præcedentium ad sequentia continuatio fieri non uidetur, quæ per hanc particulam, ut, fit. nam hæc particula, ut, illius quod dicebat, exemplum esse notat. si uero morbus uelociter moueatur, & mutatio caloris, & substantiæ sunt sufficientia signa futurę iudicationis, postea sequatur, ut tenuis urina.

Quod etiã legitur, & si alba ruffa fiat, illa particula, ruffa, græce est ὠχρόν, idest pallida.

TERTIO Galenus docet, ab Hippocrate unicum signum dici, scilicet quando apparent urinæ rubræ, & per hoc unũ signũ omnia alia intelligenda esse docet, quę solent futuras iudicationes ostendere. Sunt aũt omnia illa quæ in diebus ab Hippocrate uocatis iudicijs, & cõtemplabilibus fiũt; uel in urinis, uel in excremẽtis alui, uel in sputis. hęc enim iudicationes semper significant, non tamen semper bonas, quia solum quando coctionis signa in diebus contemplabilibus apparent, bonę iudicationes futuræ sunt.

QVARTO Galenus causam reddit cur Hippocrates rubrarũ nebularũ mentionem fecerit, huius inquit causa est, quia est signum rarum. nam albę nubeculæ frequenter apparent, & coctionem significant: rubræ uero raro fiunt. Immo addit, nisi Hippocrates de ipsis hoc loco mentionem fecisset, nullus forte iudicasset hoc ab ipsis indicari. Nam in libro Prognosticorum Hippocrates omnino putat urinas rubras, & nubeculas tales esse salutares, sed morbum longum significare.

Quod legitur, Magis quidem hæc diutina, quàm illa. grecus contextus dicit πολυχρονιώτερον μὲν ὥσπερ τοῦ πρώτου γίνεται. idest, Magis quidem hæc diutina, quàm prima, fiunt.

QVINTO Galenus dubitat, an urina in quarta talẽ nubeculam habens, in septima iudicationẽ fieri significet, sed in alia die si fiat, quæ indicatiua sit, illud non significet, dicitq; inquirendum esse diligentius per ea quæ obseruantur. Si quis aũt à Galeno argumẽta petat uel hoc, uel illud probantia. Respondet ipse, argumẽta adesse, quæ utranq; partẽ probare possunt, & præsertim quæ probare possunt, qđ non significabit, nisi morbus ualde uehemẽter moueatᷣ. nã si quarta die appareat rubra nubecula, tres dies pręcessere, & iam facta est notatu digna cõcoctio. propterea totidẽ diebus additis, quot præcessere quartã diẽ, qui erunt tres dies, cõueniẽs est deinde perfectã coctionẽ esse paratã

At si in undecimo appareat, uerisimile non uidetur, quod perfecta iudicatio in quartodecimo die fiat, quia Galeno non uidentur satis esse tres dies, etenim plures præcessere quàm tres. hoc tamen certum est, cum hoc signum apparet, coctionem significare.

Quod legitur, in undecimo autem apparens, non mihi admodum uidetur tribus solis egere. hic deest particula, diebus: legi enim debet, tribus diebus solis egere. nam Græce habetur τριῶν ἡμερῶν δέησεσθαι μόνων.

Quod etiam legitur, Aliquid suffragari solutionibus, græce habetur, ὠφελεῖν τι τοῖς λύσεσιν.

Deniq; Galenus dicit, se tale signum uidisse raro nisi in quarta die, & quosdam casus refert, ut de illo qui in septimo die hanc nubeculam habuit, & in quartodecimo iudicatus fuit: & de alio, qui in quartodecimo hoc signum habuit, & fuit iudicatus in uigesimo: & de uno qui idem habuit in undecimo, & in decimoseptimo iudicatus fuit, & de alio qui signum habuit in undecimo, & iudicatus fuit in uigesimo. Vnde hoc signum, solum uidetur uerum in die quarto quod de septimo iudicet, de alijs uero iudicatiuis diebus certa ratio non est, quia experientia docuit, & nunc etiam docet, in diuersis diebus iudicationes fieri. tamen semper fiunt uel citius, uel tardius, hoc aũt prouenit secundũ quod morbus uelocius, uel tardius mouetur.

APHORISMVS LXXII

QVibus urinæ albæ, & perspicuæ, malæ. præsertim si in delirantibus appareant

BRASAVOLVS

ALBÆ urinę, & adeo lympidæ, ut diaphanæ, idest, perspicuæ appareant, nõ solum in ægrotantibus, sed etiam in sanis cruditatem extremam significant: præsertim quando nullam causam euidentem habeant, propter quam factæ sint: ut si quis multam aquam potasset, aut copiose dilutius uinũ. Sunt uero ideo malæ, quia malum significant: quod potissimum in ægris intelligere oportet. pessimæ uero sunt si in delirantibus appareant, quia in caput materiã inuehi significatur, & ipsum implere, & exaugere deliria, nihilq; ex prauo humore per urinam transmitti. Philotheus hunc aphorismũ ita introducit, ὁ παρὼν ἀφορισμὸς ἀπὸ οὔρων ποιεῖται τὴν διάγνωσιν ἐγκεφάλου. idest, præsens Aphorismus ex urinis cerebri iudicium facit. Celsus capite quarto secundi libri de hac urina mentionem facit, & ipsam non appellant perspicuam, sed dilutam. eius uerba hæc sunt. (Ibi enim de malis ęgrotantiũ signis agit) Diluta quoq; atq; alba uitiosa est, sed in phreniticis maximè. Quam sententiã ad uerbum refert Plinius libro uigesimooctauo capite sexto.

ὁκόσοισιν οὖρα διαφανέα λευκά, πονηρά. idest, Quibuscunq; urinæ perspicuæ albæ.] Hic non adest copula, &, quam Leonicenus addidit, & in suo contextu album, perspicuum præcedit. Celsus dilutam interpretatus est, quam diaphanam uocat Hippocrates. Actuarius in primo libro de urinarum differentijs capite octauo urinas albas, in crystallinas, niueas, & aqueas distinguit, & has dicit esse summæ cruditatis indicia, hasq; exquisite albas uocat, postea remisse albas enumerat. Sunt uero lactea, quæ lacti assimilatur: glauca, ut cornu pellucidum: & charopea, quæ similis est subalbidis cameli pilis, uel ungui lapillo sic appellato. Omnes etiam istæ crudę sunt, sed minus quàm præcedentes, quæ exquisite albæ nuncupantur. Idem Actuarius in primo libro De urinarum iudicijs inquit, si alba urina in sano semel appareat, significat multam uini potionem, præsertim uini exilis. Addit paulo deinde, quę in febribus acutis urina alba exit, eiusmodi apparet, quod humor qui ipsam tingebat, aliò transmissus est. In proposito autem huius aphorismi, transmittitur ad caput. propterea dicit peiores esse in delirantibus. Denique causas omnes albarum urinarum concludit dicens, urinæ albæ fiunt, aut à crassitudine & multitudine crudorum humorum, aut ab oppilatione meatuum, aut à potus magnitudine, aut ab incoctione, aut etiam ab auersione humoris tingentis, atq; à frigiditate secundum naturam, & secundum ægritudinem, quæ ualde albæ sunt, atq; cum tenui substantia exeunt. Quæ uero cum ægritudine fiunt, minus albæ prædictis sunt, sed

sunt, sed indicant multum humorem crudum in corporibus uigere. In primo etiam libro De urinarum causis capite quinto idem Actuarius de urinis albis tractans inquit, quamobrem in albis coloribus cum urina fuerit crystallina, uel aquea, quisꝗ cognoscere poterit, naturæ cruditatem omnimodam ortam à frigiditate, aut maximam oppilationem, præsertim meatuũ urinam sequestrantiũ, aut bilem ipsam, quæ tingit ad alias corporis partes transfluere. Vrina uero quę albedinem remissam ostendit, præsertim quæ uergit ad glaucum & charopum colorem, non ita facile pręsentatur ob transpositionem rubrę bilis, quæ aliò forte mittitur: sed potius ob debilitatem uirtutis alterantis, & concoquentis humores, producitur. Quod nemo prudentium inficias ire poterit. Quid ergo intelligit Hippocrates per urinas perspicuas albas? Respōdemus, intelligit uel albas crystallinas, uel albas aqueas, quas Celsus dilutas uocauit, quæ magnã cruditatē humorũ significant. & nō ab re Leonicenus præmisit albũ perspicuo, quia perspicua urina, una est albæ urinę species. Sunt uero multæ causæ albarũ urinarũ perspicuarũ, quarum magnã partē superius ex Actuario retulimus. Vna causa potest esse nimius aquæ potus, aut uini aquosi, aut etiam uini non aquosi, sed in summa copia, in aquoso autem potissimum fit. Secunda causa esse potest, eo quod bilis, quæ urinam tingere solebat, ad alia loca irrepit, & potissimum ad principalia, ut ad cerebrum, cor, & reliqua. Tertia causa potest esse debilitas & uirtutis attractiuę, & expulsiuæ uiarum urinę. cum enim hæ uires debiles sunt, neꝗ attractiua trahere poterit, nisi quod tenue est: neꝗ expulsiua expellere nisi quod tenue est: propterea perspicua urina, & alba uidebitur. Quarta causa potest esse uiarum iecoris, & uiarũ urinæ in uirtute retentiua. Ideo aquositas quæ urina est, contineri non potest, sed exit: & propterea alba apparet, & perspicua. Quinta causa potest esse uehemens iecoris frigiditas, & membrorum naturalium, ob quam non fit commixtio partium humoralium à calore, quę partes urinam tingere debent, uel crassiorem reddere, ut non esset perspicua. Sexta causa esse potest uirtutis attractiuæ robur, uirtutis inquam attractiuę quæ in rebus est, sicuti in urinę stillicidio contingit. nam aquositas tanto tempore non continetur in uasis, ut concoqui possit & colorari, sed alba exit, & perspicua. Septima causa potest esse uenarum obstructio & meatuũ urinę, ita ut in ipsis crassa materia cōtineatur, tenuis aũt exeat & aquosa atꝗ perspicua. Si uero petas de qua causa in Aphorismo intelligatur, scito omnes causas malas esse, ea excepta, quando quis multum biberit: sed potissimum causa ueritatis Aphorismi Hippocratis, est humorũ cruditas, quę per has urinas significatur, & raptus materię ad principalia membra. Nam in rei ueritate, in temporibus pestilentibus, & in morbis pestilentibus, qui caput occupare solent, hæ urinæ potissimum apparent, quæ prius coloratę fuerant, tunc materia caput petebat, & omnes ferè moriebantur. Si etiam hic petas propter quid dixerit perspicua, & alba. nam quæ perspicua sunt, alba esse uidentur. Respondet Philotheus, φαμὲν ὅτι οὐκ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ διαφανῆ εἰσι, καὶ οὐκ εἰσὶ λευκὰ ἀλλὰ ξανθὰ, ἢ ὠχρά. διὰ γοῦν τὸ διάφορον τοῦ διαυγοῦς προσέθηκε τὰ λευκά. idest, Dicimus, quod non ex necessitate (scilicet quod est perspicuum esse album) sed reperiuntur quandoꝗ & quæ perspicua sunt, & non sunt alba, sed flaua, uel luthea. propter differentiam igitur perspicuitatis, albas pręmisit.

Μάλιστα δὲ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ὑποφαίνεται. idest, Maximè autem in phreniticis apparent.] Ita habet noster antiquus contextus, & Aldinus, sed Hagonensis legit μάλιστα ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἢν ὑποφαίνωνται. idest, Maximè si in phreniticis apparuerint. Leonicenus, & antiquæ translationis interpres, hanc lectionem habuere. At Theodorus prædictum contextum secutus est, Maximè autem in phreniticis apparent. utraꝗ lectio conueniens est, nam malæ sunt si in phreniticis apparent, & sunt etiã malæ, præsertim si in phreniticis apparēt. malæ inquã sunt, quia significatur biliosam materiã in caput uergere, quæ urinã tingere solebat, uel præsertim istæ urinæ ob prædictã causam in phreniticis apparēt. Theod. & Leonicenus hãc particulã φρενιτικοῖσιν interpretãtur, Leonic. delirãtibus, Theod. deliris. At & si qui phreniti laborãt, delirãt, tamē nō interpretarer φρενίτις deliriũ. quãuis & Celsus ca. decimooctauo tertij li. de tribus insaniæ generibus loquat, quas dicit à Græcis φρενίτιδα appellari, tamē quũ alia plura sint delirij genera, quæ phrenites nō sunt, nos potius phreniticis in hoc loco interpretaremur, ꝙ delirãtib. & si

Celsum

Celsum imitari uoluerim, dicerem insanientibus: tamen Celsus ipse quando in secundo libro capite quarto hunc Aphorismum refert, ubi de malis ægrotantium signis agit, interpretatur in phreniticis: & aphorismi sensum facit, ut Leonicenus interpretatus est, inquiẽs, Diluta quoq; atq; alba uitiosa est, sed in phreniticis maximè. qđ idẽ est ac si dixerimus, præsertim si in phreniticis appareat. Actuarius li. primo de præuidẽtijs ex urinis capite secundo, huius urinæ quæ phrenesim significat meminisse uidetur, ubi dicit, urinæ igitur albæ colore, crystallinę uero & aqueæ specie, semper tenues si mãserint, illa significant, quæ in ijs de iudicijs dicta sunt. Nunc autem illa subdere oportet. Namq; cum urinæ aureæ, aut rubræ, aut uineæ, aut aliquo colore tinctę pręcesserint in febre uehemente, si in eiusmodi albos colores mutatę erunt urinę, atq; adhuc febris manserit uehemẽtior, neq; aliquid dignũ signũ crisis aderit, decẽter nosse poteris futurã esse phrenesim, atq; eo peius, quo præmonstrati colores fuerint peiores. Nec omnino mentitus fueris, si rursus tinctis urinis pronũciabis phrenesim solui. Siquidẽ urinę illę demonstrãt bilẽ, quæ fluorẽ tingit, sublimari ad caput, quæ procrastinans additionẽ afferre poterit passioni, ac mortem significãt. Hæc Actuarius. ut hinc uidere possis tanto peiores esse, quanto uariorũ colorũ urinę præcesserint, & tũc indicare phrenesim, quando præcesserint. Si uero nõ pręcesserint, hoc nõ significare. Oribasius dicit, Hippocratẽ uelle ostendere passionẽ phreneticã, tamen Hippocrates de urinis potius tractat. Non deerant aliqui interpretes, qui idẽ esse dicebant albũ, & perspicuũ: sed hi ab Oribasio reprehenduntur, quia aqua est alba & perspicua. lac uero est albũ, non aũt perspicuũ. Adde quod lotura sandaracæ potest esse perspicua, nõ tamen alba. Volens aũt Oribasius causam reddere cur istæ urinę phrenesim significẽt, multa falsa dicit & hoc potissimũ, qđ phrenesis ex pituita fiat, & quia pituita est alba, ideo urina quę deciditur est alba. nam dicit, crassitudinẽ phlegmaticã cerebrũ tangentẽ arterias extẽdere, & cauitates replere ideo passionem phreneticã inducere, unde & in infantibus, ꝙ maximè hoc cõtingere solet. quia dicimus phreneticã passionẽ fieri ex nimia siccitate, aut nimia humiditate. Hic ab Oribasio multa falsa, & præter rem dicuntur. nam quod phrenesis à pituita fiat, falsum est, & quod maximè in pueris fiat, adhuc falsum. nisi phreneticã passionem aliud intelligamus ab Oribasio dici, ꝙ phrenitim. Dubitat hic Philotheus cur urinę albę, & perspicuæ prauæ sint. Respõdet, διὰ τὸ σημαίνειν ἐσχάτην ἀπεψίαν, ἀλλ' ἐν τοῖς φρενιτικοῖς μᾶλλον πονηρά. idest, propterea quod extremam cruditatem significat, sed in phreniticis magis praua. Sed statim aliud dubium facit propter quod in phreniticis magis praue significent, Respondet, διότι ἡ φρενῖτις ἀπὸ χολώδους ὕλης γίνεται, καὶ ἔδει καὶ τὰ οὖρα ξανθὰ εἶναι. ἀλλ' ἐπειδὴ τοῦτο οὐ γίνεται, σημεῖον κακόν. δηλοῖ γὰρ ὅτι ἀνήκει πως ἡ χολώδης ὕλη ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον, καὶ διὰ τὸ πάσχειν κύριον μόριον, ἤτοι τὸν ἐγκέφαλον, κακόν ἐστιν. idest, Quoniam phrenitis à biliosa materia fit, & oportebat etiam urinam flauam esse. Sed quoniam hoc non fit, signum malum: ostendit enim quod ascendit quodammodo biliosa materia ad cerebrũ, & ob id quod patitur principale membrum, uel cerebrum, malum est.

GALENVS

VRINÆ tales extremam cruditatem significant, quare & morbos longos faciunt, quædam uero ex ipsis cũ anticipauerint uires dissoluere, sunt perniciosę, ueluti in delirijs: nullum & enim uidi delirantem, in quo talis urina apparuisset, saluatum. Melius si quidem est, ut sicuti totus morbus est biliosus, sic & urinæ appareant biliosæ. Aquosæ autem urinæ (tales enim sunt albæ, atq; perspicuę) magnam cruditatem ostendunt, & præterea flauam bilem ad caput solummodo rapi. Quibusdam enim urinæ perspicuæ non tamen albæ, quæ scilicet tenuem habent substantiam, colorem uero biliosum. Quæ uero perspicuæ sunt, & albæ simul, sunt penitus aquosæ. Si igitur simpliciter scriptum sit, Maximè uero in delirantibus, horum uerborum intellectus est manifestus. Si uero fini sermonis adijciatur, sicuti in alijs exemplaribus uidetur adiectum uerbum, apparent, sensus erit talis. Aquosę urinæ malæ sunt, præcipue uero tales apparent in delirantibus qui exitio proximi sunt. Neq; enim in omnibus, quemadmodum nonnulli libri expositores audierunt, nihil scientes ex his quæ in ægrotis apparent. in quibusdam exemplaribus ita scriptus est finis aphorismi, Præcipue uero in delirantibus tales apparent, & est idẽ intellectus qui secundæ scripturæ antea à nobis dictæ.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno edocemur quare tales urinæ malæ sint. quia, inquit, extremam cruditatē significant, quod malum est. Nam si uirtus constet, morbus erit longus: si aūt defecta sit, mortem significant, ut in delirijs. Vnde ipse testatur se nunquā uidisse delirum qui has urinas habuerit, & sanatus sit. Vbi autem Leonicenus delirum interpretatur, tu semper phreniticū dicito quoniam in Galeni cōtextu semper φρενιτικὸν dicitur.

SECVNDO docet, melius esse si morbus sit totus biliosus, quod urinæ sint biliosæ: nam opus est urinas proportionari morbo. Vrinę aquosę (ita enim Galenus perspicuas & albas appellat) cruditatem significant, & etiam flauam bilem in caput rapi.

Quod legitur, & præterea flauam bilem ad caput solummodo rapi, deest una particula, scilicet uniuersam, uel totam: & illa particula, solummodo, legi debet, sursum: nam eius Græca uerba hæc sunt καὶ πρὸς ἔτι δὲ ξανθῆς χολῆς ἅπασαν τὴν ὁρμὴν ἄνω γεγονέναι πρὸς τὴν κεφαλὴν. idest, Et præterea omnē impetū flauę bilis ad caput sursum rapi.

TERTIO Galenus docet, inueniri posse & urinas perspicuas non albas, ut sunt tenues, quæ biliosum colorem habent: sed illæ quæ perspicuæ & albæ sunt, aquosas esse oportet: unde Celsus eas recte dilutas appellauit. quamuis & nos etiam crystallinas intelligamus, tamen & hæ crystallinæ sunt aquosæ

QVARTO Galenus secundam aphorismi particulam interpretatur, quę ob id aliquam difficultatē parere uidetur, quod secundum uarias lectiones præponitur. Si ita legatur, Maximè uero in delirantibus, aphorismi sensus clarus est atq; dilucidus. At si in fine hoc uerbum, apparent, addiderimus, ut in alijs exemplaribus scriptū est, sensus erit, urinæ aquosæ malę, sed hæ potissimum apparent in phreniticis qui sunt prope mortem. unde in omnibus non apparent, ut quidam ignari putarūt. Tamē in alijs exemplaribus ita scriptum inuenit Galenus, præcipue uero in phreniticis tales apparent. At idem est sensus cum præcedenti lectione.

Quod legitur, Qui exitio proximi sunt, Gręce habetur ὀλεθρίως ἔχουσι, idest his qui in perniciem uenient.

Quod legitur, in quibusdam exemplaribus, adde particulam, uerum, ut legas, uerum in quibusdam exemplaribus. Græce enim est ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων.

APHORISMVS LXXIII

QVibus ilia suspensa murmurantia, lumborum dolore superueniente, his alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proueniat, hæc uero in febribus.

BRASAVOLVS

QVI ilia prædura, & adeo tumida habuerint, ut suspensa dici possint, & murmurēt, & lumborū dolor superueniat, in his quod aluus humectabitur, prædicere potes, nisi id acciderit, quod flatus erumpat, aut urinæ multitudo fluxerit. hæc aūt omnia in febribus intelligere oportet. non possunt enim ilia suspensa esse, & murmurare, nisi humidæ materiæ adsint, quæ uersus infernas partes tendunt, & multæ flatus copiæ mixtæ sint: propterea lumborum dolore superueniente, alui humectantur, nisi illa humiditas ad urinæ uias tendat, & urinæ copia fluat, uel per modum flatus exeat.

οἷσιν, uel ὁκόσοισιν (utroq; modo legitur) ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορύζοντα. idest, Quibus hypochondria eleuata murmurātia.] Idest qui partes sub hypochondrijs eleuatas habēt. nā potius nos interpretaremur hypochōdria græco uocabulo utentes, q̄ ilia. nā ut superius edocuimus, à Celso hypochōdria latine præcordia dicūt. sunt uero apud Celsum sub hypochōdrijs, idest pręcordijs ilia. hic aūt Hipp. intestina intelligit, quæ sub præcordijs cōtinenī. ꝑpterea Oribas. dubitat, quare dixerit præcordia, & nō intestina. nā spiritus flatuosus in intestinis extēdēs tumorē facit atq; dolorē. Respōdet, q̄d hic spiritus in utrisq; locis esse potest, & in intestinis, & præcordijs. tamē nos Hippocratē intelligimus, ut per hypochōdria intestina, quæ è regiōe hypochōdriorū sunt, intelligat, idq; ab Hippocrate sępius fit. nā in multis locis, ubi utiī uocabulo hypochōdria, partes ipsis hypochon

hypochondrijs ſubiectas intelligit, quæ ſunt inteſtina, iecur, atq; lien. Scito autem has partes dupliciter murmurare poſſe, modo murmure quodam, quod à puro flatu in inteſtinis contento fiat, alio modo eſt miſcella humidę materiæ cum flatu, & ita fit ſonitus quidam obtuſus, adeo ut ſtrepitum ſuum liberum non habeat, ſed talis eſt ſicuti ſi quis tibiam madefactam inflare uoluerit.

Ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου. idest, Lumborum dolore ſuperueniente.] Non quidem proprie lumborũ, ſed illarum partium, quibus hęc inteſtina inhærent. Dictum uero eſt ſuperius, quod uocabulum ὀσφὺς illam partẽ ſignificat, in qua cingimur, ad hanc intrinſecam partem inteſtinorum reuolutiones perueniunt, quæ plenę, & intumeſcentes ibi dolorem inferunt. unde ab Oribaſio dictum eſt, magis autem excitat dolores circa lumbos, quia inteſtina extenſa lumbos premunt.

Κοιλίαι τούτοισι καθυγραίνονται. idest, Alui his humectantur.] Humectantur inquam; quia neceſſario humida materia ſimul cum flatu adeſt, quę materia à flatu ipſo ad exeundum habilior redditur: tum quia flatus uias aperit, atq; dilatat: tum quia materias rariores reddit, & ad exitum faciliores: tum quia illam materiam agitat, cui ipſe flatus commiſcetur, propterea facilius exit: tum quia expulſiuam uim ad expellendum quicquid intus ſit excitat: tum quia flatus ſuapte natura mobilis eſt, ideo faciliime impellitur, impulſus aũt materias quas inuenit, ſecum ducit, propterea alui humidæ fiunt.

Ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγῶσι. idest, Niſi flatus erumpunt.] Quia ſi flatus erumpant per ſe ſoli, ſignum eſt, humidam materiam ibi non adeſſe, ſed tantum flatus: uel exeunte flatu ſine humida materia, cum amplius hæc eadem materia, non habeat à quo excitetur, ibi remanet, & non facit alui humiditatem: uel erumpente flatu, ſignum eſt totam materiam in flatum uerſam eſſe.

Ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. idest, Vel urinę multitudo proueniat.] Nam urinæ multitudine profluente, euacuatio per aluum ſedabitur, una etenim euacuatio aliam impedit. Dubitat hic Oribaſius, ſi morbus eſt intra inteſtina, quomodo per urinam egreditur. Reſpondet, quia ipſe ſpiritus flatulentus, ex ſuperioribus partibus ad ueſicam deſcendit; & illud quod tenue eſt, per urinam excernitur: unde inquit, illud quod ab hepate trahitur, per urinam excernitur: illud autem quod in uẽtre remanet, per ani meatum. propterea dicamus nos, ſub hypochondrijs iecur & inteſtina contineri, materia erit in iecore, quæ per ueſicam defluet, uel à iecore per meſaraicas quæ in medio inteſtinorum ſunt, trahetur, & ad urinæ proximiores meatus tranſmittetur. non tamen (ut Oribaſius dicit) quod per inuiſibiles cauernas ab inteſtinis ad ueſicam tendant, ſed opus eſt prius ad hepar, ad renes poſtea & ueſicam tranſmittãtur, ut deniq; per fiſtulam urinariã exeant. hæc aũt urina multa eſſe debet, idest, in maiori copia, quàm is mingere conſuetus ſit. Si autem tibi animo ſit multæ & paucæ urinæ iudicia prænoſcere, Actuarium lege primo De iudicijs urinarum libro capite undecimo.

Ἐν πυρετοῖς δὲ ταῦτα. idest, Hęc autem in febribus.] Quia in febribus humidæ materiæ potiſſimum abundant, & præſertim in membris ad nutritionem deſtinatis. In febre etiam coctiones imperfectiores fiunt, propterea materię & flatus abundant. immo calore naturali attenuato atq; debilitato, & calore præter naturam ſuperante, crudę materię & multæ gignuntur, quæ in flatum à caliditate diminuta facile immutãtur. Philotheus ut hoc quod ab Hippocrate dictũ eſt facilius eluceſcat, ex hypotheſi caſum quendam proponit inquiens, ὑποκείσθω νόσημα πυρετὸς, καὶ ἴσως ἐν τοῖς ὑποχονδρίοις ἀπὸ πνεύματος φυσώδους, καὶ ὑγρότητος ἐγκαταμεμιγμένης τὸ πνεῦμα. ἐὰν οὕτως ἔχοντος ἄφνω ὀδύνη περὶ τὴν ὀσφὺν γένηται, αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται διὰ τὴν μετάστασιν τῆς ὕλης, πλὴν εἰ μὴ χωρισθῶσιν ἀλλήλων τὰ μεμιγμένα. τὸ ὑγρὸν, καὶ τὸ πνεῦμα. καὶ τὸ μὲν ὑγρὸν, διὰ οὔρων. τὸ δὲ πνεῦμα, διὰ ἐντέρων κενωθῇ. idest, Supponatur morbus qui eſt febris, & fortaſſe in hypochondrijs à ſpiritu flatuoſo, & humiditate commixtus ſit ſpiritus. Si ſic re habente, dolor repente circa præcinctum fiat, alui humectantur propter tranſmutationem uel tranſitum materię, niſi ſeperentur ab inuicem quæ mixta ſunt, humiditates & ſpiritus: & humiditas quidem per urinam, ſpiritus autem per inteſtina euacuetur.

GALENVS

ILIIS ſuſpenſis, hoc eſt ad maiorem tumorem ex multis cauſis deductis, quarũ una

est propter ſpiritum flatuoſum (de hac nunc diſerit) ſimpliciter facta, nonnunquam ex aliquo affectu difficilem habent ſolutionem partium ad aluum attinentium, nonnunquam uero ex aliqua recenti occaſione. Diſtinguit autem & Hippocrates iſta. Nam prior diſpoſitio, neq; cum murmure fit. Extenta enim atq; inflata inſtar utris ilia in ea repreſentantur. Altera uero cum murmure. Sic autem nominatur ſpiritus ſonus, cũ neq; magnus, neq; multus extiterit, cum quadam autem modica humiditate ad inferiora euacuatus. Et quidem accidit tali murmuri deſcẽdenti ad lumborũ loca, unà cum ipſo iliorum tumorem deportare, unde partibus quæ hic ſunt ex ipſo diſtentis prouenit dolor; deinde hoc pacto humore aliquando ad corpus diſtributo, ſolus ſpiritus flatuoſus emittitur, nonnunquã uero unà cum humore, & quidem humor diſtributus magna ex parte per urinas excernitur. Recte ergo inquit in dictis ſignis aluum diſrumpi, niſi anticipet, ſeorſum quidem humor diſtribui, ſeorſum uero ſpiritũ in inteſtinis retentũ per ſedem excerni. Contingit uero quandoq; utrũq; ad corpus diſtributũ, uidelicet & ſpiritũ, & humorẽ cito ad ueſicã permeare. Quod uero in fine aphoriſmi ſcribitur, In febribus uero hæc, tale aliquid mihi uidetur oſtendere: à febribus moleſtari dicebant antiqui illos, qui abſq; inflãmatione, uel abſceſſu, uel eryſipelate, uel ut ſimpliciter dixerim, abſq; aliquo mẽbro præcipue affecto ægrotabãt. Quod ſi propter lateris inflammationẽ, uel pulmonis, uel talis partis alterius febricitarent, nõ febricitantes ipſos nominabant, neq; à febribus moleſtari dicebant, ſed pleuriticos, aut peripneumonicos, & aliis ſimilibus nominibus, ueluti hepaticos, & lienoſos, appellabant. Nunc itaq; mihi uidetur Hippoc. duorũ alterũ uelle inſinuare, uel quòd hæc quæ dixit, febribus accidũt, in quibus nullũ mẽbrũ affectũ eſt, uel quod & in illis accidunt morbis, non tamen ipſis aluus diſrupta ſit, uel flatus, aut urinæ prodierint. Neq; enim aliquo naturæ motu membris ſpiritum flatuoſum expellentibus murmur in iliis contingit fieri. Sed ueluti caſum tantummodo.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Ilia ex multis cauſis ſuſpendi, ideſt in maiorem tumorem eleuari, ſed una cauſa eſt flatuoſus ſpiritus, de quo nunc ſermonem habet Hippocrates. fit autem dupliciter, quandoq; ex aliquo affectu partium, quę ad aluum pertinent, qui affectus difficilem ſolutionem habet: quandoq; uero ex aliqua recenti occaſione. Hippocrates in hoc aphoriſmo hanc diſtinctionem innuit, quia dicit, cum murmure: ex hoc innuit aliam eſſe, ſine murmure.

Nota quod à Leoniceno interpretatum eſt ilia, ab Hippocrate dicit hypochondria. Tu uel hypochondria dicito, uel præcordia, ut Celſus facit.

Quod legitur, de hac nunc diſſerit ſimpliciter facta. legendum eſt dupliciter facta, & non ſimpliciter. græce enim habetur διττῶς αὐτῆς γινομένης. eſt uero non parua differentia dicere ſimpliciter, & dupliciter.

Quod legitur, diſtinguit aũt & Hippocrates iſta, Græce habetur διακρίνει ταῦτα νῦν καὶ ὁ ἱπποκράτης. ideſt, Diſtinguit hæc nunc & Hippocrates. ubi uides loco illius particulę, aũt, legendum eſſe nunc. quamuis Aldinus codex utrunq; ponat & autẽ, & nunc, hoc modo, διακρίνει δὲ ταῦτα νῦν ὁ ἱπποκράτης. ideſt diſtinguit aũt hęc nũc Hippocrates.

SECVNDO Galenus exponit quid ſit βορβορυγμὸς, ideſt murmur. Eſt ſonus, quem flatus facit, quando neq; magnus, neq; multus extiterit, cum quadam modica humiditate ad inferiora euacuatus, unde hic murmur ad lumborum loca deſcendens, ſimul deferre contingit hypochondriorum tumorem, ideo dolor ex partium intenſione inducitur, quæ hic ſunt. propterea quandoq; flatus ſolus emittitur, quandoq; flatus & humor, quandoq; humor per urinam excernitur. unde niſi flatus erumpat, uel per ueſicam urinæ copia fluat, aluus humectatur.

Quod legitur, Seorſum uero ſpiritum in inteſtinis retentum per ſedem excerni, Gręce habetur, ἰδίᾳ δὲ τὸ κατακλεισθὲν ἐν τοῖς ἐντέροις πνεῦμα διὰ τῆς ἕδρας ἐκκριθῆναι. ideſt, ſeorſum uero ſpiritus in inteſtinis retentus per ſedem excerni.

Quod etiã legit̃, cito ad ueſicã permeare, antiquus noſter cõtexus eodẽ modo legit, ταχέως, ideſt cito, ſed emendatus eſt, & legit ῥᾳδίως, itaq; etiã contextus Aldinus habet. potius nos legendũ putamus ῥᾳδίως, ideſt facile, quàm ταχέως, ideſt cito: quia nihil refert, quod cito ſpiritus & humor ad ueſicã permeent; at multũ refert, quod facile permeent,

TERTIO ut Galenus ultimam Aphorismi partem exponat, quæ est in febribus uero hęc, notat antiquos dixisse illos à febribus molestari, qui simplicem febrem patiebantur, sine aliqua affectione alicuius membri. unde qui abscessum non habebant, neq; inflammationẽ, neq; dolorẽ, neq; erysipelas, & febre correpti erant, febrem pati dicebãtur. Si uero febrem ob aliquod horũ patiebantur, uel quia inflammationẽ haberent, aut in iecore, aut in liene, aut in lateribus, hos febriẽtes non uocabãt, sed ab huius affectionis nomine denominabant, unde hos pleuriticos, peripneumonicos, hepaticos, & lienosos appellabant. Quare unum duorũ uult Galenus in Hippocrate intelligi, uel quod prædicta accidunt febribus simpliciter, in quibus non est aliqua affectio in aliquo mẽbro: uel quod hæc in illis morbis accidunt, tamen aluus nõ sit disrupta, nec flatus, uel urinę prodierint. quia nullo motu naturæ in illis membris murmur fieri contingit, quando illa membra spiritum flatuosum expellunt, sed est solum tanquam symptoma.

Quod legitur, Vel abscessu, uel erysipelate deest una particula, uel dolore. Græce enim habetur ἢ ἀποστήματος, ἢ ἀλγήματος, ἢ ἐρυσιπέλατος.

Quod legitur, Neq; à febribus molestari dicebant, Græce habetur οὐδ' ὑπὸ πυρετῶν ἐνοχλουμένους. idest, neq; à febribus perturbatos.

Quod etiam legitur, Vel quod hæc quæ dixit febribus accidunt, græce habetur ὡς ἢ τοῖς πυρετοῖς τούτων ὧν εἴρηκε συμβαινόντων. idest, uel febribus his quas dixit accidentes.

Quod etiam legitur, Vel quod & in illis accidunt morbis, græce est, ἢ ὡς γινομένων μὲν, καὶ ἐκεῖνα τὰ νοσήματα. idest, uel quod factis quidem, & in illis morbis.

APHORISMVS LXXIIII

QVibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu urina multa crassa, & alba facta, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si uero etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

BRASAVOLVS

QVANDO in ægritudine medicus coniecturis morbum per abscessum ad articulos finiturum uidet, si æger magnã urinæ copiam minxerit, quæ crassa sit, & alba, qualis illa est quæ solet in laboriosis febribus quarto die apparere, hæc urina ab abscessu hunc ægrũ liberat. nec mirum, quia materia illa quæ ad abscessum permeare debebat, per urinæ uias transiuit, propterea amplius abscessus non fit. Si pręterea sanguis ex naribus fluat, ab abscessu liberatur: quia & per nares expurgatur materia, & breuiori tempore soluitur, si per nares exeat sanguis, quàm si per urinam. Oribasius ex hoc uno aphorismo duos aphorismos facit. unus est quibus speratur in articulis abscessum futurum, liberantur per abscessum. ut si cui fuerit abscessurum in genu, & abscessus fuerit factus in talo, hoc corpus per abscessum liberatur. Itaq; quoties in arterijs fuerit ex fluxu humoris à capite, locus ille per quem eruperit, liberat corpus à periculo. quia si in suo loco erupisset, in faucibus esset abscessus. Tamẽ hoc nunq; uoluisse Hippocratẽ in hoc aphorismo certũ est, quãuis in se uerũ sit. nam si materia quæ in uno loco abscessum facere debebat, ad aliũ locum transmittatur, primus ille locus liberabitur. At de diuersis abscessibus in diuersis partibus sermonẽ non habet Hippocrates, sed de abscessu tãtum à quo æger per urinã liberetur, tamen per eandem rationẽ, quia materia aliò transmittatur, & nõ ad locũ in quo abscessus fieri debebat. Post hęc idẽ Oribasius ex secũda aphorismi parte aliũ aphorismũ facit. At re uera conclusionẽ nõ habet, nisi ipsum totũ, idest primã simul aphorismi partẽ cũ hac secũda referamus, ut consideranti manifestum esse potest. Philotheus huius aphorismi sententiam hoc modo introducere uidetur, ἐλπὶς δ' ἐστὶν ἤτοι προσδοκία, ἐν τοῖς ἄρθροις γίνεσθαι τὴν ἀπόστασιν τοῖς ὁπωσοῦν κοπιώδεσιν πυρετοῖς, ἀλλὰ τούτων οἱ μὲν, ὑπὸ προκαταρκτικῆς αἰτίας γίνονται, οἱ δὲ ὑπὸ προηγουμένης. ἐνταῦθα δὲ ὑπὸ τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας γινομένους κόπους ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει, καὶ ὑπὸ τῆς προκαταρκτικῆς αἰτίας τοὺς προηγουμένους κόπους τοὺς πυρετούς. ὑπὸ τούτου γὰρ μάλιστα τοῦ ἑλκώδους ἡ ἀπόστασις λύεται τὴν νόσον. idest, spes est uel expectatio, fieri ad articulos abscessum in laboriosis febribus quomodocunq;: sed harum (scilicet febrium) hæ quidem ab extrinseca causa fiunt, illæ

fiunt, ille uero à præcedente, uel intrinseca. hic igitur de labore facto ab extrinseca causa Hippocrati sermo est, & in extrinseca causa labore præcedente febrem. In hac (scilicet febre) enim potissimum hulcerosa, morbum per abscessum solui.

οἷσιν, uel ὁκόσοισιν ἐς ἄρθρα ἀφίστασθαι μέλλει ἡ ἀπόστασις. idest, Quibus ad articulos futurus est abscessus.] Ita habet antiquus noster cõtextus, sed Aldinus addit hãc particulã ἐλπὶς, inquiẽs, ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐν τὰ ἄρθρα, & reliqua, idest, Quibus spes est abscessum futurum ad articulos, uel quibus speratur. Theodorus non habuit in suo cõtextu particulam, ἐλπὶς, propterea interpretatur, Quibus abscessurũ in articulos est. Si aũt cognoscere uolueris, quãdo ad articulos abscessurũ sit, illa quæ ab Hippocrate & Galeno superius dicta sunt in memoriã reuocato. nam quãdo aliquis laborẽ in articulis passus est, abscessurũ ad articulos sperare oportet: uel quando in morbo ex ui morbi lassi effecti sunt, tunc sperandũ est ad articulos abscessus fieri: & quando morbus ex crassis humoribus factus, & qui adhuc perseuerãt, diu perdurauerit, abscessum ad articulos futurũ sperare conuenit, quia diuturnæ febres quadragesimũ diem transeuntes, per abscessus finire solent. Quibus ergo speramus, & bona spe, quia ita sanantur, ad articulos, idest, ad omnes adenosas partes, & ad articulos, immo & circumferentiã fieri abscessus, tunc sequitur,

οὖρον πολὺ, καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον. idest, Vrina multa, crassa, & alba facta.] Hæc enim urina quia alba à pituitosa materia prouenit. ut plurimum uero hi abscessus à tali materia fiunt, propterea hac urina apparente, signum erit materiam quæ abscessum inducere debebat, illuc tendere, & presertim quia crassa. at quia multa, totam materiam exire significat, ideo nihil amplius relinqui, quod ad articulos, & ad adenosas partes transire possit, & abscessus inferre. Hæc igitur urina tres conditiones habere debet, multa, crassa, alba.

οἷον ἐν τοῖσι κοπιώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. idest, Quales in laboriosis febribus quarto die quibusdam fieri incipiunt.] Oribasius per laboriosas febres hemitritęum, & duas tertianas intelligit, quæ ex bile & pituita fiunt: an uero recte, tu considera. Actuarius libro secundo De urinarum iudicijs, capite uigesimotertio inquit, In principio habere urinam albam tenuẽ, & ueluti aqueam, sed postea in processu fieri crassam, & habere hypostasim cumulatã. Tamẽ per laboriosas febres, malas intellige, & uehementes, in quibus urinæ in aliquo indice die, quid futurum sit in eo supra quem indicant, ostendere incipiunt. Nec te ipsum ad diem quartum coarctare debes. Antiqua translatio omnes recentes hic errare fecit, quia ubi legitur Quarto die, habet Quartanis. uel intellige per laboriosas febres illas quę difficulter soluuntur, quę cum pituitosæ sint, similes urinas habent. & bene dicit, fieri incipiunt, quia deinde paulatim coquuntur. uel intellige (& melius) febres laboriosas illas, quæ cum uno prædictorum laborum in secundo libro, & in aphorismo trigesimoprimo huius quarti libri fiunt. At Philotheus ab alia re laborum distinctionẽ sumit, quam nos superius fecerimus. inquit enim, τριττὸς γάρ ἐστιν ὁ κόπος, ἢ γὰρ προηγεῖται ὁ κόπος τοῦ πυρετοῦ, ἢ ἕπεται, ἢ σύνεστιν. ἐὰν οὖν προηγήσεται ὁ κόπος τοῦ πυρετοῦ, ἐλπὶς ἐστι ἀπόστασιν τὴν κρίσιν γενέσθαι ἐν τοῖς ἄρθροις· καὶ ἡ αἰτία εἴρηται. ἐφ' οἷς οὖν ἐστι ἑλκώδης, ἐστι ἀπόστασιν γίνεσθαι τὴν κρίσιν, ἐὰν ἔλθοι οὖρον παχὺ λευκόν. οἷον ἐν τοῖσι κοπιώδεσιν πυρετοῖσι, τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ εἰ ἐπιφαίνηται διὰ τὴν ψύξιν ταχὺ ῥύεται τῆς ἀποστάσιος ὁ κάμνων τῆς μελλούσης ἔσεσθαι, διὰ τὸ κινεῖσθαι τὰ αἴτια τῆς ἀποστάσιος τὰ νοσοποιά. idest, Triplex enim est labor, etenim uel labor præcedit febrem, uel sequitur, uel simul est. Si igitur labor febrem præcedit, spes est per abscessum crisim fieri ad articulos, & causa dicta est. ex quibus igitur est hulcerosa, per abscessum fieri crisim, si urina crassa alba prouenerit, ut in laboriosis febribus quarto die uidetur, ob frigiditatem cito liberatur laborans ab abscessu, qui fieri debebat, quia mouentur causæ abscessus, effectrices morbi.

Ην δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμοῤῥαγήσῃ. idest, Si uero & ex naribus fluxerit sanguis.] Quod potes & præcedenti sententiæ coniungere, & per se dicere. Galenus per se ponit. Si coniungas, hic est sensus, quibus speratur abscessum futurũ ad articulos, liberat ab abscessu urina multa, crassa, alba. Si aũt & fluxus sanguinis nariũ simul cũ urina suprauenerit, tãto citius ab abscessu liberatur, quia per duas uias tẽdet materia: nã & per urinã, & per nares simul tendet. Vel cũ Galeno simul intelligamus, quod fluxus sanguinis nariũ fiat

ſine tali urina. nam & ipſe aptus eſt hominem ab abſceſſu laborare. fluente enim ſangui ne, & materia ſimul quæ abſceſſum inducere debebat, ab ipſo liberat, & ideo recte Philotheus dicit, κατακμεριζομένη γὰρ ἡ ὕλη ἄνω τε καὶ κάτω τάχιστα ἀπόλυσις γίνεται τοῦ νοσήματος. ideſt, In partes diuiſa enim materia ſuperius & inferius uelociſſime ſolutio morbi fit.

Καὶ πάνυ ταχὺ λύεται. ideſt, Et breui admodum ſoluitur.] Vel ualde cito liberatur hic æger ab abſceſſibus. Intelligentes uel ſi fiat etiam fluxus ſanguinis narium cum illa urina, uel per ſolum fluxum ſanguinis ex naribus ualde cito liberatur, & citius quàm per urinam, quia pluri tempore indigemus ſi materia per urinam expurgetur. cum uero natura frequenter per oppoſitas partes materiæ euacuationem ſimul non faciat, ideo ſeorſum urinas tales intellige, & fluxum ſanguinis narium ſeorſum. quamuis græcus contextus per particulam καὶ, fluxum ſanguinis narium cum urina tali continuare uideatur, & Theodorus Gaza interpretatus ſit, ſed ſi ſanguis quoq;. ut ferè notare uideatur, id quoq; addendum eſſe.

GALENVS

DICTVM eſt à me etiam prius quòd abſceſſus fiunt ad articulos his qui in eis laborem paſſi ſunt, & quibus quouis modo in morbo articuli laſſati ſunt, & præterea in quibuſcunq; craſſorum humorũ multitudo longo tempore perdurauerit. Si itaq; natura ualuerit per urinam expurgare corpus, æger ab abſceſſu liberatur, humorem ad articulos decubiturum per ueſicam euacuans. Satis autem habuit laborioſarum febrium ueluti in quodam exemplo meminiſſe, quæ initium ad urinam motionis in die indice accipiũt. His enim laborioſis hoc ineſt, quòd cito abſceſſus faciunt nõ expectãtibus, ut aliæ, tempus prolixius. His uero ipſis, & iuxta aurem fieri abſceſſus cõſueuere, ſicuti alijs prolixioribus multitudo plus ad inferiora decumbit. Quibus igitur caliditas maior magis materiam ſubleuauit, uel ſanguinis profluuiũ patiũtur, aut parotidas, ideſt iuxta aures abſceſſus habent. Quod autem ſolutio hæc ocior ſit altera per urinas, non oportet dicere, quare & in ipſa adiecit Hippocrates. Et breui admodum ſolutio fit, altera quæ fit per urinas euacuatione plures exigente dies. Quod autem quarto die dicitur, pro exemplo poſitum eſt. Te uero oportet transferre ad omnes dies alios quicũq; ſunt contemplabiles, & iudicatorij.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, ex quot poſſimus prænoſcere, quando abſceſſus ad articulos fieri debẽt. prænoſcitur, quia articuli aliquid paſſi ſunt. prænoſcitur, quia aliquo modo in morbo laſſati ſunt. prænoſcitur, quia multi humores longo tempore perdurarunt.

Quod legitur, Articuli laſſati ſunt, Græce habetur, ἐν τῇ νόσῳ κοπιώδεσι γινομένοις. ideſt, In morbo laſſati ſunt, & non adeſt particula illa articuli, nec poni debet, quia poſita eſt in prima cauſa: ſed intelligi debet de ipſis uiris, qui in morbis effecti ſint laſſi quomodocunq;. tamen antiquus noſter contextus habet, ἄρθροις, ſed confoſſus eſt.

SECVNDO docet, Si natura per urinam humores expurgare poterit, quod ab abſceſſu liberabit.

TERTIO laborioſarum febrium exemplum poſuiſſe uult, quia hæ febres hoc habent, quod abſceſſus cito faciunt, & potiſſimũ poſt aures. Sicuti prolixiores ad infernas partes potiſſimum faciunt. ut hinc uideas quod per laborioſas febres uehementes intelligit. & tu potiſſimum illas intellige quæ fiunt, aliquam laſſitudinem ex his quas ſuperius nominauimus inſequentes. & in ſecundo libro ubi dicebat, ſpontaneos labores morbos prædicere, & in Aphoriſmo trigeſimoprimo huius quarti libri.

QVARTO Galenus docet, Si in his, in quibus labores fieri debẽt, caliditas maior ſit, tunc materia ſubleuatur, & neceſſarium eſt, uel parotidas, ideſt abſceſſus poſt aures, fieri, uel profluuium ſanguinis narium: & hic ſanguis exiens ab abſceſſibus liberat, qui fierent.

QVINTO cõparat ſolutionem & liberationem ab abſceſſibus per urinam, illi quæ fit per fluxum ſanguinis narium. nam hæc liberatio à fluxu ſanguinis narium ocyor eſt. & quod id ſit, non eſt opus probare uel declarare, quia ex ſe manifeſtiſſimum eſt, & in quotidiana experientia habetur.

Deniq; Galenus docet dictum esse, quarto die, ut hoc die tanquã exemplo uteretur. nam per ipsum, omnem iudicatorium diem intelligit, per quem de alio die iudicium dare possumus. Vnde omnes dies contemplabiles uel iudicatorios per quartum diem intelligimus.

APHORISMVS LXXV

SI sanguinem, aut pus mingat, aut renum, aut uesicæ exulcerationem significat.

BRASAVOLVS

IN urinis sanguis nonnunquam, nonnunquam pus exit. Quicquid horum tibi præsentetur, iudica statim, uel in uesica, uel in renibus exulcerationem factam esse, quia pus & sanguis sine ulceratione exire non possunt, exulceratio autem est in partibus à quibus urina fluit, quæ sunt renes, & uesica.

Ην αἷμα. idest, Si sanguinẽ.] Sanguis è nostro corpore tribus modis solum exire potest, aut per fractã uenã, aut per uenę caput quod aperiatur, aut per resudationẽ. Si quis sanguinẽ minxerit, necesse est è partibus fluere, è quibus urina prouenit. urina aũt à iecore prouenit (ut ab hac parte incipiamus, & nõ à toto corpore) à renibus, à uesica, & à pene. eadem ratione & sanguis qui per urinam emittitur, à iecore, renibus, uesica, & pene prouenire potest. unde hic Oribasius dubitat, cũ sint quatuor loca per quæ urina deducitur, cur duo tantum ab Hippocrate numerentur, renes, & uesica, & duo prætereantur, iecur, & penis. Respondet, ideo Hippocrates media loca nominauit, ut extrema intelligeres. Ad rem igitur, sanguine per urinã exeũte, necesse est aut in uno horum membrorum fractã esse uenam, aut os uenæ apertũ, aut sanguinẽ resudare. hęc aũt fieri possunt ab extrinsecis causis & ab intrinsecis, ut ab ictu, & percussiõe, à casu, à potu rei uenenosæ, ut sunt cantharides. hæc omnia harum partium uenas confringere possunt, & exulcerare. Si uero à causis intrinsecis, hæ possunt esse plures. ab Aetio una causa ponitur capite tertio libri decimi, quæ est per quosdam circuitus, & per modum crisis, sicuti sanguis per hæmorrhoidas etiam expellitur: & si prohibeatur, hic hydropem inducere solet, & omnia alia, quę hęmorrhoidarum suppressionem sequuntur: & hic modus etiam à Paulo tangitur capite quadragesimoquinto quarti libri: sed hi per hũc mictũ potius leuamẽ sentiunt, & ipsis prodest. hoc aũt prouenit, uel quia multo sanguine abundet, uel quia membrũ aliquod ipsis abscisum fuerit: propterea nutrimentũ quod ad ipsum transmitti deberet, amplius non transmittitur, & consequenter facta in uenis congregatione per uiam crisis ad urinę uias transmittitur: quamuis quandoq; ad anum, quandoq; ad nares transmitti etiã possit. Religiosam uirginem curaui, quæ singulis mensibus sanguinis mictũ habebat, & illi menses defecerãt. expurgabatur aũt per urinam, quia solum dum mingebat exibat sanguis, aliter uero nõ exibat, quæ & nũc uiuit, & integra sanitate fruitur. unde per uiam crisis esse potest, uel simpliciter ex multo sanguine, quia plenis uenis in ipsis cõtineri nõ potest, sed per uenas resudat, aut uenarũ ora aperiuntur, aut uis corporis ut deoneret se, sanguinẽ per emulgentes uenas simul cũ aquositate transmittẽs, emittit. uel simpliciter hoc corpus multo sanguine nõ abundat, sed ex accidẽti abundet, quia membrũ aliquod amiserit, propterea illius mẽbri nutrimentũ deficiat, ideo sanguis accumuletur, & exaceruatus naturã ad expellendũ cogat. Alia causa potest esse ex ipso sanguine, qui adeo biliosus sit & tenuis, ut resudet, uel ora uenarũ aperiat, uel frangat. Alia causa potest esse ex iecoris, & renũ imbecillitate, quæ sanguinẽ ab aquositate separare nõ possit. ideo sanguis ipse simul cũ urina exit. Alia causa ea esse potest, quæ in Aphorismo dicitur, & à Galeno & à Paulo præcitatis locis refertur, & à Galeno li. sexto De locis affectis ca. tertio: quando in iecore pręsertim in gibbo, aut in renibus, aut in renũ canalibus, aut in uesica, aut in pene exulceratio facta sit. Per hęc uero distinguũtur, quia si ex iecoris exulceratiõe fiat, in iecore dolor persentitur, & tussicula quędã sicca adest: si uero ex renibus, aut renũ uijs, dolores in illis locis sentiuntur. In renibus aũt sunt minores, quia minorem sensum renes habent, & sanguis est ualde urinæ mixtus, quia per longinquã uiam uenit. Si uero ex exulceratione uesicæ, circa uesicã dolor sentitur,

& circa pecten, & est minus urinæ mixtus. hoc aũt intelligendo, quando crassus est, quia quando tenuis est, urinã tingit ut id discerni nõ possit. tamen ut plurimũ est crassus, quia sanguis quando extra uenas etiam per tẽporis modicũ fuerit incrassescit, & in globos cõformatur, nisi statim mingatur. Quando aũt à pene prouenit, dolor in pene est, & priusquam urina exeat, exit sanguis. Hæ uero sunt omnes causæ mictus sanguinis, ex quibus unam solam prosecutus est Hippocrates, scilicet harum partium exulcerationem.

Ἢ πύον οὐρέῃ. idest, Vel pus mingat.] Vnde uel sit sanguis, qui rupto abscessu exeat, uel pus factum per naturalem calorem agentem in illum sanguinem, semper

τῶν νεφρῶν ἢ τῆς κύστεως ἕλκωσιν σημαίνει. idest, Renum, uel uesicæ exulceratione significat.] Pus autẽ quod per uesicam exit, potest etiã ex abscessu lateralis morbi exire, & ad uesicã tendere, ut in libro De locis affectis à Galeno edocemur, & esse potest ex ulcere gibbæ partis iecoris. hæc ab Aetio & Paulo præcitatis locis longius traduntur, & à Galeno sexto libro De locis affectis capite tertio, ubi cũ dixerat, exire quandoq; pus cũ urina, addit, quandoq; exire sanguinẽ, quod erosi iam ulceris indicium est. unde Oribasius hic dicit, sanguis quidem ex ruptura fit, pus autem ex exulceratione. Tamẽ quia tu quærere posses, cũ in urinis pituitosa materia quandoq; descendat, quæ cũ pure similitudinem habet, quę differentia est inter pituitosam materiam & alia crassiora in urinis contenta, & pus ipsum? Respondemus, Actuariũ libro secundo De iudicijs urinarũ capite tertio tibi satisfactũ ire. nam dicit, quin etiã interdũ accidit, ut eiusmodi mucosa detenta in membris urinarijs, homini dolorem non parum afferant, cuius urinæ contenta inspecta similia feceris saniei: sed differũt ab ea, qua nec male olẽt, & qua multũ sunt uiscida. sanies uero quãdã quoq; uiscositatẽ habẽs distat à uiscositate, quæ in humore crudo memorato insistit. Cognoscitur etiã sanies, eo quod præcessit in loco dolor, quodq; cõtingit sanguinẽ mingi, atq; sanies posita super carbonibus grauiter olet. Hęc Actuarius, ex quibus puris differentiã, & pituitosorũ in urina cõtentorũ excerpere facile potes.

Sed alicui forte mirũ uidebitur, cũ tot causę puris & sanguinis mictus sint, hæ solum ab Hippocrate numerẽtur. Respondemus, ex alijs causis rarius aduenire, & quando ex alijs partibus sit, in illis lęsionẽ & dolorẽ persentiri, nisi sit per modum crisis. Vnde & Hippocrates in libro De hominis natura, in fine illius partis, ubi de uenarũ natura sermonem habet, inquit, si urinæ cruentæ sunt, in uenis uitiũ est, ac genus uitij non explicat, quia multa esse possunt. uel non erat conueniens, eum authorẽ, qui succincta quædam traditurus erat, omnia ad amussim explicare. Philotheus, ex hoc uerbo οὐρέῃ, idest mingat, aphorismo sensum condonat, inquiens, εἰπὼν οὐρέῃ, ἀπελέγχει τοὺς λέγοντας, ἐξ ἀποστήματος ῥαγέντος ἐν ἥπατι ἢ ἐν ἄλλῳ μορίῳ φέρεσθαι τὰ οὖρα. ἐπὶ ἐκείνου μὲν γὰρ, ἐπὶ μιᾷ ἢ δύο, ἢ τρεῖς ἡμέρας καθαίρεται· ἕλκωσιν σημαίνει. τοῦ γὰρ ἕλκους διαβιβρωσκομένου, συναναβιβρώσκεται καὶ τὰ ἀγγεῖα καὶ ἅμα τὸ πύον κενοῦται καὶ αἷμα. ὥσπερ ἐπὶ τῶν δυσεντεριώντων γίνεται. διὰ τί δὲ τῶν οὐρητήρων οὐκ ἐμνήσθη; γίνεται δὲ κἀκεῖσε τοῦτο. διότι μνησθεὶς τῶν ἄκρων, συμπεριέλαβε καὶ τὰ μέσα. idest dicẽs mingit, eos reprehendit, qui dicunt, ex abscessu facto in iecore, uel in alia parte urinas deferri. In illo quidem in uno die uel duobus uel tribus purgatur, & nõ amplius. hoc autem longa temporis productione purgari exulceratione significat. nam ulcere exedente uasa quædam corroduntur, & simul pus euacuatur, & sanguis. sicuti in dysenteriam patientibus fit. propter quid autem ureterarum non meminit? hoc enim & in ipsis fit. quoniã extremitatum mentionem faciens, simul accipe & media. Celsus capite septimo secundi libri hunc aphorismum ad uerbum refert inquiens, At si sanguis, aut pus in urina est, uel uesica uel renes exulcerati sunt.

GALENVS

SIVE in renibus, siue in uesica ulcus factum fuerit, si quidem in uase aliquo effatu digno constiterit, & præcipue cum aliqua exesione, sanguinis excretio cõsequitur, sine hoc aũt puris tantũmodo. Contingit aũt facto ulcere in aliquo urinæ meatuũ, & pus, & sanguis per urinam exeat. Hi uero renes, ac uesicam interiacent, & oportet, hos illis subaudire. Exulcerantur autem magna ex parte his qui in renibus lapidem habẽt meatus urinarij, quando à lapide aliquo acuto, aut admodũ aspero in ipsis intersepto excoriantur. Vlcera autem si in pene fiant, etiã sine urinis & pus exit, & sanguis. Exit autem & simul cum urinis aliquando pus disrupto abscessu in aliquo aliorum locorũ. Quare

& plures

& plures expositores alteram scripturam magis probarunt in qua coniunctio, &, scribitur, in hunc modum, Si sanguinem, & pus minxerit, renum, aut uesicę ulcerationem significat. quasi altero solo, scilicet pure, per loca urinæ exeunte fieri possit, ut sit signum non modo renum, uel uesicæ exulceratæ, sed etiam alicuius partium superiorum. Forte igitur & hi aliquid dicunt. Forte autem & uerbum, mingat, quod aliud ostendit, quàm minxerit, in seipso continet distinctionem. Neq; enim idem est, uel ita dicere, si sanguinem & pus mingat, uel illo modo, Si sanguinem & pus minxerit. In uno enim, uel duobus, uel tribus diebus potuit minxisse pus disrupto abscessu ad urinę instrumenta. Multis autem diebus, ac mensibus, ubi hoc factum fuerit, renum, aut uesicæ exulceratio significatur. Quod autem ipsorum magis, & dolor distinguit qui in differentibus accidit locis, & ea quæ cum urinis excernuntur, de quibus deinceps loquetur, & quidem de urinarijs meatibus eadem est ratio.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc Aphorismum non solum ad renes, & uesicam ampliat, sed etiam ad omnem amplum meatum ex his per quos exit urina. meatus autem præter renes, & uesicam, ureteres sunt, & penis, unde per renes & uesicam omnes alios meatus subintelligere oportet.

SECVNDO docet, habentibus lapidē in renibus, urinarios meatus exulcerari, ideo à uasis urinarijs sanguis, & pus tunc exit. quando autem in pene ulcera sunt, etiam sine urina sanguis, & pus exeunt. Quare hæc est differentia. tamen & pus, & sanguis exeūt abscessu in aliquo superiorum locorum disrupto.

Quod legitur, in aliquo aliorum locorum, eodem modo à nostro antiquo contextu legebatur, scilicet ἔν τινι τῶν ἄλλων χωρίων, sed illa particula ἄλλων, obelo confossa est, & eius loco scriptum est ἄνω, & contextus Aldinus habet ἄνω, ut sensum faciat, in quodā superiorum locorum. Nosq; putamus legendum esse ἄνω, idest, Superiorum. quamuis nihil impediret legi ἄλλων, idest, aliorum: quia uesica non est superior ad ureteras: tamē quia uesica est superior ad penem, & renes superiores ad ureteras, magis probo, ut ἄνω legatur, quàm ἄλλων.

TERTIO, quosdam expositores copulatiue legisse ostēdit, si sanguinē, & pus. quia unum ex his solum à partibus superioribus prouenire potest. Quos Galenus non reprehendit, immo ipsos mediocriter laudat.

QVARTO Galenus innuere uidetur quod in uerbo οὐρέῃ, idest, mingat, sit facta solutio. nam differunt dicere οὐρέῃ, idest, mingat, & οὐρήσῃ, idest, minxerit. nam unum significat de præsenti, & aliud de præterito, & unum significat per multos dies & mēses perseuerantiam. tamen quia penitus uerum non est, quod hæc uerborum tempora, ista præ se ferant, propterea Galenus dicebat, ita forte dici posse. At non asserebat, ita determinate dicendum esse.

Deniq; Galenus dubitat, cum renum & uesicæ exulcerationem significet, quod horum magis significabit? Respōdet, dolorem qui in illis partibus fit, quæ diuersa sunt distinguere, immo & illa quæ per urinam exeunt, distinguunt: quæ autem hæc sint, posterius edocebit. Si etiam de urinarijs meatibus, idest, pene & ureteribus quæsiueris, eadē ratio est, quoniam dolor in illis partibus, & exeuntia ostendunt.

Quod legitur, Quod autem ipsorū magis, Græce habetur ὁπότερον δὲ αὐτῶν μᾶλλον, idest, utrum autem ipsorum magis.

APHORISMVS LXXVI

QVibus in urina crassa existente, carunculæ paruę, aut ueluti capilli unà exeūt, his à renibus excernitur.

BRASAVOLVS

QVI crassam urinam mingunt, in qua paruæ sint carnes, aut simul cum paruis carnibus, uel etiam seorsum ueluti capilli exeant, à renibus excernuntur. nempe nullus

est alter locus, à quo carunculæ illæ, uel quædam in caruncularū formā prouenire possint, quàm à renibus, qui in minimas partes fracti, in quędā, quæ sunt de renum substantia resoluuntur. Capilli autem, aut aliqua in capillorum modum, ab alio prouenire non possunt, quàm à renibus, in quibus generantur.

ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι. idest, Quibus in urina crassa existente.] Galenus per crassam urinam mediocrē intelligit, quæ respectu tenuioris crassa uocatur, & hoc quando cum urina carunculæ exierint: sed cum exeunt ueluti capilli, nihil refert an crassa sit an tenuior urina. unde Galenus Aphorismum hoc modo exponendum esse iudicat, Quibus in urina crassa, idest, quæ non est tenuis, & Philotheus Galeni sententiam imitatur inquiens, οὖρον παχὺ ἐνταῦθα τὸ κατὰ φύσιν καλεῖ, παραβάλλων αὐτῷ τὸ παρὰ φύσιν λεπτόν. τοῦτο γὰρ τὸ κατὰ φύσιν μέσον ὄν, πρὸς μὲν τὸ λεπτὸν παραβαλλόμενον, λέγεται παχὺ, πρὸς δὲ τὸ παχὺ, λέγεται λεπτόν. idest, urinam crassam hic secundum naturam uocat, tenuem præter naturam illi comparans. hoc enim quod medium secundum naturam est, ad tenue quidem comparatum crassum dicitur: ad crassum uero tenue nuncupatur.

Σαρκία μικρά. idest, carunculæ paruæ.] de quibus Galenus non modo hic, sed & in sexto De locis affectis libro capite tertio disserit, inquiens, sed efficacissima ulceratorū renum coniectura est, si cum urina exiguę quædā carunculæ excernantur, utpote quas renum essentiæ partes, easq; ob uehementem ulceris erosionem auulsas esse constat. unde non solum docet hoc loco Galenus esse renum substantiæ partes, sed pręterea addit quid prædicere debeamus, scilicet malum, quia significatur uehemēs ulcus in renibus, cuius uiolentia renum partes euelluntur, & cum urina exeunt. At ne putes quod sint frusta carnium notatu digna, sed exigua sunt, & parua, ideo non ab re ab Hippocrate σαρκία, idest, carunculæ nuncupantur. tamen quia quandoq; sanguinis frustula cum urina exeunt, propterea hoc modo cognoscuntur, quia cum est ex substantia renum, est caro, non sanguis coagulatus, & cum dolore renum infertur, quod opus nō est in coagulato sanguine exeūte contingere. Est aūt morbus ferè incurabilis, ut Aetius libro undecimo capite decimooctauo docet, & Paulus Aegineta libro tertio capite quadragesimoquinto differentiam ponere statuens inter renum exulceratione, atq; uesicæ inquit, quando renes exulcerati sunt, exiguas carunculas nonnunquàm cum urina exire. & non ab re Paulus dicit nonnunquàm exire, quia non est opus etiam si sint exulcerati renes, quod semper exeant, sed bene è contrario, quoties carunculæ exeunt, renes exulcerati sunt, tamen renum ulceris alia signa esse constat, hæc uidelicet: dolor cum quadam grauitate circum lumbos creberrime uexat, & citra impedimentum emingunt, atque cum lotio pus aliquando emittitur. sed de hac re Aetius diffusius & elucubratius tractare uidetur quàm Paulus. Tu hos authores in præcitatis locis consule, ne Paulum, & Aetium integros adducere cogamur. Ab hoc tamen Aetij signo enumerãdo abstinere non decreuimus, quoniam & uerissimum est indicium, dolorem hunc pulsatilem esse retro iuxta primum dorsi uentriculum, & paululum supra spurias costas distenditur. At ex pene in quo sit abscessus, & postea exulceratio fiat, ueluti carunculæ exire non possunt, quia caro alterius generis est, quàm illa renum, & etiam discernerentur, ex alijs, quæ à præcitatis authoribus ubertim descripta sunt. Philotheus etiam hic dicit, ἐὰν οὖν ᾖ τὸ οὖρον κατὰ φύσιν, δῆλον ὅτι ἔρρωται τὸ ἧπαρ, καταλείπεται δὲ τὸ πάθος εἶναι ἐν τοῖς νεφροῖς, καὶ ὡς περ μικρὰ σαρκία ἐκκρίνεται, ἅπερ τινες ὀροβοειδῆ καλοῦσιν, ὑπεροπτωμένου παχέος αἵματος ἐν νεφροῖς, ὑπὸ δυσκρασίας θερμῆς ἐκεῖσε οὔσης. idest, Si igitur urina secundum naturam sit, manifestū est, quod iecur robustum sit. Reliquū est passionem esse in renibus, & tanquàm paruę carunculę secernuntur, quas nōnulli orobeas uocant, sanguine crasso in renibus supra modum assato, uel adusto, à calida temperatura illic existente.

ἢ ὥσπερ τρίχες συνεξέρχονται. idest, uel tanquàm capilli unà exeūt.] Hippocratis contextus innuere uidetur, & carūculas, & ueluti capillos exire, quia uerbum συνεξέρχονται, quod unà exire significat, id referre uidetur. tamē cum hæc sint duo distincta, & Galenus notet unum absq; alio accidere posse, ut etiam in sexto De locis affectis capite tertio innuit: propterea simpliciter id uerbū συνεξέρχονται, idest, exeunt interpretemur, ut Theodorus facit: & nō, unà exeūt, ut Leonicenus. Potius igitur Hippocratis sententię ueritatem defendamus, quàm alicuius uerbi purum & integrum significatū: præsertim cum in

cum in compositione plerunq; hæ coniunctiones, uerborum significata non immutet. Erũt ergo duo distincta, & quæ in diuersis hominibus, & in diuersis temporibus accidere solent, quamuis & simul uno tempore carunculæ contingere possent, & ueluti capilli. Tamen si Hippocratem in libro De natura hominis cõtemplemur, in illius partis fine, ubi de uenarum natura sermonem habet, uelle uidetur unum solum esse carunculas, & capillos. nempe dicit, Si urina quę crassa est, habuerit ad effigiem capillamenti carũculas admodũ minutas, signo est uitium esse in renibus, & articularibus. unde Aphorismi sensus esse uideretur, si carunculæ in urinis sint capillis similes. Celsus quoq; Hippocratem in hoc loco sequi uidetur. nam capite septimo secũdi libri hunc aphorismum refert his uerbis, si hæc (scilicet urina) carunculas quasdã exiguas quasi capillos habet, significat scilicet renũ exulceratione. tamen nos uidimus hęc duo distincta, & renum caruncula nõ sunt aliquo pacto capillis similes, immo potius rotudæ, quas facile uidere poteris quãdo tibi ęgros similes curare cõtingat, urina per linteũ percolata. Et Galenus ipse duo distincta esse notat, & hic, & in sexto De locis affectis libro capite tertio, ubi, posteaq; de carunculis dixerat, quod magnã renum exulceratione significant, de capillis hæc dicit: ea uero quæ pilis similia sunt, Hippocrates quoq; cũ urinis excerni uidit, quẽadmodum in Aphorismis scripsit. ac ipsi etiam uidimus aliquando, quæ semipedis longitudinẽ æquarent, interdũ etiam ijs lõgiora, quæ nõnunq; adeo uidebãtur exigua, ut mirarer quomodo in renũ spatio talia possent consistere. proinde probabilius mihi uidebatur, in uenis huiusmodi res procreari, ut ex his in Galeno diuersitas quædã uideatur, utpote qui in prædicto De locis affectis libro dicat, in uenis hæc capillamenta procreari. & paulo post addit, ex crassa materia & lenta, quã calor calefecit, exsiccauitq;, in uenis consistere: tamen dicit se non intelligere longitudinis ipsorũ causam. At in huius aphorismi cõmento dicit quidẽ ex crassa materia fieri, sed in renibus uri, & substantiam quandam capillis similem generari. forte hic intelligendus est Galenus, ut de renum uenis intelligat, & non in ipsis renum cauitatibus. tamen post dimidiã huius cõmentationis partem, materiã capillos hos facientem, in uenis ponere uideatur, inquiẽs, In ijs igitur quæ sunt ueluti capilli, semper urina est crassa, quum pituitosa substantia, quam uenæ aggregarunt, per renes expurgetur. Et ideo ne sibi ipsi oppositus uideatur, dicere oportet, quod intelligit à uenis ortum habere; sed deinde in renibus excoquitur. Si uero causam quæsiueris, cur adeo producti nascantur, Galenus se ignorare fatetur. Nos uero an causam assignare possimus, tentabimus, non tamen nos ipsos Galeno præferentes, sed potius, ut alijs ansam excogitandi condonemus. Hæc materia ex qua capilli fiunt, crassa est, & glutinosa, propterea & resolutioni resistit, & ne in cinerem uerti possit. nam si aquosa esset, resolueretur: si terrestris, lapidesceret. Cum autem uenas exeat, & renes ingrediatur: cum glutinosa sit, & à paruis uenis in renũ cauitates transeat, paulatim transit, & per partem post partem ex renum calore exsiccatur, nec ita breui finit, quia glutinosa materia ita facile non disiungitur. Vnde isti capilli non sunt de renum substantia, sed crassi quidam humores, qui in renibus ita coquuntur, cum paulatim cõtinui descendant. Nos multo crassiores uidimus, quàm sint capilli, & qui ita affecti erãt, sanitati restituti sunt (ut etiam Galenus de capillis & hic dicit, & in sexto De locis affectis libro) illa propinando quæ urinam prouocãt: quod indicium est, non esse renum exulcerationem, quia renum exulceratio ex his quæ urinam proritant, augetur. Ille autem quem nos uisitauimus, per totam hyemem legumina comederat, tamen neq; dolorem ex his capillis habebat, neq; aliquod nocumentum persentiebat, sed quandoq; hoc uidens exterritus, ad me accessit, putans ipse lumbricos esse. non erant multũ crassiores capillis, & erant albi, ut ex pituitosa materia facti uiderentur. immo & nunc reuerẽdissimam uirginem & pudicissimã Elleonoram Estensem (cuius nomen nunquàm sine digna præfatione nominandum est) curamus, & in urinis ueluti capilli uidentur, quandoque ad spithami longitudinem extensi: sed in huius uirginis urina cyatho potius inhærent, & scaphio, q̃ sint per urinæ substantiã sparsi, ipsaq; in dies aperientibus potionibus sumptis, & ex febre, & ex horũ capillorum generatione liberatur. De his uero capillis hæc à Philotheo dicũtur, αἱ περὶ δὲ τρίχες δηλονότι λοιπὸν καὶ ἐκκρίνονται, τῆς παρὰ φύσιν θερμασίας τῆς ἐν τοῖς νεφροῖς φρυγείσης τὴν περιεχομένην ἐν αὐτοῖς παχεῖαν, καὶ φλεγματικωτέραν ὕλην, καὶ

ὕλην, καὶ διὰ τοῦτο καὶ πρὸς τὸ σχῆμα τῶν νεφρῶν, ἐπιμήκεις ἐκκρίνονται, idest, Certũ est quod tanquàm capilli albi excernuntur caliditate præternaturali exurente cõtentam in ipsis renibus materiam crassam, & immodice pituitosam: & ob hoc, & ob renum formã, longi secernuntur. Vt simul habeas capillorum in renibus causam, & longitudinis, quamuis alicui fortassis longitudinis causa manca esse uideatur.

Oribasius Aphorismum exponens, de capillamentis solum uerba facit, inquiens ex pituita, & sanguine, adueniente naturali calore, ex pituita fiunt calculi, & ex sanguine ueluti capillamenta in uasis urinarijs fiunt propter qualitatem loci, quemadmodum figulus ex humida argilla figuram aliquã facit, & ad ignem ponit, & quod ante fuit lutũ, lapis efficitur. Sed nos uidimus non quidem ex sanguine, sed ex pura pituita factos capillos, & ita Galenus uere censet.

τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται. idest, His à renibus excernitur.] Hippocratis diligentiam hic notato, qui non dixit exulceratos renes significari, quoniam absq; renum exulceratione, capilli fiunt: sed communiori loquendi modo usus dixit, ex renibus exire. unum autem exit ipsis ulceratis, scilicet carunculæ paruæ, aliud scilicet ueluti capilli renibus non ulceratis, Ideo conueniens fuit communiori uocabulo uti.

GALENVS

PARVÆ quidem carunculæ renum substantiæ indicia sunt, qui uero uti capilli, nullo modo renum. Neq; enim fieri potest, ut ad talem substantię formam ren dissoluatur. Qui enim hoc aiunt renum ignorant naturam, sed neque uesica resoluta, aut exesa, ut quibusdam uisum est, tales urinæ exeunt. Sunt enim huius particulæ filorum similes magis, sicuti & Hippocrates paulo post, eas squamas appellat. Sed ueritas ita se habet, quod nobis forte quadam sæpius uidere contigit, sed alij quidam medici, quantumuis in operibus artis multum exercitati, raro se aiunt uidisse urinas tales. Vocant autem medici hanc passionem capillitium, quoniam capillis similia sunt, & albis magis similia apparent, quæ in urina feruntur. Nuper autem quidam talia corpora tam longa mingebat, ut incredibilis longitudo uideretur, nam quidam ex ipsis ad dimidium cubitum extendebãtur. Hic uero toto ferè anno qui antecesserat in usu cibario habuerat orobum, & fabam, & sæpissime caseum tenerum, ac siccum, & pluribus alijs, & talia mingere contigit qui cibis crassioribus uescebantur. Tali igitur humore in renibus usto capillis similes substantiæ generantur, & quidem modus ipse curandi rationi quæ de causa habetur attestatur. Nam ab extenuantibus, atque incidentibus medicinis, adhibito etiam alio uictu humectante ægri curantur. Si uero tanta esset exulceratio renum, aut uesicæ, quod eorum substantia dissolueretur, non modo nihil ex talibus medicinis iuuarentur, sed supramodum iritarentur. In his itaq; sicuti & in alijs Hippocrates dignus est admiratione, eorum inuentor quæ à pluribus medicis ad hunc usq; diem fuere ignota. Ipsa quoq; sermonis diligentia magnam habet admirationem, cum dicat talia ex renibus excerni. Neq; enim sicuti in priore aphorismo renum causatur exulcerationem, ita & nunc dixit, uerum simpliciter ex renibus inquit excerni: quemadmodum si aliquo mingente lapidem, ex renibus ipsum excerni dicamus, non quod sit pars substantiæ eorum, sed quoniam in ipsis suam habuit consistentiam. Paruæ igitur carunculæ substantiæ renum ulceratarum partes existunt, qui uero ueluti capilli, in renibus quidem consistentiam accipiunt ueluti alij lapides, non sunt autem partes eorum substantiæ. Male ergo in omnibus exemplaribus hic aphorismus sine particula, aut, legitur, Carunculæ paruæ, ueluti capilli. Nullo enim modo carunculæ paruæ assimilantur capillis. Verum oportet inter uerbum Paruæ, & alterum Veluti, mediam ponere dictionem Aut: tanq; Hippocrates non de una re, sed de duabus faciat suo sermone mentionem, quarum una est Carnes paruæ, altera uero, Veluti capilli. In his igitur qui sunt ueluti capilli semper urina est crassa, cum pituitosa substantia quam uenæ aggregarunt, per renes expurgetur. In carunculis autem non est necessarium, nunquàm tamen talem uidi renum dispositionem, sed quæ sunt ueluti carũculæ, sæpius à me uisæ sunt in illis febribus in quibus & quæ sunt similia orobis sedimina conspiciuntur, sanguine crasso in renibus, aut in hepate exusto. Non tamen ueras carunculas unquàm uidi cum urina exeuntes. Puto igitur posse contingere, quod crassa urina ab ipso dicatur, quæ secundum naturam est me-

diocris

diocris. Hæc enim tenui quodammodo opponitur. Neq; nos latet quod propriæ quidem secundum excessus oppositiones ita nominantur: per abusionem autem, et medio, & mediocri, extremorum nomina tribuũtur, cum & ad maxime crassum, tenue, & ad maxime tenue, crassum, nominetur. Quod si ita audiuerimus, sermo talis erit. Quibus in urina quæ tenuis non est ea quæ diximus exeunt, renum est passio, si uero urina sit tenuis, totum uenosum patitur genus. eundem intellectum mihi uidetur etiam in sequenti ostendere aphorismo.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, paruas carunculas de renũ substantiã esse. At ea quæ sunt ueluti capilli, de renum substantia non sunt: quia renes ad talem substãtiæ formam non dissoluuntur, & hi errant qui ita dicunt. Errant præterea qui ex uesica resoluta, & exesa prodire dicunt. immo, ut in seqũeti aphorismo uidere licebit, ea quę ex uesica prodeũt, squamis potius assimilantur.

Quod legitur, foliorum similes, Græce est πεταλώδη, ac si dicat foliacea.

SECVNDO docet unde hæc ueluti capilli proueniant. nam ex crassis humoribus, & glutinosis fieri censet, propterea casum cuiuspiam refert qui longissimos capillos emittebat. hic toto fere anno orobum, fabam, & plerunq; caseum tenerum ac durum comederat, omnesq; qui talia minxerunt, cibos crassos prius comederant, & ideo crassis humoribus generatis ad renes transmittebantur, & hanc formam ut ueluti capilli apparerent, ibi acquirebant. Quod uero ex crassa materia generarentur, & non ex renũ exulceratione, sanandi modus probare potest, quoniam per res extenuantes atq; incidentes, & uictu humectante sanabantur, sed hæc exulcerationi obfuissent. ideo renum exulceratio huius affectionis, quam medici antiqui capillitium appellabãt, causa nõ erat.

Quod legitur, uocant autem medici hanc passionem capillitium. non dicit medici, sed recentes. Græce enim ita legitur, καλοῦσι δὲ οἱ νεώτεροι τριχίασιν τὸ πάθος, idest, uocãt autem recentes hanc passionem capillitium. Græci uocãt τριχίασιν, & Leonicenus uerbum uerbo reddens capillitium à capillis uocauit. Græci uero habent hoc nomen τριχίασις satis æquiuocum. nam cum palpebræ adeo pilis densę sunt ut euellere cogamur, hoc appellant τριχίασιν, ut apud Paulum uidere est libro tertio capite uigesimosecundo. Cum etiam ῥωγμὴ, idest, rima in caluaria fiat per longũ, quæ insensibilis fere sit, hãc appellant τριχίασιν, Latini uero scissuram capillarem. Paulus dicit multos mori, & re uera magis periculosa est hęc scissura, quàm si latior fuerit. Aristoteles pręterea libro primo De historia animaliũ τριχίασιν uocat, cum mulier forte fortuna pilum hauserit, tũc mãmæ uehementissime dolent, & febrem sæpe incidit. Aristoteles putat pilum ad mãmas descendisse. Quod an uerum sit, nunc disputare non pergam. nam de hac re quicquid dici oporteat suo loco ostendemus. Vulgus hunc morbum uocat *Male de pelo*, à Latinis pilaris dicitur. Galenus hæc dicit, inueteratis abscessibus ob uarias humorum qualitates, materiã in calculum, harenã, ligna, carbones, amurcã, fecem, setas porcinas, & in alias similes formas conuerti. propterea aliqui dicunt pilum in mammis generari, alij esse maleficium, sed cur non fit in non lactentibus, si ex humoribus ortum habet?

Quod legitur, Nuper autem quidam talia corpora tam longa mingebat, Græce habetur. φάγχθ λέπις ὄρει μακρὰ τὰ τοιαῦτα σώματα, idest, Quidam autem modo mingit tam longa corpora. Quod sequitur ut incredibilis longitudo uideretur, legendum est, uideatur, ἐδόκει.

Quod etiam legitur, In usu cibario habuerat orobum, Græce legitur, ὀρειγμὸν, & nõ orobum. nam ita legit Aldinus contextus, & ita noster antiquus, sed noster antiquus à uiro quodam docto correctus, obelo confossam habet particulam ὀρειγμὸν, & legit ὀρειγμῶν.

Quod etiam legitur, Et pluribus alijs talia mingere cõtigit, qui cibis crassioribus uescebantur. hic duo contextus habentur, unus, quem Leonicenus sequitur, & noster antiquus eodem modo legit, καὶ ἄλλοις δὲ πολλοῖς οὐρῆσαι συνέβη τοιαῦτα, οἱ παχυχύμοις ἐδέσμασιν ἐκέχρηντο. At noster antiquus contextus correctus est, & eodem modo præcise legit, ut in Aldino contextu habetur, καὶ οἱ ἄλλοι δὲ πάντες οἷς οὐρῆσαι συνέβη τὰ τοιαῦτα παχύμοις

τὰ παχύμοις ἐδέσμασιν ἐχρῶντο, idest, & alij omnes quibus talia mingere contigit, cibis crassioribus uescebantur. Nos hanc lectionem magis probamus, quàm praecedentem: quamuis sensus ipsi non differant.

Quod etiam legitur, Adhibito etiam alio uictu humectãte, deest una particula οὕτως, idest, sic: postea sequatur, aegri curantur.

TERTIO Galenus Hippocratem laudat, qui multa inuenerit ab alijs non inuenta, & qui in sermone diligentissimus fuerit, nam in hoc loco dicit, ista ex renibus excerni, & non dixit ut in praecedenti aphorismo, renes esse exulceratos: quia cum illa exeũt, quae sunt ueluti capilli, renum exulceratio non significatur, sed bene ex renibus exeũt. eodem autem modo hi capilli in renibus sunt, ut lapides: exeuntes uero renum substantia non exit.

Quod legitur, eorum inuẽtor, quae à pluribus medicis ad hunc usq; diem fuere ignorata. Graecus noster contextus habet, τὰ μηδέπω μὴ δὲ τήμερον ἐγνωσμένα τοῖς πολλοῖς τῶν ἰατρῶν αὐτὸν ἐξευρόντα. Aldinus contextus ita etiam habebat, solum differt, quia in fine legit ἐξευρεῖν, & eodem modo Leonicenus in suo contextu habebat, sed in nostro antiquo omnia ferè sunt obelo confossa, & haec deinde suprascripta, τῷ τὰ μηδέπω ποτὲ ἐκ σημείων ἐγνωσμένα πολλοῖς τῶν ἰατρῶν αὐτὸν ἐξευρεῖν, idest, eorum inuentor, quae à pluribus medicis fuere, per signa cognita ignorata.

Quod etiam legitur, Veluti alij lapides, legi debet, Veluti & lapides. nam Graece dicitur, ὥσπερ καὶ οἱ λίθοι.

QVARTO docet legendam esse particulã, aut, quae carunculas, ab his quae in urinis, & uidentur capilli, distinguat. quamuis Celsus septimo capite secundi libri, & Hippocrates in libro De natura humana idem faciant & non duo diuersa.

QVINTO docet, quando exeunt ueluti capilli, semper urinam esse crassam: sed quando carunculae exeunt, urinam crassiusculam esse non est opus.

SEXTO Galenus fatetur se nunquam uidisse carunculas in urinis, quae renum partes essent: sed bene uidit similia carunculis in illis febribus in quibus sedimina orobis similia conspiciuntur. at quae uidit carunculis similia, erat crassus sanguis in renibus aut in iecore exustus: meras uero carunculas nunquàm uidit Galenus. propterea inquit, Hippocratem per urinam crassam, mediocrem intellexisse, quae respectu tenuis crassa dicitur, & respectu crassae tenuis, quoniam medium uni extremo comparatum, alterius extremi uim habet. propterea aphorismi sentẽtiam talem facit, Quibus in urina crassa, idest, quae tenuis non est, praedicta exeant, renum est passio. Si autem sit urina tenuis, totum uenosum genus patitur, unde dicens quae tenuis non est, simul & caruncularũ urinam, & capillamentorum intelligit.

Deniq; infert, eundem esse intellectũ sequentis aphorismi, quantũ sit de urina crassa.

Quod legitur, & quae sunt similia orobis sedimina. legi debet, & quae sunt similia orobis uocata sedimina. Graece enim habetur, καὶ τὰς καλουμένας ὀροβοειδεῖς ὑποστάσεις.

Quod etiam legitur, Puto igitur posse contingere, quod crassa urina ab ipso dicatur, quae secundum naturam est mediocris. Graece habetur, ἐγχωρεῖν οὖν ἡγοῦμαι παχὺ τὸ οὖρον εἰρῆσθαι πρὸς αὐτοῦ τὸ σύμμετρόν τε καὶ κατὰ φύσιν, idest, Puto igitur posse contingere, quod crassa urina ab ipso dicatur mediocris, & secundũ naturã. ut facile uidere possis, esse aliũ sensum, quàm à Leoniceno referatur. In aliquibus cõtextibus legitur, & non secũdum naturã, quos tamen falsos esse iudico. immo est secundum naturam, quia & mediocris.

APHORISMVS LXXVII

QVibus in urina crassa, furfurea quaedam simul exeũt, his uesica scabie laborat.

BRASAVOLVS.

CVM urina crassa mingitur, in qua latae squamae ueluti furfures insint, uesicam scabiem pati iudicare oportet. nempe hae squamae ab alio membro decidi non possunt, quàm à uesica, quia nullũ membrũ talem nerueam substantiã habet, quae in squamas eleuari possit. Scabies uero significatur, quia est materia salsuginea quae id facit, scilicet illas squamas eleuat. immo ij qui patiũtur, magnũ pruritũ circa uesicae partes persentire uidẽtur.

Plinius malū esse iudicat fursura in urinis apparere libro uigesimooctauo capite sexto.

ὁκόσοισιν δὲ ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι. idest, Quibus in urina crassa existente.] Galenus in fine commenti præcedentis aphorismi inquit, urinam crassam intelligendam esse, ut in præcedenti aphorismo intelligebatur. Ibi uero intelligebatur crassa, idest mediocris, ipsam ad ualde tenuem comparans, propterea exponebat crassam, idest non tenuem. unde & à Philotheo dicitur, ἐνταῦθα παχὺ οὖρον, τὸ σύμμετρον λέγει, idest hic urina crassa, mediocritatem significat. & ratio in promptu est, quia cum urina tenuis extiterit, necessarium est genus uenosum pati. Recentes ex falsa interpretatione quædam inuenire coguntur, quæ absona sunt, nam in suis codicibus illam particulam παχεῖ, quæ crassum significat, interpretatam habent pingui. Ideo coacti sunt dicere, urinam pinguem esse mediocrem, quia quod pingue est, cōcoctum est, ob debitam humidi aerei & unctuosi cum sicco terreo commixtionem, & alia dicunt, quæ ad rem nihil faciunt, ob prauam unius uerbi interpretationem: quamuis re ipsa uera esse possint.

πιτυρώδεα συνδιεξέρχεται. idest, Furfurea quædam simul exeunt.] Vel simpliciter, furfurea exeunt. Si uero dicamus simul, idest cum urina hæc furfurea exeunt. Sunt autem furfurea quædam in similitudinem squamarum, unde & Galenus in principio libri De locis affectis, ubi inter ulcus uesicæ, & renum differentiam ponit, & dicit, differentiam esse per essentiæ proprietatem: nam si ea quæ cum urinis excernūtur, lamarum speciem referunt, in uesica ulcus est. Si uero carunculis assimilentur, id erit in renibus. Hoc autem loco Galenus hunc aphorismū adducit, in quo non dixit Hippocrates esse ulcus, sed scabie laborare, tamen quādo scabies adest, semper exulcerationem facit. unde & à Philotheo dicitur, ψωρίασιν δὲ ἐνταῦθα τὴν ἐπίπολυ ἕλκωσιν τῆς κύστεως φησίν. idest, Hic scabiem dicit multam uesicæ exulcerationem. In sexto etiam De locis affectis libro, capite quarto Galenus, ubi inter ulcus renum, & uesicæ ab essentiæ proprietate differentiam ponit, inquit, quippe partes à uesica euulsæ, lamis, à renibus uero carunculis sunt similes. In utrisq; autē his præadductis Galeni locis, Galenus non utitur uocabulo πιτυρώδεα, quod furfurea significat, sed utitur hoc uocabulo πεταλώδη, quod in præcedenti aphorismo Leonicenus interpretatus est, foliorum similes. tamen in libro De locis affectis Copus interpretatur, lamas, possunt uero squamæ istæ ex extrinsecis, & ex intrinsecis causis prouenire. ex extrinsecis, ut ex potu cantharidum, quibus uesica excoriatur, & exeūt ueluti furfurea, & paruæ lamæ. Causæ uero intrinsecæ uariæ esse possunt. Nam quādoq; ob magnam adustionem, quæ in uenis fit, superiores uenarum cortices excoriantur, & cum urinis exeunt. quandoq; ex salsis humoribus, in meatibus uritidibus existentibus fiunt, qui hos meatus excoriant, & tanquam squamulæ prodeunt. Iudicant quoq; recentes, à renibus prodire posse, & à uesica ueniunt, quando salsi humores uel acuti uesicam petierint, & eam in superficie adeo exederint, ut paruæ squamulæ commingantur. Et Oribasio hic teste in marasmo, & ethica febre similiter fiunt. tamen re uera in ethica & marasmo, sunt quædam pinguia potius supernatantia, quàm furfurea. unde exquisitius Actuarius fecit, quàm Oribasius, & elegātius distinxit libro secundo De urinarum iudicijs capite decimo, ubi dicit, Altera parua hypostasis est furfurea sic uocata, quæ peior est prædicta, scilicet orobea, citerior tamen est prauitate laminea. Apparet hæc cum febris in profundis uasis infixa est. Illius meminisse oportet, nanq; interdum est signum solius uesicæ patientis, sed distinguitur hoc etiam concoctione, & cruditate, ac febre, & febris absentia. Galenus autem inter contenta πεταλώδη, & πιτυρώδεα differentiam facere non uidetur. quoniam in præadductis locis hunc aphorismum referens, ubi hic dicit πιτυρώδη, idest furfurea: ibi refert ac si dixerit, πεταλώδη, idest foliacea, uel ut alij interpretantur, laminea. Tamē Actuarius libro primo De urinarum differentijs capite quintodecimo non paruam differentiam facit. nam (ut dicit) πιτυρώδη, idest furfureæ hypostases sunt, quæ uidentur similes furfuri bene moliti tritici. hæ ita magnæ apparent, ut uere furfures credantur. Quamobrem discere conuenit ab euidenti rerum specie, quæ hoc pacto appellantur, ita ut non longius protrahatur oratio decens, ac si disceretur ab ipso posito nomine. Hæc Actuarius. postea sequitur ac si de re diuersa loquatur: lamineæ uero hypostases notę sunt rationi. ipsæ quidem sunt similes laminis, sed non per longitudinem (hoc enim potius uidentur dissimiles)

sed similes sunt specie: laminas uero nouimus appellatas esse, quæ & longitudinem & latitudinem habent, non etiam euidentem altitudinem. In secundo præterea libro De iudicijs urinarum, hypostasim surfuream, & lamineam tanquam duas distinctas hypostases ponit, & cum procedens febris partes corporis solidas attigerit, laminea fit. Vt autem Actuarium, & Galenum simul cōcordes reddamus, scire oportet Galenum sub surfurea lamineam intellexisse, & sub laminea surfuream. nempe differentia non est, nisi in maiori, & minori latitudine, & amplitudine, & in scabie uesicæ quandoque est latior, quandoque minus lata, ex qua etiam scabie quandoque in formã surfurum, quandoque laminarum apparent. At omnes surfureæ ab Hippocrate hic uocantur. Galenus uero modo appellat πιτυρώδεα, idest surfurea, modo πεταλώδη, idest laminea, uel folijs similia. Imò & ipse Actuarius præcitato loco, scilicet decimo capite secundi libri De urinarum iudicijs, cum edocuerit surfurea & ex febre & ex uesicę scabie fieri, & deinde de lamineis loquatur, docet & hæc fieri ex febre, & ex scabie uesicæ: unde dicit, sed quæ audita sunt de surfurea hypostasi, ea audienda sunt hoc in loco. Aut enim totius corporis passio existimatur, si & febris & cruditas aderit: aut solius uesicæ, cum in homine non est febris, & in urina demõstratur concoctio. ut hic intellectus aphorismo dari possit secundum Actuarium, & debeat, Qui febre carent, & urina sit mediocris, & in ipsa appareãt surfurea, uel laminea, his uesica scabie laborat: quia surfurea hypostasis uel laminea, quando non sunt ex uesicæ scabie, semper cum febre contingunt, & ingenti. Galenus uero non curat uel dixerimus πιτυρώδεα, idest surfurea, uel πεταλώδη, idest laminea, & similis folio: propterea quandoque uno uocabulo utitur, quandoque alio, quia lamæ & fu[illegible]ra solum per magis & minus differunt. unde & in præcedenti aphorismo dicebat, particulas uesicæ esse πεταλώδη. & statim Hippocratem in hoc aphorismo referens, dicit Hippocratem in hoc aphorismo eas appellare λεπίδας, idest (ut Leonicenus interpretatur) squamas uel lamas. In hac uero uesicæ scabie, ut Aetius capite uigesimosecũdo libri undecimi inquit, Vesica scabit, his pruritus tum imi uentris, tum pectinis succedit, inque urinis asperæ & surfureæ hypostases deferuntur. Progrediente uero morbo, uesica exulceratur, accessionesque ad ulcera præscriptæ inducuntur. Nosse igitur operæ pretium est, quod non penitus curabile sit malum: curandum tamen ut pro uiribus leniatur. At Paulus libro tertio, capite quadragesimoquinto, surfureas hypostases scabiẽ uesicæ significare dicit: sed squameas & lamineas cum pure habentes, uesicæ exulcerationem significare. Paulus omnino uerum non dixisset, nisi addidisset, quòd pus in fundo matulæ adesset, quoniam laminæ & squamæ in uesicæ scabie apparent. Est autem uesicæ scabies, exulcerationis principium: quum deinde magis exulceratur, ut uenulæ quas habet, disrumpãtur, & febris superuenit, atque exit pus, & circa pectinem & imum uentrem crescit dolor. Trallianus idem sentit, & omnes Græci authores. Vnde & à Philotheo dicitur, ὥσπερ γὰρ ψώρας οὔσης ἐπὶ παντὸς τοῦ σώματος ἐκπίπτουσι τινὲς λεπίδες, ὡς ἐπὶ ἰχθύων, καὶ μάλιστα κινδυνεύουσι οὕτως καὶ ὅτε ἡ ἐπὶ πολὺ ἑλκώσεως ἡ κύστεως, πιτυρώδη τινα σὺν τῷ οὔρῳ ἐκκρίνονται. idest, sicuti enim quum sit scabies per totum corpus, quędam squamulæ decidunt, quemadmodum à piscibus: & præsertim ita proueniunt in magna exulceratione uesicæ surfuracea quædam cum urina excernuntur.

Τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ. idest. His uesica scabie laborat.] Qui illas squamulas uel lamas, uel surfurea sine febre habuerint, & in imo uentre atque pectine pruritus insit. Hippocrates in libro De hominis natura, uelle uidetur surfurea nõ subsidere, sed innatare, ubi in fine illius partis, in qua de uenarum natura tractat, inquit, Si pura, & in summa urina ueluti surfures huc illucque innatent, scire licet, uesicæ scabiẽ subesse. Celsus quoque de surfuribus loquens, non dicit uesicam scabie laborare, nec subsidere: sed cum posuerit malam esse urinã, in qua subrubra subsident, aut liuida, & peiorẽ, in qua fila quædã tenuia & alba. Addit, pessima ex his, si tanque ex surfurib. factas nubeculas repræsentat.

GALENVS

QVANDO urina tenuis fuerit haud secundum naturam uenæ se habent. Cum uero non tenuem, sed mediocrem habuerit substantiã, in quo significato crassa accipere oportet hoc loco, ea quæ simul cum tali urina excernũtur circa renes aut uesicam passionem ostendunt. Cum enim ex uenis urina ueniat, in renibus autem percoletur, in

uesica uero aggregetur, quicquid in ea præter naturam apparuerit, aut uenas, aut renes, aut uesicam male se habere indicabit, sicuti & nunc furfurea, uesicam scabie laborare, quando uenæ multum affectum habent. Feruntur enim & ex ipsis aliquando furfurea, cum earum tunica patitur, quemadmodum & uesicæ, uel cum sanguis qui in ipsis continetur à febre ardente peruritur. Aptior autem ad hoc est quicunque humor in eis crassior existit, & magis qui ueluti fex sanguinis est, quem solemus humorem melancholicum nominare. Sicuti enim cutis superficies quam cutem superiorem nominant, in scabie, lepra, atque lichenibus tenue quid abiicit, quale quod serpentum senectus nominatur: sic ubi in partibus interioribus ea quæ est ueluti cutis tale aliquid patitur, & casus erit passionis similis, hac ratione igitur, & uenæ ipsæ, atque uesica scabie laborantes furfureos cortices una cum urinis emittet. Distinctio aũt fiet ex tenuitate, ac crassitudine urinæ, ut antea diximus. Tenuis enim urina uenas, non tenuis aũt uesicã pati indicabit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, cum urina sit tenuis, uenas non esse secundum naturam, nisi is multum biberit, qui hanc tenuem urinam habuerit. At si urina adeo mediocris sit, ut uenarum, uel iecoris affectio non notetur, quicquid per urinam excernitur, id totum uel supra renes, uel supra uesicam diiudicat. quia ex uenis urina uenit, percolatur per renes, & in uesica coadunatur. propterea opus est supra unum ex his tribus significet, unde cum in uenis nulla affectio sit, & furfurea prodeant, uesicam scabie laborare necesse est. Quod legitur, Venæ multum affectum habent. legi debet, Venæ nullum affectum habent: Græce enim habetur, ὅταν γε αἱ φλέβες ἀπαθεῖς ὑπάρχουσι.

SECVNDO docet, ex uenis quandoque furfurea educi, uel cum tunica uenarum patitur, & excoriatur, uel cum sanguis qui est in uenis, ab ardente febre uritur, sed atrabilarius humor ad exiccandum cæteris humoribus aptior est. Eum uero intelligo, qui est tanquam fex sanguinis.

Quod legitur, Cum earum tunica patitur. ποτὲ μὲν αὐτοῦ τοῦ χιτῶνος αὐτῶν παθόντος. idest, Quandoque cum earum tunica patitur.

Quod etiam legitur, A febre ardente peruritur: Græce est, ὑπὸ καυσώδους θερμοῦ φρυγέντος. i. ab ardentis febris calore exiccatur. Ita habet contextus Aldinus, & noster antiquus: sed noster antiquus correctus est, & loco illius particulæ θερμοῦ, illã habet πυρετοῦ.

TERTIO Galenus comparationem facit inter scabiem uesicæ, & alias scabies. Sicut enim in scabiebus exterioribus cutis superficies aliquid emittit: ita in scabie uesicæ aliquid, quod est tanquam cutis & superficies, emittitur. unde & uenæ scabie laborantes, & uesica tale quid emittunt.

Quod legitur, Quam cutem superiorem nominant: Græce est, καλοῦσι δὲ αὐτὴν ἐπιδερμίδα. Noster antiquus contextus prius legebat, ἐπιδερματίδα.

Quod etiam legitur, In scabie. Aldinus contextus, & noster etiam antiquus legunt, περὶ τὰς ψώρας. sed noster antiquus aliam lectionem habet, nempe legit περὶ τὰς ψωριάσεις. id est, in scabierum speciebus. & non ab re, quoniam multæ sunt scabierum species.

Denique Galenus inter furfurea exeuntia à uesica, & à uenis differentiã facit. nam quæ à uesica exeũt, cum mediocri urina prodire solent: quæ à uenis, cum urina tenui. Adde, à uenis, esse cum febre: à uesica, sine febre: à uenis, esse absque pectinis pruritu, & imi uentris: à uesica, cum pruritu illarum partium. tamen & quæ in uesica est scabies, difficulter sanatur, quum tamen urina ipsa scabiem exteriorem exiccando sanare possit.

APHORISMVS LXXVIII

QVicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus uenulam ruptam significatur.

BRASAVOLVS

QVI sanguinem repente mingunt, ab alio loco, quàm à renibus prouenire non potest: ideo quum sanguinis mictum uideris, aliud cõiectari non poteris, quàm in renibus uenulam ruptam esse. Philotheus ita hunc aphorismũ introducit, (ἐνταῦθα περὶ παθῶν συμβαινόντων ἐν τοῖς νεφροῖς διαλέγεται). i. & hic de passionib. in renib. contingẽtibus disputat.

ὁκόσοι ἀπὸ ταὐτομάτου. idest, Quicunque sponte.] Hoc quod dicitur Sponte, dupliciter à Galeno interpretat: uno modo, idest sine causa manifesta: alio modo sponte, idest repente. Adde & tertium significatum quod est naturaliter: sed hoc tertium significatũ cum primo coincidit, quia primũ est sine causa manifesta, scilicet extrinseca: sed est ab intrinseca, ideo naturalis uidetur. Philotheus Galenum sequitur inquiens, τὸ γὰρ ἀπὸ ταὐτομάτου, τὸ ἐξαίφνης ἢ ἀθρόως δηλοῖ. διὰ τὸ πλῆθος γὰρ τοῦ αἵματος τείνονται τὰ φλεβία, καὶ τῇ τάσει ῥήγνυνται, καὶ πολὺ αἷμα οὐρεῖται, ὑπὸ δὲ τῆς ἀναβρώσεως, ὀλίγιστον. καὶ πόθεν; δηλονότι οὐ κατὰ ἀναστόμωσιν φέρεται, ἀλλὰ κατὰ ῥῆξιν, ὅτι τὸ κατὰ ἀναστόμωσιν φερόμενον, οὐκ ἔστι τέλεον αἷμα, ἀλλ' αἱματῶδες. idest, Hoc enim quod dicitur, ἀπὸ ταὐτομάτου, idest à casu, repente uel statim significat: nam ob multitudinem sanguinis uenulæ intenduntur, & intensione disrumpũtur & multus sanguis meitur, in erosione autem paucus. & unde? uidelicet nõ per oris apertionem fertur, sed per fractionem. Quod enim per oris apertionẽ fertur, non est perfectus sanguis, sed sanguineum. Oribasius hunc aphorismum refert, ac si Hippocrates duo ponat, repẽte & sponte, itaque dicat, Quicunque repente & sponte, & reliqua. exponitque hæc duo uocabula dicens, Repente, est subito: sponte autem ex natura. Galenus uero intelligit, sponte, idest subito: quia in nullo alio loco ita subito fractio fieri potest, sicuti in renum uenis. Refert uero Galenus in fronte primi libri De locis affectis, in uesica quandoque grumos induci, ex sanguine per renes emisso.

αἷμα οὐρέουσι. idest, Sanguinem mingunt.] Qui scilicet purus sit sanguis, non multum urinę mixtus. At mictus sanguinis ex multis causis, & extrinsecis & intrinsecis fieri potest. Ab extrinsecisque causis ex multis membris, ex iecore, toto corpore, renibus, ureteris, uesica, pene. A causis uero intrinsecis, ab uniuerso corpore, quãdo sanguis adeo copiosus est, ut superabundet, tunc ad iecur transmittitur, renes, & uesicam: uel quia uires iecoris contentiuæ adeo imbecilles sunt, ut sanguinem non continentes emittatur: uel quia discretiua uis iecoris est imbecillis: propterea exit per uenas sanguis urinę mixtus non discretus. Si uero sanguis ob uenas, uel ob imbecillas iecoris uires exeat, urinę plurimum mixtus est, quando à longioribus partibus ueniens multum cõmiscetur: & tanto magis erit mixtus, si ex imbecillitate uirtutis discretiuæ exeat. uel ex uesica exit. At hinc exire non potest, nisi fracta uena, aut corrosa: quod repente non fit, nec etiã repente à toto corpore uenit, uel à iecore. At si à renibus profluat, nõ potest nisi ex uenis exire. At quum sanguis uenas exit, aut est quia os uenę aperitur, aut uena frangitur, aut resudat. Si resudat, paucus est sanguis, & uix urinas tingit. Si ex apertione oris uenæ, non exit etiã in copia, ut dicit Galenus. Sed paulatim, & urina fit subsanguinea, non autem perfecte sanguinea. Ideo relinquitur, quod in hoc aphorismo uenæ fracturam intelligamus. Propterea addit,

Τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβίων ῥῆξιν σημαίνει. idest, ijs à renibus uenam ruptam significat.] Intelligentes quod sanguis copiose exeat, quod sit purus, quod sponte, idest repente fluat. nam nisi has cõditiones aphorismo cõdonemus, non esset opus intelligere hũc sanguinem à renibus profluere, quia etiam ab alijs partibus per urinæ uias fluit, sed non repente, non in copia, non purus. Oribasius causam edocere uolens, cur iudicãdum sit à renibus fluere, inquit, Nimirũ quia uenæ quæ in renibus sunt, tenuiores sunt his quæ in uesica. Cum Philotheus edocuerit, uenam in renibus ruptam significari, si quis sanguinem minxerit, ut rationem reddat, hæc uerba addit, καὶ πόθεν; δηλονότι ἀπὸ τῶν νεφρῶν, καὶ οὐκ ἀπὸ τῶν ἀναπνευστικῶν, ἢ θρεπτικῶν, ἐκ τοῦ εἰπεῖν, οὐρέουσιν. τοῦτο γὰρ τὴν ἐπίμονον οὔρησιν τοῦ αἵματος δηλοῖ. εἴτε γὰρ ἀπὸ τῶν ἀναπνευστικῶν, εἴτε ἀπὸ τῶν θρεπτικῶν, διὰ ῥήξεως φλεβίου ἐστί, πρὸς ὀλίγον οὐρεῖται, καὶ εὐθέως παύεται. ὅθεν δῆλον ὅτι οὐ κατὰ ἀνάβρωσιν, ἀλλὰ κατὰ ῥῆξιν γίνεται ἡ αἵματος οὔρησις. idest, Et unde? uidelicet à renibus, & non à respirationis partibus uel nutritiuis, ex eo quod dicit, mingũt: hoc enim assiduum sanguinis mictum ostendit. Siue enim à partibus respirationis, siue à nutritiuis ob uenulæ fracturã est, ad paucum mingitur, & statim cessat. Vnde manifestum est, quod nõ per erosionem, sed per fractionem fit sanguinis mictus. Hippocrates in libro De natura hominis, in illius partis fine, ubi de uenarum natura disserit, inquit, Si urinæ cruentæ sint, in uenis uitium est. In hoc loco Hippocrates non dicit à renibus prouenire, sed à uenis: quia est pauca cruoris quantitas, & quia repente non fit, sed cum aliquo tempore.

GALE-

GALENVS

QVOD dicitur ſponte, poteſt idem quod ſine cauſa exteriori oſtendere: poteſt & quod ueluti repente nullo caſu præcedente, quales apparent ueſica ulcerata. In ipſa enim uenam rumpi ex influentis ſanguinis abũdantia, quemadmodum in renibus eſt impoſsibile. Neq; enim per eius uenas ſanguis percolatur, ſed ſolum tantum quantum ipſi ſufficiens contribuitur. Præterea neq; uenæ quæ in ueſica nudæ, aut inſtabiles natura ſunt, ſicuti quæ renum uentres ſubintrant, quarũ ora aperiuntur, & quę aliquando diſrumpuntur propter humorum multitudinem, ac craſsitudinem qui in ipſis continentur. Diſruptio itaq; puris ſanguinis facit euacuationem. Ora autem aperta non uniuerſim ſanguinem effundunt, præſertim cum parua eſt apertio, ſed paulatim, atque tenuius percolant, unde totam urinam ſubſanguineam efficiunt. Fit aũt, ut dixi, & uenis ueſicæ ex exeſione laborantibus, ſanguinis euacuatio, quam antecedunt ulceris ſigna in ueſica exiſtentis, hoc eſt & loci dolor, & pus, & ipſius corporis ueſicæ quædam ueluti fruſtula. Hac ratione igitur melius uerbum Sponte, pro Repente, accipere: & non pro Sine cauſa manifeſta: ſiquidem ſanguis ex renibus ſæpius, & ſine cauſa excernitur manifeſta, uaſe ex multitudine rupto: ſed aliquando ob ſaltum uehementiorem, uel ex alto caſum, uel ictum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, uocabulum ſponte, quandoq; ſine extrinſeca cauſa ſignificare, quandoq; repente: ideſt quod nullum ſymptoma antecedat, ſicuti eſt in ueſica ulcerata, in qua ſymptomata apparent. Impoſsibile enim eſt, in ueſica ſubito uenam frangi, ut in renibus fit: quia in ueſica ſanguis per uenas non percolatur, ſed ſolum tantum ſibi accipiunt, quantus pro nutriẽda ueſica ſatis eſt. Adde, quod uenæ ueſicæ non ſunt tectæ carne, ut illæ renum, quæ plenæ & compreſſæ à carne diſrumpuntur, uel earum ora aperiuntur.

Quod legitur, Quemadmodũ in renibus eſt impoſsibile. Hic deſunt duo uerba: legi enim debet, quemadmodum in renibus conſueuit accidere, eſt impoſsibile. nam Græce habetur ὡς ἐπὶ νεφρῶν εἴωθε συμβαίνειν.

Quod etiam legitur, Quantum ipſi ſufficiens contribuitur, hic deeſt una particula, ſcilicet εἰς τροφὴν. Hoc igitur modo legatur, quantum ipſi ſufficiens ad nutrimentum contribuitur. Nam Græcus contextus ita habet, μόνον δὲ ὅσον εἰς τροφὴν αὐταρκὲς αὐτῇ χορηγεῖται. i. Sed ſolum tantum, quantum ipſi ad nutrimentum ſufficiens contribuitur.

Quod etiam legitur, Nudæ, aut inſtabiles. Græce habetur γυμναί που καὶ ἀστήρικτοι. id eſt, Nudæ & ſine firmamento. Quidam interpretati ſunt, inueſtes: ſed aptius eſt, ſine firmamento, interpretari.

Quod etiam legitur, Quarum ora aperiuntur, & quæ aliquando diſrumpuntur. Grę ce habetur, καθ' ἃς ἀναστόμωσίς τε καὶ ῥῆξις. ideſt ſecundũ quas ora aperiunt & franguntur.

SECVNDO Galenus inter uenæ diſruptionem, & oris uenæ apertionem differentiam ponit, quoniam cum ora aperiuntur, ſanguis uniuerſim non effunditur, præſertim quãdo eſt parua apertio, & tenuiter percolatur. ideo urina tota non ſanguinea, ſed ſubſanguinea efficitur.

TERTIO dubium remouet: ſi quis de ueſica dubitet ex qua quandoq; profluit ſanguis. ideo non ſemper à renibus. Reſpondet, omnino ſanguinem à ueſica quãdoq; profluere, ſed ex exeſione fit, & non ſubito, & ſigna ulceris antecedunt, ſcilicet loci dolor, pus, & plerunq; quædam ueluti ueſicæ fruſtula.

Quod legitur, Et ipſius corporis ueſicæ quædam ueluti fruſtula. Græce habetur, καί τινα πολλάκις αὐτοῦ τοῦ σώματος τῆς κύστεως οἷον περ θρύμματα. ideſt, Et ſæpe ipſius corporis ueſicæ quædam ueluti fruſtula, ut uidere poſsis in Leoniceni interpretatione deeſſe hanc particulam ſæpe.

Deniq; Galenus infert, exponendũ eſſe Sponte, pro Repente, & non Sine cauſa manifeſta: quamuis & ſine cauſa manifeſta ſanguis ex renibus exeat, quando uas ob multitudinem rumpitur: tamen quandoq; fit ob cauſam manifeſtam, ut ob uehementem ſaltum, ob caſum ex alto, uel ob fortem percuſsionem.

APHORISMVS LXXIX

QVibus in urinis harenosa subsistunt, his uesica laborat calculo.

BRASAVOLVS

VESICA calculo laborat, quando in urinis arenæ subsistunt, nempe ex eadem materia arenæ & lapides generantur: propterea quum arenæ apparuerint, lapidem in uesica esse iudicato: hoc intelligentes ut deinde exponemus.

[ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσταται. idest, Quibus in urinis arenosa subsistunt.] Ac si dicat, qui urinas habent, quarum hypostases arenarum plenæ sint.

τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. idest, His uesica calculo laborat.] Galenus hũc Aphorismum integrum non esse putat, sed partem illi deesse, quæ uel à primo librario fuerit omissa, uel eam Hippocrates neglexerit, quia uerum non est, si arenulæ exeant, quod uesicæ lapis significetur. quoniam & renum lapis significari potest. nam ex utrisq; lapidibus arenulæ exeunt. Adde & hoc aliud, Arenulas plerunq; exire, etiam si non adsit lapis in uesica, uel renibus. Nos contextum quẽdam legimus hoc modo habentem, ὁκόσοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ, τουτέοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσταται, idest, Quibus uesica calculo laborat, ijs in urinis arenosa subsistunt. hicq; sensus uerissimus est & plenus non autem decurtatus, & mutilus. Galenus uero hanc lectionem nunquam incidit. nam si incidisset, eam approbasset: quoniam qui in uesica calculum habent, arenulas semper cum urina emittunt, quæ ab eadem materia fiunt, ex qua calculus confectus est. imò quandoq; à calculo deciduntur, unde & Philotheus edocere uolens, quomodo arenularum secretio fiat, inquit, διὰ τὸ ἀποθρύπτεσθαι τι μέρος ἀπὸ τοῦ λίθου, idest, propterea quod pars aliqua à lapide frangitur. tamen & lapis ex plurium arenularum collectione fieri plerunq; consueuit. & Hippocrates in libro De puerorum calculo, inquit ex arenis fieri, sedimento uti glutine, copulante. dicitq; quandoq; arenosa mingere: ac si innuere uideatur, Quorum uesica calculo laborat, in urinis arenosa subsident. nõ tamẽ si arenosa fuerint, quod uesicæ calculus adsit. Celsus etiam qui ante Galenum scripsit, & qui septimo capite secundi libri multos aphorismos ex his refert, calculosi indicia edocere uolens, inter alia dicit, Eadem scilicet urina arenosa est: ac si dicat, Quum calculi uesicæ insunt, arenę apparent: tamen per oppositũ non diceret, Si arenæ appareant, calculos uesicę inesse oportere. At lapides in omni fere corporis parte ortum habent: in capite inquam, in uentriculo, in liene, in iecore, in pectore, in iuncturis. Et nos uidimus uerum gypsum iuncturas exire, quod in tanta copia abundabat, ut quidam experiri uoluerit, an gypsi officio fungeretur: nam omnes gypsi qualitates, quæ sensu pręsentantur, habebat. Collegimus fere huius gypsi unciam, & in puluerem redegimus, postea addita aqua subegimus, & lapidem delinentes, parietiq; applicantes lapidem tenacissime substinebat, ut etiam uerum gypsum in hac proprietate excederet. Hippocrates de lapide in utero mulieris, in libro De humoribus agit: quamuis Galenus in sexto De locis affectis libro, capite secundo referat, quosdam dixisse lapidem ex ano exisse, quod dicit se nec audisse, nec uidisse. Tamen nos uidimus mulierem Gallam hic Ferrariæ, quæ lapides quinq; ex ano egessit, quos malleo ferreo contundens in puluerem redigebam, ac si essent percocti lateres, tamẽ parui erant: nam & colore & magnitudine & figura mespilorum seminibus assimilabantur. Præterea & Galenus prope finem quarti libri De locis affectis, inquit, Quidam expuit grandines. recentes dicunt, lapides. Si hoc fit uerum, nihil impediet aliquem per tracheam arteriam uermem transeuntem per pulmonem expuere. In hæc uerba prorupi, quoniam heri uir quidam extussiens, simul cum excreatu uermiculum expuit in medio excreatus, adeo compactum, ut à nulla alia parte prodire potuerit, quàm ab ea, à qua prodijt excreatus. Sed ad rem nostram redeuntes, fiunt potissimum ex pituitosa materia, quandoq; alicui portioni bilis mixta, quandoq; atræ bilis, tamẽ semper est pituitosa materia illa, quæ est tanquam basis & fundamentũ lapidis, tanquam materia: agens uero est naturalis calor. Tamen à Philotheo dicitur, ἰστέον δὲ, ὅτι ὁ λίθος ποιητικὴν μὲν αἰτίαν ἔχει, θερμασίαν παρὰ φύσιν, ὑλικὴν δὲ πάχος χυμῶν. idest, Sciendum autem quod lapis agentem quidem causam habet caliditatẽ præter naturam, materialem uero crassitiem materiæ. In duobus uero potissimũ locis generantur, in uesica, & in renibus. Propterea

pterea & idem Philotheus dicit, λίθος ἢ ἐν τοῖς νεφροῖς γίνεται, ἢ ἐν τῇ κύσει. idest, lapis uel in renibus fit, uel in uesica. Differunt uero lapides in his partibus generati, in quãtitate, & qualitate: in quantitate aliqui posuere, in numero, & magnitudine: in magnitudine, quia uesicæ lapides longe maiores sunt, quàm renum lapides: in numero, quia plures lapides in renibus, quàm in uesica generant. At si hi intelligant plures lapides in renibus fieri successiue, quia nonnulli sunt, qui singulis mensibus pariunt, uerum dicunt, & eos approbamus. Sed si intelligãt eodem tempore, absurde loquunt. Vidimus etenim dñm Petrum Argẽtam, ex renibus plus quàm quadraginta calculos emisisse, & lanium quendã, qui in uesica plus quàm quadraginta habebat. Iussimus preterea nos excellentissimũ Albertum Sauonarolam, D. Hieronymi Sauonarolæ fratrem, post obitũ aperiri (ita enim placuit illustriss. Alphõso duci Ferrariæ) hic doctiss. uir Albertus & sanctiss. in uesica decẽ lapides habebat magnitudine oui colũbæ, imò & maiores, qui eandẽ præcise formã seruant, ac si arte facti fuissent: omniũ pondus est sex unciæ & semis: quisque lapis semiũciæ põdus excedit. Nos seruamus hos lapides auro colligatos, tanquam perpetuũ monimentũ, & illius uiri, & ipsorum lapidum, qui eadem præcise forma in tantam multitudinẽ creuerint, & unus solus lapis effectus non sit. At de his satis. In qualitate uero differunt, quia uesicæ lapides ut plurimum albi sunt, uel cineritij. Addidimus ut plurimum, quia & rubros quandoque uidimus, uel subrubros, sed conformati erant, non ex materia quæ prius in uesica tenella, in lapidem uersa esset. At ex lapidibus & arenulis à renibus in uesicam descendẽtibus, deinde in lapidem conformatis, ex pituita glutinosa existente, quę simul illos renum calculos agglutinet. Sed calculi qui à renibus profluunt, semper sunt subrubri, uel ruffi. horum causa est, cum quia renum color est talis, & renum caliditas intensior: tum quia materia ad renes defluens nõdum est à sanguine depurata. At uesicæ lapides sunt albi, uel cineritij (nisi ex renum calculis conformentur) cum quia materia, quæ ad uesicam profluit, sanguine & bile magis depurata est: tum quia uesicæ color albus est, & eiusdem calor multo minor est quàm renum calor. Eadem est arenularum uesicæ differentia & renum: quia uesicæ arenulæ sunt albæ, renum uero rubræ. Tamen alia est lapidis uesicæ differentia à lapide renum, in duritie, & mollitie, in asperitate, & lenitate, quia uesicæ lapis durior est, quàm lapis renum. Imò hi decem lapides excellentissimi Alberti Sauonarolæ si in terrã proijciantur, ueluti trigonalis pila prosiliunt. Adde quod uesicæ lapis est magis asper, quàm renum lapis: nam renum cauitas est adeo parua, ut in transitu leuigentur, sed hoc magno ægri dolore. cauitas autem uesicæ spatiosa permittit, ut acumina in lapide fieri possint, ex qua cauitatis amplitudine rationem reddit Philotheus cur Hippocrates in hoc aphorismo de lapide uesicæ mentionem fecerit, & non de lapide renum, inquiens, ἐπειδὴ γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐν τῇ κύσει γίνονται οἱ λίθοι, διὰ τὸ ἀξιόλογον ἔχειν κοιλότητα τὴν κύστιν, διὰ τοῦτο ταύτης μόνης ἐμνήσθη, οὐχὶ δὲ καὶ τῶν νεφρῶν. i. quoniam uero ut plurimum in uesica lapides fiunt: propterea quòd uesica cõpetentem habet cauitatẽ: propter hoc, huius solius mentionẽ fecit, non aũt & renum. Scito aũt nonnullos recẽtes esse, qui ubi apud aliquẽ antiquũ authorẽ inueniunt hoc nomen λιθίασις, uel aliud simile, semp interpretandũ uolunt tophus. est uero tophus, genus illud lapidis spongiosum in montibus nascens, quod nos uulgo *tuffo* nũcupamus. At in uesica non semper sunt tophi, qui sunt friabiles: sed plerũque marmorei calculi in ipsa generãtur, & adeo duri, ut lapides marmoreos duritie æquent, & ideo semper tophi non sunt, quoniã plerũque ad marmoris duritiẽ ueniunt. Recentes in hoc loco dubitãt, cur in pueris uesicę lapides potius gignant, in senibus renum: cum tamen calidiores sint puerorũ renes, quàm seniorũ: ideo potius in pueris renum lapides generari oporteret. Respõdent, in pueris uim expultricẽ renum fortem esse, & humores respectu renum esse tenues, ideo ad uesicam expellũtur, quæ cum sit exanguis & frigida, superfluitates resoluere non potest, & attenuare. At in pueris superfluitates exuberant, quia tenues sunt: in senibus autem, renum uirtus est defecta, & humores sunt crassi: propterea ad uesicam non expelluntur, sed in renibus ad lapidem conuertuntur. Hæc est recentiorum dissolutio.

Nos uero pro exquisitiori huius ambiguitatis solutione id annotare decreuimus, in ipsa ambiguitate duo peti. Vnum est, lapides in pueris frequenter generari. At quum hoc nomen Puer, à principio ortus usque in magnum ætatis progressum signi-

ficare uideatur, ideo quærere possemus in qua ætate quo ad numerum annorum, hi calculi fiant. Hippocrates in tertio Aphorismorũ libro, aphorismo uigesimosexto, respondebit, calculos fieri quũ magis adoleuerint: in aphorismo uigesimoquarto, de nuper natis puerulis sermonẽ habuerat: in uigesimoquinto, de his qui dentire incipiunt: in uigesimosexto, ubi calculos generari scribit, de his uerba facit, qui magis adoleuerint. Galenus exponit tempus à dentitione usq; ad pubertatem, idest usq; ad duodecimum uel decimũtertium annum: in hoc tempore pueris calculi fiunt. Fiunt autem calculi secũdum Galenum hic, in hac ætate, quia ob edacitatem multi crudi humores coaceruantur, ex quibus crassior pars una cum urinis ad uesicam perueniens, materia generationis lapidum fit. Et hęc est ratio, quam assignant recentes, ex Galeno sumpta. Tamen Hippocrates in pueris lapidis causam esse refert lac, ubi in libro De calculo puerorum, dicit, Calculi quidem principium de lacte non puro uenit, quum puer lac non purum haurit: lac autem non purum fit, quum nutrix pituitosa, non puraq; comedit, & potat. Vnde Hippocrates ex lacte in pueris lapides generari tradidit. Propterea & nos secũdum Hippocratis sententiam, in pueris multos lapides generari dicemus, uel quia exugunt lac, uel de recenti exuxere. Alia dubitatio est, cur magis in uesica, quàm in renibus oriantur. Respondemus, calorem renum in pueris esse quidem maiorem, quàm in senibus: sed est calor adeo humidus in illa ætate, ut non sit multũ potens exiccare. propterea in renibus lapides non fiunt: sed urina adueniẽte, hos humores in uesicam ducit, quæ calida est calore magis sicco, & ideo hi humores cõdensantur in uesica, & fiunt lapides. In senibus uero oppositum contingit, quia habent renum calorem magis siccum, q̃ pueri. propterea in renibus lapides in hac ętate generantur. In senibus autem multi humores crudi coaceruantur, non quidem ob edacitatem, ut in pueris contingit, sed ob potentiæ concoquentis imbecillitatem, ut præcitato loco Galenus dicit. Sed posteaq; de lapide sermo incidit, hoc lectores admonere decreuimus: in nostra hac alma patria Ferraria nõ est peculiaris morbus λιθίασις, idest calculus: & in experiẽtia contrariũ uidetur, q̃ uel ab Hippocrate, uel Galeno dictum sit: plures enim senes Ferrariæ uesicæ calculo laborant, q̃ pueri: nosq; duas potissimum calculorum causas in nostra patria assignamus, uinum & lac, quę sunt calculorum principia: in pueris ex lacte initium habent, ut Hippocrates in libro De puerorum calculo docuit: in uiris, ex uino. Nos experientia uidemus in Piceno, ubi sunt crassiuscula uina atq; potentia, multos lapides generari. Ferrariæ autẽ citra annos centum, mirum erat calculosum hominem uidere, quia nostra Ferrariensia uina aquosa erant: nunc, quia potentiora & ualidiora effecta sunt, nonnulli lapides gignunt̃. In pueris ex hac causa fieri non possunt, quia nondum adeo potarunt, ut materierum lapidem facientium copia aceruata sit: sed bene à lacte initium habent. propterea nos propositionem illam tanquã ueram apud Ferrariẽses non recipimus, quod in senibus lapides renum magis generentur: in pueris uesicæ lapides. nam quantũ sit de lapidibus uesicæ, absurdum est. Etenim in senibus in primis & secundis ut plurimũ fiunt, & etiam renum lapides habent. In nostris aũt pueris lapides renum habere, adeo rarum est, ut alba cornix, uesicæ uero lapidem quandoq; habent. Recentes præterea dubitant, quare in puellis nec renum lapides, nec uesicæ generẽtur, uel non adeo frequẽter ut in maribus. Facile est hoc dubiũ purgare: nam latitudo meatuũ in causa est, ut puellis rarius lapides contingant, quãuis nonnunq; lapides gignant. Adde, menstrua quæ habent, ad expurgationem multum conferre. Alias etiam ambiguitates recentiores fecerunt, quas in præsentiarum omittere decreuimus, quoniam ab ipsis integre pertractantur. Id uero solum addemus, quia ipsi dubitant quare urina ex qua fit sal, corpus ad lapidem renum præparatum significet. Respondent, ob hanc urinam in renibus intensam caliditatem esse, significari, quæ materias apta est attrahere, & ipsas in cinerem uertere. Nos autem petimus, quid intelligant per urinam ex qua fit sal: an urinam, quæ possit in salem condensari: etenim si hanc intelligant, decipiuntur: quia omnis urina in salem condensari potest, ut ex Chymistarum experientijs uidere licet. Nos ex urina centum ferè puerorum, qui sub uno præceptore grammatico militabant, salem decies conformari uidimus. Propterea nos intelligimus urinam, quæ in matulæ fundo materiam quandam albam habeat, & quæ adeo inhæreat, ut sal esse uideatur. Si hanc intellexerint, nos potius

dicimus

dicimus, ad uesicæ lapidem hunc præparatum esse. unde opus est per salem rubras arenulas intelligere: aliter dictum illud absurdũ esset quod ex Auerroe referunt, urinã, ex qua fit sal, lapidem renum significare. Nunc ad aphorismi intellectionem redeuntes, dicimus, uel ipsum exponendum esse ut superius feceramus, per cõtextum alterum Græcum præadductum, uel Hippocrates unum solum lapidis uesicæ signum posuit, ut hic eius intellectus sit, quibus in urinis arenosa subsistunt, alijs etiam additis signis (per arenosa uero alba arenosa intellige) ijs uesica laborat calculo: ut hoc solum non ponamus uesicæ lapidem significare, sed cum alijs signis, quæ ab Hippocrate in libro De puerorum calculo digesta sunt. Vel dicamus, Hippocratis sensum esse, ubi præter consuetudinem hæc arenosa appareant, lapidẽ in uesica significari: si arenosa sint alba, uel subcineritia, ut præcise est arenæ & sabuli color.

GALENVS

NON omnino uesica laborat, sed contingit & renes, quare manifeste errat aphorismus, siue quia Hippocrates ipse dimidiam partem sermonis neglexerit, siue quia primus librarius omiserit. Siue enim in renibus, siue in uesica calculi generentur, una cum urinis exeunt arenosa.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, esse in aphorismo manifestum errorẽ, quia cum apparent in urinis arenæ, renes etiam possunt esse calculosi.

Quod legitur, Non omnino uesica laborat, id uerbũ, laborat, in Græco codice non adest. Etenim Græcus contextus ita dicit, οὐ πάντως ἡ κύστις, ἀλλὰ ξυλλήχεται καὶ νεφρούς. idest, Non omnino uesica, sed contingit & renes.

SECVNDO, Hippocratem excusare nititur, uel quia ipse sermonis dimidium neglexerit, uel quia primus librarius omiserit, ille scilicet qui librum scripsit. nam uel calculi sint in renibus, uel in uesica, arenosa unà cum urinis exeunt.

APHORISMVS LXXX

SI sanguinem mingant, aut grumos, uel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat uentrem, & pectinem, & fœmen, circa uesicam labor est.

BRASAVOLVS

TV STATIM circa uesicam laborem esse iudicare debes, si quis sanguinem minxerit, & grumos, qui uel sanguinei sint, uel pituitosi: sed sanguinei, quia sanguinem mingunt, habeantq; urinæ stillicidium, & dolor sit in imò uentre, & pectine, & femoribus. Hæc enim omnia circa uesicam, & non solum in uesica affectionẽ esse significant. nam symptomata ista fieri non possunt, nisi patiente uesica, uel aliquo propinquo, ut sunt renes, uel meatus.

ἢν αἷμα οὐρέῃ. idest, Si sanguinem mingant.] Qui sit scilicet sanguis non coagulatus, neq; compactus, sed liquidus, ut est quando cum aquositate illa commixtus est, quæ ipsum per omnes nostri corporis uenas ducit.

καὶ θρόμβους. idest, Et grumos.] scilicet sanguineos adeo, ut non solum sit liquidus sanguis, sed etiam coagulati sanguinis partes mingant. Leonicenus disiunctim interpretatur, cum tamen sit copulatum, nam dicit καὶ. Philotheus de grumis hæc dicit, θρόμβοι δὲ αἵματος γίνεται, τοῦ αἵματος ἐκτὸς τῶν ἀγγείων γεγονότος, καὶ πηγνυμένου τῇ ψύξει. idest, Fiunt uero sanguinei grumi, sanguinei extra uasa fluente, & frigiditate condensato.

καὶ στραγγουρίην ἔχῃ. i. Et stillicidiũ urinæ habuerit] Fit uero urinæ stillicidium multis de causis, ut hic Oribasius dicit: uel ex debilitate uirtutis expultricis, uel ex tumore meatuũ, uel ex obstructiõe crassæ materiæ, uel ex frigore, uel ex grumis. In proposito huius aphorismi fit ex grumis, & ideo inquit, ab Hippocrate in hoc aphorismo ostẽdi quomodo morbus morbũ generet: quia sanguis exiẽs grumos facit, grumi faciũt stillicidiũ urinæ. Sanguis uero duobus modis erũpere potest, uel ob abũdãtiã, uel ob uenæ exasperationẽ. nunc ob uenæ exasperationẽ erũpit, ideo paulatim erũpens grumos facit. Hæcq; pars & ipsa copulatiue legitur, & non disiunctim, ut Leonicenus facit. Tamen tu dubitare poteris, potius legendum esse per disiunctionem, quia unumquodq; per se, partes

circa uesicam laborare, ostendere potest. Respondemus, si hanc rem dialectice tractare uoluerimus, imò & recentiorum dialecticam insequentes dicemus, à dialecticis copulatiuam propositionem nuncupari, quoties inter duas propositiones copula ponitur: ut, Socrates est homo, & Socrates est animal. Si uero copula inter terminos sit, copulatū ab eisdem recentibus dicitur, ut Socrates & Plato & Ioannes currunt. Copulatū distinguunt in copulatum collectiuum, & copulatum diuisiuum. Collectiuum uocant, quando illi termini seorsum distingui non possunt, & simul cum uerbo in singulari propositiones inferre non possunt, nec licet à toto copulato ad unam eius partem consequentiam inferre: ut si dixerimus, Socrates & Plato & Ioannes ducunt currum. Inferre non licet, ergo Socrates currum ducit, uel ergo Plato currum ducit, quia unusquisq; per se ducere non potest, sed omnes simul ducunt. Dicitur uero copulatum diuisiuum, quando ex omnibus copulati partibus propositiōes fieri possunt cum uerbo in singulari numero, & unaquæq; copulati pars in bona consequētia inferri potest, ut Socrates & Plato ambulant: inferre licet, ergo Socrates ambulat, uel ergo Plato ambulat. In copulato collectiuo semper opus est partes omnes simul uerificari, sed in copulato diuisiuo unaquæq; pars per se uerificari potest. Ad rem igitur redeūtes, & si Hippocrates omnes particulas per copulationem posuerit: tamen est copulatum diuisiuum, in quo quęlibet pars de se uerificari potest. Ideo uel mingat sanguinem uel grumos uel stillicidiū urinæ patiatur, semper circa uesicam morbū esse significatur. At Philotheus quomodo urinæ stillicidium fiat, edocet inquiens, ἡ στραγγουρία δὲ γίνεται κατ᾽ ἔμφραξιν τοῦ τραχήλου τῆς κύστεως διὰ λίθον, ἢ φλεγμονὴν, ἢ διὰ τὸν αὐτὸν θρόμβον, idest, stillicidium uero urinæ fit per colli uesicæ obstructionem, ob lapidem uel inflammationem, uel ob ipsum grumum.

Ἢ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον. i. & dolor in imum incidat uētrem.] Totus uenter in ἐπιγάστριον & ὑπογάστριον, ab antiquioribus partitur. ἐπιγάστριον, est uentris pars supra umbilicum, ὑπογάστριον pars uentris sub umbilico, à Latinis imus uenter nuncupatur.

Καὶ τὸν κτένα, idest & pectinem.] Nam qui circa uesicam laborant, hi dolores circa pectinem sentiunt. Vbi enim circa dorsum uertebræ desinunt, os sacrum uocatur, quod partes etiam anteriores occupat, & tunc pecten appellatur. Vnde pubes, est pars superior: pecten, est ipsum os quod pubi subiacet.

Καὶ τὸν περίναιον.] Ita habet antiquus noster contextus, & ita in suo Leonicenus habuit, & ante ipsum Theodorus. Tamen Aldinus contextus legit, περιτόναιον. Recentes uero omnes, quia in suis contextibus peritonæum habebant, mira hic dixere. tamen ab ipsa ueritate coacti, per peritonæum, partem illam quæ inter anum & testes interiacet, exposuere. Nos legendum putamus, περίναιον. Est uero perinæum (ut Aetius libro undecimo, capite uigesimoseptimo, docet) pars inter anum & testes, quā illi incidunt, qui è uesica lapides extrahere tentant. In nostro antiquo cōtextu ita definitur, περίναιόν ἐστιν ὁ μεταξὺ τοῦ κώλου καὶ τοῦ αἰδοίου τόπος. idest, perinæum est inter podicem & penem locus. Theodorus & Leonicenus hanc particulam interpretātur femur. Galenus libro tertio De usu partium, femur coxam significare dicit, ita & fœmen. Sed differre uidētur, quia femora sunt exteriores partes, fœmina interiores: femora anteriores, fœmina posteriores. Si circa coxas doluerit, circa uesicam dolorem esse significatur.

Τὰ περὶ τὴν κύστιν πονέει. i. Circa uesicam labor est.] Intellige autem, ut Galenus fecit, qui non intelligit ipsam solam uesicā laborare, sed circa uesicam, idest uel in ipsa, uel in partibus propinquis labor est. Et ideo Philotheus per hanc particulam Circa uesicam, dicit communiter intelligere oportere, τὰ οὐρητικὰ ὄργανα, idest organa urinaria. Fieri enim potest, ut in renibus sit labor, uel in meatibus à renibus ad uesicam proficiscentibus, uel in pene, uel in ipsa uesica. Propterea ab Hippocrate dictum est, circa uesicā, & non in sola uesica, ut alias etiam partes cōplecteretur. Celsus uero capite septimo secundi libri, intelligit in uesica: & præterea omnes partes non enumerat. Etenim imum uentrem, pectinem & fœmen præterit. sed omnes has particulas uno uerbo cōplectitur, inquiens, Si sanguis per hanc (scilicet uesicā) æditur, & in eo quędā cruenta cōcreta sunt, idq; ipsum cum difficultate reddit, & circa pubē inferiores partes dolent, in eadē uesica uitium est. Cur uero dolor in omnibus prædictis locis inferatur, ab Oribasio causa assignatur, quia grumi illi sanguinei in seminalibus uasis continētur, & in uesicæ ceruice: ideo

ideo in omnibus prædictis locis dolor fit. Nos uero causam esse dicimus, continuitatis solutionem, quæ in illis partibus est. At affectæ partes hoc modo distinguuntur: si in femore dolor sit, & ad renes usque ascendat, in renibus nocumentũ est: si in imo uentre, est nocumentum in ureteris: si in pectine sit dolor, est nocumentum in uesica: tamen quælibet pars ex his affecta, facit ut in his locis dolores per compassionem quodãmodo sentiantur: experientia docet, eos qui in uesica lapidem habent, ad pedes usque uexari.

GALENVS

DVOBVS modis finis scribitur aphorismi, in quibusdam exẽplaribus Labor est: in quibusdam Morbus est: & fere in hoc nihil inuicem scripturæ differunt. Communiter autem ambæ errant, si quis intelligat circa uesicam ab Hippocrate dici, quasi ipsam uesicam laborare dixisset. Nam hi quos memorat casus cõmunes sunt omnibus quæ urinæ seruiunt instrumentis, uesicæ, renibus, urinarijs meatibus. Melius itaque hoc modo, quæ circa uesicam, accipere, non tanquam sola uesica significetur, sed & partes quæ illi annectuntur. Adhuc autem magis, ut ita accipiamus, hortabitur sequens aphorismus, in quo non quæ circa uesicam ægrotare dicit, sed ipsius uesicæ esse exulcerationem, cum non idem sit pati aliquid ipsam uesicam, enunciare, uel quæ circa uesicam.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat aphorismi finem dupliciter legi, & πονέει, idest labor est, & νοσέει, i. morbus est. At nihil differũt propter hoc scripturæ, & in idẽ significatũ uergunt.

SECVNDO docet, quomodocunque legatur, uel πονέει, uel νοσέει, nisi bene intellexerimus, in aphorismo mendacium esse. nam si intelligamus circa uesicam, idest ipsam uesicam solam, falsus est Aphorismus: quia casus quos refert, & in renibus, & in uasis urinarijs patientibus insunt.

TERTIO exponit, quid intelligendum sit per hanc particulam Circa uesicam, id inquam intelligendum est, idest partes quæ uesicæ συνεζευγμένως coniũguntur. Quod autem ita uelit, per sequẽtem aphorismum probari potest, in quo passionem soli uesicæ prouenientem ponit, quando illa signa adsunt. Et tunc non dicet, Circa uesicam: sed dicet, Vesicę exulcerationem significat. Et ideo ex hoc colligi potest, quod dicens, Circa uesicam: uesicam ipsam, & partes adiacentes: renes inquam, & uias urinarias intelligit.

Quod legitur, Quum non idem sit, pati aliquid ipsam uesicã enuntiare. hic deest hæc particula, simpliciter solam. nam Græce habetur, ὡς οὐ ταὐτὸν ὂν αὐτὴν τὴν κύστιν ἁπλῶς μόνην ἐκφαίνεσθαι τι πάσχειν. idest, tanquã non idem sit pati aliquid ipsam uesicam simpliciter solã enuntiare. Tamen noster antiquus contextus simpliciter legit, ut Leonicenus interpretatus est, & non habet particulam ἁπλῶς, quæ in contextu Aldino scripta est.

APHORISMVS LXXXI

SI sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, uesicæ exulcerationem significat.

BRASAVOLVS

NVNC solius uesicæ passionem edocet. Si quis, inquit, sanguinem uel pus minxerit, & præter id squamulæ appareant, & urina male oleat, in huius uesica exulceratione esse iudicato: quoniã hæc omnia sunt exulceratæ uesicæ symptomata. Philotheus uero ita introducit, τρία τινὰ ἡμῖν παραδίδωσιν ὁ παρὼν ἀφορισμός, τόπον πεπονθότα, διάθεσιν, καὶ κακοήθειαν τοῦ πεπονθότος. idest, tria quædam nobis præbet præsens aphorismus, locum patientem, affectionem, & malam habitudinem patientis loci.

ἢν αἷμα καὶ πύον οὐρέῃ. idest, Si sanguinem & pus minxerit.] Alij contextus habent, Vel pus. & ita in suis Theodorus & Leonicenus habebant. Sed noster antiquus, & Aldinus habent, καί. Tu uero per sanguinem quodcunque genus intellige, uel crassum, uel tenue sit: & per pus, uerum pus. Sed & si sanguis exeat, uel pus, non est necessarium uesicæ exulcerationem significari: quia exulceratio in renibus esse posset, & in meatibus urinarijs, propter quam exiret sanguis uel pus, ideo hoc non est certum exulcerationis uesicæ signum. Propterea addit,

Καὶ λεπίδας. idest, Et squamas.] Quia squamæ scabiei uesicæ signum indubitatum existunt, & proculdubio à uesica proueniunt: unde quum sanguis uel pus exiuerint, & squamæ adfuerint, exulcerationem in uesica esse uere notatur: tamē aliquis simul & scabiem uesicæ, & renum exulcerationem habere posset, & tunc profluerent sanguis, pus, & squamæ: & etiam à gibba iecoris parte, aut à uenis prodire posset. At si ab his proueniret, non esset naturalis urina: tu uero intellige urinam esse naturalem, & pro temperie huius uiri, mediocrem: ideo hæc non poterunt à uenis uel à iecore prodire, pus scilicet & sanguis. Tuq; Hippocratem obseruato, qui & hic & in aphorismo septuagesimoseptimo diuersis dictionibus utitur: nam hic dicit λεπίδας, idest squamas: superius uero dicebat πιτυρώδεα, idest furfurea. & Galenus in sexto De locis affectis libro, πεταλώδη idest in similitudinem & formam foliorum hæc eadem esse dixit. Hæc omnia à uesica prodeūt, & ab eadē causa, sed aliqua sunt magis lata, aliqua minus. Philotheus de squamis sanguine & pure exeuntibus, ita disserit. διὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν, λεπίδας ἤτοι λεπιδώδη, σημαίνει τὴν κύστιν πεπονθέναι. διὰ δὲ τὸ εἰπεῖν, αἷμα καὶ πύον, λύσιν συνεχείας. ἀδύνατον γὰρ τὸ πύον οὐρηθῆναι ἄνευ ἕλκους. idest, ob id enim quod dicit squamas uel squamosas, uesicam pati significat: ob hoc autem quod dicit, sanguis & pus, solutionē continuitatis. impossibile enim est absque exulceratione pus mingere.

Καὶ ὀσμὴ βαρεῖα ᾖ. idest, Et grauis odor adsit.] Et hoc est proprium etiam uesicæ: nam & si aliarum partium pus oleat, uesicæ pus teterrime fœtet, quia magna superfluitatum copia ad uesicam percurrit: in qua si adsit ulcus, ibi firmantur: & quia imbecillis est, propterea materiæ illæ magis putrescunt, & grauior atq; molestior dolor infertur, quàm in alijs partibus. Celsus capite sexto secundi libri urinam grauiter olentem apprime taxat. Philotheus de hoc graui odore hæc dicit, διὰ δὲ τὸ εἰπεῖν, ὀσμὴ βαρεῖα ἤτοι δυσώδη, τὴν κακοήθειαν. τὸ δυσῶδες γὰρ σημεῖον σηπεδόνος ἐστὶν, ἡ σηπεδὼν δὲ κακοήθειαν ἐνδείκνυται. idest ob id autem quod dicit, grauis odor adsit, malum habitum, fœtidum scilicet significat. Fœtor enim signum corruptionis est. Corruptio uero malum habitū ostendit. Post hęc à Philotheo hoc annotatur, ἰστέον δὲ, ὅτι διὰ τὸ εἰπεῖν, ὀσμὴν βαρεῖαν, ἀπεκρούσατο τοὺς λέγοντας ἀφ' ἥπατος ἢ τῶν ἀναπνευστικῶν ἔρχεσθαι τὰ λεπιδώδη. ἐκεῖνα γὰρ κἂν ὀσμὴν ἔχωσι, τῷ μήκει τῆς παρόδου, τὴν δυσωδίαν ἀποβάλλουσιν. idest, Sciendum autem quòd ob hanc particulam qua dixit, grauis odor, illos propulsauit, qui dicunt, à iecore, uel à spiritualibus partibus squamosa prouenire. illa enim & si odorem habuerint, à longo transitu fœtorem relinquunt.

τῆς κύστεως ἕλκωσιν σημαίνει. idest, Vesicæ exulcerationem significat.] Modo hæc duo ultima semper adsint, grauis odor & squamæ: de pure & sanguine, copulatiue legi potest, & disiunctiue: quomodocūq; legaī, nihil refert: semper enim uerus est aphorismus.

GALENVS

SANGVINEM quidem & pus, ubi quis minxerit omnium instrumentorum quæ urinæ obseruiunt sunt signa cōmunia. Odor autem grauis hoc est molestus, adhuc autem magis & squamulæ sunt propria uesicæ. In pluribus igitur exemplaribus, Si sanguinem & pus minxerit, scriptum inuenitur. In quibusdam uero, Si sanguinem uel pus minxerit. Ostendet autem hæc scriptura secunda coniunctionem Aut, esse obdisiunctiuam, quasi utrumlibet horum quæ dicta sunt, significet ulcerationem: altera uero uult ambo assidere, uel simul inuicem, uel alternatim.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, mingere sanguinem, & pus, non esse uesicæ propriū, imò omnibus instrumētis conuenit, quæ urinę deseruiunt, & sunt cōmunia signa omnibus.

SECVNDO docet, habere odorem grauem, & habere squamulas, esse propria uesicæ signa. nam quæ ex uesica prodeunt, grauissime & teterrime olent; imò & à nullo alio membro possunt exire squamę, quàm à uesica: & quamuis à uenis prodire possent: id tamen fieri non contingit, nisi cum urina tenui. Quæ uero à uesica exeunt, cum urina mediocri exeunt.

Quod legitur, Hoc est molestus: Græce habetur, ὅπερ δηλοῖ τὸ ἀηδές. idest, Quod quidem significat molestum.

TERTIO docet, in pluribus exemplaribus copulatiue legi, Si sanguinem & pus minxerit

minxerit. In pluribus disiunctiue, Si sanguinem uel pus minxerit. sed hæc secunda scriptura, quæ disiunctiue legit, unum solum illorum satis esse annotare uidetur.

Quod legitur, Obdisiunctiuam: in nostro antiquo contextu, & in Aldino legit παραδιαζευκτικόν. Leonicenus, obdisiunctiuam interpretatur: sed in antiquo nostro contextu præter dictam lectionem, alia quoque est quæ legit, παραδιαζευκτικόν.

Quod etiam legitur, Quasi utrumlibet horum quæ dicta sunt: sequi debet, Vbi adsit, significet exulcerationem. nam Græce habetur, ὡς ὁπότερον ἂν ὑπάρχῃ τῶν εἰρημένων ἑλκώσεως εἶναι σημεῖον.

Denique infert scripturam illam quæ copulatiue legit, utraque assidere ostendit, uel eodem tempore simul, uel saltem successiue.

Quod legitur, Vel simul inuicem, uel alternatim. Græce est, ἢ ἅμα ἀλλήλοις ἢ ἐναλλάξ.

APHORISMVS LXXXII

QVibus in urinaria fistula tubercula nascuntur, his suppuratione facta & eruptione, solutio.

BRASAVOLVS

QVIBVS in pene, idest in fistula illa per quam mingimus, tuberculum præter naturam innascitur, opus est urinam occludi & impediri. At si tuberculum caput fecerit, & ad exiturã peruenerit, suppuratione facta, & tuberculo disrupto, is mingere incipit, & ab ulcere, atque urinæ impedimẽto liberatur: ab ulcere, quia ulcera potissimum sanantur, cum ad exituram peruenerint: quamuis & Galenus in cõmento fateatur, quandoque etiam per resolutionem, & per insensibilem euaporationem ab urinæ impedimento sanari, quia tuberculo aperto, & erupente sanie, urinæ exitus liber præstatur. exponit hic Philotheus, quid per urinariam fistulam intelligere oporteat inquiens, οὐρήθραν νῦν τὸν τράχηλον τῆς κύστεως καλεῖ, idest uesicæ collum, fistulam urinariam nunc uocat. Celsus capite octauo secundi libri hunc aphorismum ita refert: quibus in fistula urinæ uti minuti abscessus, quos φύματα Græci uocant, esse cœperunt, ijs ubi pus ea parte profluxit, sanitas redditur.

ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ. idest, Quibus in urinaria fistula.] Scito hoc uocabulum οὐρήθρη, & si à Philotheo dictum sit uesicæ collum significare in hoc loco: tamen & urinæ uiam significat, quæ est à renibus ad uesicam, & non illam solam quæ est à uesica per penem extra. At Galeno placet, à quo Philotheus accepit, hic uiam illam intelligendam esse quæ in pene est. tamen & uia illa quæ à renibus ad uesicam proficiscitur, si tuberculum nacta sit, urinam mittere non poterit: sed opus esset, si sanitati restitui deberet, ad exituram peruenire, tunc & tuberculum solueretur, & urinæ impedimentum remoueretur. At difficillimum est, in meatu, qui est à renibus ad uesicam, tuberculum innasci, quia membrum est cartilagineum, non carnosum, quamuis in capitibus fieri posset. propterea Galenus bene iudicat, nihil aliud intelligi posse, quàm fistulam illam quę in pene est.

φύματα φύεται. idest, Tubercula nascuntur.] Aldinus contextus habet γίνεται, at in sensu conueniunt. De phymate superius ubertim egimus, & tuberculum esse diximus, quod in altum eleuatur, & ad exituram cito uenit, & in adenosis partibus potissimum fit. tamen in hoc loco tale tuberculum est, quod urinarium meatũ adeo obstruit, ut urina uel exire non possit, uel ægre exeat: in hac etiam parte ob caliditatem citius ad exituram uenit, quàm in alijs: unde & Oribasius dicit, Tumor qui in istis fuerit partibus, semper in abscessum cõuertitur, quia locus per se calidus est: unde etiam fit, ut citius fiat saniei eruptio. & ideo ab Oribasio infertur, Non est ergo necesse calida illic præsidia adhibere: imò adde, quod & ipsa urina sua caliditate uelocem suppurationem & uelocem eruptionem procurat.

Τουτέοισι διαπυήσαντος. idest, Suppuratione facta.] scilicet quum hæc tubercula ad suppurationem peruenerint, adeo ut pus effectum sit.

Καὶ ἐκραγέντος. idest, Et eruptione.] Quoniam satis non est ad suppurationem peruenisse, nisi & tuberculum disrumpatur, & exeat pus, quod in tuberculi folliculo con-

tentum, urinam, ne exiret, impediebat. Propterea illo erupto

λύσις.i. solutio] scilicet morbi. cuius autem morbi? & ipsorum tuberculorum, & suppressionis urinæ, & suppressionis potissimum, quia urina non exibat. unde & Oribasius dicit, quum autem in fistula urinaria tubercula fuerint, urina more consueto non excernitur. Facta autẽ eruptione leuatur dolor. Inde igitur cognoscitur talis urinæ defectus, quod secũdum suam naturã postea excernatur urina. ut hinc haberi possit, Oribasium Hippocratis aphorismũ legisse ac si dixerit, leuari dolorẽ, & dolorẽ præfuisse intellexerit. tamen fieri non potest suppressa urina quin dolor adsit, & etiã ratione tuberculi ad suppurationem uenientis. Nuper illustrem Guronum Estensem curauimus, cui ob tuberculum in meatu urinario urina suppressa erat, & adeo uesica extendebatur, ut dolores intensissimos pateretur, tumore ui syringæ erupto, illico cessauit dolor, & tuberculum ad cicatricem peruenit. Dubitat & eodemmodo Philotheus, quum ab Hippocrate dictum sit, λύσις, idest solutio. λύσις δὲ τινος; idest, cuius autem solutio? Respondet. ἀλλὰ τῆς ὀδύνης τῆς στραγγουρίας, διὰ γὰρ τὰ φύματα, ὀδύναι γεγόνασι καὶ ἔμφραξις ἀκολουθεῖ, ἐξ ἧς ἡ στραγγουρία. idest, sed doloris stillicidij urinæ: etenim propter tubercula, dolores facti sunt, & obstructio sequitur, ex qua urinæ stillicidium.

GALENVS

OB SERMONIS breuitatem nihil effatu dignum hoc haberi aphorismo suspicabitur quispiam. Promptũ enim est unicuiq; intelligere, quod in meatu urinario, qui in pene est (hunc enim meatum fistulam urinariam nominant) si consistant tubercula, & mox rumpantur, fieri solutionem. Verum si diligẽtius animaduertimus, maius aliquid ex eo ostenditur. Contingit enim urinam aliquando retineri ob tale tuberculum, ex cuius disruptione sanitas proculdubio sequetur. Verum ex dictis quędam dubitatio suboritur. Vtrũ solum uelit hæc quæ in hoc loco sunt nata tubercula rumpi: uel sæpius quidem hoc accidere, fieri tamen posse, ut etiam dissoluantur: uel exemplum solutionũ unum hoc aliquod scripsit, disruptionem: quod uerius existit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat, aliquem putare posse, nihil dignum hoc in loco ab Hippocrate dici. Quisque enim scit, si in penis meatu tubercula fiant, & erumpantur, solutionem fieri: ideo ab Hippocrate nihil dictum uidetur, quod annotatione dignum esset.

Quod legitur, Promptum enim est unicuiq;. Græce habetur, πρόχειρον γὰρ παντί. Notaq; à Græcis dici οὐρήθραν, porum & meatum qui in pene est. Penem uero αἰδοῖον uocant, & plura alia nomina habent.

SECVNDO Galenus docet, aliquid maius ab Hippocrate edoceri, quàm hoc, quod scilicet rupto tuberculo sanitas consequatur. Id uero maius quod ab Hippocrate intenditur, est hoc, Quum tuberculum in urinaria fistula adfuerit, urina impeditur, ne exire possit. Si uero tuberculum ad exituram uenerit, hic ab Hippocrate dici non intẽditur, sanari tuberculum, quamuis & hoc uerum sit, sed quod ab illo urinæ impedimento liberatur, hoc est quod ab Hippocrate intenditur.

Quod legitur, Maius aliquid. Græce habetur, μείζονός τινος πράγματος. idest, aliquod negotium maius, res quædam maior.

Quod etiam legitur, Contingit enim urinam aliquãdo retineri ob tale tuberculum. Græce habetur, ἐνδέχεται γὰρ ἰσχουρίαν δή τινα γίνεσθαι καὶ διὰ τοιοῦτον φῦμα. idest, Contingit enim ischuriam (idest urinæ suppressionem) quandoq; & ob tale tuberculum fieri.

Quod etiam legitur, Ex cuius diruptione sanitas proculdubio sequetur. Græce habetur, καὶ μέντοι καὶ ὡς τὸ φῦμα τοῦ ῥαγῆ ἰάσεται τὴν ἰσχουρίαν, δῆλον. idest, Et certe dirupto hoc tuberculo, ischuriæ (idest suppressionis urinæ) sanitas sequetur.

TERTIO Galenus dubium quoddam mouet, an Hippocrates putet, quod omnia tubercula in fistula urinaria facta sanari non possint, nisi per eruptionem: uel quod hoc sit frequenter, tamen quandoq; contingat ut dissoluantur, & per insensibilem resolutionem euanescant. Galenus huic dubitationi respondere uidetur, & per resolutionem & per exituram sanari posse. At Hippocrates hic unum solum exemplum posuit, scilicet sanitatis per diruptionem, & hanc solutionem ueram esse, idem Galenus arbitratur.

Quod

Quod legitur in fine Commenti, Quod uerius existit. ibi deest copula Et: legi enim debet, quod & uerius existit. Nam Græce ita habetur, ὅπερ καὶ ἀληθέστερόν ἐστιν.

APHORISMVS LXXXIII

Mictio noctu plurima facta, paruam significat deiectionem.

BRASAVOLVS

AB RE non est si nostri corporis humiditates in unam partem fluxerint, aliam partem sicciorem reddi: unde qui noctu multum minxerint, aliter fieri nõ potest, quin corporis humiditates ad uesicam transmissæ sint: ad quam quum sint transmissæ, ad intestina transmitti non possunt. Quare deiectiones paruæ erunt, hicq; aphorismus in hominibus sanis potissimum intelligendus est: quia in ægris per modum criticum, uel per modum symptomaticum ad has duas partes materiæ transmitti possent. Adde etiam, quod aliquis non plene potauerit, sed suo cõsueto uiuendi modo in cibis & potibus usus sit: constat enim eum qui plene potauerit, multum mingere, & præsertim si aquam uel dilutiora & tenuiora uina potauerit: tamẽ hunc deiectiones multas habere nihil impedit. Hicq; aphorismus, ut Philotheus dicit, διαγνωστικός ἐστι. idest, Iudicatiuus est.

οὔρησις νυκτὸς πολλὴ γινομένη. idest, Mictio noctu multa facta.] Intellige in sanitate facta, non in morbo per uiam crisis, neq; symptomatice, neq; ob nimium potum.

σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει. idest, Paruam deiectionem significat.] Quia nostri corporis humiditas, ad urinæ uias transmittitur, ideo ad intestina transmitti non potest, quæ ob id sicca relinquuntur. Actuarius libro primo De urinarum iudicijs, capite undecimo, docet urinam sani per proportionem correspondere oportere ijs quæ bibita sunt. Si uero sit copiosior quàm conueniat, signum est hunc multum potasse, præsertim si uinum exile sit. nam color urinæ huius uini ad album transmittitur. Substantia uero ad tenue, contenta sunt tenuia & uaria, non etiam leuia. hæc est una multi mictus causa in sanis, secundum Actuarium. Alia causa apud eundem authorem est, quod multa urina spectatur in ijs qui pauca excernunt, ob naturalem quendam uentris affectum, quæ colore mediocri est, atq; maiorem & crassiorem hypostasim continet. Tertia causa, multa urina mingi solet ob medicinas urinatorias, cuius color secundum naturam potius quàm in prædicta seruatur. Hypostasis uero est subtilior, ita ut obscuretur, sed fulgor quidam in humore eius splendet. Hæ sunt tres causæ multitudinis urinarum in sanis, & simul ipsarum colorem, substantiam, & contenta intelligere potes. Secũda uero causa, illa est quæ in aphorismo intelligitur, quem aphorismum in sanis hominibus interpretati sumus. Tamen & hic aphorismus ad ægros etiam ampliari posset, præsertim per secundam causam præadductam. propterea & nos breuibus referamus, quod ægri ob diabetem passionem, quæ est urinæ defluxus, urinæ copiam emittere possunt, & in hoc casu erunt etiam paucæ deiectiones. Talis uero urina erit alba & tenuis, atq; hypostasi priuata. quandoq; urina multa in ægritudinum crisibus profluit: præsertim quando urina crassa & globosa præcesserit, ut Hippocrates superius aphorismo sexagesimonono edocuerat. Hæc autem urina est alba, tenuis, & quæ mediocrem hypostasim habet. Alia causa multitudinis urinæ est hydrops: etenim qui hoc morbo correpti sunt, plus mingere solent, quàm mediocritas exposcat. Est autem urina aquea, quæ crudam & diuersam hypostasim habet. Hæc eadem ab Actuario referuntur libro primo De urinarum causis, capite quarto. Adde Philotheum, qui & ipse huius sententiæ est, si deiectio sit multa, mictio pauca erit: inquit enim, καὶ ἡ αἰτία, ὅτι πολλὴ καὶ ἀθροωτέρα γέγονεν ἡ ἀνάδοσις ἐν τῷ ἥπατι, καὶ ἀντεμετοχετεύθη ἡ ὕλη. καὶ διὰ τοῦτο πολλὰ οὖρα ἠνέχθησαν, ὀλίγη δὲ κόπρος. καὶ τὸ ἀνάπαλιν, ἐὰν πολλὴ κόπρου ὑποχώρησις γένηται, ὀλίγη ἔσται ἡ δὲ οὔρων, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν, ὅτι ὀλίγη γέγονεν ἡ ἀνάδοσις, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὀλίγον οὖρον. πολλὴ δὲ ἡ διὰ κόπρου ὑποχώρησις. διὰ τὸ ἐν τῇ γαστρὶ μένειν τὸ ὑγρόν. idest, Et causa est, quoniam multa eadẽq; collectior facta est digestio in hepate, & ex aduerso materia deriuauit: & ob hoc multa urina deducta est, parum autẽ stercoris. & uice uersa, si multa stercoris deiectio

fiat, pauca erit per urinam, ob eandem causam. Quoniam pauca facta est digestio, & ob hoc pauca etiam urina. Multa autem per stercus deiectio: quoniam in uentre humiditas manserit. Oribasius hic dubitat cur si copiosa sit urina, exigua sit deiectio alui. Respondet, primo positis quatuor uirtutibus nostri corporis, & posita coctione prima in uentriculo, secūda autem in iecore, dicit. Si magna fuerit coctio in uentriculo, deiectio alui erit minor, & maior pars nutrimenti subministratur iecori, & plus descendit in uesicam, quàm in uentrem. quia dictum est, urinam esse colamentum sanguinis ex iecore uenientis. Si uero minor fuerit concoctio in uentriculo, maxima erit excretio alui, & minus ministrabitur iecori. Quanto autem minus habuerit iecur, tanto minus erit urinæ. Sed potius causa est, quia natura humidas superfluitates ad urinæ uias transmittit.

Scito autem, & si dicat noctu, intelligere debemus etiam die. at quia nox coctionis tempus uidetur, non quia in die etiam non fiat coctio. Tu igitur per noctem, coctionis tempus intellige. Oribasius de hac re dubitans cur noctu dixerit inquit, noctem interpretes comparauere hyemi, & diem æstati propter calorem in hoc maximum, in illa minimum. Sic & nunc dicamus, calorē naturalem, & uirtutes operatiuas noctu intus detineri, calor autem naturalis cōcoctionem uel excretionem sic celerius facit. quod in pluribus intelligere oportet. nempe nonnulli etiam sunt, qui facilius concoquunt uigilantes, quàm somno pressi, & dormientes. Philotheus eandem rationem affert inquiens, ἐκ νυκτὸς δὲ εἶπε, ὅτι αἱ πέψεις ἐν νυκτὶ γίνονται, καὶ αἱ διακρίσεις τῶν περιττωμάτων. idest, Dixit uero noctu, quoniam coctiones in nocte fiunt, & superfluitatum secretiones. Sit ergo hæc regula quæ non fallit lectorē, sicuti multa mictio paucas deiectiones significat, ita multæ deiectiones mictum paucum significant: nam ubi humiditates in unam partem fluxerint, ad aliam partem ire non possunt. Multi autem reperiuntur, qui hęc natura habent, ut plus mingant, quàm excernant: uel ecōtrario, quorum ego unus sum, qui egregie mingo, & parū excerno, & hoc ab initio ortus meapte natura seruaui, usq; ad hanc ætatem, quæ nondum trigesimumoctauum annum attigit, attinget autem hinc ad mensem. Quid deinceps in nobis futurum sit, ignoramus.

GALENVS

QVOD quidem necessarium sit uentris humore distributo minorem fieri alui deiectionem unicuiq; manifestum, sed cum hoc, & una illud apparet, quòd eo una cum cibis exeunte, aluus quidem humidior fit, atq; ideo plura deijciet. Vrina uero paucior excernetur. Docebit autem nos hæc ipsa ratio, & alui fluentis, & sicci remedia. In quibus enim supramodum humida aluus deprehenditur, his potum minorem exhibebimus, ac præterea illi uiam ad uesicam parabimus: in quibus uero siccior, & plus dabimus potus, & distributionem quantum fieri poterit prohibebimus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, necessarium esse, si uentris humor in alium locum distribuatur, quod alui deiectiones paucæ sint. E contrario, si humiditas ad aluum tendat, deiectiones erunt plures, urinæ pauciores.

SECVNDO Galenus ex hoc loco, alui fluentis & siccæ remedia accipi ostendit: nam aluum supramodum humidam uidentes, parum potus exhibebimus, & uiam ad uesicam parabimus. In quibus uero aluus sicca erit, potum dabimus, & quantum fieri poterit, ne eat ad uesicam prohibebimus. possemus uero hunc aphorismum ad omnes euacuationes ampliare, quarum una alteram impedit.

LIBRI QVARTI

FINIS

AD MAGNIFICVM COMITEM ALPHONSVM CALCAGNINVM, ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.

NOS ILLIS quàm libenter labores nostros inscribimus, magnifice Comes, qui ea legere possunt, quæ in ipsis scripta sunt, atq; intelligere. Quippe qui non intelligunt, negligere uidentur, & non legere. Quum igitur nostra in Quintum Aphorismorum librum Commentaria in publicum prodire debeant, Magnificentiam tuam elegimus, omni uirtutum genere cumulatam, quæ nostrorum laborum particeps sit; quamq; scimus aptissimam esse, non ut hæc modo, sed multo maiora intelligat. Propterea illi merito hunc librum inscribimus, qui ea quæ in ipso sunt, facile penetrare poterit: non quidem ut medicus fiat, sed ut occulta naturæ sacraria animo cõplectatur, & quandoq; seipsum ab incursantibus extrinsecis rebus tueri possit; ut diu, omni abdicata noxa, aura uitali fruatur, cum præstantissima illa uxore sua Anna Noyanda, in qua una Gallæ nobilitatis specimen elucet, nec minus forma, quàm amplissimis uirtutibus decorata, quæ te fecit digna & copiosa prole parentem. Accipe igitur Comes amplissime, munusculum hoc, non quidem te tanto uiro dignum, sed quale uires nostræ imbecillæ parare potuerunt. Vale.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN QVINTVM LIBRVM APHORISMORVM Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

VT A NOBIS ET SVPERIVS ET ALIAS sæpius dictum est, hi Aphorismorũ libri non possunt certa aliqua continuatione cõnecti, nec particulares aphorismi qui in his libris sunt, connexionem habent, quamuis nonnulli ordine quodam plerunq; muniri possint, sed id superius suis in locis fecimus, & deinceps facere non omittemus. Difficillimum præterea est, & propè infinitum, in horum librorum initijs, totius libri intentionẽ breuibus edocere, & referre. propterea nos in præsentiarum huius libri intentionem explicabimus, ut fieri poterit. poterit autem hoc modo, si dixerimus in hoc libro ab Hippocrate multa tractari, sed tamen quæ ad capita quę consequũtur, reduci, nihil impedit. Primo etenim Hippocrates symptomata quædam prosequetur, quæ euacuationem consequuntur: & quãuis in his euacuationibus de solis hellebori euacuationibus uerba facere uideatur, tamen omnium uehementium medicamentorum quæ καθαρτικὰ, idest purgatiua dicuntur, euacuationes intelligit. Secundo de calido & frigido sermonem habet, & quid in nostro corpore agant, edisserit, cum de uarijs morbis pertractasset. Deniq; de mulierum tam utero gerentium, quàm non gerẽtium symptomatibus quibusdam agit, in huius partis calce multorũ morborũ symptomata addens, quæ breuibus uerbis in unum cumulum & in unam intentionem reduci non possunt. His igitur (ut fieri potuit, & quàm breui etiam) prægustatis, ad Hippocratis interpretationem accedemus, si prius Philothei ita scribentis introductionem adduxerimus, διαγνωστικοὺς καὶ προγνωστικοὺς κανόνας παραδίδωσιν ἐν τούτῳ τῷ τμήματι, ὥσπερ καὶ ἐν τῷ τετάρτῳ. idest iudicatiuos, & prognosticos canones in hac sectione præbet, sicuti & in quarta.

APHORISMVS PRIMVS

Conuulsio ex helleboro letalis est.

BRASAVOLVS

QVANDO ex ui purgationis hellebori aliquis conuulsionem inciderit, letale est: nempe aliter fieri non potest, quin ex inanitione conuulsio sit, & membrorum exiccatione & consumptione, quæ cum ita affecta sint, in pristinum statum reuocari non possunt. Hippocrates in epistola ad Democritum, in qua de helleborismo agit, eandem sententiam repetit, inquiens, Connulsio ex ueratro letalis est. Sed addit ipse in hac parte, Si in magna purgatione superueniat, malum est.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον. idest, Conuulsio ex, uel post helleborum mortalis.] Quid conuulsio sit, & quot habeat species, in secundo & quarto libris ubertim docuimus. De helleboro etiam in quarto libro aphorismo decimotertio, & de eius speciebus atq; præparatione, abũdantissime egimus. Hic solum addemus, per helleborum secundum antiquos (ut Galenus refert) solum album intelligi. Tu uero omne uehemens medicamentum intelligere potes, quod maxime educit & exiccat: quas operationes uehementissimas albus helleborus facit. Idem sentit Philotheus, quod de albo intelligendum sit Hippocrates, inquiens: ἀλλ' ἰστέον, ὅτι ἐλλέβορος διπλοῦς ἐστιν, ὁ μὲν λευκὸς, ὁ δὲ μέλας. ἐν τούτῳ δὲ τὸν περὶ λευκοῦ φησιν, καὶ δῆλον ἐκ τοῦ ἁπλῶς εἰρῆσθαι. τὸν γὰρ τοῦ μέλανος μετὰ προσθήκης ἔρρησεν, οἷον ἐλλέβορος μέλας. idest, Sed sciendum quod helleborus duplex est, hic quidem albus, hic uero

uero niger. Hic igitur de albo loquitur, & manifestũ est ex eo quod simpliciter dicitur: niger enim cum additione dicitꝰ, ut helleborus niger. Hícq; nos admonemus illam particulam Ex, notare conuulsionem ex ui hellebori fieri, & ex sua natura. unde argumentum illud de conuulsione remouetur, quod ex repletione fiat, ut si quis humoribus plenus helleborum potauerit, humores mouētur, & spasmum ex repletione inducũt. Hoc genus conuulsionis ex hellebori natura non fit, sed ex humore moto. Qui & si ab helleboro motus sit, tamen per accidens conuulsionem infert, quia ex sui natura non infert, sed conuulsio ex inanitione ex hellebori ui inducitur, tum euacuantis, tum exiccantis. Illa etiam conuulsio ex repletione mortalis non est: & ideo illa esse non potest, de qua sermonem hic habet Hippocrates. Adde, quum etiam cõuulsio ex oris uentriculi mordicatione per compassionem ex helleboro fieri possit, de hac conuulsionis specie, non est intelligendus Hippocrates, quia & si periculosa sit, letalis tamen non est. Quæ uero conuulsio ab Hippocrate nunc intelligatur, est illa, quæ ex ui medicamẽti euacuantis, & ad se neruorũ humiditates attrahentis, & uiolenter exiccantis inducitur: etenim hęc est conuulsio mortalis. Tuq; intellige Hippocratem de uniuersali cõuulsione uerba facere, non de illa quæ in aliquo particulari membro infertur: quoniã in particulari membro conuulsio letalis non est. Adde, intelligendum esse si perseueret, quia si cito abiret, mortalis non esset. Quomodo aũt helleborus exhiberi debeat, & præparandi modum, superius in quarto libro, aphorismo decimotertio, edocuimus. Nunc istud addemus, ab Hippocrate in epistola ad Democritũ, de helleborismo, sesamo mixtum dari. Potio autem est drachma, uel eius dimidiũ cum aceto mulso. Tertiam uero huius partem cum ueratro misceto, & minus præfocat. Hæc Hippocrates. Recentes hic dubiũ faciunt, an conuulsio ex inanitione letalis sit: multa dialectica argumenta fecere, quę mortalem non esse suadere uidentur. At nos illa omittemus, tanquam deuium lectorem facientia, & unum solum argumentũ adducemus, quod ad rem medicam, & ad bonorum authorum intellectionem facere uidetur. Galenus sexto libro De arte curandi, inquit, Æque difficile est exiccare, sicuti humectare. Sed conuulsio ex repletione per inanitionem curatur, & conuulsio ex inanitione per repletionẽ: & æque difficile est exiccare, sicuti humectare. Igitur & hæc conuulsio ex inanitione mortalis non erit, quia æque curantur. Adde, facilius uideri conuulsionem ex inanitione curare, quia ex sola humectatione sanatur: sed conuulsio ex repletione, euacuatione & exiccatione indiget. Respondemus, conuulsionem ex repletione, ex materia neruis imbibita fieri, quæ exiccari potest. Conuulsionem uero ex inanitione ita fieri constat, quod substãtifica nerui humiditas exhauritur, quæ restaurari atq; refici non potest: ideo hic letalis est. quæ uero repletionem sequitur, non mortalis. Illa etenim substantifica humiditas facile in neruum mitti non potest. Et Galenus de substantifica humiditate non loquitur, quam dicit æque facile introduci, ut siccitas: sed de quacũq; humiditate intelligit. Oribasius huius aphorismi rationem reddens, inquit, Veratrum autem arefacit & desiccat humorem naturalem, extenuat musculos, debilitat neruos. Et hęc omnia ad inanitionem faciunt. Quæ autem erit spes uitæ, quum à pestifero pręsidio acciderit peracuta affectio? Galenus quoq; undecimo libro De simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de castoreo sermonem habet, dicit ad conuulsionem ualere: sed antiquos reprehendit, qui sine ordine omni conuulsioni apponebant. Sed iubet ipse intelligendam esse conuulsionem ex repletione, quia est aduersissimum conuulsioni ex inanitione ob caliditatem suam, & quia exiccat: unde & in hoc Aphorismo intelligenda est conuulsio ex inanitione, quæ ob hellebori siccitatem facta sit. Philotheus quoq; multos modos enumerat, quibus conuulsio in assumptione hellebori, uel medicamenti fieri contingit, inquiens, ἢ διὰ πλήρωσιν, ὡς ὅταν πολλάκις τοῦ καθαρσίου ἑλκύσαντος, ἀθρόως πολὺν χυμὸν πρὸς τὴν γαστέρα, καὶ ὑπὸ τῇ διατάσει σπᾶται ὅλον τὸ νευρῶδες γένος, ὑπὸ στομάχου συμπάσχον· ἢ διὰ κένωσιν ἄμετρον· τῇ γὰρ ἀμέτρῳ κενώσει ξηρότης ἕπεται, καὶ τῇ ξηρότητι σπασμός. ἢ δὲ συμπάθειαν τοῦ στομάχου· πολλάκις γὰρ δραστικωτέρου ὄντος τοῦ φαρμάκου δάκνεται ὡς συμπαθὴς ὁ στόμαχος καὶ σπᾶται. ἢ διὰ δριμὺν χυμὸν ἑλχθέντα ἀπὸ τοῦ καθαρσίου πρὸς τὴν γαστέρα, καὶ οὗτος γὰρ τῇ δήξει σπασμὸν ποιεῖ. idest, Vel ob repletionem, ut quando medicamentum multum

humorem uno impetu circa uetriculum attraxerit, & in extensione conuellitur: uel ob euacuationem immoderatam, nempe immoderatam euacuationem siccitas sequitur, et siccitatem conuulsio: uel ob oris uentriculi compassionem, sæpe enim quum medicamentum efficacius est, ueluti compatiens os uentriculi mordetur & conuellitur: uel ob acutum humorem circa uentriculum à medicamento attractum. & hic quidem morsu conuulsionẽ facit. Si uero à Philotheo petieris, quum multos conuulsionis modos enumerauerit, de quo Hippocrati nunc sermo fiat. Respondet, περὶ τοῦ δευτέρου οὖν τρόπου ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει, τοῦ ἐν τῇ ξηρότητι, ὅς τις ἀνίατός ἐστιν, ὅτι δαπανηθείσης τῆς συνεκτικῆς ὑγρότητος, ἀδύνατόν ἐστιν αὐτὴν ἀνακαλέσασθαι. οἱ γὰρ ἄλλοι τρόποι, κακοὶ μέν εἰσιν, οὐ μὴν θανάσιμοι. idest, De secundo igitur modo sermo Hippocrati est: de eo inquam, qui in siccitate est, qui immedicabilis existit: quoniam consumpta humiditate continente, impossibile est ipsam reuocare. Alij enim modi, mali quidem sunt, non autem letales. Hæc Philotheus.

GALENVS

HIS QVI helleborum acceperunt, album scilicet: hunc enim simpliciter helleborum nominare cõsueuerunt, non sicuti nigrum, cum adiectione: his inquam, si ex purgatione conuulsio aduenerit, casum esse ait letalem. Fit enim non ab initio purgationis, quando periculum est ne homo stranguletur, sed quando uomentes uehemẽtius lacerantur: propter ipsam quidem maxime, quæ fit in motibus distentionem laborãtibus neruis, ob illam quam habent cum ore uẽtriculi in patiendo societatem. In quo & alias uidimus, ubi fortius mordetur, fieri conuulsiones, sicuti adolescenti qui eruginem euomuerat. Pręstat enim eruginem, non eruginosum uomitum illum nominare. Erat enim talis, qualis quæ uera erugo nominatur florentissimus, uerum inter uomendum totum corpus conuulsum est, & erugine euacuata febris statim, & conuulsio cessauit. Tale autem erat quod euomuerat, sicuti si quis optimam eruginem aqua persunderet, adeo ut ex eorum unione talis substantia exultaret, quę defruti crassitudinẽ repræsentaret. Non impossibile est igitur, ut dixi, & per compatiendi ad os uentriculi societatem, fieri conuulsionẽ ex helleboro albo, & hæc foret conuulsio minus periculosa. Contingit autem & propter ipsam euacuationem supra modum ipsis purgatis conuulsionem aduenire, sicuti & choleram patientibus contractiones frequenter adueniunt, & sæpius, ac maxime eorum qui sunt in suris musculorum. Sed neq; & illud est impossibile propter pharmaci efficaciam, ex neruis humiditates ad se attrahentis ex hac passione fieri conuulsionem: sed & hellebori aliquando ui ad sui distributionem impulsa uehementius, contingit neruorum substãtiam uiolentius exiccari. Ipse enim nos docuit Hippocrates, quod fit conuulsio ex repletione & inanitione, corporum uidelicet neruosorum, à quibus secundum electionem motus perficiuntur. Sunt autem hæc, nerui, ligamenta, musculi, & tendones: sicuti etiã in exterioribus uidemus lora & cordas extentas, ubi uehementius exiccentur, aut multa madeant humiditate, sic & in corporibus animalium par est fieri non raro conuulsionẽ. Liquet igitur, quod ex repletione conuulsio sanabilis est per euacuationem. Ea uero quæ fit ex inanitione, & neruorum siccitate, non facile admittit curationem. Fit autem, ut dixi, & propter compatiendi societatem conuulsio, quam non debemus existimare fuisse ab Hippocrate prætermissam. Eam enim quæ primũ fit, conuulsionem ostendit, quum ait, Conuulsionem ex repletione, atq; inanitione generari: et quidem nouimus etiam morsus ratione fieri in ore uentriculi singultum, adeo ut quispiam, & neruos itidem pati existimauerit. Et uidebitur ista cõuulsio his qui ab helleboro purgati sunt, non dicta ab Hippocrate aliquando fieri, nisi per Iouem illam dixerit quispiam fieri ex inanitione, quum humores mordaces uim habeãt exiccandi. Hi itaq; modi sunt eorũ, qui ex helleboro conuelluntur, Sanatur autem ex ipsis, & qui propter morsum, & qui propter distentionem ex uomitibus fit: quæ autem ex siccitate accidit, insanabilis est. Non absque ratione igitur totum hoc genus Hippocrates ait esse letale, quoniam nonnullæ eius species cum difficultate sanantur. Vna autem insanabilis est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet per helleborum intelligendum esse album, quia ita apud antiquos consuetum est simplici nomine album appellari: niger uero semper cum hac additione

additione, helleborus niger proponitur. Si quis ergo ex albo helleboro conuulsionem incidat, casus est letalis.

SECVNDO quendam conuulsionis modum ex sumpto helleboro docet, periculosum quidem, sed non letalem: nec in principijs purgationis fit, quãdo periculum est, ne homo stranguletur: quia helleborus strangulando necare potest, si ingentem materiæ copiam per uomitum ad superiores partes duxerit, unde conuulsio fieri potest ex oris uentriculi compassione, cum quo cerebrum ob societatem quam simul habent, compatiatur. Propterea cuiusdam iuuenis casum refert, qui eruginem, idest humorem talem qualis est erugo, euomuerat: huic inter uomẽdum totum corpus conuulsum est, sed erugine euacuata, febris statim & conuulsio cessarunt. Docetq; illius eruginis formam, sapæ in crassitudine similem esse. Et ideo infert, ex oris uentriculi compassione cõuulsionem ex albo helleboro fieri posse: sed non habet tantum periculi, quantum habet ex inanitione pura.

Quod legitur, Distentionem laborantibus neruis. Græce habetur, σπασμὸν πονησάντων νεύρων. idest, contractionem laborantibus neruis. Nec id te lateat, Galenum dixisse, iuuenem illum euomuisse æruginem, non autem æruginosum uomitum, ut differentiam facere uideatur inter æruginosum uomitum & æruginem. Est autem ærugo in omni ferè metallo, sed potissimum in ære, à quo & nomen accepit. nullus est qui æruginosum colorem non agnoscat: sed ipsa æris ærugo, à recentibus uiride æris nuncupari uidetur. Fit autem hæc ærugo in uentriculo ex superflua caliditate adurente, & (secundum Auicẽnam libro primo, fen prima, in capite de humoribus) ex adustione prasineæ bilis, ortum habet. Vnum est signum letale esse, si quis eam euomuerit: ex hac ærugine per oris uentriculi compassionem conuulsio infertur. Galenus quinto De locis affectis libro, capite quinto, ex bile in uentriculo oriri docet, & fuscis humoribus & porri succo similibus, & alijs pluribus quæ in ea parte à Galeno numerantur.

Quod legitur, Æruginem aquæ perfunderet. Græcum uerbum est ἄρδοιεν, idest irrigaret: à uerbo ἄρδω, quod est irigo & madefacio: quamuis & perfundere, irrigare sit.

Quod legitur, Quæ defruti crassitudinem repræsentet. hæc particula Defruti, Græce est σιραίου. Leoniceno placuit defruti, interpretari: nos in nostro syruporum examine, siræi & defruti differentiã edocuimus: quoniam siræum, mustum est ad tertiam partem consumptum: defrutum uero, ad dimidium. Plinius hoc ostẽdit libro decimoquarto, capite nono, inquiens: Nam siræum, quod alij hepsema, nostri sapam appellant, ingenij non naturæ opus est, musto usq; ad tertiam partem mensuræ decocto: quod ubi factum ad dimidium est, defrutum uocamus. Omnia in adulterium mellis excogitata. Et ideo quod in hoc loco à Galeno dicitur, σιραίου: nos potius interpretaremur siræi, uel hepsematis, uel sapæ, quàm defruti.

Quod etiam legitur, Et hæc foret conuulsio minus periculosa. Græce habetur, καὶ ἦν ἂν ὁ μετριώτατος σπασμὸς οὗτος. idest, & hæc foret conuulsio mediocrissima. Noster antiquus contextus duas lectiones habet, prædictam, & μετριώτερος; idest mediocrior.

TERTIO docet Galenus, conuulsionem etiam fieri, quando aliquis supra modum euacuatus fuerit. Tuq; in hoc loco suppone, hoc solum esse per uim euacuationis, non autem per uim potentiæ & actiuitatis medicamẽti ratione suæ attractionis: unde nos uidemus in patientibus choleram contractionẽ neruorũ frequenter aduenire. Dictum est à nobis in tertio libro quid sit cholera, aphorismo trigesimo, non enim bilis est: nec cholerici apud Pliniũ sunt biliosi, sed qui uomitũ patiuntur: de quo Celsus libro quarto, capite undecimo, agit, inquiens: Primo æque facienda mentio est cholerę, quia commune id stomachi, atq; intestinorũ uitium uideri potest: nam simul & deiectio & uomitus est, præterq; hæc inflatio est, intestina torquẽtur, bilis supra infraq; erumpit, primum aquæ similis, deinde ut in ea recens caro lota esse uideatur, interdũ alba, nonnunquã nigra uel uaria. Ergo eo nomine morbũ hunc χολέραν, Græci nominarunt. Præter ea uero quæ supra cõprehensa sunt, sæpe etiam crura manusq; contrahuntur, urget sitis, anima deficit: quibus concurrẽtibus, non mirũ est, si subito quis moritur. hęc Celsus de cholera. Galenus quoq; acutissimũ morbũ uocat (in sibi adscripta Isagoge & Definitionũ libro) qui cum multa deiectione & uomitu bilis sit, in quo contrahuntur surę, & extrema algent,

pulsusq;

pulsusq; sit exiguus, & incertus. Quod uero hic interpretat Leonicenus, sicuti & choleram patientibus, Græce est ὡς καὶ τοῖς χολερικοῖς.

Quod legitur, In suris musculorum, Græce habetur περὶ τὴν γαστροκνημίαν μυῶν. Est uero γαστροκνημία pulpa cruris & sura.

QVARTO docet, non esse impossibile spasmum fieri hoc modo propter medicamenti actualem efficaciam, quæ humiditates quæ sunt in neruis ad se trahat, & conuulsionem faciat.

Quod legitur, Propter pharmaci efficaciam. Græce habetur, διὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ φαρμάκου. idest, propter actum medicamenti. Noster antiquus contextus loco illius particulæ διὰ, habet περὶ. ut hoc modo sensum faciat, secundũ actum operandi medicamenti: quoniam ἐνέργεια, actus in opere est.

Quod etiam legitur, Ex hac passione fieri conuulsionem. Græce habetur, ἐκ τῆς κακοπαθείας ταύτης ἀποτελεῖσθαι σπασμόν. idest, Ex hac mala passione fieri conuulsionem. nam κακοπάθεια, malam passionem, & non simpliciter passionem significat.

QVINTO docet, fieri etiam spasmum, quando per uim hellebori, nerui exiccãtur, hoc est per suam caliditatem, quando eius uis uehementius ad distributionem impellitur. Nam ab Hippocrate docemur, conuulsionem fieri ex inanitione & repletione corporum neruosorum à quibus fit motus uoluntarius. Sunt autem neruosa corpora quatuor: nerui, ligamenta, musculi, & tendones, sicut in chordis & loris fit contractio, uel propter nimiam siccitatem, uel propter nimiam humiditatem, ita in neruosis membris fieri contingit. Conuulsio illa quæ est ex repletione & humiditate sanari potest: at quæ est ex inanitione & neruorum siccitate, difficillime sanatur.

Quod legitur, Ipse enim nos docuit Hippocrates. in nostro antiquo contextu præcise ita habetur, ἐδίδαξε γὰρ αὐτὸς ἡμᾶς ὁ ἱπποκράτης. Sed Aldinus contextus habet, ἐδίδαξε δέ. idest, ipse autem. Vtrunq; conuenire uidetur: tamen ad rem magis uidetur legere Ipse autem, quàm Ipse enim.

Quod etiam legitur, Sicuti etiam in exterioribus uidemus, legi debet, sicuti enim. nam Græce est, ὥσπερ γάρ.

Quod etiam legitur, Sic & in corporibus animalium par est fieri non raro conuulsionem, legi debet, sic & in corporibus animalium plurium. nam in Aldino contextu ita legitur, οὕτω καὶ περὶ τὰ τῶν ζώων σώματα τὰ πολλά. in antiquo nostro illa particula τὰ πολλὰ non aderat, sed in margine scripta est, & ubi ponenda sit, designatus locus.

Quod etiam legitur, Non facile admittit curationem, hæc particula non facile: Græce est οὐ πάνυ, non ualde, non multum, sed rarissime. Si uero legamus, facile, frequenter fieri posset, sed tamen cum difficultate: Si uero dicamus, non multum, significatur, quod & si quandoq; fiat, id tamen rarissimum sit.

SEXTO Galenus cuidã ambiguitati obuiare uidetur. nam ab Hippocrate dictum est, conuulsionẽ ex repletione, & inanitione fieri. tamen (ut diximus) fit etiam per compatiendi societatem, & hic modus ab Hippocrate prætermissus uidetur. Respõdet Galenus, non esse hunc modum ab Hippocrate prætermissum, quoniam ad cõuulsionem ex repletione deducitur. nam ratione morsus uentriculi fit: is uero morsus à materia ortum habet, ideo erit ex repletione. Scitoq;, nos incurrere singultum ratione morsus in ore uentriculi: ex quo haberi potest, ex illo pati neruos.

SEPTIMO, aliam dubitationẽ remouet, quia aliquis æque dubitare posset de conuulsione facta ex helleboro, quod non sit dicta ab Hippocrate. Respondet ad conuulsionem ex inanitione reduci, quia humores mordaces uim exsiccãdi habent. & ita etiã intelligere oportet de conuulsione illa, quæ per mordaces humores in ore uentriculi facta sit, quod ad conuulsionem ex inanitione reduci possit.

OCTAVO infert, conuulsionem ex morsu, & cõuulsionem ob illam distentionem quæ in uomitibus fit, sanari posse: sed conuulsionem ex siccitate insanabilem esse. Propterea Hippocrates totum hoc genus conuulsionis ex siccitate letalem esse dixit: non quia quandoq; aliquæ eius species non sanentur (quoniam reuera aliquę sanantur, licet cum difficultate) sed una species penitus insanabilis est: illa inquam, quando ex ui hellebori propria neruorum humiditas trahitur atq; exiccatur.

Quod

Quod legitur, Et qui propter distentionem ex uomitibus fit. Græce habetur, ϗ ὁ διὰ συντονίαν τὴν ἐπὶ τοῖς ἐμέτοις. idest, Et propter intentionem, quæ in uomitibus fit.

Quod etiam in fine legitur, Quoniam nonnullæ eius species. Græce habetur, ἐπειδὴ τινὲς μὲν αὐτοῦ διαφοραί. idest, Quoniam nonnullæ eius differentiæ. tamen species interpretari potest: quia ex differentijs, species ortum habent.

APHORISMVS II

Conuulsio ex uulnere, letalis est.

BRASAVOLVS

SI POST illatum uulnus conuulsio sequatur, uel in ipso uulnere, letale est: in ipso inquam uulnere, quia post uulnera inflammationes quandoq; sequuntur, quæ si neruosas attigerint partes, primo propinquas, deinde ipsum principium conuellunt, & consequenter totum corpus. Propterea Hippocrates de uniuersali conuulsione intelligẽdus est, quæ in uulneribus fiat. nam si sit particularis conuulsio, mortem non significabit. Mors uero ideo prædicitur, quia in principali membro nocumentum esse significatur, & deniq; in toto corpore. Aliqui sunt qui addere uoluerunt, esse uirium debilitatem in hac conuulsione ex uulnere facta.

ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγενόμενος. idest, Conuulsio in uulnere facta,] uel ex uulnere, ut Leonicenus: uel à uulnere, ut Theodorus.

θανάσιμον, idest letale.] Hæc particula ἐπιγενόμενος, in contextu ponitur: tamen à Theodoro, uel Leoniceno in Latinam linguam nõ refertur: transferri autem potest adueniens. Oribasius hic dubitare uidetur de quali uulnere sermonem habeat Hippocrates, aut quo in loco. Respondet, solum de his uulneribus uerba facere, quæ in præcipuis membris inferũtur: quid uero intelligit per præcipua membra, statim exponere uidetur inquiens, ut est hepar aut cerebrum, & fiat conuulsio, letale est: quia significat aut debilem esse uirtutem, aut abundantem in eo membro materiam. Et si Oribasius uerum dicat, tamen non est opus ita arctare Hippocratem, quia experientia uidemus, in brachiorum uulneribus & crurum, quando ex uulnere cõuulsiones fiunt, mortem consequi, & hoc in dies experimur, & multos in cura habemus singulis annis in hoc discrimine cõstitutos: præsertim quando talis cõuulsio fuerit, quæ capiti cõmunicetur, & perseueret: & tanto citius moriuntur, quanto uires debiliores fuerint. Scito autem conuulsionẽ ob uulnus, ex inanitione fieri posse, si magna sanguinis copia exeat, quia nerui & membra exhauriuntur. Potest etiam & ex repletione fieri, si ob propinquarũ partium inflammationem magna materiæ copia ad locũ læsum congregetur, quæ neruos impleat, & usq; ad principium offendat. potest etiam ex nerui uel chordæ punctura fieri, ut Galenus in libro Artis medicinalis capite nonagesimo secundo edocuit, dicens, propter uehementiam sensus qui est in neruo & chorda, & quia sunt partes quę continuantur principio, idest cerebro, si pungantur, facile excitant conuulsionẽ: sed hoc pręsertim faciunt, quando obcæcato uulnere cutis extrorsum nihil expirat. Tamen hæc est ex repletione conuulsio, quia ob dolorem qui in loco fit, illuc materiæ decurrunt, quæ implentes conuellunt. de his uero Galenus in sexto De arte curandi libro, multa præmonuit. Nosq; fatemur apertissime in experientia ea quotidie percipi, quæ à Galeno in illo loco dicuntur. Vidimusq; his oculis aliquos in brachio uulneratos, qui chirurgorũ indiligentia periere, & non alia de causa, nisi quia uulnus statim claudere festinarunt. Propterea id quod per uulgus inuulgatum est, à uero non dissonat, Si totus incidatur musculus, hominem superuiuere: si uero pungatur, uel parum incidatur, cõuulsionem incurrere, & mori. Si Galenum contemplemur loco pręcitato, hanc sententiam in rectum sensum duci posse deprehendemus, ubi primo Thessalum reprehẽdit, qui unum in manu uulneratum interfecerit, eo quod usus erat emplastro, quo sępe utebatur in magnis uulneribus, & prospere succedebat: hic autem non animaduerterat esse punctum neruũ, unde orta phlegmone imposuit emplastrũ ex farina tritici, & in septem diebus iugulauit. Propterea ipse iubet sedandum esse dolorem, & prohibendam inflammationem. Additq; uulnus apertum

tum inglutinatumque custodiri oportere, ut bene sanies possit exire. Ex hoc sumunt forte recentes, & mulieres nostræ, atque uulgus, cum dicunt, si fuerit magnum uulnus, facile sanari posse, si uero paruum, conuulsionem incidunt. Modum uero curãdi nerui puncturam in eodem loco docet Galenus; at quomodo cognosci possit neruum esse punctum, hoc indicio ostendit, quia intensissimus est dolor. & tu adde, per totum extensionis illius nerui tractum persentiri. multos uidimus in capite uulneratos cum propè mortem deuenere, conuulsionem ab eodem uulneris latere incidisse: ab alio autem latere in uniuerso corpore neruorum resolutionem.

Sed tu fortè interrogabis, an ex se orto ulcere (quod uulnus non sit, ut in humanis corporibus sæpius contingit) conuulsio fieri possit, & sit letalis. Respondemus, & fieri posse, & letalem esse, idest ualde periculosam. Ideo tu uulnus amplia ad omne genus ulceris, quod in nostro corpore fiat, ex quo conuulsio sequatur, & talis quæ & perseueret, & uniuersalis sit. Quod autem hoc uerum sit, ex eo certum est, quia ad omne ulcus inflammatio sequi potest. Galenus uero in commento aphorismi rationem reddens, cur letalis sit in uulnere conuulsio, dicit, quia ex uulneribus inflammationes fiunt, & ideo totam rationem in inflammatione ponit. Philotheus in suis codicibus duas lectiones habuit: unam, quam superius explicauimus, scilicet ἐπὶ τραύματι: & aliam quam dicit ἐπὶ τρώματι. Est autem τραῦμα solutio continui in carne, τρῶμα uero solutio continui in neruo. laudat potius legendum esse ἐπὶ τρώματι, ut de solutione continuitatis in neruo sermo sit. uerba eius hæc sunt, ne fortè illa audire desideres, τινὰ ἔχουσι τῶν βιβλίων ἐπὶ τραύματι, τινὰ ἐπὶ τρώματι, ὃ καὶ ἀληθέστερον. ἑκάτερον δὲ τούτων λύσιν συνεχείας δηλοῖ· ἀλλ' ἡ μὲν ἐν σαρκὶ λύσις τῆς συνεχείας, τραῦμα καλεῖται. εἰ δὲ ἐν νεύρῳ νύγμα, ἤτοι τρῶμα. γίνεται μὲν οὖν ἐπὶ τραύματι σπασμός, οὐ διὰ τὴν ἐν σαρκὶ λύσιν. ἀλλ' ἐπειδὴ συνδιαιροῦνται καὶ φλέβες καὶ ἀρτηρίαι, κἀντεῦθεν ἐπὶ τῇ ἀμέτρῳ κενώσει γίνεται σπασμός. ἐπὶ δὲ τρώματι ὀδύνη σφοδροτάτη ἕπεται, κἀντεῦθεν ὁ αἱματισμὸς ἐπὶ τούτῳ φλεγμαίνει, εἶτα ἡ διάτασις, καὶ τοσοῦτον ὥς τε καὶ τὰ νευρώδη συνδιατεθῆναι, κἀντεῦθεν σπασμὸν γενέσθαι. ἐπὶ ἀμφοτέρων οὖν τούτων τῶν τρόπων ὁ σπασμός, θανάσιμος, ἤτοι ἐπισφαλής. idest, quidam libri habent ex uulnere in carne, quidam ex uulnere in neruo, quod & uerius. utrunque autem horum solutionem cõtinuitatis ostendit. sed solutio continuitatis in carne, τραῦμα, idest uulnus appellatur. si autem in neruo, νύγμα, idest τρῶμα, idest uulnus in neruo. Fit igitur conuulsio in uulnere in carne, non ob solutionem quæ in carne fit, sed quoniam & uenæ & arteriæ cõdiuiduntur, & hinc ex immodica euacuatione conuulsio fit. In uulnere autem neruorum uehemens dolor consequitur, & hinc defluxus sanguinis insuper inflammat, postea extensio in tantum ut & neruosæ partes contrahantur, & hinc conuulsio fit. In utrisque horum modorum letalis, idest admodum periculosa.

GALENVS

SICVTI in eo qui hunc antecedit aphorismo, mortalem dixit esse conuulsionem, quod idem est, ac si diceret periculosam, atque ad mortem sæpius terminãtem: sic & nunc eam quæ fit ex uulnere conuulsionem letalem dixit esse, non tanquam ex necessitate, ac semper mortem afferentem, sed tanquam admodum crebro: sic & in multis ex prioribus aphorismis, letalis nomine uisus est uti. Ex uulneribus igitur fiunt conuulsiones, ratione sequentis ipsa inflammationis ubi partes neruosas attigerit. Et primum quidem uidentur conuelli, quæ è directo sunt partium inflammatione laborãtium, deinde sic postquam & principium attigerit passio ad totum extenditur corpus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hoc uerbum letale & hic & in præcedẽti aphorismo & in multis alijs non dici, eo quod necessario mors semper consequatur: sed tantum quia crebro & ut plurimum sequitur: quamuis quandoque, sed raro, aliqui sanitati restituantur.

SECVNDO docet, ex uulneribus fieri conuulsionem ob inflammationes quæ uulnera sequuntur. Hoc autem fit, quando uulnera partes neruosas attigerint, uel quando inflammatio ipsa easdem partes attigerit. Vtrunque uerum est, tamẽ hic ordo seruatur, ut primo propinquæ partes conuellantur, deinde remotiores, quo ad principiũ attingant, hoc est cerebrum, quod est & neruorum & neruosarum partium principium. denique ex principio totum corpus afficitur & contrahitur.

Quod

Quod legitur, & principium attigerit passio, ibi deest particula, ipsum. Græce enim habetur, καὶ τῆς ἀρχῆς αὐτῆς ἅψηται τὸ πάθος, idest, & principium ipsum attigerit passio.

APHORISMVS III

VBi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens, malum.

BRASAVOLVS

PROCVLDVBIO conuulsio illa quæ sanguinis profluuium sequitur, & singultus, qui eiusdem sanguinis effusionem sequitur, ex inanitione ortum habẽt, ideo & ipsa iudicanda sunt non modo mala sed letalia. Quia ut Galenus testatur, & malum, & letale, ac si idem sint, accipi debent. non potest autem aliquis ex sanguinis effusione cõuulsionem incidere, aut singultum, qui est conuulsionis species, nisi uehementissima facta sit membrorum inanitio, & nisi uires debiliores effectæ sint. Philotheus hic dicit, ἐνταῦθα ἐπὶ αὐτομάτῳ κενώσει τὸν σπασμὸν ὑποτίθεται γίνεσθαι, idest, hic in spontina euacuatione conuulsionem fieri supponit. Celsus in fine capitis octaui secundi libri, huic aphorismo aliquid addit, nam ipsum ita refert, Si sanguis profluxit, deinde secuta est dementia cum distentione neruorum, periculum mortis est.

αἵματος πολλοῦ ῥυέντος. idest, Vbi sanguis plurimus fluxerit, uel (ad uerbum) sanguine multo fluente. Si petas à quo loco fluere intelligat Hippocrates. Respõdebimus, à quocunque loco, uel à naribus, uel ab ore, uel à uentriculo, uel à pectore, uel ab hemorrhoidibus uenis, uel à uulnere. ex quibus hunc aphorismum à præcedentibus distinctum esse intelligimus, quod in præcedenti de conuulsione in uulneribus ex inanitione facta ob sanguinis copiam qui effluxerit, non loquatur: sed solum de illa quæ est ex repletione, propter inflammationem quæ consequitur. Et ideo hic Aphorismus uniuersalis erit ad omnem immodicam sanguinis euacuationem, uel spontina sit, uel arte facta, uel uiolenta. At tanta copia profluere debet, quod membra exhausta sint. Nos his manibus decem & octo sanguinis libras ponderauimus, quæ ex sinistra nare Illustrissimæ Dianæ Estensis semel prodiere, omissis etiam quatuor aut pluribus libris, quæ in terram per lintea, per sudariola, per torum, & mappas sparsæ sunt. tamẽ nec conuulsionem incidit, nec aliquod uitæ discrimen, sed defessa multum Deo duce conualuit.

An uero Hippocrates intelligendus sit, quod hæc sanguinis copia repẽte fluere debeat, nec ne, aliquis dubitare posset. & re uera intelligendus est, quod cito exeat, & in tali ac tanto tempore, quod semel exire non possit & refici, unde sanguinis copia breui tempore facta esse debet.

λυγμός. idest, singultus.] Ita habet antiquus noster contextus, & ita habebat Leonicenus in suo, & antiqua translatio: sed Aldinus contextus primo legit conuulsionem, deinde singultum, quod mihi magis arridet, quoniam quod uniuersalius est præcedit, & minus uniuersale consequitur. Aetius libro nono capite quinto singultus causas enumerat, inquiens, quandoque ex repletione fieri, quandoque ex inanitione, quandoque ex frigiditate, quandoque ob humorum acrimoniam, quandoque aliquis piper bibens, deinde uinum potu sumens singultum incidit, quandoque cibus in mordacem qualitatẽ corruptus singultum facit. Pueris plerunque ob oris uentriculi frigiditatẽ, & alimenti corruptionem contingit. quandoque fit singultus in febribus, stomacho, aut aliquo alio uiscere inflammato. Paulus quoque libro secundo, capite quinquagesimoseptimo de causis singultus tractat, sed breuius quàm Aetius. In præsenti aphorismo opus est singultum ex inanitione intelligere, quia magna sanguinis copia euacuata, omnia mẽbra humiditate priuantur, & præsertim neruosa. os autem uentriculi neruosum est, propterea in magno sanguinis fluxu exsiccari contingit, quo exsiccato, contrahitur, & hunc excussiuum motum facit. sed magna differentia est eius singultus qui ex inanitione fit, ab illo qui ex repletione, præsertim in sonitu. nam is qui ex repletione fit, sonitum habet, non ita magnum, nec ita sonorum; in eo uero qui ex inanitione est, sonitus est ualde

magnus, & per cannam ferè strepitum facere uidetur, quia fit in re sicca, & partes illæ sunt extensæ, & sine materia, quæ strepitum obtundat.

ἢ σπασμὸς ἐπιγενόμενος κακόν. idest, uel conuulsio superueniens, malum.] nam & singultus species conuulsionis est, & de cõuulsione ex inanitione intelligere oportet, deq; conuulsione uniuersali, non autem de particulari, quæ in membro aliquo etiam non principali fiat. Oribasius hic dicit, cum sanguis toti corpori nutrimentum ministret, si ex sui profusione nata fuerit conuulsio, aut singultus, quia utræq; hæ affectiones ex inanitione fiunt, malum est, quia uirtus imminuitur, & nutrimentum naturæ non ministratur. Philotheus huius aphorismi talem rationem assignat ὅτι ἀμέτρῳ κενώσει ὑποτίθεται τὸν σπασμὸν, καὶ λυγμὸν ἐπιγενέσθαι, idest, Quod immodica euacuatione supponitur conuulsionem & singultũ superuenire. forte uidens Philotheus, hanc rationem efficacem non esse, aliam subiunxit dicens, ἄλλως τε ὅτι τοῦ αἵματος τοῦ πολλοῦ κενωμένου, ἀμοιροῦσι τροφῆς τὰ μόρια, ἀμοιροῦντα δὲ ἐπὶ φθορὰν ὁδεύουσιν. δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι διαφέρει σπασμὸς λυγμοῦ, ὅτι ὁ μὲν ἐν παντὶ μορίῳ προαιρετικῷ συνίσταται, καὶ ψυχικόν ἐστι πάθος. ὁ δὲ λυγμὸς ἐν τῷ στομάχῳ, καὶ σωματικόν ἐστι πάθος. idest, Alioqui q; multo sanguine euacuato, partes nutrimento destituuntur: nutrimento uero destitutæ, in corruptionem tendunt. Scire autem oportet, quod à singultu conuulsio differt: nam in omni parte corporis proposita consistit (scilicet spasmus) & frigida est passio. Singultus uero in ore uẽtriculi, & corporalis est passio.

GALENVS

NON aliud quidem ostendi est existimãdum ex priori nomine, letale, aliud autem nunc, cum malum dicit. Consueuit siquidem Hippocrates casus illos ita nominare, quos lethum sæpe subsequitur. Si cui uero per magis, & minus differre hæc nomina uideantur, maius periculum per uocem, letale, quàm per, malum, ostendetur. Quæ igitur fit ex plurima sanguinis profusione conuulsio, ex altero genere causarum ipsam efficientium, ut antea diximus, dictum est.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet apud Hippocratem idem intelligendum esse, quando dicit letale, & quando malum. quoniam cum dicit letale, non semper mortem significat: simili modo quando dicit malum, non semper mortem significat. tamen si quis sit qui hæc per magis & minus differre uelit, dicemus quod letale maius periculum significat, quàm malum: & ita huius aphorismi casus, minus malus est, quàm is qui in præcedenti aphorismo scribebatur.

SECVNDO docet, conuulsionem ex sanguinis fluxu, esse ex altero genere causarum, quæ conuulsionem faciunt, idest, ex genere conuulsionis ex euacuatione.

Quod legitur, ex altero genere causarum, Græce habetur ἐκ θατέρου γένους ἐστὶ τῶν ποιούντων αἰτίων αὐτόν, idest, ex alio genere causarum est ipsam efficientium.

Quod etiam legitur, ut antea diximus, dictum est. Græce habetur ὡς προείρηται, idest, ut prædiximus. illa particula, dictum est, uacat.

APHORISMVS IIII

EX superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniẽs, malum.

BRASAVOLVS

VNA & eadem est huius aphorismi causa, & primi. Solum uero in hoc differre uidentur, quia ille de purgatione tantum ex helleboro facta loquebatur: hic simpliciter de omni purgatione uerba facit, modo superflua sit, uel ex helleboro facta, uel ex quocunq; alio medicamento multum euacuante. Conuulsio enim, uel singultus qui ex superflua euacuatione fiunt, malum portendunt. quoniam uehementem exsiccationem in membris esse denotatur, ad quam uirium debilitas consequitur. Celsus in fine capitis octaui secundi libri, hunc aphorismum ita refert: cum dixerit ex profusione sanguinis disten-

nis distentionem esse in periculo mortis, addit: itemq; si medicamentis purgatum, & adhuc inanem neruorum distentio oppressit. Ante hunc aphorismum, antiqua translatio alium habet, quem in nullo exemplari Græco inuenire potuimus, tamen in hanc ferè sententiam inclinat: quem ne forte desideres, & quæras, hic subscribere decreuimus. Ita igitur Constantinus interpretatus est, Spasmus innatus & singultus post nimiam inanitionem, malum. At quod mirum est, hic aphorismus nuper adductus, habet commentationem aphorismi, quem nuper interpretabamur: sed in eadem antiqua interpretatione huic aphorismo, quem nunc exponimus, aliud commentum coniunctum est, quod nunquàm in aliquo antiquo codice inuenire potuimus. decreuimus uero id commentum (quia breue est) adducere, ne ipsum in alio libro quærere cogaris. Est aũt hoc: spasmus est motus inuoluntarius, & uoluntaria obtinẽs loca. Singultus est spasmus stomachi nimiũ pleni aut desiccati, aut mordicatione, aut iritatione aliqua incitati. Omnis enim immoderata purgatio pessima est, soluitur autem per repletionem, repletio uero spasmo præsente, aut singultu nequit fieri. Hoc est commentum, quod ab antiqua trãslatione, huic aphorismo quem interpretamur, cõceditur. At eius proprium commentum illi aphorismo prębet, quem in antiqua trãslatione inueniri diximus, non uero in aliquo antiquo contextu.

ἐπὶ ὑπερκαθάρσει. idest, ex superflua purgatione.] Sed Theodorus absolute ex purgatione interpretatur, tamen opus est semper intelligere purgationem, & eam præsertim quæ arte facta sit, quamuis & ad spontinam euacuationem ampliari possit.

σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν. idest, Spasmus, uel singultus superueniens, malum.] quia necessario ex inanitione sunt, ex qua & multa debilitas sequitur, & etiam membrorum intensissima siccitas. In hoc autem loco Oribasius exponit, malum, quia non semper malum est mortale, sed sunt (ut inquit) tres gradus apud Hippocratem, malum, pessimum, lethale. Philotheus quoque hic dubitat, cum hæc conuulsio ex inanitione esse supponatur, propter quid dixit, malum, & non mortale? Nam ob laborem, & tyrannidem hellebori dixit, mortale: hic uero dicit, malum, ἐπειδὴ ἐνδέχεται καὶ οἷόν δή ποτε παραχεθέντος βοηθήματος ὑπερκαθάρσεως γενομένης σπασμὸν γενέσθαι, καὶ μὴ εἶναι θανάσιμον, καὶ δυνατὸν θεραπεύεσθαι αὐτὸν, τροφαῖς ἢ λουτροῖς. idest, Quoniam contingit & possibile est, & ut quandoque cum pręparantur quæ adiuuent, purgatione supra modum facta, conuulsionem fieri, & non esse lethalem, & ipsam sanari possibile esse nutrimentis, uel lauacris.

GALENVS.

QVOD aliquando his qui helleborum sumpserunt diximus fieri, hoc nunc ostendit in omnibus qui quouis modo purgantur. Conuelluntur enim qui ultra modũ purgantur easdem ob causas, quas diximus, inde his qui helleborũ assumpserunt, & his qui hac ratione laborant, non paruũ periculum imminet, si quidem peior est ea quæ fit ex inanitione conuulsio, altera quæ fit ex repletione. Quod autem & singultus conuulsio sit stomachi, secundum Hippocratem nos utiq; nouimus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nũc cõmunius dici ab Hippocrate, quàm in primo Aphorismo dictum sit. nam in primo aphorismo de euacuatione solum ex helleboro facta tractat: in hoc autem de omni euacuatione. tamen Galenus dicit, easdem esse conuulsionis causas, & ex helleboro, & ex qualibet alia superflua euacuatione. nam & periculum est in ijs qui hac superflua euacuatione laborant, ne conuulsionem ex inanitione incurrant, quæ multo peior est illa quæ ex repletione contingit.

Quod legitur, Inde ijs qui helleborum assumpserunt. Gręce habetur, ἐπὶ τῶν ἐλλέβορον εἰληφότων, idest, In ijs qui helleborum assumpserunt. Illa particula de, superflua est.

Quod etiam legitur. Siquidem peior est, deest hic particula, multo. legi enim debet, Siquidem multo peior est. nam Græce habetur, ἐπειδὴ πολὺ χείρων ἐστιν.

SECVNDO docet Galenus, singultum esse stomachi conuulsionem apud Hippocratem notum esse.

APHORISMVS V

SI ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur: aut ubi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, uocem recuperet.

BRASAVOLVS

EBRIETATEM læso cerebro fieri, nulli dubium est, nec ullus est qui dubitet, cerebrum esse principium neruorum, & ideo si quispiam ebrius repente mutus fiat, nam is sit qui primo loquatur (quamuis forte temere & imprudenter) deinde sermonem amittat, signum est cerebrum esse oppressum, quo oppresso nerui opprimuntur, qui ab ipso ortum habent, propterea conuulsionem incidit; quæ cum sit uniuersalis, & principale membrum male affectum sit, hic conuulsus moritur, nisi febris superuenerit, quæ etiam uehemens sit, ad resoluendas materias in cerebro existentes apta, aut uis intrinseca per seipsam operetur, & resoluat. Tunc uero resoluere cognoscemus, aut resoluisse, quando post tempus quo solent crapulæ finire, hic sermonem recuperet.

ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται. idest, Si quis ebrius repente sine uoce fiat.] Ebrietas duplex est, una integra & perfecta, quando is qui ebrius est, nihil penitus cognoscit. Alia imperfecta, quando adhuc cognoscit, tamen male iudicat. Hæc ebrietatis distinctio ex Aristotele sumi potest tertio Problematum libro, problemate secundo & uigesimooctauo, ubi dubitat, Quare est quod multum ebrij non delirant, idest, turpia non dicunt, nec turpia agunt: sed bene parum ebrij? Respondet, quia multum ebrij sunt penitus occupati, & prostrati dormiunt: parum uero ebrij peccant dicuntque turpia, quia eorum iudicium est immutatum, tamen non sunt penitus sopiti: ideo si quid agant, id agunt peruerse. agunt uero, quia penitus capti non sunt, propterea magis delirant. Aliter etiam soluit, Sobrij ratione iudicant, temulenti ne tentant quidem aliquid iudicare: leuiter ebriati iudicant, quandoquidem uino non penitus detinentur, sed praue id faciunt, quia sobrij non sunt. quo fit ut mox & contemnant alios, & contemni ab alijs se ipsi existiment, ut hinc differentia colligi possit inter perfecte ebrios, & semiebrios, quos Cato uoluntarie insanos nominabat. nam dicebat, nihil aliud esse ebrietatem quam uoluntariam insaniam. Illi qui sunt perfecte ebrij non loquuntur, nec mouentur, sed plerunque solum euomunt. Si paulatim ita affecti sint, nihil mali est suspicandum, nisi transacto tempore quo solent crapulæ solui, in pristinum statum resoluantur. Cum autem uideris in pristinum statum non resolui, de ipsis dubitare incipe. Si uero repẽte fiant, in principio suspicari incipe, & ad præsidia te conuertas. nã de his qui paulatim ebrij fiũt, quotidianæ experiẽtiæ habẽtur, quod & obmutescũt, & deinde in sanitatem restituuntur. Si uero dubites, quomodo prouidere oporteat, Hippocrates docet libro secundo de Morbis, ubi hunc Aphorismum præcise describit, inquiens, Si quis temulentia repente mutescat, quem si statim febris corripiat, sanescit: sin minus, tertianus perit. unde ex Hippocrate hic habes uitæ terminum. Sequitur deinde remedia describens, & dicit, Cum sic habentem nancisceris, multa calida lauato, capiti spongias aqua calida tinctas dato, cæpam purgatam naribus admoueto: qui si oculos aperiat, loquatur, resipiscat, non deliret, soporatus eo die iacet, postero sanescit: si stans bilem uomat, furit, quintoque die plerunque perit, nisi dormiat. Cui hæc facito: multa calida, donec resipiscat lauato, deinde multo oleo linito, mollibusque stratis reclinato, plurimis stragulis tegito lumen, nec qui loquatur, sit. nam plerunque post balneum dormitur, quod si faciat, sanescit. Si resipiscat, tres primos dies, quatuorue milium tenue, ptisanæue succum sorbeto, dulceque uinum potato: deinde cibis mollibus, paucisq; primum utitor. hæc est cura, quam Hippocrates docet, si temulentus repente mutescat. Nec tibi mirum uideatur, quod dormire non possit, quoniam & Aristoteles tertio Problematum libro, problemate uigesimotertio dubitat cur uinolentis somnus oriri nequeat. Respondet, ad creandum somnũ nos calido humore indigere, qui concoqui expedite potest. Quod si deest, exiguusq; humor aut cõcoctu difficilis inest, somnus nõ oritur. qua de causa post cibum ac potum somnolentissimi fieri ob calorem solemus.

Melancholicos

Melancholicos uero & uehementer æstuantes insomnia tenet: alteros, quia refrigeratus humor penitus est: alteros, quia nullus aut minimus extat. Ergo ratione utriusque affectus, inde esse petendam palam est. An uero in his causis asignandis uerum dicat Aristoteles, nunc disputare non est opus, quoniam re uera satis esse uidentur. At admiratione non afficiaris, si Hippocrates in cura illa dulci uino utatur, quia ab eodem Aristotele in illo tertio Problematum libro Problemate duodecimo dubitatur, Cur cum uinum dulce aptum sit fluitare, si quis temulentus dulce superadmisit, haustum uinum concoquitur, minusque infestat. Respondet, quia uinum dulce obstruit meatus, & non sinit uapores ascendere in caput, nec calorem. Ad rem igitur redeuntes, si multum ebrius repente amittat uocem, aut etiam qui non sit perfecte ebrius, signum est cerebrum ipsum esse læsum, & læsos neruos, & ideo linguam impediri: unde duæ sæuissimæ ægritudines inducuntur, una est conuulsio, ex repletione tamen, alia est apoplexia. Aristoteles tertio Problematum libro problemate uigesimonono dubitat, cur uinolentorum lingua oberret. Respondet, sicut corpus totum in uinolentia titubat, ita lingua labens oberrat, nec explanare potest. ac respondet, carnem linguæ esse mollē, & instar spongiæ, quæ ampliatur madescens, atque extollitur: itaque ob molem retardior fit, exprimereque sincere non ualet. Ac respondet, animum quoque uinolentorum compatientem esse, nam inde omne loquendi initium ducitur, quo fit ut etiam sine uinolentia, ubi animus quenquam hausit affectum, lingua etiam sentiat atque compatiatur, ut in metuentibus patet. Tamen uera ratio est, læsionem esse in principali membro. nerui etenim frigida materia implentur, uel saltem humida. nec tibi mirum uideatur si dixerim frigida, quoniam quælibet conuulsio ex repletione apud Galenum, ex materia frigida ortum habet. propter hoc Aristoteles in primo problemate tertij libri, & in quinto dubitat, cur uinolenti cum uinum calidum sit, tamen non calent, sed frigeant, rigeant, & dolores laterum incidant. Respondet, multum humoris cum refrigeratum est, in multum frigidum se conuertit, ita ut calorem superet naturalem. unde & Oribasius hic dicit, ebrium esse qui multum uini potando, mente alienatur, & ideo mouere corpus uult, & pedes agitare, sed non ualet: uinum enim assumptum calidum est, quod immodice potum in frigus conuertitur, ideo infert: si quis ebrius subito obmutuerit, malum est, quia repletæ sunt concauitates cerebri, & sic conuulsio fit, quia patiuntur nerui, qui à cerebro procedunt. Quum autem patitur principium, quomodo non patietur hoc quod à principio procedit? Quod dicitur, obmutuerit, uel mutus factus sit, potius interpretandum uidetur, sine uoce (ut antiqua translatio facit.) nam & Græca uox ἄφωνος idem significare uidetur, & illi propriè muti sunt, quibus à principio ortus deest auditus, ob hoc sermonem addiscere non possunt. Sed hi qui ob uinum ita uocem amittunt, audiunt forte, sed ob humiditatem, neruos & linguam implentem, uocem amittunt: & etiam quia phantasia perturbata est, & totum cerebrum. Galenus libro secundo De morborum causis, dicit, aliquos ob ebrietatem refrigeratos esse, quamuis uinum (si modice sumatur) intimum calorem augere possit, quippe quod sit alimentum maxime familiare. Deinde sequitur, Cæterum maxima cōstipatio (hanc enim in tertio causarum, quæ frigidos morbos pariunt, ordine statuimus) & graues sopores, & ueternum, & apoplexiam afferre solet. Atque hoc est quod Hippocrates ait, Si derepente quis obmutuerit, uenarum interceptiones corpori molestiam inferunt. Ex illo Galeni loco alia causa cur hi moriantur, accipi posse uidetur, quia uenæ & arteriæ adeo implentur, ut non possint inter dilatandum externum aerem illicere, atque ob id intimus calor tum præfocatur, extinguiturque, & eorum qui sic afficiuntur, corpora, subito mouendi sentiendique uiribus priuantur. ut manifeste appareat, hic à Galeno aliam mortis causam exhiberi, quàm illa sit quæ à læsione neruorum accipitur.

σπασθεὶς ἀποθνήσκει. idest, Conuulsus moritur.] quia pleno cerebro frigida materia nerui implentur, & conuelluntur. Sed Hippocrates in secundo De morbis, hoc non ponit quod conuulsus moriatur: nam & suffocari potest, ut in secundo De morborum causis à Galeno dicitur. Nec eadem particula in tertio libro de morbis ab Hippocrate posita est, ubi hunc Aphorismum ponens dicit, Cum grauis capitis dolor repente per

exordia mutum facit, præsertim cum temulentia fiat, septimanus hic perit, quod minus temulentis euenit, uti muti pereant. Philotheus hunc aphorismum & ita introducit & exponit, οἶνος πολὺς πινόμενος, ὡς θερμὸς καὶ ὑγρὸς, τὰ περὶ τὸν λάρυγγα καὶ φάρυγγα μέλας πληρῶν, τὴν ἀφωνίαν ἐργάζεται, ὅπερ κακόν. εἰ δὲ καὶ σπασμὸν ἐπιφέρῃ, τοῦτο θανάσιμον. δηλοῖ γὰρ ὅτι οὐ μόνον τὰ περὶ τὸν λάρυγγα ἐπληρώθη, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ὅλῳ τῷ σώματι νευρώδη μόρια. idest, Multum uinum epotum, ut calidum & humidum, partes quæ circa fauces & guttur sunt, implens, uoce priuat, quod quidem malum est: si autem & spasmum intulerit, hoc letale est. ostendit enim, quod non solum quæ circa fauces repleta sunt, sed etiam neruosæ partes, quæ in toto corpore sunt.

ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. idest, Nisi febris apprehenderit.] Quia superueniente febre quę est calida & sicca, humidas materias exiccat, & ita conuulsio, apoplexia, & alia similia soluuntur. Hoc autem intelligendum uidetur, si febrem prius non habuerit, & superueniat. Nam Celsus ita intelligere uidetur libro secundo, capite sexto, ubi hunc Aphorismum repetens, ita refert, de signis mortis uerba faciens: Aut qui ebrius obmutuit, is enim febre adiecta, neruorum distentione cōsumitur, nisi aut febris accessit, aut eo tempore quo ebrietas solui debet, loqui cœpit. Vt manifeste uideas, à Celso dici, quod adiecta febre, neruorum distentione cōsumitur. ac si dixerit, Si simul febrem habeat, distentionem incidit & moritur. Postea addit, Nisi aut febris accessit, Intellige quæ prius non adfuerit. Tamen nos potius simpliciter intelligendum putamus, ut Hippocrates in secundo libro De morbis, & in tertio, facit, quod uel existente febre, uel non existente, quando obmutuit, saluetur, modo crescat, si prius adfuerit: & etiam si non adfuerit, intensa superueniat. Oribasius uero dicit: febrem uero dicit curare hunc affectum, quia resoluit ea quæ infrigidata sunt à nimio uino, & nunc per contrarium curari uult affectionem. Huiusmodi enim conuulsionem ex frigore ortam curat febris, quæ motu suo excitat calorem. Philotheus ita exponit: ἐὰν γὰρ ἐπιλάβῃ, σύμπεψις γίνεται τῆς ὕλης, καὶ λεπτυνομένη διαφορεῖται, ἢ πάλιν εἰς τὴν ὥραν καθ᾽ ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται. εἰ γὰρ φθέγξηται, τηνικαῦτα οὐκ ἔστι θανάσιμον. δηλοῖ γὰρ, ὅτι ἠδυνήθη ἡ φύσις συμπέψαι τὴν ὕλην. id est, Si enim apprehenderit (scilicet febris,) materiæ cōcoctio fit, & attenuata discutitur, uel rursus ad tempus, secundum quod crapulæ soluuntur, loquatur. Si enim loquatur, tunc non est lethale. Ostendit enim quod natura ad concoquendam materiam sit potens.

ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν καθ᾽ ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται φθέγξηται. id est, Vel ubi ad horam uenerit, quando soluuntur crapulæ, uocem recuperet.] Si enim ita fiat, signum est naturam hanc materiam uicisse, & consequenter sanari debere. Sed hic ambigere posses, quænam sit hora, qua solent crapulæ dissolui. Oribasius respondet, esse septimam horam, aut nonam: nam si in his soluta non fuerit crapula, malum est: quia significat totam habitudinem, & uirtutes naturales esse infectas. At non ita cito soluuntur crapulæ, ut Oribasius dicit, Galenus enim in commento dicit, solui altero die uel tertio die. Et quod certa regula dari non potest, quia alij citius cōcoquunt uinum, alij tardius, alij magis bibere, alij minus, alij uinum quod facilius coquitur, alij quod difficilius. Propterea hæc considerare oportet, naturam illius qui biberit, uini epoti naturam, & eius quantitatem. Hippocrates quoque in tertio libro De morbis, crapulam usque ad tertium diem extendere uidetur, Nam de graui capitis dolore sermonem habet, qui repente mutum facit. Postea addit, præsertim cum temulentia fiat, septimanus hic perit, quod minus temulentis euenit uti muti pereant: qui si primo, secundo, tertio ue die loquuntur, sanescunt, quod fere temulenti faciunt, & neutri pereunt. Vnde hic Hippocrates temulentiæ terminum diem tertium facit. Nos prouerbium inuulgatum habemus, integram ebrietatem per tres dies perdurare, & experientia uidemus, multos ex temulentia fieri mutos, & post aliquod temporis spacium, uel diem cum nocte sua, uel duos dies, uel tres. Si uero dubites, quantum sit expectandum, Galenus respondet, per spatium trium dierum, nam summus terminus est accipiendus, quem cum hi excedant, statim iudicandi sunt mortui, immo tertio die moriuntur, ut in tertio libro De morbis, Hippocrates docet. Philotheus quoque, de illo die, in quo crapulæ soluuntur, uerba faciens, dicit καιρὸν δὲ πρὸς τὴν κραιπάλην οὐκ ἀποτετμημένον, οὐδὲ περιγεγραμμένον ἀκούειν. τινὲς

μὲν γὰρ

μὲν γὰρ ἐπὶ τὴν ὑστεραίαν ἡμέραν τὴν κραιπάλης παύοντα, τινὲς δὲ ἐπὶ τὴν ἐπιγενομένην δίψαν. idest, tempus autem ad crapulam, neq; præcisum, neq; audiendum est esse circumscriptum. quidam enim secundo die crapulam cessare faciunt, quidam uero cum superuenerit sitis.

GALENVS

REPLETIS neruis talis conuulsio fit. Solet autem facilime eos replere uinum, ut quod calidam habeat temperaturam; talis si quidem natura prompte omnia subintrat, cum præsertim non admodum crassam substantiam habuerit. Substantiæ igitur copia neruis affert conuulsionem. Rursus autem qualitate sanat eam quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo, atq; exiccando, & si hoc aliquando facere nequeat, mortem subsequi est necessarium. Qua autem ui diximus uinum sanare conuulsiones, eadem uidelicet & febris sanat. Hinc uero maxime obseruanda est Hippocratis consuetudo, qui mutos nominat illos qui quouis modo obstupuerunt. Verum proprie stupor nominatur totius corporis insensibilitas, atq; immobilitas repentina. Hanc itaq; dispositionem, consueuit Hippocrates ex uno casuum nominare, & fit proculdubio neruorum principio patiente. Neq; enim aliter potest omnino conuelli corpus, antequam id principium patiatur, uel principaliter, uel per compassionem, altero prius patiente membro. Liquet autem omnem noxam ex uino factam à græcis cræpalen nominari, sic quidem igitur & nonnulli uocabuli fecere etymologiam, à κάρηνον, quod significat caput, & πάλλεσθαι, concuti. Horam autem qua crapulæ soluuntur, tempus nominauit. Est autem hoc tempus non præcisum, neq; circumscriptum, omnibus una mensura. Quidam enim postridie à crapula sunt liberati, quidam uero sequenti nocte, quidam uero tertio die, & fit hoc pro multitudine, ac ui epoti uini, & eius qui potauit natura. Sicuti igitur neq; cibus unum habet in omnibus tempus coctionis præfinitum, sic neq; uinum. Aut igitur oportet nos ægri naturam habere experientia compertam, aut postremum terminum obseruare, in quo si neq; febricitare, neq; loqui anticipauerit, conuulsus morietur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, repletis neruis conuulsionem fieri, uinum uero facillime replet, quia calidum, propterea omnia prompte ingreditur, præsertim si tale uinum sit, quod crassitudine careat. unde uini copia conuulsionem facit, quia replet. eius uero caliditas conuulsionem factam exsiccando sanat. Quod si faciat, sanatur: si non faciat, is moritur.

SECVNDO docet, eandem esse rationem, qua quis dicere poterit, uinum sanare conuulsionem, & etiam febrem: nam sua caliditate materias conuulsionem facientes exsiccat.

TERTIO docet, Hippocratis consuetudinē esse mutos uocare non illos qui quocunque modo obstupuerunt, sed illos qui totius corporis insensibilitatem, & repentinam immobilitatem habent. hos enim ἀφώνους, idest, mutos ab uno symptomate scilicet ab amissa uoce nuncupat Hippocrates. Hæc autem affectio fit patiente principio, idest, cerebro, quia corpus aliter conuelli non potest, nisi cerebrum patiatur, uel principaliter, uel per compassionem alterius membri.

Quod legitur, hinc uero maxime obseruanda est Hippocratis consuetudo, legi debet hic uero, & reliqua. Nam Græce habetur, προσεκτέον δὲ ἐνταῦθα μάλιστα τῷ ἔθει τοῦ ἱπποκράτους. attendendum hic maxime Hippocratis consuetudini.

Quod etiam legitur, Qui mutos nominat illos, qui quouis modo obstupuerunt. In contextu Aldino, & in nostro antiquo, eodem fere modo legitur, ut Leonicenus interpretatus est, hoc inquam modo, ἀφώνους ὀνομάζοντος τοὺς ὁπωσοῦν καρωθέντας. sed antiquus noster contextus, præter dictam lectionem, aliam quoq; habet, quæ est, ὀνομάζοντος οὐ τοὺς ὁπωσοῦν καρωθέντας, idest, Qui mutos nominat, non illos qui quouis modo obstupuerunt. Ideo recte sequitur, Sed proprie stupor nominatur totius corporis insensibilitas, atque immobilitas repentina. Nosq; potius legendum ducimus sed, quàm, uerum,

quod à Galeno dicitur ἁπλᾶ, ut perfectior continuatio hoc modo fiat. mutos appellat Hippocrates non quocunque modo stupidos: sed proprie est esse mutum, stupor & insensibilitas totius corporis repentina. Sensus uero ille qui absque particula non fiebat, longe diuersus erat, hic inquam, Mutos appellat illos qui stupidi sunt quocunque modo: tamen proprie stupor, non est quocunque modo obstupescant, sed est insenbilitas totius corporis, & immobilitas repentina. Scito autem, quod hic Leonicenus interpretatur obstupuerunt, græce est καρωθέντες: & quod interpretatur stupor, græce est κάρος. significat autem κάρος & crapulam, similiter & καρόομαι ebrior, sed apud medicos κάρος est intensissima lethargia, ex pituita generata. De caro & Paulus, & Aetius & Trallianus, & alij antiqui græci simul cum lethargia loquuntur, & καρωθέντες illos qui id patiuntur, appellant.

Quod legitur, Neque enim aliter potest omnino conuelli corpus, loco illius particulæ omnino, legi debet, totum. græce enim habetur, οὐδὲ γὰρ, οὐδὲ ἄλλως ὅλον οἷόν τε σπασθῆναι τὸ σῶμα, quamuis Aldinus contextus legat ὅλως, & non ὅλον, & noster antiquus duas lectiones habeat, ὅλως, & ὅλον.

QVARTO docet, apud græcos, omnem noxam ex uino factam, simplici nomine κραιπάλη nũcupari. huius autem uocabuli etymologiam quidam inuenire uolentes, ab hoc quod est κάρηνον, quod significat caput, & πάλλεσθαι, idest, concuti, deducunt.

Quod legitur, à græcis κραιπάλην nominari, legi debet ab omnibus græcis. nam græce habetur, πάντων οἱ ἕλληνες.

QVINTO docet, Quod nominauit καιρὸν, idest tempus horam illam in qua crapulę soluuntur, sed tempus non est præcisum & determinatum in omnibus una mensura, nam quidam postridie à crapula sunt liberati, quidam sequenti die, quidam tertio die.

Quod legitur, Quidam postridie à crapula sunt liberati, Græce habetur τινὲς μὲν γὰρ τῇ τὴν ὑστεραίαν ἡμέραν ἐπαύσαντο τῆς κραιπάλης.

Quod etiam legitur, Quidam uero tertio die, legi debet quidem uero tertio omnino die. Græce enim habetur τινὲς δὲ ἐν τῇ τρίτῃ πάντως ἡμέρᾳ.

SEXTO causam docet quare aliqui citius, aliqui tardius ab ebrietate liberētur. duę uero sunt causæ, una est multitudo, & uis epoti uini: aliud est natura eius qui potauerit. nam sicut cibus non habet præfinitum tempus coctionis in omnibus, ita nec uinum. unde uel opus est ebrij naturam in promptu habere, uel postremũ terminum seruare, qui uidetur secundum ipsum, tertius dies. Si igitur post tertium diem antiquis ebrius neque febricitet, neque loquatur, conuulsus moritur.

In ultimis commenti uerbis, quæ dicunt conuulsus morietur, deest hæc particula, omnino, ut legi oporteat, conuulsus omnino morietur. Græce enim habetur τεθνήξεται πάντως σπασθεὶς, quamuis absque illa particula sensus etiam integer sit, tamen ut Galeni uerba pręcise referantur, addere oportet.

APHORISMVS VI

QVicunque à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. si uero has effugerint, sani fiunt.

BRASAVOLVS

DE distentione superius multa à nobis dicta sunt, quisquis illa corripitur, cũ sit morbus exacte peracutus, necesse est exacte peracuti morbi terminum habeat. terminus aũt exacte peracuti morbi est quartus dies, propterea qui hoc morbo correpti sunt in quatuor diebus pereũt, uel in quatuor diebus sanantur: quoniã cũ in quatuor diebus nõ perierint, natura supra materiã est, & ita sanitas inducetur. nam termino exacte peracuti morbi transacto, ad sanitatem uertitur. Id uero intelligere oportet, quod quatuor dies pertranseantur in melius, & non in peius. nam & si in quatuor diebus non perierit, sed in peius tamen dilabatur, non est opus dicere, quod diem quartum pertransiuerit, ideo sanari debeat. Intellige igitur, si quatuor dies effugerit, & in melius progrediatur, in sani-

tatem restituetur. nam si hos dies effugeret, tamen in deterius laberetur, non esset opus in sanitatem restitui, sed etiam his quatuor diebus transactis periret.

ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται. idest, Quicunque à tetano, idest distentione uel rigore corripiuntur.] Tres conuulsionis species ex bonorum authorum sententia superius enumerauimus. ἐμπρόσθοτονος, idest tensio ad anteriora, ὀπισθότονος, idest tensio ad posteriora, & τέτανος, idest tensio æqualiter, tam ad anteriora quàm ad posteriora. nam ęqualiter omnes partes trahuntur, & ideo distentio nominatur. Scito aũt in collo in anteriori parte, & etiam in posteriori duos neruos esse, si in parte capitis posteriore unus neruus tendatur, ad illam partem opisthotonos est: ut si dexter ad dexterã partem. si sinister ad sinistram. Nunc in cura habemus illustrissimam Victoriam Marchionissam Piscariæ, quæ opisthotonon in collo patitur uersus sinistrum latus. Si uero duo nerui contrahantur, unus ante, alter retro, utrique uel in parte dextera, uel in parte sinistra, nomen non habet hæc species, sed est in illam partem inclinatio. est autem conuulsio ex emprosthotono, & opisthotono in parte dextera, uel in parte sinistra, composita. Si in parte dextera, ex ea parte nomen sortietur: si in sinistra, ex sinistra. At si duo nerui extendantur unus in parte dextera ante, alter in parte sinistra post, uel unus in parte sinistra ante, alter in parte sinistra post, tetanum, idest, distentionem faciunt. & si omnes nerui extendantur tam anteriores quàm exteriores, perfectissima distentio est. Sunt igitur solæ tres species conuulsionis nominatæ. At si considerentur, ut nunc fecimus, sunt multo plures tribus, sed innominatæ. at ipsis nomina secundum partes ad quas inclinant aptari possunt. Nunc igitur nobis curæ fuit conuulsionis species enumerare, ut ostenderemus multo plures esse eius species, quàm tres illæ superius enumeratæ.

ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. idest, In quatuor diebus pereunt.] Tuque intellige distentionẽ uehementẽ esse & uniuersalẽ, quia particularis mẽbri cõuulsio mortẽ non infert, uel saltem non ita breui. Intelligeque in quatuor diebus perire, uel ante quatuor dies, uel deterrime se habeat etiam post quatuor dies, tamen diutius extendi non potest hic morbus, sed necessarium est, uel cito uires succumbere, uel materiam cito resolui, aut euacuari. Philotheus hic dicit, in quatuor diebus perire, ἐπειδὴ ἡ τότε σύντονος ἡ κίνησις αὐτοῦ καὶ ἀδιάκοπος, καὶ διὰ τοῦτο ἑτοίμως καταβάλλονται αἱ ζωτικαὶ δυνάμεις, idest, Quoniam tunc motus intentiuus & inseparabilis factus, & in hoc prompte uitales potentię deijciuntur.

ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν. idest, Si autem has effugerint.] Scilicet quatuor dies, & intellige in melius, uel perfecte effugere: quia ægritudo penitus abierit, & sanus effectus sit. nam ut superius diximus, multi non moriuntur quarto die, sed in interitum diutius prolabuntur.

ὑγιέες γίνονται. idest, Sani fiunt.] Vel intellige in sanitatem properant, quia opus non est ita repente sanari, ut dicit Philoth. δυνάμεως ἐπικρατήσεως, id est potẽtia superare incipiẽte, & ut prosequitur τὰ γὰρ ὀξέα μέχρι τῆς τετάρτης τὴν κρίσιν ἔχει. idest, acuti enim morbi usque in quartum diem crisim habent. Oribasius hoc modo aphorismum exponit: superius dictum esse peracutum morbum intra dies quatuor iudicari, peracutus enim morbus dicitur, qui quarto die iudicatur. Si autem quartum diem transierit, iam non est peracutus morbus, neque periculum est mortis. Sed nos dicimus, esse peracutum, immo exacte peracutũ, etiã si trãseat quartũ diem, modo sit ad bonũ, uel ad malum, ut in quarto sit facta crisis, si non perfecta, saltem ut frequenter fit, uel ad bonum, uel ad malum.

Si uero dubites, quomodo distentio possit esse peracutus morbus, cum fiat ex materia frigida, &, ut Philotheus dicit, ὑπὸ παχείας ὕλης. idest ex crassa materia. Respondemus, peracutum esse ratione loci, quia dolorem adeo intensum facit, cum sit in neruis, ut diu tolerari non possit, nec quisquam quantumlibet robustus illum ferre possit. Nullus ferè nostrum est qui distentionem quandoque passus non sit, sed ex solo flatu, non autem ex materia. nam nullus fere nostrum est qui in cruribus tempore æstiuo spasmum & stuporem illum passus non sit, quem nos uulgo *granfo* nuncupamus, ab Auicena Cuzez uocatur: ideo quisque in seipso distentionis speciem, & quasi ideam atque figuram persensisse potest, sed talem speciem quæ facile curam recipit, cum

cum sit à flatu & extrinseca frigiditate. quisq; igitur in se putet distentionis à materia factæ & perseuerantis uehementiam.

GALENVS

DISTENTIO morbus peracutus est, ut quæ composita sit ex illa, quā græci emprosthotonon, idest ad anteriora distentionem, & opisthotonon, idest ad posteriora distentionem Græci nominant, ita quod citius in ipsa fit iudicatio, non tolerante natura longiori tempore, quem fert distentio laborem. In primo igitur circuitu dierum iudicatoriorum passio iudicatur.

BRASAVOLVS

GALENVS hic docet distentionem esse morbum peracutum, imò tu adde, exacte peracutum. nam ex duobus conuulsionis generibus composita est Emprosthotono, & Opisthotono: propterea opus est cito fieri iudicationem, & multo citius quàm in uno prædictorum conuulsionis generum, quia natura dolorem qui à distentione fit diutius ferre nō potest. Ideo necessarium est hanc passionem in primo dierum iudicatoriorum circuitu, uel ad bonū uel ad malū terminari. Primus autem circuitus est quartus dies.

Quod legitur, ita quod citius in ipsa fit iudicatio, Græce habetur, ὥστ᾽ εἰκότως αὐτὴν συντομωτέραν ποιεῖσθαι τὴν κρίσιν, id est, adeo ut merito in ipsa citius fiat iudicatio.

APHORISMVS VII

QVibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiūt: Quibuscunq; autem uigesimoquinto, commoriuntur.

BRASAVOLVS

IN SECVNDO Aphorismorum libro aphorismo quadragesimoquinto ab Hippocrate scriptum est, Iuuenes qui morbo comitiali laborāt, mutatione ætatum, & locorum, & temporum, & eduliorum liberari: & hoc ob nullam aliam causam, nisi quia hæ mutationes ad calidum & siccum erant, quæ sunt qualitates comitiali morbo opposite. nam comitialis morbus ex pituitoso humore fit, qui frigidus est, humidus & crassus; Philotheo etiam dicente, τὴν ἐπιληψίαν ὠμοτέρα καὶ παχυτέρα ὕλη ποιεῖν εἴωθεν. idest, materia magis cruda, & magis crassa morbum comitialem facere consueuit. Qui ergo ante pubertatem comitiali morbo corripiuntur, quia humidum morbum habent, & in humida ætate sunt, propterea ætatis mutatione superueniente, & tali mutatione quæ fit ad calidius, & ad siccius, uel saltem ad siccius, sanari solent, quia causa remouetur. nam humor humidus exiccatur. Qui autem uigesimumquintum annū pertranseūt, & hunc morbum inciderint, à uehementissima causa ortum habet, propterea non sanantur. Adde, quod ętas, quę sequitur, hanc affectionem sanare non est apta, si uirilis illa uigintiquinq; annorum ætas, in qua summus est caliditatis uigor, sanare non potuit. Celsus ita hunc aphorismum refert capite octauo secundi libri: item morbus comitialis ante pubertatem ortus non ægre finitur.

Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται. idest, Quibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem.] De morbo comitiali & in secundo libro perplura à nobis dicta sunt, & etiam in tertio. nunc repetere satis est, esse illum morbum, qui uulgo caducus morbus nuncupatur, ex frigida materia factus, meatus spirituum cerebri obstruente, sed non adeo intense ut in apoplexia fit, & ideo in comitiali morbo aliqui motus fiunt: in apoplexia uero, si uehemens sit, etiam respirationis motus amittitur, & ita citissime occumbunt. At de pubertatis tempore perplura à nobis dicta sunt in tertio Aphorismorum libro, aphorismo uigesimoseptimo. nam morbus comitialis, qui fit uitio cerebri, & non alterius partis, & ante pubertatem fit. immo & hic morbus ut plurimum in pueritia gignitur. ob quam ita à Philotheo scriptum est, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον δὲ, τοῖς παιδίοις γίνεται, διὸ καὶ παιδικὸν καλεῖται τὸ νόσημα. τούτοις δὲ τοῖς παισὶ γίγνεται, διὰ τὸ ἔχειν πλεῖστον ὠμὸν χυμὸν ἐκ πλημμελείας τῆς διαίτης. idest, Sed ut plurimum pueris contingit, unde & puerilis morbus uocatur. his autem puerulis contingit, quoniam ex uictus excessu multum crudum humorem habent. Hoc etiam in loco ab eodem Philotheo hoc

annotatur

annotatur, ἰστέον δὲ ὅτι ἀπὸ τοῦ ιη' ἔτους μέχρι εἰκοσιπέντε, καθ' ἱπποκράτην, ἡβικὴ ἡλικία ὀνομάζεται. idest sciendum autem, quod à decimooctauo anno usque ad uigesimumquintum secundum Hippocratem ætas pubertatis nominatur. An uero ita sit, nos in tertio libro abunde disseruimus.

μετάστασιν ἔχει. idest, Mutationem accipiunt.] A recentioribus hic sensus fit, quod hi morbi comitiales qui ante pubertatem fiunt, mutantur & sanantur. At hic non est Hippocratis sensus, sed ille, si quis morbus comitialis sanetur, is potissimum est qui ante pubertatem corripit. nam sanatur mutatione ætatis. post pubertatem uero non sequuntur nisi frigidæ ætates, quæ illam materiam exiccare aptæ non sunt. Ideo Galenus per pubertatem id non intelligit, quod Philotheus superius dicebat, sed à decimoquarto anno usque ad uigesimumquintum. In tertio autem Aphorismorum libro, aphorismo uigesimoseptimo idem Galenus dicebat, pubertatem in septem septimanis, idest quadragintanouem annis finire. nam toto illo tempore ætatem illam complectitur, quę ἥβη à gręcis nuncupatur. Hippocrates in principio sexti Epidemiorum dicit, puerorum splendor, nitor, comitialisque cum pubertate durat, quibus & aliæ plurimæ mutationes fiunt. In quo etiam loco, non dicit necessarium esse mutationes fieri, nec quod sanentur: sed intelligit posse fieri, & plerunque sanitati restitui. Philotheus μετάστασιν ἔχει, idest mutationem accipiunt, hoc modo interpretatur, τουτέστι τελείαν ἀπαλλαγὴν διὰ τὸ εἰς τὸ θερμότερον καὶ ξηρότερον μεταβάλλεσθαι. idest, hoc est perfectam liberationem, quoniam in calidiorem, & sicciorem ætatem mutantur.

ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται. idest, Quibuscunque autem anno uigesimoquinto fiunt.] Qui est pubertatis terminus. quamuis Galenus in uigesimoseptimo secundi libri aphorismo, trigesimumquintum annum, idest quintam septimanam esse dicat. συναποθνήσκει, idest commoriuntur. Ita habebat Theodorus in suo contextu, sed in Leoniceni codice abesse debuit illa particula, ἐτέων, idest annorum, uel chalcographi incuria omissa est. In nostroque antiquo codice ita se habet, sed Aldinus contextus legit τὰ πολλά, idest plurimum: ac si dicat, ex his qui uigesimoquinto anno, uel post, comitialem morbum incidunt, cōmoriuntur. unde intellige uel in anno illo, uel in sequentibus accidat, cōmori, idest usque ad mortē perseuerat, & non liberantur. Philotheus quoque in suo contextu legebat, τὰ πολλά, itaque ipse interpretatur τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει, οὐ γὰρ πάντα. ἔστι γὰρ ὅτε καὶ διὰ σώφρονα δίαιταν ἐν τῇ παρακμῇ παύονται. idest plerunque cōmoriuntur, nō enim omnes, contingit enim ut propter moderatum uictum in uigore ætatis cessent. Oribasius uero aphorismi rationem reddit, quia si acciderit morbus comitialis ante pubertatem, aut antequā ad iuuentā perueniatur, immutationē recipit, quia est immutatio temporis, ætatis & humoris. Si aūt uigesimoquinto anno acciderit, iam nō est spes immutationis: & ratio est, quia fit à uehementi causa, & sequuntur ætates, quæ non sunt aptæ hanc causam refringere. At si tibi uideatur Iuuenilē ætatē esse magis consumptiuā humiditatū, quàm sit ætas adolescētiæ, nempe calidior est. Respondemus, etiam à uehementiori causa induci, & ætas quæ cōsequitur, nihil præstat iuuamēti ad resolutionē.

GALENVS

PROPRIÆ quidem passionis mutationes nominant, quando ex una parte transeunt ad aliam: per abusionem autem, & omnes solutiones ita nominantur. & mihi uidetur Hippocrates in secundo significato usus esse appellatione. Non modo enim ad alias partes translatis his, qui morbum comitialem humoribus faciunt, soluitur passio, sed etiam omnino curatis. Sunt enim hi crassi, ac frigidi, & pituitosi. Cessant autem & ob ætatem ad sicciorem naturam transmutatam, & ob exercitationem, & uictum exiccantem, adiunctis ad hæc idoneis medicinis. Verum Hippocrates nunc solum eius meminit mutationis, quæ ex ætate fit, à qua docti, & formam uictus una cum medicinis inueniemus. Quod igitur in altera parte aphorismorum dicit: Qui morbo comitiali laborant, si iuuenes fuerint mutationibus, maximè ætatis, & regionum & uictus, & locorum, liberantur: hoc nunc in ipsis passionibus declarauit, morbos comitiales qui ante pubertatem fiunt, cessare ex ætatis commutatione. Qui uero ultra uigesimumquintum annum processere, commori inquiens. Vnde liquet quod pubertatis tempus usque ad uigesimumquintum annum extendi

tendi arbitratur, sumens initium in secunda septimana. Liquet autem quòd neq; omnibus sanabitur passio ex pubere ætate, nisi & alia recte gesserint, neq; quibus in hac accidit, omnino permanet, si bonam uictus rationem adhibeant. Verum quòd non habeant ex ætate sanationem, sed quantum ad eam attinet, passio consenescat, liquido ostendit. Non tamen adhuc manifeste dictum est, quamuis uideatur manifestum, his qui negligentius accipiunt uerba illa, Quibus uero uigesimo quinto anno, commoriuntur. Neq; enim his solis passio commoritur, quibus uigesimumquintum annum agentibus aduenit. Sed multo magis etiam his qui ultra hanc ætatem progressi sunt. Addentes igitur sermoni Hippocratis illud quod deest, uerum ex omni parte ipsum faciemus. Morbi comitiales qui quidem ante pubertatem fiunt, in eius ætatis tempore finiunt, qui ultra pubertatem procedunt commoriuntur. Tempus autem pubertatis est post quartumdecimum annum usq; ad uigesimumquintum. Est autem & alia scriptura talis. Quibuscunq; uigintiquinq; annorum fiunt, multi commoriuntur, significante uerbo, multi, idem quod plurima ex parte.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus dubiũ quoddam remouet. nam cum apud authores scriptum inuenitur, morbum mutari, intelligere solent ex uno morbo in alium, uel ex una parte in aliam factam esse mutationem: tamen abusiue omnes solutiones mutationes uocant, & in hoc significato mutatio ab Hippocrate nunc sumitur.

SECVNDO docet, humores morbum comitialem facientes, crassos esse, frigidos, & pituitosos.

TERTIO docet, quod hi morbi ob ætatẽ & sicciorem naturã transmutatã, cessant, & ob exercitationẽ, & uictum exiccantem, & ob idoneas medicinas cessant, Sed Hippocrates in hoc loco, illius mutationis solum meminit, quæ propter ætatẽ fit, per quam & formam uictus unà cum medicinis inueniemus

QVARTO docet, quod in secundo libro, aphorismo quadragesimoquinto ample hanc rem pertractauit. nunc uero de his solis qui ante pubertatẽ eo corripiuntur, uerba facit. quoniam qui ultra uigesimumquintũ annum illo capiuntur, commori consueuerunt, unde addit Galenus, Hippocratem arbitratum esse pubertatis tempus usq; ad uigesimum quintũ annũ extendi, à secunda septimana incipiens. hoc aũt annotauit Galenus, ita scilicet Hippocratẽ putasse, quia ipse libro tertio, aphorismo uigesimoseptimo pubertatis terminum, quintam septimanam, idest trigesimumquintum annum facit.

Quod legitur, Quod igitur in altera parte aphorismorũ dicit, in nostro antiquo contextu, & in Aldino ita habetur, ὅπερ. noster tamen antiquus aliam lectionẽ habet, hanc scilicet ἅπερ ἂν. idest, Quæ igitur. sed hæc ad rem ipsam intelligendam nihil faciunt.

Quod etiam legitur, si iuuenes fuerint, græce est, τοῖσι νέοισιν, idest, Si pueri fuerint, legi enim debet pueri potius, quàm iuuenes. quia Iuuenes cõmoriuntur, ut in illo aphorismo etiam docuimus, quia uocabulum νέος non solum iuuenem significat, sed etiam nouum, pueri autem noui sunt.

QVINTO docet, omnes per aduenientem pubertatem non esse sanandos, nisi & alia recte egerint: immo si bene regantur, hic morbus non permanet, sicuti si non bene regantur, non omnes sanantur.

SEXTO docet, non sanari ex ætate, sed potius ex siccitate, quæ ætatem consequitur. nam ut liquidum est, passio in illa ætate consenescit.

SEPTIMO docet, non eos solos commori intelligendos esse, qui in uigintiquinq; annorum ætate comitialem morbum incidunt, sed etiam hi qui hanc ætatem excedunt commoriuntur.

OCTAVO Hippocratem corrigit, ut hoc modo intelligẽdus sit: morbi comitiales qui ante pubertatem fiunt, in pubescente ętate sanari solent: qui ultra hanc ætatem procedunt, commoriuntur.

NONO docet, tempus pubertatis esse à decimoquarto anno usq; ad uigesimũquintum secundum Hippocratem, quia alias, idest in tertio libro aphorismo uigesimoseptimo, ostenderat ipse esse à decimoquarto anno usq; ad trigesimum quintum.

Deniq; docet, aliquos contextus habere hanc particulam τὰ πολλὰ ut habet etiam Aldinus

Aldinus, & Philotheus in suo, idest plurimum, uel multi, quod uerbum significat, plurima ex parte. Noster antiquus contextus non habet particulam τὰ πολλὰ, in contextu uero, quem Galenus interpretatur, poni non debet, quia ipse in sua expositione alium librum refert, in quo erat illa particula, tamen in suo quem interpretabatur, non aderat.

APHORISMVS VIII

QVicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad suppurationem uertuntur.

BRASAVOLVS

QVI morbo laterali correpti sunt, ut plurimum per sputum expurgantur, & uia directa ac sibi propria, hocque in quatuordecim dierum spatio perficitur. at si contingat aliquem in hoc spatio non esse purgatum, in suppurationem transit, quoniam abscessus ille qui pleuritis uocatur, caput facit, & ad suppurationem uenit, pusque in pectoris cauitatibus colligitur, quia uis non fuit adeo uehemens, ut per resudationem emitteret, uel per sputum, quod ab abscessu resudare debebat. Philotheus hunc Aphorismum ita introducit, τῆς δεκάτης τετάρτης ἐμνημόνευσε, ὡς κρισίμου τῶν ὀξέων νοσημάτων, τὰ δὲ ὀξέα νοσήματα τὰ ὑπὸ λεπτῆς καὶ θερμῆς ὕλης γινόμενα τάχιον λύεται καὶ τὴν κρίσιν ποιοῦσιν. idest, Decimaequartae diei mentionem fecit, tanquam acutorum morborum decretoriae. morbi uero acuti ex tenui materia & calida facti citius soluuntur, & crisim faciunt. Et ideo ab Hippocrate ita dictum est,

ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι. idest, Quicunque morbo laterali laborantes.] Alias de morbo laterali uerba fecimus. nunc solum addemus esse abscessum factum uel in panniculo tegente costas, uel in septo transuerso, uel in mediastino, ut plurimum à materia biliosa factum.

οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσιν. idest, Non repurgantur in quatuordecim diebus.] Ex hoc notatur esse morbum acutum, & uerum lateralem morbum intelligere. quia mendosus etiam trigesimum diem pertransire potest, ut de Anaxionis casu dixit Hippocrates, & à Galeno duodecimo aphorismo primi libri refertur. Ille uero lateralis morbus mendosus est, qui fit aut inter costas, aut in pãniculo in superiori parte tegente costas. hi morbi suae sanitatis statutum tempus non habent, sed uerus lateralis morbus decimumquartũ diem non pertransit, quia est morbus acutus: unde & Hippocrates in libro De morbis qui extra, quem Galenus Polybi esse putat, inquit, in principio ferè libri de morbo laterali uerba faciens. Decernit autem cum breuissime die septimo, cum longissime quarto & decimo: si is spuat, pusque de pectore purget, sanescit, si minus purulentus sit, morbusque protrahitur.

οὗτοι ἐς ἐμπύημα μεθίστανται. idest, Ii ad suppurationem uertuntur.] ut dicit Philotheus διὰ τὸ εἶναι ψυχροτέραν καὶ θερμοτέραν τὴν ὕλην. idest, quoniam materia frigidior & calidior est. forte legendum est, ὑγροτέραν, idest humidiorem, nõ ψυχροτέραν, idest frigidiorem. Postea sequitur γινώσκουσα γὰρ τοῦτο ἡ φύσις, δεύτερον πλοῦν ὁδεύει, καὶ πυοποιεῖ τὴν ὕλην, ἣν πυοποίησιν καὶ ἐμπυοποίημα καλοῦσιν. idest, hoc enim natura cognoscens, secunda nauigatione procedit, & materiã suppurare facit, quam suppurationẽ & suppurificationem uocant. Aldinus cõtextus legit, τουτέοισιν ἐν, pro οὗτοι ἐς, sed idem est sensus. hi enim suppurati fiunt, quia pus abscessum exit, & in pectoris cauitatibus colligitur. Oribasius em pyematis causam esse putat, quia natura impotens decimoquarto die materiam expellere, morbum in alium morbum conuertit. nam re uera in quatuordecim dierum spatio materia expulsa esse deberet: quae si non expellatur, opus est abscessum ad exituram uenire, & pectoris cauitates implere. Scito autem, ἐμπύημα non solum puris collectionem inter thoracem & pulmonem significare, sed etiam materiam purulentam, quae ab aliquo abscessu in pectore exeat, atque expuatur, & illa purulenta sputa, & excreationes purulentae uocantur: unde unus aphorismi sensus est, fieri ἐμπύημα, idest suppurationem, hoc est pus in pectoris cauitatem descendere. Alter sensus est, pus expui, & ex laterali

morbo decimumquartum diem pertranseunte, fit empyema, idest puris excreatio, quamuis collectio aliqua pectoris cauitates nõ occupet. fieri enim potest, pus paulatim per sputum exire, & nihil in pectoris cauitatem transmitti: sed natura cicatricem abscessui inducere uolens, paulatim cum tussi pus exiens ab abscessu transmittat. Tamen Hippocrates & Galenus omnem suppurationem in quocunque loco factam ἐμπύημα uocant, & hoc modo posset etiam aphorismus intelligi, quamuis putem uerum Aphorismi sensum esse, quod per ἐμπύημα puris collectionem in thoracis cauitate intelligat.

Sed hic dubium non prætermittendum occurrit, quando computum enumerandorum dierum incipere oporteat. An à principio ægritudinis? Si hoc dixeris, experientia ipsa in quatuordecim diebus ad suppurationem non transire demonstrabit. propterea nos intelligimus à die quo expuere incipit. In græcis contextibus qui publice habentur, ita legitur, sicuti scriptum est à nobis superius, tamẽ Nicolai Leoniceni contextum quendam latinum uidimus hoc modo habentem, Quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, à die quo incipiunt expuere, ij ad suppurationem uertuntur. ideo primum ægritudinis diem in hoc numero accipere non debemus, sed tunc incipere quando expuere cœpit, & hoc conueniens est: quia si in spatio quatuordecim dierum hæc materia non resudauerit, & expurgata non sit, pus fieri necessarium est, & abscessum disrumpi, & puris partem expui, partemque in thoracis cauitatibus manere, & deinde paulatim per sputum excerni. Aliter si in quadraginta dierum spatio (ut mox edocebimur) non expurgetur, hoc pus pulmonis substantiam corrumpit, & hic cui corrumpitur in phthisim transit, atque moritur. & ideo quamuis particula illa in contextibus græcis qui passim habentur, non legatur, nec in nostro antiquo posita sit, tamen nobis illam addere perplacet quam in latino codice antiquiori uidimus, non autem in græco. Tibi forte dubium aliud occurret, cum panniculus tegens costas frigidæ temperaturæ sit, cur morbos acutos patiatur. Respondemus, id quod morbum facit non esse panniculum, sed humorẽ qui ut plurimum biliosus est, sua tenuitate panniculum illum penetrans, & ideo non est opus membrum esse calidum, in quo sit calidus morbus, sed satis est, quod is humor qui est causa morbi calidus sit.

GALENVS

EAM quæ fit per sputa euacuationem humorum facientium morbum lateralem solet Hippocrates purgationem, ac repurgationem nominare, sicuti & istos expuere, purgari, tam in libro de uictu acutorum, quàm in prognostico nominauit. Verum nunc & tempus pręfinit purgationis, in quo si nõ fiat, ad suppurationem, aut morbum uerti lateralem, eam uidelicet quæ fit ad pus transmutationem ita nominans omnem, sicuti in prognostico sæpius, aut eam quæ fit inter thoracem & pulmonem puris effusionem: fit enim utrunque horum, quando morbo laterali laborantes non expurgantur per sputa. Verum secundum quod diximus, ipse in sequentibus eruptionem suppurationis nominauit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet euacuationem per πτύσματα, idest sputa, purgationem & repurgationem ab Hippocrate nuncupari, & in libro De ratione uictus in morbis acutis, & in libro Prognosticorum, ne alicui mirum uideretur, quod utatur uocabulo repurgari, & tamen non sit per secessum, uel per uomitum, sed per sputum.

SECVNDO docet, In hoc loco huius purgationis tẽpus præfiniri per sputa, in quo tempore si non fiat euacuatio, lateralẽ morbũ in ἐμπύημα, idest suppurationes conuerti.

Quod legitur, Verum nunc & tempus pręfinit purgationis, Aldinus contextus habet καθάρσεως, noster antiquus duas lectiones habet καθάρσεως, idest purgatiõis, & κενώσεως, idest uacuationis: hoc secundum magis probo.

Quod etiam legitur, Ad suppurationem, aut morbum uerti lateralem, illa particula aut, legi debet, ait. hoc factum est incuria impressoris. nam Græcus contextus dicit εἰς ἐμπύημα φησὶ μεθίστασθαι τὴν πλευρῖτιν.

TERTIO docet, Quod per ἐμπύημα, idest suppurationem, uel intelligit simpliciter omnem suppurationem, non se determinans ad pectus, ut quandoque in libro Prognosticorum Hippocrates utitur; uel intelligit eam suppurationem, quæ est inter thoracem & pul-

& pulmonē: nam utrunq; fieri potest, quādo lateralis morbus nō expurgatur per sputa.

Quod legitur, eam uidelicet quæ fit ad pus transmutationē, hic deest particula aut, legi enim debet aut eam uidelicet quæ fit ad pus transmutationem. Græce enim habetur ἤτοι τὴν εἰς πύον μεταβολήν. & ea quæ sequuntur manifeste ostendunt, particulā aut, addi oportere. nam sequitur, aut eam quę fit inter thoracem & pulmonem &c. quæ pars à præcedenti distinguitur, tanquam membrum ab ea distinctum.

Quod etiam legitur, Sicuti in Prognostico, legi debet, sicuti & in prognostico ὥσπερ καὶ ἐν τῷ προγνωστικῷ.

Deniq; Galenus docet, Quod in ultimo prędicto significato Hippocrates deinceps suppurationis eruptionem appellabit.

Quod legitur, Verum secundum quod diximus, Contextus Aldinus eodem modo præcise habet. nam ita legit, ἀλλὰ τήν δεύτερον τῶν εἰρημένων, idest, sed secundum, scilicet significatum, ex dictis. Noster autem antiquus contextus duas lectiones habet, unam iam dictam. In altera lectione non legit δεύτερον, sed habet τελευταῖον, idest, ultimum dictorum significatorum. utraq; lectio conueniens est. at si legamus δεύτερον, hoc modo interpretemur, sed secundum dictorum, scilicet significatorum.

APHORISMVS IX

TAbes fiunt maximè ætatibus, à decimooctauo usq; ad trigesimumquintum.

BRASAVOLVS

DE illa ætate in qua potissimum tabes fit, Hippocrati nunc per numerum annorum sermo est, dicitq;, Tabem in his potissimū fieri qui inter decimumoctauū annū & trigesimumquintū uitæ munijs utuntur. hi enim secundū Recentes tabis causas habēt. At secundum Galenum Aphorismo uigesimonono tertij libri, non adueniunt ratione ætatis, sed ut ipsis quicquam contingit: sicuti superius senes plurimum minus ægrotare iuuenibus, id uerum erat ob iuuenum incontinentiam, non ratione naturæ seniorum: & ideo dicit iuuenes, & qui in hac ætate sunt, ob suam incontinentiam tabem incidere. nam uel uulnerantur, uel rumpuntur, uel saliunt, uel clamant uehementius, uel refrigerantur, uel humi cubant, uel replentur, uel ob aliam similem causam sputum sanguinis incidunt, ad quod phthisis consequitur. Philotheus hunc aphorismum ita introducit, ἐν τῷ τετάρτῳ τμήματι, περὶ τῶν παθῶν τῆς πρώτης ἀρχῆς, τουτέστιν ἐγκεφάλου διαλεχθείς, τρέπεται νῦν καὶ ἐπὶ τὴν δευτέραν ἀρχήν, τουτέστι καρδίαν, καὶ ἤδη διελέχθη περὶ πλευρίτιδος καὶ θώρακος, δηλονότι ὅσης αὐτοῦ πάθη. καὶ νῦν δὲ ἐπὶ συνέχειαν περὶ τῶν αὐτῶν θωρακικῶν παθῶν διαλέγεται, περὶ φθίσεως. idest, Quom in sectione quarta de passionibus primi principij, hoc est cerebri disputauerit, nunc uertitur ad secundum principium, hoc est cor. & iam de pleuritide & thorace disseruit, uidelicet de passione quæ in ipsis est. & nunc per continuationem de passionibus thoracis disputat, de tabe inquam.

φθίσιες γίνονται μάλιστα, idest, Tabes maximè fiunt.] Aliàs à nobis dictum est, uocabulum tabes amplius esse quàm uocabulum phthisis apud Celsum. nam tabes & ἀτροφίαν, & καχεξίαν, & φθίσιν cōplectitur, tamē quandoq; uocabulo tabes pro phthisi utitur. ideo & in hoc loco licet dicamus tabes, quod est uocabulum cōmune, phthisim intelligere oportet: Philotheusq; pthisim definit, quod sit ἕλκωσις τοῦ πνεύμονος, γίνεται δὲ ἢ λόγῳ ἐκκρίσεως, ἢ λόγῳ διαβρώσεως. idest exulceratio pulmonis, fit autē uel ratione effluxionis, uel ratione erosionis uenæ.

ἡλικίῃσι τῇσιν, idest, Aetatibus his.] Ac si dicere uideatur, quod ob has ætates fiant. tamen ita intelligendus non est, quia non fiunt ratione ætatis id gignentis, sed potius ratione errorum qui plurimi in illa ætate fiunt, in qua homines summum uigorem uirium persentientes, nihil putant ipsis posse nocere.

ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων, μέχρι τριάκοντα καὶ πέντε. idest, A decimooctauo anno usq; ad trigesimū quintum.] Idest, maximè in hoc temporis spatio fit, in quo magis effrenes

sunt, quàm in quocunque alio tempore. Ideo non fit ratione ætatis, quia in hac fortiores sunt atque robustiores, sed fit ratione inordinati uictus. unde & Oribasius dicit, quod in hac ætate multum exercitantur, propterea fit densitas. nam sunt ualde apti exercitijs. propterea in tertio libro Aphorismo uigesimonono dicebat Galenus, quod quandoque uena frangebatur. additque Oribasius, Romanorum legem hanc ætatē probare, & quos antiqui uolebant ad bellum educere, ab anno decimooctauo assumebant. Nam ante à quartodecimo, usque ad decimumoctauum, leuioribus quibusdam exercitijs exercebantur. ab anno autem decimooctauo usque ad trigesimumquintum ad arma mittebantur, & à trigesimoquinto usque ad sexagesimū tribuni erant, à sexagesimo uero complebant militiam, & accipiebant honoris dignitatem, & rude donabantur, licebatque ipsis quod uoluissent, agere. Polybius uero dicit, ab anno decimoseptimo, neque prius posse magistratum petere, quàm fecissent decem stipendia, idest per annos decem militassent. Tamen uidetur ipse Oribasius rationem aliam huic aphorismo dare, quàm fecerit Galenus. Nam Galenus dicit sequi sputum sanguinis, quod ob uarias causas in hac ætate ratione inordinati uictus sit, sed Oribasius dicit eos qui in hac ætate sunt currere, iactare se incomposite, comedere. Hæc autem omnia attenuant. Tabes autem nihil aliud est, quàm totius corporis consumptio, quæ maximè in hac ætate fit, post hanc uero non item. Vnde Oribasius per tabem non ueram pthisim intelligere uidetur, quæ fit ex exeso pulmone, aut eo patiente: sed ethicam intelligit, quæ corpora extenuat, uel ἀτροφίαν, & aliam similem affectionem, in qua uniuersum corpus extenuetur & exiccetur. Philotheus dicit, phthisis τοῖς μειρακίοις μάλιστα γίνεται, διὰ τὸ ἐπίπονον τῆς ἡλικίας. ἐξέρχονται γὰρ εἰς κυνηγεσίας, εἰς πολέμους, πηδῶσι, τρέχουσιν, κἀντεῦθεν αὐτοῖς ῥῆξις γίνεται. idest, adolescentibus maximè fit, propter laboriosam ætatem, exeunt enim in uenationem, ad bella, saltant, currūt, & hinc ipsis scissio fit. Sed Philotheus hac causa non contentus aliam addit inquiens, ἄλλως τε, ὅτι ἐπὶ τῶν μειρακίων πολὺς αἱματικὸς χυμὸς γεννᾶται, κἀντεῦθεν τῇ πληρώσει τείνονται τὰ ἀγγεῖα, καὶ τῇ ῥεύσει ῥήγνυνται, καὶ μάλιστα τοῦ πνεύμονος ὡς εὐπαθῆ. τούτων δὲ ῥηγνυμένων, γίνεται αἵματος πτύσις, ἐπὶ τῇ πτύσει ἕλκος ἐν τῷ πνεύμονι. ἐπὶ τῷ ἕλκει ἔκτηξις τοῦ παντὸς σώματος, ἣν τινα διάθεσιν, φθίσιν ὀνομάζουσιν. idest, aliterque, quod in adolescentulis multus sanguineus humor ingeneratur, & hinc uasa repletione extenduntur, & defluxu rumpuntur, & maximè pulmonis, utpote quæ facile pati possunt. his uero disruptis, expuitio sanguinis fit, ab expuitione hulcus in pulmone, ab hulcere totius corporis eliquatio, quam quidem affectionem phthisim nominant. Sed non solum adolescentulis phthisis contingit, immo & his etiam, qui in summo uigore ætatis sunt, & hos hic complectitur Hippocrates. Quod Philotheus considerans addit, καὶ μὴν καὶ τοῖς ἀκμάζουσι γίνεται φθίσις, διὰ τὴν κρᾶσιν. χολωδέστερον γὰρ καὶ δριμύτερον ἔχουσι τὸ αἷμα, ὃ τῇ δριμύτητι καὶ ἀνίᾳ ἀναβιβρώσκει τὰ ἀγγεῖα, καὶ γίνεται αὐτοῖς αἵματος πτύσις, εἶτα ἕλκος καὶ οὕτως φθίσις ἐπακολουθεῖ. ὅτι δὲ περὶ τῶν δύο ἡλικιῶν, τουτέστι μειρακιώδους, καὶ ἀκμαστικῆς, ὁ Ἱπποκράτης διαλέγεται, δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν πληθυντικῶς ἡλικίῃσιν, ἀπὸ μὲν τῶν ιη ἐτῶν μέχρι τοῦ κε ἔτους, ἀπὸ δὲ εἰκοσιπέντε μέχρι τριακονταπέντε τῆς ἀκμαστικῆς. idest, equidem & his qui in uigore sunt phthisis contingit, propter temperiem. biliosiorem enim & acutiorem habent sanguinem, qui acutie sua, & mordicatione exedit uel erodit uasa, & ipsis sanguinis sputio fit, postea hulcus, & sic phthisis consequitur. Quod autem de duabus ætatibus, adolescentia scilicet & uigore ętatis, Hippocrates disputet, manifestum est ex eo quod in plurali dixit, ætatibus, à decimo quidem octauo anno usque ad uigesimumquintum. ab anno autem uigesimoquinto usque ad trigesimumquintum, uigoris ætatis. Vt simul probet Philotheus duas ętates ab Hippocrate in hoc temporis curriculo enumerari, & consequenter ipse non ab re id tempus in duas partes distinxit.

GALENVS

In superioribus aphorismus quando morbos secundum ætates enarrabat, Iuuenibus autem, inquit, sanguinis sputa, tabes. Nunc uero etiam numerum apposuit annorum, non propterea eadem rursus scribens quæ antea, sed propter passionum thoracis, atque pulmonis cōmunionem. Propter quid igitur iuuenes his morbis præcipue corripiantur, antea diximus. De annis autem ætatum nunc determinandum, quoniam & Hippo-

Hippocrates dixit tabem maximè fieri ætatibus à decimooctauo usq; ad trigesimũquintum. Quod enim ætatibus numero plurali dicitur, quãdam habet significationem, quòd non eandem Hippocrates ætatem existimat esse mediam inter annos enumeratos, neq; sane una est si diligentius consideramus, uerum ea quæ est à decimooctauo usq; ad uigesimumquintum annum, adolescentium est, quæ autem ab hinc usq; ad trigesimumquintum, iuniorum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus Aphorismum uigesimumnonũ tertij libri de hac eadem re loqui docet, ab hoc autem eo differre, quod hic aphorismus annorum numerum disponit & enumerat, & ideo idem non dicit, quod in superiori faciebat.

SECVNDO docet, Hippocratem dixisse ætatibus in numero plurali, quia inter decimumoctauum annum, & trigesimumquintum sunt plures ætates, & nõ una sola. nos duas superius ex Philothei sententia enumerauimus, quod statim & Galenus facit.

TERTIO hoc totum spatium in ætates distinguit. nam à decimooctauo anno usq; ad uigesimumquintum, est ætas adolescentiæ, à uigesimoquinto usq; ad trigesimũquintum, est ætas iuniorum, & eorum qui sunt in uigore ætatis. Vnde ex his illius dubij solutio haberi potest, quod ex commento septimo superius perlecto edocebatur, & ex tertio libro De ætate adolescentium. nam in uno loco Galenus dicit usq; ad uigesimumquintum annum accedere, & alibi dicit usq; ad trigesimumquintum. Sed conciliatio esse potest, quod si usq; ad trigesimumquintum annum extendatur, iuniorũ ætatẽ etiam complectitur, si ad uigesimum quintum, solam adolescentiam.

APHORISMVS X

QVicunq; ab angina liberãtur, his ad pulmonem uertitur, & in septem diebus pereunt: si uero has effugerint, suppurantur.

BRASAVOLVS

NON AB re dictum est, ab angina liberantur, quoniam ab omni ægritudine non liberantur, immo in peiorem decidunt. nam materia quæ anginam faciebat, ad pulmonem conuertitur, & in septem dierum spatio suffocat. Si uero septem hos dies euitarint in suppurationem transeunt. Philotheus hoc modo Aphorismum introducit, ἐνταῦθα περὶ φλεγμονῆς τοῦ λάρυγγος διαλέγεται, ὅτος δὲ ὁ λάρυγξ ἔχει μύας τοὺς ἀνοίγοντας αὐτὸν, καὶ κλείοντας. καὶ τοὺς μὲν ἀνοίγοντας αὐτὸν ἔξωθεν. τοὺς δὲ κλείοντας αὐτὸν ἔσωθεν. καὶ εἰ μὲν περὶ τοὺς ἔξωθεν ἡ φλεγμονὴ γίνηται, κυνάγχη καλεῖται τὸ πάθος. εἰ δὲ περὶ τὰς ἔξωθεν, παρακυνάγχη. ἐνταῦθα οὖν φλεγμονὴν τῶν ἔσω μυῶν ὑποτίθεται, καὶ τὴν αὐτὴν ἐργασαμένην ὕλην μεταστᾶσαν, idest, hic de inflãmatione gutturis tractat. Ipsum uero guttur musculos habet aperientes ipsum, & claudentes. & aperientes quidem ipsum extra, claudentes uero ipsum intra. & siquidem circa eos qui intra sunt inflammatio fiat, passio hæc angina uocatur: si uero circa eos qui extra propangina. hic igitur inflammationem supponit eorum musculorum qui intra sunt, & materiam facientem ipsum se commutantem. Celsus hunc aphorismum ita refert capite septimo secundi libri, Si angina subito finita est, in pulmonem id malum transit, idq; sæpe intra septimum diem occidit, Quod nisi incidat, sequitur, ut aliqua parte suppuret.

ὁκόσοι κυνάγχην διαφεύγουσι. idest, Quicunq; anginam illam quæ cynanche uocatur, effugiunt.] Dictum enim est in tertio libro quatuor esse anginæ species, & quod κυνάγχη, quæ cæterarum sæuissima est, quæ ut plurimũ interficit, tamẽ quandoq; transmutatur, sed transmutatio in pessimam ægritudinem finit, ueruntamen non est ita exacte peracuta, sicuti cynanche est. Vidimus etenim cynanchen, quæ in decem horis interfecit.

Τουτέοισιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, idest, His ad pulmonem uertitur.] Quando, scilicet fit transmutatio. Oribasius dicit, Anginã esse morbum acutum, & mutare locũ &

fieri peracutum. nam ex faucibus transit ad pulmonem, & intra septimum diem moriuntur. Aduenientes autem ignari medici credunt sanos esse, docti uero cognoscunt, quod ad pulmones descenderit angina, & prædicunt septimo die morituros. Nos autem dicimus anginam cynanchen dictam esse morbum exactissime peracutum, illum autem, in quem uertitur, esse peracutum, quia breuiori tempore ex angina cynanche dicta moriuntur, quàm ex peripneumonia, uel transitu puris in pulmonem, per transmutationem à superioribus partibus ad pulmonem.

Καὶ ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν. idest, Et in septem diebus pereunt.] Quia est morbus peracutus. Non est autem putandum, quod pręcise in septem diebus pereant, quoniam & citius perire possunt. Sed intelligas in septem dierum spatio perire posse, illos præsertim qui perire debent, qui multa materia abundant, & qui debiles habent uires. propterea Oribasius dubitat quomodo cognoscemus utrum morietur? Respondet, id futurum, quando humores naturam uincunt, sed hoc melius cognoscitur ex uiribus. Si uero dubites quomodo anginam ad pulmones descendisse cognoscimus? Oribasius respondet, cognosci per pulsum: sed quomodo, non docet. hæc uero sunt signa quando in loco anginæ nihil amplius sentit, sed distentionem, & pectoris grauitatem habet, spiritus angustiam, faciei plenitudinem, ut ferè tumida uideatur, rubescunt μῆλα, idest partes eminentiores sub oculis, quas latini malas uocant, κόρα τόσις, idest cornea tumescit, supercilia deorsum feruntur, & denique breui moriuntur. quoniam (ut Philotheus dicit ἐὰν γὰρ ἐν ἀκυροτέρῳ μορίῳ, τουτέστιν ἐν φάρυγγι, θανάσιμον ἦν, πολλῷ μᾶλλον ἐν τῷ κυρίῳ μορίῳ, τουτέστιν ἐν πνεύμονι, μετενεχθείσης τῆς ὕλης, ὁ θάνατος ἐπακολουθήσει πνιγμοῦ γεγονότος. idest, Si enim in minus principali parte, hoc est in gutture lethale erat, multo magis in principali parte, hoc est in pulmone transmutata materia, mors consequitur suffocatione facta. Statim uero idem Philotheus docet cur dixerit in septem diebus, inquiens, καὶ αὐτὸς ἔφη ὁ Ἱπποκράτης τῇ ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ, διότι ἡ κυνάγχη ὀξὺ νόσημά ἐστιν, καὶ ταχὺ ἐπιφέρει τὴν κρίσιν. idest, Et ipse Hippocrates dicit septima die, quoniam angina acutus morbus est, & cito crisim infert. At si petas quid intelligere oporteat per septimum diem. Idem Philotheus respondet, ἑβδόμην δὲ ἡμέραν ἀκουστέον, οὐκ ἀφ᾽ οὗ μὲν μετάστασις γέγονεν, ἀλλὰ ἐξ ἀρχῆς τοῦ νοσήματος. idest, audiendum uero septimum diem, non illum, à quo quidem transmutatio facta est, sed à principio morbi. Quod nos non probamus. nam uidimus etiam septimum diem pertransire post mutationem materiæ, quamuis ægre uiuerent.

Ην δὲ ταύτας διαφύγωσιν. idest, Si autem hos effugerint.] Scilicet septem dies, quoniam in hoc spatio non moriantur, tamen per hoc sani non sunt, sed

Ἔμπυοι γίνονται. idest, Empyi fiunt, uel suppurantur.] Et hic intellige ueram puris collectionē in thorace, quod pus si in temporis statuto quodam spatio expuatur, sanantur: Sin minus, phthisici fiunt, & moriuntur. Sed hoc longiori tēpore contingit, tamen non est putandum, quod necessario ex hoc mori oporteat.

GALENVS

De transmutatione nunc ipsi est sermo quæ fit ex angina ad pulmonem, quam ait plerunque ante septimum diem occidere, ęgro uidelicet strangulato, si uero id tempus possint euadere fluctione in pus conuersa suppurari.

BRASAVOLVS

GALENVS notat, sermonem Hippocratis esse nō de sanitate penitus, sed de transmutatione, quæ fit ex angina ad pulmonem, quam dicit plerunque, non tamen semper ante septimum diem interficere. etenim strangulatur æger, uel suffocatur: at si hoc tempus pertranseat, defluxio in pus conuertitur, quæ ab angina ad pulmonem profluebat, & suppuratio inducebatur.

APHORISMVS XI

Qvi tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

Brasauo

BRASAVOLVS.

EOS qui phthisi correpti sunt, prope mortem iudicare oportet, si sputum, quod extussiendo emittunt, supra accensos carbones positum, graue oleat. nempe illarum partium putredo maxima significatur, ex qua hic fœtor emanat, & tunc potissimum moriuntur, quando capilli à capite defluunt. Sicuti in autumno arboribus folia decidunt. nam ex eadem causa decidunt capilli, ob magnam scilicet humidi naturalis exsiccationem, & uirium imbecillitatem. unde in phthisi his uisis, mors prædicenda est, & non longe ab hoc capillorum defluuio. Philotheus uero hoc modo aphorismum introducit, καὶ οὗτος ὁ ἀφορισμὸς προγνωστικός ἐστιν, τρία δὲ ἡμῖν παραδίδωσιν, νόσημα, τὴν κακοήθειαν τοῦ νοσήματος, καὶ χρόνον τῆς ἐκβάσεως, idest, Et hic aphorismus uaticinatorius est. tria autem nobis præbet, morbum, malum habitum morbi, & tempus excessus. Si uero petas quomodo ab Hippocrate hæc tria edocentur, statim sequitur, καὶ διὰ μὲν τοῦ εἰπεῖν, τοῖσιν ὑπὸ τῶν φθίσεων, τὸ πάθος. διὰ δὲ τοῦ βαρὺ ὄζει τὴν κακοήθειαν τοῦ νοσήματος, καὶ ἐκ ταύτης τῆς δοκιμασίας τὸν χρόνον τῆς ἐκβάσεως, ὅτι θανατώδης. ἐν τούτοις οὖν τοῖς νοσήμασιν, ἀπόπειραν ποιεῖται ὁ Ἱπποκράτης θανάτου ἐκ τῆς τοῦ πτύσματος ὀδμῆς, idest, Nam & ob id quod dicit, Quibus à tabe, passionem uel morbum ostendit, ob id uero quod dicit male olet, malum habitum morbi, & ex ipsa probatione, tempus excessus, quoniã lethalis. In his igitur morbis Hippocrates ex odore sputi, mortis precognitionem facit.

Τοῖσιν ὑπὸ φθίσιων ἐνοχλουμένοισιν, idest, qui tabe uel phthisi infestantur.] hoc est, qui ulcera pulmonis habent.

Ἢν τὸ πτύσμα, ὅτι ἀναβήσσωσι, idest, Si sputum quod extussiunt.] hoc est sputum quod extussiendo emittunt, nam continuam ferè tussim habent, & nihil expuunt nisi cum tussi.

Βαρὺ ὄζῃ. idest, Graue olet.] Oribasius dubitat quare grauiter olet, & duas affert causas. una est quia materia est crassa. alia, quia multo tempore in loco putrefacta est, & ideo ipsius loci, idest, pulmonis putredo significatur. Intellige uero grauem odorem, tanquàm rei ualde putidæ. nam certum est simplex sputum exustum, odorem grauem referre, non tamen grauissimum: propterea tu intellige grauissimum odorem ueluti rei putidæ.

Ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον. idest, in carbones impositũ.] Tu uero intellige carbones ardẽtes. nam fieri potest, quod summus sputi fœtor non sentiatur, quoniam tantã caliditatẽ non habet, ut uapores eleuari possint, qui nares petant, uel ob suã crassitiẽ hi uapores non eleuãtur: si uero supra carbones inijciatur, uapores eleuant, qui nares feriũt. Et ignis etiã quod crassum est, attenuat, & ab eo fumos eleuare facit. Oribasius uero duas reddit causas, quare sputum in ignẽ iniectũ fœteat. una inquit, est, quod humectatione careat, unde antea grauẽ odorẽ non reddebat. Deinde quia crassa, calore resoluto, odorẽ siue bonũ, siue malũ emittunt. Philotheus uero quomodo supra carbones sputa poni oporteat, edocẽs dicit, prius supra uitrum ponenda esse Inquit enim, λέγει γὰρ ὅτι δεῖ τὸ ἀνενεχθὲν βάλλειν ἐπ' ἀνθράκων. πλὴν οὐκ ἀμέσως, ἀλλ' εἰς ὕελον ὑποβεβλημένον, καὶ οὕτως εἰς τοὺς ἄνθρακας, ἵν' οὕτως διαλυόμενον, δηλώσει τὴν οἰκείαν αὐτοῦ δυσωδίαν. ἐὰν οὖν βαρὺ ὄζῃ ἐπ' ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, ὅπερ ἐὰν ἀναβήσσωσιν, θανάσιμον. διὰ δὲ τοῦτον [illegible] τὸν πεπονθότα τόπον, τουτέστι τὰ περὶ τὸν θώρακα. ἡ γὰρ καρδία πολλάκις τοῦ ἔξωθεν ἀέρος μεμολυσμένου ὄντος παραβλάπτεται, ὡς καὶ θάνατον γενέσθαι. πολλῷ μᾶλλον καταβλαβήσεται, καὶ θάνατος ἐπακολουθήσει πλησίον τῆς καρδίας οὔσης τῆς δυσωδίας. idest, dicit enim quod oportet illatum in carbones inijcere, tamen non sine medio, sed in uitrum subiectum, & ita supra carbones, ut sic dissolutum propriam ipsius graueolentiã ostendat. Si igitur id quod extussiunt, supra carbones infusum male olet, lethale est. propter hoc autem locum patientem afficit, hoc est ea quæ sunt circa thoracem. Cor enim sæpe ab extrinseco aere coinquinato læditur, unde & mors fit. Multo uero magis lædetur, & mors consequetur, si prope cor graueolentia adfuerit.

An uero sit alia uia, qua cognosci possit, hæc sputa esse uerum pus, quàm inijcere supra

re supra carbones? Respondemus adesse. nam Recentes in aquam inijciunt. nam pus fundum & ima petit, pituita uero ima non petit, quoniam aereas partes simul mixtas habet, sed pus mixtum aerem non habet. Tamen caue ne in hoc experimento decipiaris, quoniam & pituita fundum & ima petit: nam si per aliquod temporis spatium supra aquam natet, aer euaporat, & in fundum descendit. At differentia à pure est, quia pus cito & cum primum expuitur, descendit, sed pituita per aliquod tempus perseuerat antequàm descendat. Hæc autem sputa non solum ex his duobus signis cognoscuntur, sed etiam ex colore: quia purulentiæ colorem habent, & illi qui exspuunt, grauem fœtorem sentiunt, & saporem, qui non placet, & eius substantia est crassa, compacta, glutinosa, opusque est esse multa sputa, & diu perseuerantia: quia si non perseuerarent, hunc mori necessarium non esset, si esset pauca materia in pulmone putrida, quæ tota euacuaretur, & breui, antequàm ulcus in eodem pulmone excitasset.

Καὶ αἱ τρίχες ἐκ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι. idest, & capilli à capite defluunt.] est signum θανάσιμον, idest, mortale, tamen per aliquot dies superuiuere possunt, sed non multos. Philotheus ex hoc capillorum defluuio ostendi dicit, ὅτι ἡ ἔνδεια ἤτοι ἡ τροφὴ δι᾽ ἧς καταξηραίνεται τὸ σῶμα, ἢ διαφθορὰ χυμῶν, idest, Quod deficit nutrimentum, ex quo corpus exsiccatur, uel humorum corruptio. profluuium uero capillorum ex multis causis fieri potest. una est temperatura ualde sicca, aut ualde calida, quæ siccam materiam faciens, capillos consumit: & hæc est causa cur herbæ in sabulo non nascantur, ob scilicet siccitatem. Alia causa esse potest, nimia frigiditas, quæ constringit, & obstruit meatus, per quos deberent pertransire fumi illi, & uapores, qui in capillos deinde conuertuntur. Alia causa potest esse humor, qui uias obstruat, aut nimia humiditas, ob quam causam & herbæ in argillosa terra non nascuntur. Alia causa potest esse nutrimenti defectus, propterea cadunt, quia eorum natura est esse in continuo augmento, & nutrimento indigent, quod si non habuerint, decidunt. Alia causa esse potest, humor exsiccans, & id resoluens, quod in capillum transire oporteret. Alia causa potest esse humor corrosiuus, qui capilli radicem corrodit, unde decidere cogitur. Alia causa potest esse idem humor exsiccans, uel corrodens, qui materiam, quæ in capillum transire deberet, corrodit. Alia causa potest esse humiditatis defectus, quæ capillos cuti nectit, ne fluant. Alia causa possunt esse acuti fumi, qui in toto corpore abundent, & cutis humiditatem exsiccent, atque consumant. Tamen uera causa, quæ huic proposito accommodari debet, est totius corporis consumptio, & naturalis omnium membrorum humiditatis exsiccatio, ad quam imbecillitas uirium consequitur. Oribasius uero tres modos refert, quibus in tabe capilli defluunt. Vnus est ex debilitate uirium. Secundus ex diminuta materia. Tertius quia cerebrum patitur. Ideo addit, quæ autem erit uitæ spes, ubi ipsum principium patitur? Ad perfectam uero aphorismi intellectionem, scire oportet sputa putrida profluere posse, uel ob gingiuam, uel os male affectũ, in quibus sit ueluti gangrena, uel ob putridam destillationem à capite ad os, ad fauces, ad tracheam, & ad pectus transeuntem, & etiam fit ob ulcus pulmonis. Et de his intelligit Hippocrates quæ cum tussi expuuntur.

GALENVS

EAS quæ sunt in pulmone ulcerosas dispositiones nunc tabes nominat, in quibus iubet odorem diligentius perpendi, id quod expuatur carbonibus inijciendo. Sicuti autem prius in ulceribus uesicæ odorem dixit grauem sentiri, ita & nunc tabidorum sputum grauiter olere. Si uero & ex capite capilli defluant, ita affectis letalem esse notam, quoniam & maximus alimenti defectus ostenditur, atque aliquando humorum corruptio.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid hic Hippocrates intelligat per uocabulum φθίσιες, quod Theodorus & Leonicenus Tabes interpretantur, inquit uero Galenus, intelligere ulcerosas dispositiones quæ in pulmone sunt.

Secundo

SECVNDO docet, Hippocratem iubere, sputi odorem diligenter perpendendum esse in pthisi, inijciendo supra carbones: sicuti enim superius in ulceribus uesicæ in quarto libro odorem grauem persentiri dicebat, ita & nunc tabidorum sputum graue olere dicit.

TERTIO docet, Si etiam capilli fluant in phthisi, esse notam lethalem, quia maximus alimenti defectus ostenditur, & aliquando humorum corruptio. Hæc ultima commenti pars, quæ dicit, atque aliquando humorum corruptio, In Aldino contextu, & in nostro antiquo in una lectione ita præcise habetur ἔστι δὲ ὅτε καὶ διαφθορὰν χυμῶν. At noster antiquus in alia lectione habet ἴσως δὲ ἔστιν ὅτε καὶ διαφθορὰν χυμῶν.

APHORISMVS XII

QVibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, hi alui profluuio superueniente moriuntur.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismum cum præcedenti, tali ordine continuamus, Cum superius dixisset fœtidum sputum, & defluuium capillorum in tabe mortem futuram significare, immo & quæ non sit multum longinqua, hic signum ponit, quo mortem iam in foribus esse ostendit, & eum, qui patitur, in extremis laborare. Qui igitur phthisim patitur, & capillorum defluuium habeat, & simul alui profluuium, moritur, idest, iam est in actu & in procinctu moriendi. Hæc autem esse non possunt, nisi sputa fœtida sint carbonibus iniecta: unde ex Hippocrate hic ordo haberi potest, Tabidus qui sputa habeat carbonibus imposita egregie fœtentia, signum mortale est. Si præter hoc capilli defluunt, est magis mortale. Si uero adhuc alui profluuium contingat, mors proxima est, & iam ægri limen occupauit. Oribasius dicit, Tria principalia membra, quæ sunt circa principia pati, cor, quod temperiem non accipit, cerebrum, quod ex imbecillitate relinquit capillos, & hepar ex debilitate uirtutis retentiuæ. Hæc autem signa extremā uirium debilitatem significant, propterea moriūtur, idest, sunt in actu moriendi. Celsus capite octauo secundi libri de tabe uerba faciens inquit, Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt, ubi urina quædam araneis similia subsidentia ostendit, atque in his odor fœdus est, maximeque ubi post hæc orta deiectio est, protinus moritur.

ὁκόσοισι φθισιῶσιν. idest, quibuscunque tabe laborantibus.] Quia si tabe non laborarent, & hæc & alia superuenire possent, tamen non morerentur.

αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέουσι. idest, capilli à capite defluunt.] Defluunt autem ob causas in præcedenti aphorismo dictas ex defectu scilicet alimenti, quia naturalis membrorum humiditas deest, & ex humorum corruptione, & cum defluant capilli, sputa etiam supra carbones iniecta male olent.

οὗτοι διαῤῥοίης ἐπιγινομένης. idest, Ii profluuio superueniente.] Ita habent Aldinus contextus, & noster antiquus in una lectione: in alia uero lectione habet τούτοις, idest, Iis: utrunque legi potest. Si legatur ij, cum uerbo moriuntur iungi debet: si uero ijs, cum alui profluuio ueniente. Fit autem id profluuij genus, quod diarria nuncupatur, & licet diarria humorale profluuium significet, tamen hic quoque lienteriam complectitur. Fiunt autem hæc profluuia ex omnium uirium imbecillitate, & præsertim concoctricum, hæc uero imbecillitates phthisim consequuntur. ex imbecillitate autem, & cibi incocti & humores exeunt, in quibus parua quædam mutatio facta est: propterea sequitur

ἀποθνήσκουσιν. idest, moriūtur] uerbo in præsenti tempore utitur, ut propinquissimam mortem notet, & iam in foribus existentem. Hæc igitur sunt mortalia signa (ut Philotheus dicit) καὶ ὡς σημεῖον, καὶ ὡς αἴτιον, θανάσιμόν ἐστιν ἡ διάῤῥοια τοῖς φθισιῶσιν. ὡς μὲν σημεῖον, ἐπειδὴ δηλοῖ ἀσθένειαν τῶν φυσικῶν δυνάμεων. ὡς αἴτιον δὲ, ὅτι τῇ συνεχείᾳ τῆς ἐξανα-

στάσεως

εὐσιως καταλύεται ἡ δύναμις. εἰ γὰρ ἐπὶ τῶν ὑγιαινόντων διάῤῥοια ἐπιγινομένη καταλύει τὴν δύναμιν, πολλῷ μᾶλλον φθίσεως προκειμένης ἐπιγινομένη. idest, Et tanquàm signum & tanquàm causa, lethale est profluuium alui phthisicis. tanquàm signum quidem, potentiarum naturalium debilitatem ostendit: tanquàm causa uero, quoniam continuatione debilitationis potentia dissoluitur. Si enim in sanis profluuium alui superueniens potentiam dissoluit, multo magis si præsente phthisi, superueniat.

GALENVS.

DE HIS qui ex tabe iam morti uicini sunt, nunc sermo habetur, quos etiam male se habere ostenderat in defluuio capillorum. Alui autẽ profluuio superueniente, mortem appropinquare opinandum, cum hic casus, & mala causa, & malum signum existat. Fit enim ex uirium imbecillitate, quæ præterea ex ipso casu fiunt imbecilliores.

BRASAVOLVS

EN quomodo Galenus Hippocratis sermonem circa illos esse uelit, qui ad mortem in procinctu sunt, nam & hos male se habere ostenderat, per id signum quia capilli defluebant. deterius uero se habent, & morti uicini sunt qui alui profluuium incidũt. nam hic casus est mala causa & malum signum, quia ex uirium imbecillitate fit, quę uires ex ipso casu imbecilliores existunt.

APHORISMVS XIII

QVicunq; spumosum sanguinem expuunt, his è pulmone eductio fit.

BRASAVOLVS

CONSENTANEVM est, sanguinem substantiæ illius membri à quo educitur, figuram præ se ferre. Ideo conueniens est sanguinem, qui in pulmone est, pulmonis naturam aliquo modo sapere. est autem pulmonis natura & substantia spumosa, & leuis, ideo sanguis à pulmone ueniens spumosus est. Celsus capite septimo secundi libri ita hunc aphorismum refert, At qui spumantem sanguinem excreant, his in pulmone uitium est.

ὁκόσοι ἀφρώδες αἷμα ἀναπτύουσι. idest, Quicunq; spumosum sanguinẽ exspuunt.] Tu q; intellige sanguinem illum esse spumosum, qui infinitas paruas ampullas habet: nam spuma fit aut ex calore ebullitionem faciente, aut ex magno motu & continuo, ut in mari spuma fit, ubi undæ maxime colliduntur, & in cacabis spuma fit, quando maxime feruent, ob magnum etiam motum. Intelligéque totum esse spumosum, & nihil notatu dignum inueniri, quod spumosum non sit. utitur autem uocabulo expuunt, ut à pectore prodire notet, & non à uentriculo, uel à capite: quia cum à pectore est, & pulmone, præter id quod spumosus est cum tussi etiam uenit, quod non fit, si ex aliis locis prodeat.

τούτοις ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ ἀναγωγὴ γίνεται. idest, Iis è pulmone eductio fit] quia is sanguis in eo quod spumosus est, pulmonis substantiam imitatur. Venit autem à pulmone, idest, (secundum Galenum) à pulmonis substantia, tamen à uenis magnis quæ in pulmone sunt, prodire posset, & à capillaribus, & proprie à substantia pulmonis. immo & si in pectoris cauitate sit sanguis qui expuatur, per pulmonis substantiam trãsit, quia nihil in thoracis cauitatibus contentum expui potest, nisi per pulmonis substantiam transiuerit. unde uel sit à magnis pulmonis uenis, uel à paruis, quia substantiæ pulmonis in tertia coctione assimilari debet, propterea spumosus est: & etiam ille spumosus est, qui in pectore continetur, & expuitur, ob magnam & motus & spiritus cum humido mixti agitationem. Spuma enim ex spiritus miscella cum re humida & glutinosa fit, quando simul agitata sunt: & ideo cum pulmo spiritum continuo trahat & emittat, sanguis ex eo ueniens tantam spumam habet, ut nulla pars notatu digna intus & in superficie sine spuma reperiri possit. Ex aliis autem partibus fluens, spumam quidem aliquam habere potest; at non est intus, & in superficie, sed solum in superficie.

Oribasius

Oribasius uero cur spumosus sit hic sanguis, rationem reddit, quia, inquit, est leuis & subtilis. Hepar enim sanguinem cõtinet, & per uenas totum corpus implet, sed indiget spiritu à corde, ut eum sanguinem magis augeat & impleat. Cor ergo spiritum hepati transmittit, & ab hepate recipit sanguinem, ut nutriatur. Verum quia cor est uitæ principium, sanguis ab hepate ad pulmonem fertur: pulmones enim subtiles sunt, & arterijs pleni, & secernunt mundissimum sanguinem, & tradunt cordi, ut ita nutriatur, & naturalem cõseruet calorem atque spiritum. Illud ergo quod remanet in pulmonibus, leue est atque subtile, & ideo spumosum exit, propter loci qualitatem. Eandem ferè causam pro parte Philotheus sequi uidetur, docens sanguinem à pulmone prodeuntem, spumosum esse, ὅτι ὁ πνεύμων, λεπτὸν, καὶ ἀερῶδες, καὶ εἰλικρινὲς αἷμα δέχεται, κἀκ τούτου τρέφεται. ἐὰν τοιοῦτον ἐκχυθῇ, πρόδηλον, ὅτι ἐξ αὐτοῦ τοῦ πνεύμονος πάσχει. idest, Quoniam pulmo tenuem & aereum, & purum sanguinem suscipit, & ex hoc nutritur. Si talis exierit, certum est, quod ex ipso pulmone patitur (scilicet æger.)

GALENVS

ET PLERAQVE exemplaria, & quamplurimi huius libri expositores norunt aphorismum in hæc uerba scriptum. Quicunque sanguinem spumosum euomunt, his è pulmone eductio fit, & quidam ipsum exponentes aiunt uerbum id multitudinem significare, ac propterea à proprio esse translatum, aperte mẽtientes contra id quod apparet. Sæpe enim uisus est sanguis spumosus absque multitudine fieri. Si igitur ita Hippocrates scripserit, ipsum abusum fuisse uocabulo dicemus. Neque enim sanguis multus ex pulmone eductionem significat, paucus uero ex alio loco. Si uero spuunt, aut expuunt scriptum sit, tunc proprio usum fuisse uocabulo, & ostendere sanguinem talem carnosam pulmonis substantiam quæ est ipsius uera substantia, affectam ulceribus esse, adeo quod uere dicatur solius pulmonis ulcera indicari, non autem uere ulcerato pulmone ex necessitate spumosum exspui. Sępius enim uidimus quibusdam ex alto cadentibus, & calcitratis, atque in palestra percussis, ab illa maxime ictus parte in qua cuipiam ad solum ruenti alter super thoracem inciderit, sanguinem plurimum bene coloratum expui sine ullo dolore, quod ratio dictat ex aliquo pulmonis uase prodire.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, aliquos contextus, immò multos (ut ex interpretibus haberi potest) hoc modo legere, Quicunque spumosum sanguinem euomunt, & non expuunt: uoluntque per uerbum euomunt, uerum uomitum non intelligi: sed Hippocratem usum esse illo uerbo, ut sanguinis multitudinem annotaret, unde id uerbum nõ est in proprio significato acceptum. Philotheus idem dicit inquiens, τινὰ ἔχουσι τῶν βιβλίων ἐμέουσιν, τινὰ δὲ ἀναβήσσουσιν. ἀλλ' εἰ μὲν ἀναβήσσουσιν ἔχει σαφές, τὰ γὰρ ἀπὸ τοῦ πνεύμονος διὰ βηχὸς ἀνάγονται. εἰ δὲ ἔχει ἐμέουσιν, μεταφορικῶς εἴρηται ἀπὸ τῶν ἐμουμένων διὰ γαστρός. idest, Quidam libri habent euomunt, quidam uero tussiunt. Sed si tussiunt, manifestum est. ea enim à pulmone per tussim ducuntur. Si autem euomunt habuerit, metaphorice dicitur ab his qui per uentriculum euomunt.

SECVNDO Galenus hoc reprehendit, quia uel multus sit sanguis, uel paucus qui sit spumosus, ex pulmone fluit, & non est opus quod sit multus, uel paucus. & ideo si exponatur, ut hi dicunt, id uerum erit, Hippocratem abusum esse uocabulo: sed modo nostro (ut dicemus) non abutitur uocabulo, non enim multus sanguis ex pulmone, & ex alijs locis paucus fluit. & omnino si Hippocrates dixisset, euomunt, uocabulo abusus esset.

Quod legitur, neque enim sanguis multus, Græce habetur οὐ γὰρ δὴ τὸ μὲν πολὺ, idest, neque enim sanguis quidem multus.

TERTIO Galenus ut in suo contextu erat legit, At uel legatur spuunt, uel cũ tussi expuũt, tunc Hippocrates proprio uocabulo utitur, & carnosam pulmonis substãtiam ulceribus plenã esse significat: unde uere dici posset, pulmonis ulcus significari. Tamen nos nõ facimus ita decurtatũ Hippocratẽ, immo etiã sanguis qui sine ulcere exit, uel q per pulmones trãsire debet, & in cauitate pectoris sit, spumosus est. propterea Galenus intelligit, ꝙ pulmo nõ sit perfecte ulceratus, tunc eñ non solũ non exit sanguis, sed nec spumosus

spumosus, immo purulẽta materia quæ exit, compacta multum est, tamen à bullis non est immunis. Illa duo uerba, spuunt, aut exspuunt, ita à Leoniceno interpretata, Græce sunt ἀναπτύουσιν, ἢ πτύουσιν, in nostro antiquo cõtextu, & ita Leonicenũ habuisse arbitrari oportet. Tamen antiquus noster contextus aliam lectionem habet, & legit ἀναπτύουσιν, ἢ βήσσουσιν, idest, expuunt, uel tussiunt. Aldinus uero legit ἀναπτύουσιν ἢ ἀναβήσσουσιν, quod idem est, nobisq; hoc magis placet, & magis conueniens uidetur, quàm si idem uocabulum repetatur: quamuis et si idem uocabulum sit, tamen sensus non dimouetur, quia solum erit diuersitas in uoce, non in re. At nobis magis arridet, Galenum legere ἀναπτύουσιν ἢ βήσσουσιν, & hoc modo interpretari debeat. Si uero expuunt, aut cum tussi expuunt scriptum sit, ut notet Hippocratem nõ abuti uocabulo, si simpliciter dicat expuunt, uel dicat cum tussi expuunt.

Quod legitur, adeo quod uere dicatur, solius pulmonis ulcera indicari, Græce habetur, ὥς τε ἀληθὲς μὲν φάναι, τὸ ἀφρῶδες αἷμα μόνου τοῦ πνεύμονος ἐνδείκνυσθαι τὴν ἕλκωσιν, idest, ut uerum quidem appareat, spumoso sanguine solius pulmonis exhulceratione͂ indicari. Deniq; Galenus docet, quod hulcerato pulmone, non est opus spumosum sanguinem expui, quia immo & sanguis ipse quandoq; sine spuma exit, nam uidit ex alto cadentes, uidit calce percussos, uidit in palæstra percussos, qui sanguinem bene coloratum sine ullo dolore emisere, quod indicium est ex aliquo pulmonis uase prodire.

Hæc litteræ pars, Alter super thoracem inciderit, sanguinem plurimum bene coloratum expui sine ullo dolore. In Græcis codicibus diuerso modo scriptum est, Aldinus contextus, & in margine nostri antiqui ita scriptũ est, ut Leonicenus interpretatur, scilicet ἑτέρος ἐπὶ πίπτει ἐπὶ τοῦ θώρακος, αἷμα μετὰ βηχὸς ἀναπτύσθαι πλεῖστον ἄνευ πόνου ὀδύνης. differt solum, quia cum Leonicenus legit, Sanguinem plurimum bene coloratum expui sine ullo dolore: legi debet, Sanguinem plurimum bene coloratum cum tussi expui sine ullo dolore. unde apponi debet illa particula, cum tussi. Tame͂ antiquus noster contextus præcise legit ut dictum est, solum in principio ponit particulam δὲ, quæ hunc casum alium à præcedentibus facere uidetur, & hanc partem non esse complicãdam cum casu de percussis in palæstra. nam legit ἑτέρος δὲ, idest, alter autem. Si uero apponamus particulam, autem, manifeste apparet, quod sit alter casus enumeratus. Tamen in margine nostri antiqui contextus alia litera est loco totius illius sententiæ, sed est multo breuior præcedente. solum enim ita habet. ἑτέρου στάντος ἄνευ ὀδύνης πάσης, idest, altero stante sine omni dolore. & de hac sententia nihil aliud ponit, quod mihi apprime placeret, si pars immediate superior de percussis in palestra recte adaptari posset: tamen potius illam literam sequerer, quã Leonicenus interpretatur, ut legatur sine particula, aut. Vel posset huic parti hic sensus præstari, non quod edocere uoluerit, sanguinem sine spuma quandoq; exire: sed potius, quod aliquorum exempla tribuat, quibus sanguinem à pulmone fluere contigerit, & spumosum, & per quas causas id contigerit. Propterea tu in illa parte, ferè in fine, ubi dicit, bene coloratum expui: adde hanc particulam, cum tussi, μετὰ βηχός.

APHORISMVS XIIII

A Tabe habito profluuium alui superueniens, letale.

BRASAVOLVS

HIC Aphorismus superflue additus uideretur, nisi quis ita Hippocratem intelligeret, quod ostendere uelit profluuium alui in tabe, etiam si solum sit, esse letale. nam superius aphorismo duodecimo simul composuerat, & commiscuerat alui profluuium cum capillorum defluxu. Ob id nunc, hoc ferè dicit, Qui phthisi correptus est, si alui profluuium superueniat, signum letale est: ac si dixerit, etiam si simpliciter superueniat, & alia signa non adsint, tamen letale est: quamuis raro contingat, alia signa adesse, & hoc abesse. Philotheus ita aphorismum introducit, ἀνωτέρω μὲν εἶπε φθίσει τὴν διάῤῥοιαν ἐλεγεν θανάσιμον εἶναι, πλὴν καὶ τριχῶν μνημονεύσας. ἐνταῦθα δὲ ἁπλῶς εἶπεν θανατῶδες εἶναι τὴν διάῤῥοιαν, ὡς ἱκανῆς οὔσης καὶ μόνης τὸν θάνατον δηλῶσαι, ἀλλ' ὁ ταχὺν ὡς ἡ ἔμπροσθεν ἐρημένη

φθίσις

φθίσις. ideſt, ſuperius quidem in phthiſi profluuium alui dicebat eſſe letale, de pure & ca-
pillis mentionem faciens : hic uero ſimpliciter dixit profluuium alui mortale eſſe, tan-
quam ſufficiens ſit & ſolum mortem oſtendens: ſed non cito, ut ſuperius dicta phthiſis.

ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ. ideſt, à tabe habito.] Vt per hoc denotetur diutius in hac paſ-
ſione permanſiſſe.

Διαῤῥοια ἐπιγινομένη, θανάσιμον. ideſt, Diarrhœa (uel alui profluuium. Non determi-
nantes ſe ad diarrhœam magis, quàm ad lienteriam) ſuperueniens, letale.] Eſt uero le-
tale, quia magna uirium imbecillitas ſignificatur. Vnde Oribaſius dicit, ſi debilem uir-
tutẽ ſubſequitur fluxio alui, quæ magis debilitat, quę erit uitæ ſpes, dum hoc acciderit?

GALENVS

PAVLO antea dixerat, Tabidis quum pus graue olet, & capilli à capite defluunt, alui profluuio ſuperueniente mortem ſubſequuturam. Hic uero ſimpliciter dixit eſſe letale alui profluuium in tabe, nulla facta neque de pure, neꝗ de capillis mentione, tanquam illud ſolum ſufficiat mortem ſignificare, non tantum ita è proximo, neꝗ tam cito ſequuturam, ſicuti quum defluuium capillorum adiungitur.

BRASAVOLVS

GALENVS in hoc loco undecimum & duodecimũ aphoriſmos ac ſi unum ſint, referre uidetur : in undecimo enim, de fœtido ſputo & capillorũ defluuio loquutus eſt: in duodecimo, de capillorum ſimul & uentris defluuio. Ipſe autem ſimul nectit, ac ſi de tabidis, quibus ſputum graue olet, & capilli defluunt, & ſuperuenerit alui profluuium, ſermonem habuerit. Illi etenim moriuntur. In hoc uero aphoriſmo ſimpliciter dixit, al-
ui profluuium in tabe letale eſſe: & de fœtido ſputo nihil dixit, nec de capillorum caſu: ac ſi oſtendat, hoc ſolum ad mortem inducendam ſatis eſſe. In hoc uero differunt, quia quum ſolum alui profluuium adfuerit, non ſequitur tamen cito mors: ſicuti facit, quan-
do capillorum profluuium adiungitur.

Quod legitur, Non tantum ita è proximo. Græce eſt, οὐ μὴν οὕτω γε ὑπόγυιον. ideſt, Non tamen ita è proximo. Non eſt uero magna differentia, ſi legatur Tantum, & Ta-
men: ac potius literam illam acceptamus, quæ Tamen, legit.

APHORISMVS XV

QVicunꝗ ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgan-
tur, à die à qua fit ruptio, liberantur: ſi uero non, ad tabem tranſeunt.

BRASAVOLVS

IN OCTAVO huius libri aphoriſmo ab Hippocrate dictum eſt, eos qui morbo laterali in quatuordecim diebus non purgantur, ad ſuppurationem uerti: at poſt ſuppu-
rationem quid ſequatur non edocuerat. Propterea in præſenti aphoriſmo hoc docet, in-
quiens, ij qui ſuppurantur, ſi ab illo die à quo ſuppuratio incipit, intra ſpatium quadra-
ginta dierum purgantur, ideſt pus totum exeat, liberantur: & à purulentia, ſcilicet quæ in pectore erat, & etiam à periculo incidendi in phthiſim liberantur. Si uero in quadra-
ginta diebus pus id non expurgetur quod in pectore contentum eſt, neceſſariũ eſt exe-
di & exulcerari pulmonem, & conſequenter in phthiſim tranſire, & commori. Philo-
theus & ipſe hoc modo aphoriſmum præſentem introducit : ὁ πλευρίτης ἐστὶ φλεγμονὴ τοῦ τὰς πλευρὰς ὑπεζωκότος ὑμένος, ἀλλ' αὕτη ἐὰν ἀνακαθαρθῇ ἐν τεσσαράκοντα ἡμέραις, παύε-
ται. εἰ δὲ ὑπερβάλλει τὴν τεσσαρακοστὴν, εἰς ἐμπύημα μεθίσταται, καθὼς ἀνωτέρω εἴρηται. ἐνταῦθα οὖν περὶ τῆς ἀνακαθάρσεως τοῦ πύου διαλέγεται, ἤτοι τῆς ἀναγωγῆς. ideſt, Pleurites eſt inflamma-
tio pelliculæ tegentis coſtas: ſed ipſa ſi in quadraginta diebus expurgetur, ceſſat. Si ue-
ro quadraginta dies ſuperexcedat, in ſuppurationem tranſit, ut ſuperius dictum eſt. Hic igitur de expurgatione puris, ideſt eductione per ſuperiora diſputat. Celſus capite octa
uo ſecundi libri, huius aphoriſmi partem refert, inquiens, Laterum dolores ſuppuratio-
ne facta, deinde intra quadrageſimum diem purgata, finiũtur. Idem Celſus libro ſecun-
do, capite ſeptimo, eundem aphoriſmum his uerbis retulerat. Eadem tabes (nam de ta-

be prius sermonem habuerat) subit, si in lateris dolore orta suppuratio intra quadraginta dies purgari non potuit. ubi uidere potes, Celsum uti uocabulo tabes pro phthisi, quamuis libro tertio capite uigesimosecundo tabem in ἀτροφίαν, idest summam maciem, in καχεξίαν, idest malum corporis habitum, & in φθίσιν partitus sit, sed hoc in loco generis uocabulo ad speciem significãdam utitur: sicuti in multis alijs fecerat locis.

ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται. idest, Quicunque ex morbo laterali empyi fiunt, uel suppurantur.] idest post lateralem morbum. nam ex, pro post exponi debet. Sumitur uero hoc loco empyema, idest suppuratio, pro puris collectione inter thoracem & pulmonem, non autem pro collectione puris in quocũque loco, ut accipi poterat in octauo aphorismo secundum Galenum. Sed in proposito opus est de suppuratione solum intelligere, quæ in pectoris cauitate collecta sit, ad quam phthisis sequitur, nisi in quadraginta dierum spatio expuatur.

ἢν μὲν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, λύονται. idest, Si in quadraginta diebus per superiora purgantur à die, à qua fit ruptio, liberantur.] Ruptio autem decimumquartum diem non pertransit, ideo si de eruptione incertus eris, à die decimoquarto incipe, & usque ad quadragesimũ numerato. Si pus expurgatum fuerit, is liber est, & ab empyemate, & à quocunque discrimine, quod accidere posset, ut à phthisi. de peripneumonia autem uerba non fecit, sed de solo empyemate, quoniam in peripneumonia etiam toto pure expurgato, ulcus relinquitur, uel ulcera in pulmone, quæ non sunt sana. Tuque Hippocratem considera, qui à die, in qua facta sit eruptio, enumerare incipit. In hac autem die factus est ægritudinis transitus in ægritudinem, idest morbi lateralis in empyema, propterea & dies considerandi, à principio empyematis, idest suppurationis, unde & à Philotheo dicitur τεσσαράκοντα δὲ ἡμέρας δεῖ λαβεῖν οὐκ ἀπ᾽ ἀρχῆς τῆς πλευρίτιδος, ἀλλὰ μετὰ τὴν ῥῆξιν. idest, Accipere autẽ oportet quadraginta dies non à principio morbi lateralis, sed post ruptionem. & quod obseruat Oribasius, uerissimum est, naturam nunquam uelle alicuius mortem, sed cum morbus est acutus, si sanare non potest, saltem ad longiorem morbum transmutat, quia usque ad decimumquartum est lateralis morbus. postea est empyema, quod est diuturnior morbus: si ab empyemate liberare potest, liberat: sin minus, necesse est in phthisim transire, ut saltem quantum potest uitam producat. propterea non solum dictum est, à die qua incipit suppuratio (quia id est illius ægritudinis principium) sed etiam quia re uera ab illo die usque ad quadragesimum, pulmonis substantia intacta reseruatur atque incorrupta: sed post hoc spatium amplius perdurare nõ potest, imò exeditur & exulceratur. At, ne putes tu præcise esse quadraginta dies, sed uel pauciores, uel si plures, non multo plures.

ἢν δὲ μή. idest, Si autem non,] scilicet expuat: in hoc quadraginta dierum spatio, uel non multo plurium.

Εἰς φθίσιν μεθίστανται. idest, In tabem transeunt.] Quia pulmo non potest amplius sine corrosione permanere. Notat uero hic Oribasius, tabem duobus modis dici, aut enim tumor est in pulmonibus, aut consumptio totius corporis: hic autem ex consumptione tabidi dicũtur. At nos non solum de consumptione, quæ ἀτροφία est, intelligimus, sed etiam de tumore, & pulmonis ulcere, idest uera phthisi. Philotheus transitum in phthisim pulmonis raritati attribuit, & eius substãtiæ spongiosæ: quem si audire cupias, hæc dicit, Mutari in phthisim ἐπειδὴ ὁ πνεύμων μανός ἐστι καὶ σπογγώδης, καὶ οὐ φέρει τὴν ἀεὶ πάροδον τοῦ πύου σηπεδόνα καὶ δριμύτητα, ἀλλὰ διὰ τὸ εὐπαθὲς ξύεται, καὶ ἑλκοῦται, καὶ γίνεται ἔκτηξις τοῦ σώματος, ἥ τις φθίσις ὀνομάζεται. idest, Quoniam pulmo rarus est, & spongiosus, & non fert continuum transitum puris & corruptionem & acredinem (uel acrimoniam) Sed quoniam facile pati potest, abraditur & exulceratur, & fit corporis eliquatio, quæ phthisis nominatur.

GALENVS

ADDENS suo sermoni ruptionis uocabulum, manifestum se fecit de illis loqui in quibus lateris inflammatione in suppurationem conuersa, deinde disrupta in spatium thoracis, atque pulmonis intermedium pus continetur. His enim omnibus, nisi ut plurimum in quadraginta diebus puris euacuatio fiat per sputiones purgati, necessarium

rium est pulmonem exedi, pure processu temporis putrescente. Morbo igitur laterali diem quartumdecimum terminum posuit purgationis. Suppuratis autem quadragesimum. Dictum autem est plenius de differentia, & aliorum dierum iudicatoriorum, & horum, in eo tractatu qui inscribitur De diebus iudicatorijs. Quare si quis uniuersam illam legerit contemplationem, ea quę ab Hippocrate de diebus iudicatorijs dicuntur, promptius assequetur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat, id quod dictum est ruptio, de illis Hippocratem loqui significare, in quibus lateris inflammatio in suppurationem conuersa, & rupta, saniem in medio thoracis spatio, & pulmonis trāsmiserit. nam his nisi in quadraginta diebus hoc pus expuatur, necesse est in processu temporis, putrescente pure pulmonem exedi.

Quod legitur, Manifestum se fecit de illis loqui, in quibus lateris inflammatione in suppurationem cōuersa. hæc pars in Græcis codicibus duobus modis legitur, unus est modus, quem Leonicenus habebat, & qui est in contextu nostro antiquo, hic inquam, σαφῶς ἐδήλωσεν αὐτὸν ὑπὲρ ἐκείνων διαλεγόμενον, ὧν εἰς ἐμπύημα τῆς περὶ τὴν πλευρὰν φλεγμονῆς τρεπομένης. Alter modus est in nostri antiqui contextus margine scriptus, quem ne desideres, hic subscribemus. Ita enim habet, σαφῶς ἐδήλωσεν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκείνων διαλεγόμενος οἷς εἰς ἐμπύημα τῆς περὶ τὴν πλευρὰν φλεγμονῆς τρεπομένης. Aldinus uero cōtextus eodem modo habet, sicuti noster antiquus, præterquàm in illa parte ubi antiquus noster habet, ὧν εἰς ἐμπύημα. Aldinus legit ut noster antiquus in margine, οἷς εἰς ἐμπύημα.

Quod etiam legitur, Nisi ut plurimum. Græce habetur, ἐὰν μὴ τὸ πλεῖστον.

SECVNDO docet, ab Hippocrate positum esse decimumquartum diem, morbi lateralis terminum: suppuratorum uero, diem quadragesimum. At de horum differentia, in libro De diebus iudicatorijs dictum est. Tu librum illum perlege, & Hippocratem facile intelliges.

Quod in fine legitur, Promptius assequetur. in antiquo nostro contextu legitur, ἑτοιμότερον. in alio contextu habetur, ἑτοιμότατον. in Aldino, ἑτοίμως. ut unus contextus in positiuo sit, prompte: alius in comparatiuo, promptius: tertius in superlatiuo, promptissime. tamen quicquid dicatur, ad perfectam rei intellectionem nihil facit.

APHORISMVS XVI

CAlidum ubi quis sæpius eo utatur hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem, hæc ad quæ mors.

BRASAVOLVS

ORIBASIVS hunc aphorismum præcedentibus atq; consequentibus hoc modo continuat, Quum absoluta atq; digesta sit de ægritudinibus atque de urinis ratio: nunc quoq; uult Hippocrates quarūdam qualitatum rationem ostendere, quid possit calida efficere, quid'ue frigida. A calido autem incipit tanquā à magis actiuo, inquiens, si quis frequentissime calido utatur, in hæc discrimina incidit, in carnis effœminationem atq; mollitiem, in neruorum incontinētiam, in torporem & mentis hebetudinem, in sanguinis profluuia, in animi defectus, & plerunq; in mortem. Quod si dixeris, alias ab Hippocrate dictum esse calorem naturæ amicum esse: frigus uero inimicum. Oribasius respondet, Hippocratem nunc loqui de calore immodico, hoc est, de immodico caloris usu: quia calor immodicus, carnis effœminationem facere non potest, & mollitiem inducere, sed potius exiccatam & asperam carnem facit, nec facit neruorum incontinentiam, quæ ex humiditate fit ad neruos discurrente à calore transmissa, sed neruos magis exiccat, quàm conueniat. Propterea de immodico calore non loquitur, qui est ueluti ignis calor, sed de immodico usu caloris. Hic autem calor, cuius usus est immodicus, magis & minus intensus esse potest, modo talem modum non excedat, ut potius exiccet, quàm relaxet. Vnde & Celsus capite nono primi libri, inquit, Si nimius est, scilicet

calor, corpus effœminat, neruos emollit. Philotheus hoc modo aphorismum introducit, περὶ διαγνώσεως καὶ προγνώσεως παθῶν διαλεχθείς, νῦν περὶ αἰτίων νοσημάτων διαλέγεται. idest, de dignotione & passionum prædictione disputauit, nunc de morborum causis disserit.

Τὸ θερμόν, idest calidum.] Denominatiue, uel (ut recentiorum uerbis utar) in concreto calidum dicit, ut subiectum concernat & connotet. nam rem calidam intelligit. Per calidum uero duo intelligi possunt: unum est calidum aquæ dulcis balneum, quo antiqui frequentissime utebantur: aliud usus calidorum cibariorum, & similium. Galenus aphorismo uigesimoquarto huius libri, Hippocratē de aqua solum intellexisse contendit, quem recentes omnes sequuntur, de balnei usu intelligentes. Tamen nos ad omnium rerum calidarum usus ampliare possumus, quoniam & locorū calidorum usus, & cibariorum calidorum, & potuum calidorū ea quæ sequuntur facit, & etiam balneorum calidorum: ut Galenus in tertio De sanitate tuenda libro, docet.

Βλάπτει ταῦτα. idest, In hoc nocet.] uel, hæc mala affert. Sunt autem mala, uel ægritudines, uel symptomata, uel affectiones.

Τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι. idest, Vbi quis sæpius eo utatur.] Ideo hæc non semper sequūtur ob usum horum immodicum, sed ob longum usum. Vel ergo sit calidus locus, uel balneum calidum, uel cibus calidus, uel potus calidus, & sit quicunq; calor uel intensus uel remissus: hæc mala quæ dicet, sequuntur. Sed in intensiori calore intensiora, remissiora in remisso: in extremo autem oppositum faciet: & ideo non ita intensus esse debet, ut obesse possit nimis exiccando.

Σαρκῶν ἐκθήλυνσιν. idest, Carnium effœminationem.] Imò & mores effœminatos habent, qui loco calido nati sunt, uel qui balneo calido nimis utuntur, idest frequēter, non tamen nimis calido. Virorum caro prædura est, densa, extrinsecis impressionibus facile resistens. Dicitur autem effœminari, cum mollis efficitur, rara & laxa atq; debilior, & quæ non ita resistit his quę extrinsece occurrunt. nam calor, spiritus illos resoluit qui in carne continentur, & consequenter naturalis calor resoluitur & infrigidatur: propterea effœminati efficiūtur, idest laxi, imbecilles, & qui facile ab extrinsecis causis læduntur, hoc est effœminatum esse. Ex corporis autem effœminatione, morū effœminatio consequitur. Ideo Turcæ, qui calido loco ortum ducunt, & corpore & moribus effœminati sunt. Idem ferè igitur est, ac si Hippocrates dixerit, calidum raras carnes facere, laxas, molles, debiles. Philotheus edocens quid intelligere oporteat per carnium effœminationem, inquit, τὴν ἀσθένειαν τῶν σαρκῶν, ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ θήλεος γένους, ποιεῖ δὲ ταύτην τὸ πλεῖστον θερμὸν τῇ ἀμέτρῳ διαφορήσει. διαφοροῦν γὰρ τὴν συνεκτικὴν αὐτῶν ὑγρότητα ἐκλύει αὐτάς. idest, debilitatem carnium per metaphorā fœminini generis. hanc autem facit multus calor immoderata discussione: discutiens enim continentem ipsas humiditatem, ipsas (scilicet carnes) dissoluit. Idem Philotheus ita dubitat, καὶ εἰ τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ χαίρει, πῶς πρὸς τὰς σάρκας θερμὰς καὶ ὑγρὰς οὔσας βλάπτει τὸ θερμὸν ὑγρόν; ἐπειδὴ ἀμέτρως ὑπόκειται. idest, Et si simile simili gaudet, quomodo calidum humidum carnibus obest, quum sint calidæ & humidæ? quoniam immoderate supponitur.

Νεύρων ἀκράτειαν. idest, Neruorum impotentiam.] Quia si sit balnei calor, humiditates remolliuntur, & incontinentes fiunt: faciuntq; tremores, & uires remittunt. Si uero cibi sint, aut potus, aperiunt, & ad neruos humidas materias ducunt, quæ ipsos incontinentes faciunt. Intellige uero incontinentiam, idest non tantam fortitudinem, quantam prius habebant, sed imbecillitatem quandam quæ humiditate inducitur, siccitate remouetur. Philotheus neruorum imbecillitatem fieri, idest ἀσθένειαν. ἐπειδὴ τὸ θερμὸν ἀνευρύνει, καὶ χαῦνα αὐτὰ ποιεῖ, πυκνὰ καὶ στερεὰ ὄντα, καὶ διαφόρως τὴν ἐν αὐτοῖς συνεκτικὴν ὑγρότητα. τῇ γὰρ διαφορήσει ἐκλύονται τὰ νεῦρα τὰ κρατοῦντα τὰ μόρια, καὶ οὐκ ἔτι δύνανται κρατεῖν. idest, debilitatem: quoniam calidum dilatat, & ipsa laxa facit, densa & stricta cum sint, & præcipue in ipsis naturalem humiditatem: discussione (uel expiratione) enim nerui dissoluuntur continentes partes, & amplius retinere non possunt.

Γνώμης νάρκωσιν. idest, Mentis torporem.] Intellige uero per mentis torporem, omnium intellectualium uirium & sensualium hebetudinem. Intellectualiū quidem, quia animales spiritus ex calore resoluuntur. Ipsis uero resolutis cerebri substantia infrigidatur magis & humectatur: ideo uires intellectus hebetantur, & uires sensuales magis. Et

hoc

hoc experientia ipsa in his docet, qui in loco calido orti sunt: in his enim ingenij uires non sunt adeo promptæ, ut in ijs qui in frigido loco ortum duxerunt. Eadem est de balneis ratio, & de cibis, atque potibus calidis. Si uero dicas à frigido stuporem potius induci. Respondemus, à frigido omnino per se induci: sed à calido per accidens prius infrigidante. Philotheus hanc partem ita exponit, ποιεῖ δὲ καὶ γνώμης νάρκωσιν, τουτέστι ἀσθένειαν ὁμοίως τῇ διαφορήσει. idest, Facit autem & mentis torporem, idest simul debilitatem exhalatione.

Αἱμοῤῥαγίας. idest, Sanguinis profluuia.] Nam caloris natura est aperire, & uenas dilatare, & sanguinem rarefacere, atque sursum impellere. Hæc enim profluuia quæ à calido fiunt, ut plurimũ per nares contingunt, & ideo qui diutius in sole morantur, fluxum sanguinis narium incidunt. quamuis aliquis dicere posset, solem suo calore sanguinem in superiores partes duxisse, quod uerum esse fatemur. Philotheus de profluuio sanguinis hæc dicit, ἐπιφέρει δὲ καὶ αἱμοῤῥαγίαν ταῖς ἐπιτηδείως ἐχούσαις πρὸς αἱμοῤῥαγίαν διάθεσιν τῇ ἀνευρύνσει τῶν πόρων. idest, Infert autem & sanguinis profluuia ijs qui propensi sunt ad profluuij sanguinis affectum ex dilatatione meatuum.

Λειποθυμίας. idest, Animi deliquium.] Pluribus autem contingit animi defectus in balneis, & in calidarijs. Nos animo facillime deficimus, si in calidario commoremur, quoniam spiritus quos attrahimus, & qui cor refrigerare deberent, calidi sunt, & etiam quia ob calorem multi uapores caput petunt, & defectũ faciunt. Hippocrates uero non adeo se arctat, ut à Galeno & recentibus arctatur, ut animi defectum intelligat ob sanguinis multitudinẽ quæ exierit, quamuis ad copiosum sanguinis fluxum defectus consequatur: quod & Philotheus testatur dicens, ποιεῖ δὲ καὶ λειποθυμίαν διὰ τὰς αἱμοῤῥαγίας. idest, Facit autem & animi defectionem ob sanguinis profluuia. Sed hic Hippocrates (me iudice) de defectu, qui ad solam caliditatem consequitur, uerba facit. nam ex sola caliditate fit defectus, ut in multis uidere licet, qui calidaria, & tepidaria ipsa pati non possunt. Si quis uero dubitet quomodo ex cibis calidis hic defectus sequatur. Respondemus, ita sequi: leuiores humores gignuntur, qui in caput facile ascendunt, & spiritus multi calidi, qui cerebri uentriculos occupantes, animi defectum inducunt: quem defectum forte, & efficaciori etiam argumẽto ex spirituum resolutione, quæ à caliditate fit, induci dicere possemus.

Ταῦτα οἷσι θάνατος. idest, Hæc quibus mors.] uel, hæc ad quæ mors. ac si dicat, Ad hæc sequitur mors. Si uero petas, Ad quæ? Intellige, uel ad omnia, uel ad ultima: scilicet ad sanguinis fluxum, & animi defectum. nam ad nimium sanguinis defluxum sequitur mors, ad frequentem animi defectum mors sequitur, & ad utrunque simul eadem mors sequitur. Philotheus simpliciter omnia intelligit, inquiens: οἷσιν οὖν ταῦτα πάντα γίνεται τὰ εἰρημένα, θάνατος γίνεται. idest, Quibus igitur hæc omnia quæ dicta sunt, fiunt, mors continget.

GALENVS

De calidi & frigidi usu immodico & modico, dictum est sæpius in libro De usu humidorum. Dicta sunt autem & hoc in loco Aphorismorum omnia fere capita, & primum hoc ipsum, quod calidum si quis eo ultra modum utatur, has facit passiones, carnium effœminationẽ, hoc est debilitatem. Dictum est enim nomen per translationem, quoniam fœmina debilior est masculo, cui adstipulatur hoc quod subiungitur, Neruorum incontinentia. Hi enim fiunt imbecilles, eorum substantia à calore dissoluta: & mentis torpor; mentis est imbecillitas, ita scilicet substantia cerebri, sicuti etiam neruorum dissoluta. Eodem modo & calidi usus immodicus facit sanguinis profusiones. Sequuntur autem ad sanguinis profusiones defectus animi, & ad hos mors, sicuti & ad alia prius dicta, sed ad illa quidem tempore pluri, ad hæc quidem magis, ad hæc uero minus. Ad sanguinis uero profusiones, & mentis defectus, statim. Scriptus est autem finis aphorismi uario modo in exemplaribus. Scripturæ uero omnes, dictam sententiam ostendunt. Est autem una hæc, His mors: altera uero hæc, In quibus mors: tertia hæc, Quibus mors: alia, Hæc ad mortem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus refert in libro De usu humidorum, de calido & frigido, modicis & immodicis dictum esse: sed & in hoc loco omnia ferè capita tangit.

SECVNDO docet, si quis calido præter modum utatur, carnis effœminationem, id est debilitatem, incidit: nam ita per translationem dixit, quia fœmina est debilior mare. Quod legitur, Et primum hoc ipsum: in Aldino contextu ita habetur, καὶ πρώτην γε αὐτῶν. idest, & primum ipsorum. In nostro uerò antiquo contextu id præcise habetur, quod Leonicenus interpretatus est: scilicet, καὶ πρώτην γε τοῦτ' αὐτό.

TERTIO docet, neruorum incontinentiam fieri, neruorum substantia à calore resoluta, quod est aliud quàm à nobis in contextus expositione dictum sit. Intelligit enim per incontinentiam neruorum, id quod referebatur à Philotheo, imbecillitatē ipsorum. nam imbecilles fiunt, si neruorum substantia per caloris uim resoluatur.

QVARTO docet, per eandem causam mentis torporem fieri, à calido scilicet neruorum substantia dissoluta. Hicq; per torporem, imbecillitatem intelligit: sed nos ampliamus ad omnem cerebri uim, tam intellectiuam, quàm sensitiuam: quia re uera hæc omnia ab hac eadem causa fieri possunt.

QVINTO, usus calidi immodicus, sanguinis profluuia facit: quod intellige aperiendo, non dissoluendo.

Nota in hac parte multa uerba deesse. quū enim legitur, Eodem modo & calidi usus immodicus facit sanguinis profusiones: in contextu Græco prosequitur, ἐκείνοις δηλονότι ταῖς διαθέσεσι τοῦ σώματος, αἳ πρὸς αἱμοῤῥαγίαν ἐπιτηδείως ἔχουσιν. idest (si ad uerbum referamus) in illis uidelicet dispositionibus corporis, quæ ad profusiones sanguinis apte se habent, uel aptæ natura sunt. Hanc igitur partem post illam pone, quæ legit, Eodem modo & calidi usus immodicus facit sanguinis profusiones. deinde sequatur, Sequuntur autem ad sanguinis profusiones: & cætera.

SEXTO Galenus docet, animi defectum ad sanguinis profusionē sequi: quod quidem uerum est: sed nos putamus, Hippocratem de defectu loqui, qui calorem sequitur, & non de illo qui post sanguinis profusionem fit; quamuis dici posset, quod secundario ad calorem sequitur, & ad hæc duo mors.

SEPTIMO docet, quod ad omnia supradicta mors sequitur, ad nonnulla quidem breui, alia uero longiori tempore indigent: nam carnis effœminatio tarde mortem inducit, & cæteris tardius: similiter neruorum incontinentia tarde: mentis torpor, minus tarde: sed sanguinis profusio, & animi defectus, cito mortem inducunt. Hic autem de Leoniceno admiror, qui quum superius illam particulam λειποθυμίας, idest animi defectum interpretatus sit, hic mentis defectum interpretetur: cum mens & animus apud Platonem & ipsum Galenum non modice distent.

Deniq; Galenus in ultima aphorismi parte dicit, lectiones diuersas in sermone fuisse, sed easdem in re. hæ autem sunt: nam aliqui habebant, τούτοισι θάνατος, idest his mors: alij, ταῦτα ἐφ' οἷς ὁ θάνατος, idest hæc in quibus mors: alij, ταῦτα οἷσι θάνατος, idest hæc quibus mors: alij, ταῦτα εἰς θάνατον, idest hæc ad mortem. Tamen quicquid horum dicatur, quamuis uerba distincta sint, tamen id quod intenditur, unum esse oportet.

APHORISMVS XVII

FRigidum autem conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles.

BRASAVOLVS

QVVM de his malis quæ à calore fiunt, sermonem habuisset Hippocrates, nunc de his quæ à frigore innascuntur, sermonem habet. nam & frigidum ipsum mala affert, & multo plura quàm à calido fiant, & intensiora, etiam si frigidum sit intensius, de quo in proposito uerba facit. Ad frigus etenim conuulsiones sequuntur, distentiones, liuores, & rigores

& rigores febriles. nam frigidum neruos tendit, & membra, atque contrahit, spiritumque adeo mortificat, ut in carne liuentem colorem inducat. Philotheus eodem modo hunc aphorismum introducere uidetur, ut nos fecimus, inquiens, περὶ τοῦ θερμοῦ πρότερον διαλεχθεὶς, ὡς δραστικωτέρου ὄντος τοῦ ψυχροῦ, μέτεισι νῦν καὶ ἐπὶ τὰ πάθη τὰ γινόμενα ἐκ τοῦ ψυχροῦ ὕδατος. idest, quum de calido prius disputauerit, tanquam de eo quod efficacius est frigido: transit nunc & ad passiones ex aqua frigida factas.

Τὸ δὲ ψυχρὸν, idest, Frigidum autem.] Et hoc etiam denominatiue dixit, uel in concreto, ut rem frigidam intelligendā ostenderet. Nosque non restringimus ad solum aquæ frigidæ balneum: imò & communiter intelligimus de loco frigido, de potu & cibo frigidis: & in hoc Aphorismo præcedentis Aphorismi principium intellige, frigidum ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert.

Σπασμοὺς, idest conuulsiones.] Fiunt autem cōuulsiones ex frigore duobus modis: uno modo, quia frigus constringit, & humores intus congregat, qui neruos ingredientes conuulsiones inferunt: uel frigus ipsum rigorem & conuulsionem facit sua frigida qualitate sine materia congelans.

Τετάνους, idest distentiones] facit frigus, tum ex materia (ut dictum est) tum sine materia. Oribasius cum materia fieri intelligere uidetur, quia huius causam reddens, inquit, frigus conuulsiones & distentiones inferre, quæ ex eadem materia præcipue frigida oriuntur. Philotheus etiam ex plenitudine & siccitate conuulsiones & distentiones per frigiditatem facit, inquiens: διὸ τὴν πύκνωσιν ποιεῖται τῶν πόρων. τῇ πυκνώσει οὖν ἀποκλείονται τὰ περιττώματα, καὶ ἐντεῦθεν μὴ εὑρίσκοντα διαπνοίαν τρέπεται ἐπὶ τῶν νευρωδῶν μορίων, καὶ ποιοῦσι σπασμοὺς καὶ τετάνους τοὺς ἀπὸ πληρώσεως. ποιεῖ καὶ ἀπὸ ξηρότητος σπασμοὺς καὶ τετάνους εἰ τύχοι ξηρὸν καὶ ἀπερίττωτον εἶναι τὸ σῶμα, ὡς χωρῆσαι διὰ βάθους τὴν ψῦξιν. καὶ αὐτὴ γὰρ καταξηραίνει ὥσπερ ἐκπιέζειν καὶ ἐκθλίβειν δίκην σπογγιᾶς. idest, quoniam meatuum densitatem facit, densitate igitur excluduntur superflua, & hinc expirationem non inuenientia ad neruosas partes uertuntur, & cōuulsiones ac distentiones ex plenitudine facit. Facit & conuulsiones ac distentiones ex siccitate, si siccum & sine superfluitatibus esse corpus contigerit, ut frigus in profundum descendat: nam & ipsum etiam exiccat, & per poros transit, ac exprimit in morem spongiæ.

Μελασμοὺς, idest liuores.] secundum Theodorum & Leonicenum. tamen interpretari posset denigrationes, ἀπὸ τοῦ μέλας, μέλανος. nam Græci alio nomine liuores, ὑπώπια scilicet, appellant. Imò maculæ, quæ per totum corpus nigræ sunt, à Græcis μελανίαι, à Latinis nigrores uocantur. uidenturque Græci πελιώματα nuncupare, quæ nos liuores dicimus. At nos intelligimus liuores, idest liuidum colorē: sed liuores, à Græcis πελιώματα dicti, intelligimus nos uibices, idest percussionū uestigia. Intellige igitur denigrationes, quas ob frigus quandoque in tota carne fieri uidemus, quandoque hinc inde: fiunt uero (ut Oribasius dicit) quia quęcunque à calore relinquuntur, liuida efficiuntur, quale est cadauer hominis mortui. frequens enim frigus calorem expellit, & intus incarcerat, propterea frigore exteriores partes denigrātur. Aristoteles uero septimo Problematum libro, problemate primo, ita dubitat, Qua de causa qui rigent, liuidi efficiūtur. Respondet, an quoniam sanguis appulsu frigoris gelascit: gelatus autem nigrescit, propter caloris inopiam. Albedo nanque igni tribuitur: quapropter ijs maxime qui ætate processerūt, caro liuescit, eo quod calorem minimum obtinent: nosque hoc experientia uidemus, senes effici liuidos, & magis nigros, quàm quum erant in iuuenta. & ut breuibus expediamus, caro frigore nigrescit, & densatur. Philotheus liuorum causam ita reddit, ποιεῖ δὲ καὶ μελασμοὺς ὥσπερ καταψύχειν καὶ ἀποσβεννύειν τὸ ἔμφυτον θερμόν. ἢ διότι πυκνοῖ τοὺς πόρους, καὶ ἀποκλείει τὰ περιττώματα, ἅπερ ἀδιαπνεύστουντα σήπεται, καὶ ἀπὸ τῇ σήψει ὁ μελασμὸς ἐπακολουθεῖ, idest, facit autem & liuores, naturalem calorem infrigidans & extinguēs. uel quoniam meatus condensat, & superflua excludit, quæ non respirantia corrumpuntur, & ad corruptionem liuor consequitur.

ῥίγεα πυρετώδεα, idest, rigores febriles.] idest tales horrores (secundū Celsum) quales in febribus esse solent. In febribus autē materia supra musculos mota rigorem inducit: etenim illum motū facit, quo mēbra omnia concutiunt. Idem facit frigus, ut quisque in se

ipso expertus esse potest. Oribasius causam reddit, quia frigus superficiem condensat & calorem cohibet, propterea facit rigores. unde Galenus in quinto libro De symptomatum causis, rigorem ex frigore fieri testatur: imò non solum si sanus aqua frigida aspergatur, rigores incidit: sed etiam febre detentus, quamuis tanta caliditate uexetur, si aqua frigida aspergatur, aut nudus ad frigidum aerem ponatur, aut si in aquę frigidæ cisternam demergatur, hic rigores incidit. Ideo rigor ex frigore inducitur. Vnde & Aristoteles septimo Problematum libro, problemate sexto, rationem reddere uidetur, cur frigus rigores incitet: ubi dubitat, cur ut aqua frigida, sic etiã calida infusa horrescimus: hoc enim uidetur absurdum, res contrarias inter se, idem efficere posse. Respondet, an frigida infusa, calor interior extinctus horrorem mouet. calida autem frigus externum circum obsistens in unum, seq; profugũ inter colligens efficere idẽtidem potest. Quamobrem utrunq; ab eodem agitur, uerum aliàs ab interiore, aliàs ab exteriore, ut dictum iam est. Philotheus hanc particulam ita exponit, ποιεῖ δὲ καὶ ῥίγεα πυρετώδεα. τὸ μὲν ῥῖγος τῇ ψύξει, ὡς εἶναι αὐτῇ τῇ ἁφῇ γνώριμον. τὸν πυρετὸν δὲ κατὰ συμβεβηκὸς ἐπακολουθοῦντα τῷ ῥίγει. ἢ ὅτι ἀποκλειομένων τῶν πόρων καὶ σήψεως γινομένης, δάκνεται τὰ αἰσθητικὰ μόρια, κἀντεῦθεν κλόνος· κἀντεῦθεν ἐκ τοῦ κλόνου συνέλευσις τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ. κἀκ τούτου ῥῖγος. idest, Facit aut rigores febriles, rigorem quidem ex refrigeratione, sicut ipsi tactui notum est. Febrem autem secũdum accidens rigorem consequentem, uel quod meatibus occlusis & corruptione facta sensibiles particulæ mordentur: & hinc perturbatio: & ex perturbatione naturalis caloris unitus abscessus, & ex hoc rigor. Celsus de frigore loquens, capite nono primi libri, dicit, facere summam cutim pallidam, aridam, duram, nigram, ex hoc horrores tremoresq; nascuntur.

GALENVS

IMMODICVM scilicet frigidum hæc facit, conuulsiones & distentiones & neruorum refrigerationem. Sicuti enim non oportet ipsorum substantiam ab immodico calore dissolui: sic neq; ultra modum conuenientem refrigerari, & in unum cogi, ac cohiberi, & quidem liuores ex refrigeratione fieri, & rigores febres aduocãtes. Melius autem fuisset ita dicere, Rigores facientes, & conuulsiones, & liuores, & febres. Plenius autem de his seorsum diximus in libro De casuum causis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligẽdum sit per frigidum. Intelligere enim oportet frigidum immodicum, & quo ad intensionem, & etiam quo ad usum. sed ut sit magis conformis sententiæ præcedentis aphorismi: intellige quo ad usum.

SECVNDO docet, conuulsiones & distentiones ob neruorum refrigerationem fieri. nam sicuti à nimio calore neruorum substantia dissolui non debet, ita à nimio frigore refrigerari non debet, in unum colligi atq; cohiberi. hoc autem fit, uel ex ipsa qualitate hoc inducente, uel ex humoribus, qui ob frigus multiplicantur, tum quia uis concoctrix debilitatur, tum quia resolui non possunt debilitato calore.

TERTIO docet, ex refrigeratione omnino fieri, & rigores febres aduocantes. Hęc particula Et rigores febres aduocantes, in Aldino contextu, & in nostro antiquo, hoc modo scripta est, καὶ ῥίγεα καὶ πυρετοὺς ἐπικαλούμενα. sed antiquus noster aliam lectionem habet, & legit, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα ἐπικαλούμενα. idest, & rigores uocati febriles. Putamusq; hanc esse ueram lectionem & uerum sensum. nam dicere, rigores febres aduocantes, integrum sensum habere non uidetur. Id uero integrum sensum habet, Rigores uocati febriles. Et quod sequitur, ostendit hunc esse Galeni sensum: sequitur autem, quod febres à rigoribus tanquam quoddam diuersum distinguendas esse uelit, ut legatur, Rigores & febres.

Denique Aphorismum corrigit, iubens rigores à febribus distingui. nam frigus obstruens, & humores intus claudęns, & naturalem calorem debilitans febres facit. Ideo hoc modo intelligere oportet, Frigus, rigores facere, & conuulsiones, & liuores, & febres. Sed lectorem ad librum De symptomatum causis, remittit Galenus.

Quod legitur, Plenius autem de his seorsum diximus, in libro De casuum causis. hic deest una particula, scilicet Omnium. nam legi debet, In libro De omniũ casuum, uel

sympto

ſymptomatum cauſis. Græce enim habetur, ἔρχεται δὲ ἀπὸ πλείον ὑπὲρ ἢ τῶν συμπτωμάτων ἑκάστων αἰτίας, ἰδία.

APHORISMVS XVIII

Frigidum inimicum oſsibus, dentibus, neruis, cerebro, ſpinali medullæ. Calidum uerò utile.

BRASAVOLVS

IN HVMANO corpore omnia membra quæ ſeminalia uocantur, frigida ſunt. Frigus autem frigidis membris obeſt, quia illa mortificat, & modicũ illum calorem, quem habent, extinguit. propterea omnibus his frigidis membris frigus inimicũ eſt, quoniam illa mire lædit. Sunt uero membra hæc, quibus frigus aduerſatur, oſſa, dentes, nerui, cerebrũ, ſpinalis medulla, cartilagines, quas omiſit Hippocrates, utpote ſub neruis intelligendas. Calidum uero omnibus his membris utile, quia potius auget naturalem harum partium calorem, & ipſum conſeruat.

τὸ ψυχρὸν. idest, Frigidum.] Quodcunq; ſit, uel frigida aqua, uel frigidus locus, uel frigidus potus, uel frigidus cibus, uel quodcunq; aliud frigidum.

πολέμιον ὀστοῖσιν. idest, Inimicum oſsibus.] Dubitat uero Oribaſius, cum oſſa inſenſibilia ſint, quomodo inimicum habeant. Reſpondet, non ſolum ſenſibilia, ſed etiam inſenſibilia habere inimicum, ut eſt lapis qui ab igne corrũpitur, & alia eiuſdem generis, Redditq; uniuerſalem cauſam cur frigidum his noceat, quia, inquit, hæc ſuapte natura frigida ſunt, ideo frigus eſt illis inimicum, quia frigus frigore augetur. Quæ autem nimis augentur, ſuperflua fiunt, Superflua uero ægritudines gignunt, atq; ideo frigus frigori inimicum eſt. Si uero dicas, Hippocratis & Galeni propoſitionem eſſe, ſimile nutriri ſimili, ideo membra frigida frigido nutriri debent. Reſpondemus, id uerum eſſe, ſi illa in ſuo eſſe, ſuaq; natura conſeruare uelimus: ſed frigus debet eſſe proportionatum, & non auctum. Tamen medicus contendere debet omnia ad mediocritatem reducere, & id quod hæc membra nutrire debet, non eſt ſimpliciter frigidum. Philotheus hic dubitationem quandam refert, quæ ab antiquioribus mouetur. Dubitatio uero hæc eſt: ἀπορoῦσι δὲ τινὲς λέγοντες, ὅτι πῶς τὰ ὀστᾶ ἀναίσθητα φύσει ὄντα βλάπτονται ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ. καὶ φαμὲν ὅτι τὰ ὀστᾶ, κἂν φύσει ἀναίσθητά εἰσιν, οὐκ ἐστὶν ἀπαθῆ, ἀλλὰ ὁμοίως οὖν πάσχουσι φθορὰν, ὥσπερ καὶ λίθος πάσχει φθορὰν, καὶ φθείρεται, καὶ μειοῦται. idest, Dubitant uero quidam dicentes, Quomodo oſſa quum ſint inſenſibilia natura, læduntur à frigido? Et dicimus, quod oſſa & ſi natura inſenſibilia ſunt, non ſunt impaſſibilia: ſed eodem modo patiuntur corruptionem, ſicuti & lapis corruptionem patitur, & corrumpitur, & imminuitur.

ὀδοῦσι, idest dentibus.] ſcilicet frigus eſt inimicum, tum quia & ipſi frigidi, tum ob eorum ſenſum: nempe dentes ſunt oſſei natura, ſed unum habent, quod ab oſſium natura abeſt, ſentiunt. Quippe Oribaſius dicit, dentes noſtros uim quãdam inſitam habere, ut illa ſentiant quæ aſſumunt, adeo ut ſiue calidum ſit, ſiue frigidum quod aſſumunt, id ſentiant: unde inimicam habent frigidam, & ab ea læduntur. In dentibus enim eſt quædam medullaris ſubſtantia, quæ neruea uidetur, per illam dentes ſentire arbitramur, uel per complãtationem quam in gingiuis habent. Philotheus antiquorum dubium refert de oſſibus & dentibus, inquiens, εἶτα πάλιν ἀπορoῦσιν, ὅτι πῶς εἰπὼν ὀστέοις διεστείλατο, καὶ εἶπεν ὀδοῦσιν. μὴ γὰρ οἱ ὀδόντες οὐκ εἰσὶν ὀστᾶ; καὶ λέγομεν ὅτι ἔχουσι μὲν κοινωνίαν πρὸς τὰ ὀστᾶ. ἔχουσι δὲ καὶ διαφοράν. καὶ κοινωνίαν μὲν ἔχουσι, καθὸ παχεῖαν καὶ γεώδη ἔχουσι τὴν οὐσίαν καὶ στεγανὴν καὶ ξηράν. διαφέρουσι δὲ, ὅτι αἰσθάνονται, τῶν ὀστῶν ἀναισθήτων ὄντων. διὰ οὖν τοῦτο διεστείλατο τοὺς ὀδόντας τῶν ὀστῶν. idest Deinde iterũ dubitant, quomodo dicens oſſibus, diſtinxit, & dixit dentibus: num enim dentes oſſa non ſunt? Et dicimus, quod habent quidem communionem ad dentes: habent autem & differentiam. & communionem quidem habent, inquantum craſſam & terream ſubſtantiã habent & ſolidam & ſiccam. Differunt autem, quod ſentiunt, quum oſſa non ſentiant. ob hoc igitur diſtinxit dentes ab oſſibus.

νεύροισιν

νεύροισιν, idest neruis.] obest frigus: quia ut in præcedenti Aphorismo dicebatur, conuulsiones faciebat, & distentiones, frigusque facile paruum naturalem calorem neruorum corrumpit. Galenus in tertio libro De compositione medicamẽtorum κατὰ γένη, idest secundum genera inscripto, in libri fronte, ubi de uulneratorum neruorum curatione uerba facit, inquit: Rursum apud me contemplatus, frigidum fere ab Hippocrate neruis inimicum dici, optimum fore neruorum uulneribus intellexi, quod & siccaret, & caloris frigorisque particeps esset, uel parum ab horum medio ad calorem accederet. ideo & cum ossa uel nerui contecta sunt, in calido loco hi detinentur.

ἐγκεφάλῳ, idest cerebro.] Et partibus cerebro attinentibus, quæ frigidæ sunt, uidelicet suis pelliculis & tegumentis, ut sunt dura & tenella mirinx & cutis.

νωτιαίῳ μυελῷ, idest spinali medullæ.] Quæ & ipsa frigida est, & eandem fere naturam cum cerebro habet, imò ab aliquibus cerebri pars existimatur, ab alijs uero ipsius cerebri superfluitas.

τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον. idest, Calidum uero utile.] Vel calida aqua, uel cibus, uel quodcunque aliud prędictis frigidis membris utile est. Tu uero intellige quod sit frigus immodicum id quod obest, & quod sit calor frigori proportionatus is qui prodest, unde facta comparatione caloris ad frigus per gradus, licet in aliquo gradu noceat etiam calor, tamen frigus semper magis nocet, quàm calor. Tu hoc statim experiri poteris in dẽtibus, in ossibus, & in neruosis partibus, sed potissimum in dentibus, quibus res calidas applicare poteris & frigidas: sensu ipso persenties, à frigore magis offendi quàm à calore: & ita omnes enumeratæ partes, à frigore magis quàm à calore læduntur. Cur uero calor prosit, Philotheus per oppositum rationem reddit, inquiens, ὅτι ἂν βλάπτῃ ἡ ψύξις, ὠφελεῖ ἡ θερμασία. idest, quod si frigiditas offenderit, caliditas utilis est. At quomodo oporteat intelligere calidum docet, inquiens, πλὴν θερμὸν δεῖ λαμβάνειν, οὐ τὸ ἄμετρον, τοῦτο γὰρ καταλύει τὴν δύναμιν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ μεμετρημένον. idest, Præterea calidũ intelligere oportet, non immensum: hoc enim potentiam dissoluit, sed magis quod mediocritatẽ habet.

Huius aphorismi particulas omnes apud Celsum inuenire poteris, sed non cum hac continuatione, libro primo, capite nono: inquit enim, Frigus inimicum est seni, tenui, uulneri, præcordijs, intestinis, uesicæ, auribus, coxis, scapulis, natibus, ossibus, dẽtibus, neruis, uuluæ, cerebro. Ex his habere potes plura à Celso dici, quàm ab Hippocrate scripta sint.

GALENVS

QVÆCVNQVE partes sunt natura frigidiores, sunt autem in animalibus tales, quæcunque sunt penitus exangues, citius ac magis ab immodico frigidi usu offenduntur. Hisdem autem rationabiliter calidum conuenientius.

BRASAVOLVS

GALENVS in hac sua commentatione solum aphorismi causam reddit, quæ est, frigidas nostri corporis partes ab intẽso frigore, & ab eius longo usu offendi: his autem partibus rationabiliter prodest calor: in animalibus autem illæ partes frigidæ sunt, quæ sunt penitus exãgues, qualia sunt membra seminalia, ut ea quæ ab Hippocrate in aphorismo nominata sunt.

APHORISMVS XIX

QVæcunque refrigerata sunt, excalefacere oportet, exceptis his quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

BRASAVOLVS

VNIVERSALIS propositio est, Omnia quæ à temperamento, uel simplici, uel suo naturali recesserunt, ad proprium temperamentum reducenda esse: & ideo quæ tali frigore infrigidata sunt, ut à temperamento recesserint, ea calefacere oportet, non quidem nimis, sed ad eum gradum, ut ad naturale temperamentum deducantur

cantur. At unum casum excipit, in quo potius calor obest, etiam si calore indigeremus, scilicet quando uel sanguis fluit, uel fluxurus est, quia calor sanguinem prouocat, imò superius in aphorismo decimosexto prælecto dicebat, immodicũ calidi usum sanguinis profluuia inducere: propterea ne sanguis præter modum exeat, etiam si forte fortuna ratione frigidæ qualitatis inductæ calore indigeremus, calorem admouere non debemus. Et ideo hic aphorismus potius ab Hippocrate pro secunda parte positus est, quàm pro prima: nam quod refrigerata excalfacere oporteat, non solum ex communissima propositione habetur, Contraria cõtrarijs curari: sed etiam particulariter in aliquibus aphorismis positum est. Illud uero, quod calida admouenda non sint, ubi sanguis aut fluit aut fluxurus est, nusquã in aphorismis scriptum inuenitur, præterquàm in hoc loco: propterea Hippocrates primam aphorismi partem pro secunda descripsit. Philotheus dicere uidetur, reddi in hoc aphorismo præcedentis aphorismi causam, inquiens, ἐν γὰρ τῷ πρὸ τούτου ἀφορισμῷ ἔλεγε τὸ θερμὸν φίλον εἶναι ὀστέοισιν, ὀδοῦσιν, ἐνταῦθα καὶ τὴν αἰτίαν παραδίδωσι. idest, In eo qui præcedit hunc aphorismo calidum amicum esse ossibus, dentibus dixit: hic & causam præbet. Quod tamen ab Hippocrate fieri, nobis non uidetur.

ὅσα κατέψυκται. idest, Quæcunque refrigerata sunt.] Intellige quæ præter naturam frigida effecta sint, & suum temperamentum uersus frigiditatem exierit.

ἐκθερμαίνειν χρή. idest, Excalfacere oportet.] Nam solo calore ad suam naturalem temperiem deduci possunt, & contraria suis contrarijs ad temperiẽ naturalem deducuntur.

πλὴν ὅσα αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει. idest, Exceptis ijs quibus sanguis fluit, uel fluxurus est.] Ita habet noster antiquus contextus, & ita in suo Leonicenus habebat: sed Aldinus, Theodorus, & antiqua translatio legunt, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέειν μέλλει. idest, exceptis ijs quibus sanguis fluere debet. Vterque contextus uerus est, uel fluere debeat, & dubitamus si fluat, ne nimis abundet: uel actu iam fluat, calida admouenda non sunt. Scito tamen, si id membrum per quod sanguis fluxurus est, ex calefactione magis iuuaretur, quàm possit esse exitus sanguinis nocumẽtum, calidum admoueri deberet, etiam si exiret sanguis: propterea de sanguine copioso intelligit, & qui mortem inferre posset. Et ideo Galenus prope finem octaui libri De arte curandi, inquit, quando duæ intentiones oppositæ sumuntur, iubet illam relinquendam, quæ minorem molestiam inferre solet, uel potest, ut in hoc casu, Si profluuium sanguinis narium effatu dignum, magis periculosum sit, quàm inducta frigiditas, à calefactione abstinere oportet: quamuis intẽtio nostra sit ob inductam aliquam frigiditatem calefacere: nam ut Philotheus dicit, τὰ γὰρ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, πλὴν εἰ μὴ συμπτώματα ἕπεται. τότε γὰρ κώλυσις γίνεται τῆς ἐναντιώσεως. idest, Contraria enim contrariorum medicamina, præterquàm si symptomata sequantur; tunc enim contrarietatis prohibitio fit. Sed hic dubitare poteris, quia uidetur ubi sanguis fluit, nos potius calido quàm frigido uti debere: nam in extremo sanguinis fluxu, à quacunque corporis parte id sit, ad actualia caustica & potentialia deuenimus, ut restringatur, tamen calidissima sunt, utpote quæ ordinem quartũ caliditatis in aliquibus attingant: imò plerunque igne ipso actu utimur, & uel non potest, uel cum difficultate restringimus. Respõdemus, nos ad sistendum sanguinem solum calidis per accidens utimur, ut escara atque crusta inducatur, & magna exiccatio quæ foramen contegat, ex quo sanguis exit: tamen quantum sit de huius calidi ratione & natura, illuc potius materiam ducit, quàm repellat & adstringat. nempe eius adstrictio est exiccando & corrugando partes: utimur uero actuali igne uel potentiali, quando uel uena uel arteria ex magnis disruptæ sint.

GALENVS

HOC QVOD nunc dictum est haudquaquam euertit illud theorema, Contrariorum contraria esse remedia: de quo plenius diximus in eo tractatu qui De arte curatiua inscribitur, in quo ostendimus, aliud esse theorema maxime necessarium, illa prius curari præcipiens quæ magis urgent, hoc est, quæ maius periculum afferunt, sicuti & nunc profluuium sanguinis. Ad hoc igitur prius obsistẽdum est, deinde quod passum est ad bonam temperiem est reuocandum.

BRASAVOLVS

GALENVS in hoc commento dubium remouet, quia dictum est refrigerata non semper calefieri oportere, aliquis dicere posset. Igitur propositio illa uniuersalis semper uera non est, scilicet contraria contrarijs curari, nam in hoc casu uera non est. Respondet Galenus, hoc theorema uniuersale ob hunc casum non euerti, quia in eo sunt duæ intentiones, una calefaciendi, alia sistendi & claudendi: fit uero clausio per opposita instrumenta, quàm sit calor: ideo calore non indigemus in his, in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est. Tamen per hoc non remouetur, quod si frigiditas auferri debeat, calido non indigeamus: unde calido indigemus, ut frigus expellatur, sed illud euitamus, ne fluat sanguis: at frigus non sanatur, quamuis sanguis aut prohibeatur aut restringatur. De illo uero uniuersali theoremate, Contraria contrarijs curantur, in octauo De arte curandi libro Galenus abunde tractauit, in quo loco simul ostendit esse aliud theorema magis necessarium, quod est, Illa prius curanda esse quæ magis urgent, & quæ maius periculum afferunt, deinde quæ minus. Est autem in proposito maius periculū sanguinis profluuium, minus infrigidatio, ideo prius sistendus uel prohibendus sanguis, deinde uel membrum uel corpus, quod frigidum effectum est, ad temperiem reducendū, sed quod hoc magis urgeat, uniuersale theorema non tollit, Solum uero facit, quod per aliquod tempus postponitur.

APHORISMVS XX

VLceribus, frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones.

BRASAVOLVS

AB HIPPOCRATE superius omnia mala enumerata non sunt, quæ frigus inducere consueuit: propterea ab re non fuit illa in hoc loco referre. Est enim ulceribus mordax frigus, quoniam quum membrum ulceratum est, frigus intus penetrat, & continuum sine ordine soluit: non solum uero mordax est, sed obest ulceribus si intensum sit, cutem duram facit. nam frigidi est densare partes, & humidū quod in carne est, congelare: facitque dolores, qui non sinunt ulcera suppurari: quia calor adeo debilitatur, ut pus efficere non possit, in cute liuorem inducit, rigores febriles, conuulsiones & distentiones facit, ut superius in decimoseptimo aphorismo & dictum & declaratum est.

ἕλκεσι τὸ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες. idest, Vlceribus frigidum quidem mordax.] Est uero apud Hippocratem & Galenum ἕλκος, in carne hulcus, uel modo sit uulnus, uel pus habeat, uel non habeat. Sed Arabes hulcus uocant, quum pus adest: plagam uero sine pure dicunt, quod & apud Auicennam dictum reperitur. Philotheus exponit quomodo frigus sit mordax, inquiens, τουτέστι πληκτικὸν οὐ κατὰ πρῶτον λόγον, ἀλλὰ συμβεβηκός. πῶς; ὅτι τὸ ψυχρὸν αἷμα τῇ προσβολῇ πυκνοῖ, καὶ πίλησιν ποιεῖται, ἀποκλειομένων οὖν τῶν ἰχώρων καὶ λεπτοτέρων γινομένων, δάκνουσι, διὸ καὶ δακνῶδες εὑρίσκεται τὸ ψυχρόν. idest, Hoc est obstupefactiuum, non secundum primam rationem, sed secundum accidens. quomodo? quoniam frigidum impetu sanguinem densat, & constrictionem facit. obstructi igitur liqui di humores, & acutiores facti mordent: unde & frigidum mordax inuenitur. At quo modo frigidū uere mordax sit, Galenus libro quarto De simplicium medicamētorum facultatibus, capite primo diffusissime docet, ubi statim in capitis principio hunc aphorismum adducit, inquiens: Sic enim & illud ab Hippocrate dictum est, hulceribus frigidum mordax: tametsi cuti antequam hulceraretur, mordax nequaquam esset. Est uero & oculis & naribus & ori externis partibus animalis frigidum mordax, nec minus interius uentri & intestinis, ut difficile sit nonnūquam discernere: an à frigore quis an ab humorum mordicetur acrimonia. Causa uero quomodo mordicet, in eodem loco ponitur à Galeno, quia cum frigidum quæcunque contingit, eorum contrahat substantiam & condenset constringatque, primum tenues inde excernantur humiditates, necesse est, sicuti ex oculis lachryma, ex naribus mucus: postea uero etiam mordax apparet, licet alia

alia ratione quàm in calido. non enim erodendo quod continuũ est, sed diuellendo molestum, ac mordax est, frigidum. Multaq; eo loco de mordacitate, quã facit frigus, à Galeno referuntur. Post quæ hæc Galeni uerba consequuntur, Frigidum itaq; spiramenta cuncta in raris corporibus subiens, qualia sunt uulnerata omnia, oculiq; & nares, ac os, uenterq;, omnes refrigerandorum corporum partes arripit, & quodammodo multis circumquaq; ansis eas contrahens atq; condensans à continuis auellit; quæ dum patiuntur, multa fieri spatia inania necesse est, non tantum quia tenues exprimãtur humores, uerumetiam quia substantia mollis in arctum contrahatur. At qui spatium inane in sibi continuis corporibus, seruata etiamnũ continuitate, fieri non potest. Ergo si fieri id constet, clarum est illum deperdi, ac corpus continuum distrahi; ex quo molesta mordaxq; sensus exoritur affectio, ut ex his Galeni uerbis colligi possit, mordacitatẽ in ulceribus à frigido fieri, partes in arctum contrahente, & multas cõtinuitatis dissolutiones faciente. Idem Galenus libro primo De simplicium medicamentorum facultatibus, capite uigesimotertio, ubi probat, non omne quod est mordax esse tenuium partiũ aut calidum, & ideo illos reprehendit qui acetũ calidum putant, quia mordax: probatq; & frigidum esse mordax, Hippocratem in hoc aphorismo simul adducens: nam rara omnia corpora, & ulcera frigidum mordicat. Et ideo in ulcere (ut in tertio De arte curandi libro Galenus docet) simpliciter exiccandum est, sed an calefaciendum, uel refrigerandum, hoc ex affectione propinquæ carnis habebimus. Si enim nimis calefacta sit, frigido uti oportet: si infrigidata calido, quia intentio est carnem generare. Id uero fieri non potest, nisi caro sit in sua naturali dispositione cõstituta. Galenus deinde eodem loco docet, in simplici ulcere temperatis utendũ in actiuis qualitatibus, sed ad siccitatem dependentibus, in neruosæ partis ulcere ad caliditatem uergere debent, ut in libro περὶ ἑλκῶν superius citato uolebat Galenus, & in libris De arte curandi, sed ad temperiem in carnoso uulnere. Tamen aliqui casus esse possunt, in quibus frigus ulceribus non obest: ut Aetius libro nono, capite quadragesimoquinto ostendit, præsertim in dysenteria frigus non nocet, & in suis ulceribus: imò illo in loco pluribus frigidis utitur: quod & facit Paulus, & omnes alij antiquiores Græci.

Δέρμα περισκληρύνει. idest, Cutem obdurat.] Etenim frigidi natura est constipare, & meatus, quos Græci πόρους uocant, claudere: nam frigus ob inspissationem & congelationem, humidum exprimit, & ipsum ita siccum facit, ut frigoris tempore in argilla & luto contingit, quæ ob frigus, humidum in his corporibus clausum exprimens exiccantur. Quandoq; etiam frigus nõ exprimit, sed inspissat, ut in glacie facit. & per hos actionum modos, frigus cutem obdurat, cõdensans, & etiam cutis humiditates exprimens, atq; ipsas resoluens. Philotheus dicit cutem obdurare κατὰ λόγον τοῦ ἐναποκλύειν τὰ περιττά. πύκνωσιν γὰρ ποιεῖται τῶν πόρων τὸ ψυχρόν, τούτων ἀποκλυομένων, συνελαύνονται περὶ τὸ βάθος, καὶ πληθύνονται, καὶ ποιοῦσι πληθώραν ἐφ᾽ ἣ τείνεται τὸ δέρμα, καὶ τῇ τάσει σκληρύνεται. idest, ratione qua obstruuntur superflua: frigidum enim meatuum obstructionem facit. His igitur occlusis (uel obstructis) circa profundum coadunantur, & abundant, & plenitudinem faciunt, ex qua cutis extenditur, & extensione induratur.

Ὀδύνην ἀνεκπύητον ποιεῖ. idest, Dolorem insuppurabilem facit.] Nam per frigus caliditas extinguitur uel debilitatur: caliditas inquam quę ad ebullitionem exigitur, ut pus generetur: ad pus etenim generandum naturalis calor & præter naturam exiguntur, ut Galenus aphorismo quadragesimoseptimo secundi libri edocuit, in primo etiam Prognosticorum circa finem ad generandum pus calorem naturalem materiã superare uoluit: & in primo De differentijs febrium libro. Caliditas uero extinguit uel debilitatur frigore. Ideo in causa est, ut pus non fiat, tamen non impeditur quin exeat ἰχὼρ & uirulentia, sed pus uerum generari non potest. fit autem dolor ex frigore in ulcere, tum quia soluitur cõtinuum, & (ut dictum est) pars hæc frigore ulcerata mordicatur. Ex solutione uero continui dolor infertur, qui etiam ex frigida qualitate cõstringente & male afficiente fit: nam tactus instrumentum à frigore subito adueniente, adeo male afficitur, ut dolorem incidat. Philotheus exponit dolorem insuppurabilem: hoc est, τὰ ὀδυνηρὰ αἴτια ἀνεκπύητα. τὸ γὰρ καταψύχον τὸ ἔμφυτον θερμόν, καὶ ὑπὸ τούτου πολυχρόνιος γίνεται ἡ ὀδύνη. idest, Dolorosas causas insuppurabiles, calor etenim naturalis infrigidatur, & ex hoc

diuturnus fit dolor. Μελαίνει. idest, Liuorem obducit.] Quamuis contextus Aldinus legat μελασμοὶ, nos diceremus denigrationem obducit, de qua superius aphorismo decimoseptimo egimus, dicentes à frigore cutem & extrinsecas partes denigrante induci, imò & etiam intrinsecas, si ad illas usque perueniret, quando per cutem ad intimas partes penetrat.

ῥίγεα πυρετώδεα. idest, Rigores febriles.] De quibus aphorismo decimoseptimo egimus, idest rigores his similes qui in febribus effici solent. In illo autem loco Galenus ferè distinguere uidebatur & legere rigores & febres, hic uero istud non facit, & Hippocrates idem iterum repetit.

ποιεῖ σπασμούς. idest, Facit spasmos, quos Latini & conuulsiones & rigores uocant.

Τετάνους. idest, Distentiones.] Quæ à frigore fiunt, ut in præcitato decimoseptimo aphorismo abunde docuimus. Philotheus has particulas, quas superius Hippocrates in aphorismo decimoseptimo ponebat, non interpretatur, sed lectorem ad ea quæ ibi dicta sunt remittit. tamen differentiam facit harum particularum in præcitato aphorismo, & in isto, inquiens, hæc superius in expositione dicta esse, πλὴν ἐκεῖ μὲν ἄνευ τόπου πεπονθότος, καὶ ταῦτα ὑπετίθετο. ἐν τούτῳ δὲ μὲν ἐν τόπῳ πεπονθότι. idest, Quoniam uero illic quidem sine loco patiente, & hæc supposuit. Hic uero in loco patiente.

GALENVS

SI PROPRIO utamur uocabulo, calidum, mordax est. Sensus autem similitudine, & frigida aqua uocatur mordax, non cum in cutem simpliciter incidit, sed ulceratam. nam quod mordax futurum sit, eius quod morderi debeat substantiam oportet peruadere, quod in cute secundum naturam se habente frigida aqua non potest efficere, quoniam densior est quàm pro eius substantia cutis. In ulceratis autem, ut quæ rariora sunt peruadere potest per eorum substantiam in profunda subintrãs. Dictum autem est plenius de natura mordacium in libris De potentia simplicium medicinarum. Vlceratis igitur frigidum est mordax, integris autem neque mordax, & cutem facit duriorem eius densando substantiam. Et quidem dolorem efficit insuppurabilem, natiuum refrigerando calorem, qui ulcera ad suppurationem perducit, & ea difflari prohibet quę dolorem efficiunt. Quæ autem sequuntur, & prius dicta sunt ab ipso, & liuores, & rigores febriles, & conuulsiones, & distentiones.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, proprie à calore mordicationẽ fieri, in quarto autem De simplicium medicamentorum facultatibus libro, differentiam inter mordicationem caloris & frigoris ostẽdit. Propterea hic addit, quod per similitudinem sensationis, quam facit frigus ad mordicationem factam à calore, etiam frigida aqua mordax uocatur, ut hic Galenus per frigidum, aquã frigidam intelligere uideatur. Tu uero intellige, aquã frigidam mordacem esse, quando in cutem hulceratam inciderit.

SECVNDO docet, id quod est mordax penetrare debere, & ingredi illius substantiæ partes quam mordicat. hoc autem ab aqua frigida in nostra cute fieri nõ potest, nisi cutis hulcerata sit: quum uero hulcerata est, frigus per hulceris partẽ quæ est cute multo mollior, ingredi potest, & paruam continui solutionem atque inordinatã, in diuersoque situ inferre, unde & mordicatio fit.

Quod Leonicenus interpretatur Peruadere, Græce est διεξέρχεσθαι.

Quod legitur, Quoniam densior est quàm pro eius substantia cutis. Græce habetur ἐπειδὴ πυκνότερον, ἢ κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ τὸ δέρμα ἐστίν. idest, quoniam cutis densior est, quàm secundum ipsius substantiam. ac si dicat, aquam frigidam non mordere cutem, quia cutis durior est quàm aqua apta ad mordicandum, & eius substantiam peruadendam.

TERTIO concludit Galenus, hulceratis partibus frigidum esse mordax, non hulceratis autem, idest integris, ἀνελκώτοις ab ipso dictis, frigus non est mordax: tamen & partibus non hulceratis, sed mollioribus mordax est, ut in quarto De simplicium medicamentorum facultatibus, capite primo, à Galeno docemur. nam oculos mordet frigus, & nares.

QVARTO docet, cutem à frigore eius substantiam densante & poros constringente, duriorem fieri.

QVINTO rationem reddit, cur frigus insuppurabilem dolorem faciat. Insuppurabilem quidem, quia naturalem calorem refrigerat, cuius officium est hulcera ad suppurationem perducere. Dolorem uero facit, quia ea difflari prohibet, & ex cōsequenti partes extenduntur, & dolor efficitur.

Deniq; infert, Omnia illa quæ consequuntur, scilicet liuores, rigores febriles, conuulsiones, & distentiones: superius ab Hippocrate dicta esse Aphorismo decimoseptimo, & ab ipso eodem loco exposita.

APHORISMVS XXI

Est autem ubi in distentione sine hulceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat: calor autem hæc soluit.

BRASAVOLVS

ORIBASIVS admiratione afficitur, cur Hippocrates qui prius frigidum iurgijs fuerat prosecutus, nunc frigidam aquam collaudet. Respondet uero, esse magnorū atq; sapientum hominum morem, ut pòst laudent, quod ante uituperauerint. Ne quis ergo frigidum respuat, tāquam id quod nihil boni afferat, casum unum ponit Hippocrates, in quo frigus ualere potest. Cum aliquis iuuenis bene carnosus, in media æstate distentionem sine hulceratiōe inciderit, ex multæ aquæ frigidæ perfusione sanari potest, nam hæc frigiditas calorem reuocat: calor autem distentionem soluit. Hinc igitur uideri potest, maximam illam propositionem non corrumpi, Contraria contrarijs curātur: quia distentio quæ à frigore fit, primo & per se ab aqua frigida nō curatur, sed per accidens: per se autem, à calore reuocato. Vnde Oribasius dubitat, quum distentio à frigore fiat, cur à frigore sanari dicatur. Respondet, non quia frigus id faciat, sed quia calorem reuocat, qui id facit. nam quia hic iuuenis est, & quia media æstas, propterea euaporatio fit, & eius naturalis calor euaporat, & distentioni obuiare nō potest, sed aquæ frigidæ perfusione facta constringuntur & clauduntur meatus: qui clausi, calorem & ęgritudinem in unum congregant: calor uero congregatus affectionē tollit. Infertq; ipse omnem mutationem duobus fieri modis, aut à contrario, aut à simili: sed hoc, quod à simili curatio fiat, nūquam inuenietur (nisi per accidens) neq; in experientia, neq; ab Hippocrate uel Galeno usquam dictum. Philotheus ita hunc aphorismum introducit, ὅσα σπανίως ὠφελεῖ τὸ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἐν τῷ νῦν ἀφορισμῷ, καὶ τῷ ἐφεξῆς ὁ ἱπποκράτης διαλέγεται, καὶ πρῶτόν γε περὶ τοῦ ψυχροῦ. idest, Quibuscunq; calidum & frigidum raro utilia sunt, in præsenti aphorismo & in sequentibus Hippocrates disputat, & primum quidem de frigido.

ἔστι δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος. idest, Est autem ubi in distentione sine hulcere.] Noster antiquus contextus legit ἑλκώσιος, idest hulceratione: ut Leonicenus interpretatur: tamen idem est sensus. Scitoq; Hippocratem uti hac particula ὅκου, idest ubi: ac si dicere uelit, hoc non esse faciendum, tamen quandoq; esse aliquem casum, in quo fieri possit. Tamen Paulus Ægineta libro tertio, capite uigesimo, ubi de distentione atque aquæ frigidæ perfusione uerba facit, illam damnat. Hæc sunt Pauli uerba, Frigida porrò effusio (quemadmodum Hippocrates asserit) absurdissima, maximeq; temeraria est: & ob hoc à recentioribus (ut arbitror) reprehensa, etiam nos ipsi deuitamus: ut Paulus potius Hippocratem damnet, quàm eius sententiam probet. Tamen aquæ frigidæ balneum simpliciter non damnat, & in ipsa natationem, quam Græci ψυχρολουσίαν uocāt: ut ex eodem uidere licet libro primo, capite quinquagesimoprimo. sed solum hāc perfusionem in distentione damnat: hæcq; operatio si quandoq; fiat, tunc fieri debet, quando is qui distentionem habet, sine hulcere sit: quoniam (ut à Philotheo dicitur) ἐὰν γὰρ μεθ' ἕλκους ᾖ, οὐ μόνον οὐδὲν ὠφελεῖ, ἀλλὰ καὶ βλάπτει. διότι τὸ ψυχρὸν τοῖς ἕλκεσι πολέμιον, κἂν ἡ ῥώμη δυνάμεως. εἰ γὰρ ἀσθενὴς ᾖ, νεκροῦται. idest, Si enim cum hulcere sit, non solum nihil prodest, sed etiam obest: quoniam frigidum hulceribus inimicum, etiam si robusta sit potentia. Si enim debilis sit, mortificatur. Quod uero opus sit intelligere cum uirium constantia, ex hoc probat Philotheus, quia dixit, Iuuene. Verba eius hæc sunt: καὶ τὸν

ἐνεδείξατο διὰ τοῦ εἰπεῖν νέῳ, καὶ οὐκ ἄνευ σαρκὸς ἢ ὁ κάμνων. idest, Et hoc demonstrauit ex eo quod dixit iuuene, & non sine carne sit patiens.

Νέῳ εὐσάρκῳ. idest, Iuuene bene carnoso.] Quia existimare oportet, iuuenẽ multum calidi innati habere: & prȩsertim si bene carnosus fuerit: ut sit corpus quadratum, ita ab antiquioribus nuncupatum, in quo multa caliditas adest, quæ ab aquæ frigiditate percussa seipsam colligit, & ad intrinsecas partes repercussa distentionem soluit, quia materias illas distentionem faciẽtes resoluit. nam quia iuuenis erat, & bene carnosus, multam quidem habebat caliditatem, sed quȩ facile euaporaret. Philotheus dicit, non debere esse sine carne, ἵνα πολλοῦ ὄντος τοῦ διαστήματος, μὴ φθάσῃ μέχρι βάθους ἡ ψύξις, ἀλλὰ ἐπὶ τῆς ἐπιπολῆς. idest, Ne multa existente distantia, frigiditas usq; ad profundum perueniat, sed in superficie stet.

Θέρεος μέσου. idest, Æstate media.] Quando (inquit Oribasius) sunt dies caniculares, nam & tunc maxime euaporat caliditas, quæ per aquam frigidam repercutitur, & colligitur. Philotheus dicit, oportere esse æstate media, ἵνα ἡ ἀπὸ τοῦ περιέχοντος θερμασία συμβάλληται. idest, Vt ab aere circumdante caliditas adiuuetur.

Ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις. idest, Infusio multæ frigidæ.] scilicet aquæ. Theodorus, & Leonicenus complicant illam particulam πολλοῦ cum illa κατάχυσις, ut dicant, multa infusio frigidæ. Tamen Hippocrates (ut legenti patet) applicat illam particulam πολλοῦ illi ψυχροῦ, ut dicat, multæ frigidæ, & aqua frigida exigitur, & multa. nam si esset pauca, calorem simul non coadunaret.

ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται. idest, Reuocationẽ caloris facit.] Nam calor suum contrarium sentiens uires colligit, & in unum adunatus atq; reuocatus, hanc affectionem sanare potest: quam prius sanare non poterat, quia difflatus erat: & per totum dispersus. Eandem ferè causam reddit Philotheus, inquiens, πυκνοῖ γὰρ τοὺς πόρους τὸ ψυχρόν, καὶ τούτων πυκνουμένων, μὴ εὑρίσκων διαπνοίαν τὸ ἔμφυτον θερμόν, πολυειδῶς κινεῖται, καὶ οὕτως ἐκθερμαινόμενον χωρεῖ παρὰ τὰ ποιητικὰ αἴτια τοῦ τετάνου, καὶ λεπτύνει αὐτὰ καὶ κενοῖ, καὶ ἀπαλλαγὴν ποιεῖ. idest, Frigidum enim densat meatus, & his condensatis naturalis calor expirationem non inueniens multipliciter mouetur, & ita procedit calefactus scilicet calor naturalis ad causas distentionis opifices, ipsasq; attenuat, & euacuat, & liberationem facit.

Θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται. idest, Calor autem hæc soluit.] Nam distentio calore sanatur, uel naturali, uel præter naturam, ut Hippocrates distentionis curam, & curæ rationem describat. Notaq; hunc esse Hippocratis ordinem. Morbus est distentio sine hulcere, quia frigidum hulceribus mordax, ut superius dictum est: qui morbum patitur iuuenis est, ut sit calidus secundum qualitatem & quantitatem, & sit bene carnosus: in quo calor multus, ne à multo frigore extinguatur. Tempus sit æstas media in quo homo facilius absq; nocumento frigiditatem ferre potest, quæ à temporis calore corrigitur: tunc istum multa frigida aqua perfunde. ex hoc statim quid sequatur, docet, à tali frigore naturalis calor reuocatur, qui ad exteriora tendebat. Reuocatus autẽ distentionem sanat, materiam frigidam ex qua fit, resoluens. Celsus capite nono primi libri de aquæ frigidæ infusione uerba faciens, inquit articulorum doloribus ualere, qui sunt sine hulceribus. de conuulsione uero, aut distentione nihil dicit. Tamen quod hic ab Hippocrate dicitur τέτανος, idest distentio & rigor, quamuis sit una conuulsionis species, tamen in omni specie hoc intelligere oportet. uerba aũt Celsi de aquæ frigidȩ infusione hæc sunt: aqua uero frigida infusa præter quàm capiti etiam stomacho prodest, item articulorum doloribus qui sunt sine hulceribus, item rubicundis nimis hominibus si dolore uacent.

GALENVS

QVÆ RARO iuuent frigidum, ac calidum, post ea quæ ante dixit Hippocrates deinceps prosequitur, & primum quidem de frigido inquit, sicuti in distentione. Liquet autẽ quòd & in omni alia conuulsione in medio æstatis tempore cum bene carnosus fuerit æger ac iuuenis, frigidȩ aquæ perfusio calorem reuocans naturalem, passionem sanet. Vnde & illud fit manifestum quòd non sua ui frigida aqua morbum tunc sanat, sed ex accidenti, quoniam iuuenibus bene carnosis reuocationem caloris facit. In alia igitur ætate nil proderit, quoniam neq; reuocationem efficit, quando neq; in hac ullo anni tempore, præterquàm æstate media. Nam aquæ frigidæ occursus, aut uincit natiuum

tiuum calorem, aut colligit. Vincit quidem cum debilis fuerit. Colligit autem cum fortis, ipsum difflari prohibens. Excipit autem eas quæ sunt cum ulcere conuulsiones, ut quæ nunquam ab aqua frigida sanari queant, neq; si eger iuuenis, & natura calidus fuerit, & æstiuo anni tempore, ac regione calida, quoniam (ut & ipse antea dixit) ulceribus frigidum mordax dolorem insuppurabilem facit. His igitur qui in ulceratione conuelluntur ob neruosorum corporum inflammationẽ, contrarium uehemẽter est frigidum, ut quod neq; ulcus sedet, neq; corporum neruosorum dissoluat inflammationem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus Hippocratis intentionem ponit, nam cum de calidi & frigidi nocumentis superius pertractauerit, nunc de suis iuuamentis prosequitur, sed de his præsertim, quæ ab eisdem qualitatibus raro iuuantur. Primo autem de frigore inquit, quod in omni conuulsione, in æstate, iuuene bene carnoso, aquæ frigidæ perfusio naturalem calorem reuocat, & naturalis calor passionem sanat.

Quod legitur, Frigidæ aquæ profusio calorem reuocans naturalem, passionem sanet, in una nostri antiqui contextus lectione eodem modo legebatur, ἡ τοῦ ψυχροῦ κατάχυσις ἐπανακαλοῦσα θέρμης ἐργασαμένη θεραπεύσει τὸ πάθος. In alia autem lectione ita habetur, ἡ τοῦ ψυχροῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιησαμένη θεραπεύει τὸ πάθος. Quamuis contextus Aldinus legat, θεραπεύσει, tamen in sensu hi contextus nihil differunt, licet unus sit in præsenti, & alter in futuro.

SECVNDO docet, non sanari distentionem ex ui aquæ frigidæ, nisi per accidens, quia in iuuenibus bene carnosis calorem reuocat, & ideo in aliis ætatibus non prodesset, quia in ipsis caloris reuocatio non fieret, sed potius extinctio; & hoc etiam in sola æstate fieri potest & debet.

TERTIO huius rei causam assignare uidetur, quia frigida aqua quę corpori nostro occurrit, aut naturalem calorem uincit, aut ipsum colligit. quando calor debilis est, uincit: quando intensus, ipsum colligit. ideo uero colligit, quia difflari non sinit, & spargi.

QVARTO docet, ab Hippocrate conuulsiones cum hulcere excipi, quoniam eas ab aqua frigida sanari impossibile est, quamuis iuuenis sit, is qui patiatur, & in media æstate, & natura calidus, & in calida regione, & omnia breuibus sint calida, & hoc ob nullam aliam causam est, nisi quia frigidum hulceribus mordax est.

Denique infert, conuulsis cum hulcere frigus ualde obesse, ob duas causas: una est, quia hulcus non sedatur: alia, quia non dissoluit neruosorum corporum inflammationem. Ex his omnibus colligere potes, quàm facile id argumentum soluatur, quod ex hoc aphorismo sumi potest in illa questione, an contraria contrariis curentur. Arguunt nonnulli uniuersale illud theorema ob hunc aphorismum non esse uerum, quia simile simili hic sanatur: sed mentiunt, quoniã sanitas à calido per se fit, à frigido per accidens.

APHORISMVS XXII

Calidum suppuratorium non in omni hulcere, magnum ad securitatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat: rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: & ex his quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem. Plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipue, eorumq; maxime qui in capite hulcera habent: & quæcunq; à frigore moriuntur, uel hulcerantur: & repentibus comesis: sedi, pudendis, utero, uesicæ, his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

BRASAVOLVS

EA IN hoc Aphorismo ab Hippocrate describi putat Galenus, quibus calor prodesse solet, non tamen semper. Propterea dicit calidum pus quidem inducere, at non in omni hulcere. Mihi uero potius dicendum uideretur, illa ab Hippocrate doceri, quæ à calido efficiantur, uel semper hoc fiat, uel non semper, nam aliqua sunt ex his, quæ enu-

merabit, quæ semper fient: alia, quæ non semper. Est igitur calidum suppuratoriũ, nam ad pus conficiẽdum, naturali calore, & præter naturam indigemus, tamen nec semper, nec in omni hulcere pus facit, ut mox edocere studebimus. estq; magnum indicium securitatis. cutem mollit calor, uel aqua calida. nam cutem rarefacit, & humidam materiam quæ in cute est, liquefacit, & ad circunferentiam ducit, tamen non resoluit: ideo & extenuatur, & mollior fit à calido cutis: sedat quoq; dolorem, præsertim ex frigore factum, rigores etiam mitigat ad frigidas materias consequẽtes, quæ supra musculos mouentur. Conuulsiones, & distentiones remittit. quoniam à frigida materia & pituitosa oriuntur, quæ calore resoluitur. At ad capitis partes descendentes, calor capitis grauitatem soluit, materias illas attenuãs, & in nihilum redigens, quæ ipsum graue reddebant. erant uero humidæ potissimum materiæ & uaporosæ. Adde, calorem ossium fracturis plurimum prodesse, sed potissimum quando ossa nuda extiterint, & id maxime si capitis ossa fuerint: unde chirurgi non ab re in calidiori loco eos seruãt, quibus capitis ossa detecta sint. nam calor non solum ad consolidationem disponit: sed etiam dolores mitigat, si qui adsint, & caput à frigoris læsione præseruat. Calidum etiam omnibus partibus, quæ à frigore interficiuntur, & hulcerantur prodest: prodest & repentinis hulceribus, & comesis. nam in his materiam resoluit, & naturalem calorem uiuificat. Deniq; calidum sedi confert, pudendis, utero, uesicæ. frigidum uero his partibus aduersatur, & eas non mediocriter lædit, quoniam & ipsarum substantia frigida est.

Τὸ θερμὸν ἐμπυητικόν. idest, Calidum suppuratorium.] Sunt qui de aqua calida solum intelligãt, sed tu simpliciter in omni calido tam potẽtiali, quàm actuali accipere debes: omne calidum suppuratorium est, idest aptum ad mouendum & generandum pus. etenim ad pus conficiendum calore indigemus, sed non ualde intenso, imò naturali proportionato, & tunc hic calor pus facit, quod est album, æquale, & lene: at non potest fieri tale pus, nisi naturalis calor intersit, qui etiam adeo efficax sit, ut materiã quæ in pus transit, maturet, & eam ad benignum ducat. & ideo Galenus libro quinto De simplicium medicamentorum facultatibus, ubi probat, quod pus mouentia, etiam emplastica sint, calorem ponit, ut unum ex his quæ pus mouent, & faciunt. Si uero dicas, fieri posse, materiam illam quę pus efficitur, biliosam esse & calidam, propterea calidam illi non competere. Respondemus, Hippocratẽ ita intelligendum esse, quod calidum hoc facit, quãdo nihil est prohibens. In proposito uero humor biliosus hic prohibet, ne calidum illi applicemus. uel etiam dici posset, si Hippocrates de calida aqua intelligatur, quod ipsa infrigidat, & tenuem illum humorem cogit ac coadunat, ut substantiã quæ uerum pus sit, & nõ uirulentia, reddat. Philotheus calidum suppuratoriũ dicit, ἐπειδὴ τὸ ψυχρὸν ἀνεκπύητόν ἐστιν, ἄλλως τε τὸ θερμὸν ἀραιοῖ τοὺς πόρους, καὶ χύσιν ποιεῖται ὑλῶν, μεταβάλλει καὶ ἀλλοιοῖ καὶ πέττει καὶ προσκαλεῖται τὸ ἔμφυτον θερμὸν, καὶ διὰ τοῦτο ἐκπυητικόν ἐστιν. i. quoniam frigidum non suppuratoriũ est, & alioqui calidum laxat poros, & materierũ effusionẽ facit, commutat & alterat & concoquit & euocatur naturalis calor, & ob hoc suppuratorium est.]

Οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην. i. non in omni hulcere magnum signum ad securitatẽ.] Vnde non omnia hulcera sunt ob calidum secura, tamen in multis hulceribus est signum magnũ ad securitatem. Si quis autẽ petat quod hulcus illud sit, in quo pus non est ad securitatem, imò & si optimum sit pus. Pro nobis respondebit Galenus septimo Aphorismorum libro, aphorismo decimoquinto, esse hulcus pulmonis, in quo calidum non est suppuratoriũ, imò suppuratio huic plurimum obest. Adde quod hic ab Oribasio dicitur, non ualet etiam calidũ in recenti uulnere. cum enim calor calori additur, maior putrefactio consequitur, & ex calore etiam in maiori copia exiret: sed postq; steterit uulnus, & doluerit, calida purgat & reparatur. Galenus uero intelligit, calidum pluribus hulceribus obesse, & etiam non suppurare. Hæc aũt sunt omnia hulcera putrida, & simpliciter omnia quę fluxiones habent. Vnde Galenus hæc duo simul nectit, nocere, & non suppurare, sunt mala in hulceribus signa, & nõ secura. Reliqua autem duo quæ sequũtur, prodesse scilicet & suppurare, maxima sunt ad securitatẽ indicia: debẽtq; hæc duo nõ solum ad pus coniungi, sed etiam ad medicamen, quod id efficere aptũ est. Quæ uero sint hæc hulcera, quæ ad suppurationem non ueniãt, Galenus in Commẽto refert, & nos ipsa ibi perpẽdemus. Nunc uero molestum nobis non erit, quid de hac re

sentiat

sentiat Philotheus afferre.inquit ipse, πλὴν οὐκ ἐν παντὶ ἕλκει, ἀλλ' ἐν τῶν ἀσυνθέτων ἑλκῶν, τουτέστιν χειρόνων, οὐκ ἔστι ἐκπυητικόν, ἀλλὰ μᾶλλον καὶ βλαπτικόν. τὸ γὰρ θερμὸν τοῖς μὲν μετ' ἐπιῤῥοίας ἕλκεσιν, ἐπιτείνει τὴν ἐπίῤῥοιαν τοῖς ἄλλοις συνθέτοις, καὶ ἔτι ἐπιτείνει τὴν σηπεδόνα, λοιπὸν ἐν τῶν ἁπλῶν ἑλκῶν, ἐκπυητικὸν τὸ θερμὸν, καὶ μέγιστον σημεῖον ἐπ' ἀσφαλείᾳ, τουτέστι μέγιστον, καὶ ἀσφαλέστερον σημεῖον δεῖ τὸ πύον τὸ τοῖς ἕλκεσι ποιεῖν ὑγίειαν μέλλον πεπαῦσθαι. idest, uerũ non in omni hulcere, sed in non compositis hulceribus, hoc est peioribus, non est suppuratoriũ, sed magis offensiuum. Calidum enim hulceribus habentibus affluentiam, alijs compositis affluentiam intendit: intendit etiam putrefactionem. Reliquum in simplicibus hulceribus calidum suppuratorium, & maximũ signum ad securitatem: hoc est, maximum & securissimum est pus quod debet sedare hulcera, & sanitatem inducere.

δέρμα μαλάσσει. idest, Cutem mollit.] Recentes intelligunt, cutem mollit sine dolore: sed reuera duo distincta sunt, cutem emollire, & sedare dolorem. & ita Hippocrates intelligit. Sed nõ solum cutem, imò & alias corporis partes emollit. Calor autem hic mediocris esse debet, quia si intentus esset, non emolliret, imò exiccaret, corrugaret & exasperaret partes. Calor uero ad se humidum trahit, & ipsum rarefacit; tamen manus in aqua ualde calida lotæ, asperiores fiunt: molles uero in mediocriter calida, ut experientia docet. & hoc ob prædictam rationem.

ἰσχναίνει. i. extenuat.] Vel intellige cutem, uel simpliciter totum corpus calidum extenuare intellige, quia calidi natura est resoluere: uel simul applica (ut Theodorus facit) dolorem extenuat: tamen est una per se particula illa sedatiuũ doloris. Galenus uero applicat hanc particulam ad cutem: ut intelligat, extenuat cutem crassatam. Si uero dicas, quomodo extenuat, quia materiã trahit quæ potius incrassatur? Respondemus, ꝙ materiam quidem attrahit, sed illam etiam attenuat. Philotheus has duas particulas ita exponit, ἐὰν μὲν οὖν πληθωρικὸν τὸ σῶμα, χύσιν ποιοῦν μαλάσσει, εἰ δὲ ἀπέριττον, ἰσχναίνει. i. siquidem igitur corpus repletũ sit, effusionem faciens emollit: si uero sine superfluitatibus, extenuat.

ἀνώδυνον. idest, Sedatiuum doloris.] scilicet est calor, & uere dolorem sedat, quia materias resoluit, quæ dolorem faciunt. Si uero frigus dolorem sedet (modo non sit à bile) id stupefaciendo facit. Recentes hanc particulam superioribus complicant, ut hoc modo dicant, cutem mollit & extenuat sine dolore, tamen (ut intelligẽti uidere licet) alter est Hippocratis sensus. Philotheus dicit, τῇ διαφορήσει ἀνώδυνον, ἐπειδὴ τὰ ποιητικὰ αἴτια τῆς ὀδύνης κενοῖ. idest, Discussione sedatiuũ doloris, quoniam effectrices doloris causas euacuat. Oribasius uero ita uidetur intelligere, cutem mollit, & extenuat, & aliquando sine dolore rumpit, tamen ipse hoc de se addit, quia deinde particulariter hanc particulam ponit, dolorem sedat, nam calor mediocris dolorem mitigat.

ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν. idest, Rigorum, conuulsionum, distentionum mitigatiuum est.] Quia hæc à frigida materia oriuntur, quam calor resoluit, cutis meatus aperiens, ac materias illas educens, quę rigores, cõuulsiones, & distẽtiones faciunt. Hæc uero sanantur, uel mitigantur ea calidæ aquæ ablutione. unde Galenus ab extrinseco fieri dicit. Sed aliquis de conuulsione ex inanitione ambigere posset, quæ calido augetur. Respondemus, calido mitigari, nam calida aqua humectat. Philotheus dicit, hæc à calore mitigari, διότι κατ' ἐναντίωσιν τῶν παθῶν πρόσεστιν. idest, Quoniam per contrarietatem passionibus præsunt. Postea de rigore per se differit, addens, καὶ μὴν καὶ ῥιγέων, διότι τὴν ὕλην τὴν ποιοῦσαν τὸ ῥῖγος κενοῖ. idest, Et præterea rigorum, quia materiam facientem rigorem uacuat.

τῶν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ. idest, Eorum autem quæ ad caput attinent.] Hæc particula est tanquam inscriptio eorum quæ sequuntur.

καρηβαρίην λύει. i. grauitatem soluit.] scilicet capitis. nam grauitas potissimum à crassa materia uaporosa infertur, quæ à calido resoluitur. Quod si dicas, calidũ magis attrahere, & potissimũ materias ad caput. Respõdemus uerũ esse: ideo nos non uti calido in capite, nisi uniuersales euacuatiões precesserint. tũc enim solũ resoluit, & nõ attrahit. Philotheus dicit grauitatẽ capitis soluere οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν τονώδη ὀνομαζομένην, τὴν ὑπὸ πνευμάτων πολλῶν γινομένην. ἀραιοῖ γὰρ τοὺς πόρους τοῦ δέρματος, καὶ διαφορεῖ τὰ πνεύματα, καὶ παύει τὴν κεφαλαλγίαν. idest, Non omnẽ, sed eam quæ uocatur tonodis, idest intensiuam, à multis spiritibus factam. etenim cutis meatus relaxat spiritusq́ discutit & dolorẽ capitis sedat.

πλεῖσον δὲ ἀφελέει ὀσέων κατάγμασι. idest, Plurimum autem fracturis ossium confert.] Quod potissimum intelligere oportet, quando ossa fuerint denudata: ut ipse dicit, Μᾶλλον δὲ τοῖσιν ἐψιλωμένοισι. idest, Maxime autem denudatis.] Quia uehementius à frigido offenduntur, & à calido reparātur. Nec dicere conuenit, frigus ossa duriora reddere, quia ipsa frigidissima facit, ideo potius offendentur. Oribasius hic dicit, tripliciter contingere ossa frangi: aliquādo enim rumpitur cutis & os, sed os non exit: aliquando rumpitur cutis, & simul os ac medulla foras erumpit, unde spes nulla est: aliquando uero non rupta cute ossa franguntur. in istis ergo fomētationes adhibere oportet. Nos uero de ossium fracturis statim uerba faciemus, si prius Philotheum huc adducamus, & alteram aphorismi particulam adducamus. Philotheus ergo ossibus conferre dicit, ἐπειδὴ παρηγορικὸν καὶ φίλιον. διὰ τί; τὸ γὰρ ψυχρὸν ὀσέοις καὶ ἕλκεσι πολέμιον. idest, quoniam mitigatiuū & amicum. propter quid? quoniam frigus ossibus & hulceribus inimicum. Τουτέων δὲ μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι. idest, Horum autem maxime qui in capite hulcera habent.] Quia hæc capitis ossa detecta periculosiora sunt, propterea calidum illis prodest; nam si calor adsit, dolorem mitigat, à frigore præseruat & roborat: unde illi in tepidario seruantur, qui caput uulneratum habent, & os detectum. Κάταγμα & ἄγμα, à Græcis ossium fractura uocatur, sed in caluaria præsertim intelligitur, Latine dici potest ossis capitis fractura, uel caluariæ fractura. Plura sunt apud Græcos specierum fracturarum ossium nomina, quàm ut Latine referri possint. Etenim ῥωγμὴν appellant scissuram per longum factam, uel superficialis sit uel profunda, modo os non transmutetur: Latine dici potest, rima. Si adeo arcta sit hæc rima, ut uisum effugiat, uel ægre uideatur, à Græcis τριχισμὸς, & etiam τριχίασις dicitur: nostri recentes, scissuram capillarem uocant. At si scissio facta sit, in qua os quod læsum est, fractum sit, à Græcis dicitur ἐκκοπή: Latini dicere possunt, effractionem. Si uero quādoque accidat, ut os confractum ab alio osse recedat, à Græcis ἀποσκεπαρνισμὸς nuncupatur, à securi nomen habent: quoniam qui securi percussi sunt, ita ossis ablatam partem habere uidentur: nos ossis ablationem dicere possumus. Quando uero os in multas paruas partes adeo effractum sit, ut hæ particulæ usque ad duram miringa pertingant, ἐκπίεσμα nominatur: nos fractionem in minutas partes, dicere possumus. A Græcis ἐγγίσωμα uocatur, quando os superius læsum est, sed in parte inferiori, quæ duram miringa pertingit, læsum non est. Quando uero accidit unam caluæ partem percuti, & alia pars frangatur, ἀπήχημα à Græcis dicitur. Verum de hac re non mediocris quæstio est, quoniam tam inter recentes, quàm inter antiquos aliqui fieri posse, alij fieri non posse contendunt. Quum etiam os non frangitur, sed ad interiora curuatur, à Græcis dicitur θλάσις, à nostris contusio dici posset. Hæ sunt fracturarum species, quæ in capitis ossibus, idest in calua fieri contingunt. De quibus, & omnibus simul aliorum ossium fracturis, Celsus octauo libro agit: in quo loco, omnes aliorum ossium fracturas ad tria fractionum genera deducere uidetur, inquiens, Omne os modo rectum, ut lignum in longitudinem finditur, modo frangitur transuersum, interdum obliquum, atque idipsum nonnunquam retusa habet capita, nonnunquam acuta, quod genus pessimum est. Tamen Græci authores his fracturis sua peculiaria nomina imposuere. Etenim quādo os per transuersum scinditur, quod secūdum ossis crassitiem fit, Græci hanc fractionem uocant συκηδὸν, ῥαφανηδὸν & καυληδὸν, nomina à raphano, caule & cucumere accipientes, quando per transuersum franguntur. His fere nominibus usus est Auicenna, & in suam linguā transtulit: sed eius interpres fractionem hastalem, raphanalem & arundinalem uocauit. Si uero ossis pars ab osse auferatur, à Græcis ἀπόθραυσις & ἀποκοπή, à nostris ossis partiuncula ablata uocatur. At si os per longitudinē findatur, tamen per os totum non extenditur, à Græcis dicitur σχιδακηδὸν. Arabes, præsertim Auicēna, & recentes, linealē uocant, quādo fit ossis scissio secundū aliquam partem ossis rectam, deinde in fine curua sit, ut si lunæ formam præ se ferret, lunaris dicitur: à Græcis uero, καλαμηδὸν. Quādo ossis solutio in multas paruas & tenues partes fit, ab Auicenna & recentibus sanchia dicitur: à Græcis uero, καρυηδὸν, & ἀλφιτηδὸν. Hęc sunt nomina fracturarū ossiū in alijs partibus à calua. Possent & in hunc ordinē adduci diuisiones illæ, quū os ab osse separat̃, cui natura coniunctū erat, à Gręcis hæ separationes ἐξαρθρήματα, ἐξαρθρώσεις, ἐκπτώματα, ἐκπτώσεις nūcupant̃, de quibus in præsenti agere

ti agere non decreuimus. quamuis & calidum omnibus his conferat, & amicum sit.

Καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει, ἢ ἑλκοῦται. idest, Et quæcunque à frigore moriuntur, uel hulcerantur.] Hæc enim quæ ob frigus deperduntur, uel hulcerantur, calido sanantur: quod etiam paulatim applicari debet, & non semel intẽse. In his qui à frigore hulcerantur, multus dolor infertur, qui paulatim calore sedatur. Tamen experiẽtia docet, in pernionum hulceribus summum calorem prodesse. Quandoque ob frigus pars aliqua nostri corporis adeo perit, ut uiderimus aliquos qui ob ingens frigus sensum & motũ, uel alicuius brachij, uel cruris amiserint, & qui nunquam conualuere. Calore etiam per gradus accepto, uiros quoque ex frigore mortuos uidimus, & alios totos mutilos. Philotheus dicit, calorem his conferre quæ à frigore moriuntur & hulcerantur, ὡς γὰρ ἐν χειμῶνι πτέρναι καὶ δάκτυλοι ὠφελοῦνται ὑπὸ τοῦ θερμοῦ τῇ ἐναντιώσει. θνήσκει δὲ λέγει, τὸ ἐπικινδύνως καὶ χαλεπῶς ἔχειν. idest, Sicut in hyeme calcanea, & digiti à calido ob contrarietatem uel repugnantiam iuuantur. Dicit uero, moriuntur, quod est periculose & difficulter se habere.

Καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν. idest, Et repentibus comesis.] Philotheus exponit, τοῖς ἐσθίουσι. idest, hoc est exedentibus. statimque prosequitur, τούτοις δὲ συμβάλλεται κατὰ συμβεβηκός, τῇ κενώσει τῆς ξανθῆς χολῆς. idest, his autem confert per accidens, flauæ bilis euacuatione. Apud Græcos hæc reperiuntur, ἕρπης simpliciter, ἕρπης ἐσθιόμενος, & ἕρπης κεγχρίας, idest repens uel serpens: repens comẽsum, & repens à milio. de his tribus, Paulus capite uigesimo libri quarti agit, docetque herpetem simpliciter fieri ex flaua bile alicui membro inhærente, quæ hulcus serpens facit. Si uero bilis crassior sit & acris, totam cutem usque ad subiectam carnem exhulcerat. & est herpes corrodens uel comedẽs. At si à materia biliosa tenuique fiat & minus acri, tamen sit calida, paruas quasdam bullas facit milio similes, propterea & herpes miliaris nuncupatur. Paulusque Oribasij sententiam refert, qui herpeta miliarem fieri uoluerit, si bilis pituitæ misceatur. tamen & Aetius idem sentit. Auicenna has tres affectiones formicas uocat: & in eo capite, ubi de his agit, simul de quodam uerrucarum genere agit, de quo nos in tertio libro locuti sumus, nomine deceptus, quia Græci genus illud uerrucarum μυρμηκίας, idest formicas nominant. Constat uero esse cutaneos morbos, ad quos gangrena consequitur, quam Galenus inter maximas phlegmones connumerandam esse censuit. Corroditur membrum, sed adhuc sentit: cum amplius non sentit, tunc trãsit in σφάκελον, ita enim à Græcis uocatur, recentes aschachillon nũcupant: unde hoc nomen acceperint, ignoramus, nisi diuersas corruptiones in Auicennæ libris fecerint, à Latinis syderatio dicitur. Prodest calidum serpẽtibus comesis naturalem calorem adiuuans & robustiorem reddens, & materiam resoluens quæ herpeta facit: & licet caliditas per se morbo calido non aduersetur, tamen illi aduersatur materiam resoluens, & calorem naturalem augens. Imo adde, quando est aqua calida infrigidans: propterea intelligere oportet, non omne quidem calidum repentibus comesis prodesse, sed tale quale in calida aqua inuenitur: nam rei acutæ calor herpeta potius augeret, quàm sedaret. Et hoc est quod à Galeno in commentatione dicetur, Corrosiuis hulceribus calidum prodesse, scilicet non extremum, quia ob exhulcerationem frigidum est eis inimicum, nam hulcerum mordax est, ut superius testabatur Hippocrates.

Ἕδρῃ, αἰδοίοισιν, ὑστέρῃ, κύστει, τουτέοισι τὸ μὲν θερμὸν φίλον, καὶ κρῖνον. idest, Sedi, pudendis, utero, uesicæ: his calidum quidem amicum & iudicans.] Hæ nanque partes enumeratæ, frigidæ natura sunt, quia neruosæ & chartilagineæ existunt, & inter seminales partes numerantur, propterea frigidæ. Frigidis uero partibus calida prosunt: sed talia calida, quæ exiccandi uim non habeant. Dixit autem Calidum iudicare, quia iudicium simpliciter ad bonum intelligendum est.

Τὸ δὲ ψυχρὸν, πολέμιον καὶ κτεῖνον. idest, Frigidum uero inimicum & perimens.] Has scilicet frigidas partes enumeratas: anus inquã, pudendũ, uterus, uesica. Dicebat aũt calidum κρῖνον esse, idest iudicãs & uiuificans: ex opposito κτεῖνον. i. perimens & male iudicans: unde hæ duæ particulæ contraponunt κρῖνον & κτεῖνον. propterea contrario modo intelligi debent, sicuti unũ ad frigidũ, & aliud ad calidũ apponitur, quæ inter se cõtraria sunt. Oribasius præscriptis partibus opitulari calidã dicit, sed paulatim adhibẽda est, qa

hæc loca

hæc loca neruea sunt & frigidæ naturæ, & ob id frigida est inimica, calida uero amica: nam calore gaudent, & reparantur, & quo maior in eis fuerit concussio caloris, eo magis gaudent, adeo ut aliquando tristetur natura, non debilitetur. Celsus capite nono primi libri dicit, calorem omnia adiuuare, quę frigus infestat. Omnia deinde connumerat, quæ frigore infestantur. Sunt uero ista, senex, tenuis, uulnus, præcordia, intestina, uesica, aures, coxæ, scapulæ, naturalia, ossa, dentes, nerui, uulua, cerebrum; omnibus igitur his prodest calor.

GALENVS

SICVTI frigidum conuulsiones & distentiones facere natura aptum, tamen sanat aliquando, raro distentionem: sic & calidum quantum ex sui natura ad suppurandum efficax, est aliquando prohibens suppurationem. siquidem ulcera putrida, & simpliciter omnia quæ fluctiones habent, adeo non suppurat calidum, quod his etiam plurimum nocet: & hæc ambo in unum coniũguntur, & nocere ulceribus, & minime suppurare: sicuti contrà, prodesse, ac suppurare maximũ est ulceri signum, ad securitatem, & pus, & medicamen quod habet id faciendi facultatem. Nihil enim male potest aduenire ulceri pus generanti. Quæ igitur conuulsionem afferunt, non suppurãtur omnino. Similiter autem & quæcunq; hulcera sunt putredini obnoxia, & quæ partes circũstantes exesas habent, & quæ difficulter ad cicatricem perducuntur, uniuersa minime suppurantur, & quæcunq; ex malis hulceribus proprijs nominibus insigniunt̃, ueluti quæ cancerosa, chironia, telephia, & phagedenica, idest carnem comedentia nominantur. hæc omnia hulcera non suppurantur. Maximum igitur signum hulceri ad securitatem est pus, & hoc potes conijcere, ex calidi usu. In quibus enim non congruit, uidebis hæc à calido insuppurabilia perdurare. Deinceps autem calidi opera quæ frequenter apparent, enumerat. Etenim cutem induratam mollit, & crassatam extenuat, & dolorem sedat, & conuulsiones ac distentiones mitigat, non sicuti frigidum dolorem insuppurabilem efficit, quoniam est à natura nostra alienum, quæ est calor natiuus, quem coauget, ubi mediocriter adherescit. Calor uero extrinsecus facit hæc omnia quæ dicta sunt, nõnulla concoquens, & ad melius alterans: quędam uero discutiendo atq; euacuando, noxia ad sanitatem perducit. quod si non ex toto sanat, saltem dolores mitigat. In capitis uero dispositionibus, & facit hæc eadem, & eas quæ καρηβαρίαι, idest capitis grauitates nominant̃, sanat, cõcoquens atq; dissoluens quæcũq; molestant: & quidem fracturis ossium utilissimum est, & magis nudis, hoc est carne exutis. Adhuc autem magis his quæ in capite fiunt, nam talia frigidum maxime offendit, ut quod non ossibus tantũ, sed ipsi quoq; cerebro sit inimicum. & quidem quęcunq; partes ex algore emortuæ sunt, his calidum remedio est: sic quæcũq; frigidum exhulcerat, sicuti hyberno tempore calcanea, & digitos, & extrema omnia, & horum remedium est calidum, & sanat etiam serpentia, comesa, quamuis ab humore bilioso calido fiant; nam propter exulcerationem, frigidum est ipsis inimicum, ut quod eis mordax existat. Sic & omnibus quæ sunt in sede dispositionibus, amicum quidem est calidum, contrarium uero frigidum, quoniam neruosa sedes est. Frigidum uero est neruis inimicum, & quoniam per communicationem frigiditas facile ex sede ad uentriculum ascendit, & eodem modo caliditas. Sic & utero, & uesicæ, calidum quidem amicum, & iudicans. Inimicum uero & occidens frigidum: nam & hæ pariter neruosæ sunt, & supraiacentibus partibus facile tradunt frigiditatem. Quod autem in omnibus quæ in Aphorismo dicuntur communiter pronunciauit, his calidum esse amicum, & iudicans; frigidum uero inimicum, & occidens, liquet & si à me non dicatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus frigidi ad calidũ, in aliquo particulari effectu quem faciunt, præter uniuersales effectus, comparationem facit, tu Galeni uerba lege, quæ facilia sunt: dicit, nihil mali aduenire posse hulceri pus generanti: quod de extrinsecis hulceribus intellige, quoniam in pulmonis hulcere pus generante, mors aduenire potest.

SECVNDO, hulcera, quæ non suppurantur, enumerat, illa quæ faciunt conuulsionem, & hulcera putrida, & hulcera quæ habent partes circũstantes exesas, & quæ difficulter ad cicatricẽ perueniunt, hæc omnia non suppurantur, & mala hulcera cancrosa,

& chironia

& chironia & telephia & phagedenica non suppurantur. Vnde in genere pus est maximum securitatis indiciũ in hulceribus. Calida uero in quibus conueniunt, pus faciunt: in quibus autem non conueniunt, insuppurabilia efficiuntur. Scito autem (ut alias periectius edocuimus) apud Græcos differentiam esse inter πυὸν & ἰχῶρας. πυὸν, est pus bonum atque laudabile, quod ex naturali calore & aliquo modo ex præter naturam factum est. sed ἰχὼρ, est sanies aquosa: quando ἰχὼρ apparet, semper malum est: quando pus, semper bonum, quia signum est naturalem calorem superare materiam, & iam uincere cœpisse.

Quod legitur, Quæ igitur conuulsionem afferunt, non suppurantur omnino. Græce habetur, τὰ γοῦν σπασμὸν ἐπιφέροντα πάντως ἀνεκπύητα ἐστίν. ubi nota uocabulum ἀνεκπύητα significare sine pure: tamẽ intelligere non oportet, quod illa hulcera aliquid non transmittant, quoniam aquositates habent & ichoras: sed uero pure carent. Et idem intellige in omnibus alijs hulceribus, quæ statim enumerat.

Quod etiam legitur, Similiter autem & quæcunque hulcera sunt putredini obnoxia. Græce habetur, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ σηπεδονώδη τῶν ἑλκῶν. i. similiter autẽ & putrida hulcera.

Quod etiam legitur, Et quæcunque ex malis hulceribus. Græce habetur, καὶ ὅσα τῶν κακοήθων ἑλκῶν. idest, & quæcunque hulcera malos mores habentia.

Quod etiam legitur, Cancrosa, scilicet hulcera. Sunt ipsi cancri, qui καρκίνοι & καρκινώματα à Græcis uocantur. tamen Celsus, cancrum à carcinomate distinguere uidetur, ut carcinoma fiat corrupta interius aliqua parte: cancer autem ab his quæ exterius adueniunt, oritur, & serpit. Fit uero cancer ab atra bile efferuescente: si uero præter efferuescentiam acredinem habeant, fiunt cancri hulcerati. Celsus libro quinto cancrum distinguere uidetur in erysipelam, cancrenã, & hulcus nigrum. Cancer dicitur uel quia uenæ quæ circunquaque sunt, adeo plenæ sint, ut cancrorum pedes imitari uideatur, uel ut cancer, quod animal est suis chelis summe apprehẽdit: ita hic morbus adeo inhæret, ut uel nunquam uel cum difficultate remoueri possit. Meminit etiam chironiorum hulcerum Galenus, de quibus Celsus capite uigesimooctauo quinti libri agit, inquiẽs: Chironium autem hulcus appellatur, quod & magnum est, & habet oras duas callosas, tumẽtes. exit sanies non multa, sed tenuis, odor malus, neque in hulcere, neque in eius tumore est: nulla inflammatio, dolor modicus est, nihil serpit, ideoque nullum periculum affert, sed non facile sanescit: interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, hulcusque renouatur, & maxime in pedibus & cruribus. Sunt enim adeo maligna hæc hulcera, ut Chirone centauro chirurgico insigni, qui ea curet, indigere uideantur. Telephia uero sunt talia, quæ difficillime sanantur: nempe Telephus in eo hulcere contenuit. Galenus in libro De tumoribus præter naturam, iudicat hæc esse nomina superuacua, Chironia & Telephia: sed satis esse omnia cõmuni uocabulo cacoethe, idest maligna, & mali habitus hulcera nuncupare. Aliqui uolunt esse phagedenæ species: nam Galenus præcitato loco phagedenica uocat, quæcunque partes depascunt, & cutem simul ac carnem erodunt. Et Galenus in hac commẽtatione uelle uidetur chironia & telephia hulcera esse phagedenica, idest carnem exedentia. Id uero quod Galenus dixerat, καὶ ὅσα τῶν κακοήθων ἑλκῶν. idest, & quæcunque ex cacoethis hulceribus. Sunt cacoethe hulcera maligna, quæ à Celso quandoque mala hulcera uocantur. Paulus Ægineta libro quarto, capite quadragesimosexto, κακοήθη antiqua hulcera nuncupat, & inueterata & ægerrime cicatricem contrahentia: diciturque hæc ab aliquibus chironia & telephia nuncupari. Sunt autem κακοήθη, idest mali moris, uel maligna: quia quicquid feceris, ex his quæ in hulceribus recte fieri possunt, nihil factum esse percipies. ob hoc enim non sanantur. nam Galenus malignitatem esse in loco in quo est hulcus, quæ sanari prohibet, inquit. Tamẽ Celsus libro quinto, capite uigesimooctauo, unam carcinomatis speciem κακοήθες uocat, quæ pessima est, & omnium specierum carcinomatis prima. Nihil igitur refert quomodocunque hanc particulam interpreteris κακοήθη ἕλκη, idest uel male morigerata hulcera, uel maligna hulcera, uel mala hulcera, uel dolosa hulcera, uel praua hulcera, uel cacoethe hulcera.

TERTIO Galenus ab Hippocrate illa calidi opera poni dicit, quę frequenter apparent, ut induratam cutem emollire, extenuare crassatam, dolorem sedare, conuulsiones

& disten-

& distentiones mitigare, imò sicuti frigidum dolorem insuppurabilẽ facit, ita calor ad iuuat. nam frigus est à natura alienum, quia ipsa natura est calor naturalis, quem coaugeт, ubi mediocriter adhæreſcit: unde omnia quæ dicta sunt, ab extrinſeco calore oriuntur, qui aliqua concoquit, aliqua ad melius alterat, aliqua in sanitatẽ discutiendo & euacuando perducit. Et si quãdoq; accidat quod perfecte non sanet, hoc saltem facit, quod dolores mitigat.

Quod legitur, Quando mediocriter adhæreſcit. Græce habetur, ὅταν μετρίως ὁμιλῇ. idest, Quando mediocriter consentit: hoc est, quando fuerit calor mediocris.

QVARTO dicit, idem facere calidum in capitis grauitatibus: nam sanat, cõcoquit, dissoluit, quæcunq; offendunt.

Quod legitur, Et eas quas καρηβαρίας, idest capitis grauitates nominant. Græce habetur, καὶ τὰς καλουμένας καρηβαρίας, αἵ τινές εἰσι βαρύτητες τῆς κεφαλῆς. idest, Et uocatas caribarias sanat, quæ sunt quædam capitis grauitates.

QVINTO docet, calidum utilissimum esse ossium fracturis, sed potissimum nudis, & maxime ossium capitis: nam frigidum hæc multum offendit, quia non tantum ossibus, sed & cerebro plurimum obest.

SEXTO, omnibus partibus frigore emortuis calor multum prodest, & etiam frigore exulceratis, sicuti in hyeme calcanea, digiti, & omnia extrema ob frigus exulcerantur, his prodest calor. Frigus uero nocet, quia ulceribus mordax est. Celsus de his omnibus quæ ob frigus exulcerantur, quinto libro pertractat.

Quod legitur, Vt quod eis mordax existat. legi debet, Vt quod ulcerum mordax existat. nam Græce habetur, ὡς δακνῶδες ἑλκῶν ὑπάρχον.

SEPTIMO docet, sedi, utero, uesicæ, pudendo calidum amicum esse, inimicum uero frigus, quia sunt neruosa membra atq; frigida.

Quod legitur, Contrarium uero frigidum. in nostro antiquo contextu eodem modo habetur, ἐναντίον δὲ τὸ ψυχρόν. sed Aldinus contextus legit ἐναντιώτατον, idest contrarijssimum. In eo quod etiam legitur, Et quoniam per communicationem frigiditas facile ex sede ad uentriculum ascendit. Illa particula Ad uentriculum, Gręce est, ἐπὶ τὴν κοιλίαν, idest ad uentrem. nam difficile est ex sede ad uentriculum frigoris offensionẽ ascendere: at in uentrem, scilicet inferiorem facile transit, in intestinum inquam rectum, & in propinqua intestina. Ex hoc tamen inferre non uolo, quod in uẽtriculum frigiditas illa ascendere non possit, sed difficilius est.

Deniq; Galenus ultima aphorismi uerba, scilicet calidum est amicum, & iudicãs, his scilicet omnibus superius enumeratis applicat, & nõ solum partibus quatuor neruosis statim dictis, & frigidum est inimicum & perimens.

APHORISMVS XXIII

IN his frigido utendum unde fluit sanguis aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa unde influit, & quæcunq; inflammationes uel inflamina ad rubrum & subcruentum sanguine recenti tendunt, nam ueteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum iuuat, nam exulceratum lædit.

BRASAVOLVS

QVVM de calido calidaq; aqua egerit Hippocrates, non ab re fuit ad frigidum sermonem uertere, quo (inquit Hippocrates) in his uti debemus, unde sanguis fluit aut fluxurus est, quia sanguinis fluxus ex frigore, frigida ue aqua prohibetur. hoc autem fit meatus obstruẽdo, & sanguinem crassiorem reddendo: sed frigidæ rei, uel frigidæ aquæ applicatio ad partem ex qua fluit sanguis, apponi non debet. nempe hulcus esse posset, cui frigus mordax est: sed fieri debet circumcirca, & in partibus uicinis, & in illis partibus è quibus fluit sanguis, ut in locum à quo exit, penetret: frigidum præterea ad omnes inflammationes ualet, & ad omnia ualde inflammata: quia his opponitur, & ea expellendo curat. Partes autem de recenti inflammatæ aut colorem habent rubrum, aut

subcruentum

subcruentum, quia cum partes inflammatæ antiquãtur, color in nigrum uergit. Et addi posset, his non cõferre frigus, quia magis indurat, & membrum mortificat. Iuuat etiam frigidum Erysipelas non hulceratum, quia est à materia calida. Si uero hulceratum sit, cum frigus hulceribus mordax sit, potius hulcerato nocet, quàm prosit.

ἐν τουτέοισι δὲ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρῆσθαι. In his autem frigido uti oportet.] Hoc mihi potius arridet, quàm determinare se ad aquam frigidam, ut Theodorus facit. Nam omne frigidum ad hæc ualet, uel saltem multa frigida præter aquam.

ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέειν μέλλει. idest, Vnde sanguis fluere debet.] Ita legit contextus Aldinus, noster uero antiquus habet, ὅθεν αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει, idest, unde sanguis fluit, uel debet, scilicet fluere. Quomodocũq; legatur, ad rem ipsam nihil refert, quia uel actu fluat, uel fluxurus sit, frigido uti debemus, semper intelligentes quando sit præter modũ sanguinis exitus, adeo ut noxam inferre debeat. Nam nihil aliud uult hic Hippocrates, quàm immodici sanguinis fluxus remedium edocere, quem ars restringere cupit. multi enim sanguinis fluxus sunt, qui sisti non debent, modo non sint præter modum, ut is qui ex naribus fluit, ex uenis hæmorrhoidalibus, ex utero in menstruis purgationibus. In cura habuimus illustrisimã Dianam Estensem Contrariã, mulierẽ probitate & moribus incomparabilẽ, ex fluxu sanguinis nariũ cui decem & octo sanguinis libræ exiere. Nos illum his manibus recta lance ponderauimus, eo etiã dempto qui per terrã, per sudariola, per lintea, & per uestes spargebatur. Omni ingenio usi sumus ut sedaretur hic sanguinis fluxus. in primis enim aqua frigida usi sumus, quæ non profuit: deinde facta fuere omnia diuersionum genera, ex uenæ sectione, & cucurbitulis in omni parte: postea ad ualde stiptica & exsiccantia peruenimus, addidimus deinde agglutinantia, & multis usi sumus, quæ à specifica forma adstringere dicuntur, in cibisq; portulacam, lactucã, & solatrum dedimus. Deniq; sedatus est hic defluxus emplastro ex gypso, & albumine oui. statuerã ad potentialia caustica accedere, quia actualis ignis in hoc loco cõmode, & nõ sine magno discrimine applicari non potest. Si uero contra Hippocratẽ dubites, nõ uideri semper frigidũ applicandum esse, quũ sanguis fluit, quia si membrũ sit debile, à frigido læderetur, ideo in hoc casu frigidũ applicari nõ debet. Respondemus, si adeo membrũ debile sit, ut à frigido offendi oporteat, frigido uti non debemus, sed alijs rebus, quę adstringũt. unde nec simpliciter docet, ubi fluit sanguis, frigida admouẽda esse: sed ubi adeo fluit sanguis, ut de sui remotione, & de sui clausione indicet. Nec admiratione afficiaris, quod superius dictum sit, frigus reuocare calorem, quia hoc frigus adeo intẽsum esse debet, ut aliquo modo calori obsit, tamen multũ obesse non debet, ne membrũ ualde debilitet. Philotheus hic dicit, παύει μὲν οὖν τὴν αἱμοῤῥαγίαν τὸ ψυχρὸν, πύκνωσιν ποιοῦν τῶν πόρων, καὶ δυσκινήτους τὰς ὕλας, idest, frigidũ etenim sanguinis defluxum sedat, meatuum densitatẽ faciens, & materias dissolutas ac discretas faciens ad exeundũ difficiles.

Μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτά. idest, non supra ipsa, sed circa ipsa.] Hoc autem intellige, melius esse, circa ipsas, & non ad ipsas partes ex quibus fluit sanguis, frigida admouere. Tamen si etiam ad ipsas partes applicaretur, non multum noceret, immo in hulceribus & in uulneribus medici statim in principio albumen oui, & pulueres constrictiuos apponunt, qui frigidi sunt, & in fluxu sanguinis narium frigidam aquam in nares iniÿcimus: tamen in hulceribus illa non sunt multum frigida actu, in fluxu sanguinis nariũ primo ponimus supra frontem. Oribasius aphorismum intelligit in fluxu sanguinis narium, qui per immissionem aquæ frigidæ in nares sanatur. Si autem nõ sistatur, iterum proÿcimus frigidam in faciem, aut caput. Postea dubitat, sed timeo ne ad cerebrũ perueniat, & lædat potius, quàm iuuet. Quidnam ergo faciendum? Respondet, considerabo locũ unde fluxus est, hoc est, si è dextera nare fluat, hepati adhibebo frigidam aquã: si uero è sinistra, spleni similiter adhibebo, ut Oribasius per loca circa ipsa, loca sanguinem mandantia intelligere uideatur.

ὅθεν ἐπιῤῥεῖ. idest, unde influit.] Hæc particula Oribasio fauere uidetur. sensum enim facit, frigidum apponendum esse circa loca unde influit: tamen & intelligi potest circa loca, à quibus exterius immediate fluit sanguis.

Καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ. idest, & quæcunq; inflammationes.] Fiunt uero phlegmones, idest, inflammationes à puro sanguine. Quod si dixeris, frigida inflãmationi iungi non

debere, quia aliter malus humor intus repellitur. Respondemus, in primis euacuationes factas esse oportere. Adde in adenosis partibus quæ sunt membrorũ principalium emunctoria, frigidum apponi non debere, ne ad principale membrum materia repellatur. Philotheus dicit, in flammationibus prodesse frigidũ πλὴν οὐ πάσαις. ἀλλὰ ταῖς ὑπὸ νεαροῦ αἵματος, καὶ λεπτοῦ γινομέναις. καὶ αἰτία, διότι ἐπὶ τούτων ζέσις ἐστὶ μᾶλλον, idest, Verum tamen non omnibus, sed his quæ facta sunt ex iuuenili & tenui sanguine: & causa, quoniam in his feruor est maior.

ἢ ὑποφλογίσματα εἰς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι. idest, uel inflãmationes, ad rubrum & subcruentũ ex sanguine recenti tendentes.] His frigus prodest, quando euacuatio præcesserit, aliter applicari non debet. Oribasius intelligit hunc inflãmationum ruborem in facie fieri. Sunt autem rubedines ualde intensæ, præter naturam illius qui habet, cum intensa caliditate, quæ sensu percipitur. At ex recenti sanguine, id est, qui in illum locum recenter cucurrerit, facta sint, & qui sanguis ruborem illum preter naturam inducit. At si dubites, quando erit quod frigida phlegmoni applicari non debeant? Respondemus, applicari non posse quando non est facta euacuatio, quãdo est in alicuius principalis membri emũctorio, quando fit per uiam crisis, quãdo materia uenenosa est, quando eadem materia membro infixa fuerit, atque conculcata.

ἐπεὶ τά γε παλαιὰ μελαίνει. idest, Quoniã ueteribus nigredinem affert.] idest, Si sit sanguis qui per temporis spatium illuc fluxerit, & antiquatus sit, frigidum nigredinem affert, quia antiquus sanguis florido colore caret. ideo ei admoto frigido liuescit & denigratur. Recentes hoc de antiquo sanguine non intelligunt, quod à frigido denigratur, sed de antiquo phlegmone, cum quibus uidetur esse Oribasius, dicens, In uulnere uero nigro contraria est frigida. Philotheus uero dicit, καὶ φλογώσεις. αἱ μέντοι πολλαὶ φλεγμοναὶ, τουτέστι χρόνιαι, ὑφ᾽ αἵματος δηλονότι παχυτέρου ἀνεγένοντο, ἐν αἷς τὸ ψυχρὸν βλάπτει. ἔτι γὰρ πλέον παχύνεται ἡ ὕλη, κἀντεῦθεν θρομβοῦται, καὶ σήπεται, καὶ μελανία ἐπακολουθεῖ. idest, Et exardescentiæ, multæ quidem inflammationes, hoc est diuturnę, à sanguine scilicet crassiori superueniunt, in quibus frigus lędit. Etenim materia magis crassa redditur, & hinc in grumos conuertitur, atque corrumpitur, & nigredo cõsequitur. Vides ergo Philotheũ ex alia causa, his frigidum obesse uoluisse, quia magis incrassat.

Καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκούμενον ἐπεί. idest, Et erysipelas, hoc est, ignẽ sacrum, non hulceratum curat.] Nam ut Philotheus dicit τῷ παύειν τὴν ζέσιν καὶ τὴν δριμύτητα τῆς χολῆς, καὶ καταπραΰνειν τὴν δῆξιν, idest, feruorem cessare faciendo, & acredinem bilis, & mitigando morsum. Est uero erysipelas ex bile, quæ si fuerit ualde pura, & acuta, exhulcerat: si commixta sanguini, non exulcerat, & ideo ab Oribasio dicitur, Ignem sacrum non hulceratum iuuat. plus enim sanguinis habet, quàm bilis: sed hulceratũ lædit, quia plus habet bilis, quàm sanguinis. At dubitare posses, quia in præcedenti aphorismo dictum est, calidum iuuare serpentia comesa. Erysipelas autem in hoc genere est, ideo calido iuuatur. Igitur frigus illi obesse debet. Respondemus, calidum & frigidum per oppositas & distinctas intẽsiones prodesse: calidum quidem prodest, quia magis resoluit, sed frigidum calorem remittit, & feruorẽ, quem facit biliosus humor, & erysipelam tollit.

τό γε ἑλκούμενον βλάπτει. idest, exhulceratum lædit.] Illa particula ἐπεί in fine præcedentis clausulæ posita à Leoniceno interpretatur, nam. Ipse enim accipit ac si sit cõiunctio: sed re uera est uerbum ἐπεῖ ἀπὸ τοῦ ἔπω, idest, curo uel etiam iuuo. Nec mirũ si Leonicenus ita interpretatus sit, quia in antiquo nostro contextu, & in Aldino hæc particula ἐπεί huic parti coniungitur, ἐπεὶ τό γε ἑλκούμενον βλάπτει, & accentum habet in ultima syllaba grauem, cum in prima acutum habere debeat si uerbum sit. Adde quod particula, nam, in Græcis codicibus non ponitur, & superflue addita uidetur. Legit ergo hulceratum erysipelas, quia ut Oribasius inquit, plus habet bilis, quàm sanguinis, & dum frigidam superfundis, calorem cohibes, & celerrime putrescit. sed Galenus melius dicit, quia frigidũ est hulceribus mordax, nullamque aliam causam reddere sciuit Philotheus, quàm τὸ ψυχρὸν ἕλκεσι δακνῶδες, idest, frigidum hulceribus mordax. Si uero dubites tibi uideri omne erysipelas hulceratum esse. Respondemus, per exhulceratum erysipelas, id quod effatu dignam exhulcerationem habet, intelligere oportere: per non exhulceratum uero, quod exhulcerationem notatu dignam non habet.

GALENVS

EAS quas facit frigidum utilitates, ac mala, hoc transigit aphorismo. Primum in quibus sanguis fluit, aut fluxurus est, inquiens conferre ipsum, non ipsis partibus manantibus sanguine ad motum: ulceribus enim frigidum mordax: sed circunstantibus, & illis præcipue unde aliquid ad ulcera profluit. Et quidem ait omnes iuuare inflãmationes, & quæ ipse inflãmina nominat, ueluti ab aliqua deusta flamma propter humorum à quibus fiunt caliditatem. Nam & hæc frigido gaudent. Videntur autem hæc omnia intuenti colore rubra, & subcruenta, recenti scilicet, & non antiquo suffusa sanguine. Nam sanguis antiquus floridum non habet colorem. Quare frigido admoto liuere, & nigras fieri contingit partes patientes. Eodem modo & erysipelas non exulceratum iuuatur à frigido, sicuti ulcerato mordax est frigidum, & dolorem affert, & hac ratione nocet, cum partes dolentes semper ad se ipsas moueant fluctiones.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenum contempleris, qui aphorismum ita interpretatur ac si utrasque illas particulas ponat, scilicet fluit, & fluxurus est. Inquit enim ἐπὶ τῶν αἱμοῤῥαγούντων ἢ μελλόντων. Sed Hippocrates addit, non conferre ipsis partibus manantibus, quia superius dixerat, frigus esse hulceribus mordax: sed circunstantibus partibus confert, & illis præcipue, unde aliquid ad ulcera fluit. propterea non male ab Oribasio, si per narem dexteram fluat sanguis, ad iecur frigidum ponitur: si per sinistram, ad liene. Vnumque hic considera, Galenum de sanguine intelligere uideri, qui ex hulcere aliquo exit, in quacunque sit parte. Sanguis uero exit, uel per resudationem, uel per uenæ fracturam, uel per capitum apertionem, quæ in uenis sunt.

SECVNDO Galenus aliam aphorismi partem interpretatur, frigus scilicet inflãmationes omnes, & inflamina ita uocata, quia à calidissimo humore fiunt, sanare, aut iuuare. Si autem hæc inflamina consideremus, rubrum colorem habẽt, & subcruentum, & hoc quando sunt recentia, & non quando facta sunt ex antiquo sanguine: quia antiquus sanguis, idest, is qui diu in aliquo loco fuerit, floridum colorem non habet. unde si frigidum aliquod his admoueamus, uel aquam frigidam apponamus, partes illę, in quibus est hic sanguis antiquus, liuescunt, & nigræ fiunt: quoniam ipsas mortificat, utpote in quibus non sit multus calor, nã in processu tẽporis exhalauit, immo & ipse antiquus sanguis, & extra, & in aliquo corporis loco collectus, modo sit extra uenas nigrescit.

TERTIO ultimam aphorismi partem exponit Galenus, quæ est erysipelas nõ hulceratum à frigido iuuari. nempe hulcerato frigidum est mordax, & dolorem affert: totamque doloris causam hanc esse facit, quod dolentes partes semper ad seipsas fluxiones moueant, unde frigus mordet hulceratas partes, morsus hic dolorem infert, dolor materiam trahit, ideo exhulceratæ partes magis læduntur: opusque est de ingenti & effatu digna exhulceratione intelligere.

APHORISMVS XXIIII

FRigida qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.

BRASAVOLVS

DE frigido non extreme intenso, & de calido superius uerba fecit Hippocrates, uel de calida aqua & frigida, ut Galenus inquit. Nunc uero de intẽsissime frigidis agit, qualia sunt nix & glacies, quæ pectori sua frigiditate inimicantur. nam & si ex aqua congenita sint, tamen sunt frigidiora, quàm aqua, tum quia magis compacta, tum quia nisi à frigore densentur, non dẽsantur, tamen non sunt magis humida, quàm aqua. pectori uero nocent, quia pectus osseum est, neruosum, chartilagineũ, quæ partes seminales sunt, & suapte natura frigidæ, propterea hæc tusses mouent, si exterius applicentur, & etiam si comedantur, & sanguinem mouent, & destillationes. Nos superioribus diebus mulierem utero gerentem curauimus, quæ ob cissam, idest, malaciam, quam patiebatur

frequenter glaciem comederat, ex quo intensissimam tussim incidit, & uentriculi dolorem, primamq; coctionem ægerrime conficiebat, quæ quidem in sanitatē restituta fuit, sed tardiuscule, huncq; ordinem seruauit. primo à tussi liberata est, deinde à uentriculi dolore, deniq; à uirtutis concoctricis imbecillitate: hoc autem fuit in spatio ferè sex mēsium à partu. Philotheus eodem ferè modo quo nos fecimus, aphorismū continuat, inquiens, ὑπὲρ τοῦ θερμοῦ, καὶ ψυχροῦ ὕδατος τὸν λόγον ποιησάμενος, νῦν καὶ περὶ ἕτερα ψυχρὰ τὸν λόγον μετάγει. idest, Cum superius de calida, & frigida aqua sermonem fecerit, nunc ad alia frigida sermonem transfert.

Τὰ ψυχρὰ οἷον χιὼν, καὶ κρύσταλλος. idest, frigida, qualis nix et crystallus, idest, glacies.] ac si dixerit intensissime frigida. est uero nix res notissima, quā Oribasius dicit esse aerē in pluuiam resolutū gracilium uentorū frigore superiora aeris perflantium, constrictū. quæ & si ab aliquibus ratione rei supra quā cadit, nocere dicatur, tamen hic ab Hippocrate ratione suæ frigiditatis actualis nocere dicitur. Quāuis Hippocrates in libro De prisca medicina calefacere dixerit, sed id per accidens facit, naturalē calorē reuocando, ut superius de frigida aqua dicebatur in distentione siue hulceratione. Aliqui tamen reperiuntur, qui & niuem & glaciem potant. Hippocrates enim in libro De aere, aquis, & locis, Scytharum quorundā mentionem facit, qui aquam ex niue & gelu potant, forte eliquantes, deinde bibentes, qui ob assuetudinem non adeo facile læsionē sentiunt, tamen fieri non potest quin ex longo usu non lædatur, cum frigidū sit naturæ inimicum. Per crystallum Oribasius ueram crystallū intelligit, quæ gēma est ex glacie facta multis annis in montibus concreta, hoc est cum uiginti aut triginta annos congelata est uim liquoris amittit, unde frigidissima est. Tamen nos potius id per crystallum intelligimus, quod Theodorus & Leonicenus interpretati sunt, glaciem scilicet: nēpe nullus est modus sumendi crystallum, uel per os, uel per exteriorem applicationem, qualis est modus sumendi glaciem: & quia crystalli copia non habetur, glaciei uero immēsa tempore hyemis. Cur uero de niue & glacie uerba fecerit Hippocrates, rationem affert Philotheus, inquiens, ἰστέον δὲ ὅτι χιόνος καὶ κρυστάλλου νῦν μέμνηται, ὅτι πολλάκις τινὲς αὐτοῖς κέχρηνται νέοι ὄντες καὶ καθαιροῦντες τῷ θερμῷ, ἢ ὅτι ἐν πολλοῖς τόποις, ἀδιάλειπτα εἰσιν, καὶ διὰ τὴν ἀνάγκην, ἐκεῖσε ὁδοιποροῦσιν οἱ ἄνθρωποι, καὶ συμβαίνει αὐτοῖς ταῦτα τὰ πάθη γεννᾶσθαι. idest, Sciendū uero quod niuis & glaciei nunc mentionem facit, quoniam sępe quidam cum iuuenes sunt & abigentes calidum, ipsis utuntur: uel quoniam in multis locis sine intermissione, & ob necessitatē illuc homines uadunt, & ipsis has passiones fieri contingit.

στήθεσι πολέμια idest, Pectoribus inimica.] Ita in plurali habet noster antiquus contextus, sed Aldinus, & alij habent στήθει, idest, Pectori, in singulari. aptius tamē est in plurali legere pectoribus, quia duæ sunt distinctæ partes, & ita à natura interseptæ, quod si una offendatur, alia sine noxa permanere possit: pectus autem ex ossibus, chartilaginibus, neruis, & multis neruosis partibus, quæ omnes frigidæ sunt, compositum est. Ideo frigus ipsis obest, unde non ab re dicitur, pectoribus inimica esse niuem & glaciem.

Βηχέων κινητικά, idest, Tusses mouent.] Possunt uero tusses multis modis, ratione frigoris commoueri. unus est modus ob puram qualitatem, non cōsiderata materia, quia frigus constipat, & pectus adeo perdurescere facit, ut secundum eius naturam dilatari non possit, propterea tussis inducitur. Adde, frigus destillationes mouere, ut statim edocebit: illæ uero ad pectus descendere possunt, & tussim inferre.

Καὶ αἱμοῤῥαγικά. idest, Et sanguinem fluere faciunt.] Sed Oribasius hic dubitat, cum sit proprium frigoris restringere, quomodo sanguinem mouere potuit? Respondet, Nimirum quoniam tussis nimia uenam rumpit, sed propter frigus est, quia sanguis incrassatur, & implet uenas, & constipat, & tunc facile franguntur à motu tussis, ut Galenus dicit, aut etiam ex destillatione illuc decurrente, quæ acuta sit.

Καὶ καταῤῥοικά. idest, & destillationes mouent.] quia (ut Oribasius dicit) nimium frigus ex compressione destillationem generat. Est enim frigus tanquàm manus stringens caput, & manare faciens materias in eo existentes. Galenus uero dicit hoc fieri, quia cerebrum refrigeratur. Philotheus connexione quadā omnes hos affectus in suas causas reddit, inquiens, ὅτι ὅπου χιὼν καὶ κρύσταλλος, ἐκεῖ ψυχρὸς ἀήρ. οὗτος οὖν ψυχρὸς ἀὴρ ἀνωμαλίαν καὶ δυσκρασίαν ἐντίθησιν τῷ λάρυγγι, καὶ τῇ τραχείᾳ ἀρτηρίᾳ ἀναφέρεται περὶ τὰς πλευρὰς, καὶ

ρὰς, καὶ ὀδύνην ἐν αὐταῖς ποιεῖ. εἶτα ἐμφιλοχωρήσας αὐτῆς τῷ θώρακι, πύκνωσιν ποιεῖται τῶν πόρων, τῶν ἀγγείων. κἀντεῦθεν πλήρωσιν καὶ τῇ πληρώσει τείνονται τὰ ἀγγεῖα, καὶ ῥήγνυνται, καὶ γίνεται αἱμορραγία. εἶτα ἀμέσως τῇ κεφαλῇ ὁμιλοῦσα ἡ ψῦξις, βλάπτει αὐτήν. τὸ γὰρ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοις, νεύροις. ταύτης οὖν βλαπτομένης τῇ πυκνώσει, καὶ ἀδιαπνευστίᾳ ἐναποκλειόμενα τὰ περιττὰ αὐτικαταρρέουσιν, καὶ φέρονται ἐπὶ μυκτῆρας, καὶ λάρυγγα, καὶ ὑπερῴαν, καὶ ποιοῦσι κατάρρους. idest, Quoniam ubi nix & gelu, ibi frigidus aer. hic autem frigidus existens inæqualitatem & intemperiem affert gutturi & asperæ arteriæ. hinc refertur ad costas; & dolorem in ipsis agit. Postea immorans ille in thorace, densitatem pororum seu meatuum facit; & inde uasorum repletionem. Qua ex repletione uasa intenduntur disrumpunturq́ue, et sic fit sanguinis profluuium. Postmodo sine mora algor qui uersatur in capite, caput offendit. Frigidum enim ossibus ac neruis inimicum. Capite itaq́ue offenso à densatione & spirituum interclusione, excrementa & superfluitates inclusæ deorsum refluunt, ac deferuntur ad nares & guttur & palatum, & destillationes faciunt.

GALENVS.

HACTENVS de aqua calida, & frigida sermonem habuit, nunc autem de niue, & glacie diserit, illud ostendens, quod tãto magis hæ nocere possunt, quãto sunt aqua frigida frigidiores, & quod thoracis partibus sunt inimicissime, cum & tusses moueant, & uasis disruptis sanguinem sæpius manare faciant, & ex capite destillationibus thoracem offendant, atque pulmonem. Nam has quoque nix facit, & glacies cerebrum refrigerantes.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismum præcedentibus continuat. nam superius de frigida & calida aqua sermonem habuit. Nunc uero de niue & glacie pertractat, que frigidissima sunt, inquiens, hæc tanto magis nocere posse, quanto sunt aqua frigida frigidiora, ex quo loco manifeste apparet, Galenũ præcedẽtes aphorismos in aqua calida & frigida intellexisse. Nos uero (ut diximus) ad alias etiam res calidas ampliauimus.

SECVNDO docet, Niuem & glaciem thoracis partibus inimicissima esse, quod ex his quæ in aphorismo sequuntur, probare uidetur. Sequuntur uero, quod tusses mouent, & uasis disruptis sanguinem sæpius manare faciunt, & destillationes à capite pectus offendunt atque pulmonem. Destillationes uero à glacie & niue cerebrum refrigerantia fiunt, quo refrigerato humidæ materiæ multiplicantur. Et adde, frigidi naturam esse constringere, constringens uero est tanquàm manus exprimens cerebrum, & ab illo materias ad pedes, & pulmonem descendere faciens.

APHORISMVS XXV

TVmores articulorum, atque dolores absque hulcere, & podagricos quoque, atq́ue conuulsa, horum plurima frigida aqua large effusa leuat, & extenuat, soluitq́ue dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit.

BRASAVOLVS

CVM aliquis articulorum dolores, & tumores patitur, modo absque hulcere sint, et etiam si tumores & dolores podagricos compatiatur, si patientem locum multa aqua frigida perfundi iubebis, dolor mitigatur, & soluitur. nam hæc frigiditas membrum affectum mediocri stupore afficit. stupor uero dolorem sedat. Philotheus dicit, πάλιν ἔπαινον παραδίδει τοῦ ψυχροῦ ὕδατος. idest, Iterum frigidæ aquæ laudem præbet.

Τὰ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα. idest, In articulis tumores, & dolores.] Dictum est à nobis superius in quarto Aphorismorum libro aphorismo quarto, uocabulum οἴδημα apud antiquos communiter accipi, ut idem significat quod ὄγκος, idest, tumor. tamen proprie οἴδημα apud posteriores tumorem laxũ à pituita factũ significat. Si hic antiquiores sequamur, qui per οἴδημα tumorẽ intelligunt, conueniẽs erit dicere, In articulis tumores, & dolores absq́ue hulcere perfusa aqua frigida sanari. & tunc cum Galeno & recẽtibus intelligere poterimus, quod de tumoribus intelligat, et doloribus, qui

à causa calida fiunt, qui sunt inflãmationes, & inflamina, de quibus in uigesimotertio aphorismo loquebatur. At si ꝓprie intelligamus οἰδήματα, idest, laxos tumores, ut hoc modo interpretationẽ faciamus, in articulis tumores laxos &c. tunc de uero œdemate intelligemus, quod à pituita fit, & de podagra à pituita facta, & de cõuulsione, quæ à pituita dependet, & tũc hic aphorismus cũ uigesimoprimo cõcors erit, in quo dicit distẽtionẽ sine hulcere, per aquæ frigidæ perfusionẽ sanari. Ita in proposito hæc sanabuntur per multę aquæ frigidę perfusionẽ, quę calorẽ colligit, & intus fortiorẽ facit. Oribasius hanc sententiã sequitur, inquiẽs, Si enim affectiones sint è frigido humore aduenientes, feruor euaporationẽ caloris facit, frigida uero cõstringit & cohibet calorẽ. calor crassitudinem soluit & extenuat. Et nos potius hanc sententiã sequeremur, ꝙ illam, quod de calidis tumoribus intelligat, nisi essent ultima aphorismi uerba, in quibus rationem reddit, quare hi per frigidæ aquæ perfusionẽ sanantur: quia inquit, modicus torpor dolorẽ soluit. unde hanc esse rationem facit, scilicet torpor qui inducitur. torpor uero est frigidi effectus nõ calidi, tamẽ & ad hoc aptari posset. Tu ergo uel calidos tumores intelligas, uel frigidos, rationẽ utrinq; habebis: sed si frigidi, per accidẽs remouẽtur: si calidi per se à frigore mitigãtur aut sanantur. Philotheus de calidis tumoribus intelligit, nam dicit, ὠφελεῖ οἰδήματα, ἐκεῖνα δηλονότι, τοὺς ὑπὸ χολῆς, ἢ χολώδους αἵματος εἰκὸς γινομένους ὄγκους, διὰ τὸ τὴν ζέσιν καταπαύειν, καὶ τὴν δῆξιν ἀμβλύνειν. i. Iuuat œdemata, illa scilicet tumores factos cõsequẽter à bile, uel bilioso sanguine, quoniã mitigat feruorẽ, et morsum obtũdit.

ἄτερ ἕλκεος. idest, Absque hulcere.] quoniam ut superius dicebatur, frigus hulceribus inimicum est, & mordax.

Καὶ ποδαγρικά. idest, & podagricos.] idest, tumores. Noster antiquus contextus in alia lectione habet ποδαλγικά, idest, & pedum dolores: utrunq; dici potest, & etiam uel à causa calida, uel à frigida facti sint, frigida aqua abunde superinfusa sanari possunt. Et nos uidimus ab intẽsissimis podagrarũ doloribus ex sola aquæ frigidæ perfusione & semel facta illico sanatos: sed his adeo pedes obstupuere, ut immobiles fere effecti sint, & mutilati. Philotheus solam podagrã à bile factam sanari intelligit, inquiens, καὶ μὴν καὶ τὰ ποδαγρικὰ πάθη ὠφελεῖ. δηλονότι τὰ ὑπὸ ξανθῆς χολῆς γινόμενα τῷ αὐτῷ λόγῳ. idest, Et certe podagricis passionibus cõfert, his uidelicet q̃ ex flaua bile factę sunt eadẽ ratione.

Καὶ σπάσματα. idest, & conuulsa.] Semper adde, modo sine hulcere sint: tamen conuulsio nõ fit ex calida materia, sed frigida. Ideo hęc pars de calido humore intelligi posse non uidetur: tamen quicquid sit, in prædictis sensibus Hippocrates uerus est. Philotheus hanc partẽ ita exponit, ὠφελεῖ δὲ καὶ σπάσματα τὴν ἐπίῤῥοιαν ἀνασέλλον, idest, conuulsa uero iuuat, scilicet frigida, affluentiã reprimens. Sed statim aliam rationẽ affert, inquiens, ἄλλως τε οὐ καθ' αὑτὸ, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς ὠφελεῖ, τῷ λόγῳ τοῦ ἐναποκλείειν τὸ ἔμφυτον θερμὸν, καὶ πολυπλασιάζεσθαι, καὶ ἐξαναλίσκειν τὴν νοσοποιὸν αἰτίαν. idest, Aliterq; non per se, sed per accidens iuuat, ratione qua naturalem calorem includit & multiplicat, & causam facientem morbũ cõsumit. Si uero dubites, quid hic intelligat Hippocrates per conuulsa. Nos respondebimus, partes omnes cõuulsione affectas, & potissimũ ex repletione. Sed Philotheus ita dicit, σπάσμα δέ ἐστι λύσις συνεχείας, τῆς ἰνώδους οὐσίας τοῦ μυὸς, ἀδιαιρέτου μενούσης τῆς ἐπιφανείας. idest, Conuulsum uero est dissolutio cõtinuitatis neruosæ substantiæ musculi, indiuisa manente superficie. Tu uero intellige dissolutionem imperfectam, idest, talem extensionem, ex qua partes in suo loco non esse constat.

Τουτέων τὰ πλεῖστα. idest, horum plurima.] Dubitat hic Galenus quorũ dicatur horũ plurima, & quę nam sint hæc plurima. Respondet hæc inuenire facile esse, idest, hęc plurima, quæ frigore soluũtur. Nempe ea sunt de quibus in aphorismo uigesimotertio mentionem fecerat, scilicet inflãmationes, & inflamina ad rubrum & subcruentum. Si uero tu de his intelligeres, quæ à causa frigida fiunt, dicere posses, horũ plurima sanari ex perfusione aquæ frigidæ, quia scilicet illa sanantur quæ conditiones habent in aphorismo uigesimoprimo enumeratas, Quod sit iuuenis bene carnosus, æstate media. Hi uero decipiuntur, qui particulam, plurima, cum illa particula, aqua, cõiungunt. nam manifeste apparet coniungi non posse, nec quo ad rem, nec quo ad uerba: quoniã τὰ πλεῖστα, idest, plurima in plurali est: aqua uero frigida in singulari. Philotheus hic dicit, ὅτι διὰ τοῦτο πλεῖστα ἐδήλωσε, ὡς φασί τινες, ὅτι τὰ σπάσματα οὐκ ὠφελεῖ κατὰ συμβεβηκὸς, ὡς εἴρηται. idest, Quoniam ob

niam ob istud quod dicit plurima, ostendit, ut quidam dicunt, quod conuulsa non iuuat per accidens, ut dictum est.

τὸ ψυχρὸν πολὺ καταχεόμενον. idest, Frigidum large superinfusum.] Vt Hippocrates non se determinet ad aquã potius, quàm ad aliud frigidum, sicuti faciebat in aphorismo uigesimoprimo, tamen & Galenus, & Paulus, & Aetius, & omnes alij interpretes hic Hippocratẽ intelligunt, ac si de frigida aqua uerba fecerit, & ita re uera intelligendus est. quamuis si aliquis alter humor frigidus esset, loco aquæ sumi posset, ut est endiuiæ succus, aut lactucæ, aut portulacæ, aut alterius herbæ ex frigidioribus.

ῥαΐζει τε & etiam ῥηΐζει τε legitur, idest, leuat.] Scilicet tumores, dolores, & euacuationes. per quæ uerba Philotheus inquit ostendi, & ad alia frigidum conferre.

Καὶ ἰσχναίνει, idest, extenuat.] Quoniam si nõ leuantur, saltẽ hoc fit, quod mitigantur. Antiqua trãslatio magis cõmode habet, attenuat. hoc aũt uerbũ in Aldino cõtextu positũ non est. Philoth. dicit leuare & extenuare, κατὰ λόγον τοῦ ἀναστέλλειν τὴν ἐπιῤῥοὴν, καὶ τῷ τὴν κενοῦν. idest, ratione qua reprimit abundantiam, & illam euacuat.

Καὶ ὀδύνην λύει. idest, dolorem soluit.] Vel illam particulam, extenuat, ad materierum resolutionem, quæ fiat, referamus, ad quam deinde doloris solutio consequatur: uel leuare & attenuare, ad tumores referamus; soluere autem ad dolores, quos ipsemet specificat.

Νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική. idest, Torpor enim mediocris dolorem desinit.] Hippocrates causam reddit, cur frigida aqua dolorem sedet, quia inquit mediocrem quendam torporem inducit, hic uero torpor dolorẽ soluit, sedans, & adeo mitigãs, ut persentiri non possit. Vocabulum νάρκη stuporem proprie significat, at de mediocri stupore uerba facit, quia re uera stupor intensus, & si pro eo tempore quo applicatur, dolorem tollat, tamen non penitus tollit, immo deinde magis exaugetur. Ex hocq; Hippocratis loco sumi posse uidetur, ualde stupefacientia corpori humano applicanda non esse. tamen nihil impedit & hoc modo interpretari, cum frigus, ratione qua frigus, nonnulla sanet, & alia per accidens reuocando calorem. Hippocrates in aphorismo uigesimoprimo frigoris officium ponit, quod fit ratione reuocationis caloris, ex quo distentio sanatur. Nunc uero ea prosequi uoluit, quæ à frigore fiunt ratione qua frigus, & non per reuocationẽ caloris, sed per effectum frigoris, qui est stupefacere. Philotheus dicit, dolorẽ soluit, hoc est ἀπόπαυσις, καὶ αἴσθησις ἀμβλυνθεῖσα. idest cessatio, & sensus obtusus factus.

GALENVS

QVOD quidem aqua frigida horum plurima iuuet, ostendit. Sed quę nam unquam hæc sint, dicere prætermisit, sicuti ex illis quæ antea tetigit non est admodum difficile inuenire. Quæcunq; enim inflammationes, uel inflamina ad rubrum, & subcruentum recenti sanguine tendunt, à frigida ait aqua sanari, quæ influxum scilicet cohibet, & hac ratione corpora euacuat: quapropter & dolorem in talibus soluit, quia & eius causam abscindit, & refrigeratio etiam partium longius affert torporem mediocrem, qui & ipse dolorem soluit sensum hebetando.

BRASAVOLVS

GALENVS in præsenti cõmentatione, circa illam particulam, horum plurima, potissimũ uersatur, & dubitat, quid per illam partẽ intelligere oporteat, docetq;, ab Hippocrate explicatum non esse, quoniam ex superioribus, quæ sint hæc plurima, inuenire difficile nõ est: & quę sint, exponere uolens, ea refert quæ in uigesimotertio aphorismo dicebantur, inflammationes inquam ad rubrum, & subcruentum tendentes, præsertim quando recentem sanguinem habuerint.

Quod legitur, Tanquam ex illis quæ antea tetigit, gręce est, ὡς δὴ ὧν προείρηκεν. idest, ceu ex his quæ antea dixit.

SECVNDO docet, Quomodo aqua frigida hæc sanet, quia influxum cohibet nempe prohibet, ne illuc humores currãt, ubi prius currebãt: unde humores calidi repercutiuntur: & propterea ab illo loco euacuat, & dolorẽ leuat, eius causam remouendo, quę erat calida materia. immo aliud etiam facit. nam stuporem mediocrem inducit, stupor uero dolorem soluit, nostri corporis sensus hebetans.

In fine cõmẽtationis quod legitur, longius affert torporem mediocrẽ, illa particula,

longius, in Aldino contextu legitur ὡδιπλέον, In alio habetur ὡδὶ πλέον, in nostro antiquo sunt duo distincta uerba, ὡδὶ & πλέον.

APHORISMVS XXVI

AQua, quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

BRASAVOLVS

NVNC ab Hippocrate indicia quędã edocẽtur, quibus leuissimã aquã, idest optimã, & quę per nostri corporis partes facile penetret, cognoscere possimus, inquiens aquã illam quę cito calesit, et cito refrigeratur, talem esse. nam hęc aqua rarissima est, & oẽs impressiones ob suam raritatẽ facile recipit, & ob eandem causam, per nostri corporis partes facillime transit, nec multum in uentriculo moratur. Philotheus hic dicit, νῦν τοῦ δὲ διάγνωσιν παραδίδωσι τοῦ ἀρίστου ὕδατος. idest, nuc optimæ aquæ iudicium præbet.

Ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον. idest, Aqua quę cito calet.] Noster antiquus cõtextus primo habet, quæ cito infrigidatur, at hoc nihil refert. illa uero aqua cito calet, quæ alijs rarior est, quoniam calor per ipsam aptius penetrare potest.

Καὶ ταχέως ψυχόμενον. idest, Et quæ cito refrigeratur.] In nostro antiquo solum semel adest particula ταχέως, idest cito. Scito autẽ hoc quod dicitur, cito refrigerari, intelligi posse, quando igni calefacta fuerit, uel etiã si in sua naturali constitutione sit, & adueniente aeris frigore, quod cito gelascit & cõstringatur. Philotheus de aqua igni apposita, & ab eo remota intelligit. Scitoq; omnia hæc intelligenda esse cum æqualitate tam in agentibus, quàm in passis, ut idem sit agens calefaciens unam aquã, & aliam, & idem frigefaciens, & aquæ sint in eadem mole in lebetibus.

Κουφότατον. idest, Leuissima est.] Per leuissimam uero, raram intellige, & nostri corporis partes facile permeantẽ, & cito à uentriculo exeuntem. Ita Galenus nõ solum hic interpretatur, sed etiã in libro de ptisana capite primo, ubi dicit: testis quoq; huius orationis Hippocrates est, quippe aquam quæ celeriter calescat, rursusq; e uestigio refrigeretur, hanc leuissimam esse existimat. porro non pondere leuem dijudicat, uerum quæ tenuium sit partium, nec grauatim contrariam admittat qualitatem. huiusmodi sane aqua cũ frigida est, tum humida, proprieq; aqua nominatur. Hippocrates in secundo Epidemiorũ libro hoc idem repetit dicens, quæ aqua celeriter calesit, & frigescit, leuior est. Philotheus & ipse non iudicat leuitatem ex pondere, sed ex natura, inquiens, κουφότατόν ἐστι, τουτέστιν εὐαλλοίωτον, εὐδιάδοτον, εὐδιάκριτον. οὐ γὰρ ἐν σταθμῷ δεῖ λαμβάνειν τὸ κουφότατον, ὥσπερ τοῖς ἰδιώταις δοκεῖ. οὕτως οὖν τεχνικῶς μὲν δοκιμάζεται, ἰδιωτικῶς δὲ, ἀπὸ ὄψεως, ὀσμῆς, γεύσεως. idest, leuissima est, hoc est facile alterabilis, facile transmeabilis, facile secernibilis, idest quæ facile secerni potest. non enim oportet accipere leuissimum pondere, sicuti imperitis uidetur. sic igitur artificiose quidem probat, imperite autem à uisu, odore, gustu. At Celsus capite decimooctauo secundi libri aquas aliter iudicat. nam ipse uera leuitate ex pondere aquas dijudicat, inquiens: nam leuis pondere apparet. postea addit: & ex his quæ pondere pares sunt, eo melior quæq; est, quo celerius, & calefit, & frigescit, quoq; celerius ex ea legumina percoquuntur. Galenus capite decimoseptimo primi libri De simplicium medicamentorum facultatibus hunc aphorismum refert, & ex tenuitate causam reddit, quæ ut facile patiatur, efficit. Nos uero de aqua in præsentiarum (ut ad hoc propositũ spectat) agere uolentes hoc modo exordiamur, Aquæ multas habent differentias, primo enim ex sensibus differentias habent, & has quidem ex omnibus, uisu inquã, gustu, tactu, odoratu, & auditu. Secundo ex suo motu. Tertio ex loco à quo fluunt. Quarto ex loco per quẽ fluunt. Quinto ex pondere & leuitate. Sexto ex his quę extrinsecus aquę contingunt, ut est cito uel tarde calefieri & infrigidari. Nũc omnes has differẽtias ueluti ad sensum ostẽdentes percurramus. Ex uisu nanq; differentiæ sumuntur, quia aliqua est pellucida, clara, pura, minimeq; cœnosa, sed ueluti exquisite colata: alia est turbulenta. ex gustu, aliqua dulcis, aliqua salsa, aliqua acida, aliqua acris. ex odoratu, aliqua grauiter olet, aliqua putidum quid redolet. ex his tribus sensibus ab antiquis aqua ꝓbabatur, licet Galenus in primo capite libri de ptisana, præter

præter hęc substantiã addiderit, ubi dicit, porro probatissima aqua, tum substantia, tum gustu, tum odore, tum colore discernitur. è gustu quidem atq; odoratu, ut nullã exoticã qualitatẽ referat, hoc est non existat dulcis, nõ salsa, nec acida, aut acris, non grauiter olẽs, uel putris, neq; penitus ullius acquisitæ qualitatis particeps, sed prorsus simplex, ac citra omnem alienam qualitatem, atq; immixtionẽ, quæ uel ex gustu, uel olfactu deprehendatur. Oportet præterea pellucida sit, pura, minimeq; cœnosa, sed ueluti exquisite colata, frustillorumq; innaturaliũ expers, Aqua quę has cõditiones habet, perfectissima est. nam ut Galenus subdidit, si hoc pacto aqua fuerit, illico tenuiũ est partiũ; facilis & cõcoctu & distributu, atq; præcordia subito transit, nec solùm nõ difficilis est alteratu, appropinquãs caliditati naturali, sed & igni externo admota, breui calefit. hęc Galenus. Ex quibus haberi potest, Galenũ tribus potissimũ aquã probare, odore, colore, sapore; quæ sunt trium sensuũ qualitates. Dioscorides etiã probatissimam aquã docens, inquit, probatissima est, quæ pura, dulcis, & cuiuscũq; alterius qualitatis expers. Quod si dixeris, Dioscoridi Galenũ aduersari, quia Dioscorides probatissimã aquã dulcẽ facit, Galenus uero dicit probatissimã aquam dulcẽ esse nõ oportere. Nos uero nõ intelligimus apud Dioscoridem per dulcẽ aquam eam quæ talem dulcedinẽ habeat, qualem cætera dulcia habere persentimus, sed uel dulcẽ intelligit ad differentiã salsarũ & acrium, uel per dulcẽ, quã sua lingua γλυκὺ uocat, suauẽ intelligit. Itaq; ipsum intelligere putamus: Tuncq; Dioscoridi Paulus Aegineta cõsentit capite quinquagesimo primi libri, ubi signa optimæ aquæ describit, dicit ipsam esse ἡδὺ, idest, suauem. eius uerba hæc sunt, Latere neminẽ debet, saluberrimã esse aquam, quæ omnis planè tam gustu, quàm olfactu qualitatis expers est, sed ut potanti extẽplo suauis, ita intuentibus lympida uidetur. Adduntq; unũ aliud antiqui ad perfectissimã aquam iudicandã, & hoc est quod hic ab Hippocrate dicitur, ut sit leuissima, idest facile descendat. unde & Dioscorides aquæ perfectionem notans inquit, quęq; nec minimo etiã tempore præcordijs immoretur. & Paulus ferè idem sentit inquiẽs, ὅταν δὲ καὶ ὑποχωρῇ τῶν ὑποχονδρίων ταχέως, μηδὲν ζητεῖν ἕτερον ἄμεινον. τὰ γὰρ ἐπὶ τοῖς ὑποχονδρίοις χρονίζοντα, καὶ τὴν γαστέρα πλήττοντα, καὶ ἐμφυσῶντα, καὶ καταβαρύνοντα, τῶν ὑδάτων κάκιστα. idest, Cũ aũt per hypochõdria, (idest præcordia secũdũ Celsum) celeriter descẽdet, nullã meliorẽ aquã quęrere oportebit. quę enim præcordijs diutius immorabuntur, aluũ uexabũt, inflãmationes faciẽt, & ponderoso onere graues erũt, & erunt omniũ aquarũ pessimæ. hæc Paulus. Columella uero li. primo De re rustica ca. quinto aquã probat, quæ nõ sit haustus profundi, nõ amara, non salsa. & Plin. ca. secũdo libri trigesimiprimi de aquarũ differẽtijs plura agit. Vitruuius etiã li. octauo ca. quinto aliũ modũ probandi aquas docet, q̃ à præscriptis authoribus dictũ sit. nam ipse inquit illas esse bonas, quæ ex profluente, & aperto fonte prodeũt, iubetq; homines illos cõsiderandos, qui circa tales aquas inhabitãt, quã membraturam habeant, & si sint corporibus ualentibus, coloribus nitidis, cruribus non uitiosis, nõ lippis oculis, erunt probatissimæ aquæ. Item si fontes noui defossi fuerint, & in uas æneũ ea aqua sparsa maculam nõ fecerit, optima erit. Itẽ si in aheno ea aqua deferuefacta, in fundo aheni nõ relinquat arenã, aut limũ, erit aqua probata. Item si legumina facile percoquet, est bona. Quod signũ & à Celso, & Paulo, & alijs authoribus ponitur. Si fuerit lympida, & perlucida, & quocũq; peruenerit, aut profluxerit, si muscus nõ nascetur, neq; iuncus, neq; inquinatus ab aliquo inquinamento is locus fuerit, sed purã habuerit speciẽ, inuenitur his signis esse tenuis, & in summa salubritate. hęc Vitruuius, qui ponit quidẽ signa optima probandi aquã, sed ita facile nõ est multa quæ dicit breui tẽpore experiri. Verũ & si antiquitas solũ ex prædictis tribus sensibus, uisu, gustu, & odoratu aquas probaret, tamen & ex tactu, & auditu suæ differẽtiæ haberi possunt. Ex tactu quidẽ, quoniã aliquę percipiuntur calidæ, aliquæ frigidæ, aliquæ molles, aliquæ asperiores. Hippoc. in li. De capitis uulneribus (quãuis ad librũ De aere, aquis & locis hæc pars potius spectare uideatur) omnes calidas aquas damnat, de quibus Plinius ca. primo libri trigesimiprimi agit. & Vitruuius ca. quarto octaui libri. Ex auditu hæ differentiæ sumuntur, si aquæ in terram cadentes sonitum quendam grauiorem faciunt, uel minus grauem. si grauiorem graues sunt & ponderosæ, & secundum Celsum, malę. è contrario sunt quæ leues, de qua re postea agemus. Differentiæ, quæ ex motu sumuntur, hæ sunt: aliquæ mouentur

uentur tardius, aliquæ uelocius, aliquæ quiescunt. Hippocrates, Celsus, Paulus, Aetius locis præadductis, & Columella libro primo capite quinto, eas quę mouentur, stantibus præferunt. & Plinius de hac re præcitato loco longius differit. Differentiæ quę sumuntur ex loco à quo fluunt, hæ sunt. nam aliquæ ab ortu fluũt, aliquæ ab occasu, aliquæ à septentrione, aliquæ à meridie. Authores omnes illas quæ à meridie profluunt, probare nituntur. Hippocrates in libro De capitis uulneribus de hac re agens, primo docet, eos qui inter orientem, & occidentem æstiuum habitant, aquas crudas habere, duras asperas, frigidas, dulces, copiosas. post hęc docet, cunctas aquas quæ ad ortum currunt, lympidas esse, molles, boni odoris. Deniq; prope illius libri finem, urbes illas ostendit quę bonas aquas habeant ex locis unde profluunt, inquiens, quę fontes ad ortum decurrentes, & scaturientes habent, præ cunctis optimæ sunt. Secundo loco sunt quæ inter ortum æstiuum & hybernũ prorumpunt: pessimæ uero sunt quæ ad austrum decurrunt, quæq; inter ortum æstiuũ, & occasum: sed quę ad austrum pessimę sunt: quæ autem ad septentrionem tendunt, meliores sunt. unde & Columella primo De re rustica libro capite quinto inquit, optime autem salubribus ut dixi, locis ad orientem, uel ad meridiem, grauibus ad septentrionem uilla cõuertitur, eademq; semper mare recte conspicit. Differentiæ ex loco per quem fluunt hæ sunt, quoniam aliquæ supra ferrum transeunt, aliquæ supra æs, aliquæ supra argentum, supra aurum, supra sulphur, supra alumen, supra bitumen, supra nitrum, ut Hippocrates in fine libri De capitis uulneribus inquit: tales sunt aquę thermarum, quas in usu quotidiano habemus, & quas Hippocrates loco præcitato uitio uertit. Sed id in causa est, quia nec Hippocrates, nec Galenus, nec Paulus, nec multo posteriores authores, aquarum ex thermis scaturientium notitiam habuere, scilicet ratione potus. nunquam enim illos his aquis in potu usos esse deprehensum est, Tralliano dempto. & forte Hippocrates has aquas in quotidiano potu uituperat, quas etiam Galenus in primo De ptisana capite tanquam illas ex quibus ptisana fieri non debeat, arguit. Adde cœnosas etiam esse malas. Differentiæ ex pondere, & leuitate hæ sunt, quoniam aliqua grauior, aliqua leuior: & quæ leuior melior existit, hocq; in pondere intelligere oportet. Tamen nos diuersarum aquarum, in pondere periculum fecimus, putealium inquam, fluuialium, & pluuialium, & uariarum thermarum: semper uero eandem mensurã, idem pondus habere deprehendimus. Nõnunquam Hercules illustrissimus Ferrariæ dux quartus aderat, patronus noster inuictissimus, qui nos de aquarum ponderibus differentes audiens, aquas uarias afferri iussit, tunc iterum experientia compertum habui, non esse differentiã in pondere, quando ex ipsis ęqualis mensura accipitur. propterea tunc cœpi Plinij sententiã considerare li. trigesimoprimo capite tertio, ubi dicit, quidã statera iudicãt de salubritate, frustrante diligentia, quando perarũ est, ut leuior sit aliqua. Certior subtilitas, inter pares meliorẽ esse quæ calefiat, refrigereturq; celerius. ut hoc loco Plin. simul aquã ponderare reprehendat, & id quod ab Hippocrate dictũ est doceat. Deniq; nos experientia deprehendimus, aquas turbidas in pondere grauiores esse lympidioribus, quod fieri ratione cõmixtionis cœni uel arenæ putamus. Alia habetur differẽtia, quæ ab extrinseco accipitur, scilicet quod cito uel tarde calefiat, uel refrigeretur. Adsunt & aliæ aquarũ differentię apud alios authores positæ, quas referre ꝓsequemur. etenim Rufus (ut Aetius li. tertio ca. 175. refert) aquas diuidit in pluuiales, fontanas, puteales, fluuiatiles, & è stagnis. Pluuialis tenuissima est, & facillime trãsmutatur, ut eodẽ loco dicit Aetius. inutilis uero est dispositionibus biliosis, quia transit in bilẽ. de ipsa Hippocrates in fine libri De capitis uulnerib. inquit, pluuiales quidẽ leuissimę, tenuissimę, lympidissimę, dulcissimæq; sunt. Sol enim aquæ principiũ, quod leuissimũ est & tenuissimũ, in superiora deducit & præripit, quod mare & sal declarant. salsum enim quod est illic remanet, salq; fit. tenuissimũ aũt quod est, sal præ leuitate pręripit: quod non solum ex aquis marinis, palustribus & lacustribus, cęterisq;, sed & de rebus omnibus, in quibus humidum quid inest, facit. Quin & de hominibus ipsis, quod tenuissimũ, & leuissimũ humoris inest, deducit. Paulus Aegineta lib. primo cap. quinquagesimo de pluuiali aqua idẽ quod Hippocrates dicit. immo ipsum refert. Verũ quia inter pluuiales alię sunt æstiuę tonitruosæ, alię procellosę: tonitruosas procellosis præfert, & quia sub pluuia aquæ contineri possunt, quę ex

niuibus

niuibus & glacie eliquatur, ideo dicere oportet, apud hos authores has aquas esse deteriores pluuialibus. Vitruuius quoque li. octauo ca. secundo aquā ex imbribus salubriores uirtutes habere dicit, & eam præ cæteris laudat, illique multas dotes condonat, tu ipsum lege. Celsus uero libro secundo capite decimooctauo hunc ordinem facit, Aqua leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, post hæc ex niue, aut glacie, grauior his ex lacu, grauissima ex palude. Sed Paulus uitiosissimas omniū facit eas quę ex glacie & niue colliquantur, quia per congelationem omnes tenuissimæ partes exprimuntur. Fluuiales omnes, & è stagnis Aetius arguit. Sed an aqua pluuialis omniū optima sit, ut Hippocrates sentire uidetur, & post ipsum Paulus, Vitruuius, Aetius, & alij multi, ea lege quæ in nostro syruporū examine de aqua scripta reliquimus: Nec Pliniū omittes li. trigesimoprimo capite tertio, ubi contra illos inuehitur, qui hoc dicūt, immo adeo illi odio est hæc opinio, ut in hęc uerba proruperit, Horū sententiā refellere interest uitæ. propterea totis uiribus probare conatur, aquā pluuiā uitæ potius obesse, quàm prodesse. Nos uero in syruporū examine hæc statuimus: in ordine elementi pluuialem aquā cæteris præstare, sed respectu humanæ uitæ non est perfectior. Nam ad uitæ nostræ perfectionem, elementorum puritas non exigitur, sed re mixta indigemus: unde Paulus in ordine elementari pluuialem aquam omnium perfectissimam facit. At si dixeris cito putrescere, propterea deterrima sit. Paulus respondet, immo hoc esse bonum, quia alterationis procliuitas uirtuti potius, quàm uitio adscribenda est. At si contingat hominem in locum aliquem accedere, in quo aquæ limosæ sint, & teterrimi odoris, eas elixari iubet Paulus, postea bibi. additque, limosas, bituminosas, & salsugineas percolari oportere, & illud est optimum ad corrigendas aquas præsidium, eas uino miscere. Hæc de Aquis dicta sufficiant, quas in hoc loco Hippocrates solum per cito, & tarde, calefieri & infrigidari probat.

GALENVS

NON pondere talem esse leuissimam dicendum est. Sic enim nihil magnum edoceret, præter id quòd per quendam circuitum illud inuenit quod facile erat statim inuenire. Nam si pondere leuiorem aquam dignoscere quęrit, promptum ad proprium eorum quæ ponderantur iudicium perducere, eius rei per lancem ac pondus facientes inquisitionem. Sed nunc leuiorem dixit aquam quæ uentrem non grauat, & quæ cito permeat: sicuti isti contrariam, grauem uocamus quæ cito non permeat. Liquet autem quòd non solum hoc iudicium existit uirtutis aquæ, sed quòd cum alia in propatulo sint, & ab omnibus nota, hoc uero aliquid habeat artificiosum, sic ad id prodendum scripto Hippocrates uenerit. Sed quænam sunt alia? Primum quidem, si neque turbida, neque cœnosa, neque in gustu aliquam absurdam qualitatē præsefert, deinde & illud quod nunc Hippocrates dixit, si cito refrigeratur, & calet: nam perspicuum existit talem esse bene alterabilem. Sicuti autem cibi uirtus est esse bene alterabilem, ita & aquæ: siquidem facile transmutari uolumus quicquid concoqui debeat ab instrumentis quibus est coctionis munus à natura demandatum. Quicunque uero sola potantium dispositione optima aquam iudicant, certissimo quidem utūtur iudicio, uerum si hoc tantum assumpserint nō rectè faciunt. Prius enim oportet de aqua ex dictis signis iudicare, antequam ad talem ueniant experientiam.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, & si Hippocrates leuissimam aquam dicat, hoc tamen non intelligit quo ad pondus: ita enim Hippocrates rem nullius momenti attulisset, immo quod facillime fieri poterat, prolongat. facillime aūt poterat aqua lance ponderari, & cū pauco temporis discrimine, pręter id quod est illam calefacere & infrigidare. propterea credere oportet, Hippocratem non intellexisse leuissimam, quo ad pondus, sed illam leuissimam intelligit, quę non grauat uentrē, & quę cito permeat. Illa uero, quæ cito non permeat, grauis uocatur. tamen cū multo plura sint quibus potest aqua probari, hoc solū prosequi uoluit Hippocrates, tanquam id quod in se aliquid artificiosi & pulchri habet.

Quod legitur iudicium perducere, græce est ἄγειν κειτήειον. idest, ducere ad locum iudicij. est enim apud græcos κειτήειον, forum, idest locus iudicij.

Quod etiam legitur, Ventrem nō grauat, & quę cito permeat. In nostra antiquo contextu

textu duæ lectiones sunt, una legit ῥαδίως, idest facile, alia ταχέως, idest cito. hanc secundam magis probo, quam & contextus Aldinus habet.

SECVNDO Galenus docet, quæ nam sint illa, quibus aqua probari possit, his tamen exceptis, quæ hic ab Hippocrate scripta sunt. Inquit autem hæc esse, si neq; turbida sit, neq; cœnosa, quæ ad uisum spectant: neq; in odoratu, neq; in gustu aliquam absurdam qualitatem habeat.

Quod legitur, Si neq; turbida, neq; cœnosa, neq; in gustu &c. In hoc loco deest una particula, ita enim legi debet, si neq; turbida, neq; cœnosa, neq; in odoratu, neq; in gustu &c. putamus hanc particulam, neq; in odoratu, omissam esse. græce enim habetur, εἶθ' ἑξῆς εἰ μήτε κατὰ τὴν ὀσμὴν, μήτε κατὰ τὴν γεῦσιν, & reliqua.

Quod etiam legitur, Absurdam qualitatẽ, græce habetur ἀλλοκότου ποιότητος, idest, alienam qualitatem, uel extraneam, uel etiam absurdam.

TERTIO Galenus ad Hippocratem descendit, qui aquam laudat, quæ cito calefit, & refrigeratur: & id ob hanc rationem, quia bene alterabilis est. nam sicuti cibus si bonus esse debeat, bene alterabilẽ esse oportet, ita aqua bene alterabilis esse debet. omnia enim quæ concoquenda sunt, facile transmutari posse debent ab instrumentis ad coctionem à natura factis.

Deniq; Galenus certum aquæ iudicium esse dicit, potatoribus aquæ consideratis quonam modo dispositi sint. quoniam si bene dispositi sint, de aqua bene iudicare debemus: si male dispositi, male. Tamen hoc solum considerari non debet, immo opus est, priusquam ad hanc experientiam deueniatur, quam hic prosecutus est Hippocrates, ex dictis signis iudicare.

APHORISMVS XXVII

QVi noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus si superdormierint, bonum.

BRASAVOLVS

HOMINIBVS plerunq; contingit in somnis ingentes sites incidere, quæ cum aliquos corripuerint, superdormire bonum est. ex hoc enim somno sitis ipsa sedatur, quia causa illa quę sitim faciebat, resoluitur & remouetur. Oribasius uero alium sensum Aphorismo tribuit, quàm is sit à nobis propositus, & à Galeno conscriptus. Ipse etenim præcedentem aphorismum huic connectit, & unum facit, hoc modo legens & continuans, Aqua quæ cito calescit, & cito frigescit, leuissima est, quam oportet bibere, eos qui noctu admodum sitiunt, & si superdormierint, bono est. tanquam si ab Hippocrate ea aqua eligatur, quę conuenientior sit, ut in potu exhibeatur his qui noctu sitiunt: unde ita aphorismũ mox exponit, si alicui sitienti aquam dare uolueris, coques duas aquas, & quæ celerius calefacta fuerit, celerius item refrigerata, ea detur, leuior est. & quando dabis nocte si superdormierit, is qui bibit, optimum: quia calor ad uitalia confugit, & nihil aquæ frigus lædit. hæc Oribasius. Tamen eius expositio Hippocratis sententiam non attingit. nam distinctum quoddam in hoc aphorismo docet ab eo quod in præcedenti dicebatur, ut Galenus etiam testatur, & quisq; ex Hippocratis serie facile uidere potest. Philotheus uero hoc modo aphorismum introducit, θεραπείαν ἡμῖν παραδίδωσιν τοῦ ἐνταῦθα συμπτώματος, τουτέστι δίψης. idest, Hic remedium tradit nobis eius symptomatis quod dicitur sitis.

οἷσι, uel ut Aldinus codex habet ὁκόσοισι πιεῖν ὄρεξις νύκτωρ. idest, Qui noctu bibere appetunt.] Hic uero bibendi appetitus multis de causis prouenire potest, unaq; sitis est naturalis, alia non naturalis, sed ex accidente facta. Naturalis sitis ex humidi naturalis, & roscidi exiccatione inducitur, quod in ore uentriculi est, & hoc fiat à calore naturali, & non ab aliquo calore præter naturam. De hac siti Hippocratem intelligere non potes, quoniam ipsa per somnũ nõ corrigitur, sed potius per potum. posset tamen & ex naturali siccitate induci, quamuis Paulus Aegineta libro secundo capite quinquagesimotertio dicere uideatur hanc sitim habere somnum pro remedio, & uigilantiã. nempe hac distin

hac distinctione utitur: qui sitim incurrunt ob partium ariditatē, per quas fertur humiditas ex ore in uentrem, somnus est remedium. Qui uero incurrunt sitim ob calorem easdem partes exiccantē, uigilantia his est remediū. nos potius iudicamus potū esse remedium: Sitis uero præter naturā quandoq; ex quadam consuetudine fit, sicuti nonnulli reperiuntur qui ob bibendi consuetudinē semper sitire uidentur, & hi etiā somno nō iuuantur, sed potius in eodē statu sunt quando expergiscūtur, & de his nō intelligit Hippocrates. Fit quandoq; sitis ex nimio uini potu, quia ex ebulliente uino calidi uapores eleuātur, & os uentriculi petunt, sitimq; faciūt, quā dicit Paulus ex aquæ potu sanari, sed etiā ex somno corrigitur. nam per somnū uinum coquitur, & fumi illi resoluuntur. de hac siti Hippocrates intellexisse potuit. Quod uero ex potu sitis fiat, non solum experientia & Galenus docent, sed & Philotheus, sitis causas enumerans, fieri διὰ ἐγχυσιν οἴνου, idest, ob uini adustionem, uini inquam nimis ingesti.

Quandoq; sitis fit ex nimio cibo eodem modo effumante, cui remedium est somnus cibum concoquere procurans, & fumos resoluens. & sitis potissimū fit, si cibi sint salsi, unde & à Philotheo dicitur, hanc unam esse sitis causam πλῆθος τροφῶν, καὶ μάλιστα ἁλμυρῶν. idest, ciborū multitudo, & præsertim salsorum. Quādoq; fit sitis ex calida uel sicca ciborum sumptione, & hanc potu aquæ sanari dicit Paulus. tamen potest & somno sanari, quia in somnis cibi illi cōcoquūtur. Hippocratesq; de his omnibus modis intelligit, & non de naturali siti, quæ ob siccitatem naturalem, uel ob caliditatem fit. Quandoq; fit sitis (ut Philotheus dicit) διὰ χολὴν συῤῥέουσαν ἐν τῷ στομάχῳ, idest, ob bilem in os uentriculi confluentem. Quandoq; (ut etiam Philotheus dicit) fit sitis διὰ ἔνδειαν χρηστῆς ὕλης, idest, ob defectum bonæ materiæ. forte hic author id intelligit, quod nos in prima causa retulimus, humidi naturalis defectū. aliter uidere nescimus, quid sit illius materiæ defectus qui sitim inducat. Tamen sunt aliæ causæ, quæ sitim inducere solent. nā aliquis qui comederit, & nō biberit, sitim incidere potest. & qui à dipsade morsi sunt, siti molestantur. Si quis etiam marinam aquam potauerit, siti corripitur (ut Paulus præcitato loco docet) sed & ex exiccāte febre sitim incurrimus, Philotheo etiā dicēte sitim fieri διὰ καύσωνα πυρετὸν, idest, ob febrem ardentem: hæcq; sitis multis remedijs à Paulo dictis soluitur, & non ex somno. Si quis etiam aperto ore dormierit, sitim incidere poterit, Immo Paulus capite quinquagesimo quarto eiusdem secundi libri docet supinā cubationem sitim inferre. Nos uero huius rei aliam causam inuenire nescimus, nisi quia illi qui supine cubant, plerunq; ore aperto cubare soleant.

Τοῖσιν πάνυ διψώδεσιν. idest, His admodum sitientibus.] quia si parum sitirent, nec dandus est potus, nec de ista siti curandum. At si uehementer sitiant, non quia non biberint, sed ex uino epoto, uel multo cibo ingesto, tunc somnus bonus est. nam uapores resoluendo sitis causam remouet.

Ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν. idest, Si superdormierint bonum.] Quia uaporibus resolutis, aut his quæ sitim faciebant, cum expergiscuntur, absq; siti inueniuntur. Ideo non abre fuit à potu abstinere, ne coctio impediretur. Tamē sitis quædam est, quæ uigilijs sanatur, ut Paulus dicit, & est illa quæ à caliditate fit. Tu intellige à calidis humoribus in ore uentriculi existentibus, de qua & Auicēna in prima quarti, in eo loco ubi siti acutarū febrium succurrere docet. Philotheus cur bonū sit, si superdormierint, causam reddit, inquiens, πέψις γὰρ γίνεται, καὶ ἀπαλλαγὴ τῆς δίψης. εἰ μέντοι μέτριος, ἢ ἐμπυρώδης, δεῖ ἀποστέλλειν τὸ ἐπέχειν αὐτοῖς τὸ πόμα, πλὴν εἰ μὴ διὰ ξηρότητα γίνεται δίψα. idest, concoctio enim fit, & liberatio à siti. Siquidē mediocris uel febriculosa reprimere oportet, præbentes ipsis potum, nisi ex siccitate fiat sitis.

GALENVS

NEQVE si dandus, neq; si minime dandus sit potus, his qui noctu admodum sitiunt, quicquam ostendit, sed hoc tantum quòd superdormire confert. Coquitur enim per somnum, ut liquet, & subdescendet id quod efficit sitim: non tamen illud est in obscuro, quòd ualde sitientibus potus est dandus, siue ex potatione uini meracioris, siue ex defectu potus sitis aduenerit: nam & defectui succurrere confert, & illam quæ facta ex uino caliditatem aqua restinguere, theorema est medicinale. Si tamen modice sitierint, non omnino eis dandus est potus, sed considerandum, nunquid ex defectu hu

midi tale quid patiantur, siue ex nimia uini potatione: contingit enim his ex somno iuuari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, ab Hippocrate non edoceri, an dandus, uel non dandus sit potus ijs qui noctu bibere appetunt: sed id solũ docet, quod superdormire confert. Non desunt tamen qui noctu bibant: & nos uel noctu, uel interdiu sitim ferre nõ possemus. At de nocte uerba fecit Hippocrates, quia interdiu sitientes bibunt, at noctu bibere præter humanam consuetudinem uidetur.

SECVNDO docet, Hoc certum esse, ualde sitientibus potum esse dandum, quomodocunq; facta sit sitis, uel ex uini meracioris potu, uel ex potus defectu. Nam medicum theorema est caliditatem ex uino factam aqua restingui, & etiam cum quis non biberit, & sitim habeat, eam sitim aqua restingui.

Quod legitur. Nam & defectui succurrere confert, grece habetur τό, τε γὰρ τῇ ἐνδείᾳ ἰᾶσθαι προσφορᾷ. idest, Nam quod & defectui succurratur cũ oblatione. uel, mederi oporteret propinatione.

Quod etiã legitur, Aqua restinguere, grece est ὕδατι σβεννύναι. idest, Aqua restingui.

Quod etiam legitur, Theorema est medicinale. græce habetur τῶν ἰατρικῶν ἐστι θεωρημάτων. idest, Theorematum medicinalium est, idest ex his theorematibus est, quæ ad artem medicinã spectant. hæc est una antiqui nostri contextus lectio. Aliam habet lectionem, quę in Aldino contextu etiam est, hanc inquam, τῶν ὑγιεινῶν ἐστι θεωρημάτων. idest, Theorema est salubre. tamen utrunq; dici nihil impedit.

TERTIO Galenus docet, Non esse dandum potum, si parum sitierint, ac si dicere uideatur: si multum sitierint, dandus est potus. immo re uera nisi potus detur, hi qui uehementi siti infestantur, dormire non possent. nam magna molestia est sitim pati, nõ minor quàm uel febrem, uel aliam ueram ægritudinem ferre.

Deniq; Galenus infert, quęnam sites illę sint, quæ à somno iuuentur, illæ inquã quę ex nimia uini potatione fiunt, & illas numerare uidetur, quæ ex humidi defectu contingunt. Sed nos hanc inter illas non numeramus, quæ somno iuuantur. quamuis dici posset, in somno materiam aliquam humidam à capite defluere, quæ infernas partes humectet. uel Galenum potius dicamus hoc modo distinguere, uel sitis fit ex humidi defectu, uel ex nimia potatione: quæ ex nimia potatiõe fit, somno iuuatur: deinde aliam omittit, tanquam eam quæ à somno non iuuetur.

APHORISMVS XXVIII

SVffitus aromatum muliebria ducit, sæpius uero & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.

BRASAVOLVS

IN hac huius quinti libri parte, usq; ad sexagesimumtertiũ aphorismũ, de mulieribus utero gerentibus, & nõ gerentibus utero uerba facit Hippocrates, multa ipsarũ symptomata pertractãs. propterea in nostro antiquo cõtextu huic parti hic titulus præfixus est περὶ γυναικείων παθῶν, καὶ θεραπείας. idest, de mulierũ passionibus & cura. & Philoth. simplicẽ inscriptionẽ habet περὶ γυναικῶν. idest, De mulieribus. In aliquib. uero curãdi modum edocet Hippoc. sicuti in hoc primo aphorismo facit, in quo ostẽdit, quando mulier muliebria sua habere nõ potest, suffitu aromatũ illa educi. nã eiusmodi aromata uias aperiũt & dilatant, & sanguinẽ qui exire deberet, attenuãt, & uim expultricẽ adiuuãt. immo & hęc aromata in mulieribus ad multa proficerẽt, nisi capitis grauitatẽ inducere cõsueuissent. nam præcipuis membris cõueniunt. nempe cor ipsum roborãt, & suo odore ac calore cerebrũ iuuarent, nisi uaporosa essent, caputq; aggrauarẽt, atq; implerent. Oribasius in hac parte sexto libro initiũ condonat, immo quintum librũ sexto ita continuat: Cum in quinta particula docuerit nos Hippocrates differẽtias urinarũ & ueratri, item qualitates calidas & frigidas, nunc migrans ad sextam particulam de muliebribus affectibus tractare uult. Tamen quia aliqui putarunt hunc sextũ librum (secundum ipsum) idest hanc

idest, hanc partem Hippocratis non esse, sed esse adiunctam, ob hoc quia in hac parte dicatur, ex mulso cognosci an mulier sit grauida, quod nõ uidetur dictũ Hippocratis consonum, ideo Hippocratis non est hęc pars. Sed Oribasius hos reprehendit ex Galeni sentẽtia, qui hunc librũ in septem libros diuisit, neq; plures, neq; pauciores. Adde, quod hæc particula de mulierũ affectibus est, fuit aũt conueniẽs, & Hippocratẽ de his mulierũ affectibus uerba facere: nullus enim tam apte tractasset, quàm Hippocrates hic tractauit.

γυναικείων ἀγωγὸν, ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη. idest, Muliebria educit aromatũ suffitus. Vocabulum ἄρωμα uel aromata ab antiquioribus græcis ea solum dicũtur quæ ad suffitus odoratos in ara accẽduntur. hęc à Thucydide Ἁγνὰ θύματα. idest, pura sacrificia uocantur, sed deinde nomẽ id ampliatũ est, & omnia odoramẽta significare cœpit. Sunt uero omnia aromata calida, aperiẽtia, attenuãtia, & apud Galenũ hęc potissimũ aromata uocãtur, casia, cinamomũ, costus, amomũ. Oribas. uero addit spicã indicã, cardamomũ, calamum aromaticũ & styracẽ. Per suffitus suffumigiũ intellige, quod ex horũ aromatũ pulueribus fit, quando supra ardentes prunas inijciuntur. At fumus in uterũ recipi debet, modum uero recipiendi Oribasius docet: factis trochiscis ex prædictis aromatibus mitti debent in fictile uas, in quo sint carbones accensi, & uasis orificiũ, ori uuluæ apponat, ne uapor foras exeat, sed intus permaneat. Tamẽ uocabulũ aromata ad omnia quę mẽses prouocãt, ampliare debes, uel odorata sint, uel nõ odorata, sed calida sint aperientia, atq; attenuãtia. hoc etiã nomẽ suffitus ad fomẽta ampliare potes, ad pessaria, ad suffumigiũ per ebullitionẽ harũ rerũ in aqua, uel suffumigiũ fit ex accẽsis carbonibus & puluere, uel ex eisdẽ accẽsis carbonib. & trochiscis. Quid uero sint muliebria, quæ à græcis γυναικεῖα uocãt, dubiũ esse uidet. nã Recẽtes interpretant mẽses, ideo exponũt suffitus aromatũ mẽses ducit, & ita interpretatus est Theodorus, & ita Marcell. in Dioscoride semper intelligit, & multi alij recẽtes, qui antiquiores interpretantur. Philoth. quoq; per uocabulũ γυναικεῖα menses intelligere uidetur. uerba eius hæc sunt. νῦν ἰδιάζοντα νοσήματα ταῖς γυναιξὶ παραδίδωσιν ὁ Ἱπποκράτης. καὶ ταῦτα θεραπεύει. καὶ φησίν, ὅτι τὴν ἐπιμηνίων κάθαρσιν ἐπισχεθεῖσαν, ἡ διὰ τῶν ἀρωμάτων πυρία θεραπεύει. i. Hippoc. nũc ꝓprios mulierũ morbos tradit, & hos curat, & inquit qđ retentã menstruã purgationẽ, per aromata suffitus sanat. Nobis aũt aliud quoddã latius per hoc uocabulũ γυναικεῖα, idest muliebria, intelligendũ uidetur, quàm soli menses, licet hæc eadem menses ducant, & Aristoteles quãdoq; in lib. De historia animaliũ, prȩsertim septimo per γυναικεῖα menses intelligat. Sed quod sit cõmunius uocabulum, indiciũ hinc haberi potest, quia Hippocrates librũ fecit, quẽ περὶ τῶν γυναικείων, idest, de muliebribus inscripsit, in quo nõ de solis menstruis, sed de alijs quoq; mulierũ morbis differit. ideo ex his indiciũ haberi potest, uocabulũ γυναικεῖα multo plura significare, quàm uocabulũ ἔμμηνα, idest mẽses. Adde huic rei & hoc testimoniũ, quod in multis Dioscoridis locis, ubi de re aliqua quæ mẽses ducit, uerba facit, inquit, ἄγει δὲ καὶ ἔμμηνα, idest, ducit & menses. cuius rei si locũ unũ habere uolueris, tertiũ Dioscoridis librũ lege, ubi de Apio mõtano agit, tũc utitur uocabulo ἔμμηνα pro mensibus, & non γυναικεῖα. Nec illud ualet, quod quispiã in oppositũ afferre posset, id uero est Theophrastum de Apio montano loquentẽ non dicere ἄγει ἔμμηνα, idest ducit menses, sed γυναικεῖα, idest muliebria. uerba eius hæc sunt libro octauo De plantarũ historia, διδόασι δὲ τὸ ὕδωρ ἐν οἴνῳ αὐστηρῷ τῶν γυναικείων χάριν. idest, dantq; in uino austero, muliebrium gratia. Nam Theophrastus Apij montani uires magis ampliat, quàm Dioscorides faciat, quia Dioscorides solum ad menses, Theophrastus ad muliebria ualere facit. Prętерea Galenus quid sint γυναικεῖα, idest muliebria hoc loco edocẽs, inquit esse menstruorum purgationes, & illa quæ sunt à partu. Inter illa uero quæ à partu sunt, Secunda unũ est, quæ & ipsa aromatum suffitu educitur, quando sua sponte non exit. In summa igitur (ut tandem receptui canamus) de mensibus potissimũ uerba facit Hippocrates, qui nihil aliud sunt quàm sanguis, qui singulis mẽsibus in mulieribus expurgatur. Nam cũ mulieres in pubertatẽ ueniunt, & iam aptæ uiro sunt, natura illis prouidit, ut si conciperent, fœtus nutriri possit absq; puellæ dispendio. & ideo id efficit, ut ipsis sanguis magis multiplicaretur, quàm pro suo nutrimento ad propriã conseruationẽ conueniat. Is uero qui superabundat, ad conseruandã speciẽ per fœtũ multiplicatur, & hic est ille sanguis, quo infans per nouem menses nutritur, quando in matris utero clausus est. Si uero mulieres

aromata

nõ ſint utero gerentes, ſuperabundat, colligitur, & de menſe in menſem expellitur. habent uero mulieres hanc purgationẽ ab anno pubertatis uſq; ad primũ ſeniũ, idest à duodecimo uel decimotertio anno, uſq; ad quadrageſimũquintũ ut in pluribus. ante pubertatẽ non habent, quia creſcũt, & illo ſanguine pro augmẽto indigẽt, ideo mulieres poſt menſtruorũ eruptionẽ egregie nõ creſcunt, & minus poſtq; utero gerere cœperunt. At poſt quadrageſimũquintũ annũ ſanguine illo indigẽt, quia in ipſis parũ ſanguinis multiplicatur: propterea menſes deficiũt. in hoc igitur ſolo tẽpore medio, in quo impleri poſſunt, mẽſes habẽt. purgãt uero (ut Oribaſius dicit) per quaſdã uenas, quę ab hepate ad uterũ tendũt. Quod ergo hic ab Hippocrate dicitur, ſuffitus aromatũ muliebria educit, intelligit & ea quæ in partu educi debẽt, & ſuppreſſos mẽſes, quod etiã ſine febre effatu digna intelligere oportet. fit uero menſium ſuppreſſio multis de cauſis, quandoq; quia mulier utero gerit, & in hoc caſu ne fiat abortus, prouocari non debent. nam infans ipſis indiget, propterea de hac ſuppreſſione nõ intelligit Hippocrates. Quandoq; ex ætate retinẽt, ut in ſenio, de qua etiã retentiõe Hippocratẽ intelligere nõ eſt opus, quoniã & hæc menſiũ ſuppreſſio naturalis eſt. Quandoq; fit ob uteri inflammationẽ, uel euerſionem, uel ob aliquã ſimilem ægritudinẽ, menſiũ ſuppreſſio, & de his etiã non intelligit Hippocrates. quãuis poſſent ad hãc ſuppreſſionẽ quodãmodo aromatũ ſuffitus iuuare.

Quandoq; fit, uel ob uirtutis expulſiuę debilitatẽ, uel ob retentiuæ robur, uel ob utrũq;. de his intelligi poteſt Hippocrates, quia expulſiua uis ex aromatũ ſuffumigio ualentior euadit. Quãdoq; fit ob uenarũ ſtricturã, quæ non poteſt aromatibus adiuuari, ſed id tantũ effici poſt, aromatũ ui attenuare materias, itaq; ad faciliorẽ exitũ diſponuntur. Quãdoq; fit ob ſanguinis craſſitiẽ, uel ob uaſorũ, quæ ad uterũ pertingũt, obſtructionẽ, uel ob ſubſtantiæ denſitatẽ, uel ob craſſam pituitã. & in his omnibus caſibus intelligendus eſt Hippocrates, muliebria ſcilicet per has cauſas retenta atq; ſuppreſſa, aromatũ ſuffitu educi. Philotheus cauſas illas in unũ colligit, quæ aromatũ ſuffitu iuuantur inquiẽs, πλὴν ἐκείνην τὴν ἀποχεθεῖσαν ἐπ' ἐμφράξει παχυτέρας ὕλης ἢ μύσει τῶν ἀγγείων, ἢ πύκνωσιν τῆς αἰτίας αὐτοῦ. ὅτι ὡς λεπτομερὴς καὶ θερμὸς ὁ ἀὴρ ἐκ τῶν ἀρωμάτων, ἐκλεπτύνει, καὶ ἀραίωσιν ἐμποιεῖ, καὶ διαφορεῖ τὴν ὕλην τὴν ποιοῦσαν τὴν ἔμφραξιν, κἀντεῦθεν προτρέπεται τὰ καταμήνια, καὶ ἀναστομοῖ τὰ μεμυκότα πέρατα τῶν ἀγγείων. idest, Veruntamẽ retentionẽ illã (ſcilicet curat) quę in obſtructione craſſioris materiæ, uel uaſorũ præcluſione uel denſitate ipſius cauſę eſt. quoniã tenuis pars, & calidus aer ex aromatibus, attenuat, & rarefactionẽ inducit, & materiã obſtructionẽ facientẽ diſcutit, & hũc (in) menſes proritat, & extremas uaſorũ partes clauſas aperit. At ſi tu dubites de alijs uteri obſtructionibus præter illas, quas hic enumerauit Philotheus, ipſemet hoc modo reſpondet, τὰς γὰρ ἄλλας ἐπισχέσεις τῆς ἐμμήνου καθάρσεως, τὰς διὰ πάντων ὄγκων ἐν τῷ στομίῳ τῆς μήτρας συνισταμένων γινομένας, ἢ παρέγκλισιν τοῦ τραχήλου τῆς μήτρας, ἢ ξηρότητα, οὐδαμῶς ὠφελεῖ αὕτη ἡ πνεία. idest, alias enim retẽtiones ſiue repreſſiones depurgatiõis menſtruorũ per omnes tumores in ore uteri cõſiſtentes factas, uel per inclinationẽ colli uteri, uel per ſiccitatẽ, nullo modo iuuat ipſe ſuffitus.

Πολλάκις δὲ καὶ εἰς ἄλλα χρήσιμος ἂν ἦν. idest, Sæpius uero & ad alia utilis eſſet.] Scilicet aromatũ ſuffitus: quia pręcipua noſtri corporis mẽbra aromatib. roborãtur, & aromata ab eiſdẽ principalib. mẽbris frigiditatẽ remouẽt. omnia eñ aromata calida ſunt quia odorata, ut Gale. quarto de ſimpliciũ medicamentorũ facultatib. li. ca. uigeſimoprimo docet. Philoth. ita interpretat̃, ſępius & ad alia utilis eſſet, τουτέστι εἰς ἔκλυσιν τοῦ στομάχου καὶ ἀτονίαν γαστρὸς καὶ ἥπατος. i. hoc eſt ad oris uẽtriculi exſolutionẽ, & uẽtris debilitatẽ, atq; iecoris.

Εἰ μὴ καρηβαρείας ἐνεποίει. idest, Niſi capitis grauitatẽ faceret.] Nam cũ aromata calida ſint, & calidi natura ſit aſcẽdere, propterea aſcendunt in caput, alios uapores ſecũ adducentia, qui ſimul cũ aromatibus, & καρηβαρείαν, idest, capitis grauitatẽ faciũt. Si uero cauſas omnes quæras, ob quas aromata capitis grauitatẽ inferant, hę ſunt. cũ ſint tenuioris ſubſtantię, plurimũ euaporant. præterea materias illas ſecũ ducũt, quas in uijs reperiũt. Adde, ſua caliditate inflãmare. Philoth. unã ſolam cauſam refert inquiẽs, οἱ γὰρ ἀτμοὶ ταύτης ὡς λεπτότεροι, φέρονται ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ πληροῦντες αὐτὴν καρηβαρείαν ἐργάζονται. idest, huius enim uapores, in caput feruntur, & ipſum implentes, capitis grauitatem faciunt.

GALENVS

MVLIEBRIA dicit, ut liquet, ea quę ex utero mulieribus euacuãtur in menſtruis purgatio-

purgationibus, & à partu. Clarum etiam illud est, quòd & hoc in loco, illas quę uel propter uteri inflammationem, uel euersionem, aut talem aliam causam non purgantur, non recte curabimus, uel eam curantes passionem, cuius est casus suppressio menstruorum. Quę uero sine hac passione parcius purgãtur, his quę nunc ab ipso docentur suffitibus curat. In his enim uel sanguinis crassitudo causa est retentionis, uel obstructio uasorum quæ pertingunt ad uterum, uel horum obseratio, uel totius substantiæ densatio. Quodcunq; uero dictorum in causa fuerit, ex aromatibus suffitus sanat dispositionem, quia sua ui aperit quidem uasorum extrema obserata, Extenuat autem humorũ crassitudinẽ, obstructiones uero incidendo ex obstruit. Multoties uero, & ad alia, inquit, utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem: nam totum corpus poterat continuo suffiri per uterum in omnibus frigidis, atq; humidis dispositionibus, nisi timeremus, illam quæ fit ex suffitu capitis grauitatem, præsertim in febribus. Quod uero omnia aromata natura apta sunt facere capitis grauitatẽ, & experientia ostendit, & ratio docet. Quęcunq; enim satis calefaciunt, omnia ferè capitis grauitatis sunt causa, utpote sui natura calido ad superiora petente. Calida autem est sufficienter omnium aromatum natura, & præcipue Cassiæ, Costi, & Cinamomi, & Amomi.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligendum sit per γυναικεῖα, idest, Muliebria ea inquam intelliguntur, quæ à partu, & à menstruis purgationibus euacuantur.

SECVNDO docet, quando muliebria desunt, uel ob uteri inflãmationẽ, uel ob euersionem, uel ob aliã similem causam, per aromatũ suffitus nõ sanari, sed passionẽ illam curantes quæ suppressionem facit, suppressio ipsa, quæ symptoma est, curatur.

Quod legitur, Non aliter recte curabimus, quàm eam curantes passionem, cuius est casus suppressio menstruorũ. in nostro antiquo contextu sunt duæ lectiones, una quæ ita legit οὐ καλῶς ἰασόμεθα, ἢ τὸ πάθος ἐκθεραπεύσαντες οὗ σύμπτωμά ἐστιν ἡ τῶν γυναικείων ἐπίσχεσις. hancq; lectionẽ cõtextus Aldinus sequitur, præterquam in eo, quod illam particulam καλῶς præcedenti sententię cõiungit, scilicet aut talem aliam causam non recte purgãtur. Altera lectio est, οὐκ ἄλλως ἰασόμεθα τὸ πάθος, σύμπτωμα γάρ ἐστι ἡ τῶν γυναικείων. idest, non aliter sanabimus passionem, symptoma enim est muliebrium. Tu considera, quæ nam lectio conuenientior sit, utraq; in uerum sensum duci potest.

TERTIO docet, alias suppressiones quę sine his prædictis passionibus fiunt, suffitu aromatũ purgari, quoniã suppressio fit, uel propter sanguinis crassitudinẽ, uel propter obstructionẽ uasorum quę ad uterum pertinet, uel propter horũ obserationẽ, uel propter densationẽ totius substãtię. Quodcũq; ex his enumeratis in causa sit, aromatũ suffitu dispositio illa sanatur. nam sua ui extrema uasorum obserata aperit, & humorum crassitudinem extenuat, & obstructionem incidendo recludit.

Quod legitur, Vel horum obseratio, gręce est ἡ μύσις τῶν ἐν τῶν τόπων. est uero μύσις præclusio & suffocatio.

QVARTO secundã Aphorismi partẽ contemplatur. dixit enim, multoties suffitus aromatũ esset utilis, nisi capitis faceret grauitatẽ. nẽpe in frigidis & humidis affectionibus totũ corpus suffiri poterat, nisi capitis grauitatẽ uereremur, præsertim in febribus.

Quod legitur, Nam totum corpus poterat continuo suffiri per uterum, in nostro antiquo contextu, & in Aldino adest hęc particula διὰ τῆς μήτρας. idest, per uterum. tamen contextum legimus, in quo non aderat, & re uera hæc aphorismi pars sine illa particula, per uterum, legenda uidetur. quamuis & si adfuerit, sensus malus non sit.

QVINTO docet, Omnia aromata natura apta esse capitis grauitatẽ inducere. hoc aũt dicit experientia patere, & per rationem edoceri posse. quoniam ea quæ multum calefaciunt, grauitatis capitis causas esse constat. aromata uero omnia calida sunt, præsertim casia, cinamomum, costum, & amomũ. Casia ea est, quam uulgo canella uocamus. Hæc omnia in nostro simplicium examine scripta inuenimus.

Quod legitur, Quod uero omnia aromata, hic deest particula σχεδόν, idest ferè. hoc enim modo legi debet, quod uero omnia ferè aromata.

Quod etiam legitur, capitis grauitatem, græce habetur κεφαλαλγῆ, & si noster antiquus contextus legat κεφαλαλγικά. Sunt uero κεφαλαλγῆ potius capitis dolores, quàm

grauitates, ut superius docuimus. tamen capitis grauitas, quidam dolor est, scilicet grauatiuus, propterea non mirum si pro καρηβαρίας Galenus generaliori nomine usus sit. præsertim cum hæc aromata uere capitis grauitatem, inducāt, ut in multis experientia uidere licet.

APHORISMVS XXIX

GRauidas purgare turgente materia à quarto mēse usq; ad septimum, minus uero has. Recentiores autem, & seniores uereri oportet.

BRASAVOLVS

PRÆSCRIPTVM aphorismū statim in prima libri quarti fronte, ad uerbū interpretati sumus. nempe utero gerentes nunquā purgandæ sunt nisi materia turgeat. Si uero primis mensibus turgeat, purgandę quidem sunt, sed cum timore. Quæ tutius purgari possunt, si in toto illo spatio purgabuntur, quod inter quartū & septimū mensem continetur. Illæ aūt minus purgandæ, & cū maiori cōsideratione, quæ in septimo sunt mense, quoniā in hoc mense multæ parere solent, & quia facilius potest fieri abortus ob infantis pondus. Illas uero quæ septimū mensem excedūt, uel ante quartū sunt, si materia turgeat, omnino purgare oportet, sed cū timore & magna cōsideratione id agendū est.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ. idest, Prægnantes purgare si turguerit.] Quia si materia non turget, purgandæ non sunt, immo sinendę.

Τετράμηνα καὶ ἄχρις ἑπτὰ μηνῶν. idest, Quæ in quarto mēse sunt, & usq; ad septimū.] Vt quartus & septimus mensis includantur. A septimo mense minus purgandę sunt, & nisi multum discriminis adfuerit, in hoc mense non est tētanda purgatio. unde addit.

Ἧσσον δὲ ταύτας. idest, Minus uero has, scilicet purgabis, quę in septimo mense constitutæ sunt. Id uero quod dicūt recentes, derisoriū est, scilicet minus has, idest minus prægnātes nō pręgnātibus sunt purgādę. nullus enim est adeo pinguis Mineruę, qui in hoc ambigere possit. nā prægnātes purgādæ nō sunt, nisi ingēs aliquod dispendiū inciderit.

Τὰ δὲ νήπια. idest, Infantes, uel magis, recētes.] Idest, Illę quę ante quartū mēsem sunt.

Καὶ πρεσβύτερα. Idest, & seniores.] idest, Illæ quæ iam septimum mensem trāsegere.

Εὐλαβέεσθαι χρή. idest, Vereri oportet.] Hoc est in his etiam quæ ante quartum sunt mensem, & quæ post septimum, non fit tuta purgatio, sed pressius considerandum est antequam fiat.

Pro huius aphorismi interpretatione, ea satis sint, quæ à nobis in expositione primi aphorismi quarti libri scripta sunt.

GALENVS

HIC aphorismus dictus est, & antea ubi de purgatione sermo habebatur. Sed & hic ubi de muliebribus agitur, in quampluribus exemplaribus inuenitur. Quidam uero eximunt ipsum ne bis scriptus inueniatur. Noua autem expositione non indiget pręter illam quam retro scripsimus.

BRASAVOLVS

IN quarti libri principio dictum est, Hippocratem de purgatione agere, & ab utero gerentium purgatione incepisse, tanquā ab ea, quæ omnibus alijs magis periculosa est. Vnde Galenus nunc edocere uolens, hunc aphorismū in principio quarti libri expositum esse, nihil aliud dicit, q̄ quod superius dictū est, ubi de φαρμακείας, idest purgatione sermo habebatur. Tamē & in hoc loco, in quo de mulieribus agitur, in multis exemplaribus positus est. Quidam uero sunt, qui ipsum adimunt, ne bis scriptus sit: tamē uel sit hic scriptus, uel nō scriptus, ad rem ipsam nihil facit, quia noua expositione nō indiget, præter illam quæ à nobis antea dicta est aphorismo primo quarti libri. Addeq;, id quod à Galeno de illo aphorismo, Si qualia oportet purgari, purgentur, & reliqua, refertur, plerunq; aphorismos aliquos, ob eorum egregiam utilitatem bis & ter repeti.

APHORISMVS XXX

MVlierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, letale est.

Brasauolus

BRASAVOLVS

ACVTVS morbus, qui utero gerenti cõtigerit, uires debiles efficit, & nutrimentũ submouet, propterea in his morbis abortũ pati cõsueuerunt, & plerunq; mortẽ incidere solent. Multis aũt modis (inqt Oribasius) mulier ob ęgritudinẽ acutã abortit, primũ quia nutrimentũ infanti nõ ministrat. deinde quia sæpius mulier exagitatur. Tertio q̃a duas res simul ferre nõ potest, infantẽ uidelicet, & acutã ęgritudinẽ. nã utrunq; debilitat. Sed hic ab Hippo. nõ dicit eã utero gerentẽ abortire quę à morbo acuto capiat: sed potius dicit, letale esse, ut finẽ edoceat, q̃ facile sequi posset. nã nõ oẽs moriũt, oẽs tamẽ in sũmo discrimine sunt, ob periculosã ęgritudinẽ, q̃ alioqui etiã in nõ gerẽte utero periculosa existit.

γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ. idest, Mulierẽ utero gerentẽ.] Gerentẽ uero infantẽ, nã aliquæ carniũ moles gerunt, aliquæ aquã, aliquæ flatũ, sed cũ simpliciter ab Hippo. & alijs authoribus dicitur utero gerens, ea intelligitur, quę infantẽ utero gerat.

ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι. idest, Capi ab aliquo morbo acuto.]

θανάσιμον. idest, Letale.] Etenim acutus morbus uires deijcit, & infantis nutrimentũ resoluit, unde si nutrire uelimus, suffocamus: si nõ nutriamus, uires deficiũt. per nutrimentũ enim acutus morbus crescit, uel cũ febre, uel sine febre sit. Sũt uero acuti morbi in hoc loco intelligẽdi, quicũq; citã terminationẽ habent, & symptomata sæua, qualia acuta febris, lateralis morbus, phrenitis, & alij similes morbi, qui cito finiũt, habent. hi enim & cito terminãtur, & magnis symptomatibus occupãtur. Celsus capite sexto secundi libri his uerbis hunc aphorismũ refert, Mulier quoq; grauida acuto morbo facile cõsumitur. Cum uero hoc uerbo, cõsumitur, usus sit, consumptionẽ illã præsignare uidetur, quę ab acuto morbo plurimũ resoluente fit. Philotheus hanc particulã ὑπό τινος, idest, ab aliquo, ita cõtemplatur, ut in ipsa totius aphorismi expositionẽ faciat. nã dicit καλῶς εἶπεν, ὑπό τινος τῶν ὀξέων. τούτων γὰρ τὰ μὲν ἄνευ πυρετοῦ εἰσιν, οἷον ἐπιληψία, ἀποπληξία. τὰ δὲ μετὰ πυρετοῦ, οἷον φρενῖτις, πλευρῖτις. ἐὰν ὑπό τινος τούτων γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἄνευ πυρετοῦ, διὰ τὸ ἀδύνατον ἐξαρκῆσαι τὴν κάμνουσαν τῷ μεγέθει, καὶ τῇ συντονίᾳ τοῦ νοσήματος. ὑπὸ δέ τινος τῶν μετὰ πυρετοῦ, διότι ἐπ᾽ αὐτῶν τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ ἀναγκαίως χρῆσθαι διαίτῃ, καὶ τὸ παιδίον δέεται τροφῆς. ἐὰν οὖν τοῦ παιδίου καταφρονήσας πρὸς τὸν πυρετὸν ἐνιστάμενος ἀπόλλυται. εἰ δὲ τοῦ πυρετοῦ κακοηθεστέρου γενομένου, πολλάκις καὶ αὐτὴ ἡ γυνὴ σὺν τῷ παιδίῳ ἀπόλλυται. idest, Bene dixit, ab aliquo acutorum, scilicet morborũ. horum enim alij quidem sine febre sunt, ut morbus comitialis, morbus attonitus, alij autem cum febre sunt, ut phrenitis, morbus lateralis. Si mulier utero gerẽs ab aliquo horum qui sine febre sunt, capiatur, quom laborans, scilicet pręgnatione, non posit sufficere magnitudini & intentioni ægritudinis. ab aliquo autem eorum qui cum febre sunt, quia in ipsis extreme tenuissimo uictu uti necesse est, & puer nutrimẽto indiget. Si igitur despecto puero ad febrem institeris, perit scilicet puer. Si autem febris malignior facta sit, sæpe et ipsa mulier cũ puero perit. Quæ omnia Philotheus à Galeno accepit, sed melius à Galeno explicata sunt, ut in eius commentatione uidere licebit.

GALENVS.

NON absq; ratione, siue enim sit cum febre morbus necesse est ipsum febres habere continuas. Talis enim est morbus acutus, & in hoc duplex periculum. Vnum quidem propter febrem ipsam fœtum occidentem, alterum uero q̃ ex longo interuallo cibum dantes ex alimenti defectu fœtũ destruemus. Si uero ut seruemus hunc, non uerebimur crebro cibũ exhibere, febres continuas uictu intempestiuo augẽtes mulierem grauidam occidemus. Sic & si absq; febre aliquis alius morbus acutus fiat, ueluti morbus comitialis, morbus attonitus, quem Græci apoplexiã uocant, cõuulsio, distentio, propter magnitudinem morbi, & acutiem, impossibile est laborantem euadere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nõ esse absq; ratione ab Hippocrate dictũ letale esse, quia si hic acutus morbus cũ febre est, febrẽ esse nõ intermittentẽ necessario oportet. nã morbus acutus cũ febre esse non potest, nisi non intermittẽs sit febris. In hac aũt febre sunt duo discrimina, unũ est ex ipsa febre fœtũ necante. Aliud, quia si cibus exhiberi debeat, inclinationẽ expectare oportet. Itaq; inter cibationẽ & cibationẽ magnũ interuallũ faciemus. At si horas seruare noluerimus, sed cibũ crebro demus, nõ intermittẽtes febres

 ob intem

ob intẽpestiuũ uictũ augẽtur, & utero gerẽtẽ interficiũt, quę simul fœtũ suũ neci tradit.

Hæc particula, unum quidem propter febrem ipsam fœtum occidẽtem. In nostro antiquo cõtextu dupliciter legitur. uno modo, εἰς μὲν ὁ δ' αὐτὸς τοὺς πυρετοὺς ἀναιροῦντας τὸ ἔμβρυον. Sed alia lectio eadem est cum illa Aldini contextus, quæ hæc est, εἰς μὲν αὐτοῦ τοῦ πυρετοῦ ἀναιροῦντος τὸ ἔμβρυον.

Quod legitur, ex alimenti defectu fœtũ destruentes. Aldinus contextus pro hac particula, fœtum destruentes, habet ἀναιροῦμεν: sed noster antiquus habet duas lectiones: prima est διαφθείρουμεν τὸ ἔμβρυον, altera ἀναιροῦμεν τὸ ἔμβρυον, ut Leonicenus in suo contextu habebat, & in Aldino est, quod etiam magis probamus.

SECVNDO Galenus ad acutos morbos pertransit, qui absq; febre sunt, ut comitialis morbus, & apoplexia, cõuulsio, atq; distentio: quia hi morbi magni sunt, & acuti. propterea impossibile est eum qui patitur, euadere, hocq; tanto facilius eueniet, quanto is qui laborat imbecillior erit, quales sunt mulieres utero gerentes. Hic dubitatio non dissimulanda occurrit, quia Galenus septimo primi libri aphorismo scriptum reliquit, Febres à morbis acutis esse inseparabiles: hic uero morbos acutos aliquos sine febre facit. Respondemus, in primo libro simpliciter non dixisse febres à morbis acutis esse inseparabiles, sed id dicit, quia sunt aliquę febres, ab aliquibus inseparabiles, de quibus sermonem habet. Adde, quod hi morbi, qui febrem coniunctam non habent, in uno sensu acuti sunt. At hæc sit breuis & uera solutio, Galenũ in primo libro ita intelligere, quod omnes morbi acuti, in quibus sunt febres, illæ sunt inseparabiles, idest nõ intermittẽtes.

Quod legitur, Conuulsio, distentio propter magnitudinẽ morbi. In cõtextu Aldino ita præcise legitur, ἢ σπασμὸς, ἢ τέτανος ἅμα τῷ μεγέθει καὶ τῇ συνοχίᾳ τοῦ νοσήματος. Itaq; in antiquo nostro legitur. Tamẽ in una lectione, loco illius particulę ἅμα τῷ, legit αὐτῷ, quod magnã differentiã facit, idq; magis probamus, ut legatur ἅμα τῷ. Tamen nos utero gerẽtẽ uidimus morbo comitiali laborãtẽ, quod fieri posse nõ negaret Hippocrates.

APHORISMVS XXXI

MVlier utero gerens sanguine misso ex uena, abortit, & magis si fœtus sit maior.

BRASAVOLVS.

MVLIER, quæ utero gerit maiore nutrimẽti copia indiget, q; illa quæ utero non gerit. nam quæ utero gerit, pro se, & pro fœtu alimento utitur. immediatũ uero alimẽtum est sanguis, unde si ex muliere utero gerente sanguis mittatur, alimentum ipsi demitur, & infanti, uel saltẽ infanti, quia infans ex umbilici uenis exugit: sed cum mulieri alimentum deerit, infans quantũ lubet, exugere potest, quod nihil trahet: quia natura de muliere ipsa magis solicita est, q; de alio: unde fœtus destruitur, & ligamẽta disrũpuntur, mulierq; abortit, immo quanto maior erit fœtus, tanto facilius & citius abortũ faciet. quia maior fœtus maiori alimẽto uescitur, sine quo in suo esse cõseruari nõ potest. Immo nõ solũ ex alimẽti defectu abortit, quãdo per uenã utero gerẽti sanguis mittitur: sed quomodocũq; educatur, uel p uomitũ, uel per inediã, uel per secessũ, fœtus destruitur, et abortit.

γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα. idest, Mulier utero gerens.] non habẽs carnis molem, uel aliud simile, sed fœtum.

φλεβοτομηθεῖσα. i. misso sanguine ex uena.] Immo adde, uel exeũte ex naribus, uel ex utero, uel ex uenis hæmorrhoidalibus, modo in tãta copia sit, ut infanti alimẽtũ demat.

ἐκτιτρώσκει. idest, Abortit.] nam contineri non potest, alimẽto deficientę: & quãuis nonnulli dixerint, agitationẽ fieri, propterea abortum sequi: nos dicimus paucissimam esse illam agitationẽ, quę fit ex uenæ sectione, unde potius ad alimenti ablationẽ abortus cõsequitur, ex eo enim fœtus destruitur. nam (ut Oribasius dicit) ex sanguine menstruo nutritur infans. Si id subtractum fuerit ex quo nutritur, hoc est sanguis, quomodo non abortum faciet mulier? maxime uero si fœtus auctior fuerit, qui magis indiget nutrimẽto, ut ab Hippocrate statim dicetur. Philotheus uero, & motũ infantis inter alias abortus causam facit, inquiens Διότι τὸ ἔμβρυον ἐκ τῶν καταμηνίων τρέφεται τοῦ αἵματος, καὶ οὐχ εὑρίσκον πόθεν τραφήσεται λιμαγχονεῖται, καὶ διαλύεται, καὶ καταπίπτει ἐκ τῶν φυσικῶν δεσμῶν τοῦ αἵματος ἐν τῇ φλεβοτομίᾳ κενωθέντος. idest, Quia fœtus ex mẽstruo sanguine nutritur

tritur, & unde nutriatur non inueniens fame tabescit, & mouetur, & dissoluitur, & decidit ex naturalibus uinculis sanguine in sectione uenæ euacuato.

καὶ μᾶλλον, ἢ μέζον ἔῃ τὸ ἔμβρυον. idest, Et magis si fœtus sit maior.] quia pluri nutrimento indiget, ut etiã Philotheus dicit, διὰ τὸ πλείονος δεῖσθαι τροφῆς, μὴ εὑρίσκειν δὲ ταύτης κενωθείσης. idest, Quoniã pluri alimento indiget, quo euacuato, non inuenit, scilicet unde nutriatur.

Ex his ne simpliciter arbitreris Hippocratẽ in utero gerẽte muliere uenæ sectionem prohibere, quando opus est, sed ideo hoc dicit, ut nos deterreat à uenæ sectione in utero gerẽtibus, ne id temere agamus. Hoc igiť inferre oportet, in Angina uehemẽti, in pleuritide, et in simili acuto morbo, in quo uenę sectio necessaria fuerit, uenã in utero gerẽtibus secare cõuenit. Et multas in sanitatẽ restitui uidemus singulis annis, quę alioqui nõ sanarẽtur, nec etiã abortiunt, & uenæ sectiones, quæ in his fiũt, minores esse debẽt, ꝙ in nõ utero gerentibus, & ꝙ essent illæ, quibus antiqui utebãtur, & ideo potius prosunt, ꝙ obsint. Immo si aliqua mulier ob humoris copiã abortiret, sectio uenæ abortũ prohibet. nec Hippocrates hæc iret inficias, sed fieri iuberet. diceret tamẽ non temere mittendum esse utero gerẽti sanguinẽ, sed magna instãte causa id fieri oportere. Et ideo Celsus capite decimo secũdi libri de sanguinis detractiõe agẽs inquit, Persuaserãtq; sibi mulierẽ grauidã quæ ita curata esset, abortũ esse facturã, postea uero usus ostẽdit, nihil ex his esse perpetuũ. At quid magis abortũ procuret, an uenæ sectio, an pharmacum epotum, nunc disputare non est opus, quia hanc rem superius diffuse pertractatam habes aphorismo primo quarti libri. nam in primis mensibus medicari, periculosum magis est, in ultimis secare uenã. At si uomitum in mediũ attuleris: dicemus uomitum multo periculosiorem esse, & maiorẽ agitationem atq; concussionem facere, quàm prędicta, scilicet ꝙ uenæ sectio, uel medicamenti assumptio. Nosq; de uehementi uomitu intelligimus.

GALENVS

EX DEFECTV alimẽti fœtus destruitur, non modo misso sanguine ex uena, sed etiã ex longiori inedia. Ostendemus autem & hoc ipsum paulo post, & per alios aphorismos. Non absq; ratione autem & maior fœtus magis destruitur misso sanguine ex uena mulieris, quia plurimo indiget alimento.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus Aphorismũ ampliat, quia nõ solũ fœtus destruiť misso sanguine ex uena, immo etiã ex lõga inedia destruiť, q̃a alimẽtũ ipsi remoueť. tamẽ Hippo. huius rei hic nõ meminit, quia de ipsa inferius aget, in quo loco & nos eã rẽ ubertim ꝑtractabimus.

SECVNDO docet, non esse mirum, si maior fœtus, magis destruatur emisso sanguine ex uena, quia cum maior sit, plurimo indiget alimento. Subtrahitur uero per sanguinis missionem, & ideo fœtus destruitur, abortusq; consequitur.

APHORISMVS XXXII

MVlieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio.

BRASAVOLVS

PLERVNQVE contingit ut is sanguis, qui per uterũ exire deberet, non exeat, sed ad uẽtriculũ ascẽdat, & euomatur. Nos in præsentiarũ religiosam curamus, quę hoc patitur. Cũ igiť alicui mulieri hoc acciderit, ut sanguinẽ euomat, & mẽstrua suppressa fuerint, eisdẽ mẽstruis erũpẽtibus, ab illo sanguineo uomitu liberať. Intellige uero si ille sanguis alter nõ sit ab illo qui ꝑ hãc uiã purgari deberet. nã ad uterũ rediẽs à priori inceptu diuertiť, & ad uterũ redit. Intellige aũt quãdo nõ sit uomitus, qui ex uenę fractiõe, aut resudatione in uẽtriculo, uel ex iecore, uel liene in uẽtriculũ redũdante, factus sit. Sed sint mẽses, qui euersi eã uim facerẽt, aut natura, ꝗ id illuc trãsmitteret, qđ per uterũ trãsmittere debebat. Hinc habes modũ curãdi illas mulieres, quæ sanguinis uomitũ ex defectu mensiũ patiũtur. Si eñ mẽses ꝓuoces, à uomitu liberabis. Illa aũt religiosa, de qua superius mẽtionẽ fecerã, singulis mẽsibus, imminẽte purgationũ tẽpore, sanguinẽ euomit. Nũc semel mẽses ꝓuocati sunt, tamẽ sanguinẽ euomuit, sed in minori copia, q̃a etiã mẽstruorũ copia parua fuit, etenim sanguinis pars ad uterũ descẽdit, & pars ad uẽtriculũ.

Celſus libro ſecundo capite octauo hunc aphoriſmum ita refert, Mulier ſanguinem uomens, profuſis menſtruis liberatur.

γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, ideſt, Mulieri ſanguinem euomenti.] ſcilicet ex retentione menſium, & non alia de cauſa: quia ſi ob aliam cauſam eſſet, neceſſarium non eſſet quod per menſium eruptionem à ſanguinis uomitu liberaretur, quamuis forte prodeſſet.

τῶν καταμηνίων ῥαγέντων. i. Mēſibus fluētibus.] uel erūpentibus, qui prius ſiſtebāt.

λύσις. ideſt, Solutio.] Fit fluxus ſanguiuis narium, ob diuerſionem quæ à natura fit. unde & à Philotheo dicitur fieri ſolutionem, τῷ λόγῳ τῆς μεταστάσεως τῆς ὕλης. ideſt, Ratione mutationis materiæ, ſed à Philotheo altera quædā tranſmutatio ponitur, poſt hāc à uomitu ad menſes, ſi iterum menſes ſupprimantur. nam iungit ſequentem aphoriſmū huic, & dicit: εἶτα καὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, ἐὰν αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, ἀγαθόν. διότι ἐκκενοῦται ἡ συνχεθεῖσα ὕλη, καὶ οὐ δύναται βλάψαι. ideſt, Poſtea & menſibus deficientibus, ſi ſanguis ex naribus fluxerit, bonū: quia materia repreſſa euacuatur, & lędere non poteſt. Galenus libro quinto Methodi medendi, de auerſione ſanguinis, & reuulſione ad contraria, uerba facit. nam quando ſanguis ad proximas partes deriuatur, à Græcis παροχέτευσις dicitur: quando uero ad contrarias partes reuellitur ἀντίσπασις uocatur. ſed hæc ſunt Hippocratis inuēta, ut inquit Galenus, omnis ſcilicet immodicæ euacuationis cōmunia remedia. deriuatio ad uicina fit, cum id quod per palatū uacuatur, per nares transfertur. ad contraria reuulſio fit, cum id ad inferna reuellitur. Rurſus quod per ſedem profluit, id per uuluam deriuamus, ſurſum uero reuellimus. Ita nanq; & natura ipſa facere ſolet. Mulieri enim, inquit Hippocrates, ſanguinem euomenti menſes ſuperuenientes remedio ſunt. Hac igitur de cauſa ſi uel menſes confertim eruperint, uel ſanguis ab utero quoquo modo profluxerit, ſurſum reuelles, cucurbitam magnā ſub mammis defigens, nam & hoc Hippocratis inuentū eſt. Eandem ob cauſam cum è naribus erumpit, eum retinent magnæ in præcordijs affixæ cucurbitulæ. Infigendæ autē ſunt, ſi ex dextera nare profluitur, ſuper iocinore. Sin ex ſiniſtra, ſuper liene: ſi ab utraque nare, ſuper utroq; ſunt imponēdæ uiſcere. Hæc Galenus, quem tu legere potes, quoniam plura alia de his antiſpaſibus, & parocheteuſibus pertractat.

GALENVS.

NON abſq; ratione. Erit enim retractio ſimul, atq; euacuatio ſanguinis ad ſuperiora tendentis. Hoc quidem igitur & experientia comprobat utiliter fieri. Nos uero ex ipſa permoti naturæ opera, quæ bene geruntur, imitabimur, & mulieres hac paſſione laborantes miſſo ſanguine ex uena euacuabimus.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, hoc quod in aphoriſmo dictum eſt ſine ratione non fieri, quia ſanguis qui ſuperiores partes petebat, retrahitur ſimul & euacuatur, & ipſa experientia id utiliter fieri docet.

SECVNDO docet, In hoc aphoriſmo, ex opera naturæ, curandi modum accipi, & ideo mulieres quæ hac paſſione laborant, ex uena ſanguine miſſo curantur. Id uero fit ex talari uena, quam ſaphenam uocant.

Quod legitur, In principio commēti, erit enim retractio, Græce habetur ἀντίσπασις, Eſt uero antiſpaſis non ſimpliciter retractio, ſed ad cōtrarias partes, ut à nobis in aphoriſmi interpretatione dictum eſt.

APHORISMVS XXXIII

MEnſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum.

BRASAVOLVS

NECESSARIVM eſt, mulieres quę utero non gerunt, poſt decimūquartum annū uſq; ad quadrageſimūquintum, uel circa, per ſanguinē ex utero fluentē ſingulis menſibus expurgari, qui ſanguis ſi non exeat, ęgritudines non mediocres parit: tamē per aliū locū exire poſſet, q̃ per uterū. per quęcunq; locū exierit, mulieres non ægrotant. At locus, per quē facilius exire poteſt & cōmodius, dēpto utero, ſunt nares, ideo cū mēſtrua deficiunt

deficiunt, si ex naribus sanguis fluat, bonum est, quia id per nares euacuatur, quod per uterum euacuari debebat. Religiosam quandam curaui, quæ singulis mensibus per nares euacuabatur, sed id ægreferebat. cum tamen minus molestaretur, q̃ alia quædã, cui ex hæmorrhoidibus sanguis menstruus fluebat. Philotheus hunc aphorismũ præcedenti iungit, & ex duobus unum facit, ut eius uerba ostendũt, quæ in præcedenti aphorismo retulimus: huiusq; rationẽ reddit, quia materia quæ in locis erat, euacuatur, & lædere non potest. Celsus capite nono secundi libri hunc aphorismũ ita refert, Quæ menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo uacat.

γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων. idest, Mulieri deficiẽtibus mẽstruis.] scilicet præter naturam deficientibus: quia si naturaliter destitissent, quantum sit huius ratione, nec bonum, nec malum esset sanguinis narium exitus.

αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι. idest, Sanguinem ex naribus fluere.] illum scilicet qui per uterum duci oportebat. & per nares hæmorrhoidas etiam intelligere conuenit. nam locus est conueniens satis, atq; commodus.

ἀγαθόν. idest, bonum.] Bonum inquam respectu retentionis: quia respectu exitus ex utero bonum non est. nempe ex utero exire melius est.

Hunc aphorismum in quinto Methodi medẽdi libro à Galeno scriptum habes, qui etiam diuertendi modos, & reuellendi describit, ut in præcedenti aphorismo retulimus.

GALENVS

QVOD quidem sit necessarium eum qui singulis mẽsibus bene euacuatur sanguinem, quando ob aliquam dispositionẽ fuerit retentus mulierem lædere, & q̃ per aliam partẽ euacuatus omnem corporis tollet læsionẽ, unicuiq; est manifestum. Cũ uero multa sint loca per quę potest euacuari, omnibus alijs, aut maius, aut minus inest detrimentũ, sola quę fit per nares euacuatio innoxia est, quam nunc laudat Hippocrates, non tamen si aliqua etiam alia euacuatio sine noxa est, propterea aphorismus est falsus. Neq; enim quod sola per nares euacuatio deficiẽtibus menstruis bona sit, dixit, sed hãc simpliciter laudauit non adiuncto, q̃ sola. Et si igitur alteram quæ fit per sedem dixerit ita affectis mulieribus utilem esse, hoc nõ aduersatur aphorismo. Videtur enim aliquando Hippocrates per unum exemplum de omnibus alijs similibus pronuntiare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, necessarium esse sanguinem, qui singulis mensibus per uterum expurgari debebat, quando ob aliquam affectionem malam retentus fuerit, mulierem lædere. At non lædit, si per aliquam partem sit expurgatus.

SECVNDO docet, cũ hic sanguis per uaria loca expurgari possit, nullus est locus magis cõmodus, & in quo minor sit noxa, q̃ si è naribus fluat: tamen & si alia quædam euacuatio absq; noxa sit, ob hoc aphorismus non est falsus. Sed Hippocrati placuit hanc simpliciter laudare: at non addidit, quod hæc sola esset bona. nã si quis dicat, & euacuationem per sedem esse utilem non habentibus menses, uerum dicit, & non aduersatur Aphorismo: quia Hippocrates plerũq; per unum exemplũ omnia alia intelligere solet.

Quod legitur, Sola quæ fit per nares euacuatio innoxia est. in nostro antiquo contextu sunt duæ lectiones, una quæ dicit innoxia ἀνέλεγκτον: alia, ὅσιον. Aldinus codex habet ὅσιον, & Leonicenus in suo ὅσιον habebat.

Quod etiam legitur, Dixerit ita affectis mulieribus, deest particula τις, idest, quis. ita enim legi debet, dixerit quis ita affectis mulieribus.

APHORISMVS XXXIIII

MVlieri in utero gerenti si aluus plurimum profluat, periculũ est ne abortiat.

BRASAVOLVS

DISPVTATVM est à nobis superius in primo quarti libri aphorismo, q̃d deterius sit, an defluxus sanguinis in utero gerente, an defluxus alui, & modo unũ deterius esse, modo aliud, ꝓ ratiõe mẽsiũ à cõceptu. Nũc uero Hippo. simpliciter docet, Si aluus plurimũ ꝓfluat, periculũ esse ne abortus fiat, tũ ob magnã agitationẽ, tũ q̃a materię deorsum

mouentur

mouentur, quæ ligamenta fœtus facile disrumpere possent, & abortum prouocare. Philotheusq; dicit, πρῶτον μὲν ὅτι ἀνάδωσις οὐ γίνεται, κἀντεῦθεν οὐκ ἀλλοιοῖ πολὺ αἷμα τὸ ἧπαρ, καὶ οὐ φέρεται τὸ ἀρκοῦν τῇ μήτρᾳ. διότι μαχόμενον τὸ ἔμβρυον σκαρίζει, καὶ λοιπὸν ἐκπίπτει. ἢ ὅτι καθυγραίνονται τὰ περὶ τὴν μήτραν, κἀντεῦθεν ἀσθενούσης τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως, ἀμβλυσμὸς γίνεται. ἢ ὅτι συνεχείᾳ τῶν ἐξαναστάσεων, καταλύονται αἱ δυνάμεις, καὶ ἀσθενεῖς γινόμεναι ἐκπίπτειν ποιοῦσι τὸ ἔμβρυον. idest, Primum quidem per membra non fit distributio, & hinc iecur multum sanguinem non permutat, & quod satis est, ad uterum non defertur: propterea pugnans fœtus turbatur, & deinde excidit. uel quoniam ea humectantur, quæ circa uterum sunt, & hinc debilitata contentiua potentia abortio fit: uel quod continuitate seditionum dissoluuntur potentiæ, & debiles effectæ fœtum excidere faciunt. Redditq; Oribasius huius aphorismi causam dicens, Multis modis utero gerentem abortire. Si cucurrerit plurimum, primum, quia matrix & intestina situ suo uicina sunt, & sibi inuicem compatiuntur, deinde quia debilitas concutit fœtū. Tertio ex ipso loco, quia leuatio concussionem facit. Celsus capite septimo secundi libri hunc aphorismum ita refert, Mulieri grauidæ, sine modo fusa aluus elidere partum potest.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ. idest, Mulieri in utero habenti.] scilicet fœtum, non flatum, nec quicquam aliud quod fœtus non sit.

ἢν ἡ κοιλίη ῥυῇ πολλά. idest, Si aluus plurimum profluat.] Vtitur communi uocabulo, tanquam de omni alui defluxu intelligat: quoniam in omni per compassionem, & coagitationem patitur uterus.

Κινδυνεύει ἐκτρῶσαι. idest, Periculum est abortire.] ob iam dictas causas.

GALENVS

RATIONE euacuationis & nunc Hippocrates inquit periculum abortus esse, quemadmodum & antea in missione sanguinis ex uena ostendebamus.

BRASAVOLVS

EANDEM ferè rationem Galenus huic aphorismo reddendam iubet, quæ trigesimo huius libri aphorismo reddebatur, in quo de missione sanguinis per uenas sermonem habebat. At non parum differunt, quia sanguis nutrimētum demit. Alui uero profluuium non demit, nisi intelligamus esse lienteriam. Si uero sit alter defluxus ratione agitationis, abortum procurare potest atq; inducere.

APHORISMVS XXXV

MVlieri, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

BRASAVOLVS

STERNVTATIO mulieri superueniēs, quæ uteri uitijs molestatur, bona est. nam apta est illam causam remouere, quæ molestiam facit. Adde, si mulieri difficulter parienti eadem sternutatio superueniat, bonum esse, quia partus facilius descēdit. Celsus octauo capite secundi libri his uerbis hunc aphorismum refert, Quæ locis laborat, aut difficulter partum edit, sternutamento leuatur.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ. idest, Mulieri, quæ uterinis molestatur.] idest, uteri noxis. Et Galenus in cōmento dubitat, quid per uterina intelligere oportet, quæ ipse sua lingua ὑστερικὰς appellat. aliqui enim omnes uteri affectus intelligunt, alij uteri strangulationē, alij secundas, ut in cōmento uidere licebit. Vnde & Celsus locis interpretat̄. Marcellus in cōmentarijs tertij libri Dioscoridis capite. 160. ubi de Alismate agit, cum Dioscorides dicit τὰ ὑστερικὰ πάθη. Ipse interpretatur Muliebrium locorum præfocationes. Hermolaus in suo cōtextu particulā illā habuisse nō uidetur, ipsam enim præterijt. Aliqui uero interpretātur illū locū, ad uteri affectus. Philotheus hic dicit, ὑστερικὰ λέγει πάθη, τὴν ὑστερικὴν πνῖγα, ἐφ᾽ ᾗ καὶ σχεδὸν ἀναίσθητον, καὶ ἀκίνητον κεῖται τὸ σῶμα. i. Hystericā uocat passionē, uterinā pfocationē, ex qua insensibile ferè, et immobile iacet corpus. Paulus p ὑστερικὰ libro. 3. capite. 71. uteri strāgulatus intelligit, & Galenus in cōmentatiōe idē sentire uidet̄. Est uero scd'm Paulū ascēsus uuluę in superiorē partē in societatē afflictiōis principes corporis ptes ducētis, ueluti carotidas, cor, pāniculos cerebri. Accidit aūt

dit aũt languentibus imminente iã paroxyſmo, tarditas mentis, ſegnities, infirmitas cru rũ, pallor multus, ſpecies luminũ per craſſa. Inſtãte uero ſtrangulatione, in ſomnum de latio, quam cataphoram uocant, dementia, catalepſis ſenſuum ſedis cum uocis amiſſio ne, crurum contractio, deinde incipiunt rubefieri genæ, & uultus uniuerſus plenius fit. Cum uero abijt paroxyſmus, promanat quædam è muliebribus locellis humiditas ad tactum. fit borborygmos, ideſt uentris ſtrepitus, & progreditur aliquod inteſtinum, & ipſa quoq; uulua paulu lum flacceſcit, & langueſcit, tum deniq; ad ſe redeunt, ſenſumq; recipiunt. Hæc Paulus de uteri ſtrangulatu, hoc eſt de eo quod hic ab Hippocrate in telligitur, & cui ſternutatio ſuccurrit, quia ex ſternutatione fortis membrorum com motio fit, & muſculorum uentris agitatio, & ideo materia, quę in utero eſt, & ſpiritibus medijs ad caput aſcẽdit, extra uterum excutitur, & etiam uis corporis per ſternutamen tum excitatur, quæ prius tanquam ſopita manebat. Hæc Paulus. Idem uero ſunt uteri ſtrangulatio, & uteri præfocatio, ut ex Galeno ſexto De locis affectis libro capite quin to colligere licet, ubi dicit, non eſſe curanda nomina, quomodocũq; res ipſæ uocentur, modo de rebus ipſis ſermo fiat. In quo etiam loco dubitat Galenus, an ſpirẽt necne mu lieres quæ præfocationem patiuntur, & inferre uidetur, arteriarum reſpirationem non eſſe impeditam, & illam anhelitus forte eſſe adeo paruam, ut ſenſus effugiat. Docetq; & à retentione menſium fieri, præſertim in uiduis, & à retentione ſeminis; propterea iubet uirum probum, & mulierem etiam probam uti uenere, ut ſuperfluo ſemine corpus exo neret. Oribaſius edocere ſtatuens quid intelligendum ſit per ὑστερικά, inquit, uideamus quot ſint uitia uteri, & de quibus Hippocrates hic loquatur; multa nanq; ſunt uteri ui tia, aut è fluxu ſanguinis, aut ex tumore, aut ex ſpiritu flatulento, nunc Hippocrates de illo loquitur uitio, quo uterus ex ſpiritu flatulento dolet, & ad ſtomachum trahitur.

ἢ δυστοκούσῃ. ideſt, Vel difficulter parit.] Quia expulſiua uis impotẽs ſit, potentior au tem efficitur per ſternutationem, & facilius exit fœtus.

πταρμὸς ἐπιγινόμενος ἀγαθόν. ideſt, Sternutatio ſuperueniens, bonum.] Nam iuuat & hyſterica, ideſt uteri ſuffocationes ob dictam cauſam, & partum iuuat, & (ut Oribaſius inquit) quomodocunq; ſternutatio fiat, uel per artem, uel per ſe. duabus enim de cauſis hyſterica iuuat, primo quia motus calorem excitat, calor relaxat: deinde quia exagita tio repreſsionem facit. eſt etiam bona ad partum ſternutatio ſecundum Oribaſium ob agitationem: unde inquit, exemplo hoc diſcas & ſimilitudine, Sit arbor poma ferens: ſi illius ſummas partes concuſſeris, decident poma: ſic etiam & uterus, cuius nerui origi nem habent à cerebro, neruoſus eſt, unde etiam infantem continet: Si autem concutia tur, emittit id quod continet, ideſt infantem. nosq; medicam artem exercentes, quando mulieres parere non poſſunt, iubemus ut ſternutent. Dicit uero Hippocrates eſſe bo num, ideſt iuuare. & quamuis dicat ſuperuenire, quod ſpontinam & naturalem ſternu tationem ſignificare uidetur: tamen nos per artem ſternutationem ipſam prouocare de bemus, quãdo natura impotens hoc non facit. unde in uteri ſtrangulatu, & in partu ab re non eſt ſternutamentum prouocare, quãdo hæc difficulter prodierint. & Philotheus dicit, ſternutamentum bonum eſſe, & tanquam ſignum, & tanquam cauſa. καὶ ὡς σημεῖον μὲν, ὅτι ἐκ παντελοῦς ἀκινησίας εἰς κίνησιν ἡ φύσις ἤρξατο μεταβάλλειν. ὡς αἴτιον δὲ, ὅτι κλόνον ποιεῖ ὁ πταρμὸς, κἀντεῦθεν κλονουμένη τοῖς νευρώδεσι μορίοις ἡ μήτρα, ἐπανίσταται καὶ ἀποδιώκει τὰ αἴτια, τὰ τὴν ἄπνοιαν καὶ πνίγα ποιοῦντα, ἅ ἐστι σπέρμα, ἢ ἀποχὴ καταμηνίων. τῷ δ' αὐτῷ δὲ λόγῳ ὠφελεῖ ὁ πταρμὸς, καὶ τὴν δυστοκίαν, ἀλλὰ τὴν διὰ ἀσθένειαν τῆς ἀποκριτικῆς δυνάμεως γινομένην. ideſt, Et tãquam ſignum quidem, quoniam ex omnimoda immobilitate, natura ſe in motum conuertere cœpit: tanquam cauſa uero, quoniam ſternutamẽtum concuſsionem facit, & hinc uterus cum neruoſis partibus cõcuſſus aſſurgit, & expellit cauſas difficultatem anhelitus & ſuffocationem facientes, quæ ſunt ſemen, uel menſium retentio. Eadem ra tione iuuat ſternutamentum & difficultatem pariendi, ſed eam, quæ facta ſit ob excer nentis potentiæ imbecillitatem. Sed eum etiam adde, qui difficulter emittitur ob mate riæ multitudinem & glutinoſitatem.

GALENVS

VNVM in aphoriſmo uerbum habet obſcuritatẽ, uterinis ſcilicet. nonnulli enim per id accipiunt omnes quæ utero adueniunt diſpoſitiones, nonnulli uero illas

tantum in quibus paſſio contingit, quam uocant uterinam ſtrãgulationem, quæ tamen non eſt uere ſtrangulatio, ſed defectus anhelitus. Alij locos, ſiue ſecundas intelligunt, nam & has uteros nominant. Verum hi aperte aberrant, quamuis maxime uerum dicere uideantur, quoniam ſecundæ contentæ in utero ex ſternutatione diſrumpũtur. Alius enim de his aphoriſmus eſt ab ipſo perſcriptus, & plurimum refert, an uterum dixeris, an uterina. Falſum quidem eſt de omnibus uteri paſſionibus dictum eſſe ab ipſo ſermonem. Neq; enim exulcerationes, neq; inflammationes, neq; eryſipelata, ſicuti neq; abſceſſus ſternutatio iuuat. Verum autem quod in uterinis ſtrãgulationibus ſuperueniente ſternutatione patiens aliquantulum leuatur: non ſolum quia bonum eſt ſignum ſternutatio ſponte adueniens his quæ ita ſe habent mulieribus, ſed quoniã & cauſa, ut quæ ſit huius paſſionis remedium. Signum itaq; bonum exiſtit, quia naturã oſtendit & propriarum meminiſſe motionum, quæ prius erat emortua excitari, ac reuiuiſcere, quando aliquam eijcit ſuperfluitatem. Oſtenſum eſt enim in libro De cauſis accidentium, ſternutationem fieri hoc modo. Cauſa autem ob quam iuuat, & quia uehementiore concuſſu atq; feruore, partim quidem naturam excitat, partim uero excernit quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent. Sic enim & ſingultum ſolet ſanare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hoc uerbum ὑστερικῶν, ideſt uterinis, uel uteri ſuffocationibus, uel uteri uitijs, uel uteri affectibus (nihil enim de nomine referat, ut Galenus ſexto De locis affectis libro, capite quinto, docet) in hoc aphoriſmo obſcuritatem facit. Et ratio eſt, quia huius uocabuli triplex acceptio inuenitur: aliqui enim intelligunt per ὑστερικά, ideſt uterina, omnes ſimpliciter diſpoſitiones quæ utero aduenire poſſunt: aliqui paſſiones illas ſolum intelligunt, in quibus eſt ſtrangulatio, uel ſuffocatio, uel præfocatio uteri: alij intelligunt ſecundas, quas ὕστερα uocant.

Quod legitur, Quæ tamen non eſt uere ſtrangulatio, ſed defectus anhelitus: Græce eſt, καί τοι γε οὐ κατ' ἀλήθειαν πνίγα οὖσαν, ἀλλὰ ἄπνοιαν. ubi uides ἄπνοιαν, priuationem reſpirationis ſignificare.

Quod etiam legitur, Alij locos, ſiue ſecundas intelligunt. legi debet, Alij choria: ideſt ſecundas. quia Græci χορίον, ideſt ſecundas uocant. & Græcus contextus hic dicit, ἔνιοι δὲ ἤδη τῶν χορίων ἀκούουσιν. ſed noſter antiquus contextus loco huius particulæ ἀκούουσιν, emendatus eſt, & habet λέγουσιν. Eſt uero χορίον, inuolucrum illud, in quo fœtus inuolutus eſt antequàm utero exeat. A Polluce ſecundo libro ſui Onomaſtici, de χορίου hæc dicuntur, δύο δὲ περὶ τὸ ἔμβρυον χιτῶνες εἰσί, ὧν τὸ μὲν ἔνδοθεν λεπτότερόν τε καὶ μαλακώτερον ὄν, ἀμνίον Ἐμπεδοκλῆς καλεῖ, τὸ δὲ ἔξωθεν ἐπ' αὐτῷ, τὸ πρὸς τὰ ὕστερα, χορίον ὀνομάζεται, οὗ καὶ ὀμφαλὸς ἐμπέφυκε. ideſt, duæ autem circa fœtum tunicæ ſunt, quarũ quidem quæ in interiori parte ad fœtum eſt tenuior & mollior: quod Empedocles amnium uocat. Quod autem in exteriore parte ad muliebres locos eſt, chorion dicitur, cui umbilicus fœtus adnatus eſt. Et ideo male interpretatum erat locos, ſiue ſecũdas; ſed uti debemus Græco uocabulo, & dicere choria, ideſt ſecundas.

Quod etiã legitur, Nam & has uteros nominant: nos potius legeremus, Nam & has ὕστερα nominant. Nam & nunc uerum eſt, Græcos ſecundas ὕστερον uocare.

SECVNDO, Galenus eos reprehendit, qui per ὑστερικῶν, ſecundas intelligunt. nam & ſi uerum dicere uideantur, quia omnino ſecundæ ex ſternutatione rumpũtur, tamen eas hic particulariter non intelligit: nam de hac re aphoriſmũ faciet: nec iſta parum differunt, ὕστερα & ὑστερικά, quoniam ὕστερα ſecundæ ſunt, ὑστερικά ſuffocationem ſignificat.

Quod legitur, Et plurimum differt an uterum dixeris uel uterina: Græce eſt, καὶ διαφέρει πάμπολυ καὶ κατὰ τοὔνομα τὰ ὕστερα τῶν ὑστερικῶν. nos hanc partem ita interpretaremur, Et plurimum differt & quo ad nomen, hyſtera & hyſterica: ideſt ſecundæ & præfocationes. ubi uides alium eſſe ſenſum, & illam particulam Quo ad nomen, in Leoniceni interpretatione deeſſe.

TERTIO Galenus docet, de omnibus uteri paſſionibus intelligi non poſſe, quoniam multæ ſunt paſſiones quæ à ſternutatione non iuuantur, quales ſunt exulceratio, inflammatio, eryſipelas, abſceſſus.

Qđ legit̃, Dictũ eſſe ab ipſo ſermonẽ: illa particula Ab ipſo, in Greco cõtextu uacat.

QVARTO

QVARTO Galenus ὑστερικῶν, ideſt uteri ſtrangulationibus interpretatur, quæ à ſternutatione iuuãtur: non ſolum quia ſuprauenıens ſternutatio bonum ſit ſignum, ſed etiam eſt bona cauſa. nam ad hanc paſſionem remedium eſt: unde bonum ſignum eſt: quia oſtenditur natura prius emortua, propriarum motionum meminiſſe, excitari, atq; reuiuiſcere, quando aliquam ſuperfluitatem eijcit. Cauſa uero ob quam iuuat, eſt, quia uehementi concuſſu atq; feruore, partim naturã excitat, partim ſuperflua corporis multum inhærentia excernit. Eodem modo & ſingultum ſanare ſolet.

Quod legitur, In uterinis ſtrangulationibus: Græce eſt, ἐπὶ τὰς ὑστερικὰς ἀπνοίας.

Quod etiam legitur, Patiens aliquantulum leuatur: hæc particula Aliquantulum, Græce eſt ῥᾳστωνεῖν, ideſt facile.

Quod etiam legitur, Sternutationem fieri hoc modo: Græcus contextus ita non legit. & etiam in Leoniceni cõtextu deeſt hæc particula, Cauſam eſſe iuuamẽti. legi enim debet, Sternutationem hoc modo factam, cauſam eſſe iuuamenti. Grece enim ita habetur, ὁ πταρμὸς οὕτω γινόμενος, αἴτιος δὲ ὠφελείας. quæ in quinto De ſymptomatum cauſis libro egregie edocentur.

Quod etiam legitur, Eſt quia uehementiore concuſſu atq; feruore: Græce habetur, ὅτι ὑπὸ σφοδροτέρου κλόνου καὶ βρασμοῦ. Eſt autem κλόνος, turbatio & concuſſio ſeu agitatio: & βραγμός, concuſſio, & plerunque maris ebullitio.

Quod in fine Commẽti legitur, Sic enim & ſingultum ſolet ſanare: antiquus noſter contextus in una lectione, & Aldinus ita pręciſe legunt, ut à Leoniceno interpretatum eſt, οὕτω γὰρ καὶ τὴν λύγγα πέφυκεν ἰᾶσθαι. tamen hoc dici non poſſe uidetur, quia ſternutamentum, ſingultum non ſanat. propterea in noſtro antiquo contextu altera lectio inuenitur, quæ non λύγγα, ideſt ſingultum: ſed πνίγα, ideſt ſuffocationem uel ſtrangulationem legit. Tamen ſi alicui placeret lectionem primam quam Leonicenus ſequitur, ſaluare, Paulum legat libro ſecundo, capite quinquageſimoſeptimo, ubi de ſingultu agens docet, quando ſternutamẽtum illi medetur uel non medetur: nam ſingultum ex repletione ſanat ſternutamentum. Aetius idem docet libro nono, capite quinto. ſternutatio etiam ſingultui ex inanitione maxime obeſt: unde Galeni ſenſus hoc modo perfectus reddetur. Sternutamẽtum eſt cauſa ſolutionis præfocationis uteri ob turbationem & concuſſionem. Eodem modo, & ob eandem concuſſionem ſternutamentum ſingultum ſanare ſolet, ut præſcripti authores edocere conati ſunt, imò & Socrates in Sympoſio Platonis docet, ſingultum ſedari ſternutamento.

APHORISMVS XXXVI

MVlieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus uenientes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.

BRASAVOLVS

SINGVLIS menſibus mulieres ſanitate integræ, in conuenienti ætate conſtitutæ, modo utero non gerant, menſes habent, aliter ſanæ non ſunt. unde hic Oribaſius dicit. Mulieres unde gaudent, inde triſtantur: & unde triſtãtur, inde gaudent: itaq; per ſingulos menſes triſtãtur, quod eſt utile earum naturæ, & inde etiam gaudent, quia pulchræ ſiunt. Triſtantur etiam ſi menſtrua non fluant, hoc eſt ſi nulla eis fuerit humiditas. uidetur q; hoc loco Oribaſius uelle, aliquas purgari ſingulis menſibus, & purgationem per ſeptem dies durare, aliquas purgari ſingulis uiginti diebus, & earum purgationem per quatuor dies durare. At re uera in experientia hæc ita eſſe non inueniuntur, nec huius rei adeſt aliquis ſtatutus ordo, quia aliquæ ante menſem, aliquæ poſt menſem, ſed raræ ex his ſanæ purgantur. Quę uero ante menſem purgantur, differunt etiam diebus, quia aliquæ citius, aliquæ tardius hoc faciunt. Sed ad rem noſtram redeuntes dicamus, Hippocratem hoc loco docere, quando uiderimus decolores menſes, & quod ſuũ ordinem naturalem in profluendo non ſeruent, ſecundum tempora iam cœpta, tunc iudica mulierem hanc purgatione indigere, nam ſignificatur materias multas, menſibus mixtas

esse, & menses ipsos retineri, & secundũ humores mensibus mixtos uaria incidunt symptomata. unde & ab Hippocrate in libro De muliebribus dicitur, cui menstrua biliosa descendunt, sæpe linquitur animo, cibum auersatur, æstuat, uigilat, crebro hiat, nec gradum facere uult, potest ue, nec uidere sibi uidetur, tristis est, timet.

γυναικὶ καταμήνια ἄχροα. idest, Mulieri menses decolores.] Per menses autem decolores, eos intellige qui colorem habent sibi non naturalem. est uero communis mensium color & naturalis, is de quo Aristoteles mentionẽ fecit nono De animalibus libro, ubi uoluit similem esse sanguini arietis nuper decollati, qui est ruber, clarus, atq; floridus. nam in decollato ariete sanguis ex uena & arteria unà miscentur, in collo enim multæ sunt arteriæ. Eodem modo in utero arteriarum sanguis & uenarũ mixtus est. At ne putes mulieres omnes hoc modo sanguinẽ habere. nam uarius est, ut naturales mulierum temperaturæ uariæ sunt. Quæ sanguineam temperaturam nactæ sunt, menses rubros, floridos habent: quæ pituitosam, subalbidos: quæ atrabilariã, subnigros: quæ biliosam, subluteos. Quãdo naturalis color mutatur, quem mulier ab ortu habet, signum est esse mixtos humores preter naturam, qui ita afficiunt & colorant. Tuq; mulieris naturalem temperaturam considerare debes pro cognoscendis menstruis, an decolores sint, idest à suo naturali colore declinantes, uel mulierem interroga an assueta sit tali colore infecta menstrua habere. Aliqui intelligunt decolores, idest pallidos, qui & si uerum dicant, tamen aphorismum nimis arctant. quoniam (ut Galenus in commentatione dicet) non solum pituitosa menstrua euenire possunt, sed & biliosa, & atrabilaria: propterea nos intelligimus, quod ἄχροα, idest decolores dicitur, malum colorem habentes ad suum naturalem colorem comparantes. Nosq; eodem modo hoc quod ἄχροα dicitur, intelligimus, quo Aristoteles in primo Posteriorum de absono fecit, ubi dicit absonum duo significare, & quod male sonat, & quod penitus non sonat. Ita ἄχροον duo significabit, & quod malum colorem habet, & quod non habet colorem. Ad rem nostram redeuntes, intellige quod malum colorem habet, semper tamen ad suum naturalem colorem comparando. Philotheus intelligit menses decolores, idest multos colores habent, tamen possunt esse decolores, & unum solum colorem habere. Verba eius hæc sunt, ἄχροα φησὶ τὰ πολύχροα, ἅτινα λέγεται ἐκ χυμῶν μελαγχολικῶν, φλεγματικῶν καὶ πικροχόλων. idest decolores dicit multicolores, qui ex atrabilarijs humoribus, pituitosis & amarebileis dicũtur.

Καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ, ἀεὶ γινόμενα. idest, Et non per idem tempus semper uenientes.] Quia ueniant quidem, sed numerum cõsuetum dierum non seruent, quoniam uel tardius uel citius profluant, quàm in alijs temporibus cõsuetum sit. Vnde Philotheus dicit & non per idem tempus semper uenientes, τουτέστι μὴ κατὰ τὸ συνήθη καὶ ὡρισμένον καιρὸν, ἐφ' οὗ εἴωθε κενοῦσθαι ἡ γυνὴ, ἀλλ' ἢ ὀψιαίτερον κενωθῇ, ἢ πρωϊαίτερον. idest, Hoc est non secundum consuetudinem & determinatum tempus, ex quo mulier euacuari cõsueuit: sed uel tardius uel citius euacuetur. Nam si in suo naturali esse, & in sua naturali dispositione fuissent, ordinem suum proculdubio seruassent: quum uero meatus obstruuntur, & menses crassiores fiunt, atq; glutinosi, tunc nimis tardant: si nimis accelerent, ob mixturam est, quam cum bile habent, quæ est humor cæteris tenuior. Nec parum facit alieni humoris miscella cum sanguine. Quod etiam dicitur, nec semper eodem tempore prouenientes: & si intelligi possit, quod quo ad rem ipsam retinerentur: quia si retineãtur, purgatione indigent: tamen ratione mali coloris menstruorum suppressio intelligi non potest, ex qua suppressione ægritudines ingentes fiunt, & tales quæ mortis speciem præ se ferunt, ex his fumis qui ab humoribus relictis eleuantur, & qui ad diuersas corporis partes eunt. & hoc etiam faciunt, si paucissimus sit humor, & paucissimi fumi. Nam de hac re Galenus in sexto De locis affectis libro, capite quinto, diffuse agit. ubi ostendit nõnulla multo etiam minora quàm menses, sæuissima symptomata inferre posse, qualia sunt phalangij ictus, scorpionis atq; torpedinis: in quo etiam loco docet, grauiora symptomata uiduis contingere quàm uirginibus, & grauiora etiam ex semine retento, quàm ex clausis menstruis incidere. Et quamuis multi in mulieribus hoc intelligant, Galenus etiam in uiris idem intelligere statuit. Nos uirum curauimus, qui ex retẽto semine grauissima symptomata inciderat. Sed hæc in uiris rarius uidetur, tum quia calidiores mulieribus, tum quia eorum corpora magis exercent: tamen & in uiris quandoq; uidentur. Nosq;

cognouimus

cognouimus, & nunc cognoscimus rusticas quasdam, quibus menses nunquam profluxere, tamen sanissimæ sunt, & robustissimæ, quod ob motum continuum, & ingentem laborem factum esse arbitror, & quod in his mirum uidetur, progignunt. In brutorum etiam fœmellis menses non profluunt, quia uel in pilos, uel in cornua consumuntur, & à labore resoluuntur.

Καθάρσιος δέεσθαι σημαίνει. idest, Purgatione indigere significant.] Quia adest alterius humoris miscella, qui simul menstruo sanguini mixtus hoc significat. Tu uero dubitare poteris, quum hoc quod generale est, cognoscatur scilicet purgatione indigere, quomodo purgationis species cognosci poterit? Oribasius hoc ostēdere uidetur inquiens, faciam supponi linteolum nouū, in quo suscipiatur sanguis menstrualis, & post diluens aqua siccabo, & uidebo utrum ex bile sit tinctum, aut melācholia, aut phlegmate, & ex quo uidero infici menstrua, congruentem dabo humorem, & purgabo secundum rationem. sed unum addit Oribasius, cum non fluxerint menses consuetis diebus, si non exhibuero purgans medicamentum, uenam incidam. Re autem uera si ita Oribasius intelligat, conueniens est scilicet si menses non profluant, incisione uenæ indigere: Si uero profluant, & decolores sint, purgante medicamēto indigere. Hic uero Hippocrates de sola purgatione per medicamentum mentionem facit, ut humor ille euacuetur, qui menstruo mixtus est: unde utitur uocabulo καθάρσιος, quod significat ex purgante medicamento euacuationem. Id etiam quod in alijs contextibus legitur σημαίνει, in nostro antiquo scriptum est σημαίνουσι, tamen idem est præcise sensus. Philotheus euacuatione indigere dicit διὰ τὸ ἐκκενωθῆναι τὴν πλεονάζουσαν μοχθηρὰν ὕλην. idest, Vt praua materia, quæ plenitudinem facit, euacuetur, uel ut infesta materia redundans euacuetur.

Cum uero menstrua alijs humoribus mixta sunt, semper illorum humorum symptomata faciunt; unde Hippocrates in libro De muliebribus inquit, cui menstrua biliosa descendunt, sæpe linquitur animo, cibum auersatur, æstuat, uigilat, crebro hiat, nec gradum facere uult, potest ue, nec uidere sibi uidetur, tristis est, timet.

GALENVS

IN MVLTIS exemplaribus scripturam ita se habentem possumus inuenire, Mulieri menses tardi, nec per idem semper tempus uenientes. Possunt quidem & menses tardi, hoc est qui post consuetum ueniunt circuitum, purgatione indigere humoris pituitosi, ob quem & decolores fiunt. Non tamen & hac sola necessario, nam & per extenuantem aliquādo uictum tales dispositiones sanabimus. Sæpius autem scriptum à nobis est de hoc uictu, unus liber seorsum. & suffitus aromatum, & qui eandem isti uim habent pessi adhibiti, & epotæ medicinæ quę incidunt, & humorum crassitudinem extenuant, quale est quod ex Calamento fit, quo nos assidue utimur, sæpius ciere solent tardantes mensium purgationes. Nam intentio sanationis in ipsis est, ora quidem adaperire uasorum quæ pertingunt ad uterum, sanguinem uero extenuare. Et quidem purgatio totius corporis, ut dixi, quando crassi euacuantur humores, tales sanat dispositiones. Si uero decolores scriptum sit, multo magis purgatio sanabit ita se habentes mulieres. Neq; enim propter humorem pituitosum tantummodo, sed & propter melancholicum, & biliosum, mēses fiunt decolores. Quomodo igitur dignoscere oporteat humorem superabundantem, ipse in primo De muliebribus, docuit. nunc autē quod per purgationem euacuādum sit, ipse monstrauit. Verba autem illa, Nec per idem semper tempus uenientes: huic scripturæ magis consonant, ut totus sermo sit talis, Si menses decolores fiant, & non per idem tempus ueniant, quo antea uenire consueuerāt, mulier purgatione indiget. Contingit enim in mulieribus quæ malos humores habent, non modo decolores apparere menstruas purgationes, sed etiam tempus periodi non seruari, siquidem crassiores fuerint humores, & difficilius fluentes his qui secundum naturam se habent, morando & longius tempus expectando. Si uero cōtrarij, hoc est humidiores ac tenuiores, consuetum terminum anticipando.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in multis exemplaribus non inueniri καταμήνια ἄχροα, idest menses decolores, sed καταμήνια χρόνια, idest menses tardi, quamuis uocabulum χρόνιον longum etiam significet, tardi uero menses hic illi à Galeno intelliguntur, qui post

consuetum circuitũ contingunt. hi uero tardi menses humoris pituitosi purgatione indigere possunt, propter quem decolores fiunt. Sed necessarium non est, quod ob solam purgationem corrigantur, imò nos per extenuantẽ uictum has dispositiones quandoque sanauimus, de quo uictu librum fecimus, & quandoque per suffitum aromatũ sanitati restituimus, quandoque per pessos, quandoque per medicinas epotas, idest syrupos, qui uim incidendi habent, & humorum crassitudinẽ extenuandi, quale est ex calamẽto medicamen, quia in his intentio sanandi est, uenarũ ora quę ad uterũ ueniunt aperire, & sanguinem extenuare: tamen & totius corporis purgatio, ut dictũ est, eas dispositiones sanat.

Quod legitur, Nam & per extenuantem aliquando uictum tales dispositiones sanabimus, sæpius autem scriptum à nobis est de hoc uictu liber unus seorsum. Gręcus contextus aliter habet, & illa particula, sæpius ante illam, sanabimus, poni debet: legique debet Sanauimus, in præterito, & scriptus postea sequatur, autem. Sed ne contextũ Græcum desideres, hic est: καὶ γὰρ δὴ καὶ διὰ τῆς λεπτυνούσης διαίτης, τὰς τοιαύτας διαθέσεις πολλάκις ἰασάμεθα. γέγραπται δὲ περὶ τῆς διαίτης ταύτης ἐν ἰδίᾳ βιβλίον. idest, nam & per extenuantẽ uictum tales dispositiones sæpe sanauimus: scriptus autem à nobis est de hoc uictu liber unus priuatim. In contextu tamen Aldino scriptũ est: καὶ γὰρ δὴ καὶ διὰ τῆς λεπτυνούσης διαίτης, ἐνίοτε τὰς τοιαύτας διαθέσεις πολλάκις ἰασάμεθα. in hoc contextu illa particula ἐνίοτε, idest aliquando, quam Leonicenus in suo contextu habebat, fecit, ut deinde illam particulam πολλάκις, cum sequentibus iungeret: cum quibus tamen recte aptari non potest, sed determinare debet uerbum Sanauimus. nam absurdum est dicere, Sæpius scriptus est à nobis de hoc uictu liber unus seorsum. Si uero ponamus illam particulã πολλάκις, & illam ἐνίοτε, ante uerbum Sanauimus, uidetur etiam esse absurda sententia, hæc scilicet quod aliquando sæpius sanauimus. Propterea in nostro antiquo contextu illa particula ἐνίοτε, obelo confossa est, quod ratione factum esse arbitramur: nam hæc duo Sæpe, & Aliquando, non se apte compatiuntur. Quod legitur, Pessi adhibiti: Græce est πεσσοὶ προστιθέμενοι. i. pessi appositi. Quod etiam legitur, καὶ τὰ πινόμενα φάρμακα. i. & epotæ medicinæ: intellige syrupos, qui incidant & extenuent. Ex quo loco facile haberi potest, syrupos ad incidendum & aperiendum aptos dari oportere. Quod etiam legitur, Sæpius ciere solent tardantes mensium purgationes: Græce habetur, ὃ καὶ τὰς ἐμμηνίους καθάρσεις βραδυνούσας ἐκίνησε πολλάκις. i. quod sæpius mouit tardãtes mensiũ purgationes.

SECVNDO Galenus docet, si scriptum non sit χρόνια, sed ἄχροα, idest non tardi, sed decolores: tunc purgatio hos affectus multo magis sanabit, unde fient menses decolores, non solum ob pituitosum humorem, sed etiam ob biliosum & atrabilarium. At ut quomodo humorem illum superabundantẽ, quem purgare debes, facile intelligere possis, primum librum Hippocratis De muliebribus lege: in hoc enim aphorismo in genere solum dicit per purgationẽ euacuandã esse. In illo autem libro particulariter modum cognoscẽdi humorẽ superabundantẽ edocet: & inter alia quæ in illo libro ab Hipp. scripta sunt, additur, Si placide id quod biliosum est purgetur, uel totũ quod uexat, sananẽ.

TERTIO docet, sequentia aphorismi uerba, scilicet nec per idem tempus uenientes, ostendere potius legendum esse decolores, quàm tardi: nam ipsis id magis cõsonat, quia hæc particula Nec per idem tempus uenientes, etiam tarditatem significat: licet & celeritatem significare possit. propterea dicit, quòd in mulieribus quæ prauos humores habent, menses decolores apparent, & suæ periodi tempus non seruãt: quia si crassi sint humores, menses retardant: si uero tenues, anticipant.

APHORISMVS XXXVII

MVlieri utero gerenti si mammæ graciles repente fiant, abortit.

BRASAVOLVS

NECESSARIVM est è sanguine mulieris infantẽ qui in utero existit, nutriri: propterea si mulieri quæ utero gerit id contingat, quod mãmæ repente graciles & extenuatæ fiant, signum est nutrimentũ infanti deesse. & ideo contineri non potest, sed abortit.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ. i. mulieri utero gerenti.] quia in his solum hic casus fieri potest: tamen quia inueniũtur mulieres quæ lac habent & utero non gerunt, nec peperere, sed est ob menstruorum defectum: in his superuenientibus menstruis mammæ repente graciles

ciles fieri possent, & tamen non abortiunt, quamuis aliquid per uterum descendat: ideo in solis utero gerentibus casus hic intelligitur. Galenus circa medium fere decimiquarti libri De usu partium, hunc aphorismum citat, & eius rationẽ reddit, cuius uerba hæc sunt, Mulieri in utero habenti si mãmillæ graciles fiant, abortit. Embryon quidem tunc ualidum esse, oportet existimare: nutrimentum uero non habere copiosum: & propter hoc, primum quidem ex communibus ad matricem uenis attrahere sanguinẽ, & in hoc mammillas graciles fieri, paulopost autem abortiri, omnifariam deficiente ei nutrimento. Sed hæc quidem omnia physicorum sunt problematum. Hæc Galenus.

ἢν ἐξαίφνης οἱ μαστοὶ ἰσχνοὶ γίγνωνται. idest, Si repente mãmæ graciles fiant.] Verum quia ob multas causas graciles fieri possent, nempe ex nutrimẽti subtractione, ex aliqua uteri euacuatione, per quam sanguis euacuetur: ob uteri dolorem, uel abscessum ad quem humores decurrant, & ob defectum nutrimenti infanti, quomodocunq; ex his causis fiat mammillarum gracilitas, abortus sequi potest. Sed à Galeno pręsertim intelligitur, quando ex defectu nutrimenti infans, à partibus utero communicantibus trahit. nam tanta est uteri cum mammis communitas, ut unius affectio super aliud significare possit, & ideo cum ab utero diuertere tentamus, cucurbitulas magnas mammis admouere solemus, & si à mammis, ad uterum. Repente uero ab aliquibus exponitur sine aliqua temporis intermisione, ab aliquibus sine aliqua euidenti causa, unde & Philotheus dicit, ἐὰν οὖν ἐξαίφνης φησί, τουτέστι ἄνευ φανερᾶς αἰτίας, ἰσχνοὶ γίγνωνται οἱ μαστοὶ τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γυναικὶ, ἐκτιτρώσκει. ἔνδειαν γὰρ καὶ ἔκλειψιν αἵματος ἀπαγγέλλουσιν, δι' ἧς ἀναιρεῖται τὸ βρέφος σκιρτῶν καὶ διαρρηγνύων τοὺς χιτῶνας. i. si igitur repẽte dicit, hoc est sine manifesta causa mãmę graciles fiant mulieri in utero habenti, abortit. Indigentiã enim & defectũ sanguinis ostẽdunt, per quã perimitur infans, saltans & interrũpens tunicas. unde ab Hipp. dicit,

ἐκτιτρώσκει. idest, Abortit.] Cum enim fœtus nutrimentum non habet, calcitrat, mouetur, loco stare nescit, & ligamẽta, quibus ligatur, perfringit. Galenus sexto De locis affectis libro hunc aphorismum citat. Oribasius uero ob hoc abortire dicit, quia uena concaua in duas partes diuiditur; una ad mammillas fert sanguinem, qui propter loci positionẽ in lac mutatur: altera ad uterum. nam infans non nutritur lacte dum in utero est. mittit autem natura ad mammillas, ut quando natus fuerit, habeat unde nutriatur: unde idem accidit, quale patrifamilias, dum uult egredi ciuitatẽ, prius sibi cibum transmittit, ut quando egressus fuerit, habeat unde uiuat: sic & natura partem sanguinis mittit ad mammillas, & partem ad uterum. Quod autem mammillę arescant, significat esse indigentiã nutrimẽti infantis, qui indigentiã non ferens, se uoluẽdo rumpit mẽbranas, quibus in utero cõtinetur, & sibi ad natiuitatẽ uiã parat, ac foras exit. Hæc Oribasius.

GALENVS

HIC pariter aphorismus ex illorum numero est, quos diximus defectum alimenti fœtui significare. Communes enim quædam uenæ sunt mammis ac uteris, quæ ubi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas ostendunt, inedia uero nonnunquam fœtum perimunt, nonnunquam uero ad excretionem excitant, illam ob causam quam ipse in libro De natura fœtus per hæc uerba explicat. Alimentum, atq; auctio à matre ueniens, non adhuc est infanti sufficiens, quando decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit. Trahit enim à sanguine ad se id quod dulcissimum. Simul autem & lactis parte aliqua fruitur. Vbi uero hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus cibi requirẽs, quàm illud quod adest, calcitrat, & membranas disrumpit, initium partus matri affert. Liquet igitur, quòd & ante decem menses fœtus est indigens alimento, & calcitrans, & membranas disrumpens.

BRASAVOLVS

GALENVS hic docet hũc aphorismũ ex illis esse, qui defectũ alimẽti fœtus significant. nã quædã sunt cõmunes uenæ mãmis & uteris, quæ ubi parũ sanguinis habẽt, graciles mãmas ostẽdunt: & ideo fœtus quãdoq; inedia perimũt, quãdoq; excitãt ad exeundum fœtũ. causam uero in libro De natura fœtus, ipse docuit: nã fœtus calcitrat, & loco stare nõ potest, unde ligamẽta disrũpit, quæ ipsum retinebãt. Illi uero maxime nutrimẽtum deest, quãdo infans in decimo mẽse fuerit à cõceptu, uel ante hũc mẽsem, modo alimẽto indigeat. Hic nota, sententiã Hipp. quã citat Galenus, esse prope eius libri finem:

 uerba

uerba autem hæc sunt, Quod autem non est diutius partum in utero continere & habere quàm decem menses dicam, Nutrimentum & incrementum quod de matre descendit, puero iam satis non est, cum decem menses transiuerunt, partusq; creuit, qui de sanguine quod dulcissimum est trahit, lactisq; aliquantum haurit. Quæ cum minus sint, quàm opus est, partusq; iam ualidus est & robustus, qui plus nutrimenti quàm adsit, cupit: proptereaq; sese agitat, hymenasq; & membranas disrumpit. Quod magis primiparis cadit: nam pueris nutrimentum, quod satis sit, ante decimum mensem deficit. Hæc Hippocrates. Quod legitur, Inedia uero nonnunquam fœtum perimunt: illa particula Inedia, Græce est ἀτροφίη. alias uero dictum est atrophiam apud Celsum tabis speciem esse: hic uero accipitur pro nutrimenti defectu: tamen uera ἀτροφία, est etiam defectus nutrimenti membris, licet is fortè comedat. quia ἀτροφίαν habet, sed in nutrimentum nihil transit.

Quod etiam legitur, In libro De natura fœtus: Græce habetur, ἐν τῷ περὶ φύσιος παιδίων. idest, in libro De puerorum natura. tamen & de fœtu in illo agitur libro. Contextus Aldinus in singulari legit παιδίου. & ita noster antiquus in prima lectione, sed in altera in plurali est. at in Hippocratis libris inscriptio in singulari inuenitur.

Quod etiam legitur, Non adhuc est infanti sufficiens: in Aldino cōtextu ita legitur, οὐκέτι αὐτάρκης τῷ παιδίῳ ἐστίν. & ita noster antiquus contextus in secunda lectione habet. in prima uero scriptum est, οὐκ ἔτι ἀρκέοντα τῷ παιδίῳ ἐστίν.

Quod etiam legitur, Et iam infans molem corporis habet: Græce est, καὶ ἁδρὸν ᾖ τὸ παιδίον. idest, & infans grandis fuerit uel maturus.

Illa particula, Initiumq; partus matri affert, obelo confodienda est, & fine Commenti adscribenda, tum quia ab Hippocrate non dicitur, tum quia à Galeno uerba illa in fine scripta sunt: nam extrema Commenti uerba hæc sunt, ἀρχὴν ἐκκυήσεως παρέχει τῇ μητρί. idest, initiumq; partus matri affert.

Quod etiam legitur, Etiam ante decem menses fœtus est indigens alimento: id uerbum Est, obelo confodere oportet.

APHORISMVS XXXVIII

MVlieri utero gerenti, si altera mamma gracilis fiat, geminos habēti, alterum abortit: & siquidem mamma dextra gracilis fiat, marem: si uero sinistra, fœminam.

BRASAVOLVS

IN præcedenti aphorismo de ambabus mammis dictum est, si flaccescant & graciles fiant, hæc mulier abortit. at si una sola flaccesceret, & mulier unū solum fœtum utero gereret, abortire necessarium non esset, nisi post longum tempus alia etiam flaccescere inciperet: sed in muliere gemellos utero habēte, si una sola mamma gracilesceret, fœtum ab illo latere existentē abortit. Hippocrates uero putauit, in dextero latere marem, in sinistro fœmellā concipi: & ideo si mamma dextera gracilescat, marem abortit, quem in dextero latere conceptū esse supponit: si uero sinistra mamma gracilescat, fœminam, quam in sinistro latere conceptam iudicat. Eadem uero est huius aphorismi ratio, qualis in præcedenti erat, quia infanti in illo latere existenti in quo mamma flaccescit, nutrimentum deest. An uero in dextero mares, & in sinistro fœminæ concipiantur, suo loco ostendemus. Id enim certum est, dexteram partem ut in pluribus sinistra calidiorē esse: unde & in illa mares plerunq; generantur: quamuis & in sinistra nonnūquam fieri constet, Oribasiusq; hos infantes mortuos emitti dicit. De dexteræ partis caliditate hæc dicit Philotheus, τὸ ἄρρεν ἐν τῷ δεξιῷ κόλπῳ τῆς μήτρας ζωογονεῖται, διότι ὡς ἐπίπαν θερμότερος ἐστὶν τοῦ ἀριστεροῦ. ὁ δὲ ψυχρότερος τοῦ δεξιοῦ. idest, Mas in dextero uteri sinu concipitur, quoniam ut plurimum calidior est sinistro, hic autem frigidior dextero.

γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ. idest, Mulieri utero gerenti, & gemellos habenti.]

ἢν ὁ ἕτερος μαστὸς ἰσχνὸς γένηται, δίδυμα ἐχούσῃ. idest, Si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti] Secus est, si unum solum haberet: nam posset non abortire, quamuis una

tera mamma gracilior effecta sit. Intellige habẽti geminos, idest plures. Plures autem concipiuntur, aut ob seminis abundantiam, aut quia in uarios recipitur sinus, aut quia fit superfœtatio. Nos uidimus superfœtationem quandoq; fuisse epidemicam affectionem. Quod in nostro antiquo contextu legitur ἰσχνὸς, idest gracilis: Aldinus contextus legit ὑγρὸς, quod absurdum putamus, & ad Hippocratis mentem non esse.

Θάτερον ἐκτιτρώσκει. idest, Alterum abortit.] Noster antiquus contextus non legit θάτερον, sed θᾶττον, idest citius: tamen codicem deprauatum esse arbitramur, & legendum θάτερον. Nec id intelligas, quod unus solus fœtus abortiatur, quoniam & ambo abortiri possunt, imò in gemellis raro contingit, quod unus abortiatur, & alter perstet; unde sensus est, quod saltem unum abortit: qualem uero abortiat, docet, inquiens,

Καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς μαζὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄῤῥεν. idest, Et si quidem mamma dextera gracilis fiat, marem.] Quod uerum est, si in dextero sinu mares conceptos esse supponamus: nam dextera uteri pars, cum dextera mamma colligãtiam quandam habet, & mutuam affinitatem, & sinistra cum sinistra. Marem quoq; abortiri dicit Philotheus, διότι τὰ κατὰ ἰθυωρείαν μᾶλλον πάσχει. quoniã partes quę sunt per rectum decursum, magis patiuntur.

ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ. idest, Si autem sinistra, fœminam.] Eo supposito quod mulieres in sinistra parte concipiantur. unde Galenus in sexto De locis affectis libro in fine quinti capitis hunc aphorismum adducens, inquit, Atq; geminos ferens, si altera mamma extenuetur, alterum amittit: & omnino si dextera mamma extenuata sit, marem: si sinistra, fœminam amittit: quippe fœtus qui mares sunt, parte uteri dextera cõtinentur: qui fœminæ, magis sinistra, atq; raro aliter euenire expertum est, adeo ut in animalibus quoq;, quæ suapte natura geminos ferre solent, itidem accidere uideamus, ut in capris, ouibus, atq; alijs quadrupedibus non paucis uidere est. Idem Galenus in decimoquarto De usu partium libello, de hac re agens, inquit, Sicut duæ μῆτραι, idest matrices factæ sunt mulieribus, in unum collum terminatæ; ita ubera duo utriusq; matricis, unum uni respõdens, ueluti minister quidam bonus: ita igitur & Hippocrates dicebat, Mulieri in utero habenti, si altera mammillarum gracilis fiat, geminos habenti, alterum abortit: & si quidem dextera gracilis fiat, masculum: si uero sinistra, fœminã. Hæc Galenus. Tuq; per duas matrices, duos sinus intellige. In eodem decimoquarto De usu partium, in medio ferè libri, huius rationem affert, præcedentem aphorismum ponens, in quo locò probat, esse communes uenas utero & mammis, & quod illæ uenæ communicant, dextera parti dexteræ, & sinistra sinistræ. At hic dubitare potes, si ambæ mammæ gracilescant, quid necessario sequatur. Philotheus respondet, ἢν δὲ ἀμφότεροι οἱ μαζοὶ ἰσχνοὶ γένωνται, ἀμφότερα ἐκτιτρώσκει διὰ λόγον τῆς ἐνδείας τῆς τροφῆς. λιμαγχονούμενα γὰρ τὰ ἔμβρυα, σκαίρει καὶ ἀπαρύττει τὰ ἀρτήματα, καὶ οὕτως ἡ γυνὴ ἐκτιτρώσκει. idest, si uero ambæ mãmæ tenues fiant, utrosq; abortit, ratione indigentiæ nutrimenti: fœtus enim fame infestati saltant, & dilacerant ligamenta, & sic mulier abortit.

GALENVS

QVOD suprascriptus aphorismus de ambabus mammis dicebat, hoc in altera iste dicit, propter illam quam diximus de uenis communibus causam, eo qui è directo est mammæ factæ gracilioris fœtu aborsum patiente. Quod autem existentibus geminis, altero mare, altero fœmina, si dextra quidem mãma gracilis fiat solus mas, si uero sinistra fœmina sola corrumpitur, ex illa ipsius pendet opinione, qua mares quidem in dextris, fœminas uero in sinistris magis concipi opinatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus hunc aphorismũ præcedenti hoc modo continuat, quoniam præcedens in ambabus mammis loquebatur, hic in una solum mamma: & eadem est huius aphorismi, & præcedentis ratio, scilicet ad uterum & mammas uenarum communitas.

Quod legitur, Propter illam quam diximus de uenis communibus causam, eo qui è directo est mammæ factæ gracilioris fœtu abortũ patiente. in hac parte addi debet Autem: hoc modo, Propter illam autem. Et in fine quod legitur Patiente, legi debet Patitur. Græce enim ita legitur, διὰ δὲ τὴν προειρημένην αἰτίαν τῆς κοινωνίας τῶν φλεβῶν, τὸ κατ' εὐθὺ τοῦ μειωθέντος τιτθοῦ μόνον ἔμβρυον ἐκτιτρώσκεται. ob prædictam causam ex uenarum communione, fœtus per directum imminutæ mammæ existens abortu perit.

SECVNDO

SECVNDO Galenus docet, hoc si dextera mamma gracilis fiat, mas: si sinistra, foemina corrumpitur. ex illa opinione rationem habere, quæ dicit, mares quidem in dextris, fœminas uero in sinistris magis concipi. Est uero Hippocratis aphorismus, de quo suo loco deinceps agemus.

APHORISMVS XXXIX

SI mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.

BRASAVOLVS

NEFANDVS quidam casus, quum essem in Gallia contigit. Nam mulier quædam filium furtiue peperit, quem in torrentem illac prolabentem iecit, ut suffocaretur: quod; ut sperabat, euenit. Sed aqua decrescente suffocatus infans apparuit: quo à populo uiso, prætori relatum est: qui huius facinoris effectricem quærens, nullo modo inuenire poterat. At deniq; uel boni uel mali genij suasu hoc excogitauit, lictores per omnes illius loci domos misit, qui mulieres omnes explorarent, quæ lac haberent, & ab ipsis peterent & quando peperissent, & ubi essent ipsarum infantes. In hanc deniq; incidere, quæ facinus id perpetrarat, & eius mammas lacte plenas inuenere. De infante petentes, negabat se peperisse. Prætor ille rei medicæ ignarus hanc propositionem ueluti proloquium & maximam mente conceperat, Mulieres quæ lac habent, peperisse: quæ tamen falsa est: nempe fieri potest, ut nec pepererint, nec utero gerant quæ lac habent, sed ob mensium suppressionem sanguis ad mammas redundet, & in lac cōuertatur. Tamen prætor ille alioqui ignarus argumento contra Hippocratem usus, quando propositionem particularē, ac si uniuersalis esset, accepit, perfidam illam & crudelem matrem inuenit: &, ut digna erat, simul cum eius matre facinoris conscia puniuit. Nunc igitur ab Hippocrate hoc dicitur, Mulier quæ utero non gerit, neq; peperit, & lac habet: menses etiam non habet. Tu equidem quum id uideris, huic menstrua defecisse inferre poteris. Et non ab re dixit lac, quia in puellis quæ nondum aptæ sunt uiro ante pubertatem aquositas quædam mammas egreditur, quam & nos frequenter puerorū mammas exire uidimus. At tibi fortè uidebitur, simpliciter proferēdum esse, si mulier lac habet, huic menstrua defecisse, quoniā & in utero gerentibus defecere, & in his quæ peperere defecerunt. Sed uniuersaliter uerum non est, quod in utero gerentibus menses deficiant, licet in pluribus sit. Et quod illæ quæ pepererint, non habeant menses. nam multæ quæ lac præbent, menstrua non habent, aliquæ habent. Causa uero cur Hippocrates de his mentionem fecerit, quibus ob defectum menstruorū lac fluit, & quæ nec utero gerunt, nec puerperæ sint, est, quia hoc raro fit, & est præter naturam, sed de utero gerentibus & puerperis est secundum naturam.

ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μὴ δὲ τεκοῦσα, γάλα ἔχῃ. idest, si mulier quæ neq; grauida est, neq; peperit, lac habet.] Quia habere non potest, nisi ob aliquam rem præter naturam, quum & hic effectus sit præter naturam.

ταύτης τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε. idest, Huic menstrua defecerunt.] Nam alia causa cur lac habeat, conuenientior non uidetur, quàm quod sanguis, qui per uterum exire deberet, ad mammas à natura transmittitur. Idq; in muliere illa intellige, quæ sanguine ualde plena non sit. Nam fieri posset, aliquam esse multo sanguine plenam, & ad mammas ipsum sanguinem transmitti: tamen & copiam aliquam superesse, quæ per uiam mensium descenderet, opusq; est per mammas sanguinis copiam exire. Galenus in sexto De locis affectis libro, prope finem quinti capitis hunc Aphorismum citat, ubi symptomata illa edocet, quæ ob adstricta menstrua euenire solent: idq; inferre uidetur, quando in mammis lac adfuerit, ob menstruorum suppresionem, nullum aliud symptoma consequitur. Quando uero menstrua suppressa sunt, & in mammis non apparet lac, tunc alia symptomata contingunt, quæ ipse enumerat, grauitas totius corporis, fastidium, ut nulla sit cibi cupiditas, horror inæqualis, & alia quæ à Galeno

ibi referuntur. Philotheus quoque totius aphorismi causam ita refert: διότι ὑποχεθέντων τῶν καταμηνίων, ἀνεχύθησαν διὰ τῶν φλεβῶν τῶν ὀνομαζομένων ἀμφυμένων, ἐπὶ τοὺς μαστούς, κοινωνίαν τούτων ἐχόντων πρὸς τὴν μήτραν. καὶ ἐπειδὴ ἀδενώδεις εἰσὶν οἱ μαστοὶ, καὶ λευκοὶ, πρὸς τὴν ἑαυτῶν φύσιν πέττουσι, καὶ κατακοσμοῦσιν αὐτὸ τὸ αἷμα, καὶ γάλα ποιοῦσιν. ἐὰν οὖν μὴ πέψωσιν καὶ τούτου γινομένου, μὴ δὲ συλλήψεως παρούσης, οἱ μαστοὶ γάλα ἔχουσιν, πάντως καταμήνια ἐπεσχέθη. idest, Quoniam suppressi menses, per uenas amphymenas uocatas, ad mammas deferuntur: quum hæ (scilicet mammæ) communionem cum utero habent, & quoniam adenosæ sunt mammæ, atque albæ, secundum ipsarum naturam digerunt, & componunt ipsum sanguinem, & lac faciunt. Si igitur non digerunt (scilicet menstrua) & hoc fiat (scilicet ut lac sit in mammis) non existente conceptu (scilicet fœtus in utero) omnino menses suppressi sunt.

GALENVS

RATIO quidem lógior existit, & oportet illum qui eam exquisite assequi debeat, exercitatum esse in libris De potentijs naturalibus. Tantum tamen de his nunc à nobis dicetur, quantum breuissime dictum possit ad præsentia conferre. Hoc quidem commune est omnibus animalis partibus quæ aptæ sunt humores aliquos utiles generare, aut partibus alijs, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum quandam ueluti superfluitatem partis ipsum generãtis. Non enim quia norit ad quid utilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem, nisi debeat talem habere intellectum, qualem habere oportere arbitrãtur ciuitatum gubernatores. sed animalis quidem opifex illum habet intellectum. ipsa autem pars ut ostensum est, potentijs regitur naturalibus, tum alijs quibusdam, tum alteratiua per quam assimilat alimentum sibi ipsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisite assimilatum, illi apponitur parti, ac nutrit eam. & hoc est quod ipse ait. Alimentum autem quod alit, alimentum etiam quod est ueluti alimentum, & quod debet alere, superfluum uero derelictum, similis quidem naturæ partis humor existit. In ossibus quidem id quod in eius cauernis continetur, in hepate uero sanguis. ex hoc genere est & spumeus humor qui in carne pulmonis continetur, & qui in articulorum compagibus glutinosus humor, & id quod in testibus, & in uocatis assidentibus semen, & qui in lingua cui nomen saliua. Sunt autem & quidam in mammis adenes uim habentes id quod ad eos influant alterandi. Cum ergo hi sint exangues & albi proprium efficiunt humorem, talem qualis est lac, quando plus alimenti defertur ad ipsos. Plus uero defertur octauo & nono mense conceptionis, quando abundanter oppletæ sunt communes uenæ mammarum, & uteri, sicuti in animalium prægnantium resectionibus manifeste conspicitur. Fit autem & tale raro quandoque cum mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint uenæ repletionem, ex menstruorum retentione, cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, huius aphorismi ratione̅ longam esse, & eum in libris De potentijs naturalibus exercitatum esse oportere, qui illam assequi uelit. Ipse uero nunc ea solum dicet, quæ ipsi ad aphorismi intelligentiam conferre uidebuntur.

Illa particula, exquisite, quam Leonicenus, illi particulæ, assequi debeat, coniunxit, potius illi coniungi debet exercitatum esse. ut legamus exquisite exercitatum esse. nam ita Galenus applicat. nempe non dixit ἀκριβῶς παρακολουθῆσαι, sed tam in Aldino contextu, quàm in nostro antiquo, & in omnibus alijs, quos uiderim, dicit ἀκριβῶς γεγυμνασμένον, idest exacte exercitatum esse. luceque clarius est, illam particulam exacte uel exquisite, ad illam, exercitatum esse, longe conuenientius esse, quàm ad illam assequi debeat, si quis recta lance perpendat.

SECVNDO Galenus docet, hoc esse omnium partium, quæ utiles humores generant commune munus, alijs partibus, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem inseruire, quod hi humores qui generantur, sunt huius partis quæ generat superfluitates, licet utiles sint & nutrimenta aliarum.

Quod legitur, Veluti superfluitatem partis ipsum generantis, his deest particula, τροφῆς, quæ in illa parte est, ueluti superfluitatem nutrimenti partis ipsum generantis.

TERTIO, ne quis putet nostri corporis partem, quæ humorem utilem generat, id facere per cognitionem, Galenus dicit, Ne putes, corporis partem humorem generare, quia cognoscat. Nam si ita ageret, oporteret partē intellectum habere, qualem urbium gubernatoribus tribuūt: sed non habent intellectum. tamen animalis pars, naturales potentias ad quas destinatur, à deo habet, præsertim potentiam alteratiuam, per quam alimentum sibi assimilat: unde quantum alimentum pars aliqua alterat, & nutrito corpori exquisite assimilat, tantum illi parti apponitur, & eam nutrit. Et ideo hoc est quod alibi ab Hippocrate dicitur, Alimentum esse quod alit iam actu, & alimentum etiam quod non alit, sed tamen alere debet.

Quod legitur, Non enim quia norit ad quid utilis erit humor animali, Græce habetur, οὐ γὰρ τῷ γινώσκειν ἄν ὅτι χρήσιμος ὁ χυμὸς ἔσται τῷ ζώῳ. idest, non enim quia norit quod utilis est humor animali. Antiquus uero noster contextus corrigit illam partem ἄν ὅτι, & legit ὡς ὅτι.

Quod etiam legitur, Qualem habere oportere arbitrantur ciuium gubernatores. illa particula Arbitrantur, Græce est ἀξιοῦμεν, idest arbitramur.

Quod etiam legitur, Sed animalis quidem opifex: Græce habetur, ἀλλ' ὁ μὲν δημιουργήσας τὸ ζῶον. idest, sed creans quidem animal.

QVARTO Galenus docet, apud Hippocratem id quod alere debet, tamen est superfluum, esse simile naturæ partis: unde in ossibus est medulla quæ alere debet, in hepate sanguis, in pulmone pulmoneus humor, in testibus & adiacentibus partibus semen, in lingua saliua.

Quod legitur, Et in uocatis assidentibus semen: Græce est, καὶ τοῖς παραστάταις ὀνομαζομένοις σπέρμα. idest, & in assidentibus uocatum semen. ut illa particula Vocatum, determinet particulam Semen, & non illam Assidentibus. Intellige uero per assidentia seminaria uasa, alia à testibus.

QVINTO ea quæ dicta sunt, ad aphorismi propositum applicat: nam mammę adenes habent, imò tota mamma est adenosa caro, quæ id quod ad ipsam influit, conuertit. Quum autem, & albi, & exangues sint, humorem album faciunt, quando ad mammas plus accedit alimenti, quàm habere deberet. Hoc autem fit octauo & nono mense potissimum, quando uteri uenæ, & mammarum abundanter plenæ fuerint: quod manifeste in animantibus utero gerentibus uidemus, quando reficiuntur. Quandoque idem fit (licet raro) quum mulier utero gerens non est, & uenæ ob mensium suppresionem, ad talem repletionem peruenerint. & hæc est dispositio, de qua Hippocrates in hoc aphorismo agit, quando scilicet retētis mensibus mammarum uenæ præter modum implentur, tunc lac inducitur, uel (ut Galenus dicit) humor ueluti lac. nempe nō dicemus esse uerum lac, nisi uel utero gerat, uel puerpera fuerit. At id fortè tibi conueniens non uidebitur, quod octauo & nono mense mammarum & uteri uenæ plenæ sint, quia tunc fœtus est maior, & magis consumit: sed de communibus uenis, quæ implentur intellige, quæ inter mammas & uterum mediæ sunt, in illis mēsibus ad fœtum plus defertur, quod per has communes uenas fit, ideo & ad mammas plurimum ducitur.

Quod legitur, Vim habentes id quod ad eos influat alterandi: Græce habetur, ὁμοιοῦν ἑαυτοῖς δυνάμενοι τὸ ἐπιρρέον. idest, uim habentes id quod ad eos influit assimilandi.

Quod etiam legitur, Talem qualis est lac: ibi deficit una particula, quæ est, Et ampliorē hunc faciunt: postea sequatur, Quando plus alimenti defertur ad ipsos. nam Græce legitur, οἷόν περ ἐστὶ τὸ γάλα, καὶ πλεῖον τε τοῦτο ποιοῦσιν, ὅταν ἐπιρρέῃ πλείων τροφὴ ἐν αὐτοῖς.

APHORISMVS XL

QVibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

BRASAVOLVS

MVLIERES in quarum mammis sanguis colligitur, & in lac non conuertitur, is est ebulliens sanguis, & talis qui ad caput multum euaporat: propterea furorem facit. Tu igitur quum uideris lactis uice sanguinem è mammis exire, in hac muliere furorem futurum

futurum iudicato, quia is sanguis adeo feruidus est, ut ab adenum qui in mammis sunt, frigiditate in lac conuerti non possit. Oribasius uero dicit qualitatẽ ipsius ad cerebrum ascendere, & insaniam referre. Philotheus uero dicit, τὸ ἐκ τῶν ἀμφυμλίων φλεβῶν πρὸς τοὺς μαστοὺς φερόμενον αἷμα, εἰ σύμμετρον ᾖ, γάλα γίνεται. εἰ δὲ πλέον τοῦ δέοντος, οὐκ ἀλλοιοῦται. διότι γὰρ πλῆθει καταλύει τὴν δύναμιν τῶν τιτθῶν. λοιπὸν μένει, ὃ σήπεται. πέμπονται γὰρ ἐξ αὐτοῦ ἀτμοὶ θερμοὶ εἰς τὸν ἐγκέφαλον, κἀντεῦθεν ἐκτρέπεται ὁ ἐγκέφαλος, καὶ μανία γίνεται. idest, sanguis ex communibus uenis ad mammas delatus, si moderatus fuerit, lac efficitur: si autem plus quàm oportet, non alteratur, quoniam mammarum potentiam multitudine dissol uit, reliquum manet & putrescit. Ex ipso enim acuti uapores in cerebrum mittũtur, & hinc cerebrum subuertitur, & mania fit. Celsus capite septimo secundi libri hunc apho rismum his uerbis citat: suffusæ quoq; sanguine mulieris mammæ furorem uenturum esse testantur.

γυναιξὶ ὁκόσαις ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται. idest, Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis conuertitur] Theodorus & Leonicenus hoc uerbum συστρέφεται interpretantur, colligitur: tamen si penes uerbi proprietatẽ conuertitur dixerimus, Galeno concordes erimus, qui uult hunc sanguinem per totum corpus feruentem deferri: sed potissimum ad caput, & etiam portionem aliquam ad mammas cõuerti, quæ immutari non possit. Est uero sanguinem ad mammas conuerti uel colligi, per uenas suas duci, & non transmutari. nam quod sanguis ad mammas ducatur, naturale est: quod autem non fiat lac, est præter naturam, intelligẽtes de copia lactis, quia sanguis ille qui ad mammas defertur, ut illas nutriat, ut in lac transeat necessarium non est. propterea aphorismum de copioso sanguine & perseuerante, qui ad mammas profluxerit, ut in lac cõuertatur, intelligito. Vna autem & potissima causa cur in lac non mutetur, est intensissima caliditas quam habet. At calidissimi sanguinis natura est, ut ad superiora moueatur, & deniq; ad caput, uel ipse actu, uel fumi, qui ab eo calidissimi & siccissimi eleuantur: & id faciunt, quod in Hippocrate statim sequitur, scilicet

Μανίην σημαίνει, idest maniam significat.] Paulus Ægineta libro tertio, capite decimo quarto, inquit, Si quando uero pressata plus æquo flaua bile, in atram facta iam fuerit permutatio, maniam inferre solet, in qua ferocius, quàm in melãcholia desipiunt, adeo ut si qui incautius circa eos uersentur, male tractentur & uapulent: tamẽ mania & furor harum mulierum sanguinis qui ad mammas mouetur, naturam consequitur.

GALENVS

QVOD quidem sanguis ad mammas feratur, deinde ab adenibus qui inibi sunt in lac transmutetur, in statim antea scripto dictum est aphorismo. Nunc autem quando intransmutabilis manserit, hic qui ad eos sanguis peruenerit, furorem ait Hippocrates significari. Ego quidem nunquam hoc accidisse uidi: & si quando eueniat, ex his est quæ raro eueniunt. Hippocrates uero, ut qui uiderit, scribit, & si uerum sit talem ipsius oportet causam existimare. Adenum natura, & illorum præsertim qui in mammis sunt, exanguis est, & liquet, quod frigida. (Omne enim exangue frigidum) & quidem eius qui defertur ad ipsos facit sanguinis alterationẽ ad frigidius declinantem. Quãto enim adenes hi sunt hepatis carne frigidiores, tanto lac sanguine. Cum igitur plurimus aliquando sanguis [illegible] per totum labitur corpus, & caput præcipue petit, in furorem uertentur, quo[illegible]guis talis occupat caput. Qui uero ad mammas defertur ad contrariam natura[illegible] non p[illegible]erit, ita ut lac fiat, tum propter habitum talem, tum propter exuperantia[illegible]

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in præcedẽti aphorismo scriptum reliquisse sanguinem ad mammas ferri: deinde à mammarum adenibus in lac transmutari.

SECVNDO dicit, Hippocratem edocere, quando sanguis non conuertitur in lac, furorem significari. Et testatur se nunquam hoc uidisse, tamen Hippocratem uidisse putat. Nos uero effectũ non uidimus qui cõsequeretur, sed bene uidimus mulierẽ à cuius uberibus fluebat sanguis loco lactis: sed nos hoc potius attribuebamus duobus gemellis, qui adeo uehemẽter exugebant lac, ut non finerent sanguinẽ in lac cõuerti: sicuti & his cõtingit, qui nimio utunt̃ coitu: deniq; sanguis exit, qui in semen cõuerti nõ potuit.

TERTIO Galenus aphorismi rationem reddit, quia adenum natura, & præsertim mammarum est exanguis, & frigida, propterea sanguis, qui ad mammas tendit, minus calidus efficitur: & quãto hi adenes sunt iecoris carne frigidiores, tanto lac est frigidius sanguine. quando igitur acciderit multum feruẽtem sanguinem per totum corpus moueri, & præsertim petere caput, in furorem uertuntur: quia talis sanguis calidissimus caput occupat. at qui ad mammas fertur, quia ualde calidus, à frigida mammarum natura in lac conuerti non poterit: & hoc ob duas causas, una est intensissima caliditas, quam habet, altera sanguinis copia.

Quod legitur, Cum igitur plurimus aliquãdo sanguis feruens per totum labitur corpus, Græce habetur, ὅταν οὖν ποτε πολύ τε αἷμα καὶ ζέον αἷμα παντὶ τῷ σώματι ἀναφέρηται. idest, Quando igitur multus sanguis, simul & feruens per totum corpus labitur.

Quod etiam in fine commenti legitur, Propter habitum talem. Græce habetur, διά γε δῆξιν, propter morsum.

APHORISMVS XLI

SI uelis noscere an conceperit mulier, cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da, & si alui tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.

BRASAVOLVS

HIPPOCRATES qui cupit medicum in omnibus esse perfectum, ne in purgandis utero gerentibus mulieribus erret, experimẽtum quoddam edocet, quo in hoc opere instituendo prudens esse uideatur. Cum dubitas an mulier conceperit, necne, tamen certus fieri cupis, hoc experimẽto utaris: quando dormitura est, da illi in potu melicratum. Si alui tormina incidat, concepit: si non incidat hęc tormina, non concepit. nam si conceperit, constringitur uterus, & intestina comprimuntur, & flatui, qui ex melle ortum habet, exitus liber non datur. Hæc est communis omnium causa, quæ an uera sit, an non uera, tu cõsidera. In principio enim cum mulieres utero gerere incipiunt, uteri constrictio intestina non cõprimit, imò potius constringens se, intestinis ampliorem locum facit. propter hæc fortassis intelligẽdus est Hippocrates, cum os uteri in utero gerente adeo constringatur, ut neq; aciculæ acumen ingredi possit, etiam aluus simul ex loci propinquitate constringitur. propterea utero gerentes difficulter excernunt, & stipticæ fiunt, propter hoc potius flatũ retineri putamus, & tormina excitari. Iubetq; Galenus, intelligẽdum esse muliere existente plena, & cum quiete, tunc enim tormina excitantur. Oribasius dicit propter hunc aphorismũ multos putasse Hippocratem hunc librum non composuisse, idest hanc partem de mulieribus utero gerentibus. nam Hippocrates solitus est rimari quorumcunq; naturam per interiora, nunc autem adfert extrinsecus petita medicamenta. At nos non totam hanc partem ab Hippocrate remouemus, sed hunc solum aphorismum. nam certe scimus, & pluribus uicibus experimento comprobauimus, quod in hoc aphorismo dicitur, non esse uerum. uidimus enim utero gerentes quæ torquebantur, & quæ non torquebantur, & utero non gerentes quæ torquebantur, & quæ non torquebantur: imò multi uiri, si crudũ mel comederint, aut crudam aquam biberint, torquentur, multæq; mulieres inueniuntur, quæ nec mel, nec aquam ferre possunt, tamen utero non gerunt.

γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει. idest. Mulier an conceperit, si noscere uolueris.] Est autem concipere, uterum uiri semen capere, retinere, & conseruare, adeo ut paulatim fiat embryum. Si uero dubites ad quid hoc scire? Respondebimus, ut sapiens uidearis, & quandoq; euites ne utero gerentem purges, & ipsamet incommoda euitet, ut fœtum recte ferat, & ne abortiat.

ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ. idest, Cum dormitura est.] Vel quando cubatum ire uoluerit, ut scilicet quiescat: nam in quiete flatus non resoluuntur, sed potius augentur.

Μελίκρατον διδόναι πιεῖν. idest, Melicratum bibendum da.] De melicrato in nostro syruporum examine egimus, à Latinis mulsa aqua uocatur. hic Theodorus melicratũ, idest mulsum uertit. Leonicenus uero aquam mulsam, & recte, quia mulsum absoluto uocabulo

bulo apud Latinos, est οἰνόμελι Dioscoridis, quod ex uino, & melle fit. Hicq; docet Galenus, Hippocratem melicratum intelligere ex aqua cruda, & melle crudo factũ. quia & si mel calidum sit, tamē multas habet humidas partes atq; flatuosas, quæ tormina in pluribus cum uiris, tum fœminis pariunt, ut Galenus tertio De alimentorum facultatibus libro testatur, ubi docet, coctum mel esse expers flatus, non coctum flatus multos gignere, & hoc etiam loco Galenus edocet melicratum non multum coctum uentrem prouocare, propterea hæc esse poterit torminum causa.

Καὶ ἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει. idest, Et si tormina circa uentrem habuerit, concepit.] Propter dictam causam, quia compressæ sunt infernæ partes, ut libere flatus exire non possit, sed retineatur, & supra intestina comprimat, quia etiam uteri os corrugatum, & naturæ opere constrictum, podicem ipsum simul adstringit.

εἰ δὲ μὴ, οὐ κύει. idest, Si autem non, non concipit.] scilicet si tormina non fiant, quia libere flatus exire potest atq; penetrare. At de melicrato solum mentionem fecit Hippocrates, & nō de alijs rebus, quæ flatuosæ sunt. non quia & in alijs non sit æqua ratio, sed quia facilius in flatum resoluitur, & res est minus afferens dispendij. tamen mulier aliqua adeo calidi uētriculi inueniri posset, quæ flatus resolueret, propterea hunc aphorismum ne acceperis ac si sit huius rei certissimum signum. nam in pluribus deficit, & alia certiora signa hoc ostendunt. Philotheus quoq; totius aphorismi eandem causam assignat, inquiens, τὸ γὰρ μελίκρατον ὡς θερμότερον ποιεῖται πνευμάτων τινῶν ἀναδόσεις περὶ τὴν γαστέρα. ἐπειδὴ δὲ ἡ μήτρα ἐπίκειται τοῖς ἐντέροις τοῖς ἔμπροσθεν, ἐὰν ἔχῃ ἐπὶ γαστέρα, ὑπὸ βάρει τοῦ ἐμβρύου, οἷον ἀποθλιβόμενα ἐστὶ τὰ ἔντερα. τοῦτα οὖν τὰ πνεύματα τείνουσιν, καὶ τῇ τάσει ποιοῦσι στρόφον, καὶ δηλοῦται ὅτι σύλληψίς ἐστιν. εἰ δὲ στρόφος μὴ γίγνηται, ἀλλὰ διεξέρχονται καὶ διαφοροῦνται τὰ πνεύματα, οὐκ ἔστι σύλληψις. idest, Melicratum enim utpote calidum flatuum quorundam distributiones circa uentrem facit, quoniam uero uterus his intestinis adiacet, quæ in anteriori parte sunt: si in uentre habuerit, intestina fœtus pondere ueluti oppressa sunt (hæc scilicet intestina) igitur flatus extendunt, & extensione tormina faciunt, & conceptionem factam esse ostēditur. Si uero tormina non fiant, sed transeant flatus atq; discutiantur, conceptio non est.

GALENVS

TORMINA fiunt quidem, & propter mordacitatem. Fiunt autem & propter spiritum flatuosum, qui facilem non habet exitum, quæ etiam tormina fieri nunc est arbitrandũ in mulieribus quæ cōceperunt, propter eam quæ fit ex utero angustationem. Dat autem aquam mulsam mulieri dormituræ. crudam uidelicet, quoniam qualitas flatuosa si noscere uolumus est necessaria, uolens & quiescere simul, & plenam esse cibis mulierem. Hæc enim ambo conferent ad torminum generationem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, tormina quæ Græci στρόφους uocant, ob duas causas fieri, & ob mordacitatem quæ à bilioso humore in intestinis existēte inducitur, & ob flatuosum spiritum, qui exitum facilem non habet, sed intestina implet & extendit.

SECVNDO docet, in utero gerente, ob uteri angustationē tormina fieri, quæ tanta est, ut aciculæ acumen ingredi non possit, & ex consequenti ob anī angustationem.

TERTIO docet, dandam esse aquam mulsam crudam, ut facile in flatum uertatur, & flatuosa sit, quia bene cocta nullos flatus efficere potest.

QVARTO, duo à Galeno ponuntur, quæ & spectanda & agenda sunt: unum est, quod mulier post epotum melicratum quiescat: nam flatus quiete nō resoluũtur. Aliud quod cibis plena sit, hoc etiam est causa flatus, quia naturalis calor circa cibum occupatus est: unde flatus solum excitare potest, non tamen resoluere.

APHORISMVS XLII

MVlier si marem concipit, bene colorata est: si uero fœminam, male colorata.

BRASAVOLVS

NON solum de conceptus principio aphorismus uerus est, sed in toto etiam plenitu

dinis tempore ueritatẽ habet, si mare plena sit mulier, bene colorata est, quia marem fœmina calidiorem esse constat. Ideo bonum colorem habet, idest ratione sui naturalis caloris uiuidum. nam aliud est simpliciter de bono colore loqui, aliud de bono colore respectu suiipsius, antequàm utero gerat. At si male colorata sit, fœminam concepit, quia fœmina frigida est, & pallorem inducit. Si uero dubites de semine, quod marem progignere deberet, tamen uteri uitio fœmina nascatur: an hæc mulier bene colorata esse debeat, an non bene colorata. Nempe Hippocrates & uterum in causa ponit, cur utero gerentes mares & fœminas pariant. Respõdemus, hoc supposito quod uterus ad transmutandum semen secundum Hippocratẽ multum faciat, & semen ad marem generandum aptum in fœminã transmutare possit, & econtrario. Tunc dicimus, si mulier aliqua fœmineum fœtum gerat; tamen semen marem effingere aptum erat, hæc mulier ratione frigiditatis suæ naturæ male colorata erit: tamẽ non adeo male, ut si frigidum semen etiam recepisset ad fœminam generandam aptum, & etiam uterus ipse frigidus esset, & alia secundum rationem hoc modo perpendenda sunt.

γυνὴ ἢν μὲν ἄῤῥεν κύῃ. idest, Mulier si marẽ concepit.] idest, si fœtus mas sit, qui ab utero conceptus est, aut si semen conceptum, ad progignendum marem aptum sit, nec oppugnet uterus. Tamen Hippocratis uerba principium conceptionis innuere uidentur, & quod in principio statutum sit, an mas uel fœmina esse debeat: tamẽ ipse alibi ubi de mulieribus uerba facit, oppositũ sentit, nempe ponit tantam esse uteri uim, quod semen futurum marem in fœminam conuertere possit, & econtrario.

εὔχρους ἐστίν. idest, Bene colorata est.] Ob fœtus caliditatem. Philotheus hoc dicit, τὸ εὔχροιαν ἐνταῦθα οὐ τὸ κατὰ φύσιν ἀκουστέον, ἀλλ' ὅσον ἐπὶ ἐγκυμονουσῶν γυναικῶν. idest, bene coloratum hic non est intelligendũ secũdum naturam, sed quantũ ad mulieres utero gerentes.

ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρους. idest, Si autem fœminam, male colorata.] Propter naturæ frigiditatem. Opus autem est intelligere bene & male coloratum per comparationẽ ad suum naturalem colorem, quem ipsa habet, qui sit uiuidus & splendidus uel pallidus & ater: in maribus igitur bonum colorem habent, in fœminis non bonum: & causam Philotheus assignat, ἐπειδὴ τὰ ἄῤῥενα, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον θερμότεραί εἰσιν, ὅτε καὶ τὸ εὐανθὲς χρῶμα. idest quoniam mares ut plurimum calidi sunt, unde & floridus color: de fœmineo uero conceptu dicit, male coloratas esse, διότι τὰ θήλεα ψυχρότεραί εἰσι, κἀντεῦθεν καὶ ἄχροα. idest, quoniam fœminæ frigidiores sunt, & hinc male coloratæ.

GALENVS

VT AD se ipsam muliere collata uidelicet, non autem ad alteram, dictum est ab Hippocrate indicium quod ex bono calore ac malo sumitur: nam quę fœminam concepit minus se ipsa colorata apparet, quoniam frigidior est fœmina mare: nunquam uero talem concepisset, nisi uiri semen, uel uterus mulieris frigidior eo tempore fuisset in quo concepit. Quare quod dicitur, ex eorum numero est quæ sæpius eueniunt. Contingit enim ita omnia recte agere mulierem post tempus conceptionis, quod bene colorata fiet. Liquet autem quod & alia signa sunt marem esse conceptum, sicuti ipsius conceptus plurimæ ac ualidæ motiones, quæ neq; ipsæ signa perpetua sunt. Cõtingit enim aliquando licet sit rarum, quòd concepta fœmina sit mare robustior, & multis ac ualidis motibus moueatur, & aliquando mas sit debilior fœmina ac paucioribus debilioribusq; motibus cieatur.

PRIMO Galenus docet, hoc indicium, quod ex bono & malo colore sumitur, intelligendum esse respectu suiipsius.

SECVNDO docet rationem diuersitatis colorum, quia fœmina est frigidior mare.

TERTIO duas causas conceptionis fœminæ assignat: una est uiri semen, quod frigidum sit: alia est mulieris uterus, qui frigidior sit. Vnde & Galenus etiam fœminei fœtus causam frigiditati uteri attribuit.

QVARTO docet, hoc signum semper non esse uerum, tamen sæpe fit: nam mulier post cõceptum ita bene agere posset, quod bono colore affecta euaderet. Deniq; multa alia signa esse tradit, quæ fœtum marem esse ostẽdunt: sicuti multæ & ualidæ fœtus motiones, tamen nec istæ certa signa existunt, quia quandoq; contingit (licet raro) conceptam fœminam mare robustiorem esse, & multum moueri, atq; motu uehementi.

APHO-

APHORISMVS XLIII

SI mulieris grauidæ in utero sit erysipelas, letale.

BRASAVOLVS

NON solum in utero gerēte pessimum signum est erysipelas quod in utero sit, imò & si utero non gerat, prauum signū esse oportet. nam is locus est tanquam cloaca, quæ omnes corporis superfluitates recipit. Præterea intensissimus dolor infertur, & febris acuta, & punctio quædam atq; prurigo in utero fiunt, quæ mulierem uehementer infestant, ob biliosam materiam mordicantem, atq; corrodentem: propterea ita affectæ mulieres non quiescunt, neq; dormiunt, & uno loco stare non possunt. Adde putridos fumos, materiasq; putrentes fœtum necare, & expultricem uteri uim ab hac materia proritari, atq; incitari. Quare cum hæc omnia singulatim mala sint, mortē simul inducent. Philotheo etiam hic dicente, παραπολαύει γὰρ ἐκ τοῦ σύνεγγυς τὸ ἔμβρυον τοῦ ὑπὸ θερμῆς ὕλης γινομένου πάθους, καὶ ὡς εὐπαθὲς ἑτοίμως ἀπόλλυται. idest, Fœtus enim ob uicinitatem in suam perniciem participat ægritudinis in materia calida factæ: utpote qui facile potest & pati & deperire.

ἢν γυναικὶ κυούσῃ ἐν τῇ ὑστέρῃ ἐρυσίπελας γένηται. idest, Si mulieris grauidæ in utero erysipelas sit.] Est autem erysipelas affectio præter naturam, quæ Latine ignis sacer nuncupatur, à pura bile facta, summas & imas membri partes in quo sita est corrodente. Possent & in utero fieri aliorum humorum collectiones, sed ita periculosę non sunt, ut quæ à bile ortum habent, uerū non sine periculo fiunt, ut phlegmone, σκληρὸν οἴδημα. Tuq; erysipelas intellige, quod in intrinseca uteri tunica factum sit. nam in extrinseca minus periculosum est, quamuis & in mortem ducere posit. Nam hic morbus (ut Oribasius dicit) species est acuti morbi. Morbus autem acutus in utero gerente letalis est, ut Hippocrates in alio aphorismo docet, quia (Oribasio teste) natura nō potest duas res ferre, morbum uidelicet acutum, & infantem.

θανατῶδες. idest, Letale.] Cui autē mors inferatur, an fœtui, an matri, putamus Hippocratē tam fœtui, quàm matri intelligere, tamen quia mater, illa est quæ ægritudinem habet, propterea de ipsa intellige: quamuis in commento fœtum interfici dixerit, & ad fœtum ipsum applicare uideatur, tamen utrunq; interire solet.

GALENVS

AN SOLVM erysipelas in utero mulieris grauidæ cōstitutum putant esse letale, uel illam etiam quæ proprio nomine dicitur inflammationem. Quod enim facto in utero erysipelate fœtus morietur ex necessitate, manifestum, siquidem & febres acutæ, aliquando sine inflammatione ipsum interficiunt. Si uero & utero inflammationem patiente, potest aliquando fœtus uiuere, dignum inquisitione.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus dubitat, an solum erysipelas letale sit, uel etiam inflammatio.

Quod legitur, Putant esse letale: in Aldino contextu legitur ἡγεῖται, idest putat. In nostro antiquo ἡγοῦνται, idest putant: si primum legamus, ad Hippocratem referri debet, ad quem merito refertur: si secundum, ad omnes medicos.

Quod etiam legitur, Vel illam etiam quæ proprio nomine dicitur inflammationem: lege Inflammatio: nam Græce habetur, ἢ καὶ τὴν ἰδίως ὀνομαζομένην φλεγμονήν.

SECVNDO docet, fœtum ex erysipelate necessario mori, quia acutæ febres plerūque absque inflammatione fœtum interficiunt.

TERTIO dubium ponit Galenus, & non dissoluit, an utero inflammationem patiente, fœtus aliquando uiuere possit. respondemus nos, hoc aliquando fieri posse.

APHORISMVS XLIIII

QVæcunq; præter naturam tenues existentes utero gerunt, abortiunt prius quàm crassescant.

BRASAVOLVS.

NATVRA quæ in nobis est, in utero gerente duo respicit atq; intendit, unum est, indiuiduum conseruare, in quod acrius & totis uiribus intendit, quàm in aliquod alterum. Aliud est speciem ipsam cōseruare, quod fit per sobolem. quando mulier utero gerens sit præter modum tenuis, natura ad indiuiduum, idest mulierem ipsam conuersa, ne pereat, ipsam nutrit, & fœtum deserit: propterea mulieres istæ abortiunt, prius quàm crassescant: nam fœtui nutrimētum demitur, ex quo corrumpitur & decidit. Oribasius uero dicit, mulieres præter naturam tenues uterū habere marcidum, & adeo fluidum, ut latera lateribus penè coniūgantur: unde fit, ut fœtus ubi iam auctior redditur, ab utero angusto quodammodo quasi exprimatur, & abortire uideatur. Ex quibus uidere potes, magnam esse differentiam inter interpretationem à nobis dictam, & illam Oribasij: quia ipse de fœtus cremēto intelligit: nos autem de mulieris crassitudine, quæ prius extenuata fuerit: putamusq; sententiam à nobis dictam magis conuenire Hippocrati, imò illa est, quam Galenus probat, ut in Commento legentibus palam erit.

ὅσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν. idest, Quæcunq; præter naturam tenues existentes utero gerunt.] Si Hippocratis uerba consideremus, hæc particula παρὰ φύσιν, idest præter naturam, significare uidetur quod multum extenuatæ sint, ut aphorismus de mulieribus illis intelligi debeat quæ extreme macræ factæ sint. nam quæ utero gerunt, ut plurimum extenuantur, & non abortiunt. Sed tu de multum extenuatis intellige. Cur uero multum extenuatæ sint, Philotheus rationem affert, inquiens, παρὰ φύσιν λεπτὰς ὑποτίθεται, τὰς ἐκ νοσήματος γινομένας εἴτε ἐκ λιμαγχονίας. idest, Præter naturam tenues, illas supponit quę à morbo factæ sunt, siue ab inedia & fame. Tamen de morbo mentionem nullam facit Hippocrates, sed simpliciter multum extenuatas à quacunq; causa factæ sint, intelligit.

ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῆναι. idest, Abortiunt prius quàm pinguescant] Hæc pars multos sensus habere posset: unus est, prius quàm crassescant, scilicet in utero, abortiūt, idest prius quàm fœtus crescat, & uentrem extendat, adeo ut mulier crassior reddita sit. sed hic sensus uerus non est, quia possent iam esse in hoc sensu crassæ, & tamē abortiūt. Alter sensus est, prius quàm crassescant, idest ex extenuatione in pinguedinem ueniāt, tamen sint in processu ueniendi, uel prius quàm, idest antequàm crassescere incipiāt. hic est uerus sensus, abortiunt, prius quàm crassæ efficiantur & pingues: quia id nutrimentum, quod fœtum alere deberet, totum ad matrem cōuertitur, ut ipsam nutriat, fœtusq; extenuatur atq; marcescit, nec potest longo tempore cōtineri. Ideo prius decidit, quàm mulier crassa fiat, & pinguis. hoc autem fieri non potest, nisi tempore, & etiam non mediocri. At fœtus tanto tempore absq; nutrimento contineri non potest. Et Philotheus cur abortiant eandem rationem assignat, inquiens, διὰ τὸ ἐνδεῖ εἶναι τροφῆς τὰ μόρια τῆς μήτρας. λοιπὸν δὲ λιμωττόντων τὸ ἔμβρυον σκαρίζει, καὶ σπαράσσει τὰ ἀρτήματα, καὶ ἐξέρχεται. εἰ δέ γε παχυνθῶσιν, οὐκ ἐκτιτρώσκουσιν διὰ τὸ πλέον τῆς τροφῆς. idest, Quoniam uteri partes nutrimento indigent: deinceps autem illis famescentibus, fœtus saltat, & ligamēta lacerat, atq; exit. si autem crassæ effectæ sint, non abortiunt, ob nutrimenti abundantiā. Tamen nos sæpe uidimus macilentas ualde fœtum usq; ad partum egregie ferre, & magnū esse fœtum atq; pinguem: sed istæ non reficiebantur, imò quicquid insumebant, id totum in infantis commodum trāsibat, uel saltem maior pars: unde Hippocratis aphorismus intelligendus est, si reficiantur, & etiam fœtui nutrimentum auferatur: tamen in dies nonnulla in contrarium accidere uidentur: at pro maiori parte ita est, ut ab Hippocrate in aphorismo edocemur. Illustrissima ducissa nostra Renata Galla, inuictissimi Herculis ducis Ferrariæ uxor, quum utero gerit, ad extremā maciem uenit, & pulcherrimos fœtus parit, fecitq; maritum suum pulcherrima prole parentem.

GALENVS

SECVNDVM tres modos audierunt expositores libri huius præsentis aphorismi intellectū. Quidam enim omnino arbitrantur ipsas abortire: quidam uero nisi crassescant & reficiātur, sed maneant absq; refectione ac tenues: quidam uero cum reficiuntur, tunc maxime eas existimant abortire, quod minus sit quàm prius dicta uerisimile. Verumtamen ita exposuit Numisianus, dictum inquiens esse aphorismum, in his quæ

præter

præter naturam sunt extenuatæ, & quas prius refici oporteat. Sed cum concipere anticipent non refici, ut ait, absq; quod sanguis ad conceptus alimentum deputatus ad eius quæ concepit nutritionem recipiatur, quare non absq; ratione fœtus sufficiẽti indigens alimento corrumpitur. Sed & uerba illa Præter naturam tenues, quidam ita acceperũt, sicuti Numisianus. Vt prẹter sui ipsius naturam grauida mulier sit extenuata. Quidam uero magnum excessum uolunt significari, uolente Hippocrate nobis insinuare, non quod mediocriter extenuatæ id ex necessitate patiantur, sed quæ ualde sunt extenuatæ. Vtraque autem expositio non caret ratione.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus tres antiquorum expositiones recenset. Aliqui enim erant, qui id omnino uolebant, tenues præter naturam uel crassescerent uel non crassescerent, abortire. Alij uero intelligebant, illas abortire quæ tenues sunt, & manẽt tenues, & nõ crassescunt, nisi crassescant, etenim si crassescant, non abortiunt. Alij intelligunt, si reficiantur, abortire, & nisi reficiantur non abortiunt. Quam sententiam minus laudat præcedente, tamen hæc uidetur Numisiani interpretatio.

Quod legitur, Quidam enim omnino arbitrantur ipsas abortire. illa particula Omnino, in Aldino contextu legitur πάντως. noster uero antiquus duas lectiones habet, unã Aldinæ similem; alteram, quæ dicit πάντη καὶ πάντως. ut ostendatur quicquid fecerint, penitus abortire.

Quod etiam legitur, Sed maneant absq; refectione & tenues; hæc particula Absque refectione, & tenues. Græce legitur ἄτροφοί τε καὶ ἰσχναί. idest, sine nutrimẽto & tenues.

SECVNDO docet, Numisianum in his hunc aphorismum interpretatum esse, quæ præter naturam adeo extenuatæ sunt, ut refectione indigeant, tamen quod repletæ sint, non expectent, sed prius concipiant, quàm sint refectæ. Cum uero concipiunt, sanguis qui ad fœtum nutriẽdum destinatus esse deberet, ad nutriendam & reficiẽdam matrem conuertitur; & ideo fœtus qui nutrimentum non habet, corrumpitur.

TERTIO Galenus docet, eundem Numisianũ exposuisse illam particulam, Præter naturam tenues, idest præter suijpsius naturã mulier utero gerens, extenuata sit. Sed alij erant, qui per illam particulam magnum tenuitatis excessum significari uolebant, quos magis laudat Galenus; tamen & prima intellectio (ut inquit) ratione non caret.

Quod legitur, Quidam uero magnum excessum uolunt significari; in Aldino contextu ita legitur, τινὲς δὲ τὸ ὑπερβαλλόντως φασι σημαίνεσθαι, sed noster antiquus contextus correctus est, & loco illius particulæ ὑπερβαλλόντως, legit ὑπερβάλλου οὕτω.

APHORISMVS XLV

QVæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt secundo aut tertio mense sine occasione manifesta, his acetabula uteri plena muccoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur.

BRASAVOLVS

SI QVÆ sint quæ fœtum continere deberent, illæ sunt quæ corporis mediocritatem habent, nempe nimis tenues non continent, neq; nimis crassæ; tamen & mediocres aliquas abortire contingit; propterea huius rei causam in hoc aphorismo reddit Hippocrates, inquiens, Si mulierem aliquam uideris, quæ nimis crassa non sit, neq; nimis tenuis, sed mediocris; tamen in secundo aut tertio mense abortiat, & nulla manifesta causa uideatur, tu statim iudicato, in hac muliere uteri acetabula humiditate plena esse, quę muccoris speciẽ præ se fert; unde ex pondere fœtum continere non possunt, sed disrumpuntur, & excidit: nempe muccor ille ualde humidus est, qui acetabula relaxet, ut fœtus grauitatem continere non possint.

ὅσαι μετρίως τὰ σώματα ἔχουσαι. i. quæcunque mediocriter corpora habentes.] Noster antiquus cõtextus & Leoniceni cõtextus in plurali legebãt. sed Aldinus et Hagonẽsis

in ſingulari legunt τὸ σῶμα. Sed hoc ad rem ipſam nihil facit. ſint uero mediocria cor
pora, illa quæ media ſunt inter præter naturam tenuia, de quibus in præcedenti Apho
riſmo egit, & inter præter naturam craſſa, de quibus in ſequenti aphoriſmo mentionem
faciet, quæ in carnoſitate, in craſſitie, in pinguedine mediocritatē ſeruant. Quamuis au
tem & aphoriſmus in qualitatibus uerus fieri poſſit, tamen in his potiſſimū intelligit.

ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ φανερῆς προφάσιος. ideſt, Abortiūtur ſecundo &
tertio menſe ſine occaſione manifeſta.] Appellatur manifeſta occaſio quando abortit,
uel ob caſum, uel ob percuſſionem, uel febrem uehemētem, uel ſanguinis profluuium,
uel aliquod aliud ex his quæ aperte abortū inferre ſolent: quando uero nihil horum eſt,
à non manifeſta cauſa factum dicitur. Secundi & tertij menſis mentionem facit, quia in
his menſibus fœtus quidem alligatus eſt, ſed ligamēta nondum ſunt effecta robuſta &
ualida, qualia ſunt quādo quartum, quintum, & ſextum menſem attigerint. Philotheus
dicit, δίμηνα δὲ καὶ τρίμηνα, διὰ τὸ τηνικαῦτα βάρος ἔχειν ἀξιόλογον τὸ ἔμβρυον. ideſt, Secun
do aut tertio menſe, quoniam tunc fœtus cōuenientem uel rationalem grauitatē habet.

ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι. ideſt, His acetabula uteri plena mucoris ſunt.]
Dicuntur uero acetabula, uenarum capita quæ ad uterum perueniūt. Oribaſius hic di
cit acetabula ex illa ſunt uena quæ ab hepate ad uterum deſcendit. Illa enim in multas
diuiditur, quæ ad uterum perueniunt, & ſunt circa infantem intentæ: & hæc eſt una do
loris cauſa in mulieribus. propterea in eodē loco ab Oribaſio dicitur: unde mulier dum
parit tribus modis patitur dolorem. uno, quia iſtæ uenæ rumpūtur: deinde, quia oſſa illa
aperiuntur. tertio, quia cum ui deſcendit fœtus. In quo etiam loco docet, quomodo con
cipiatur. nam ex ſemine & puriſſimo ſanguine menſtruo fit quidam globus. Et ſi tu in
terrogabis quid ſit primum quod generetur. Reſpondet eſſe arterias & uenas. Si uero
dubites quomodo id fieri poſſit, quia uenæ ab hepate, arteriæ à corde fiunt. Sed quomo
do ab his fieri poterunt, cum non ſint hæc principia? Reſpondet primum, quod à natu
ra curatur eſt, ut nutrimentum toti corpori paret, & uias aptas: datq; tale exemplum, ut
ſi paterfamilias hortum facere uelit, qui ſit in loco arido, tamen ante foueam habet, hic
antequàm hortum faciat, fiſtulas diſponit, ut hortū irrigare poſſint: ſic & natura prius
facit uenas & arterias, quàm cor & hepar. Sed hæc miſſa faciamus, & ad rem noſtram
reuertamur. Cotyledon apud Græcos multos ſignificat, & apud Latinos acetabulum:
tamen in propoſito (ut apud Galenum uidebimus) acetabula ſunt uenarum capita quę
ad uterū tendunt, quod ita eſſe ſtatim conſtabit aphoriſmi uerbis conſideratis. per muc
cum uero pituitoſam materiam intellige, craſſam atq; lentam, quam Græci μύξαν uo
cant, apud Latinos uero muccus appellatur. Quod uero dicit, plena muccore, Philo
theus exponit, τουτέστι φλεγματικοῦ καὶ γλίσχρου χυμοῦ, κἀντεῦθεν χαλαροὶ, καὶ ἀσθενεῖς γίνον
ται. λοιπὸν δὲ καὶ ἡ καθεκτικὴ δύναμις τῆς μήτρας ἀσθενεῖ, ὑγρᾶς καὶ φλεγματικῆς πλεοναζούσης ὕ
λης. ideſt, Hoc eſt pituitoſo & lento humore, & hinc molles debileſq; fiunt; præterea ue
ro & uis uteri contentiua, humida & pituitoſa materia plena debilis fit.

Καὶ οὐ δύνανται κρατέειν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον. ideſt, Et non poſſunt ex pondere fœ
tum continere.] Quoniam cum acetabula muccore plena ſint, relaxantur & elongan
tur in primis. Deinde ſequitur,

ἀλλὰ ἀποῤῥήγνυνται. ideſt, Sed diſrumpuntur] ſcilicet ipſa acetabula, & abortiunt. muc
cores autem iſti ob multa abortus cauſa fiunt: primo quia uterum ualde lubricum red
dunt, ut fœtus facile dilabi poſſit: ſecundo quia hic muccor qui humidus eſt, in flatus fa
cile cōuertitur, qui ligamenta fœtus facile etiā diſrūpere poſſunt: tertio ligamēta præter
modū humectat, ideo cōtinere non poſſunt, ſed diſrumpūtur. & hæc eſt cauſa ab Hipp.
hic aſſignata. quarto quia hic muccor cōmiſcet ſe nutrimento, qui fœtū alere debet, pro
pterea fœtum ipſum praue diſponit. quinto quia uias obſtruit, ne ad fœtum alimentum
pertranſeat: ſed potiſſimam cauſam hic facit Hippocrates, quod hic muccor adeo ace
tabula humectet, ut continere non poſſint. Galenus in fine libri De diſſectione uuluæ,
oſtendere uolens, quod chorium, ideſt ſecunda, utero per acetabula coniungatur (nam
acetabula firmum putat uinculum ad uuluam) quoſdam refert, qui uuluam acetabu
lis carere uoluerint. Eſſe enim aiunt in bubus, capris, ceruis, alijſq; eiuſcemodi animali
bus corpora quædā mollia ac muccoſa, quæ forma acetabulo, id eſt herbæ cymbalitidi
ſimilis

similis sit, unde etiam nomen accepere. Sed Galenus hos reprehendere uidetur, quia Hippocrates ita inquit, Quæcunque corpore mediocriter affectæ, absque ulla manifesta causa quadrimestres, aut trimestres abortus faciunt, his acetabula mucco plena sunt, neque possunt præ grauitate fœtum continere, sed abrumpũtur: quin etiam Diocles Carystius, & Praxagoras Cous Nicarchi filius, qui paulopost Hippocratis ætatem uiguerunt, eadem dicunt, & multi etiam alij. Quid igitur omnes'ne ignorarunt? Sed fas minime est de tantis uiris ita sentire. Vides autem in hoc loco Galenum non referre secundum, aut tertium mensem, sed tertium, aut quartum. Statim uero Galenus edocere uidetur, quid sint acetabula, inquiens, ora uasorum uuluæ ita appellant. nam hęc prægnationis tempore acetabulares quasdam eminẽtias innatas habent, quales etiam recto intestino esse in hæmorrhoidibus solent. Atque hæc non diuino ego, sed à Praxagora accepi, qui ita ad uerbum scribit, Acetabula autem sunt uenarum ora, quæ in uuluam penetrant. ex his igitur & uuluam muliebrẽ acetabula habere, & quæ nam acetabulorum in mulieribus & brutis differẽtia existat, patere iam potest. & deinde usque in libri finẽ quo modo chorio, idest secundæ intertexantur, & quomodo inter sese misceantur, edocet.

Idem Galenus in sexto De locis affectis libro in fine quinti capitis hũc aphorismũm refert, eius rationem simul enarrans, inquiens, si mulier prompte quidem cõceperit, deinde secundo, aut tertio, aut quarto imprægnationis mense fœtum eiecerit, circa uteri acetabula humorem pituitosum abũdare, atque idcirco uenarum arteriarumque eius loci, ad ora uasorum in uterum descendentium, nexum debiliorem reddi conijciendum est, ut fœtum ob grauitatem ferre nequeat, sed facile abrumpatur. Idem Galenus in decimoquinto De usu partium libro aphorismum præsentem adducit atque exponit. Verba eius hæc sunt, in quibus nihil meminit quarti mensis, sed illius aquæ utilitatem ostendere uoluit, quæ in amnio continetur, inquiens: ad hanc enim mentem dicebat & Hippocrates: quæcunque in utero habentes abortiũnt bimestres, & trimestres absque manifesta causa, ijs acetabula muccilagine plena sunt, & non possunt cõtinere embryon præ grauitate, sed ipsum abrumpitur. Deinde sequitur, acetabula quidem nominans orificia uasorum quæ ad matrices perueniunt (monstratum enim fuit & hoc in alijs) non posse, dicens idem, ipsa uehere & portare embryon, quum muccilaginosa facta fuerint: sed permittere à pondere abrumpi. Hoc autẽ omnibus semper contingeret prægnantibus, nisi fœtus natans in humido, quod intra amnium est, leuior fieret, & minus traheretur, & diuelleretur uasorum in matrices insitio, & coniunctio. Hæc Galenus præcitato loco decimoquinto De usu partium libro.

GALENVS

SINE manifesta occasione ait febre uehemente, & alui fluxu, uel profluuio sanguinis, uel erysipelate in ipso utero constituto, uel saltu grauidæ mulieris uehementiore, uel clamore, uel ira, uel timore, uel uictu parciore, uel tali aliquo actu, seu passione. Fit enim uerisimile in his esse plena muccore ora uasorũ uenientium ad uterum, ex quibus secundæ pendent quæ ora acetabula nominauit, non sicuti quidam arbitrantur adnatas ipsis carnes adenosas. Nam uti ipse inquit in primo libro De passionibus muliebribus. Si acetabula plena fuerint pituita menstrua fiunt pauciora, & Praxagoras in primo De naturalibus. Acetabula aũt sunt ora uenarũ & arteriarũ, quæ ferunt ad uterum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligere oporteat per occasionem manifestã, nempe quæ ita non abortient, sine manifesta occasione abortient. Abortiũt uero manifeste uel ob uehementem febrem, uel ob alui profluuium, uel ob sanguinis defluxum, uel ob ingentem clamorem, uel ob rabidam iram, uel ob saltum utero gerentis uehementem, uel ob erysipelas in utero, uel ob tristitiam mentis, uel ob uictum parcum, uel ob alium quemcunque morbum ex his qui ab extrinseco ueniunt.

Quod legitur, Vel timore uel uictu parciore: in Aldino contextu, & in una nostri antiquioris lectione eodem modo præcise legitur, ut Leonicenus interpretatus est, scilicet ἢ φοβηθείσης, ἢ φειδῶς διαιτηθείσης. Sed antiquius noster contextus in alia lectione loco illius particulæ, φοβηθείσης, idest Vel timore, illam ponit ἢ λυπηθείσης, idest Vel tristitia. Vidimus alium contextum hoc modo legentem, ἢ φοβηθείσης; ἢ λυπηθείσης, ἢ φει-

διὰ διαιτηθείσης. idest uel timore, uel tristitia, uel uictu parciore. quomodocunque legatur, nihil refert, quia hæc omnia abortus causæ esse possunt.

SECVNDO docet, cũ non adsit aliqua manifesta causa ex prædictis, uerisimile esse uasorum ora, quæ ad uterum ueniunt, mucore plena esse: ora autem illa ea sunt ex quibus secundæ pendent, quæ ab Hippocrate acetabula aut cotylidones (ut eius uocabulo utamur) nuncupantur.

TERTIO docet, cum aliquibus sentiendum non esse qui dicebant, acetabula esse carnes adenosas ipsis adnatas. Hoc probat tum ex ipso Hippocrate in libro De mulieribus, tum ex Praxagora in primo De naturalibus, ut superius etiam in aphorismi expositione ex Galeni sententia in fine libri De dissectione uuluæ, dictum est.

Quod legitur, Adnatas ipsis carnes adenosas: Græce habet, τὰς ἐντρεφομένας ἀδενώδεας σάρκας αὐταῖς. ubi uides illã particulã adnatas, Græce esse ἐντρεφομένας. i. adnutritas.

APHORISMVS XLVI

QVæcunque præter naturam crassæ non concipiunt utero, his omentum os uteri comprimit, & prius quàm extenuentur, non concipiunt.

BRASAVOLVS

CRASSÆ mulieres non quidem secũdum totam habitudinem, sed ualde pingues, adeo ut præter naturam sint, nec ob earum obesitatem & pinguedinem concipere possint, ijs omentum os uteri comprimit: quoniam si tota crassa fuerit, necesse est, omẽtum obesissimũ esse: & ideo grauius efficitur, & usque ad os uteri peruenit, ita ut semen recipi non possit, quia ab omento cõprimente clauditur, uel etiã si semen recipiatur, ob omenti pondus extra uterum exprimitur: itaque non cõcipiunt. Cum igitur crassas obesas non concipere uidebis, id statim iudica, omentum os uteri comprimere, & ob istud non concipiunt: imò nunquã concipient, nisi prius extenuentur & macrescant. Vide igitur iam ab Hippocrate esse factas tres mulierum differentias, quod & Oribasius annotauit, præter naturam tenues concipiunt quidem, sed abortiunt: præter naturam crassæ non concipiunt, neque abortiunt. Mediocriter uero crassæ, concipiunt, & non abortiunt, nisi uteri acetabula plena mucoris sint. Tuque si in magistra rerum experientia considerabis, & diu attendes, rarissimas occurres ualde crassas concipere, tamen in aliqua omẽtum usque ad os uteri non pertingere posset. Philotheus ita introducit, τὰς ἰσχνὰς ἀμέτρως γυναῖκας διαλαβὼν ὁ ἱπποκράτης, νῦν τὰς ὑπερβαλλόντως καὶ παρὰ φύσιν παχείας διαβάλλει. idest, Cum Hippocrates crassas immodice mulieres excluserit, nunc eas quæ superexcedũt & præter naturam crassas reijcit. Hippocrates in libro De fœminarum morbis, hunc aphorismum his uerbis refert, Si uero præter naturam crassescat, non concipit. nam omentum crassum superiacens, multum uuluarum os premit, & genituram non suscipiunt. hanc emaciato, medicamentumque infra porrigito, quodque purget, & inflet, ad uuluas ponito.

ὅσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι. idest, Quæcunque præter naturam crassæ existentes.] Intellige esse ualde crassas & obesas: quia si crassæ solum essent absque obesitate, aphorismus uerus non esset. nam opus est has in crassitie, mulierum naturam simpliciter excedere, & obesas esse præter modum.

Μὴ συλλαμβάνουσιν ἐν γαστρί. idest, Non concipiunt utero.] Quamuis frequenter uiro succumbant, tamen ab harum mulierum utero semen nunquam capitur.

Ταύτῃσι τὸ ἐπίπλοον τὸ στόμα τῶν ὑστερῶν ἀποπιέζει. idest, his omentum os uteri comprimit.] Hæc est causa cur non concipiant, quia omentum ualde pingue & põderosum habent, quod supra os uteri comprimit, & semen concipi non sinit: quamuis etiam dici posset, ualde crassas os uteri ab utero ob magnam uentris crassitiem ualde longinquũ habere; propterea semen ad uterum usque pertingere non potest. Id uero à Latinis omẽtum dicitur, quod à Græcis ἐπίπλοον uocatur: rete inquã illud ita uulgo dictũ, quod intestina integit, uentriculũ, iecur, lienẽ, & usque ad inguina pertingit, ab Arabibus zirbus nuncupatur, non solũ os uteri cõprimere potest, sed plerunque ramicẽ inducit, & descendit in scrotũ, in coxã, in umbilicũ: habẽtque hi descẽsus apud Græcos nomina propria: nam si omentũ in scrotum

scrotum descenderit, Græci ἐπιπλοκήλην, Arabes zirbi ramicem, Latini omenti ramicem uocant. Si uero omentum in inguine retineatur, adeo ut locus intumescat, Græci βουβωνοκήλην, Latini inguinis ramicem nuncupant. At si omentum umbilicum intumescere faciat, Græci ἐξόμφαλον dicunt, Latini uario modo appellant. nam Plinius procidum umbilicum, Celsus prominentem umbilicum, Auicenna umbilici augmentum uocat. Quandoque intestina simul & omentum in scrotum descēdunt: sicuti excellentissimo medico Alberto Sauonarolæ contigerat D. Hieronymi Sauonarolæ fratri, qui & simul decē lapides in uesica habebat: à Græcis uno nomine, sed tamen longiori dicitur ἐπιπλοεντεροκήλη, à nobis multis nominibus circunscribitur, intestini & omenti ramex.

Καὶ πρὶν λεπτυνθῶσι. idest, Et prius quàm extenuentur.] scilicet corpus. καὶ ἔλθωσιν εἰς συμμετρίαν. idest, & deducatur ad mediocritatem, ut Philotheus dicit.

οὐ κύουσιν. idest, Non concipiunt.] Quia os semper obturatum manet, nisi extenuentur, & nisi macrescant. cum autem macrescunt, necesse est & omentum macrescere, & ex consequenti os uteri non comprimere. Philotheus uero dicit, non concipere has pinguiores, διότι οὐδὲ ὅλως παραδέχονται τὸ σπέρμα, ἐπειδὴ ἐμπέφρακται τὸ ἔνδον στόμα, ἔνθα ἡ μήτρα τελευτᾷ, πιμελῆς γινομένης ἐπὶ τὴν μήτραν, ἣ ἀποκλείει τὸ στόμιον, ἣν πιμελὴν ἱπποκράτης ἐπίπλοον ἐκάλεσεν μεταφορικῶς. τὸ γὰρ ἐπίπλοον πιμελῶδές ἐστιν. idest, quoniam semen omnino non suscipit: nam os quod intus est, ubi uterus finit, clausum est pinguedine ad uterum superueniente, quæ os occludit: quam pinguedinem Hippocrates omentum per translationem uocauit. ut ipse exponere uideatur omentum, idest pinguedinem: tamen de uero omento intelligere oportet.

GALENVS

VERBA Præter naturam, dupliciter etiam audiunt hoc loco, quidam excessum significari arbitrantes, quidam præter ipsius mulieris grauidæ naturam. Verior autem prior acceptio. Nam ab omenti pinguedine comprimitur, atque angustatur uteri os his quæ supra modum crassæ sunt. Dicit autem nūc os, illud scilicet quod intus est, ubi uterus desinit, collum uero incipit: quod magis proprie os uteri diceretur. Nam altera colli extremitas quæ mulieris pudendis coniungitur, non uteri, sed ipsius colli os haud sine ratione diceretur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, à uarijs interpretibus illa uerba Præter naturam, uario modo interpretata esse: nam aliqui sunt, qui eas simpliciter intelligunt, quę in crassitie excedunt, ad seipsas respectum non habentes, sed ad crassitiem simpliciter. Alij intelligunt, præter naturam suæ propriæ crassitiei. Galenus primos magis laudat, quàm secundos. nam opus est aphorismū de summo crassitiei excessu intelligere. hæ enim quę supra modum crassæ sunt, os uteri ab omento compressum habent ob multam pinguedinē ponderantem. Quod legitur, Quidam præter ipsius mulieris grauidæ naturam: Græce habetur, τινὲς δὲ τὸ παρὰ τὴν αὐτῆς τῆς κυούσης τὴν φύσιν. idest, quidam autem præter ipsius mulieris uterum ferentis uel prægnantis (ut ita dicam) naturam, uel præter ipsius mulieris quæ grauida fieri deberet, naturam.

Quod etiam legitur, Nam ab omenti pinguedine: Græce habetur, ὑπὸ γάρ τοι τῆς ἐπὶ τοῦ ἐπιπλόου πιμελῆς. idest, Nam ab ea quæ in omento pinguedine est.

SECVNDO, cum duo sint uteri ora, unū intus, quod proprie os matricis est, aliud extra, quod proprie est os colli matricis: hic Galenus docet, quod per uteri os intrinsecum os intelligere debemus, quod uere matricis os est, supra quod omentum comprimit, & non extrinsecum, quod est os colli matricis.

Quod legitur, Vbi uterus desinit: Græce est, ἔνθα τελευτᾷ μὲν ἡ μήτρα. idest, ubi desinit matrix. Quod deinde sequitur, Quod magis proprie os uteri diceretur: lege tu, os matricis. quamuis Galenus eodem uocabulo non utatur, sed dicat στόμα ὑστέρας: tamen ut sibi correspondeat, & hic matricis dicito, uel utrobique uterus.

APHORISMVS XLVII

SI uterus in coxam uergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.

BRASA-

BRAS AVOLVS

IN huius aphorismi interpretatione mire hallucinātur interpretes, nempe recentiores uocabula non intelligētes in absurdas sententias incidere. legunt uero ipsi aphorismum hoc modo: si uterus uergens in coxam suppuratur, necesse est, commotum fieri, idest commotionem. sed scioli decepti sunt in uocabulo ἔμμοτον, quod sonare uidetur, quātum ad prolationem, ac si diceretur commotum, unde Forliuiēsis commotionem exponit. Senensis uero hoc modo intelligit, si uterus in coxam uergat, & suppuretur, necessaria est medici curatio. quod dictu absurdum uidetur, nam semper necessaria est medici curatio, cum aliquid prēter naturam corpus occupauerit. Oribasius & ipse (me iudice) Hippocratis sententiā non intelligit. inquit enim, Vterus in coxa positus, si aut intus, aut foris suppuretur, ne fœtus, si fortè habuerit, moueatur, thymiama ei adhibebis, cum lētisco, aut aliquo simili. Nos uero dicamus, hunc Hippocratis sermonem ita gerentibus uterum mulieribus conuenire, sicuti non gerentibus, si uterus in coxam deciderit, & suppuretur, uel sit in dextera, uel in sinistra coxa, necesse est linamētum fieri, idest lineum inuolucrum illi parti applicare, ut pus per uteri os exire posit, & ne putredinem ibi inducat, si expurgari non posit.

ἢν ὑστέρῃ ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, idest, Si uterus coxæ incumbens.] Vel in coxam impositus suppuratur. ἰσχίον à Græcis, & præsertim Galeno in libro De osium dissectione, coxa est, intellige uero ossa ipsa. nempe dicit ἰσχία esse duo ossa in posteriore hominis parte sacro osi adiacentia, in anteriore autem sibi inuicem adiacent. Philotheus hoc modo huius partis interpretationem exorditur, ὑστέραν λέγει τὴν μήτραν. αὕτη δὲ ἔχει ἀρτήματα καὶ δεξιὰ καὶ ἀριστερὰ καὶ πρόσω καὶ ὀπίσω καὶ ἄνω καὶ κάτω. πολλάκις οὖν φλεγμονὴ γίνεται περὶ μίαν τῶν ἀρτημάτων, καὶ εἰ τύχῃ περὶ μίαν τῶν κατὰ τὰ πλάγια τὴν φλεγμονὴν γενέσθαι, τουτέστι περὶ τοὺς βουβῶνας καὶ τὸ ἰσχίον, φέρεται ἐκεῖσε ἡ μήτρα, καὶ οἱονεὶ ἔγκειται περὶ ἐκεῖνα τὰ μέρη. εἶτα ἡ φύσις εἰς πύον μεταβάλλει καὶ οὕτω τὸ ἀπόστημα ἔξω ἀναμορφοῦται περὶ τὸ δέρμα, καὶ ὑπὸ τέχνης, ἢ ὑπὸ φύσεως ῥήγνυται. idest, Hysteram uocat uterum, uterus autem ligamēta habet, & dextera parte, & sinistra, & ante, & retro, & superius, & inferius. Sæpe igitur inflammatio circa unum ligamentum fit, & si contingat circa unum eorum, quæ per transuersum sunt, inflammationem fieri, hoc est circa inguina, tunc uterus in coxam decumbit, & fermè circa illas partes incumbit, & hic abscessus extra circa cutem attollitur, idest exturgescit, & ab arte uel à natura disrumpitur, unde & ab Hippocrate statim dicitur,

ἀναγκαῖον ἔμμοτον γενέσθαι, idest, Necesse linamentum fieri.] Quod Græci ἔμμοτον, & μότον uocant, à Latinis linamētum dicitur, ac si ex lino factum exprimere uoluerint. nam μότα, & ἔμμοτα sunt linteola concerpta, quæ uulneribus imponuntur, his similia, quæ medicorum uulgus tentas nominat, Latini linamenta, & penicillos dixere: sed potius penicillus est ἐμμότου, idest linamenti species. nam Galenus in fine eius libri, qui εἰσαγωγὴ, idest, Introductio, uel medicus inscribitur, quinque μότου, idest linamenti species describit, quæ his uocabulis expresit στρεπτὸν, ξυστὸν, πλαστὸν, ἐλλυχνιωτὸν, πριαπισκωτόν. Si autem in Latinam linguam hæc nomina cōuertere uoluerimus, hæc dicent, tortile uel flexile, rasile, filatim discerptum, funiculare, priapiscum, suntque linamēti species ex sua forma nominatæ. Nullus est chirurgus, qui omnibus his quādoque non utatur. Ad rem igitur redeuntes, si intelligamus, ut superius dicebatur, apponendū esse linamentum, idest in exteriori parte ex lino factum globum, ne pus ibi firmetur, sed fluat, Id fortè uerū erit quod ab Hippocrate dicitur. Philotheus ab exteriori linamētum quidē ponit, sed cum fecerit pus, & ad exiturā uenerit: unde post illa uerba quæ superius adducta sunt, addit, καὶ λοιπὸν ἀναγκαῖον ἐστὶν, ἔμμοτον γενέσθαι. τουτέστι δεήσεται τὴν διὰ μοτῶν θεραπείαν. idest, & deinceeps necessarium est linamentum fieri: hoc est, opus erit per linteola concerpta curationem perficere. Sed nihil etiam impedit per linamentum, pessarium ex lino factum intelligere, quod uterum ingrediatur, & tamen re aliqua conuenienti madefactum sit, quamuis & exterius nonnulla applicare conueniat, ut tertio libro Paulus Ægineta, capite sexagesimosexto prope finem edocuit. De ueris autem linamentis Aetius libro tertio, capite centesimo septuagesimo mētionem facit, ubi de ani scissuris agens, quas rhagadas uocant, & condylomata, non uult nos uti glandibus, quia ob suam duritiam exacerbant: & ideo loco glandium, linamentis suppleri iubet: additque ea quæ in glande recipiebantur, lana aut tomento assumi, & ano imponi.

GALENVS

CVM necessarium est fieri per linea fila curationem, linamētum nominauit. Quod autem uterus suppuratus, & præsertim ad exteriora (nam hoc nunc uidetur dicere) curatione tali ex necessitate indigebit, non est obscurum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quare ἐμμοτον, idest, linamentum uocetur, inquiens, Quando curatio fit δι᾽ ἐμμοτῶν. i. per linteola concerpta, tunc dicitur ἐμμοτον, idest, linamentū. Quod legitur, cum necessarium est, Græce habetur τῆς ἀναγκαίης.

SECVNDO docet, manifestum esse uterum suppuratū præsertim ad exteriora, de necessitate tali curatione indigere. Notaq́; Galenum intelligendum iubere per exteriora, idest, extra coxam fieri suppurationem, & tunc erit usus linamenti, tamen potest & præscriptis à nobis in aphorismo modis intelligi.

APHORISMVS XLVIII

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ uero in sinistris magis.

BRASAVOLVS

SVPERIVS huius aphorismi uis ab Hippocrate posita est, tamen & nunc Hippocrati graue non fuit eandem rem iterū repetere, ut integra sententia & non inuoluta præcise habeatur: fœtus qui concipiuntur mares magis in dextera parte cōcipiuntur, fœminæ magis in sinistra. nam sinistra pars frigidior est, & imbecillior dextera, propterea cōueniens est, frigidiorē fœtum, & imbecilliorem, in hac parte generari. Imbecillior autē atq; frigidior fœtus est fœmina. Mas uero in dextera parte tanquàm ualidissima atq; calidissima concipitur, utpote qui & ipse calidior simul & ualidior fœmina est. Oribasius ex hoc aphorismo, & præcedenti unum solum aphorismum fecit, & duas prædictas assignat causas, una est, quia uirtus in dextera parte maior est, deinde quia calor uehementior. At quia tu dubitare posses, cur dextera sit calidior, cū sinistra cor habeat, quod est caloris fons: Respondet Oribasius, licet cor in sinistra iaceat, calorē tamen tam dexteræ, quàm sinistræ ministrat. dextera enim dupliciter calida est, primo à iecore, deinde à corde. Ideo masculi in dextera, fœminæ autem in sinistra iacent. Tamen concedendum non erat, cor sinistram partem occupare, quia (ut Galenus in anatomicis aggreßionibus docet) cor præcise in medio est, sed in sinistra motum habet ob pulsatilem arteriā, quæ ab illa parte ortum habet. Galenus in medio ferè decimiquarti libri De usu partium, huius aphorismi rationem affert. docet autem principium motorium esse maris semen, fœminæ autem semen ad animalis generationem illi confert, postquàm semē conceptum est, & etiam per aliquot dies in utero fuerit, non est manifestum si masculus sit an fœmina, fit autem post tempus. Cur uero fiat masculus & fœmina, causa haberi potest ex ipso spermate una, & alia ex matrice: idest, sperma est generatiuū unius, matrix autem aliud facit. Hoc autem ita declarat: uena concaua in principio sui ortus ab hepate flectitur uersus dorsum, & in sua parte dextera dexterum renem habet, & deinde paulo inferius in sinistra parte, sinistro reni adiacet, & maximi uasis uenosi explantatio ex uena concaua tendit ad utrunq; renem. est autem arteria magna circa dorsum, quæ uasa sua mittit ad renes, tamen ren dexter est altior sinistro, & uasa quæ pertingunt ad renem dexterum, sunt altius explantata, quàm quæ pertingunt ad sinistrum. Quæ autem ad genitales partes deferuntur, per has uias deferuntur: unde dexter testiculus, & dextera matrix habent proportionem cum dextero rene, & uasa quæ pertingunt ad dexterum testiculum in mare, & ad dexteram matricem in muliere, prodeunt ex magna uena, & magna arteria. Quæ uero perueniunt ad sinistrum testiculum, & ad sinistram matricem, non sunt immediate ex magna uena, & arteria, sed ex eis quæ ad renes feruntur prodeunt. Vnde in masculis in sinistro testiculo excrementosus sanguis humidus, et serosus imponitur. in fœmina uero in sinistra matrice, unde hæ partes sapiunt naturam sanguinis quo nutriuntur. Purus autem sanguis est calidior excrementoso, propterea

 & particulæ

& particulæ quæ nutriuntur sanguine puro, sunt calidiores, quàm quæ nutriuntur sanguine excrementoso. Sed dexter testiculus, & dextera matrix sanguine puro nutriuntur, sinister autem excrementoso: propterea dexter testiculus, & dextera matrix sunt calidiora sinistris. Adde quod particulæ, quæ secundum rectitudinem se habent, plus potiuntur & fruuntur se inuicem. Sunt autem dextera matrix, & dexter testiculus locati secundum rectitudinem hepatis, ideo calidiores sunt sinistris. Ex his igitur constat quare masculi in dextera parte, fœminæ in sinistra concipiantur. Galenusq; Hippocratem refert, qui dixerit, τράγος quandocunque apparuerit extra testiculus, si dexter, masculus: si uero sinister, fœmina. Est autem τράγος, quando primum attolluntur genitales partes, & uox permutata asperior & grauior fit, Græci dicunt τραγᾷν hoc est caprire, & hirquitalire. Tamen & τράγον ueteres appellabant fœdum illum & planè hircinum odorem quem obolent adolescentes, quo primum tempore incipiunt dare operam ueneri. Martialis.

Inde tragus, celeresq; pili, mirandaq; matri Barba.

Catullus caprum appellauit illo carmine.

Valle sub alarum trux habitare caper.

In hac ætate Hippocrates considerat, quænam particula fortior sit. Illa enim est fortior, quæ prius intumescit & augetur alia, unde potest esse testiculus sinister dextero fortior in aliquo particulari homine, qui dexterum testiculum uaricosum habebit, uel male affectum, sed absolute loquentes, dexter semper est sinistro calidior. nam omnes partes quæ in principio ortus aliquod delictum habebunt, etiam si modicum sit, tamen in tota uita sunt morbosiores & imbecilliores. causa uero uel est in primo concubitu maris cum fœmina, quæ fuerit intẽpestiua, uel ex diæta mulieris post conceptionem. unde quando in Trago imbecillior est testiculus dexter sinistro, quia sinister prius attollitur, tunc iudicandum est, hunc esse generatiuum fœminarum. Si uero in Trago attollatur prius testiculus dexter, ipse est fortior, & hic est generatiuus masculorũ, quantũ sit ratione hominis. Sed quantũ sit ratione mulieris, semẽ generatiuũ mariũ, potest generare fœminã, & è contrario. Nã si semen maris generatiuũ in sinistra matrice recipiatur, potest per suã frigiditatem infrigidare semen, & fœminã gignere: & si fuerit semen fœminę generatiuum in dexterã matricem receptũ, calefieri poterit, & marẽ generare. Tamen fieri potest, mulierẽ aliquam ob aliquẽ casum, sinistram partẽ dextera calidiorem habere, sed hæc raro contingunt, ideo raro est, quod mares in dextera parte non sint, fœminæ in sinistra. propterea hunc aphorismum tam ad mares, quàm ad fœminas referre potes. In maribus enim semen masculorũ generatiuum in dextero, fœminarũ in sinistro positum est. In mulieribus conceptus masculinus in dextera parte, fœmininus in sinistra magis concipitur. tamẽ Hippocrates ad utero gerẽtes potius referre uidetur, quàm ad mares. nam de ipsis, & hic, & in tota hac parte mentionẽ facit, quamuis ad uiros etiã ampliari possit. Philotheus & ipse eandem sententiã habet, quam nuper ex Galeno adduximus, cuius uerba hæc sunt, ἡ μήτρα δύο κόλπους ἔχει, δεξιὸν καὶ ἀριστερόν, διαφραττομένους ὑμένι τινί. ἐν τούτοις οὖν γίνεται διάπλασις τῶν ἐμβρύων. ἀλλὰ τῶν μὲν ἀρρένων ἐν τοῖς δεξιοῖς, τῶν δὲ θηλέων ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. καὶ ἡ αἰτία, ὅτι ἄρρενα θερμότερά εἰσιν, καὶ διὰ τοῦτο ἐν τοῖς δεξιοῖς ὡς θερμοτέροις δημιουργοῦνται, τὰ δὲ θήλεα ψυχρὰ, καὶ διὰ τοῦτο ἐν τοῖς ψυχροτέροις. θερμότεροι μέν εἰσιν οἱ δεξιοὶ κόλποι τῆς μήτρας τῶν ἀριστερῶν τῇ πυελάσει τοῦ ἥπατος. ἀλλὰ καὶ ὁ δεξιὸς ὄρχις καὶ κόλπος δέχεται τὸ καθαρὸν αἷμα, καὶ διὰ τοῦτο θερμότερον. ὁ δὲ ἀριστερὸς ὀῤῥωδέστερον, καὶ διὰ τοῦτο ψυχρότερον. idest, Vterus duos habet sinus, dexterum & sinistrum, pellicula quadam distinctos. In his igitur fœtuum cõformatio fit, sed marium quidem in dexteris, fœminarum uero in sinistris. & causa est, quoniam mares calidiores sunt, & ob hoc in dexteris tanquam calidioribus creãtur. fœminæ autem frigidæ, & ob hoc in frigidioribus, scilicet creantur. calidiores quidem sunt dexteri uteri sinus sinistris, iecoris caliditate. Sed et dexter testiculus, & sinus purum sanguinem suscipiunt, & propter hoc calidiorem: sinister autem serosiorem, (scilicet sanguinem) & propter hoc frigidiorem.

ἔμβρυα τὰ μὲν ἄρρενα, ἐν τοῖσι δεξιοῖσι. idest, Fœtus mares quidem in dexteris.] quia pars illa calidior est, & nutrimentum calidius habet, & mas etiam dexterum testem calidiorem habet.

τὰ δὲ

τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖσι ἀριστεροῖσι μᾶλλον. idest, Fœminæ uero in sinistris magis.] quia pars sinistra frigidior est, & nutrimentum quod ad ipsam peruenit frigidius. ab Hippocrate uero additur magis, quoniã ut plurimũ ita est. contingere aũt potest, quod in aliqua particulari muliere in sinistra matrice mares generentur, ut in mea uxore fit, quæ semper est utero gerens, et perpetuo mares in sinistra matrice, in dextera fœminas cõcipit. Hoc autem cognoscitur tum ex motu, qui in dextero fit latere, tum ex fœtus globo, qui in eodem latere est. immo gemellos pariente, primo exiuit puella, quæ cum exiuerit latus dexterum exinanitum esse uidebatur, deinde exeunte mare, & sinistrum latus exinanitum apparuit.

Hippocrates in fine secundi libri Epidemiarum dicit, plurimam naturæ uim habent papilla dextera, dexter oculus, quæq; in dexteris subtersunt. Mares enim suapte natura magis in dexteris hærent.

GALENVS

QVOD propter temperaturam quæ statim ab initio calidior existit, fœtus masculus generatur, in commentarijs de semine est demonstratum. Calidior uero temperatura fœtibus aduenit non minime ob locum qui est dextra uteri pars, hic autem ipse calidior existit, propter hepatis uicinitatem. Conferet autem aliquid ad conceptus caliditatem & muliebre semen, profusum quidem ex proprijs testiculis per utrunque corniculum, pars una in dexterum uteri sinum, pars altera in sinistrum, dissimiles ambę, ut & hoc ipsum ostendimus. Siquidem serosior est, atq; frigidior quæ in sinistro testiculo continetur, & iuxta hoc conceptus in leua parte uteri constitutus non absq; ratione esset frigidior. Dictum autem est de omnibus talibus sufficienter in quinto libro sectionis Hippocratis.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet se longius determinasse in libro De semine, Masculos generari propter calidiorem naturam, quę ab initio est. Tu eum librum lege, qui ad huius aphorismi intellectionem plurimum ualet.

SECVNDO docet, fœtus esse calidiores, qui in dextera parte concipiuntur ob locum, qui est dextera uteri pars, & qui est calidior propter fœtus uicinitatem.

Quod legitur, calidior uero temperatura fœtibus aduenit, non minime ob locũ qui est dextera uteri pars. Græce habetur θερμοτέρα δὲ ἡ κρᾶσις γίνεται τοῖς ἐμβρύοις οὐχ ἥκιστα καὶ διὰ τὸ χωρίον, ὅπερ ἐστὶ τὸ δεξιὸν τῆς ὑστέρας μόριον. Vbi uides illam particulam, non minime ob locum, legi debere, non minime, & ob locum. & quod dicit, non minime, est οὐχ ἥκιστα. Sunt duæ negatiuæ particulæ, οὐχ quod significat non, & ἥκιστα minime, ideo affirmant. puto sensum esse, calidiorem temperaturam fœtibus aduenire non parum, & reliqua.

TERTIO docet, Semen muliebre ex proprijs testiculis per utrunque corniculum effusum aliquid conferre ad conceptus caliditatẽ: huius autem seminis pars una in dexterum uteri sinum tendit, pars alia in sinistrum. Sunt tamen dissimiles partes. nam semen quod in sinistrum testiculum tendit serosius & frigidius est, quod in dexterum compactius & calidius. Et est hæc conueniens causa, quare conceptus in sinistra parte sit frigidior, eo qui in dextera. Sed de his omnibus ad plenum dictum est in quinto de anatomia Hippocratis libro.

Quod legitur, Siquidem serosior est atq; frigidior, quæ in sinistro testiculo continetur: deest particula, Semen uel genitura, & legi debet, Siquidem serosius est, atq; frigidius quod in sinistro testiculo continetur semen. Græce enim habetur ἐπεὶ οὖν ὀῤῥωδέστερον ἐστὶ ψυχρότερον τὸ ἐν τῷ ἀριστερῷ σπέρμα.

Quod etiam legitur, & iuxta hoc conceptus in læua parte uteri constitutus. Mox hę duæ particulæ addi debent, scilicet statim ab initio, εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, postea illa uerba sequuntur, non absq; ratione esset frigidior.

Quod etiam legitur, In quinto libro sectionis Hippocratis, antiquus noster contextus legebat ἀνατομῆς, sed emendatus à docto uiro legit τῶν ἀνατομικῶν, ut etiam facit Aldinus.

APHORISMVS XLIX

VT secunda procidat, sternutatorio apposito, & nares apprehendito, & os.

BRASAVOLVS

SECVNDA, pellis illa est, uel potius chorium, quod fœtum dum in utero est, continet, & quæ utero colligatur, unde fœtu exeunte, plerunque in utero secunda manet. nũc Hippocrates docet, quid agendum sit ut exeat. nam procurare debemus ut citius quàm fieri possit, exeat, quoniam sæuiora symptomata inducere potest: ut igitur procidat, sternutatorium medicamentnm puerperę naribus apponito, & nares apprehendito, & os, quoniam in hoc casu propter oris & narium occlusionẽ sternutatio prohibetur. tamen ille motus ad huc uehementior fit, adeo ut retẽtas secundas excutiat. Celsus capite octauo secundi libri hunc aphorismum ita referre uidetur, Quæ locis laborat, aut difficulter partum ædit, sternutamento leuatur. Sed ampliat Celsus aphorismum etiam ad partum ipsum. nam sternutamentum plurimum ualet ad fœtum eijciendum.

ὑστέρων ἐκπτώσιας. idest, ad casus uel procidentias secundarum, uel ut secunda procidat.] quãdo, cũ exiuerit fœtus, ipsa adhuc intus manet, & grauia symptomata inducit.

πταρμικὸν ἐντιθείς. Sed antiquus noster cõtextus legit προσθείς, idest, sternutatorium apponens.] scilicet naribus.

ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα. idest, apprehendere nares, & os.] scilicet oportet. Antiquus noster contextus legit ἐπιλάμβανε. At hoc, quo ad sensum nihil facit, qui est, cum sternutamentum apposueris, apprehende nares & os, quia uis capitis sternutare cupiens & non potens, in partes infernas uiolentius comprimit, tunc enim secunda procidit. Paulus Aegineta libro sexto capite septuagesimoquinto, quomodo arte sit extrahenda secunda docet. nam & manibus extrahitur, & suffumigijs & sternutamentis, & denique sinendo illam corrumpi. At tunc caput aggrauat, & stomachum euertit. Sternutatorium uero apponitur, & nares atque os clauditur, quoniam fumi, qui superiores partes petere deberent, ad inferiores flectuntur, & uteri motus fit uehementior, præsertim quando spiritus etiam retinetur. tunc enim uenter extenditur, & etiam sternutatorium penitiores partes facilius permeat.

GALENVS.

NON cum accentu circunflexo ultimam syllabam uerbi Græci, ὑστερῶν, legere oportet, ut significet uterum, sed cũ graui, ut secunda intelligatur. Neque enim uult uteros ipsos excidere tentione facta cum medicinis sternutare facientibus, sed ea quæ loci uocantur, atque secundæ.

BRASAVOLVS

GALENVS in hoc cõmento docet, Hippocratem per hoc uocabulum ὑστέρων non uteros, sed secundas intelligere, quia ὑστερῶν cum circunflexo accentu uterum significat, sed cum accentu graui ὑστέρων significat secundas. hic cum accentu graui esse debet, & non cum circunflexo. nam uterum intelligere non possumus: quia non diceret uteros excidere tentione facta cum sternutatorijs medicamentis, sed omnino intelligere debemus choria, idest, secundas.

Vltima huius commenti pars Græce habetur, ἀλλὰ τὰ καλούμενα χορία τε καὶ ὕστερα, id est, Sed ea quæ & choria & secundæ uocantur. Philotheus idem ferè dicit cum Galeno, eius uerba hæc sunt, ὑστέρων ἐνταῦθα λέγει, οὐχ ὑπὸ τῶν μητρῶν, ἀλλὰ τῶν χορίων. ὅθεν καὶ ἑνικῶς ἀναγινωσκόμενον βαρυτόνως λέγεται ὕστερον. ἡνίκα γὰρ τριγενὲς ἐστὶ τὸ πρόσωπον, βαρύνεται, μονογενὲς δὲ, περισπᾶται. ὑστέρων τοίνυν ἔκπτωσιν ποιήσασθαι, καὶ τοῦτο διὰ χρείαν μεγάλην. διὰ τὸ μὴ ἐναπομείναντα σαπῆναι, καὶ χαλεπὰ τὰ σύμπτωματα ποιῆσαι, μετὰ τὴν ἀπότεξιν, πταρμικὸν ἐντίθει τῇ ῥινί, εἶτα ἐπιλάμβανε ταύτης τὸ στόμα. ὅπως τὸ πνεῦμα ἐπὶ τὰ κάτω χωρῆσαν τῇ συντονίᾳ καὶ τῷ κλόνῳ τοῦ πταρμοῦ κατενεχθῆναι ποιῆσαι τὸ χορίον. idest, ὑστέρων, idest, Secundarum dicit non pro utero seu matrice: sed pro secundis. unde & in singulari si legatur graui tono dicitur ὕστερον. Quando enim trium generum nomen est, grauem accẽtum habet. unius autem generis circunflectitur. Secundarum igitur procidentiam fieri

tiam fieri. & hoc propter magnam utilitatem. Ne si permaneāt (scilicet secundæ) intus computrescant, & difficiles morbi generētur post partum. Sternutatorium appone naribus. Deinde ipsius, scilicet mulieris, os apprehende, ut spiritus ad ima descendēs cum intentione & concussione seu uiolentia sternutationis deferri & auelli faciat secundas.

APHORISMVS L

MVlieri si uelis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

BRASAVOLVS

NONNVNQVAM menses aliquibus mulieribus adeo profluunt, ut uitæ periculum immineat, tunc medicus opem ferre debet. At opem feret, si magnā cucurbitulam ad mām̄as apposuerit. nam is sanguis qui deorsum ad uterum tendit, diuertitur, & ad superiora deriuatur, unde is menstruus sanguis sistitur: quamuis hic Oribasius differentiā faciat inter reuulsionē, & deriuationē, inquiens, reuulsionē esse quoties è dextera ad sinistrā trahitur sanguis: deriuationē uero, quoties ex superioribus ad inferiora, aut è cōtrario. In proposito deriuationē fieri dicit per cucurbitulā mām̄is appositam quādo supra modū menses fluūt. nā mām̄æ cum utero cōmunionem quandā habent. Philotheus ita aphorismū introducit, ἐνταῦθα διδάσκει θεραπείαν τῶν ἀμέτρως καταφερομένων καταμηνίων, idest, hic menstruorū immoderate defluentiū curationē docet. In antiqua translatione ante hunc aphorismū alter quidam descriptus est, quē nec in antiquo nostro contextu, nec in Aldino inuenire licuit, nec Theodorus, aut Leonicenus in suis codicibus scriptū habuere. Est aūt aphorismus iste, Mulieri in utero habenti tenasmus innatus abortire facit. tamen in Græco hagonensi cōtextu hoc modo scriptus inuenitur, γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινεσμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρώσκειν ποιεῖ, à Galeno in cōmento huius aphorismi ratio assignatur. Nos apud Grecos hoc cōmentum inuenire nō potuimus, tamen in antiqua trāslatione, & aphorismi contextus, & Galeni cōmentatio inueniūtur. Cōmentatio autē hęc est: Tenesmos fit ex humoribus pungitiuis crassū pungentibus intestinum, quod colon uocatur, qui infirmū exprimere cogūt, si forte eos pungentes emittere possit, unde & hæc expressio si mulieri grauidæ euenerit, sicut Hippocrates dixit, causa est abortiendi. nimius enim expressus, nimiū facit motum, unde fœtum abortire necesse est, quia rūpitur ligamentū. Hæc est Galeni cōmentatio secundū antiquā Constantini translationē. Nosq; putamus hunc esse Hippocratis aphorismū, quamuis in nullo Græco codice ipsum inuenerim, & Theodorus atq; Leonicenus in suis nō habuerint. nā & Oribasius ipsum hic ponit, & cōmētatur, inquiēs, Tenasmus innatus dicitur lassitudo intestini, alij uocant conatū. Fit uero ex acido humore. nemo aūt ignorat, intestinū & uterū uicina esse, & propter intestinorum hanc eleuationē sæpe abortit mulier habēs in utero patiendo hanc affectionē. Hæc Oribasius. Sed & Philotheus in hoc loco præadductū Aphorismū interpretatur inquiens, τεινεσμὸς ἐστὶν, συνεχὴς καὶ βιαία κίνησις καὶ ἔκκρισις φλεγματωδῶν καὶ πιμελωδῶν μετὰ ὀλίγης κόπρου, καὶ βραχέος αἵματος ἐπιεσμένου. γίνεται δὲ ἐν τῷ ἀπευθυσμένῳ ἐκ φλέγματος. καὶ εἴρηται περὶ τῆς τάσεως οὕτως. ἐὰν γυναικὶ ἐχούσῃ ἐν γαστρὶ καὶ τὰ ἑξῆς. τῷ λόγῳ τῶν ἐξανασπάσεων καὶ μεγάλων τάσεων. idest, Tinesmus est cōtinuus & uiolentus motus, & secretio pituitosarū atq; pinguiū materierū cū pauco stercore & breui sanguine adstricto. Fit uero in recto intestino ex pituita, & dicit circa extensionē hoc modo. Si mulieri in utero habēti & reliqua. ratione extensionū & magnarū intentionū. Tamen si Hippocratem in septimo aphorismorū libro perleges aphorismo uigesimoseptimo, inspicies præsentē Aphorismū ad uerbū adduci, & Galenū in eodem loco ipsum cōmentari, & tali cōmentatione, quæ ab illa, quam hic adduximus ex antiqua translatione, longe diuersa est, nosq; in illo loco rationem reddemus. Nunc ad aphorismum, quem interpretandum suscepimus, reuertamur.

γυναικὶ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν. idest, Mulieri si uolueris mēstrua cohibere.] ob id quia in nimia copia fluxerint, & adhuc fluant adeo ut ipsam imbecillē reddiderint: quia in principio sistenda non sunt. Tu uero hic per menstrua non solum sanguinem ipsum

menstruum intellige, sed etiam sanguinem quęcunque ab utero fluentem, ut Galenus in quinto Methodi medēdi libro, parum post principium edocuit, ubi de parocheteusi & antispasi, idest, de deriuatione ad proxima, & reuulsione ad contraria uerba facit. Hæc autem quæ in hoc aphorismo edocetur, reuulsio est. Nempe Galenus eodem loco presentem aphorismum ita refert, Si uel menses confertim eruperint, uel sanguis ab utero quoquo modo profluxerit, sursum reuelles, cucurbitulā magnam sub mām̄is defigens: ut simul etiā locum ostendat, in quo cucurbitula poni debeat. At Hippocrates in fine secundi Epidemiorum libri, simpliciter de mensiū cohibitione sententiam profert hoc modo, Mulieribus uti menses contineant, maximam cucurbitulam mām̄is admoueto. Σικύην μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλε. idest, Cucurbitulam magnā ad māmas appone]. ut ad oppositā partem reuellatur, superiorem inquā, id quod aliàs ad inferiorem descendebat. magnam uero elegit cucurbitulam, ut uehementius traheret. dicēte etiam Philotheo, μεγάλην δὲ ἵνα σφοδρὰν ἀπὸ τῆς μήτρας ἐργάσηται τὴν ἀντίσπασιν ἄνω διὰ τῶν κοινῶν, ἢ διὰ ἀμφισβόνων φλεβῶν. idest, magnam autem ut reuulsionem ab utero sursum uehementem faciat per ambimembranas uel cōmunes uenas. uel forte legendū διὰ τῶν κοινῶν ἢ ἀμφυμένων φλεβῶν, idest, per cōmunes uenas & habentes utrinque membranas. Vehementius ergo magna cucurbitula reuellit, tum quia maiorem ignis copiam suscipit, & ampliorem carnis latitudinē amplexatur. propterea uenas omnes complectitur, quæ inter uterum & mām̄as mediæ sunt, & quæ ab utero ad mammas tendūt. & ex hoc Hippocratem intellige de appositione cucurbitulæ sub mammis, cum ut magis trahat, tum ne mammæ ipsæ offenderētur, si cucurbitula supra ipsas poneretur. Etenim cucurbitulam ad summum implentes, quia sunt caro quædam mollis, facile lædi possent. Et Paulus Aegineta libro tertio capite sexagesimosecundo docet hanc cucurbitulam sub mām̄is apponēdam esse. Aetius uero libro decimosexto capite sexagesimosexto prope finem non solum cucurbitulas mammis, sed etiam humeris apponit.

GALENVS

SICVTI menstruorum quæ aut nullo modo, aut parce fluunt docuit Hippocrates curationem, ita & nunc illorum quæ ultra modum euacuantur, iubens nos cucurbitulam quàm maximam ad mammas apponere. Melius aūt non ad ipsas māmas, sed sub ipsis partibus inferioribus firmare cucurbitulam, ubi maxime sunt hæ quæ ad ipsas uenę desubter ueniunt. Vult autem maximam esse cucurbitulam, ut fortiorem faciat ex utero ad superiora attractionem per communes id uenas artificiose molitus.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus hunc aphorismum præcedentibus, in quibus de suppresis menstruis sermonem habuit, quodāmodo continuare uidetur. nam docuerat quomodo aromatum suffitu suppresi menses ducantur, propterea conueniens fuit & quandoque earū mulierum, quæ supramodum euacuantur, curationem describere, quam in hoc aphorismo posuit, dicens istas curari magna cucurbitula ad mammas apposita.

SECVNDO docet, intelligendum non esse cucurbitulā mammis ipsis apponi oportere, sed sub mammis, ubi sunt communes illæ uenæ quæ ad ipsas desubter ueniunt.

Quod legitur, sed sub ipsis in partibus inferioribus, Græce habetur ἀλλ' ὑπ' αὐτοὺς ἐκ τῶν κάτω μερῶν. idest, Sed sub ipsis in partibus inferioribus, uel ex partibus inferioribus.

Quod etiā legitur, ubi maxime sunt eæ, quæ ad ipsas uenæ desubter ueniunt, ita præcise in Aldino contextu, & in una antiqui nostri lectione habetur, scilicet καθ' ὃ μάλιστα εἰσὶν αἱ κάτωθεν ὑπὸ αὐτοὺς ἀναφερόμεναι φλέβες. In alia antiqui nostri contextus lectione loco illius particulæ κάτωθεν, quam Leonicenus interpretatur desubter, scriptum est ἑκατέρωθεν, idest, utrinque: ut secundum hanc lectionē ita legi oporteat, ubi maxime sunt eæ, quæ utrinque ad ipsas uenæ ueniunt.

TERTIO Galenus quorundam lectionem ponit, qui aphorismū ita legebant, sub mām̄is, & non ad māmas. Hi uero argumentū illud euitabant quod fit in illā particulā ad mammas. Scito tamen hanc tertiam partem in Leoniceni interpretatione desiderari, forte & ipse in suo Græco contextu non habebat, sed in Græcis codicibus quos habemus ita legitur. καὶ μέντοι καὶ γράφουσιν ἔνιοι, σικύην μεγίστην ὑπὸ τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλε, idest, Et quidem nonnulli scribunt, cucurbitulam magnam sub mammis appone.

Noster antiquus contextus legit προσβάλλειν, ideſt apponere infinitiue, & non imperatiue, ſcitoq; in Aldino contextu non legi ſimpliciter μεγίστην, ideſt magnã, ſed ὡς μεγίστην ideſt, quàm magnam. tamen antiquus noſter contextus illam particulam ὡς obelo confodit, Notaq; hæc uerba in illa parte poni debere ubi dicit, deſubter ueniunt, ſtatim hæc pars conſequi debet. Et quidem nonnulli ſcribunt cucurbitulam quàm magnam ſub mammis apponere. deinde ſequatur pars quarta, quę incipit, uult autem.

QVARTO igitur Galenus docet, magnam cucurbitulam applicandam eſſe, ut uehementiorem faciat ex utero ad ſuperiora, per communes utero & mammis uenas attractionem.

APHORISMVS LI

QVæ utero gerunt, his uteri os comprimitur.

BRASAVOLVS

NATVRA, dum mulier concipit, Hippocrate & Galeno teſte, adeo mire operatur, ut intrinſecum uteri os ad eum modum conſtringat atq; claudat, quod nec aciculæ acumen ingredi poſſit; hoc prouide fecit, ne intus operari impediretur.

ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι. ideſt, Quę utero gerunt.] Hic non eſt opus ſe ad fœtum determinare, quoniam & ſi eſſet carnis moles, uel aliquod aliud quod conciperetur os uteri conſtringi neceſſarium eſſet.

τουτέων συμμύει τὸ στόμα τῶν ὑστερέων. ideſt, His uteri os cõprimitur] Ideſt, intrinſecum os clauditur, & adeo clauditur (Galeno teſte) ut nec acumen acus ingredi poſſet, præterquã cum mulier eſt in actu coeundi, tunc enim aperitur. nempe illi decipiuntur, qui dicunt, in coitu etiã non aperiri. nec iſtud mirũ eſt, quoniã nullum inuenitur uirile membrum, quod ad intrinſecũ uteri os pertingere poſſit. At nos dicimus iſtos decipi, quoniã tunc non fieret ſuperfœtatio, quam Hippocrates in libro De natura fœtus concedit, & Galenus etiam: immo Hippocrates de ſuperfœtatione mulierũ librum fecit, in quo hęc abunde pertractantur. Oribaſius uero ab Hippocrate accipiẽs dicit, os uteri tribus de cauſis in cõceptione claudi, Primo ne ingrediatur uentus, & fœtũ interimat, Secundo ne deſcendat fœtus. Tertio ut ſanguis menſtruus in loco detineatur, ut dum enixa fuerit habeat natura pondus quo deponat infantem. nam ſi decurrant menſtrua, nõ habet unde nutriatur infans, & diſcuſſus moritur. Philotheus etiam pro huius aphoriſmi expoſitione hæc dicit, τοῦτο δὲ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει. τοῦ γὰρ κύτους ἐξαπλωμένου, συλλήψεως γεγονυίας, ἀνάγκη τὸ στόμα ξυμμύειν τῶν ὑστερέων, ὅ ἐστι στενοῦσθαι. ἀντιπεπονθότως γὰρ ἔχουσιν αἱ κοιλότητες τοῖς στομίοις. ideſt, hoc ex neceſſitate contingit, nam pleno uaſe, & conceptione facta, uteri os claudi neceſſariũ eſt, quod eſt arctari. cauitates enim, & orificia habent mutuum inter ſe reſponſum & antipathiam.

GALENVS

MAXIMVM hoc eſt mulieris quæ concepit indicium, ſi obſtetrix potuerit immiſſo digito os uteri tangere. Statim enim cum ſemen intra ſeipſas acceperint, totum ſui interius contrahunt ſpacium, & claudunt os. Videtur autem & propter durum tumorem, & inflammationem os uteri comprimi. Diſtinguitur autem ab eo qui in grauidis, ex duritie uteri.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hoc quod in præſenti aphoriſmo dicitur, maximum conceptionis indicium eſſe. ſi uero petas quomodo iſtud deprehendi facile poſſit, inquit ſi obſtetrix in uterum digitum impoſuerit, ad os uteri peruenire, nihil impediet quod occluſum eſſe inueniet. nam ſtatim cum ſemen receptum eſt, contrahitur, ſpatium corrugatur, atq; eius os clauditur.

SECVNDO ambiguitatẽ quandam remouet, nam aliquis dicere poſſet ob inflãmationem & durum tumorẽ, uteri os claudi. Reſpondet, ita certe conſtare, tamen à compreſſione, quæ ob fœtum inducitur differt. nam hæc compreſſio nullam duritiem in utero facit; at illa quæ ex duro tumore eſt, duritiem uteri ſimul habet.

Quod legitur, Immisso digito, Aldinus contextus legit καθέσει δακτύλου, noster uero antiquus contextus legit καθεῖσα τὸν δάκτυλον.

Quod etiam legitur, Totum sui interius contrahunt spatium, hæc particula spatium græce est κύτος. est autem κύτος uas profundum, atque latum, unde superius nos in Philothei interpretione uertimus, τοῦ κύτους, idest uase.

Quod etiam legitur, os uteri, græce habetur ὑστερῶν, idest uterorum, quod non ab re dictum est, ob duos sinus, quos habet uterus.

APHORISMVS LII

MVlieri utero gerēti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si uero mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

BRASAVOLVS

ALIQVAE sunt mulieres quæ primis statim mensibus lac habent, tamē huius generis raras inuenies, pluribus post primū & secundū mensem lac profluit, quod paulatim augetur & abundat, in aliquibus etiā exit, at exire nō potest, si fœtus robustus sit, & bene attrahat, neque in illis uenis quæ ab utero ad mammas perueniunt, oppletio facta sit. propterea si mulieri quæ utero gerat, lac multum & mammis effluxerit, idest, uel quia fœtus nō attrahit, & ex cōsequēti nō bene nutritur: uel quia uię illæ obstrusæ sunt, quæ à mammis ad uterum perueniunt: unde fœtus hic necessario imbecillus est, immo hoc lac quod exit, aquosum esse debet, & adeo mali nutrimenti ut fœtum imbecillum reddat. At si mammæ solidæ sint, non intensissime duræ, sed cum quadam mediocritate, ut Galenus dicit, fœtus magis sanus est, tum quia hoc est bonum nutrimentum, & fœtus bene trahit, propterea nihil superfluum est, quod sponte exeat, & uiæ omnes apertæ sunt. Celsus capite septimo secundi libri ubi de notis, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit, pertractans, cum de muliere utero gerente uerba facit, inquit, eidem (scilicet grauidę) si lac ex mãmis profluit, imbecillū est quod intus gerit. Duræ mammæ sanum illud esse testantur. Galenus in medio ferè decimiquarti De usu partium, quomodo infans enutritur edocens hæc uerba habet, quę ad hunc aphorismū intelligēdum plurimum faciunt, Cōtrarijs aūt affectibus necesse est comprehendi mamillas, repleri quidem lacte ante tempus in embryorum imbecillitatibus, graciles aūt consequenter in matricum penuria fieri. Ita enim & Hippocrates dicebat, mulieri in utero habenti, lac ex mammis multum fluens, embryon imbecille significat, ceu ad mamillas superfluo uidelicet toto ascendente, quia reliquit in uenis conceptū, non potens præ imbecillitate, quãtum sufficiebat ei ad cōmoderatam nutricationē trahere. & ideo Galenus alium aphorismū statim adduxit, qui est, mulieri in utero habenti, si mammæ graciles fiant, abortit. In hoc aūt casu infantē fortem esse uoluit, sicuti in præcedenti imbecillē. Vt ex his Galeni uerbis tota aphorismi ratio habeatur, quod ob fœtus imbecillitatem attrahere non potentis, lac exeat, & ideo cum exire uidebimus, fœtum imbecillum esse statim iudicabimus. Philotheus à Galeno forte accipiens eādem sententiā sequitur, inquiens, πρὸ δὲ ἀποτέξεως τοῦ ἐμβρύου προαποθησαυρίζει ἡ φύσις τὸ γάλα ἐν τοῖς μαστοῖς, ἵνα μετὰ τὴν ἀπότεξιν, ἀφθόνως τρέφηται τὸ ἔμβρυον. τοῦτο οὖν τὸ γάλα, ἐὰν σύμμετρον ᾖ, δηλοῖ καλῶς ἔχειν τὸ ἔμβρυον. εἰ μέντοι πολὺ, ἢ καὶ ἀποῤῥεῖ ἐκ τῶν μαστῶν, δηλοῖ ὅτι ἀσθενές ἐστιν τὸ ἔμβρυον. πῶς; ὅτι ὑπὸ πλήθους τοῦ φερομένου αἵματος ἐν τῷ ἐμβρύῳ κατελύθη ἡ δύναμις αὐτοῦ, καὶ ἐντεῦθεν πλέον ἀνέχθη ἄνω. ἄλλως τε φύσει ἀσθενὲς ὂν, οὐκ ἐξισχύει ἀλλοιῶσαι τὸ πρὸς τροφὴν ἐρχόμενον ἐν αὐτῷ αἷμα, ἀλλὰ μένει καὶ φέρεται παρὰ τοὺς μαστούς. καὶ διὰ τοῦτο πολὺ γάλα ῥεῖ. οἱ μέντοι στερεοὶ ἐὰν ὦσιν οὐκ ἀπ' ὄγκου τινὸς, δῆλον ὅτι, ἀλλὰ καὶ συμμέτρου γάλακτος φερομένου, ὑγιεινὸν τὸ ἔμβρυον σημαίνει. idest, ante fœtus partū, natura in mãmis lac præparat, ut post partum fœtus abunde nutriatur. hoc igitur lac si moderatū sit, fœtū bene se habere ostendit: si uero multū sit, & ex mãmis defluat ostendit, quod fœtus imbecillis est. quomodo? quoniā ex multo sanguine ad fœtū delato ipsius potētia dissoluit, & hinc multū sursum fert. Alioqui natura debilis (scilicet fœtus) sanguinē ad nutrimentū in ipso uenientē alterare nō

potest

potest, sed manet (scilicet immutatus sanguis) & ad mãmas fertur, & propter hoc lac multũ fluit. Si autem mãmæ solidæ fuerint, nõ ab aliquo tumore, sed & moderato lacte delato, manifestum, quod fœtũ sanum significat. Nos enim arbitramur Philothei contextum deprauatum esse, & quod legitur οἱ μὲν τοι λεπτοὶ ἔωσιν potius legendum sit ἣν μὲν στερεοὶ οἱ λεπτοὶ ἔωσιν. Illa etiam particula δῆλον ὅτι, uel obelo penitus cõfodienda est, uel ante illam particulam ὑγιαίνειν ponenda, ut nos superius interpretati sumus.

γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ. idest, Mulieri in utero habenti.] Infantem, scilicet & nõ molã.

γάλα ἐκ τῶν μασθῶν πολὺ ῥέον. idest, Lac multum ex mammis fluens.] Nam & si parua quantitas exiret, nihil mali significaret, sed ex magna solum copia defluentis lactis iudicium sumi debet.

ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει. idest, imbecillum fœtum significat.] Quia lac attrahere nõ potest, unde natura, quę tam magnã lactis copiam continere non potest, sursum ad mamillas emittit. At Oribasius causam assignat cur fœtus imbecillus sit, quia sanguis exit, ideo non potest nutrire fœtum, propterea fit debilis. Sed à Galeno oppositum dicitur, scilicet esse imbecillum fœtũ, ideo lac trahere non posse, propterea opus est ut in copia exeat, & etiam non mediocri, ex quo fœtus imbecillitas significatur.

Ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μασθοὶ ἔωσιν. idest, Si autem mammę solidæ fuerint.] At magnam mammarum duritiem intelligere non debes, sed talem ut nec sint molles, nec extreme duræ, uerum mediocritatem seruent. nam quę sunt ualde duræ, etiam sunt nimis plenæ.

ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει. idest Fœtum significãt saniorem.] Quia tantum exugit, quantum ipsi opus est, & reliquum mammas implet. significatur enim & fœtum esse robustum, & lac abundare. possent tamen casus quidam inueniri, in quibus mammę erunt graciles, tamen fœtus erit sanus, si mulier solum tantum lactis fecerit, quantum satis est infanti: & etiam si copia lactis fluat fœtus robustus esse esse potest, si mulier temperatura sanguinea multo sanguine abundet, & adeo crescat ut infanti pro nutrimento satis sit, & etiam exundet. Tamen ut plurimum hoc inuenies lacte multo profluente, & lac ipsum non esse bonum quia fluidum & aquosum, & infantem imbecillum esse.

GALENVS

ILLO uidelicet tempore fluit lac quibus uisum fuerit fluere, quando natura fert, ut in grauidis generetur. Neq; enim in primis generatur mensibus. Quod autem omnino fluat, & non maneat intus, hoc ideo fit, quia plurimum ex eo colligitur. Plurimum uero colligitur oppletis uenis communibus quæ à mammis pertingunt ad uteros. Sed adhuc magis implentur quando minimum conceptus absumit. Hoc uero ipsum fit ob eiusdem conceptus imbecillitatẽ. Liquet igitur quòd neq; mammas tenues oportet apparere, sicuti in muliere non grauida. Hoc enim signum defectum sanguinis ostendit, & hac ratiõe fœtus in ipsis corrumpitur. Neq; adeo plenas, ut lac effluat, sed tantũ subleuari, ut solidę tangentibus uideantur. Media enim hæc cõsistentia inter renitentes propter nimiam impletionem, & molles ac laxas, propter defectum sanguinis. Quare merito laudat hoc signum Hippocrates, ut quod indicio sit, neq; fœtum esse imbecillem, neq; deficere ipsi alimentum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, eo tempore lac fluere debere quando natura fert, ut in ipsis utero gerentibus generetur. Nã in primis statim mẽsibus nõ generatur, sed in processu.

SECVNDO causam reddit cur lac plurimum fluat, quia inquit plurimũ colligitur in mãmis. At si quęras, quando sit, quod plurimũ colligatur. Respondet, tũc esse quando cõmunes uenę quæ sunt inter uterũ & mãmas implẽtur. Et si petas quando sit quod hę uenæ magis implentur. Respondet, tunc esse quando cõceptus parum consumit. Si deniq; petas, quare conceptus parum consumat. Respondet, quia est imbecillus.

TERTIO docet, Mammas non debere esse renitentes, & nimis plenas, neq; molles & laxas, sed medias, quia subleuẽtur, & tangentibus solidæ uideãtur. nam si tenues sint ut in muliere utero non gerente uidentur, sanguinis defectus signum esse oportet, propterea fœtum corrumpi necessarium est. Si adeo plenæ sint, ut lac exeat, fœtus est imbecillus. Ideo si sanæ & perfectæ esse debent, mediocres esse oportet.

Aphori-

APHORISMVS LIII

QVæ corrupturæ ſunt fœtus, his mammæ extenuantur: ſi uero rurſus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, & non corrumpent.

BRASAVOLVS

SVPERIVS ab Hippocrate in duobus aphoriſmis dictum eſſe conſtat, mammas graciles futuri abortus indicia eſſe. Nunc autem à re ipſa ad indicium incedere uidetur. nam quę fœtum corrupturæ ſunt, hę mammas extenuatas habent, quoniam infanti nutrimentum deficit, uel ipſa natura fœtum caſurum eſſe perſentiens, ut prouideat ſpiritus & ſanguinem ad uterum tranſmittit, itaq; is ſanguis, qui in mammis continebatur, ad uterum tranſmiſſus mammas tenuiores reddit. At duræ mammæ non ſunt abortus indicia, ſed aut dolorem mammarum, aut coxarum, aut oculorum, aut genuum ſignificant. Nam materię quæ ad uterum tendebant, & quę fœtũ lędere poterant, ad alias partes diuertuntur. Vnde uterus immunis relinquitur, itaq; fœtus non corrumpetur.

ὅσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, ideſt, Quæ fœtus corrupturæ ſunt.] Nos hanc partem intelligimus non ſolum quod de fœtu loquatur, qui per uiam aborſus decidere debeat, ſed etiam quod in matris utero mori debeat, quod nõ ſolum *διαφθείρειν* oſtendit, ſed etiam Hippocrates in libro De fœminarum morbis, in huius aphoriſmi caſu hoc docet inquiens: quibus autem prægnantibus circiter ſeptimum, uel octauum menſem plenitas mammarum, uentriſq; ſubito concidit, mammaq; extenuatur, lacq; non comparet, partum periiſſe dicendum eſt, uel ſi uiuat, languidum eſſe. In qua parte hoc notatu dignum eſt, quod notat fœtum ſeptimeſtrem uel octimeſtrem eſſe oportere. nam ſi minor ſit fœtus, & mammæ extenuentur, multum extenuari nõ poſſunt, quia nec craſſæ multum erant. at quanto magis infans creſcit, tanto pleniores euadunt, & ideo hunc aphoriſmum in maiori fœtu intellige, qui ſeptimum uel octauum menſem pertigerit. Addeq;, hoc fieri cum fœtus corruptioni propinquus eſt, & non per multum tempus ante corruptionem.

ταύτῃσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται, ideſt, Iis mammæ tenues fiũt.] Cauſa uero cur tenues fiant, duplex eſſe poteſt. una quam Oribaſius dicit, quia ſanguinis indigentia in illis fit. fœtus autem ex ſanguine nutritur, quo deficiente fœtum corrumpi neceſſarium eſt, & ideo ſi ob ſanguinis defectum fœtus corruptio fiat, mammæ extenuantur. Tamen non putamus hunc eſſe Hippocratis ſenſum, quamuis ab Oribaſio adducatur. quoniam ſanguinis defectus continuo fuit, propterea plenas mammas nunquã habuere. unde ſi extenuentur uideri nõ poteſt. Nos igitur extenuationis mammarũ alio modo cauſam aſſignamus. fœtus corruptio ex multis cauſis fieri poteſt, quas omnes Hippoc. in li. De fœminarũ morbis refert inquiẽs. Nam ſi prægnãs morbo aliquo laborat, fœtus perditur, ſi ualida nõ eſt, ſi aliquod onus attollit, ſi percutitur, ſi ſalit, ſi nõ comedit, ſi animo uexatur, ſi multũ uel parũ comedit, ſi terretur, ſi febriat, ſi clamet, ſi crapuletur. nam cibus potuſq; multus crebro cauſa eſt uti fœtus perdatur. ſi uuluæ uẽto plenę ſint, ſi denſæ, ſi magnę, paruæ úe ſint, & alia his ſimilia habeãt, partus periclitatur: ſi uentre, lumbis úe laboret. Præterea quædã fœminæ partus eiiciunt, ſi quid acre, uel amarũ, aſperumúe præter conſuetudinẽ comedant uel potent, & reliqua quæ in Hippocrate ipſo cõſequũtur. Non poteſt aũt abortus fieri, uel fœtus corrũpi ex aliqua prædictarũ cauſarũ, uel ſit etiã eryſipelas in utero, uel tumor præter naturã, niſi in uteri partibus dolor fiat, propter quẽ ſanguis ad genitales partes defertur, & mãmas ipſas derelinquit. nã ubi natura moleſtũ quid in noſtro corpore facit, ſanguinẽ illuc atq; ſpiritũ tranſmittit, ut ea quę obſunt, expellat: itaq; abortus, uel fœtus corruptio fit. & ideo illis quæ fœtus breui corrupturæ ſunt, mammæ extenuantur, quoniam ſanguis & ſpiritus ad uterum deſcendunt, ut cauſæ abortũ facienti oppugnet, quę cauſa ſit quæcũq;, per idẽ ſemper eius cauſa reddetur. ſanguis uero & ſpiritus, qui ad uterũ tranſmittũtur, ex toto corpore ſunt, ſed ex illis potiſſimũ partibus quæ cũ utero colligantiã habent, quales ſunt mãmæ. unde uel per extenuationẽ illã intelligas, quę ex ſanguinis defectu cõſequitur, uel illam quæ fit ex ſanguinis &

nis & spiritus decursu ad uterũ, semper eiuscemodi extenuati fœtus corruptionẽ præit.

Ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γίνωνται. idest, Si uero è contrario duræ fiant] Nam secundum Galenũ ita potius interpretãda est hæc particula πάλιν, quàm si dixerimus rursus. nempe sensus nõ est apud Galenũ, quod postquã fuerint extenuatę, duræ fiant, & tamẽ extenuatio nõ pręcesserit, quę duritiẽ secuta sit. propterea intellige, si mãmę quæ in utero gerente extenuatę nõ fuerint, sed secundum earũ ordinẽ naturalem duræ fiant, duritie scilicet præter naturã, & quæ multũ exuperet, hoc fieri nõ potest nisi à multa materia, quæ ab utero trãsmittatur ad mãmas, & quæ fœtũ lædere poterat: de quo tamen natura solicita materias superabundantes in utero nõ sinit, sed ad aliquã partẽ quæ sibi cõmodior uidet, & ad suscipiendũ magis prona, trãsmittit, ne fœtus ipse, quẽ diligit, offendat.

Ὀδύνη ἔσται ἢ ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν. idest, Dolor erit uel in mammis.] Si natura ad mammas transmiserit, quoniam supra modum implentur, & adeo ut extensæ continui solutionem inducant, imperfectam tamen, quæ nihil aliud est, quàm partium extensio. hæc uero dolorem parit.

Ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν. idest Aut coxas] Quoniam plerunque natura prauas materias atque superfluas trãsmittit, ne fœtus offendatur, quod facile fit, quoniã uterus coxis alligatur.

Ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν. idest, Aut oculos.] Quoniã & oculi colligantiam quandam cum utero habent. & cum mammæ præduræ sunt, oculi compatiuntur.

Ἢ ἐν τοῖσι γούνασι. idest, Aut genua.] Quia & ipsa cum utero colligantiã habent. Theodorus interpretatus est uerbum ἔσται fatigabit, Leonicenus uero infestabit, tamen nihil impedit dicere, si uero è contrario duræ fiant, dolor aut in mammis, aut in coxis, aut in oculis, aut in genibus erit.

Καὶ οὐ διαφθείρουσιν. idest, Et non corrumpent.] Intellige saltem non corrumpi ob motum materierũ ad uterum, tamen per aliam causam corrumpi posset: uerum & si aphorismum intelligeremus, ut Oribasius facit, præter rem non uideretur. nam ipse intelligit, quæ abortũ facturę sunt, his mãmæ extenuantur. Si uero post extenuationẽ duræ fiant, iterum non abortiunt. nam quanto duriores fiunt tanto uteri os magis clauditur, & adeo arctatur, ut fœtum usque ad statutum tempus cõtineat. & ideo hic erit sensus, mammæ extenuatæ futurã fœtus corruptionẽ significant. Sed si non fiat, immo duræ iterũ mammę reddantur, amplius non abortit. Posset hic intelligendi modus defendi, tamen primum modum, quia cum Galeno est, magis probo: putoque illam fuisse Hippocratis sententiam, ut statim in Galeno uidere licebit, cum prius eandem fuisse Philothei sententiam edocuerimus, qui ad uerbum ita scribit, ὁπόσαι μέλλουσιν ἐκτιτρώσκειν λόγῳ ἐνδείας τροφῆς, αὗται ἰσχνοὺς τοὺς μαζοὺς ἔχουσιν. καὶ ἡ αἰτία προείρηται. εἶτα φησίν. ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γίνωνται, ὀδύνη γίνεται ἐν τοῖς εἰρημένοις. ἐνδείκνυται γὰρ ἀπὸ τῆς μήτρας ἐπὶ τοὺς μαστοὺς ἀχθῆναι πολλὴν καὶ μετοχετευθῆναι ὕλην, ἐξ ἧς καὶ σκληροὺς συνέβη γίνεσθαι τοὺς τιτθούς. εἶτα ὡς πολὺ ἡ ὕλη μετάγεται ἀπὸ τῶν τιτθῶν ἐπὶ τὰ ἕτερα μόρια. εἰ μὲν πρὸς τὰ ἄνω, ποιεῖ ὀδύνας ὀφθαλμῶν. εἰ δὲ ἐν τοῖς μέσοις, ποιεῖ ὀδύνας ἰσχίων. εἰ δὲ κάτω, ποιεῖ γοναλγίαν. λοιπὸν οὖν, οὐ διαφθείρουσιν, τῆς μήτρας τροφῆς τὸ ἀρκοῦν ἐχούσης. idest, Quæcunque indigentiæ nutrimenti ratione abortire debent, istæ mammas tenues habent, & causa prędicta est: deinde inquit, si autem rursus duræ fiant, in prædictis dolor fit. nam demonstratur materiam multam ab utero ad mammas transmitti, atque cõuehi, ex qua & mammas duras fieri contingit. postea materia à mammis ad alias partes ut plurimũ transfertur. & si quidem ad eas quæ superius sunt, oculorum dolores facit: si autem ad eas quæ in medio sunt, coxendicum dolores: & si ad illas quæ inferius, genuum dolores facit. Aliter igitur non corrumpunt, utero nutrimentum quod satis est, habente.

GALENVS

Prius dixerat: Mulieri utero gerenti si mammæ repente extenuentur, abortit. Dixerat autem: Et si altera mamma extenuetur geminos habenti, alterius fœtus abortum secuturũ. Nunc uero ordinẽ cõsecutionis cõmutauit, & non à signis ipsis, sed à mulieribus fœtũ corrũpentibus fecit initiũ, ipsis præcedere inquiens mãmas tenues. Non est aũt omnino idem, uel si dicatur ad mammas tenues sequi corruptionẽ, uel debente fieri corruptione mãmas tenues præcedere. Qui enim ait ad mammarũ extenuationem sequi corruptionem, hic non solum istud ostendit esse signum futuræ corruptionis.

Qui

Qui uero dicit his quę debent corrumpere fœtus mammas extenuari, solum hoc uidetur ostendere, signum præcedere fœtus corruptionē. Quare diligentius inquirendum, & diligentius obseruandum in mulieribus grauidis, si nunquam aliter fœtum corrumpunt, sed semper præcedit mammarum extenuatio, uel saltantibus, uel ualde uociferantibus, uel ira excandescentibus, & nimio repente pauore correptis contingit mammarum non præcedere extenuationem. Contingit autem & quibusdam propter magnitudinem febris, aut factum in utero herysipelas, uel propter muccorem acetabulorum, seu tale aliquid, fœtus corrumpatur absq; mammarum extenuatione. nam uidetur Hippocrates, hanc semper præcedere existimare, & mihi sæpius obseruanti, uisæ sunt in supradictis occasionibus ante corruptionem mammæ fuisse extenuatę. Ne forte igitur quando citra aliquam huiuscemodi causam mammæ extenuantur, defectum sanguinis esse in causa debemus existimare qui in uenis est utero mammisq; communibus. Vnde propter inediam fœtus corrumpitur. In alijs uero causis in quibus interit propter passionem, aut disrumpitur fœtus, cum ipsum membranæ continentes diuelluntur natura os uteri adaperiente, & dolores excitante, ob has ipsas causas sanguinem ad genitales deferri partes. Hæc enim est quædam ratio communis in quibus natura aliquid uiolenter excernit, eò sanguinem ac spiritum tendere, quibus duobus, ueluti instrumentis natura utens, ea quæ infestant per uim expellit. Hac ratione igitur, & dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura excernere atq; expellere causam doloris properante. Vt uero hoc faciat, sanguine ac spiritu locum implente. Hæc itaq; à me dicta sint in primam partem aphorismi: secunda uero quæ sequitur, in qua contrariæ mammarum meminit dispositionis, tale est. Si uero rursus mammæ durę fiant. Quom uero dictio rursus duo significet in huiuscemodi locutionibus, alterum quidem quod antedictæ coniungitur dispositioni, alterum uero quod per alia uerba dici consueuit uice uersa: mihi uerius & magis Hippocratis sententiæ cohærere uidetur secundum significatum, ut quod in totum dicitur aphorismo, sit tale. Mammæ quidem tenues omnino præcedunt fœtuū corruptionem, & non possunt isti corrumpi sine earum extenuatione præcedente. Durę uero corruptionem quidem non significant, sed dolor quidam dictarum partium ad ipsas consequitur, ut sicuti mammæ tenues defectus sanguinis significationem habent, sic duræ multitudinis, differentes ab illis quas prius dixerat solidas, in quibus rursus reponente natura ad quasdam partes materiam inutilem illæ dolent, sed fœtus nullam habet offensionem. Quæstio autem occurrit hoc loco ob quam causam ad corpus uteri natura nunquam materiam reponit inutilem, & non facit inflammationem, uel cur inflammato utero, fœtus non corrumpetur? An quod ab Hippocrate dicitur aliud est, necq; enim quòd nunquam ad mammas duras corruptio fœtuum sequatur, putandum est fuisse ab Hippocrate dictum. Sed quòd non semper, quemadmodum in tenuibus: uerum si ad alterum locum natura reponat superfluitates, quod ex dolore cognoscimus, corruptio non sequitur: & fiet rursus, si ita audierimus, sermo talis, Mulieribus quæ corrupturæ sunt semper mammæ extenuatæ præcedunt, duræ autem ac plenæ non semper. Omnino enim in his ad alteram partem materiam inutilem natura reponit. Si uero ad uteros ipsam expellat, fient & tunc omnino tenues. Nam secundum Hippocratis, ut apparet, sententiam si propter aliud quicquam, & non defectum alimenti aborsus fiat, omnino præcedet mammarum gracilitas, ob causam ante dictam, ita quòd si etiam ob acetabulorum humiditatem conceptus effluet, tunc etiam ipsum natura expellente ad excretionem motio sanguinis erit ad uteros, & hac ratione mammæ fient graciles magis quàm prius erant.

BRASAVOLVS

PRIMO ut Galenus huius aphorismi sententiā introducat, trigesimumseptimum & trigesimumoctauum aphorismos adducit, in quibus scriptum est, abortū fieri si māmæ extenuētur, unde in his aphorismis à signis ad effectum progredi uidetur. At in hoc aphorismo uice uersa, nō quidem à signis ad effectum, sed ab effectu ad signa processit. nam hæc multum differre ostendit, ad mammas tenues corruptio sequitur, & corruptione fieri debente, mammarum attenuationem fieri opus est. nam prima propositio id solum esse corruptionis signum ostendit, secunda autem propositio ostendit corruptionem nun

nem nunquam fieri, quin opus sit mammarum extenuationem præcedere.

Quod legitur, Hic non solum istud ostendit esse signum futuræ corruptionis, in Aldino contextu abest illa particula, non. ita enim legit: ὅτ@ ἐκφαίνεται τοῦτο μόνον σημεῖον τῆς μελλούσης φθορᾶς. idest, hic solum istud ostendit esse signum futuræ corruptionis. In antiquo uero nostro contextu adest particula non, & Leonicenus in alio suo contextu habebat, non etiam. nos magis probamus particulam, non, abesse, quia ita sensus facilis est, & uerus.

Quod etiam legitur, Solum hoc uidetur ostendere signum præcedere fœtus corruptionem, in omnibus grecis codicibus adest particula non, οὐ μόνον, idest non solum hoc uidetur ostendere, signũ præcedere fœtus corruptionem, hoc uidelicet modo intelligentes, quod nunquam fœtus corrumpatur, quin mammarum extenuatio præcesserit.

SECVNDO Galenus diligenter inquirendum iudicat, an in his quæ utero gerunt, si fœtus corrumpere debeant, semper opus sit mammarũ extenuationẽ præcessisse: & multos abortus modos enumerat, in quibus dubiũ uidetur an mãmarũ extenuatio præcesserit. modi aũt sunt, sicuti saltatio, uociferatio, ira, pauor, febris, uteri erysipelas, acetabulorũ mucor, & eiusmodi alia, quę absq; mãmarũ extenuatione fœtũ corrũpere uidentur. Tamẽ Galenus existimare uidetur, mammarũ extenuationẽ semper præcedere debere, & Galenus hoc frequenter experientia uidit. At idem Galenus respondet, quando mammæ sine aliqua ex prædictis causis extenuantur, sanguinis defectũ in uenis communibus utero & mãmis significari, ideo fœtus propter inediã corrumpi. In aliјs uero causis abortus necesse est passionem aliquã fieri & dolorem, cum membranæ continentes diuelluntur. est aũt cõmunis quædam ratio, ubi est dolor, & cum natura aliqua uiolenter expellit, sanguinem & spiritũ illuc tendere, quibus duobus ueluti instrumentis ipsa natura utitur. & hæc est causa cur in dolentibus partibus inflãmationes fiant, quia natura causam facientem dolorem expellere uolens, hoc facere non potest nisi cũ his instrumentis sanguis & spiritus: & ideo ad partem illam oblesam spiritum & sanguinem transmittit, qui deinde inflammationes inducunt

Vbi legitur, Quare diligentius inquirendum, & diligentius obseruandum in mulieribus grauidis, deest hæc particula, in his quæ apparent, postea sequatur in mulieribus grauidis. nam græce legitur διὸ σκεπτέον οὖν ἀκριβέστερον δεῖ καὶ παραφυλακτέον τῶν αὐτῶν φαινομένων ἐπὶ τῶν κυουσῶν. idest, Quare diligentius inquirendum, & obseruandum in his quæ apparent in mulieribus utero gerentibus.

Vbi etiam legitur, Et nimio repente pauore correptis contingit mammarũ non præcedere extenuationem, deest particula, aliquando quidem. græce enim habetur ἢ φοβηθεῖσαν ἐξαίφνης ἰσχυρῶς, ἐγχωρεῖ ποτὲ μὲν μὴ προηγήσασθαι τὴν ἰσχνότητα τῶν τιτθῶν. idest, uel nimio repente pauore correptis contingit aliquando quidem mammarum non pręcedere extenuationem.

Quod etiam legitur, seu tale aliquid, fœtus corrumpatur absq; mammarum extenuatione, legi debet, fœtum corrumpi in infinitiuo. græce enim habetur, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον ἀκολουθῆσαι φθορὰν ἄνευ τῆς τῶν τιτθῶν ἰσχνότητ@. idest, uel aliud tale, sequi corruptionem, sine mammarum extenuatione.

Quod etiam legitur, Nec forte igitur, græce est μὴ ποτε οὖν, idest non quid igitur. antiquus noster contextus legit μὴ τὸ οὖν, sed quicquid sit, sensus esse debet, quod ostendat, quando mammæ ob defectum extenuantur, corrumpi quidem fœtum, sed etiam extenuari, quando ob alias causas corrumpuntur.

TERTIO Galenus ad secundam aphorismi partem sermonem uertit, in qua primo legi debet, talis, & non tale, quamuis in græco legatur τοιοῦτον, sed hoc ideo est, quia in græco refert hanc dictionem μόρι@, quæ est generis neutri, in latino autem refert hanc dictionem partem, ideo legi debet talis, & non tale. Ad rem igitur redeuntes, Galenus dicit hanc particulam πάλιν (quam Leonicenus rursus, Theodorus denuo, nos, è contrario, interpretati sumus) duo significare in his loquendi modis. unus est quod præcedenti dispositioni coniungatur, ut sensus sit πάλιν, idest iterum mammæ tenues durescant. alius est ut idem significet quod ἔμπαλιν, idest (secundum Leonicenum) uice uersa (secundum nos) è contrario: Galenusq; hoc secundum significatũ collaudat, suadetq;

ut hoc in aphorismo recipiatur, unde totam aphorismi sententiam talem facit, Mammę tenues fœtuum corruptionem omnino præcedunt, & fœtus corrumpi non possunt, nisi mammarum extenuatio præcesserit. Duræ autem mammæ non quidem quæ post tenues sequantur, sed duræ non considerantes, an tenues præcesserint, uerum naturales solum præcesserint, corruptionem non significant, At sequitur ad ipsas dictarum partium ab Hippocrate dolor, ut sicut mammæ tenues sanguinis defectum significant, ita duræ sanguinis multitudinem præ se ferant.

QVARTO Galenus differentiam ponit inter duras mammas, & solidas. nempe solidæ, quarum in præcedenti aphorismo mentionem fecerat, naturales sunt & bonæ, sed duræ præter naturam sunt & malæ: etenim natura ad mammas, aut aliam partem inutilem materiam transmittens, mammæ dolent, uel illæ partes, ad quas materia transmissa est.

Vbi legitur, differentes ab illis quas prius dixerat solidas, desunt duo uerba. unum est, uidelicet, aliud, paulo. ita enim legi oportet. differentes uidelicet ab illis, quas paulo prius dixerat solidas. græce enim ita habetur διαφέροντα δηλονότι τῶν ὀλίγον ἔμπροσθεν εἰρημένων τῶν στερεῶν

QVINTO Galenus in Hippocratē dubitat, quare natura prædictam materiam ad uteri corpus non reponit: & quare in utero inflammationem non faciat. Immo & si in utero inflammatio fieret, quare fœtus non corrumpitur? Galenus respondet, hanc non esse Hippocratis sententiam, quod ad prę duras mammas fœtuum corruptio nunquam sequatur: sed intelligit, quod non semper, sicuti in tenuibus semper consequitur. tamen si natura ad alium locum superfluitates transmittat (hoc autem factum esse ex dolore loci cognoscitur) corruptio non sequitur.

SEXTO ex his quæ prędicta sunt, docet, si ita intelligamus, hunc forte esse Hippocratis sensum, quibus imminet fœtus corruptio, mammas prius extenuatas semper habent. mammæ uero duræ non semper fœtum corrupturum significant, quoniam in his natura inutilem materiam ad alteram partem transmittit, quam si ad uteros expelleret, tunc tenues omnino fierent, quia secundum Hippocratis sententiam, si abortus fiat, & non ob alimenti defectum, sed ob aliam quancunque causam, mammarum gracilitas necessario pręcedet: immo & in hoc casu, in quo minus uideretur, etiam mammarū gracilitas præcedit, quando ob acetabulorum humiditatem conceptus effluit, quia sanguinis & spiritus motio ad uterum uergit, ut ea excernant quę obsunt, & ita mammę graciliores fiunt quàm prius essent.

APHORISMVS LIIII

QVibus os uteri durum est, his uteri os comprimi est necessarium

BRASAVOLVS

MVLIEREM concepisse ex oris uteri compressione deprehenditur, quando ea compressio mollis fuerit & naturalis, idest ob aliquam causam præter naturam non facta. Nempe & à causis præter naturam os uteri comprimitur, ut à tumore pręter naturam. quę enim uteri os durum habent necessarium est & compressum esse, & clausum, ratione duritiei, quæ ori uteri circumponitur, & quæ os ipsum circum claudit, ideo nō solum ex conceptu claudetur, sed alijs etiam de causis. Ideo ne tu decipiaris, quando os uteri compressum inuenies, considera, an molle sit, & secundum suam naturam tenellum: quod si inueneris, utero gerit. Si uero pręter naturā durum inueneris, in eo abscessum esse iudicato. Tamen Oribasius hic dicit, quanto durius est uteri os, tanto magis claudi, & similiter prodesse. Non possumus induci ut credamus, Oribasium intellexisse id bonum esse, sed solum prodesse ne fiat abortus.

Ἧσι τὸ στόμα τῶν ὑστερέων σκληρόν ἐστι. idest, Quibus os uteri durum est.] Os inquam intrinsecum, non os colli uteri extrinsecum, quando durum est, in ea parte est tumor præter

præter naturam, qui os ipsum comprimit, atq; claudit, & quanto tumor est maior, & magis prædurus, tanto uteri os magis clauditur: tamen posset & claudi ob siccitatem corrugantem.

Ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ σόμα τῶν ὑσερέων συμμύειν. idest, Iis uteri os comprimi est necessarium.] Hoc enim facit tumor, qui supra uteri os comprimit. Ex hoc autem aphorismo id frugis habemus, quod inter uteri occlusionem ex conceptione factam, & eam quæ ab ægritudine præter naturam ortum, habet, distinguere perdiscimus. Philotheus hunc aphorismum ita interpretatur, σκληρὸν γίνεται τὸ σόμα τῶν ὑσερῶν, διὰ φλεγμονὴν ἢ σκίῤῥον. ἐσι δὲ ὅτε καὶ διὰ ψύξιν καὶ ξηρότητα, ἅπερ ἀνάγκη σύμμυσιν ἤγουν σφῶσιν καὶ κλεῖσιν τοῦ σομίου ἀπεργάζονται. διαφορὰ δὲ ἡ μύσις αὕτη, τῆς ἐκ συλλήψεως γεγονυίας μύσεως, ὅτι ἐκείνη μαλακή ἐσιν, αὕτη δὲ σκληρά. τὸ μαλακὸν δὲ καὶ σκληρὸν, τῇ ἁφῇ τῆς μαίας διαγινώσκειν. idest, uterorũ os durum fit, ob inflammationem, uel tumorem prædurum. contingit autem quandoq; & ob frigiditatem, & siccitatem, quæ necessario compressionem, idest coertionem & occlusionem oris facit. differt autem præclusio ipsa ista, à præclusione quæ ex conceptione fit, quoniam ista mollis est, illa autem dura, molle uero & durum obstetricis tactu discernuntur.

GALENVS

DICTVM est & antea quòd os uteri comprimi commune est signum, & tumoris alicuius in eo præter naturam existentis, & conceptionis in muliere, & quòd oporteet id ex duritie distinguere. Grauidis enim molle est, & secundum naturam. In quibus autem est tumor preter naturam, siue inflammationi similis, siue duriciei, durum. Melius itaq; fuerat hunc aphorismum post illum scribere in quo dicebatur. Quæcunq; utero gerunt his os uteri compressum est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus refert, superius dictum esse, os uteri in conceptione comprimi, & etiam in tumore præter naturã, At una compressio ab alia, duritie distinguitur. Etenim utero gerentiũ compressio cum uteri mollitie est, & absq; mutatione à suo naturali esse: sed compressio quę tumorem præter naturam consequitur, siue sit similis inflammationi, siue duritiei, est cum duritie oris uteri.

Quod legitur, Quod os uteri comprimi, legendum est, quod hoc, quod est os uteri comprimi. nam græce habetur ὡς τὸ συμμύειν τὸ σόμα τῶν ὑσερῶν os uteri conniuere.

SECVNDO Galenus docet huic aphorismo immutandum esse locum, & post illum, scribendum esse, qui dicebat, quęcunq; utero gerunt, ijs os uteri compressum est, qui erat quinquagesimus primus in ordine.

APHORISMVS LV

QVæcunq; utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur.

BRASAVOLVS

VTERO gerentem mulierem medicamento purgante euacuare non licet, nisi materia turgeat. Si igitur contigerit talem mulierem febre corripi, quæ intensa sit. nempe dictum est aphorismo trigesimoquarto libri quarti cum ab Hippocrate dicitur, febre corripi, uel à febre habito, intelligere oportere acutam & intensam febrem, unde & Oribasius acutam febrem dicit, & illa aphorismi uerba hoc ostendunt, quæ dicunt, & fortiter calefaciunt (si ita in Aphorismo scriptum sit.) nam sola acuta febris hanc caliditatem intensam & fortem facit, & hoc absq; occasione fit, quæ sensu percipiatur, & à Philotheo idem per eandem causam fere probatur, dicente, πυρετὸν ἐνταῦθα ὑποτίθεται συνεχῆ. καὶ δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν, λαμβάνονται. ἀντὶ τοῦ κατακρατοῦνται, καὶ ἰσχυρῶς θερμαίνονται. idest, febrem hic supponit continuã. & manifestum ex eo quod dicit, corripiuntur, pro eo quod est exuperantur, & uehementer calefiunt. Si hæ mulieres quæ ita affectę

sunt, fœtum usque in finem perducat, difficulter, & cũ periculo pariunt, quia & fœtus, & mater ob febrem debiliores effecti sunt. Si uero fœtus usque in finem duci non possit, sed prius corrumpatur, abortus fit, & tam mater, quàm infans periclitantur, uel unum saltem ipsorum. Sed ut Oribasius inquit, uno patiente, alius simul patitur. totum enim corpus patietur ob febrem, patietur & matrix, quæ ex se causam non habet. ea autem patiente, cum periculo aut pariunt, aut abortiunt.

ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται. idest, Quæcunque in utero habentes à febribus corripiuntur.] Intellige à febre acuta & intensa. quia lenta & facilis febris necessario periculum non facit. dicit uero in plurali ὑπὸ πυρετῶν, idest à febribus, quia non est opus ad unam solam febris speciem nos determinare, sed de omni genere intelligere oportet, modo febris intensa sit.

Καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται. idest, Et fortiter extenuantur.] Leonicenus legit & fortiter calefiunt, quoniam in suo cõtextu habebat θερμαίνονται, sicuti & in nostro antiquo contextu prius: sed ea dictio à docto quodam uiro obelo confossa est, & eius loco præscripsit ἰσχναίνονται, cui lectioni magis assentior. nam & Theodorus in suo cõtextu habuit, ἰσχναίνονται, idest extenuantur, tamen utraque lectio uera est, & proposito accommodari potest, sed mulier extenuata, maiora pericula incidit, quàm quæ supercalefacta est, & ideo id me mouit, ut potius legendum putauerim extenuantur, quàm calefiunt. tamen & Philotheus legit θερμαίνονται. idest, calefiunt.

Ἄτερ προφάσιος φανερῆς. idest, Sine occasione manifesta.] Si præcedentem aphorismi partem ita legamus, utero gerentes quæ à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, idest quę acutas febres habent: hæc pars, sine occasione manifesta, id totum determinare poterit: & intelligetur, quod febris nullam causam sensualem habeat, & ex his quæ primitiuæ & extrinsece à recẽtibus dicuntur, ab antiquioribus procatarcticæ, sed facta sit ex humoribus intrinsecis de se immanifestis, tamen ex febris genere manifestantur. nam si febris non superuenisset, non cognosceretur an tales humores in hoc corpore fuissent. Si uero ita legamus Gerentes utero, quæ febres incidũt, & fortiter extenuantur, hæc particula, sine occasione manifesta, tam febrem, quàm extenuationem determinare posset. Nobis potius dicendum uidetur, quod determinet illam particulam febribus: quia si extenuantur, sensatam extenuationis occasionem habent, nempe febrem, sed ipsa febris causam sensu manifestam non habet. In febribus ergo, quæ à re manifesta fiunt, Aphorismum uerum esse non est necessarium. Philotheus interpretari uidetur, sine occasione manifesta, τουτέστι ἐξ ἀνάγκης. idest, hoc est ex necessitate. tamẽ hæc particula, ex necessitate, totum aphorismum determinare posset, ut sensus esset, aut mori, aut abortire necessarium esse. nam sequitur, πρῶτον μὲν ὅτι αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν ὁ πυρετὸς ἐπικίνδυνός ἐστιν. ἔτι δὲ πλέον, ἐν προκεκμηκότι σώματι. λοιπὸν καὶ διὰ τὸ ἔμβρυον. εἰ τρέφει τις, καὶ ἐπαυξήσει τὸν πυρετόν. εἰ οὐ τρέφει. καὶ ἔστι χαλεπώτερον. ἔκτρωσις γὰρ γίνεται ἐνδείᾳ τροφῆς. idest, primum quidem, quoniam ipsa febris per seipsam periculosa est, idque magis in corpore prius laborante seu afflicto. deinceps & ob fœtum: si nutriet aliquis, scilicet prægnantem, & febrem augebit: si non nutriet, & hoc est periculosius. etenim nutrimenti indigentia abortus fiet.

Τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως. idest, Difficulter pariũt & cum periculo.] Pariendi uero difficultas, quando ad tempus debitum peruenerit, est ob ipsius mulieris imbecillitatem, & etiam infantis. uterque enim ipsorum ob febrem imbecillus effectus est: propterea periculum est, tum ex parte fœtus, tum ex parte matris. ob imbecillitatem uero bene expellere non poterit, nec fœtus bene moueri ad exitum. Ideo praua symptomata consequentur: propterea hic partus non solum fœtui, sed & matri periculosus erit. Philotheus exponit difficulter parere & cum periculo, τουτέστι μετὰ συμπτώματος. ὅτι ἠσθένησε ἡ ἀποκριτικὴ δύναμις, τῇ νόσῳ. καὶ οὐ δύναται ἀπώσασθαι τὸ ἔμβρυον, ἢ ὅτι πυρετὸς ἐξανάλωσε, καὶ ἐξεδαπάνησε τὰ ὑγρά. ἃ ὄλισθον, καὶ εὐκαιρίαν ἐν τῇ ἀποτέξει τοῦ ἐμβρύου δίδωσιν. idest, hoc est cum symptomate, quoniam excretiua potentia morbo imbecillis facta, fœtum expellere non potest, uel quoniam febris exhauserit & consumpserit humiditates, quæ lubricitatem & opportunitatem in portu fœtui prestant.

Ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσι. idest, Aut abortum facientes periclitantur.] Hoc contingit, quan

git, quando ad integros partus dies peruenire non possunt. nam & in ipso abortu peri-clitantur. Sunt uero multa alia indicia difficultatis partus, de quibus Paulus, Aetius, & Trallianus pertractarunt, sed Hippocrati in hoc loco satis fuit, unam hanc causam prædicere, quæ est ob imbecillitatem ex intensione febris in nobis inductam.

GALENVS

ACCIDIT quibusbusdam grauidis in quibus uitiosi humores priusquam conceperint sunt aceruati, nonnunquam à febribus uehementibus corripi, ita quòd ex necessitate abortiunt, nonnunquam uero mediocribus. Sed cum non purgentur sufficienter, aliquid superest reliquiarũ humorum in corpore uitiosorum, ex quibus febres sunt institutæ, utpote non potentibus medicis mulieri grauidæ aliquod forte auxilium adhibere, neq; exquisita uictus ratione in ipsis uti. Ob hanc igitur causam febris in ipsis frequenter reuertitur, & magna temporis parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur fœtus aliquando nequit obsistere. Sed ex febre, & uitio humorũ corrumpitur, nonnunquam uero perdurat quidem usq; ad tempus partus, sed cum & ipse ualitudinarius sit, ut qui longo tempore laborauerit, & cum matrem habeat imbecillem, non sine periculo paritur. Nam ad bonum partum, duorum corporum uigore est opus, & grauidæ mulieris & infantis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Mulieribus utero gerentibus, quæ prauis humoribus plenæ erant, antequam conciperent, quandoq; id contingere, quod si humores corrumpantur, & intensas febres incidant, inde necessario abortiunt: quandoq; uero mediocres febres contingunt, tamen quia non purgantur, quoniam medici conuenientia medicamenta exhibere non audent, neque illas in tenui uictus ratione seruare possunt, ob hæc in ipsis & febris reuertitur, & pro magna tẽporis parte moleste se habent. Quod legitur, ex quibus febres sunt institutæ, lege ex quibus febres sunt constitutæ. nam græce habetur ἐφ᾽ ἃ συνέστησαν.

SECVNDO Galenus prosequitur, non sine ratione fœtum non posse in utero manere, sed corrumpitur, tum ex febre, tum ex uitiosis humoribus, & ita mater abortit, tamen quandoq; ad statutum partus tempus pertingit. at quia ualetudinarius est, nam longo tempore laborauit, & matrem imbecillam habet, ideo non sine periculo paritur: nempe ad bonum partum necesse est, & fœtum uiuidum esse atq; robustum, & etiam matrem.

APHORISMVS LVI

IN fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum.

BRASAVOLVS

MVLIERI naturale est singulis mensibus, postquam puberes effectæ sunt (nisi utero gerant) mensium defluxum habere, quoad annum quadragesimumquintum, uel illi propinquum secundum earum temperaturam attigerint. Si uero ipsis mensium profluuium contingat, & adeo plene ut magna eorum copia & continuo egrediatur, ad quam aut conuulsio aut animi defectus consequatur, tu ex horum altero malum iudicato, & tanto peius si ipsa simul iuncta sint. nam hæc ex nimia inanitione fiunt, est uero ex inanitione conuulsio lethalis, & ex inanitione defectus animi lethalis, propterea ab Hippocrate mala dicuntur.

ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ. idest, In fluxu muliebri.] Tu per excellentiam superfluum menstruum tam alborum quàm rubrorum defluxum intellige, uel etiam seminis. nempe & mulieres Gonorrhœam patiuntur, & multi decipiuntur, mẽstrua alba esse putantes cũ tamen non sint. nam est eius semen, quod his indicijs cognoscitur, tum quia semen aquosius est, quàm album menstruum, tum quia semen cum aliqua, quamuis parua delectatione exit. Philotheus eodem modo muliebre profluuium intelligit, inquiens,

ῥοῦς γυναικός ἐστιν, ἄμετρος κένωσις καταμηνίων, ὀῤῥωδεστέρα, καὶ ὑδατωδεστέρα. ἐφ᾽ ὧν συμβαίνει πολλάκις λειποθυμίαν καὶ σπασμὸν ἕπεσθαι διὰ τὸ συνεκκενοῦσθαι καὶ τὰ χρηστὰ τοῖς ἀχρήστοις, καὶ διαφορεῖσθαι τὸ ζωτικὸν πνεῦμα, ἃ κακά εἰσιν διὰ τὸ ἀναγγέλλειν, τὸ μὲν, κακῶς διακεῖσθαι τὸν ἐγκέφαλον, τὴν δὲ καρδίαν τοῖς τῶν καταμηνίων, idest, Muliebris defluxus est immoderata euacuatio mensiũ, serosior & aquosior, ex quibus mensibus sæpe animi defectum, & cõuulsionẽ fieri contingit. nam bona prauis simul euacuãtur, & animalis spiritus discutitur, quę mala sunt, ob id quod prænuntiant, hoc quidẽ scilicet cõuulsio, cerebrũ male dispositum esse, id autem, scilicet animi defectum, cor mẽstruis. In hac parte aliquid deest, ut ostendit particula τοῖς, quæ nihil habet ad quod referri possit.

Σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγίνηται, κακόν, idest, Si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malum] Copulatiue legit, tamen quicquid ipsorum superuenerit, etiam si iuncta non sint malum est: tanto uero peius si utrunq; adsit. de conuulsione uero alias plura à nobis dicta sunt, hic ex inanitione factam intellige, & de animi defectu alias etiam plura locuti sumus: nunc animi defectum intellige ex imbecillitate ob nimiam euacuationem factum.

GALENVS.

NON statim fluxu constituto hæc fiunt, sicuti & aliorũ nihil quæcunq; in sequenti sermone quibusdã alijs ait aduenire, sed cum uel ualidiora fuerint, uel diu perdurauerint. Defectus quidem animi communis omnis immodicæ euacuationis est casus: Conuulsio uero & si non communis existat, ad plures tamen ex ipsis consequitur, & magis si pars quæ patitur neruosa fuerit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, facto menstruorum fluxu statim conuulsionem non sequi uel animi defectum, sed solum fiunt si ualidiora sint, aut diu perdurauerint.

Vbi legitur, Nõ statim fluxu cõstituto, deest hęc particula Videlicet, ita enim græce dicitur. οὐκ εὐθέως δηλονότι γεγονότος. tamen antiquus noster contextus loco illius particulæ γεγονότος hanc habet συστάντος.

SECVNDO Galenus docet animi defectũ esse cõe symptoma uniuscuiusq; superfluę euacuationis, sed cõuulsio nõ est symptoma cõe, tamen sequitur ad plures euacuationes, & præsertim quando pars quæ patitur neruosa est. In aliquibus contextibus habetur ἢν τὸ πεπονθὸς μόριον ᾖ νευρῶδες: in alijs habetur ὅτι ἢν τὸ πεπονθὸς μόριον ᾖ νευρῶδες, quicquid dicatur quo ad sensum nihil refert.

APHORISMVS LVII

SI menstrua plura fiant, accidũt morbi: & si non fiãt, ex utero morbi cõtingunt.

BRASAVOLVS

OMNE nimium est naturæ inimicũ, & ipsam peruertit, unde & prouerbio antiquitus receptum est. Nequid nimis, nimis uero tam in defectu, quàm in excessu reperitur. propterea si mulier plura habeat menstrua, quàm habere debeat, morbi accidũt, qui ex mensium multitudine fiunt. Si alicui etiam mulieri nimis suppressi sint menses, in hac etiam morbi fiunt, sed ex utero, nam in ipsarum utero materiæ continentur, quæ tumores præter naturam, & alia multa in ipso utero inducere possunt. nam, ut Philotheus dicit, πᾶσα γὰρ ἀμετρία, αἰτία νοσημάτων καθίσταται, idest, Omnis enim immoderantia, morborum causa constituitur.

Καταμηνίων γινομένων πλειόνων. idest, Si menstrua plura fiunt.] quàm fieri deberent, secundum mulieris naturam, cui menstrua profluunt.

Νοῦσοι συμβαίνουσι. idest, Morbi contingunt.] quia mulieris corpus ex superfluis mensibus imbecille efficitur, hic opus est quod uarios incidat morbos, de quibus Paulus Aegineta libro tertio capite sexagesimosecundo disserit.

Καὶ μὴ γινομένων. idest, Et si non fiant.] non solum non plura, sed nihil fluat, tamen in ætate conuenienti sit, in qua fluere deberent.

ἀπὸ τῆς

ἀπὸ τῆς ὑστέρας νοῦσοι συμβαίνουσιν. idest, ex utero morbi contingunt.] Ex utero inquam, quia materia in utero colligitur, non tamen ex utero, quia semper in solo utero sint, sed quandoque ad alias corporis partes hæc materia trãsmittitur, & totum corpus per compasſionẽ pati poteſt, ideo morbi ex utero ſunt. & in prima aphoriſmi parte non erat opus dicere, ex utero, nã in alijs corporis partibus morbi ſunt, quando menſes ſunt ſuperflui, & hoc, ut plurimum intelligentes. Paulus Aegineta libro tertio capite ſexageſimotertio de his agit. De hac autem rẽ Philotheus hoc dubium facit inquiens, ἀλλὰ ἀπορέουσι τινὲς ἐνταῦθα λέγοντες, διά τι ἐπὶ μὲν τοῦ πρώτου τυχὸν ἐπὶ τῇ ἀμέτρῳ κενώσει, ἀδιορίστως ἔφησεν ὅτι νοῦσοι συμβαίνουσιν, ἐπὶ δὲ τῆς ἐπισχέσεως τῶν καταμηνίων, διωρίσατο, καὶ ἔφη τὸ πεπονθότα τόπον; ὅτι ἐκεῖ μὲν εἰ καὶ γίνωνται νοσήματα, οὐκ ἀπὸ τῆς ὑστέρας γίνονται, αὕτη γὰρ καθαρὰ μεμένηκεν, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ ὅλου σώματος ἀσθενείας ἐπακολουθησάσης. ἐπὶ δὲ τῆς ἐπισχέσεως τῶν καταμηνίων σήψεως γινομένης, τὴν ἀρχὴν τὰ νοσήματα ἀπὸ τῆς σήψεως ὑστέρας ἴσχουσιν. idest, Sed quidam dubitant hic dicentes, propter quid primo immoderata euacuatione contingens indefinite dixit, quod morbi accidunt, in menſium uero retentione uel ſuppreſſione determinauit, & patientem locum dixit. quoniam illic quidem & ſi morbi fiant, non tamen ab utero fiunt, ipſe enim purus manſit, ſed à toto corpore, debilitate conſequente. In menſium uero repreſsione, corruptione à principio facta, morbi à corruptione, ab utero inualeſcunt. Hæc Philotheus.

GALENVS

QVIBVSDAM medicis uiſum eſt ex multitudine quidem plurimos fieri morbos, ex defectu autem nullum. Verum Hippocrates interpretatur etiam ob defectum fieri aliquando morbos, non ſolum mulieribus, ſed etiam uiris. Si quidem ad defectus conſequitur aliquando ſiccitas, aliquando frigiditas, aliquando utrunque. Oſtenſum autem eſt quod intemperaturæ, quęcunque tantam habent magnitudinem, ut poſſint iam lædere operationem, ſunt ex morborum genere. Verum ſecundum hoc, neque falſum, neque obſcurum eſt ab Hippocrate dictũ. Quatenus autem in pluribus quidem menſtruis, ſimpliciter dixit fieri morbos, neque ex utero adiecit, In defectu autem eorum iſtud adiunxit: dignum eſt inquiſitione, nunquid in utriſque affectibus dictis communiter ex utero ſubintulerit, uel hoc proprium eſt defectus mẽſtruorum. Hoc autem ſcire exquiſite, eſt impoſſibile, niſi omnes nouerimus cauſas, ob quas uel plura, quàm opus ſit, uel pauciora ueniant menſtrua. Poſsibile eſt igitur ſi ora uaſorũ quæ pertingunt ad uterum ultra modum aperiãtur, & ſi ſanguis, uel calidior, uel tenuior fiat, & totum corpus propter malum habitum aliquem aggrauetur ſanguine, & ſi modum naturæ cõuenientem ſua multitudine non exceſſerit, quare ipſum expellit ad uenas quæ in utero ſunt, ut in fluctionibus accidit. Poſsibile eſt inquam alias ad aliam partẽ immodicas fieri menſtruorum euacuationes. Eadem uero menſtrua poſſunt fieri pauciora, uel quia uenæ ferentes ad uterum menſtruam purgationem comprimuntur, uel obſtruuntur, adeo ut quod influit non admittant. Quodcunque autem horum fuerit, neceſſe eſt proceſſu temporis & ipſum uterum pati, aut ſimilem inflammationi diſpoſitionem, aut Eryſipelati, aut duro tumori, aut Cancro, quibus denuo totum compatitur corpus. In immodicis uero euacuationibus nulla talis accidit uteris paſsio, adeo ut per compatiendi rationem totum corpus una laboret, quare fit ueriſimilius in ſola retentione menſtruorum dixiſſe Hippocratem morbos contingere ex utero.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus quorundam medicorum ſentẽtiam refert, qui ſimpliciter ex multitudine multos quidem fieri morbos putabãt, ſed ex paucitate & indigentia ac defectu nullos. & hos medicos reprehendit Galenus, quia Hippocrates putat morbos quandoque fieri ex defectu, & hoc etiam in uiris, quoniam ad defectum quandoque frigiditas ſequitur, quandoque ſiccitas, quandoque utrunque. Hæc uero ſunt intemperies, quæ cum adeo auctæ ſunt, ut operationem lædant, morbi ſunt, propterea hic ab Hippocrate nihil falſum uel obſcurum dicitur.

Quod legitur, ex defectu autem nullum, græce habetur διὰ ἔνδειαν δὲ μηδέν. idest, ex

fectu, uel indigentia nullum. tamen uocabulum ἔνδεια, non apte opponi uidetur uocabulo πλῆθος, nisi multitudinis defectum intellexerimus.

Quod etiam legitur, uere secundum hoc neq; falsum neq; obscurũ est ab Hippocrate dictum, Græce habetur, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοῦτο μὲν ὅτι ψεῦδος πρὸς ἱπποκράτους ὅτι ἀσαφὲς εἴρηται, idest, sed & secundum hoc, neq; falsum, neq; obscurum est, quod ab Hippocrate dictum est.

SECVNDO Galenus dubitat, quare in mensium multitudine dixit fieri morbos absolute, & non adiecit hanc particulam ex utero. In mensium uero defectu fieri morbos dicit, & addit, ex utero. nunquid igitur hæc particula utrisq; partibus deseruit, uel solum mensium defectui iungenda est?

Quod legitur, uel hoc proprium est defectus menstruorum, lege uel hoc solum proprium est, quoniam græce habetur ἢ μόνον ἴδιόν ἐστι.

TERTIO Galenus respondet, hanc dubitationem recte solui non posse, nisi omnes causas, & defectus, & superfluitatis menstruorum percurramus, hæ uero sunt apud Galenum superfluorum mensium causæ, quas nunc in ordinem reddemus. Si ora uasorum quæ ad uterum pertingunt, ultra modum aperiantur. Si sanguis calidior fiat. Si sanguis tenuior fiat. Si totum corpus ob aliquem malum habitum, & malam qualitatem sanguine aggrauetur. Si malum habitum non habeat, nec malam qualitatem, sed sua multitudine solum peccet, ideo ad uteri uenas expellitur, ut in his defluxibus fieri solet, qui à parte ad partem fiunt. Hæc uerba secundũ Leoniceni interpretationẽ oppositum sensum facere uidentur. nam ipse dicit, & si modum naturæ conuenientem sua multitudine nõ excesserit. Nos uero exposuimus ac si dixerit, quod modum naturæ sua multitudine excesserit, ut hanc unam superfluorum mensium causam faciamus, sanguinis multitudo qui ad uteri uenas transmittatur. Græcus etiam contextus ita legit, κἂν μηδέπω τὴν κατὰ φύσιν ὑπερβαίνει συμμετρίαν. Causæ uero mensium defectus hæ sunt hic inferius enumeratæ. Si uenæ quæ menses ad uterum ferunt, comprimantur. Si eædem uenæ obstruantur. Si sanguis sit crassus. Si sanguis sit frigidus. Si uteri uasa robusta sint, ut sanguinem recipiant, & non admittant. De retentione, & nimio mensium fluxu Paulus præadductis locis multa dicit & alias ab his causas refert

Quod legitur, Vt in fluxionibus accidit, possibile est inquam, aliàs ad aliam partem immodicas fieri menstruorum euacuationes, illa particula possibile est inquam, superflua est, nec in græco codice adest. Ita enim in ipso habetur, ὥσπερ ἐν ταῖς ῥευματικαῖς διαθέσεσιν ἄλλοτ᾽ εἰς ἄλλο μόριον ἄμετρον κένωσιν γίνεσθαι καταμηνίων, idest, sicuti in fluxionibus accidit aliàs ad aliam partem immodicam fieri menstruorum euacuationem. Ita habet in singulari Aldinus contextus, sed noster antiquus duas habet lectiones, unam in singulari, alteram in plurali ἀμέτρους κενώσεις, idest, immodicas euacuationes. Magis probo ut in singulari legatur, quoniam una superfluorum mensium causa.

Quod legitur, Vel obstruuntur adeo ut quod influit non admittant. hic desunt duo uersus, Ita enim legi debet, uel obstruuntur, & ob crassitiem, uel frigiditatem sanguinis, & robur ipsorum quæ in utero uasorum, adeo ut quod influit, non admittant. græce enim ita habetur, ἢ ἔμφραξιν τῶν τὴν ἔμμηνον κάθαρσιν ἐπὶ τὴν μήτραν φερουσῶν φλεβῶν διὰ πάχος αἵματος, ἢ διὰ ψυχρότητα, καὶ ῥώμην αὐτῶν τῶν κατὰ τὴν μήτραν ἀγγείων ὡς μὴ παραδέχεσθαι τὸ ἐπιῤῥέον. idest, uel quia uenæ ferentes ad uterum menstruam purgationem comprimuntur, uel obstruuntur propter sanguinis crassitiem, uel propter frigiditatem, & robur ipsorum quæ in utero uasorum, adeo ut quod influit non admittant. Ita habet Aldinus cõtextus. Antiquus uero noster legit, καὶ ἢ διὰ πάχος αἵματος. idest, & uel ob sanguinis crassitudinem, ut alia sit paucorum mensium distincta causa.

Deniq; Galenus prędictum dubium soluit, sit quęcunq; retentionis mensium causa, ex prædictis necessarium est, temporis processu uterum pati, uel dispositionem similem inflammationi, uel similem erysipelati, uel tumori duro similem, uel similẽ cancro, propter quæ deinde totum corpus patitur. propterea conueniens fuit, in sola mensium retentione Hippocratem dixisse ex utero morbos contingere, quia per compassionem totum corpus afficitur. In superfluis autem mensibus ex utero non fiunt.

Vbi legitur,

Vbi legitur, & ipsum uterum pati, adde aliquam passionem, nam græce habetur καὶ τὴν μήτραν αὐτῆς πάσχειν τί πάθος.

APHORISMVS LVIII

RECto intestino, aut utero inflammationem patiēte, urinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ aduenit stillicidium: hepati autem inflammationem patienti singultus aduenit.

BRASAVOLVS

HAEC tria nostri corporis membra, intestinum rectum, uteri collum, & uesicæ collum, adeo uicina sunt & simul complicata, ut uno patiente, aliud facile patiatur. propterea si in recto intestino, aut in utero inflammatio fuerit, quia supra uesicam comprimūt, necesse est quodammodo restringātur, unde & urinæ stillicidium contingit, nempe parum & frequenter emittitur. Si etiam renes purulenti sint, urinę stillicidium necessario consequitur, nam pus ad uesicam trāsit, & illam adeo stimulat atq; angit, ut urinam colligi non sinat, sed paulatim meiatur.

ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι, idest Recto intestino inflammationem patienti.] ἀρχὸς principem significat, ita uero intestinum rectum nuncupatur, quia est intestinorum principiū, imo & ratione suæ substantiæ princeps: unde & à Philotheo ita dicitur, ἀρχὸν τὸ ἀπευθυσμένον καλεῖ. καὶ ἀπευθυσμένον μὲν λέγεται διὰ τὸ ἐπ' εὐθείας κεῖσθαι, τῶν ἄλλων ἐντέρων ἑλικοειδῶς κειμένων, ἀρχὸς δὲ διὰ τὸ δοκεῖν ἄρχεσθαι τῶν ἐντέρων, idest, intestinum rectum archon uocat, & rectum quidem dicitur intestinum, quoniam ad rectam lineam extenditur cæteris inuolutim iacentibus, archos uero dicitur, quoniam uidetur cæteris intestinis imperare, uel principium dare. Si inflammatio in ipso sit (Intellige uero per rectum intestinum intestinum ipsum, uel etiam ultimam eius partem quæ anus dicitur) in quacunq; parte inflammatio fuerit, supra uesicam comprimitur, adeo ut urina paulatim emittatur. Philotheus uero & alias causas refert inquiens. Si rectum intestinum inflammationem patiatur, urinæ stillicidium fieri ἢ ὅτι μεταλαμβάνει τῆς δυσκρασίας ἡ κύστις, καὶ κατάλυσις γίνεται τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως αὐτῆς, ἢ ὅτι ἀποστενοῦται ὁ τράχηλος αὐτῆς κἀντεῦθεν στάγδην ἡ ἀπόθεσις τοῦ οὔρου γίνεται, idest, uel quoniam uesica intemperiem recipit, & contentiuæ ipsius potentiæ dissolutio fit: uel quòd eius collum coangustatur, & inde emissio urinæ fit stillatim uel guttatim. Tamen uesicæ compressio fieri non potest nisi magna sit inflammatio: Et si dixeris idem induci recto intestino præduris fæcibus pleno. Respondemus concedentes, Si fæcum prædurarum copia adeo rectum intestinum occupauerit, ut uesicam comprimere possit, tunc urina impeditur. Et si petas an æque sicut in inflammatione. Respondemus, Si parua sit inflammatio intestini, forte plenitudo urinæ stillicidium magis inducet, quàm parua illa inflāmatio. At si inflammatio magna sit, nō solum ob tumorem & compressionem uesica compatitur, sed etiam ob dolorem, qui est in loco inflammationis. Nec etiam fæces præduræ diu in intestino recto manere possunt, ideo & si urinæ stillicidiū faciant, adeo breue est ut nō percipiatur, nec à patiente cōsideretur, uel à medico curetur, nā fæcibus ablatis statim cessat. Hippocrates in libro De fistulis, ex passiōe podicis stillicidiū urinæ fieri docet. hæc sunt eius uerba, Lotij uero stillicidiū hac de causa superuenit, podice uesica calefit, quo calore pituita cogitur, quæ urinæ stillicidiū gignit. Hic igitur Hippocrates aliā causam affert, quàm sit uesicæ suppressio, ex inflammatione intestini recti uel podicis.

Καὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, Alij legunt φλεγμαινόντι, sed sensus est, & utero inflāmationem patienti] aliqui contextus habent ἢ idest uel, & non καὶ ut Leonicenus in suo legebat, Theodorus habuit ἢ. Quicquid sit, inflāmato utero, & tumore aliquo affecto supra uesicā cōprimere necesse est, & urinā impedire. Quod si dicas, nō fieri urinę stillicidiū, in muliere utero gerente, tamen est maius pōdus id quod habetur in utero, q̃ sit aliquis uteri tumor. Respondemus, & in utero gerente urinæ stillicidium fieri, idest mulierem utero gerentem parum & sæpe meiere, & quanto magis infans crescit, tanto magis hoc patitur: uel dicas, tumores illos qui in collo sunt id potius efficere, quàm eos qui in fundo existunt, fœtus autem in fundo est, & non in collo; uel quia tumor res præter

naturam

naturam est. Infans uero est res naturalis, quæ magis uentri accõmodatur, quàm tumor qui est res præter naturam. Philotheus de hac aphorismi parte ita dicit, ἀλλὰ καὶ τῆς ὑστέρας φλεγμαινούσης τὸ αὐτὸ γίνεται, ἢ λόγῳ τοῦ μεταδίδοσθαι τῆς δυσκρασίας τὴν κύστιν, ἢ ἐπειδὴ ἡ μήτρα ἐν τῷ μεταξὺ κεῖται τοῦ ἀρχοῦ καὶ τῆς κύστεως. εἰ μὲν οὖν ἔμπροσθεν φλεγμαίνει, ὡς ἐπὶ τὴν κύστιν ὠθεῖται, καὶ ἀποστενοῦται ὁ τῆς κύστεως τράχηλος, καὶ κατὰ σταγόνα ἐκκρίνεται τὸ οὖρον. εἰ δὲ ἐν τοῖς ὄπισθεν φλεγμαίνει, ὡς ἐπὶ τὴν ὀσφὺν ἀποστενοῦσα τὰ ἔντερα ἐποχὴν κόπρου ἐργάζεται. idest, Sed & in utero inflammationem patiente idem fit, uel ea ratione quoniam uesicæ intemperiem præstet, uel quoniam uterus in medio recti intestini & uesicæ iacet. Siquidem igitur in anteriori parte inflammationem patiatur, ut ad uesicam compellatur, & uesicę collum constringitur, & urina guttatim deijcitur. Si uero in posteriori parte inflammationem patiatur, ut in lumbos (scilicet compellatur,) coangustata & obstructa intestina, stercoris suppressionem faciunt.

Καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοις στραγγουρίη ἐπιγίνεται. idest, & renibus purulentis stillicidium urinæ accidit.] Multæ enim sunt stillicidij urinæ causæ: una est causa uesicæ cõpressio, et hęc fit per tumorẽ recti intestini, aut uteri, aut p fœtũ in utero, aut duras feces in recto intestino: quandoq; ob meatus obstructionẽ, quæ aut à lapide fit, aut à pituita, aut à grumis sanguineis, aut carnositate crescente: quãdoq; fit ob contentiuæ debilitatem: quandoq; fit ob longam urinæ retentionem in uesica, quia uesica nimis impletur, & extensa guttatim emittit: quandoq; fit ob pręsentẽ causam, uirtutẽ expultricẽ continuo stimulantẽ atq; iritantẽ, ut in excoriatione fit & scabie uesicæ, & in urinę ardore, et in aphorismi proposito ex pure ex renibus exeunte, & urinæ exitũ adeo stimulãte, ut frequentissime meiere opus sit, quia ob stimulationem & puris acuitatem, uesica ad frequẽter expellendum iritatur. Hæc est huius partis ratio, quamuis Oribasius dicat, ex proprietate & qualitate loci patientis accidit stillicidiũ urinæ purulentis renibus. Philotheus hãc partem ita exponit: καὶ ἐπὶ νεφρῷ δὲ ἐκπυήσαντι, γίνεται στραγγουρία. πῶς; πολλάκις τι φῦμα γίνεται εἰς αὐτούς, καὶ τὸ χρόνῳ σηπόμενον φέρεται τὸ πῦον ἐπὶ τὴν κύστιν, καὶ τῇ δριμύτητι δάκνει, καὶ τῇ δήξει ἐπεγείρει τὴν ἀποκριτικὴν δύναμιν συνεχῶς, καὶ ἐκκρίνει κατὰ σταγόνα τὸ οὖρον. idest, Et renibus purulentis urinæ stillicidium fit. quomodo? Sæpe tuberculũ quoddam in ipsis fit, & pus tempore corruptum ad uesicam fertur, & acredine sua mordet, & morsu excretiuam potentiam continue exsuscitat, & urinam guttatim secernit.

ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι λὺγξ ἐπιγίνεται. idest. Hepati autem inflammatio singultus superuenit.] quia ex iecoris phlegmone expultrix uentriculi uis, ad expellendum iritatur, ob eam quam habent colligantiam, & communicationem neruorum. Oribasius aliam causam reddit inquiens, Inflammato enim iecore, inflammatio, atque superfluitas ad superiorem partem redundat, ideo inquit esse conuulsionẽ ex inanitione. Sed re uera fallitur, quoniam, ut Galenus docet, singultus per compassionem fit. posset autem inflammatio & in gibba, conuexáue, atq; in caua iecoris parte fieri. Si in gibba sit, singultum non facit, nec inferri necesse est, nisi adeo magna sit inflammatio ut ad concauam usq; partem pertingat. Si uero inflammatio in concaua parte sit, hæc est quæ singultum inducit, & facile. Sed hic etiam (ut Galenus dicit) non fit, nisi sit magna inflãmatio. Singultus uero fit, quia uentriculi os ab inflammato iecore comprimitur, propter hoc uis naturalis os ipsum extendit, & uehementi quodam motu attrahit, & singultus infertur, & quidam mordicatiui fumi uentriculo communicantur, qui hunc singultum inducere possunt. immo Hippocrates addere debebat, quod & paruam quandam tussiculam mouet, quæ sicca est, & ob septi transuersi compassionem infertur. Paulus Aegineta libro tertio capite quadragesimosexto de his iecoris inflammationibus, & tumoribus abunde tractat, & Aetius suo loco, ubi prædicta signa prosequuntur, & de inflammationibus in sima & concaua parte loquuntur, omnia signa edocentes, per quæ uere distinguuntur. Celsus capite septimo secundi libri inquit, Frequens singultus & præter consuetudinem continuus, iecur inflãmatum esse significat. & Philotheus pro hac aphorismi parte ita scriptum reliquit, εἶτα φησὶν ὅτι καὶ τοῦ ἥπατος φλεγμαίνοντος γίνεται πάθος τοιόνδε, ἀλλὰ λὺγξ, καὶ μάλιστα εἰ τύχοι φλεγμαίνειν τὰ σιμά. διότι ἐπὶ τῇ φλεγμονῇ ἡ θερμότης ἕλκει ἐφ᾽ ἑαυτὴν τὰ ὑγρὰ ἐν τῷ στομάχῳ, καὶ ἐξαναλίσκει. καὶ ἐντεῦθεν ξηραίνεται ὁ στόμαχος, καὶ ἐπὶ τῇ ξηρότητι ταύτῃ ἐφ᾽ ἣν σπασμώδη διάθεσιν λὺγξ γίνεται. idest, Postea

dicit

dicit, quod & iecore inflammato fit passio, non quidem talis, sed singultus, & maxime si concauam partem inflammari contingat. quoniam in inflãmatione caliditas ad seipsam humiditates quæ in stomacho sunt trahit, & consumit, & hinc stomachus exiccatur, & ex siccitate consumitur, ad quam conuulsiuam dispositionem singultus fit. Iam expositioni huius aphorismi finem fecissemus, nisi in mentem uenisset, hanc ultimam huius aphorismi partem esse aphorismum decimumseptimum septimi libri.

GALENVS

QVANDO aliquis parum & frequenter mingit, hæc passio urinæ stillicidium nominatur, & fit aliquando ex imbecillitate potentiæ retentiuæ in uesica, nõnunquam uero ex acritudine urinæ. In hepate uero per inflammationem patiente singultus aduenit, imbecillitas ergo fit propter intemperaturam, & aliquem tumorem præter naturã. Acritudo autem, uel propter renum passionem, uel quia talis ad ipsos uenit ex uenis superfluitas serosa percolata. Recte itaq; Hippocrates inquit, urinæ stillicidium recto intestino, & utero inflammationem patiẽte, & renibus suppuratis aduenire. In recto quidem intestino, & utero per compatiendi rationem uesica patiente. In renibus autem purulentis pure per uesicam euacuato. Hoc igitur sui acritudine mordens uesicam excitat ad excretionem. In uteri autem, uel recti intestini inflammatione uicinitatis ratione pati uesicam est necessarium, ut quę & intemperaturam participet, et inflammationem, & preterea prematur, atq; angustetur à tumoribus pręter naturam qui in illis existunt. Dictum autem est à me prius quod non simpliciter altera passio aduenire apta est, sed his quæ magnitudinem habẽt effatu dignam. Sic igitur & hepate inflammationem patiẽte singultus accidit propter neruorum communicationem, non quidem semper, sed quando ad maximam attollitur inflammationem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus interpretatur hoc uocabulũ στραγγουρία, idest, Vrinæ stillicidium. nam in hoc loco uerum urinæ stillicidiũ non intelligitur, sed quando aliquis parũ et frequenter mingit: nunc urinæ stillicidium uocat, etiam si guttatim non meiat. Fit autem ob has causas hoc urinæ stillicidium. uel ob potentiæ retentiuæ quæ in uesica est, imbecillitatem, uel ex acritudine urinæ. Si uero petas quo modo imbecillitas fiat, Galenus fieri dicit aut ob intemperantiam, & ob qualem intemperantiam non expresit. Tu humidam potissimùm intellige. Aut ob aliquem tumorem præter naturam. Fit uerò ex urinæ acritudine, uel ob renum passionem, unde fit pus, uel ob qualitatem calidam uel salsam imprimentem, uel quia serosa superfluitas ex uenis ad renes uenit, deinde ad uesicam, & adeo stimulat, ut exire cogat, nec colligi sinat.

Illa particula, In hepate uero per inflammationẽ singultus aduenit, obelo confodienda est. In hoc enim loco poni non debet, quia Galeni sententiam & seriem secernit & discontinuat.

SECVNDO Galenus infert recte ab Hippocrate dictum esse, stillicidiũ urinæ recto intestino & utero inflammationem patientibus, & renibus suppuratis aduenire. In hoc loco antiquus noster contextus legit δυσουρίαν. idest difficultatem urinæ, tamẽ nos potius legendum putamus στραγγουρίαν. idest stillicidium urinæ.

TERTIO Galenus docet, in recto intestino & in utero inflammatis uesicam pati, unde per compatiendi rationem stillicidium infertur. At ne intelligas compassionẽ per urinæ acritudinem, in renibus autem purulentis fit, pure per uesicam euacuato. Aldinus contextus ita præcise habet, ut à Leoniceno interpretatum est, & noster antiquus in una lectione eodem modo habet, in alia uero lectione sententia quædam addita est. nam ubi legit, in recto quidem intestino, & utero per compatiendi rationem uesica patiente, in græco deinde sequitur ὀυ κατὰ συμπάθειαν δὲ ἐπὶ τῇ τῶν ὄυρων δριμύτητι. idest non per compassionem autem in acritudine urinæ, deinde sequitur, In renibus autem purulentis pure per uesicam euacuato.

QVARTO Galenus rationes affert, quia pus sua acritudine uesicam mordens ad excretionem excitat, ideo non fit collectio alicuius quantitatis urinæ notabilis, sed parum & sæpe meitur. In uteri uero inflãmatione aut recti intestini, uesica ob uicinitatem

patitur

patitur:nam intemperiem percipit, & inflammationem, & à tumore præter naturam angustatur & premitur. Docetq́; hoc intelligendum esse quando passiones sunt effatu dignæ, & non paruæ. etenim si paruæ sint, non est opus, quod hæc agant, & quod urinę stillicidium consequatur.

Vbi legitur, Dictum autem est à me prius, quod altera passio aduenire apta est, deest una particula, scilicet ex altera uel alteri, ut legatur, dictum autem est à me prius, quod altera passio ex altera, uel alteri aduenire apta est. Græce em̃ habetur εἴρηται δέ μοι πρόσθεν, ὡς οὐχ ἁπλῶς ἕτερον ἑτέρῳ πάθος ἐπιγίνεσθαι πέφυκεν.

Deniq́; infert, hepate inflammationem patiente singultum accidere ob neruorũ communicationem. & hoc non semper facit, sed solum quando inflammatio maxima est.

APHORISMVS LIX

SI mulier non concipit, scire autem uelis si conceptura sit, pannis circum tectam desubter suffias, & si odor uideatur per corpus ire ad nares, & os, scito quod ipsa non ex seipsa sterilis est.

BRASAVOLVS

IN nostra christiana atq́; catholica fide, cur aliquæ non concipiãt, uel concipiant in deũ refertur authorẽ. nec uere christianus id curat an eius uxor concipiat, uel non cõcipiat, sed antiquitus (ut Galenus, & Oribasius testãtur) huius rei magna cura habebaẽ, uel ut dignitas regni, uel sacerdotij seruareẽ, unde apud ipsos optimũ erat scitu, si uxor uirũ suum cognosceret, tamen non conciperet, à quo id proueniret, an à uiro, uel ab uxore. ut si ab uxore, uir alteram ducat, & hæc curetur: si à uiro, uxor alteri iungatur, & genus seruetur. Sicuti apud Hebræos illi solum sacerdotes erãt, qui ex leuitico genere succedebant. Si ergo quispiam periculum facere uoluerit, an ex uiro, uel fœmina uitiũ non concipiendi procedat, hunc præsentem modum docet Hippocrates, inquiens mulierem circumcirca adeo pannis contege, ut sub pannis suffumigium facere nihil impediat, tamen non exeat fumus. tu igitur desubter suffias. nempe aut trochiscos odoratos accende, aut tus, aut myrrham, aut styracem, sub pannis, & id obserua, quod fumus ad uterum perueniat, & nares ferire non possit. nam uestis illa, aut panni, quibus illa cingitur, & suffumigia teguntur, arcte cincti sint. Tu deinde hanc mulierem interroga, an ipsi uideatur ad nares & os odorem peruenire, & hoc per corpus, non autem sub ueste. Quod si illa annuat, tunc iudica illam non ex seipsa sterilem esse, sed sterilitatis causam in uirum reijciendam esse. nam si à mulieris utero proueniret, id esset, quoniam humoribus opprimeretur, & ideo odor per corpus transire non potuisset. immo & ex hoc significatur (ut Oribasius inquit) mulierem in utero non habere. Philotheus huius aphorismi sententiam ita refert, ἐνταῦθα φησὶν, ὅτι ἐὰν γυνὴ μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, οὐ δι' ἑαυτὴν ἄγονος οὖσα ἐστὶν, ἀλλὰ διὰ τὸν ἄνδρα, βούλει δὲ τοῦτο εἰδέναι, χρήσασθαι θυμιατηρίῳ. ὅπερ ἐστὶ λιβανωτὸν, ναρδόσταχυν, κασσίαν, καὶ στύρακα, καὶ ἔμβαλε εἰς αὐτὸ ἄνθρακας, καὶ ἐπ' ἄνω τοῦ θυμιατηρίου, ἐπίθες τὴν καλουμένην χώνην, καὶ τὸ ἄνω αὐτῆς μέρος ὑπόβαλε ὑπὸ τῷ αἰδοίῳ τῆς γυναικὸς, καὶ οὕτως ὑποκάπνιζε καθεζομένης αὐτῆς ἐπὶ δίφρου, καὶ ἐπικεκαλυμμένης ἱματίοις, καὶ εἰ μὲν ἡ ὀσμὴ διὰ τοῦ βάθους τοῦ σώματος ἀνάγεται ἐπὶ τὸ στόμα καὶ τὰς ῥῖνας ἴσω γινώσκων ὅτι οὐ δι' ἑαυτὴν ἄγονός ἐστιν, ἀλλὰ διὰ τὸν ἄνδρα. οὕτως γὰρ φερομένης τῆς ὀδμῆς διὰ τοῦ βάθους τοῦ σώματος ἐπὶ τὸ στόμα, καὶ τὰς ῥῖνας, δηλονότι πάσης ἀπήλλακται κακοχυμίας τὸ σῶμα, καὶ ἡ μήτρα, καὶ εὐκράτως κέκραται. εἰ γὰρ ξηροτέρα ἦν τῇ κράσει, ἢ ψυχροτέρα, ἢ κακόχυμος τῇ πυκνώσει, καὶ τῇ ψύξει, καὶ τῇ κακοχυμίᾳ, ἐκωλύετο ἂν ἡ ὀσμὴ ἐπὶ τὸ στόμα, καὶ τὰς ῥῖνας ἀνιέναι. εἰ δέ πως ἐρωτᾷ τις, λέγομεν διά τε τῶν φλεβῶν, καὶ ἀρτηριῶν, καὶ νεύρων, καθὼς αὐτὸς ἐδήλωσεν ἐν ἀφορισμοῖς, ξύρροια, καὶ ξύμπνοια μία, καὶ τὰ πάντα ξυμπαθέα. idest, Hic dicit, quod si mulier utero nõ cõcipit, neq́; ob seipsã sterilis sit, sed ob uirũ, hoc aũt scire uis, opus est turibulo, idest, suffitu ex odoribus, quale est tus, nardi spica, cassia, & styrax, & illa in carbones inijcere, & supra turibulũ uel suffimentũ odoratũ uocatũ χώνην, idest, infundibulũ impones, & superiorem ipsius partem, mulieris pudendo subijce, & ita suffumiga, ipsa in sede sedente, & uestibus cooperta. Et siquidem odor ex corporis profundo sursum ad os & nares

& nares eleuatur, cognoſces quod ob ſeipſam ſterilis non eſt, ſed ob uirũ. Sic enim per profunditatem corporis ad os & nares (ſcilicet odore delato) corpus & uterus ab omni malo humore libera ſunt, & temperate ſeſe habent. Si enim temperatura ſiccior fuerit, uel frigidior, uel malo humore prædita, odor ad os & nares ob denſitatem & frigiditatem, & malum humorem aſcẽdere prohibebitur. At ſi quis quomodo id fiet, interrogabit, dicimus, per uenas & arterias & neruos, ut ipſe in Aphoriſmis oſtendit, unus humorum confluxus, & unus ſpirituum, & omnia quæ compatiuntur.

γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρί. idest, Si mulier non conceperit in utero.] Additur hæc particula, in utero, in omnibus Græcis codicibus, quos uidimus, quam tamen Theodorus & Leonicenus omiſere, fortè ob id, quia communis huius uerbi concipere, intellectio, eſt in utero habere. tamen quia & extra uterum uſus eſt huius uerbi concipere, ſic & in ſacris literis concipies in utero, propterea iudicamus hanc particulam apponendam eſſe. cum & ab ipſo Hippocrate poſita ſit. Intellige autẽ ſi non conceperit mulier, quæ tamen uiro ſuo utatur. & dicens non conceperit, notatur per annos aliquot in hoc perſeueraſſe, & in eo tempore ſit, in quo poſsit cõcipere, nempe poſt decimumtertium annum, & ante quadrageſimumquintum, ideſt in ea ætate ſit, in qua menſes adhuc profluant.

βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται. ideſt, Velis autem ſcire ſi conceptura ſit.] Et an ipſa, an uir tam longæ ſterilitatis cauſa fuerit.

περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτωθεν. ideſt, Pannis tectam deſubter ſuffias.] Et adeo tectã ab umbilico inferius, ut fumi ſub pãnis exire non poſsint, & ad nares pertingere.

καὶ ἢν μὲν πορεύεσθαί σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα. ideſt, Et ſi odor uideatur per corpus ire ad nares & ad os.] Per corpus uero intrinſecam corporis partem intellige, ut hi fumi uterum ingrediãtur, & per ipſum ad os & nares aſcẽdant, & non per extrinſecas partes. etenim ſignificatur uterum non eſſe obſtruſum, ſed bene affectum, cum hi fumi ipſum ingrediuntur, & ſurſum per uiſcera ad caput aſcendunt. Hoc autem facile fit, ſi infundibulo utantur, ideſt inſtrumento in inferiori parte lato, in ſuperiori arcto, ut pyramis uideatur, & ſuperior pars ori uteri iungatur.

γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι' ἑαυτὴν ἄγονός ἐστι. ideſt, Scito, quod ipſa non ex ſeipſa ſterilis eſt.] Sed hoc prouenit ratione uiri. Tu uero ſcito multas eſſe ſterilitatis cauſas, de quibus in aphoriſmo ſexageſimoſecundo, & in ſexageſimotertio plura agemus, tamẽ & hæc una cauſa eſt, habere frigidum & humidum uterum, ob quas qualitates uenæ quæ in ipſo ſunt obſtruuntur, & ſanguinẽ ad ipſum fluere non ſinunt. Si uero mulier iam utero gereret, & neſciretur, fumi etiam non aſcenderent, tamẽ ex illa non procederet quod eſſet ſterilis. ob iſtud ab Hippocrate dicitur, eam ſumendã eſſe, quæ non conceperit: etenim ſi concepit, certum iudicium haberi non poterit, imò ipſam eſſe ſterilitatis cauſam iudicabitur cum utero gerat.

GALENVS

VERBVM Suffias, materiam indicat quæ naturam habet, ut ſuffiri poſsit, thus uidelicet & myrrham & ſtoracem, & quæcunq; alia talia quæ calidam habent temperaturam, & ſunt ſatis odorata. Vult enim ad totum deferri corpus, eam quæ ab ipſis fit uim, ut cum & os & nares attigerit, à muliere manifeſte ſentiantur. In his igitur ſolis totum non peruadet corpus qualitas ſuffitorum, quibus durum eſt ac denſum uteri corpus: cum uero ſit tale non eſt aptum ad conceptionem, ſicuti & paulopoſt ipſe inquiet, Quæcunq; frigidos habent uteros & denſos, non cõcipiunt. Quod autem in fine aphoriſmi ſcribitur. Scito quòd ipſa nõ ex ſeipſa ſterilis eſt, indicat eius rei neceſsitatem. Sæpius enim ut permaneat genus ad quod pertinet, uel dignitas ſacerdotij, uel regni, ſtudent ciuitates ut prolem habeant uirorum, ſeu mulierum ad quos ſolos peruenerit genus: deinde ubi mulieres non concipiunt quæritur utrius cauſa hoc accidat, ut facto diuortio mulieres concipiant. Et hanc Plato in Theæteto innuit eſſe bonarum pronubarum artem. Totus autem ſermo dicetur paulopoſt, quando omnes exponemus qui ad ipſum pertinent aphoriſmos.

BRASAVOLVS

SI QVIS dubitet, qua re uelit nos uti Hippocrates ad suffumigium, Galenus respondet, hoc uerbum θυμία, idest suffias, materiam sumendam nobis ostendere, nempe talem, quæ naturam habeat ut suffiri posit, Hæc autē sunt thus, myrrha, styrax, costus, cinamomum, cassia, & omnia, quæ simul calida & odorata sunt. Hoc suffumigium secundum Hippocratem in muliere apte disposita, intrinsece per eius uiscera ita transit, ut per os & nares sentiatur.

SECVNDO docet quænam sint illæ mulieres, quæ per os hoc suffumigium non sentiunt, illæ inquam sunt, quæ uel durum uteri corpus uel densum habent, per quod suffumigij uis transire non posit. Hæ uero ad conceptionem aptæ non sunt, ut Hippocrates ipse in sexagesimosecundo aphorismo edocebit, eas scilicet non concipere, quæ frigidos habent & densos uteros.

Quod legitur, Quibus durum est ac densum uteri corpus, antiquus noster cōtextus eodem modo legit copulatiue ὅσαις σκληρὸν καὶ πυκνὸν ἐστὶ τὸ τῆς ὑστέρας σῶμα, at Aldinus cōtextus disiunctiue legit, ὅσαις σκληρὸν ἢ πυκνὸν ἐστὶ τὸ τῆς ὑστέρας σῶμα. Magis probo, quod disiunctiue legatur. nam uterus densus esse potest, & non durus: & durus, & non densus. Hæc tamen ad quendam gradum intelligentes. Nec istud præterire oportet, aliquos esse contextus qui legunt στόμα, idest os, & non σῶμα, idest corpus, quod etiam conuenire posset.

TERTIO Galenus docet, ultima aphorismi uerba scilicet ipsa non ex seipsa sterilis est, huius rei necesitatem ostendere. nam sæpius ut alicuius principis, uel sacerdotij genus permaneat, ciuitates student, ut horum, ad quos spectat, uel uiri, uel mulieres sint, proles habeatur. Quum autem uidetur mulierem non concipere, quæritur unde proueniat, an à uiro, uel à muliere, quia si à uiro, facto diuortio, & alteri iuncta concipit. imò Plato in Theæteto docet, hanc esse bonarum pronubarum artem, quas sua lingua προμνηστρείας uocat. Sunt uero illæ, quæ in conficiendis nuptijs se exercent.

APHORISMVS LX

SI mulieri utero gerenti purgationes eant, imposibile est fœtum esse sanum.

BRASAVOLVS

MENSES à natura facti sunt, ut eis nutriantur infantes, dum sunt in utero matris. Sunt uero sanguis superfluus in muliere, qui dum utero gerit, exire non debet, sed solum fœtum nutrire. Si contigerit mensium copiam effluere, dum utero gerit mulier, fœtus non nutritur, propterea sanū esse imposibile est, nam ob hoc extenuatur & consumitur. At etiam si cōtigerit fœtum ob aliam causam imbecillem factum esse, adeo ut exugere non posit, tunc etiam menses profluunt.

ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες προϊῶνται. idest, Si mulieri in utero habenti purgationes eant.] Purgationes per excellentiam illas uocat, quæ singulis mensibus à muliere fluunt. aliquæ sunt mulieres, quæ singulis mensibus, quando utero gerunt eas habent, sed in pauca quantitate: aliquæ primis etiā mensibus copiose habent, dum infans est paruus, tamen hac quantitate ad suum consuetum comparata, non est magna quantitas, uerum in processu sistuntur, cum infans maior effectus est. Opus est ergo intelligere aphorismum de magna mensium quantitate profluentium, & quæ diu perseueret.

ἀδύνατον ὑγιαίνειν τὸ ἔμβρυον. idest, Imposibile est fœtum esse sanum.] Nam uel est æger, & non attrahit: uel exiccatur, quia non habet, quod attrahat, & debilitatur: uel ob huius sanguinis exitum mala qualitate frigida afficitur. Philotheus hunc aphorismum his uerbis aggressus est, νῦν ἀφορισμὸς φησιν, ὅτι ἂν γυναικὶ μετὰ σύλληψιν αἱ καθάρσεις προέλθωνται, ἀδύνατον ὑγιαίνειν τὸ ἔμβρυον. καὶ εἰκότως. πρῶτον μὲν, ὅτι ἀναστοιχειοῦται ἡ ὕπαρξις τοῦ ἐμβρύου. δεύτερον δὲ, ὅτι τῇ κενώσει τῶν καταμηνίων, ἀμοιρεῖ τροφῆς τὸ ἔμβρυον. ἀμοιροῦν δὲ καὶ λιμώττον, πῶς ἐνδέχεται αὐτὸ ὑγιὲς εἶναι. ἀλλὰ λέγουσι τινὲς ὅτι ὁρῶμεν ἰδεῖ τῆς πείρας, ὅτι καθαίρονται αἱ γυναῖκες καὶ μέχρι πέντε, καὶ ἓξ μηνῶν, καὶ οὐ βλάπτονται τὰ παιδία. πρὸς τοῦτο λεγόμεν

ὅτι

ὅτι καθαίρονται μὲν εἰ τύχῃ ταύτας πληθωρικὰς εἶναι, καὶ οὐ βλάπτονται, διότι ὀλίγον καθαίρονται. ἐνταῦθα δὲ πολλὴν τὴν κένωσιν ὑποτίθεται, καὶ διὰ μήκος χρόνου σημαίνει, ἅπερ ὡς εἴρηται χαλεπὰ. πάλιν ἀκροῦσιν, ὅτι πῶς γίνεται ἔμμηνος κάθαρσις ἐπὶ τῶν κυουσῶν, τοῦ στομίου κεκλεισμένου, ὡς μηδὲ πυραμίδος ἐπιδέχεσθαι. καὶ φαμὲν ὅτι διὰ τοῦ στομίου καθαίρονται. ἔχει γὰρ ὑμένα τινα ἐπιπολάζοντα, ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ τραχήλου τῆς μήτρας καθὼς καὶ αἱ παρθένοι ἀναστομουμένων τῶν φλεβῶν τῶν ἐν αὐτῷ καταφυομένων καὶ ἀποτελευτόντων. idest, Hic aphorismus dicit, quod si mulieri post cóceptionem purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum: & merito, primo quidem, quoniam fœtus substantia resoluitur. Secundo autem quoniam fœtus mensium euacuatione nutrimento caret. carens autem & famescens quomodo contin-get ipsum sanum esse? Sed quidam dicunt, quod ab experientia uidemus, mulieres & usq; ad quinq; & sex menses purgari, & non offendũtur pueri. Ad hoc dicimus, quod purgantur quidem, si contingat ipsas humoribus plenas esse, & non offenduntur, quo-niam parum purgantur. Hic autem multam euacuationẽ supponit, & per longum tempus significat, quæ scilicet omnia, ut dictum est, molesta sunt. Rursus dubitant, quomodo mensium purgatio fiat in his quæ utero gerunt, ore scilicet uteri occluso, ut neq; pyramidis acumen suscipere possit. & dicimus, quod per os angustum euacuantur. Habet enim pelliculam quandam quæ in superficie est, sed & per matricis collum: sicut etiam uirgines (scilicet purgantur) ijs uenis quæ in ipso sunt (scilicet collo matricis) insitæ ac desinentes.

GALENVS

ET VERBVM Purgationes, numero plurali dictum, & alterũ, eant, adiunctum ostendunt non esse paucum illum qui excernitur sanguis, neq; semel sed sæpius, & multum. Qui enim semel, aut bis paucus excernitur, sæpius apparet absq; hoc quod fœtus patiatur. Cum uero nihil deficit multitudini purgationis mẽstruorum, & seruat deinceps terminum circuituũ per menses, impossibile est fœtum esse sanum, si quidem ille qui fortis est ad sui alimentam utitur illo qui ex toto corpore ad uteros fertur. Verum excretio quæ grauidis fit, uidetur ex uenis quæ in collo sunt apparere. Nam ab interioribus quæ in cauitate uteri sunt, loci pendent, quare nihil per illas potest in muliebrem sinum excerni.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus ostendit, Hippocratem intelligendum esse de sanguine qui multus exeat, & sæpius. Hoc uero per duo uerba probat, unum est, τὸ καθάρσιες, idest hoc quod in plurali dicit purgationes, & per id etiam quod in plurali est, τὸ πορεύονται, idest hoc quod dicit eant. nam si paucus sanguis semel, aut bis exeat, nihil refert. nam hoc sæpius contingit, & tamen nihil patitur fœtus.

Vbi legitur, Absq; hoc quod fœtus patiatur. deest particula, quid. nam Græce dicitur, ἄνευ πεπονθέναι τι τὸ ἔμβρυον, idest absq; hoc quod fœtus quid uel aliquod patiatur.

SECVNDO docet, cum mensium purgatio plurima fit, & deinde sui circuitus per menses terminum seruat, impossibile est fœtum esse sanum, quia alimento utitur, quod ex toto corpore ad uteros defertur.

Quod legitur, Si quidem ille qui fortis est ad sui alimentum, utitur illo qui ex toto corpore ad uteros fertur, Græce est, εἴ περ γε τὸ ἐῤῥωμένον εἰς τὴν ἑαυτοῦ τροφὴν καταχρῆται τῷ φερομένῳ εἰς τὰς μήτρας ἐξ ὅλου τοῦ σώματος. idest, Si quidem ille qui fortis est ad sui alimentum, utitur delato ad uteros ex toto corpore. Contextum quendam uidimus, qui non legit ἐῤῥωμένον, idest ille fœtus qui fortis est, sed legit τῷ ὀῤῥῷ μόνον. Est autem ὀῤῥὸς serum lactis.

TERTIO docet, excretionem illam quæ in utero gerentibus fit, ex uenis fieri κατὰ τὸν αὐχένα, idest quæ in collo sunt scilicet uteri, quia à uenis intrinsecis, quæ in uteri cauitate sunt, secundæ dependent. Ideo per illas in sinum muliebrem nihil excerni potest.

Quod legitur, Loci pendent, Græce est ἐξήρτηται τὰ χόρια, idest secundæ pendent.

APHORISMVS LXI.

SI mulieri cessent purgationes, neq; febris, neq; rigor superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in utero habere.

BRASAVOLVS

CERTA signa, quod mulier aliqua utero gerat, hæc sunt, quando mulier ordinate uiuit, & menses suis temporibus habere cõsueta sit, & sine aliqua manifesta causa purgationes cessent: tamen propter hanc retentionem febres non incidit, neq; rigores, neq; aliam ægritudinem, sed solas inappetentias, & uentriculi subuersiones, tunc iudica hanc mulierem utero gerere, quia à re nulla præter naturam retinentur, ideo necesse est à re quapiam naturali impediri, quæ nihil aliud esse potest, quàm conceptio.

ἤν γυναικὶ αἱ καθάρσιες μὴ πορεύωνται. idest, Si mulieri purgationes non eant.] Noster antiquus cõtextus duas lectiones habet, una est, & prima παύωνται, idest cessent, quam lectionem secutus est Leonicenus: alia lectio est, μὴ πορεύωνται, idest non eant. Principium etiam huius aphorismi in Aldino contextu ita habetur, ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, at nullus est qui non uideat illam particulam, ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, superfluam esse. Intellige uero cessare purgationes consuetas sine aliqua causa manifesta, hicq;, ut in præcedenti aphorismo fecit, purgationes menses uocat.

Μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου. idest, Neque rigor, neq; febris superueniat.] Quæ superuenire solent, quando retinentur ob causam præter naturã. Addit uero Philotheus, neq; inflammationem factam esse. Tu uero nullam passionem circa uterum ex humorum collectione factam intellige.

ἆσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτουσι. idest, Fastidia autem ei acciderint.] Per fastidia uero tristitiam quandam in toto corpore intellige, quæ secũdum Galenum eodem modo fit, quo pica ore uentriculi læso, uel ob uitiosos humores totum corpus occupantes, sed in utero non gerente. Oribasius uero per fastidia malum appetitum intelligit, quoniã aliquæ mulieres in principio conceptionis appetentiã adeo malignam habent, ut terram etiam atq; carbones comedant. Causam uero, unde hoc fiat, assignat, quia in principio, ipsius recentis sanguinis qualitas repressa inficitur, & acida fit, ac titillat & appetitum excitat. Post uero ubi creuerit fœtus, ad nutrimentum descendit, unde & fastidium patiuntur utero gerentes. tamen cum uocabulum ἄση tristitiam, detrimentum, & fastidium ex nimia ciborum repletione significet, nunc omne etiam fastidij genus intelligere oportet, quod utero gerentibus tam in cibis, quàm in alijs rebus contingit, quę omnia sunt conceptionis, & non alterius rei symptomata.

Λογίζου αὐτὴν ἐν γαστρὶ ἔχειν. idest, Iudica ipsam in utero habere.] Et non ab re simpliciter dixit, in utero habere, de fœtu nullam mẽtionem faciens, quia in utero carnis molem habere posset, aut aliud simile, & tamen deficerent menses, & non haberet febrem, neq; rigores, sed haberet fastidia: nam & illæ carnium moles concipiuntur, hocq; intelligendum est in temporis processu. nam si alicui mulieri menses desint, & utero non gerat, febrem, aut rigores statim fieri, non est opus, sed tempore fiunt. Galenus quarto De symptomatum causis libro, de hoc fastidio, quod pica nuncupatur, egregie disserit. nam Philotheus idem esse censet ἄση, & κίττα. Ita enim hunc aphorismum interpretari aggreditur, ἐὰν μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγινομένου, μήτε φλεγμονῆς αἱ καθάρσιες οὐ πορεύονται, αὕτη δηλονότι ἔγκυός ἐστιν. πλὴν ἐὰν καὶ ἆσαι αὐτὴν προσπίπτουσιν, τουτέστιν ἀλλόκοτος ὄρεξις στομάχου ὑπὸ κοιλίας χυμῶν γινομένων, ἥτις καὶ κίττα λέγεται. τὸ τηνικαῦτα γὰρ δηλοῦται, ἐκ τοῦ παντὸς σώματος φέρεσθαι τὸ αἷμα εἰς τὴν μήτραν πρὸς τροφὴν τοῦ ἐμβρύου. idest, Si neq; rigore, neq; febre superueniente, neque inflammatione, purgationes non eant, ipsa uidelicet pregnans est. Verumtamen si & fastidia ipsi contingant, hoc est appetitus extraneus ab humoribus in ore uentriculi factis, quæ & pica dicuntur, tunc enim ostenditur à toto corpore sanguinem ad fœtus nutrimentum in uterum deferri.

GALE-

GALENVS

IN HIS quæ recte purgãtur mulieribus, & quibus repente ſine cauſa manifeſta ſupprimuntur purgationes, ſermonem fecit, docens nos ea quæ plurimæ mulieres ipſa experientia didicerunt. Cum enim faſtidium patiũtur menſtruis ſuppreſsis, tunc ſe concepiſſe conijciunt. Fit autẽ faſtidium eadem qua pica ratione, læſo ore uentriculi in mulieribus grauidis. Contingit autẽ & propter uitioſos humores totum corpus occupantes tale aliquid accidere, uerum hoc cum horrore, & febre patiuntur, & his diſtinguuntur à grauidis.

BRASAVOLVS

PRIMO à Galeno edocemur in quibus mulieribus aphoriſmus, uerus ſit, quia in omnibus ſimpliciter uerus non eſt. In his inquam uerus eſt, quę recte purgantur, & quibus repente ſine cauſa manifeſta menſes ſupprimuntur. nam & muliere, ipſæ hoc per experientiam comparatum habent, cum ſuppreſsis menſibus faſtidia incidunt, ſe concepiſſe dijudicant.

Quod legitur, Sermonem fecit. legi debet, ſermonem hunc fecit Hippocrates. nam Græce habetur in Aldino cõtextu, τὸν λόγον τοῦτον ὁ ἱπποκράτης ἐποιήσατο, in una tamen noſtri antiqui contextus lectione ita legebatur, τὸν λόγον τοῦτον, ideſt ſermonem hunc, abſq; particula ὁ ἱπποκράτης.

SECVNDO docet, eodem modo faſtidium fieri, quo fit pica, uentriculo in mulieribus utero gerentibus læſo. tamen quandoq; etiam fit ob uitioſos humores totum corpus occupantes, ſed hoc ſemper cum horrore patiuntur, & febre, unde faſtidium utero gerentium hoc modo diſtinguitur, ab earum faſtidio, quæ utero non gerunt, quando per totum corpus uitioſos humores habuerint. hoc etenim cum febre fit, & cum horrore, ſed id faſtidium quod in utero gerentibus eſt, ſine febre contingit. ἄσαι, & κίσσα uel κίττα faſtidia ſunt, quæ utero gerẽtibus aduenire ſolent. plurimum uero differunt, quia ἄσαι faſtidium eſt, ac ſi uẽtriculus ſit plenus. κίττα uero, ideſt pica appetitus eſt citra conſuetum hominum cibum, de quo Galenus libro quarto De ſymptomatũ cauſis inquit, Prauas autem qualitates appetunt ij, quibus uentriculi tunicæ prauo aliquo excremento ſunt inbutæ. Atq; conſueuit huius modi affectus mulieres uitioſis humoribus refertas infeſtare, idq; cum uterum geſtant. uocatur pathos ipſum citta (ideſt pica) ſiue malacia. appetunt autem maxime per hunc affectum, acida, & acerba, & nõnunquam acria quoq; interdum, uel cimoliam terram, uel teſtas, uel extinctos carbones, aut alios huiuſmodi cibos abſurdos. atq; complures earum huiuſmodi uitio laborant uſq; ad ſecundum ac tertium menſem, in quarto uero quieſcunt, partim quod uomitione uitiati humores expurgantur, partim quod concoquũtur, ut pote exiguum cibi conſumente muliere ob faſtidium, partim etiam, quod multitudo uacuatione ſit imminuta. quippe primis duobus menſibus fœtus paucum ad ſe ſanguinem attrahit, eo quod parum adhuc auctus ſit, adeo ut ne fœtus quidem nominari tum debeat, ſed κύημα potius, ideſt conceptus. Hæc Galenus præcitato loco: in quo & multa alia ad hoc propoſitũ ſequũtur. Paulus & ipſe de κίσσα libro primo capite primo agit, quam ita appellatã eſſe iudicat, uel quia ut pica auis eſt uarie colorata, ita mulieres picam patientes uaria appetant. uel quia pica auis hoc malum frequẽter patiatur, hanc auem nos uulgo Gazam uocamus. Plinius libro decimo, capite uigeſimonono dicit longam & inſignem caudam habere, & uariam. Appetẽtiam igitur, & deſiderium illud in utero gerentibus ciborum præter naturam, & inconſuetorum, à Græcis dicitur κίσσα, & κίττα, à Latinis pica, à Plinio prægnantium malacia. quamuis μαλακία proprium picæ ſignificatum non uideatur, quia malacia non ſolum picam, ſed etiam ἄσην, ideſt faſtidium ſignificat, quod tamen à pica diſtinguitur. unde nos potius hanc uocem κίττα (ſi non placeat pica) interpretaremur abſurdorum & inconſuetorum hominibus ciborum appetentia. ἄσαι uero uel ἄσαι faſtidium eſt ob nimiam ingeſti cibi copiam, à uerbo ἄσαι, quod eſt ſatiare & implere, unde Paulus libro primo, capite trigeſimooctauo his enumeratis quę ſequuntur abundantiam ſeminis, inquit, κεφαλὴν τε βαρύνονται, καὶ ἀσώδεις γίνονται, ideſt capitis grauedine capiuntur & ſtomacho uelut ex repletione cibum faſtidientes fiunt. Vbi ui-

des id quod à Paulo dicitur ἀσώδεις, ex repletione cibum fastidiẽtes significare. quamuis interpres illius loci, hanc particulam ἀσώδεες γίνονται, interpretatus sit, nauseabundi redduntur: sed authoris sensum non exprimit. ab ἄσα dicitur ἀσώδης στόμαχος, unde non significat simpliciter fastidium, sed id fastidium, quod pleno stomacho contingit. Nos igitur hanc particulam ἄσαι, ita interpretandam ducimus, idest fastidium, quale id est, quod ex repletione fit: & hæc in utero gerentibus fiunt, longeq; à pica differunt.

APHORISMVS LXII

QVæcunque frigidos, & spissos uteros habent, non concipiunt. & quæcunq; præhumidos uteros habent, non concipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunq; siccos, magis & adurentes. nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque uero ex utrisque mediocrem habent temperaturam, hæ fœcundæ sunt.

BRASAVOLVS

IN HOC loco Hippocrates causas omnes cur nonnullæ mulieres uiro coniunctæ non cõcipiant, in uniuersum assignare cõtendit. Deinde quæ sint illæ quæ concipiant, edocebit, & in hunc fere modum exordit, Mulieres quæ frigidos, spissos ac densos uteros habent, concipere non possunt: quia uirile semen in utero receptum adeo infrigidatur, ut concipi non possit: præsertim quia in his mulieribus uterorum uenæ ob frigiditatem angustæ sunt, & sanguis menstruus frigidus est. Adde, omnes illas non concipere, quæ uteros ualde humidos habent. Causam uero assignat, quia ob humiditatem semen extinguitur. Vel omnia hæc simul coniungamus, dicentes, Quæ frigidos, spissos & humidos simul uteros habent, non concipiunt. Melius autem est per se frigiditatẽ & spissitudinem ponere, & per se humiditatem. Spissitudo uero non est à frigiditate remouenda: quia ob aliud non est spissus uterus, nisi quia frigidus. Adde, eas etiam non concipere, quæ siccos & magis adurentes uteros habent. Hæ enim non habent menses quæ nutrire possint, & nimis exiccant, atque adurunt semen. unde in genere quatuor sunt non concipiendi causæ: frigiditas nimia, quæ uteri spissitudinem facit: humiditas nimia, siccitas nimia, & nimia caliditas: sed eæ mulieres quæ mediocrem habent ex utrisq; temperaturam, fœcundæ sunt. Hæc particula ex utrisq;, duas esse aphorismi partes annotare uidetur, una sit frigiditas & humiditas, alia siccitas & caliditas, tunc ex utrisq; dici poterit: tamen & si ex utrisq; partibus dicatur, scilicet prædictis, unaquæq; in duas distinguitur, quia frigiditas de se, & humiditas de se satis sunt pro impedienda cõceptione, & caliditas de se, atq; siccitas de se, idem efficere apta sunt: propterea intellige ex utrisq; duobus qualitatum paribus.

ὁκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν, οὐ κυΐσκονται. idest, Quæcunq; frigidos & spissos uteros habent, non concipiunt.] Quia frigiditas calorem seminis extinguit. Intellige uero intensam frigiditatẽ, quia uterus suapte natura frigidus est: nam membrum seminale est, & omnia eiusdem generis frigida esse constat. propterea intellige multam frigiditatem, quam uel naturaliter, uel præter naturã uterus habeat, nihil refert. ob multa uero hæc frigiditas conceptionem impedit. nam ex seminis frigiditate calor extinguitur, aut adeo minuitur, ut ad conceptionem ineptus sit. Adde, quod uenæ erunt nimis angustæ, propterea secũda ad has angustas uteri uenas recte applicari non poterit. Tertio semen non coquitur, nam calore coquitur. Quarto, quia & ipsi menses frigidiores efficiuntur, & propterea immobiliores, unde paucissimi ad uterum proficiscũtur. quia uero frigidus, propterea & densus. densitas uero uenas arctas esse ostendit, quia meatus ex frigiditate oppleti sunt & obstrusi, unde & uenas coangustant: sed hæc spissitudo frigiditatem semper concomitatur. Paulus libro tertio, capite septuagesimo quarto, signa quædam ponit, quibus habentes frigidos uteros cognoscere possimus. Proprium signum est, mensium retẽtio, & si mulier prius rei frigidæ uictu, & crassi succi usa sit, stupor

por circa pecten, & lumbos, atque crura. Non sunt in Venerem procliues, nec appetunt. Philotheus etiam has non concipere dicit, διότι ψύξις οὐχ ἕλκει τὸ σπέρμα. idest, Quoniam frigiditas semen non trahit.

Καὶ ὁκόσαι καθύγρους τὰς μήτρας ἔχουσι, οὐ κυΐσκονται. idest, Et quæcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt.] De egregia humiditate intellige, quæ uel naturaliter in utero sit, uel sint multi humidi humores in utero collecti. Hæc uero humiditas contentiuam uteri uim imbecillem reddit, & ipsum uterum magis lubricũ facit, ne semen continere possit, & quodammodo naturalis seminis calor ex humiditate suffocatur, sicuti ab aqua ignis extinguitur, & fœtus ligamenta sunt ob humiditatem imbecillia & laxa. Menses quoque qui attrahuntur, humidi sunt, & ad membra consistentia fœtus nutrienda inepti. Paulus libro quarto, capite septuagesimoquarto, signa quædam edocet, quibus uteri humidi cognoscantur. Nam mulieres ita affectæ in media re Venerea madore perfunduntur, tenuioresque, & copiosiores defluunt menses. Ipse uero Hippocrates rationem assignat, cur humidi uteri non concipiant: inquiens,

ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος. idest, Extinguitur enim in ipsis genitura.] Antiquus noster contextus legit αὐτῶν, idest ipsarum genitura, ob nimiam scilicet humiditatem: sicuti triticum in argilla conseminatum non nascitur, nec ob suam humiditatem ab argilla concipitur: unde & Philotheus dicit, has non cõcipere διὰ τὸ κατακλύζεσθαι τὸ σπέρμα, ὥσπερ ἐν πηλματώδει γῇ τὰ σπέρματα. idest, Quoniam obruitur & inundatur semen, sicuti in cœnosa terra semina.

Καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον. idest, Et quæcunque siccos magis.] Hæ & ipsæ non cõcipiunt ob nimiam siccitatem, quæ genituram nimis exhaurit, & menses paucissimi sunt: unde fœtui nutrimentum deest. Paulus capite septuagesimoquarto libri tertij, humidiori utero, ex opposito sicciorem ponit: nam paucum semen habet, & uteri siccitas sabulo comparatur, in quod si semina ieceris, ob nimiã quã habet siccitatẽ, nihil germinare potest.

Καὶ περικαέας.] Alter contextus habet περικαίας, alter περικαυμένας. idest adurentes. hoc est, ualde calidos uteros habentes. quia calida natura exiccare est, & urere semen, & menses pauciores facere. Vnde Paulus libro tertio, capite septuagesimoquarto, uteri calidioris indicia ponit, ubi corpus uniuersum calidius extiterit, menstruaque pauca cum labore, exhulcerationesque naturalia mulierum occupant. Caliditas enim hæc superflua semen adurit, & generatiuum spiritum consumit, & menstruum. Propterea ab Hippocrate ratio edocetur, cur siccum uterum habentes uel calidum concipere non possint. Nam inquit,

ἐνδείᾳ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα. idest, Nam ex alimenti defectu corrumpitur semen.] Eius uero alimẽtum sunt menses, qui ob siccitatem uel caliditatem absunt, uel paucissimi habentur. Philotheus etiam siccitatem simul atque caliditatem commiscet, ex quibus corrumpi semen dixit. nam (ut dicit) ἡ ξηρότης δαπανᾷ καὶ ἡ θερμασία διαφόρησιν ἐργάζεται. idest, siccitas consumit, & caliditas discussionem facit.

ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι συμμέτρως, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται. idest, Quæcunque autem ex utrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.] Intellige autem ex utrisque contrarietatibus, calidi, frigidi, humidi, sicci. non est autẽ opus perfectam temperiem intelligere, quia omnino multæ intemperatæ concipiunt: sed intellige per temperiem, non multum distemperatas mulieres. Hoc idem Hippocrates docet in libro De natura humana, ubi ostendit, non generari nisi calidũ frigido, & siccum humido, modo & æqualitate respõdeat: sed alteri alterum longe præstabit, & ualentius infirmiori, nulla poterit genitura fieri. Galenus in Commento horum uerborum Hippocratis, præsentem aphorismum ad uerbum adducit. Postea inquit, His uerbis docet, quibus de causis steriles fiunt mulieres. Ostendit etiam id quod huic est annexũ: de quo cum nos aliàs, tum alij ante nos frequẽter scripserũt. Plato etiã meminit, non mediocrẽ artẽ esse dicẽs, qua uiros & fœminas tẽperamento inter se cõuenientes coniũgere scias. Nam de uteri tẽperamentis quæ dixit, Hæc æque de seminis tẽperamento intelligi debent, utpote quod nunc iusto est humidius aut frigidius, nunc siccius uel feruẽtius. Est autẽ utero sicciori familiare humidius semen, humidiori siccius: æque ut calidiori frigidius, frigidiori calidius. Sed de his plenius in libro De ratione puerorũ procreãdorum,

 tractamus

tractamus, in præsentiarũ satis sit didicisse, Nihil generari ex uno posse, adeo ne è duobus quidem aut pluribus coeũtibus cum fiat, ni mutua inter ipsa familiaritas sit, & temperamentorum aliqua ex coeuntibus temperata mediocritas, potest hoc generari. Hæc Galenus. ex quibus facile colligi potest, si generatio fieri debeat, necessarium esse inter marem & fœminam, proportionem quandam inueniri. Philotheus de hac re ita disserit, τεσσάρων οὖν οὐσῶν δυσκρασιῶν, δύο ἀντιθέσεις εἰσίν. πρώτη μὲν θερμότης, ψυχρότης. δευτέρα δὲ, ξηρότης καὶ ὑγρότης. λοιπὸν, ὥς φησιν ἱπποκράτης, ἐκεῖναι εἰσιν ἐπίτεκνοι, αἱ δὴ ἀμφοτέρων τούτων τῶν ἀντιθέσεων συμμέτρως τὴν κρᾶσιν ἔχουσαι. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρως εἰπεῖν, ὅτι δὴ ἀμφοτέρων λέγει, ἀπό τε τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς γυναικός. ἵνα ἐὰν θερμότερος ᾖ ὁ ἀνὴρ, ἡ γυνὴ ψυχροτέρα ᾖ, καὶ τὸ ἀνάπαλιν πρὸς τὸ εἶναι συμμετρίαν· ἐκ δὲ ταύτης, εὐτεκνίαν. idest, Quatuor igitur intemperiebus existentibus, duæ contrapositæ sunt: prima quidem caliditas, frigiditas: secunda uero siccitas & humiditas. Deinceps, ut dicit Hippocrates, illæ fœcundæ sunt, quæ ex utrisq; his contrapositionibus temperiem moderatam habent. Est autem & aliter dicere, quod ex utrisq; dicit, à uiro inquam & à muliere, ut si calidus est uir, mulier frigida sit: & uice uersa, ad hoc ut fiat commoderatio, ex hac autem fœcunditas.

GALENVS

SI MIHI liceret omnibus Aphorismis ordinem congruentem apponere, non essem ueritus paulo antea dictum Aphorismum in huius locum transferre, ut finito sermone de purgationibus, ille qui de ipsis esset uteris deinceps scriberetur, docẽte ipso quot modis mulieres steriles fiant. Primus igitur illis erit Aphorismus in quo dixit, Si mulier non concipit, scire autem uelis si conceptura sit, pannis circumtectam desubter suffias. Secundus autem iste propositus, cuius summa est, quod bene temperati uteri ad conceptionem sunt idonei: male autem temperati, si parum à bonitate recedunt, difficulter concipiunt: si uero nimium, mulieres steriles fiunt: ita quod simul etiam datur intelligi, unde uiri sint steriles, sed hæc multos latent. Qui uero ea quæ dicta sunt diligẽtius cõsiderat, primum quidem sciet quam ob causam & quidam uiri omnino steriles sunt. Secundo loco post hoc de uiris quidem ac mulieribus bonam habentibus temperaturam, quod semper generabunt, etiam si cum malam habẽtibus coeant. De habentibus autem malam temperaturam, quod cum solis his qui contrariam habent coeuntes, gignent. Prius autem dicetur de mulieribus sterilibus, quarum uterus statim ab initio est male tẽperatus, exuperante scilicet uel una duarũ qualitatũ, uel duabus, quẽadmodum in cõmentarijs De temperaturis determinauimus, ostẽdentes octo esse numero omnes intemperaturas: simplices quidem quatuor, quarum nunc Hippocrates meminit: compositas autem alias quatuor his simplicibus inuicem complicatas. Vbi igitur frigiditas immodica exuperat, adeo quod uterus spissior efficiat, angusta quidem sunt supra modum ora uasorum quæ ad ipsum pertingunt, mulieres uero steriles cum loci sitae secundæ non possint adnasci ad ora uasorum, neque si hoc fiat aliquando possit bene nutriri conceptus. uel enim nullo modo fiunt hisce mulieribus purgationes, uel omnino paucæ, hæ ipsæ uitiosæ, solo tenuiore atq; aquosiore sanguine perlabẽte. Sed & hæc quoq; ora facile obstruuntur, & propter natiuam angustiam, & quoniam magna ex parte hæ mulieres humorem aggregant pituitosum, siquidem & corpus totum omnino est uteris simile. Contingit autem & maris semen in talibus uteris refrigerari, nisi sit natura calidissimum. De prima itaq; frigida temperatura Hippocrates fecit mẽtionem inquiens: Quæcunq; frigidos & spissos uteros habent. Non per Iouem uolens simul coniungere in ipsis cum frigiditate densitatem, ueluti si siccitatem aut humiditatem addidisset. Harum enim neutra semper consequitur frigiditatem: & propterea ipsi, modo una, modo altera adiungitur. Densitas uero ex necessitate ualde frigidos uteros comitat, ob quam non possunt concipere, ut diximus. Quare ita sermonem totum huius Aphorismi audiemus. Quæcunque frigidos uteros habent, non concipient propter substantiæ ipsorum spissitudinem. Cur uero spissitudo aduersetur cõceptioni, dicere prætermisit, ut nobis potentibus intelligere. Et quæcunq; uteros nimis humidos habent non concipient. Extinguitur enim genitura, quemadmodũ in terra palustri cerealia semina. Et quæcũq; siccos

ſiccos,ſiue adurentes habent uteros propter defectum alimenti non concipient:nam in ſiccis uteris tale quid accidit, quale ubi aut harenæ aut argiloſæ terræ aut petroſæ mandantur ſemina. In habentibus autem immodicam caliditatem, quale ubi ualde calidæ terræ ſemina committuntur, quẽadmodum in æſtibus ſub Cane contingit. Sic quidem quatuor qualitatum Hippocrates meminit ſingularum ſeorſum facultatem exponens, ut ſi quando inuicem miſceantur, manifeſta ſit earum commixtio. Poſt hæc autem inquit, Quæcunq; uero ex utriſq; modice temperatæ ſunt, fœcũditatem habent. Ex utriſque autem, non qualitatibus ſcilicet (ſunt enim quatuor) ſed quæ ſunt ſecundum ipſas oppoſitionibus. Sicuti enim dictum eſt in libro De temperaturis, una quidem eſt bona temperatura mixtis modice inuicem calido ac frigido, altera uero humido ac ſicco: & fieri poteſt, ut ſit aliquis uterus ſecundum unam quidem oppoſitionem bene temperatus, ſecundum alteram uero male. Sed ne mulier concipiat, poteſt altera efficere intemperatura. Mulierem uero eſſe fœcundam, ſine ambabus bonis temperaturis eſt impoſſibile. Hippocrates quidem, ſicuti totum ſermonem anteriorem de muliebribus ſcripſit, ſic & nuper dictum de his quas habent uteri temperaturas, non tamẽ etiam audient de uiris ſermonem, uel quia promptum nobis ſit ex his quæ dicta ſunt eaſdem intemperaturas ad ſemen transferre, uel quia diſtulit ad ſequentia, ſed poſtea oblitus eſt. Quidam tamen alterum deinceps aphoriſmum de maribus adſcripſere, cuius initium, Similiter & in maribus. Sed probatiſſimi Aphoriſmorum expoſitores aiunt, ipſum & ab Hippocratis mente, & modo eloquutionis manifeſte deficere. & quidem ſecundum proportionem illorum quæ de mulieribus ſcripſit, licet nobis ad uiros tranſcendentibus dicere, quod propter temperaturæ frigiditatem non bene ſemen concoquitur, atq; ideo ſi mediocris quidem ſit intemperatura in ipſo, indiget utero calido ſufficienter. Si uero immodica ſit, eſt omnino ſterilis, uel propter humiditatem, rurſus neq; cõcoquitur, & hoc etiam indiget ſi modica ſit intemperatura, utero calidiori, ac ſicciori: ſi uero immodica, ſterilis eſt. Eodem modo & propter excedẽtem calorem ſemen fit toſto ſimile. Ob ſiccitatem uero ubi primũ excidit, neq; extẽdi poteſt, quod maxime fit neceſſariũ, ſi mulier debeat concipere. Oſtenſum eſt enim in ſermone De ſemine, quod niſi per uteri cauitatem parte plurima ſemen extendatur, mulierem non concipere. His ueluti quibuſdam elementis à nobis adſtructis, deinceps dicamus id quod ab initio diſtulimus dicere, quod etiam à Platone in Theæteto proponitur. Inquit enim & hoc eſſe maximũ opus obſtetricum, ſcire coniungere inuicem corpora apta ad cõceptionem, quod nunc in ſermone dictum eſt, & ſimul poſſe diſcernere qui uiri ſint infœcundi, & quæ mulieres ſteriles: nam immodicæ intemperaturæ horum ſunt cauſæ, modicæ uero ſi ſint, & contrarijs coniungantur, tunc concipient mulieres, ſi uero ſimilibus non concipient. Neque enim fieri poteſt ut frigidum ſemen in utero frigidiore ſit fertile, neq; ſiccum in ſicciore, & aliorum alterutrum eodem modo, ſed indiget ſemen quidem frigidius, utero tanto calidiore, quanto deficit ab optima temperatura, & humidius ſicciore, & in alijs eodem modo. Cognitio autem omnium immodicarum uteri intemperaturarũ, eſt quam paulo ante dixit Hippocrates in ſuffitu, qui per aromata fit. Frigiditas enim ſpiſſitudinis ratione, non permittit uſque ad os & nares ferri aromatum exhalationem. Eodem modo & ſiccitas. Humiditas uero, ſicuti ab ipſo dicta eſt, extinguere genituram, ſic & aromatum qualitatem. reliqua eſt uehemens caliditas, ſiquidem ea ratione quod uincit aromatum facultatem alterat, atque corrumpit: ac propterea non permittit ipſa ſeruantia ſui naturam ſinceram circa os & nares referri ſufficienter. De hiſce naturis ex ſuffitu aromatum cognitio præſtabitur. Si uero non poteſt hæc ſufficienter haberi, ex alijs indicijs nobis erit talis natura inueſtiganda, hoc ipſum cognoſcentibus, quod rara admodum eſt huiuſcemodi temperatura in mulieribus. Si quidem fœmina eſt mare frigidior. Vnde ob hoc ea quam facit Hippocrates ex aromatum ſuffitu dignotio in ſterilibus mulieribus utiliſſima eſt, uel quia omnis immodica intemperatura iſti ſubijcitur, uel quia rariſſime una ipſam ſubterfugit in mulieribus illis quæ tenues apparent & nigræ & hirtæ, ita quod ex his ſignis percipitur earum immodica intemperatura ſine ſuffitu aromatum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus iudicat, non esse conuenientem ordinem in Hippocratis Aphorismis, imò si liceret ordinem ponere, ipse primo quinquagesimum nonum legendum suaderet, deinde hunc sexagesimum secundum, postea sexagesimũ primum. huius summa est uteros bene temperatos bene concipere: parum temperatos, difficulter concipere: intemperatos, non concipere. Simulq; ex hoc edoceri putat, unde uiri sint steriles.

Vbi legitur, Primus igitur illis erit aphorismus in quo dixit: deest particula In. legi enim debet, Primus igitur in illis erit aphorismus, in quo dixit. nam Græce habetur, ἐν ἐκείνοις. quamuis Græci contextus hic diuersi sint, sed id est quo ad uocem, non quo ad rem ipsam. In nostro etenim antiquo contextu ita scriptum est, πρῶτος οὖν ἐν ἐκείνοις ἀφορισμὸς ἐστι. in alia uero lectione, & in Aldino codice ita habetur, πρῶτος οὖν ὁ ἀφορισμὸς ἐν αὐτοῖς ἐκεῖνος ἐστι. Sed hæc ad Galeni expositionem nihil faciunt.

SECVNDO docet, si quis præscripta in aphorismo recte perpendat. primo discet, quam ob causam quidam uiri steriles fiant. secundo hoc sciet, uiros habentes bonã temperaturam & mulieres semper concipere, etiã si cum his coeant qui malam habent temperaturam. qui uero malam habent temperaturam, nunquam cõcipient, nisi his iungantur, quæ contrariam habent temperaturam.

Vbi legitur, Etiam si cum malam habentibus coeant: deest hæc particula Temperaturam, ubi legi oporteat, Etiam si cum malam habentibus temperaturam coeant. Græce enim habetur, καὶ τοῖς δυσκράτοις μιγνύονται.

TERTIO Galenus de sterilibus mulieribus agit, quæ uterum ab initio male temperatum habent, uel in una qualitate uel in duabus. Sunt uero octo intẽperaturæ, quatuor simplices, & quatuor compositæ: ut in cõmentarijs De temperaturis scriptum est.

Vbi legitur, Quarum nunc Hippocrates meminit. deest coniunctio Et: nam Græce dicitur, ὧν καὶ νῦν ὁ ἱπποκράτης ἐμνημόνευσε.

QVARTO ad particulares intemperaturas descendit, quando uterus fit immodice frigidus, spissior efficitur, & uasorũ ora nimis angusta fiunt, unde steriles euadunt, quando secundæ ad uasorum ora ob suam paruitatem atq; angustiam adnasci non possunt. Et si quandoq; hæ mulieres concipiant, fœtus alere non possunt: nam uel mensibus carent, uel paucos admodum habent & uitiosos. Sed hæc uasorum ora etiam facile obstruũtur, cum ob propriam angustiam, tum quia ut plurimum pituitoso humore abundant: quoniam sicuti earum uterus est frigidus, ita earum corpus uniuersum frigidum est, & in illis uteris uiri semen frigescit, nisi apprime calidum fuerit.

Vbi legitur, Angusta quidem sunt supra modum ora uasorũ: deest particula In his, εἰς αὐτήν. ut legi debeat, Angusta quidem sunt supra modum in his ora uasorum.

Quod etiam legitur, Cum loci siue secundæ: Græce est, τοῦ χορίου. idest, secundæ.

Vbi etiam legitur, Vel omnino paucæ, hæ ipsæ uitiosæ. addi debet coniunctio Et: ut legatur Et omnino uitiosæ. nam Græce habetur, ἢ παντάπασιν ὀλίγαι, καὶ αὗται μοχθηραί.

Quod etiam legitur, Propter natiuam angustiam, Græce habetur, διὰ τὴν οἰκείαν στενότητα. idest, Propter propriam angustiam.

Quod etiam legitur, Humorem aggregant pituitosum, Græce est, φλεγματικώτερον, idest, Pituitosiorem.

Quod etiam legitur, Si quidem & corpus totum omnino est uteris simile: Grece est, καὶ γὰρ καὶ τὸ σύμπαν σῶμα τοὐπίπαν ὅμοιον ἐστὶ ταῖς μήτραις. idest, Etenim & corpus totum τοὐπίπαν, idest ut plurimum, est uteris simile.

Quod etiam legitur, Nisi sit natura calidissimum: in nostro antiquo cõtextu, eodem modo habetur θερμότατον. in alio uero habetur, θερμότερον.

QVINTO Galenus docet, Hippocratẽ frigidæ uteri temperaturæ, simul & spissæ mentionem fecisse, inquiens, Quæ uteros habent frigidos & spissos non concipiunt. At siccum uel humidum frigido non coniungit: quoniam humidum & siccum cum frigiditate adesse possunt, atque abesse. At densitas necessario cum frigiditate est, propter quam non possunt concipere. & ideo Aphorismi sensus est, Quæ frigidos uteros

uteros habent, non concipiunt, propter substantiæ ipsorum spissitudinem. sed cur spissitudo conceptioni aduersetur, non dixit Hippocrates, nam ex nobis ipsis id intelligere possumus. Quæcunque etiam habent nimis humidos uteros, non concipiunt: quia genitura extinguitur, ut in terra palustri disseminatum triticum amitti solet. Quæ siccos uteros habent, non concipiunt, ob alimenti defectum. Idem enim uteris accidit, quod arenæ accidit, aut argillosæ terræ, aut petrosæ, cui semina mandantur. Quæ uteros ualde calidos habent, non cõcipiunt: sicuti cum in æstate sub Cane ardenti terræ semina committuntur. Hippocrates quatuor qualitatum meminit, seorsum singularum facultatem exponens, ut earum commixtio pateat, si quandoque inuicem mixta sint.

Quod legitur, De prima itaque frigida temperatura. cõmodius legitur, primæ itaque frigidæ tẽperaturæ. nam & contextus Græcus ita dicit, πρώτης μὲν οὖν τῆς ψυχρᾶς κράσεως.

Quod legitur, Vt nobis potentibus intelligere. Græce est ὡς ἡμῶν συνιέναι δυναμένων, idest, Quia ex nobis, id intelligere ualemus.

SEXTO ultimam aphorismi partem exponit, quæcunque sunt ex utrisque scilicet oppositionibus temperatæ. In libro De temperaturis, dictum est unam esse bonam temperaturam mixtionem calidi & frigidi, & aliam mixtionem humidi & sicci. Fieri autem potest quod uterus secundum unam mixtionem temperatus sit, secundum aliam minime. At ne mulier concipiat, una intemperatura satis est: unde mulier non potest esse fœcunda, nisi ambas temperaturas bonas habuerit: propterea sicuti Hippocrates superiores aphorismos de mulieribus fecit, ita etiam & hũc de uteri tẽperaturis scriptũ reliquit.

SEPTIMO Hippocratem excusat, qui de uiris sermonem adiecerit, quoniam, inquit, facile est ex his quæ dicta sunt, intemperaturas illas ad semen transferre, uel quia hoc differebat, & postea oblitus est. Tamen sunt aliqui, qui consequẽtem aphorismum adijciunt. Boni uero Hippocratis interpretes, Hippocratis esse negant, quia nec eius mentem attingit, nec eius elocutionem sapit.

Quod legitur, Non tamen etiam audient de uiris sermonem, Græce est, οὐ μὴν γε τι προσέγραψε περὶ τῶν ἀνδρῶν. idest, Non tamen etiam adscripsit de uiris sermonem.

OCTAVO docet, facta ad mulieres proportione, uiros steriles intelligendos esse, propter temperaturæ frigiditatem, semen non bene coquitur: unde si sit mediocris intemperatura, utero sufficienter calidiori indiget. Si uero sit immodica frigiditas, est omnino sterilis. Idem euenit in humiditate, quia nec semen coquitur. Si sit modica humiditas, indiget etiam utero calidiori & sicciori, si concipiendum sit. At si multa sit humiditas, semen penitus sterile est. Idem euenit in calore, quia ubi temperatura est nimis calida, semen est tanquam tostum. Idemque euenit in sicca temperatura, quia siccũ est semen. ideo cum in uterum cadit, extendi non potest, propter id non concipietur, quia, ut in libro De semine, dictum est, nisi semen pro magna parte per uteri cauitatem extendatur, mulier non concipit. His dictis infert & secũdum Platonem in Theæteto, hoc esse maximum opus obstetricum, scire simul iungere corpora apta ad conceptionem, quod in hoc aphorismo dictum est. Hinc igitur cognoscuntur uiri infœcundi, & mulieres steriles. nam qui immodicas intemperaturas habent, nullo modo fœcundi sunt. Modicæ uero temperaturæ si contrarijs coniungantur, concipient. Sin similibus, non concipient. propterea semen frigidũ ab utero frigido non concipietur, sed bene à calido, imò à tanto calido, quantum semen est frigidum. At ne putes, quod hæc necessario ad libellam requirantur, ut authores docent, sed satis est lata quædam proportio.

Quod legitur, Si uero immodica sit, est omnino sterilis: & post duos uersus habetur, sterilis est. in utrisque locis, sterile est, in neutro genere legere oportet, quia ad semen refertur. Græce est in primo loco ἄγονον εἶναι παντάπασιν. In secundo uero loco ἄγονον ὑπάρχειν, & in utroque loco ἄγονον, idest sterile ad σπέρμα refertur.

Vbi legitur, Inquit enim & hoc esse maximum opus obstetricum, deest hæc particula unum. nempe legendum est, Inquit enim & hoc unum esse maximum opus obstetricum. Græce enim habetur, φησὶ γὰρ ἓν καὶ τοῦτ' ἔργον μέγιστον εἶναι τῶν μαιῶν.

Quod etiam legitur, Sicuti neque siccum in sicciori. Græce est, καθάπερ οὐδὲ τὸ ξηρότερον ἐν τῇ ξηροτέρᾳ. idest, Sicuti neque siccius in sicciore.

NONO

NONO docet, quomodo omnes uteri intemperaturæ cognoſcantur, per Hippocratis regulã in aphoriſmo quinquageſimo nono ſuperius poſito, ſcilicet per ſuffitum aromatum. nam ſiccitas & frigiditas, aromatum exhalationem uſq; ad os & nares penetrare non ſinunt, quia illæ qualitates ſpiſſitudinem inducunt. humiditas uero ut ab ipſo dicta eſt, genituram extinguere, ita aromatum qualitatem extinguit. Magna etiam caliditas aromatum facultatem uincẽs alterat & corrumpit, & ad nares & os ſuam naturam ſinceram peruenire non ſinit. At ſi hanc calidam intemperaturã aliter cognoſcere non poſſis, ſcito raras eſſe mulieres, quæ calidam habeant temperaturã, quia fœmina eſt mare frigidior. Ideo cognitio quam per ſuffitum aromatum proponit Hippocrates, utilis eſt, uel quia omnis immodica intemperatura prohibet, ne ad nares & os aromatum fumi aſcendant, uel quia rariſſime una ipſam ſubterfugit, ideſt quæ calida eſt intemperatura. At alia uia cognoſcũtur, nempe tenues ſunt, nigræ, hirtæ, unde per hæc ſigna ſine aromatum ſuffitu quod calidæ ſunt cognoſcimus.

Quod legitur, Siquidem ea ratione, quod uincit aromatum facultatem alterat atque corrumpit. In noſtro antiquo contextu ſcriptum eſt, ἢ μὲν γὰρ νικᾷ τὴν τῶν ἀρωμάτων δύναμιν, ἀλλοιώσει τε καὶ διαφθείρει. Aldinus uero contextus habet, ἢ τὴν τῶν ἀρωμάτων δύναμιν ἀλλοιώσει τε καὶ διαφθείρει. In Aldino deeſt uerbum νικᾷ, ideſt uincit. In utriſq; uero deeſt illa particula, Ea ratione.

Quod legitur, Circa os & nares; ita legitur in prima noſtri antiqui contextus lectione: ſed in ſecunda lectione eodem modo legit, ſicuti habet Aldinus contextus, ſcilicet πρός τε τὸ σόμα καὶ τὰς ῥῖνας. ideſt, ad os & nares. quod nobis magis arridet.

Quod etiam legitur, De hiſce naturis ex ſuffitu aromatum cognitio præſtabitur: in noſtro antiquo contextu ita habetur, αὐτάρκως δὲ περὶ τούτων φύσιων εἰς διάγνωσιν ἡ διὰ τῶν ἀρωμάτων γενήσεται πυρία. ideſt, ſufficienter autem de his naturis ex aromatum ſuffitu in cognitionem deueniet. Aldinus contextus non habet particulam ἡ διὰ. & principiũ huius partis hoc modo legit, αὐτάρκης ἐστὶ. tunc interpretetur, ſufficiens cognitio.

Vbi legitur, Hoc ipſum cognoſcentibus: deeſt particula Primum. nam legi debet, Hoc ipſum primum cognoſcentibus. Græce enim eſt, αὐτὸ τοῦτο πρῶτον ἐγνωκόσιν. ita eſt in noſtro antiquo cõtextu; ſed Aldinus habet ἐγνωκότας, loco huius particulę ἐγνωκόσιν.

APHORISMVS LXIII

SImiliter autem & in maribus: aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, ut ſemen non tranſmittatur ad os, uel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras, uel propter frigiditatem non concaleſcit, ita ut ad hunc colligatur locum, uel propter caliditatem hoc idem accidit.

BRASAVOLVS

AB RE non uidetur, quum in mulieribus ſterilitatis cauſas edocuerit, in uiris infœcunditatis cauſas edocere. Corporis raritas cauſa eſt, cur uiri infœcundi ſint, quoniã ſpiritus illi qui ſemini uim generatiuam præſtant, extraferuntur, & ſemen non ingrediuntur, propterea ſemen illud generatiuum non eſt. Alia infœcunditatis cauſa eſt, nimia humoris ſpiſſitudo, ob quam humor non exit foras, ſed ob ſuam craſſitiem perſtat. Tertia infœcunditatis cauſa eſt frigiditas: ex ea enim ſemen frigidum efficitur, ita ut non caleſcat: & ad hunc locum, ſcilicet generationis aggregetur. Quarta cauſa eſt, nimia caliditas, quæ & ipſa cauſa eſt cur ad generationis locum non aggregetur. Oribaſius ante hunc aphoriſmum alium habet, qui eſt, Mulieres quæ in pubertate incumbere meditãtur, barbeſcunt: quia incumbere eſt uiri appetitus. Iſtæ autem mouentur appetitu maſculino, ideo conuenit ut barbeſcant, quia ſunt calidiores natura. Et quicunq; ſcilicet mares in pubertate ſuccumbere meditantur, non barbeſcunt: nam non mouentur maſculino appetitu, ſed potius fœminino: propterea non mirum, ſi non barbeſcant, quia frigidiores ſunt. At nos hunc Aphoriſmum in nullo Hippocratis libro ſcriptum inuenimus

nimus, & re uera ea quæ proponit, absurda sunt & falsa.

παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρρένων. idest, Similiter autem & in maribus] suæ sunt infœcunditatis causæ. Galenus putat hunc aphorismum non esse Hippocratis, quia hic qui ipsum interposuit, proprias uoces ignorauit. Philotheus exponit, similiter autem & in maribus dicere oportet, sicuti in mulieribus dictum est: inquit enim, ὁ γαληνὸς λέγει, ὅτι νόθος ἐστὶν ὁ παρὼν ἀφορισμός· εἰ γὰρ ἦν τοῦ ἱπποκράτους, ἔδει διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας, ἃς καὶ ἐπὶ τῶν γυναικῶν, ὑποθέσθαι ἄγονον εἶναι τὸ ἄρρεν, εἰπὼν, παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀρρένων. idest, Galenus dicit, quod presens aphorismus nothus est. Si enim Hippocratis sit, oportebat ob easdem causas, quas & in mulieribus dixerat, marem infœcundum esse supponere, dicens, Similiter autem & in maribus. Tamen nos hunc aphorismum in rectum sensum deducemus: & à Galeni argumentis defendere conabimur, sed alio modo intelligentes quàm ipse faciat: quod & Philotheus promittit, inquiens: πλὴν εἰ δοκεῖ ἐκ τῶν ἱπποκράτους εἶναι, ἐξηγητέον αὐτὸν οὕτως. idest, uerumtamen si ex his qui Hippocratis sunt, esse uideatur ipsum sic exponamus.

ἢ γὰρ διὰ ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται. idest, Vel enim ob corporis raritatem spiritus extra fertur.] Galenus per corporis raritatem totius humani corporis raritatem intelligit. Et ita re uera falsum est, quod raritas sit infœcũditatis causa: imò potius oppositum est. Nos uero per corporis raritatem, ipsius seminis raritatem intelligamus: nam & semen ipsum, corpus est: & ita uerum esse poterit, quod seminis raritas sit infœcunditatis causa, quoniam spiritus generatiuus ob raritatem extra fertur.

πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα.] Theodorus interpretatur, ne semen genitale transmitti possit. Leonicenus uero, ut semen non transmittatur ad os. addit illam particulam Ad os, quæ in Græcis codicibus communiter non adest, tamen in nostro antiquo contextu illa particula ponitur, & etiam legit παρεμπίπτειν & non παραπέμπειν, nempe hoc modo legit, πρὸς τὸ μὴ παρεμπίπτειν τῷ στόματι τὸ σπέρμα. Nos putamus particulam illam τῷ στόματι, superfluam esse, & Hippocratem hunc sensum facere. Rarum semen infœcundum esse, quia spiritus exeunt, & non ingrediuntur semen. propterea hoc modo interpretari oportet, & non transmittantur ad semen. & hic erit uerus aphorismi sensus, & Hippocrate dignus. At si corporis raritatem intellexerimus, & non seminis, cum sit falsus sensus, nihil refert & hanc particulam falsam esse. Philotheus Hippocratem in rectum sensum ita deducere studet, inquiens, ὅτι ἐὰν διαφορητὸς ᾖ ὁ ἀνὴρ, καὶ οὐ δύναται ἀκοντίσαι τὸ σπέρμα παρὰ τοὺς γυναικείους κόλπους, καὶ διὰ τοῦτο ἀνεπιτήδειος πρὸς σύλληψιν. idest, quod si perspirabilis sit uir & semen ad muliebres sinus eiaculari non potest: & propter hoc ad conceptionem ineptus.

ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέεται.] Alter contextus habet διαχωρήσει. alter habet διαχωρεῖ. idest, uel propter spissitudinem humor non exit foras. Galenus præcedentis sententiæ oppositum intelligit, ut propter spissitudinem corporis, semen exire non possit: & tunc sententia hæc absurda est, & philosopho indigna. At si nos ipsam ueram reddere tentemus, per spissitudinẽ uel ipsorũ uasorum densitatẽ, quę ipsa arcta & stricta facit intelligamus, uel semen adeo spissum, ut extendi non possit, quemadmodũ conceptio ipsa exigit. Philotheus in hac parte cum spissitudine siccitatem ponit, inquiens, κἂν ξηρὸς ᾖ, πύκνωσιν πάσχει, καὶ τῇ πυκνότητι καὶ ξηρότητι, οὐ γίνεται ἔκκρισις σπέρματος, κἀντεῦθεν ἄγονός ἐστιν. idest, Et si siccum fuerit, densitatem patitur, & spissitudine atque siccitate seminis secretio non fit, & hinc infœcundus & sterilis est.

ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐμπυρεύεσθαι. idest, Vel ob frigiditatem non concalescit.] Ita habet noster antiquus contextus in prima lectione, & ita Leonicenus in suo contextu habuit. sed in alia nostri antiqui lectione, quam & Aldinus codex sequitur, ita scriptum est, ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐᾷ πυρεύεσθαι. idest, Vel ob frigiditatem non sinit calefieri semen ab utero. & consequenter non coqui, & illuc non peruenire ut maturescat.

ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον. idest, Quamobrem ad hunc locum non colligitur.] scilicet ad uteri fundum: uel ad præcedentem partem referamus ob frigiditatem calefieri non sinit, ut ad hunc locum colligatur. non enim concipitur semen, nisi in uteri fundo colligatur. Propterea & hic Oribasius dicit, frigus prohibere ne semen eijciatur

FF tur

tur, & in uteri fundo congregetur. Philotheus cum præcedenti parte hanc coniungit, inquiens, καὶ ἐὰν ψυχρὸς ᾖ, νεκρὸν ἔχει τὸ σπέρμα, καὶ οὐκ ἐκπυροῦται, ὥστε ἀθροίζεσθαι παρὰ τὸν τόπον τοῦτον, καὶ οὐ ζωογονεῖσθαι. ἀθροίζεται μὲν γὰρ πρὸς τὴν μήτραν, οὐ ζωογονεῖται δὲ ὡς ψυχρότερον. idest, Et si frigidum sit, semen habet emortuum, & non cōcalescit, quamobrem ad hunc locum colligitur, & animatur. Colligitur quidem ad uterum, sed non animatur: quom sit frigidius scilicet quam ut animari posit.

ἢ διὰ τὴν θερμασίαν τοῦτο τὸ αὐτὸ γίνεται. idest, Vel ob caliditatem hoc idem contingit.] scilicet quod in uteri fundo non colligitur. Philotheus hic dicit, καὶ ἐὰν θερμότερος ᾖ, τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται. τουτέστιν ὡς θερμότερον τὸ σπέρμα οὐ δύναται ἀθροίζεσθαι, καὶ δημιουργεῖσθαι. λοιπὸν οὖν ἐπιτηδείως ἔχουσι πρὸς σύλληψιν, οἱ δὲ ἀμφοτέρων τῶν ἀντιθέσεων τὴν μεθόδως εἴρηται, τὴν κρᾶσιν ἔχοντες. idest, Et si calidior scilicet uir fuerit, hoc idem fit: hoc est, quod calidius semen colligi non potest, & perfici ac procreari. Deinceps igitur apte se habent ad conceptionem, qui ex utrisq; contrarietatibus, ut dictum est, temperiem habent. Oribasius de hac materia alium aphorismum habet, qui est, uiri semen aquæ iniectum si supernatat, aquosum, & nimis tenue est, nec concipit ex eo mulier. At apud Hippocratem non inuenitur hic aphorismus. Illa, quam assignat, ratio esse posset, quia mulier non concipit, nisi semen mediocriter spissum sit. Sed an crassum semen in fundum descendat ob spiritus quos continet, dubium uidetur.

GALENVS

QVI hunc interposuit aphorismum neq; proprias uoces intellexit. nam cum profiteretur eundem in uiris sermonem se facturum sicut Hippocrates in mulieribus scripserat, non adimpleuit hoc. Cum enim ille de quatuor intemperaturis fecisset mentionem, oportuit hūc etiam quatuor in maribus, ut nos fecimus, in medium adducere, uerum non sic iste, sed primum quidem statim damnat corporis raritatem, quæ in mulieribus fuit prætermissa, neq; eius sermo, si ipse seorsum diligentius examinetur, uerus deprehendetur. Videntur si quidem uiri multi habentes rarum corpus, semen tamen habere fœcundissimum, neq; id mirum, raritas si quidem corporis in calidioribus, atq; humidioribus prouenit temperaturis quæ plurimo semine, & fœcūdissimo abundant. Nam & materiam habent ex qua semen generatur copiosum, & uim à qua concoquitur. Vasa autem seminaria sua intentione expressum semen extra iaculantur, & non spiritus est ille qui propellat: si quidem substātia spiritualis cum humore miscetur seminis, quæ & ipsa indiget exprimentibus, sicuti & humor qui tantum siccum superexcedit, quanto & celerius extra eijcitur, & ad longius spatium defertur. Hæc igitur sunt ab eo ignorata qui aphorismum adiecit, & præterea cum ait humorem propter spissitudinem non exire foras. Si enim alium humorem à semine dicit, sermo delirus est. Si uero ait semen propter corporis totius spissitudinē non exire foras, ignorat omnino quæ sit structura instrumētorum, quæ seminaria uocantur: melius enim fuerat ipsorum causare angustiam. Et quidem id quod deinceps est dictum usque ad aliquid uerum non habet id quod sequitur intelligibile: nam quod propter temperaturæ frigiditatem semen non concalescat, ac propterea sit infœcundum, uerum existit. Quod autem colligi nequeat ad locum hunc, superfluo adiectum est, præter id quod neq; locus ab ipso explicatur, sed à nobis intelligendus relinquitur, & tamen id uerbum Hunc, ad ea quæ prius dicta sunt, habet relationem. Sed hæc quidem parua sunt. Qui uero circa finem error, est magnus, quum dicat propter ipsius caliditatem hoc idem euenire: nam manifeste ad illud quod antea dictum est sermo iste refertur. Dictum autem antea fuit quod propter frigiditatem non concalescat, adeo ut ad hunc locum colligatur. Quare propter calorem oportet intelligere non concalescere, neq; colligi in uasis seminarijs semen. Hoc autem est aperte absurdum: nam torreri, aut assari, aut tale aliquid semen pati propter calorem, rationem habet: non concalescere autem, est omnino perabsurdum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, eum qui hunc aphorismum interposuit (quia ipsum Hippocratis esse non putat) eius uoces ignorasse: nam profitetur se idem dicturum in uiris, quod

quod in mulieribus Hippocrates fecerat, id tamen non effecit. cum enim de quatuor intemperaturis in mulieribus sermonem perfecerit Hippocrates, necesse erat & in uiris de eisdem quatuor mentionem facere, ut nos in commento præcedentis aphorismi fecimus, sed iste hoc non fecit.

Quod legitur, Neq; proprias uoces intellexit: nos potius hoc modo ordinaremus, proprias uoces non intellexit.

SECVNDO docet hunc errare, quia corporis raritatem damnat, tamen multi rarum corpus habent, & semen unà fœcundum, & hoc rationabiliter, quia corporis raritas in calidioribus & humidioribus prouenit tẽperaturis quæ multo semine abundant, & fœcundo. Habent enim materiam generãdi multum seminis, & uim concoquendi: & quia causam assignant cur non concipiatur, quoniam semen non transmittitur, eo quod spiritibus caret, propterea Galenus dicit, esse uasa seminaria, quæ semen transmittunt, & non spiritus: ut hinc facile uidere possis, Galenum aliter illa uerba interpretari, quàm nos fecerimus. nos enim intelligebamus de transmissione spirituum per semen; Galenus uero intelligit ac si semen per uias suas non transmittatur, quia spiritibus caret: sed hi spiritus ad rem nihil faciunt, quia cum semine miscentur, & ipsum exire non faciunt, imò ambo aliquo exprimente indigent, sicuti & ipsa humiditas, tantum superexcedens siccum, quantũ ipsa & celerius extra ejcitur, & ad longius spatium defertur, quàm faciat ipsum siccum. Ille qui hunc aphorismum hic adiecit, hæc ignorauit.

Vbi legitur, Raritas quidẽ corporis in calidioribus atq; humidioribus prouenit temperaturis, deest particula Simul: in calidioribus simul atq; humidioribus. Græce enim habetur, ὡδὶ ταῖς θερμοτέραις τε ἅμα καὶ ὑγροτέραις.

Vbi etiam legitur, Vasa autẽ seminaria sua intẽtione. hæc particula Intentione, Græce est τῇ συντονίᾳ. Quod legitur, Sicuti humor qui tantum siccum superexcedit. tu lege, Sicuti humiditas tantum siccum superexcedens. Græce enim habetur, ὥσπερ καὶ ἡ ὑγρότης τοσοῦτον πλεονεκτοῦσα τῆς ξηρότητος.

TERTIO huius Aphorismi assertorem reprehendit in hac particula in qua dixit, humorem propter spissitudinem non exire foras. nam si per humorẽ, alium humorem à semine intelligit, uane loquitur: si uero semen intellexerit ob corporis spissitudinẽ non exire foras, structuram uasorum seminariorũ ignorat. melius enim fuisset, quod ex angustia meatus causam reddidisset.

QVARTO docet Galenus, id quod sequitur, partim uerum esse, & partim absurdum: nam quod ob frigiditatem semen non coalescat, & propter hoc sit infœcundum, uerum est, sed quod ad hunc locum colligi non possit: ob hoc superflue dictum est, quia ipse non prædixit, quinam sit iste locus: sed nobis locum intelligendum reliquit. At hi errores parui sunt: magnum uero errorem statim edocebit.

Quod legitur, Præter id quod neq; locus ab ipso explicatur. lege, Prædicitur. loco illius uerbi Explicatur. nam Græce est προειρῆσθαι. ita habet antiquus noster contextus emendatus: sed prius simul cum Aldino legebat προσειρῆσθαι.

QVINTO Galenus errorem magnum detegit. nam cum Aphorismus de caliditate loquitur, dicit hoc idem euenire propter caliditatem. At hoc referri nõ potest, nisi ad superiora. propterea ad ea quæ dicta sunt de frigiditate refertur: dictũ uero est non concalescat, adeo ut ad hunc locũ colligat: quare intelligere oportet propter caliditatẽ non cõcalescere, neq; colligi in uasis seminarijs semen, quod absurdissimũ est: nam ob caliditatẽ potest torreri aut assari semẽ, nõ tamẽ non cõcalescere: & ideo secundũ Galenũ hic aphorismus absurdissimus est: quẽ tñ si nostro more interpreteris, uerũ reddere poteris.

APHORISMVS LXIIII

LAc dare caput dolentibus, malum: malum uero & febricitantibus, & quibus ilia suspẽsa murmurant, & siticulosis: malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & rabidis dare, qui non ualde multum febricitant & in febribus longis, & paruis: si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

BRASAVOLVS

DE HIS nunc agit Hippocrates, quæ à potu uel esu lactis, in ægris contingunt, quamuis & hæc sanis etiam pro parte saltem contingere possint. Lac primo his obest, qui capite dolent: nam facile in caput euaporat, & dolorē exauget. & hoc potissimum facit, si huius uiri, qui hausit, uentriculus calidus sit, quia tunc facile euaporat: tamen & si non ita calidus, etiā effumat in caput. Est preterea malum lac febricitātibus præbere: nam facile corrumpitur, & in igneos fumos conuertitur, qui cor petentes, deinde per totum corpus sparsi, febrem exaugent. Si quis etiam tumida hypochondria habuerit, & ob flatum extensa, ipsi lac obest: quoniam in flatus facile uertitur, & uehemētius eas partes extendit, quàm prius faceret, doloresq; incomparabiles infert. Adde, malum esse lac siticulosis: nam in fumosum uaporem conuersum sitim exauget. His etiam nocet, qui in febribus acutis biliosas deiectiones habent: nam lac in bilem facile transit, & biliosas illas deiectiones exauget: & his etiam obest, qui multum sanguinem deijciunt: nam defluxum procurat. His uero defluxus quum sanguinis sit, frigidiorem uentriculum reddit: itaq; lacte addito uehementius læditur. Econtrario lac phthisicis conuenit, si febre intensa non infestentur: nam nutrit, abstergit, mundificat, & partes intrinsecas exulceratas consolidat: quæ omnia phthisico quadrant. Conuenit etiam longioribus febribus & paruis: sed hoc præsertim quando nullum ex prædictis signis simul iunctum non fuerit, scilicet quod capite non doleat, murmurantia hypochondria non habeat, & reliqua superius enumerata. Lac enim affectionem præter naturam remouet, quæ in febribus longis est. Quum uero & lac impinguet, his etiam conuenit, qui præter rationem consumpti sunt. Hæc sunt illa quibus prodest, & quibus obest lac, pro parte solum enumerata. nam multa alia sunt, quibus & prodesse & obesse potest, in hoc loco ab Hippocrate non citata.

γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι κακόν. idest, Lac dare caput dolentibus, malum.] Antiquus noster contextus legit κεφαλαλγικοῖσι. De his autem doloribus superius ubertim egimus libro tertio, Aphorismo decimotertio, quomodo à cephalea & ab hemicranea differant, edocentes. Obest uero caput dolentibus, ut Philotheus dicit, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸ φυσωδῶν γεννητικὸν πνευμάτων ἀπεπτουμένων, ἅπερ ἐπιτείνουσι τὴν κεφαλαλγίαν, πλὴν οὐχ ὅλον τοῦτο τὸ γάλα ποιεῖ, ἀλλὰ τὸ τυρῶδες. idest, Quoniam ipsum est spirituum flatuosorum incoctorum generatiuum, qui capitis dolorem intendunt: uerumtamen omne lac hoc non facit, sed quod est caseosum. Nempe lac triplici substantia confectum est, butyrosa, caseosa, & serosa. prima substantia, calida est: secunda, frigida: tertia, cuius naturę sit, ambiguum est: tamen nos superius edocuimus, quomodo calidum, & quomodo frigidum serum dici possit. Philotheus hic de lacte ita disserit, τὸ γάλα τριπλῆν ἔχει τὴν οὐσίαν, τὸ τυρῶδες, τὸ ἐλαιῶδες, τὸ ὀῤῥῶδες. καὶ ἔστι τὸ μὲν τυρῶδες αὐτοῦ, παχὺ καὶ ψυχρόν, τὸ δὲ ἐλαιῶδες, θερμόν. τὸ δὲ ὀῤῥῶδες, λεπτομερὲς καὶ ῥυπτικόν. ἀλλ' ἐπειδή τινες ὑπετόπασαν μὴ δὲ ὅλως αὐτὸ βλαπτικὸν εἶναι, διὰ τὸ εὐαλλοίωτον αὐτοῦ, τούτου χάριν ἱπποκράτης ἐκκόψαι τούτων τὴν ὑπόνοιαν βουλόμενος, τὰ ἐξ αὐτοῦ γινόμενα κακὰ καταλέγει. idest, Lac triplicem habet substantiam, caseosam, oleosam, serosam. Et ipsius quidem caseosa pars, crassa & frigida: oleosa autem, calida: serosa uero, tenuium partium & abstersiua. Sed quoniam nonnulli contendunt, uniuersaliter ipsum non lædere, quoniam facile alteretur, ac resoluatur: huius gratia Hippocrates uolens horum suspicionem remouere, mala quæ ex ipso fiunt, enumerat. Galenus uero in tertio De alimentorum facultatibus libro, de hac re diffusissime agit, inquiens, secundum diuersa animalia crassius & tenuius esse: nam bubulum, pinguissimum & crassissimum est: camelinum, liquidissimum & non pingue: mox equinum, deinde asininum: caprinum, medium locum obtinet: ouillum, caprino crassius est. Etiam anni tempora lac uariant: quia in uere, quando recenter peperere, humidissimum est & copiosissimum, postea paulatim crassescit. In media æstate, mediocre est. Galenus docet, nos uti debere lacte sero abundante: quia alijs minus nocet. Eodem'que in loco, modum corrigendi lac, ne caput offendat, quando haustum fuerit, ostendit. Modus uero est, si quis post lactis assumptionem primum melicrato, deinde adstringente uino os abluat. Alij legunt, Vino acerbo. Et Paulus Ægineta capite octuagesimo sexto primi libri, ea referens quæ à Galeno hic dicuntur

dicuntur, uino acerbo os ablui dicit. Omnes uno ore, capiti obesse fatentur: sed magis serosum minus obest: unde quia asininum plurimo abundat sero, propterea minus obesse potest.

Κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι. idest, Malum & febricitantibus.] Tum quia euaporat, tum quia calidum. nam butyrum eius pars est, quod & calidum & facile inflammabile existet. nec obstat, quod ab aliquibus putetur lac magis frigidum esse, quàm calidum: quia hoc ad rem nihil facit. Satis enim est quod partes calidas habet: & quæ in ipso sunt frigidæ partes, facile euaporant, & in igneos fumos transeunt. Intelligendum uero est, quod hæc febris intensa sit, quia in remissa & lenta, adeo non obest, nec in materiam illam facientem facile conuerti potest, nec ita inflãmatur. An uero in uehemẽti febre & phthisi dandum sit lac. Respondemus, dandum non esse, quia si febris uehemens sit, necessario est materialis: quamuis ratione phthisis conueniret: at ratione febris non conuenit, quæ exaucta cito necare posset, ideo dandum nõ est. Phthisis uero est diutinus morbus. Philotheus quoque febricitantibus lac dandum non esse iubet, ἀλλ᾽ ὀξέως, idest sed acute, scilicet febricitantibus, διὰ τὸ πρόσθεσιν τῇ ὕλῃ χαρίζεσθαι ἀπέπτου μένον, ἢ διὰ τὸ ἐλαιῶδες αὐτοῦ ὡς θερμὸν, ὃ ἐπίτασιν πυρετοῦ ἐργάζεται. idest, Quoniam additamentũ incoctum materiæ conciliat, uel propter naturam oleosam calidam ipsius, quæ incrementum febri affert.

Καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα καὶ διαβορβορύζοντα. idest, Et quibus hypochõdria suspensa murmurantia.] Noster antiquus contextus habet ὑποβορβορύζοντα, idest submurmurantia. Leonicenus interpretatur, hypochondria ilia; quum ilia sub hypochondrijs sita sint: à nobis superius dictum est hypochondria à Celso dici præcordia. Sunt uero hypochondria suspensa, quando ob flatus & humiditatem extẽsa sunt, ut de ipsis aphorismo septuagesimotertio quarti libri dictum est. At facile lac in flatus & in humiditatem conuertitur, unde & submurmurãtibus hypochondrijs facile obesse potest. Galenus libro tertio De alimentorum facultatibus, capiti & hypochondrijs lac obesse dicit. Idem sentit Paulus loco præcitato. Hippocrates quoque libro quarto Epidemiorũ prope finem, de quodam sermonem habet, qui flatu uexatus hypochondria doluit, quod lactis multum hausisset. Philotheus murmurantibus hypochondrijs malum esse dicit, πλὴν καὶ ἐν ταῦθα τὸ τυρῶδες ἀπέπτου μένον, καὶ γεννῶσι πνεύματα, ἃ ἐπιτείνουσι πάθος. i. Verumtamen & hic pars caseosa incocta uel coctu difficilis, & flatus generans, qui passionem exaugent.

Καὶ τοῖσι διψώδεσι. idest, Et siticulosis] malum est lac. Sunt uero siticulosorũ genera, alij natura siticulosi sunt, alij hoc habent ad tempus. De utrisque uerum est, quod lac illis obest, quia sitim auget: nam in fumosum uaporem conuertitur. Qui uero siticulosi sunt bile abundant, uel salsa pituita, sed potissimum bile. Lac uero pro parte in bilem conuertitur, & hinc sitis causam exauget: hoc autem facit ratione seri, Philotheo dicente, πλὴν τὸ ὀῤῥῶδες ὡς θερμόν. idest, Nam serum calidum est, uerum pars serosa utpote calida.

Κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ ὑποχωρήσιες ἐν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι. idest, Malum autem & quibus biliosæ deiectiones in acutis febribus sunt.] Nam febres acutæ ex biliosa materia potissimum fiunt, & biliosæ deiectiones ex eadem materia fieri constat, lacte exhausto febres augentur, atque biles. At per bilis augmẽtum, quod facile fit per lactis transmutationem in bilem, crescit febris, & deiectio atque profluuium crescunt. Oribasius huius rationem reddit, quia maior fit relaxatio. Philotheus dicit hoc malum esse, πρῶτον μὲν διὰ τὸ ὀῤῥῶδες αὐτοῦ ἐρεθίζον. ἔπειτα δὲ καὶ διὰ τὸ ἐλαιῶδες τὸ θερμαινόμενον. idest, Primũ quidem propter serosam ipsius partem excitantem, postea uero & ob oleosam quæ incalescit.

Καὶ οἷσιν αὖ αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. idest, Et quibus sanguinis multi deiectio facta est.] Nam quũ sanguinis copia exit, frigescit corpus: propterea lac propinare non conuenit: quoniam, ut Galenus in commẽto dicet, quando calor est paucus, acescit. At per sanguinis deiectionem ex quacunque parte deiectionem intelligere possemus: tamen melius est intelligere per inferiora, unde antiquus contextus noster, ubi in prima lectione habet διαχώρησις, in secunda legit ὑποχώρησις. Oribasius dicit multis modis obesse, primum quia debilitatur natura, deinde quia uires reprimit, & ubi resederit, magis aggrauat. Philotheus etiam dicit hoc malum esse, διότι τοῦ αἵματος πολλοῦ κενωθέντος ἠσθένησαν αἱ φυσικαὶ δυνάμεις. παρεχόμενον οὖν τὸ γάλα, διὰ τὸ παχὺ αὐτοῦ ἀπέπτεται, ἀπέπτου μένον οὖν, πῶς οὐχὶ πολλῶν κακῶν αἴτιον γίνεται. idest, Quoniam sanguine multo euacuato, natu-

to, naturales potentiæ debiles factæ sunt. Præbitum igitur lac ob eius crassitiem non concoquitur. Non concoctum uero quomodo multorum malorum causa non fiat? Galenus libro tertio De alimẽtorum facultatibus, multa alia lactis incommoda ponit, primo eius usum omnibus insidum esse testatur, renes offendit, calculos renum facit, iecur obstruit: quæ omnia & à Paulo præcitato loco referuntur. Celsus libro tertio, capite uigesimosecundo de tabe agens, hanc primam Aphorismi partem, in qua habetur, Quibus obsit lac, ita uertit: Lac quoque quod in capitis doloribus, & in acutis febribus, & per eas facta nimia siti, siue præcordia tument, siue biliosa urina est, siue sanguis fluxit, pro ueneno est. Si hic Celsum consideremus, ab Hippocrate in multis differre percipiemus, & à sensu, quem nos illi tribuimus. Quod enim Hippocrates dicit, siticulosis, ipse intelligere uult patientes sitim ex acuta febre. Galenus uero omnes patientes sitim intelligit, uel à natura, uel per tempus. Et quod Theodorus atque Leonicenus interpretati sunt ilia: ipse uertit præcordia, & melius quàm illi fecerint, dicentes ilia. Et quod Hippocrates dicit, biliosas deiectiones: ipse habet, biliosa urina est.

ἁρμόζει δὲ φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι. idest, Conuenit autem phthisicis dare, qui non ualde multum febricitant.] Hic docet Hippocrates, quibus lac conueniat, tabidis conuenit, ut Leonicenus interpretatur. At nos potius dicamus phthisicis: non possunt autem esse phthisici, nisi simul ethicam febrem patiantur. Lac uero & phthisi & ethicæ conuenit. At si phthisicus intensam febrem pateretur, huic lac competere non posset, quia febris illa humoralis esset, cui obstat lac. Ethica enim remissa febris semper uidetur, quum tamen intensissima sit. Qui phthisicus est, consumptionem habet, & pulmonem exulceratum, ideo nutrimento indiget & restauratione, mundificatione, hulceris abstersione atque consolidatione: quæ omnia ab uno lacte fieri possunt. Vnde à Galeno summe laudatur in phthisi lac tertio De alimentorum facultatibus libro. Nempe cibus est, qui hominem delectat, & facile accipitur, & cito penetrat: quod ibi præstat serum, cuius etiam ratione abstergit & lauat, bonum nutrimentum condonat: nam substantifica humiditate humectat ratione butyri: humectatiua uero & aquosa ratione seri. Ratione casei consolidat: propterea phthisicis optimum est lac. Debes uero asininum lac, aut caprinum dare. Et, ut Paulus docet, atque Galenus præcitatis locis, calculi igniti in ipso extingui debent. Philotheus hic dicit, ἔπειτα τὴν τοῦ γάλακτος ἀφηγησάμενος κακίαν, λοιπὸν καὶ τὰς ἀρετὰς αὐτοῦ παραδίδωσι. λέγει γὰρ ἐπιτήδειον εἶναι τοῖς φθινώδεσι, καὶ μὴ λίαν πυρέσσουσιν, πλὴν καὶ ἐνταῦθα τὸ ἀῤῥωδεῖν. καθαίρει γὰρ τὸ ἐν πνεύμονι πύον. τούτου οὖν ἐκκαθαιρομένου, μεγάλως εὐεργετοῦνται. ἔστι γὰρ ὅτε καὶ θεραπεύεται ἕλκος. ἢ ὅτι αὐτὸ τὸ γάλα ὡς ὑγρὸν, καὶ ἕτοιμον ἀναδόσιμον τρέφει τὸ σῶμα. idest, Postea quàm lactis malitiam enarrauit, deinceps & ipsius uirtutes reddit. dicit enim, aptum esse uergentibus ad phthisim, qui non ualde febricitant: uerumtamen & hic serum. pus enim quod in pulmone est, purgat: hoc enim expurgato uehemẽter beneficio afficitur. Contingit enim ut aliquando hulcus sanet, uel quod ipsum lac ut humidum & aptum, & per corpus fusum nutrit corpus.

καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος. idest, Et in febribus longis & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit.] Theodorus interpretatur, Dare uero & in febribus longis tussiculosis. At Leonicenus dixit, In febribus longis paruis. Ratio diuersitatis in his uiris fuere uarii contextus. nam Leonicenus in suo contextu habuit βληχροῖσι, idest debilibus & paruis: quod etiam in Aldino contextu, & in prima nostri antiqui lectione scriptum inuenitur. In secunda uero nostri antiqui contextus lectione scriptum est βηχώδεσι. itaque in suo contextu Theodorus habuit: & Oribasius hanc particulam βηχώδεσι, idest tussibundis, legit & interpretatur. At reuera lac & longis febribus conuenit, & etiam si tussis adfuerit. nam ut Galenus docet in tertio De alimentorum facultatibus libro, Lac pectoris, pulmonisque partibus utile est: unde uel longam febrem intelligamus & paruam uel tussibundam, lac illi conuenit. Oribasius lac præparat lente & farre, ut hæc in ipso coquantur. Intellige uero in his febribus ualere, quãdo ex prædictis signis nullum adfuerit, scilicet quod caput non doluerit, non sint intenta præcordia: quoniam si hæc signa adfuerint, & si lac ratione febris competat; aliorum tamen ratione non conuenit. Philotheus etiam legit, βληχροῖσι

χοῖσι, idest paruis: additq́; διὰ δὲ τοῦτο, τοῖς ἑκτικοῖς ἁνέξατο πυρετοῖς, πλὴν ἐὰν μηδὲν παρῇ σημεῖον τῶν προειρημένων σημείων. τουτέστι κεφαλαλγίαι, ὑποχόνδρια μετέωρα. δῆλον ὅτι αὐχμὸς ὑπόκειται ἐν τῷ σώματι. τὸ οὖν γάλα τῇ οἰκείᾳ αὐτοῦ θερμότητι ὑποφλέγει αὐτοῦ τὸν χυμόν, καὶ ὠφέλειαν παρέχει. idest, Ob hoc autem hecticis febribus conuenit: modo non adsit aliquod prædictorum signorum, hoc est dolores capitis, præcordia suspensa, ceu sic subiaceat siccitas in corpore. Lac igitur sua propria caliditate, eius humorem adurit, & utilitatem præstat.

παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι. idest, Et præter rationem consumptis.] scilicet prodest lac: nam illi solum sunt præter rationem consumpti, qui præter consumptionem imbecilles etiam uires habent, lac uero nutrit. Theodorus hanc partem præcedenti complicat, sensumq́; facit, Lac febribus longis tussibundis conferre, & quando in his febribus præter rationem febris, absumuntur. Quicquid dicatur uel consumpti sint propter febrem, uel sine febre, lac conuenit, modo prædicta signa non adsint, quæ lac prohibent. Antiquus noster contextus loco huius particulæ ἐκτετηκόσι habet ἐκτετηκότων. Sed quo ad rem ipsam nihil refert. Celsus libro tertio capite uigesimosecundo hanc secundam aphorismi partem ita refert, In phthisi tamen. Sicut in omnibus longis difficilibusq́; febriculis recte dari potest. ut colligere possis, Celsum non interpretari paruis, uel tussibundis: sed difficilibus. In nostro antiquo contextu huic Aphorismo pro inscriptione præfixum est, περὶ γάλακτος, idest de lacte.

GALENVS

QVOD LAC facile alteretur, & quòd duplicem habeat alterationem, quãdo pluri adhæreat calori, statim euaporans, quando autem pauco, cito acescens, tibi licet perdiscere, partim statim cum ex mammis excidit ad ignem elixanti, partim ipsum iacere per seipsum permittenti. Nam elixato ad fumum euersio fit, iacenti autẽ omnino aduenit acor, uel citius uel tardius. Sic aũt & in sanis, si non bene concoquatur, in quibusdam acescit, in quibusdam autem euaporat. in uentriculo quidem frigidiore acescit: in calidiore uero euaporat. Lac uero quod bene concoquitur nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur his pariter attollit ilia, & tangit caput. Hos effectus, & passiones in sanis etiam uidebis. Verum quæ ægrotis accidũt, percurrit Hippocrates, quæ semper quidem experiri uolentibus manifestantur, & possunt etiam ante experientiam cognosci. Vbi enim in his qui integra sanitate fruuntur uidemus lac capiti dolorem afferre, & ilium inflare, nihil mirum excogitanti, quòd his qui iam caput dolent, uel suspensa habent ilia sit inimicissimum. Recte autem dixit ilia suspensa, licet dicere potuerit inflata, & flatuosa. Neque enim hæc sola lac potest offendere, sed & alia omnia quæ sunt quouis modo suspensa, propter aliquam talem, qualis est inflammatio, uel erysipelas, uel tumor prædurus, uel laxus, passionem. Adhuc autẽ magis si abscessus nondum sit in ilio disruptus, non est neq́; his utile lac. Hæc itaq́; omnia per unum uerbum ostendit Hippocrates, inquiens. Ilia suspensa. Nocere autem ait & murmurantibus lac, quæ alia sunt ab inflatis, & distentis: flatuosa quidem, ac uentosa, & hæc sunt. Maior itaque offensio iliјs distentis, minor uero murmurantibus, sed tamen neque his est utile lac. Acescit enim in ipsis. Serum tamen lactis sale & melle condientes plurimis talibus exhibuimus, & iuuantur citata ipsis aluo. Et sitientibus malum, inquit, lac esse. Supponit enim in ipsis, siue natura sitierint, siue ex aliquo tempore sitis aduenerit. Et quidẽ quibus biliosa deiјciuntur, & in his equidem dicerem lac euaporare. Non minus autem, & his qui talia euomunt. nam in uniuersum didicimus quòd celerrime ab omnibus causis calidis lac ad fumosum alteratur. Rationabiliter itaque his qui acute febricitant nocet, & mihi uidetur sermo melius in hunc modum se habere. Malum autem & quibus biliosæ deiectiones, & acutis febribus: neq́; enim utrisque simul iunctis tantummodo noxium est lac, sed seorsum in alterutro. His igitur passionibus lac plurimum aduersatur. Vtile autem est his quæ sequuntur ab Hippocrate scripta, in hunc modum. Conuenit autem tabidis non ualde febricitantibus dare. Nam primum de tabidis facit mentionem. Intelligendum aũt est ipsum ita nominare illos qui tabem ex ulcere pulmonis patiuntũ. Nã alios qui alia ex causa sunt extenuati, ipse deinceps nominabit in uerbis illis,

 quorum

quorum initium est, Et in febribus paruis. Commune autem in omnibus qui lacte indigent, quod cibus bonum generãs succum, & qui cito per uenas distribuatur illis est necessarius. Neq; mirandum est si lac dicimus bonum succum generare, cum quid habeat flatuosum. Nam in uniuersum bonum succum generare dicimus, quæcũq; post coctionem ad bonum humorem tansmutãtur, hoc est ad sanguineum, hic enim humor est nobis amicus. Cur autem cum dixisset: conuenit autem tabidis: adiecit, nõ ualde multum febricitantibus, mihi uidetur dignum inuestigatione non parua, nam sufficiebat etiam, sine ualde, dicere. Nunquid & multum febricitantibus lac exhibet, solis his qui ualde multum febricitant haud quaquam exhibens, an ab aliquo adiectum fuit uerbum, ualde, sicuti & pleraq; alia. Hæc itaq; quispiam per ocium inquirat. Sciat autem eam à nobis addiscens lac multum febricitantibus dandum non esse. Miror autem quomodo, in illis in quibus lac dari iubet adscripsit, nullo eorum quæ prius dicta præsente, quod fuit à breuitate aphoristica alienum. id enim erat ex his quæ prius dixerat cognitum, etiam hoc non adiecto, quod dãdum est tabidis, & præter rationem extenuatis lac, nisi caput doleat, aut ilium intumuerit, aut biliosæ sint deiectiones, aut tale aliquid aliud ipsis adsit. Vel nõ simpliciter, neq; semper seruare breuitatem uidetur Hippocrates, sed in quibus magnum aliquod periculum imminet si negligentius quod ab ipso docetur, audiatur, in his bis, terue repetere eadem non ueretur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quomodo perdiscere possimus, lac facile alterari, & duplicem alterationem habere. nam quando à multo calore alteratur, statim euaporat: quando autem à pauco calore alteratur, cito acescit. Tu uero hoc esse uerum discere potes facto ex lacte experimento, cum statim è mammis exit. nam si ipsum igni elixaueris, in fumum uertitur: Si uero dimittatur, aut citius, aut tardius acidum fit. Idem in sanis hominibus lac comedentibus euenit. Si calidum uentriculũ nacti sint, euaporat: si frigidum, acescit. Quod legitur, Quando pluri adhæreat calori: Græce est, ὅταν μὲν ὁμιλῇ πλείονι θερμασία. ubi uides particulam ὁμιλῇ à Leoniceno interpretatã esse adhæreat. aptius uidetur si interpretemur coniungatur.

Quod etiam legitur, Iacere: Græce est κεῖσθαι, & iacenti ὑποκειμένου, forte aptius esset interpretari, permanere, & permanenti.

SECVNDO Galenus docet, lac quod perfecte coquitur, nutrire & bonos humores facere, & dum coquitur, præcordia attollit, & caput tangit. hæc in sanis uidentur, sed hic Hippocrates in sanis loquitur. nec ista mira uideantur, quia si in sanis uidemus lac præcordia attollere, & capiti dolorem inferre, quanto magis hæc eadem in ægris faciet? Nota ubicunq; legitur ilia, Græce esse ὑποχόνδρια, quod potius interpretari debet præcordia.

Quod legitur, Quæ semper quidem, loco illius particulæ Semper: Græce habetur ἑκάστοτε, idest ubique.

TERTIO Galenus docet, recte dictum esse præcordia suspensa, & non inflata uel flatuosa: quia nõ solum inflata & flatuosa potest offendere lac, sed etiam multa alia quæ possunt esse μετέωρα, idest suspensa, ob aliquam passionem, ut est inflammatio, erysipelas, tumor prædurus uel laxus, abscessus, qui in hypochondrio nondum uenerit ad exituram, hæc omnia per hoc uerbum suspensa intellexit Hippocrates.

QVARTO docet, murmurantibus præcordijs obesse, & alia esse præcordia διαβορβορύζοντα, idest, Murmurantia, alia inflata & distenta. nam præcordijs distentis, magis offendit lac, minus murmurantibus: tamen neq; lac his prodest, quia lac in ipsis acescit: dicit uero se in hoc casu exhibuisse serum lactis, sale & melle condiens, quod profuit aluo citata.

Quod legitur, Et iuuant citata ipsius aluo, Græce habetur, ὀνίνανται γὰρ ὑπιούσης αὐτοῖς τῆς γαστρός. idest, Iuuantur enim citata ipsis aluo.

QVINTO docet, sitientibus lac obesse, uel naturaliter sitiãt, uel per aliquod tẽpus.

Quod legitur, Supponit enim in ipsis; Græce habetur, ἐκπυροῦνται γὰρ ἐπ᾽ αὐτῶν. idest, Euaporat enim in ipsis.

SEXTO docet, obesse lac biliosa deijcientibus, quia euaporat, & etiam euomentibus talia. quoniam lac à causis calidis in euaporationem deducitur, propter hoc & his qui acute febricitant, obest. Iudicatq; Galenus dicendũ non esse ut in aphorismo, quod obsit in febribus acutis biliosas deiectiones habẽtibus, sed quod distinguantur, & duo fiant, ut scilicet biliosis deiectionibus obsit, & seorsum etiam acutis febribus, quamuis & utrisq; etiam simul iunctis tanto magis obesse poterit.

Quod legitur, Rationabiliter itaq; ijs qui acute febricitant nocet. Græce est εἰκότως οὖν βλαβερόν ἐστι καὶ τοῖς ὀξέως πυρέττουσιν. idest, Rationabiliter igitur nocuum est & acute febricitantibus. uel si interpretemur ut Leonicenus facit, addamus particulam, etiam scilicet: rationabiliter itaq; ijs etiam qui acute febricitant, nocet.

SEPTIMO docet, tabidis primo conuenire, illosq; in proposito esse tabidos, qui ex hulcere pulmonis tabem habent: nam qui extenuationem habent, ex alia causa nominantur. Deinde quum dicit, In febribus paruis, ut manifeste appareat, secundum Galenum, totam illam partem simul iungendam esse: quamuis & quælibet particula per se accipi possit. Hoc autem est commune omnibus qui lacte indigẽt, quod cibo indigent bonum succum generante, qui cito per uenas distribuatur. Nec mirum si dicamus, lac bonum succum generare, quamuis habeat nescio quid flatuosi. Illa enim dicimus uniuersaliter bonum succum generare, quæcunq; ad bonum humorem transmutantur, idest ad sanguinem. nam sanguis, est naturæ amicus.

Quod legitur, Illos qui tabem ex hulcere pulmonis patiuntur, Græce est, ὅσοι νοσοῦσι φθόην. idest, Quicunque patiuntur phthoen. Sed Leoniceno placuit, tabem ex pulmonis hulcere exprimere.

OCTAVO Galenus dubitat, cum dixisset, conuenire tabidis, cur adiecit non ualde multum febricitantibus: nam satis uidebatur dicere multum febricitãtibus, sine particula ualde, forte igitur lac præbet multum febricitantibus, sed non ualde multum febricitantibus, uel illa particula λίαν, idest ualde ab aliquo addita est, & ab ipso non posita. Alter uero, cui otium suppetit, hæc inquirat, sed simpliciter noscat lac multum febricitantibus dandum non esse.

Vbi legitur, Nunquid & multum febricitantibus lac exhibet, deest particula, igitur, Nunquid igitur & multum febricitantibus. Græce enim est, ἆρ' οὖν καὶ τοῖς πολλῷ πυρέσσουσι δίδωσι τὸ γάλα;

Quod legitur, Sciat autem eam à nobis addiscens, illa particula eam poni non debet, sed eius loco hæ duæ: iam hoc. Græce enim habetur, τὸ παρ' ἡμῶν ἤδη μαθὼν ἴστω. idest, Sciat autem iam hoc à nobis addiscens.

Deniq; Galenus contra Hippocratem dubitat, quia addens hanc particulam, si nullum ex supradictis signis affuerit, aphoristicam breuitatem seruare nõ uidetur. Quippe notum est, phthisicis, & extenuatis dandum esse lac, modo caput non doleat, aut præcordium suspensum sit, aut biliosæ deiectiones fuerint, aut aliud simile. Galenus respondere uidetur, Hippocratem aphoristicam breuitatem semper non seruare, at hunc morem seruat, ubi magnum periculum imminet, si negligentius audiatur quod ipse docet: & ne quicquam præterfugiat, idem bis & ter repetere non grauatur.

Vbi legitur, Quod fuit à breuitate aphoristica alienum: legi debet, Quod fuit à breuitate aphoristicæ doctrinæ alienum. Græcus enim contextus ita habet, τῆς ἀφοριστικῆς διδασκαλίας.

APHORISMVS LXV

QVibus tumores in hulceribus apparent, non conuelluntur maxime, necq; insaniunt. Verum his euanescentibus de repente quibusdam à tergo conuulsiones & distentiones fiunt. Quibusdam ante insania, uel dolor lateris acutus, uel suppuratio, uel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

BRASAVO-

BRASAVOLVS

ANTIQVVS noster contextus in principio huius aphorismi hanc inscriptionem præfixam habet, περὶ φλεγμονῆς ἑλκῶν, idest, de inflammatione hulcerum. Quæ ad nonnullos sequentes aphorismos inscriptio est. Nunc uero Hippocratis sensus hic est, Qui hulcera habent, quæ in tumorem eleuata sint, hi conuulsionem non patiuntur, neq; insani fiunt. Causa in promptu est, quia materia in tumore cōtinetur, & non mouetur uel ad cerebrum uel ad neruos, ut conuulsionem aut insaniam faciat. At si tumores in ulceribus existentes subito euanescant, materia illa in tumoribus contenta, ad diuersas partes moueri potest. Nempe si ad tergū moueatur, ut in aliquibus fit, cōuulsiones & distentiones inducuntur, quia talis materia in posteriores neruos impingitur. In alijs materia hæc ante mouetur. In his autem, in quibus antea mouetur, insania fit, si ad caput ascendat: si ad pectus, lateris dolor acutus, uel suppuratio. Si ad uentriculum & intestina, intestinorum difficultas, potissimumq; si tumores rubicundi sint, quoniam tunc biliosi sunt. Bilis uero aptior est has affectiones inducere, quàm alter quilibet humor. Philotheus dicit, πάλιν ἄνεισιν ἐπὶ τὰς διαγνώσεις τῶν παθῶν ὁ ἱπποκράτης. idest, Rursus ad dignotionem passionum Hippocrates redit.

ὁκόσοισιν οἰδήματα ἐφ᾽ ἕλκεσι φαίνονται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται.] Noster antiquus contextus habet, ut Leonicenus in suo habebat, οὐ μάλιστα. idest, quibus tumores in ulceribus apparent, non conuelluntur maxime, neq; insaniunt. Vtitur autem Hippocrates uocabulo isto οἰδήματα, quod & si œdema significet, quod est tumor laxus à pituita factus: tamē, ut nos libro quarto docuimus, aphorismo trigesimoquarto: & Galenus hic in Commento docet, antiqui utebantur hoc uocabulo οἴδημα, pro illo ὄγκος, idest tumor. propterea à Leoniceno hic recte interpretatum est οἰδήματα, idest tumores. ubi uero adest tumor, ibi adest materia collecta: ubi autem materia collecta est, ibi sistit, & ad alia periculosa loca non transit: unde ad neruos non mouetur, nec etiā ad cerebrum. Ob primum, conuulsiones non incidunt, quæ ex materiebus in neruis imbibitis fiunt. Ob secundum non insaniunt, nempe insania ex materia caput petente fit: ipsa autē materia in tumore collecta est. Opus autem est intelligere tumorem non esse in parte neruosa, nam si in ipsa esset, cōuulsionem inducere posset. Scitoq; dici, apparent, quia oculis uideri debent, unde in extrinseca parte fieri necesse est. Intellige uero maxime non conuelli, idest raro conuelli: uel si conuellantur, parua conuulsio est: & si insaniant, erit parua insania: tunc enim conuelli accidit, & insanire, quando materia plurima fuerit, & ualde maligna, quæ potest & locū offendere, & ampliare, & etiam neruos implere, aut caput petere, & insaniam inferre. Oribasius hic intelligere uidetur hos nō insanire, nec conuelli, quia tumor in saniem uertitur, & exit: unde non potest caput petere, nec neruos implere. Tamen hoc semper uerum est, quando materia non fuerit ualde multa: adeo ut duos locos possit occupare, & etiam quando non est in parte neruosa, neq; in capite, & quando materia non sit uenenosa, quia in pestilenti tempore multa hulcera uidemus tumida, tamen cum insania.

τουτέων δὲ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης. idest, Verum his de repente euanescentibus.] Ac si dixerit, si hi tumores repente euanescant, & delitescant. Potest autem multis de causis prouenire, quas Galenus pro parte secūdo Prognosticorum capite duodecimo refert. Vna causa esse potest materiæ tenuitas, & uirium robur: nam talis materia facile resoluetur. Alia causa esse potest materiæ paucitas, quam etiam resoluit fortis uirtus. Alia causa esse posset, quia in raro membro tumor esset, ideo facile exiret. Alia causa esse potest materiæ caliditas, quæ facile resoluitur. Sed hæc causa in tenuitate continetur, quia non potest esse tenuis, quin sit calida materia. Tamen in his euanescentijs aphorismus intelligendus non est, imò & si paulatim euanescat, intelligendus non est, quia ita resolui posset, nec esset malum. Sed Aphorismi sensus est, quando materia repente euanescit, eo quod intus trahitur, & non est resoluta. Et hoc modo Hippocrates intelligit, His tumoribus repente euanescentibus, idest materia eorum intus contracta, & petente, aut cerebrum, aut neruos, aut alias partes (ut statim edocebit) secundum motum quem faciet.

τοῖσι μὲν ὄπισθεν. idest, His quidem à tergo.] scilicet euanescunt materiæ. Nam hoc ad materias refero, quæ à tergo euanescunt, & quæ deinde cõuulsiones à tergo faciunt, quia in posterioribus partibus plures nerui sunt, quàm in anterioribus: unde aphorismi sensum talem facio, Quum euanescunt tumores, aliquibus euanescunt à tergo, aliquibus ante. quibus à tergo euanescũt, his fiunt cõuulsiones & distentiones. & ideo addit, σπασμοὶ, τέτανοι. idest, Conuulsiones & distentiones.] scilicet fiunt, in his in quibus à tergo euanescunt, uel conuulsiones à tergo. Hæc fiunt si euanescant à tergo: tamen ita peculiariter non fiunt, quin etiam morbi illi fieri possint, qui fiunt, si sit anterius mota materia: tamen illi facilius fiunt. Philotheus uero intelligit non euanescere in parte posteriori, sed ulcus esse in parte posteriori. quod tamen & uerum est. Inquit autem, ὅσοις οἰδήματα ἐφ' ἕλκεσι γίγνεται καὶ τὰ ἑξῆς. διὰ τί; ὅτι ἀπαλλάττεται τὸ βάθος τῆς ὕλης, κἀντεῦθεν οὐ μανία, οὐ σπασμὸς ἐπακολουθεῖ. πλὴν τοῦτο γίνεται, ἐὰν κατὰ ἀναλογίαν τοῦ ἕλκους γίγνηται ὁ ὄγκος. τοῦτον δὲ τὸν ὄγκον ὅταν ἐν τοῖς ὄπισθεν μέρεσιν ᾖ τὰ ἕλκη, τουτέστι κατὰ τὸν νῶτον, ἂν τύχῃ αὐτὸν φανέντα ἐξαίφνης ἀφανισθῆναι, τουτέστιν ἄνευ φανερᾶς αἰτίας, μὴ διαφορητικοῦ φαρμάκου, μὴ αἱμορραγίας γενομένης ἡ ὕλη ἀνέχθη πρὸς τὸ ἔσω τὸ νευρῶδες γένος, ἢ ἐπὶ τοὺς ῥαχίτας μύας, καὶ πληροῦσα αὐτοὺς σπασμοὺς ποιεῖ καὶ τετάνους. idest, Quibus tumores in ulceribus fiunt, & quæ deinceps. propter quid? quoniam materiæ profunditas alteratur: & hinc nec furor, nec conuulsio fit. uerumtamen hoc fit, si secundum ulceris proportionem tumor fiat. Si uero contingat hunc tumorem apparentem, quando in partibus posterioribus hulcus sit, hoc est secundum dorsum repente euanescere, hoc est sine causa manifesta, nec discussorio medicamẽto, nec profluuio sanguinis facto, materia intus ad neruosum genus impellitur, uel ad dorsuarios musculos, & ipsos implens cõuulsiones facit & distentiones.

τοῖσι δὲ ἔμπροσθεν. idest, Alijs autem ante.] scilicet fit materiæ delitescentia: & quia in parte anteriori uenæ & arteriæ magis abundant, propterea in his morbi qui cõsequuntur potissimum fient.

Μανίη, idest furores.] De quibus superius abunde loquuti sumus.

ἢ ὀδύνη πλευροῦ ὀξεῖη. idest, Vel dolor lateris acutus.] In tertio libro docuimus, pleuritim à lateris dolore differre. Hic uero intellige Hippocratem tam in uero laterali morbo, quàm in mendoso & alio quocũq; lateris dolore, modo à materia fiat. At quum acutus dicat, & nullus morbus in hac parte magis acutus sit uera pleuritide: propterea illam potissimum intelligere oportet.

ἢ ἐμπύησις, idest Vel suppuratio.] Si materia non ingrediatur pelliculam tegentem costas, sed potius pectoris cauitatem.

ἢ δυσεντερίη, idest Vel intestinorum difficultas.] Quando materia ad uentriculum & intestina mouetur.

ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα. idest, Si tumores sunt rubicundi.] Nam si rubicundi sunt, indicium est, materiam esse biliosam & calidam: propterea facile potest prædictas affectiones inducere, quia à biliosa materia facile fiunt. Philotheus in hac etiam parte intelligit, quando hulcus in anteriori corporis parte situm fuerit: nam dicit, ὅτε δὲ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν εἴη τὸ ἕλκος, συμβῇ δὲ τὸν ὄγκον γενέσθαι ἀξιόλογον, καὶ ἐξαίφνης ἀφανισθῇ, πρόδηλον ὅτι ἐπὶ κύρια μόρια ἀνέχθη ἡ ὕλη, καὶ δριμεῖα, ποιεῖ παραφροσύνην καὶ μανίαν, ἢ παρὰ τῶν ὑπεζωκότων τὰς πλευρὰς ὑμένων, καὶ ποιεῖ πλευρῶν ὀδύνας καὶ φλεγμονάς. πολλάκις δὲ καὶ εἰς πύον μεταβάλλεται, καὶ φέρεται παρὰ τὰς κενὰς χώρας, καὶ ἐμπύημα γίνεται. εἰ δὲ πρὸς τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα γίγνηται ἡ μετάστασις, ποιεῖ δυσεντερίαν τὴν ὀνομαζομένην αἱματηράν, τοῦτο δῆλον ἐκ τοῦ εἰπεῖν, ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα. idest, Quando autem in anterioribus partibus hulcus est, contingit uero tumorem memorabilem fieri, & repente euanescat, manifestum est, quod ad partes principales defertur materia: & si est acuta, desipientiam & furorem facit: uel si deferatur ad pelliculas tegentes costas, dolores itidem costarum facit, atq; inflammationes. sæpe autem & in pus mutatur, & ad uacuas partes defertur, & suppuratio fit. si autem ad uentriculum & intestina transmutatio fiat, intestinorum difficultatem facit, sanguinariam uocatam. Hoc autem manifestum est ex eo quod dicit, Si rubicundi sint tumores.

Quum

Quum uero ulcus, quod Græce ἕλκος dicitur, semper continui solutionem mixtam habeat, non solum hoc uerum est in hulceribus ubi continui solutio adfuerit: sed etiam ubi aderit solus tumor præter naturam, & non solutio aliqua continui perfecta, sed sola partium extensio, si repente delitescent, aut minuantur tumores, discrimina ab Hippocrate enarrata fient. Quod accidit Raphaeli Hebræo iuueni in sua lege doctissimo atque ditissimo, dum nos hæc scriberemus quæ hic sunt: nam circa secundam noctis horam, ab eius patre Isaac uiro ingenuo sum uocatus. hic iuuenis per uarias corporis partes tumores habebat, qui de genere anthracum uidebantur: inter alios unus collo insidebat satis amplus, qui statim diminutus est: & statim ipse Raphael ridere cœpit, & assidentibus uenam secare uolebat claui quadam: sed desipientia hæc in furorem illico uersa est: nempe omnes percutere uolebat, hucque & illuc decurrebat, omnia lacerans, accitis baiulis & famulis, à sex fortissimis uix detineri poterat. Nos factis quibusdā præsidijs abiuimus, sequenti die accedentes pridie calendas Aprilis millesimo quingentesimo trigesimo octauo, ipsum satis sedatum inuenimus, sed post prandium somnus adeo præpotens illum inuasit, ut ab assidentibus uigil nullo modo detineri posset. primo materia calida phrenitim mouit: deinde frigida suum motum fecit, huius tumor anteriorem colli partem occupabat, in latus dexterum inclinans, alij tumores erant in anteriori corporis parte. à profundo somno liberatus, cœpit per interualla sibi percutere hypochondria, & per quatuor horarum spatium in ecstasim ducebatur, currens tanquam à cacodæmone agitatus: & interim omnium animalium uoces fingens, inter se loquens, membra preter naturam mouens, adeo ut potius miraculum uideretur, quàm res ex naturali causa prodiens: itaque bis in die agitabatur, & principium motionis erat ab hypochondrijs. Putamus nos, & re uera ita erat, hypochōdriacam passionem passum esse: postea in seipsum ita libere recipiebatur, ut nihil passus esse uideretur: sed deinceps curari noluit: nam sui domestici dicebant ipsum esse effascinatum, & omnia tentarunt contra effascinationes amuleta, quæ nihil profuere. Cogitarunt deinde malo quodam dæmone agitari, & accitis Christianis religiosis nihil etiam profecere: nam morbus erat, qui aut diligenti cura, aut temporis spatio expellitur. Denique post octo menses ex se conualuit, & nunc adhuc sanus perseuerat. Sed alio in loco sum omnia symptomata huius flatuosæ affectionis, quæ in hoc iuuene erat exaraturus: nam multa audies præter naturam, quorum causam difficillimum erit assignare.

GALENVS

OMNES præter naturam tumores Hippocrates οἰδήματα, idest inflationes nominat, sub quibus uidelicet etiam tumentes inflammationes continentur, & hoc ipsum nomen inflammationis antiqui omnes magis inflammationibus, quæ sine ullo sunt tumore adaptabant. Quod igitur dicitur, tale est, Quibus tumores ulceribus adueniunt, non admodum conuelluntur, neque insaniunt. Hoc autem indicio est, quòd nonnulli quidem in ipsis conuelluntur, & insaniunt, sed raro hoc patiuntur, quando uidelicet magnitudinem effatu dignam uel malignitatem assumpserint. Si uero tumores de repente euanescant, conuulsiones, ac distentiones, quando in partibus retro, hoc est in dorso ulcera fuerint. Quæ uero deinceps dicuntur, si in partibus anterioribus fuerint, consequi dicit. Posteriora siquidem neruosa sunt, anteriora uenosa, atque arteriosa. Quando igitur ab hulceratis partibus humor, qui fecit tumorē, ad aliquam partem principalem se contulit, in partibus quidem retro neruosis, conuulsiones fient ac distentiones. Nam hæ sunt neruorum passiones. In anterioribus uero insania, si feratur ad caput. Lateris autem dolor, si ad thoracem humor conuertatur. Sæpius uero & hi suppurantur, si humor non dissoluatur. Difficultatem uero intestinorum fore inquit, si tumoribus rubentibus conuersio repente fiat, illam quidem intestinorum difficultatem quam sanguineam nominant, quæ est sanguinis euacuatio per intestinum absque exhulceratione. Quod igitur si uel in dorso, uel in partibus anterioribus illi oppositis cōtigerit aliquando tumores de repente euanescere, in tales ægri incidunt passiones, nos uidimus. Non tamen ipse nobis Hippocrates manifestauit, si de his partibus solis loquatur, an simpliciter

citer de omnibus, ita quod etiam membra extrema hoc sermone comprehendantur. In tibijs itaque, neque sunt in partibus anterioribus musculi, in chordas ualidas desinentes. In coxa uero in partibus genu anterioribus magnam uidemus chordam, in qua per compatiendi rationem, rationabile magis fieri conuulsionem, quàm in aliquo musculorum, qui sunt in partibus coxæ posterioribus. Sunt enim omnes carnosę. Quare non uerum uideretur id quod uniuersaliter dicitur, quod ex partibus tantum posterioribus accidunt conuulsiones. Videtur quidem magna ex parte id fieri, non in cruribus solis, sed etiam in manibus, forte quoniam hæ partes omnes è directo sunt dorsalis medullæ. Nascuntur autem ab hac, & membrorum extremorum nerui, & dorsalium musculorũ.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligendum sit apud Hippocratem per οἴδημα uel œdema. nam ut superius aphorismo trigesimoquarto libri quarti edocuerat, idem sunt οἰδήματα, & ὄγκος, idest, œdema & tumor apud Hippocratem & antiquos: unde tam tumentes partes, quàm non tumentes & inflammatas dicunt antiqui œdema habere: uerum tamen est, quod hoc nomen φλεγμονὴ, idest, inflammatio, ab antiquis potius his inflammationibus attribuebatur, quæ tumorem non habent. In hoc etiam loco Leonicenus interpretatur οἰδήματα, idest, inflammationes, de qua re libro quarto egimus aphorismo trigesimoquarto. nam inflatio potius est, quãdo flatus noxam inducit. Quod etiam interpretatur tumentes inflammationes, Græce est τῶν φλεγμονῶν, idest, inflammationes, sine particula Tumentes.

Quod etiam legitur & hoc ipsum nomen, ibi deest particula, quamuis. Ita enim legi debet Quamuis & hoc ipsum nomen.

Quod etiam dicit, magis inflammationibus quę sine ullo sunt tumore, hęc particula, Inflammationibus, Græcę est φλογώσεως, idest, accensis partibus, ut differentiam faciamus inter φλόγωσιν, & φλεγμονήν.

SECVNDO Galenus aphorismum exponit. nam Hippocrates dicit, non multũ conuelli, neq; insanire, qui tumores in ulceribus habent. propter hoc Galenus dicit haberi indicium, quod aliqui conuellantur, & insaniãt, licet rari sint: & hoc ob duas causas, uel ob multitudinem materiæ, uel ob eius malignitatem. At si tumores de repente euanescant, quando in partibus posterioribus sunt, conuulsiones, et distentiones fiunt: si uero in partibus anterioribus, insaniæ, dolores laterales acuti, & reliqua fiunt.

TERTIO Galenus horum causam reddit, quia si tumor in ulceribus à partibus posterioribus moueatur, cum in partibus posterioribus plures nerui sint, propterea conuenit, quod conuulsiones & distẽtiones fiant: si uero sint in partibus anterioribus, hęc materia ad uarias partes moueri potest: si ad caput moueatur, insania fit, & omne genus insaniæ fieri potest, secundum humores qui mouentur: si humor ad thoracem feratur, lateris dolor consequitur, Immo quandoque cum ad thoracem fertur, suppuratur, si humor non dissoluatur, & non exeat. Si tumor sit ruber, & ad intestina uertatur, intestinorum difficultas fit, non tamen secundum Galenum biliosa, sed sanguinea, quando sanguis per intestinum absq; exulceratione euacuatur. Hinc tu colligere potes, difficultatẽ intestinorum absq; exulceratione intestinorũ esse posse, tamen in hoc loco & uera intestinorum difficultas, per excoriationem intestinorum ex bile fieri posset.

Quod legitur, Si tumoribus rubentibus conuersio repente fiat. Græce est, ἐὰν ἐρυθρῶν ὄντων τῶν οἰδημάτων, ἐξαίφνης γένηται μετάστασις, idest, Si rubẽtium tumorum conuersio repente fiat.

QVARTO dubitat Galenus, an Hippocrates hoc solũ intellexerit in illis partibus in quibus illæ affectiones fiunt, uel simpliciter in omnibus partibus, etiã si sint extremę partes, ut crura. nã si oẽs intelligamus, non uidetur uerũ quod dicitur, in posteriori parte conuulsionẽ fieri: quia in tibijs in posterioribus partibus nõ sunt musculi in chordas ualidas desinẽtes, & in coxa in partibus anterioribus genu, adest magna chorda, in qua per cõpatiendi rationẽ rationabile est magis fieri cõuulsionẽ. Igitur in partibus anterioribus etiã conuulsiones fiunt. Tamen oppositũ in experientia uidetur, & id quod dixit Hippocrates in partibus posterioribus fieri cõuulsionem magis, non solũ in cruribus, immo etiã in manibus. Sed inquit Galenus, hoc forte fieri, quia sunt è directo dorsalis

medullę, à qua nerui extremorum membrorum, & musculorum dorsalium nascuntur.

Vbi legitur, In quod etiam membra extrema, Galenus utitur uocabulo τὰ κῶλα. At κῶλον membrum significat, pedem, tibiam, & breuibus extrema membra.

Quod etiam legitur in tibijs itaq;, Gręce est κνήμας. est autem κνήμη in homine tibia.

APHORISMVS LXVI

SI in uulneribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum.

BRASAVOLVS

IN antiquo nostro contextu, ante hūc aphorismum, pro inscriptione præfixum est περὶ οἰδήματος, idest, De tumoribus. At potius scribendum uidebatur περὶ τραύματος, idest, de uulneribus, nempe de uulneribus sermonem habet, inquiens, Quoties uulnus ingens fuerit, & prauū, tamē non appareat tumor, quia uulneris labia tumida non sint, sed potius plana, hoc est ingens malum: quoniā materia, quæ ad uulnus descendere deberet, ad aliquod principale membrū conuersa est, propterea malum ingens est, quoniā mors procuratur, & naturam adeo imbecillam esse significatur, ut uulnus despiciat, & nihil amplius ad ipsum transmittat. Philotheus hunc aphorismum ita aggreditur, ἐν τῷ ἀνωτέρῳ ἀφορισμῷ ἐμέμφετο τὰ ἐξαίφνης ἀφανιζόμενα τῶν οἰδημάτων. οὕτω τὰ μηδ' ὅλως ἐπιγινόμενα τοῖς πονηροῖς τραύμασιν μέμφεται. ὑποψία γάρ τίς ἐστιν ἀπὸ τούτων ἐπὶ τὰ κυριώτερα μὴ μεθίστασθαι τοὺς ἐπιρρέοντας τοῖς τραύμασι χυμούς. λοιπὸν τὸ μέγα πρὸς τὸ κακὸν συντάττεσθαι δεῖ, οὐχ ὥς τινες φασὶν πρὸς τὸ οἴδημα. idest, In superiori aphorismo accusauit tumores, qui repente euanescunt. Sic uero accusat eos, qui neq; omnino superueniunt prauis uulneribus. nam suspitio quædam est, ab his ad magis principales partes, defluentes ad uulnera humores trāsire. deinceps, particula, magnum, ad malum coordinari oportet, non ut quidam dicunt, ad tumorem. unde sententia est quod uox μέγα ad malum debet referri, non ad tumorem, ut aliqui uolunt.

ἢν τραυμάτων ἰσχυρῶν. idest, Si in uulneribus fortibus.] Sunt uero fortia uulnera quæcunq; ampla sunt, & profunda, & quæ mortem minantur. ut illa quæ in extremis musculorum partibus sunt. nam hæc periculosa sunt, & ingentia symptomata faciunt, qualia dolores ingentes, syncopes, & conuulsiones.

Καὶ πονηρῶν ἐόντων. idest, & prauis existentibus.] Eadem ratione sunt praua uulnera, quæ praua habent symptomata.

Οἴδημα μὴ ἐπιφαίνηται. idest, Tumor non appareat.] quia in omni ingenti uulnere, & in periculoso loco facto, uulneris labia tumida esse oportet. ratio est, quia hoc uulnus cū in periculoso sit mēbro, & ingens sit, ac malū, dolorē ingentem facit. natura uero ad dolorosum locū materias trāsmittit. ideo opus est uulnerum labia intumescere, materia etiā quæ in hoc corpore est, agitatur, & ad uulnus impetuose mouetur. At si uulneris labia tumida non sint, signū est hanc materiā aliò uerti, ad membrū scilicet principale: uel saltem dubium est, ne illuc moueatur, tamen & hoc ex uiriū imbecillitate prouenire potest, quoniam tunc natura uulnera despicit, ut uitæ succurrat.

Μέγα κακόν. idest, Ingens malum.] Quoniam uel significatur, materias agitatas principalia membra petere, uel uirium imbecillitas. Hæc uero intelligenda sunt in fortibus & prauis uulneribus, nam in paruis & debilibus hæc uera non sunt. Oribasius aliū sensum huic aphorismo præbet, uult ipse ab Hippocrate dici, Si tumor fuerit solidus, hoc est sine sanie, malum est: quia nihil euaporare potest, neque in saniem uerti. Sed Hippocrates hoc re uera non intendit.

GALENVS.

POTEST quidem & ultimo uerbo aphorismi malū adiungi ingens. Potest autē, et priori parti aphorismi. Fiet enim sermo talis: uulneribus prauis existentibus, si tumor nō appareat, ingēs est malū. uel talis: uulneribus prauis existentibus, si tumor ingēs non appareat malū. Contingit autē, & uerbum ingens cōmuniter dici, ac si ita dixisset. Si uulneribus prauis existentibus tumor ingēs non appareat, ingēs est malū. Melior uero ex

ro ex tribus sermonibus meo iudicio est talis. Si uulneribus prauis existentibus tumor non appareat, malum est ingens. Dictum autem & antea est, quod tumor generaliter dicitur de omnibus tumoribus prҿter naturam. Vulnera autem praua dici existimandum est quæ sunt in capitibus aut finibus musculorum, & maxime neruosorum. Nam in capitibus musculorum, musculis nerui adnascuntur, ex finibus autem chordæ oriuntur. Sicuti igitur paulo prius damnabat omnes tumores de repente tumescentes, ita nunc illos qui neq; omnino adueniunt uulneribus prauis. Nam & in his suspicandum ne humores ad uulnera defluentes, ad partes principaliores transmutentur. Et hoc in illis præsertim fieri uulneribus est existimandum, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit. A medicis autem reprimitur cum ualde infrigidantibus, aut adstringentibus medicamẽtis, sicuti si dolor absit, neq; fluctio mouetur. Maxime aũt dolores patiuntur partes neruosæ, quæ medicinas calefacientes, atq; exsiccantes desiderant.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, particulam μέγα, idest, ingens applicari posse tumori, & legi ingens tumor, & applicari posse malo, & legi ingens malum, & utrique parti iungi posse, ut sensus sit, ingens tumor, & ingens malum, tamen potius probat, quod iungatur illi particulæ malo, & dicat ingens malum.

SECVNDO docet, uocabulum οἴδημα communiter dici de omnibus τῶν ὄγκων παρὰ φύσιν, idest, tumoribus præter naturam.

TERTIO docet, praua uulnera nuncupari quæ in capitibus sunt, aut musculorum finibus, in quibus nerui adnascuntur, & chordæ ex finibus oriuntur. Sicut autem superius tumores dãnabat qui de repente euanescebãt, ita hic dãnat tumores, qui non adueniunt prauis uulneribus. nam natura ut loco læso succurrat, huc sanguinẽ trãsmittit, & spiritus, propterea uulnerũ labia intumescere debent. At si tumores non aduenіant, uerendũ est ne humores, qui ad labia fluere deberent, ad principales partes trãsmutentur, & hoc in illis uulneribus fieri putandũ est, in quibus dolor adest, & propter dolorẽ materię illuc decurrunt. unde medici ut prouideãt, ualde infrigidantia & adstringentia admouent. Si uero dolor absuerit, humores ad uulnus non mouẽtur. At si partes illas, quę dolores patiuntur, scire percupias, potissimum neruosæ sunt, quæ si curari debeãt, medicamentis calefacientibus & exsiccantibus indigent.

Quod legitur, Sicuti prius damnabat omnes tumores de repente tumescentes, legi debet, de repente detumescentes, uel euanescentes. Græce enim est τὰ ἀφανιζόμενα.

Quod etiã in fine cõmenti legitur, Quæ medicinas calefacientes atq; exsiccantes desiderant, Græce habetur δεόμενα διὰ τῶν θερμαινόντων καὶ ξηραινόντων θεραπεύεσθαι φαρμάκων, idest, Quæ per medicinas calefacientes atq; exsiccantes curari desiderant.

APHORISMVS LXVII

MOlles boni, crudi uero mali.

BRASAVOLVS

HÆC uerba ad præcedentẽ aphorismũ referre oportet. Quippe dictum est, si tumor non adsit in uulneribus, ingens malum esse. ex hoc aliquis ansam auspicari posset, si tumor adsit, bonum esse, cuiuscunq; generis sit ille tumor. ut hanc sententiam remoueat, & simul ostendat, qui nam tumores boni, & qui mali sint, hanc partem subiunxit, quæ ad pręcedentem aphorismum spectat. Ita igitur exordiamur, uulnus prauum, melius est semper esse tumidum, quàm non esse tumidum. Sed inter tumores, molles sunt meliores, crudi uero peiores. nam materiam coctioni ineptam ostendunt, apta uero si sit mollis. unde hi boni, illi mali.

Τὰ χαῦνα χρηστά. idest, Molles boni.] scilicet tumores. Sunt qui intelligant molles, è quibus laudabile pus exeat. tu intellige molles, idest, illos quos cũ premis, molliciẽ quãdam persentis, & non resistentiã: ex quo etiã iudicas, etiã coctioni resistere nõ debere.

Τὰ ὠμὰ κακά. idest, Crudi autem mali.] Illos crudos appellat, qui duri sunt et densi, ad coctionem inepti. Oribasius hunc aphorismum post sexagesimumquintum ponit.

Sunt etiam qui illos crudos appellant, ex quibus nihil, uel parum fluit. Sed hoc nõ conuenit, quia sermo est de ipsis tumoribus in uulneribus, qui tumores sunt circa uulnerũ labia. Philotheus aphorismum hoc modo interpretatur, τὰ χαῦνα δηλονότι οἰδήματα, ἀγαθά, ὡς πέψιν δηλοῦντα. τὰ δὲ ἔνωμα, χαλεπά, ὡς ἄπεπτα. καὶ μᾶλλον τὰ μέλανα ἀγαθά, δηλονότι δήλωσιν ἐπικράτειαν φύσεως. τὰ δὲ ἄπεπτα χαλεπά, διότι οὔπω ἡ δύναμις ἐπανῆκε πρὸς ἀλλοίωσιν. idest, Molles uidelicet tumores boni, tanquam coctionem ostendentes: crudi autẽ molesti, utpote incocti & indigesti. & nigri magis boni: nempe ostendunt naturæ uictoriam: incocti uero difficiles, quia uis naturæ nondum accedit ad alterationem.

GALENVS

HIC sermo causa est antecedentis, docẽte Hippocrate omnes tumores quicunq; molles sunt optimos esse, contrarios uero prauos. Proprie igitur molli opponitur durũ, atque renitens, Hippocrates uero crudum ipsum nominauit. Neq; enim fieri potest, ut sit tumor renitens bene cõcoquẽte mẽbri natura humores ad ipsum cõfluentes.

BRASAVOLVS

GALENVS docet hunc aphorismum præcedentis partem esse, nam hic dicit Hippocrates, molles tumores omnes bonos esse, contrarios malos. Sed quia proprie molli, quod ipse uocat χαῦνον, opponitur σκληρόν, idest durum, ideo merito dubitare poteris, cur dictum non sit durum. Respõdemus, Hippocratem non dixisse duros, sed crudos, quia non potest esse tumor durus, & renitens, si natura bene concoquat humores illuc confluentes. Ideo si crudi sunt, duri sunt, & renitentes: unde non mirum si crudos dixit, pro duris & renitentibus.

Quod legitur, optimos esse, lege bonos. nam Græce habetur χρηστά.

Quod etiam legitur, ut sit tumor renitens, particula renitens Græce est, ἀντίτυπον.

APHORISMVS LXVIII

DOlenti partem capitis posteriorem, in fronte recta uena incisa prodest.

BRASAVOLVS

SI quis sit, cui intenso dolore posterior capitis pars afficiatur, & perseueret, nec alijs remedijs sanari possit, tu rectam uenam incide, quæ in fronte est. nam inde sanitas eueniet, quoniam causa, quę dolorem faciebat, remouetur. Philotheus ita aphorismum introducit, κεφαλαλγίαν θεραπεύει, θεραπευτικὸς γὰρ ὁ λόγος. αὕτη δὲ γίνεται ἢ κατὰ πρωτοπάθειαν, ἡνίκα ὕλη ἐν ταύτῃ περιέχεται, ἢ κατὰ συμπάθειαν, ἡνίκα ἐπισχεθῇ ἡ ὕλη παρὰ τὴν κεφαλήν, ἢ ἀπὸ τοῦ παντὸς σώματος πεπληρωμένου, ἢ ἐκ μέρους. ἐνταῦθα οὖν τὴν κατὰ πρωτοπάθειαν γινομένην κεφαλαλγίαν ὑποτίθεται, καὶ ταύτην θεραπεύει. idest, capitis dolorem curat. nempe hic sermo curatiuus est. Ipse scilicet dolor autem fit, uel per affectionem, quando materia in hoc continetur: uel per corresponsum, quando materia ascendit ad caput: uel à toto corpore pleno, uel ex parte. Hic igitur supponitur, dolorem capitis per primam affectionem factum, & hunc curat.

τῷ ὄπισθεν κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ. idest, dolẽti partem capitis posteriorem.] Est uero pars posterior occiput, tu intellige partem illam dolorem notatu dignum & perseuerantem habere, & qui ratione materiæ fiat. Oribasius uelle uidetur, quod si læsio in anteriori capitis parte sit, synciput offendatur. Si in posteriori, occiput, & ita uere est. Cerebrũ enĩ (inquit) triplici materia contextum est, neruis, uenis, & arterijs. & uenarum aliæ principales, aliæ minores, aliæ non principales. quarum si una sursum uadit, alia deorsum uadit. Si una ad sinistram, alia ad dexteram. datq; exemplum de rustico uitem colente, qui si unam propaginem ad dexteram ducat, aliam ad sinistram ducet. Hæ autem uenæ ab hepate ad caput tendunt, & humores in caput ducunt, & secundum partem ad quam uadunt, læsiones fiunt.

ἐν τῷ μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα, ὠφελεῖ. idest, In fronte, recta uena incisa prodest.] quia materiam à posteriori parte diuertit, & ipsam posteriorem partem euacuat, unde & à Philotheo de huius uenæ incisione dicitur, αὕτη γὰρ τεμνομένη προδήλως ὠφελεῖ τὸ ὄπισθεν μέρος δηλονότι τῆς κεφαλῆς ἀλγοῦντας, τῷ λόγῳ τῆς ἀντισπάσεως καὶ μεταστάσεως τῆς ὕλης

ϕλὸς, idest, Ipsa enim incisa, manifeste posteriores partes uidelicet capitis dolẽtes iuuat, ratione reuulsionis, & transmutationis materiæ. Est uero recta frontis uena, illa magna quæ in medio frontis uisu patens, ad nares descendit, quæ ideo recta dicitur, quia in rectum descendit. Dubitat Oribasius cur non tollitur sanguis è loco patiẽte potius, quàm è fronte. Respondet, ob tres causas, prima, quia per reuulsionem, quam antispasim Græci uocant, detractio sanguinis facta celerius euaporat. Deinde quia in posteriore capitis parte non sic apparet uena, ut in fronte. Tertio, quia posteriore parte, uenæ, nerui, & arteriæ in ceruice sunt. Ratio potissima est, quia materia in maiori copia ad locum iret, & magis offenderet, scitoq; etiam aliqua uena incisa in posteriori parte, si dolor in anteriori esset, leuaretur. Si in parte dextera, per sectionem uenæ in parte sinistra remoueretur, & è contrario, ut in Galeni commentatione perdiscemus. Non oportet uero quod hoc corpus sit ualde plenum. nam tunc opus est uenæ basilicæ sectionem præcessisse, & totius euacuationem, & quod materia, quæ dolorem infert, sit sanguinea, aut in sanguinẽ uergens & in uenis sit. Si uero petas quonam modo hæc uena secari possit, scito opus esse, supra cilia funiculum, ligulámue strictam nectere, aut sudariolum circa collum adeo stringendum, ut capitis partes intumescant. Raro hæc sectio fit, tamen nos quandoque ea usi sumus, & profuit. Hippocrates libro sexto Epidemiorum usus est huius uenæ sectione, & profuit. Inquit enim, cuidam posteriora capitis dolitanti uena recta frontis incisa profuit. Galenus in huius loci expositione, est uero in secundo libro in sextum Epidemiorum, hanc uenæ sectionem ex loco euacuationem appellat, de qua re in commentatione statim pertractabimus.

GALENVS

NON solum studet Hippocrates ubi sit opus euacuare, sed cum auersione. Auersio autem ad contraria fit. Secundum longitudinem quidem supra, infraq;. Secundum latitudinem uero hinc, & inde, hoc est à dexteris, & à sinistris. Secundum profundum uero, ante, & retro. In doloribus itaq; partis capitis posterioris, cum auersione euacuatio ex fronte fiet. Sicuti & in anterioribus ea quæ secundum occiput. Sic itaque diuturnæ oculorum fluctiones sæpius sanatæ sunt, ex partibus secundum occiput sanguine misso, una cum cucurbitulæ usu.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem non solum edocere ubi sit opus euacuare, sed etiam quando μετὰ ἀντισπάσεως, idest, cum reuulsione. nam antispasis, idest, reuulsio (quod uerbum Leonicenus, Auersio interpretatur) est deductio materierum ad contraria. Contraria uero ultimas distantias secundum tres dimensiones appellat, quæ tres dimensiones sunt, longum, latum, profundũ. unde reuulsio secundũ longitudinem est à sursum in deorsum, uel à deorsum in sursum. reuulsio secundum latitudinẽ est à dextris ad sinistra, uel à sinistris ad dextera. Secundum profunditatem est ab ante retro, aut à retro ante. unde à Galeno in hoc loco tres antispasis, idest, reuulsionis species enumerantur, secundum longitudinem, secundũ latitudinem, & secundum profunditatẽ. At Galenus in libro De reuulsione aliam speciem & quartam antispasis ponit, quam dicit esse ab interioribus ad exteriora. Et easdem quatuor reuulsionis species in quinto Methodi edendi libro edocet, & ea ex quibus fiũt, ostendit. Idem uero Galenus in secundo libro supra sextum Epidemiorum hanc uenæ sectionem ex loco euacuationem appellat.

SECVNDO ea quæ dicta sunt, ad aphorismi sentẽtiam applicat, quod in doloribus partis posterioris capitis, fiet euacuatio simul reuellendo uena frontis incisa, sicuti cum in anteriori capitis parte fit dolor occipitis uena secatur. unde experiẽtia hoc docet diuturnas oculorum fluxiones frequenter sanatas esse, misso sanguine ex partibus secundum occiput, quod etiam fit ex cucurbitulis.

Quod legitur, In doloribus itaq; partis capitis posterioris, in prima nostri antiqui cõtextus lectione ita præcise scriptum est, ut Leonicenus interpretatur scilicet, ἐν οὖν τοῖς ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ἀλγήμασι. In secunda uero lectione ita legit, ut cõtextus Aldinus habet, νῦν οὖν ἐν τοῖς ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ἀλγήμασι, idest, Nunc igitur in doloribus partis capitis posterioribus. Recentes in suis disputationibus An uenæ sectiones in morbis in principio ab eodem latere fieri oporteat, hunc aphorismum ad suarum sententiarũ cor-

roborationem recipiunt, qui tamen ad rem suam nihil facit.

APHORISMVS LXIX

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput, sed & uiris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, ueluti femorum, cubiti. Sed & cutis rara, indicio autem est pilus.

BRASAVOLVS

RIGORES, quos horrores Celsus uocat, potius fiunt in partibus nostri corporis frigidioribus, quàm calidioribus. Sũt uero in nostro corpore frigidiores partes dorsum, quàm anteriores, & mulieres etiã uiris frigidiores sunt, propterea rigores tã in uiris, quàm in mulieribus ex lũbis magis incipiũt, & per dorsum ad caput tendũt, sed & in uiris ipsis in posteriori parte magis, quàm in anteriori incipiũt, ueluti in fœmoribus in cubitis. Quod uero anteriores partes posterioribus calidiores sint, ex hoc elici potest, quia cutis in anterioribus partibus magis rara est, quàm in posterioribus. huius aũt rei experimẽtũ ex pilis haberi potest, nã pili in anteriori corporis parte magis nascũtur, quàm in posteriori. Noster antiquus contextus ante hunc aphorismũ inscriptionẽ habet περὶ ῥίγους, idest, de rigoribus.

ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον. idest, Rigores incipiunt mulieribus quidẽ ex lumbis magis.] Dictum est superius, Rigorem à Celso horrorem uocari, præsertim quãdo aliquem aphorismum interpretatur, in quo sit uocabulum ῥίγος. est uero horror, ubi totum corpus intremit, ut idem Celsus capite tertio libri tertij docet. fiunt autem rigores, & in febribus, & sine febre: quomodocunque fiat, uel in febre, uel sine febre, uel in principio, uel per uiam crisis, semper in mulieribus ex parte dorsi incipiunt, & fiunt ob motum humoris, qui uelociter supra musculos discurrit. Scitoque non solum intelligendum esse proprie rigorem, sed etiam tremorem, & omne genus motionis, quod in febribus præcedit. Recentes aphorismum intelligere uolunt secundum Galenum, quod rigores ex alijs corporis partibus incipiant, quàm ex lumbis in mulieribus, sed inter uiros & mulieres comparationem fieri, sensumque esse, quod magis in mulieribus fiant ex lumbis, quàm in uiris. At decipiuntur, quoniam Galenus causam reddit cur potius mulieribus, quàm uiris accidant, & illam esse dicit, quia sunt uiris frigidiores, tamẽ non negat etiã fieri uiris. propterea putat, quod in parte posteriori non solum mulieribus, sed etiam uiris fiant, & in lumbis uiris quandoque fiunt, sicuti in mulieribus. Intenditque uniuersaliter dicere, quod fiunt tam uiris, quàm mulieribus rigores, in posteriori parte incipientes, ab infima dorsi parte usque ad caput ascendentes: tamen mulieribus magis fiunt, quia frigidiores sunt. Non defuere, qui rationẽ redderent, cur mulieribus magis fiant ex lumbis: quoniam inquiunt, uterus frigidum membrum est, & nerui sui frigidi sunt, qui lumbis coniunguntur, ideo ipsæ magis habent ex lumbis. At hi non animaduertunt, quod per lumbos opus sit nos partem dorsi infimam intelligere, & quod usque ad summã conscendant. nam utitur uocabulo ὀσφὺς, inquit enim ἐξ ὀσφύος, sed ut Galenus docet, ὀσφὺς idem est quod ἰξὺς media renum pars, in qua homines cinguntur, quia Latino nomine caremus, nisi quis præcinctum uocet. propterea illa pars, lumbi, dicta est. Hic uero Hippocratis mẽs est edocere, quod à parte infima dorsi incipiat, & usque ad summam ascendat, non tamen ita descendere intelligit, quin quandoque etiam non incipiant à medio, uel à parte superiori, & dorsum uersus moueantur. immo plerunque nonnulli dicunt se persentire ueluti aquam per humores proiectã, & ad ultimas dorsi partes descendentem, & etiam in anterioribus partibus sentiuntur, sed pauci, & raro. immo & in cruribus, & brachijs fiunt, & plerunque solis. Hæc uero ab Hippocrate non excluduntur, sed intelligit quod magis in dorso fiunt.

Καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλὴν, idest, & per dorsum ad caput.] hoc plerunque cõtingit, quod per dorsum, idest, à parte infima dorsi ad caput ascendunt: sed quandoque è contrario, à capite descẽdunt, & ab humeris deorsum, quia hæ partes omnes frigidiores sunt, & intra se affinitatẽ quandã habent. Philoth. hoc modo interpretatur, ῥίγεα λέγει, οὐ τὰ συνθέτως τὰ ἐκ κλόνου καὶ περιψύξεως συγκειμένης, ἀλλὰ τὰς περιψύξεις μόνον. ταῦτα δὲ ταῖς γυναιξὶ μᾶλλον

μᾶλλον ἐξ ὀσφύος καὶ νώτου ἄρχεσθαι συμβαίνει. ἐκ μὲν γὰρ ὀσφύος, διὸ ψυχρότατος ὁ τόπος. νευρώδης γὰρ πάνυ. εἶτα δὲ ἐκ τοῦ νωτίου μεταδιδομένης τῆς ψύξεως διὰ τὸ συνεχές. κἀντεῦθεν ἀγγέλλεται ὁ ἐγκέφαλος, καὶ γίνεται ἡ περίψυξις. idest, Rigores dicit, non compositos illos ex concussione & perfrictione adiacẽte, sed perfrictiones solum. hos igitur mulieribus magis ex lumbis & dorso incipere contingit, ex lumbis quidem, quoniã locus frigidissimus est, neruosus enim admodum. postea uero ex dorso deriuata frigiditate per continuationem, & hinc ad cerebrum defertur, & fit perfrictio.

Ἀτὰρ καὶ ἀνδράσιν ὄπισθεν μᾶλλον, ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος. idest, Sed & uiris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore.] Vt ex lumbis per dorsum ad caput, sed illud magis fit in mulieribus, quàm in uiris. quia mulieres frigidiores sunt, quãuis aliquis casus assignari possit, in quo mulier aliqua erit uiro calidior, & materia in aliquo uiro erit magis posita, ut ad dorsum tẽdat, quàm in muliere. At hi particulares casus ad aphorismum nihil faciunt, qui secundum plurimum intelligendus est.

οἷον μηρῶν, πήχεων. idest, Veluti femorum, cubitorum.] Sed antiquus noster contextus in singulari habet, ut Leonicenus interpretatus est, πήχεος, idest, cubiti, tamẽ & in secunda lectione in plurali est, quod magis probo, unde in uiris magis à posteriore parte, quàm ab anteriore fiunt, & non solum ex lumbis per dorsum ad caput, sed etiam ex femoribus & cubitis. Hanc partem uidetur Hippocrates in sexto Epidemiorum libro potius alteri sententiæ coniungere. nam dicit, in mulieribus incipere à parte posteriori rigores, & etiam uiris. postea addit, accidere etiam magis in partibus extrinsecis, quàm intrinsecis. extrinsecas uero partes enumerans, cubitos refert, brachia, coxas, quas hic Leonicenus femora interpretatur. Philotheus de hac parte ita dicit, ἀνδράσι δὲ συμβαίνει, ὄπισθεν γίνεσθαι μᾶλλον, ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος. οἷον πηχέων, μηρῶν. τὰ γὰρ ὄπισθεν ὡς νευρώδη, ψυχρὰ ὑπάρχουσι, καὶ ὡς ψυχρά, ἐπιτήδειά εἰσι πρὸς τὸ περιψύχεσθαι ἑτοίμως. idest, Viris aũt contingit, parte posteriore fieri magis quàm anteriore corporis, ueluti cubitorum, femorum. quæ enim posterius utpote neruosa frigida sunt, & ut frigida, apta sunt ut facile algeant.

Ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν. idest, Sed & cutis rara.] In antiquo nostro contextu additum est uerbum ἔχουσι, idest, habent, ut dicatur, sed & raram cutem habent. huius partis tota ratio est, quia dicit rigores fieri in partibus posterioribus magis, tam in uiris, quàm in mulieribus. in partibus uero anterioribus non fiunt, quia sunt calidiores. Quod uero calidiores sint, ex cutis raritate probatur. nam rara cutis caliditatem inesse suadet. sunt ergo anteriores partes posterioribus calidiores, quia eisdem etiam magis raræ sunt. Philotheus quoq; in hoc loco ita dicit, ὡς τινὸς δὲ ἀποροῦντος, ὅτι δὴ τί τὰ ἔμπροσθεν τῶν ὄπισθεν θερμότερα, φησὶν Ἱπποκράτης, διότι ἀραιότερον ἔχουσι τὸ ἔμπροσθεν δέρμα, ἡ δὲ ἀραίωσις ὑπὸ θερμότητος γίνεται. idest, tanquam quodam dubitante, propter quid priores partes posterioribus calidiores, dicit Hippocrates, quoniam rariorem habent, quæ in parte posteriori est, cutem, raritas uero à caliditate fit. At si tu dubitabis de harum partium raritate, statim Hippocrates raras esse hoc argumento suadet.

Δηλοῖ δὲ ἡ θρίξ. idest, Ostendit autem & pilus.] Nempe in densis nostri corporis partibus pili non nascuntur, sed in raris solum atq; meatibus plenis, & quanto partes sunt magis raræ, & meatuum plenæ, tanto magis pili innascuntur, quale accidit alis, pectini, pectoris partibus, mento. pili enim exire non possunt, nisi partes meatus habeant, & raræ sint. At raræ esse non possunt, nisi simul caliditatem habuerint, ac si Hippocrates hoc ferè modo argumentari uideatur, Anteriores partes sunt pilosæ, igitur raræ, sunt raræ ergo calidæ. In ipsis igitur minus fiunt rigores, uel rarissime. nã inficias ire non debemus, in ipsis quandoq; fieri rigores, quoniam fiunt. Philotheus & ipse ita dicit, καὶ ὅτι ἀραιότερόν ἐστιν, δηλοῖ ἡ θρίξ. τὸ πλεῖστον γὰρ ἐν τοῖς πρόσω μορίοις ἐκφύεται, οὐκ ἄλλῳ λόγῳ, ἀλλὰ τῇ ἀραιότητι τῶν πόρων. idest, Et quod rariores sint, ostendunt pili. plerunq; enim in anterioribus partibus nascuntur, non alia ratione, nisi raritate meatuũ. Hippocrates in sexto Epidemiorũ lib. post principiũ, hunc aphorismum refert, & ita refert, ut ampla declaratio esse possit. eius uerba hæc sunt, Horrores, frigora, rigoresue fœminis prius de lumbis auspicãtur, per tergũq; & scapulas caput petũt. quin & uiri prius posterioribus, quàm prioribus, & exterioribus quàm interioribus horremus, sicuti cubitis, brachijs, coxis. hac enim parte

cutis rarior est, quod pili præseferunt. Sin aūt alia causa horreant, sicuti uulnerum, ab ipsis musculis auspicantur.

GALENVS

RIGORES omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore. Paratiores autem non solum ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigiditatem sunt dorsi partes. Quare non absq; ratione, hinc rigores incohant, & hi citius fiunt mulieribus, quoniam fœmina est natura frigidior, atq; imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiens, ad principium neruorum, scilicet caput, celerrima facta per spiritalem medullam compassione, quoniā & ipsa natura frigida est, sicuti & cerebrū, & propter substantiæ mollitiem, similiter facile alteratione̅ suscipiens. Ex partibus aūt anterioribus rigores nō incohāt, quoniā calidiorem habent quàm partes posteriores temperaturam: & horum argumentum sumit ex cutis raritate, huius uero ipsius rursus ex pilorum multitudine. Dictum autem à me est de generatione pilorum sufficienter in commentarijs de temperaturis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, omnes rigores cum sensibili frigore incipere, sed dorsi partes sunt frigidiores anterioribus, ideo in illis fiunt, & sentiuntur magis, & quia mulieres sunt uiris frigidiores & imbecilliores, propterea in ipsis citius & facilius fiunt, tamen & in uiris fiunt.

SECVNDO docet, cum rigor in dorso fiat, per spinalem medullam usq; ad principium, idest cerebrum recurrit, quia omnes hę partes sunt frigidæ, & spinalis medulla substantiam mollem habet, facile alterabilem.

Quod legitur, spiritalem medullam, error est librarij, qui spinalem medullam imprimere debuit, tamen nec græcus cōtextus ita dicit, sed habet διὰ τοῦ νωτιαίου. idest per dorsum, quod magis probo, nam per dorsum rigores tendūt, & nō per spinale̅ medullam.

TERTIO Galenus docet, non incipere rigores in anterioribus partibus, quia posterioribus calidiores sunt, argumentū uero ex cutis raritate sumit, raritate̅ uero cutis probat, ex pilorum multitudine, de quibus Galenus in cōmentarijs De temperaturis egit.

Quod legit, Et horum argumentū sumit, lege & huius argumentū sumit, quia res est singularis, & græce habetur καὶ τούτου, tamen Aldinus cōtextus habet καὶ τούτων, & noster antiquus contextus prius ita legebat, sed emendatus, in singulari nunc legit.

APHORISMVS LXX

A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur. Si uero prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

BRASAVOLVS

SÆPE dictum est, conuulsionem ex inanitione, & repletione fieri posse. Quartana febris adeo intensa non est, ut conuulsionem ex inanitione inferre possit, & cum à materia atrabilaria fiat, conuulsiones uero à pituitosa, ideo qui quartanam patiuntur, quantum sit ratione quartanæ, à conuulsionibus, uel raro, uel nunquam capiuntur. At si conuulsionem inciderint, antequam quartana superuenerit, ea superueniente liberantur, quia materia exiccabitur, & consumetur, quæ conuulsionem facit.

οἱ ὑπὸ τεταρταίων ἐχόμενοι. idest, A quartanis deprehensi.] Intellige tu longas esse & notabiles quartanas, ut hic loquendi modus ostendit.

ὑπὸ σπασμῶν οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται. idest, A conuulsionibus non admodum capiuntur.] quoniam quartana ab atra bile fit, quæ potius exiccat, quàm neruos implere possit, & quia humor terreus, per neruos ita facile non penetrat, & si quæ humiditates in corpore sint, in quartanis per sudorem euacuari solent, ideo nihil relinquitur, quod possit conuulsione̅ inferre. Adde, qđ in quartana patie̅tes in principijs tremunt & rigores habe̅t, quod ꝓhibet cōcutie̅do, ne materia neruos ingrediaẗ, sed ipsam ferè excutit. Dicit uero nō admodū, quia plerūq; fieri potest, ut is qui quartana afficiẗ, cōuulsione̅ incidat, si alia multa pituitosa materia abundauerit: Intelligitq; potissimū conuulsione̅ ex repletione

non inci-

non incidere, quod ex eo uerbo, capiũtur, ostenditur, idq; Philoth. cõtẽplatus inquit, διὰ τὸ εἰπεῖν ἁλίσκονται, ἐδήλωσε τὸν ὑπὸ πλήθους σπασμόν, αὐτὸ γὰρ τὸ ῥῆμα, παράτασιν χρόνου σημαίνει. οὐκ οὖν τὸν ἐπὶ πληρώσει σπασμὸν λέγει. οὗτος γὰρ εἰς μῆκος χρόνου παρεκτείνεται. τοῦτον οὖν τὸν σπασμὸν ὁ τεταρταῖος, οὐ μόνον οὐκ ἐᾷ γίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ φθάνοντα γινόμενον λύειν, διὰ λόγω τοῦ ἐκκρίνειν καὶ πέπτειν τὸν παχὺν καὶ φλεγματικὸν χυμόν. ἐκκρίνει μὲν γὰρ διὰ ῥίγει τὰς ὕλας, πέπτει δὲ διὰ λόγω τῆς γινομένης διὰ ῥίγει πυρετώδους θερμασίας. idest, ob id quod dicit deprehendũtur, ostendit conuulsionẽ, ex plenitudine. hoc enim uerbũ productionẽ tẽporis significat. nõ igitur ex plenitudine cõuulsionẽ dicit, hæc scilicet cõuulsio enim in prolixũ tẽpus extẽditur. hanc igitur conuulsionẽ quartana febris, nõ solum fieri nõ sinit, sed & factã soluere preuenit, ratione qua crassam & pituitosam materiã secernit & concoquit, secernit quidem materias rigore, concoquit autem ratione caliditatis febrilis rigore superuenientis.

Ἢν δὲ ἁλίσκονται πρότερον. idest, Si uero prius capiãt.] Scilicet cõuulsiõe ante quartanã.

Καὶ ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται. idest, Et superuenerit quartana, liberantur.] Quia humidos illos humores exiccat, qui conuulsionem faciebant. Hippocrates in sexto Epidemiorũ libro hunc aphorismũ ferè ponit. At in solis conuulsionibus non intelligit, immo & in omni morbo. nam dicit, quartana laborantes magna nullo alio morbo corripiuntur; si uero prius laborarent, quartana superueniente, liberantur.

GALENVS

QVÆ quidem fit ex euacuatione conuulsio, acutissima est, & perniciosissima, quæ uero ex repletione partium neruosarum qualis in morbo comitiali, neq; acutissima, neq; similiter periculosa. Meminit aũt Hippocrates nunc non de tali conuulsione, nam uerba capti, & capiuntur longitudinem temporis ostendunt. Hanc itaq; conuulsionem quartana non solum prohibet fieri, uerum si fieri anticipauerit soluit. Fit aũt ab humoribus lentis, ac pituitosis qui partibus neruosis inserti sunt. Cam uero horũ humorũ duplex sanatio sit, excretio scilicet, & coctio, ambas habet quartana, excretionem quidem ex rigore, hæc enim sola agitatio sufficiens est crassum excernere humorem, coctionem uero caloris febrilis ratione qui rigorem consequitur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, cõuulsionem ex inanitione acutissimã esse, & perniciosissimam, nõ aũt illam, quæ est ex repletione partiũ neruosarum, de qua nunc Hippocrates loquitur. quod aũt id uerũ sit, ostendunt hæc uerba capti, & capiuntur. nam cũ Hippocrates his uerbis utitur, capti & capiuntur, temporis longitudinem ostendit. hanc igitur ex repletione cõuulsionẽ nõ solũ prohibet fieri quartana, sed etiã si anticipauerit, soluit.

Vbi legitur, Meminit autem Hippocrates nunc non de tali conuulsione, hæc particula non, superflua est, quæ etiam facit absurdum sensum. græce enim dicitur, μέμνηται δὲ νῦν ὁ Ἱπποκράτης τοῦ τοιούτου σπασμοῦ. Hæc est secunda lectio nostri antiqui contextus, & Aldinus contextus ita habet. In prima uero nostri antiqui lectione scriptũ erat, οὐ τοιούτου.

Quod legiur, longitudinem temporis ostendit, In græcis codicibus uario modo legitur. noster antiquus habet παράτασιν ἐνδείκνυται χρόνου, in prima lectione. in alia uero παράτασιν δηλοῖ τοῦ χρόνου.

SECVNDO Galenus docet, conuulsionem ex repletione, & ex humoribus lentis, atq; pituitosis fieri, qui in neruosis partibus inserti sunt, sed cũ hi humores, qui in neruis sunt, duplici sanatione sanentur, per excretionem, & per coctionem, utranq; sanationẽ præstat quartana. excretionem habet propter rigorem qui excutit crassum humorem. coctionem uero habet propter calorem febrilem, qui rigorem sequitur.

Vbi legitur, hæc em̃ sola agitatio, uocabulũ agitatio, græce est βρασμός, qd' ꝓprie magnã agitationẽ & concussionẽ significat, qualis ea est, quæ in quartanarũ rigoribus fit.

APHORISMVS LXXI

QVibus cutes circuntenduntur aridæ, & siccæ, sine sudore moriuntur. Quibus uero laxæ, & raræ, cum sudore moriuntur.

BRASAVOLVS

DE his qui prope mortem sunt, hic sermo est. Si cutes aridas habeant, & siccas, sine su-

ne sudore moriuntur. quia humida materia, quæ sudorem facit, in his non est, uel saltem non peruenit ad cutem, propterea sudare non possunt. At si qui habeant cutes laxas, & raras, hi cum sudore moriuntur. quia materia, quę sudorem facit, ad cutem transmittitur. Oribasius putat, quod de conuulsione, & distentione sermo hic facit, cum tamen de his non loquatur.

Ὁκόσοις δ' ὁ δέρματα περιτείνεται καρφαλέα, καὶ ξηρά. idest, Quibus cutes circuntenduntur aridæ & siccæ.] In his qui prope mortem sunt, quandoque cutaneæ partes ita resoluuntur, quod subtiliores partes aqueæ & aereę euanescunt. eæ uero quæ terrę naturam sapiunt, manent, & hoc ob febris intensionem, quæ illas partes exiccat, uel quia omnes corporis humiditates exiccat, & non solas cutaneas. Aldinus contextus, & antiquus noster in prima lectione habent, καρφαλέα καὶ ξηρά. idest, aridæ & siccę, uel squalidæ & siccæ: tamē noster antiquus cōtextus aliam lectionē habet, scilicet καρφαλέα καὶ σκληρά. idest, arida & dura. antiqua translatio ita habet, & contextus hagonensis, quamuis Philotheus habeat ξηρά, & Theodorus atque Leonicenus eodem modo in suis habuerint. fit autem durities ex siccitate. nam extenditur ob siccitatem cutis, ut fere pellis supra tympanum extenta uideatur. nam humidum exhaustum est, ideo cutis breuior efficitur.

Ἄνευ ἱδρῶτος τελευτῶσιν. idest, Sine sudore moriuntur.] Quia corporis humiditas exhausta est, uel illa saltem, quæ cuti inhęrebat.

Ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιά. idest Quibus uero laxæ & raræ.] Scilicet cutes. sunt aūt laxæ cutes illæ quę molles sunt, ut fere humidę moriantur, qualia sunt hominum corpora, quando sudare uolunt, antequam sudent, laxitas quædam & mollities in carne persentitur. hoc aūt est quia ad cutē humidæ materiæ transmittūtur, & licet natura succumbat, tamen ultimū conatum facit in expellendo quasdam materias ad cutem, tunc aūt caro laxa fit. posset tamen & id uocabulum χαλαρὰ interpretari mollis: suntque rarę, quia materias istas admittunt, quæ in sudorem uersæ exeunt.

Σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν. idest, Cum sudore moriuntur.] Quia humiditas illa quæ in cute est, exit, tum ex natura ultimum conatū faciente, tum quia partes illæ sunt relaxatę. Habetur & hic aphorismus in sexto Epidemiorū libro positus. Philotheus hunc aphorismum ita exponit, τὸ λεγόμενον τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι οἷς δεῖ τῶν μελλόντων κρίνεσθαι, καὶ τελευτᾶν, ἢ πρὸς βίον, ἢ πρὸς θάνατον. ἐν οἷς μὲν καρφαλέα καὶ ξηρά, τουτέστι σκληρὰ τὰ δέρματα γίνεται, χωρὶς ἱδρῶτος τελευτῶσι. καὶ εἰ μὲν εὐφορία τις ἕπεται αὐτοῖς, πρὸς ὑγίειαν. εἰ δὲ δυσφορία, πρὸς θάνατον. ἐν οἷς δὲ χαλαρὰ καὶ ἀραιά, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν. εἰ μὲν εὐφοροῦσι, πρὸς ὑγίειαν. εἰ δὲ δυσφοροῦσι, πρὸς θάνατον. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἄνευ ἱδρῶτος τελευτῶσιν, διὰ τὸ ἐνδεὲς τῆς ὑγρότητος, οὗτοι δὲ μεθ' ἱδρῶτος διὰ τὸ αὐτὸ αἴτιον. idest, Quod dictū est: tale est, quod in his qui debent iudicari & mori uel ad uitam uel ad mortem, in quibus quidem arida & sicca, idest dura cutis fit, absque sudore moriuntur. & siquidem tolerātia sequatur, ad sanitatē (scilicet res uergit uel iudicatio.) si autem inquies & male se habere, ad mortē (scilicet uergit iudicatio). In quibus autem laxæ & raræ (scilicet pelles) cum sudore moriuntur. Siquidem bene ferant, ad sanitatem (scilicet uergit iudicatio.) si uero difficulter ferant, ad mortē (scilicet inclinat iudicatio.) Sed illi quidem sine sudore moriuntur, propter defectū humiditatis. hi aūt cum sudore propter eandem causam, scilicet propter abundantiam humiditatis. Puto emendandum esse in hac parte Philotheum; & potius legendum esse ob contrariam causam, Quod legitur τὸ αἴτιον, legi debet τὸ ἐναντίον.

GALENVS

MORITVRI, qui quidem squalidas, duras, & siccas habent cutes & extentas, sine sudore moriuntur, quando uero contraria, laxa uidelicet, & mollia, & rara, cum sudore moriuntur. prioribus siquidem, uel humiditas omnino deest, uel cuti, alijs uero inest ex cuti.

BRASAVOLVS

GALENVS huic aphorismo rationem istam assignat: qui morituri sunt, & cutes habent αὐχμώδη, idest squalidas, duras, siccas, & extentas, hi sine sudore moriuntur. quia uel in toto corpore, uel in cute saltem humiditate carent. è contrario uero, qui cutes laxas habent, molles, & raras, cum sudore moriuntur, quia humiditas cuti inest.

Quod in fine commenti legitur, ex cuti, de me particulam, ex, & lege cuti.

Vltima

Vltima huius commenti uerba in prima nostri antiqui contextus lectione ita scripta sunt. τοῖς μὲν γὰρ προτέροις οὐκ ἔστιν ὅλως ὑγρότης ἐν τῷ δέρματι. τοῖς δὲ ἄλλοις ἐστίν. idest, prioribus siquidem humiditas omnino deest in cute, alijs autem inest. In secunda uero lectione eodem modo scriptũ habetur, ut in Aldino contextu, ita scilicet τοῖς μὲν γὰρ προτέροις ἢ οὐ ὅλως ἐστὶν ὑγρότης, ἢ οὐκ ἐν τῷ δέρματι, τοῖς δὲ ἄλλοις ἐπὶ τὸ δέρμα ἐστί. idest, prioribus siquidem uel omnino deest humiditas, uel non est in cute. alijs autem in cute est.

APHORISMVS LXXII

QVi regio morbo laborant, non multum uentosi sunt.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus simpliciter uerus non est, sed solum in aliquo casu. Morbus regius quandoque fit ex totius corporis obstructione, & quia obstructio ad frigiditatem sequitur, ideo hi qui ita affecti sunt, morbo regio laborant, multosq; uidere solemus morbo regio laborantes, & flatibus plenos, aqua intercute laborantibus, atq; tympanite. quandoq; hic morbus ex abundantia & redundantia bilis in toto corpore fit, propterea cutis inficitur, & hi non sunt multum uentosi. sunt uero qui per morbo regio laborantes, eos intelligant qui biliosi sunt natura, quos spernere nõ debemus. nam & si alicui uideatur, quod præter naturam sit, quia dicit, laborant, tamen in eius dialecto non dicit laborare, sed est unum solum integrum uocabulum ἰκτεριώδεες, idest ictericiam habentes, idest talem colorem, qualem habent qui morbo regio laborant. uel ἰκτεριώδεες dicuntur, non qui plane laborant morbo icterico uel aurigine, ut uocat Celsus: sed qui ad morbum ictericum propensi sunt, & symbolum habent. Quicquid autem sit, aphorismus uerus non est, nisi in illis qui ob bilis abundantiã luteum colorẽ contraxere. nã flatus ex pituita fit, & à bile resoluitur. Philotheus alio modo intelligere uidetur. nam inquit, ἰκτεριώδεις λέγει, τοὺς ἐπιτηδείως ἔχοντας πρὸς φθίσιν. οὗτοι δὲ θερμότατοί εἰσιν. πνευματώδεας δὲ λέγει πάλιν τοὺς ἔχοντας περιουσίαν πνευμάτων, διὰ φλεγματώδη καὶ ψυχρὸν χυμόν. τούτου οὕτως εἰρημένου, οἱ ἰκτεριώδεις οὐ πάνυ πνευματώδεις εἰσίν, τουτέστιν, οὐ παντελῶς, τὰ γὰρ πνεύματα ὑπὸ ψυχρᾶς ὕλης γίνεται. οὗτοι δὲ θερμότητι ὑπόκεινται. ἡ δὲ θερμότης οὐ τίκτει πνεύματα, εἰ δὲ καὶ τέξει, διαφορεῖ αὐτά. πλὴν οὐ πάνυ τι εἰσὶ πνευματώδεις, τουτέστιν οὐ παντελῶς. ἐνδέχεται γὰρ αὐτοὺς ποτὲ καὶ πνευματώδεις γενέσθαι, διὰ ἀρρωστίαν τῶν θρεπτικῶν μορίων. ὧν ἀρρωστούντων ἀπεπτοῦνται αἱ τροφαί, καὶ πνεύματα τίκτονται, κἀντεῦθεν πνευματώδεις γίνονται. idest, Regio morbo laborãtes dicit, eos qui ad phthisim apte se habẽt, hi autem calidissimi sunt. Rursus autem flatuosos uocat, flatuum copiam habentes ob pituitosum & frigidum humorem. hoc sic dicto, qui in regium morbum propensi sunt, non admodum flatuosi sunt, hoc est, nõ omnino. flatus enim à frigidia materia fiunt. Isti autem calidi supponuntur, caliditas uero flatus non parit. Si autem & pariet, discutit ipsos. ueruntamen non admodũ flatuosi sunt, hoc est non omnino. contingit enim & ipsos quandoq; flatuosos fieri ob infirmitatem nutritiuarum partium, quibus debilitatis nutrimenta non coquuntur, & flatus generantur, & hinc flatuosi fiunt.

οἱ ἰκτεριώδεες. idest, Qui morbo regio laborant.] De morbo regio alias in hoc libro diffuse locuti sumus, ostendentes hos habere quando luteum colorem, quandoq; atrũ. luteus est, si flaua bilis abundet. Si atra bilis, ater. hic opus est de regio morbo ex flaua bile intelligere, & non ex atra.

Ο πάνυ τι πνευματώδεες εἰσίν. idest, Non multum uentosi fiunt,] Idest flatu non abundant, quia ex pituitosa materia flatus fit. hi uero biliosi sunt, & bile abundant. dicit uero non multum, quia perpetuo uerũ non est quod flatuosi non sint. immo aliqui sunt, in quibus & flatus generatur, & tamẽ simul habent regium morbum: at id raro euenit, nam solum eueniunt, quando imbecillas partes habent. At ob humoris abundantiam nunquã sunt flatuosi, quia bilis flaua in flatum non transit. Oribasius huic aphorismo alium sensum facere uidetur, inquiens, regium morbũ ex bilioso fieri humore. dum autem ille humor expulsus fuerit, inflationes non facit in corpore.

GALENVS

VENTOSOS ab ipso nunc dici est existimandum illos, qui in uentre colligunt multitudinem uenti flatuosi, qui uel per ructus, uel flatus excernitur, uel remanet, & extendit quæ inibi sunt. fit autem hoc nonnunquam quidem ob debilitatem, & partium ad uentrem attinentium imbecillitatem. Nonnunquam uero ex pituitoso, & frigido humore. Hi itaq; qui propter pituitosum humorem uentosi sunt, contrarij sunt regio morbo laborantibus, qui ex bile accidit. Quare hi nunquam ob humoris exuperantis naturam uentosi fierent. Contingit autem ipsos, ob partium imbecillitatem fieri aliquando uentosos. Quare sermoni adiecit, non admodum, continuum quidem negationi adimens. Ostendens autem maiori ex parte quod prius dixerat fieri. Neq; enim admodum inuenire contingit regio morbo laborantes habere partium ad uentrem attinentium imbecillitatem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Quid Hippocrates per flatuosos intelligat, quos πνδυματώδεις uocauit. Illos aũt intelligit, qui flatus multitudinẽ corpore colligũt, quæ potest per peditus, aut per ructus euacuari: & si non euacuatur, corporis partes extendit.

Quod legitur, Qui uel per ructus, uel per flatus, hæc dictio uel per flatus, græce est ἢ διὰ φυσῶν, quod uocabulum & si flatum significet, idest affectionem flatuosam, hic tamen nos peditũ, interpretandũ iudicamus, ut sensus sit, uel per ructus, uel per peditus.

SECVNDO causam docet quomodo flatus fiant. quandoq; ob imbecillitatem fit, nempe à caliditate diminuta, quandoq; ex pituitoso & frigido humore. unde illi, qui ob pituitam flatuosi sunt, regio morbo, qui ex bile fit, contrarij sunt, & ideo hi nunquam sunt flatuosi ob humorem ipsum qui in corpore abundet, tamen flatuosi fieri possunt, ob partium imbecillitatem: & hæc fuit causa cur Hippocrates addiderit hanc particulam, non admodum, ut adimeret illi negationi quæ flatum continuum negat, idest, ut ostendat semper non esse uerum, sed maiori ex parte, quia & si in illis: qui uentriculi imbecillitatem habẽt, & totius uentris simul cum morbo regio flatus sint, tamen hoc raro contingit, quod morbo regio laborans inueniatur, qui partes ad uentrem attinentes imbecillas habeat. eum per regium morbum patientes, intelligentes qui hunc luteum colorem habet, eo quod bile flaua multum abundet. nam hi sunt natura admodum calidi.

LIBRI QVINTI

FINIS.

AD MAGNIFICVM IVLIVM BOIARDVM SCANDIANI COMITEM ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.

VEREBATVR NOSTER hic labor in tui gratiam editus magnifice Comes, præſentiā tuam adire, & quaſi ſecum ipſe erubeſcebat. etenim uelut apis obmurmurabat, num hic Comes is eſt qui ueluti altera ſpinx, ſi quid illi occurrat, id totum in dubium uertit: atq; ænigmata molitur quæ non alius quàm ipſe poſſit reſoluere. Certe ſi contingat ut tuo iſto ingenij acumine in me dubitationes exerceas, his obrutus obſtupeſcam, uel potius rubore ſuffuſus obmuteſcam, tacensq; ignauiam meam aperiam. Satius igitur eſt tam docti tamq; præſtantis uiri iudiciū effugere, quàm derideri, & ignominiā ſubire. Nos è contrario nobiliſſimi Iulij egregios mores recenſebamus, q; ſit modeſtus, quàm lenis q; ſedatus moribus, qui omnia apud omnes boni conſulit. præterea quæ nam illa ſunt, in quibus hic uir ambigere poterit. Tunc labor hic inſurgebat, quoniam ea quæ è græco in latinū uertimus, ad uerbū ferè à nobis referuntur, aduerſus Flacci pręceptū dicentis.

Nec uerbum reddere uerbo Curabit fidus interpres.

Nos uero in his ſolum Flacci præceptū probamus quę ad poeſim, poetasúe ſpectāt. At in his quæ ad philoſophiam, in quibus unius uerbi mutatio ſententiam longe euariat, non probamus: & in his minus, quę ad rem medicam, in quibus nuda ac ſimpliciſſima ueritas expetitur & expectatur. Nobis enim in re medica non placet antiqua illa Linacri, aut Copi (alioqui uirorū optimorū) in uertendis Galeni operibus ſeueritas, & obſeruatio. Quia nos in noſtra hac arte optimas illas interpretationes eſſe iudicamus, quæ Authoris ſententiam non moroſe, nec anxie, ſed ſumma cum facilitate referūt. etiam ſi uerba uerbis correſpondeant, modo latina ſeries ſeruetur, & uerba commode & concinne correſpondeant. quamuis fieri non poſſit, ut uerba ſemper uerbis ad unguem reſpondeant, ſed quanto minor eſt mutatio, tanto magis interpretationem laudamus. propterea multis alijs præferimus Leoniceni interpretationes, quem hunc morem ſeruaſſe conſtat. Addebat labor nos multas græcas ſententias referre, quas deinde abſq; interpretatione relinquimus. Sed nos hoc ſponte fatebamur. nā plerūq; ſententia aliqua occurrit, quæ aliud quiddam græce præſeferre uidetur, quàm à Leoniceno interpretatum ſit. tamen non eſt id adeo diuerſum, ut eo modo dici non poſſit. propterea, ut cuiq; facile ſit iudicium ferre, gręcam ſententiam adducimus. immo & in exponēdis aphoriſmorum particulis ſemper græcam ſententiam præfigere placuit. ut cuiq; in promptu ſit, an ita latine referre debeat. Multa alia nullius momenti ambigua proponebat hic labor, quę omnino deſpeximus, & Magnificentiā tuam perfricta fronte adire iuſſimus. ut animū noſtrū in ſe diu ac uere propenſum agnoſcat. Sciatq; nos maiora in ſui gratiam paraturos, ſi hęc mediocria non diſplicuiſſe intellexerimus. Vale Boiardorum decus.

HH

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN SEXTVM LIBRVM APHORISMORUM Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

SI QVIS HVIVS LIBRI SVMMAM QVANDAM in principio enarrare tẽtauerit, hic idem si hoc aget, aquã cribro haurire poterit. nam adeo uarij sunt, distincti, atq; breues Aphorismi, ut nullus sit quantumcũq; ingenio præditus, qui breuius, quàm ab Hippocrate dictum sit, possit huius libri sententiam referre. Tamen si quæ summa & breuis omnium repetitio fieri possit, hæc est, In hoc libro ab Hippocrate signa edoceri, quibus bona, aut mala quæ futura sunt, simpliciter proferre & prædicere possimus. Et ideo hic liber prognosticus nuncupari poterit. At ne uel summum apicem in hac nostra interpretatione omittamus, scire oportet, hãc inscriptionẽ huic lib. in impressis codicibus prefixã esse: Galeni in sextum Aphorismorũ Hippocratis, sed potius legendum est, Galeni liber sextus in aphorismos Hippocratis: tamẽ antiquus noster contextus ita habet Γαλιωῦ εἰς τὸ ἕκτον τῶν ἀφορισμῶν, Aldinus uero legit Γαλιωῦ εἰς τοὺς ἀφορισμοὺς ἱπποκράτους, Sed hæc ad rem ipsam nihil faciunt. Nos enim Hippocratis uerba interpretãda suscepimus, nõ libri inscriptiones considerandas. Hoc igitur modo exorditur Hippocrates.

APHORISMVS I

IN longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.

BRASAVOLVS.

SI QVIS diu intestinorũ leuitatẽ passus sit, & prius acidos ructus nõ habuerit, qui tamen fieri incipiãt, hoc bonũ signum est. quoniã naturalem calorem iam creuisse significatur, & potentiã habere mouendi materiam illam, quę in uentriculo est, & quam prius mouere non poterat in flatus. Philoth. uero dicit, ab Hippocrate symptoma poni quod morbũ sequit̃, inquiẽs, ἐν τῷ παρόντι ἀφορισμῷ, περὶ ἐπιγεννημάτων διαλέγεται. τὸ δὲ ἐπιγέννημα τετραχῶς. ἢ γὰρ νόσημα νοσήματι ἐπιγίνεται, ὥσπερ τῇ πλευρίτιδι πυρετός. ἢ νοσήματι σύμπτωμα, ὥσπερ πυρετῷ κεφαλαλγία. ἢ συμπτώματι νόσημα, ὥσπερ τῇ κεφαλαλγίᾳ ξηρότης. ἢ συμπτώματι σύμπτωμα, ὥσπερ τῇ ἀγρυπνίᾳ κεφαλαλγία. ὑποτίθεται οὖν νόσημα ὅπερ ἐστὶν λειεντερία, καὶ ἐπὶ νοσήματι σύμπτωμα ἐπιγινόμενον, ὅπερ ἐστὶν ὀξυρεγμία. idest, In præsenti aphorismo de his quę sibi succedũt, disputat. Succedaneũ uero quadrifariã succedere potest. uel enĩ morbus morbo succedit, ut morbo laterali febris: uel symptoma morbo, ut febri capitis dolor: uel morbus symptomati, ut dolori capitis ariditas: uel symptoma symptomati, ut uigiliæ dolor capitis. supponitur ergo morbus qui est intestinorum leuitas, & in morbo symptoma superueniens, quod est acidus ructus.

Ἐν τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν. idest, In longis lienterijs.] Quas latini intestinorum leuitates uocant. est aũt intestinorũ leuitas (ut Galenus in cõmento edocebit) quando non fit cibi immutatio, neq; in colore neq; in odore, neq; in aliqua qualitate. Nos aũt addendum uolumus, uel est parua & exigua mutatio. nam si nullo modo cibi mutarẽtur, esset penitus naturalis caloris defectus. fit autem multis de causis intestinorũ leuitas, una est ex humoribus acutis, intestina & uentriculum in superficie mordicantibus. nam cũ cibi ad exulceratas partes permeãt, dolorem sentiunt, & cibũ propellere coguntur, In hacq; leuitate erit sensus cuiusdã morsus. quãdoq; fit ex uẽtriculi & intestinorũ imbecillitate, quia hæ partes à cibis grauatæ, statim eos demittunt. & hæc intestinorũ leuitas alicuius

doloris

doloris sensum nõ habet. quãdoq; fit ex multa uẽtriculi & intestinorũ humiditate, quãdoq; ex intẽsa frigiditate, quę cõtentiuã uirtutẽ imbecilliorẽ reddit, & coctionẽ impedit. De his in præsentiarum sermo est, quãdo aliquis longam intestinorũ leuitatem ob uentriculi & intestinorũ imbecillitatẽ atq; frigiditatem cibi nõ immutantur, nec alterantur, sed ut insumuntur, exeunt. unde opus est, contentiuã uim imbecillã esse, & simul cõcoctricẽ, uel esse corruptas, expulsiuã uero fortẽ. Philotheus easdem ferè leuitatis intestinorũ causas adducit, cuius uerba hæc sunt, ἀλλ' αὕτη ἡ λειεντερία, ἢ διὰ τὴν πολλὴν τῶν ἐντέρων ἑλκώσιν γίνεται, ἢ διὰ ἀσθένειαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως, ἢ τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως ὑπὸ δυσκρασίαν ψυχρὰν νεκρούσαν αὐτάς, ἢ διὰ χυμὸν ψυχρὸν πλεονάζοντα, καὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦντα. idest, Sed ipsa intestinorũ leuitas, uel ob exulcerationẽ intestinorũ in superficie fit, uel ob imbecillitatẽ cõtentiuæ potentiæ, uel alteratricis potentiæ, ipsas per frigidã intemperaturã mortificantẽ, uel ob frigidum humorẽ superabundantẽ, & hoc idem facientẽ. Si uero petas, secundum quẽ modum intelligendus sit Hippocrates. Respondet, ἐνταῦθα οὖν περὶ τῆς διὰ ἀσθένειαν τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως γινομένης λειεντερίας ὁ λόγος ἐστὶν τῷ ἱπποκράτει. idest, Hic igitũ Hippocrati sermo est de intestinorũ leuitate per imbecillitatẽ cõtẽtiuę potẽtię facta.

ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη. idest, Si ructus acidus fiat. Quando aliquis ex prædicta causa, intestinorũ leuitatẽ patitur, naturalis calor in cibos nõ agit, sed exeũt uel inalterati, uel parũ immutati. Si naturalis calor augeri incipiat, in principio tantus est, ut coquere possit, sed in acidũ saporẽ alterat; sicuti lacti contingit, quod in frigido uentriculo acescit; tamen in hoc casu calor est tantus, quod flatus incitare potest, unde flatũ facit, qui à diminuta caliditate fit. & quia perfecte coquere non potuit, tamen immutauit, in acidum duxit; propterea si ructus acidus fiat, signum est naturalem calorẽ creuisse, qui nihil prius immutabat, & qui non poterat etiam in flatus materiam conuertere. nunc uero illam in flatus uertere incepit. Solet autẽ ut plurimũ intestinorum leuitas, longas ęgritudines sequi, nam alteratrix uis, & contentiua in longo morbo debilitantur.

πρότερον μὴ ἐοῦσα. idest, Qui prius nõ erat.] Aldinus contextus habet μὴ πρότερον γινομένη, sed idem est sensus, quia si in principio fuerit acidus ructus, & perseueret, nõ est bonum signum, sed solum si prius nõ fuerit, deinde fiat. nam si ab initio sit (ut Oribasius dicit) malum signũ est. est uero & acidus ructus malum signũ, qui significat concoctionẽ diminutã, tamen est maius malum nõ adesse, quia concoctio ablata significatur. Id aũt quod est minus malũ, respectu eius quod est magis malum, pro bono accipitur. fit uero & alijs ex causis ructus acidus, præter hanc, scilicet ob coctionis imbecillitatẽ ex mala frigida tẽperatura, sed illæ causæ hic nõ intelliguntur, quoniã acidus ructus ex atra bile fieri potest, quæ circa os uentriculi cõtineatur, & ex praua calida tẽperatura, quæ cibũ adeo ebullire facit, ut in aciditatẽ quandam ducat, sed alterius generis q̃ illa sit quæ à frigiditate fit. potest etiã ex acida pituita fieri, quæ à capite ad os uentriculi confluat. Plinius uero dicit si quis penna uulturis dentes purget, eius halitum acidum fieri.

σημεῖον ἀγαθόν. idest, signũ bonũ.] Cur uero signũ bonũ sit, duas causas Oribasius assignat, Primo, quia materiã, quę intro decurrebat, dissoluit uirtus, & ad exteriora pars aliqua deriuatur, & fit deriuatio de loco ad locũ. Secũdo, quia significat frigidam & glutinosam materiam iam à calore solutã, ut fiat acidus ructus. Sed uera causa, cur bonum signum sit, est quia significatur, naturalem calorem, qui erat ferè defectus, & nullam coctionem faciebat nec perfectã nec imperfectã, nũc aliquã coctionẽ facere, & esse adeo robustũ effectũ, ut fumos eleuare possit, flatũ excitare. Signũ igitur bonũ est, quia significatur naturalem calorẽ crescere, & ad suũ terminũ redire, unde & à Philotheo dicitur signũ bonũ esse ὡς οὖσα ἡμιπεψία. idest, tãq; sit semicoctio, prius uero nulla fiebat coctio. Aetius etiã lib. nono, capite quinquagesimo primo de intestinorũ leuitate agens hęc dicit, Videtur aũt bonum & amicũ signum in eis ructus acidus esse. Indicat enim iucundi quippiã factum esse, & uentrẽ ac intestina nõ ueluti inania cibũ sinere pertrãsire. Itaq; cum eiusmodi sit affectio, facile est intelligere, quod uim retentiuã ac concoctoriã facultatem tum uentris, tum intestinorũ omni modo refocillare oportet. Quod sanè per ciborum conuenientiũ exhibitionem fieri potest, perq; diætam restituendis ac refocillandis uiribus aptam, & ut simpliciter loquar, eodem medicationis ductu utendum est, quem ad cœliacos & dysentericos habes præscriptum. Aetius hactenus.

GALENVS

LEVITAS intestinorum est uelox exitus eorum quæ comeduntur, atque bibuntur, quæ talia deiiciuntur, qualia fuere deuorata. Si quis uero uellet breuiorem afferre diffinitionem, diceret esse carentiam coctionis, cum neque secundum consistentiã, neque secundum colorem, uel odorem, uel ullam omnino qualitatem, in uentriculo facta fuerit mutatio ciborum. Tale autem nomen hæc passio sortita est existimantibus illis, qui prius talem ei indiderunt appellationem, fieri ipsam propter intrinsecæ superficiei intestinorum leuitatem, ob quam cibos qui continentur in eis non amplius aprehendunt, ut cum suam seruarent sibi à natura inditam asperitatem retinebant. In pluribus itaque alijs qui primi nomina rebus imposuere collaudandi, non tamen in leuitate intestinorum uiros accepto, qui ignorauerint quòd ipsius uentriculi proprium est cibos amplecti, ac se circumstringendo, certo tempore retinere & rursus ad inferiora demittere. Et sicuti in uesica fit urinæ stillicidium, non expectante ut illa colligatur, sed statim tanquam mordentem, aut aggrauantem, expellente: sic & in uentriculo ueloces exitus, hi enim sunt omnium excretionum causæ: quas si illi sciuissent, qui primi hanc passionem leuitatem intestinorum nominarunt, talem de ea opinionem abiecissent, & uice eius, totius uentriculi, atque intestinorum imbecillitatem in causa posuissent, ob quam hæ partes corporis grauatæ à cibis assumptis, ipsos confestim excernunt. Fieri autem potest aliquando ut à quorundam humorum mordacitate in superficie exulceratis, fiat hæc passio, & si uis ipsa non multum patiatur: tunc enim erit necessarium, ut permeantibus cibis, partes exulceratæ dolorem sentiant, atque ideo illos propellant, atque à se ipsis citissime emittant, quo in omnibus partibus facto, uelocitas exitus subsequetur, & nullum fiet initium coctionis. Verum tali intestinorum leuitati cuiusdam morsus inerit sensus. In illa uero quæ accidit propter uentriculi atque intestinorum imbecillitatem, absque ullo doloris sensu fiunt deiectiones. Adest autem & hæc haud parua utrique differentia. Quæ enim abrasa fit humorum acritudine uentriculi atque intestinorum superficie, cessante humorum malignitate statim sanatur, cibis, ac potibus quæ uim densandi habent. Quod si longiori tempore perseueret, in alteram passionem quæ Dysenteria, idest difficultas intestinorum nominatur transmutatur. Quæ autem potentiæ retentiuæ sequitur imbecillitatem, omnino quidem fit ex intemperatura. Sed uel ipsorum corporum quæ iam habitum quendam non facilem solui contraxerunt, est dispositio, uel propter humorem aliquem qui in uentriculo atque intestinis continetur euenit, ex quibus humoribus unus est pituita. Vnde & acidos ructus qui tali passione laborant, habent, quos græci ὀξυρεγμίας nominant, qui sine aliqua pituita quandoque in uentriculo frigidiore fiunt, & in quibusdam leuitatibus intestinorum, quę ex frigiditate ortum habent, una fiunt, sed progressu temporis cessant. Nam ab initio paruo quodam tempore cibi in uentriculo retinentur, procedente autem, atque aucta passione, neque hoc tempore retinentur. In quibus igitur paruo remanent tempore, fit quoddam ueluti initium concoctionis, & propter hoc non sortitur effectum. Nos uero didicimus imperfectas coctiones ex frigiditate prouenientes ructus acidos facere. In quibus autem cibi nullum habent coctionis initium, neque ulla ab initio fit secundum qualitatem mutatio, adeo quòd neque ructus acidi, nisi pituita, præsertim acida, in uentriculo abundet. propterea Hippocrates non simpliciter dixit bonum esse signum acidos ructus in leuitatibus intestinorum, sed primum quidem in longis adiecit, quasi cum incipientibus, ut dictum est sæpius, unà eueniant, deinde ubi prius non fuerint, inquit. Quæcunque enim à pituita uentriculum refrigerante fiunt leuitates intestinorum, semper cum ipsis sunt acidi ructus, ut casus quidam. Illis igitur quæ neque incipiũt, neque ex pituita fiunt, non insunt acidi ructus. quod si aliquando fiant, significant tantum aliquando tempus cibum in uentriculo retineri, quòd principium mutationis accipiunt, & naturam suorum operum reminisci. Et iam, ut arbitror satis implesse uideor expositoris officium. Si quis uero eorum quæ dicta sunt uult capita omnia scientia comprehendere, in tractatu qui de potentijs naturalibus inscriptus est, non paucas habet de uentriculi uiribus demonstrationes, in causis autem accidentium, de omnibus quæ uelociter excernuntur. Quoniam uero Erasistratus in

tus in secundo de uentriculo mentitus est de medicis se ætate superioribus, turbauit autem atque confudit intestinorum leuitatis notionem, melius mihi uisum est hæc superaddere, & primum ipsius Erasistrati uerba subscribere, quæ ita se habent. De ea quæ leuitas intestinorum nominatur dicendum, quam priores medici in tres partes diuiserunt, in difficultatem intestinorum, in leuitatem intestinorum, & tentionem, & quidam in his quæ excernuntur differentias considerantes passionis atque dicentes. Quando enim sanguinolenta, atq; muccosa exeunt, quæ à uentriculo fuere concocta, tunc difficultatem intestinorum nominabant. Si uero exeuntia cruda, mixta autem sanguinolentis, atq; muccosis, leuitatem intestinorum uocabant: cum uero biliosa mixta cum sanguinolentis, atq; muccosis excernuntur, tentionem passionem appellabant. Hæc igitur Erasistratus inquit, nescio qua ductus opinione adijciens crudis excrementis muccosa, ac sanguinolenta. Hoc enim nullus apposuit, neq; eorum qui eius ætate claruerunt medicorum, ueluti Philotimus, Erophilus, Eudemus, neq; eorum qui posteriores fuerunt Archigenis sectatores, neque quos ipse citat, medici superiores, hoc est ipso Erasistrato seniores. Diocles siquidem in libro de curatione causæ passionis, scribit in hunc modum. Tertia fit magna ex parte ex difficultate intestinorum. Vocatur autem leuitas intestinorum, ad quam sequitur deiectio humida, ac spumosa & cruda, & multa, & cita post cibum assumptum, ac potum. Praxagoras autem in secũdo de assidentibus, inquit, Intestinorum leuitate laborantibus, quoniam lubricum est intestinum, ieiunum præsertim, necesse est cito ciborum fieri deiectiones. Post hæc deinceps, quòd necessarium sit cito exeuntia esse omnino cruda, Praxagoras scribit, maximam quidem passionis proprietatem in cita ponens deiectione. Quod uero cibi omnino incocti permaneant, hoc unum faciens ex his quæ necessario consequuntur. Neq; enim quia omnino incocti permaneant cibi, ideo cito deijciuntur, sed quia cito deijciuntur idcirco nullam habent coctionem, atq; ideo nos, & alij medici plurimi citam ciborum nullam habentiũ coctionem deiectionem, dicimus esse leuitatem intestinorũ. Sic & de ipsa uidẽtur sentire, & alij medici antiqui. Nam & in libro de passionibus Hippocratis, siue eius sit liber, siue Polybi eius discipuli, hæc de leuitate intestinorum scripta inueniuntur. Cibi deijciuntur imputridi, humidi, absq; dolore, corpus autem extenuatur. Liquet uero fuisse morem antiquum istorum uirorum uocare imputrida quæ nos incocta nominamus. In libro aũt de uictu salubri, qui etiã & ipse Hippocratis adscribitur, licet qui adulterinũ censent, nonnulli ad Aristonem, nõnulli ad Philistionem, quidam ad Phestam, referant, scribuntur hæc uerba. Patiuntur nonnulli talia, cibus eis deijcitur, humidus, incoctus, non propter morbum, ueluti leuitatem intestinorum, neq; aliquem ipsis affert dolorem. Hi quidem uiri omnes Erasistrato seniores. Mille autem alij, quos dixi omnes qui Erasistrati ætate uiguerunt in eandem sententiam de intestinorum leuitate scripserunt. Quare nescio qua causa ductus de priscis hominibus mentiatur, illos inquiens arbitrari in leuitatibus intestinorum sanguinolenta, atq; muccosa cibis incoctis commisceri.

BRASAVOLVS

PRIMO Galen. docet, quid sit λειεντερία. idest, Intestinorũ leuitas. est aũt uelox exitus eorũ quę comedũtur, & bibũtur, quę talia deijciũt, qualia fuere deuorata. Breuis aũt dici posset esse propter carentiã coctionis, quãdo neq; secũdũ substantiã, nec secundũ colorẽ, nec secundũ odorẽ, nec secundũ aliã qualitatẽ, ciborũ mutatio in uẽtriculo fit. nos uero dicamus uel paucã immutationẽ factã esse, quia si nulla fieret, penitus nõ nutrireẽ, & ex consequenti quisq; morereẽ, qui saltẽ per octo dies intestinorũ leuitatẽ pateretur.

Quod legitur, si quis uero uellet breuiorem afferre definitionem, græce est συντομώτερον δὲ ἄν τις αὐτὴν ἀφοριζόμενος εἴποι, στέρησιν πέψεως, concoctionis priuationem.

SECVNDO Galenus docet, unde hæc passio suum nomen sortita sit λειεντερία intestinorum leuitas, inquiens primos illos impositores existimasse quando fit hæc passio, intrinsecã intestinorum superficiẽ leuiorem fieri: unde cibi, qui in ipsa continentur, non retinentur, sicuti prius retinebantur, quando intestina suam asperitatem sibi naturalem seruabant. sed hi (inquit) in multis nomina rebus apta imposuerunt. huic uero minime, quia ostendũt se ignorare, quod propriũ est uẽtriculi, amplecti cibos, & ipsos cõstringẽ

do certo tẽpore retinere, & deinde ad inferiora remittere. & sicuti urinæ stillicidium fit q̃a urina in uesica non colligit̃, sed statim impellit̃, ueluti illa quę mordet et aggrauat, idẽ in uẽtriculo cõtingit, nã cibi uelociter exeũt. Si illi antiqui hoc cognouissent, talẽ de intestinorũ leuitate opinionẽ nõ habuissent: immo causam fecissent, & uẽtriculi, & intestinorũ imbecillitatẽ. hę etenim partes cibis grauatæ, eos demittũt, & cõfestim excernunt.

Quod legitur, & rursus ad inferiora demittere, gręce est καὶ αὖθις ὠθεῖν κάτω, & rursus ad inferiora expellere.

Quod etiam legitur, hi enim sunt omnium excretionũ causæ, legi debet hę, & postea addenda est particula communes. nam græce habetur αὗται γὰρ αἰτίαι κοιναὶ ἁπάσης ἀσιν ἐκκρίσεως. idest, hę enim sunt omnium excretionum communes causæ.

TERTIO Galenus leuitatis intestinorum causas edocet. una prius dicta est, uentriculi & intestinorũ imbecillitas. alia est humorũ mordacitas, qui uentriculũ & intestina mordicant & exulcerant. cũ uero cibus ad ulceratas partes accedit, dolorẽ persentiunt, & cibum ita emittunt, ut coctionis initiũ non fiat. Sed hæc intestinorũ leuitas, morsum quendã & dolorẽ habet. Illa uero, quæ ex imbecillitate fit, sine dolore est. Adde illã quę fit ex exulceratiõe, euacuatis humorib. cessare, si styptica exhibeatur: si uero diu perseueret, in difficultatẽ intestinorũ pertrãsit: sed illa, quę ex imbecillitate fit, uel intẽperaturam sequit̃, uel humorẽ aliquẽ, ut est pituita, quę in uẽtriculo & intestinis cõtineantur.

Quod legitur, Quo in omnibus partibus facto, gręce est, τούτου δὲ διὰ πάντων τῶν μορίων γινομένου. idest, Hoc autem in omnibus partibus facto.

Quod etiam legitur, Cibis & potibus quæ uim densandi habent, hęc particula quę uim densandi habent, græce est συφόντων, idest stypticis.

QVARTO docet, eos qui intestinorũ leuitatem ex imbecillitate cum materia ut pituita, patiuntur, acidos ructus habere, quos græci ὀξυρεγμίας uocant: immo & si fiat sine pituita, sed ex puro uentriculi frigore quandoq; fiunt acidi ructus, & hoc est in quibusdam intestinorũ leuitatibus, quæ ex frigiditate ortũ habẽt, in quibus simul in principio ructus acidi fiunt, postea uero cessant, quia in principio leuitatis intestinorũ cibi in uentriculo parũ quid retinentur, unde acescunt. In processu aũt temporis, intestinorũ leuitate crescente, amplius non retinentur. propterea quando coctio est imperfecta, fit acidus ructus. quando est nulla, non fit ructus, nisi pituita acida in uentriculo abundet. propter hoc Hippocrates absolute nõ dixit, in leuitatibus intestinorum acidus ructus, bonum: sed addit, in longis, quia in incipientibus plerunq; sunt. & addit, si prius nõ fuerint, quoniam cum à pituita fiunt hę intestinorũ leuitates, semper acidos ructus habent. unde longæ intestinorũ leuitates, & in quibus ægri ructus acidos prius non habent, illæ sunt, de quibus Hippocrates uerba facit, quia à pituita nõ fiunt, neq; incipiũt: si in his ructus acidi contingãt, cibum tanto tempore in uentriculo contineri significatur, quod mutationis principium accipit, & significatur naturã suorum operum reminisci, scilicet retinere cibum, & coquere in quantum potest, ideo bonum signum est.

Vbi legit̃, In quibus igitur paruo remanent tẽpore, deest particula solũ. nam gręce dicitur, ἐφ᾽ οἷς οὖν ὀλιγοχρόνιος ἡ μονή. idest, In quibus igitur paruo solum tẽpore remanẽt.

Quod etiam legitur, & propter hos non sortitur effectum. græce est καὶ διὰ τοῦτο ἀτυχία. idest, & propter hoc frustratio uel inanis conatus.

Quod statim sequitur, Nos uero dicimus imperfectas coctiones, hęc particula imperfectas coctiões, gręce est ἀτυχίας τῆς πέψεως. uocabulũ ἀτυχία casuale significare uidet̃.

Quod etiã legitur, Quasi cum incipientibus, græce est ὡς ταῖς γε ἀρχομέναις. idest, tanquam cũ incipientibus, & hic deest una particula, scilicet eas excludens, quæ ab initio statim secum eueniunt: unde dicens in longis, ructus acidos excludit, qui statim in principio cum intestinorum leuitate fiunt. hoc igitur modo cõtinuatio fieri debet, sed primũ quidem in longis adiecit, eas excludens, quæ ab initio statim secum eueniunt, tanquam cum incipientibus ut dictum est, sæpius unà eueniunt. hæc sententia huic parti omnino addenda erat, tamen nec in Aldino contextu, nec in nostro antiquo inuenitur.

QVINTO Galenus docet, se explesse expositoris officium, tamen si quis omnia capita, per modum scientiæ scire uoluerit, librum De naturalibus potentijs legat.

SEXTO docet, Erasistratum in secundo de uentriculo de medicis antiquioribus menti-

mentitũ esse:nã turbauit & cõfudit notionẽ leuitatis intestinorũ.propterea Galeno cõ-
ueniens uideť hæc persuadere,sed prius Erasistrati uerba subscribere cœpit, qui uoluit
secundũ antiquos leuitatẽ intestinorũ distingui in difficultatẽ intestinorũ,in leuitatẽ in-
testinorũ,& in τανισμὸν,idest,tentionẽ.Si sanguinolenta atq; muccosa exeant,difficul-
tas intestinorũ est.Si cruda sanguinolẽtis & muccosis mixta,est leuitas intestinorũ:si bi-
liosa mixta sanguinolentis atq; muccosis,est τανισμός, idest,tentio.sed Galenus ipsum
reprehendit,quia nullus antiquorũ hæc simul apposuit,muccosum,& sanguinolẽtum,
quæ ipse apponit.discurritq; Galenus usq; ad coæuos,& particularia Dioclis & Praxa-
goræ uerba adducit.tu illa uide,adducitq; Hippocratẽ ipsum,ut probet,in intestinorũ le
uitate sanguinolẽta,& muccosa non deijci, itaq; ostẽdit Erasistratũ de antiquis mẽtiri.

Vbi legitur,neq; eorum qui posteriores fuerunt,tria uerba desunt,quæ sunt,usq; ad
recentissimos hos Archigenis sectatores.Græce enim est,ὅτι τῶν μετ᾽ αὐτὸν γενομένων
τίς ἄχρι τῶν νεωτέρων τούτων.Quod deinde sequitur τῶν περὶ τὸν ἀρχιγένην,In nostro anti-
quo contextu habetur ἢ τῶν περὶ τὸν ἀρχιγένην.at quantum sit pro intentione ipsa,nihil
refert.In Galeno antiquum in nominibus morem obserua, nam antiqui illa ἄσηπτα, id
est,imputrida uocabant,quæ nos ἄπεπτα,idest,incocta nuncupamus.

Quod legitur,Quidam ad Phestam referant,legi debet ad Pherecydem.nam Græce
est τινὲς δὲ εἰς φερεκύδην.

Quod etiã legitur,Mille autem alij,quos dixi,omnes qui Erasistrati ætate uiguerũt,
Aldinus contextus eodem præcise modo legit,ut ex Leoniceni interpretatione prescri
psimus,sed antiquus noster cõtextus ita habet μυρίοι δὲ ὡς ἔφην,ἄλλοι κατ᾽ αὐτὸν τὸν ἐρα-
σίστρατον ὕστεροι γεγονότες.idest,Mille autem alij,ut dixi,qui post Erasistrati ætatem nati.

APHORISMVS II

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior,minus integra sani-
tate fruuntur.Quibus uero contraria,salubrius degunt.

BRASAVOLVS

IN tertio Aphorismorũ libro humiditates siccitatibus insalubriores esse iudicauit:
propterea qui humidam naturam habent,hi minus integra sanitate fruuntur,q̃ qui sic-
cam:unde hic ab Hippocrate dicitur,Illi qui natura humidas nares habent, & humidã
simul genituram,ita sani non sunt,sicuti illi qui contrario modo se habent,idest,qui sic-
cas uel temperatas nares,& semen siccum uel temperatum habuerint.Oribasius alium
quendam sensum,quàm is qui dictus est,huic aphorismo diuersum refert.nam de sanis
& ægris sermonem fieri censet, ut in sanis humidæ nares, & genitura humida malũ sit,
quia non est secundũ naturam.Si uero ægri è contrario nares humidas,& semen liqui-
dũ habuerint,bonũ est,quia siccitas cõsumpta est, & ad tẽperiem reuertitur natura, nã
humor humectauit arentes nares.Sanguis uero,unde semen genitale originẽ ducit,qđ
ante glutinosum fuerat,calore suo iã reparauit, sed hoc Hippocrates nunq; somniauit.

οἷσι ῥῖνες ὑγραὶ φύσει,καὶ ἡ γονὴ ὑγρά. idest, Quibus nares natura humidæ & genitura
humida.] ita habet noster antiquus cõtextus in secunda lectione,& Constantinus, atq;
Theodorus in suis habuere.Leonicenus in comparatiuo legit ὑγρότεραι,idest,humidio
res,& hanc lectionẽ antiquus noster contextus in prima lectione,& Aldinus sequun-
tur.At q̃uis nares nominet,tu tamen omnẽ partem,per quã membrum aliquod princi
pale expurgatur,intelligere debes:ex nariũ uero humiditate, aut totum corpus humi-
dum esse,aut caput saltem deprehẽditur.unde & à Philotheo dicitur, διὰ τοῦ εἰπεῖν,ῥῖνες
ὑγραὶ,ἐδήλωσεν τὸ ἐγκέφαλον, idest,per id quod dicit Nares humidæ,significauit caput.
Ex capitis aũt humiditate totũ corpus plerũq; humidũ efficitur.Si uero petas quomo-
do intelligẽdæ sint humidæ nares.Respõdemus, illas intelligẽdas esse è quibus mucci
& pituitæ in copia descẽdunt,cõparatione ad hominẽ tẽperatũ facta:sed quia hic tẽpe-
ratus homo nõ inuenitur,neq; oculis uidetur,ꝑpterea tu illũ intellige, qui nares magis
humidas,q̃ pro cõmuni hominũ cõsuetudine nactus sit.Additq; Hippoc.natura,q̃m si
quis per accidẽs, uel per pluuiã ambulauerit,uel nimis comederit,uel ob aliã extrinse-
cã causam humidiores nares habuerit,hic iudicãdus nõ erit,quod integra sanitate non

fruatur, nisi in eo tempore in quo nares humidas habet. Per semen uero humidũ, fluidũ semen & aquosum intelligit, quale illud esse solet, quod uel nõ generat, uel fœmellas generat. Si enim semen aquosum sit, cũ uel pars sanguinis, uel superfluũ sanguinis, uel puritas sanguinis existimetur, sanguineã massam totã humidam esse significatur, unde & Philotheus dicit διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν, γονὴ ὑγρὴ, τὸ πᾶν σῶμα, idest, per hoc quod dicit semẽ humidum, totum corpus significat. uel ex hoc quia semẽ humidum, cerebrum humidum significatur, quoniam apud Hippocratem magna seminis pars ex cerebro deducitur.

ὑγιαίνουσι νοσηλότεροι. idest, minus integra sanitate fruuntur.] uel, ut Theodorus, ij ualitudinarij degunt: quia humiditas putredinũ causa est, atq; mater, & cum cerebrum humidũ habeant, ad destillationes sunt prompti, quę ad omnes corporis partes profluere possunt, & ita sunt ad omnia hæc proni, quæ tanto facilius incurrent, quanto anni tẽpora inclinabũt, unde hi ex facili causa materiales ægritudines incidẽt. Nec id dignũ est auditu, humanã uitam humido inhærere, propterea humidos siccioribus magis sanos esse oportere: quoniã hic de superflua humiditate intelligitur, & non de illa naturali, in qua uita fundatur. A recentibus præterea multa argumenta fieri cõsueuerunt, quibus probant humiditatẽ minus nocere siccitate. tũ quia nocumentũ humiditatis in pinguedine minus est, q̃ siccitatis nocumentũ in macie, & conuulsio ex inanitione deterior est illa, quæ ex repletione fit. tamen prima ad siccitatẽ, secunda ad humiditatẽ cõsequitur. Adde, ægritudines siccas humidis deteriores esse, nã in siccitatibus fiũt acutæ febres, & uictus exsiccatiuus deterior est humectatiuo. At si tu hæc argumẽta recta lance consideres, ad rem ipsam nihil facere percipies. nullus enim dubitat ægritudines siccas, & symptomata, quæ ex siccitate proueniũt, esse maiora, q̃ illa quæ ex humiditate. nec istud negat Hippocrates, qui in tertio libro edocuerat, in siccitatibus fieri acutos morbos, in humiditatibus non acutos, nec in præsentiarũ dicturus est natura humidos intẽsiores morbos incidere, q̃ siccos, sed id solũ edocturus est, quod sicci ad morbos minus extenduntur, q̃ humidi. quoniã humidi mille occasiones habẽt morbos incidendi, quas sicci, uel tẽperati non habent. Sed Hippocrates ipse in seipsum pugnare uidetur, nã in sexto Epidemiarũ libro, ad uerbũ ita protulit, Quibus nares suapte natura humidæ sunt, semenq; genitale liquidũ & multũ, morboso modo hi sani sunt: quibus uero contra, magis morbosi sunt. Cũ Græco Hippocratis cõtextu carerẽ, hanc partẽ ita intelligebã, ut in sexto Epidemiarũ, hos alijs magis sanos esse, quia bene expurgantur, q̃uis & humiditatibus abundent. at in hoc aphorismorũ libro minus sanos esse intelligit, idest, in ægritudines magis pronos. Itaq; intelligebã dictum sexti Epidemiorũ, ut eos intelligat, qui bene expurgantur. hi enim sunt magis sani, q̃ illi qui non expurgãtur. hic uero de superfluis defluxibus ex his partibus intelligit. Tamẽ non Hippocrates, sed Caluus Rauenas huius difficultatis causa uidetur, qui Hippocratis uerba apte non uertit. hęc enim sunt Hippocratis uerba sexto Epidemiarũ, sectione sexta, οἷσι ῥῖνες ὑγρόταται φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη καὶ πλείων, ὑγιαίνουσιν ἔτι νοσηλότερον. τοῖσι πλείστοισι δὲ οἷσι ὑπὸ νόσου, τἀναντία, Quæ si ad uerbum referãtur, hæc dicunt, Quibus nares humidæ sunt natura, & genitura humidior, & abundantior, hi ægrius sanitatẽ agunt. plurimis aũt quibus contrariũ cõtingit, non sunt morbosi. ut hinc colligi possit, eãdem esse cum aphorismo sententiã. nam esse sanum morbosius, est non esse sanum, & integrã sanitatem non habere. Vel forte ita uerti potest, Quibus humidiores nares à natura, & genitura humidior & copiosior, hi ægrius sani sunt. Plurimis autem, quibus hæc ex morbo (scilicet eueniunt) contraria accidunt: ut scilicet in ęgritudine sanius agant.

οἷσι δὲ τὰ ἐναντία, ὑγιεινότεροι. idest, Quibus uero cõtraria, salubrius degũt.] Per contraria, uel tẽperatos, uel siccos intellige, quia mediũ respectu extremi, alterius extremi officio fungitur. nã tẽperati materiebus non abundãt, quę defluxiones facere aptæ sint. Sicci uero minus habẽt. propterea Philotheus dicit hos salubrius degere διὰ τὸ ἀπέριττον, ἢ, ὡς ἀλλαχοῦ εἴρηται, ὅτι οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρίων εἰσὶν ὑγιεινότεροι. idest, propter superfluitatum defectum, uel, ut alibi dictum est, quod siccitates imbribus sunt salubriores.

Hic autẽ dubitatio fieri posset, an humidi in ægritudines magis proni sint, quàm sicci. Respondemus, siccos facilius febrẽ incurrere humidis, sed difficilius distillationes & defluxus eisdem. Quot uero morbi sint qui ex capitis humiditate proueniunt, à Philotheo his

theo his uerbis enumerantur, ἡ γὰρ πολλὴ ὑγρότης περὶ τὸν ἐγκέφαλον, ἢ κρατεῖ αὐτόν, καὶ γίνονται καρηβαρίαι, ἐπιληψίαι, ἢ ἀποδιώκει αὐτόν, ἢ πρὸς τὰς αἰσθήσεις, καὶ ποιεῖ βλάβην αὐτῶν, ἢ πρὸς φάρυγγα, καὶ ποιεῖ κατάῤῥους. ἢ πρὸς τὰ κάτω τόρα μέρη, καὶ ποιεῖ διάφορα νοσήματα. εἰ δὲ περὶ τὸ πᾶν σῶμα ἡ ὑγρότης ἐστίν, γίνονται οἱ ἐπισήψει πυρετοί, καὶ τὰ σηπεδονώδη νοσήματα. idest, Multa enim in cerebro humiditas, uel ipsum complet, idest, obstruit, & capitis grauitates fiunt, comitiales morbi: uel ipsum fugit: uel ad sensus, & ipsis nocumentũ facit: uel ad guttur, & destillationes facit: uel ad partes inferiores, & uarios morbos facit. Si uero per totum corpus humiditas sit, fiunt putridæ febres, & putrefactiui morbi.

GALENVS

IN SICCIORIBVS secundũ naturam temperaturis, nulla omnino superfluitas manifesta, neq; sensibilis per nares effluit ex cerebro, sicuti neq; per cutem sudor. Sed illa quæ à medicis difflatio occulta nominatur, superflua extenuata per modum uaporis euacuat, humidioribus uero naturis sensibiles fiunt superfluitates, præsertim cerebri, quoniam est natura frigidius. His uero & eisdem genituram, hoc est semẽ ipsum, ait esse humidiorẽ, sicuti in siccioribus aquosa humiditate consumpta, crassius ac siccius est semen. Eos igitur qui sunt humidiores, siue cerebrũ tantum, siue corpus uniuersum, non contingit salubrem uitam omnis expertem noxæ traducere, uerum cõtinuo destillationibus ex parua occasione capiuntur, & si superfluitas eis ad inferiora per palatũ descendat partes subiectæ offendũtur, fauces, guttur, aspera arteria, pulmo, gula, uentriculus. Tusses itaq; in ipsis fieri, & difficiles anhelitus & anginas, cruditatesq;, & uentris profluuia est necessarium, nonnunquam uero, & difficultates intestinorum, quando quod destillat salsum quodammodo fuerit. Dixit autem & ipse de his, in libro de aquis, de aere, & de locis, sicuti in libris, & de morbis, ac passionibus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in siccis temperaturis nullam sentiri superfluitatẽ ex cerebro per nares descendere, & nullum sudorem per cutem exire, sed uapores solum insensibiles per meatus euacuari.

SECVNDO docet, In humidis naturis superfluitates sensibiles uideri, pręsertim per nares, quia cerebrum frigidius.

TERTIO inquit, eandem esse in genitura rationem.

QVARTO ad rem ipsam descendẽs inquit, omnes natura humidos, uel secundum cerebrũ tantum, uel secundũ totum corpus, sani penitus esse non possunt, sed ex parua occasione destillationes incidunt ad fauces uel guttur, ad asperam arteriam, ad pulmonem, ad gulam, ad uentriculum: adde, uel per neruos ad brachia, ad cubitos, ad ischias, ad genua, ad pedes, itaq; diuersa morborum genera fiunt.

Quod legitur, Salsum quodãmodo fuerit, lege Salsius. nam Græce est ἁλμυρότερον, Itaq; dicere oportet, quoniam intestinorũ difficultates non facit simpliciter materia salsa, sed illa quæ magis salsa est, idest, intense salsa.

APHORISMVS III

IN lõgis difficultatibus intestinorũ, inediæ ex fastidio, malum: & cũ febre, peius.

BRASAVOLVS

CVM intestinorum difficultates inchoant, inappetentiæ, ex materiebus, quæ in uentriculo sunt, induci possunt. At si hæ difficultates diu perseuerauerint, in uẽtriculo materiæ amplius esse non possunt, quæ hoc faciant, sed potius sunt profundę intestinorum exulceratiões, cum quibus cõpatitur, & paulatim cõpassio ad eius os pertingit adeo ut fastidiũ inducat, & inappetentiã, quæ malum est, quoniã futuram mortẽ significat. immo si febris simul adfuerit, tanto peius erit, quoniam plures causas suę necis habet. nam opus est putredinem, aut magnam inflammationem intus adesse, quæ febrem faciat.

ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν. i. In lõgis intestinorũ difficultatibus.] De lõgis nõ ab re sermonẽ habet, qm̃ incipiẽtes ob humores q in uẽtriculo sunt, ut plurimũ inappetentiã faciũt, sed difficultate intestinorũ ꝑdurãte hi humores descẽdũt, & uim uẽtriculi appetitiuam

tiuam amplius non lædunt. De intestinorum difficultate libro tertio ubertim egimus, quam Philotheus hic ita definiuit, Δυσεντερία ἐστὶν ἕλκωσις τῶν ἐντέρων. idest, Dysenteria est intestinorum exulceratio.

αἱ ἀποσιτίαι, idest, Inediæ ex fastidio, uel, ut Theodorus, fastidiosæ inediæ, uel ieiunia, ut nihil appetatur, κακὸν, idest, malum] & lethale, Philotheo dicente δηλοῖ νέκρωσιν τῶν θρεπτικῶν δυνάμεων κατὰ συμπάθειαν, idest, Declarat immutatricis potentiæ mortificatio nem per naturalē cōpatientiam. Sunt uero hæ inediæ, de quibus hic agit Hippocrates, quædam ciborū displicentię, ut nihil uel adeo sapidū, uel adeo gratū parari possit, quod eius palato cōueniat, hocq; ex uētriculo prodit, qui simul cōpatitur. nā in his longis intestinorū difficultatibus necesse est ex longo tēpore intestina profunde exulcerata esse, & uētriculum, atq; ipsius os compati. Oribasius hic dicit malum esse, quia duobus modis læditur æger. Primo quia maior fit distēperantia si non reficiatur cibo: ipse etenim putat intestinorum difficultatem ex distēperantię inæqualitate potissimū fieri. Deinde quia geminā debilitatē naturæ inferunt, unā cibi, alterā excretionis. Vnumq; in hoc loco ab Oribasio dicitur, quod re uera absurdum est, scilicet in tribus locis intestinorum difficultatē uere fieri, supra, in medio, & in inferiori loco. Deinde horum locorum differentias ponit, quę ad rē non uidētur, nec sunt. Inquit enim: supra fit, quoties ipsa exulceratio sanguinē ministrat. In medio, quando sanguinolentū stercus deijcitur. Inferiore uero loco, quando crassum intestinū, quod longano dicitur, muccosa strigmenta deponit. Paulus libro tertio, capite sexagesimosecundo ipsam distinguit, Si sit in intestinis gracilioribus, uel crassioribus. Nam si cū stercore mixta exulcerationis signa cum labore, & circa umbilicū tormine excernātur, in gracilibus intestinis tormen esse cognoscito. Si uero absq; ullius rei cōmunione immixtum oletū egeratur, crassorū intestinorum est.

Καὶ ξὺν πυρετῷ, κάκιον. idest. & cum febre, peius.] nam præter difficultatē ipsam quæ uires deijcit, febris superueniens magis deijcit, & deterius signum est, quamuis raro intestinorum difficultas absq; febre fit. Philotheus peius esse dicit, quoniam δηλοῖ σηπεδόνα εἶναι περὶ τοῖς ἕλκεσιν, ἢ ἀξιόλογον φλεγμονήν, idest, Significat corruptionem circa exhulcerationes esse, uel insignem inflammationem. Hippocrates in fine sexti libri Epidemiorum hunc Aphorismum his uerbis describit, lōgis intestinorum difficultatibus, cibi fastidium, malum est, præsertim si & superfebricitent.

GALENVS

DIFFICVLTATES intestinorum fiunt quidē ex humoribus acribus. Sunt aūt intestinorū exulcerationes primū quidem summa occupantes, progressu aūt temporis, & profundiora, omnino habentium & ulcera putrilagini obnoxia, quo maxime tempore etiam uentriculus ipsis compatiens ad concoquendum offenditur: qua offensione magis, ac magis ad superiora perueniente, quando & os uentriculi una afficitur, fiunt cibum fastidientes, hoc est inappetentes. Sunt quidem & ab initio nōnunquam cibum fastidientes propter malos humores fluentes ab hepate, à quibus diximus abradi intestina, præsertim cum hi amaræ bilis naturā habuerint. Nam pars eorū superfluitans ad os uentriculi effertur. In longis uero difficultatibus intestinorum, cum hic casus euenerit mortem quandam ipsi aduenisse uentriculo compatiēdi ratione significat, in qua omnino interijt appetentia, opus ad uitam necessarium. Si uero una cum inappetentia febris adueniat difficultati intestinorum, duorum alterum, uel putredo aliqua est circa ulcera, uel digna effatu inflammatio, atque ita, ut dictum est, toto patiente uentriculo ægri se habent exitialiter.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, ex quibus fiant intestinorū difficultates, & quid pariant ex acribus humoribus: pariunt uero intestinorū exhulcerationes, quando in superficie abrasa sunt, in processu aūt temporis profundiora hulcera fiunt, & tunc uentriculus simul compatitur, & paulatim ascendit usq; ad os uentriculi, tuncq; inappetentes fiunt.

Quod legitur, Sunt autem intestinorum exhulcerationes, primum quidem summa occupātes, Græce est ἑλκώσεις δὲ εἰσὶν ἐντέρων, ἐν ἀρχῇ μὲν ἐπιπολῆς ξυομένων, idest, Sūt aūt intestinorū exhulcerationes, in principio quidē superficie tenus abrasorū. Vel dicamus exhul

mus exhulcerationes aũt sunt intestinorũ in principio quidẽ superficie tentis abrasorũ.

Quod etiam legitur, omnino habentium & hulcera putrilagini obnoxia, legendum est, omnino habentium hulcera, & putrilagini obnoxia, quoniam illa coniunctio &, ante illam particulam, hulcera, poni non potest: aliter non esset cõueniens præcedentium cum sequentibus continuatio, quia dicit progressu autem temporis, & profundiora omnino habentium ulcera. At si apponamus &, non esset conueniens continuatio, sed remoueri debet & ante particulã illam, putrilagini obnoxia, poni. nam & cõtextus Græcus ita dicit, τῷ χρόνῳ τε βαθύτερά τε τὸ πάμπαν καὶ σηπεδονώδη ἰσχόντων τὰ ἕλκη.

Quod etiam legitur, ex humoribus acribus difficultates intestinorũ fieri, Recẽtes dicũt calidis, & in Galenũ dubitãt, immo uolunt Galenũ ut in pluribus uerum dicere. At nos simpliciter dicimus, difficultatẽ intestinorum ab humoribus acribus fieri. acria uero sunt calida, ut in libro De simplicium medicamentorũ facultatibus edocet, & licet à pituita quandoq; fiat, salsa est quæ caliditatẽ habet. immo & atra bilis quę intestinorum difficultatem facit, calida est. At quod ab Auicẽna dicitur, quandoq; ab induratis fæcibus fieri, & à materia multum inhærente, uerisimile non uidetur.

SECVNDO docet aliquos esse, qui à principio difficultatis intestinorum, cibũ fastidiunt, sed hoc ob malos humores fit, qui à iecore ad intestina proueniunt, & ea abradunt. Si quandoq; ad os uentriculi pro parte uertantur, inappetentiam inferunt.

Quod legitur, Malos humores, Græce est ἰχῶρας, dictũ uero est superius ἰχῶρ apud Græcos esse incoctum pus & aquosum.

TERTIO dicit, cum hic casus appetitus in longis intestinorum difficultatibus contingit, mors iam quædam ipsi uentriculo aduenit compatiendi ratione, in qua interijt appetentia quæ est necessarium opus ad uitam.

Quod legitur, Mortem quandam, lege mortem iam quandam. Nam Græce est νέκρωσιν ἤδη τινὰ. Iam quandam mortis imaginem.

QVARTO causam reddit, cur si febris superueniat, peius sit, quia necessarium est, ob alterum duorũ contingere, uel quod circa hulcera putredo aliqua sit, uel inflãmatio ingens, quæ etiam uentriculum perturbat, propterea exitialiter se habent ægri.

Quod legitur, toto patiente uentriculo, legendum est, toto iam patiente uentriculo. nam Græce est, αὐτῆς ἤδη τῆς γαστρὸς.

APHORISMVS IIII

VVlnera circunglabra, praua sunt.

BRASAVOLVS

QVANTO magis in uulneribus natura & conditiones uulnerati mẽbri saluantur, tãto melius est, & uulnera sunt faciliora sanatu, & non letalia. At si uulneratę partis conditiones non seruentur, malum est: propterea uulnera quæ in circuitu suo pilos non habent, tamen prius aderãt, sed ratione uulneris cecidere, ea inq; uulnera praua sunt. nam ad ipsa materiæ corrodentes necessario deferuntur, quæ pilorũ radices truncant, & amplius crescere non sinunt: unde difficilia curatu efficiuntur, quia materiæ illæ quæ pilos prohibent & truncant, prohibent etiam ne cicatrix ipsa inducatur.

Τὰ περιμάδαρα ἕλκεα. idest, uulnera, uel hulcera circũglabra & depilata.] hoc est quę circũcirca pilos non habeant. Quod etiam intellige usq; ad distantiorem partem. nã propinquissimi pili, semper aberunt in uulneribus. Intellige præterea quod is uir in ea parte pilosus sit, tamen ob malignam materiam ad uulnus delatum decidãt. Philotheus uero hic dicit Hippocratem uocasse uulnera circunglabra τὰ ἀνώμαλα καὶ ἄτροφα, idest, irregularia, & quæ nutrimentum non recipiunt.

Κακοήθεα. idest, praui moris sunt, uel praua sunt, & maligna] hoc est curatu difficilia, & quæ grauia symptomata faciunt. Quandoq; hunc aphorismũ de uilis carnis intelligebam, quod tamẽ Galeno quadrare non uidebatur, quãuis in uerũ sensum reduci possit. nam uulnera, quæ circũcirca uilos continuatos non habent, rotunda sunt, atq; ampla; propterea & mala. Notaq; κακοήθες hulceris genus esse ita à Plinio uocatum cacoethes, de quo superius plura à nobis dicta sunt.

Galenus

GALENVS.

QVANDO scilicet uideris pilos defluentes à circumiacentibus ulceri locis, uel cu- tem squamulas è summa parte dimittere, scito his qui ita se habent prauos humo- res ad partem confluere, qui ulcus erodũt. Neq; enim radices quidem pilorum possunt corrumpere, loca autem ulcerata permittere ad cicatricem peruenire.

BRASAVOLVS

GALENVS Aphorismi causam reddit, quando uel pilos à propinquis uulneri partibus decidere uidebis, uel squamulas à summa parte cutis, scito id fieri ob humores prauos uim corrodẽdi habentes, qui ad uulnus & partes circũuicinas tendũt, & erodũt, & nõ possunt radices oẽs pilorũ corrũpere, nec sinũt ulcerata loca ad cicatricẽ puenire.

Vbi legitur, neq; radices quidem pilorum, legendum est, Neq; enim radices quidem omnes pilorum, tamẽ in nostro antiquo contextu, & in Aldino hæc particula nõ adest, & ideo ultimæ partis huius cõmentationis sensus est, illos humores nõ posse omnes pi lorum radices corrumpere, & etiam non posse ulcerata loca permittere ad cicatricẽ per uenire. In nostro antiquo contextu primo adest Galeni cõmentatio, ut à Leoniceno in- terpretata est, & eodẽ modo in Aldino cõtextu refertur. Deinde in eodem antiquo no- stro, huic Aphorismo aliud cõmentum adscriptũ est, cui hanc inscriptionẽ præfixã inue nimus, ἐν ἄλλῳ, idest, in alio scilicet libro, hæc cõmentatio habetur, scilicet, περιμάδαρα ἕλκεα λέγει τὰ ἀνώμαλα καὶ ἄτροφα καὶ τὰ ψιλώμενα τριχῶν, ἃ τῇ κοινῇ συνηθείᾳ ἀκολουθεῖ. τοὺς γὰρ τοιούτους αὕτη περιμαδάρους ὀνομάζει. ταῦτα οὖν περιμάδαρα ἕλκη κακοήθη, διὰ τὸ δυσχερῶς εἰς ἀπούλωσιν ἔρχεσθαι, μοχθηροῦ ἐν τῷ βάθει ὄντος χυμοῦ, τοῦ τὰς ῥίζας ἐκτέμνοντος τῶν τριχῶν, ὥσ- περ ἁλμυρὰ γῆ τὰς πόας. idest, Circũglabra ulcera uocat, inęqualia, & quę nutrimentum non sentiunt, & pilis denudata sunt, quæ communem sequuntur consuetudinem. tales enim illa (scilicet consuetudo) circũglabros & caluos nominat. Hęc igitur circũglabra ulcera sunt cacoethe, idest, mali habitus ulcera, quoniam difficulter ad cicatricem per- ducuntur. prauo humore in profundo existẽte, qui pilorum radices incidit, sicuti salsu- ginea terra herbas. Sed nos hanc commentationem considerantes, uidimus integram esse ad uerbum Philothei commentationem.

APHORISMVS V

DOlores, qui sunt in lateribus, & pectoribus, atq; alijs partibus, si multum dif ferant, perdiscendum.

BRASAVOLVS

ET si huic aphorismo uarij sensus condonari posſint, is tamen uerus est, quem Ga lenus primo ingressu describit: scilicet medicum qui aliquẽ curat, dolorem in lateribus uel pectoribus habentem, perdiscere debere, an multum differat, idest, eius intẽsionem pernoscere debet: quoniã ex intensionis cognitione, in quo loco fit dolor cognoscitur, quod ad curationẽ atq; prædictionẽ plurimum facit. & hoc nõ solũ in pectoribus intel lige, sed etiã in omni alia corporis parte. Recentes uero putãt, sensum Hippocratis esse, dolores, quos non ita cito cognoscimus, sed paulopost, esse malos. quoniã hæc dilatio curã impedit. Hoc uero nunq; somniauit Hippocrates, nec malũ esse dicit, uel bonum, sed consulit hos dolores perdiscendos esse an multũ differant, idest, an magni sint, quo- niã ex hoc in cognitionẽ loci, in quo est dolor, deuenimus, & an periculosus sit, cogno- scimus, & curam acceleramus, & à quo loco exordiri oporteat, scimus. unde & hic Phi lotheus dicit, εἰδὼς ὁ ἱπποκράτης ὅτι κρηπὶς τῆς θεραπείας ἐστὶν ἡ διάγνωσις, πολλὴν πρόνοιαν ταύτης ποιεῖται, καὶ νῦν μὲν ἐκ τοῦ τόπου, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ὀδύνης τὴν διάγνωσιν παραδίδωσιν, idest, Sciẽs Hippo. qđ fundamentũ curatiõis est dignotio uel distinctio, huius multam prouidentiã faciẽdi, & nũc quidẽ ex loco, & p hũc (.s. locũ) doloris dignotionẽ prębet.

Τῶν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι. idest, Dolores qui sunt in lateribus & pectori- bus.] Has partes præ cæteris nominauit, quoniam uehementissimos dolores habent, atq; periculosissimos.

Καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν. idest, & in alijs,] scilicet partibus, ut ad omnes totius corporis dolores ampliet. In omnibus enim hoc perdiscendũ est, an magni sint, & quo loco facti.

εἰ μέγα

εἰ μέγα διαφέρουσι, καταμαθητέον. idest, Si multum differant (idest excellant) perdiſcendum.] Intellige Multum differre, idest an magni ſint. Oribaſius dicit, ab Hippocrate ſignum dari, unde fiat dolor in pectoribus, uel in alijs membris: & hoc utitur exemplo, fieri poſſe ut unus pleuritim patiatur, & habeat dolorem pectoris atque lateris propter propinquitatem diaphragmatis: hunc curabimus eadem ratione qua pleuriticos. Aliqui intelligunt, ab Hippocrate edoceri inueniendum eſſe locum doloris: quod facile fit, doloris differentiam cognoſcentes. & hoc eſt cognoſcere, an multum differant. Philotheus uero hac ratione utitur, inquiens, ὅταν γὰρ ἐν πλευραῖς ἄλγημα ᾖ, εἰ μὲν νυγματώδης ἡ ὀδύνη, δηλοῦται ὁ τὰς πλευρὰς ὑπεζωκὼς ὑμὴν πεπονθέναι. εἰ δὲ μετὰ συναισθήσεως βάρους, οἱ μύες καὶ τὸ σαρκῶδες. καὶ εἰ μὲν νυγματώδης ἡ ὀδύνη ᾖ, μᾶλλον ὕλη δριμὺ ἡ δάκνουσα. εἰ δὲ βάρους συναίσθησις ἡ ὀδύνη, χυμὸς καὶ φλεγματικός. καὶ εἰ μὲν μεγάλη ἡ ὀδύνη, δηλοῖ μέγα τὸ νόσημα. εἰ δὲ μικρὰ, μικρόν. ὁ αὐτὸς οὖν λόγος καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν μορίων οὕτως ἐρήσθω. idest, Quando enim in coſtis eſt cruciatus, ſiquidem dolor punctionem habet, declaratur membrana coſtas ſubcingens pati: ſi uero una cum ſenſu grauitatis (ſcilicet adſit dolor) muſculi & pars carnoſa (ſcilicet declaratur pati): & ſi dolor quidẽ pungens ſit, materia magis eſt mordax: ſi autem una eſt ſenſus grauitatis cum dolore, humor adeſt etiam phlegmaticus, ſiue pituitoſus: & ſi dolor quidem eſt uehemens, declarat magnam ægritudinem: quod ſi paruus, paruam. Eadem igitur ratio & in reliquis particulis hoc modo dicatur. In fine ſexti Epidemiorum libri, alia aphoriſmi interpretatio ex Hippocrate ſumi poteſt, ubi de his loquitur qui in Perintho ægrotarunt, & his uerbis utitur: Plurimi per uer ægrotarunt in Perintho, ſontica cauſa fuit, tuſſis hyberna quæ paſſim uiguit, diuturnaque mala nonnullis, nam in dubio exiſtẽtibus confirmarunt. Quibuſdam uero mala longa non fiebant, ſicuti qui de renibus laboraſſent, ſicuti ille uir, ad quem Cyniſcus me duxit. Dolores etiam in lateribus, pectore, cæteriſque corporis partibus fuerunt. Quærendum etiam eſt cum melius habent, ſi per anni tempora aliqua, horaſque peius, uel melius habeant. Sic enim minimum errabunt, fallẽturque medici. ut huic aphoriſmo talis ſenſus dari poſsit, medicum, ne erret, perdiſcere debere quo anni tempore, de pectorum doloribus, laterum, & aliarum partium melius peius'ue habeant. ut ad anni tempus, & non ad doloris magnitudinem differentia referatur. Tamen antiqua translatio hunc aphoriſmũ ad uerbum ponit. quamuis uerba nonnulla contradictoria addat, & cognitu atque intellectu impoſsibilia. In antiqua trãslatione eſt in ſeptimo libro ſectione uigeſimaquinta: ſed eſt ſextus Epidemiorũ liber qui in octo libros diuiſus eſt.

GALENVS

PERDISCERE oportet non modo locum dolentem qualis nam ſit, ſed & magnitudinem doloris in eo quanta ſit. Hoc autem confert & ad loci patientis dignotionem, & ad præcognitionem eorum quæ circa ægrum futura ſunt, & præterea ad curationis inuentionem. Si ergo in lateribus magnus fuerit dolor, primum hic eſſe non poteſt quin membrana quæ ſubcingens nominatur, patiatur. Secundo autem neque abſque periculo eſt. Deinde & maiore indiget curatione. Si quidem ad clauiculam dolor pertingat, uenæ ſectione, ſi uero ad ilia, purgatione, quemadmodum ipſe in libro De uictu acutorum edocuit. Si quidem mediocris fuerit dolor, & præterea nõ pungat, ut qui in membrana ſubcingente eſt, neque ad clauiculam pertingat, aut ilia, contingit ipſum carnoſis coſtarum partibus patientibus fieri, atque ideo neque eſſe periculoſum, neque magno auxilio indigere. Sic & in ſingulis alijs partibus doloris magnitudo eſt conſideranda, ueluti ſi renum pars carnoſa patiatur inflammationẽ, dolor eſt grauis, quemadmodum ipſe inquit in Epidemijs, ita illum nominãs, qui ueluti cuiuſdam ponderis loco incumbentis inuehit ſenſum. Alijs uero partibus quæ ſunt in rene patientibus, dolor ſentitur acutus. Dico autem alias partes quæ ſunt in tunica hunc obtegente, & uentrem eius interiorem, & eas quæ ad hunc terminantur arterias, ac uenas, ac præterea ortus uaſorum urinariorum. Sic præterea ſe habet res etiam in hepate. Nam eius parte carnoſa inflammationem patiente, grauis fit dolor. Tunica uero circunducta, uel uaſis, acutus, & ipſius doloris acuti quantitas maior, aut minor cauſæ facientis affert indicium. humor ſi quidẽ biliosus, & acutus dolorem auget, ſic & ſpiritus flatuoſus non habens exitum, exoluit autem pituitoſus. Non ſolum autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat

doloris indicium, sed etiam quantitatis. Augetur enim non cuiuslibet causæ efficientis opus, eius aucta substantia. Si itaque uniuscuiusque doloris uolens à nobis magnitudinem considerari, hunc aphorismum scripsit Hippocrates, sufficienter ipsius usum exposuimus. Si uero non solum secundum magnitudinem dolorum differentiam dicit fore considerandam, sed generalius quoddam, ac ueluti uniuersalius ostendit, consulens nobis omnes effatu dignas dolorum differentias inspicere, maiorem adhuc ex eo fructum utilitatis percipiemus. Fiet enim huiuscemodi sermo. Non simpliciter partium dolorem considerare oportet, neque arbitrandum eandem esse in omnibus dispositionem. Veluti si prius quidem Dion, postea uero Theon costam doluerit, non eodem modo utrunque se habere existimandum, sed discere oportet, nunquid maxime inuicem in dolore differant, an quodammodo similes existant. Fit autem ex duobus perspicuum, & ex doloris specie, & ex uehementia. Ex specie quidem, si pungenti similis, uel tendenti, uel torporem inducenti, uel grauanti, uel stimulanti, uel ferienti, uel continuus, uel cum intermissione, uel æqualis, uel inæqualis. Secundum autem uehementiam quis sit maior aut minor aduertendum, quæ paulo antea secundum magnitudinem differentia in doloribus dicebatur. Consueuere siquidem medici, uerbo abutentes omne uehementius maius nominare, siue sit secundum qualitatem, siue secundum quantitatem. Quare neque cessant febrem magnam uel paruam, uel mediocrem, omnes nominare, quæ suam habent in caliditate substantiam. Quare nihil mirandum, si & dolorem uehementiorem, maiorem appellant. Adhuc autem & minus dignum admiratione, si quæcunque inuicem distant speciebus, aiunt magnum habere discrimen; ueluti dolorem qui ponderis cuiusdam similitudinem gerit, ab eo qui uidetur ferire, uel aliquod aliud pati ex his quæ antea diximus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet in præscriptis ab Hippocrate doloribus, duo perdiscenda esse, scilicet locum qui dolet, & doloris magnitudinē. hæc enim quum sciuntur, ad tria utilia sunt, primo ad cognitionem patientis loci, deinde ad præcognoscenda futura circa ægrum, tertio ad curationis inuentionem.

SECVNDO huius rei tale exēplum ponit, si in lateribus sit ingens dolor, esse non potest, nisi membrana patiatur subcinctorium uocata: secundo est cum periculo: tertio maiore curatione indiget. nam si ad clauiculam dolor pertingat, uenæ sectione indiget. Si ad ὑποχόνδρια, idest pręcordia (non ilia, ut Leonicenus uertit) purgatione, ut in libro De uictu acutorum, docuit. At si dolor sit mediocris, & non pungat, ut ille qui est in membrana subcingente, & non peruenit ad clauiculam, uel ad pręcordia, fieri potest in partibus costarum carnosis, & ideo nec periculum adest, nec magnis indiget auxilijs.

TERTIO ad omnes alias partes ampliat, quod in omnibus magnitudo doloris cōsideranda sit. nam ex ipsa in loci patientis cognitionem deuenimus, & ad præcognitionem atque curationem incitamur atque dirigimur: Galenusque per renes & per iecur discurrit: sed interim docet, non solum considerandum esse qualitatis doloris magnitudinem, sed etiam quantitatis.

QVARTO docet, si noluerimus Hippocratem solum loqui de dolorum differentia secundum magnitudinē: sed quod generalius loquatur, & sensum faciat, nos omnes dolorū differentias effatu dignas cōsiderare debere, tunc maior erit fructus, unde hunc sensum aphorismo condonat, non simpliciter dolorem partium considerare oportere, neque putandum esse, quod simpliciter eadem sit in omnibus dispositio: ut si Dion & Theon costa doluerint, non est putandum, quod eodem modo doleant. & Galenus per omnes differentias discurrit, per quas discurrere oportet: tu ipsum considera. Nec illud prætermittas, quod hic annotat, antiquos usos esse quātitatis nominibus ad qualitates, ut quum dicunt magnum dolorem, quem uehementem dicere deberent, & magnam febrem, quam intensam uocare oporteret. Vbi legitur, Vel stimulanti: statim addi debet Vel exedenti. Nam Græce additur, ἢ διαβιβρώσκοντος.

APHORISMVS VI

Renum & uesicæ uitia in senioribus difficulter sanantur.

BRASAVOLVS

ÆTAS inuida & omnium edax, quanto magis succedit, tanto nos imbecilliores reddit, hæcque causa est, cur si in senioribus renum aut uesicæ uitia fiant, uel nunquam, uel summa cum difficultate sanantur. Cum inquam imbecillitas adfuerit, quam ætas fert, & salsuginei humores superabūdant, & urinarij canales ex longa humorum & urinæ destillatione quodammodo attriti sunt: imò cum hæc renum, & uesicæ uitia in iunioribus ob multas causas difficulter sanentur, tanto magis in senioribus difficillime in sanitatem restituētur. Nempe illa loca, ad quæ multæ materię cōfluunt, & quæ sunt aliquorum excremētorum meatus, & quæ non quiescunt, illa inquā difficulter sanantur.

τὰ νεφριτικά. idest, Renum uitia.] Nam apud authores id uocabulum νεφριτικός, omnes renum affectus significat, quicunque illi sint, de quibus diffuse ab Hippocrate in libro De morbis qui intus, pertractatur. Idem Hippocrates in sexto Epidemiorū libro dicit dolores renum supra quinquagesimum annum non uidi sanatos.

καὶ ὁκόσα περὶ τὴν κύστιν ἀλγήματα. idest, Et quicunque uesicæ dolores.] Vel quæcunque uitia, sint illa cuiusuis generis, uel lapis, uel ulcus, uel urinæ ardor, unde & Philotheus inquit, ἀλγήματα λέγει ἕλκη, φλεγμονάς.

πρεσβυτέροις. idest, Senioribus.] Vt de ipsis in ultimo aphorismo tertij libri locuti sumus. Cur uero seniores difficulter sanentur, causam reddit Philotheus inquiens, καὶ διὰ τὴν τῆς δυνάμεως αὐτῶν ἀσθένειαν. idest, Ob uirium ipsorum imbecillitatem.

ἐργώδως ὑγιάζεται. idest, Difficulter sanantur.] Quoniam imbecilles sunt, & salsugineis materiebus abundant. Imò & in iunioribus, hæ affectiones difficulter sanantur, & hoc ob duas ab Oribasio assignatas causas. Primo, quia præsidia ex interiori parte admoueri non possunt. Deinde, quia illa quæ ab exteriore parte admouentur, iam penè consumpta sunt, cum ad locum ueniunt. sed & hæc ratio est, quia cōtinue materiæ per has uias expurgantur, & sunt receptacula & canales per quos continuo natura se exonerat, unde & à Philotheo dicitur, ἐργώδως ὑγιάζεται, τουτέστι δυσχερῶς, διότι αὐτὰ τὰ πάθη ἡσυχίας δεῖται, τὸ δὲ τῶν νεφρῶν, καὶ τῆς κύστεως ἔργον ἀκατάπαυστόν ἐστιν. idest, Operose sanantur, hoc est cum difficultate, quoniam passiones ipsæ quiete indigent, renum autem & uesicæ opus irrequietum est. Deinde rationem aliam addit, inquiens, ἄλλως τε καὶ διὰ τὸ αἰσθάνεσθαι αὐτά, καὶ δάκνεσθαι ὑπὸ τοῦ περιττώματος τοῦ δι᾽ αὐτῶν κενουμένου. idest, Aliterque, quoniam ipsæ dolorem sentiunt, & mordicantur excremento per ipsas partes euacuato.

GALENVS

IN SENIBVS uix inquit sanantur, hoc est multo negocio, ac tempore, quæ in renibus, ac uesica sunt uitia, quoniam earum opus indefinēs est. Quiete autem opus est si quid sanari debeat, & quia superfluitas acris apta iritare, siue ulcus, siue inflammatio, siue aliqua alia passio in ipsis constiterit. Multo autem difficilius sanantur in senibus uesicæ passiones, quoniam & omnes alij morbi præcipue longi. Tales autem & ipse superius dixit commori omnes.

BRASAVOLVS

GALENVS docet, hæc uitia in senioribus non sanari, uel si sanentur, id fieri multo negotio, propter has causas. Primo quia opus harum partium est indesinens, ἄπαυστον, dicit, incessabile. pars uero, quæ sanari debet, quiete indiget. Secūdo, quia superfluitas, quæ per has partes transit, acris est, passiones harum partium iritare apta. Tertio, quia omnes longi morbi seniores concomitantur ad mortem. Inter seniorum uero morbos ultimo aphorismo tertij libri nephritim numerauit.

Quod legitur, Multo negotio ac tempore. Secunda lectio nostri antiqui contextus, & Aldinus ita habent, πολλῆς πραγματείας καὶ χρόνου μακροῦ. idest, Multo negotio, ac tempore longo. sed antiquus noster contextus in prima lectione habet, καὶ χρόνου πολλοῦ. idest, Et tempore multo. tamen conuenientius est legere longo, quam particulam aut Leonicenus in suo codice non habuit, aut librarius incuria omisit.

Vbi legitur, Et quia superfluitas acris, desunt duo uerba, scilicet per ipsa euacuatur. Græce enim ita habetur, καὶ ὅτι περίττωμα δι᾽ αὐτῶν κενοῦται δριμύ. idest, Et quod superfluitas acris per ipsa euacuatur.

APHORISMVS VII

DOlores uentris sublimes, leuiores: cui uerò non sublimes, fortiores.

BRASAVOLVS

QVAECVNQVE in humani corporis superficie sunt, minus infestare solent, & minus periculosa esse, quàm illa quæ profundiora & altiora petunt, & ideo dolores qui in sublimi uentris parte secundum latitudinem leuiores sunt, quàm illi qui in profundo. tum quia à principalioribus partibus magis distāt. tum quia illæ partes crassiores sunt, & ignobiliores. tum quia præsidia facilius applicari possunt. tum quia interiores partes calidiores sunt, & ideo ob dolorem magis inflammantur, si ibi adfuerit abscessus. tum quia sunt minus sensibiles. Itaq; per oppositum dolores qui non sunt sublimes, sed profundi, fortiores sunt, & magis infestant.

Τὰ ἀλγήματα τὰ περὶ τὴν κοιλίην γινόμενα. idest, Dolores uentris.] Antiqua translatio præter hanc particulam, dolores: Habet etiam, & tumores, quæ particula neq; in antiquo nostro contextu, neq; in Aldino inuenitur, tamen in Hagonensi adest, qui ad uerbum ita legit, τὰ ἀλγήματα καὶ οἰδήματα. & Philotheus in sua commentatione manifeste ostendit, quod in suo contextu, quem interpretatur, hæc particula adfuerit. nam dicit, κοιλίην λέγει τὸν ὑποδοχον, οἴδημα δὲ πάντα ὄγκον. idest, Ventrem dicit cibi conceptaculum, œdema uero omnē tumorem. Nos putamus hanc particulam addendam esse, quia re uera omnes tumores sublimes sunt leuiores, nō sublimes uero fortiores. At uel adsit, uel non adsit, nihil ad rem facit.

Τὰ μὲν μετέωρα κουφότερα. idest, Sublimes quidē leuiores.] Eos sublimes esse, apud Galenum intellige, qui circunferentiam magis attingunt. In nostro enim uentre pellicula quædam adest, quæ intestina tegit, quam περιτόναιον Græci uocant. dolores qui supra hanc pelliculam ab Arabibus siphac uocatam, fiunt, sunt leuiores, & non multum periculosi. Philotheus quid intelligere oporteat per sublimiores dolores, edocere intendens inquit, μετέωρα δὲ τὰ γινόμενα περὶ τὸ περιτόναιον, τουτέστι περὶ τοὺς καθ' ὑπογάστριον μύας καὶ τὸ δέρμα. idest, Sublimes autem qui circa peritonæum facti sunt, hoc est, circa musculos inferioris partis uentris, uel suminis, & pellem. Intelligit uero Philotheus leuiores esse, hoc est μετριώτερα, idest minora mediocribus. nam (ut dicit) ἐν ἀκύροις γὰρ μορίοις γίνονται. idest, In uilibus partibus fiunt.

Τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα. idest, Qui autem non sublimes, fortiores.] idest illi, qui partes sub peritonæo existentes occupant, fortiores sunt, & magis periculosi. quia in parte penitiori, nobiliori, & magis intrinseca sunt. Hanc uero partem Philotheus ita interpretatur, μὴ μετέωρα δὲ τὰ περὶ αὐτὴν τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα. idest, Non sublimes autem eos qui circa ipsum uentriculum, & intestina. Et rationem assignat, inquiens, διὰ τὸ ἐν κυρίοις γίνεσθαι μορίοις. idest, Propterea quod in primarijs partibus fiunt, & hæc eadem una est ex causis, quas Galenus affert. Oribasius tamē per partem superiorem stomachum intelligere uidetur, & per inferiorem partem sub umbilico. Dolores qui fiunt in stomacho, sunt leuiores, quod in eo calor est fortior, qui dolorem facile euaporare potest, propterea leuius infestant. Sub umbilico autem materia est crassior, & calor minor, quàm ut possit eos facile euaporare, uel resoluere. tamen nos hanc sententiam ueram esse non putamus, quia uentriculi dolores (ut experientia docet) fortissimi & uehementissimi sunt.

GALENVS

SVBLIMES nunc audiendi sunt, non secundum longitudinem corporis, sed profunditatem. Interstinguuntur autem hi in locis ad uentrem attinentibus membrana interiore abdominis, adeo quod quicunque supra hoc fiunt sublimes uocantur, qui uero infra, hoc est in ipsis intestinis, atque uentriculo, & in profundo, non sublimes dicuntur. Liquet autem quod tales dixit esse fortiores.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, sublimes dolores illos esse, qui secundum profunditatem, & non secundum longitudinem uexant. nam secundum longitudinem essent sublimes

uentriculi dolores qui sunt fortissimi: at secūdum profunditatem, sublimes illi sunt, qui in superficie sunt.

SECVNDO docet, distingui peritonæo: nam qui loca supra peritonæū occupant, sublimes sunt: qui sub peritonæo, non sublimes.

Quod legitur, Membrana abdominis interiore: Græce est, περιτόναιον. Est uero peritonæum, pellicula quæ integit intestina: propterea interpretandum non est, membrana interiore abdominis, sed membrana integente intestina, quæ est sub abdomine: nam abdomen, intimam pelliculam habet, quæ est à peritonæo distincta.

Vbi in fine legitur, Liquet autē quod tales dixit esse fortiores: deest particula Bene, ita enim Græce habetur, πρόδηλον δὲ ὅτι τὰ τοιαῦτα καλῶς εἴρηκεν ἰσχυρότερα. idest, liquet autem quod tales bene dixit esse fortiores.

Quod etiam legitur, Adeo quod quicunq; supra hoc fiunt: lege, Addo ut quicunq; supra hanc, scilicet membranam fiunt.

APHORISMVS VIII

AQua intercutem laborantibus ulcera in corpore facta difficulter sanantur.

BRASAVOLVS

QVI aqua intercute laborant, corpus humidum habent humiditate superflua: qui uero ab ulceribus sanari debent, siccitatem quandam in carne habere opus est. propterea si alicui aqua intercutem laboranti, ulcera in corpore nascantur, difficulter ad cicatricem & sanitatem deducuntur ob prædictam exuberantem humiditatem, quæ ulceris consolidationem prohibet.

τοῖσιν ὑδρωπικοῖσιν. idest, Aqua intercute laborantibus.] Nos de omni aquæ intercutis specie Hippocratem intelligimus, sed potissimum de ascite & anasarca.

τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι. idest, Vlcera in corpore facta.] Per corpus quamcunq; corporis partem intellige: per ulcera uero omne genus ulceris.

οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται. idest, Non facile sanantur.] Oribasius tres causas assignat. una quia deest sanguis qui carnes nutrire possit. Secunda, quia ipsa aqua salsa ad ulcera decurrens, magis exasperat. Tertia, quia debilior est natura, quàm locus qui patitur, unde hic author aphorismum in ascite potissimum intelligere uidetur. Sed Philotheus in omni hydropis specie, diuerso tamen modo exponit. nam in anasarca, διὰ τὸ μὴ φέρεσθαι εἰς ἀπούλωσιν τὰ ἕλκη ὑπὸ τῆς πλεονεκτούσης ὑγρότητος. idest, Propterea quod ulcera præ humiditatis abundantia ad cicatricem non perducūtur. nam (ut Galenus etiam in commento dicet) ulcera ut sanari debeant, siccis indigent. Post hęc Philotheus aliam causam refert, cur aliæ hydropis species difficulter sanentur, inquiens, ἐπὶ δὲ τοῦ ἀσκίτου καὶ τυμπανίτου, οὐ διὰ περιουσίαν ὑγροῦ, ἀλλὰ διὰ τὸ εἶναι ἀσθενεῖς τὰς δυνάμεις ἐκ τῆς ἀτροφίας, ἢ διὰ τὸ δριμυτέραν εἶναι τὴν τῇ φύσει ὑπουργοῦσαν ὑγρότητα. idest, In ascite autem, & tympanite, non ob humiditatis abundantiam (scilicet difficulter sanantur) sed quoniam ex atrophia (idest quia membra nutrimentum non sentiunt) uires imbecilles sunt, uel quod acrior sit humiditas quæ naturæ subministratur. Sed nobis uidetur in ascite humiditatem etiam esse in causa, & in anasarca, uirium imbecillitatem. nempe necessarium est in omni eius specie iecur esse debile, & non probe sanguinem generare.

GALENVS

DOCVIT ipse in libro De ulceribus, non prius ad cicatricem perduci ulcera, quàm sufficienter exiccētur: hoc autem non facile fieri in his quos aqua intercutem male habet, ob humiditatis immoderantiam.

BRASAVOLVS

EX Hippocrate in libro De hulceribus, hunc aphorismum exponit Galenus. etenim Hippocrates in illo libro docet, hulcera non prius ad cicatricē perduci quàm sufficienter exiccata sint. Quod in his qui aqua intercute correpti sunt ob humiditatis immoderantiam, facile non fit, ut Galenus solam humiditatem causam esse faciat.

Vbi legitur, Quàm sufficienter exiccetur: hæc particula sufficienter, in nostro anti-

quo contextu legitur, ἱκανῶς, sed est in prima lectione. In secunda uero idem habetur quod in Aldino contextu scriptum est scilicet, ἀκριβῶς, exacte.

APHORISMVS IX

Latæ pustulæ non admodum pruriunt.

BRASAVOLVS

PVSTVLÆ quæ in latum extensæ sunt, minus unitam habent materiam, & non est adeo acris. propterea & si pruriant, non multum pruriunt, ut illæ faciunt, quę paruæ sunt, & in unum collectæ.

Τὰ πλατέα ἐξανθήματα. idest, Latæ pustulæ.] Nos Hippocratem intelligimus potissimum in scabie. nam in scabie aliqui paruas pustulas habent rotundas in acutum tendentes, quæ à calidiori materia fiunt, ideo maxime pruriunt. Alij habent latas pustulas, & amplas, quæ minus pruriunt. tamen quia ex salsuginea materia factæ sunt, prurire necesse est. Hæ autem pustulæ quæ latæ sunt, etiam sunt humidiores, & habent pituitam mixtam. In scabie uero intelligimus, quia per nostrum corpus quandoque pustulæ fiunt, quæ nullo modo pruriunt, & tamen aliquæ sunt latæ, aliquæ in unum collectæ, & arctæ: unde in his solum pustulis Hippocratem intellige quæ salsugineam materiam mixtam habent, & pruritum faciunt.

Οὐ πάνυ τι κνησμώδεα. idest, Non admodum pruriunt.] Quia & materia in latum ampliatur, & non est adeo calida ut in turbinatam formam eleuare posit. Oribasius alio modo hunc aphorismum & legit, & intelligit. Ita enim intelligit: latæ pustulæ, & quæ non admodum pruriunt, difficulter curantur: ut uelit de curæ difficultate latarum pustularum Hippocratem loqui. Quod in scabie absurdum est, nam paruæ illæ pustulæ multum prurientes, eæ sunt quæ difficulter sanantur. Latæ uero facilius, ut experientia docet. tamē ipse intelligit Hippocratem in area, quæ est ulceratio cutis, cum profluuio & eradicatione capillorū. sed (inquit) quia non semper est ulceratio, sed aliquando sola eradicatio, uideamus, quæ difficilius curatur. Illa quæ cum ulceratione est, curari facile potest, quia superficie sunt eradicati capilli: hæc uero quæ in superficie ulceratione non habet, neque pruritū, à radice habet eradicatos capillos, unde difficilius curatur. Sed hæc quæ ab Oribasio ita dicuntur, Hippocratis mentem effugere putamus. Quid uero sint ἐξανθήματα, idest pustulæ, superius à nobis dictum est, & multa ipsarum genera secundum Celsum distinximus. non latæ uero magis pruriunt, quia materia in unum locum collecta fortius agit, quàm ea quæ ad multas partes extensa est, hocque semper intelligito cum æqualitate materiæ in lata & non lata.

GALENVS

SICVTI tubercula omnia duplicem habent differentiam, quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt, quædam ad maiorem extenduntur locum non tamen in altū attolluntur: Sic & pustulæ, nonnullæ sublimes, nonnullæ latæ fiunt. Subliiores autem pustulæ atque tubercula à calidiore humore generātur, humiliores autem à frigidiore. Quare ob duplicem causam latæ pustulæ non admodum pruriunt. Difflantur enim in latitudinem extenta, & facientem ipsas humorem minus acrem habent.

BRASAVOLVS

GALENVS comparationē facit φυμάτων, idest tuberculorū, ad ἐξανθήματα, idest ad pustulas. nam tuberculorū quædam sunt lata, quædam tendunt in acumen, ita & pustularum quædam sunt latæ, quædam sublimes. tam tubercula quam pustulæ tendentia in acumen, fiunt à materia calida: quæ uero in latū tendunt, à materia frigida. Idem fere ad uerbum Philotheus docuit, inquiens, τῶν ἐξανθημάτων ἤτοι φυμάτων γίνεται μὲν ὑψηλὰ γίνεται, τινὰ δὲ πλατέα. τὰ μὲν οὖν ὑψηλότερα ἐξανθήματα ἤτοι φύματα, καὶ θερμότατος καὶ δριμύτατος ἀπεργάζεται χυμός, διὸ καὶ κνησμώδεα τῇ δήξει. τὰ δὲ πλατέα ἤτοι ταπεινὰ οὐ πάνυ τι κνησμώδεα διὰ τὸν ἐργαζόμενον αὐτὰ χυμὸν φλεγματικὸν ἥττον ἔχει δριμύν: idest pustularum uel tuberculorū, quædam tenuia fiunt, quædam uero lata, tenuiores quidem pustulas, uel tubercula, calidior & acutior humor facit, unde & prurientia morsu. Lata autem uel humilia, non multum pruriunt, quoniam pituitosus humor illa facit, qui minus habet acrimoniæ.

APHO-

CAput dolenti, & circum dolenti, pus, uel aqua, uel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.

BRASAVOLVS

IN HOC aphorismo in genere & fere sub nube edocemur, quomodo illi sanari debeant, quibus caput dolet, quod tamen perpetuo intelligendum non est, sed solum ubi pure uel aqua uel sanguine plenum fuerit. Nam si alicui caput dolenti uel circũdolenti pus uel aqua uel sanguis per nares effluat, uel os uel aures, morbum soluit, & hoc sponte. Ideo & si tu hos dolores abigere uolueris, id facile assequeris, si hæc arte per unam harum partium prouocabis. Philotheus uero hic dicit, quod νῦν ὑδὲ δύο εἴδη κεφαλαλγίας γυμνάζει τὸν λόγον, ἐκ τῆς ἰδιαζούσης ὀδύνης, καὶ ὑποτίθεται δι' ὅλης τῆς κεφαλῆς. idest, nunc sermonem circa duas doloris capitis species exercet, ex proprietate doloris, & supponit (scilicet dolorem) per totum caput.

Κεφαλὴν πονέοντι. idest, Caput dolenti.] Per hoc intellige, dolorem in una capitis parte ex multitudine humorum in capite aceruatorum, & potissimũ in illa parte in qua est dolor: nam si fiat capitis dolor ex mala qualitate, aut ex acuta bile, nõ est opus per defluxum sanguinis aut puris aut aquæ è naribus uel ore sanari. Intellige uero dolorẽ in una parte factum ob inflammationẽ uel ob materiam excedentem. Hippocrates autem dolorem non specificat, quoniam in quacunque fiat parte, non curat. Vnde ab Oribasio dicitur, capitis dolor multis modis accidit: aliquando tumor est in membranulis siue panniculis, quos miningas Græci dicunt: aliquando in ipso pericraneo quod superponitur cerebro: aliquando ex inferiore parte ascendit spiritus flatulentus per arterias & uenas, & dolorem excitat, unde se aperiunt suturæ capitis, & accedentes medici docti faciunt ligaturam, quæ cephalica nũcupatur: reuertentibus uero suturis in suum locum cessat dolor: ulterius dictum esse dolenti caput, ut innuatur, dolorem in ipso loco contineri. Philotheus etiam per hanc particulam, caput dolenti, dolorẽ qui in parte sit, intelligit. addit uero, ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν μέρει ἄλγημα, δηλοῖ ἀπόστημα ἢ φλεγμονήν. idest, sed dolor qui in parte est, abscessum significat, uel inflammationem. unde non intelligunt hi authores ἡμικρανίαν, quamuis & ad ipsam ampliari posset.

Καὶ περιωδυνέοντι, idest & circundolenti.] Per hoc dolor intelligitur, qui totum caput occupet. Hunc dolorem ex spiritu flatulento fieri, Oribasius dicit. unde & à Philotheo scriptum est, τὸ δὲ ἐν ὅλῃ τῇ κεφαλῇ, πνευμάτων ἢ ὑγρότητος περιουσίαν. idest, dolor autem qui in toto capite est, flatuum uel humiditatis abundantiam significat.

πύου, idest pus.] quod exeat per nares uel per os uel per aures, non potest autem exire pus, nisi adsit abscessus: qui & si adsit, uel in cerebro est, uel in panniculis. At si in his partibus adsit, cur non moriuntur? Dicimus posse etiam colligi supra panniculos pus, ex sanguine uenas exeunte: tamen nihil impedit esse in panniculis, & non mori, quamuis periculosum sit. hic etiam Philotheus dicit, καὶ εἰ μὲν ἔμπυον ῥυῇ, τὴν ἐν μέρει κεφαλαλγίαν λύει. πλὴν οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἀποστήματος. idest, Et si quidem pus fluxerit, in parte dolorem capitis soluit: uerumtamen non omnem, sed eum qui ex abscessu. Et Oribasius etiam ex tumore pus prodire censet.

ἢ ὕδωρ, idest uel aqua.] quam uidemus plerunque ex his partibus fluere: est uero pituitosus humor tenuis aquæ speciem referens. Oribasius humorem esse dicit, qui in aqua destillat, uel sanguinem.

ἢ αἷμα, idest uel sanguis.] qui sit uel purus, uel alijs humoribus mixtus. unde & Philotheus dicit, ἢ δὲ ὕδωρ, ἢ αἷμα, τὴν δι' ὅλου κεφαλαλγίαν. πλὴν οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν διὰ πλῆθος ὑγρότητος. τὸ γὰρ αἴτιον τὸ ποιῆσαν τὴν κεφαλαλγίαν κενοῦται, καὶ ἐκδιώκεται. idest, uel autem aqua uel sanguis dolorem capitis per totum soluit: tamen non omnem, sed eum qui ob humiditatis multitudinem factus sit. causa enim dolorem capitis faciens euacuatur, & expellitur. ῥυῇ, idest fluxerit.] Vel unum ex illis sit, uel sint duo, uel omnia simul, quæ sponte fluant.

περὶ τὰς ῥῖνας. idest, Per nares.] Per quas plerunque hæc fluere uidentur, sanguis inquam si in capite abundet, uel natura, uel ob moram in sole: pus, quando putredo in capite facta sit: aqua, ut in his qui alsiosi sunt, è quorum naribus aqua destillat quæ capitis dolorem remouet.

ἢ περὶ τὸ στόμα. idest, Vel per os.] Aliqui contextus hanc particulam habent, alij non habent: tamē si non adsit, addi debet, quia omnes meatus intelligere oportet, per quos materiæ quæ à capite destillant, exeunt. Vnde & si de oculis mentionem non faciat, nos tamen multos uidimus à capitis dolore liberari per aquam ab oculis descēdentem, à quibus etiam & pus plerunque manare uidimus.

ἢ περὶ τὰ ὦτα. idest, Vel per aures.] per quas frequenter pus excretum uidimus, præsertim in puerulis, & etiam in natu grādioribus. Nota ab Hippocrate tria edoceri, quæ profluunt, pus, aquam, sanguinem, & etiam tres partes per quas exeūt, nares, os, aures: per unumquenque meatum omnia profluere possunt, tamen ut plurimum per nares sanguis, per os aqua, per aures pus descendit: & quia plerunque ex spiritu flatuoso capitis dolor infertur, quodcunque horum per quamcunque partem perfluxerit, flatus extenuantur.

λύει τὸ νόσημα. idest, Soluit morbum.] hoc est, symptoma remouetur, quoniā & causa illa quæ morbum faciebat, aufertur, ex quo dolor ipse capitis qui symptoma erat, aufertur. Duo igitur ex remotione causæ morbi auferebātur: morbus ipse, & symptoma.

GALENVS

PLVRA & alia sic ostensus est Hippocrates dicere, in quibus nisi quis animū aduerterit uidebitur quod ab ipso dicitur, solum ad curationem passionis proficere, aliud uero nihil. Verum ipse non hoc tantum dicit, sed simpliciter quod pus uel aqua effluens per nares uel aures morbum soluit. Et si utique conueniens dixisset, quemadmodum ego nunc, sermo foret irreprehensibilis. Quando enim uel propter inflammationem, uel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorum fieri dolorem contigerit, tunc inflammatione suppurata, aut humore excreto, solutio fit morbi. Si uero propter spiritum flatuosum, aut sanguinis multitudinem, aut bilem mordacem, aut omnino ex intemperatura dolor acciderit, per alia sanabitur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in multis alijs locis hoc eodem sermone usum esse Hippocratem, ut (nisi quis prænouerit) solum uideatur ad passionis curationē aliquid proficere, & nihil aliud facere.

Commentationis principium Græce est, πολλὰ καὶ ἄλλα οὕτω δέδεικται λέγων ὁ ἱπποκράτης. Nos huius sententiæ sensum hoc modo exprimendum iudicamus. Hippocrates in multis locis tali loquendi modo utitur. Vel, & alia multa hoc modo demonstrauit, dicens Hippocrates.

SECVNDO docet, nō solum istud ab Hippocrate dici, imò & his simplicibus uerbis usus est, quod pus uel aqua effluens per nares uel aures morbum soluit.

TERTIO docet, si Hippocrates eodem modo locutus esset ut ipse faciat, eius sermonem irreprehensibilem fuisse, scilicet si dolor in capite fiat propter inflammationem uel propter humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorum, tunc inflammatione suppurata, aut excreto humore, solutio fit morbi. At si dolor fiat ob spiritum flatuosum, uel ob sanguinis copiam, uel ob mordacem bilem, uel ex sola intemperatura, per alia sanatur, & non per suppurationem, uel excreto humore. Tamē nos simpliciter & de bile & de sanguine & de flatu aphorismum intelligimus. At sola intemperies nos angit, quoniam capitis dolor ex ipsa factus per defluxum ex his partibus solui non uidetur: tamen exiens quantitas, qualitas illam comitatur. Notaque, Galenum in suo contextu solum habuisse nares & aures, aquam & pus.

Quod legitur, Et si utique conueniens dixisset: legi debet Conuertens. nam Græce est, ἀντιστρέψας.

Quod etiam legitur, Solutio fit morbi: Græce est, λύσις γίνεται τῆς ὀδύνης. idest, solutio fit doloris. & reuera aptius est dicere doloris, quàm morbi. quoniam dolor symptoma est, non morbus.

APHORISMVS XI

Atra bile uexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum.

BRASAVOLVS

NVLLVS est qui ambigere possit, si quis atra bile molestetur, quod illa uel in toto uel in parte euacuata non prosit: & si in toto, penitus sanatur: si in parte, ægritudo remittitur: facile uero per hæmorrhoidas euacuatur. Ideo si quis atra bile, aut renum passionibus infestetur, cui hemorrhoides superueniant, bonum: quia uel sanatur, si tota materia exeat: uel remittitur passio, si materiæ pars profluxerit.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι, idest atrabilarijs.] Cum uero atra bilis infinitas species habeat, de omni specie intelligēdus est Hippocrates. Oribasius atram bilem cerebri affectionē ex materia melancholica factam esse dicit, & ad unam aliquā speciē non se determinat.

Καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσιν. idest, Et renum passionibus.] Recentes nomine decepti interpretantur ac si dixerit phreniticis.

Αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν. idest, Hæmorrhoides superueniētes bonum.] Quia humorem peccantem euacuant. Oribasius hic dicit, hæmorrhoides esse uenæ meatus, & ex una multæ eædem ueniētes ab hepate per dorsum ad meatum deferunt melancholicum sanguinem, & sicuti mulieres per singulos menses purgantur consueta purgatione, ita & uiri qui ista patiuntur. Additq; Oribasius, nephritim, idest renum passionē tribus modis fieri, aut tumore in renibus, aut tumore in uesica, aut spiritu flatulento in utrisq;. Inanitio contra est, & in ipsis renibus triplex est positio membrorū, aut enim urinaria uasa dolent, aut seminaria, aut ipsi renes, quibus omnibus modis supradicta inanitio morbum soluit. Et Philotheus dicit, Melācholicos fieri ἀπὸ πλεονεξίας μελαγχολικοῦ χυμοῦ. idest, à plenitudine melancholici humoris. Nota quum simpliciter scriptum inuenitur, hæmorrhoides, semper intelligitur defluxus sanguinis ex ipsis. Sed hic dubium fieri posset, quia non uidetur esse uia, per quam renes per hæmorrhoidas expurgentur: nam uenæ hæmorrhoidales à iecore prodeunt, & non à renibus. Respōdemus, euacuata materia & renes per concomitantiam euacuantur.

GALENVS

NON solum ratione euacuationis hæmorrhoides sanant huiuscemodi passiones, sed & ipsa qualitate humoris euacuati. Hæ etenim sanguinem crassum consueuerunt euacuare, humore plenum melancholico, talem habente in sanguine cōsistentiam qualis est in uinis fex. Quare nihil mirum si atræ bili, & renum passionibus conferunt.

BRASAVOLVS

GALENVS docet, ob duas causas hæmorrhoidas atrabilarijs conferre: una est euacuatio: alia est illius materiæ euacuatio, quæ atram bilem faciebat. Est autem materia crassa, nam est sanguis crassus melancholico humore plenus, qui est tanquam uini fex. Vnde non mirum si hæmorrhoides atrabilariū, & renum passiones sanent, quia id euacuant, quod est tanquam cœnum sanguinis.

In calce huius Commentationis multa uerba desunt, quæ hæc sunt: quum dicit, nihil mirum si atræ bili, & renum passionibus conferunt: hæc sententia tota integra hoc modo legi debet, ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν καὶ μελαγχολίαν καὶ νεφρῖτιν ἰᾶσθαι διὰ τῶν αἱμοῤῥοΐδων, ἐκκενοῦν πεφυκυιῶν τὴν ἰλὺν τοῦ αἵματος. idest, Quare nihil mirum & melancholiam & passionem renum per hæmorrhoidas sanari, quum aptę natæ sint euacuare, id quod est tanquam cœnum sanguinis.

APHORISMVS XII

A Diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur, periculum est aquam inter cutem, uel tabem aduenire.

BRASA-

BRASAVOLVS

TOTVS hic aphorismus ad curatiuam artem spectare uidetur: nam aliqui sunt, è quorum hæmorrhoidibus tanta sanguinis copia fluit, ut uires imbecilliores efficiantur: propterea medicos cōsulunt, ut eos ab hoc profluuio liberent, sanguinem reprimant, & ipsas hæmorrhoidas exiccent. Alij sunt, qui & si imbecilles non fiant, tamen illis molestum est has uenas adeo frequēter aperiri, unde ab hac molestia liberari cupiunt. Nunc igitur Hippocrates docet, quando hanc curationem suscipies, quid agendum sit, ne maius dispendiū sequatur. Quando igitur hæmorrhoidas sistere tentabis, unam serua quæ fluat, aliter periculum est ne uel aquam intercutem uel phthisim incidat. aquam intercutem, si iecore imbecilli facto sanguificare non possit. phthisim uero, si materia retenta ad pulmonem transmittatur.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας. idest, à diuturnis sanato hæmorrhoidibus.] Quum simpliciter apud authores inuenitur uocabulum hæmorrhoides, semper sanguinis defluxus ex ipsis intelligitur. De diuturnis autem loquitur, quoniā quæ fieri incipiunt, nondum habent consuetum cursum. Ideo si adstringantur, nihil mali sequitur. Intellige uero de sanitate arte inducta, quamuis & ad sanitatem à natura factam ampliari possit: tamen Hippocratis sensus est de sanitate & restrictione per artem facta, ut per adstringentium usum & exiccantium.

ἢν μὴ μία διαφυλαχθῇ. idest, Si una non seruatur.] Per quam sanguinis superfluitas, quæ est tanquā limus eius, & sanguis atrabilarius transmitti possit, necesse est ut redundet, & reuertatur superius ad iecur, & in ipso duritiem faciat & plenitudinem; unde debilis fit eius uis concoctrix, & ex consequēti non probe sanguificat, ideo aquam intercutem facit. Philotheus propterea dicit, si sint diuturnæ hæmorrhoides, ἐπειδὴ ἡ ὕλη ὁρμὴν ἔλαβε τοῦ ἐκεῖθεν φέρεσθαι, καὶ ἡ φύσις ἐν ἔθει ἦν τοῦ ἐκεῖθεν ἀποκαθαίρειν τὰ περιττά. αὕτη δὲ κεκώλυται ἀποκλειομένου, σκληρωθὲν δηλονότι τὸ ἧπαρ ποιήσει, καὶ τῷ πλήθει, ἢ ἀποσβέσει τὴν ἐπ' αὐτῷ θερμότητα, καὶ ἀποτυχίαν τῆς αἱματώσεως ποιήσει. idest, Quoniam materia illinc ferri impetum accepit, & natura illinc superflua expurgare consueta sit: modo autem prohibita est natura sic expurgare, quia hepar obstructum, obduratū uidelicet multitudine (scilicet humorum) hoc faciet, uel in ipso extinguet caliditatem & sanguificationis irritum conatum faciet. Ex hisq; Philotheus infert aquam intercutē fieri, tamen eius contextus imperfectus uidetur.

Κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγίνεσθαι. idest, Periculum est aquam intercutem superuenire.] Ob causam superius assignatam. Dubitatq; Oribasius quomodo sanguis retētus aquæ intercutis causa sit, quum ipsa aqua intercus nihil aliud sit, quàm indigentia sanguinis. Respondet, quod sanguis quum retentus fuerit, ad principium suum, hoc est ad hepar, redundat, & tale quid patitur natura, quale fistula accipiens aquam è fouea: quæ dum aquam in se receperit per spiritum sursum redundat aqua, sic & sanguis ad hepar se habet: hepar autem toti corpori nutrimētum ministrat, cuius uena quum oppressa fuerit, ipsum hepar aut per se patitur aut propter uicinitatem, & sanguis in aquā conuertitur, & fit hydrops. quo autem modo fiat, nisi intelligamus modo præexposito, non esset hic Oribasij modus conueniens.

ἢ φθίσιν, idest uel phthisim.] Quæ ideo fit, quia sanguis qui ad iecur redundat, ad pulmonem transmittitur. unde & Philotheus dicit, ἀλλὰ μὴν καὶ φθίσιν τοῦ πλήθους διὰ τοῦ ἥπατος εἰς πνεύμονα παραγινομένου, οὗ τινος ἐκεῖσε παραγενομένου ῥῆξιν φλεβίου ἐργάζεται, καὶ φθίσιν ποιεῖ. idest sed & phthisim multitudine per hepar ad pulmonē ueniente, cuius aduentus illuc uenę fracturā operatur, & phthisim facit. Oribasius hic addit, si sanguis ad cerebrum uersus fuerit, parit insaniā: quod non ab re est: nam ab Hipp. duę solæ enumerantē ægritudines cæteris periculosiores: tamē non iret inficias, multas alias ægritudines consequi posse, sanguine ad alias partes trāsmisso. In antiqua tamē trāslatione hęc particula mania, addita est. Celsus capite septimo secūdi libri, hunc aphorismū ita refert, Si ora uenarum sanguinē solita fundere subito suppressa sunt, aut aqua intercutē, aut tabes sequitur. Aetius libro decimoquarto capite quinto ita aphorismū intelligit, ut iubeat uenam unam seruandam esse his qui non debent conuenienti uictus ratione uti, qui uero conuenienti uictus ratione uti debent, his nulla uena relinquenda est. Aetij uerba hęc sunt.

Fieri

Fieri enim potest ut integra hæmorrhoidum sublatio, optimum curãdi finem adipiscatur, si opportune uena secetur, & congrua uictus ratio toto tempore adhibeatur, quemadmodum Hippocrates uoluit, hæmorrhoidas diuturnas, inquit, sananti, nisi una seruetur, aquæ intercutis, aut tabis periculum imminet. Neq; enim, ut quidam asserunt, excernendi sanguinis gratia unam seruandam putauit, sed tunc tantum, quum congrua uiuẽdi ratio negligitur. Et quod id Hippocrates intellexerit, aphorismi distinctio ostendit, ait enim, hęmorrhoidas diuturnas sananti. Est autem sanatio integra morbi solutio, & legitima curatio. Non ergo secundum Hippocratem, ulla hæmorrhoidum dimittenda est, sed omnes prorsus delendæ, post quarum integram sanationẽ, opportuna uictus ratione ad naturalem habitũ ægrum ducere oportet, adiecta iugiter uenæ cubiti sectione, quoties in uniuerso corpore molem sanguinis collectam uerebimur. Hæc Aetius. Tamen & in eo qui recta uictus ratione uti debeat, unam seruandã putamus, quoniam per illam id expurgatur, quod superfluum in corpore colligitur, quantuncũq; paruum sit. Nemo enim est ita parcus quin superflua quædam in eo non colligantur.

GALENVS

HÆMORRHOIDAS fieri impossibile absq; hoc, quod propter multitudinem, & crassitudinem sanguinis ora quarundam uenarum aperiantur hepate ad ipsas reponente fecem, & quandoq; sanguinem melancholicum. Si quis igitur ei hoc intercludat iter, una & duriciem in hepate facit, & simul multitudine grauans, ac crassitudine calorem in ipso natiuum extinguit, cum tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in quibus multa ligna superingesta strangulant ignem, atq; extingunt. Si igitur à natiuo calore generatur sanguis, clarum quod ipso extincto non generabitur amplius. Aqua uero intercutem fit cum sanguinis generatio frustratur. Si uero aliquando possit hepar propellere multitudinem ad uenas pulmonis, hic uase aliquo rupto tabidi fiunt. Non frustra igitur consulit unam saltem seruare hæmorrhoidẽ, ut per hanc euacuetur feculenta, ac uitiosa materia hepatis, præsertim in quibus solita est tempore longo per tales uenas excerni.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hæmorrhoidas fieri non posse, nisi sanguinis multitudo, & crassitudo quarundam uenarum ora aperiat, quando hepar ad ipsas, & fecem, & melancholicum sanguinem transmiserint.

Quod legitur, Hepate ad ipsas reponente fecem, & quandoq; sanguinem melancholicum. Græce est, ἀποτιθεμένου τοῦ ἥπατος εἰς αὐτὰς ἰλυῶδές τε καὶ μελαγχολικὸν αἷμα. id est, Hepate ad ipsas reponente, & limosum, & melancholicum sanguinem.

SECVNDO docet, si quis huic limo, & melancholico sanguini hoc iter occluserit, duritiem in iecore facit, & grauitatem, ob multitudinem, & crassitudinem, unde naturalis calor extinguitur: eodem fere modo ut flamma, cui multa ligna superingesta sint, strangulatur, ita cũ sanguis à naturali calore generetur, certũ est, quod illo extincto, amplius non generat̃, & tũc fit aqua intercus, quãdo scilicet sanguinis generatio frustrat̃.

TERTIO docet, si quandoq; iecur ad pulmonis uenas, multitudinem transmittere possit, aliquo uase rupto phthisici fiunt, unde conueniens fuit suadere, ut una hęmorrhois saltem seruetur, per quã feculenta & uitiosa iecoris materia euacuetur, præsertim quando natura longo tempore per illas uenas euacuare consueta est.

APHORISMVS XIII

A Singultu habitum sternutatio superueniens liberat.

BRASAVOLVS

QVI singultum patiuntur, ab eo facile liberãtur, si materia illa, quæ ipsum excitat, expellatur, facile uero expellitur, si ipsa agitetur, & natura ad expellendũ iritetur, quod facile fit, sternutatione superueniente. unde ab Hippocrate dicitur, si sternutatio superuenerit singultum patienti, à singultu liberatur. quia natura à sternutatione iritatur, & materia commouetur, ut facile expelli possit.

ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένου. idest, à singultu habito.] Vtitur uocabulo Habito, ut singultus perseuerantiam notet. Quum uero singultus, conuulsionis species sit, & conuulsio ex inanitione & repletione fiat, ita erit & singultus. In hoc autem loco, de singultu ex repletione intelligit Galenus: quia ille qui ex inanitione fit, non sanatur sternutamento. Tamen Oribasius tam de eo qui est ex inanitione, quàm repletione simpliciter intelligit, inquiens, Dum sternutatio singultui superuenerit, soluitur singultus: quia motus calorē facit, calor autem euaporat. Si ex inanitione fuerit singultus, quicquid ad ipsam concussionē pertinet, ea excitatione facta, naturæ significat uirtutem reparari. unde potius secundum ipsum, signum bonum est, quàm quod soluatur. At Galenus & Philotheus solum in singultu ex repletione aphorismum intelligunt. Philotheus uero singultum hoc modo definit: λυγμός ἐστιν σπασμώδης κίνησις στομάχου. idest, singultus est motus conuulsiuus stomachi.

πταρμὸς ἐπιγινόμενος. idest, Sternutatio superueniens.] Ita Leonicenus in suo contextu habebat, & Philotheus, & antiquus contextus quem habeo, & antiqua translatio. sed Aldinus cōtextus, & in margine nostri antiqui, & Oribasius & Theodorus in plurali habent, πταρμοὶ ἐπιγινόμενοι. idest sternutationes, uel sternutamenta superuenientia.

Λύσις, idest solutio.] Ita simpliciter in prima nostri antiqui contextus lectione habetur, ut Leonicenus uertit. Sed in Aldino codice, & in secūda nostri antiqui lectione habetur, λύουσι τὸν λυγμόν. idest, soluunt singultum. nam membra omnia intrinseca adeo commouētur, ut si quæ sint, quæ ori uentriculi inhæreant, & singultum faciant, illa remoueātur, separenturq; à uentriculo, ut facile exire possint. unde & Philotheus huius rei causam assignans inquit, ἐπειδὴ κλονεῖται ὁ ἐγκέφαλος, καὶ ὅλον τὸ σῶμα. μάλιστα δὲ ἡ γαστὴρ, διὰ τὸ πλῆθος τῶν νεύρων, καὶ ὑπὸ σφοδροῦ κλόνου ἐκμοχλεύεται, καὶ κενοῦται τὰ περὶ τὸν στόμαχον ὑγρὰ, τὰ τὸν λυγμὸν ἐργαζόμενα. idest, quoniam caput & totum corpus concutitur, maxime autem uenter, ob neruorum copiam, & uehementi concussione excutiuntur, & humiditates euacuantur quæ in ore uentriculi erant, & singultū faciebant. Scito tamen, non esse necessariū sternutamentū semper sanare singultum, sed id quandoq; fit.

GALENVS

AVTHOR est ipse, sicuti cōuulsionem, ita & singultum, uel ex inanitione uel plenitudine fieri. Quando igitur à plenitudine fit, magna aūt ex parte ita fit, uiolento opus est motu, ut ueluti conclusæ ipsum efficientes humiditates difflentur atq; euacuētur, hoc autem facit sternutatio. Eos uero qui ex inanitione fiunt, qui sunt rariores, non sanat sternutatio. Quod uero ex plenitudine singultus iugiter fiat, indicant pueri crebro singultiētes, quum sunt repleti. Rigor autem & frigiditas omnis qui omnia neruosa corpora efficiunt ad difflandum difficilia, sunt causa ut hæc repleantur, atque ideo in ipsis singultiunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet ex Hippocratis sententia, ut conuulsio ex inanitione & repletione fit, ita & singultus, qui est conuulsionis species. In hoc loco de illo intelligit, qui ex plenitudine fit, & qui frequentius contingit. hic singultus uiolento motu indiget, ut humiditates tanquam erutæ, quæ ipsum faciebant, difflentur atque euacuentur: hoc autem fit sternutatione.

Commentationis principium quod est, Author est ipse, sicuti, &c. dupliciter legitur: prima antiqui contextus nostri lectio ita habet, τὸν λυγμὸν αὐτὸς εἶπεν. idest, singultū ipse dixit. Sed in secunda lectione, & in Aldino contextu ita scriptum est, καθάπερ αὐτὸς εἶπεν. idest, sicuti ipse dixit. & hanc lectionem magis probam[illegible].

Quod legitur, Et ueluti conclusæ ipsum facientes humiditates: Græce est, ἵνα ὥσπερ μοχλευθέντα τὰ περὶ ὧν ὑγρά. idest, ut quasi excussæ ipsum efficientes humiditates. Vbi uides non esse legendum Conclusæ, sed potius econtrario Erutæ, uel excussæ.

SECVNDO Galenus probat, singultum iugiter ex plenitudine fieri: exemplum à pueris sumens, qui crebro singultiunt quum sunt repleti: & frigus etiam quod implet neruos, idem ostendit: nam frigus neruosa corpora ad difflandum difficilia reddit, propterea replentur, & singultiunt.

Quod

Quod legitur, Rigor autem, & frigiditas omnis. Græce est, καὶ τὸ ῥῖγος δὲ καὶ ἡ ψύξις πᾶσα. idest, Et frigus etiam, hoc est omnis frigiditas.

Quod statim sequitur, Qui omnia neruosa corpora efficiunt ad difflandum difficilia: legi debet, eo quod omnia neruosa corpora efficiunt ad difflandum difficilia. nam Græce est, ὡς δυσδιάπνευστα ἐργάζεσθαι πάντα τὰ νευρώδη σώματα. Quod omnia neruosa corpora, fiant ad difflandum inepta ac difficilia.

APHORISMVS XIIII

AB aqua inter cutem habito, si aqua à uenis in uentrem defluxerit, soluitur morbus.

BRASAVOLVS

QVI aquam intercutem patiuntur, præsertim ascitem, de qua in præsentiarum sermo est, magnam aquæ copiam inter intestina & peritonæum contentam habent, Arabes, & recentes decepti inter siphac, & mirach contineri dicunt, quæ aqua si per uenas à natura ad intestina transmittatur, exit. Cum uero exiuerit, morbus soluitur. quia hydrops nihil aliud erat, quàm tumor uentris præter naturã ab aquositate factus, quæ ob imperfectionem coctionis genita est.

ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ. idest, Ab aqua intercutem habito.] Intellige ascitem, uel amplia etiam ad tympanitem, si flatus per uentrem exierit, sed Philotheus dicit, καὶ μάλιστα ὁ ἀσκίτης. idest, Et præsertim ascites.

τὸ κατὰ τὰς φλέβας εἰς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος λύσις. idest, Si aqua à uenis in uentrem defluxerit, solutio.] Nam ut Philotheus dicit, γίνεται δὲ πολλοῦ ὕδατος ῥύσις διὰ τῶν φυσικῶν πόρων τοῦ ἥπατος, τουτέστι τῶν πυλῶν πρὸς τὰ ἔντερα, καὶ διὰ αὐτῶν ἐγχυθῇ ἀπαλλαγὴ γίνεται. ἐπὶ προσθήκη ἐκεῖνο τὸ ὑγρὸν, ὡς ὄντι ἐν μέσῳ τοῦ περιτοναίου καὶ ἐντέρων. idest, Fit autem multæ aquæ fluxus per naturales iecoris tubos, hoc est per portas ad intestina, & per has transiens, liberatio fit. Amplius additione ipsum humidum, quod in medio peritonæi & intestinorum est. ut hinc manifeste appareat aquam in hydrope, nõ esse inter peritonæum & abdomen, sed potius inter peritonæum & intestina. Via autem est per uenarum porositates ad iecur duci, deinde à iecore per meseraicas ad intestina, quamuis & ab ipsis meseraicis pro parte exugi posit (præter id quod iecur prius attingat) & immediate ad intestina transmitti. hoc autem Philotheus considerans, de iecore scilicet ad quod aqua prius transmittatur, annotauit, hic uenas pro iecore accepisse, tanquam partem pro toto, & principium pro principiato, inquiens, ἰστέον δὲ ὅτι φλέβας τὸ ἧπαρ ἐκάλεσεν, ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον δηλώσας, καὶ γὰρ ἀρχὴ τῶν φλεβῶν τὸ ἧπαρ ἐστὶν, ἀπ᾽ αὐτοῦ γὰρ αἱ φλέβες ἐκφύονται. idest, Sciendum autem, quod iecur uenas uocauit, à parte totum ostendens, etenim principium uenarum iecur est, ab ipso enim uenæ oriuntur. Oribasius in contextu, quem interpretatur, particulam quandam habet, quam apud Hippocratem nunquam inuenire licuit, tamen simpliciter uera est, hæc aũt est. At si tussis accesserit, nulla erit spes salutis, & hoc multis de causis. primo quia significat ipsam abundantiam superiore loco redundare, quæ titillat, & facit tussim: deinde quia ipsa concussio magis inficit. exagitatur enim aqua. tussis uero signum est mortis: imò adde tu, Propinquæ mortis, & quæ iam fores occupauerit.

Scito autem aquæ intercutis solutionẽ fieri, at si aliæ affectiones in corpore sint, per aquæ exitum solui non est necesse, sed tumor ille solus præter naturam ab aqua factus soluitur. Ex hoc aphorismo, aquam intercutẽ soluendi modum cõdiscere possumus.

GALENVS

ET HOC exemplum est earum quæ sponte fiunt & utiliter euacuationum. Spontaneam autem dicimus, non quod sine causa fit, sed sine causa ex nobis fit. Quãdo enim data à nobis medicina aquam trahente talis fiat euacuatio, non etiã & hanc spontaneam nominamus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in hoc aphorismo exemplum spontinarũ euacuationum & utilium poni, non autem symptomaticarum.

Quod legitur, Et hoc exemplum est, lege & hoc unum exemplum est. nam habetur, ὣν καὶ τοῦτο παράδειγμα ἐστί.

SECVNDO docet, quid intelligendum sit per spontaneum, nempe id quod à nobis non fit, neq; ab arte, sed à natura ipsa intrinseca. cum enim per uim hydragogi, idest aquæ ducentis medicamenti aqua educitur, euacuatio spontina non est. Sed petes: an per easdem uias aqua per uim medicamenti educatur, per quas à natura ducitur. Respondemus, omnino per uenas duci, sed ad uētriculum prius, uel ad iecur, deinde ad intestina duci, quamuis & aliqua portio per illas met uenas ad intestina ueniat.

APHORISMVS XV

A Longo alui profluuio habito, spontaneus uomitus superueniens morbum soluit.

BRASAVOLVS

MATERIÆ confluxus, qui ex longa consuetudine in aliquem locum defluit, diuertitur: si materia in alium locum fluat, & ab eo loco, ad quem assueta erat defluere, amouetur. unde si quis diuturnum alui profluuium habuerit, spontaneo uomitu superueniente, profluuium dissoluitur. quia materia diuertitur, quæ deorsum tendebat, & superiores partes nunc impetit.

ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς. idest, A longo alui profluuio habito.] Quamuis satis dixisse uideretur, si ita scriptum reliquisset, ab alui profluuio habito, ut diuturnum profluuium annotaretur. Tuq; per diarrhœam omne profluuium intellige, quoniam & in difficultate intestinorum uomitus profluuium soluit. de longo uero sermonem habuit, in quo ob consuetudinem uomitu forte solui non posse uideretur: at si diuturnum soluatur, ut experientia docet, tanto facilius breue profluuium dissoluetur: aphorismusq; de profluuio illo intelligendus est, quod ab extrinseca causa factum sit, & non de eo quod ui medicamenti contigerit.

ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγινόμενος. idest, Spontaneus uomitus superueniens.] idest qui à natura intrinseca consequatur, & non ab arte: non tamen hoc dico, quin etiam sciam artem plurimum proficere, quando ratione profluuij diuersione indigemus, & arte uomitum proritamus. Hoc autem melius est si sponte fiat, quoniam si arte procuretur, fieri non potest, nisi in diuturno profluuio. In incipiente etenim si à natura fiat, bonum est. sin minime, tunc prouocari non debet. Quid uero intelligendum sit, per spontaneũ, & ipse Philotheus hoc modo exponit, ἀπὸ ταυτομάτου λέγει τὸ ἄνευ φανερᾶς αἰτίας, τουτέστι μηδὲ μιᾶς αἰτίας ἀπὸ τοῦ ἰατροῦ γινομένης, ἀλλὰ προνοίᾳ φύσεως. idest, Quod dicit spontaneus, sine manifesta causa significat, hoc est nulla causa à medico proueniente, sed prouidentia naturæ.

λύει διάῤῥοιαν. idest, Soluit profluuium.] Diuertendo materiam, quod fit, ut Philotheus dicit, ὡς λόγῳ τῆς ἀντισπάσεως. idest, Ratione reuulsionis, uel in diuersam partem attractionis, quoniam (ut Oribasius inquit) id quod inferius profluebat, per superiorem partem excernitur. Ex hoc autem aphorismo tu hic disce, in diuturnis alui profluuijs uomitum excitari, quamuis exquisitius sit, si id natura sponte fecerit.

GALENVS

ET HOC pariter exemplum est eorum quæ recte fiunt à natura, quæ medicũ imitari oportet: utilitas uero ratione retractionis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, & hoc esse unum exemplum superfluorum quæ recte euacuantur à natura, quam medicus imitari debet. Nam in hoc casu recte operatur, medicus uero naturam recte operantem imitari debet.

In hac etiam Commentatione deest particula Vnum: ita enim Græce habetur, ὣν καὶ τοῦτο ὡσαύτως ἐστὶ παράδειγμα. idest, Et hoc pariter unum exemplum est.

SECVN-

SECVNDO docet utilitatem quæ in hoc naturæ opere habetur, esse ratione ἀντισπάσεως, idest reuulsionis, uel retractionis, ut Leonicenus interpretatur.

APHORISMVS XVI

A Morbo laterali uel pulmonia habito, alui profluuium aueniens, malum.

BRASAVOLVS

SI quis laterali morbo intẽsiori, aut pulmonia capiatur, alui profluuio superueniente, malum est. nam peius symptoma est, quod his morbis contingere possit, præsertim cum materia incocta sit, & per illas uias à natura morbum superante non expellitur.

ὑπὸ πλευρίτιδος ἐχομένῳ. idest, A morbo laterali occupato.] idest detento & uehementer infestato, ut Galenus dicit. nam hæc particula ἐχομένῳ, idest habito, morbi uehementiam significat, unde Philotheus dicit, διὰ τὸ εἰπεῖν ἐχομένῳ, ἐδήλωσεν ἰσχυρῶς κατέχεσθαι καὶ βιάζεσθαι τὸν κάμνοντα. idest, Propter hoc quod dicit, habito, ostendit fortiter ac uehementer detineri & occupari patiẽtem, propterea exponit hanc particulam habito, τουτέστι βιαζομένῳ, hoc est detento.

ἢ περιπνευμονίης. idest, Vel pulmonia.] Vterque morbus in pectore est, sed unus in panniculis, alter in pulmonis substantia, de his uero superius copiose egimus.

διάῤῥοια ἐπιγινομένη, κακόν. idest, Profluuium supraueniens, malum.] Quia non est uia hæc commoda, per quam materiæ hæc membra occupantes transire possint, sed fit per modum symptomatis, unde Philotheus dicit malũ esse, quoniam δηλοῖ ὅτι τὸ ἧπαρ συμπάσχει τοῖς ἀναπνευστικοῖς, γίνεται οὖν ἐκ τῆς ἀσθενείας αὐτοῦ, μὴ ἀλλοιώσεως γινομένης, διάῤῥοια ἐπικίνδυνος. idest, Ostendit quod iecur membris respirationis compatitur. hinc ob ipsius imbecillitatem, cum alteratio non fiat, profluuium sequitur. Galenus eandem causam assignat, ut in commẽtationis expositione uidebimus. At Oribasius ob multas causas malum esse docet, primo quia debilitat uires. deinde quia dolor ingens est, & uigiliæ, accedit autem & fluxus uentris, quæ omnia debilitant. Sed recentiores medici ambigunt, an alui profluuiũ in principio morbi lateralis, an in fine conueniat, quoniam Auicenna in principio prodesse fatetur. horum recentiorum unus est Conciliator differẽtia centesima nonagesimasecunda, qui multis ambagibus dictis, in principio cõuenire infert, in fine non conuenire. At nos Hippoc. & Galenum imitati dicemus, si morbus sit uehemens, semper est malum, quia uirium imbecillitatem significat, & iecur compati, unde & in spiritualibus & naturalibus partibus uitium est. At si morbus sit paruus, uel mediocris, euacuationis ratione bonum esse potest, & hoc præsertim si coctionis signa apparuerint: tamen bonum esse non est necessarium, quoniam symptomatice expelli posset. Hippocrates uero signum perpetuo malum edocere uolens dixit, habito, idest uehementer infestato. nam in his qui mediocriter patiũtur, bonum signum esse potest, ut Galenus dicit, imò & Philotheus etiam addit, ἐπὶ γὰρ τοῖς μετρίως πάσχουσιν ἔστιν ὅτε καὶ ἀγαθὴ διὰ λόγον τῆς μεταστάσεως. idest, In mediocriter patientibus quandoque bonum est, ratione transmutationis. Intelligeque, ut Galenus facit, profluuium quod malum est, non prouenire ratione alicuius cibi, uel potus, uel medicamenti, sed ex ui morbi.

GALENVS

CVM partes aliquæ patiuntur, non simpliciter aliæ compati sunt natura aptæ, sed cum forti passione detinentur. Secundum hoc igitur, & hepate fortiter patiente, singultus superuenit cõpatiente stomacho. Tussis autem, & difficilis anhelitus, compatientibus his quæ respirationi obseruiunt instrumentis. Sic & his ipsis pessime affectis hepar compatitur, & hoc ipsum manifeste ostendit Hippocrates, cum non simpliciter dixerit, In morbo laterali uel pulmonia aluum turbatam esse, malum signum, sed adiecerit Habito, ac si dixisset detẽto atque uexato homini à talibus passionibus profluuium alui superueniens malum esse signum: quoniam ita se habentibus id solet aduenire non potente hepate ad se trahere alimentũ, neque conuertere in sanguinem, & quandoque uentriculo idem alimentũ corrumpente. In mediocri autem morbo laterali atque pulmonia, profluuium alui superueniẽs potest prodesse ratione euacuationis, & magis cum signa

coctionis apparuerint inesse passionibus, neque adest timor, sed morbus est citra periculum. Communiter autem & in his & in omnibus alijs quæcunque eodem modo dicuntur illud meminisse oportet, quod nullus alius extemporaneus, & manifestus casus superuenerit, ueluti & nunc alui profluuium, non ex cibo, aut potu aliquo, sed morbi ratione contingat. Nam si alia ex causa, & non ui morbi fiat, non potest eius morem significare, si quidem oportet aliquid signo, quod ab ipso ostenditur, connecti.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat, quãdo aliqua pars sola patitur, alias compati necessarium non est, si passio sit imbecillis: at si passio intensa sit, compatiuntur.

SECVNDO huius rei exemplum ponit, inquiens, quãdo iecur intense patitur, singultus superuenit stomacho compatiente: imò & ex eadem intensa iecoris passione difficilis anhelitus fit, instrumentis respirationi seruientibus, compatientibus.

TERTIO docet, quod instrumentis respirationis pessime affectis, necesse est iecur compati, ut Hippocrates notat, qui simpliciter non dicit in morbo laterali, uel pulmonia profluuiũ esse malum signum, sed addit habito, idest detento atque uexato. nam tunc iecur compatitur, quoniam alimẽtum ad se trahere non potest, neque in sanguinem conuertere. imò quandoque uentriculus idem alimentum corrumpit.

Quod legitur, Sic & his ipsis pessime affectis. Græce est, οὕτως οὖν καὶ τοῖς ἀναπνευστικοῖς ὀργάνοις μεγάλως κακοπραγοῦσι, idest sic igitur & respirationis organis adeo male affectis.

QVARTO docet, in his qui mediocrem morbum lateralem habent, atque pulmoniam, si profluuium superueniat, ratione euacuationis prodesse potest, sed hoc præsertim, quando coctionis signa apparuerint, adeo ut periculum non immineat. Hæc pars, neque adest timor, sed morbus est citra periculũ, in aliquibus Græcis contextibus adest, in alijs abest, in nostro antiquo contextu à uiro quodam docto obelo confossa est.

QVINTO unum notat Galenus, quod omnibus eiusdem generis sermonibus deseruit, hos morbos intelligendos esse, nullo alio casu superueniente, ut profluuium ratione morbi fiat, & non ratione cibi, uel potus. quoniã si ex alia causa, & non ex ui morbi contingat, supra morbũ significare non potest, quia opus est si supra morbum significare debeat, per aliquod signum iudicium fieri, quod signum morbo coniunctum sit.

Quod legitur, Quod nullus alius extemporaneus & manifestus casus superuenerit, nos potius legeremus, quod & nullo alio extemporaneo & manifesto symptomate superuenerit, uel hoc modo, cũ ullus alius extẽporaneus & manifestus casus superuenerit. nam Græce est, τῷ μὴ δἰα μηδὲν ἄλλο πρὸς καιρὸν τε καὶ πρόδηλον ἐπιγεγονέναι τὸ σύμπτωμα.

Quod in fine legitur, Aliquid signo. Græce est, κατά τι τὸ σημεῖον, idest per aliquod signum. fortè Leoniceni cõtextus habebat, ut in prima lectione antiqui nostri scriptum est, κατά τι τοῦ σημείου.

APHORISMVS XVII

Lippientem alui profluuio corripi, bonum.

BRASAVOLVS

NVLLVS equidem lippus est, nisi materia ad oculos profluxerit, quæ quum diuertitur, & aliò tendit, bonum est. tunc enim oculos relinquit ad aliam partem conuersa. Quum ergo aliquis lippus fuerit, si alui profluuio capiatur, bonum est, & signum, quia materiã diuerti significat: & causa, quia causa est cur lippitudo sanetur. At Philotheus solum bonam causam esse dicit, inquiens, ἀγαθὸν ἐστιν οὐχ ὡς σημεῖον, ἀλλ᾽ ὡς αἴτιον. τὸ γὰρ πλεονάζον καὶ ποιοῦν τὴν ὀφθαλμίαν, ἐκκενοῦται ἅμα καὶ ἀντισπᾶται κάτω, διὰ τὸ κενοῦσθαι τὸ αἴτιον ἀγαθόν. idest, bonum est non tanquam signum, sed tanquam causa: quod enim abundat, & lippitudinem facit, euacuatur simul & deorsum attrahitur: propter euacuationem igitur bona causa.

ὀφθαλμιῶντα. idest, Lippientem.] At non specificat, an humida sit, uel sicca lippitudo, quia aphorismus in utraque uerus est.

ὑπὸ διαῤῥοίας ληφθῆναι, ἀγαθόν. idest, Alui profluuio corripi, bonum. Intellige uero

per alui profluuium, genus omne defluxus: intelligeq; bonum esse ratione lippitudinis, quoniam ratione profluuij, malum esse posset. nam in aliqua incomoda inducere posset. At solum ratione lippitudinis bonum est: quoniam, ut Oribasius dicit, materia quæ morbum faciebat, ad inferiores partes prouocatur.

GALENVS

NON VELVTI signum hoc oculorum bonum dictum ab eo est, sed tanquam causa, quia humorum abundantia simul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Est autem & hoc apud ipsum exemplum unum eorum quæ sponte, & utiliter euacuantur, quæ medicum imitari oportet, uidelicet & ita omnes faciunt in lippitudinibus, aluum & clysteribus, & purgationibus subducentes.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hoc non esse dictum, tãquam signũ bonum, sed tanquam bona causa. ratio est, quia humorum abundantia simul euacuatur, & ad inferiora reuellitur, tamen nos superius ostendimus etiam esse bonum signum.

Quod legitur, Non ueluti signum hoc oculorum, loco huius particulæ oculorum, lege lippientium, quia Græce habetur, οὐχ ὡς σημεῖον τοῦτο τῶν ὀφθαλμιώντων.

SECVNDO docet, hunc aphorismum esse unum exemplum eorum quæ utiliter euacuantur, & sponte, & quæ medicum imitari oportet, & ita in lippitudinibus omnes faciunt. nam aluum clysmatibus & purgationibus subducunt.

APHORISMVS XVIII

VEsica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, letale est.

BRASAVOLVS

MVLTA sunt in humano corpore membra, sine quibus indiuiduum superuiuere non potest, imò si lædantur, aut non uiuit, aut ægre uiuit: multa quoq; sunt, quæ si incidantur, sanari, atq; consolidari non possunt, propterea cum inciduntur, mortem consequi necessarium est, quæ uel cito sequitur, uel ad aliquod tẽporis spatium prorogatur. Nunc ab Hippocrate hæ partes enumerantur, quæ sunt uesica, cerebrum, cor, septum transuersum, intestinũ aliquod ex tenuibus, uentriculus, iecur. His uero prędictis membris uesiculam fellis addere debes, spinalem medullam propè caput, pulmonem, mediastinum, & lienem, quæ omnia mẽbra & si ab Hippocrate in hoc aphorismo relata non sint, nos tamen illa ad aphorismi perfectionem addere debemus. nam Hippocrates solas necessarias partes enumerauit.

Κύστιν διακοπέντι. idest, Vesica discissa.] Galenus quinto De usu partium libro, ex quibus partibus uesica cõstet, ubertim docet. etenim collum habet carnosum, & quod si incidatur, coalescere & consolidari potest, & quotidiana experientia cum alicui uesicæ calculus educitur, consolidari uidemus. propterea hic Hippocrates de collo non intelligit, sed de uesicæ substantia, & incisio effatu digna esse debet. Illa nempe consolidari non potest, quia membrum est neruosum. imò uesicæ nocumẽta pedibus & cerebro communicantur. discisio uero, aut ferro, re'ue extrinseca, aut humoribus erodentibus, aut hulcerantibus fit, qui per hæc indicia cognoscuntur, à Paulo Ægineta libro tertio capite quadragesimoquinto hoc modo descripta: uehemens admodum dolor pecten, hypogastriumq; impetit, urina magna cum anxietate redditur, & post mictionem pus in fundo matulæ subsidet, squamulæq; in ipsa tetri odoris, aut lamineæ circunferuntur. Celsus uero libro quinto capite uigesimosexto signa ponit uulneratę uesicæ, inquiens, dolent inguina, quod super pubem est, intenditur, pro urina sanguis, aut ex ipso uulnere urina descendit, stomachus afficitur, itaq; aut bilem uomunt, aut singultiunt, frigus, & ex eo mors sequitur. Tamen uesicæ simpliciter letale non facit, sed inter ea numerat, quæ difficilem curationem habeant. Aetius autem dicit insanabilia esse hulcera uesicæ propter hoc, quod neruosa est. periculosiora autem sunt quæ ex erosione orta sunt, & modica spes [illegible]ca restaurandi, attamen cum sæpe etiam præter expectationẽ quædam

eueniant, cura est aggredienda, per quam si nihil aliud, certe accessorij dolores minuentur. Philotheus ex hac particula διακοπέντι, idest discissa, profundam discissionem esse oportere ostendit: eius uerba hæc sunt, διὰ τοῦ εἰπεῖν διακοπέντι ἐδήλωσε τὴν διὰ βάθους διαίρεσιν. idest, per hoc quod dicit discissa, diuisionem in profundum ostendit. Deinde sequitur, ἐν ᾗ οὖν δήποτε τῶν εἰρημένων μορίων ἡ διὰ βάθους διαίρεσις γένηται, θανατῶδες. διὰ τὸ μὴ γίνεσθαι μηδὲ ἐν ἑνὶ τῶν τοιούτων μορίων ἀπούλωσιν. ἀεὶ γὰρ κινοῦνται ταῦτα τὰ μόρια, ἄχρις ἂν σχῇ ἡ φύσις ἐν τῇ ἀπουλώσει ἡσυχίαν, καὶ μὴν καὶ προλαμβάνει ὁ θάνατος τὴν ἀπουλώσεως διὰ τὴν ἀξίαν τῶν μορίων. idest, in quacunque igitur ex prædictis partibus diuisio usque ad profundum facta sit, letale: quoniam neque in una harum partium cicatrix fit. semper enim mouentur hæ partes, donec natura in facienda cicatrice quietem habeat: hoc est, opus est ut natura quietem habeat, donec obducit cicatricē: quia mors cicatricem præoccupat, ob partium dignitatem. Post hæc à Philotheo dubium mouetur, quod à nobis superius absolutum est: tamen nunc eius uerba referre nobis molestum non erit, inquit, ἀπορῦσι δέ τινες λέγοντες, καὶ πῶς ἐπὶ τῶν λιθοτομουμένων διαμπὰξ τῆς κύστεως διαιρουμένης, οὐ γίνεται ἀπώλεια; καὶ λέγομεν ὅτι οὐχ ἡ κύστις, ἀλλ' ὁ τράχηλος τῆς κύστεως διαιρεῖται, ὅς τις καὶ σαρκώδης ἐστί, καὶ διὰ τοῦτο οὐ γίνεται ἀπώλεια. idest, Dubitant autem quidam dicentes, & quomodo in his qui ob lapidem inciduntur uesica utrinque diuisa, interitus non fit? Et dicimus, quod uesica non scinditur, sed uesicæ collum, quod & carnosum est, propter hoc interitus non fit.

ἢ ἐγκέφαλον, idest uel cerebro.] Si & ipsum cerebrum præcidatur, letale. Tu uero intellige cerebri substantiam usque in profundum esse præcisam, uel uentriculos pertingat. Celsus capite uigesimosexto quinti libri, cerebri basim uulneratam inter letalia numerat. Inter illa uero quæ sunt difficilia curatu, ponit uulnus membranæ, quæ cerebrū continet, cuius signa hæc esse dicit, Sin cerebrū, membrana'ue eius uulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, fereque bilis uomitus insequitur, quorundam sensus obtundunt, appellatique ignorant, quorundam trux uultus est, quorundam oculi quasi resoluti, huc atque illuc mouentur, fereque tertio uel quinto die delirīū accedit, multorum etiam nerui distenduntur. Ante mortem autem plerique fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum uulnus frigori obijciunt. Hippocrates uero in primo De morbis libro, hæc dicit: Cerebrum uulnerati si quatiatur, laboretque, uocem, uisum, auditumque intercipit: quod si uulnerēt, bilis, uomitus, febrisque superuenit, & aliquid corporis syderatur, peritque. Nos autem in cerebro uulneratis mira uidimus: in uno qui magnificis Valengis inseruiebat, tanta substantiæ cerebri quantitas exiuit, quantū est paruum gallinæ ouum, tamē euasit: at deinceps probe loqui non potuit, & per trienniū ineptus, & fere stupidus superuixit. Alium uidimus ex Corsica militem, cui fere dimidium capitis cum sua cerebri portione ablatum est, cōualuit: sed nihil recordabatur, loqui non poterat, & erat adeo insensatus, ut nihil uel intelligeret, uel referre sciret: illa solum comedebat, quæ in os ponebantur, totum se constercorabat & commingebat, à consocijs in Corsicam ductus est: an illuc peruenerit, ignoramus. Paulus quoque libro sexto, capite octuagesimo octauo, uulnerati & abscissi cerebri signa describit, inquiēs, uulneratis cerebri membranis dolor capitis ualidus, oculorū incensio, cum linguæ rubore, & mētis alienatiōe est: quod si unà cum ipsis cerebrū quoque ictum sit, homo subito decidit, obmutescit, faciē distorquet, tum bilis uomitus sanguinisque per nares & aures effusio insequit.

ἢ καρδίαν. i. uel corde.] Hi subito pereunt, quibus cor discissum est. nam ut Paulus dicit capite octuagesimooctauo sexti libri, corde uulnerato iuxta sinisteriorē mammā telum non uacuo loco, sed quasi altero quodam corpore exceptū apparet, atque interdum pulsatilem motionē præ se fert, sanguis niger per plagam si detur exitus, fluit, extremæ partes frigescunt, sudor & animi defectus accidunt, ac demū matura mors sequitur. Celsus uero capite uigesimosexto quinti libri, inter insanabilia uulnera, cordis uulnera ponit, quæ his indicijs cognoscūtur, sanguis multus fertur, uenæ languescunt, color pallidissimus, sudores frigidi, malique odoris tanquam irrorato corpore oriuntur, extremisque partibus frigidis matura mors sequitur. Sed unum hic inquisitione dignum est, cur qui corde uulnerātur, ita cito pereant, illico enim mortui corruunt. Omnes ex magna sensibilitate rationem assignant, tamē cor multos neruos non habet. Nos uero præter hanc, aliam rationē assignamus, scilicet quum cor maxime sensibile sit, in ip[illegible] [illegible]sione facta, ad ipsum

ad ipsum tanquam ad arcem totius corporis sanguis illico currit, itaq; impetu & multitudine suffocat. Si nonnihil mucronis cordis abscissum sit, animal per aliquod spatium superuiuere potest. Suem in cordis mucrone uulneratum uidimus, qui per horam ferè superuixit, & comedit, nec ita breui obijsset, nisi iterum uulneraretur.

ἢ φρένας. i. aut septo transuerso.] Celsus capite uigesimosexto quinti libri, septi uulnera inter difficilia curatu numerat: & hæc eius signa esse dicit, Præcordia sursum contrahuntur, spina dolet, spiritus rarus est, sanguis spumãs fertur. Paulus capite octuagesimo octauo sexti libri hæc signa ponit, Inspiratio magna & cum dolore & gemitu fit, per totum spatiũ, quod inter duos humeros continetur: sed unũ signũ est, quod ab his authoribus prætermittit. s. deliriũ. hi etenim delirãt, quibus septũ abscissum est, propterea phrenes, i. mentes à Græcis uocatur: opusq; est abscissionẽ esse effatu dignam, si is obire debeat, cui precisum est: nam & ob motũ suũ, & quia chartilagineũ, cõsolidari non potest.

ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν. i. aut aliquo ex tenuioribus intestinis] cum hec disrũpuntur, adeo exanguia sunt, ut consolidationẽ non admittãt: propterea à Celso eorũ uulnera inter illa numerãtur quæ insanabilia sunt: crassiora nãq; intestina quãdoq; consolidantur disrupta. unde idẽ Celsus eorũ uulnera inter illa cõputat, quæ difficulter curãtur: tamen si uulnus notatu dignũ sit, etiã nõ coalescit. Signa percussi ieiuni apud ipsum hæc sunt: Cibus & potus per locum exeunt uulneratũ, præcordia indurescũt, nonnunq; bilis per os redditur. Crassiora uero intestina, uel stercus emittunt uulnerata, uel eius odorem.

ἢ κοιλίην. i. uel uentriculo.] Hoc enim egregie disciso mors cita consequitur. unde & Celsus precitato loco uẽtriculi uulnera inter insanabilia recẽset: quibus uero huic membro uulnus illatũ est, cibus & potio per uulnus exeũt, precordia indurescũt, nonnunq; bilis per os reddit: sunt eadẽ signa, quæ in intestinorũ graciliũ uulnere cõtingebant. At quia in intestinis gracilibus nihil aderat, propterea nec cibus exit, nec potus, ut in uẽtriculo facit, nec stercus aut stercoris odor, ut in crassioribus intestinis cõtingit: unde Paulus capite lxxxviij. sexti libri, inquit, ex uentriculo succus, ex intestinis stercus egredit: sed opus est alia intestina, & non gracilia intelligere. Aliqui sunt qui per κοιλίην, uẽtrem intelligant: decipiunt uero, quoniã qui uulnus etiã sæuũ in uentre habuerint, modo intestina læsa nõ sint, neq; uẽtriculus, facile sanant. Propterea Oribasius dubitat, inquiẽs, Sed falsum uidet esse qđ dicit Hipp. scimus enim intestino inciso & uentre, sæpius euasisse & superuixisse hominẽ, ut sæpe in bello accidit. Respõdemus (inqt) aliud esse præcisionẽ, aliud incisionẽ, atq; aliud percussionẽ. percussio est, quãdo aliquid horũ pungitur, non tamẽ diuiditur, ut si aliquis in uentre pũgatur, & non in intestinis. Nam tria in se continet uenter, in medio est caro, intus & foris sunt nerui: & hoc prouida natura facit, ut caro illa calefaciat cibum, & nerui extendantur, quoties multũ comedimus. Item caro illa adunata totã se consolidat, quoties pũctio huiusmodi fuerit. Incisio est, quoties membrũ inciditur, non tamẽ diuidit. Præcisio uero dicitur, quoties mẽbri continuatio diuisa fuerit, quõ nunc dicit Hipp. Si quid ex his membris præcisum fuerit, letale est: quia sunt quædã principia, sine quibus natura subsistere nõ potest. At nos intelligimus etiã abscissum, & si præcisum nõ sit: & per uocabulũ κοιλίην, hic uẽtriculũ intelligimus.

ἢ ἧπαρ, θανατῶδες. i. uel iecur, letale.] Celsus capite uigesimosexto quinti libri, iocineris uulnera inter difficilia curatu numerat, & hæc signa recẽset, Multus sub dextera parte præcordiorũ profusus sanguis, ad spinã reducta præcordia, in uentrẽ cubandi dulcedo, punctiones, doloresq; usq; ad iugulũ, iunctũq; ei latus scapularũ, os intentũ, quibus nonnunq; etiã biliosus uomitus accedit. Imò nos superioribus diebus duos in cura habuimus, quibus iecur uulneratũ fuerat (ut post eorũ mortẽ uidere licuit) hi quotidie bilem euomebãt, & intẽsissima febre ardebãt, tussiq; cõtinua afficiebant. Alterũ & nuper curauim⁹, qui gibbã iecoris partẽ cõtusam ex equi calce habebat, perijt hic, & cũ maxima siti atq; æstu bilẽ cõtinuo uomebat, nec ullo pacto excernere poterat. Heri illustriss. Renata Ferrarię ducissa iussit, ut famulũ quendã Gallũ repẽte mortuũ aperiri facerẽ, ut qua morte obierit, decerni posset: in iecoris gibbo hulcus inuentũ est, quod ad suppurationẽ puenerat. Vt uno igitur uerbo expediã, iecoris hulcera, atq; uulnera letalia sunt.

GALENVS

HOC VERBVM Letale, sæpius dixit in alijs, & in hoc ipso libro de his qui

ex necessitate sunt morituri. Sæpius autem & in his qui magna ex parte. Quare neque nunc est manifestum, si omnino secuturam mortem discissis his partibus, uelit ostendere, uel in quibusdam raro hominem seruari contingat. Quod quidem igitur cor uulneratum mortem affert necessario, unum ex his est quæ in confesso habentur: non tamen in alijs æque recipitur, uulnus quodcunque mortem afferre ineuitabilem, sed illud quod magnum est atque profundum, quod rationabile est à uerbo discissa, significari, ut tota uesicæ tunica diuisa usque ad spaciũ interius intelligatur, atque in singulis alijs eodem modo. In uesica quidem, cõfessum tale uulnus non coalescere, sicuti & in parte septi neruosa, & in tenuibus intestinis. In uentriculo autem dubitatur: nam quosdam in eo uulneratos dicunt aliquãdo, sed raro, fuisse sanatos. Hepatis autem non solum profundum uulnus in fibris eius factum, sed etiam fibram abscissam aiunt fuisse sanatam: neque nos latet quod in libro De uulneribus exitialibus, quædam ex his eius libri autor conatur sanare. Quod uero partes ipsæ diuisæ agglutinari nõ possint, in corde quidẽ, ac septo transuerso ex iugi eorum motu cõtingit. In uesica autem, quia neruosa est ac tenuis & exanguis. eius profecto collum uidemus quotidie sanari quum lapis extrahitur, quoniã carnosum est. Hepar uero uulnera habet plurimo manantia sanguine, atque idcirco mori anticipant, qui ita sunt uulnerati, prius quàm uulnera agglutinẽtur: dixi autem sic, uolens intelligi etiam uenam esse dissectam. Ob hoc ipsum igitur qui uulnera in summa eius parte consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, uerum uidentur dicere. Cerebrum autem uulneratum sæpius sanatum uidimus, & semel & bis in Smyrne Ioniæ, uiuente adhuc præceptore Pelope, & erat uulnus satis effatu dignum. Hoc igitur rarissimum est. Verum autem est, magna uulnera, quæ consueuit Hippocrates nominare discissiones, afferre mortẽ, & fatentur omnes quod uulnera cerebri quæ usque ad aliquid in uentriculos penetrant, etiam afferũt mortem. Tenuium autem intestinorum natura, & uentriculi magis non parũ participant carnosæ substantiæ, & ideo in summa parte uulnerata sæpius agglutinantur: tota autem discissa usque ad eorum cauitatem, rarissime. Hoc autem non ut mihi uidetur propter eorum substantiam accidit, sed quoniam non possumus æque intrinsecis, sicuti extrinsecis imponere uulneribus medicamentũ. Quapropter per potiones conatur author libri De uulneribus perniciosis inscripti, siue Hippocrates fuerit, siue quis alius, sanare uentriculum.

Collũ uesicæ sanari uidemus ... (marginal handwritten note, partly illegible)

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hoc uerbum letale, quandoque ab Hippocrate de his dici, qui necessario sunt morituri: quandoque de his qui magna ex parte, propterea dubitare oportet quomodo in hoc loco Hippocrates intelligendus sit. An his partibus abscissis mors necessario cõsecutura sit, uel in quibusdam homo saluetur, licet id raro cõtingat.

SECVNDO docet, apud omnes in confesso esse, cor uulneratũ mortem afferre: imò adde, & festinam. Sed de alijs enumeratis partibus æque uerum non uidetur, quod ad earum abscissionem ineuitabilis mors consequatur: sed solum si magnum fuerit uulnus & profundum, consequitur, ut illud uerbum διακοπείη, idest discisso, ostendit.

TERTIO docet, in uesica intelligendum esse, quod eius tunica usque ad spatium interius discissa sit, & ita in alijs partibus, quoniam illa uulnera in uesica non consolidantur, sicuti etiam aliæ nerueæ partes consolidari non possunt: unde neque pars neruosa septi transuersi, neque tenuia intestina consolidationem admittunt: sed de uentriculo ab aliquibus antiquioribus dictum est, nonnullos esse sanatos, sed raro. Iidem dicunt, non solum profundum iecoris uulnus fuisse sanatum, sed alicui integram fibram abscissam, & tamen fuisse sanatam. Et ipse Galenus librũ De uulneribus exitialibus legit, in quo author huius libri talia quędam uulnera sanare conatur. Nos hunc librum non habemus.

QVARTO rationem reddit, cur hæ partes ab Hippocrate enumeratæ, cõglutinari non possint: in corde enim & septo trãsuerso ob iugem motum id cõtingit. Vesica uero non conglutinatur quia neruea, tenuis & exanguis: in collo aũt, quia carnosum est, uulnera conglutinanť, ut quotidie in lapidis eductiõe uidere licet. Iecur uero nõ conglutinatur, quia ut plurimũ uulnera habet sanguinẽ manãtia: & ideo hi prius moriũtur, quàm uulnera agglutinẽtur. hoc aũt dixit Galenus, ut notaret etiã uenam esse dissectam. & ideo infert

Galenus

Galenus, neq; illos uerum dicere, qui dicunt, uulnera in summa iecoris parte consistentia sanari: & minus illi qui dicunt, fibras iecori esse ablatas, & fuisse sanatos.

Quod legitur, Qui uulnera in summa eius parte cōsistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse: Græce habetur, ὅτι οἱ τὰς ἐπιπολῆς αὐτοῦ τρώσεις ἰᾶσθαι λέγοντες, ὅτι οἱ τοὺς λοβοὺς ἀφῃρηκέναι. idest, Neq; qui uulnera in summa eius parte consistentia aiunt sanari, neq; qui fibras hepatis abstulisse. ita habent cōtextus Aldinus, & antiquus noster in secunda lectione, quam probamus; nam in prima non habebat ὅτι, sed οἵτε.

QVINTO dicit, sæpius se uidisse cerebrum sanatum ex uulnere, & semel in Smyrna Ioniæ, & erat uulnus effatu dignū, quum adhuc uiueret eius præceptor Pelops: sed dicit hoc esse rarissimū; tamen notat magna uulnera, quæ Hippocrates discussiones nominare consueuit, mortem afferre: omnesq; fatētur, uulnera omnia quæ usq; ad aliquid in uentriculos penetrant, esse letalia. De cerebro & eius utilitate Galenus diffuse agit octauo De usu partium libro.

Quod legitur, Et semel & bis in Smyrna Ioniæ: in antiquo nostro contextu eodem modo legitur, καὶ ἅπαξ καὶ δὶς ἐπὶ τὴν ἰωνίαν ἐν σμύρνῃ. Sed Aldinus contextus, quem in hac re magis probo, solum legit, καὶ ἅπαξ ἐν τῇ ἐπὶ τὴν ἰωνίαν σμύρνῃ. idest, Et semel in Smyrna Ioniæ, ut illa particula Et bis, uacet.

Quod etiam legitur, Verum autem est quod magna uulnera quæ consueuit Hippocrates nominare discissiones, afferunt mortem. in hac parte hæc particula Quod, superflua est: nam Græce habetur ἀληθὲς δὲ τὸ τὰς μεγάλας τρώσεις οἵας περ εἴωθεν ὁ ἱπποκράτης ὀνομάζειν διακοπὰς, ἐπιφέρειν θάνατον. idest, Hoc autem uerum est, magna uulnera, quæ consueuit Hippocrates nominare dissectiones, afferre mortem.

Quod statim sequitur, Et fatentur omnes uulnera cerebri: lege, Et fatentur omnes quod uulnera cerebri. Deniq; rationē reddit, cur tenuia intestina & uentriculus non coeant, si in summa parte uulnerentur, sæpe agglutinantur, quia sunt carnosæ substantiæ. Si uero usq; ad eorum cauitatem fiat uulnus, rarissime sanantur: uerumtamen hoc non prouenit ex eorum substantia: sed quia non possunt medicamenta intrinsecus apponi, sicuti extrinsecus possunt: unde author libri de uulneribus exitialibus; uel sit Hippocrates, uel quis alter, has partes per potiones sanare docet.

Quod in fine Commentationis legitur, Sanare uentriculum: in contextu Aldino, & in nostro antiquo eodem modo legitur θεραπεύειν τὴν κοιλίαν. In alio autem Græco contextu solum legitur θεραπεύειν, & abest particula κοιλίαν, quod magis probo. nam illius libri author per potiones sanare conatur, tam uentriculi uulnera, quàm tenuium intestinorum & crassorum, & iecoris, & omnium locorum, idest partium nostri corporis affectarum, quæ intus sunt, & sensum effugiunt.

APHORISMVS XIX

QVum discissum fuerit os, aut chartilago, uel neruus, aut genæ particula tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coalescit.

BRASAVOLVS

SICVTI in humano corpore membra sunt, quæ incisa mortē afferre solent: ita alia sunt, quæ quum inciduntur, & si mortem non afferant, tamen nec crescunt, nec consolidantur: tum quia sunt membra seminalia, quę uires imbecillas habent, tum quia frigida sunt, & eorum nutrimētum difficulter transmutatur. Propterea ab Hippocrate non abre dicit, si os discissum fuerit, aut chartilago, aut neruus, aut tenuis genæ particula, aut præputiū: aut supple tu, aliud membrū ex seminalibus neq; augeē, neq; coalescit. Oribasius membrorū distinctionē facit, q alia neruosa, alia musculosa, alia carnosa, alia ossea, alia uenosa. Hippocrates ergo in omnibus uerax, nunc ostēdere uult, quę sint ea mēbra in corpore nostro, quę incisa nō sananē. & dicit, Omne quod neruosum est, si præcidaē, difficile ad integritatē reuocaē: nisi forte locus ille circūdatus fuerit carne, quę carni adunetur. Illud tamē simile nō est, cū uideamus collū uesicæ incidi, uel ipsam etiā uesicam,

quando

quando calculi extrahuntur: tum enim in longum finditur, ea parte qua est caro, quia caro maxime adunat, & conglutinat locum, quando id quoque difficile fiat.

ἐπὴν διακοπῇ ὀστέον. idest, Cum discissum fuerit os.] De ossium fracturis libro quinto, aphorismo uigesimosecũdo ubertim disseruimus. Ossa totius nostri corporis basis sunt & fundamentũ, frigida & sicca, & membra seminalia, quæ si frangantur, uel incisa sint, per uiam primę intentionis sanari non possunt, Galeno in Arte medicinali, capite nonagesimoprimo dicente, Fractio igitur est continuitatis in osse solutio, quæ quantũ ad intentionẽ primam insanabilis existit: quo ad secundam uero quodammodo sanabilis fit. Prima igitur intentio est coalitus partium, qui ob ossis duritiem fieri non potest, secũda alligatio, quæ fit callo supernato partes fractas alligante. Docetque hunc callum habere communem materiam, sed quo ad formam, habere formam propinquam ossi, hunc callum Arabes uocant orasboth. Ossa ergo non coalescunt, neque conglutinantur, nisi per uiam secundæ intẽtionis, per uiam primæ intentionis minime. Opus ergo est hæc intelligere in uiro qui ossa habeat non amplius crescentia: nam in pueris ossa coalescere possunt, Galeno in prædicto loco dicente, Molle uero & puerile os coalescere potest, sed perraro fit talis affectus, quin cum altero societur. Celsus de his fracturis octauo libro agit. Philotheus dicit non coalescere ossa διὰ ὑπερβολὴν ξηρότητος, ὡς ἀεὶ ῥίζας μὴ ἔχοντα. idest, ob excessum siccitatis, sicut radices semper non habentia.

ἢ χόνδρος, idest uel chartilago.] Quę & ipsa frigida & sicca est, & seminale membrũ. Oribasius per chartilaginem illam intelligere uidetur, quæ est narium distinctio, tamen nos omnem chartilaginem intelligendã ducimus, quæ & ipsa per uiam secundæ intentionis consolidatur, & non per uiam primæ, & in uiro intellige, quia si in puero ossa coalescere possunt, & in eodem puero chartilagines coalescere nihil impediet.

ἢ νεῦρον, idest uel neruus.] In multis contextibus hæc particula non ponitur, tamen subintelligenda est, & eodem modo per uiam primæ intentionis non coalescit, & in uiro, non autem in puero.

ἢ γνάθου τὸ λεπτόν. idest, Vel genæ particula tenuis.] Quum & apud Græcos γνάθος, & apud Latinos gena duo significet, & carnem maxillam tangentẽ, & pelliculam oculum protegentẽ, tam in uno quàm in altero uerum est, quod incisa non coalescũt, quia sunt neruosæ partes. Oribasius intelligit carnem maxillam tegentem: intelligitque potissimum hoc uerum esse circa labia, quæ sunt magis neruosa: unde per particulam tenuem secundum Oribasium labia intelligere oportet. At si oculi tegmentum intellexerimus, opus erit eius extremitatem intelligere, quæ magis neruosa est, & hæ partes etiam per uiam primæ intentionis non coalescunt, uel id raro fit, sed labra aperta remanẽt, & scissura perpetua in gena uidetur. Philotheus uero dicit, ἰστέον δὲ ὅτι γνάθου τὸ λεπτόν ἐστιν τὸ μεταξὺ δέρμα τῆς τε ἄνω γένυος, καὶ τῆς κάτω, καθὸ ἐστὶ τὸ μυῶδες πλάτυσμα. idest, Sciendum autem quod tenuis pars malæ, est pellis media inter superiorem & inferiorem genam, quoniam est musculosa latitudo: ut ipse per genam tam superiorem quàm inferiorem pelliculam oculos tegentem intelligat.

ἢ ἀκροποσθίη, idest uel præputium.] Est uero præputium (ut Philotheus inquit) τὸ ἄκρον τῆς βαλάνου. idest extrema pars glandis, quæ non coalescit, nec augescit, quia neruosa, & quia nõ adest caro (ut Oribasius inquit) per quam possit nutriri. At si Philotheus præcise glandem intelligat, uerum non est, quod ipsa sit ἀκροποσθίη, idest præputium: quia præputium est pellicula quæ extremam glandis partem contegit, quam Hebræi omnes præcisam habent, unde & recutiti uocantur. Si Philotheus ita intelligat, ab eo non dissentimus; si uero præcise glandis extremum intellexerimus, ab eo dissentimus, quia nos intelligimus uerum præputium, idest pelliculam illam glandem contegẽtem, quæ pellicula plerunque etiam incisa per uiam secundæ intentionis non coalescit. Philotheus de his omnibus dicit non coalescere οὐ μόνον διὰ τὸ νευρώδη καὶ λεπτὰ εἶναι, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ ἀφίστασθαι αὐτῶν τὰ χείλη, καὶ τῇ ἀλλήλων τρώσει, οὐκ ὀλίγον. ἢ καθόλου δεῖν εἰπεῖν ἐπ' αὐτῶν διὰ τὸ ἐκ σπέρματος ἔχειν τὴν γένεσιν. idest, non solum ob id quod neruosa & tenuia sunt: sed ob id etiam quod recedunt ipsorum labia & uulneratione non parum ab inuicem distant, uel ut uniuersaliter in ipsis dicamus, ob id quod ex semine generationem habent.

οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται. idest, Neque augetur, neque coalescit.] Nullum ex præscri-

ptis membris incisum augetur, uel coalescit, quod in uiro iam maturo intellige, & non in puero. Est uero augmentum (ut Galenus dicit) & augeri, talis substantiæ generatio, qualis abscissa est, ut in cauis hulceribus fit, in quibus caro augetur: unde à Philotheo ita definitur, αὔξησίς ἐστιν ἡ τοῦ λείποντος ἀναπλήρωσις, idest augmentum est deficientis supplementum. Coalescere uero (ut Galenus etiam dicit) est quãdo discissa corporis labra agglutinantur; & hoc per uiam primæ intentionis, ut per ipsas partes fiat, & non per aliud tertiũ, quam Philotheus ita definit, σύμφυσις δὲ ἡ τῶν διεστώτων χειλέων ἕνωσις καὶ κόλλησις ἐν οἷς ἀποτομῶν τῶν μορίων γίνεται διαμπὰξ διαίρεσις, idest, coalescentia autem est seiunctorum labiorum unitio, coniunctio, & partium cõglutinatio, in quibus in totum facta sit utrinq; diuisio. Scito igitur in nostro corpore ex his quæ inciduntur, & restaurari possunt per primã uel per secundam intentionem duo extrema inueniri: unum est mollissimum, aliud durissimum: mollissimum est caro, durissimum os, quod non potest coalescere, neq; augeri effractum, nisi in pueris quandoq;. Caro autem in omni ætate coalescere potest, & augeri: reliquæ partes quãto magis ossi appropinquant, tanto difficilius augentur & coalescunt: quanto magis carni proximæ sunt, tanto facilius coalescunt & augentur: sed in genere neruosa omnia atq; seminalia uere coalescere non possunt, nisi in pueritia: ut ex Galeno in libro Artis medicinalis, superius dictum est: imò nec istud in omnibus pueris. Si uero petas cur aliqua coalescant, & alia non coalescãt: ex his quę sequuntur, ratio sumi potest. primo mollities est causa coalitus: nam quod molle est aliqua quæ sibi miscentur, facile recipit, & facile cõglutinatur. secundo caliditas causa est, cur membra facilius coalescant: nam intensa caliditas & nutrimẽtum attrahere potest, & etiam in nutrimenti naturam conuertere: econtrario membri frigiditas causa est, cur non coalescant. tertia causa est facilitas nutrimenti: nempe id nutrimentum quod facile conuertitur, facile etiam coalescere facit. Intellige uero per nutrimenti facilitatem, aptitudinem ad facile nutriendum. Si uero dubites, cur Hippocrates his duobus uerbis usus sit, αὔξεσθαι καὶ ξυμφύεσθαι, idest augeri & coalescere, Respondemus, cum & ossa & reliquæ enumeratæ partes dupliciter discindi possint: uno modo ossis partẽ auferendo, alio modo solum scindendo, ob primum dixit, augetur: quoniam os augeri non potest, sicuti caro facit. Et hoc intellige in uiro, nam in puero an augeri possit, dubium est. Ob secundum uero dixit, non coalescere, idest simul non agglutinari per uiam primæ intentionis, licet per uiam secundæ intentionis agglutinentur.

GALENVS

AVGERI uocat talem aliquam generari substantiam, qualis abscissa, sicuti in cauis hulceribus uidetur caro germinare. Coalescere autem quando discissi corporis labra agglutinantur. Quod quidem neq; cartilago, neq; os generentur, est in confesso. An uero agglutinentur, nonnulli dubitant. Inquiunt enim perspicuo uideri ossa perfracta agglutinari. Hi uero aberrant & doceri possunt in brutis, quorum pars aliqua fracta contraxit callum. Hæc enim seu uiua, seu mortua, si quis uelit inspicere dissecando, uidebit manifeste à callo quodam, ueluti uinculo circunscripto partes ossium discissas esse constrictas, quas si abraserint, fracturæ profundũ uidebunt non glutinatum. Sic igitur de his quæ diximus ambigunt, nonnulli augeri dicentes, non tamen coalescere: quidam uero etiam coalescere, sed raro augeri. Igitur illa desiderant, quæ per exesum sunt ulcerata, & nullum uidi taliter affectum cui nõ increuerit caro. Agglutinari autem illa quæ diuisa sunt, & non discissa. Hæc enim inuicem differunt, quum discissa diuisionem habeant usque ad finem peruenientem, quæ nunc Hippocrates inquit non coalescere, non ob id tantum quod neruosa sunt, atq; tenuia, sed quoniam etiam ex eo quod talem habent naturam, labra uulneris non sunt parum distantia inuicem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem dicere αὔξεσθαι, idest augeri, quando talis substantia generatur, qualis illa quæ abscisa est. ξυμφύεσθαι, idest coalescere autem, quando labia discissi corporis agglutinantur.

SECVNDO docet, apertissime constare, neq; chartilaginem, neq; os generari, sed an agglutinentur, ab aliquibus dubitatur, imò dicunt fracta ossa agglutinari, & hoc esse perspicuum.

TERTIO Galenus hoc reprehendit, nam si quis brutum animal dissecet uel mortuum uel uiuũ, cuius pars aliqua fracta callum contraxerit, is manifeste uidebit callum fractas ossis partes tanquam uinculum ambire atq; constringere. At si abraserit, fracturæ profundum non glutinatum inueniet.

QVARTO Galenus refert quosdam esse, qui de his quæ dixerat ambigunt, ut nonnulli uoluerint hæc augeri, sed non coalescere: alij uero coalescere quidem, sed raro.

Vbi legitur, Sic igitur de ijs quæ diximus ambigunt, nonnulli augeri dicentes: duæ particulæ desunt, una est cõiunctio Et, alia hæc particula Aliqui. Græce enim habetur, οὕτω δὲ καὶ περὶ τῶν εἰρημένων ἀμφισβητοῦσι τινὲς, οἱ μὲν αὔξεσθαι λεγόντων. idest, sic igitur & de ijs quæ diximus ambigunt aliqui, nonnulli quidem augeri dicentes.

Vbi legitur, Sed raro augeri: hæc particula Augeri, huic coniungenda non est quæ dicit Raro, sed sequẽti particulæ quæ dicit, Igitur illa desiderant. nam legi debet, Augeri igitur illa desiderant. Illa autem particula Raro, per se sola relinquenda est. Etenim Græcus contextus ita habet, τινὲς δὲ γε καὶ σπανίως καὶ συμφύεσθαι. idest, quidã uero etiam coalescere, sed raro. Postea sequitur, τὰ μὲν οὖν αὔξεσθαι δεῖται τὰ κατὰ διάβρωσιν ἡλκωμένα δέονται. idest, illa igitur augeri desiderant, quæ per exesum sunt exulcerata.

QVINTO illa augeri docet quæ exesa sunt & in carnem: nunquam hominem uidit qui exesus fuerit, cui non creuerit caro. Illa uero agglutinantur, quæ diuisa sunt, & non discissa. nam hæc differunt, quia discissa diuisionẽ habent usq; ad finem, quam non est opus habere diuisa. Hic Hippocrates de discissis dicit, quod non coalescunt. & hoc non solum ob id quod neruosa sunt & tenuia: sed etiam quia cum labia uulneris talia sint, ab inuicem plurimum distant.

Quod legitur, Et non discissa: eodem modo in Aldino contextu negatiue habetur, καὶ οὐ τὰ διακεκομμένα. Sed noster antiquus contextus affirmatiue legit, scilicet καὶ τὰ διακεκομμένα, exquisitius uidetur, si negatiue legamus: tamen & affirmatiuus cõtextus in rectum sensum duci potest.

Quod etiam legitur, Sed quoniam & iam ex eo quod talem habent naturam: Græce habetur, ἀλλὰ καὶ ὅτι τοιούτων αὐτῶν ὄντων. idest, sed quoniam cum sint talia.

Quod sequitur, Labra uulneris non sunt parum distantia inuicem: Græce est, ἀφίσταται τὰ χείλη τῆς τρώσεως ἀλλήλων οὐκ ὀλίγον. idest, labra uulneris non parum inuicem abscedunt. Tu uero si de his exquisitiorem doctrinam habere cupis, Galenum legas in libro De semine, qui ubertim harum rerum rationes affert.

APHORISMVS XX

SI in uentrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

BRASAVOLVS

QVVM sanguis propria uasa & proprias cauitates exierit, semper conglobatur, & si extra corpus sit, tẽporis spatio putrescit: si uero in corpore contineatur, sed extra propria uasa, citius putrescit, ob naturalem calorem qui ad putredinem incitat, quando uenas exiuerit. nam tunc à suæ naturæ regimine derelictus est: & hoc non solum facit sanguis, sed & lac & semen. Vnde quũ Philotheus huius aphorismi causam reddit, inquit, τὸ αἷμα καὶ τὸ σπέρμα καὶ τὸ γάλα ἐκ τῶν οἰκείων τόπων γινόμενα θρομβοῦνται καὶ σήπονται. idest, Sanguis & semen & lac ex proprijs locis exeuntia conglobantur uel grumescunt & putrescunt.

ἢν ἐς τὴν κοιλίην αἷμα ἐκχυθῇ παρὰ φύσιν. idest, Si in uentrem sanguis præter naturam effluxerit.] Intellige si sanguis proprias cauitates, hoc est uenas ipsas exierit, tamen in corpore maneat. Per uentrem uero omnes corporis cauitates intellige, ad quas sanguis qui uenas exierit, peruenire potest, quamuis uocabulum κοιλία, idest uenter, inferiorem uentrem significet: & ut Galenus in Cõmentatione edocebit, in aliquibus aphorismorum libris, communiter id uocabulum uenter intelligitur, quia non habet articulum: in aliquibus articulus adest, & tunc uentrem particulariter annotat, tamen probat

ut commu-

ut cōmuniter accipiatur, quam sententiā & Philotheus secutus est, inquiens, τινὰ ἔχουσι τὸ ἄρθρον, τινὰ δὲ οὔ. καὶ εἰ μὲν ἔχουσι τὸ ἄρθρον, περὶ τῆς σιτοδόχου γαστρὸς ὁ λόγος. εἰ δὲ οὐκ ἔχει, περὶ πάσης κοιλότητος, καὶ ἐπ' ἀμφότερα ἀληθὴς ὁ λόγος, καθ' ἣν γὰρ ἐκχυθῇ σήπεται. idest, Quidam (scilicet aphorismorū contextus) articulū habent, quidā non habent: & si quidem articulū habeant, de uentre cibi cōceptaculo sermo est: si uero non habeāt, de omni cauitate, & in utroq; sermo uerus est. ad quęcunq; enim effluxerit, corrūpitur. Oribasius uero omnē cauitatē intelligit, inquiens, Hippocrates in hoc aphorismo omnes cauitates uentris, uentriculū appellauit: dicitq;, si extra uasa exierit sanguis detentus, in concauitate alia tabefacit, & inficit calorē naturalē, & quia pręter naturā est, suppuratur, & in saniē conuertitur. per saniem uero, omnē humorē à uenis exeuntē intellige, sed potissimum sanguinē, utpote qui ob caliditatē & humiditatē, quam habet, facile ptrescit, prę sertim quando est in loco non suo, & sibi improprio, in quo à natura regi non potest & cōseruari. Scitoq; id quod dicitur præter naturā, ad uentrē applicari posse, & ad sanguinē, ad uentrē, quia præter naturā est uentris & cōcauitatis quæ non sit uena, sanguinem recipere, & præter naturā sanguinis, qui non est naturalis si uenas exit, uel hoc non est sibi naturale exire uenas, & in locum alium transire, & hic est Galeni sensus.

GALENVS.

QVIDAM sine articulo apud Græcos uentrem scribunt, uolentes omnem significari cauitatem, quibus adstipulatur, quod præter naturā adijcitur, per quam adiectionem tale quid ostendit Hippocrates: si unquam sanguis à propria cauitate in aliam quamcunque peruenerit, ut sanguis permaneat est omnino impossibile. Sic igitur & in inflammationibus, & illis, quas Græci ἐκχυμώσεις nominant, fieri uidetur. In inflammationibus quidem per minimas partes disperso sanguine ad eas quæ sunt in musculis cauitates, quas sola ratione cōtemplamur, in ecchymosibus autem, in spacia effuso quę uasis circūiacent. Suppurari autem non est recte dictum, cum nomen sit unius mutationis in sanguine factæ, quare nonnulli ipsum ad generalius transferunt, ad corrumpi uidelicet, hoc ab ipso dicētes significari. Sic enim uidetur fieri non permanere sanguinē, cum à suo loco exciderit naturali, sed aliquando quidem suppurari, aliquādo uero liuescere, aliquādo in grumos uerti, præsertim quādo in magnā cauitatē exciderit præter naturā.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quosdam sine articulo κοιλίην, idest, uentrem, & non τὴν κοιλίην legere, dicentes, sine articulo omnem cauitatem significari, & non solum cauitatem, in qua recipitur cibus: & hi argumentum habere possunt, illam particulam, præter naturā, quæ in Hippocrate hunc sensum facit. Si quandoq; sanguis à propria cauitate, in aliam quācunq; peruenerit, impossibile est, quod sub forma sanguinis permaneat, unde eodē modo fieri uidetur, & in inflāmationibus, & in ἐκχυμώσει, idest, sanguine collecto in contuso loco. nam in inflāmationibus sanguis per minimas partes ad musculorū cauitates dispergitur. has aūt cauitates oculis non percipimus, sed mente ipsa concipimus, in ecchymosibus uero sanguis in spatia effunditur, quæ uasis circumiacent.

SECVNDO docet non recte dici suppurari, quia nomē est unius solius mutationis in sanguine factæ. Ideo nōnulli generalius exponunt, scilicet corrūpi, unde cū sanguis à suo naturali loco exit, non permanet sanguis, sed quandoq; suppuratur, quandoq; liuescit, quandoq; in grumos uertitur, & hoc potissimum si in magnam aliquam cauitatem præter naturam exciderit, tamē in processu temporis semper corrumpitur & putrescit.

Quod legitur, Aliquando uero liuescere, in Aldino contextu habetur ποτὲ δὲ μελαίνεσθαι, idest, aliquādo uero denigrari. sed noster antiquus contextus duas lectiones habet, & hanc μελαίνεσθαι, & aliā quæ dicit ποτὲ δὲ πελιδνοῦσθαι, idest, aliquando uero liuescere, quam lectionem Leonicenus habebat, probamus nos legendum esse nigrescere.

APHORISMVS XXI

IN insanientibus si uarices, uel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

BRASAVOLVS

INFERIORES partes à superioribus diuertere nulli dubiū est. Si igitur aliqui insani sint, cum insania in capite fiat, si uarices superueniant quæ in cruribus sunt, uel hæmorrhoides profluant, quæ circa anū sunt, soluitur insania: quia materia, quæ in capite prius erat, ad has infimas partes diuertitur, & etiam euacuatur, unde per has (ut Oribasius inquit) fit de superiore parte ad inferiorem morbi solutio.

τοῖσι μαινομένοισι. idest, In insanientibus.] Ita Theodorus, Hermolaus, & alij, hoc uocabulū μαινομένοισι interpretantur. nam in helleboro nigro Dioscorides dicit iuuare μελαγχολικοὺς, μαινομένους, idest, Melancholicos interpretantur, & insanientes. Celsus capite decimooctauo tertij libri de tribus insaniæ generibus agens, multas melancholię species complectitur, sed de his tertio libro egimus. hic secundū Galenū intelligere debemus insanos melancholicos, non furibundos à flaua bile agitatos. Philotheus quoq; melancholiā hic intelligendam iudicat, inquiens, νῦν μανίαν, τὴν μελαγχολίαν λέγει καταχρώμενος, ἥτις ὑπὸ μελαγχολικοῦ χυμοῦ γίνεται. ἡ γὰρ κυρίως μανία ἔκστασις ἐστὶν τοῦ λογισμοῦ ὑπὸ ξανθῆς χολῆς γινομένη. idest, Nūc uocabulo abusus maniam melancholiā uocat, quæ in melācholico humore fit, proprie enī Mania, alienatio est cogitatiōis ex flaua bile facta.

κιρσῶν. idest, Si uarices.] quæ sunt uenæ latiores (Oribasio etiam teste) quas sępius per genua ad pedes descendere uidemus. Sunt autem uenæ ipsæ, quæ ob laborem effectæ sunt latiores, uel quia stēt, quales in baiulis & rusticis circa crura sæpe uidemus: implentur facile, & magna ex parte, humore melancholico graui, apto descendere & uenas extendere. An uero solum circa crura fiant, dubiū uidetur. Plinius libro undecimo capite quadragesimoquinto inquit uarices in cruribus uiro tantū, mulieri raro. Tamen constat uenas etiam in inguine tumescere, in temporibus, in uentre, in testibus, immo à Græcis κιρσοκήλη unum genus ramicis à uarice uocatur. Recentes herniam uaricosam nominant, Latini uaricosum ramicem, quoties uenæ præter modū repletę cōglomerantur, & medici huic generi curam adhibent, nam inciduntur, & extrahuntur. Si quis cupiat sanari ab his quæ in cruribus sunt uaricibus, supra tabulam ligatur, ne dolore percitus refugiat, postea in duobus alligatis capitibus, id totum quod inter ligaturas interiacet, excarnatur, & abscinditur. Plinius loco pręcitato dicit, Caium Marium, qui septies consul fuit, stantem sibi extrahi passum, unum hominē, Oppius author est. Illud addendum, ex uno tantum crure passum esse extrahi: ex altero recusasse, dicentē medicinam morbo esse grauiorem. Cicero in Tusculanis quæstionibus idem testatur. Quāuis igitur in alijs partibus intumescant, tamen in cruribus potissimum apparēt. Ab Aristotele ἰξίαι dicuntur, quamuis alij κιρσοὺς uocent, & Plutarchus in Marij uita hoc nomine ἰξία usus est. Nonnulli ita distinxere, ut ἰξίαι sint in cruribus solum, κιρσοὶ, in toto corpore, & etiam in cruribus. Vna herba est, quæ à uaricibus nomen sortitur, nempe κιρσίον dicitur, alias illam esse putauimus, quæ uulgo buglossa uocatur.

ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγινομένων. idest, Vel hæmorrhoides superuenerint.] idest, Sanguinis defluxus ex hæmorrhoidibus, de quo alias in hoc libro egimus.

τῆς μανίης λύσις. idest, Insaniæ solutio.] hic enim per Maniam insaniam intelligere oportet, de qua in prima aphorismi particula loquebamur, quę ab atra bile facta sit, & nō à bile. fit uero solutio, quia materia ad oppositum locum diuertitur, & euacuatur, unde & à Philotheo dicitur insaniam solui τῷ λόγῳ τῆς ἐκκρίσεως τοῦ χυμοῦ, καὶ τῷ λόγῳ τῆς μεταστάσεως. καὶ ἡ μὲν μετάστασις δηλοῦται διὰ τῶν κιρσῶν, ἡ δὲ ἔκκρισις, διὰ τῶν αἱμοῤῥοΐδων. idest, Ratione secretionis humoris, & ratione transmutationis. & transmutatio quidē per uarices ostenditur, secretio uero per hæmorrhoidas, quandoq; tamen & per uarices, & per hæmorrhoidas fieri potest.

GALENVS

HIC insaniam illam quæ proprie melancholia dicitur uocat, non illum qui fit ex bile furorem. Est autem uarix cum uenæ latiores fiūt in coxis, & cruribus, quod ex crasso, & melancholico humore contingit, adeo quod pellēte natura ad partes ignobiliores eos qui insaniam efficiunt humores, & præsertim cum melancholici fuerint, ac crasi, dictarum sequitur passionum generatio, & insaniæ solutio.

Brasauolus

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in hoc loco ab Hippocrate uocari μανίαν, idest, Insaniam illam, quæ proprie dicitur melancholia, quæ ab atra bile fit, & non illam quę fit ex bile, quæ furor à Latinis nuncupatur.

SECVNDO docet, Varices esse latiores uenas in cruribus & coxis, quæ ex crasso & melancholico sanguine ita fiunt, natura etenim ad has ignobiliores partes humores insaniã faciẽtes pellit, & præcipue cum fuerint melancholici & crassi, p̃dictę passiones fiũt, et insaniæ solutio consequit̃, unde medicus recte operãs, in insaniẽtibus hęc iritare

Quod legitur, est aũt uarix cũ uenæ latiores fiunt. Græce habetur κιρσὸς γὰρ (debet. ἐστὶν) εὐρύνσις τῶν φλεβῶν, idest, uarix autem est dilatatio uenarum.

Quod etiam legitur, ex crasso & melancholico humore cõtingit, Græce nõ dicitur humore, sed sanguine, ita nanq; habetur ἀπὸ παχέος καὶ μελαγχολικοῦ γενόμενος αἵματος.

Quod etiã legitur, Adeo quod pellente natura, illa particula, adeo quod, uacat, q̃uis in Græco codice ibi adsit, ὥστε. Melior enim cõtinuatio fit, si illæ duæ particulæ absint.

APHORISMVS XXII

QVæcunq; rupta ex dorso ad cubitum descendunt, uenæ sectio soluit.

BRASAVOLVS

DVÆ sunt in antiquis contextibus huius aphorismi lectiones, una quæ legit ῥήγματα, idest, Rupta, quæ in Aldino contextu, & in antiquo nostro inuenitur, & Galenus in suo idẽ habuit. alij legunt ἀλγήματα, idest, dolores, quam lectionem probauit Galenus. Quicquid uero horum dicatur, in rectam sententiã duci potest. Quæcũq; rupta sunt, ut sanguis in ruptionis loco sit collectus, & ex dorso ad cubitũ descendat, nulla est magis conueniens regio, q̃ per brachium ducere, ideo uenam cubiti secabis, uenã scilicet basilicam, & morbum solues; uel si etiam sit dolor, qui ex dorso in cubitũ tendat, misso ex uena sanguine soluitur, quoniam materia illa euacuatur, quæ dolorem faciebat.

ὁκόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου εἰς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, idest, Quæcunq; rupta ex dorso ad cubitos descendunt.] Philotheus legit ὁκόσα ἀλγήματα καὶ ῥήγματα, idest, Quicunq; dolores & rupta. immo dubitat quomodo dicat ῥήγματα, idest, Rupta, inquiẽs, ἀλλὰ τὰ κατὰ συμπάθειαν ἀλγήματα λέγει καταβαίνειν, τῆς ὕλης ἐκεῖσε τρεπομένης. idest, Sed per responsum dolores descendere dicit, materia illuc conuersa. Oribasius inquit ex uertebris accipiunt officiũ suum manus. Si ergo dolor fuerit in cubito, significatur spinalem esse affectionem, idq; aut ex constipatione, aut ex punctione, aut ex alio quouis morbo. Incisa ergo uena in brachio ipso, soluit dolorem: quia siue tumor sit, relaxatur, qui ante opprimebat uenas, & faciebat dolorem, siue humor detrahitur, siue constipatio relaxatur. Vnum est, potius intelligendum esse dolorem, quàm ruptum. tamen & si ruptio adsit, dolor etiam per compassionem adest.

φλεβοτομίη, uel φλεβοτομία λύει. idest, uenę sectio soluit.] quoniã, ut Philotheus dicit, ἐκεῖ γὰρ ἔρρευσεν ἡ ὕλη, δεῖ τὴν κένωσιν ποιεῖσθαι, διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων. idest, Quoniam illuc materia fluxit, & oportet per conferentes regiones euacuationem facere. Scito autem hunc dolorem ex multis causis fieri posse. quãdoq; ex flatu fit, & in hoc casu, quantum sit ratione flatus, nihil prodest sectio uenæ. At quia per illius materię euacuationẽ, materia, quæ in flatũ transit, simul euacuari posset, propterea tunc morbum etiam solueret: quandoq; fieri posset ex pura pituita, uel ex bile pura. In his casibus uenæ sectio etiã non competeret, nisi ob hoc forte, quia hæc materia simul cum sanguine euacuetur. Vnde si uelimus hunc aphorismum uniuersaliter intelligere, hanc materiam sanguineam esse intelligamus. quæ ut plurimum in his partibus abundat, præsertim in uenis illis maioribus per dorsum transeuntibus, & quæ ad brachia perueniẽtes in ramos diuisæ sunt.

GALENVS

MELIVS quidam scribunt. Quicunq; dolores, nam ruptum ipsum descendere, unum est impossibilium, siquidem diuulsa, ac rupta musculi parte carnosa, fit ruptum. Videtur quidem nonnunquam manifeste admodum. collectus in loco ruptionis

sanguis, & discussione sanatur. Reliqui uero qui sunt in dorso dolores, ex defluente humore generātur solo aliquando, sed magna ex parte crasso, ac flatuoso spiritui associato, quē excipere oportet atq; euacuare, per uenæ in cubito existentis sectionē, quando hic apparet fluēs. Est enim eius pręceptū, secundū q humores repunt facere euacuationes. Idem aūt significant & uerba hæc. Eo ducendū est quo repunt, per loca oportuna. Si autem de ruptis sermo est scriptus ab eo, eos qui faciunt cōpatiendi ratione dolores intelligendum est dici ab ipso descendere ad cubitos, non ipsam carnosæ partis diuisionem. Et quidem fieri potest ut & talis uenæ sectio utilis sit cōmuni euacuationis ratione.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus illos laudat qui legunt ὀνύξεα ἀλγήματα, idest, Quicunq; dolores, & non ῥήγματα, idest, Rupta. nam impossibile est ruptum descendere. Ruptū enim dicitur, quando diuulsa, & rupta est carnosa pars. nos aūt uidemus sanguinem in ruptionis loco manifeste collectū, & discusiōe sanatur: unde Galenus nullo modo probat quod ruptū legat: tamē intelligētes, ut exposuimus rupta, & quæ dolores descendētes faciāt, nō soluitur ruptū ex sectione uenæ, sed dolor is soluitur qui ob materiā descendentē fit.

SECVNDO docet, alios dolores qui in dorso fiūt, præter illos qui ex rupto inducuntur, ex humore defluēte aliquādo solo fieri, sed ut plurimū crasso & flatuoso spiritui associato, quē per uenæ sectionē in cubito euacuamus, quando ad cubitū descendere uidemus, iuxta Hippoc. pręceptū, illuc euacuandū esse quo humores repunt per cōuenientē regionē, & superius in alio aphorismo dicebat eò ducendū esse quò repūt p loca opportuna.

TERTIO docet, Si de ruptis Hippocratis sermo scriptus sit, opus esse intelligere dolores per compatiendi rationē ad cubitos descendere, non ipsam carnosæ partis dimensionem. nam fieri potest talem uenæ sectionem utilem esse, ob id quia uniuersalis euacuatio est, & non ob aliud.

APHORISMVS XXIII

SI timor, atq; mœstitia lōgo tpe habētes perseuerēt, ex eo atra bilis significatur.

BRASAVOLVS

MELANCHOLICVS humor obscurus est, atq; ater, quo qui abundant tēperaturam quandā similem incidūt, per quā timidi, mœstiq; efficiuntur. Causa est, humor ipse: effectus, timor & mœstitia. Cum igitur hunc effectū uidebimus, timorē inq; atq; mœstitiā, & ab aliqua re extrinseca facta non sint, sed longo tēpore perseuerauerint, tu ex hoc effectu causam ipsam adesse prædicito, scilicet atrā bilem, & hūc esse atrabilariū. Secus esset, si extrinsecas causas haberet, quæ timorē & mœstitiā inducerent, ut si dulces filij, cariue nepotes morerentur, si hostes infensissimos haberet, qui illū interficere tentarēt: tamē quando hæc etiā perseuerāt, & si atrabilarius nō sit, atrabilarius efficitur. Duo aūt sunt huius aphorismi sensus. Vnus est, si timor atq; mœstitia longo tēpore perseuerent, atrā bilem induci, quia ex longo timore, atq; mœstitia, sanguinē & spiritus contaminari necessariū est. Alter sensus est, si timor atq; mœstitia perseuerēt, signū esse, quod ab atra bile fiant, quia hæc diu perdurare non potuissēt, nisi intus fundamentū habuissent. Primus sensus de metu & mœstitia est, quæ ab extrinseco sint. secūdus de eisdē, sed quæ ab intrinseco prodeant. Celsus hunc secundū sensum probare uidetur. nēpe capite septimo secundi libri præsentē aphorismū ita refert. At si lōga tristitia cū lōgo timore, & uigilia est, atrę bilis morbus subest. unū uero ipse addit, quod ab Hippoc. nō dicitur, scilicet aut uigilia est. tamē nos experiētia hoc cōpertum habemus, hos semper uigilias pati, q atra bile uexāt, uel intēse, uel remisse uexētur, immo et oēs mœsti, atq; timidi sunt, quādo nō fuerint uehemētissime agitati, & furibūdi, sed ęgritudo ab atra bile, & nō à flaua dependeat. Cū eñ ex supassata bile agitanē, nō solū nō timēt, sed etiā in manifesta pericula temere prosiliūt.

ἢν φόβος. idest, Si timor,] scilicet diu perseueret, & nulla adsit timoris causa, sitq; timor uehementior, quàm is habere consueuerit qui timet. Timor aūt est de futuro aliquo malo: ita enim in quarto Tusculanarum quæstionum libro timorem definiuit Cicero, esse motum mali appropinquantis, & Aristoteles in Ethicis.

Καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον ἔχουσα διατελέῃ. idest, & mœstitia lōgo tēpore perseuerent.]

Intellige

Intellige uero per mœstitiam, tristitiã quandam, quæ gaudio opponitur. Si lõgo tẽpore perseueret, signũ est nõ esse factã ab extrinseco, sed ab intrinseco perseuerãte, quã & Cicero in quarto Tusculanorũ pręcitato, ægritudinẽ flebilẽ definiuit, ꝗuis ipse hoc nomine Mœror utatur, sed mœror, atq; mœstitia idẽ sunt. Hic uero nõnullæ ambiguitates occurrunt. una est, an alia sint, præter hæc duo atræ bilis symptomata, & si adsint, quæ sint, & cur illa Hippocrates nõ enumerauerit. Præterea quærendũ est, quomodo timor atq; mœstitia fiant, idest, an sit totius tẽperatura ita constituta, quæ timorẽ, atq; mœstitiã inducat. An sit obscuritas quędã, ab hoc humore in cerebrum sine aliqua tẽperatura inducta. Ad primũ respondemus, esse multa alia symptomata atrã bilem consequentia, quæ à Galeno in tertio De locis affectis libro capite sexto enumerãtur, & in fine quinti De symptomatũ causis, & in Definitionũ libro sibi adscripto, & ab Aetio libro sexto capite nono, & à Paulo libro tertio capite decimoquarto. Sunt uero hæc quæ sequũtur, hominũ odiũ, et cõmunes congressus refugere, solitudine gaudere, species in cogitatione uarias habere, corporis gracilitas, nigredo, densitas. Hippocrates aũt & prædicta indicia, & multa alia omisit (ut refert Galenus ꝑcitato tertio De locis affectis libro) quoniã omnia ad hæc duo dedũcenda esse iudicauit. Galeni uerba hæc sunt. Proinde recte uidetur Hippocrates omnia ipsorũ symptomata ad hæc duo coegisse, timorẽ, & mœstitiã, & in fine quinti libri De symptomatũ causis inquit, In omnibus aũt unum cõmune habetur, quod Hippocrates quoq; dixit, Si timor & mœstitia diu perseuerant, atrã bilẽ significãt. quippe oẽs præter rationẽ mœsti sunt: quod si eos interrogaueris, quãobrem tristentur, non habẽt quod respondeãt. Paulus etiã dicit, Cæterũ eædẽ cõmunesq; pariter omniũ sunt notæ, metus, mœstitia profunda, hominũ odiũ & auersio. Non mirũ igitur si ab Hippocrate hæc sola duo symptomata enumerãtur, quoniã his tanq; sub generibus alia continentur. Ad aliam dubitationẽ, ex his Galeni uerbis, quæ in fine quinti libri de symptomatũ causis sunt, solutio haberi potest, ubi dicit, Quod uero atra bilis rationalis animæ arcẽ occupans, timorẽ, mœstitiã, & mortis expectationẽ inducat, nihil mirandum est cum uideamus in rebus externis, nihil magis ꝗ tenebras nos perterrefacere. Si igitur quidpiã tenebris simile rationali parti animæ circũfundatur, hominẽ semper timere necesse est, utpote qui semper timoris causam in corpore circunferat. Quod eñ nobis extrinsecus accidit, cũ ambiens nos aer uastissimis tenebris fuerit obscuratus, id melãcholicis ab intimo corpore erũpere uidetur, occupãte cerebrũ, uel ipsa met atra bile, uel uapore aliquo melancholico, ut in mẽbro, quẽ & inflãmantem, & hypochondriacum appellant, euenire uidemus. ut hinc solutio haberi possit, esse obscuritatẽ inductam, quæ timorẽ facit. Sed Auerrois hanc sententiã reprehendere nititur. nam in quarto sui uoluminis inscripti Colliget capite quadragesimo, dũ species melãcholię recẽset, his uerbis utitur: & quando uritur melancholia, & fiunt accidẽtia choleræ in ipsa, tunc conuertitur homo ad ferinos mores, & omnes motus ipsius sunt praui, & timorosi, & hæc impressio fit in anima propter cõplexionẽ obscuritatis melancholiæ. Sed nigredo eius nõ est causa huius, ut dicunt medici, quia color non est causa substãtialis ad corrũpendas uirtutes animæ, sed hæc causa prouenit ab una specie malæ complexionis, sicut aliæ ægritudines, & tu scis quia habitus animæ sequũtur cõplexionem corporeã in hac cõiunctione. Et qui dicunt, quod anima terretur propter humorẽ melancholicũ nigrũ, sicut terretur homo in obscuro, dicũt uerba cantionũ: quia aliqua læsio non aduenit animę in obscuro, nisi priuatio sensati sensu uisibili, quia nõ uidet anima in corpore, ut possit dici, quod sentiat terrorẽ nigredinis. Et magis fœdum est dicere ut uideat extra, quia anima non est extra, nec intus. sed est sciendũ, quod de natura huius humoris melãcholici est, ut ipsum sequãtur hęc accidentia, sicuti de natura sanguinis est, ut ipsum sequantur gaudium & lætitia. Et dicemus propter hoc, quod sanguis det lumen animę. & hæc res est manifesta illi qui aliquantulum de natura gustauit. Hæc Auerrois, ut secundum ipsum respondere oporteat, timorẽ & mœstitiam malam qualitatem consequi, quod tamen Galenus non it inficias, nec Auerrois ex his uerbis Galenũ reprehendit. nam ipse per id exemplũ de tenebris aliud inferre non intendit, ꝗ ex mala temperatura illius generis atros uapores fieri, qui spiritus inficiant, & tunc consequitur timor, non quia esse atrum sit huius causa, sed potius esse melancholicum. At quia melancholici sunt, ideo

ſunt atri, & in ſpiritibus cerebri talẽ atredinẽ faciunt, quæ timorem inducit. Quod Galenus etiam in tertio De locis affectis libro teſtatur, inquiens, Mœſtitia nimirũ eos inducit, ut odio proſequãtur omnes quotquot uiderent, nunq̃ non triſtitiam præ ſe ferentes, ac terrentur, ut in tenebris pueri atq; ex adultis indocti. Sanè queadmodum externæ tenebrę omnibus ferè hominibus pauorẽ inducunt, niſi uel audaces admodum, uel edocti fuerint: ſic atræ bilis color mentis ſedẽ tenebris ſimilẽ reddens, timorem efficit. etenim ſummis tũ medicis, tum philoſophis in confeſſo eſt, & humores, & omnino corporis temperaturã animæ actiones uariare poſſe, id quod nos quoq; unico cõmentario docuimus, quo demonſtratũ eſt, quod animæ potẽtiæ corporis tẽperaturam ſequũtur. Ex his igitur luce clarius uidere potes, Galenũ hoc tẽperaturæ attribuere, & non colori, ut color eſt: ſed colori ab hac tẽperatura dependenti. Oribaſius idem ſentit, inquiens, Timor enim fit quoties tinctæ fuerint cerebri particulæ, & ueluti in tenebris ſe non cognoſcente natura, timores accidũt. Non eſt aũt opus credere, Oribaſiũ uelle tincturam ipſam id efficere, ſed eſt humoris qualitas, quę atros fumos emittit. Et Aetius capite nono ſexti libri idẽ teſtatur inquiens, uidemus eñ etiã extrinſecus nihil æque ac tenebras formidabile. ergo ubi ueluti tenebræ quædã rationalẽ animæ partem detineãt, neceſſe eſt hominẽ perpetuo terrore uexari, tanq̃ terroris cauſam intra corpus circũferentem, ſicuti obſcuriſsima nocte infantes formidant, & ex adultis imperiti, ita & atræ bilis color tenebris ſimilis rationis ſedem obũbrans formidinẽ efficit. Adde Philotheũ hoc loco idẽ ſenſiſſe, cum inquit μελαγχολικὸς χυμὸς ὡς τῇ χροιᾷ ζοφώδης ὤν, μολύνει ἐν τῇ κεφαλῇ ψυχικὸν πνεῦμα, ἀτμοειδῶς ἀναφερόμενον, καὶ ποιεῖ φόβον, ποιεῖ δυσθυμίας, καταψύχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. ὡς δὲ παχὺς τῇ συστάσει, καὶ μακροχρόνια ποιεῖ τὰ νοσήματα. idest, Melancholicus humor ut colore tenebroſus eſt, in capite ſpiritum animalẽ inquinat, ſurſum in morem uaporis delatus, & timorẽ facit, animi ægritudines facit, ac inſitũ calorẽ refrigerat. Sicuti aũt conſtitutione eſt craſſus, ita diuturnos morbos facit. Immo & Auicenna ipſe in libro De uiribus cordis tractatu primo capite octauo idem cõfirmat, ubi inquit, cauſam triſtitiæ eſſe ſanguinẽ craſſum, turbidũ, ex quo turbidus ſpiritus generatur. legi debet ater, non turbidus, unde & color ab Auicẽna ponitur, tanq̃ id quod triſtitiam, & timorem facit, ut ſuperius dixerat. hoc autẽ facit, non ut principale agens, ſed à mala qualitate humoris id facientis dependens, qui humor uel per eſſentiã in capite continetur, uel per cõmunitatẽ, quoniã uapores in caput aſcendãt, ut in hypochondriaca paſsione fieri conſtat, & in alijs partibus hos ſpiritus ad cerebrum tranſmittentibus.

Μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. idest, ex atra bile ſignificatur.] uel tale melancholicum, quoniam hæc duo ſymptomata timor atq; mœſtitia diu perdurare nõ poſſunt, niſi ſit intrinſeca atra bilis, uel per eſſentiam in capite, uel illi cõmunicetur ex alia parte tranſmiſſa. Melancholiam uero hæc ſignificant (ut Philotheus inquit) quoniam κἀντεῦθεν προλέγει ἡ τέχνη, ὅτι μελαγχολικὸν γενήσεται τοῦ ἐγκεφάλου πάσχοντος, διὰ τὸ φέρεσθαι ἐν αὐτῷ τὸν μελαγχολικὸν χυμόν. idest, Et hinc ars prædicit quod affecto cerebro melancholicus fiet, quoniam melancholicus humor in ipſum fertur, tamen hoc ex puris etiã uaporibus eſſe poſſet, qui aſcendentes cerebrũ inficiũt. Si uero dicas, ſi illum ſenſum ſequamur, quod melãcholicus humor ex longo timore fiat, & longa mœſtitia, quomodo ex his fiet? Reſpondemus, ita fieri, ut in præcitato Auicennæ libello edocemur, quoniam ex his ſpiritus turbantur, & intus clauduntur, & uarijs motibus commouentur, adeo ut tenuiores partes reſoluantur, & craſſiores ac terreæ permaneant. Hæ uero male afficiũtur, & ſanguis paulatim incraſſari incipit, & fieri atrabilarius. itaq; per aliquod temporis ſpatium hi ex timore & mœſtitia melancholici efficiuntur.

GALENVS

SI QVIS non ex cauſa manifeſta metuat, aut mœſtus ſit, ſunt atræ bilis caſus manifeſti, etiam ſi nondum tempus acceperint. Sed ſi propter cauſam manifeſtã incipientes, deinde inueteraſcant, non te lateant inſaniam ſignificare. Nam & plures uiſi ſunt furore correpti qui ab excandeſcentia, uel ira, uel mœſtitia principium habuere, ipſo ſcilicet corpore tempore illo prompte ſe habente ad incidendum in tales paſsiones.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Si quis metuat, & manifesta causa nō adsit: uel sit mœstus, & suæ mœstitiæ causam non habeat, hæc sunt atrebilis manifesta symptomata, modo diu perdurent. nam si breuia essent, atram quidem bilem significarent, sed hic atrabilarius nuncupandus non esset, quia solam dispositionem haberent, & non habitum.

Quod legitur, etiam si nondum tempus acceperint, græce est καὶ μᾶλλον ἢ τύχῃ κεχρονικότα. idest, & magis si diuturna facta sint, & hic sensus uerus est. ille uero, qui à Leoniceno dicitur, est falsus, etiam si nondum tempus acceperint. Noster antiquus contextus prius ita legebat καὶ μὴ δέ πω τύχῃ κεχρονικότα, sed obelo à uiro quodã docto confossus est, & legit ut superius adduximus, & ita habet contextus Aldinus.

SECVNDO Galenus docet, si ob manifestam causam, & extrinsecam timor, & mœstitia fiant, quando inueterascunt, in insaniam ducunt. Visi etenim sunt plures furore correpti, qui ab excandescentia uel ira, uel mœstitia initium habuere: tunc enim corpus aptum est, ut in has passiones facile incidere possit.

Quod legitur, deinde inueterascant, græce est κἄπειτα χρονίσαντα, idest, & postea inueterata uel uetustescentia.

APHORISMVS XXIIII

SI quod intestinorum gracilium disscindatur, non coalescit.

BRASAVOLVS

SVPERIVS Aphorismo decimonono dictum est, neruosas partes, & seminales, ob earum siccitatem non coalescere, quando uiri adulti fuerint. secus est in pueris. Intestina & ipsa partes sunt seminales, & nerueæ, & presertim tenuia, quæ modicum habent crassitiei. propterea si discindantur, idest, effatu digna abscisione aperiantur, non coalescunt, & hoc nec per uiam primæ, nec per uiam secundæ intentionis.

Ἐντέρου ἢν διακοπῇ τι τῶν λεπτῶν. idest, Si quod intestinorũ graciliũ discindatur.] Sunt uero horum intestinorum discissiones, inter lethalia uulnera à Celso numeratæ.

οὐ συμφύεται. idest, Non coalescit.] Et hoc ut diximus, quia abscissæ partes nos coniunguntur, nec uulneris ora, aut per uiam primæ uel secundę intentionis coeunt.

GALENVS

HOC & in aphorismo paulo antea dicto monstrauit, cuius initium, Vesica discissa, uel cerebro. Nescio igitur quo pacto, nunc frustra fuerit adscriptus. Hoc autem ipsum profecto uidimus & in pluribus alijs aphorismis, quos melius fuerit eximere.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc Aphorismũ hic frustra positum dicit, cum in decimonono huius libri Aphorismo scriptus sit. Idẽ in pluribus aphorismis contingit, qui bis & ter scripti sunt, quos eximere melius esse ducit. propterea huius aphorismi causa nunc dicenda non est. Sed (ut Philotheus etiam dicit) αἰτία εἴρηται ἐν τῷ ἀνωτέρω ἀφορισμῷ, τῷ λέγοντι, ἢν διακοπῇ ὀστέον. idest, causa dicta est in superiori aphorismo dicente, Si os discissum fuerit.

APHORISMVS XXV

ERysipelas ab exterioribus uerti ad interiora non est bonum, ab interioribus autem ad exteriora bonum.

BRASAVOLVS

HIPPOCRATES plerunque Aphorismos nonnullos describit, qui sunt ueluti uniuersalia theoremata ad omnia illa quæ in eo genere continentur, sicuti præsens aphorismus

rismus est quia Galeno ex his iudicatur, qui tanquam exemplum sermonum uniuersalium positus sit. nã quod in erysipelate dicit, hoc simpliciter in omni morbo intelligere oportet: si erysipelas, quod in cute est, ad intimas & principales partes conuertatur, bonum non est. nam materia quæ præter naturã est, de ignobiliori loco ad nobiliorem conuertitur. At si in intrinsecis partibus sit, & ad extrinsecas transmutetur, bonũ est. nẽpe malignę materię à loco nobili ad locũ ignobilẽ trãsmutatio fit, hocq́, quod in erysipelate ab Hippocrate dicitur, tanquã uniuersale quoddam theorema ad omnes passiones illas referatur, quæ de locis nobilioribus ad ignobiliores, & de ignobilioribus ad nobiliores transmutantur, Philotheo etiã hic dicente, οὐκ ἐρυσίπελας μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶν ὅπερ ἄλλο ἀπ' ἔσω ἔξω τρεπόμενον, ἀγαθόν, ὅτι εἰς ἄκυρα μόρια ἡ μετάστασις γίνεται. τὸ δὲ κακόν, ὅτι ἀπ' ἀκύρων εἰς κύρια μετῆλθεν ἐγκατῇ ἡ ὕλη. idest, Non solum Erysipelas, sed omne aliud, quod ab intus ad extra uertitur bonũ, quoniã mutatio ad ignobiles partes fit. malũ uero, quia ab ignobilibus partibus ad principales materia transmutatur, uel transfertur.

Ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν. idest, Ignis sacer ab exterioribus ad interiora uerti nõ est bonũ.] Per interiora, principales partes intrinsecas intellige, quas Galenus in principio libelli De locis affectis locos uocauit: quoniã omnino fieri posset cõuersio erysipelatis ab exterioribus ad interiores partes, & tamẽ bonum esset, si transmutatio fieret à cute ad uenas, per quas materia deinde exire deberet, quod fit, quando quispiã bilem Erysipelatis ui medicamenti euacuare intendit. nempe opus est medicamentum materiã illam quæ est circa cutem ad extrinsecas uenas trahere, quę deinde illam ad intestina uehũt, ut corpus exeat: & ideo per intrinsecas partes cor, iecur, & cerebrũ intellige, per exteriora cutẽ, unde & ab Oribasio dicitur malũ esse, quia aliquãdo ad uitalia cõcurrit. De erysipelate aliàs disseruimus, à pura bile quãdoq́ fieri ostendentes, & tunc exulcerare: quãdoq́ à bile sanguini mixta, & tũc nõ exulcerat, uel parũ quid exulcerat.

Ἔσωθεν δ' ἔξω, ἀγαθόν. idest, Ab interiori autem ad exteriora bonum.] Quia ut Oribasius dicit, natura ad superficiem superfluum humorem educit, & quia hæ partes ignobiles sunt, nec magnum incommodum, uel uitę discrimen inferre possunt.

GALENVS

NON solũ Erysipelas, sed aliud quodcũq́, quod ex profundis, & principalioribus partibus trãsfertur ad cutẽ, bonũ esse signũ ac causam debemus existimare. Si uero cõtra ad anteriora, & profunda trãsmutetur, malũ. Sed & alia multa uidetur dixisse Hippoc. quædam ueluti exempla sermonũ uniuersaliũ, à quibus eius quod solet euenire, experientiã possumus habere manifestiorem. Talia & enim exempla oportet esse.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismũ uniuersaliter intelligendum esse, & nõ in solo erysipelate: omnia quæ ex profundis, & principalioribus partibus ad cutẽ transferuntur, esse bonum signum, & bonam causam: è contra uero, malum.

SECVNDO docet, Hippocratem posuisse quædam similia particularia uelut exempla particularium sermonum, per quæ nos possumus manifestã experientiam habere earum rerum, quę euenire solent. exempla uero talia esse oportet, qualia illa quæ in hoc aphorismo, & in sequenti habentur.

APHORISMVS XXVI

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

BRASAVOLVS

FEBRES ardentes ex bile fiunt, quæ uenas complet. Ideo absq́ frigore, rigore, & tremore cõtingunt. At si quãdoq́ acciderit materiã extra uenas supra musculos transmitti, quę acuta sit & pungitiua, uis nocumentũ persentiẽs, quod hæc materia illi infert, membra quodãmodo cõcutit, ut expellat, & hic est tremor, qui per nerueas partes fit. At si hæc materia adhuc attenueẽ, & in uapores trãseat, hi petũt caput, & deliria faciũt, sed tamẽ tremores cessant, quia materia in auras tenues resoluit. ꝑpterea quib. in febribus ardentibus tremores fiunt, si deliria sequãtur, tremores soluũtur, & febris. ut hic sit ordo: tremor ardentẽ febrẽ soluit, & deliriũ tremorẽ, & febrẽ. Oribasius uero dicit: nã

tremor accidit, quia materies sensibilia loca contingit, quæ aliquando ad superficiẽ eua poratur. Ipsa quoq; materia, aut eius qualitas ad cerebrũ ascẽdit, & deliriũ facit, & soluit tremorẽ delirium. Quicquid tamen sensibile fuerit, minus sentit. Philoth. uero, ut Aphorismum interpretetur, hoc præludio utitur, τρεῖς ἀρχαὶ εἰσὶ ἐν τῷ σώματι, ἐγκέφαλος, καρδία, ἧπαρ. καὶ κυριώτατον μὲν ὁ ἐγκέφαλος, κυριώτερον δὲ ἡ καρδία, κύριον δὲ τὸ ἧπαρ. καὶ ἐκ μὲν τοῦ ἐγκεφάλου τὰ νεῦρα, ἐκ καρδίας αἱ ἀρτηρίαι, ἐξ ἥπατος αἱ φλέβες. διὸ τὰ μὲν νεῦρα ὡς τίμια ἡ φύσις ἐν τῷ βάθει ἔταξεν, τὰς δὲ φλέβας ἐπιπολῆς, ὡς ἀτίμους. τὰς ἀρτηρίας δὲ μέσας. τούτων οὕτως ἐχόντων ἐὰν ἐπὶ καύσῳ τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει τὸν καῦσον. τὰ ποιοῦντα τὸν πυρετὸν αἴτια, ἐν τοῖς νεύροις μέν ἐστιν ἐξ ὧν οἱ τρόμοι, καὶ ἡ παρακοπή, τουτέστιν ἡ παραφροσύνη τῆς ἀρχῆς, συμπάσχει, πλὴν λύει ἐπὶ κακῷ δὲ, διὰ τὸ τὰ κυριώτατα μόρια δέχεσθαι τὴν ὕλην, idest. Tria sunt in corpore principia, cerebrum, cor, iecur: & principalissimum quidem cerebrũ, magis principale uero cor, principale aũt iecur: & ex cerebro quidem nerui, ex corde arteriæ, ex iecore uenę: ob id natura neruos in profundo ordinauit, tanquã pretiosos, uenas aũt in superficie, tanquam ignobiles, arterias uero medias. his ita se habentibus, si in ardente febre tremores fiant, deliriũ soluit ardentem febrẽ. Causę enim febrem facientes in neruis quidem sunt, ex quibus tremores, & delirium, idest desipientia principij mutuum habet affectum, ueruntamen soluit. in morbo aũt, scilicet est talis solutio, quoniam principales partes, puta cerebrum, materiam suscipiunt.

ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται. idest, Quibuscũq; in febribus ardentibus tremores fiunt.] Tremores ardentes febres finire solent, quia ipsæ ex materia in uenis factæ sunt, sed cum tremores contingunt, materia extra uenas cõuertitur. Quid sint apud grecos τρόμοι aliàs à nobis dictum est, & quę sit ardens febris. tremores uero ardentem febrem soluunt, modo sexto die non contingant.

παρακοπὴ λύει. idest, Delirio soluuntur, scilicet & ardentes febres, & tremores. tamen hoc intelligere nõ possum, nisi per deliriũ, paruũ delirium intelligat. nam si ingẽs deliriũ esset, hæc nõ soluerẽtur, & hoc per uocabulũ παρακοπὴ ostenditur, quod diminutionem significare uidetur, & paruam dementiam, potiusquam intensam, & exquisitam.

GALENVS

SIVE Hippocrates tales sermones scripserit, quædam ueluti exempla magis generalium, atq; uniuersalium sermonum, siue alij interposuerint, alijs perquirendũ relinquentes, illud tantum in ipsis obseruabimus, quod & antea dictum, & nunc in febre ardente docetur. Quæ enim hanc febrem efficiunt causæ in uenoso genere existentes, quando ad neruos transferuntur, primũ tremores faciũt, cõpatiente uero principio, etiã deliria. Sicuti igitur in febre ardente translatio, sic & in omni alia febre potest fieri, & omnino ex arterijs, & uenis ad neruos transfluxus humorum noxiorũ, sicuti rursus ex neruis ad has. Improprie igitur dictum est febrem ardentem à tremore solui. Hæc enim arbitratur quibusdã superuenientia eorũ soluere consistentiã, quęcũq; omnino hominẽ liberant, non quæ alteram generant passionẽ, quæ nihilo minus sit prima periculosa.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, uel fuerit Hippocrates, qui his particularibus sermonibus usus sit, quæ sunt uniuersalium sermonũ exempla, uel alij interpretes hos sermones inter aphorismos Hippocratis apposuerint, alijs perquirendum relinquit, hoc solũ in ipsis obseruans quod in præcedente aphorismo dictum est, et nunc in ardente febre dicetur.

SECVNDO dicit, in uenis materiã contineri, quæ febrẽ ardentẽ facit: quæ si ad neruos trãsmittatur, primo tremores facit. Si adeo extendatur, ut per partẽ post partẽ, principium neruorũ offendatur, deliri etiã fiunt. Quod igitur in febre ardente dicitur, idẽ in omni alia febre intelligi potest: quia materia febrẽ faciens, à uenis & arterijs ad neruos trãsmitti potest, & tremores facere, & à neruis ad eorum principium, & deliria inferre.

TERTIO docet, Improprie dici febrem ardentẽ à tremore solui, quia Hippocrates de his dicere consueuit, quæ penitus auferuntur, solui, quando homo liberatur, & nihil aliud relinquitur, & hæc sunt superuenientia quæ hominem liberum non relinquunt.

Quod legitur, hæc enim arbitratur quibusdã superueniẽtia, Illa particula, arbitratur, legi debet, nominare consueuit Hippocrates. nam græce est ταῦτα γὰρ ὀνομάζειν εἴωθεν ἱπποκράτης ἐπιγινόμενα λύσει.

Aphori-

APHORISMVS XXVII

QVicunq; suppurati, aut aquam intercutem patientes uruntur, aut secantur, si pus, aut aqua uniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

BRASAVOLVS

NOSTRIS temporibus aquam intercutẽ patientes secantur, sed non uruntur. Nullus uero est, qui uel uiderit, uel audiuerit suppuratum aliquem esse ustum, & nos primi fuimus, qui post tot annorum intermissionem suppuratũ ussimus, & conualuit. Qui uero suppurati sunt, uel aquam intercutẽ patientes, si urantur, uel secentur, & uel pus, uel aqua uniuersa effluxerint, omnes moriuntur. quia natura repentinas has euacuationes ferre non posset. nam ingens spiritus copia resoluitur. Mulierẽ quandam uidimus cum adhuc essemus adolescentes, aquam intercutem patientem, & quæ magnam aquæ copiam gestabat. huic suis blandis & uanis promissionibus circumforaneus quidã ardelio suaserat, quod sanaretur, si incisionẽ pati posset. hæc aqualiculi pondus ferre nõ potens, secari elegit, & hicmet circumforaneus hoc onus incidendi suscepit. Aderam ego & nõnulli alij probi scholastici. hic insolentissimus uir nulla præparatione facta mulierem aperuit, & totam aquam eduxit. immo mihi admonẽti ne semel totam aquam auferret, respondebat, tu nihil scis, adhuc tua labia sapiunt lac, tu mox uidebis ipsam sanam. Quod per oppositum euenit. nam cum primum tota aqua exiuit, statim & anima simul cũ aqua euolauit. At circumforaneus hic mulierẽ mortuã uidens, sumpto pallio clanculum aufugit. Eodem anno, immo & eodem mẽse, quendã pauperculũ uidimus, qui amplissimũ præter naturam tumorẽ supra humeros gestabat: erat aũt ulcus cauũ, & omnia ulceris labra, & latera lapidea effecta erant, nempe tartari frusta uidebantur, quæ eximerentur, Chirurgici Natam uocabant, qui illam extrahere tentarunt, Sextarium uero nostrate magnitudine æquabat. hic pauperculus nullo alio incommodo afficiebatur, quàm labore gerendi id pondus. At chirurgici illi cum sanitatẽ spopondissent, & semel uniuersum pus extraxissent, illico is pauperculus morbo & anima orbatus est. Interim hi chirurgici iubebant nõnihil in huius pauperculi os imponi, ut reficeretur. at ille obierat. Si tunc eo officio functus essem, quo nunc fungor, nunquã hi tam publici atq; domestici carnifices impunes euasissent. nam & prædicta mulier, & hic pauperculus, horum fictorũ medicorũ ignauia periere. Ad rem igitur redeũtes, Philoth. dicit ὅτος θεραπευτικὸς ὁ λόγος, ὁ χειρουργικοῖς ἁρμόδιος. idest, hic sermo curatiuus est & chirurgicis cõgruus.

ὁκόσοι ἔμπυοι. idest, Quicunq; suppurati.] Suppurati (ut hic etiã Galenus docet) ab antiquis dicuntur, quicunq; inter thoracem & pulmonem pus cõtentum habent, unde & Philotheus dicit ἔμπυοι εἰσιν οἱ ἠθροισμένον ἔχοντες πολὺ πύον εἰς τὰ κενὰ τοῦ θώρακος. idest, suppurati sunt, qui multum pus in thoracis cauitatibus habent: quod pus potest uel ab abscessu in pectore manare, uel in canna, ut in angina, uel in capite, & ad illas partes materia descendat, uel ibi sit collecta materia, quæ deinde putruerit.

Ἢ ὑδρωπικοί. idest, Vel aquam intercutem patientes.] Et de his proprie sermo fit, qui aquam intercutem, idest, ascitem habent. nam hi (ut Galenus dicit) aquã habent inter peritoneum, & intestina contentam. Idem sentit Philotheus inquiens ὑδρωπικοὶ δὲ οἱ ἔχοντες ὑγρὸν ἐν μέσῳ περιτοναίῳ, καὶ ἐντέρων. idest, Hydropici uero illi sunt qui humorem inter peritonæum & intestina habent.

Καίονται. idest, Vruntur.] De eorũ ustione qui aquam intercutẽ patiuntur, perpauca ab antiquis dicta inueniri possunt. Quomodo aũt fieri oporteat, à recẽtibus nõ obseruatur, tamẽ apud Hippocratẽ ustio inuenitur. nã duobus tenuissimus ferramentis ignitis partẽ cutis superiorẽ urebat circa umbilicũ ac si essent duæ lineæ, & harũ una in umbilicum trãsibat. uerba eius hæc sunt in libro De locis in homine nõ longe à fine: medicamẽta quibus aqua ea purgeẽ, & educatur, propinato, pituitosissimaq; porrigito. Si uero ne sic quidem leuetur, tenuissimis ferramentis quàm maximè superiore cutis parte duabus lineis urito circa umbilicũ, quarũ una in umbilicũ tendat, quotidieq; quantũ uideatur, educito. hoc quidem periculosissimũ est, sed in ijs etiã cum periculo tentandum est.

nam si

nam si nancisceris sanabis: si minus (quod plerũq; uenit) diu hoc patietur. hunc solum locũ de hydropũ ustione inuenire potuimus, sed de suppuratorum ustione, & antiquiores græci, & latini pertractarunt. Galenus hic Hippocratis librũ citat de suppuratis, tamen ita urendi non sunt, ut ferrũ candens in pectora penetret, sed Celsus modum docet uigesimosecũdo tertij libri inquiẽs: si uehemẽtior noxa est, ac neq; febricula, neq; tussis quiescit, tenuariq; corpus apparet, ualidioribus auxilijs opus est. exulcerandus est ferro candenti, uno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammã utranq;, Item sub imis ossibus scapularum, quę ὠμόπλας greci uocãt, sic, ne sanescere ulcera sinamus, nisi tussi finita. Nos antiquũ quẽdam librũ habemus adilon & sine nomine, in quo tota hęc cura est, & per figuras etiã picta, & loca quæ uri debent, sunt egregie designata. Paulus & ipse libro sexto capite quadragesimoquarto loca notat, quibus adustio fieri oporteat.

Η τέμνονται. idest, Vel secãt.] De suppuratorũ sectione perpauca ab antiquis scripta inuenimus. Paulus Aegineta de illa agit li. sexto ca. quadragesimoquarto inquiẽs: sunt qui scalpellũ quoq; adhibere audeãt: inter quintã & sextã costam trãsuersa linea paulũ tamẽ obliqua cutẽ incidunt, deinde aculeato cultello costas subcingẽte mẽbrana perforata pus excernunt. uerũ & isti, & qui usq; ad pus adurũt, uel protinus mortẽ inferunt, cũ unà cũ pure uitalis etiã spiritus uniuersus exinaniatur, uel fistulas insanabiles inducunt. Hæc Paulus. De hydropicorũ uero sectione multa inueniũtur, sed cũ tres sunt hydropis species, Ascites, Tympania, & Anasarca, Ascitẽ & Anasarcã per incisionẽ sed diuersam curabant. nã ut Paulus dicit in fine capitis quadragesimioctaui tertij libri, qui ascite oppressi tenẽtur, nisi alijs iuuẽtur, in παρακέντησιν, idest, punctionẽ uel pertusionẽ ueniendũ, idest, uentrẽ usq; aquam perforandũ. abdomen enim trahendum, & ita faciendum foramen, ut id quod est in peritonæo, ab abdominis foramine tegatur, quando pellis non est ante ipsum deducta, itaq; extrahitur aqua. hunc extractionis modum diligentissime ponit Paulus libro sexto capite quinquagesimo, ubi & situm edocet, & locum perforandum, & instrumentum, & normã educendi aquam ex pulsu. Hippocrates in libro De morbis qui extra, quem Galenus Polybi esse iudicat, inquit (de hydero, idest, aqua intercute agens) καὶ ἢν μὲν ὑπὸ τῶν φαρμάκων, καὶ τῆς ἄλλης διαίτης ὠφελέηται, καὶ ἡ γαστὴρ λαπάσσεται αὐτοῦ. ἢν δὲ μὴ, ταμὼν ἀφεῖναι τοῦ ὕδατος. τέμνεται δὲ, ἢ παρὰ τὸν ὀμφαλὸν, ἢ ὄπισθεν κατὰ τὴν λαγόνα. διαφεύγουσι δὲ καὶ ἐκ τούτων ὀλίγοι. idest, Et si medicamentis & uictu iuuetur, & ipsius uẽter mollescat, satis est. Si aũt nõ, incidẽs aquã auferre facito. Inciditur uel iuxta umbilicũ, uel in parte posteriori iuxta ilia. hinc uero pauci euadũt. Celsus cap. uigesimoprimo tertij libri dicit Erasistrato hanc curandi uiam displicuisse. morbum enim hunc iocineris putauit, ideoq; ita nullum esse sanandum, frustraq; aquã emitti, quæ uitiato illo subinde nascatur. hic est modus in ascite, scilicet per παρακέντησιν, idest punctionẽ, sed in hydrope subter cutẽ, uel anasarca alio secũdo modo utebatur, de quo Aetius capite trigesimo libri decimi agit inquiens: secundum Asclepiadẽ fissuras circa internum talum infligere oportere, in loco quatuor digitorũ supra talum eminente, ea profunditate qua quis in uenæ sectiõe utatur. Tamẽ Leonidã refert, qui etiã alias partes findit, ut scrotũ tumefactũ, femora, pudenda, locos supra manuũ iuncturas. Et Hippoc. nõ iubet fieri sectionẽ supra talos, sed iuxta scrotũ, & femora uulnuscula, eaq; sale maxime cõfricare iubet. Hæc Aetius. At nos apud Hippocratẽ in lib. De locis in homine, legimus, puerorũ aũt aquã subtercutẽ sic curato, turgentia, plenaq; aquæ quolibet corporis parte scalpro secato, crebroq; non multam aquã educito fouetoq;, & semper quod aperueris, calido medicamento linito. Tamen si quis sit, qui & instrumẽta, & differandi modos copiosius scire cupiat, Arabes legat, nam & instrumenta picta ostendunt. Hi uero sunt Albuchasis, Haliabas & partim Auicenna.

Εκρυέντος τοῦ πύου, ἢ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται. i. Si totũ pus, uel tota aqua effluxerit, omnes moriũtur.] Galen. ustionẽ suppurationi attribuere uidetur, & sectionẽ asciti, tamen hoc cõmune habent, Si tota exeant uel pus, uel aqua, moriunt. hocq; cõmune etiã est in alijs similibus passiõibus, in quib. natura repentinas mutatiões ferre nõ potest, quoniã magna pars spirituũ simul resoluit, & (ut Oribas. dicit) cũ inutilibus simul utilia exeunt. Philoth. uero huius rei causam assignat, quoniã αἱ ἀθρόαι μεταβολαὶ σφαλεραὶ ὡς καταλύουσαι τὴν δύναμιν, ἢ διὰ τὸ τῇ ἀθρόᾳ κενώσει κενοῦσθαι καὶ ζωτικὸν καὶ ψυχικὸν πνεῦμα ἐξ ὧν ὁ θάνατος.

ὁ θάνατος ἐπιπολὺ. διὰ τοῦτο οὐ αὐτῇ οὐκ ἀθρόως δεῖ, ἀλλὰ κατὰ ἀναλογίαν τῆς δυνάμεως. idest, uniuersales & subitę mutationes periculosæ, tanquam dissoluentes uim, uel ob hoc quod ex uniuersali & subita euacuatione, spiritus uitalis & animalis euacuantur, ex quibus mors sequitur: ob hoc igitur ipsum, uniuersaliter & subito facere non oportet, sed secundum proportionem uirium, aquam etenim & pus paulatim educere oportet. Tamen & si antiqui (ut ex Celso uisum est) in suppuratis, prædictis locis ustionem facere uideantur, nos in suppurato inter tertiā et quartam costā fieri iussimus, & euasit, potuisset etiam fieri inter quartam & quintam. At ad has operationes descendere non oportet, nisi omnibus alijs quæ fieri possunt, perfectis, adeo ut is qui curatur, in summa sit desperatione. Aliqui sunt, qui cauterio in eo loco facto incidunt.

GALENVS

SVPPVRATOS præcipue consueuit nominare qui pus habent in spacio, inter thoracem, atq; pulmonem, quos quomodo urere oporteat dicit in libro de passionibus, cuius initiū, Pulmonis arteria. Quidā uero hunc librum inscribunt de suppuratis. Vstione igitur indigent qui plurimum habent pus, adeo ut desperent per sputiones posse expurgari. Hos uero ipsos & difficultas anhelitus maxime infestat ex loci angustia, quæ etiam nos cogit ut eos uramus. In his autem qui aquam intercutem patiuntur, illæ quæ à græcis παρακεντήσεις, idest, punctiones nominantur, sunt magis in usu medicorum. Verum hoc utiq; commune est ustioni, ac punctioni, quòd in utraq; Hippocrates consulit caueri uniuersam euacuationē, sic enim uidetur contingere uti ait. Dictum est & ab Erasistrato exquisitius, ac plenius de his qui aqua intercutem laborant, ac si ipse dicat, se compertum habuisse experientia, uniuersam euacuationem febres, ac mortem afferre. uidemus & in alijs partibus æque atq; in thorace quando aliquis magnus tumor suppuratur, periculosam esse uniuersam euacuationem, cum è uestigio deficiat anima, & uires debilitentur, & postea debilitas ista remedium non habeat: uidetur in his propter magnam distantiam corporum, & puris acritudinem ora quorundam uasorum arteriosorū esse adaperta, quæ prius ueluti quoddam embrisma pus continebant, quo uniuersim euacuato, multi spiritus una cū eo exeunt, atq; excernuntur. Vnde periclitantur. In aqua uero intercutem non modo ob hanc causam, ea laborantes offenduntur, sed & duricies uisceris, ut quod non substentatur ab aquosa substantia, & septum transuersum deorsum trahit, & uiscera quæ sunt in thorace.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, quid propriè apud antiquos significet hoc nomen ἔμπυοι, idest Suppurati: eos enim significat, qui inter thoracem & pulmonem in imo pectore, uel in utrisq; pus contentum habent. At quomodo urantur, ipse in magno libro docuit, qui incipit, pulmonis arteria, in quo de his agit, & quem librum nonnulli inscribunt de suppuratis. apud nos non extat hic liber.

Quod legitur, In libro de passionibus, legi debet in libro magno de passionibus. græce enim habetur ἐν τῷ μεγάλῳ περὶ παθῶν.

SECVNDO illos docet, qui uri debeant. hi enim sunt, qui plurimū puris in pectore habēt, adeo ut per sputa expurgari posse desperent. hi uero magnā puris copiā habere cognoscuntur, quia magnam anhelitus difficultatē habent ex loci angustia, & quę difficultas, ut eos uramus, nos cogit.

TERTIO docet, In aqua intercute, ustionem in frequenti usu non esse, sed potius punctionem & apertionem illam, quæ à græcis παρακέντησις dicitur.

QVARTO docet, tam ustioni quàm punctioni hoc esse commune, quod in utraq; Hippocrates consulit uniuersam euacuationem euitandam.

QVINTO docet, Erasistratum de his qui aqua intercute laborant, compertum habuisse, uniuersam aquæ euacuationem febres ac mortem afferre.

Illa particula, ac si ipse dicat, In græco contextu uacat.

SEXTO docet, non solum in thorace, sed in omni etiam alia parte, quando aliquis magnus tumor suppuratur, esse periculosam uniuersam euacuationem. nam statim anima deficit, & uires imbecilles redduntur, hæcq; imbecillitas deinde remedium non habet, quo refici possit.

SEPTIMO infert, in his ob magnam corporum amplitudinem, & ob puris acritudinem ora quarundam arteriarum aperiri, quæ prius tanquam operculum quoddam pus continebant. hoc autem uniuerso pure euacuato multi spiritus exeunt, & excernuntur, & ideo illi periclitantur.

Quod legitur, uidetur in his, legi debet, uidetur igitur in his. græce enim est ἔοικε ὧν τῶν μὲν τῶν τοιούτων.

Quod etiam legitur, Veluti quoddam embrisma, in Aldino contextu legitur οἷον ἐπίπωμά τι, idest ueluti quoddam operculum, sed in nostro antiquo contextu Aldina lectio in margine scripta est, in contextus uero serie legitur, ὥσπερ ἐμβυσμάτι. lectionem primam magis laudo. non desunt tamen contextus, qui legunt ἔμβεισμα, ut Leonicenus habuit.

Quod etiam legitur, Vnde periclitantur, græce est καὶ διὰ τοῦτο ἡ βλάβη γίνεται τοῖς κάμνουσι, idest, & ob hoc læsio fit ægrotantibus.

Deniq; docet, quod in aqua intercute, non solum ob prædicta laborantes offenduntur, sed & durities uisceris, & quod ab aquosa substantia non substentatur, & septum transuersum deorsum ducitur, & uiscera quæ in thorace sunt.

Quod legitur, Ea laborantes offenduntur, illa particula Ea uacat, & quod legitur de orsum trahit, græce est κατασπᾷ, idest detrahit, uel diuellit.

APHORISMVS XXVIII

EVnuchi neq; podagra laborant, neq; calui fiunt.

BRASAVOLVS

EXPERIENTIA constat hunc aphorismum simpliciter uerum non esse. nam nostro hoc tempore eunuchi sunt, qui ob herniam ita effecti, podagram incidunt, & calui fiunt, tamen nos eunuchos nõ habemus à puericia statim factos. nam eunuchi antiquitus illi erant (ut Oribasius inquit) qui palatia custodiebant, & cõstituta cibaria habebãt. uirq; exectis testibus, naturę muliebris efficit, & ideo tã ex ciborũ abstinẽtia, q̃ ex temperie, quã natura eunuchorũ habet, neq; podagra laborãt, neq; calui fiunt. nã podagra, & caluicies ex intẽperatura cõtingunt; sed Oribasij tẽpore secus erat, quia eunuchi articularijs morbis afficiebant, quod non absimile est podagræ. nam in otio & delicijs uiuebant, & labore nõ exercebantur, & incõposite uiuebant, ac nutriebãt humorẽ crassum, qui ad articulos decurrens, articularẽ morbũ pariebat. hæc Oribasius. Seruabant uero palatia, unde nomen habent ab εὐνὴ cubile, & ἔχω habeo, ne si iungerentur principum & nobiliũ uxoribus, eas implere possent. Non enim credendum est, quod ad palatia, armis tuenda ponerentur, quoniã fœmineę sunt naturæ, & (ut Hippocrates in lib. De seminis genitalis natura, quẽ Galenus Polybi esse dicit) imbecilles ideo erant pro mulierum custodia, ut domos ornarent, mundarent, & mulieribus inseruirent. quẽ morẽ adhuc seruãt Galli ut mulieribus uiri inseruiant, sed eunuchi non sunt, quoniã nostra catholica fides id fieri uetat, præterquã mente & spiritu. In nostro antiquo cõtextu in principio huius aphorismi adest hæc inscriptio περὶ ποδάγρας, idest de podagra, de qua & in hoc aphorismo, & in duobus consequentibus agitur.

εὐνοῦχοι. idest, Eunuchi.] De castrandi modis, & Paulus, & Aetius longius disserũt, quàm à nobis referri conueniat, & Hippocrates in lib. De seminis genitalis natura, de eadem re agit. At in duplici sunt differentia, quoniam aliqui à pueritia castrabantur, ut in perpetuo mulierũ seruitio detinerentur; alij ob enterocelem castrantur. De primis sermo Hippocrati est, nam illi sunt proprie eunuchi, Secundi uero ob ęgritudinẽ potius fiunt, sed omnes eunuchi fœminei & imbecilles efficiuntur, & frigidi in uniuerso corpore. Nã cor, iecur, & cerebrũ, quæ sunt tres nostri corporis præcipuę partes, ad testes suos spiritus quos habent transmittere debent, & in copia non spernenda. Cerebrũ enim spiritus animalis copiam transmittit. Cor spiritus uitalis, iecur spiritus animalis. Testes uero aptitudinem habent retinendi hos spiritus (nisi per coitum illos emiserint) unde calescunt ex his spiritibus testes, & totũ corpus uicissim recalefaciũt. At si testes absint,

ſpiritus non retinentur, ſed euaneſcunt illuc tranſmiſſi, nec calor per totum corpus reflectitur, propterea frigidiores efficiuntur, & humiditates minus reſoluere poſſunt, quàm prius. Ideo frigidiores & humidiores fiunt, & albi, ac effœminati, & crura craſſiora & tumidiora habent, & ampliores nates, quàm ſuapte natura haberent, ob humidas materias, quæ ad partes infernas facile deſcendunt.

οὐ ποδαγριῶσιν. ideſt, Neq; podagra laborant.] Vnde & Celſus libro quarto capite uigeſimoquarto dicit, raro caſtratos corripere podagram: nam podagra fit uel ex pedum imbecillitate, uel uictu inordinato, & coitu nimio. Eunuchi non utebantur uictu inordinato (immo & nulli homines tempore Hippocratis,) nec uenere utebantur, quia uaſa non habebant, per quæ ſemen tranſire poſſit, ut Hippocrates in libro De ſeminis natura docet. Raro eſt quod podagra fiat, immo rariſſimum ex pedum imbecillitate, niſi humoribus ex luxu generatis concurrentibus. Antiqui uero luxum non exercebant, ſed bene coitũ, propterea Hippocrates coitus ſolum meminit, & nõ luxus. tamẽ poſtq; (ut Galenus inquit) inordinato uictu uti cœperunt, incidere podagrã. Vidimus nuper Venetijs eunuchum quadraginta fere annorum natum Turcam, ſine barba, effœminatum, timidum, & qui articulorum dolores patiebatur. hic ob uinum paſſum copioſiſſime epotum hæc diſcrimina inciderat, & ſimul ebrietatem. nempe in ſua patria uinum non bibunt, ita Mahumeto inſtituente, ſed in aliena patria clandeſtine tamen, ingurgitant. Agitatio illa magna, quæ in coitu fit, debilitat neruos, & articulos, quod eunuchis ob hanc cauſam contingere non poteſt, quibus & ſi uirile membrum quandoq; erigatur, & ſpiritum quendam, atq; aquoſam materiam emittant, tamen non eſt ſanguis, nec agitatio fit in principalibus membris, deficientibus teſticulis, qui ſunt tanquam folles omnia membra commouentes. immo & eunuchi rariſſime in coitum excitantur, tamen excitari poſſunt. Illuſtriſſimus dux noſter tubicinem habet ſpadonem, qui mira de coitu profitetur. nos parum credimus ex his quæ uir ille dicit. Philotheus inquit, quod podagrici non fiunt διὰ τὸ μὴ γίνεσθαι ἐν αὐτοῖς κρασμὸν τῆς ὕλης, καὶ κίνησιν, δι᾽ ἧς εἴωθεν ἐπανίστασθαι τὴν φύσιν, καὶ ἀποδιώκειν τὴν ὕλην ἐπὶ τὰ ἀσθενέστερα μόρια, τουτέστι τοὺς πόδας. τοῦτο δὲ γίνεται, διὰ τὸ μὴ κεχρῆσθαι αὐτοῖς ἀφροδισίοις. ideſt, Quoniam in ipſis materię agitatio non fit, & motus, per quem conſueuit inſurgere natura, & ad inbecilliores partes materiam depellere, hoc eſt ad pedes. hoc autem fit, quoniam ipſis uenereis non uſi ſunt.

οὔτε φαλακροὶ γίνονται. ideſt, Neq; calui fiunt.] Hippocrates in ſexto Epidemiorum poſt principium, caluiciei cauſam, cerebri conſumptionem facere uidetur: tamen ſi de hac re plene loqui uelimus, ſcire oportet, caluicium, à capillorum caſu differre, quoniam in capillorum caſu iterũ renaſcuntur, in caluicio minime: & capillorũ caſus in omni capitis parte fit, caluiciũ uero ſolum in anteriori parte, & ſuperiori. At circa latera, & in parte poſteriori nõ calueſcũt homines. fit uero capillorũ caſus multis de cauſis, & à cauſis quidẽ extrinſecis, ut ſi quis igne caput adurat, uel feruẽti lixiuio ſe lauet, uel aliquo pſilothro medicamento, & expilatorio ſe lauet, Quod nobili cuidam ſuperioribus diebus contigit, cui pſilothrũ ſapo datus fuit, ut flauos capillos ſibi faceret: omnes tamẽ uſq; ad unũ decidere, immo nec cutis immunis fuit, ſed iterũ orti ſunt capilli. Cauſę extrinſecæ notiſſimæ ſunt. Intrinſecæ uero diuerſæ eſſe poſſunt, una poteſt eſſe humor aliquis corroſiuus, qui pili materiã corrodat, & pili radicẽ exedat, quod in illa affectione fieri contingit, quã alopeciã uocant. hoc tamen caluicium appellari non poteſt, quoniã curata alopecia, capilli iterũ naſcuntur. quandoq; fit à naturali cauſa capillorũ caſus, & hoc uel à capite ipſo, uel à materia, uel à qualitate. A capite, ſi meatus, quos græci poros uocant, nimis lati fuerint, adeo ut materia nõ retineatur, ſed exeat: uel ſint adeo arctĩ, ut fumi qui in capillos cõuertuntur, exire nõ poſſint. Si à materia id erit, quia acuta capillos abſcindens, uel craſſa meatus obſtruens. Si à qualitate, uel à frigida, quæ fumoſam euaporationem conſtringat, & pili generationẽ prohibeat, unde qui adſunt, cadunt, & noui nõ naſcuntur. nam frigiditas poros conſtringit: uel à nimia humiditate poros claudente, ut in mulieribus contingit, & pueris: uel à nimia ſiccitate, quia cutis exiccatur, & tanquã teſta efficitur, ut per eam nihil penetrare poſſit, immo ſiquid iam adfuerit, exiccetur: uel à nimia, quæ materias pilos faciẽtes exurit. Notaq; & ſi ſuperius à materia fieri diximus, tamen & hæ qualitates cum materia intelligendę ſunt. Addunt & aliud recentes

centes, quando quis habuerit cerebrũ à craneo longe distans, quæ omnino non uidetur conueniens, congruaq; causa, quia cerebrum semper pelliculis inhæret, quæ craneo inhærent. Nunc morbus quidam per Italiã uagatur, quo non solum capilli, sed totius corporis pili decidunt, *pellarola* uulgo nuncupatur, uidetur scabies gallica remissa, tamen curati deinceps renascuntur. Ad rem igitur redeuntes, cum eunuchi effœminati euaserint, capillos seruant, ut mulieres faciunt. nam ipsis non deest humiditas ad nutriendos capillos apta, nec tanta est, ut meatus obstruere possit. Philotheus & ipse cum Galeno dicit non fieri caluos eunuchos, ἐπειδὴ θηλυγενεῖς εἰσὶ, καὶ ἔχουσι πολλὴν ὑγρότητα πλεονάζουσαν, καὶ ἐπιῤῥέουσαν ταῖς θριξὶν, ἐξ ἧς αἱ τρίχες τρέφονται καὶ πληθύνονται. πλὴν ἐν τοῖς ἄρτι χρόνοις, καὶ ποδαγριῶσι, καὶ φαλακροῦνται, διὰ τὸ ἀργὸν τοῦ βίου, καὶ τὸ τρυφηλὸν τῆς διαίτης, καὶ τὴν πολλὴν οἰνοφλυγίαν. idest, Quoniam fœminei generis sunt, & multã humiditatẽ habent superabundantem, & ad capillos affluentem, ex qua capilli nutriuntur, & crescũt. tamen in his temporibus & podagram patiuntur, & calui fiunt, ob otiosam uitam, & uictum delicatum, & multam uini ingurgitationem. Antiquitus indecora res fuit caluitium, & calui in derisu habebantur, propterea Cæsar dictator (ut Suetonius inquit) caluicij deformitatem iniquissime ferebat, obtrectatorum sæpe iocis obnoxiam expertus, ideoq; & deficientem capillum reuocare à uertice assueuerat, & ex omnibus decretis sibi à senatu populoq; honoribus non aliud aut recepit, aut usurpauit libentius, quàm ius laureæ coronæ perpetuo gestandæ. Legitur enim in iocularibus militum carminibus in Gallico triumpho uulgo decantatis illud passim dictum: Mœchum caluum adducimus. Synesius scripsit libellum de laudibus caluitij per quam elegantem. Christum seruatorem nostrum caluum fuisse tradunt: unde & Lucianus in eo dialogo qui inscribitur Critias (Si modo is est Luciani) eum appellat ἀναφαλαντίαν, quasi tu dicas recaluastrum. Ad rem igitur, Hippocratis tempore hæc non patiebantur eunuchi, quæ tamen ob uictus intemperantiam nunc patiuntur. At cum nonnunquam caluicies ex siccitate fiat, eunuchi uero siccum caput habeant, ideo uidebitur eunuchos caluicium incidere debere. quod autem siccum caput habeant, ex Aristotele sumi potest, ita quarto Problematum libro problemate tertio dubitante, Cur & qui concumbunt, & spadones qui re minime utuntur uenerea, acumine oculorum offenduntur. Respondet, an quod alteri ob libidinem, alteri ob excisionem partes superiores plus iusto exiccantur, quod perspicuum in his est, quorum opus exquisitius administratur. Aspectus autem tale est, humoribus uero deorsum ductis superiora siccari necesse est. Id igitur nimirum concubitu fieri patet. Spadonum autem crura intumescunt, & alui faciles sunt, utpote cum deorsum de humoris copia seuocet. Vt ex his uidere liceat, Aristotelem hic dicere, in spadonibus caput exiccari, & materias ad crura descendere. Tamen problema hoc considerantes, nobis uidetur Aristotelis rationem perfectam non esse cur spadones acumine oculorum offendantur: Sed uera ratio est humiditatis abundantia, nam humiditate magis abundant, quàm prius, Et licet dixerit, crura fieri humida, idest ob humidam materiã, quæ à testibus non continetur, sed descendit. At quia crassa, ad iuncturas penetrare non potest, unde in ipsis podagram non faciet, nisi in uictu inordinatiores sint. Quod si reclames, Aristotelem summum uirum illa dixisse, Respondemus, hunc Problematum librum ab Aristotele non fuisse emendatum, ideo non mirum, si in eo multa scripta sint, quę re ipsa non constent. Tamen dicere possemus, & si materię in eunuchis deorsum descendant, tamen & aliquæ sursum relinquuntur, quæ cum sint compactæ, non descendunt, sed quia oculorum humiditates tenuiores sunt, propterea illæ descendunt, tamen cur uere non uideant, causa potius est spirituũ obscuritas & crassities, quæ ob caloris defectum in eunuchis inuenitur.

GALENVS

EVNVCHOS sectio testiculorum similes efficit fœminis. Sicuti ergo in eis caluities nõ accidit, sic neq; in eunuchis propter temperaturę humiditatem. Eunuchos quidem Hippocratis tempore podagra non laborasse uerum existit. Nunc uero nõ ita, propter immodicum ocium, & uictum intemperantẽ. Res aũt tota ita se habet. Necesse est pedes natura esse imbecilliores si quis podagra corripi debeat, sicuti & cerebrum si morbum comitialem passurus sit; non tamen est omnino necessarium alterutrũ pati, si

nihil in uita deliquerit. Disces autem aperte quòd imbecillitas partis nō sit sufficiens ad generandam passionem ex intermedio tempore accessionum, in quo nulla fere infestantur, quamuis natiua imbecillitas continua sit. Clarū autem & hoc, & in podagricis manifestissime apparens, quòd influente aliquo ad pedes humore superfluo, passio generatur. Si igitur neq; hic humor influxerit, liquet quòd neq; unquam accidet passio. Non influet autem si omnino uacans superfluitatibus corpus extiterit. Erit autem uacans superfluitatibus si mediocri utatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit, unde & desidiæ, & crapulę eis nocent. Nocent autem & potus multorum, & fortium uinorum, pręcipue cum aliquis ea ieiunus potauerit. Hæc enim neruosam substantiā promptissime offendunt, sicuti & coitus. Aetate quidem Hippocratis pauci podagra laborabant propter uitæ moderātiam, nostris uero temporibus usq; adeo auctis edulijs, ut nihil eis addi posse uideatur, infinita est podagrarum multitudo, cum nonnulli sint qui nihil exercitantur, & cruditatibus, atq; ebrietatibus offendantur, & ante cibum assumptum bibant uina potentia, ac uenereis utantur immoderatis: nonnulli uero, & si non in his omnibus, in uno saltem, aut duobus ex his quæ sunt dicta delinquant. Sed cum peccatum fuerit magnum, sępius in uno eorum quæ diximus deliquisse sat erit. Ob hanc igitur causam etiam eunuchi podagra corripiuntur, quamuis nullum habeant usum uenereorum. Talis enim est eorum desidia, insatiabilitas, ebrietasq;, quòd etiam sine uenereis podagra corripi possunt. Hæc eadē de articulari morbo existimes dicta, omnes si quidem qui eo laborant magna ex parte prius podagrici fiunt. Accedit & ad has causas ob quas pleriq; incidunt in podagras, quòd multi, & patres, & auos habuere podagricos, in quibus semen erat uitiatum, atq; ideo natis uehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Non fieri caluitium in eunuchis, quia testiculorum sectio eos fœminis similes reddit. ideo sicuti ob propriam temperaturam fœminis non fit caluitium, ita ob acquisitam eunuchis.

Quod legitur, Propter temperaturę humiditatem, in Aldino contextu scriptum est διὰ τὸ ψυχρὸν τῆς κράσεως. idest, propter temperaturæ frigiditatem. noster antiquus contextus prius habebat, διὰ τὴν ὑγρότητα τῆς κράσεως. idest, propter temperaturę humiditatem, sed obelo confossus est, & duas lectiones habet, una dicit τὸ ὑγρὸν alia τὸ ψυχρόν. utrunq; dic i potest, nam & ob humiditatem pilis subministrantem calui nō fiunt, & ob frigiditatem, quę humiditatem multiplicari sinit.

SECVNDO docet, Hippocratis tempore eunuchos non laborasse podagra, suo autem tempore ob uictum intemperantem & otium immensum laborasse.

Quod legitur, Verum existit, legi debet extitit, uel fuit. nam gręce est, ἦν ἀληθές.

TERTIO docet, eos qui podagram incidunt, imbecilliores natura pedes habere oportere, sicuti opus est eundem cerebrum imbecille habere, si comitialem morbum incidere debeat. tamen si hic nullum fecerit in uita sua errorem, hęc pati non est opus. Scias igitur partis imbecillitatem non esse satis ad inducendum comitialem morbum in intermedio tempore accessionum, in quo nihil ferè infestatur, quamuis hæc natiua imbecillitas continua sit. eodem modo in pedum imbecillitate, ex sola imbecillitate nunquam fiet podagra, sed opus est humorem aliquem ad pedes influere, si hęc passio fieri debeat. Nunquā uero hic humor influet, si hoc corpus superfluitatibus uacabit, idq; fiet si mediocri utatur exercitio ut apte cibum concoquat. nam desidiæ & crapulæ his obsunt, & multorum atq; fortium uinorum potus, præsertim si ieiunus bibat. Ferrariæ à centum annis supra ob uinorum tenuitatē podagrici non erant, uel rarissimi, nunc quia uina fortiora & crassiora effecta sunt, multos podagricos Ferraria gignit. tamen pauciores sunt, quàm uel Bononiæ, uel in alia urbe, in qua uina fortiora sunt, uel nascuntur.

Quod legitur, In quo nulla fere infestātur, legi debet in quo nihil omnino infestātur. nam græce est ἐν ᾧ μηδὲν ὅλως ἐνοχλοῦνται perturbantur.

Quod etiam legitur, Si igitur neq; hic humor influxerit, legi debet, si igitur nunquam hic humor influxerit, uel si igitur neque hic humor unquam influxerit. græce enim est, ἐὰν οὖν μηδέποτε οὗτος ἐπιῤῥέῃ.

Quarto

QVARTO Galenus uniuersaliter de omnibus hominibus intelligens, inquit, tempore Hippocratis, paucos fuisse qui podagra laborarent ob uitæ moderantiam, sed Galeni tempore usque adeo sunt aucta edulia, ut nihil addi posse uideatur. à Galeni tẽpore usque ad hoc nostrum adhuc sunt magis aucta, propterea multi podagrici inueniuntur. nempe multi sunt qui corpora non exercent, ebrietatibus & cruditatibus, quibus offenduntur, uacantes, & ante cibum uina prępotentia bibunt, & immoderata uenere utuntur. Alij, & si omnia prædicta non exerceant, tamen aut unum aut duo exercent; At si uehementissime errent, unus error ex prædictis satis est ad has affectiones inducendas.

Quod legitur, Promptissime offendunt, in Aldino contextu habetur πληρῶσι γὰρ ἑτοίμως. idest, prompte enim implent. Antiquus uero contextus noster prędictam lectionem in margine habet, in serie uero legit, πλήσσουσι γὰρ ἑτοίμως, idest prompte enim percutiunt uel offendunt.

QVINTO Galenus infert, ob hanc causam eunuchos podagram pati, & si usu uenereorũ careant: nam adeo sunt insatiabiles, desides & ebrij, ut etiam sine uenereis podagram incidere possint. unde eunuchi per illam met causam podagrã incidunt, per quam & alij, uno dempto, scilicet coitu, quo uti non possunt. Poeta Græcus appellat Podagram Deam μισόπτωχον, idest odio habentem pauperes, ad quos uel nunquam uel raro accedit. extat & distichum ignoti auctoris Græci.

Λυσιμελοῦς Βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς ἀφροδίτης,
γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

SEXTO Galenus aphorismum ampliat, ut hæc non solum in podagra, quæ solius pedis affectio est, intelligatur, sed etiam in morbo articulari. nam qui hoc morbo laborant, ut plurimum prius podagrici fuere.

Denique addit, quod præter dictas causas podagricorum accedit hęreditas, quia aliqui habuere patres, & auos podagricos, in quibus semen erat uitiatum, & ideo natis uehementiorem pedum, & articulorum imbecillitatem pręstitere.

APHORISMVS XXIX

MVlier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

BRASAVOLVS

CVM eunuchi fœminei generis sint, si proprietates aliquas habuerint, ea ratione qua eunuchi & fœminei sunt, easdem in muliere esse oportet. propterea cũ eunuchi podagram non patiantur, mulieres etiã podagra non laborare opus est, Quod in hoc aphorismo ab Hippocrate refertur. Vnũ tamen obseruare oportet, podagrã nõ incidere, nisi menstrua defecerint. quoniã præsentibus menstruis, superflua exeũt, quæ ad pedes procumbere possent, & podagram facere. At si menses deficiãt, materiæ illæ ad pedes non modo penetrare possunt, sed & quandoque penetrãt, & podagrã inducunt, quod utinam in multis religiosis potius fieret, in quibus materia illa in caput ascendit, & uehementius affliguntur, quam si podagram paterentur. quamuis & in mulieribus sæuissimas podagras uiderimus. Cũ igitur menses defecerint, & hoc præsertim ante statutũ deficiendi tempus, podagram incidere possunt, & hoc (ut Philotheus inquit) κακοχυμίας πληρούμεναι, ἣν κακοχυμίαν ἡ φύσις ὠθεῖ τὰ ἀσθενῆ καὶ ἄπορα, καὶ ἄκυρα μόρια καθάπερ ὡς ἄχρηστον καὶ τοῦθεν γίνεται ποδάγρα. idest, Malorum humorum multitudine plenæ, quam malorum humorum multitudinem, natura ad imbecillas partes & indigentes & ignobiles tanquam quid inutile impellit, & hinc fit podagra. Seneca in quadam epistola conqueritur de luxu fœminarum sui temporis: quæ fecerint falsum Hippocratem asserentem fœminas podagris non laborare.

Γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ. idest, Mulier podagra non laborat.] Adde si fuerit in uictu moderata, non potatrix, non turbucinatrix. nempe adeo intemperans esse posset, quod non satis essent menses ad illam purgandã, quin etiam materiæ superessent ad inducendam podagram aptæ. sicuti enim nostro hoc æuo ob uictum immoderatum eunuchi poda-

gram incidunt, ita ob eandem causam mulieres illam incidere possunt.

ἢν μὴ καταμήνια αὐτῇ ἐκλάπῃ, idest, Nisi illi menstrua defecerint.] Nam (ut Oribasius inquit) quoties mulieribus menstrua profluunt, purgatio est totius corporis: si uero non fluxerint, redundat materia humorum in toto corpore, gignuntur morbi, aliquando autem crassa ipsa materies decurrit ad articulos, & fit podagra. hæc Oribasius. Scito autem Hippocratem intelligendum esse, quando menstrua defecerint ante statutum deficiendi tempus, quod est inter quadragesimum & quinquagesimum annum. nam ex menstruis non solum id quod in muliere gignitur ob fœtus nutrimentum euacuatur quando plena fuerit, sed etiam plures superfluitates euacuantur, quæ in earum corpore sunt. Celsus non dicit Mulieres non incidere podagras, sed uigesimo quarto capite libri quarti inquit, ea, scilicet podagra raro mulieres nisi quibus menstrua supressa sunt, tentat.

GALENVS

MVLIERES nō fiunt podagricæ ratione euacuationis. Ostensum est enim in præcedente sermone, quod nisi humores superabundauerint, ex sola partium imbecillitate nō potest podagra fieri. Verum rursus & hic prius quidem erat uerum, ubi non omnino menstrua defecissent, quia parua erant delicta quæ ætate superiore mulieres admittebant, nunc uero ob eorum magnitudinē quædam podagra laborant antequam menstrua deficiant, cum nonnullis pauca exeant, nonnullis autem uel mediocria.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Mulieres nō incidere podagram ob euacuationem. nam in præcedenti aphorismo ostendit, nisi humores superabundauerint, ex sola partium imbecillitate non fieri podagram.

SECVNDO docet, & hoc fuisse uerum tempore Hippocratis, de mulieribus menses habentibus, quod podagras non inciderint, quoniam in uictu temperantes erant, & paucos errores faciebāt. At nostro hoc tēpore ob intēperantię magnitudinē mulieres podagras habentes uidentur, & nos nonnullas uidimus sæuissime etiam cruciatas.

Quod legitur, uerum rursus, & hic prius quidem erat uerum, græce est ἀλλὰ καὶ τοῦτο πάλιν, τὸ μὲν πρόσθεν μὲν ἀληθὲς ἦν.

APHORISMVS XXX

PVer podagra non laborat, ante usum uenereorum.

BRASAVOLVS

HOC magis perpetuū uidetur atq; statum, quàm id quod in mulieribus, & eunuchis dictum est. nempe experientia ostendit, pueros podagram non sentire prius quàm uenereutātur. Oribasius etenim dicit, ubi cum muliere rem habuerint, calor subtrahitur, & humores commouentur, hocq; in pueris est, etiam si uoraces sint, ut podagram non incidant, sed bene (ut Galenus inquit) pedum tumores incidunt, & articulorum, non tamen ueras podagras. Venere uti possunt pueri anno decimoquarto, uel parum ante, uel post: an uero utantur, in eorum arbitrio est. ante hoc tempus podagram non incidunt, nam opus est iuncturas imbecilllas habeant uel natura, uel exercitio, & motu materierum ad ipsas qui podagrā incidere debent. At hæc iuncturarum imbecillitas non est ante usum uenereorum, ideo nec podagra. Adde, in hac ætate superflua incremento consumi.

παῖς οὐ ποδαγριᾷ. idest, Puer podagra non laborat.] In tertio libro à nobis dictum est, quantum puerilis ætas extendatur. nunc per pueros, illos intelligit, qui uel in illa ætate sunt, in qua coire non possunt, uel si possunt, tamen non coeunt, at uigesimum quintum annum non excedunt. Nos uidimus magnificum Alphonsum Tassonum quindecim annorum ętate podagra laborantem. qua etiam ætate laborare cœpit Illustris Claudius Rangonus: an uero prius uenerem exercuerint, ignoramus. Tassonus negauit se illam exercuisse, à nobis quandoq; interrogatus.

πρὸ τοῦ ἀφροδισιάζειν, Vel (ut noster antiquus contextus in secunda lectione habet

habet) ἀφροδισιασμοῦ. idest, ante usum uenereorum, quia nōdum est facta agitatio, etiam si habuerint humorum copiam. unde & à Philotheo dicitur, εἰ καὶ περιττωματικοὶ εἰσὶν, διὰ τὸ πλημμελὲς τῆς διαίτης, ὅτι οὐ γίνεται ἐπ' αὐτοῖς βρασμὸς τῇ ἀρχῇ τῶν ἀφροδισίων. μετὰ δὲ τὸ ἀφροδισιάζειν, ποδαγριῶσιν τῷ λόγῳ τοῦ βρασμοῦ καὶ τῆς κινήσεως τῶν ἀφροδισίων, ἀπόρ χύσιν ποιοῦνται τῶν ὕλων, καὶ καταβλάπτουσιν τοὺς πόδας, εἰ τύχει αὐτοὺς εὐπαθεῖς εἶναι, καὶ τὴν ποδάγραν ποιοῦσιν. idest, etiam si excremētorum pleni sint ob uictus errorem, quoniam in ipsis concussio non fit ob Venereorum abstinentiam. At post ueneris usum, podagram incidunt ratione agitationis, & uenereorum motus, quę materierum fusionem faciunt, & pedes lædunt, si ipsos ad patiendum dispositos esse contigerit, & podagram faciunt. Hunc ordinem igitur habent. Eunuchi non patiuntur podagram, neq; mulieres, neq; pueri, sed eunuchi non patiuntur, nisi ob uictum intemperatum: mulieres, nisi ob defectum mensium: pueri, nisi postquam uenere uti ceperint. Tamen Celsus libro quarto capite uigesimoquarto simpliciter dicit, Raro pueros ante fœminæ coitum tentari podagra. Ipse igitur hoc simpliciter non negat, sed raro incidere dicit: quandoq; igitur (ex eius sententia) podagram incidere possunt.

GALENVS

QVOD magnam uim habeat ad podagræ generationem usus uenereorum, liquet etiam in pueris, & ex his quæ paulo antea de eunuchis dicebat. Eunuchos itaque uidimus quosdam podagra laborantes, pueros autem non uidimus. Verum et si quis tali est passione correptus, una & genuum articuli, & manuum intumuerunt, instar morbi articularis repente facti à plenitudine ex multis cruditatibus aceruata.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus probat, usum uenereorum ad podagræ generationem uim magnam habere, & hoc duobus argumentis, unum est ex pueris, aliud ex eunuchis. nam hi non patiuntur, quia uti uenere non possunt. Pueri uero non patiuntur anteq; usi sint.

SECVNDO dicit, se uidisse eunuchos, qui podagram passi sunt, pueros autem non uidit: at si quis uisus sit tali passione correptus, nō fuit podagra simplex, sed simul & genuum articuli, & manuum intumuerunt, ac si esset articularis morbus repente factus à multitudine ex multis cruditatibus aceruata.

APHORISMVS XXXI

DOlores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum aut uenæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.

BRASAVOLVS

ET si multa sint præsidiorum genera, quibus oculorum dolores sanari possunt, tamen Hippocrati placuit omnia ad quinq; genera deducere, quæ sunt, meri potio, balneum, fomentum, uenæ sectio, & medicamentum epotum. Omnia alia, quæ oculis applicari possunt, uel collyria sint, uel aquæ, uel decoctiones ad prædicta quinque deduci possunt. Celsus libro sexto capite sexto tria solum remedia ex his quæ ab Hippocrate dicuntur, enumerat, inquiens, Curari uero oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, uetustissimus author Hippocrates memoriæ prodidit. Oribasius uero quatuor solum enumerare uidetur, nam dicit, Sicuti quatuor sunt humores, ita quadrifariam oculorū dolores fieri intelligit Hippocrates, qui supradictis auxilijs tolluntur. At re uera à multis causis oculorum dolores fieri possunt, propterea tale auxilium præstare oportebit, quale expetit causa: etenim omnia omnibus doloribus non ualent, sed aliquibus aliqua, & alia alijs: & ideo Aetius libro septimo capite quinto cū hunc aphorismum adduxisset, inquit, Non tamen eidē homini cuncta hæc adhiberi iubet, sed alij sanguinis missionem, alij fomentum, alij balneum, & alij meri potionem, unde & Philotheus ita distinguit, inquiens, ἡ ὀφθαλμία γίνεται, ἢ κατ' ἰδιοπάθειαν, ἢ κατὰ συμπάθειαν. κατ' ἰδιοπάθειαν μὲν, ὡς ἡνίκα ἡ ὕλη οὖσα περὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἐνοχλεῖ, ἢ παχεῖα καὶ δυσκινήτως κλῶντος. ἢ λεπτὴ καὶ δριμεῖα, ὡς ἡνίκα δυσκρασία οὖσα ψιλὴ περὶ αὐτὴν ἐλαχίστην ὕλην ἔχουσα. κατὰ συμπάθειαν δὲ, ὡς ἡνίκα συμπάσχει ὁ ὀφθαλμὸς ἢ ἐν ἑνὶ μορίῳ, τουτέστιν ἐγκεφάλῳ

ἢ τινὶ τοιούτῳ, πλῆθος ὕλης ἔχοντι. ἢ τῷ παντὶ σώματι ποιότητι, ἢ ποσότητι χυμοῦ, ὀχλουμένου ἢ δυσκρασίᾳ. διαφόρων οὖν αἰτίων ἐόντων τῆς ὀφθαλμίας, διάφορος ἡ θεραπεία. idest, Lippitudo fit, uel per propriam passionem, uel per communicationem affectus. per propriam quidem passionem, ut quando materia circa oculum existens turbat, uel crassa & difficulter mobilis, uel tenuis & acuta, ut quando tenuis intemperantia circa ipsum est, minimam habens materiam. Secundum compassionem uero, ut quando oculus ex una parte compatitur, hoc est cerebro: uel quodam simili, materiæ copiam habente: uel ex toto corpore, qualitate, uel quantitate humoris turbata: uel ex intemperie. Quum igitur causæ sint indifferentes, quibus lippitudo fit, differt & curatio. At quæ nam sint differentiæ, & quomodo curatio fieri debeat, in exponendis aphorismi particulis statim edocebimus. Galenus in tertio Methodi medendi libro parum post principium inquit, se huius aphorismi sententiam experientia reperisse, & quando uno præsidio, & quando alio uti debeamus. Medicos reprehendit, qui in oculorum doloribus opio utuntur, mandragora, & hyoscyamo. nam ipse per hæc medicamenta ab Hippocrate enarrata curabat, atque sanabat. At quia Hippocrates non distinxit, quando hoc faciendum esset, & quibus casibus, propterea eodem loco his uerbis utitur, Nosti profecto non minus & illud, cum ab ephebis usque mecum sis uersatus, nec sub ullo me usquàm præceptore uidisse eiusmodi opus, sed id per me ratione excogitasse, & quàm longo tempore aphorismum illum, Dolores oculorum meri potio, uel balneum, uel fomentum, uel uena incisa, uel purgatio tollit, considerauerim: quanquàm ex reliqua Hippocratis diligentia sperauerim, ne in hoc quidem uel falsum quidpiam, uel quod fieri non posit, præcipi: idq; fuisse, quod me ad inquisitionem incitauit, quod ipsa Hippocratis insistẽs uia, inueni quo pacto discernerem, quando quomodoq; dictorum quoque sit utendum. Nos uero inter exponendas particulas, quibus conueniant, edocebimus.

ὀφθαλμῶν ὀδύνας. idest, oculorum dolores.] à quacunq; causa facti sint, uel intrinseca, uel extrinseca: uel cum materia, uel sine materia: uel calida uel frigida: uel humida uel sicca, subscriptis præsidijs tolluntur, non omnes uno præsidio, sed pro ratione causæ doloris suo præsidio uti debemus, tamen unum sit ex his quinque ab Hippocrate enumeratis.

ἀκρατοποσίη. idest, Meri potio. non tamen in omni oculorum dolore meri potione uti debemus, quia in multis doloribus plurimum obesset. nam si materia biliosa sit, tenuis, & ualde calida, uinum mirifice obesset, immo in hoc casu non solum non dandum, sed neque odorandum. At solum uino uti debemus, quando (ut Galenus in commento dicit) oculi sunt squalidi, & uenæ, quæ in oculis sunt, multum tumidæ, & sanguine plenæ appareant. unde & Paulus libro tertio capite uigesimosecundo inquit, Cæterum in quibus crasi sanguinis est intensio in oculorum uenis, sine reliqui corporis succorum redundantia, uino in potu calorifico, euacuandi ac obturandi uim habente. At nos hoc potius fieri iudicamus, quia sanguinem illum crassum attenuet, uias aperiat atq; resoluat, Quod & Aetius libro septimo capite septimo arbitratur. & Alexander Trallianus libro primo capite uigesimotertio inquit, Si quãdo citra plenitudinem corporis inflammatio, cum obstructione crasi & pituitosi sanguinis orta uideatur, tunc presentaneum præsidium est, si ante omnia temperato calefaciente, & meatus relaxante balneo lauetur ægrotus, & deinde uinum potui detur. uini nanque potus, cum aliàs, tum ita exhibitus, ad singulas quidem corporis partes, maxime uero ad caput promptissime defertur, neque calore modo reficit eas, sed extemplo etiam agitat humores meatus constipantes extenuando, & profligando: unaq; opera, locis uiribus destitutis eiusmodi robur inserit, ut facile loca obstructa aperiat, & quicquid obstiterit è medio extirpet. Verum semper dicto modo considerandum, num lauacrum expediat, necne. Hæc Trallianus. At tu forte dubitabis, quod nam uini genus hoc esse debeat, quo in hoc casu uti debeamus. Aetius pro nobis præcitato loco satisfacit inquiens, Vinum crassos humores permutat & attenuat, sæpeq; ex accidenti, illos etiam euacuat, quod esse oportet colore fuluum, substantia tenue, neque adeo antiquum, neque uehementer adstringens: dandumq; maxime assuetis, intemperiemq; siccam & frigidiorem habentibus. Si iterum dubites an uinum diluendum sit, uel sine aqua bibendũ, Aetius eodem loco docet, aquam

calidam, ſed non multam eſſe miſcendam, minuſq́ dilutum ſit, quàm prius dilui conſueuerat. immo & eodem loco, ſumendi modum copioſioribus uerbis docet, quàm ut à nobis opus ſit in præſentiarum referri. tamen his dandum non eſt, qui conſueti ſunt à uino pati. uinum igitur ſit paſſum, uel creticum, uel ex Veſuuio monte, quod Græcum Romæ uocant, copioſe epotum, ut multos fumos in caput mittat. Scito præterea hanc uini potionem non eſſe faciendam, niſi prius facta ſit, aut purgatio, aut uenæ ſectio, ſi opus erit. Si uero corpus non ſit plenum (ut à Tralliano notatur) uinum confeſtim prębere potes. Philotheus etiam in propria oculorum paſsione uinum exhibet, inquiens, τὴν δὲ κατ' ἰδιοπάθειαν λόγῳ πάχους ὕλης ἡ ἀκρατοποσία. τῷ θερμαίνειν καὶ λεπτύνειν, καὶ διαφορεῖν τὴν ὕλην, ἢ τῷ ὑγραίνειν, καὶ εὐκρατοῦν. ideſt, propriam autem paſsionem, ratione materiæ craſſæ uini meri potio (ſcilicet ſoluit,) in eo quod calefacit, & attenuat, & materiam diſcutit: uel in eo quod humectat, & temperiem affert.

Si uero petas cur hæc ab Hippocrate diſtincta non ſint, Galenus libro ſexto De ſimplicium medicamentorum facultatibus, ubi de Abrotano uerba facit, & empiricos reprehendit, huic dubio metam imponit, inquiens, Si qui uoluerint artem tractare ratione, ijs opus eſt methodo curandi: nam aliqui damnum magis, quàm utilitatem ex tali conſequentur narratione. Sanè Hippocrati, qui in aphoriſmis ſcripſit, Dolores oculorum ſoluit meri potio, aut balneum, aut fomentâtio, aut ſanguinis miſsio, aut purgatio, nec adiecit quos nam dolores uini potio, quos balneum, quos fomentum, quos ſanguinis miſsio, & quos purgatio: ignoſcendum forte quis arbitretur, tribus, ut arbitror, de cauſis. Siquidem aphoriſticam faciebat doctrinam, in qua propter breuitatem & compendium pleraq́ ita dici conceſſum eſt, & omnia quę dolores ſoluunt, enumerauit, tam & ſi non definit, ad quem dolorem quod nam ex illis congrueret: tamen multis in locis aliorum librorum occaſiones nobis præſtitit, diſtinctiones in ijs quæ hoc pacto dicuntur, inueniendi.

ἢ λουτρόν. ideſt, uel balneum,] ſcilicet oculorum dolores ſoluit, quando ſcilicet ex ſola intemperantia facti ſint. Philotheo etiam dicente τὴν δὲ δυσκρασίαν τὸ λουτρὸν τῷ αὐτῷ λόγῳ, ideſt, Intemperantiam uero balneum eadem ratione, ſcilicet ſoluit. Galenus in his ſolum balneis utitur, in quibus inflammatio ſola dolores facit. Aetius præcitato loco ſimul cum uino balneum facit. & capite ſexto eiuſdem libri ſeptimi docet, quibus balneum conueniat, inquiens, Congruit itaque balneum quibus œdematica inflammatio circa oculos ineſt. Eſt autem œdema, tumore laxum, tactu frigidum, colore candidum, humorq́ illi influens, immordacior, ac minus caleſcens, qui quidem oculo, neque ruborem, neque extenſionem affert: euenit ferè id morbi genus in ſenio, hyemali tempore, ac mulieribus præſertim pinguibus, & omnino his qui pituitoſi cerebri fuerint. Trallianus quoq́ præcitato loco balneum uino miſcet.

ἢ πυρίη. ideſt, uel fomentum, uel ſuffitus.] nam utitur uocabulo πυρίη pro ſuffitu, ut in illo aphoriſmo quinti libri fecit, Suffitus aromatum muliebria educit. Leonicenus hanc particulam in ſuo codice non habuit, tamen nos illam in omnibus Græcis exemplaribus inuenimus, & in duodecimo Methodi medendi libro, & in tertio, & in ſexto De ſimplicium medicamentorum facultatibus, ubi Galenus hunc aphoriſmum refert, ſemper hanc particulam inter alias enumerat. Conſtátque unum eſſe ex potiſsimis præſidijs, quæ in oculorum doloribus fieri poſſunt, Quod Galenus in commentatione egregie laudat, Aetiúſque decimo ſeptimi libri capite, tunc fomenta adhibenda eſſe docet, ſi craſsiſsima ſordes, præſertim in principio apparuerit, ut attenuetur, túncque à balneis penitus abſtinendum, quamuis alioqui fomentum balneo aſſimiletur.

ἢ φλεβοτομίη. ideſt, uel uenæ ſectio.] Scito autem uenæ ſectionem non eſſe per ſe remedium, quin etiam alijs complicari poſsit. immo & poſt uenæ ſectionem, quando opus eſt, balneo utimur, fomento, uini potione. Fit autem uenæ ſectio, quando redundauerit ſanguis per totum corpus. Aetius hæc ſigna ponit miſtionis ſanguinis in oculorum doloribus, modo non adſint cõditiones quę ſanguinẽ mittere prohibẽt, quando ingẽs dolor oculos afflixerit, & plurima extẽſio ac rubedo uideatur, renitẽtia ad tactũ,

atq; ardor adfuerit, feruidarumq; lachrymarũ copia defluxerit, ac tumor corneã pariter & coniunctiuã tunicã occupauerit præ uehementi inflãmatione oborta, genæ ita euertantur, ut uix oculos possint occludere, totaq; coniunctiua intumescẽs rubuerit, ac preterea uniuersum corpus sanguine repletũ fuerit. Sed hic duo occurrũt ambigua, unum est de missione sanguinis ex qua uena fieri debeat: aliud de quãtitate sanguinis, qui educi debeat. Aetius præcitato loco utriq; dubitationi satisfacit, primæ, inquiens, Venã autem quam potissimũ secare oportet, superior est, quam humeralẽ uocant: & illa est, quã nos capitis uenam uocamus: tamen facta hac uniuersali sectione, quandoq; ad occipitij uenam incidendã peruenire oportet, quandoq; ad frontis uenã. Secundæ uero ambiguitati ita satisfacit: sectionemq; ampliorẽ facere expediet, ut crassiore sanguine euacuato, & animi deliquio maturius inuecto, protinus dolor ardorq; inflãmationis auferri possit, unde opus est sanguinis euacuationẽ copiosam esse oportere, & non quatuor, aut quinque unciarum, ut nunc ferè Medicorũ uulgus educere consueuit. Venæ autem sectio sanat, quia materiam faciente dolorem euacuat. propterea & à Philotheo dicitur τὴν μὲν γὰρ ποσῷ κατὰ συμπάθειαν λυποῦσαν ὀφθαλμίαν θεραπεύει ἡ φλεβοτομία τῷ λόγῳ τῆς κενώσεως, idest, eam enim lippitudinem dolorem afferentem, quæ fit quantitate per commmunionem affectus, curat uenæ sectio, ratione euacuationis.

ἢ φαρμακίη λύει, idest, uel medicamentũ soluit.] ut hic Philotheus dicit, eum dolorem qui fit ποιῷ, idest, qualitate, ἡ κάθαρσις, idest, purgatio soluit. nam καθαιρομένου τοῦ αἰτίου, ἡ ὀδύνη αὐτίκα παύεται, idest, euacuata causa, dolor statim cessat. Tunc uero purgatione uti debemus, quando alij humores præter sanguinẽ peccabũt. & ideo Aetius capite nono septimi libri dicit, In quibus tenues, multæq; lachrymæ, aut salsæ aut acres, aut frigidæ, emanauerint, uniuersumq; corpus prauo succo abundauerit, caputq; excrementosum fuerit, iugiterq; aluus sisti cõsueuerit, & inde deprauatorũ humorum multitudo aggregari, ingensq; dolor infestauerit. Sicuti enim in mittendo sanguine plenitudinẽ corporis, quam plethoram uocant, ita in purgatione succorum prauitatem remouere cogitamus. Idem sentit Paulus, idemq; Trallianus. Itaq; humore cõsiderato, qui peccat, medicamentum, ut exigit, dare oportet: & si plures sint humores, medicamentum compositum sit, ut humorum diuersitas expetit. De medicamẽtis uero his humoribus statutis, præscripti authores egregie disserunt. Vides igitur quomodo in uarijs oculorum doloribus uarijs præsidijs uti debemus. Galenus in duodecimo Methodi medendi libro non longe à principio, cum edocuisset esse quædam symptomata, quæ adeo ingentia sunt, ut symptomati, & non morbo opem ferre cogamur: quandoq; uero simul nos posse et causæ & symptomati mederi, hunc aphorismum refert inquiens, At sanguinis missio, quæ scilicet uires non deijcit, symptomata spectãtis medici opus non est, sed eius qui totum affectum adimere studet: ad eundem modum, & balneum, & purgatio, & fomenta calida, & uini potio, quorum omnium Hippocrates in aphorismis, ubi de oculis dolẽtibus loquitur, his uerbis meminit, Oculorum dolores meri potio, lauatio, fomentum calidum, uel purgatio soluit. Hæc nanque omnia dum affectus sanant, una etiam cum ipsis dolores sedant.

GALENVS

SINGVLA horum quæ dixit, magis experiẽtia, & non ratione aliqua uidetur mihi Hippocrates cognouisse: nil enim mirũ si homo dolens cum isset ad balneum dolore fuit liberatus, uel si non permissus bibere uinum, deinde nullã ex hoc sentiens utilitatem motus est ad bibendum, alioquin multũ appetens uini, & posthac melius se habuit. Sicuti igitur & plura alia quæ medici hoc modo inspexere, sunt abs eis scripta absq; aliqua determinatione, ita & hæc mihi uidentur ab Hippocrate, neq; ut rationali dicente, dispositiones, neq; ut empirico, cõcursus. Vtilitas autem quæ nobis potest aduenire, ex sermonibus hoc modo scriptis est inquirentibus dispositiones, in quibus meri potio, et balneum, & singulũ eorum quæ seriatim dicta sunt, utile sit, quod & mihi contigit. Nã q; omnino sint aliqui oculos dolentes, quorũ nõnulli meri potionibus, nõnulli balneis iuuentur, fidem Hippocrati adhibens eram persuasus, neq; enim illud scripsisset, si non uidisset. Non tamen ab aliquo præceptorum tale auxiliũ aliquod animaduerti fuisse adhibitũ. Cum itaq; omnes quæsissem dispositiones in quibus sit necessariũ, non in oculo tantum

tantũ, sed & in alijs partibus fieri dolores, deinde mihi ipsi persuasus adinuenisse, hinc consideraui earum indicia dispositionum, & postq̃ etiam his credidi, tunc ausus sum remedia afferre dolẽtibus. & primum quidẽ adolescentẽ balneaui, cui medicus non absq; ratione in die secundo ab initio uenam secuerat, & deinceps curauerat medicinis quas experientia cognouerat, cum inflãmatio sola obsideret oculos. Dolebat aũt uehementissime in quibusdã insultibus, in quibus aiebat ipse sentire se acutos humores, qui uniuersim defluebant ad oculos, mox post eorum excretionem uehementia doloris sedabatur, non tamen dolor omnino cessabat, & hoc illi per totam quintã accidit diem, maius semper habens incrementum. Cum igitur dolorem non posset tolerare, me, & quendam alterum ex ocularibus medicis aduocauit in urbe Romana probatissimũ. Illi itaq; uidebatur utendum esse collyrio quodam ex his quę emplastica nominant et anodyna, idest dolorem sedantia, cuiusmodi sunt quæ ex Cerusa lota, Amylo, & Papauere componuntur, nam sic maxime posse reprimi per emplastica id quod influebat, & simul sensum torpescere per infrigidantia sperabat. Ego uero ab initio suspecta habui talia medicamenta, neq; enim uehementes reprimunt fluctiones, sed excerni prohibent, atq; ideo si humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit, si uero multi, magis irritari, ac uehementer extendi, ac si rumperetur, ex quibus, nisi medicamentum fuerit uehementer stupefaciens, dolores impatibiles excitantur. Si uero fuerit adeo uehemẽter stupefaciens, ut ex eo oculi maximam inflammationem non sentiãt, necessarium est simul quidem uim uisoriam offendi, adeo quod cessãte inflammatione, uel debiliter, uel nihil omnino uideant, simul autem & quandam præduram dispositionem, & quę difficulter sanari possit, in oculorum tunicis derelinqui. Cum igitur ita nouissem, atq; animaduerterem humorem influentem non paucum, & fortiter acrem, ac calidum, primũ fomento utendum censui, experientię gratia, tanquàm ex ea certius cogniturus qualis nam foret dispositio. Solet enim in his fomentum usq; ad aliquid dolorem mollire, sed alteram fluctionẽ aduocare. Qua enim ratione potest id quod in oculis continetur discutere, eadem etiam alteram ex uicinis attrahere. Verum q̃primum, & aquam calidam, & spongiam afferri iussi. Æger ipse se dixit expertum esse tota die id remedium, primũ quidem dolorem minuere, sed paulo post maiorem facere, quę ego cum audissem medicum ocularem dimisi, pollicitus ipse expectare, & ægrum absq; medicamento frigido à dolore liberare. Cum autem solo balneo usus essem, ita dolorem sedaui, quod tota nocte dormiuit æger, & neque semel aliquem qui iuxta dormiebant aduocauit. Ab hinc in reliquis in quibus per signa cognoui, influere quidem humores acres ad oculos, non tamen corpus esse plenum, balnei usu dolorem sanaui. Alium autem quendam adolescentem qui iam pluribus diebus inflammationem patiebatur in oculis rura colentem, non prope ciuitatem uidi, postmodum quoniam passio perseuerabat cum ad ciuitatem uenisset squalidos habentem oculos, sed ualde tumidas, ac plenas sanguine eas, quæ in ipsis uenas erant: cui iussi, ut se lauaret, ac potu uteretur meraciore, & ita se sopori traderet. Et quidem somnus ipsum profundus inuasit, & mane sine dolore surrexit, mihiq; præbuit audaciam in quibus sanguinis copia crassioris in oculorum uenulis continetur sine plethorica in tota corpore dispositione, uini potione diffundere sanguinem, atque euacuare potente, & sui motus uehementia obstructiones aperire. Hæc igitur sunt fortia remedia doloris oculorum. Securissimum autem fomentum est & omnino aliquam afferẽs utilitatem, uel tanquàm signum ad dignotionem, uel tanquàm causa sanitatis oculorũ. Quando enim nihil omnino influit in oculos, fomentum dissoluens eam quæ in ipsis cõtinetur superfluitatem eis sanitatem restituit. Cum uero adhuc influit, cum primum adhibetur suo calore, aliquod affert mediocre leuamen, sed paulo post dolorem auget, & tunc fit signum dignoscitiuum, ex quo nos dispositionem comprehendentes, ad totius corporis euacuationem peruenimus, ipso quidem sanguine redundante, per uenæ sectionem, sed malitia humorum infestante, per purgationem: neque enim est difficile admodum distinguere alteram ab altera.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus uidetur ferè latenter innuere, ex hoc aphorismo paruam haberi utilitatem, nam Hippocrates secundum Galenum hæc potius uidetur experientia, quàm

tia, quàm ratione cognouisse. nempe mirum non est, si homo, cui oculi dolebant, iuerit ad balneum, & liberatus sit: uel si non permissus uinum bibere, postea bibens, quia appetat, etiam liberetur. nam medici multa talia inspicientes, illa scribere solent sine aliqua probatione, ita in proposito, Galeno uidetur Hippocratem fecisse, hæc etenim collegit quæ experientia uidit. tamen non utitur rationalium uoce, qui dicunt διαθέσεις, idest, dispositiones: nec empiricorum, qui dicunt συνδρομὰς, idest, concursus.

SECVNDO utilitatem docet, quæ ex huius generis sententijs habetur. Est autem hæc, quia nos quærimus dispositiones, quæ uini potione soluuntur, quæ balneo, & ita de alijs, quod Galeno contigit. De sententia aũt ipsa, quod scilicet ex uini potu nõnulli liberati sint, alij ex balneo, Hippocrati credendũ est, quoniã id non scripsisset, si non uidisset. Hoc supposito, tanꝗ uero, Galenus dispositiones cõsiderare cœpit, per quas nõ solum in oculo, sed etiam in omni parte dolores necessario fiunt. Postea illarum dispositionum indicia contemplatus est, & postꝗ indicijs credidit, ausus est afferre remedia.

TERTIO casum quendam refert adolescentuli quem balneauit. Alter enim medicus illi sanguinem secundo die detraxerat, & hoc non sine ratione: deinde suis medicamentis curauit, quæ experientia nouerat, quando inflammatio sola obsidet oculos. hic uero dolebat in quibusdam insultibus, in quibus ipse æger dicebat se persentire acutos humores, qui uniuersim defluebant ad oculos, sed statim post eorum excretionẽ, doloris uehementia sedabatur. At dolor non cessabat penitus, & hoc illi accidit per quintam totam diem semper crescens, unde adolescens dolorem ferre non potens Galenum uocauit, & alium quẽdam medicum ocularium in urbe Roma probatissimum, cui uidebatur emplastico collyrio, & anodino utendum, ex cerusa lota, amylo, & papauere composito. nam ex hoc sperabat, per emplastica posse reprimi quod influebat, & per frigida posse sedari dolorem. Sed Galenus semper habuit hæc medicamẽta suspecta: nam non reprimunt uehementes fluxiones, sed excerni prohibent, unde si fluentes humores acres extiterint, corneam erodi contingit: si multi, magis iritari, & uehementer extendi, ac si rumperentur, ex quibus nisi medicamentũ sit uehementer stupefaciẽs, ingentissimi dolores fiunt. Si uero medicamento adeo stupefaciente utaris, ut oculi inflammationem non sentiant, opus est uim uisoriam simul offendi. nam cessante inflammatione, aut nihil uidebit, aut diminute, & præduram quandam dispositionem acquiret in oculorum tunicis, quæ difficulter sanari possit. Hæc noscẽs Galenus, & simul noscens humorem in hoc adulescente multum esse, & ualde acrem, ac calidum: primo experiri uoluit fomento ex aqua calida: nam mollit dolorem, sed alteram fluctionẽ aduocat: discutit enim humorem in oculis existẽtem, & alterum aduocat propinquum. Sed cum Galenus spongiam & aquam afferri iussisset, æger dixit se tota die id remediũ expertum esse, quod primo dolorem minuebat, sed paulopost maiorẽ reddebat. Tunc Galenus ocularium medicum dimisit, & promisit expectare, & ægrum absꝗ medicamento stupefaciente liberare, ususꝗ est solo balneo, & ita dolorem sedauit, ut per totam noctem dormiret æger, & nullum ex assidentibus aduocaret. Tunc Galenus semper balneo usus est, quãdo uidit humores acres ad oculos influere, & corpus non esse plenum, & omnes sanati sunt.

Quod legitur, & papauere. In Aldino contextu habetur μήκωνος, sed in nostro antiquo duæ sunt lectiones, prima dicit μήκωνος, idest, papauere, alia κωνέιυ, idest, cicuta. utrunque legi potest.

Quod etiam legitur, & simul sensum torpescere per infrigidantia sperabat. illa particula, per infrigidantia, legi debet, per stupefaciẽtia, nam Græce habetur in Aldino contextu ναρκωθήσεσθαί τε ἅμα τὴν αἴσθησιν διὰ τῶν ναρκωτικῶν, idest, & simul sensum torpescere per stupefacientia sperabat. tamen in nostro antiquo cõtextu duæ sunt lectiones, una quæ prima est, quam Leonicenus habebat, & legit τῶν ἐμψυκτικῶν, alia, quam superius ex Aldino contextu retulimus, & quam magis probamus, ut potius legatur stupefacientia, quamuis utrunꝗ dici possit.

Quod etiam legitur, Adeo quod cessante inflammatione, Græce est ὥστε μετὰ τὸ παύσασθαι τὴν ὀφθαλμίαν, idest, adeo ut cessante lippitudine, in aliquibus cõtextibus habetur, adeo ut cessante oculorum inflammatione.

Quod

Quod etiam legitur, æger ipse expertum esse tota die idem remedium. hic deest particula, Sæpius. nam Græce habetur οὗτος ὁ κάμνων ἔφη πεπειρᾶσθαι πολλάκις ἤδη δι᾽ ὅλης ἡμέρας τοῦ βοηθήματος. idest, æger ipse se dixit expertũ esse tota die sæpius idem remediũ.

QVARTO Galenus alium casum in alio adolescente describit, qui per multos dies in oculis inflammationem patiebatur, rura autem colebat, sed passione perseuerante uenit ad urbem, oculos habebat squallidos, & uenas, quæ in oculis sunt, ualde tumidas ac sanguine plenas. Galenus hunc adolescentem lauari iussit, & uinum meracius bibere, & tradere se sopori. Somnus uehemẽs inuasit ipsum, & mane sine dolore surrexit. propterea Galenus ex hoc signum accepit, quando uino in oculorum doloribus uti debeamus, quando scilicet sanguinis crassioris copia in oculorum uenis continetur, sine totius plenitudine. nam uinum in hoc casu sanguinem diffundit, & euacuat, & obstructiones aperit.

Quod legitur, in toto corpore dispositione, uini potione, legi debet, uti uini potione, uel utendi uini potione: quoniam non esset conueniens sensus absq; particula uti, & in Græco contextu habetur οἴνου χρῆσθαι πόσει.

Deniq; Galenus infert, hæc esse in oculorũ doloribus fortia remedia, tamen fomentum summe laudat tanquàm securissimum, & quod omnino utilitatem aliquam affert, uel tanquàm signum, ut in primo casu superius citato, uel tãquàm causa, quia resoluat, & oculos sanet. nam si nihil aliud in oculum transmittatur, fomentum id superfluum resoluit, quod præsens est, & sanitatem restituit. At si adhuc aliquid influatur, tamen leuamen aliquod affert, quamuis paulopost dolor augeatur, & tunc signum est dignoscitiuum. Tunc enim corpus plenum esse comprehendẽtes, ipsum euacuamus, si sit sanguis ipse qui superabundet, per uenæ sectionem. At si sit humorum malitia quæ infestet, per purgationem, nec multum difficile est alteram ab altera distinguere.

Nota hic, quod à Leoniceno interpretatur, Ipso quidem sanguine redundante, Græce est πληθωρικοῦ μὲν ὄντος. Quod etiam Leonicenus uertit, sed malitia humorum infestante, Græce est κακοχύμου δέ.

APHORISMVS XXXII

BAlbi ab alui profluuio maxime capiuntur.

BRASAVOLVS

FACILE est (illum qui caput natura humidum habuerit, & adeo humidum ut operationes impediantur) humidas illas materias ad uentriculum descendere, & à uentriculo per intestina proficiscentes alui profluuium inducere. Hoc balbis facile euenire potest, nam & ipsi caput humidum habent, & ualde humidum, propterea affectionẽ istam potissimum incidunt. non tamen hoc dicit, quin etiam alias non incidant, sed quia hãc facilius, nec etiam hoc dicit, quia absq; hoc morbo esse non possit.

Τραυλοί. idest, balbi.] Homines multis de causis balbi fieri possunt, ut Galenus in commentatione docet. primo autem uidere oportet, quid sit esse balbum. Græci in hac re uocabula magis propria habent, quàm Latini. nam illos qui dictiones, quæ per t, & r. incipiunt, recte proferre non possunt, Traulos uocant, & eos qui non possunt recte proferre p. & s. pselizestas. Nos uero semper idem nomen habemus, & eodem utimur, siue sit unius literæ error, uel alterius. Qui ergo literas aliquas recte non proferunt, balbi uocantur, quæcunq; sint illæ literæ. propterea uocis uitium non est, sed dialecti, idest linguæ. quando enim est uocis uitium, quia simul exibiletur, uel fiat aliquis strepitus, & literæ non mutentur, hi blesi dicuntur, quamuis & blesitas sit etiam dialecti uitium, non uocis, tamen nec Græci omnibus his differentijs nomina habẽt. nempe aliqui sunt qui d. proferre non possunt, aliqui q. & u. per f. proferunt. alij r. ægre pronuntiant, præsertim si simpliciter proferatur. Alteri uero literæ si iungatur, egregie proferunt. aliqui aberrant in litera z. alij in alijs. Immo & uitia quædam gentibus quibusdam peculiaria inueniuntur, nam apud nos, Comaclienses loco huius literæ z. ponunt s. cũ enim

proferre uolunt uenanzo, dicunt uenanso, & brazzo, brasso. Non desunt, qui dictionis principium bis terue ingeminent, & qui finem ac si echo resonent. Alij integram dictionem bis repetunt: alij tarde incipiunt, cum uero inceperint, subito perficiunt. alij è contrario. Quorum differentias si quis scire cupiat, per seipsum inueniat. nam & Græci de his non multa scriptis dedere. Aetius libro octauo capite trigesimosexto, de Ancyloglossis agit, inquiens, Aliquos fieri ex natiuitate, alios ex aliqua affectione. Ex natiuitate fiunt, quum mēbranæ inferiores, quibus lingua innititur, duriores & mutilæ à natura sunt productæ. ex affectione autem ancylosis & incuruatio linguæ contingit, præcedente ulcere, & cicatrice dura sub lingua relicta. Qui hoc modo affecti sunt, difficulter loquuntur, Quare etiam Mogilali à Græcis sunt appellati. Qui uero ex natura ancyloglossi existunt, principio quidem tarde in sermonem prorumpunt: ubi uero loqui cœperint, citra obstaculum, & satis festinanter loquuntur. Impediuntur tamen in prolatione nominum aut uerborum, quorum aliàs difficilis pronuntiatio existit, ueluti in quibus R. aut L. aut C. literæ frequenter occurrunt. Hæc Aetius. Apud Philotheum dialectus naturaliter fit, πότε φερομένης τῆς γλώττης πρὸς τοὺς τομεῖς, καὶ στηριζομένης ἀτονωτέρης οὔσης. ἄλλως τε δὲ ἀνακλωμένης, ὡς ἐπὶ τὰ ἄνω. τῇ γὰρ διαφόρῳ κινήσει, τὴν ἐκφώνησιν ποιοῦσα τὴν διάλεκτον ἀποτελεῖ. idest, Aliquando lingua ad incisorios dentes delata, & firmata, utpote interiore existente, aliasque ad superiora refracta: etenim differente motu pronuntiationem faciens dialectum perficit. Ex his igitur quomodo naturalis dialectus fiat, docet Philotheus, at quomodo illa fiat, quæ præter naturam est, consequentibus uerbis ostendit, ἰστέον δὲ ὅτι δύο γίγνονται πάθη περὶ τὴν φωνήν. τὸ κλαγγὸν, καὶ τὸ βραγχόν. περὶ δὲ τὴν διάλεκτον δύο, τὸ ψελλὸν, καὶ τὸ τραυλόν. ὁ τραυλισμὸς δὲ γίνεται ἐνίοτε βραχυτέρου τοῦ προσήκοντος γεγοννίας τῆς γλώττης, ὡς μὴ φθασάσης καλῶς στηρίζεσθαι πρὸς τοὺς τομεῖς ὅπερ σπάνιον. ἐνίοτε δὲ μαλακωτέρας, καὶ ὑγροτέρας οὔσης, ἢ κατ' αὐτὴν, ἢ διὰ τὸν ἐγκέφαλον. τῷ γὰρ πλήθει βαρυνομένη οὐ δύναται ἀνακλασθῆναι. κἀντεῦθεν τραυλισμὸς γίνεται, περὶ οὗ καὶ ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει. idest, Sciendum uero quod duæ fiunt, circa uocem passiones, clangor & resonatio: circa dialectum, id est, literarum expressionem etiam duæ pselum & traulum, idest, balbuties. Traulismus autem fit, interdum lingua breuiore nata, quàm conueniat, utpote non bene perueniente ad priores & incisorios dentes, quibus hæreat ac firmetur, quod quidem rarum est. Interdum uero molliore & humidiore existēte, uel per seipsam, uel ob cerebrum: multitudine (scilicet humiditatis) enim aggrauante reflecti non potest, & hinc fit Traulismus, de quo & Hippocrati sermo est. Multæ igitur sunt balbutiei causæ, linguæ breuitas, quod rarissimum est, ut Galenus in commentatione dicit, & Philotheus etiam refert: quandoque est ex siccitate, non potest esse in uno tanta siccitas, ut ob eam balbuties naturalis seruetur. Tamen Aristoteles istos melancholicos facere uidetur nona Problematum particula, problemate trigesimooctauo, & consequenter siccos. nempe petit quam ob causam qui lingua hæsitant, melancholico habitu constant. Respondet, An quod propere sequi imaginationem, non nisi esse melancholicum est, hæsitantes autem illi tales proculdubio sunt. impetus nanque dicendi præruit, anteceditque facultatem eorum, utpote cum animus uisa sequatur. Balbis etiam idem accidit. hos etenim omnes membra uoci accommodata tardiora habere certum est. Indicium uero quod tales uinolenti redduntur, cum suas maxime imaginationes, non rationem sequuntur. Aristoteles ergo balbos potius siccos facere uidetur, quàm humidos: attamen rarissimum est, quod ex siccitate balbi homines fiant: etsi fiant, perseuerare non possunt, ut Galenus in commentatione testatur. Et re uera si Aristotelis problema quotidianæ experientiæ comparabimus, falsum esse deprehendemus. nempe in dies balbos uidemus, qui atra bile non abundant. Putamus igitur, de his solum balbis Aristotelem mentionem fecisse, qui ex imaginatione sunt tales, quoniam ea cito uerbis expedire tentant, quæ imaginantur, itaque impediuntur, & balbi sunt. Alia balbutiei causa est, naturalis capitis humiditas, quæ linguæ neruos implet, & hoc non solum pueris contingit, sed etiam adultis, immo aliqui quandoque balbutire incipiunt, qui prius non balbutiebant. Illustrissimus Dux noster cum puer esset, non impediebatur in sermone, uir factus, ob capitis humiditatem impediebatur, nunc ferè nihil impeditur. & hoc in dies obseruamus, si aeris constitutio sicca sit, nihil

impeditur

impeditur. Si humida, parumper. At futurũ speramus ut nihil deinceps impediatur. Id tamen impedimentum non est uera balbuties, sed potius difficultas quædam in prolationis initio. prima uero dictione prolata, alias fœliciter prosequitur. ex capitis humiditate hoc fit, linguæ neruos impediente.

ὑπὸ διαῤῥοίας μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς. idest, Ab alui longo profluuio maxime capiuntur.] In Leoniceni interpretatione librarius hanc particulam longo, præterijt. humiditas illa quæ in capite est, ad uentriculum transmittitur, & à uentriculo ad intestina, itaque alui profluuium consequi necessarium est. At quia cerebrum frigidum, materiæ quæ ad ipsum deueniunt, non coquuntur, sed absq; intermissione ad uentriculum transmittuntur, si hanc uiam cœperint: & quia istud in cerebro perseuerat, transmissio etiam ad uentriculum perseuerabit, & ex consequenti ad intestina. Scito tamen, profluuia potissimum fieri, si materia salsuginea sit, nam salsedo illa intestina ad expellendum excitat atque proritat, hocq; profluuium à recentibus capitale nuncupatur, quoniam à capite defluat. Eandem causam Philotheus assignauit inquiens, τοῦ γὰρ ἐγκεφάλου τὴν γλῶτταν ὑγραίνοντος, ἐξ ἧς ὁ τραυλισμὸς γίνεται, ῥευματίζοντος εἰς τὴν γαστέρα, ἡ χρονία διάῤῥοια ἕπεται, καὶ τῆς γλώττης διυγροτέρας οὔσης φύσει, καὶ τὴν κοιλίαν εἰκότως εἶναι τοιαύτην ὡς ἂν θατέρου τῶν χιτώνων αὐτῆς, κοινοῦ πρὸς τὴν γλῶτταν ὑπάρχοντος. οἷς καὶ οἰκεῖον πάθος ἡ πολυχρόνιος διάῤῥοια. idest, Cerebro enim linguam humectante, ex qua Traulismus, idest, balbuties fit, destillante in uentrem, longum sequitur profluuium, & cum lingua humida natura sit, uentriculum similem esse conuenit: quoniam altera tunicarum ipsius ad linguam communis est, quibus & propria passio longum profluuium. At usus est hac particula, Maxime, quoniam & alias affectiones patiuntur, sed hanc potissimum incidunt, quando ex nimia cerebri humiditate balbuties sequitur. Tamen cum nos infinitos ferè balbos uiderimus, qui non modo non sunt capti longo alui profluuio, sed nunquàm profluuium perpessi sunt, propterea nobis in mentem uenit, hunc esse Hippocratis sensum, non quidem balbos profluuio alui maxime capi: sed si capiantur, longo profluuio potissimum capiũtur: tamen capi necessarium non est, cum uero capiuntur, id profluuium maxime diutinum est.

GALENVS

SICVTI pselizesthæ, idest, balbutire linguæ uitium est non uocis, sic & traulizin, eiusdem uerbum significationis, in sermone Græcorum non potente lingua exquisite eas dearticulare uoces quæ per t. & r. proferuntur, qualis est hæc ipsa traulosis, & hæ aliæ similes, trechi, tribi, trachy, trocos, tripheros, & quæcunq; aliæ tales. Hæ si quidem omnes exigunt linguam se ampliantem, ac prioribus dentibus innitentem. Quando igitur in quibusdam fuerit imbecillior, peius firmatur, & sonum t. & r. nequit dearticulare, sed ad t. & l. facile labitur. Hoc autem & ei potest accidere quoniam sit breuior, quàm ipsi conueniat, quod rarissimum existit. Sed & quia molliorem, atq; humidiorem habet temperaturam, quam ob causam & pueri, balbutiunt cum tale ipsis contingat, quale etiam in ambulatione: nam & hanc nonnulli eorum neque omnino habent, nonnulli uero non sufficienter, cum crura nequeant in eis propter mollitiem firmiter stabiliri. Quibusdam uero eorum etiam ætate integra, cum in loquendo laborauerint, balbutire contingit, sicuti & illis qui plurimum tibia cecinerint, & quibus uires ex morbo sunt debilitatæ, sicuti & quibusdam quibus lingua est uehementer exsiccata. Verum siccitas tanta nulli inesse potest qui habitum seruet naturalem, atque ideo solius humiditatis immodicæ est casus in his qui natura balbutiunt id linguæ detrimentum, cum eius musculi nequeant firmiter stabiliri, quod eis potest accidere, uel propter suam, uel propter neruorum imbecillitatẽ, quos uidelicet à cerebro suscipit. Quare & ebrij aliquando balbutiũt, tum quia multa humiditate perfunditur cerebrum, tum quia etiam ab ipsius multitudine pergrauatur. Continget igitur his qui sunt balbi natura alterum horum, aut cerebrum habere humidum, uel linguam, uel utrunque. Et cerebro quidem talem sortito temperaturam defluere ab eo multas par est humidas superfluitates, atque inde fluentes in uentrem suscipi. Vnde & longis profluuijs homo capitur. Lingua uero admodum humida ex natura existente, & uentriculum talem esse par

est, ut qui alteram sui tunicam communem habeat ad linguam, imbecillis autem ex humiditate uentriculi propria passio est diuturnum profluuium.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet sicuti ψελλίζεσθαι, idest, balbutire, est dialecti, idest, linguæ uitium, & non uocis, ita & τραυλίζειν est dialecti uitium, & non uocis, quando quis dictiones illas proferre non potest, quæ incipiunt per t. & r. ut trachy, trechi, & similes alias. nam ad has proferendas linguam seipsam ampliare opus est, & gelasinis dentibus inniti. At si in aliquibus imbecillior sit, peius firmatur, & sonum qui fit à t. & r. dearticulare non potest, sed ita proferunt ac si t. & l. proferre uideantur. Sed audi & Aristotelem in secundo De partibus animalium, de hac re ita dicentem, ἡ μὲν οὖν τραυλότης, τῷ γράμματός τινος μὴ κρατεῖν, καὶ τοῦτο οὐ τὸ τυχόν. ἡ δὲ ψελλότης τῷ ἐξαίρειν τι, ἢ γράμμα, ἢ συλλαβήν. ἡ δὲ ἰσχνοφωνία ἀπὸ τοῦ μὴ δύνασθαι ταχὺ συνάψαι τὴν ἑτέραν συλλαβὴν πρὸς τὴν ἑτέραν.

Quod legitur, & sonum t. & r. Græce est φθόγγον, quod quidem nomen sonum significat, sed talem qui dearticulationem habeat.

Quod etiam legitur, facile labitur, Græce est μεταπίπτει.

SECVNDO docet, hoc etiam contingere posse, quia lingua suapte natura adeo breuis sit ut dentes attingere non possit, quod tamen rarissimum esse testatur.

TERTIO docet, Idem contingere posse, quando is qui patitur, molliorem & humidiorem temperaturam habuerit, unde & pueri balbutiũt, quia humidi & molles. Idem præterea ipsis in ambulatione contingit: nam ob mollitiem crura firmiter stare non possunt, propterea ferè uacillare uidentur, atque balbutire.

QVARTO docet, Id non solum pueris cõtingere, sed etiam ætate prouectioribus, atque integris, ut quandoque dum laborauerint, balbutiant: sicuti illis usu uenisse compertum est, qui diu tibiam inflarunt, & illis quibus ob morbum uires imbecilles redditæ sunt.

QVINTO, Idem euenire docet nonnullis, quibus lingua uehementer exsiccata est, addit tamen in aliquo tantam siccitatem esse non posse, ut naturalem balbutiem seruet, idest, ut diu seruet.

SEXTO infert, hoc esse solius humiditatis symptoma, quoniam linguæ musculi firmiter stabiliri non possunt: idque contingit uel ob ipsorum musculorum, uel ob neruorum imbecillitatem, quos neruos à cerebro suscipit. unde experientia uidemus, ebrios aliquando balbutire, quia cerebrum multa humiditate perfunditur, & etiam ab ipsius multitudine prægrauatur.

Quod legitur, Quod ei potest accidere, Græce est τοῦτο δὲ αὐτοῖς, idest, Quod eis, nam si legamus ei, ad musculos referri non potest.

SEPTIMO iterum infert, horum trium alterum his contingere qui balbi sunt, nam uel cerebrum humidum habent, uel linguam, uel utrunque.

Denique Aphorismi rationem concludit, quę est, Si cerebrum talem temperaturam nactum sit, ab eo multas humidas superfluitates defluere, quę in uentrem suscipiuntur, & hinc homo diuturnis profluuijs capitur. Si uero lingua humida sit, uentriculũ etiam humidum esse necesse est, quoniam & una eius tunica ad uentriculum communicatur. At cum uentriculus ex humiditate imbecillis fuerit, eius propria passio est diuturnum profluuium. unde uel sit ex cerebri, uel ex linguæ, uel ex utriusque humiditate, necesse est diuturna profluuia consequi.

APHORISMVS XXXIII

QVi acidum eructant, non ualde morbo laterali corripiuntur.

BRASAVOLVS

LATERALEM morbum ex omni humorum genere fieri posse nihil impedit, tamen ex

men ex calidis humoribus frequentius, ex frigidis rarissime fieri contingit. Qui acidum ructum eructant, raro laterali morbo corripiuntur, quoniam hic ructus acidus ex frigida materia fit, ex qua lateralis morbus raro contingit. propterea simpliciter dicere conuenit, qui ructus acidos frequenter habuerint, laterali morbo non multum capi; Philotheo etiam dicente, ἡ ὀξυρεγμία γίνεται, ἢ διὰ ψύξιν οὖσαν περὶ τὴν γαστέρα, ἢ διὰ φλεγματικὸν χυμὸν ἐν αὐτῷ τῷ κύτει τῆς γαστρὸς πλεονάζοντα, idest, Acida eructatio fit, uel ob frigiditatem circa uentrem existentem, uel ob pituitosum humorem; ipsam uentris cauitatem implentem. Postea sequitur non fieri lateralem morbum ex hoc humore, ex quo fit acidus ructus, quoniam ἡ πλευριτικὴ διάθεσις ὑπὸ ξανθῆς χολῆς γίνεται, πλὴν σπανίως καὶ διὰ φλεγματικὸν χυμὸν, καὶ διὰ τοῦτο εἶπεν ὁ ἱπποκράτης, οὐ πάνυ τι, idest, affectio lateralis ex flaua bile fit, ueruntamen raro & ex pituitoso humore, & ob hoc dixit Hippocrates; non frequenter.

οἱ ὀξυρεγμιώδεες. idest, Qui acidum eructant.] idest, Quibus ructus quos edunt, acidum saporem referunt, ac si acetum uideatur, & hoc non semel sit, sed frequenter, & ut plurimum. nempe si ructus acidus raro fieret, hic aphorismus uerus non esset, quoniam eo solum tempore in uentriculo humores acidos haberent, in reliquo autem tempore non haberent.

οὐ πάνυ τι πλευριτικοὶ γίνονται. idest, non ualde laterali morbo corripiuntur.] sed raro, quia lateralis morbus ut plurimum ex bile fit, tamen quandoque contingit, sed raro, lateralem morbum ex pituita fieri, & hi tardius sanantur: & cum sani sunt, ex facili causa in eodem loco qui prius male affectus erat, dolorem sentiunt. Illustrissimum Alphonsum Ducem Ferrariæ tertium curauimus, qui laterali morbo ex pituita correptus, spatio triginta quatuor dierum in sanitatem restitutus est. Sed deinceps quoad superuixit, in eodem loco ex minima occasione dolorem sentiebat. Scitoq; hic intelligendum esse, eructationem acidam non esse, ob acidos cibos ingestos, sed potius ob uentriculi frigiditatem, uel ob acidam pituitam, quæ in illo contineatur.

GALENVS.

ACIDVM eructantes, hoc est acidum ructum habentes, raro inquit capi à morbo laterali. Nam quod dicitur, non ualde, idem ostendit quod raro, nō nullo modo, ut quidam libri expositores scripserunt. Dictum autem à nobis est ubi de morbo laterali sermonem habuimus, quod hic quidem una cum flauis, ac ruffis fit sputis ex biliosis humoribus ortum habens. Hic uero cum spumeis ex pituitosis, sicuti qui cum nigris fit sputis, ex melācholicis, qui uero cum rubeis ex ipso sanguine. Est enim hic morbus, inflammatio membranæ, quæ subcingens nominatur, aduenìens. Cum uero unaquæque inflammatio ex alicuius humoris fiat superabundantia, secundum eius naturam, et sputi species morbo laterali laborantibus aduenit, & spes salutis, ac mortis habetur. Non æque autē membranæ, ac pulmo sunt natura aptæ humores suscipere, densa siquidem est membranarum substantia, pulmo uero parte in omni rarus, ac laxus. Quare huic quidem promptum est omnes suscipere humores. Membranæ autem subcingenti plus biliosos. Ob hanc igitur causam quibus pituita natura superabundat, raro à morbo laterali corripiuntur, præsertim si salsedinem, atq; acritudinem aliquam sibi adiunxerit. Talis enim intestina mordens iritat ad deiectionem in qua contingit non solam pituitam, sed plures alias etiam superfluitates excerni. Dicebat uero ipse in libro de aere, & aqua, & locis, eos qui habent uentrem natura humidum minime morbo laterali, atque alijs morborum generibus corripi.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, ab Hippocrate dici, eos qui ructum acidum habent, raro à morbo laterali capi, quoniam particula illa, non ualde, idem significat, quod raro, & non, ut aliqui interpretes exponunt, qui legunt, nunquàm.

SECVNDO docet, ex sputis, lateralis morbi species distinguere. cum enim sputa flaua sunt, atq; ruffa, hic morbus ex biliosis humoribus ortum habet: si spumea sint, ex pituitosis: si nigra, ex melancholico: si rubra, ex sanguine.

TERTIO dicit, lateralē morbū esse mēbranæ inflāmationē, quæ costas subcingit: ex quo habetur, Galenū de periculosissimo, & exquisito laterali morbo uerba facere.

QVARTO ea quæ dicta sunt, ad propositum applicat. nam cum omnis inflammatio ex alicuius humoris superabundãtia fiat, secundum humoris naturam qui morbum facit, sputa erunt, & ex sputis spes salutis & mortis accipitur.

QVINTO docet, pulmonem & mẽbranas in humorum susceptione differre. nam membranæ substantiam densam habẽt, pulmo autem rarus est, & in omni parte laxus: propterea pulmo omnes humores suscipere aptus est. Membrana autem naturã habet ad humores biliosos suscipiendos solum aptam. nam hi humores calidi sunt, & acuti, & facile omnem partem permeantes.

SEXTO Galenus infert, eos qui abundant pituita, raro à morbo laterali corripi, nempe in membranas facile penetrare non potest, & hoc præsertim si salsedinem, aut acredinem aliquam iunctam habuerit: & alium quendam modum docet quem hęc materia facit. nam ad intestina profecta deiectionem iritat, unde non solum pituita, sed & multæ aliæ deiectiones exeũt, itaq; ex his materiebus, potius fiunt alui profluuia, quàm morbi laterales. Igitur secundum Galenum Aphorismus hoc modo ampliandus est, ut non solum qui acidum eructant raro lateralem morbum incidant, sed etiam qui acre eructant atq; salsum, raro hunc morbum incidere possunt, ut in summa omne pituitæ genus homines ad morbum lateralem ineptiores reddat.

Deniq; ad prædictorum corroborationem Hippocratem adducit in libro De aere, aquis, & locis, dicentem eos qui uentrem habent natura humidum, laterali morbo non capi, neq; alijs morborum generibus. At si tu hunc locum inuenire uolueris, in præcitato libro non inuenies, sed in libro De capitis uulneribus inuenitur. Ex quo facile deprehendi potest, illa quæ in libro De capitis uulneribus scripta sunt, ad librum De aere, aquis, & locis pertinere, fuisseq; ab aliquo prauo scriptore transposita.

APHORISMVS XXXIIII

QVicunq; calui sunt, his magnæ uarices non fiunt: quibus uero caluis uarices magnæ superueniunt, hi rursus capillati fiunt.

BRASAVOLVS

DE caluitio plura à nobis dicta sunt decimooctauo huius libri Aphorismo. Nunc illud addemus, hoc uocabulum Caluum non solum illum significare, cui desunt capilli, & uero caluitio præditus sit, immo & is ab antiquis caluus dicebatur, cui capilli profluebant. Hippocrates in hoc loco de uero caluitio uerba non facit, sed de capillorum profluuio, nam ijs capilli non profluũt, qui semel calui effecti sunt. nempe ex priuatione in habitum non fit regressio. Philotheus eandem sententiam sequitur inquiens, φαλακρὸς λέγει νῦν, οὐ τοὺς κυρίως, ἀλλὰ τοὺς διὰ πάθος ἔκπτωσιν τριχῶν ὑποστάντας, οἷον τοὺς δι᾽ ἀλωπεκίαν, ἢ ὀφίασιν. οὗτοι δὲ ἔχουσιν ταῦτα τὰ πάθη, διὰ μοχθηρῶν χυμῶν περιουσίαν πλεοναζόντων ἄνω περὶ τὴν κεφαλὴν, οἳ τῇ ποιότητι ἐκτέμνουσι τὰς τρίχας, καὶ ταῦτα ποιοῦσιν. idest, Nũc caluos dicit, non eos qui proprie calui sunt, sed eos qui ob morbum, capillorum casum patiuntur, ut eos qui ob alopeciam, uel ophiasim. Hi uero has passiones habent ob malorum humorum abundantiam, superiores capitis partes implentem, qui qualitate sua capillos incidunt, & hæc faciunt. Sensus igitur Hippocratis hic est, Quibus capilli defluunt, ijs non fiunt magnæ uarices, nam materia illa atrabilaria & acuta quæ uarices faciebat, in capite uertitur, & capillorum radices incidit, atq; exurit, & deinceps ad crura non proficiscitur. At si contigerit hominem cui defluunt capilli, magnas uarices incidere, hic iterum capillatus fit, quoniam illæ materiæ, quæ capillorum radices corrodebant, ad crura descendunt, & caput liberum dimittunt, unde capilli non impediti, iterum sua sponte nascuntur.

ὁκόσοι φαλακροὶ. idest, Quicunq; calui sunt.] non quidem uero caluitio, sed quicunq; capillorum profluuium, & magnum quidem illud habẽt, ut calui nominari possint, immo uere calui efficiantur, nisi quandoq; uarices superuenerint.

τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται. idest, Iis magnæ uarices non fiunt.] idest, crurum

uenæ

uenæ uehementer non intumescunt, tamen mediocres fieri possunt, si materia pro parte in illis crurum uenis sit, & pro parte in capite. Opusq; est intelligere, quod hic mediocrem atrabiliarium materierum copiam in corpore habeat. nam si magnam copiam haberet, nihil impediret, notabilem capiti partem dari, & magnam copiam cruribus etiam relinqui.

ὁκόσοισι δὲ ἂν φαλακροῖσι κιρσοὶ ἐπιγίνονται. idest, Quibus uero caluis uarices superuenerint.] Leonicenus in suo contextu habebat, magnæ, quod in gręcis codicibus, quos habeo, non inueni, tamen subintelligere oportet, si qui sint, quibus capilli defluant, & uarices magnæ superueniant, quæ uel prius defecerant, uel non aderant, nuncq; de nouo fiant.

πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες. idest, Ii rursus capillati fiunt.] Quoniam materia illa corrosiua, quæ hoc profluuium faciebat, diuertitur. Philotheo etiam dicente, πάλιν τριχοποιοῦσιν διὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι τῆς κακοχυμίας τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ μεταστῆναι τὴν ὕλην κάτω. idest, Rursus capillati fiunt, quoniam ab humorum malitia; quæ circa caput est, liberi fiunt, & materia deorsum transmutatur.

GALENVS

QVANDO in uiri sapientis libro sermo inuenitur aliquis manifestum habens mendacium, non sine ratione legentes cõtingit dubitare, & primum quidem sibi ipsis diffidere, quasi neq; illa quę sint manifesta noscẽtibus, deinde suspicari ne quod falsum fuerit interiectum. Quis enim nesciat caluicium esse passionem insanabilem? Sed neq; uerum quòd magnę uarices caluis nunquam aduenіant, sicuti neq; quòd uaricibus aduenientibus caluicies cesset, nisi forte, ut nonnulli inquiunt, uocatum à medicis capillorum defluuium caluicium nominet. Illud enim cum à uitiosis humoribus, sicuti quæ Ophiasis, & alopeciæ, passiones capillorum nominantur à græcis, generetur, cum ijdem humores ad crura decumbunt, possunt uarices facere, & capillos restituere. Si enim prius à uitiosis humoribus corruptis eorum radicibus corrumpi contigerat, nunc fit uerisimile, ut eisdem humoribus alio transpositis ad primam naturam capilli redeant.

BRASAVOLVS.

EX VERBIS, quæ hic à Galeno scripta sunt, colligi facile potest, Galenum non solum fuisse probum philosophum, & medicum: sed etiam in moribus fuisse probatum. nempe in hac commentatione morale quoddam documentum lectoribus præstat, quando scilicet in alicuius sapientis uiri libro mendacium inuenerimus, quod palam uideatur, non debemus temere talem uirum uirum reprehendere, sed primo dubitare, an recte intelligamus: deinde suspicari, ne id falsum interiectum fuerit, & ab authore non scriptum.

SECVNDO docet, nullum dubitare caluitium esse passionem insanabilem, & præterea hoc falsum esse, quod magnę uarices nunquam superueniant caluis, idq; falsum esse, quod uaricibus aduenientibus caluitium cesset.

TERTIO Galenus Aphorismum in rectum sensum ducit, inquiens, nisi quis intelligat per caluitium id quod nonnulli faciunt, scilicet capillorum profluuium. nempe hoc profluuium à uitiosis humoribus fit, sicuti etiam ophiases, & alopecię: qui humores si ad crura decumbant, uarices facere possunt, & capilli restituentur. nam si prius capilli profluebant, ob humores quosdam corruptos, eorum radices corrodentes, conueniens est humoribus ad crura transpositis, capillos in pristinam materiam transire.

Quod legitur, capillorum defluuium caluitium nominet, græce est, μαδάρωσιν ὀνομάζει, φαλάκρωσιν. utrunq; nomen caluitium significare uidetur, tamen opus est μαδάρωσιν pro capillorum casu intelligere, & non pro uero caluitio.

APHORISMVS XXXV

AQua inter cutem laborantibus, tussis superueniens malum.

BRASAVOLVS

DIFFICILLIMA est, & ferè curatu impossibilis aqua intercus. Superueniente tusse quæ ratione aquæ intercutis excitetur, significat aquã adeo creuisse, ut penè patientem suffocet. propterea & malum & letale est. è contrario si ob destillationem à capite superueniat tussis, quoniam is per solem, uel per pluuiam ambulauerit, malum non significatur, nisi ea ratione qua tussem pati malum est: uerum cum aqua adeo crescit, ut septum trãsuersum comprimere incipiat, &(Galeno dicente) asperam arteriam, hic iam suffocatur. Nosq; frequentissime uidimus, aquam intercutem patientes, cum ad tussim peruenere, breui obijsse.

Τοῖσι ὑδρωπικοῖσι. idest, Aqua intercute laborãtibus.] De omni specie intelligi posset, tamen potissimum uerus est in ascite.

Βὴξ ἐπιγινομένη κακόν. idest, Tussis superueniens malum.] Quæ, scilicet ex ui morbi facta sit. nam cum Hippocrates dicit passionem passioni superuenire, intelligit passionem secundam ratione primę superuenire.

Antiqua translatio particulam quandam habet, quæ in græcis codicibus communiter non inuenitur, nec Galenus in suo contextu illam habebat. est autem hæc, præexistens uero sine malo. Græcus uero Hagonensis contextus hanc particulã habet, tamen non dicit, sine malo, immo dicit bonum, inquiẽs τὸ δὲ προγεγονυῖα, ἀγαθόν. idest, Tussis uero prius facta, bonum: quod absurdum uidetur. nam tussim habere bonum non est, uel prius sit, uel posterius aqua intercute. tamen minus malum est, si ab alia causa superuenerit, quàm ab ipsa aqua intercute. propterea hanc particulam delendam esse putamus, & obelo confodiendam. Quamuis & Philotheus in suo contextu illam habuerit, atq; interpretetur, dicit enim, κατ' ἀρχὰς μὲν τοῖς ὑδέρῳ, ἡ βὴξ γινομένη, οὐδὲν φαῦλον ποιεῖ, ἐπειδὴ ὀλίγη ἐστὶν ἡ διάθεσις. ὕστερον δὲ ἐπιγινομένη, καὶ μέγα φαῦλον, διότι δηλοῖ εἰς τοσοῦτον αὐξηθῆναι πλῆθος ὑγρότητος, ὡς ἤδη καὶ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν καταλαμβάνειν, διὸ βὴξ καὶ κίνδυνος πνιγῆναι τὸν ἄνθρωπον. ἢ πνευμάτων πολλῶν περιουσίαν, ἐξ ὧν τῶν ἀναπνευστικῶν μερῶν θλιβομένων ἡ βὴξ γίνεται. idest, Ab initio quidem aquam intercutem patiẽtibus tussis accedens nihil mali facit, quoniam est parua affectio. posterius uero superueniens, magnum malum est. nempe ostendit humiditatis multitudinem in tantum creuisse ut iam & asperam arteriam inuadat, uel apprehendat, unde tussis, & periculum ne homo suffocetur: uel multorum spirituum abundantiam significat, ex quibus spiritualibus partibus compressis tussis fit. Putamus nos particulam illam, tanquam glossema additam esse, & ab Hippocrate non positam, quoniam & Celsus capite octauo secundi libri de aqua intercute differens inquit: æque in ea quoq; tussis spem tollit.

GALENVS

SVPERVENIRE passionibus alias passiones, & casus, prisci medici dicere consueuerunt quæcunq; ipsius passionis adauctę ratione contingere consueuerunt. Talis enim est Praxagorę liber de superuenientibus inscriptus. Sic autem & nunc de tusse dictum est. Neq; enim cum ex alia fit occasione in homine aquam intercutem patiente tussis signum est exitiale, sed quando ipsius morbi ratione. Cum enim in passione tali aquosa humiditas tantum adaucta fuerit, ut iam asperas occupet arterias, deinde superuenit tussis, periculum imminet ne homo haud ita multo post strangületur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Antiquorum morem esse, cum dicunt passiones passionibus superuenire, de passionibus illud intelligere, quæ ratione illarum auctarum superueniunt; unde & Praxagoras librum fecit, quem de superuenientibus inscripsit.

SECVNDO docet hic, Idem intelligendum esse de tussi, quæ aquã intercutem patienti, ratione aquæ intercutis superueniat. nam tunc signum exitiale est. etenim si ratione aquæ intercutis non superueniret, exitiale signum non esset.

TERTIO cur exitiale signum sit, quando ex ascite prouenit, causam assignat. quoniam inquit significatur tantam humiditatem auctam esse, ut asperas arterias iam occupet, ex quo fit tussis, & periculum est, ne homo breui strānguletur.

Apho-

Difficultatem urinæ uena secta iuuat, secare uero interiores.

BRASAVOLVS

NON PAVCA sunt præsidia urinæ difficultatem iuuantia, & ipsa urinæ difficultas à multis fit causis, propterea non omnem urinæ difficultatem uena secta iuuat, sed illam solum, quæ ex inflammatione in urinaria fistula, aut in propinquis partibus fit. Tuncque eo casu interiores uenas secare debes non exteriores, quoniam operatio magis directe procedit.

Δυσουρίην. idest, Vrinæ difficultatem.] De qua in tertio libro ubertim egimus, & eius causas assignauimus. In præsentiarum uero illam urinæ difficultatē intelligere oportet, quæ ex multitudine fit inflammationem faciente, ut Galenus in septimo libro docebit aphorismo quadragesimonono, qui aphorismus magis amplus est, quàm iste. nam dicit, urinæ stillicidium & mingendi difficultatem uini potio, & uenæ sectio soluit, incidere autem interiores.

Φλεβοτομίη λύει. idest, Venæ sectio soluit.] Quoniam illa materia illa euacuatur quæ in inflammationem currit, & quæ ipsam facit. Tamen sunt alia plura præsidia, sed & hoc unum est: unde Galenus iubet addendam esse coniunctionem, &, ut legatur, & uenæ sectio soluit, ac si etiam alia sint, quæ præter uenæ sectionem soluere apta sint. Sed hanc difficultatem ex inflammatione factam, potissimum soluit uenæ sectio, Philotheo etiam dicente, uenæ sectio δυσουρίην λύει τὴν διὰ φλεγμονὴν, κἀντεῦθεν ἀπαλλαττόμενος τῆς φλεγμονῆς ἀπαλλάττεται καὶ δυσουρίας. τὰς δὲ διὰ ἀσθένειαν τῆς κύστεως, ἢ σπασμώδους διαθέσεως τοῦ περισφίγγοντος μυὸς, ἢ διὰ ἔμφραξιν λίθου οὐδαμῶς λύει. idest, urinæ difficultatem per inflammationē factam soluit, & hinc ab inflammatione liberatus, liberatur & ab urinæ difficultate. Illas autem per uesicæ imbecillitatem, uel per dispositionem conuulsiuam circumstringentis musculi, uel ob lapidis obstructionem, nequaquam soluit.

Τάμνειν δὲ τὰς εἴσω. idest, Secare uero interiores.] Scilicet uenas interiores genu, uel tali. nam (ut Galenus etiam in commentatione dicit) quando affectiones supra iecur fuerint, Hippocrates sanguinem ex brachio mittere consueuit: cum uero sub iecore fuerint, uenas inferiores secat, idest, illas quæ in genu, uel in talo sunt. Inter has aūt inferiores aliquæ intrinsecę sunt, alię extrinsecæ. ueruntamē utraque ab una nascuntur, quę una in multas partes dissecatur. nempe in poplite quandoque est bifurcatio in duas uenas, quandoque in tres satis amplas. Galeno uidetur nihil referre si dicamus interiores: tamen nobis uidetur aliquid, quoniam interiores uenæ sunt magis directæ ad locum patientem, quàm exteriores. Antiquus contextus non legit, secare uero interiores, sed hoc modo, secare autem uenam quæ intus in talo est, quod in nullo greco contextu inuenire licuit, ut scilicet talum specificet. Hagonensis tamen contextus ita habet, τάμνειν δὲ τὴν εἴσω φλέβα. idest secare uero uenam quę interior est. Immo & Philotheus eodem modo legit, & intelligit sectionem in talo. inquit enim φλεβοτομίαν ἐνταῦθα καταχρηστικῶς τὴν σφυροτομίαν. idest, sectionem uenæ hic abusiue tali sectionem significat. Nos uero intelligere nescimus quomodo talus incidendus sit nisi uenam intellexerimus, quæ in talo est. Cur autem Hippocrates addiderit interiores, idem Philotheus rationē assignat inquiens, εἴσω δὲ φλέβα τὴν οὖσαν κατ' εὐθυωρίαν τῶν νεφρῶν. idest, Interiorem autem uenam, illam intelligit, quæ est per rectitudinem renum.

GALENVS

HIC sermo uerus nō est nisi, &, coniunctionem assumpserit, ita ut aphorismus talis fiat: Difficultatem urinę, & uenæ sectio soluit. Re uera enim & uenæ sectio soluit difficultatem urinę, illam uidelicet, quæ propter inflammationem, & multitudinem fit. Quod autem dicitur: secare uero interiores: si de uenis manuum dicitur, caret ueritate, neque confessum Hippocrati. Videtur si quidem in omnibus libris suis in partibus quæ supra hepar sunt ex manibus sanguinem mittere. In inferioribus uero eas

que in

quę in genu, uel talo sunt, secari iubet. Si uero de his ipsis ipsum dixisse arbitretur, Secare autem interiores, hoc dictum paruam uim habet. Ab una enim ambæ nascuntur, cum ea quæ in genu est trifariam diuidatur, quoniam & una uena ad hoc peruenit membrum, non sicuti ad manum duæ. Melius itaq; sit & hunc aphorismum unum ex adiectis opinari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, huic aphorismo addendã esse coniunctionem, &, ut dicamus, & uena secta iuuat. aliter hic aphorismus absurdus esset, nam & multa alia urinæ difficultatem soluunt. At re uera, uenæ sectio illam urinæ difficultatẽ soluit, quæ ob inflammationẽ; & ob multitudinẽ fit. Huius cõmentationis principiũ in nostro antiquo contextu ita ad uerbum legitur, ut à Leoniceno interpretatũ est, scilicet οὗτος ὁ λόγος ὑγιής ἐστιν. in Aldino autem contextu habetur οὐδὲ οὗτος ὁ λόγος ὑγιής ἐστιν, idest, Neq; hic sermo sanus est. nosq; hanc lectionem magis probamus. nam cum in aphorismo trigesimoquarto dixisset, illum aphorismum nõ esse uerum, hic quoq; dicit, neq; hic sermo est uerus, ac si cum illo continuationem fecerit.

SECVNDO illos reprehendit, qui per secare interiores, uenarum manus sectionem intelligunt. nam Hippocrates in omnibus suis libris, in partibus quæ sunt supra iecur, ex manibus sanguinem mittit: in partibus uero quę sunt sub iecore, iubet sectionem fieri in uena genu, uel tali.

Quod legitur, Neq; confessum Hippocrati est, gręce est οὐδ᾽ ὁμολογούμενον ἱπποκράτει. idest, Neq; consentiens Hippocrati, uel consentaneum.

Quod etiam legitur, Quæ in genu, uel talo sunt, gręce est ὑπὸ γονυ ἢ σφυρὸν, idest sub genu, uel talo.

TERTIO docet, etiam si intellexerimus per inferiores uenas, genu, uel tali uenas, hoc erit dictum, quod uim paruam habebit. quoniam ambæ uenæ ab una nascuntur. ea etenim quæ in genu est, in tres partes diuiditur, tamen quandoq; solum in duas disseca tur: quoniam & una uena ad hoc membrum peruenit, & non duę, sicuti duę ad manum ueniunt. propter hoc Galenus suadet, & hunc aphorismum ex his esse, qui non sunt ab Hippocrate conscripti, sed adiectum esse.

Quod legitur, Si uero de his ipsis ipsum dixisse arbitretur. hic deest particula quis, nam grecus contextus habet, εἰ δὲ περὶ τούτων αὐτῶν εἰρῆσθαι τις ὑπολάβοι. idest, Si uero de his ipsis ipsum quis dixisse suspicetur.

APHORISMVS XXXVII

AB angina habito, si tumor fiat in collo, bonum.

BRASAVOLVS.

HOC EST uniuersale theorema, quod lectorem, si attente experiatur, nunquam fallere potest, affectionem de nobili parte ad ignobilem conuerti. de intrinseca ad extrinsecam conuerti, semper bonum est. Cum Angina affectio sit, quę intrinsecas fauces occupat, periculosa est. nempe intus latet. At si in collo tumor extra apparuerit, diffidere non debemus, quia quod erat in periculoso loco ad tutiorem conuertitur.

ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ. idest, ab angina habito] Et est anginæ species periculosissima illa, quę à grecis κυνάγχη à canum uoce nuncupatur. & cum utitur uerbo habito, idest, occupato, passionis intensionẽ significat. In hac enim passione longitudinem intelligere non possumus.

οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν. idest, Tumorem in collo fieri bonum.] Idest, in parte exteriori colli, quia materia à parte intrinseca ad extrinsecam mouetur, à parte periculosa ad tutam, & ad eam in qua nihil est periculi, propterea bonum est. hic utitur uocabulo οἴδημα pro tumore, ut sæpius superius consueuit.

Hic est integer aphorismus, ut Leonicenus in suo cõtextu habuit, & Aldinus habet, sed in nostro antiquo aliam quadam particulam inuenimus, illam scilicet ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα. idest, extra enim uertitur morbus. ratio est cur bonũ sit, quã particulã etiã in hago-

in Hagonensi contextu inuenies, & in Philothei cōtextus serie: tamen uel adsit, uel absit, sententia perfecta est. At si Galenum considerabimus libro septimo aphorismo quinquagesimo, uidebimus ipsum in hoc loco non habuisse hanc particulā. nam ibi ponitur hic idem Aphorismus & Galenus dicit, aliquem in eo loco hunc aphorismum posuisse, ut adderet illam particulam, Extra enim uertitur morbus: quod indicium est, hic in suo contextu non fuisse.

GALENVS

SERMO uerus est, & causa in promptu, si quidem ex intimioribus, & principalioribus partibus, passiones confert ad cutem transferri.

BRASAVOLVS

GALENVS hic docet, Hippocratis sermonem uerum esse, & causam in promptu existere, quoniam bonum est passiones ex intimioribus partibus & principalioribus ad cutaneas & minus principales transferri. ita etiam breuibus expositionē transigit Philotheus inquiens, αἰτία πρόδηλος. διότι ἐκ κυρίων μορίων ἐπὶ τὰ ἄκυρα μετέστη ἡ ὕλη. idest, causa perspicua est, quoniam à principalibus partibus ad minus principales materia transmutata est.

APHORISMVS XXXVIII

CAncros occultos omnes melius est non curare. Curati enim cito pereūt, non curati uero longius tempus perdurant.

BRASAVOLVS

DE cancris à nobis tertio libro abunde disputatum est, quos græci & καρκίνους & καρκινώματα uocant, ostendimusq; ab atra bile potissimum fieri: simulq; Celsum adduximus inter cancrum & carcinoma talem differentiam facientē: quod cancer ab his quæ extrinsecus aduen iunt, oriatur: carcinoma uero fiat aliqua interius parte corrupta. cancrumq; in uarias partes distinguit, quæ sunt ueluti suæ species, scilicet in erysipelas, gangrenā, & ulcus nigrū. hic uero solū addemus aliquos esse superficiales cancros, & non profundos, de quibus hic non agit Hippocrates, quia & curari debent, & curam admittunt. Alij uero sunt cancri occulti & profundi, qui in cute, & in superficie parum quid habent, intus uero corrosio magna latet, & panduntur uastę latebræ. Hippocrates nunc iubet hos occultos cancros & profundos non esse curandos. nam si curentur, hi qui patiuntur citius pereunt, quàm si nō curentur. eos enim curare, est iritare crabrones. nam opus est rebus uim corrosiuam habētibus uti, & quæ uim habeāt incedendi ad profunda. hæ aūt res materias magis mouent, & magis acuunt, propterea uehementius corrodunt, & internas partes petentes citius necant. Idem sentit Philotheus, inquiens, sed horum cancrorū οἱ μὲν φαλακροί εἰσιν, τουτέστιν ἐπιπολῆς. οἱ δὲ κρυπτοὶ διὰ βάθους, οὓς παραινεῖ μὴ θεραπεύειν. ἐὰν γὰρ θεραπείας τῆς ἀκριβοῦς τύχωσιν, ταχέως ἀπόλλυνται. διότι αὐτῶν θεραπευομένων τομῇ, ἢ καύσει, τῇ μέχρι βάθους τῶν ἰνῶν, πολλὰ ἕτερα ἐπακολουθήσει συμπτώματα, καὶ ἡ δύναμις οὐκ ἐξαρκεῖ. εἰ μέντοι ἀθεράπευτοι μένωσιν, καὶ τοῦτ' ἐστὶν ὀλιγοθεράπευτοι, μόνα γὰρ τὰ τραυματικὰ δεχόμενοι παρὰ τοῦ ἰατροῦ πολὺν χρόνον διατελοῦσιν, διὰ τὸ κατὰ πραΰνεσθαι τὴν θηριώδη χολήν. idest hi quidē calui sunt, idest, in superficie. illi uero occulti in profundo, quos admonet non curare. etenim si diligentē curam assequantur, cito necantur: quoniā ipsis incisione, uel ustione usq; in neruorum profundum curatis, multa alia symptomata consequuntur, & uis non sufficit. Si uero non curati manent, hoc aūt est parum curati, sola enim apta sanandis uulneribus à medico accipientes, multū tempus perdurant, ex eo quod ferinam bilem mitigant, scilicet remedia illa uulneraria.

ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκῖνοι γίνονται. i. Quibuscūq; occulti cācri fiūt.] Idest profundi, & nō in superficie. occulti uero intelligunt, uel q occultas occupāt partes, ut iecur, uētriculū, uterū: uel qui in corpore profundas radices iecere, quāuis in summa cute incipere uideāt. utroq; modo Hippoc. intelligēdus est. Paulus lib. tertio ca. sexagesimoseptimo de uteri cācro agēs, inquit, hic sanè morb. immedicabilis est, ceu alibi ipse quoq; asserit Hippoc.

Placandus

Placandus tamen ipsorum dolor est. Aetius libro decimo sexto capite quadragesimo quarto docet qui nam cancer is sit, qui occultus nuncupari debeat, inquiens, duæ autem cancrorum supremæ differentiæ sunt. nam quidam eorum ulcere carent, quidam exulcerantur. qui ulcere carent, ab omnibus ferè antiquis occulti appellantur. Philoxenus tamen eum priuatim cancrum occultum nominauit, qui in utero, aut intestinis contingeret. Idemq; Aetius capite quadragesimoquinto eiusdē libri cancros sanatu nō faciles edocet, inquiens, omnino uero cancros pectori innatos deplorare oportet, quemadmodum qui in capite, collo, humeris, axillis, & inguinibus eueniunt, sunt enim & isti insanabiles. nam præterquā quod perfecte abscindi nequeūt, uerendum est, ne ob nimiam sanguinis eruptionem inter ipsas manus æger occumbat. Qui uero papillæ summitatem inuadunt, affectæ partis amputatione, facile sanabuntur. Philotheus de cancro hæc dicit, καρκίνος ἐστὶν σκληρώδης ὄγκος, ὃς κυρίως μέν τοι καὶ εἴρηται ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ καρκίνου ζώου. ἢ διὰ τὸ θηριῶδες εἶναι τὸ πάθος. γίνεται δὲ ἀπὸ μελαίνης χολῆς δυναστευούσης ἔν τινι μορίῳ, ἢ ὑπὸ ξανθῆς χολῆς ὑποβραττομένης. idest, Cancer est tumor prædurus, qui proprie quidem à similitudine cancri animalis dicitur, uel quia efferata est hæc passio. fit autem à nigra bile in aliqua parte domināte, uel à flaua bile superassata. Sunt uero alij autores qui uolunt, cancrum dici non quidem ob similitudinem cum fluuiali cancro in figura, sed ob solam apprehendendi similitudinem. Ideo Paulus capite uigesimo sexto quarti libri dicit cancri aquatici animalis pedibus speciem non absimilem præferens morbus, unde facta etiam huic malo nomenclatura est. Alij autem dicunt, ita dici quod ægerrime euellatur ab his quas occupauerit, partibus. ueluti cancer animal pertinacius retinet, quę semel corripuerit. Aetius etiam libro decimosexto capite quadragesimoquarto dicit, Antiqui uero cancrosum ulcus maleficum & ferum uocabant, cancrosum quidem appellatione à cancro animali transumpta. ea enim animalia aspera sunt, & pertinaciter dura, & si quidpiam chelis ceperint, haud facile auelluntur. his cancrosus humor assimilatur. nam prominet, & tactui resistit, & difficulter tractatur, qua ratione insanabilis redditur. maleficū uero & ferum ulcus nominatur à feris, maleficisq; animalibus. est enim id morbi genus proteruum, quod curatione efferatur, & manuum tactu exacuitur. Nisi uocabuli deflexio prohiberet, ego à canibus cancrum nuncupatum suaderem, nempe qui hoc morbi genus habent, fatentur se ueluti canes sentire, qui partes illas exedant, Nunc nunc mulier hinc discedit, quæ in sinistra mamma cancrum habet, faceturq; partem illam ita exedi ac si à canibus dilaceretur.

Μὴ θεραπεύειν, βέλτιον. idest, Non curare, melius.] Scilicet perfecta cura, & illa quæ ad cancrum exigitur. Duo enim soli modi perfecte curandi cancrum extant, ustio, & incisio, quę sunt operationes periculosissimæ: tamen non negaret Hippocrates, nos uti posse cura illa, quam blandientem recentes uocant, mitia quædam applicantes, quæ solum dolorem lenirent, & corruptionem ac exesionem, quoad fieri posset, sedarent, atq; prohiberent. ut cancrum demulceamus, non sanemus. Quæ uero illa sint, quæ hoc facere possint, Paulum & Aetium precitatis locis legere nihil impedit, qui ad demulcendos cancros multa præsidia in scriptis reliquere.

Θεραπευόμενοι γάρ. idest, Curati enim.] Scilicet cura perfecta, quæ incisione, aut ustione, aut simul utrisq; fit.

Τάχιον ἀπόλλυνται. idest, Citius pereunt.] Nam crabrones irritant, & materiam uehementius corrodere faciunt, & partes illæ in profundum nimis læsę sunt, adeo ut non sit tutum illuc peruenire, nisi in mortis discrimen hi qui patiuntur, incidant.

Μὴ θεραπευόμενοι δέ. idest, Non curati autem.] Nisi cura blandiente, & quę solum dolorem sedet, tamen perfecte non sanet.

Πολὺν χρόνον διατελοῦσι. idest, Longius tempus perdurant.] Idest, hi diutius superuiuunt, quibus cancri non curantur sua propria cura, sed solum cancro blandimur, & dolorem sedare conamur.

GALENVS

OCCVLTOS Cancros dixit, uel eos qui sunt sine ulceratione, uel absconditos, hoc est non apparentes, quod rursus idem significat, ac si diceretur, qui in profundo corporis sunt. Sed & curare duplex est, Vnum quidem omnia agere, ut particula

patiens

patiens ad sanitatem perducatur, alterum autem eam adhibere prouidentiã quæ passioni congruat, hoc est ipsam mollire, ac mitiorem facere, & tum præcipue, cum adest exulceratio. Tunc enim est necessariũ, ut si non aliud agamus, saltem saniem abluamus, humido aliquo utentes, non quocunq;, sed uel per experientiam, uel per indicationem inuento, quod neq; putrefacere, neq; irritare partem patientem sit natura aptum. Ab hac igitur curatione, neq; absistere conuenit, neq; illi qui sunt sine ulceratione Cancri indigent ea. Aliam uero quæ fit per sectionem, uel ustionem, quæ sola sunt remedia Cancrorum, consulit ut in Cancris occultis non adhibeamus. quod igitur illi qui sunt in partibus penitioribus talia remedia non desiderant, etiam experientia docet. Equidem scio omnes qui huiusmodi Cancros curare tentarũt, magis illos irritasse, & breui homines interemisse. Nam & qui Cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu muliebri, uel usserunt, uel secuerunt, non potuerunt ulcera ad cicatricẽ perducere, & homines in cura afflictos, ac maceratos, usq; ad mortem pertulerunt, quo si nullam curationem adhibuissent longiori tempore uitam cum minori molestia transegissent. Tales igitur Cancros nullo modo curare tentemus. Ex eis uero qui in summa parte corporis hærent, illos tantummodo, quos possumus una cum radicibus ipsis, ut quispiam dixerit resecare. Neq; enim malum est, ueluti radices quasdam Cancri, nominare eas quæ plenæ sunt sanguine melancholico uenas, & usq; ad loca circumstantia distenduntur. Multi enim magnæ autoritatis medici, neque hos manus opera curari permittunt. Sed illos tantum qui exulcerati, simulque laborantes molestant, adeo ut ipsi ultro manu curari desiderent, & simul sunt in talibus partibus siti, quas possumus una cum radicibus resecare, & exurere. Quidam uero neq; hos amoliri permittunt, sed omnino absistendum consulunt à remediјs potentibus in omni natura Cancri. Quod uero Hippocrates nunquam consuluisset curare potenter Cancros in partibus corporis penitioribus conditos, ex ipsa passionis natura licet coniectari. Si uero & eos qui in summa parte corporis hærent absq; ulcere, incertum est, quantum ex uerbis aphorismi conijci potest. Ipsum uero scripserũt Artemidori, & Dioscoridis sectatores, usq; ad ea uerba, Non curare melius est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid per occultos Cãcros intelligere oportet, eos inquam qui sine ulcere sunt, ut dicebat Aetius fuisse antiquorum sententiã, uel absconditos, hoc est qui non uidentur. At hoc idem est ac si dicatur eos qui sunt in profundo corporis.

SECVNDO docet, Curare cancrum dupliciter intelligi posse, uno modo curare est omnibus modis procurare, ut pars quæ cancrum patitur, in sanitatem restituatur. Alio modo curare, est ea facere, quæ solum conueniunt, hoc est ipsam mollire, & mitigare, sed hoc potissimum fit, quando exulceratio adfuerit. Tunc enim & si aliud agere noluerimus, saltem opus est saniem abstergere, & abluere, aliquo humido utentes, quod per experientiam uel indicationem putrefaciendi, uel iritandi uim non habeat. Hippocrates hanc curationem non negat, sed primam damnat Hippocrates, quæ est uera cancrorum curatio per sectionem uel ustionem factam.

Quod legitur, Hoc est ipsam mollire & mitiorem facere, græce est ὅπερ ἐστὶ πραΰνειν τε, καὶ πραΰνειν αὐτό. idest quod quidem est ipsum mollire, & mitiorem facere.

Quod etiam legitur, saltem saniem abluamus, ibi Galenus utitur uocabulo ἰχῶρας. idest aquosam saniẽ, quæ uirulentia à recẽtibus dicitur, & illa proprie in cãcris uidetur.

Quod etiam legitur, sed uel per experientiam, lege sed aliquo uel per experientiam.

TERTIO docet, experientiam etiam edocere, cancros existentes in partibus penitioribus corporis non esse ita curandos. nam omnes illi medici, qui ita curare tentarunt, cancros irritarunt, & breui homines interemerunt. statimq; casus quosdam refert, ut si quis in palato cancrum habuerit, uel in sede, uel in sinu muliebri, quem curare uelit, & urat, uel secet, ulcera ad cicatricem perducere non poterit, & eosdem afflictos in cura atq; maceratos ad mortem usq; perducet. At si curam non adhibueris, longiori tempore uiuet, & cum minori molestia. & illi qui Galeni tempore ita curarunt, suos ægros in hæc induxere, in quæ & nostro tempore inducũtur, si ab aliquibus circumforaneis cancro in prædictis partibus affectis, ita curentur. nullus enim nunc uere medicus can-

cri occulti ueram curam aggreditur.

Quod legitur, Aliam uero quæ fit per sectionem, uel ustione, quæ sola sunt remedia cancrorum, in nostro antiquo contextu dupliciter legitur, una lectio est, τὴν δὲ ἐκ τοῦ τέμνειν τε, καὶ καίειν γινομένης, ἃ μόνα καρκίνων ἰάματα. Alia lectio est, τὴν δὲ ἐκ τοῦ τέμνειν καὶ καῦσαι, ἃ μόνου καρκίνου γινομένου ἐστὶν ἰάματα, & hoc etiam modo legit Aldinus cõtextus. Est autẽ sensus, Aliam uero quę fit per sectionẽ & ustionem, quę solo cancro facto sunt remedia. Ex hisq; cognoscere potes, in his contextibus esse aliquam differentiam, primum contextum habuit Leonicenus.

Vbi etiam legitur, & in sinu muliebri, in nostro antiquo contextu, duæ sunt lectiones, una est, καὶ τὸν ἐν τῷ γυναικείῳ κόλπῳ, idest, & in sinu muliebri, & hanc lectionem habuit Leonicenus. Alia lectio est, quam etiam in contextu Aldino inuenies, ἐν τῷ κρυπτῷ τῷ γυναικείῳ. idest, in occulto muliebri: per quod nos uterum intelligimus. utraq; lectio conuenit.

Quod etiam legitur, usq; ad mortem pertulerunt, hæc particula, pertulerunt, græce est συνέτηξαν. idest, colliquarunt.

QVARTO Galenus infert, tales cancros non esse curandos, sed illos qui sunt in summa corporis parte: non debemus etiam curare, nisi totam illam partem affectam, sine mortis periculo, adimere possimus, adeo ut omnes cancri radices euellantur: nam uenas in cancro melancholico sanguine plenas, radices nuncupare possumus.

QVINTO Galenus docet, multos magnæ authoritatis medicos, etiam non permittere cancros illos curare, quando tota lęsa pars incidi potest: Sed illi solum sunt curandi, qui exulcerati sunt, & qui ultro ostendunt, quod curari debeant, & in talibus sunt partibus, quod simul cum radicibus auelli possunt.

SEXTO docet, alios egregios medicos simpliciter in omni cancri natura potentia remedia prohibuisse.

SEPTIMO ad Hippocratem reuertitur, inquiens, ipsum nunquam cõsuluisse curare potenter cancros in partibus corporibus penitioribus conditos, & hoc est ex ipsius passionis natura: At de cancris qui in summa corporis parte sunt, absq; ulcere, quid uelit, incertum est, præsertim quantum ex aphorismi uerbis conijci potest.

Vbi legitur, potenter, in nostro antiquo contextu duę lectiones habentur, una est ἀνασκολαστικῶς. idest, per repulsionem, alia ἀγωνιστικῶς. idest, per concertationem, quam in Aldino contextu inuenies, & Leonicenus in suo habuit.

Deniq; addit, Artemidori, & Dioscoridis sectatores, hũc aphorismum integrum non scripsisse, sed solum usq; ad illam partem, non curare melius est.

Quod legitur Dioscoridis, in Aldino contextu eodem modo habetur, sed in nostro antiquo legitur διοσκουρίδην, idest, Dioscuridis, quod magis probo.

Quod etiam legitur, usq; ad ea uerba, græce est ἄχρι τοῦ.

APHORISMVS XXXIX

Conuulsio fit, uel ex repletione, uel inanitione, ita uero & singultus.

BRASAVOLVS

DE CONVVLSIONE uarijs in locis ab Hippocrate in hoc aphorismorum libro mentio facta est, & potissimum in principio quinti libri, tamen nullus est locus, in quo eius generales species exquisite explicauerit, pręter hunc, in quo dicit, conuulsionem ex repletione quandoq; fieri, quandoq; ex inanitione, & eodem modo singultus, qui species quędã conuulsionis est, quãdoq; ex repletione fit, quãdoq; ex inanitione. Galenus in undecimo libro De simplicium medicamentorum facultatibus, ubi de Castoreo agit, antiquos iure reprehendit, qui omne cõuulsionis genus Castoreo sanare uolebant. cum tamen conuulsioni ex repletione utile solum sit. uerba eius hæc sunt, Cæterum falluntur medicorum pleriq; in usu castorei, cum id modo considerant, partem quampiam aut tremere aut conuelli, aut sensu, motuúe priuatam, aut ægre sentire, haud scientes id genus

genus symptoma ad dissimiles sequi corporis affectus. At tu ab Hippocrate doctus ex plenitudine pariter & inanitione conuulsionem consequi, ubi quidem quæ in neruis continetur præter naturam euacuare consilium est, ibi & bibendum exhibe, & foris cuti castoreum impone. ubi uero ex siccitate nimia obuenerit conuulsio, scito hoc medicamen illic esse aduersissimum. Cætera Galenus. Qui in secundo De locis affectis libro capite secundo, ubi in dolorum distentionibus Archigenem reprehendit, tamen non multum ipsum reprehendit in neruorum doloribus, quos uocat dolores dure distendentes. Vultque Galenus superfluo additam esse particulam, dure. nam utrinque nerui distenduntur, non secus quàm chordæ in cithara. Post hæc Galenus hoc modo prosequitur, Quapropter citharistæ, cum instrumenta sua post usum reponere uoluerint, chordas relaxant. nam plane constat eas à contrarijs tum causis, tum dispositionibus intendi, siue humidus fuerit ambiens aer, ut rigare ipsas & implere possit, siue uehementer aridus. ab utraque enim ambientis aeris temperatura ad ultimam tensionem perueniunt. Proinde recte dixit Hippocrates, neruorum conuulsiones, & à plenitudine, & ab inanitione euenire, utpote per quas nerui immodice, scilicet tenduntur. Tuque eundem Galenum lege tertio De locis affectis libro, capite quinto, ubi illos reprehendit, qui de rebus manifeste apparentibus certant: & eo loco conqueritur, quod in reprobandis, & exponendis antiquis, tempus amittere cogatur, & ijs etiam respondendo, qui recta medicorum decreta euertunt, quũ inuenienda potius essent ea, quæ illi silentio prætererunt, & uel haudquaquam res ipsas definierunt, aut ea sine demonstratione, aut sine idonea definitione, aut non satis abunde explicauerunt. Quemadmodum Hippocrates ubi neruorum conuulsionem, uel ob plenitudinem, uel uacuitatem fieri dicit. Etenim uerus est sermo eius. Quibus uero rationibus fulciatur, ut fides ei adhibenda sit, non popularibus, sed doctis duntaxat uiris, & qui diligenter prima medicinæ rudimenta didicerunt, notum est. Hæc igitur cum didicissem, facile mihi persuasi conuulsionem fieri ob eas causas, quæ ab Hippocratæ dictæ sunt. & eodem loco egregie docet quomodo conuulsio fiat, & quod motus sit contra uoluntatem. Ibi Galenum lege, qui de hac re pulcherrima disserit. nobis uero ob breuitatẽ omnia afferre uisum non est. & in sexto etiam De locis affectis capite quinto hunc eundem aphorismum adducit, & suum in hoc loco commentarium, ubi dicit: etenim ostendimus in enarratione eius aphorismi, quo inquit, Conuulsionem & à plenitudine fieri, & euacuatione, quod plenitudo repletorum corpora, & in latum, & in profundum extendit, sed longitudinem abbreuiat. Ergo quo efficiuntur breuiora, eo magis ad originem trahuntur. At nunc ad exponenda aphorismi uerba reuertamur.

σπασμὸς γίνεται. idest, Conuulsio fit.] Scilicet tanquam ex materiali causa.

ὑπὸ πληρώσιος. idest, Ex repletione.] Quoniam nerui implentur, & ad sua principia contrahuntur.

Η ὑπὸ κενώσιος. idest, Vel ex inanitione.] Ob scilicet nimiam siccitatem, quæ & ipsa neruos exiccans eos ad sua principia contrahere facit, sed contrario modo, sicuti contrariæ sunt causæ, de quibus modis superius ex tertio De locis affectis libro capite quinto per exempla chordarum citharæ scriptum habes. Philotheus & ipse quo modo fiat, edocet inquiens, ὑπὸ μὲν πληρώσεως οὕτω γίνεται σπασμός. πληροῦται τὸ νευρῶδες γένος παχέων καὶ γλίσχρων χυμῶν, καὶ πληρούμενον τείνεται, καὶ τῇ τάσει σπᾶται, καθάπερ αἱ χορδαί. ὑπὸ κενώσεως δὲ τὸ ξηραίνεσθαι, καὶ συνάγεσθαι πρὸς ἑαυτό, ὡς οἱ ἐν πυρετῷ θερμανθέντες ἐμοῦσιν. idest, A plenitudine quidem ita fit conuulsio, Nerueum genus crassis & glutinosis materiebus impletur & repletũ intenditur, & extensione trahitur, ut chordę. ab inanitione uero exiccatur, & ad se ipsum conuellitur, ut qui in febre calefacti euomunt.

οὕτω δὲ καὶ λυγμός. idest, Ita uero & singultus.] Scilicet ex inanitione, & repletione fit. nam species quædam est conuulsionis, & in parte neruosa contingit, & ut Philotheus dicit, εἰ μὴ σπασμώδης διάθεσις ἐν στομάχῳ συνίσταται. idest, nisi dispositio conuulsiua in ore uentriculi consistat. ac si uelit singultum ex inanitione, & repletione eodem modo fieri, nisi sit affectio quædam conuulsiua in ore uentriculi. Galenus octauo libro De compositione medicamentorum secundum loca, ubi ponit ad Iliosas stomachi subuersiones pastillum Amazonum, Illius medicamenti titulum reprehendit qui est

Benefacere inflationi stomachi, ardori, & cibum uomentibus. Tunc habet hæc uerba: Hippocrates igitur conuulsionem fieri dixit à repletione & inanitione, adiectumque est aphorismo in omnibus exemplaribus, sic & singultus. Ego in conuulsione tertiam causam præter euacuationem & repletionem, nullam oppositam offendi. Singultum uideo etiam præter hæc oboriri, nonnunquam acribus humoribus, aut sanie medicamentosa stomachum erodente, quas si euomuerint, statim singultus cessabit. Iam multi medicamento ex triplici pipere epoto, si statim uinum superbiberint, omnino singultiunt, quorum unus sum & ego ipse. Præterea etiam cibo in mordacem qualitatem corrupto, nonnulli singultiunt, ac quod per uomitum statim desinunt, omnibus cognitum est. Non desunt qui rigorem in ore uentriculi experti singultiant. Maximè autem pueris accidit, ut continue singultiant, tum ex cibi in uentriculo corruptione, tum partis perfrictione. Quod si etiam ex nimia inanitione obortus fuerit singultus, quemadmodum & conuulsio, dignum inspectione est: uerum si in præsentia hoc considerare omittentes, eos qui ex perfrictione, aut ciborum copia grauantur, aut acrimonia mordente, inspiciamus, uomitum sanè inueniemus abunde his mederi, qui ex copia aliqua, aut rosione singultiant, caliditatem uero iis qui ex perfrictione. Vbi uides Galenum hoc loco sentire, non fieri eodem modo ex inanitione & repletione singultum, sicuti & conuulsio. Aliquis autem ambigere posset inueniri tertium conuulsionis genus, scilicet ex nerui punctura factum, de quo in decimo Medendi libro agit, & illi nomen non ponit. Cum igitur aliis contra distinguatur, & diuersam etiam habeat curam, erit tertium genus: itaque conuulsio non solum fiet ex inanitione & repletione, immo etiam & ex nerui punctura. Nos autem huic ambiguitati facile respondebimus, conuulsionem ex nerui punctura factam, uel quæ nerui puncturam sequitur, ad conuulsionem de repletione deduci. nam ad nerui puncturam graues dolores & acuti sequuntur, hique in loco læso fiunt, ad quem sanguinē & spiritus natura transmittit, ut dolori succurrat. at aliud quid faciunt: nam neruos implent, & ad sua principia retrahunt, itaque fit conuulsio, quam ad illam de repletione ducere oportet. unde & capite nonagesimosecundo libri Artis medicinalis, in punctura nerui dicit tum potissimum conuulsionem excitari, cum nihil extrorsum expirat obcæcato cutis uulnere, quia nec materiæ, nec spiritus exire possunt, sed potius neruos extendunt.

GALENVS

CONVVLSIO, ut & ipsum indicat nomen, conuulsis fit ad propria capita musculis, ut autem clarius diceretur reuulsis, sicuti etiam est motus eorum secundum naturam, uerum hic haud quaquam fit sine animalis appetitu. Conuulsio autem passio est inuoluntaria ad similem uenientibus neruosis partibus in eis dispositionem, quam etiam in mollibus factis secundum appetitum assumpserunt. Nam ex repletione fit, sicuti etiam in excedentibus secundum humiditatem aeris ambientis constitutionibus accidit chordis. Nam & propter hanc causam sæpe rumpuntur. Sic autem & in siccioribus constitutionibus afficiuntur, nam in se ipsas colliguntur, ac conuelluntur omnia neruosa corpora uiolentius exiccata, sicuti quæ ad ignem longo tempore lora calefiunt, simile quid patiuntur, & quæ sol æstiuus exiccauit. Conuulsio igitur non absque ratione à contrariis fit causis, singultus uero concedatur conuulsio stomachi nominari, quando aliud fuerit sermonis propositum. Quando uero hoc solum studuerimus, ut passionis substantiam cognoscamus, melius fortassis fuerit non conuulsionem nominare, sed quendam motum eiusdem cum uomitibus generis, intentū autem & illo uehementiorē. Nam stomachus appetens eorū aliquid quæ in ipso continentur expellere, ad duos mouetur casus: uehementiorem quidem in singultibus, mediocrem illo in uomitibus: si quidem in uomitibus appetit ea tantum, quæ in uentriculi spacio latiori continentur expellere, In singultibus autem, & ea quæ sunt in ipsius ore penitiora. Per stomachum nunc à me intellexeris, non solum eum qui ita proprie nominatur, sed & uentriculi os. Quæ enim in hoc continentur ipso appetente uentriculo expellere, singultus fit. Quod uero eorum quæ difficulter excernūtur, & quæ ueluti absorpserit uentriculi os, fiat per singultus excretio, discere licet, ex his quæ quotidie eueniunt, omnibus ferè, uel magis, uel minus. Si enim solum quid acutum, ueluti Piper deglutierint

rint, siue cum melle, siue aliquo alio, postea uinum biberint aqua calida temperatum, statim singultiunt, calore quidem potus piper ad interiora deuehente, eius uero acutie uentriculum molestante. Vnde conatur motu uiolentiore rem infestantem expellere. Ostensum est in libro de causis casuum, quòd & tussis, & sternutatio, & rigor ex talibus motibus sint.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, σπασμὸν idest, conuulsionem ut nomen ipsum indicat, fieri σπωμένων, idest conuulsis ad propria principia musculis. Quod si clarius dicere uelimus, dicere oportet ἀνασπωμένων. idest euulsis uel reuulsis. unde sicuti musculi motum habent secundum naturam, qui sine animalis appetitu fieri non potest, ideo uoluntarius est: ita conuulsio per oppositum passio est inuoluntaria, in qua neruosæ partes ad similem dispositionem ueniunt, quam in motibus factis secundum appetitum, idest uoluntarijs, apprehenderunt.

In eo quod legitur, Sicuti etiam est motus eorum secundum naturã, noster antiquus contextus duas lectiones habet: prima est illa, quam Leonicenus in suo cõtextu habuit, scilicet ὥσπερ καὶ ἡ κατὰ φύσιν ἐστὶν αὐτοῖς κίνησις. Secunda lectio illa est, quam habet contextus Aldinus, & est hæc, ὅπερ καὶ ἡ κατὰ φύσιν ἐστὶν αὐτοῖς κίνησις.

Quod etiam legitur, Quam etiam in mollibus factis, error est librarij manifestus, legi etenim debet, quam etiam in motibus factis. græce enim legitur, ἣν περ καὶ τοῖς καθ' ὁρμὴν κινήσεσιν ἐλάμβανον. idest, quam etiam in motibus factis secundum appetitum assumpserunt.

SECVNDO docet, conuulsionem ex repletione eodem modo fieri, sicuti contingit in tempestate humida chordis; nam ob hanc causam sæpe rumpuntur. In siccioribus autem constitutionibus in seipsas colliguntur chordæ, & ita faciunt omnia neruosa corpora. Idemq; patiuntur nerui quod lora longo tempore igne calefacta, & quæ sole æstiuo exiccata sunt.

Vbi legitur, Sicuti etiam in excedentibus &c. Illa particula etiam in græco contextu abest, nam dicit, καθάπερ ἐν τοῖς ὑπερβαλλόντως, & reliqua.

TERTIO infert, conuulsionẽ fieri nõ absq; ratione à cõtrarijs causis, sed de singultu concedi potest quod stomachi conuulsio appelletur, quando non est proprius de singultu sermo. at cum determinate de singultu uerba facere uoluerimus, ut singultus substantiam cognoscamus: forte melius erit singultum non uocare conuulsionem, sed potius ipsum ponere in genere uomituum, at sit magis intensus quàm uomitus. Et quod hoc uerum sit apparet, quia uentriculus aliquid eorum quæ in ipso continentur, expellere appetens, ad duos mouetur casus, quorum uehementior est in singultu, minus uehemens in uomitu. nam in uomitu aliquid expellere tentamus, quod est in ipsa uentriculi cauitate, in singultu id expelli tentatur quod in uentriculi parietibus continetur.

Vbi legitur, Sed quendam motũ eiusdem cum uomitibus generis, deest hęc particula quidem. nam græce habetur, ἀλλά τινα κίνησιν, ἐν μὲν τῷ αὐτῷ γένει τῷ κατὰ τοὺς ἐμέτους. idest, Sed quendam motum eiusdem quidem cum uomitibus generis.

Vbi etiam legitur, uehementiorem quidem in singultibus, mediocrem illo in uomitibus. illa particula illo, legi debet uero. nam gręcus contextus ita habet σφοδροτέραν μὲν ἐν τοῖς λυγμοῖς, μετριωτέραν δὲ ἐν τοῖς ἐμέτοις.

Vbi etiam legitur, & ea quæ sunt in ipsius ore penitiora, gręce habetur, καὶ τὰ ἐν βάθει ἐν αὐτῷ. idest, & ea quæ sunt in ipso in profundo.

QVARTO docet, Hic per hoc uocabulum στόμαχον, non solum intelligendam esse cauitatem illam, quæ stomachus proprie nuncupatur, sed & ipsius uentriculi os, stomachus dicitur. omnia enim quæ in ipso ore uentriculi continentur, quando uentriculus ipse illa expellere appetit, id per singultum facit. Et si quis in hoc dubitaret, an per singultum illa expellantur quę difficulter excerni possunt, & quę ueluti sint in ore uentriculi absorpta, dicit, hoc experientia probari posse ex his quæ quotidie in aliquibus magis, in aliquibus minus uidemus. Nam si quis aliquid acutum, ueluti piper deglutierit, siue cum melle, siue alia re, postea uinum biberit aqua calida temperatum, statim singul-

tit. nam potus calor, piper ad interiora uehit, quo sua acutie uentriculũ molestante, uentriculus rem hanc infestantem uehementiore motu expellere conatur. Galenus uero in libro De symptomatum causis ostendit, tussim, sternutationem, & rigorem ex talibus motibus fieri.

Quod legitur, Ostensum est in libro, legi debet ostensum autem est in libro. nam græce habetur ἐδείχθη δὲ.

APHORISMUS XL

QVibus dolor circa ilium fit absq; inflammatione, his febris superueniẽs morbum soluit.

BRASAVOLUS

QVOTIES præcordia dolore afficiuntur, tamen ob inflammationem non fit, necesse est ipsum esse, uel ob obstructionem, uel ob flatum, uel ob aliquã intemperiem: sed ut plurimum est ob flatum, plerunq; etiam ob obstructionem, si febris superueniat, dolorẽ soluit. nam si flatus sit, resoluitur: si sit obstructio, febrili calore aperitur: si sit intemperies potissimũ frigida, ad temperiẽ deducitur, propterea dolor soluitur. Sed hoc præcipue in flatu uerum est. Philotheus modos omnes enumerat, quibus dolor in præcordijs contingere potest, inquiens, γίνεται δὲ ἐν αὐτοῖς ἡ ὀδύνη, ἢ διὰ φλεγμονὴν, ἢ δι' ἐρυσίπελαν, ἢ διὰ πάχος χυμοῦ, ἢ πνευμάτων παχέων περιουσίαν. ἐὰν οὖν ἄτερ φλεγμονῆς καὶ τῶν ὁμοίων, ὁ πόνος γίνηται περὶ τὰ ὑποχόνδρια, ἀλλὰ τυχὸν καὶ πνεύματα, καὶ πάχος ὕλης καὶ ψυχρὰν δυσκρασίαν, ὁ πυρετὸς ἐπιγινόμενος λύει τὴν ὀδύνην, ὡς διαλύειν τὸν παχὺν χυμὸν, ὡς σβεννύειν τὴν δυσκρασίαν, ὡς διαφορεῖν τὰ φυσώδη πνεύματα. idest, fit aũt in ipsis dolor, uel ob inflammationem, uel ob Erysipelam, uel ob humoris crassitiem, uel ob crassorum spirituum abundantiam. Si igitur sine inflammatione, & alijs similibus dolor circa præcordia fiat, sed forte & flatum, & materię crassitiem, & frigidam intemperiem, febris superueniens dolorem soluit, ex eo quòd dissoluit crassum humorem, quod intemperiem extinguit, quod spiritus flatuosos discutit. Si ergo tibi aliquis occurrat, qui ex prædictis causis, præcordiorum dolorem habeat, calidis uti poteris, si febre correptus non sit: Celso præsertim capite decimo tertij libri ita dicẽte, Ergo si sine inflammatione dolor est, nihil imponendum est. hunc enim statim ipsa febris soluit. At si neq; inflammatio, neq; febris, sed tantum præcordiorum dolor est, protinus calidis & siccis fomentis uti licet, quibus utimur ac si febris fuerit.

ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνος γίνεται. idest, Quibus labor circa præcordia fit.] Non autem circa Ilia, ut Leonicenus uertit. nam ut superius dictum est, illa quæ à grecis dicuntur ὑποχόνδρια, à Celso uertuntur præcordia. Aliqui contextus non habent ὑποχόνδρια, sed legũt ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑπογάστριον, itaq; legebat in suo cõtextu Philotheus. nam hoc modo exponit, πόνον καλεῖ τὴν ὀδύνην, ὑπογάστριον δὲ καθόλου πάντα τὰ ὑποχόνδρια. idest, laborem uocat dolorem, hypogastrium uero in uniuersum omnia præcordia, ut hic duo habeantur. Vnum est uocabulum græcum, labor, quod tamen pro dolore intelligi debet, unde Celsus interpretatus est dolor. Aliud est, quod & si legamus hypogastrium, opus est nos intelligere præcordia. Sint uero hi dolores

ἄτερ φλεγμονῆς. idest, Sine inflammatione.] Adde tu, & sine Erysipelate, & sine mordicatione, sed uel ab obstructione, uel intemperie frigida, uel flatu.

τούτοισι πυρετὸς ἐπιγινόμενος λύει τὸν πόνον. idest, His febris superueniens morbum soluit.] Quoniam si calor obstructionem aperit (quamuis febrilis calor non multum aperiat) si intemperies frigida calore in temperatã deducitur. Si à calore flatus discutitur, necesse est febrem quæ calor est, hæc quæ prædicta sunt, agere, & ita remouendo causam affectum curare. Nos uero aphorismum potissimum intelligimus in flatu.

GALENUS

SEQVITVR quidẽ & ad morsus dolor, sed cõsueti sunt morsus nomine, nõ doloris tales casus appellare. Fit aũt dolor ꝑpter quandã similẽ inflãmationi dispositionẽ. Sic au

Sic aũt nominata est, quoniã & Erysipelata dolor cõsequitur. Quando igitur nõ ob talem dispositionẽ dolor ilium occupauerit, & morsus sensus absuerit, relinquitur ut dolor fiat, uel propter obstructionem, uel propter spiritum flatuosum, uel aliquam intemperiem inæqualem: quæ febrilis calor aptus est natura sanare, hęc quidem incidens, extenuans, atque dissoluens, hæc uero ad temperaturæ æqualitatem perducens.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus dubium remouet, quo quispiam ambigere posset, inquiens, dolores sequi ad morsus, tamen suprauueniente febre supra dolorẽ ex morsu non soluitur dolor, Respondet Galenus, Antiquos cõsuetos esse nominare dolores ex morsu, morsus, & non dolores, propterea hic dicens dolores, illos exclusit qui sunt ex morsu.

SECVNDO docet, fieri etiam dolorem ob quãdam dispositionem inflammationi similem, quæ ita nominata est, quoniam & Erysipelata dolor consequitur.

TERTIO docet, quando dolor ob talem dispositionem non fuerit, nec aderit sensus morsus, opus erit fieri dolorem, uel ob obstructionẽ, uel ob spiritum flatuosum, uel ob aliquã intemperiẽ: & hæc omnia febrilis calor aptus est natura sanare, hæc quę sunt obstrusa, & spiritum flatuosum incidens, extenuans, atque dissoluens: hæc uero, idest intemperiem, quæ scilicet frigida sit, ad temperaturæ æqualitatem perducens.

APHORISMVS XLI

QVibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit, his ob crassitudinem puris, aut loci, non innotescit.

BRASAVOLVS

NECESSARIVM est, hunc aphorismum de suppuratione illa intelligere, quæ in omni corporis parte fieri potest, non aũt de illa quã homines suppurati dicũtur, quibus in pectore puris copia collecta est: quamuis Celsus capite septimo secundi libri de illis suppuratis his uerbis loquatur, Omnis etiam suppuratio, quæ nondum oculis patet, sic deprehendi potest. & signa quędam ponit, quibus manifeste deprehenditur, Celsum de suppuratis intelligere, qui in pectore pus contentum habent. At in hoc loco Hippocratis sentẽtia est, Qui in aliqua corporis parte pus habet, tamen non percipiatur, id fit uel ob loci crassitiem, sub quo pus est, uel ob ipsius puris crassitiẽ: cum enim in profunda aliqua corporis parte pus genitum est, plerunque an factũ sit pus dubitatur. Indicia uero quod factũ sit, sunt febris remissio, & doloris, uel ablatio, & si digitis supra locũ prematur, inundatio quædã persentitur, & loci mollities, & albedo quædam lucida cutis. Posset etiam pus in aliqua prominente parte esse, tamen non esset notũ, si adeo crassum sit, ut illa pars ad exiturã non ueniat, sed ferè immobiliter maneat: & tũc pus est, pure pituitosum. Philotheus hic dicit περὶ ἀποστημάτων νῦν ὁ λόγος. idest, de abscessibus nunc sermo. Intelligitque per locum, pellem extrinsecam, carnem tegentem, quę sit adeo crassa ut innotescere non possit. hæc sunt eius uerba, ἐὰν ἀποστήματα μὴ ἀποσημαίνει, τουτέστι μὴ ἀποκορυφοῦται, δηλοῖ ἢ παχύτητα τοῦ πύου, ἢ δέρματος. τὸ γὰρ πάχος ὡς ἐν βάθει κείμενον, οὐδέποτε ἀποκορυφοῦται. τὸ δέρμα εἰ τύχοι πάχος ἔχειν καὶ εἶναι στεγανὸν, ὡς τὸ ἐν πτέρνῃ, καὶ ἐν ἀκροσφύρῳ, οὐκ ἐᾷ αὐτὸ ἀποκορυφωθῆναι. ἐὰν οὖν διάπυον ὂν ἐν τῷ σώματι ἤτοι ἀπόστημα, καὶ οὐκ ἀποκορυφοῦται, διὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας οὐκ ἀποκορυφοῦται. γνώσῃ δὲ αὐτὸ ἡνίκα πυοποιεῖται, ἔκ τε ἀνωμαλίας ῥίγους, καὶ ἀτάκτου πυρετοῦ. χειρουργοῖς οὖν ὁ λόγος ἁρμόδιος, ἵνα τὴν χειρουργίαν τούτων γινώσκοντες μετὰ λόγου ἀποτελῶσιν. idest, Si abscessus non innotescãt, hoc est non intumuerint, uel puris, uel pellis crassitiem ostendit. crassities enim ut in profundo manẽs, nunquàm intumescet: si contigerit pellem habere crassitudinem, & esse duram & impenetrabilem, ut illa quæ est in calcaneo, & in extremo talo, ipsum intumescere non sinit. Si igitur pus in corpore sit, idest abscessus, & non intumescit, ob has causas non intumescit: ipsum uero cognosces quãdo suppurat ex inæqualitate rigoris, & ex febre ordinem non seruante. Chirurgis igitur sermo congruus, ut horum chirurgiam cognoscentes per rationem perficiant.

ὁκόσοισι διάπυον τι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ ἐπισημαίνει. idest, Quibuſcunque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit.] ideſt, Qui habẽt abſceſſum, & in aliqua corporis parte pus, tamen non appareat, nec tumorem fecerit, ſed æqualitas ſit in illa parte, & color à ſuo naturali uarius non ſit.

τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ πύου, ἢ τοῦ τόπου, οὐκ ἐπισημαίνει. ideſt, ijs ob craſsitudinem puris, aut loci, non innoteſcit,] ideſt, duę ſolæ ſunt cauſæ, cur non innoteſcat & appareat. una eſt, puris craſsities, quæ ita intenſa ſit, ut ad circunferentiam non moueatur, & ſub digitis in undę modum non palpitet. alia eſt, loci craſsities, quæ pus ad circunferentiam moueri non ſinit, & etiam nullam facit eleuationem. Si uero utrunque adfuerit, tanto minus innoteſcet.

GALENVS

DVPLEX eſt huius loci ſcriptura, & duplex expoſitio, & utraq; non caret ratione. Nam & propter puris craſsitudinem, & propter loci, ſæpius occultatur puris in aliquo loco comprehenſi notitia. Recte ergo nonnulli ſcripſerunt. His propter loci craſsitudinem, nonnulli uero. His propter puris craſsitudinem non innoteſcit.

BRASAVOLVS

SCITO Galeni contextus eodem modo non legiſſe ut noſtri faciũt, nempe unum habuit Galenus, qui ita legebat, Quibuſcunq; ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, ijs ob craſsitudinem puris non innoteſcit. Alium habuit hoc modo legentẽ. Quibuſcunq; ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, ijs ob craſsitudinem loci nõ innoteſcit. unde duas illas cauſas, quas in eodẽ contextu nos habemus, ipſe in uarijs contextibus habuit. & ideo Galenus dicit, huius loci duplicem eſſe ſcripturam, & quod utraq; ratione non caret, quoniam & propter puris craſsitudinem, & propter loci craſſitudinem, ſæpe non cognoſcitur, an pus ſit in aliquo loco, in quo tamen eſt. & ideo nõ immerito aliqui dixere ob puris craſsitudinem non innoteſcere, alij ob loci craſsitudinẽ.

APHORISMVS XLII

MOrbo regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum.

BRASAVOLVS

DE morbo regio, atque eius ſpeciebus in quarto libro à nobis non pauca explanata ſunt, quæ non ſolum fieri ex bile flaua, ſed etiam ex nigra docuimus. hic putamus Hippocratem de morbo regio ex flaua bile facto intellexiſſe, quamuis & ad nigram bilem ampliari poſsit. Nóſque Hippocratem ita intelligimus, Si quis regio morbo iam laboret, & iecur prius durum non habuerit, ideſt, quia materia à iecore ad circunferentiam, uel à uenis ad circunferentiam tranſmittitur. At ſi deinde iecur durum fiat, tantam adeſſe materiæ copiam ſignificatur, ut inflammationem inducere apta ſit, uel duritiem, propterea malum eſt: quia ut Aetius libro decimo capite ſexto docet, Si ſcirrhus incipiat, ſæpe curatur, at inueteratum nunquàm curauit, neque alium quempiam qui curare eum poſsit, uidit: ſed putat ſemper præceſsiſſe inflãmationem ante ſcirrhum Aetius: differtq; ſcirrhi durities, ab inflãmationis duritie, quia in ſcirrho eſt multo durior, & ad hunc tumorem ſequitur aqua intercus: & quanto magis creſcit ſcirrhus, non poteſt ſentiri ob aquæ copiam quæ in corpore generatur. Idem Aetius eodẽ libro capite decimoſeptimo quomodo fiat regius morbus, oſtẽdit, & de iecoris duritie agit. Idem facit Paulus libro tertio, capite quinquageſimo, qui etiã capite quadrageſimoſexto eiuſdẽ libri de iecoris duritie aquã intercutem gignẽte egerat. Hippocrates in libro De morborum decretorio, hepar durũ, bonũ facit, ſed hoc eſt in febre intenſa, & in diebus iudicatorijs. uerba eius hæc ſunt, Quibus in febre non ferẽda, & uehemẽti ſeptimo, uel nono, uel decimoquarto morbus regius fit probũ nõ eſt, niſi pręcordia dextera dureſcãt. qđ nõ multũ ꝓbamus, ꝗuis poſſet aliqua ratione muniri. Nã & Celſus libro ſecũdo capite octauo inquit, At in morbo arquato durũ fieri iecur pernicioſiſsimũ eſt. Cur uero malum ſit, ita Philotheus edocet: *φλεγμονῆς οὔσης ἐν τῷ ἥπατι δυσκρασία γίνεται περὶ αὐτό. ἐξ ἧς χολὴ γεννᾶται, ἣ καὶ ἀναφερομένη πρὸς ὅλον τὸ σῶμα τὸν ἴκτερον ἀποτελεῖ. εἶτα τοῦ ἰκτέρου διαμένοντος, ἐὰν συμ-*

βῇ τῷ

δεῖ τῷ χρόνῳ συναχθῆναι παχὺν χυμὸν, κἀκτοῦτο σκληρὸν γενέσθαι τὸ ἧπαρ, κακόν. διὰ τὸ δὲ ἀνάγκης καχεξίαν ἢ ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, κακοπραγεῖν καὶ μὴ ἐξαιματοῦν τὰς τροφάς. idest, Cum in iecore inflammatio fit, circa ipsum (scilicet iecur) fit mala habitudo, ex qua bilis generatur, quæ per totum corpus delata, morbum regium perficit: postea morbo regio perseuerante, si tempore contigerit crassum humorem congregari, & ex hoc iecur durum fieri, malum, quoniam ex necessitate malus habitus, & aqua intercus superuenit, malum affectum inducit, & in sanguinem nutrimenta non uertit.

ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι. idest, Morbo regio laborantibus.] qui iecoris inflammationem consequatur.

τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι, πονηρόν, idest, Iecur fieri durum, malum. quoniam inflammatio in scirrhum transiuit, ex quo deinde fiet aqua intercus.

GALENVS

MORBVM regium hoc loco dicit, qui fit ex hepatis inflammatione: tūc enim durities ostendit σκίῤῥωσιν, idest tumorem prædurum, uel inflāmationem in hepate existentē: quemadmodum & sine hac contingit quidem aliquando, propter eius obstructionem morbum regium aduenire, contingit & ipsa natura quandoque per modum criseos ipsum humorem exuperantem in uenis contentum, ad cutem expellente.

BRASAVOLVS

CVM morbus regius ex multis causis fieri possit, nunc primo Galenus de eo sermonem fieri docet, qui ex iecoris inflammatione fit. nam ex duritie tumorem prædurū cognoscimus, uel inflammationem quæ in iecore est.

Quod legitur, tunc enim durities ostendit σκίρωσιν, idest, tumorem prędurum uel inflammationem in iecore existentem: in Aldino contextu hæc uerba sunt initium commentationis Galeni, nam in ipso hoc totum deest ἴκτερον ἐνταῦθα τὸν διὰ τὴν φλεγμονὴν τοῦ ἥπατος λέγει. Quæ etiam Leonicenus in suo contextu habebat, & in nostro antiquo sunt, scilicet, morbum regium hoc loco dicit, eum qui fit ex iecoris inflammatione. uerbaque præaddućta Græce ita leguntur, ἐνδείκνυται γὰρ ἡ σκληρότης τὴν τοιαύτην φλεγμονὴν ἢ σκίῤῥον εἶναι τὸ σπλάγχνον. idest, Tunc enim duricies ostēdit, inflammationem, uel scirrhum, idest tumorem prædurum, in iecore esse. noster tamen antiquus contextus non σκίῤῥον, sed σκίρωσιν dicit.

SECVNDO docet, etiam sine hac inflammatione, morbum regium quandoque fieri. nam & obstructio morbum regium facit, & quandoque natura per modum crisis humorem superabundantem in neruis contentum ad cutim expellens morbum regium facit.

APHORISMVS XLIII

QVicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his superueniente longa difficultate intestinorum, aqua intercutem, aut leuitas intestinorum aduenit, & moriuntur.

BRASAVOLVS

QVI diutinam lienis duritiem passi sunt, lienem obstrusum habent, quia durities ex conculcatis humoribus, & crassis in lienis uenis consistit, unde eius attractiua uis, & concoctrix, aut amissæ sunt, aut adeo imbecilles redditæ, ut eorū officio fungi non possint. unde opus est lien multo tempore non expurgasse iecur ab humore atrabilario, qui in ipso in singulis coctionibus generatur, propterea iecur paulatim imbecille effectum est: sed materiæ illæ, quæ à liene non attrahuntur, intestinorum difficultatem pariunt, à natura per intestina transmissæ, quæ intestinorum difficultas si diu perdurabit, necesse est continuo iecur magis imbecille fieri, adeo ut amplius sanguinem non gignat, sed aquam: quæ partem illam occupat & implet, quæ inter intestina adiacet, & abdomen. unde aqua intercus fit, & denique moriuntur. uel ex iecoris imbecillitate, uentriculus imbecilla redditur, itaque ibi parum uel nihil immutati transmittuntur, & etiam mori necessarium

necessarium est. Hæc ample ab Aetio & Paulo curari edocentur, & eorum generationes explicantur.

ὁκόσοι σπληνώδεες. idest, Quicunque lienosi.] hi uero lienosi dicuntur, qui lienis duritiem habent, non quæ nunc cœperit, sed diutinam, & quam diu passus sit. Hippocrates in libro De morbis qui extra, lienosorum hominum indicia describit, inquiẽs, Qui magnum lienem habẽt, si biliosi sint, mali coloris sunt, malaque ulcera cõtrahunt, maleque olet, emaciantur, lien durescit, semperque eiusdem magnitudinis est, cibariaque non demittũt: si uero pituitosi sint, minus hoc patiũtur, lienque modo crescit, modo decrescit. Apud Græcos reperitur σπλῆνα ὑποσκιῤῥωμένον, idest, lien prædurus, & illos σπληνικοὺς uocant, qui ex atra bile lienẽ obstructum habent. Latini eos eosdẽ lienosos uocant, unde & hic Philotheus dicit σπληνώδεις εἰσὶν οἱ ἔχοντες τὸν ὄγκον ἐκ μελαγχολικοῦ χυμοῦ, περὶ τὸν σπλῆνα, idest, Lienosi sunt ex melancholico humore tumorem in splene habentes.

ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται. idest, Ab intestinorum difficultate capiũtur.] quæ dum breuis est, nihil habet periculi: sed cum diutina efficitur, periculosa est, propterea & à Philotheo dicitur, ὅτι οὖν ἐὰν κενουμένης φυσικῶς τῆς αἰτίας ἁλῶσι δυσεντερίᾳ τῇ ζέσει τοῦ χυμοῦ, συντόμως μὲν καλὸν, μακρὰ δὲ οὐκ ἀγαθόν, ὕδρωψ γὰρ ἐπιγίνεται αὐτοῖς, ἢ λειεντερία, καὶ ἀπόλλυνται. idest, Hi igitur si causa naturaliter euacuata, ob feruorem humoris, intestinorum difficultate capiuntur, breui quidem bonum, longa autem non bonum. Etenim aqua intercus ipsis superuenit, uel lienteria, & moriuntur.

Τουτέοισιν ἐπιγινομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης. idest, ijs superueniente diutina intestinorum difficultate.] post scilicet illam breuem, uel incipiat hęc longa, & continuo perseueret. nam sensus Hippocratis hic est, perseuerante intestinorum difficultate.

ὕδρωψ ἐπιγίνεται. idest, Aqua intercus superuenit.] Iecore adeo imbecilli facto, ut non sanguificet, sed aquam pariat, & ideo à Philotheo dicitur: ὕδρωψ μὲν διὰ τὸ ἐξασθενεῖν τὸ ἧπαρ τῇ πολλῇ κενώσει, συγκενουμένου τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, idest, Aqua intercus quidem fit, ob id quod iecur multa euacuatione debilitatur. Simul etenim naturalis calor euacuatur.

ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται. idest, uel intestinorum leuitas, & moriuntur.] quæ fit debilitato uentriculo, Philotheo dicente, πολλάκις δὲ καὶ ἡ γαστὴρ ἀσθενεῖ τῷ αὐτῷ λόγῳ, καὶ λειεντερία γίνεται, idest, Sæpe autem & uenter eadem ratione debilitatur, & fit leuitas intestinorum.

GALENVS

OPORTVIT hunc aphorismum illi præordinari in quo dicit: Lienosis difficultas intestinorum superueniens bonum. Sed hic quidem inter sequẽtes scribitur post quatuor alios intermedios. Nobis autem necessarium iam ipsius meminisse. Quicunque enim lienosi sunt, hoc est qui durum habent lienem, his superueniens difficultas intestinorum soluit dispositionem, quando scilicet ratione transpositionis, atque euacuationis humorum crassorum, ac melancholicorum lieni insertorum euenerit. Sed quoniam sæpius huiusmodi euacuationes ultra modum extenduntur, & noxiæ sunt laborantibus, conuenienter Hippocrates, quem finem habeat immoderata difficultas intestinorum, ostendit, quæ talibus aduenit dispositionibus. læsis siquidem intestinis à transitu uitiosorum humorum, & uis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur: ob hãc igitur causam, & aqua intercutem, & leuitas intestinorum, superueniunt. Leuitas quidem intestinorum, ex sola intestinorum læsione. Aqua uero intercutem, propter hepatis cõpassionem, atque lienis, & omnis uenosi generis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet Aphorismum quadragesimumoctauum huius libri huic præordinandum esse, qui est: lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum. est autem aphorismus post quatuor sequentes positus, sed nobis fuit necessarium, ipsius meminisse.

Quod legitur, oportuit illum aphorismum huic præordinari, in Aldino contextu ita habetur, ἐχρῆν τοῦτο προτετάχθαι τὸν ἀφορισμὸν ἐκεῖνον, idest, oportuit huic aphorismum illum

illum præordinari:ut sensus sit, quod ille debeat huic præordinari, non quod hic illi, ut Leoniceni interpretatio dicit. Noster tamen antiquus contextus duas lectiones habet, prima est illa, quam Leonicenus uertit, scilicet ἐχρῆν τοῦτο προτετάχθαι τὸν ἀφορισμὸν ἐκείνου. altera lectio est illa, quam habet contextus Aldinus. Nos Aldini lectionem magis probamus, quàm illam Leoniceni. nam hoc uerum est, quod quadragesimusoctauus aphorismus huic præponi debeat, non hic illi.

SECVNDO docet, Lienosos, idest, eos qui diu lienē durum habent, si difficultatem intestinorū incidāt, lienis durities soluitur, quādo scilicet hæc difficultas est per trāspositionē crassorū humorū atrabiliosorū lieni insertorū, qui ad intestina trāsmutāt. sed quia hæ euacuationes frequēter diu perdurāt, & laborātibus sunt noxię, propterea Hippoc. finē docet, quē habet immoderata intestinorū difficultas, q̄ illis dispositiōibus cōtingit.

Quod legitur, Qui durum habent lienem, addi debet, diu, ut dicatur, qui diu durum habent lienem. Græce enim est ὅσοι σπλῆνα χρονίως ἔχουσιν σκληρὸν μένον, idest, Quicunq; lienem diu, uel longo tempore durum habent.

TERTIO docet, quod intestinis à transitu uitiosorum humorū læsis, eorum uis laborat, & temperies calidi naturalis aboletur, unde fit intestinorum leuitas, & aqua intercus. leuitas quidem intestinorum ex sola ipsorum læsione, & etiam uentriculi. Aqua intercus, ob hepatis atq; lienis compassionem, & totius uenosi generis.

APHORISMVS XLIIII

QVibus ex stillicidio urinæ ileos superuenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, satis urina fluxerit.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc aphorismum additum esse, & ipsius cognitionē Hippocratē nunquàm habuisse putat. Quid uero dicere uelit, se ignorare fatetur. At Hippocratis sensus est, Qui ileum ex urinæ stillicidio patiuntur, sæua habent symptomata, propterea in septem diebus pereunt, quia primū diem iudicatorium trāsire non possunt, tamen citius mori possent. At si febris superueniat, quæ crassas materias attenuet, ut urinæ uias aperiat, urinaq; multa fluat, non moriuntur, sed in pristinā sanitatem restituuntur. Auicena libro tertio fen decimasexta tractatus quinti capite uigesimonono, hic Galenū reprehendit, cum ipse potius reprehendēdus sit, qui Hippocratē male adducit, nempe dicit, inquit Hippocrates cum accidit ex distillatione urinæ ileos, moritur ille cuius est in septimo, nisi accidat febris, & currat cum ea sudor plurimus, sed Galenus ignorauit causam in hoc. Hæc Auicena. Tu uidere potes q̄ inepte & false Hippocratē adducat, qui nullam de sudore mentionem fecit, sed de sola urinæ multitudine. sudor enim ad iliū aut parum, aut nihil facit. & q̄uis ipse dicat Galenum huius rei causam nesciuisse, tamē nec ipse causam ullam assignauit, quā subnectere debuisset, si tam celebrē uirum, qualis est Galenus, reprehendere uoluisset. In nostro antiquo contextu ante hunc aphorismū talis inscriptio præfixa est, περὶ εἰλεοῦ, idest, de ileo, qui est in gracilibus intestinis dolor, de quo superius in tertio libro disseruimus. Philotheus intellectum quorundam adducit, inquiens τινὲς ἐπὶ εἰλεῷ λέγουσι γίνεσθαι τὴν στραγγουρίαν οὕτως. ἐμφράττονται τὰ παχέα ἔντερα ὑπὸ παχέων καὶ γλίσχρων χυμῶν, καὶ ἐμφραττομένων αὐτῶν οὐ γίνεται ἀνάδοσις πρὸς τὸ ἧπαρ. ἀναδόσεως δὲ μὴ γινομένης, οὐδὲ γένεσις γίνεται τῶν χυμῶν, λοιπὸν οὐδὲ διάκρισις οὔρου. ἐντεῦθεν ὀλίγισα φέρεται στραγγοειδῶς, ὅπερ ἐστὶν στραγγουρία, ὃ καὶ χαλεπόν. ἐν ἑπτὰ γὰρ ἡμέραις ἀπαλλάττεται ὁ κάμνων, ἐὰν μὴ πυρετὸς ἐπιγένηται. ἐὰν γὰρ ἐπιγένηται, χύσιν ποιεῖται τῆς ὕλης, καὶ λεπτύνει αὐτὴν, καὶ τέμνει, καὶ ἐκφράττει τὰ ἐμφραχθέντα μόρια, καὶ τὰ οὖρα αὐτάρκως ἐκκρίνεται, ὅπερ ἀγαθόν. οὕτως μὲν ἔφησαν τινές. idest, Quidā in ileo dicunt urinę stillicidium sic fieri. Intestina crassa à crassis & glutinosis humoribus obstruuntur, & his obstructis ad iecur distributio nō fit. cum uero distributio non fiat, nec humorū generatio fit, deinde neq; urinæ secretio. hinc pauca guttatim emanat, quod est urinæ stillicidiū. Ideq; molestū, in septē eñ diebus patiēs moritur, nisi febris superuenerit. Si eñ superuenerit, materię effusionē facit, & ipsam attenuat atq; incidit, & obstructas partes reserat, & urinā sufficiēter excernit, quod

nit, quod ſane bonum eſt. Nõnulli quidem ita dixere. hi uero ex urinæ ſtillicidio ileum non faciunt, ſed ex ileo potius urinę ſtillicidium, & ideo non ab re Philotheus proſequitur: ὁ δὲ ἱπποκράτης ἐπὶ στραγγουρίᾳ τὸν εἰλεὸν ἐπιτίθεται, καὶ καλῶς, καὶ γὰρ πρώτῃ, (ſcilicet ἡμέρᾳ) οὐκ εἶδος ποιεῖται τοῦ εἰλεοῦ. ἐνδέχεται γὰρ μέχρι τεσσάρων καὶ πέντε ἡμερῶν ἐν τοῖς ἐντέροις εἶναι τὴν ἔμφραξιν, καὶ μὴ εἶναι διαφανῆ τὸν εἰλεόν, ἡ δὲ στραγγουρία ἀπὸ πρώτης ἡμέρας διαφαίνεται, ideſt, Hippocrates uero in ſtranguria ileum ſuperaddit, & recte. etenim prima (ſcilicet die) ilei ſpecies non fit: contingit enim uſque ad quatuor, uel quinque dies in inteſtinis obſtructionem eſſe, & non eſſe ileum apparens. Vrinæ uero ſtillicidiũ à primis diebus appareat. ut Philotheus id ſentire uideatur, ileum quidem tunc etiam fuiſſe, quando urinæ ſtillicidium apparebat, at apparere non uidebatur, quia non multum offendebat, propterea ſtillicidiũ uiſum eſt fuiſſe prius, cum tamen prius non eſſet. Tamen uidetur ſatis obſcurus, & aliquid in eo deſiderari.

ὁκόσοισιν ἐκ στραγγουρίης. ideſt, Quibuſcunq; ex ſtillicidio urinæ.] hoc uidetur ſignificare ac ſi urinæ ſtillicidium illi cauſa ſit, & ideo Galenus imaginari neſcit, quomodo id fieri poſsit, niſi dixerimus, materiam craſſam, urinam ne exeat, impedire, & etiam graciliora inteſtina obſtruendo, ileum facere. unde in hoc ſenſu intelligere oportet, uel fieri ex, ideſt, poſt urinæ ſtillicidium ileum: uel ex, ideſt, poſtq; urinæ ſtillicidiũ cœpit, etiam fiat ileos. & tũc re uera maior eſt dolor, quia urinę impedimentũ adeſt, & etiã ilei dolor.

εἰλεὸς ἐπιγένηται. ideſt, Ileos ſuperuenerit.] non tamẽ ratione ſtillicidij, ſed ratione ſui ex materia aliqua craſſa obſtruente, quæ forte etiam urinæ ſtillicidium facit.

ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ideſt, In ſeptem diebus pereunt.] ob morbi inteſionem, qui duas partes occupat.

ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγινομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ. ideſt, niſi febre ſuperueniente ſatis urinæ fluxerit.] ut febris craſſos illos humores obſtruentes diſſoluat, & attenuet, & per urinæ uiam tranſmittat, tamen per craſsiora inteſtina ad anum recta eunt.

GALENVS

IN ILEO nihil exit inferius, neq; ſi quis acerrimo utatur clyſtere. Vomitus autẽ ſtercoris aduenit his qui exitialiter ſe habent. Quod igitur interclusa uia exitus hæc paſſio fiat, & quod in tenuibus inteſtinis, non autẽ craſsis, omnes fere fatentur, & quidem quod propter inflãmationem, & propter obſtructionem ſtercoris ſicci, uel humorum craſſorum, atq; tenacium, dictum eſt à pluribus. Mihi uero uidetur inflãmationem, uel durum tumorem, uel abſceſſum, tantam facere poſſe loci anguſtationem, ut nihil poſsit ad inferiora tranſmitti. Quod autem humores craſsi, atq; tenaces in cauſa ſint, non admodum mihi uidetur probabile. Verum & hoc ſi libeat ponito, & ſi quid aliud dicatur præter hoc. Verum quod uidetur omnibus qui aphoriſmos expoſuerunt, admodũ mihi uidetur difficile creditu. Aiunt enim quod ueſica inflammata, anguſtia loci facta, ex cõpreſsione in inteſtinis paſsionem affert, quæ ileos nominatur. Ego uero multos me puto in tota uidiſſe uita, nonnullos tantum periclitãtes, non paucos uero etiam mortuos, non potẽtes mingere, quibus tunc manifeſte omnibus ſecundum propriam circunſcriptionem plena ueſica apparebat, adeo quod ſupra modum erat extenta, & dolor, ut par eſt, inde accreſcebat, quorum tamẽ nullus factus eſt ileoſus. Quomodo igitur quiſpiam unquam perſuaderetur, ob ueſicæ inflãmationem anguſtiore facto inteſtino, ileon prouenire? Non magis ſane quàm ex tumore uteri in muliere grauida. Atqui uſq; ad ilia eius tumor extenditur, & magis premere poteſt, atque anguſtare inteſtina tenuia, ueſica uero ſi in tumorem attollatur, ſolum poteſt rectum premere inteſtinum. Quidam uero etiam dicunt abſurdius quod febris ſuperueniens conferat ileo. Nam febris quidem in inflãmatione ueſicæ non abſq; ratione fieret, quin quanto illa maior, ac grauior, tantum augeri febrem contingeret cum caſus ſit inflammationis. Ileos uero ut ipſi aiũt ex inflammatione ortum habuit, & unam tantum ſpem habet ſolutionis, inflammationis ceſſationem, cum qua etiam febrem ſedari eſt neceſſarium. Bonum igitur ſignũ ſolutionis earũ quæ ſunt in ileo paſsionũ, eſt febris, uel remiſſa, uel ſoluta. Neq; uero ſignũ, neq; cauſa bona, ipſa, uel ſuperueniẽs, uel aucta. Nouimus eñ ſolũ illis morbis cõferre febrẽ, qui ex frigiditate fiunt, aliquãdo ſola, aliquando cũ humoribus crudis, pituitoſis, et flatuoſis ſpiritibus. Melius itaq; ſi fateamur nos ignorare quę in hoc aphoriſmo Hippocrates

pocrates dixerit. Neq; enim ratio eorum indicat ueritatem, neq; experientia docet. Tertium autem nihil habemus ad fidem, si unquã talis ægrotus sit uisus, aut ab Hippocrate, aut ab aliquo alio: neq; enim, neq; si legitimus sit hic aphorismus, habeo dicere. Multitudinem igitur humorum crudorum unà cum multa frigiditate, melius est talium in ileo casuum, qui dicti sunt, causam arbitrari. Sic enim tantum modo febris esset medicina dispositionis, & retentarum urinarum euacuatio. Sic enim consueuère crassæ & plurimæ, atq; omnes simul ipsis concoctis euacuari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in ileo nihil excerni, etiam si quis acerrimis clysterijs utatur. Adde, si qui exitialiter se habeant, stercoris uomitum habere: nam interclusa exitus uia per inferiora fit hęc passio; quod omnes fatentur. Addentesq; simul hanc passionem in gracilioribus intestinis fieri, & non in crassis. Sæpiusq; Galenus edocuit, uel ob inflammationem, uel ob obstructionem, quæ uel à stercore sicco facta sit, uel à crassis humoribus, uel tenacibus ileon fieri.

Vbi legitur, Quod igitur interclusa uia exitus: legi debet, Via inferiori exitus. Nam superior uia est aperta. & Græcus contextus dicit, ὅτι μὲν οὖν ἀποκλειομένης τῆς κάτω διεξόδου, idest, quod igitur interclusa inferiori uia exitus.

Vbi legitur, Et propter obstructionem stercoris sicci: in nostro antiquo cõtextu sunt duæ lectiones. Vna, ἢ διὰ ἔμφραξιν ἤτοι κόπρου ξηρᾶς, quam lectionem & Leonicenus habuit. Altera lectio est, ἢ διὰ ἔμφραξιν ἤτοι κόπρου σκληρᾶς. idest, uel propter obstructionem stercoris duri. Aldinus contextus eodem modo habet: hoc dempto, quod copulatiue legit, Et propter obstructionem.

Quod etiam legitur, Vel humorum crassorum atq; tenacium: Græce est, ἢ γλίσχρων ὑγρῶν ἢ παχέων γίνεται. idest, uel tenacium humorum, uel crassorum. nam ex omnibus his causis ilei fieri consueuerunt.

SECVNDO docet, sibi uideri in illis intestinis, inflammationem, uel durum tumorem, uel abscessum, tantam loci angustationem facere posse, ut nihil possit ad inferiora transmitti.

Quod legitur, Vt nihil posit ad inferius transmitti, in nostro antiquo contextu duæ lectiones sunt, una est, ὡς τι μηδὲν κάτω ὑπέρχεσθαι. Aldinus contextus loco huius particulæ ὑπέρχεσθαι, legit διεξέρχεσθαι, & addit hanc particulam, δύνασθαι, quæ re uera addenda erat, hæc est lectio, quam secutus est Leonicenus. Altera lectio est, ὡς μηδὲν κάτω διεξέρχεσθαι δύνασθαι ποτέ, idest ut nihil quandoq; posit ad inferiora transmitti.

TERTIO Galeno probabile non uidetur, quod crasi humores illa faciant quæ ab Hippocrate in aphorismo dicũtur, tamen non pluris facit si hoc dicatur, & etiam aliud quid præter hoc.

Quod legitur, Non admodum mihi uidetur probabile, in nostro antiquo contextu dupliciter legitur, uno modo, πιθανὸν εἶναι οὐ πάνυ μοι φαίνεται: alio modo, οὐ πάνυ τί δοκεῖ πιθανὸν εἶναι. idest, Non adeo uidetur quid persuasibile esse.

QVARTO Galeno id creditu difficile uidetur, quod omnibus Aphorismorum interpretibus uerum esse uidetur. Volunt enim, quod inflammata uesica ex cõpressione, angustia loci facta, in quibusdam intestinis passio fiat, quæ ileos uocatur: sed ipse fatetur se multos in sua uita uidisse, nonnullos periclitantes solum, multos mortuos non potentes mingere, qui habebant plenam uesicam, ut oculis uidebatur, & dolor eos multũ infestabat, tamen non sunt effecti ileosi. unde credere non potest ob uesicæ inflammationem intestino angustiore facto ileon posse fieri, sicuti etiam ex tumore uteri in utero gerente nunquã fit ileos: tamen uterus extẽtus usq; ad tenuiora intestina, & ad hypochondria pertingere potest, sed uesica supra intestinum rectum solum comprimere potest.

Quod legitur, Verum quod uidetur omnibus, legi debet, uerum quod uidetur fere omnibus. Græce etenim est, ἀλλ' ἐκεῖνό γε τὸ σχεδὸν ἅπασι δόξαν.

Quod etiam legitur, Angustia loci facta ex compresione in intestinis, legi debet, in quibusdam intestinis. Græce enim est, ἔν τισι τῶν ἐντέρων, idest, In nonnullis intestinis.

Quod etiam legitur, Atqui usq; ad ilia. Græce est, ὑποχόνδρια, at sæpius dictum est à nobis, hypochondria interpretanda esse præcordia, & non ilia.

QVINTO alios reprehendit, qui absurdius adhuc loquuntur: nam dicunt febrẽ superuenientem ileo conferre: & re uera ex inflammatione uesicæ fit febris, quæ tanto intensior est, quanto maior erit inflammatio. febris etenim in hoc casu est inflammationis symptoma. unde ut hi dicunt ileos est ex inflammatione, & spes sanitatis est ut inflãmatio cesset, sed inflammatione cessante febris etiam cessat. Et ideo bonum indiciũ passionum, quæ in ileo sunt, est febris uel remissa uel soluta: propterea supueniens febris non est bonum signum, nec bona causa, etiam si noua non supraueniat, sed augeatur. Nam febris solum illis confert morbis, qui fiunt ex frigiditate, quandoq; sola, quandoq; cum humoribus frigidis pituitosis, & spiritibus flatuosis. Vnde dicit, melius esse dicere, nos ignorare ea quæ ab Hippocrate in hoc aphorismo dicuntur: quoniam neq; possunt ratione probari, neq; experiẽtia uideri. Ex hoc tertium addamus, nihil esse certũ, si etiam Hippocrates, uel aliquis alter similem ægrotũ uiderit. Imò Galenus nescit de hoc aphorismo quid dicere debeat, an sit Hippocratis legitimus.

SEXTO ipse expositionem quandam assignat, quæ uera est, si quæ altera uera sit. Melius est, inquit, arbitrari horum causam esse multitudinẽ humorum crudorum unà cum multa frigiditate. In hoc enim solo casu febris est dispositionis præsidium, & etiam prædictarum urinarum euacuatio: hoc enim modo urinæ crassæ, & etiam materię ipsis concoctis simul euacuari consueuerunt.

Quod legitur, Et retentarum urinarum. in Aldino codice, & in nostro antiquo legitur, ἀργημένων οὔρων. sed in alio legitur ἀρχημένων, idest dictarum.

APHORISMVS XLV

VLcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium, & cicatrices cauas fieri.

BRASAVOLVS

OSSA in humano corpore sunt basis atq; fundamentum totius machinæ, imò nihil aliud esse uidetur humanũ corpus sine anima, quàm ossa ordine quodam colligata, & carne induta: & ideo supra omnia ossa adest caro, in qua hulcera fiunt, quæ si per annũ, idest diu perdurauerint, imò plerunq; annum non expectant, necessarium est os carni subiectum corrumpi, & eius squamas exire: deinde materia expurgata, & cicatrice inducta, fieri non potest, quin sit caua cicatrix, quia ossis portio sub illa carne deest.

ἕλκεα ὁκόσα ἐνιαύσια γίνεται. idest, Hulcera quæcunq; annua fiunt.] idest, hulcera illa quæ per annum durant.

ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσιν. idest, Vel quæ longius tempus habent.] Vt uno uerbo intelligamus hulcera diuturna, & quæ diu perdurauerint, & ad cicatricẽ induci non potuere. de quibus à Philotheo dicitur, ἰστέον δὲ, ὅτι χρόνια ἕλκη εἰσὶν τὰ φαγαιδαινικά, τὰ τηλέφια, τὰ χειρώνια. καὶ φαγαιδαινικὰ μὲν εἴρηται, διὰ τὸ διαβιβρώσκειν. τηλέφια δὲ ἀπὸ τοῦ πεπονθότος. χειρώνια δὲ, ἀπὸ τοῦ θεραπεύοντος. i. sciẽdum uero φ hulcera antiqua sunt phagædenica, telephia, & chironia. & phagædenica quidem dicũtur, quia exedunt. Telephia autem ab eo qui passus est, scilicet Telepho. Chironia uero ab eo qui sanauit. At Galenus hæc nomina despexit, quoniam hæc omnia apud antiquos in genere phagædænica, idest exedentia, uno nomine nuncupantur. Sed fuere posteriores, qui in has species distinctionẽ fecerunt. Vnum est, hulcera ista, quæ annua sunt, uel etiam diuturniora, esse maligna: sed tamen non esse reponenda, uel inter anthraces, uel inter phagædænas, uel inter herpetes, ad quas species omnes alias reducit: sed esse talia hulcera, qualia singulis diebus in experiẽtia uidemus, potissimum in cruribus, quæ sunt mali habitus, & consolidari non possunt. Cur uero in hulcere diu consolidatio retardetur, multæ possunt esse causæ: quãdoq; est multa materia, quæ ad hulcus defluit, & praua est: & hoc esse potest, quia corpus erit ualde plenũ, ut in his qui aquam intercutem patiuntur: quãdoq; est, quia hulcus est in parte glandulosa, ad quam continuo humidæ materiæ fluunt: quãdoq; est ob malam membri temperiem: cum enim membrum sit male temperatum, uis quæ cicatricem inducere deberet carnem

carnem excrescere faciens, non bene operatur: quandoq; fit ob regimen uictus prauum & sine ordine, quo is utitur qui uulneratus est: quãdoq; ob quædam extrinseca quæ occurrunt, consolidatio fieri non potest, ut cum aliquis ulcus habẽs in tibia, lapides sæpe offendit: quãdoq; fit, q̃a prius fuerit os detectũ, postea creuerit caro, at os prius putruerit, tunc sanari non potest, nisi os abscedat. imò si quãdoq; sanari uideatur, non est uera sanitas, ut in multis uidere licet: quãdoq; contingit, quia ulcus fistulosum effectum est. Tamen in genere, quando ulcus ita diu perdurat, ut plurimũ error est in osse, quod tanquam basis & fundamentum carnis, ipsam crescere non sinit, neq; os obtegere. Philotheus ex præcitatis causis nonnullas refert, inquiens, non consolidari ulcera, ἢ διὰ ὕλην ὑγρὰν ἐν αὐτοῖς συῤῥέουσαν, ἢ δυσκρασίαν, ἢ διανομήν τινα καὶ σῆψιν ἐν αὐτοῖς γεγονυῖαν, ἢ οὐ μόνον σαρκῶν ἅπτεται, ἀλλὰ δύνει καὶ μέχρι αὐτῶν τῶν ὀστῶν. idest, Vel ob humidam materiam in ipsum confluentem, uel ob intemperiem, uel ob exesionem uel depastionem quandam & putrefactionem in ipso factam, quæ non solum carnes tentat, sed & penetrat usq; ad ipsa ossa. De hisq; ulceribus Celsus ubertim tractat libro quinto capite uigesimosexto, & Paulus libro quarto, capitibus quadragesimoquarto & quadragesimoquinto.

ἀναγκαῖον ὀστέον ἀφίστασθαι. idest, Os abscedere est necessarium.] Quia & si caro supra os plerunq; inducta uideatur, & cicatricem esse factam, tamen uel illuc currente materia, uel osse iam male affecto, & carnem male afficiente, iterum ulcus nascitur, itaq; sæpe ac sæpius fit, quo usq; illa ossis squama, aut portio abscedat, & caro crescat. quod ita fit, nam paulatim inter illam ossis partem, quæ abscedit, & os ipsum carnẽ inducit, quæ paulatim crescens os, uel eius squamam ad circunferẽtiam transmittit, & hoc continuo facit, quoad ipsa ossis portio exierit: quod in dies experiẽtia fieri compertum est, sed potissimum in cruribus, brachijs, & capite. imò cum chirurgici uident ulcus alicuius ad cicatricem peruenire non posse, prædicunt os abscessurum esse, & hoc ut citius fiat, à medico procurari potest. multaq; à Paulo, Aetio, & Celso ad hoc propositum scripta sunt: sed extremum præsidium, & id quod cæteris præstantius est, est actualis ignis, qui cito os, quando detectum fuerit, abscedere facit. Philotheus dicit, necessarium esse os abscedere, & quia aliquis totum os intelligere posset, propterea ipse statim dicit, ἤτοι λεπίδας ὀστῶν, idest uel ossium squamas.

Καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι. idest, Et cicatrices cauas fieri.] Nam osse deficiente, & parte illa imbecilli reddita, in qua fiat cicatrix: nec ossis loco callus crescit, nec caro in tantum tumorem crescit, ut aliam carnem æquet, propterea cicatrices cauæ fiunt: ut etiam dicit Philotheus, διὰ τὸ ἀπασπασθὲν σαρκούμενον καὶ ἀπουλούμενον. idest, Quoniam pars auulsa, carne repleta est, & ad cicatricem peruenit; unde ad æqualitatem peruenire non potest cum partibus illis quæ propinquæ sunt. Scito tamen cicatrices concauas ad æqualitatem arte reduci posse, ut Paulus libro quarto docet, capite quadragesimooctauo: sed hoc fieri nõ potest sine dolore. unde Celsus in fine capitis uigesimisexti quinti libri, inquit, At si uel excreuit cicatrix, uel concaua est, stultum est decoris causa rursus & dolorem & medicinã substinere: alioqui res utrisq; succurri patitur, siquidem utraq; cicatrix exulcerari scalpello potest, si medicamentum aliquis mauult. Idem efficiunt cõpositiones hæ quæ corpus exedunt cute exulcerata: supra eminẽtem carnem, exedentia medicamenta conijciẽda sunt, super concauã implentia, donec utrũq; ulcus sanæ cuti æquetur, & tum cicatrix inducatur. ut hinc uideas caua hulcera ad æqualitatẽ deduci posse: imò plerunq; contingit, presertim in adulescentibus & pueris, etiam ablato osse cauam cicatricem non induci, ut nos non semel uidimus: imò unum nunc curamus, à quo & ossis portio exiuit, & non solum cauam cicatricem non fecit, sed caro magis excreuit quàm opus esset.

GALENVS

QVÆCVNQVE ulcera longo tempore manent, uel cicatrice nullo modo adueniẽte, uel si facta sit rursus resoluta, nihil uidelicet medicis in curatione delinquentibus, necesse est, uel propter influxum uitiosorum humorũ, uel propter dispositionem in membro contractam tempore ex humoris influentibus, uel ob aliquam passionem ossis in eo loco corrupti, difficulter sanari. Alia itaq; ulcera semper maiora, & deteriora fiunt, atq; hæc omnia Phagedenas, idest exedentes antiqui nominabant. Quidam uero

posteriores ea distinguere cogitarunt propriam singulis dantes appellationem, & quædam eorum chironia nominantes, quædam telephia, quædam phagædænas, & alias adhuc curiosas magis afferentes appellationes. Nobis uero sufficiet ex his quæ aliquid loci occupant circũstantis, nõnulla quidem herpetas, idest repentes nominare, quando summas tantũ partes cutis occupauerint, alia uero phagædænas, quæ carnẽ subiectam corrumpunt. Quod enim putridum, atque depascens à nonnullis ulcus uocatur, non est propria ulceris differẽtia, sed passio implicita, ex ulcere, atque putredine. Scimus autem, quod & absque ulcere putredo ipsa per se ipsam in multis corporis partibus cõstituitur. Vocatur aũt & anthrax, idest carbo, ulcus escharosum, cui iungitur multus corporum circunstantium feruor. Hæc igitur propriam habuere appellationem, anthrax, phagædæna, & herpes. Quæcunque uero ulcera fiunt sine dictis casibus, hæc ipsa per se ipsa solebant antiqui ulcera tantum nominare, de quibus nunc Hippocrates loquitur, de his peculiariter edocens, quod quęcunque talia sunt ulcera, in longum incidunt tempus. Videtur autem experientia rationi adstipulari, & multa sæpius ex hoc genere ulcerũ, cum post multum tempus fuerint ad cicatricem perducta rursus inflãmantur, ac dirumpuntur, ipsarum cicatrice soluta. Fit aũt hoc talem aliquam ob causam. Quando ex adhibitis medicamẽtis, caro quæ ossi superiacet patienti, exiccata contraxerit cicatricẽ, statim quidẽ integra sanitas restituta uideť. Rursus uero paulatim aliqua influẽte sanie ex osse corrupto, in parte penitiore iterum aduenit inflammatio, & puris generatio consequitur, à quo cicatrix eroditur, caro uero exulceratur. Quæ nam igitur est taliũ sanatio ulcerum? Non profecto alia, quàm ab ipso scripta in libro De ulceribus, & à nobis in tertio De arte curatiua fuit demõstrata. Nam ulcera omnia exiccari oportet, præcipue uero in quibus patitur os. Terminus autem est siccitatis ut abscedat pars eius quæ est uitiata. Quare non absque ratione, tantum fieri cauas cicatrices contingit, quantam habuerit abscessus crassitudinem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus tarditatem reducendi cicatricem in ulceribus ad tres causas deducit, modo medici non delinquant. Vna est uitiosorum humorum influxus. Alia est, dispositio in membro ex humoribus influentibus tempore cõtracta. Tertia aliqua passio ossis in illa parte corrupti.

SECVNDO docet, omnia alia ulcera fieri maiora & deteriora, & ab antiquis uno uocabulo nuncupari phagædænas, idest exedentes: sed recentes curiosa nomina inuenere, distinguentes in species, scilicet in chironia, telephia, & phagædænas.

TERTIO ipse docet, satis esse, ex circũstantijs loci quẽ occupant, nominare, ut aliqua ulcera dicantur herpetes. i. repentes, quãdo in cutis superficie sint: alia phagedæna dici, quæ carnem subiectam corrũpunt: nam ulcus id quod putridum est, & depascens, non est propria ulceris differentia, sed est implicita passio ex ulcere atque putredine: nam & ipsa putredo absque ulcere, per seipsam in multis corporis partibus poniť. ulcus enim est cum solutione continui, uel perfecta, uel imperfecta: putredo uero plerunque est in aliqua parte sine solutione aliqua cõtinui: ideo putredo passio est circa ulcus, non aũt uera ulceris differentia, quamuis ulcera per putrida, & non putrida, quandoque distinguãtur.

Quod legitur, Quando summas tantum partes cutis occupauerit. Græce est, ὅταν γε ἐπιπολῆς ᾖ καὶ κατ' αὐτὸ μόνον τὸ δέρμα. idest, Quandoquidem superficialia fuerint, & in ipsa sola cute.

QVARTO ad id affirmandum quod dixerat, scilicet quod putredo non sit ulceris differẽtia, sed passio quædam circa ulcus. dicit etiam anthrax. i. carbo ulcus escharosum esse, cui multus feruor circũstantiũ partiũ iungitur, sicuti putredo iũgitur depascẽtibus.

Quod legitur, Vocatur autem & anthrax: Græce est καλεῖται δέ τι καὶ ἄνθραξ, idest uocatur autem quid & anthrax, ac si dicat anthrax habet quid adiunctum.

QVINTO infert, hæc propriam appellationem habere, anthrax, phagædæna, herpes: sed cætera ulcera præter hæc, sunt illa, de quibus nũc sermo est ab Hippocrate, quę ab antiquis simpliciter & sine aliquo addito ulcera nuncupantur. & hæc illa sunt quæ diu perdurant. Nec istud solum ratione habetur, sed & experientia comprobari potest, cum multa ex his ulceribus ad cicatricem ueniunt, iterum inflammãtur & dirũpuntur

soluta

soluta cicatrice. idem contingit, si in osse fuerit corruptio, & ex medicamentis exiccantibus inducta sit cicatrix, uidetur sanitas restituta. At ex osse corrupto quædā sanies in carnem transmittitur, quæ iterum inflammationem facit, & puris generatio fit, à qua cicatrix eroditur, & caro exulceratur.

Quod legitur, Post multum tempus fuerint ad cicatricem producta, lege perducta.

Quod etiam legitur, Aliqua influēte sanie ex osse corrupto, illa particula, sanie, Græce est ἰχῶρος, aliàs uero dictum est ἰχὼρ esse pus aquosum & imperfectum.

Quod etiam legitur, A quo cicatrix eroditur, caro uero exulceratur, Græce est, διαβιβρώσκοντος μὲν τὴν ὅλην ἐπιφάνειαν, δάκνοντος δὲ τὴν σάρκα. idest, Comedentis quidem totam superficiem, & carnem mordentis. tamen in nostro antiquo contextu sunt duæ lectiones. Prima illa est, quam habuit Leonicenus, quæ ita dicit, διαβρώσκοντος μὲν τὴν οὐλὴν, ἑλκοῦντος δὲ τὴν σάρκα. Secunda lectio est illa, quam superius citauimus, exedente quidem cicatricem, exhulcerante autem carnem.

Denique interrogat, quænam sit horum hulcerum sanatio. Respondet illam esse, quæ posita est ab Hippocrate in libro De ulceribus, & quam ipse in tertio De arte curandi libro ostendit. Nam omnia ulcera exiccari debent, & illa potissimum, in quibus os patitur, & terminus siccitatis sit, ut uitiata pars abscedat: & ideo non sine ratione, tantū fieri cauas cicatrices contingit, quantum ossis abscessus crassitudinem habuerit.

APHORISMVS XLVI

QVi gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

BRASAVOLVS

VIDIMVS nos, non semel, pueros ex destillatione ad pectus permeante, quæ & tussim faciebat, & anhelitus difficultatem, gibbos effectos esse, tamen diu superuixere, qui tam in anteriori parte, quàm in posteriori gibbum habebant, nam pectoris cauitas, ex ui materiæ, & forte motus, magis dilatata est, quàm conueniret, adeo ut in anteriori & posteriori parte eleuationes faceret, & ueluti tumores, in longitudine uero abbreuiaretur. hic tamē ab Hipp. dicitur eos qui ex asthmate, aut tussi gibbi fiunt, ante pubertatem mori, quia in his anhelitus fit ualde difficilis, nec pectus praue affectū crescere potest, sed pulmo & cor crescunt, propterea diu perdurare non possunt, citoque moriūtur.

ὁκόσοι ὕβοι. idest, Qui gibbi.] Tres sunt apud antiquos gibborum differentiæ ὕβοι, λόρδοι, & σκολιώμενοι, primi, quos ὕβους Græci uocant, & κυφοὺς, ac κυρτοὺς etiam nominare solent, à Latinis gibbi dicuntur, quando spina extrorsum flectitur, ut tumor supra dorsum uideatur, unde & ὕβος est supra cameli dorsum tumor. λόρδους uero Græci uocant illos, qui oppositam dispositionem habuerint, quādo spina introrsum flectitur, ut cauitas in spina fiat, & in pectore tumor, à Latinis regibbi dicūtur. Illos autem Græci σκολιωμένους nominant, qui in unum latus, uel dexterum sit, uel sinistrum, flectuntur, quos Latini obliquos appellāt. Adest & quartum genus compositum, quod in dies uidemus quando spina extrorsum flectitur, & etiam pectus, nos uulgo hos uocamus ante, & retro gibbos, Latine dici possunt unà gibbi & regibbi. In præsentiarum, & si Hippocrates de gibbis solum loqui uideatur, tamen ad regibbos, obliquos, & utrinque gibbos ampliari debet aphorismus. Nam sub hoc communi nomine ὕβοι, & gibbi plerūque omnes hæ differentiæ intelliguntur: tamen tres solæ ab antiquis numerantur, quas hoc modo hic refert Philotheus, ἡ ῥάχις ἐξίσταται ἤδη τὰ ὀπίσω, καὶ καλεῖται κύφωσις, ἢ ἤδη τὰ ἔμπροσθεν, καὶ ὀνομάζεται λόρδωσις, ἢ ἤδη τὰ πλάγια, καὶ καλεῖται σκολίωσις. idest, spina ad posteriora flectitur, & uocatur curuitas: uel ad anteriora, & nominatū sinuatio uel cernuitas: uel ad latera, & uocatur obliquitas. Gibbi uero ab extrinsecis causis quandoque fiunt, & quādoque ab intrinsecis: ab extrinsecis quidem, ut ab ictu, casu, graui pondere, & similibus. ab intrinsecis uero (ut Galenus inquit) ob parua tubercula, quę ex materia faciēte asthma uel tussi fiunt. hæc tubercula aliquam partem occupāt, ad quam & uertebras trahunt, unde gibbositatem faciunt. Idem Philotheus sentit, omnia fere à Galeno accipiens; nam dicit, ἀλλ' αὕτη ἡ ἔκστασις, ἢ ὑπὸ πληκτικῆς αἰτίας, ἢ ὑπὸ πνευματώδους γίνεται. ὑπὸ

προκαταρκτικὴ μὲν, ὥσπερ ἐὰν ἀπὸ πληγῆς λίθου, ἢ ξύλου ἡ ἔκστασις γένηται. ἐπὶ προηγουμένης δὲ ὅταν ἐν τοῖς συνδέσμοις τῶν σπονδύλων φῦμα ἄπεπτον γένηται, ἢ φλεγμονή. τότε γὰρ εἰς πλάτος, ἐπὶ παντοίων τῶν γινομένων, ἕλκονται ὡς ἐπὶ τὰ ἔσω οἱ σπόνδυλοι, ἢ ἐπὶ τὰ ἔξω τῇ στενοχωρίᾳ. ὑποκείσθω οὖν φῦμα περὶ τοὺς συνδέσμους τῶν σπονδύλων ἐκ τούτου ἕλκονται ὡς ἐπὶ τὰ ἔσω οἱ σπόνδυλοι, ὅθεν στενοχωρεῖται ὁ θώραξ, καὶ δύσπνοια ἐπακολουθεῖ, ἥτις ἆσθμα λέγεται. γίνεται οὖν τὸ ἆσθμα ἐπὶ τῇ μεταστάσει τῶν σπονδύλων, πλὴν ἐὰν παχεῖα ᾖ ἡ ὕλη τοῦ φύματος. εἰ μέν τοι λεπτὸν ᾖ, ὡς ἐγχυθεῖσα μέρος δὲ αὐτοῦ περὶ τὸν θώρακα, βὴξ γίνεται, ἐκκρινομένη διὰ τὰς τραχείας ἀρτηρίας. idest, sed hic excessus, idest hęc naturę exorbitatio, uidelicet gibbositas, uel à causa extrinseca fit, uel ab intrinseca. & ab extrinseca quidem, ut si ab ictu lapidis uel ligni excessus fiat: ab intrinseca uero, quando in spondylorũ coniunctionibus tuberculum crudum factum fuerit, uel inflammatio. Tunc enim in latitudinem quomodocunque factis, spondyli ad interiores partes contrahuntur angustia, uel ad exteriores. Supponatur igitur circa spondylorum coniunctiones tuberculum, ex hoc ad intra spondyli contrahuntur, unde thorax coarctatur, & anhelitus difficultas cõsequitur: quæ asthma, idest suspirium uocatur. Fit igitur in interstitio spondylorum asthma: uerumtamen si crassa sit tuberculi materia. Siquidem tenuis pars materiæ, scilicet ex ipso circa thoracem adducta fuerit, per asperas arterias secreta, idest defluens, tussim facit. Tu uero bene considera hunc authorẽ, quia satis difficilis in hac parte uidetur.

ἐξ ἄσθματος. idest, ex asthmate.] Non quidem perseuerans asthma, quia illi cito moriuntur: sed materia quæ asthma faciebat, ad spondylos permutata est.

ἢ βηχὸς γίνονται. idest, uel ex tussi fiunt.] Vt etiam materia quæ tussim facit, ad spondylos & dorsum transmutetur: non autem quod hæc simul habeant, tamẽ omnes gibbos quos uidimus, tales semper habebant & habent anhelitus difficultatem.

πρὸ τῆς ἥβης ἀπόλλυνται. idest, ante pubertatem moriuntur.] Hic enim supponitur hos esse ante pubertatem. Huius partis sensus duplex esse potest: unus quod hi ante pubertatem moriantur. qui sensus uerus non est: nam aliquos uidimus iuuenilem ætatẽ etiam pertingere. Alter sensus est, quem illi Galenus tribuit, applicãtes illam particulam Ante pubertatem, superioribus: & non illi parti, Moriuntur. ut sensum faciat, Qui ex asthmate uel tussi fiunt ante pubertatem gibbi, moriuntur. forte Hippocratem deridere potes: quoniam & recti ipsi moriuntur. Propterea Galenus exponit, cito mori. nam qui gibbi fiunt ante pubertatem adhuc crescũt, & omnia illorum membra simul crescunt, dempto thorace, qui amplius non crescit: tamẽ membra quæ in ipso sunt, cor scilicet & pulmo crescunt: cum uero thorax ipse non crescat, maior respirandi necessitas fit, hinc cito moriuntur. Vnde Hippocrates quando moriũtur non determinat, sed cito mori dicit: tamen Auicenna libro tertio, fen uigesimasecunda, ad hoc se determinare uidetur, quod antequam expuant, moriãtur. Galenus uero solum intelligit, quod hoc cito fiat. Et Philotheus eandem causam refert, cur cito moriãtur: quia sine augmento manet thorax: partes uero quæ in eo sunt, augentur: καὶ οὐκ ἔστιν ἐμφύτου θερμοῦ περιουσία τούτοις. idest, Et his non prodest naturalis caloris abundantia. Philothei contextus in fine non dicit ἀπόλλυνται, sed τελευτῶσιν.

GALENVS

GIBBOS solet Hippocrates nominare, quos nunc omnes homines conuexos appellant. Nam & uere eis est spina in parte posteriore conuexa. Conuexo igitur opposite dicitur cauum, gibbo, regibbum. Sed hæc quidem de sola spina Græci dicũt: illa uero de omnibus. Quomodo uero gibbositas fiat, ipse narrauit in libro De articulis, sicuti & de regibbositate & obliquitate atq; concussu. Hæ enim sunt propriæ atq; præcipuæ spinæ passiones: atq; oportet illum qui uult istarum passionũ habere notitiam, his quæ in eo libro scribuntur plenius incumbere. Nunc uero à nobis dicentur ea quæ ad propositum aphorismum uidentur utilia. Gibba fit spina, aliquando propter ictum, aut casum, gibba etiã fit propter quædam tubercula dura, quæ in parte anteriore cõsistunt, à quibus si quando una uertebra trahitur ad anteriora recurua fit eo loco spina: ita & si plures fuerint se ordine consequentes. quando uero non fuerint continuæ hæ quæ tenduntur uertebræ, gibbositas fit tantum partibus retro tendentibus quantũ uertebræ extentæ sunt ad interiora reflexę: nam hoc fieri uidetur in omnibus duris mediocriter tentis

tis, ueluti calamis, uiminibus, uirgis, & omnibus alijs huiuscemodi: & dictũ est de his plenius in expositionibus libri De articulis. Nunc uero eos qui gibbi facti sunt ex asthmate & tussi ante pubertatẽ cito inquit interire. Neq; enim uult in his thorax, ut ipse dixit, unà cum alijs augeri: atq; ideo magna angustia premũtur ea, quæ respirationi obseruiunt instrumẽta. Omnibus quidem cõmune, qui spõte gibbi facti sunt, hoc est quibus sine ictu uel casu spina passa est, propter dura tubercula, & cõcoqui difficilia, tales fieri. Sed cum multa sit in tuberculis secundũ tumorẽ atq; duriciẽ & locũ in quo consistunt differentia, quæ quidem simul dura ac magna sunt cõstituta, statim difficilem faciũt hominibus respirationẽ. Quæ uero ex suo humore aliquid ad asperam mittunt arteriã, reddunt tussiculosos. Verũ quæ talia sunt, ut mittant ex suo humore aliquid, non sunt dura exquisite, atq; ideo necessariũ est eis aliquãdo suppurari, & hominẽ occidere. Quę uero nihil mittũt, ex crassis humoribus ortum habent, atq; ob id dura sunt & incocta, & longo permanent tempore anteq; suppurẽtur, atq; ideo non perimũt hominem. Quæ uero unà cum tussi ortum habuere, properant ad suppurationẽ, atq; ideo sunt exitialia. Sic & quæcũq; cum difficili anhelitu fiunt, sunt his qui adhuc augentur perniciosa, uel enim hæc magna sunt, uel in loco thoracis ad uitã oportuno. Quãdo igitur pulmo, unà cum corde in talibus augeatur, locus aũt continens minor efficiatur, neq; costæ augeãtur, & inter flectendum, propter gibbositatẽ thoracem faciant angustiorem, necessariũ est tantam in breui tempore fieri anhelitus difficultatẽ, quod homo corrũpitur. Nam si nondũ gibbositate superueniẽte propter solos tumores extra naturã difficilem habebant anhelitum, quid debemus expectare, cum tubercula sint tempore adaucta: thorax aũt sit factus angustior? Quod igitur cum multæ sint spirandi difficultates, solam illam Hippocrates asthma cõsueuerit nominare, in quo cõtingit satis crebrum anhelitũ fieri, clarum admodum existit. Vocãt autem & nunc homines τὸ ἀσμαίνειν, idest anhelare, id quod fit in cursibus & uehemẽtioribus exercitijs. Hippocratẽ autem posteriores, & passionem aliquam diuturnã, nonnulli simpliciter asthma nominant, nonnulli orthopniam, quando absq; febre ægroti iugiter anhelitum habent difficilem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, qui nam gibbi ab Hippocrate dicantur. At pro exquisitiori huius partis intellectione, melius esset Græcis uocabulis uti, quàm Latinis. Dictũ est, hæc tria uocabula ὕβοι, κυφοί, & κυρτοί idem significare, scilicet gibbum: propterea hic Galenus dicit Hippocratem nominare consueuisse ὑβὸς, & κυφὸς illos, quos nunc omnes homines κυρτὸς uocant. Quoniam uere in eorum posteriori parte spina fit κυρτὴ. κυρτῷ quidem opponitur κοῖλον idest cauum, ὑβῷ autem uel κυφῷ, idest gibbo, τὸ λορδὸν, idest regibbum. deinde Galenus docet, ὑβὸν & λορδὸν de sola dici spina, idest esse solas gibbositates, quæ in spina fiunt: sed κυρτὸν non solum esse gibbositatem in spina, imò & in omni altera re, quando curuum significare uolumus κυρτὸν dicimus. At in spina solum, κυφὸν & ὑβὸν diceremus. κοῖλον præterea, idest cauũ de omni re dicitur, & non de sola spina, sed λορδὸν de sola spina dicitur.

SECVNDO docet, Hippocratem in libro De articulis edocuisse quo nam modo fiat gibbositas, regibbositas, & obliquitas. nam hæ sunt pręcipue spinæ passiones. opus est eum qui harum passionum notitiam habere percupit, librum illum perfecte legere. nos aũt in præsentiarum illa edocebimus, quæ ad propositũ aphorismũ utilia uidentur.

Quod legitur, Atq; concussu, in Aldino contextu legitur, καὶ σείσιος, in nostro antiquo καὶ σιμώσιος. In alio codice abest hæc particula, quod magis laudamus.

TERTIO docet, πῶς ὑβοῦται ῥάχις, idest quomodo gibba fit spina. aliquãdo fit à causa extrinseca, ut ab ictu, uel casu: aliquando ab intrinseca ob quædam tubercula dura, quæ in parte anteriore consistunt, à quibus si una uertebra ad anteriora trahatur, spina in eo loco regibba fit: eodem modo si fuerint plures, fit gibbositas, tantum partibus retro tendentibus, quantum uertebræ extẽtæ sunt ad interiora reflexæ: hocq; experientia uidetur in omnibus mediocriter duris, ut sunt calami, & uirgæ, & similia. De hisq; omnibus abunde in libro De articulis diximus. Vbi legitur, A quibus si quãdo una uertebra trahiẽ ad anteriora, recurua fit. hæc particula, recurua fit: Græce est λορδοῦται: nos potius interpretaremur regibba fit, quia λορδοὶ Latine regibbi dicuntur.

Hæc particula, Quando uero non fuerint continuæ hæ quæ tenduntur uertebræ. in nonnullis codicibus hæc particula abest; tamen in Aldino, & in nostro antiquo inuenitur: quippe legunt, ὅταν δὲ μὴ συνεχέις ὦσιν ἀλλήλων οἱ τεινόμενοι σπόνδυλοι.

Vbi legitur, Nam hoc fieri uidetur in omnibus duris mediocriter tentis; in nostro antiquo codice duæ sunt lectiones: una, ὁρᾶται γὰρ ἰδεῖ πάντων τοῦτο τὸ σκληρὸν μετρίως τεινόμενον. secunda lectio habetur etiã in Aldino codice, & illam magis probo, quæ est hæc, ὁρᾶται γοῦν ἰδεῖ πάντων τοῦτο τῶν σκληρῶν μετρίως γινόμενον. in qua lectione abest hæc particula, tentis. Videtur igitur in omnibus duris hoc mediocriter factum.

QVARTO aphorismi rationem reddit: hi cito moriũtur, quoniam thorax unà cum alijs partibus non augetur, ideo premuntur magna angustia instrumenta, quæ respirationi seruiunt. Hoc igitur commune est omnibus gibbis, qui ab intrinseca causa facti sunt, ob dura tubercula, & cõcoctu difficilia tales fiunt. uerum quia tubercula in tumore & duritie multum differunt, & in loco in quo consistunt: ideo magna & dura difficiliorem faciunt respirationẽ. quæ uero aliquid ex suo humore ad asperam arteriam mittunt, tussiculosos homines faciunt. At quæ aliquid ex suo humore mittũt, non sunt exquisite dura. Ideo opus est suppurari, & aliquando hominem interficere. Quæ autem nihil mittunt, sunt ex crassis humoribus, & sunt dura & incocta, & longo permanent tempore, antequàm suppurentur: propterea hominem non necant, sed quæ cum tussi simul nascuntur, & suppurationẽ properãt, & ideo sunt exitialia: eodem modo & omnia quæ cum difficili anhelitu fiunt, sunt perniciosa: quia uel magna sunt, uel in loco thoracis ad uitam opportuno.

Quod legitur, Neq; enim uult: Græce est, οὐ γὰρ ἐθέλει.

Quod etiam legitur, Vnà cum alijs augeri: Græce est, ἐφεξῆς ξυναύξεσθαι.

Quod statim sequitur, Difficilem faciunt hominibus respirationem: Græce est, difficiliorem, δυσπνοωτέρους αὐτίκα τοὺς ἀνθρώπους ἐργάζεται.

Vbi etiam legitur, Atq; ideo necessariũ est eis aliquando suppurari, & hominem occidere. illa particula Aliquando, poni debet ante particulam Hominẽ: ut legatur, Et aliquando hominem occidere. nam Græce ita legitur, καὶ διὰ τοῦτο ἀναγκαῖον αὐτοῖς ἐκπυῆσαι, ποτὲ δὲ καὶ διαφθεῖραι τὸν ἄνθρωπον.

Quod etiam legitur, Quæ uero unà cum tussi ortum habuere. legi debet, Quæ uero (ut dixi) unà cum tussi ortum habuere. nam Græce habetur, ὅσαι δὲ ὡς ἔφην ἅμα βηχὶ τὴν γένεσιν ἔχει.

QVINTO Galenus infert, quum in his pulmo & cor augeantur, & thorax potius decrescat: quia quum flectitur ob gibbositatem angustior fit, neq; costæ crescũt, necesse est breui tempore tantam fieri anhelitus difficultatẽ, quod is qui gibbus effectus est, necessario perit: & hoc cito, quia si ex solis tumoribus præter naturam, difficilem habebat anhelitum, quid expectare debemus cum tubercula sunt tempore adaucta: thorax uero sit factus angustior?

SEXTO Galenus docet, quid apud Hippocratem sit asthma, de quo in tertio libro abunde egimus. Est uero talis anhelitus difficultas, in qua satis creber anhelitus fit: imò & illa anhelitus difficultas, quæ in cursibus & exercitijs uehementioribus fit, uocatur τὸ ἀσθμαίνειν, idest anhelare. Sed qui post Hippocratem scripsere dicunt etiam esse passionem diuturnam. Alij sunt qui simpliciter uocant asthma, alij orthopnœan, quãdo ægroti absq; febre iugiter anhelitum difficilem habent.

Quod legitur, τὸ ἀσμαίνειν per σ, legi debet ἀσθμαίνειν per θ.

Et quod dicit, Orthopnia: Græce est, ὀρθόπνοιαν, orthopnœa.

APHORISMVS XLVII

QVibuscunque uenæ sectio, uel purgatio cum medicamento conuenit, hos uere purgare, uel uenam incidere oportet.

BRASAVOLVS

QVI ægritudine aliqua laborant, quæ uel per uenæ sectionem, uel per medicamentum

tum epotum sanari possit, hi statim medicandi, & secanda uena: nec expectandum uer, quia occasio præceps est: sed tunc statim agendum, quãdo indigent. Cum uero ab Hippocrate hic uer expectetur, cum Galeno inferre oportet, de his nõ fecisse uerba Hippocratem, qui ægri sunt, sed de his qui in æstate solent ægrotare aliqua ægritudine: inter hos uero aliqui sunt, qui per uenæ sectionem: aliqui per medicamentum epotum sanantur. per quodcunque sanentur, id uere exerceto: ut simul præmoneamur, in uere homines purgandos esse, uel sanguinem auferendum, si opus sit. Galenus uero quando opus sit, & quomodo cognoscat, in libro Quos oporteat purgare, inscripto, edocet: nam si hæc agant, sæpe à sæuis morbis præseruãtur. Vnde & Philotheus dicit, προφυλακτικὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἐπισφαλῶς ὑγιαινόντων εἴρηται. ἀλλ᾽ οὗτοι οἱ ἐπισφαλῶς ὑγιαίνοντες, ἢ ποσότητι χυμῶν τοῦτο πάσχουσιν, οἷς φλεβοτομεῖσθαι συμφέρει διὰ τὸ μὴ πληθωρικοῖς ληφθῆναι νόσοις, ἢ ποιότητι, οἷς καὶ καθαίρεσθαι χρὴ διὰ τὸ μὴ διαφόροις περιπεσεῖν πάθεσιν. i. præseruatiuus sermo, & in his qui dubie, & cum periculo sani sunt, dicitur. Sed hi qui dubie sani sunt, uel humorum quantitate hoc patiũtur, quibus uenã secare confert, ob id ne morbis repletionis capiãtur: uel qualitate, quos & medicari oportet, ob id ne in differentes ac multiplices morbos incidant.

ὁκόσοισι φλεβοτομίη. idest, Quibuscunque uenæ sectio conuenit.] Quia uasorum plenitudinem habeant.

ἢ φαρμακείη ξυμφέρει. idest, Vel medicamentum conuenit.] Quia humores corruptos habebit, & mala qualitate affectos.

τούτους τοῦ ἦρος φαρμακεύειν ἢ φλεβοτομεῖν χρή. idest, Hos uere purgare, uel uenam incidere oportet.] Vt scilicet à morbis præseruentur, in quos incidere possent. nam ut Philotheus dicit, hoc fieri debet, ἐπειδὴ τότε οὐ θερμασία ἐστὶν, ἡ διάλυσιν τῶν σωμάτων ἐργαζομένη, οὔτε ψύξις τὴν δῆξιν ἐπιφέρουσα τῶν χυμῶν, οὐκ ἀνωμαλία ταράττουσα τὰς δυνάμεις, ἀλλὰ μᾶλλον εὐκρασία. idest, quoniam tunc non est caliditas, quæ corporum dissolutionem facit, neque frigiditas morsum humorũ inferens, non inæqualitas perturbans uires: sed magis medium temperamentum. Vnde uere purgare potius conuenit, & uenam secare, quam alijs temporibus. Galenus in principio illius libri, cui inscriptionem fecit Quos purgare conueniat, quibus medicamẽtis & quo tempore, iubet primo sanos non esse purgandos, quia ægre purgatio succederet: & cum medicamẽtum non inueniat humorem sibi obnoxium, sanguinem & carnes colliquat. Postea addit, At sani quidem adhuc, sed nisi euacuati fuerint, ægrotaturi, præueniendi sunt, & ineunte uere inaniendi, uel misso sanguine, si multitudine: uel data potione, si humorum corruptela morbi capi soleant. Nos etenim podagram & articulorum dolores, inter initia tamen qui neque adhuc circum articulos nodum fecerant, eiusmodi euacuatione complures annos inhibuimus: non paucos insuper comitiales, attonitos, melancholicos, & huius generis alios diutinos affectus, quos diximus modo, euacuando seruauimus. multis itaque pituitam, alijs amarã bilem, quibusdam nigram, non paucis aquosa excremẽta, ad impendentis morbi qualitatem expurgare conducit: multaque uirorum & mulierum exempla Galenus ponit, quos à morbis præseruauit: de quibus etiam in Commẽtatione mentionem facit: imò docet, quibus medicamẽtis uti oporteat, & quomodo incedendum: diuersosque affert casus, in quibus uenæ sectione indigemus, & in quibus medicamento, & de hellebori præparatione atque sumptione perpulchra describit: & quomodo is qui sumpturus est, accingere se debeat. Scito præterea in uere esse multos humores hyeme collectos, quia homines plenius edunt hyeme, quàm alijs temporibus. Iidem quoque homines uere magis robusti sunt, quàm alijs temporibus: nec adest frigiditas, quæ adstringat, & euacuationes prohibeat: neque caliditas, quæ nimis relaxet. propterea ad generales euacuationes præseruatiuas, uernum tempus cæteris commodius est: & quamuis in alijs temporibus forte aliquæ sint intentiones ad euacuationem: non sunt tamen ita generales, sicuti est in uere. At particulariter ob aliquas imminentes dispositiones prauas in omni tempore fieri possunt.

GALENVS

LIQVET quod in eis qui adhuc sani, sed ægri futuri sunt, nisi euacuẽtur, nunc sermo habetur Hippocrati. Hos enim oportet, ut anticipemus euacuare, uere adueniente

niente, uel per uenæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur, uel per purgationem, si eis quæ ex corruptione proueniūt. Nos itaq; plurimos ita seruauimus sanos, qui longo ante tempore singulis annis morbis capiebantur. Sed & podagram & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum poros circa articulos facientē, ex tali euacuatione, multis iam annis fieri prohibuimus. Eodem modo & sanguinis spuitionem, morbum comitialem, apoplexiam, melancholiā, & alias huiuscemodi diuturnas passiones in multis hominibus per dictam euacuationē substulimus. Venæ itaq; sectio commune auxilium est earum quæ ex plenitudine fiunt dispositionum: purgatio uero sic, si quidem secundum genus inaudias, unum quoddam auxilium existit, non tamen secundum speciem. Nonnullis si quidem confert humores pituitosos euacuare, nonnullis uero amaram bilem, nonnullis atram, nonnullis serosam superfluitatē, secundum naturam earum quæ consueuerunt superuenire passionum. Exempli gratia: aliquis singulis annis incidit in melancholiam, nisi purgetur, & res mira uisu, quomodo morbo iam incohante, statim homo persentit primam eius generationem, & ego aduocatus purgo humores atros & cessat protinus melācholia: & huic homini ex purgatione ambo hæc optima eueniunt, quod scilicet & superfluitates expelluntur, & quod ex acritudine eorum quæ excernuntur, paulatim aperitur os uenæ, quam uocant hæmorrhoida, & per eam etiam excernitur pars aliqua sanguinis uitiosi, consueti euacuari, quo retēto superuenit melancholia. Purgo igitur ipsum, non uere tantum, sed etiam autumno; & sicuti dixi, si ex contemptu aliquando purgationem omiserit, & morbum non anticipauerit, casus persentit passionis. Sic & mulierem quandam singulis annis, uere incohante, similiter euacuans cum aliquando tumorem cancrosum in māmilla pateretur, forti, atq; frequenti cum medicamento purgante atram bilem, adhibita euacuatione, ad sanitatē perduxi. Et si quando purgatio omitteretur, dolorē profundum sentiebat, & me aduocato, statim uolebat euacuari. In altero elephantē incohantem, primum per uenæ sectionem, & purgationem sanaui, & singulis annis rursus huic sufficit una purgatio, & ea omissa, statim passio innotescit. Morbi itaq; huiuscemodi, atri humoris exigunt purgationem. Comitialis autē & apoplexia & anhelatio, pituitosi. Et articulares, si cum multa fuerint caliditate, amarā bilem uolunt euacuari, si uero cum frigidis tumoribus, pituitam. Quidam alius tempore æstiuo semper febribus tertianis corripiebatur. Sed multis iam annis non febricitauit, quoniā à nobis purgari circa finē ueris anticipauit. Sic enim melius est tales euacuare, sicuti illos qui morbo comitiali, apoplexia, melancholia, & articulari, & alijs passionibus, quæ ex crassis humoribus generātur, præstat circa ueris initia euacuare, de qbus omnibus seorsum à nobis scriptū est in illo tractatu, qui inscribit̄, de his qui uerno tempore egent euacuatione. est aūt iste tractatus pars totius salubris tractationis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet hunc Aphorismum intelligi oportere in sanis, qui tamen sunt futuri ægri, nisi euacuentur: opus enim est hos uere euacuare, uel per uenæ sectionem, si adfuerit plenitudo: uel per purgationem, si corruptio in humoribus. Additq; se multos seruasse sanos, qui prius singulis annis ægritudinibus capiebātur, & podagram incipientem enumerat, & morbum articularem, & multos alios morbos, quos tu legere poteris, à quibus nonnullos præseruabat.

Quod legitur, Vere adueniente: Græce est, ἦρος εἰσβάλλοντος. idest, uere inuadente, ingrediente.

Quod etiam legitur, Si plenitudinis passionibus subijciuntur: Græce est, ἐν πληθωρικοῖς ἁλίσκωνται νοσήμασιν. idest, si plenitudinis morbis capiuntur.

SECVNDO Galenus docet, uenæ sectionem esse commune auxilium dispositionum, quæ ex plenitudine fiunt. Purgationē uero (si de purgatione in genere loquaris) esse quidem unum auxilium, non tamen secundum speciem, nisi dicat, purgatio in genere est purgatio: tamē in specie sunt multæ, sicuti sunt multi humores, qui purgari possunt: nam humori pituitoso altera purgatio conuenit, altera bilioso, atq; atrabilario, & serosus humor suam habet, ideo secundum humoris naturam purgare oportet.

TERTIO Galenus plura exempla describit diuersorum hominum, quos præseruabat, partim uenæ sectione, partim euacuatione per medicamentum.

Primum

Primum exemplum est de quodam, qui singulis annis inciderat melancholiam nisi purgaretur, & quod Galeno mirum uidetur, est quod hic homo statim primam morbi generationem persentiebat, & Galenum uocabat, qui illum ex purgatione atrorum humorum præseruabat: duoque huic contingebant bona, primo euacuabantur superfluitates, secundo ex humorum acredine, uenæ hæmorrhoides aperiuntur, ex quibus portio aliqua uitiosi sanguinis euacuatur, quo retēto, melācholia superueniebat. At Galenus illum bis purgabat, uere, & autumno, & si aliquando purgationem omisisset, symptomata passionis incidebat. Hunc casum, & sequētes, idem Galenus in libro Quos oportet purgare, inscripto, ad uerbum ferè ponit. Hic est præcipuus locus, in quo Ioannes Manardus fundamenta iecit, quod aloe uenarum ora non aperiat, sed sint acres humores, qui ab aloe mouentur. Nos uero de hac re in nostro simplicium examine egimus, concedentes & acres humores, & aloen, & multa alia id efficere.

Secundum exemplum est de muliere quadam, quæ aliquando tumorem cancrosum in mammilla patiebatur, hanc uere purgabat, forti medicamento atram bilem euacuante, posteaquàm ipsam in sanitatem restituerat: & si euacuationem quandoque omisisset, profundos dolores sentiebat.

Vbi legitur, Forti atque frequenti cum medicamento purgante atram bilem adhibita euacuatione ad sanitatem perduxi: in nostro antiquo contextu duæ sunt lectiones, una est, ἣν ἰασάμην ἰσχυρῶς κενώσας πολλάκις φαρμάκῳ καθαίροντι μέλανα. idest, Quam sanauimus sæpe fortiter euacuantes, medicamento atram bilem purgante. Altera lectio, quam habet etiam Aldinus codex est, ἣν ἰασάμην ἰσχυρῶς κενώσας πολλάκις διὰ φαρμάκου καθαίροντος μέλανα.

Tertium exemplum est de homine qui elephantem inchoantem habebat, & qui primo per uenæ sectionem, & purgationem sanatus est, cui singulis annis sufficiebat una purgatio, qua omissa, statim passio innotescebat.

QVARTO Galenus docet, morbos in prędictis casibus enumeratos, scilicet in melancholia, tumore cancroso, & elephāte, atræ bilis purgatione indigere. At morbus comitialis, apoplexia, & anhelatio, pituitæ purgatione indigent. Cum igitur nōnullos cu rabis, qui has passiones inciderint, uel ad ipsas saltem proni fuerint, quādo eris in uere, in his pituitam purga, & si expedierit, idem facies in autumno. At morbi comitiales, si cum caliditate sint, indigent purgatione bilis, si cum tumoribus, purgatione pituitæ, hosque humores uere purgato. per articulares uero omnium articulorum morbos intellige, & etiam podagricos. nam & ipsi articulares sunt.

QVINTO Galenus aliū casum refert, de quodam qui singulis æstatibus febre tertiana corripiebatur: multi autem sunt anni, quod non febricitauit, quoniam circa finem ueris purgabatur. Et hoc ideo faciebat Galenus, quia bilis est in illo tempore generata, nam finis ueris quodammodo æstatis naturam sapit.

SEXTO docet, eos qui habent tertianam febrem esse euacuandos in fine ueris: qui uero habent morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, articularem morbum, & passiones alias, quæ à crassis humoribus fiunt, debent in ueris principio euacuari, quoniā illi humores sunt geniti in hyeme: unde non est opus expectare, quod moueantur, & suas passiones faciant: propterea in ueris principio istos purga. Dicit autē quod de his egit in libello De his qui uerno tempore egent euacuatione, qui libellus est pars totius salubris tractationis. Is uero est superius adductus per hunc titulum, Quos oporteat purgare, quibus medicamētis, & quo tempore. nam hic liber, si consideretur, est huius aphorismi commentatio. nam non solum docet quod uere purgandū, & qui sint illi quos purgare oporteat, sed etiam quibus medicamentis, & nonnulla medicamenta refert, præsertim helleborum, & eius præparationem.

Hic Galenus, & in præcitato libro solū quatuor casus refert, nos possemus centum enumerare, de his qui singulis annis à uarijs affectibus purgati præseruantur: & si non purgentur, affectus illos æstiuo tempore incidunt.

APHORISMVS XLVIII

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismum superius interpretatum habes: nempe est huius libri quadragesimustertius, ubi & Galenus dicit, hunc illi præcedere: intestinorum etenim difficultas, talis inquam, quæ materiam illam euacuet, quæ prædurum lienem facit, est bonum indicium, quia materia de liene ad exitum per intestina transmutatur: sed opus est hoc intelligere, quādo non perseuerabit diu. si enim diu perseueret quadragesimitertij aphorismi sententiam incidit, scilicet uel hydrops, uel intestinorum leuitas superuenient, & morientur.

τοῖσι σπληνώδεσι. idest, Lienosis. In præcitato aphorismo illos lienosos diximus, qui lienem prædurum habent, unde & hic Philotheus dicit, σπληνώδεας λέγει τοὺς σπλῆνα ἐσκιρρωμένον ἔχοντας. idest, Lienosos dicit prædurum lienem habentes.

Δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν. idest, Difficultas intestinorum superueniens bonum.] Modo longa non sit, sed tanta quæ materiam in liene contentam expurget. Bonum uero est, ut Philotheus dicit, διὰ λόγον τῆς μεταστάσεως τὸν ἐμπεπλασμένον τῷ σπληνὶ ἐγκλείοντα μελαγχολικὸν χυμόν. idest, Ratione transmutationis, melancholicum humorem infusum spleni effundentem.

GALENVS

PAVLO ANTEA hunc aphorismum exposui, cum sermo habebatur de aphorismo in hunc modum scripto: Quicunq; lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his longa facta intestinorum difficultate, aqua intercutem superuenit, uel leuitas intestinorum & moriuntur. Quare isti impræsentiarum proposito nulla est alia expositio necessaria.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc aphorismum absq; interpretatione dimittit, ad Aphorismū quadragesimumtertium nos remittens, in quo expositio huius habetur. In illo enim dicebatur, Quicunq; lienosi ab intestinorum difficultate capiuntur, his longa facta intestinorum difficultate, aqua intercutem superuenit, aut leuitas intestinorū, & moriuntur. propterea hic dicebat hunc aphorismum illum præcedere, quia prius quàm sit facta longa intestinorum difficultas, opus est difficultatem intestinorum esse factam. & in principio est bonum: quum incipit prolongari, efficitur malum.

APHORISMVS XLIX.

QVicunque morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt.

BRASAVOLVS

NON EST OPVS nos putare Hippocratem simpliciter uoluisse podagricorum inflammationē in quadraginta diebus sanari. Nam experientia docet, & ante decimum quartum diem plerunq; sanari, & etiam post octuagesimum. Propterea Hippocratem intellige de podagrico morbo, qui non sit cōfirmatus. Nam hi qui confirmati sunt, materias crassas, glutinosas & gypseas habere solent, quæ diu perseuerant. Neq; etiam de his loquitur, qui incipiunt, quoniam ante quadraginta dies sanantur: sed eius sermo de his est qui in medio sunt, ut qui nec sunt confirmati, nec nunc incipiunt. Sed iam per multas uices inflāmatio facta sit. Hi igitur podagrici morbi in quadraginta diebus inflammationem suam sedatam habent, & finiunt. Celsus capite uigesimoquarto libri quarti de articulorum doloribus in manibus pedibusq; agens hæc uerba habet, ubi dolor & inflammatio se remiserūt: quod intra dies quadraginta fit, nisi uitium hominis accessit, modicis exercitationibus, abstinentia, unctionibus leuibus utendum est. In quibus uerbis habes non intelligere in quadraginta diebus, sed intra hoc spatium. Hippocrates etiam in libro De morborum decretorio, inquit, Si qui morbi podagrici fiant, quadraginta diebus plerunq; eorum inflammationes, pituitaq; sistuntur, tametsi longo tardo'ue decretorio, tamen in melius plerunque tendente. ut ex his manifeste ostendat

hoc

hoc non esse perpetuum. Aetius idem putauit, morbum intra spatium quadraginta dierum finire: nõ autem præcise, quadragesimo die: nam libro undecimo, capite nono, ubi docet, quare multo tempore aut pauco morbus duret, causam reddit ex humorum diuersitate. Postea addit, in podagricis autẽ & arthriticis appellatis usq; in iuncturas per altum repletio ex fluxione contingit: unà cum hoc quod nerui permadescunt, & distenduntur: itemq; ligamenta & pelliculæ, omniaq; circumcirca sita: atq; ob id sæpe usq; ad quadragesimũ diem morbus extenditur. etenim cum etiam cessauerit fluxus, neq; amplius ex superius feratur, repletæ adhuc multo humore existentes iuncturæ, eum ad circumsita membra delegant. At uero si tenuior sit fluxus, celerrime ægri sanãtur, nisi male omnino curentur. Quod si uero quis ex medicis ueram methodum ignorãtibus per resoluẽtia semper omnes inflammationes curet, non in quadraginta tantum dies; sed & in quadringentos, & in omnem reliquam ægri uitam inflammationes extendet. Hæc Aetius. Vnde & à Galeno etiam in Commẽtatione dicitur in quadraginta diebus finire, si nec medicus erret, nec æger. Propterea & hic Philotheus dicit, περὶ ποδαγρικῆς νῦν διαθέσεως διαλέγεται, καὶ ὁρίζει ταύτης τὸν ἔσχατον καιρὸν λέγων, ὅτι ἐν τεσσαράκοντα ἡμέραις παύεται ἡ φλεγμονή, καὶ ἀποκαθίσταται. καὶ γὰρ εἰ λεπτὸν εἴη τὸ ῥυὲν καὶ ταχύτερον ἀποφλεγμαίνουσιν, εἰ δὲ παχὺ καὶ γλίσχρον, ἐν πλείονι χρόνῳ, πλὴν οὐ πόῤῥω τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν ἀποφλεγμαίνουσιν τὸ μήκιστον. καὶ ἡ αἰτία, διότι τὰ ἐν ταῖς διαρθρώσεσιν ὑγρὰ τῶν περιεχόντων αὐτὰ συνδέσμων ἀτμοειδῶς ἐκκενωθῆναι χρή, καὶ τὰ τοῖς συνδέσμοις ἐμπεσόντα. ὃν γὰρ τρόπον μόλις εἰς ἑαυτὰ παραδέχεταί τι τῆς ἔξωθεν ὑγρότητος τῇ πυκνότητι, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ μόγις μεθίσανται. idest, de dispositionibus podagricis nunc differit, & extremum ipsarum tempus definit, inquiens, quod in quadraginta diebus inflammatio cessat, & abscedit. Etenim si quod fluit, tenue extiterit, citius inflammatio sedatur. Si uero crassum & glutinosum, in pluri tempore, uerumtamen quæ longissima est, non longe à quadraginta diebus inflammationem sedat. Et causa est, quoniam humiditates ipsas in dearticulationibus circundantium ligamentorum per euaporationem euacuare oportet, & ea quæ in ligamentis incidere. qua enim ratione ægre aliquid in se humiditatis externæ propter densitatem suscipiunt: eadem ratione & uix dimittunt.

ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνονται. idest, Quicunq; morbi podagrici fiunt.] Omnes Græci contextus quos uiderim, ita legunt. Nonnulli autẽ recentes legere uolunt, Quibuscũq; morbi podagrici fiunt. quam lectionem non probamus, licet in uerum sensum duci possit. Non probamus autem, quia in nullo codice ita habetur, Sub morbis autem podagricis arthritides etiam intellige, atq; ischiadas: de quibus tertio libro abunde egimus: & Paulus libro tertio, capite septuagesimooctauo: & Aetius libro duodecimo, capite sexto, & per multa capita sequentia.

ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀποκαθίσταται. idest, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt.] Intellige in aliquo die in toto hoc spatio cõtento. Scito etiam non terminari semper in quadraginta diebus, quando est confirmata: neq; illuc peruenire, quando incipit: uel forte, quando est confirmata, iudicaret Hipp. id esse factũ, uel uitio medici, uel uitio ægri: unde si nullus erret, etiam si sit confirmata, in XL diebus inflammatio cessat: uel intelligamus Hippocratem de sola inflammatione intelligere, quod sedetur. At quod deinde materiæ aliquæ adhuc resoluendæ relinquantur, de hoc non curat Hippocrates, modo inflammatio ipsa quadragesimum diem non pertingat. Et quamuis inflammatio calidum humorem importare uideatur, tamẽ de omni intelligit: licet nõnulli per hæc uerba, sedata inflammatione, putarint Hippocratem hic solum de podagra calida intelligere, & non de frigida. Galenus tamen in Commentatione ostendit, in omni podagræ genere, & in omni iuncturarũ dolore hoc esse uerum, ut statim uidebimus. Et si petas quæ sint illa, quę faciunt magis diuturnas, & magis breues affectiones podagricas. Dicemus, esse materias crassas & tenues, molles & duras, liquidas & glutinosas, & etiam esse uires uitales, quæ naturali calore innituntur, & quæ sunt huius rei causa.

GALENVS

PODAGRICORVM inflammatio fluctione fit ad articulos decumbẽte: hanc autem fluctionem suscipiũt, primum quidem loca articulationũ, deinceps circunstan-

tia omnia, usq; ad cutem. Quia uero impleri dicimus articulationes, liquet etiã ea quæ ipsis circũiacent ligamenta extendi esse necessarium. Neruos igitur, & chordas non est rationabile in ipsis inflãmari, sed solum dolere, cum simul articulationes extenduntur, argumento quoniam uisus est nunquam podagricus pati conuulsionem, quæ frequenter solet in neruorum, ac chordarum inflammationibus aduenire: uerum intentio sanationis in eis communis est omnibus inflammatione laborantibus, quoniã dissolui oportet id quod ad pedes defluxerit, si quidem tenuiorem habuerit substãtiam tempore breuiore, si uero crassam, uel tenacem longiore: & longius adhuc tempus requiret si simul crassum, atq; etiam tenax illud quod defluxit existit: ultra tamen spacium dierum quadraginta non prorogabit curatio inflammationis, si uidelicet & medicus in suo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Quæ uero carnosas partes occupat inflammatio, morborũ acutorũ subijcitur termino, diebus scilicet quatuordecim: quoniam carnis substantia mollior est, ac rarior natura ligamentorũ, unde & tardius inflammari incipit natura ligamentorum, chordarum, atq; neruorum ex ictu, & longiori tempore ad consistentiam inflammationis perueniunt, ac tardius sanantur. Qua enim ratione uix aliquid in se humoris externi suscipiũt cum duræ sint ac densæ huiuscemodi partes, hac ipsa ratione cum difficultate dimittũt. Quapropter Hippocrates podagricis inflammationibus terminum integræ solutionis non diem quartũdecimum, sed quadragesimum posuit, quia qui in articulationibus humores insunt, per ligamenta ipsas amplexantia oportet per modum uaporis euacuari, & qui etiam in ipsa ligamenta inciderunt. Meminit aũt & in Prognostico quadragesimi diei, ut in quo iudicantur quæcũq; neq; iam sunt diuturna exquisite, neq; acutorum minimum exciderũt. Dictum autem est plenius de talibus in tractatione dierum iudicatoriorum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quomodo in podagricis inflãmationes fiunt, nempe fiunt materia ad articulos pedum decumbente. hanc uero materiam primum recipiunt articulorum loca, deinde omnia circunstantia loca usq; ad cutim. quia uero articulationes implentur, & συνδεσμοι, idest ligamenta quæ circumiacent, extenduntur, unde nerui & chordæ in his non inflammantur, sed bene dolent, quia simul cum articulationibus extenduntur. Istud hoc argumẽto probari potest, quia nunquam podagricus uisus est qui conuulsionem passus sit, tamen ipsa frequenter fieri solet in neruorum & chordarum inflammationibus.

Vbi legitur, Podagricorum inflammatio fluxione fit ad articulos decumbẽte, deest particula, pedum, & in plurali legitur in codice Aldino inflãmationes, & in secunda lectione nostri antiqui codicis. In prima uero lectione in singulari legitur φλεγμονή. Græce igitur scriptum est, αἱ μὲν τῶν ποδαγρικῶν φλεγμοναὶ, ῥεύματος εἰς τὰ τῶν ποδῶν ἄρθρα κατασκήπτοντος γίνονται. idest, Podagricorum inflammationes fluxione fiunt ad articulos pedum occupante, & manifeste apparet, pro podagricis necessarium esse pedum articulos specificare.

Quod etiam legitur, Sed solum dolere, cum simul articulationes extenduntur, legi debet, cum simul articulationibus extenduntur. Græce enim legitur, ἀλλὰ μόνον τῷ συνεκτείνεσθαι ταῖς διαρθρώσεσιν ὀδυνᾶσθαι.

SECVNDO docet, intentionem sanationis in his illam esse quæ communis est omnibus. primo enim id dissoluere intendimus quod ad pedes defluxerit. Id si tenue fuerit, breui tempore dissoluetur: si crassum sit, longiori indiget tempore: si tenax, longiori: si crassum simul & tenax, adhuc tempore longiori indigebit: tamẽ inflãmationis curatio, nunquã prolongabitur ultra quadraginta dies, modo nõ erret medicus, neq; ipse æger.

Vbi legitur, Et longius adhuc tẽpus requiret, si simul crassum atq; etiam tenax illud quod defluxit, existit. deest particula, multo: Græce enim legitur, καὶ πολὺ ἔτι μᾶλλον, εἰ γλίσχρον ἅμα τε εἴη καὶ παχὺ, δεήσεται χρόνου μακροτέρου. idest, & longius adhuc multo tempus requiret, si simul crassum atq; etiam tenax illud quod defluxit, existit.

TERTIO docet, inflammationem quæ in carnosis partibus fit, acuti morbi terminum ingredi, qui est intra spatium quatuordecim dierum. nam carnis substãtia est multo mollior, atq; rarior ligamentorum natura: & ideo ex ictu etiam tardius inflammãtur nerui

nerui, ligamenta & chordæ, atq; diu perseuerant, anteq; ad inflãmationis consistentiam perueniant, & anteq; sanetur. nam hæ partes eadem ratione superfluitates quas recepere, cum difficultate dimittunt, cum sint duræ ac densæ: qua etiã difficultate easdẽ superfluitates recipiũt. unde & difficulter recipiũt: & cũ receperint, difficulter etiã dimittunt.

QVARTO Galenus ex his causam infert, quare Hippocrates non dederit decimumquartum diem terminum inflãmationibus podagricis: sed quadragesimum. quia humores, qui sunt in articulationibus per ligamenta ipsis amplexantia, per modum uaporis euacuari oportet: imò & illos per modum uaporis euacuari oportet, qui in ipsa ligamenta inciderunt.

Deniq; Galenus dicit, quadragesimæ diei mentionem fecisse Hippocratem, ut in qua iudicãtur morbi qui non sunt acuti exquisite, & etiam illi qui extra terminum acutorum ueniũt. De his uero Galenus in libro De diebus iudicatorijs plene locutus est, & Hippocrates de his agit in secundo Prognosticorum libro.

Quod legitur, Neq; acutorum minimum exciderunt, legi debet, & acutorum terminum exciderunt. nam Græce habetur, καὶ τὸν τῶν ὀξέων ὑπερεκπεπτώκασιν ὅρον. idest, Et acutorum excesserunt terminum.

APHORISMVS L

QVibuscunque præciditur cerebrum, his necesse febrem & bilis uomitum superuenire.

BRASAVOLVS

EXTORTA huius aphorismi è Greco in Latinum uersio recentes aberrare fecit, ipsi enim in antiqua translatione habent, quibuscunque cerebrum sursum concutitur, quæ uerba coegere illos Siculas gerras excogitare: Sed in Leoniceni interpretatione nugas aliquas inuenire non est opus, imò breui & facile id nobis proponit Hippocrates, quod in prædicendo, & cognoscendo proficiet: si alicui cerebrum præcidatur, necessarium est hunc febrem incidere, quia est membrum ex principalioribus, & ex magna communitate cum ore uentriculi, necesse etiam est bilem per uomitum emitti. Est autem cerebri præcisio in profundum excisio, Philotheo dicente, διακοπὴν λέγει, τὴν εἰς βάθος τομήν, idest proscisionem dicit incisionem per profundum, & per altitudinem cerebri. Tu q; omnem cerebri, idest suæ substantiæ incisionem intelligere potes, uel magna sit, uel parua. Celsus libro quinto capite uigesimosexto uulnerati cerebri signa, & eius membranæ ponens, inter ipsa differentiam facere non uidetur. Inquit uero, sin cerebrum, membrana'ue eius uulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit, fereq; bilis uomitus insequitur, quorundam sensus obtunduntur, appellatiq; ignorant, quorundam trux uultus est, quorundam oculi quasi resoluti, huc atq; illuc mouentur, fereq; tertio, uel quinto die delirium accedit, multorum etiam nerui distenduntur. Ante mortem autem pleriq; fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum uulnus frigori obijciunt. Febris uero non meminit Celsus, tanquam illius quæ necessario consequit. Paulus libro sexto capite octuagesimooctauo, uulnerati cerebri hęc signa ponit. homo subito decidit, obmutescit, faciem distorquet, tum bilis uomitus, sanguinisq; per nares & aures effusio insequitur: albus etiã quidam humor & pultaceus, si aditum habuerit, per uulnus exit. Hipp. in principio primi libri De morbis, de uulnerato capite hæc dicit, Bilis uomitus febrisq; superuenit, quidq; corporis syderat, peritq;.

ὁκόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ. idest, Quibuscunq; præciditur cerebrum.] idest, ipsa cerebri substantia: & ut Philotheus dicit, ἀπό τινος προφάσεως καταρκτικῆς αἰτίας εἰς βάθος τμηθῇ. idest, ab aliqua causa, quæ facta sit extrinsecus, per profundum incisum sit. Quod fieri non potest, nisi & eius membranæ præcisæ sint.

Τουτέοισιν ἀνάγκη πυρετόν. idest, His necesse febrem.] scilicet superuenire, quia cerebrum membrũ principale est: quod patitur, & cum corde colligantiã habet per multas uenas & arterias, unde in incisione putredo fit, & per uenas & arterias fumi putrescentes continuo cordi cõmunicantur, & febrem faciunt. Galenus solum hanc causam reddit, quia est principale membrũ: & etiam Philotheus dicens, febrem fieri, διὰ τὸ φλεγμαίνειν αὐτὸν κύριον ὄντα μόριον. i. propter hoc quod ipsum inflammaẽ, cũ sit principalis pars.

καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγίνεσθαι.i.& bilis uomitum superuenire.]Nam cerebro patiente ob colligantiam, quam habet cum ore uentriculi, in duobus magnis neruis, necesse est os uentriculi pati, eo patiẽte propinquæ partes illuc tenuiores partes, quas habent, & illas quæ facilius currere possunt, transmittunt: hæ autem sunt bilis, & etiam teste Galeno, serosa superfluitas. nam(ut Galenus dicit)raro sola bilis euomitur sine serosa superfluitate mixta. hinc abscisso cerebro fit sanguinis uomitus. Nos uidimus & pituitæ uomitũ fieri, propterea putamus illos humores euomi, qui tunc in uentriculo sunt, imò & uidimus cerebrum præcisum habentes, qui nihil euomuere. Philotheus eãdem causam assignat, scilicet fieri bilis uomitũ, ἐπειδὴ πασχούσης τῆς τῶν νεύρων ἀρχῆς, πάντα τὰ μόρια, καὶ μάλιστα τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ὡς νεῦρα ἔχον πολλὰ ἐν αὐτῷ, παρὰ φύσιν κινεῖται καὶ ταράττεται, καὶ ἐν τῇ κενώσει πάντων χυμῶν προσκαλεῖται σύρροιαν, καὶ ὡς λεπτότερα τὰ χολώδη προτρέχει.i. quoniam neruorum principio patiente, omnes partes, & præsertim os uentriculi, tanq̃ id in quo sunt multi nerui, secundũ naturã mouentur, & perturbantur, & in euacuatione omniũ humorum confluxum excitat, & biliosa tanquã tenuiora præcurrunt. Tamen si in uentriculo præfuerit pituita, ipsa potest in uomitu præcedere: de febre autem illos, quos curauimus, & nunc unum in cura habemus, ex præcisione cerebri, statim in principio febrem necessario non incurrunt, sed aliqui cum ictu mox febre capiuntur, aliqui prima die, aliqui secunda, aliqui quarta, aliqui usq; ad septimam hyeme peruenerũt. quod non mirum est, nam hi alioqui erant sani, & probos humores habebant & nondum erat facta putredo, postquàm uero cœpit, simul & febres cœpere. Dicit uero Hippocrates, necessariũ esse febrem superuenire, non autem quod simul fiat. Disputatio præterea fit apud recentes, si aperta caluaria fumi exire possent, quibus putredo mixta est, an fieret febris. nonnulli putant hunc posse usq; in sanitatem absq; febre progredi. nos autem dicimus, & si aliqui putridi fumi exeant, tamen multos etiam per uenas & arterias pertingere cor.

GALENVS

PRÆCISO cerebro aduenit febris ea ratione cõmuni, qua quolibet membro principali patiente inflammationem, subsequitur febris. Bilis uero uomitus fit compatiente uẽtriculo propter eius cum cerebro communicationem, ore præsertim ipsius ad quod terminatur ex cerebro effatu digna quædam neruorum coniugatio. Consueuere quidem & aliter in magnis doloribus, atq; mœroribus fortibus ad uentriculũ fluere biliosa supfluitas, & multo magis cũ ipse male affectus fuerit. Ad ea enim quæ talia sunt, feruntur partium proximarũ superfluitates, quæ præsertim tenuem habent substãtiam, qualis est ipse biliosus humor, atq; una cum eo quæcũq; serosa superfluitas, quę sæpius in uomitibus bili cõmiscentur: & raro admodũ accidit, ut bilis exquisita euomatur, cui serosam superfluitatẽ non uideamus admixtam. Apparet autem & in sanis, cum diu à cibo abstinuerint, præsertim in illis qui natura sunt biliosiores, tales in uẽtriculum humores admitti, quod & ipsius morsus & uomitus manifestant. non solum aũt cerebro uulnerato euomunt homines bilem, sed & dura membrana circũstante, quæ cum in multis partibus sit cerebro agnata, citissime ei cõmunicat proprias passiones. Erasistrati autem sectatores cum ipsas membranas uelint esse principia neruorum, membranam crassiorem inquiẽt non suæ naturæ ratione, si sola sit uulnerata, tales afferre casus. Si uero usq; ad cerebrum uulnus peruenerit, quoniam ambæ membranæ prius illud admiserint, sic nuper dictarum sequi passionum ortum fatebuntur. Dixi autem Erasistrati sectatores, & non ipsum Erasistratum talia dicturos, quoniam cum iam senex esset, ut illi inquiũt, scripsit libros Diuisionum, in quibus cerebrum esse neruorum principium demonstrauit. Dictum autem est de his in Commentarijs de Hippocratis sectione.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, cur febris fiat, & inquit, ea ratione communi fieri, qua fit principali membro inflammationem patiente: semper enim ad inflammationem alicuius principalis membri consequitur febris.

SECVNDO docet, bilis uomitum fieri ob compassionem oris uentriculi, propter quandam magnam neruorum coniugationem, quæ à cerebro ad os uentriculi tendit.

TERTIO docet, cur bilis uomitus fiat, quia non solum in præcisione cerebri, sed etiam in magnis doloribus atq; mœroribus, biliosa superfluitas ad uentriculum fluere

solet

solet, & tanto magis fluit, quanto uentriculus ipse magis patitur. nam eo compatiente, superfluitates proximarum partium ad ipsum deferuntur, & præsertim illæ superfluitates, quæ tenues sunt, qualis est bilis & serosa superfluitas, quæ cum bile miscetur: imò si uomitum considerabis, raro puram bilem euomi uidebis, quin serosa superfluitas illi mixta non sit: imò & sani, qui diu à cibo abstinent, in uentriculo similes humores colligunt: & hoc præsertim in natura biliosis: hocq; manifeste deprehenditur, & ex oris uentriculi morsu, qui nõ nisi à bile fieri potest: & deniq; ex ipso uomitu oculis bilem ipsam ostendente. Quod legitur, Commiscentur: lege in singulari Commiscetur.

QVARTO Galenus docet bilis uomitum cõtingere, non solum cerebro ipso uulnerato, sed & dura membrana uulnerata, quæ fit in multis locis cerebro agnata, & quæ citissime proprias passiones cerebro communicat.

QVINTO docet, Erasistrati sectatores non dicere, fieri uomitum bilis si dura membrana præcidatur, ob id quia cerebrum compatiatur: sed ob propriam membranæ naturam. nam uolunt neruos ab hac membrana oriri, & nõ à cerebro. propterea ratione huius membranæ, & non ratione cerebri, os uentriculi compati uoluere, ad quod duo magni nerui tendunt. Et si dicas etiam præciso cerebro bilis uomitum fieri, inquiunt ratione membranæ fieri, quia cerebrũ præcidi non potest, nisi prius & dura & mollis membrana præcidantur.

Quod legitur, Non suæ naturæ ratione: legi debet Affirmatiue, scilicet suæ naturæ ratione, quia Erasistrati sectatores uolebant id fieri suæ naturæ ratione, & non per cerebri cõpassionẽ. Et præterea cõtextus Græcus affirmatiue legit, διὰ μὲν τὴν ἑαυτῆς φύσιν.

SEXTO ostendit, cur dixerit Erasistrati sectatores, & non ipsum Erasistratũ: quia (inquit) dicunt ipsum libros dissectionum, quum senex esset, composuisse: in illis uero cerebrum esse principium neruorum demonstrauit. Sed de his Galenus dixit in Commentarijs De sectione Hippocratis.

Quod legitur, Scripsit libros diuisionum: potius legendum est Sectionum. Græce enim est, τῶν διαιρέσεων βιβλία. Nam & si diæresis diuisionẽ significet, in præsentiarum potius interpretari conuenit sectionem, per quã humani corporis sectionẽ annotamus.

Quod etiam legitur, Dictum autem est de his in Commentarijs de Hippocratis sectione: legi debet, Dictum autem est de his amplius in Commentarijs de Hippocratis sectione. Græce enim habetur, λέλεκται δὲ περὶ τούτων ἐπὶ πλέον ἐν τοῖς περὶ τῆς ἱπποκράτους ἀνατομῆς ὑπομνήμασιν.

APHORISMVS LI

QVicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus ad ea prædicenda quæ futura sunt, optimus est, & ad curatiuã partem plurimum confert: nam qui ita sani sunt, ut nulla in ipsis uideatur læsa operatio, & repente capitis dolore capiantur, & post hoc statim uocem amittant atq; stertunt, hi in septem diebus pereunt. nam hæc symptomata fieri nõ possunt, nisi multa materia in capite sit, quæ cerebri uentriculos occupet. hæc enim in principio dolorem facit, postea sensus aufert, unde & apoplexiam incidunt, quæ cum sit morbus peracutus, septimum diem transire non possunt, quin pereant, uel sanitati restituantur. At cum hæc affectio à frigida & humida causa fiat, propterea si febris apprehenderet, quæ est præter naturam caliditas, hi euadere possent. nam hac caliditate frigidam & humidam materiam, quæ affectionem inducebat, resolui contingit. nisi ergo superuenerit febris, septimum diem transire non possunt.

Huius aphorismi affectio potatoribus plerunq; cõtingit, ideo cum Græci continuis compotationibus uterentur, & præpotentia uina haberẽt, propterea in hæc discrimina sæpe incidebant, & ideo Hippocrates in pluribus locis huius aphorismi mentionem facit. primo

cit. primo enim in secundo libro De morbis, quem Galenus Hippocratis esse non negat, in principio dicit: cum dolor caput repente corripit, confestimque uocem intercipit uiresque, septimanus hic moritur, nisi ignis superueniat: quod si fiat, sanescit. Per ignem uero febrem intelligit: nam & sua lingua ignis uocabulo utitur, inquiens, ἢν μὴ πῦρ ἐπιλάβῃ. idest, nisi ignis (idest febris) apprehenderit. Statim Hippocrates huius rei causam assignare uidetur, inquiens: Patitur autem hęc, quum ipsi nigra bilis in capite mota defluit, & maxime quatenus plurimæ uenulæ in ceruice & pectore sunt: deinde postridie stupescat, uiresque amittat, quum sanguis refrixit. si uero fortis adeo sit, uti sanguinem calefiat, siue porrectis, siue per se sanguen tollitur, spargitur, mouetur, spirat, spumescit, bilis separatur, sanescitque. si uero uires non habeat, magis friget: quum uero penitus refrixit, calorque eius defecit, cogitur, nec mouetur, sed perit. si uero temulentia hæc patiatur, etenim eadem patitur, peritque. Hic igitur uidere potes Hippocratem, qui ex atra bile rationem reddit. Nos uero ex pituita fieri diximus: tamē non negamus, etiam ex atra bile posse contingere, præsertim pituitæ mixta. Additque unum hoc loco Hippocrates, quod in aphorismo non est, scilicet uires esse imbecillas. Idem Hippocrates paulopost in eodem libro de eodem ferè agens, inquit, Si sanus repente caput dolitet, mutescatque & stertat, hiet: quem si quis uocet, non sentit: solum gemit, multū mingit, nihil inde resipiscit: qui nisi febris corripiat, septem diebus perit: si uero corripiat, plerunque sanescit. Et non ab re dixit Plerūque, quia etiam non est necessarium sanescere. Docetque eodem loco Hippocrates hunc morbū senes magis quàm iuuenes uexare. Post hæc posita cura eundem casum in ebrietate describit: de qua superius aphorismū fecerat Hippocrates. Idem habetur apud eūdem authorem in tertio De morbis libro, cum in principio inquit, Cum grauis capitis dolor repente per exordia mutum facit, pręsertim cum temulentia fiat; septimanus hic perit, quod minus temulentis euenit, uti muti pereant. Hic igitur & de temulentis & de non temulentis intelligit, ponitque differentiā, quia temulenti rarius muti pereunt. Idem Hippocrates prope finem libri De morborum decretorio, eandem cantilenam refert, inquiens, Quibus sanis caput subito dolet, mutescunt ac stertunt, dieque septimo pereunt, nisi febris supercapiat. In fine etiam illius partis quarti libri De ratione uictus in morbis acutis, ubi de altero anginæ genere loquitur, de uocis defectu, qui decimoquarto die in febribus fit, & etiam in aliis diebus, disserit. Galenus prçterea in fine libri De bono corporis habitu, ubi ostendere uoluit repentinas omnium functionū resolutiones per præcipuā unam indicari, de eo qui statim mutus fit, uerba facit: sed mentionem non facit, quod prius caput doluerit. eius uerba hæc sunt, Cum quis subito mutus redditur, uenarum interceptiones corpus infestant. Repentinas enim omnium functionum resolutiones per præcipuam unam indicauit. Interceptiones autem plenitudinem dixit, cum uidelicet uenæ perspiratu nullo refrigerantur. Vult autem ipse ex uenarum interceptione fieri mutum: sed hoc fieri posset ab alia causa, quæ non esset in capite. tamen cum uehemens capitis dolor præcedit, ut in aphorismo dicitur, ab alia causa, quàm à capite fieri non potest.

ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν, idest, quibuscunque sanis.] Sed quomodo sani, si repente capitis dolorem incidunt? Sunt sani apparenter, & etiam uere sani quo ad actiones, at intus habent causas, quæ repente ægritudinem inferre possunt, nempe multos humores crassos atque glutinosos in cerebro, eius ue membranis.

ἐξαίφνης ὀδύναι γίνονται ἐν τῇ κεφαλῇ. idest, repēte dolores in capite fiunt.] Vel quicunque sani dolore capitis repente capiuntur: ut Leonicenus interpretatur. Intellige uero dolorem intensum, qui sit in toto capite, & proprie dolorem, quem recentes aggrauatiuum uocant, & qui hunc hominem ferè stupidum reddat, & aciei ingenii obtusæ, quo notetur esse materias crassas atque glutinosas in capite contentas.

Καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται. idest, Et statim muti fiunt.] At quomodo sciemus, hos dolore capitis uexari, si absque uoce erunt? Respondemus, antequam muti effecti sint, de capitis dolore, qui repente apprehenderat, conquerebantur: imò hic de repentino capitis dolore cōqueri debuit, mox uocem amittere: ut diebus superioribus nobili Comiti Ludouico Sacrato contigit, qui de repentino capitis dolore conqueri cœpit, & statim mutus effectus est: nam apoplexiam incidit, & in septem diebus cum remississima febre

desiderari

desiderari cœpit. Quod dicit ἄφωνοι, sine uoce significat, & non proprie muti: quia muti non audiunt, nec unquam loqui possunt: sed hi si sanantur, iterum loquuntur.

καὶ ῥέγχουσιν. i. Et stertunt.] Tamẽ non est uerum stertere, sed potius est anhelitus impeditus, qui libere exire non potest, unde in uia sonitum illum quasi stertentis facit.

ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. idest, In septem diebus pereunt.] Nam apoplectici efficiuntur, & apoplexia morbus est peracutus, qui septimum diem non transit.

ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. idest, Nisi febris apprehẽderit.] Quæ etiam adeo uehemens sit, ut has materias quæ apoplexiam faciũt, resoluere possit, debetq; esse debilis apoplexia: nam fortem soluere impossibile est. Debilis igitur apoplexia sanari potest superueniente febre, humores attenuante, & ad neruos propellente. Ex hac enim febre uel non moriuntur, uel non in septimo. Nam Hippocrates simpliciter non dicit hos non mori, sed non mori in septimo. Sed intellige etiam, quod sanentur, ut eius sententię, quas ex alijs suis libris superius adduximus, ostendunt, febrisq; superueniẽs intensa esse debet. unde in libro De morbis, febris illa quæ in hoc casu superuenire debet, uocatur πῦρ. i. ignis: tamen non est opus adeo intensam esse, ut uires deijciat, quia hic postea ex febre moreretur, & citius etiam, quàm ab hac debili apoplexia. Philotheus totius aphorismi rationem ita reddit, περὶ ἀποπληξίας διαλέγεται, καὶ ταύτην λέγει τῆς ἀρχῆς τὴν ἐπίτασιν, καὶ τὴν τελευταίαν ἀκμήν. ἡ μὲν οὖν αὐτῆς ἀρχὴ δηλοῦται διὰ τὸν ἐξαίφνης πόνον γινόμενον ὑπὸ πάχει τοῦ βαρέος καὶ γλίσχρου χυμοῦ. εἶτα λοιπὸν πνευμάτων παχέων τικτομένων, ἐμφράξεως τελείας γινομένης τοῦ ἐγκεφάλου, οὐκ ἔτι ἐκπέμπεται ἡ δύναμις τοῖς νεύροις, καὶ ἀφωνία γίνεται, ἥ τις δηλοῖ ἐπίτασιν τοῦ πάθους. ἐὰν οὖν ταῦτα γίνηται, ῥέγχουσιν ἤτοι βεβιασμένη ἀναπνοὴ ἐπιγίνεται, δηλοῦται ἡ ἀκμὴ καὶ ἀποθνήσκουσιν ἐὰν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. ἐὰν γὰρ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἀναλύει τὴν ὑποκειμένην ὕλην ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ λεπτύνει, καὶ διαφορεῖ, καὶ κωλύει γίνεσθαι τὸν θάνατον. idest, De apoplexia uerba facit: & hanc dicit principij intensionem siue incrementũ ac summum & finalem uigorem esse afferentem, scilicet interitum. huius igitur principium declaratur ob repentinum dolorem, factum ab humore graui & glutinoso. Post modo spiritibus crassis effectis, & perfecta, idest ualida obstructione cerebri facta, non amplius ad neruos uis ac robur emittitur. & uocis priuatio fit. Quæ declarat morbi incrementum seu intensionem. Si igitur hæc fiat, stertunt, idest uiolẽta respiratio superuenit: & sic declaratur finalis ille uigor. Nam moriuntur, nisi febris inuaserit: si enim febris inuaserit, subiectã in capite materiã resoluit & attenuat ac discutit: & ne mors accidat, prohibet.

GALENVS

MVTOS solet Hippocrates nominare, non eos tantum quibus læditur uox, uerum secundum exuperantiam quandam, una cum eius læsione dat nobis intelligendas omnes quæ sunt secundum electionem operationes. Nonnunquam igitur illis oblæsis non interit sensus. Quos igitur ipse mutos appellat, contingit esse sentientes. Sed sæpius utraq; patiuntur, & talem affectum uocant apoplexiam. Est autem & hæc alia quidem debilis, alia uero fortis, atq; ideo dixit: Soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem uero non facile. Videtur autem nunc fortis apoplexiæ indicium apposuisse, quod stertere dixit, quod etiam profunde dormientibus accidit secundum dispositionis similitudinem, secundum diuersum quidem utrisq; modum. Nihilominus quatenus aliquid habent commune, ut stertant cõsequitur. Est autem commune ambobus eius quæ fit per neruos operationis debilitas, & dictum est de his amplius in ea quæ de locis patientibus inscribitur tractatione. Nunc uero quãtum ad expositionem aphorismi sufficiet, dicetur à nobis. Quibus sanis dolor in capite repente aduenerit, causam referre oportet imprimis ad spiritum flatuosum. Sed iam & ad influentis uniuersim materiæ multitudinem, quam & nunc ad cerebrum fuisse delatam indicant casus qui post dolorem superuenerunt, per quos & quod sit quædam materia pituitosa commonstratur, atq; idcirco febris superueniens soluit dispositionẽ, ut quæ calefacit, extenuat, atq; resoluit spiritum flatuosum, & pituitosos humores. Fit autem hoc nonnunquam tribus diebus, aut quatuor, nonnunquã uero pluribus, non tamen ultra dies septem, quia pars est principalis. Tales uero partes non diu tolerant fortes simul ac diuturnas passiones, ut sæpius ostendimus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem non solum illos uocare ἀφώνους, idest sine uoce, quibus uox læditur, sed per exuperantiã quãdam semper intelligere solet omnes operationes quæ sunt secundum electionẽ, quandoq; uero illis lęsis, non interit sensus.

SECVNDO dicit, illos contingere esse sentientes, quos aphonus, idest sine uoce appellat, tamen utraq; sæpe patiuntur, & talis affectus apoplexia uocatur.

TERTIO apoplexiam in debilem, & fortem distinguit, ostendens nunc Hippocratem de debili intelligere, ut ostendit id uerbum ῥέγχειν, idest stertere. nam qui perfecta apoplexia detinentur, non stertunt, neq; curantur, sed stertere etiam contingit profunde dormientibus secundum dispositionis similitudinem. At secundum diuersum modum, & diuersam causam.

QVARTO docet, stertere, quod in apoplexia est, & quod in profunde dormientibus, habere quoddam commune, quod est debilitas operationis, quæ per neruos fit. de hac autem re Galenus tertio De locis affectis libro capite decimo de apoplexia, & eius modis agens disserit.

QVINTO ad aphorismi expositionem conuertitur, inquiens, si sani, capitis dolore capiantur, necesse est ad spiritum flatuosum causam referre, & ad materiæ multitudinem, quæ uniuersim influit, & quæ ad cerebrũ peruenit, ut ex his symptomatibus, quæ post capitis dolorem sequuntur, facile coniectari possumus, per quæ symptomata, & quod sit materia quædam pituitosa ostenditur, & propterea superueniente febre dispositio soluitur. nam febris calefacit, extenuat, & spiritum flatuosum, pituitososq; humores resoluit.

Vbi legitur, Causam referre oportet in primis ad spiritum flatuosum, deest una particula scilicet præcipue uel, maxime. nam Græce habetur μάλιστα ἐς πνεῦμα φυσῶδες ἀναφέρειν χρὴ τὴν αἰτίαν. idest, Causam referre oportet præcipue in spiritum flatuosum.

Deniq; Galenus docet, hoc quod in aphorismo dicitur, non fieri præcise in septimo die, sed quandoq; in tribus diebus aut quatuor, quãdoq; in pluribus, tamen nunquam excedunt septimum diem, quia pars illa quæ affecta est, principalis est. partes uero principales, fortes simul ac diuturnas passiones diu tolerare non possunt.

APHORISMVS LII

OPortet uero & considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum & letale ualde.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus totus prognosticus est, imò & ab Hippocrate primo Prognosticorum capite quarto & sectione decimaquarta ponitur. Hæc autem sunt eius uerba, Considerari conuenit hunc in modum suspectiones etiam oculorum per somnum: si quid enim candidæ partis subapparet commissis palpebris: nec alui fluor, aut medicamẽtum in causa sit: nec etiam ita dormire consueuit, uitiosum iudiciũ exitialeq; admodum est. Eadem præcise in hoc aphorismo repetũtur, & Galenus in suis primi Prognosticorum commentarijs diffusius quàm hic præadducta uerba interpretatur, tamen tota rei ratio & hic ponitur. Est autem sensus, In ægris præsertim qui febre correpti sunt, quomodo habeant oculos dum dormiunt, obseruare oportet: quippe dormiẽtes, genas clausas habere solent. At si febriens commissis palpebris, non bene, neq; integre committere possit: sed nescio quid albi inspiciatur, quia parum apertæ sint, est signum malum & ualde letale. nam significatur has partes ex ui morbi esse adeo exiccatas, ut claudi nõ possint. Scito tamen, si hoc ex alui profluuio contingat, aut ex epoto medicamento, quod capitis partes imbecilliores reddiderit, nullum inconueniens, neq; letale est. Philotheus præcedentem aphorismum & istum ita coniungit, ut unum faciat, & una sola commentatione utatur, ac si hic aphorismus præcedenti deseruiat, ita scilicet quod illi in septem

diebus

diebus pereant, sed oportere oculorum in dormientibus suspectiones considerare. Verba eius hæc sunt, in cõmentatione præcedentis aphorismi posita: πλὴν σκοπεῖν χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν. ἢν γὰρ πυρετοῦ ἐπιγινομένου, ἐπιφαίνηταί τι τοῦ λευκοῦ μὴ ἐκ διαῤῥοίης, ἢ φαρμακοποσίης ἐόντι, χαλεπόν. δηλοῖ γὰρ παντελῆ ἀσθένειαν τῶν κλειόντων μυῶν, καὶ διὰ τούτων καὶ τοῦ παντὸς σώματος. εἰ δὲ μὴ ἐμφαίνηταί τι τοῦ λευκοῦ, ἀγαθὸν σημεῖον. διότι ἐῤῥωμένην δηλοῖ τὴν δύναμιν. idest, uerũtamen considerare oportet, & oculorum suspectiones: si enim superueniente febre, aliqua pars albi appareat, non ex alui profluuio uel medicamẽti potione, aliquod molestum cõtingat. ostendit enim summam musculorum claudentiũ imbecillitatem, & propter hęc etiam totius corporis. si autem quid albi non appareat, bonum signum est: quoniam uim robustam ostendit. Tamen & si Philotheus hunc aphorismũ febri præcedentis coniungat, est per se & simpliciter intelligẽdus, & in omnibus febribus prognosticus est. Celsus hunc aphorismũ libro secundo, capite sexto, sed breuioribus uerbis refert: nam de indicijs mortis agit, & pluribus indicijs positis, hoc etiam addit, Per somnum palpebræ non committũtur: sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neq; id fluens aluus expressit. Celsus de epoto medicamento mentionem ullam non facit, quia per fluentem aluum illud intellexit. nam medicamentum epotum id ob aliud non facit, nisi quia euacuat, & materias ad infernas partes trahit, atq; debilitat.

Σκοπεῖν δὲ χρή. idest, Oportet autem considerare.] scilicet si quis tentet perfecte de ægro quid futurum sit, prædicere.

Καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. idest, Oculorum in dormientibus suspectiones.] idest quomodo oculi dormientium maneant. Nam & si in ægris multa sint circa oculos Prognostica signa, ut si bene uideant, uel non: si obtorti sint, uel non: si tardi ad motum, uel festini: si concaui, uel prominentes, hic solum Hippocrates iudicium ferre uoluit, quando sunt clausi, & dormiunt, secundum modum quo committuntur, & has uocat ὑποφάσιας, quasi suspectiones, cum enim aliquid albi apparet, suspicere uidentur. Galenus in decimaquarta primi Prognosticorum sectione, dicit, quid sint suspectiones per hæc uerba edoceri ab Hippocrate: si quid enim subapparet candidæ partis commissis palpebris.

ἤν γάρ τι ὑποφαίνηται τοῦ λευκοῦ συμβαλλομένων τῶν βλεφάρων. i. nam si quid albi cõmissis palpebris subinspicitur.] Commissis quidem, sed non bene commissis. Hoc autem albi (ita enim legi debet, & non album) uideri non posset, nisi palpebræ essent parum apertæ, & non bene cõmissæ. quod fit, uel ob siccitatẽ, uel ob potentiæ ipsas mouẽtis imbecillitatem: siquidem ex nimia siccitate sit, est pessimũ indicium: & hoc facile uidetur in palpebris, quę natura siccæ sunt. si uero ex imbecillitate sit, pessimũ etiam est: nam totum corpus imbecille esse significatur, & cerebrum ipsum quod superest palpebris.

Μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι. i. Nec ex alui profluuio contingat.] quia ex alui profluuio humiditas quæ in cerebro est, exiccatur: qua exiccata, palpebræ etiam exiccãtur: itaq; inepte clauduntur. At hoc non est malum signũ, quia & si exiccetur, illa siccitas est ob humidi defectum: non quod materiæ, quæ in palpebris sunt, exiccentur, ut fit quando ex ui febris exiccantur. Et si petas cur hoc signum in uigilantibus non cõsideretur, Respondemus id esse in causa, quia non tenent oculos clausos, & quia uigilantes liberã uoluntatem habent, quæ præcipere potest, ut conatus fiat, & oculi claudãtur. Hoc anno millesimo quingẽtesimo trigesimooctauo, plus q̃ ducẽtos dysentericos curauimus, in quibus nõnihil albi subspiciebat dum dormiebant, inter quos pauci obiere, & alij superuixere. Propterea in omni genere profluuij hoc signum tanquam certum sumi non potest.

ἢ ἐκ φαρμακοποσίης. i. Vel ex medicamenti potione] scilicet hoc contingat, etiã non est signum certũ: nam & ui medicamenti, cerebri humiditates deorsum trahuntur, & palpebræ exiccãtur, & earum uis motiua, ut Galenus primo Prognosticorũ dicit, imbecillior redditur: propterea non est malum indiciũ. i. exitiale. Alia ab Hipp. primo Prognosticorum referũtur, scilicet φ non sit ita dormire cõsuetus, quia hoc nec bonũ nec malũ significare potest. Nonnulli reperiunt, qui ob palpebrarũ breuitatẽ, uel ob uapores ascẽdentes oculis apertis uel semiapertis dormire cõsueti sunt. In hoc genere sunt ebrij, qui semiãptis palpebris dormiũt: & hoc etiã puerulis lũbricos uẽtris patiẽtibus cõtingere solet, tamẽ sanant. nos indies puerulos curamus, in quibus aliquid albi subapparet, & sanant.

Galenus

Galenus primo Prognosticorũ uniuersaliter ita cõplectitur: non esse malum signũ, quãdo ab extrinseca causa hoc fiat: est autem malum, si intrinsecam causam consequatur. [φαῦλον τὸ σημεῖον, καὶ θανατῶδες σφόδρα. idest, Malum est signum, & letale ualde.] imò do ab intrinseco fiat, quia significatur nimia ex febris ustione palpebrarum siccitas, uel nimia imbecillitas, uel utrunque simul. Dubitant nonnulli, cur in ethica & phthisi hoc albi non appareat. Respondent, quia siccitas in ethica contingens, est magis uniformis & consuetudinaria. At nobis hoc dubium absurdissimum uidetur, quippe in ethica & phthisi quando sunt prope mortem, imò & si non sint adeo prope, nonnihil albi commissis palpebris dum dormiunt subinspicitur. quod nos uidimus sexcenties, & obseruauimus; tamen non est necessarium, hoc indicium in omnibus esse.

GALENVS

AVT ob palpebrarum siccitatem, aut propter potentiæ ipsas mouentis imbecillitatem aliquid albi subinspicitur, cum oculi integre claudi nõ possint. Ob hoc igitur ipsum in alui profluuijs, & medicamẽtorum purgantium potionibus oculorum albedinis aliquid subinspicitur, quãdo dormierint: nam totum corpus exiccatur, & uires fiunt imbecilles ex talibus euacuationibus. Plus autem siccitas in palpebris innotescit, quoniam sunt natura siccæ. Sicuti ergo coria exiccata difficulter extenduntur, eodem modo & similes corporis partes. & quidem quod potentia existente imbecilli non possint exquisite oculos claudere, sed neque os, unde hiantes dormiunt, liquet unicuique rei naturam diligentius animaduertere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus causam unam reddit, cur aliquid albi subinspiciatur. Est autem quia oculi integre claudi non possunt, quod ob duas causas contingit: una est, siccitas; altera est, potentiæ mouentis palpebras imbecillitas.

SECVNDO docet, in alui profluuijs, & in φαρμακοποσίαις, idest in medicamentis epotis, aliquid albi in oculis subinspici quando dormierint, quippe ex his euacuationibus, & totum corpus exiccatur, & uires imbecilles fiunt. Et si petas, quare nõ est ita malum in his siccitatibus ex profluuio alui, & medicamẽto epoto, sicuti si simpliciter sint. Respondemus, ex epoto medicamento, uel profluuio breui cessant, & non habent in se ipsis ansam prosequendi. At si ex morbo fiat, & totius imbecillitate, quia adhuc perseuerant, & imbecillitas, & genarum siccitas: propterea malum in his est.

TERTIO causam assignat, cur siccitas magis appareat in palpebris quàm in alijs locis, quia sunt natura siccæ: nam eadem est in palpebris ratio, qualis est in corijs: cum enim exiccantur, difficulter extenduntur: eodem modo & palpebræ, quando exiccantur, difficulter extenduntur.

QVARTO experientia uerum esse docet, si uis sit imbecilla oculos exquisite claudere non possint, imò neque os: nam hi hiantes dormiunt, ut manifestũ est unicuique rem ipsam diligentius considerare uolenti.

In Commẽtationis calce deest particula hæc Volenti, quæ debet esse ultimum Commentationis uerbum. Chalcographus incuria omisit, nam Leonicenus imperfectã sententiam non fecisset, & in Græco contextu adest particula, βουλομένῳ.

APHORISMVS LIII

DEsipientiæ quæ cum risu fiunt, securiores: quæ uero cum studio, periculosiores.

BRASAVOLVS

DE desipiẽtia, quæ à Græcis παραφροσύνη dicitur, multa à nobis superius disputata sunt. etenim sunt quædã mentis alienationes, inter quas aliquæ sunt placidæ, quietæ, & cum risu: aliæ perturbatæ, uiolentæ, & cũ solicitudine. Illæ quæ cũ risu fiunt, magis securæ sunt, i. minus malæ: nam à materia magis benigna depẽdent: unde minus malas esse cõtingit. At si cum studio atque tristitia fuerint, sunt periculosiores, quia à materia magis maligna ortũ habet. Philotheus definita desipiẽtia, quatuor eius species enumerat, cum

infinitæ sint, inquiens, παραφροσύνη δ' ἐστὶν ἔκστασις λογισμοῦ. ταύτης δὲ διαφοραί εἰσιν τέσσαρες. ἔστι γὰρ μετρία, ἥτις μόνη γίνεται πλὴν ἀκρίτως, ἐκ πραοτέρας θερμασίας γινομένη. ἔστι δὲ ἄλλη σφοδροτέρα, ἐφ' ᾗ ταράσσει, καὶ θράσος καὶ ὕβριν ἤδη ἔτι πλείονι θερμασίᾳ γινομένη. ἔστι δὲ δὴ ἄλλων σφοδροτάτη, ἐφ' ᾗ δὴ θηριώδης τρόπος, ἤδη παντελεῖ θερμασίᾳ γινομένη ἐκ μελαγχολικοῦ χυμοῦ. ὅσαι οὖν τούτων μετὰ γέλωτος εἰσίν, ἀσφαλέστεραι εἰσίν· διότι ἤδη ἀμυδροτέρᾳ θερμασίᾳ γίνονται, ὡρμημέναι ἐξ αἵματος. ὅσαι δὲ μετὰ σπουδῆς ἐπισφαλέστεραι. διότι ἤδη σφοδρᾷ θερμασίᾳ γίνονται ὡρμημέναι ἐκ ξανθῆς χολῆς. i. desipientia autem est rationis alienatio. huius autem quatuor sunt differentiæ. est enim mediocris, quę sola fit, uerum sine causa, ex leni adustione facta. est & alia uehementior, ex quo perturbat & audaciam & iniurias intendit, ex multo maiori adustione facta. est uero & alia uehemẽtissima, ex quo est ferinis moribus, ex summa adustione facta, causa atrabilarij humoris. Omnium igitur harũ illæ quæ cum risu sunt, securiores sunt: quoniam ex uix apparente adustione fiunt, à sanguine concitatæ. Quæcunque uero cum studio fiunt, periculosiores sunt: quoniam in uehemẽti adustione fiunt ex bile flaua concitatæ. Nota tamen hunc Philothei locum mutilum uideri, ut qui promittit quatuor desipientiæ differentias, sed tres solum uidentur. Satis difficilis est. Tu illum considera.

Αἱ παραφροσύναι, idest desipientiæ, dementiæ, captiones mentis.] In quibus cogitatiuæ, atque extimatiuæ uis, uel secundum Græcos phantasiæ deprauantur. Idque fit ex uaporibus in cerebrum ascendentibus, qui à materiebus melancholicis eleuãtur, & in capite firmati rationem perturbant, & secundum materierum naturam fumi eleuantur, qui diuersos desipientiæ modos faciunt. Sunt enim infinitæ fere desipientiæ species.

Αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι. idest, Quæ cum risu fiunt.] Illæ cum risu fiunt, quæ ex atra bile per adustionem sanguinis facta generantur. nam in hac bile atra sanguinis natura quodammodo mixta est. Propterea non est adeo sicca & arida, nec adeo frigida ut aliæ. Vel fiunt ex atra bile sanguini cõmixta, æque enim sanguis est atræ bilis frenum, sicuti bilis. Hæ uero dicunt̃ cum risu, quia hi gaudent, sperãt: & fatuitates quas agunt, de bono aliquo præsente, uel futuro sunt, & omnibus assidentibus solatium præstant, nempe noxia non parant.

ἀσφαλέστεραι, idest securiores.] Non quidem securiores, ut Galenus dicit, quia hæ simpliciter securæ sint: nulla enim desipientia secura est, sed sunt minus periculosæ: nam hi possunt facile domari & curari, quia humor est magis ad curationem suscipiendam paratus & minus rebellis, quàm is qui in alijs desipientiæ generibus uiget.

Αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς. idest, Quæ autem cum studio.] Hoc est, illæ uero quæ cum tristitia quadam sunt, & cum alicuius mali præsentis uel futuri cogitatione, quæ ex atra bile fiunt, uel ex bilis adustione, aut ipsius atræ bilis. In nostro antiquo codice sunt duæ lectiones: una iam dicta, αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς. idest, quę autem cum studio. & hanc lectionem habebat Leonicenus, & Aldinus codex habet, & Theodorus eodẽ modo habuit: nam uertit, deliria quæ cum risu accidunt, tutiora quàm quæ serio. Alia lectio est, αἱ δὲ μετὰ κλαυθμοῦ. idest, quæ uero cum fletu. hæc lectio mihi non displicet: nam fletus risui opponitur. Constat autem in hac secunda aphorismi parte, Hippocratem oppositum dicere uoluisse, quàm in prima dictum sit.

ἐπισφαλέστεραι, idest periculosiores.] Nam fiunt ab humore magis renitente & magis prauo: unde & difficilius curantur, & grauiora incidunt symptomata.

GALENVS

NVLLA quidẽ desipientia secura est, minus uero periculosæ quæ cum risu fiunt, sicuti temerariæ, ut ipse nominat, omnium periculosissimæ, in medio autem ambarum sunt, quæ cum studio fiunt. Fiunt aũt omnes patiente cerebro, siue primo & per seipsum, siue per cõpatiendi rationem. Differunt aũt inuicẽ per causas ipsas efficientes. Quæcunque enim ex sola fiũt caliditate sine humore uitioso, similes quodãmodo sunt eis quæ ex ebrietate contingunt. Quæcunque uero ex flaua bile, cum studio perficiuntur: ipsa uero multũ exusta, ut iam magis ad atræ bilis naturã accedat, sunt insaniæ satis furiosæ. Nam oportet ad memoriam reuocare, ea quæ in alijs locis de atra bile præfiniuimus, quod quædam ex ea flaua bile superassata gignitur, quę omnino molestissima est. Quæ uero ex sanguinis, ut quispiã dixerit, fece, crassior quidem est illa secundũ substantiã, sed plurimum

plurimum differēs prauitate qualitatis. Dictum autem est quod eam quæ est ueluti fex sanguinis, cùm uolumus exquisite loqui, nondum atram bilem nominamus, sed humorem melancholicum. Nominibus uero abutentes, & atram bilem aliquando uocamus, quoniam si non prius euacuetur paulopost atra futura est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nullam esse securam desipientiam, nam omnes sunt curatu difficiles, sed illæ minus periculosæ sunt, & facilius curantur, quæ cum risu fiunt, & tres desipientiarum modos enarrat. has cum risu: & temerarias, quæ sunt omnium periculosissimæ: & illas quæ cum studio sunt, quæ inter illas quæ cum risu, & temerarias mediæ sunt. Temerariæ autem à Galeno θρασεῖαι uocantur.

SECVNDO docet, omnes desipientias fieri, uel cerebro primo patiente, uel aliqua parte patiente, & ipso compatiente.

TERTIO docet, per efficientes causas inuicem differre, quæ sunt uel mala qualitas, uel humores adusti.

QVARTO docet, illam quæ fit ex sola caliditate sine humore uitioso, esse illi similem, quæ ex uitioso humore contingit.

Quod legitur, Ex ebrietate: legi debet, Ex potu uini. Nam Græce habetur, ἀπὸ οἴνου πόσιος.

QVINTO dicit, illas fieri cum studio, quæ ex flaua bile oriūtur, quæ si non sit multum adusta, desipientiam intensam non facit. Si uero sit adeo exusta ut ad atræ bilis naturam ferè accedat, insanias satis furiosas facit.

SEXTO iubet, illa in memoriam reuocare, quę in alijs locis de atra bile dicta sunt, quandam scilicet eius speciem ex superassatione flauæ bilis fieri, & hęc est omnino pessima. illa uero quæ ex sanguinis fece & cœno fit, est quidē crassior in substantia, quàm illa quæ fit à flaua bile, tamē est multo mitior, & habet qualitatē multo minus prauam.

Vbi legitur, Quæ uero ex sanguinis (ut quispiam dixerit) fece, deest uocabulum cœno, nam legi debet, quæ uero ex sanguinis (ut quispiam dixerit) cœno & fece. Græce enim est, ἡ δὲ ἐκ τοῦ αἵματος ὡς ἄν εἴποι τις ἰλύος καὶ τρυγός.

SEPTIMO notat, bilem atram, quæ est ueluti sanguinis fex, non debere dici bilem atram, si exquisite loqui uelimus: sed nūcupari debet humor melancholicus, quandoq; autem nominibus abutētes ipsam atrā bilem uocamus, quia si non euacuetur, in atram bilem transmutatur. de illa uero sermonem habuit in quarto Aphorismorū libro, aphorismo uigesimoprimo, ubi & nos de illa ubertim disseruimus.

APHORISMVS LIIII

IN acutis passionibus quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria malum.

BRASAVOLVS

ACVTÆ passiones cum febre apud Hippocratē sunt, lateralis morbus, peripneumonia, phrenitis, & similes aliæ: si in his luctuosa suspiria, idest spiritus ingeminationes & difficultates tales fiant, ut respirare cogāt, & spiritum ingeminare, pectoris partes ex febrili calore exiccatas esse significatur, quod malum est: nam est uel cōuulsio, uel similis cōuulsioni passio, uel uirium imbecillitas, unde is spiritum attrahere non potest. uel igitur aliquæ harū simul sint, uel omnia, uel unū, malū est, sed quāto plura, tanto peius.

ἐν τοῖσιν ὀξέσι παθήμασι. idest, In acutis passionibus.] Inter has autem aliquæ sunt cum febre, aliquæ sine febre. Suntq; acutæ passiones illæ, quæ habent sæua symptomata, & quæ cito finiunt.

Τοῖσι μετὰ πυρετοῦ. idest, Quæ cum febre sunt.] Vt ostendat se de illis passionibus acutis uerba facere, quas febres concomitantur.

Αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακόν. idest, Luctuosa suspiria, malum.] Malum inquā, quia quum in febre sint, ex repletione esse nō possunt, ideo sunt ex inanitione. Vnde uel ob pectoris siccitatem fiunt, uel ob conuulsionem, uel ob potentiæ mouentis imbecillitatem

tem, ex quacunque harum fiant, semper malũ est. In alio enim quarti libri aphorismo (est autem sexagesimusoctauus) dicit, In febre spiritus offendens, malum, conuulsionem enim significat, ubi idem intelligebat per offendentem spiritum, quod hic intelligit per luctuosum scilicet ingeminatum spiritum, qualis is est, quem plorantes faciunt. Cũ uero ἀναπνοὴ respirationẽ significet, nobis uideretur, Hippocratis uerba ita uertẽda esse, Luctuosas respirationes, non autem suspiria, quia ut plurimum sponte fiunt suspiria, quamuis & inuito quandoque contingant. Sunt uero luctuosæ respirationes, non illę necessario in quibus fit luctus, sed luctui similes, quia respiratio ingeminatur, cum una uice motus ille perfici non posit.

GALENVS

INFANTES sæpe uidentur quo plorant tempore inspirantes inspiratione interrupta, stante interim thorace, deinde rursus id quod deest adjiciente. Quod ipse in Epidemijs in hunc modum dixit. Duplex intra reuocatio, ueluti super inspirantibus. & accidit hoc nonnunquàm potentia fatigata, nonnunquàm ex duritie instrumentorũ, nonnunquàm uero ambabus causis simul conuenientibus, sed & aliquando propter aliquã musculorum pectoris similem cõuulsioni dispositionem. nam & uis imbecillis quando semel nequiuerit tantum thoracem attollere, quantum animali est necessarium, in media stat operatione, primum quiescens, deinde sic iterum cum impetu se effert. Durũ uero instrumentum, cum non prompte sequatur potentiam attollẽtem, ab ipsa uibratum uiolenter attollitur. De dispositione autem simili cõuulsioni, quid oportet dicere quod talem faciat respirationem? Si igitur frigus musculos thoracis apprehenderit, uel etiam neruos, durities quædã instrumentis adueniet, & motus conuulsioni similis, quã febris sua est apta natura sanare, & calida auxilia. Febre uero cum his existẽte non possumus causare musculorũ thoracis, siue neruorum frigiditatẽ, sed uel duritiem quę facta est, uel uirium imbecillitatẽ, uel conuulsioni similem dispositionem. Quicquid uero horum in causa sit, non est bonum ut in morbo acuto contingat. Si itaque de sola tacta motione instrumentorum respirationi obseruiẽtium luctuosa respiratio ab ipso dicta fuit, iam ad finem expositio peruenit. Sin autem & cum tali aliquo sonitu uult tactam contingere respirationem, qualis flentibus accidit, ultra dictas causas quandam ostendet dolorosam dispositionem, ex qua ueluti flentes, uel gementes, uel aliquem mixtum ex utrisque sonum edentes, in hunc modum respirant.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus ut exponat quid per luctuosa suspiria intelligere oporteat, de infantibus exemplũ tribuit, qui cum plorãt, interrupte respirant thorace stante, & deinde id quod deest adjiciẽte, & respirationẽ perficiẽte: ut ingeminatio quędã uideatur, hocque ipse in libro Epidemiorum posuit, inquiẽs, Duplex intro reuocatio ueluti inspirãtibus.

SECVNDO docet, hanc ingeminationem cõtingere quandoque ex imbecillitate potentiæ, quandoque ex instrumentorũ duritie, quandoque ex utrisque causis simul, quandoque ob aliquam dispositionem in musculis pectoris conuulsioni similem.

TERTIO ostendit, enumeratas causas, luctuosa suspiria efficere, & primo de imbecillitate uirium certum est, cum uires tantum extollere non possunt, quantũ est animali necessarium, in media operatione sistit. nam primo quiescit, deinde iterum maiori impetu mouetur. Itaque ingeminat, ut similis ploranti puero uideatur. Secundo apparet instrumenti duritiem hoc efficere posse, quia si non prompte sequatur attollentẽ potentiam, propter duritiem uiolenter attollitur, & quasi uibratur. Tertio non est opus probare de dispositione simili conuulsioni, quod faciat interruptum hunc spiritũ, quia manifestum est, præsertim cum sit similis conuulsioni ex inanitione, quæ periculosissima est.

QVARTO Galenus docet, hoc non posse intelligi in aphorismo in frigida dispositione, neque in humida. Certũ enim est, si frigus thoracis musculos, uel neruos apprehenderit, his instrumẽtis duritiẽ quandam innasci. Et etiã superuenire potest dispositio conuulsioni similis: tamen in his aphorismus intelligi non potest, quia hæc à febre sanaretur. febris etenim apta est materias illas frigidas resoluere, uel frigidã qualitatem demere, itaque malũ non esset, si cũ febre esset. unde cum in morbo acuto sit febris, alia dispositio induci nõ potest, quàm uel durities, uel similis cõuulsioni passio ex siccitate, uel uirium

imbecillitas, sed quicquid horũ in causa sit, bonũ non est, qđ in acuto morbo cõtingat.

QVINTO docet, Si intelligamus per luctuosa suspiria, motionẽ istam instrumẽtorũ respirationi seruientiũ, iam habes aphorismi expositionẽ. At si per luctuosa suspiria illa intelligas quæ præter motionẽ, aliquid etiã habẽt sonitus & eiulatus, qualis est in ploratibus, ꝑter causas iã assignatas, dolorosam quandã dispositionẽ ostẽdet, ex qua tanquã flẽtes, uel gementes, uel mixtũ quendã sonũ ex utrisque faciẽtes in hunc modũ respirant, scilicet & ingeminãtes spiritum, & etiã cum sonitu doloroso, qualis fit in plorantibus.

Quod legitur, Si itaque de sola tacta motione, legi debet de sola dicta motione. nã contextus Græcus ita habet, εἰ μὲν οὖν ἐπὶ μόνης τῆς εἰρημένης κινήσεως.

APHORISMVS LV

DOlores podagrici, uere, & autumno magna ex parte mouentur.

BRASAVOLVS

NVLLA sunt anni tempora, & nullæ partes, in quibus humores magis moueãtur, quàm uer, & autũnus. nam in hyeme ob frigiditatẽ intus latitant. in ęstate ad circunferentiã difflati sunt, & per externas partes uagãtur: sed in uere ab intrinsecis partibus ad extrinsecas, in autumno ab extrinsecis ad intrinsecas mouentur: propterea facile est, quod in his temporibus ad aliquas imbecilliores nostri corporis partes decumbant, quales sunt pedes, & ideo uere & autũno dolores podagrici magna ex parte mouentur. nam pituitosi humores, & alij hyeme geniti, in uere eliquantur, & ad illas partes transcurrũt, quas imbecilliores inueniunt. In autumno ob æstatis uictum, quia multos horæos fructus comederunt, & uis concoctrix est imbecilla, propterea multi etiam humores geniti sunt, qui postea in autumno ad intrinsecas partes commouentur, unde ad pedes, aut manus decumbunt, aut ad alia membra, & arthritides faciunt.

τὰ ποδαγρικά. idest, Dolores podagrici.] per quos omnes omnium iuncturarũ dolores intelligit, & omniũ nostri corporis partium. In antiqua translatione hic aphorismus ita legitur, Podagrica & maniaca uere & autumno mouentur ut in pluribus. tamẽ nec antiquus codex noster, nec Aldinus habet illam particulã, maniaca, at in hagonensi codice ita legitur τὰ ποδαγρικὰ καὶ μανικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κρινέεται ἐπὶ πολύ. tamẽ si hic adsit hęc particula, nihil refert, quoniã & in uere ratione motus humoris, & in autumno, cum ab ęstate superassante, tum ab ipso autumno, cuius qualitas est atrabilaria, mania fieri potest, & in his temporibus maxime fiũt. nam & ipse Hippocrates libro tertio Aphorismorum aphorismo uigesimo dixit, in uere fieri μανικὰ, idest, furores, & articulorum dolores: in aphorismo uero uigesimosecundo iterum dicit in autumno fieri μανικὰ, & coxendicum dolores. propterea si hæc particula aphorismo addita sit, uel nõ addita, nihil refert, quoniam & ipsa uera est.

Τοῦ ἦρος. idest, uere] mouẽtur. quoniam & materiæ quę in hyeme genitæ sunt, cõmouentur, unde & à Philotheo dicitur: εὐλόγως τῷ ἦρι ταῦτα τὰ πάθη κινοῦνται, διότι χύσις ἐν αὐτῷ θερμῷ ὄντι συμμέτρως τῆς προσωρευθείσης ἐν χειμῶνι ὕλης γίνεται, καὶ ἀποδιώξεις ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν τόπων, ἐπὶ τοὺς ἀσθενεῖς, τουτέστι τοὺς πόδας. idest, hæ passiones in uere rationabiliter mouentur, quoniã in ipso (scilicet uere) mediocriter calido existente fit effusio materiæ per hyemẽ antea congestæ, & à locis fortibus ad debiles, hoc est pedes detruditur.

Καὶ τοῦ μετοπώρου, uel φθινοπώρου κινέεται. idest, & autũno mouentur.] quia & fit humorum motio ad extrinsecas partes, & ob æstatẽ quæ præcessit membra imbecilla sunt, & præcessere fructus horæi, qui multos humores putredini aptos genuere, & ob calorem æstatis debilitantem uis concoctrix erat imbecilla, unde & Philotheus dicit, καὶ μὲν καὶ ἐν τῷ φθινοπώρῳ, διὰ τὸ καταβάλλεσθαι τὰς δυνάμεις ὑπὸ τῆς ἀνωμάλου δυσκρασίας. τούτων γὰρ καταβαλλομένων, διάφοροι τίκτονται χυμοὶ, καὶ πρὸς τοὺς ἀσθενεῖς, καὶ κάτω τόπους διωκόμενοι ποδάγραν ποιοῦσιν. ἄλλως τε καὶ διὰ τὸ ἐν αὐτῷ ἀποκλείεσθαι τὴν ἀθροισθεῖσαν ἐν θέρει κακοχυμίαν. idest, equidem & in autumno, quoniam uires ab inæquali intemperie prosternuntur; his enim prostratis uarij humores generantur, & ad imbecillas, atque eas quæ

deorsum

deorsum sunt partes impulsi podagram faciunt. Aliterq; quoniam in ipso malorum humorum copia in æstate congesta laxatur.

ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Ita habet Aldinus codex, noster uero antiquus ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, idest, ut plurimum, magna ex parte.] nam raro est, quod in æstate, uel hyeme moueantur, tamen quandoq; etiam in his temporibus mouentur.

GALENVS

PODAGRICÆ passiones, sicuti & omnes aliæ articulares uere augētur, atq; ideo ipse superius in enumeratiōe morborum uernalium, etiam articulariū cōmeminit, in quibus scilicet etiam podagrici continentur. Excitantur quidē aliquando & autumno his quibus per æstatem tempore quo fructus maturantur uitiosi aliqui humores fuerint coaceruati. Ostensum enim à nobis est in commentarijs de potentijs naturalibus, quod singulis partibus, sicuti aliæ potentiæ, ita & illa inest, quæ materias infestas excernit. Infestant autē aliquę sua multitudine aggrauantes, aliæ uero extranea qualitate. Secundum utrunq; igitur his qui hiberno tempore in uictu deliquerint, postmodum uero diuturnæ passiones excitantur, fusis humoribus, mox à fortibus ad loca debilia detrusis. Secundum alterum uero tantummodo autumnali.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, passiones podagricas, sicuti simpliciter omnes articulares uere augeri, propterea in tertio Aphorismorum libro aphorismo uigesimo Hippocrates in enumeratione morborum ueris de articulari morbo mentionem fecit, sub hoc autem morbo podagrica passio continetur.

SECVNDO docet, podagricas passiones quandoq; autumno excitari, sed hoc potissimum in his fit, quibus per æstatem tempore quo fructus maturantur, uitiosi humores coadunati sint. Galenus ex his dictis uidetur inferre uelle, raro in autumno fieri. Nobis autem uidetur hoc certam regulam non habere de comparatione ueris & autumni: nam multos indies uidemus, quibus solum in uere, alios, quibus solum in autūno, alios quibus in uere & in autumno, alios quibus quater in anno hæ passiones mouentur. nec istud tibi mirum uideatur, nam si medicam artem exercebis, facile experire poteris aliquos in æstate solum, & aliquos solum in hyeme hos affectus incidere.

TERTIO docet quod in libro De potentijs naturalibus ostēdit, omnem nostri corporis partem quatuor potentias habere, & inter alias habere uim expultricem, quæ infestas materias excernit.

QVARTO docet, aliquas materias sua qualitate infestare, aliquas sua quātitate. Illi qui in hyeme delinquētes in uictu humores coaceruarūt, & propter quantitatē, & propter qualitatē malā, aduenięte uere diuturnas passiones incidunt, humoribus fusis à locis fortioribus ad imbecilliora. In autūno aūt hæc non cōtingunt ob quantitatē & qualitatē, sed solū secundū alterū, scilicet qualitatē, tamē & ob quantitatē fiūt etiā morbi diuturni in autūno, & podagræ, quia & si æstas præcesserit, quæ exsiccat humores, ꝓcessit etiā cōcoctricis uirtutis imbecillitas, & ꝓcessere horarij fructus, quorū oēs fere implēt.

APHORISMVS LVI

IN morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus, stuporem corporis, uel conuulsionem, uel furorem, uel cæcitatem significant.

BRASAVOLVS

RECENTIORES huius aphorismi interpretes Hippocratis sensum hūc esse putarunt. Subitæ melancholicorū morborum mutationes sunt periculosæ, quoniam unum ex his quatuor quæ sequuntur, inducunt. Hippocrates autem de mutatione quidē melancholici morbi uerba facit, sed non de subita mutatione, unde & hic à Philotheo dicitur, νῦν περὶ μελαγχολίας διαλέγεται, καὶ περὶ μεταστάσεως ὕλης τῆς προστάσης αὐτῇ, καὶ διαδοχῆς ἑτέρων νοσημάτων, idest, Nunc de melancholica disputat, & de materiæ mutatione ipsam præcedente, & successione aliorum morborum. Erit igitur Hippocratis sensus: in melancholicis morbis materiam ad hęc, idest, ad has partes decumbere periculosum

est, nam significat, aut apoplexiam, aut conuulsionem, aut furorem, aut cæcitatem. Et si petas ad quas partes. en si ad oculos, cæcitatem significat: si ad neruos, conuulsionem: si ad cerebri uentriculos, apoplexiam: si ad cerebri substantiam, uel minyngas, furorem, idest, atram bilem. unde & à Philotheo ita præcise exponitur, dicente, ὅτι ἂν ὑπὸ μελαγχολίας ἐχομένου τινὸς ἀποσκήψῃ ἡ τοιαύτη ὕλη διὰ μετάθεσιν εἰς τάδε, ἐπικινδύνως. εἰ πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς φερεχθῇ ποιεῖ τύφλωσιν. εἰ δὲ ἐπὶ τὰ νεῦρα, σπασμοὺς, τοὺς ἐν πλήθει γινομένους. εἰ δὲ τελείως ἐμφράξει τὰς κοιλίας τῶν ἐγκεφάλων, ἃς σῶμα καλοῦσιν, ἀποπληξίαν ἐργάζεται. εἰ δὲ πρὸς τὰς μήνιγγας, ἀποτελεῖ μανίαν, τουτέστι τὴν ὀνομαζομένην μελαγχολίαν. idest, Quoniam, si aliquo à melancholia occupato, talis materia per transmutationem ad hæc decubuerit, periculosum: si ad oculos delata sit, cæcitatem facit: si ad neruos, conuulsiones illas quę ex plenitudine fiunt: si autem uehementer obstruxerit cerebrorũ uentres, quos corpus uocant, apoplexiam, idest, morbum attonitum facit: at si ad pelliculas, furorem facit, hoc est uocatam melancholiã. ut ex his totius aphorismi intellectus facile haberi possit. Galenus aphorismi intentionem ueluti notam omisit.

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νοσήμασιν. idest, In morbis melancholicis.] quicunq; illi sint, uel in cerebro per essentiam, uel in alio membro, ut est hypochondriaca passio.

ἐς τάδε ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες. idest, ad hæc periculosi decubitus.] idest, periculosi sunt materierum descensus. ad hæc, idest, ad has partes, quæ sequuntur, uel ad hos morbos, qui sequuntur.

ἢ ἀποπληξίην. idest, uel Apoplexiam.] idest, attonitum morbum, non stuporem corporis, ut Leonicenus interpretatur. fit autem hic morbus quandoq; ex atra bile, ut Galenus in cõmentatione testatur. sed quod coegit Leonicenum, corporis stuporem interpretari, fuit uerbum, quod sequitur, scilicet τοῦ σώματος. nam simpliciter non dicit Apoplexiam, sed corporis apoplexiam. At nõ uidetur esse aliqua corporis apoplexia, sed bene corporis stupor inuenitur. Codicem quendam uidimus, qui illam particulam τοῦ σώματος, illi coniungebat ἐς τάδε, ut dicẽdum uideretur, ad hæc corporis, idest, ad has corporis particulas, ἐς τάδε μόρια τοῦ σώματος. idest, ad has corporis particulas. tamen quicquid sit, etiam si illa particula corporis ad apoplexiã referatur, apoplexia est in toto corpore, cum principium neruorum totius corporis occupet. fiet autem apoplexia, cerebri uentriculis ab illa materia occupatis.

ἢ σπασμόν. idest, uel conuulsionẽ.] neruis ab hac materia occupatis, & plenis, hæcq; conuulsio ex repletione nuncupabitur.

ἢ μανίην. idest, uel furorem.] per quem interpretes non uerum furorem, sed melancholiam intelligunt: quia uerus furor ex bile flaua superassata fit, tuncq; fit, cum cerebri pelliculas occupauerit.

ἢ τύφλωσιν σημαίνει. idest, uel cæcitatem significat.] Si hic humor oculos pertingat. Hunc aphorismum ita quandoq; intelligebamus, in morbis melãcholicis decumbere, & nõ moueri, sed iacere diu, est periculosum ad hoc, quia significat unũ ex quatuor enumeratis, immo adde & morbũ comitialẽ, quẽ sub apoplexia intellexisse nõ dubitamus.

GALENVS

FIVNT quidẽ & propter pituitosum humorẽ apoplexiæ, & cõuulsiones, & cęcitates oculorũ. Fiunt aũt & propter melancholicũ, quoniam cõmunis utrisq; est crassitudo, non tamen furor est passio cõmunis. Nunquam enim hæc ex pituitoso humore ortum habet, cum ad eum humor iritans, ac mordens exigatur. Tales autem sunt semper quidem flaua bilis, melãcholicus autem humor non semper, sed cum supramodum exustus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hæc tria, Apoplexiam, cõuulsionem, & cæcitatem, ob pituitosum humorem fieri, & hoc uerum est ut plurimum: tamẽ quandoq; etiam fiunt ob melancholicum, quoniam est cõmunis utrisq; scilicet humoribus crassitudo. hoc uocabulũ crassitudo in nostro antiquo codice legitur πάχος, idest, crassitudo, in Aldino uero πάθος, idest, passio. Nos potius laudamus, ut legatur πάχος, idest, crassitudo, quia si passio dicatur, non potest dici utrisq; cũ sint tres passiones numeratæ, nisi dixeris, quod intelligit passionẽ, idest, prædictas passiones esse cõmunes utrisq; scilicet humoribus, tam pitui-

tam pituitoso, quam melancholico: tamē si legas crassitudo, non est opus intelligere quod sit æqualis crassitudo in pituitoso & melācholico, sed quod utrique humores sunt crassi.

SECVNDO Galenus docet, furorē non esse passionē cōmunem, quia furor nunquam fit ex pituitoso humore. Nam semper exigitur humor iritans ac mordens, qualis est flaua bilis: nec etiā melancholicus humor hoc semper efficere potest, sed solum cum præter modum exustus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem. Hæc secūda pars suadere uidetur, quod in prima legendum sit passio, & non crassitudo, quoniam statim post primam partem sequitur, furorem no esse passionem cōmunem, scilicet utrisque humoribus, sicuti sunt aliæ numeratæ passiones. hicque nota in aliquibus contextibus legi furor in recto. In Aldino, & in nostro antiquo in obliquo est οὐ μὴν τόγε τῆς μανίας ἔτι κοινόν, idest, non tamen est communis furoris, scilicet passio.

Quod legitur, Nunquàm enim hic, legi debet nunquàm enim hæc passio. Quippe Græce habetur τὸ πάθος τοῦτο.

APHORISMVS LVII

APoplexiæ autē fiunt, maxime à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

BRASAVOLVS

GALENVS ipse testis est, ex pituita apoplexiam ut plurimū fieri, quæ tamen in hac ætate à quadragesimo anno usque ad sexagesimum non multiplicatur. Ideo in hac ætate rationabile non uidetur apoplexias fieri, sed potius in ultimo senio cōtingere debet, ut in tertio libro scriptum est, & Aetius libro sexto capite trigesimoseptimo ex Archigene dicit, in senio plerunque fieri. propterea nos in hūc modum dicamus, Cum apoplexia, & ex pituita, & bile atra fiat, de illa nunc agit Hippocrates quæ ab atra bile ortum habet. In hac autem ætate à quadragesimo usque ad sexagesimum annum, atra bilis plurimū uiget, unde & potissimū in hac ætate apoplexia ab atra bile capiūtur, & ideo à Philotheo hic dicitur, τοὺς ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτῶν μέχρις ξ. τὸ τῆς ἀποπληξίας πάθος καταλαμβάνει, ὅτι πλεονάζει μάλιστα κατ᾽ αὐτῶν ὁ μελαγχολικὸς χυμὸς, ὃς τῇ παχύτητι ἐμφράττων, τὴν ἀποπληξίαν ἀποτελεῖ. γίνεται δὲ καὶ ἀπὸ φλέγματος ἀποπληξία, κατ᾽ ἐξαίρετον, ἀλλὰ οὐ περὶ τούτου νῦν ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει. idest, à quadragesimo anno usque ad sexagesimum apoplexiæ passio deprehendit, quoniam melācholicus humor in ipsis maxime abundat, qui sua crassitie obstruens apoplexiam facit. fit autem & à pituita præcipue apoplexia, sed de his nō est sermo Hippocrati nunc. Tamen si alicui placeret de illa etiam quæ ex pituita fit, intelligere, is dicere habet, hoc fieri per accidēs, sicuti de multis morbis, qui in hac ætate fiūt, à Galeno in tertio libro per accidens fieri dicuntur, & non ratione ætatum, sed ratione inordinati uictus. nempe iuuenili ætate transacta, in qua erant inordinatissimi, in sua illa inordinatione perseuerāt. cum uero ex ætatis progressu imbecilliores fiant, apoplexias ex pituita incidere possunt. Tamen cum Galeno potius sentiēdum est, de his uerba facere, quæ ex atra bile sunt. nam hic humor in hac ætate uiget, & magis etiam, quam in quacunque alia, quia in iunioribus non fiunt, in senioribus uis cōcoctrix est nimis imbecilla.

ἀποπληκτικοὶ δὲ. i. attoniti, uel apoplectici aūt.] de his agens, qui apoplexiā incidunt.

Μάλιστα γίνονται. idest, Maxime fiunt.]

ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων. idest, à quadragesimo anno.]

Μέχρις ἑξήκοντα. idest, usque ad sexagesimum.] præsertim de illa quæ ab atra bile fit. Scito que illam particulam μάλιστα determinare posse uerbum fiunt, & hanc particulā à quadragesimo anno, quam particulam potius determinari arbitramur.

GALENVS

NON omnem apoplexiam, sed nuper dictam tantummodo, quæ ex atra sola fit bile, contingit aduenire his qui dictam agunt ætatem, quoniam in his maxime abundat atræ bilis humor, quemadmodum etiam in autumno. Quod si uolumus simpliciter pronuntiare, plures senes laborant apoplexia. Si igitur sermo debeat esse uerus, iungendus est cum priore aphorismo, ac si ita diceretur, In morbis melancholicis ad hæc

periculosi decubitus, stuporem corporis qui homines occupat à quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem de omni apoplexia intelligendum non esse, sed de illa solum, quæ nuper dicta est, ex atra bile facta. hi enim qui in hac ætate sunt, solum hanc incidunt, quoniam atra bile abundant, sicuti in autumno abundat, hi uero autumno comparantur.

SECVNDO docet, Si de omni apoplexia simpliciter enũtiare uelimus, aphorismus non erit uerus, nam plures senes apoplexia laborant, quàm qui sunt in ætate à quadragesimo anno usque ad sexagesimum, constituti.

TERTIO docet, Si aphorismus uerus esse debeat, oportere ipsum cum præcedenti Aphorismo coniungere, & dicere, In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus. apoplexiam enim corporis faciunt, quæ homines à quadragesimo anno usque ad sexagesimum occupabit.

Quod legitur, Stuporem corporis, nos potius legendum putamus apoplexiam corporis, tamen Hippocrates solet nominare resolutionem apoplexiam, & quandoque crus apoplecticum dixit.

APHORISMVS LVIII

SI omentum excidat, necessario putrescit.

BRASAVOLVS

OMENTVM illa pellis est præpinguis, quam uulgus Rete uocat, in qua suilla iecuscula inuoluunt. Ab Arabibus zirbus, à Græcis ἐπίπλοον nominatur, peritonæo quodammodo colligatur, intestino colo, & liene, extenditur supra uentriculum, iecur, lienem, & intestina usque ad inguina. decidit quandoque, et in scrotum incidit, facitque genus illud ramicis, quod à Grecis ἐπιπλοκήλη, idest, omenti ramix, uel zirbi hernia secundum Recentes nuncupatur, tamen & in inguina, & in umbilicũ descendere potest, & ramicem ibi facere. Cum uero in unam harum partiũ deciderit, non est opus putrescere, immo si sit in scroto, potest in uitæ finem (etiam si is diu uiuat) perdurare, & tamen nõ corrumpitur. propterea hic apud Hippocratẽ opus est intelligere, excidere, idest, extra corpus exire, non quidem totum, sed partem. Nam si aliquis uulneratus sit, & aliqua omenti portio appareat, necessariũ est putrescere, cum statim ab aere perculsa fuerit. Ideo medici uidentes omenti partẽ, illam statim incidere solent, & reliquũ intromittere. Nos in duobus uulneratis, quamcunque partem intromittendam iussimus, tamen non putruere. Ratio autem quare putrescat, est quia eius naturalis calor ita imbecillis efficitur, ut eius humiditatem seruare non possit, & regere, propterea calore aliquo intrinseco eget, quo reguletur, qui in ipso putredinem inducit. Quod si dixeris, extra corpus ita cito nõ putrescere. Respondemus uerum esse, quia non adest caliditas quæ corruptionem procurat, cum sit illi impropria. Philotheus hic dicit ἐπίπλοόν ἐστι πιμελῶδές τι καὶ ἰνῶδες, οὐσία ἐπικειμένη τοῖς ἐντέροις, καὶ τῇ γαστρί. τούτου πολλάκις ἐν τῷ ὑπογαστρίῳ τρώσεως γεγονυίας, ἐκπίπτει μέρος τι, καὶ ἐπειδὴ καὶ εὐπαθὲς ὁμιλοῦν τῷ ἔξωθεν ἀέρι, ἀνάγκη εὐθέως σήπεσθαι. κελεύει οὖν ὁ Ἱπποκράτης τὸ ἐκπεπτωκὸς τέμνειν, καὶ οὕτως τῇ γαστρορραφίᾳ χρῆσθαι. idest, Omẽtum est pinguis & neruosa substantia intestinis & uentriculo supraposita. huius sæpe in inferiori uentre uulnere illato pars aliqua excidit, & quoniam facile patitur, aeri extrinseco exposita, celeriter ut putrescat necesse est. Iubet igitur Hippocrates partem quæ exciderit, abscindere uel præcidere, & sic uentris sutura uti. Tamen nos nunquàm incideremus, modo diu non fuerit extra corpus, sed integrum sinentes introduci iuberemus. Quod in duobus fieri iussimus, & sanati sunt. Vidimus & quibus abscisa fuerit omenti portio, sanitati restitutos, tamen inter hos unus qui nobiscum consuetudinem habebat, deinde apte concoquere non poterat. nec istud ab re erat, quia uentriculi calorem conseruat, & à natura supra intestina positum est ut illa humectet, & magis lubrica faciat,

ut feces

ut feces per intestina facilius discurrere possint, & ad anum transmitti ut exeant. Videtur autem esse sacca quædam.

Ην ἐπίπλοον ἐκπέσῃ. idest, Si omentum exciderit.] Scilicet extra corpus, non autem extra suum locum solum, quia in Epiplocele extra proprium locum est, tamen non putrescit. at exire non potest, nisi is sit uulneratus, à quo exit.

Ἀνάγκη ἀποσαπῆναι. idest Necesse est computrescere, quia ex aeris frigore eius naturalem calorem amittit, qui deinde non potest magnam eius humiditatem conseruare. ideo calore non sibi proprie adueniente putrescit, & hoc cito fieri uolunt authores, at nos iussimus introduci omentum quod exiuerat, in duobus, & sani effecti sunt. forte Hippocrates intelligendus est, quando diu extra fuerit, non quando parum, quicquid à Philotheo dicatur. ipse enim ita putat, cum experientia oppositum ostendat. Hippocrates hunc aphorismum in principio primi libri De morbis ponit, sed hoc modo dicens, si percussi omentum excidat, necessario putrescit. Paulus libro sexto capite quinquagesimosecundo modum incidendi omentum ostendit, iubetq; nõ esse incidendum, nisi uiderimus manifestam putredinẽ. Inquit igitur, at uero cũ membrana abdominis rupta, omentũ prolapsum est, considerari debet an pars eius aliqua humida, aut nigra sit, idq; totũ prius supra emortuã partẽ laqueo iniecto, ne sanguinis profusiõe periclitetur, infra uinculum excidendum est, tum in infimo consutionis fine uinculi capita sunt inserenda, sic, ut dependeant, quo facilius cum pure orto reijcientur, eximi possint.

GALENVS

PROPTER sermonis breuitatem falsus esse uidebitur aphorismus his qui non recte ipsum inaudierint. Quod enim dicitur huiusmodi est. Quando exciderit, hoc est quando nudatum fuerit, & extra peritonęum, idest membranam abdominis interiorem omentũ exierit, non contingit ipsum ad locum proprium restitutum sanum, & saluum fieri, sicuti si aliud aliquid extra promeretur, ueluti intestinum, aut aliqua uisceris fibra. Illa & enim nisi longo tempore frigefiant quando uulnus in parte uentris superiore factum ad cicatricem perductum fuerit, pristinam recipiunt temperaturam. Omentum uero etiam si minimo nudetur tempore, reductum putrescit, quam ob causam medici partem illam quæ fuerit nudata, solent resecare. Hanc igitur sententiam habet aphorismus, licet confusius in uerbis dictis proponatur. Si quis uero aliquando uidit omentum, quod paruo tempore extra prodierit, & deinde ad suum locum reductum, non putruerit, perpetuam quidem non esse probabit Hippocratis enunciationem. Illud tamen seruabit, quod magna ex parte solet accidere, & commune est huic aphorismo, ad alios ab Hippocrate dictos perpetuum quoddam ex figura dictionis ostendenti, quamuis res ipsæ non semper eodem modo eueniant, sed raro aliquando aliter accidant.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismũ falsum uideri, nisi quis recte intellexerit. nam quod ex aphorismo sumitur, hoc est, quando omentum adeo denudatũ fuerit ut sit extra peritonæum, sanum atq; saluũ intromitti nõ potest, sicuti alia membra, quæ extra ad aerem posita sunt, hęc enim introducuntur sana. nam intestina, aut alicuius uisceris fibra extra corpus posita, nisi longo tempore frigescant, quando uulnus ad cicatricẽ perducitur, & ipsa quoq; pristinam sanitatem recipiunt. Secus est in omento, quod etiam si minimo nudetur tempore, hoc est detegatur, ut aerem offendat, si intus reducatur, putrescit, & ideo medici partem illam denudatam, priusquam intromittãt, resecare solent. hæc est igitur Galeni sententia, quamuis in uerbis confusus esse uideatur.

Quod legitur, extra peritonæum, idest, membranam abdominis interiorem. At peritonęum non est membrana abdominis interior. nam abdomen membranã suam habet ipsum tegentem. peritonęũ deinde est sub illa membrana. Intelligoq; omentum exire peritonæum, idest peritonæum ipsum & epigastrium, uel hypogastrium secundum locum in quo fuerit uulnus.

Vbi etiam legitur, In parte uentris superiore, ibi Galenus utitur uocabulo ἐπιγάστριον, quod significat partem uentris ab umbilico superius.

SECVNDO Galenus nõ audens è directo Hippocratẽ reprehendere, dicit, si quis uiderit omentũ, quod paruo tẽpore extra prodierit, & deinde ad suum locum reductum

non putruerit, hic dicere poterit, Hippocratis orationem non esse perpetuam & uniuersalem: tamen hoc seruare oportebit, quod magna ex parte hoc contingit. Nos testes sumus, in duobus fuisse intromissum omentum, tamen sanitati restituti sunt, & suam propriam temperaturam acquisiuere, quia illi omnia uitæ munia egregie habebant, & sicuti prius integra: immo unus, cui abscisa fuit omenti portio, conualuit quidem, sed deinceps ægre concoquebat, & adhuc ægre concoquit.

TERTIO Galenus notat Hippocratis morē in multis aphorismis & multis rebus, qui ex figura dictionis proponit aliqua tanquam perpetua, quamuis res ipse eodem modo semper non eueniant, sed raro aliquando aliter contingant. immo non ab re hoc facit Hippocrates, quia illa, quæ in pluribus sunt, in secundo De Physico auditu ab Aristotele naturalia uocantur. nempe res naturæ, uel semper, uel ut plurimum eodem modo fiunt.

APHORISMVS LIX

QVibuscunq; à coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, his muccores superueniunt.

BRASAVOLVS

QVI Ischiam patiuntur, idest huius partis dolorem, quem latini coxendicum dolorem uocant, si præter dolorem os coxæ acetabulum uel cotylam, uel pyxidem suam exeat, deinde incidat, idest intus recipiatur, postea exeat, ex hoc iudicare debes humores superuenisse, idest partes istas esse muccore plenas, & hos muccores iamdiu partes istas occupasse, quæ habent ligamenta fortissima. Si enim tunc solum illuc currerent, coxam exire necessarium non esset, idest os coxę. nam ligamenta illa tam cito non molliuntur, ideo opus est pituitosam materiam præfuisse, quæ ligamenta emolliret: his uero mollioribus effectis, os coxæ incidit, & excidit facile. Nunc puerum quendam curamus, cui os coxæ excidit, quoniam humida tempora uigent, quæ toto ferè hoc anno 1538. uiguere. At cum tempora sicciora fiunt, coxæ os incidit. unde nihil aliud in hoc Aphorismo docet Hippocrates, quàm cum coxæ os suum acetabulum ingredi & egredi uidebimus, statim iudicabimus muccores & pituitosos humores in hoc loco esse congregatos, & ideo Philotheus dicit ἀθροιζόμενον γὰρ ἐκεῖσε τυχὸν ἐν τῇ κοιλότητι ἐν ᾗ ἡ διάρθρωσις τοῦ ἰσχίου φλέγμα, οἱονεὶ καταβρέχει τοὺς συνδέσμους, καὶ χαλαροὺς αὐτοὺς ποιεῖ, καὶ τοὔνθεν ἐξίσταται, καὶ πάλιν ἐμπίπτει ἡ κεφαλὴ τοῦ μηροῦ. idest, Congregata enim illuc forte fortuna in concauitate in qua coxæ dearticulatio est, pituita, ligamenta quasi irrigat, & eadem mollia facit, & inde exit, & rursus illabitur (idest, ingreditur) cruris caput. Galenus in principio duodecimi libri De usu partium, docet omne ligamentum esse adeo durū, ut tuto simul colliget, & moueri nō prohibeat, neq; facile abrumpatur. Postea Galenus sequitur, quin etiam hoc audis ab Hippocrate dici. Quibus humiditas subnutrita copiosior, humectat corpora circa articulos, facile his artuum capita exiliunt. eos uero qui prę horum corporum duritie prohibiti sunt moueri, non puto te latere, quum uideas quotidie quantopere à motu impediuntur. Hæc Galenus, ubi uides huius aphorismi sententiam referri.

ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι, Quibuscunq; à coxendicum dolore infestatis.] Græci ἰσχίον coxam uocant, ab ἰσχίου uero, idest à coxa ἰσχιάδα dicunt dolorem grauissimum in coxa. Galenus in Definitionibus sibi adscriptis, & in introductorio sibi adscripto dicit, coxendicem dolorem diuturnum esse, nec facile solui, per temporis interualla repetentem à coxa ad femora, poplites, suras, & imos pertingens talos. latini (ut apud Plinium uidere est) coxendicem dicentes, quandoq; locum ipsum intelligunt, quandoq; dolorem, & tristem in hoc loco sensationem. Paulus libro tertio capite septuagesimo septimo dicit coxendicis dolorem esse de genere arthritidis, nisi quod inhæret coxæ. Illius causa est crassus & pituitosus humor, qui in coxendice cunei instar concretus insidit, & articulat. Dolor uero eo malo obnoxios astheromatis bubonisq; loco

nisq; loco ad genua usq; infestat. In plerisq; autem usq; ad extimum pedis calcaneum. Aetius uero libro duodecimo capite primo de hac re copiosius agit, nempe simpliciter uerum non est, quod dolor usq; ad extremos pedes, uel ad genua tendat, sed uarios doloris affectus facit, in uarijs hominibus. nam hoc malũ quãdoq; est in uicinis musculis, & maximè in lumbis, ibiq; initium habere uidetur. aliquando affectionis initiũ ab ipsa iunctura exorditur. Quandoq; etiam contingit, ut uertebri dolore ferè sublato, circa poplitem solum afflictio hæreat. alijs aũt iuxta talum, quibusdam aũt totum crus dolore affligitur, multis item circa inguina dolor figitur, & tunc sanè uesica ipsa molestiam transsumens, urinæ difficultatem inducit, & tunc maximè totum crus à coxendicibus usq; ad calcaneum dolorem profert. Verum si etiam aliqua alia pars corporis agitetur. Statimq; omnes causas subiecit Aetius, ex quibus coxendicis dolor fieri possit, inquiens, Generant autem hanc affectionem assiduæ cruditates, & immodicus rei uenereæ usus: aliquando etiam deambulationes concitatiores, & hæmorrhoides supresse, & uomendi consuetudo intermissa, & purgationes menstruę, aut etiam aliæ familiares excretiones impeditę, & exercitiorum contemptus. Sed Hippocrates ipse in libro De morbis qui extra, ferè in medio dicit: coxendicum dolor cum fit, coxendicis iunctura dolitat, acetabulum, summæ nates, totũq; crus. In libro uero De morbis qui intus, propè finem, de coxendice ex ambulatione per solem facta agens, & de illa etiam quæ ab alijs causis, dicit, Coxendicum dolor de illis præcipue causis, & alijs gignitur præterea multis, si diutius quis sub sole uersetur, & eat, coxendicesq; calefiant, humorq; horum articulorum, & aliorum æstu siccescat, & cogatur. Quod sic esse coniector, languens enim flectere hos articulos & alios præ dolore qui inest, nequit, digiti compinguntur, lumbos, uertebras, quæ secundum coxendices sunt maximè dolet. Coxendices, inguina, genua, grauis & æstuosus dolor uexat. Si quis eum moueat, præ dolore uehementer gemit, quandoq; neruorum conuulsioni frigus & febris superuenit. Coxendix etiam bile, pituita, sanguineq; gignitur, tanquam omnibus his malis laboret, similiter dolitat: quandoq; etiam friget, & leniter febrit. Post hæc eius curationem prosequitur Hippocrates.

Ἐξίσταται τὸ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει. idest, Excidit coxa, & rursus incidit.] Ita ut facile os exeat, facileq; introducatur. Hippocrates in libro De luxatis, hoc humiditati attribuit, præsertim quando hoc est absq; inflammatione, & idem facit in hoc aphorismo dicens, τούτοισιν μύξαι ἐπιγίνονται. Noster antiquus codex legit ἐγγίνονται, quod ad Hippocratis sensum nihil facit, idest, Iis mucores superueniunt, uel congeniti sunt. Nam ut in libro De luxatis inquit, de Ischia, idest coxa loquens, inquit, Quibus autem foras sine inflammatione crebrius excidit, hi liquidiore & humidiore crure utuntur, sicuti manus pollex, qui maximè suapte natura excidit, quibusdam facilius uel difficilius, quibusdam spes est, uel metus celerius excidere, quibusdam sæpius excidit, & plura alia ibi de hac re ab Hippocrate dicuntur. tu librum illum integrum lege, si tibi menti sit coxendicis luxationem ad libellam intelligere, & etiam aliorum ossium: sed hoc os absq; inflammatione excidere debet, & sine aliquo casu, si mucores esse prædicere debeat. Sunt uero mucores humidæ materię pituitosæ, glutinosæ, mucis similes, quas Hippocrates hic μύξας uocauit: nunc recentes greci genus quoddam prunorum μύξαν appellant, quod uulgus sebesten nominat, & istud ob hanc rationem, quia uisci quoddam genus ex eo fiat. hic autem ambigere poteris, an hic de uera ossis luxatione sermo sit, an non. Respondemus, luxationem (ut idem Hippocrates in libro De luxatis docet) in coxa quadrupliciter fieri in interiorẽ partem, & hoc frequentius fit quàm aliqua alia, Recentes dicunt in partem domesticam fieri; in quo casu crus longius efficitur: quandoq; fit in exteriorem partem, tamen rarius contingit, & tunc crus est breuius, quandoq; in anteriorem uel posteriorem partem fit, quod rarissime contingit. Tamen alter est modus, quo potest rotundum fœminis caput à cotyla, quæ est coxæ sinus, ita excidere ut laxetur articulus, non luxetur, quod Recentes elongationem neruorum appellant. Arbitror Hippocratem in hoc aphorismo hunc excidendi modum potissimum intelligere, quãuis & ad omnes alias luxatiõis species ampliari possit. Sed hæc luxatio à pituitosis humoribus atq; humidis potissimum fit, qui mucorum naturam habent. luxationẽ, quã exarthrema uocat Paulus, dicit coxę solũ contingere. Tamẽ & nos experientia uide-

tia uidemus coxam pararthremati, idest luxationi subiacere. nam luxatur, & exit cotylam, atque ingreditur etiam nullo adiuuãte in aliquibus pueris, qui à principio ita habẽt. Opus igitur est de patientibus exarthrema, idest, luxationem, & pararthrema, idest, in coxẽdice laxationem, aphorismũ intelligere, quoniã utrunque ex muccosis & pituitosis humoribus cõtingere potest. Tamen quia ab Hippocrate dicit̃ excidere & incidere, qđ sæpe fieri oportere significat, propterea ipsum potius intelligo in pararthremate, idest, laxatione, quàm luxatiõe. sed tã laxatio, quàm luxatio claudicare faciunt. Galenus præterea in cõmentatione ostẽdere uidetur sermonẽ esse de laxatione, & non de luxatione. In laxatione etiam fit lõgius crus, sed non per illum modum, per quẽ longius fit, quando in anteriorem partem luxatur, sed eo solum modo, quo ligamenta longiora efficiuntur.

GALENVS

SÆPE in articulis humor pituitosus aceruatur, quem muccorem appellant, à quo madefacta articulationis ligamenta laxiora redduntur, atque ideo facile à cauitate articulus excidit, & rursus non cum difficultate incidit, quæ nunc ait accidere his qui ita morbo laborant coxendicum. Quando autem coxam ait excidere, articulum coxę debemus intelligere, quomodo etiam in libro de articulis dicebat: Humeri articulum uno modo noui lubricare, ac si dixisset articulum secundum humerum.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, sæpe in articulis pituitosum humorem aceruari, quem μύξαν, idest muccum uocant, à quo madefacta ligamenta laxiora redduntur, & propterea à cauitate sua facile excidunt, atque incidunt. nunc ista contingere dixit ijs qui ita dispositi sunt.

Quod legitur, quæ nunc ait accidere ijs qui ita morbo laborant coxendicum, græce habetur, ἃ δὴ καὶ νῦν φησὶ τοῖς οὕτω διακειμένοις συμβαίνειν ἰσχιαδικοῖς. idest, Quæ nunc ait accidere ijs qui ita dispositi sunt in coxendicum dolore.

SECVNDO Galenus docet, cum dicitur coxam excidere, coxæ articulum intelligendum esse, sicuti ab Hippocrate in libro De articulis dictum est: humeri autem articulum uno modo noui lubricare, ac si dixisset articulum secundum humerum.

APHORISMVS LX

QVibuscunque à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si non urantur.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus præcedenti iungendus est, ut Galenus in commentatione faciet, eius uero sententia talis est: qui diu coxendicũ dolore afficiuntur, & excidit coxa, et etiã incidit, crus tabescit: quoniã tota hęc pars imbecillis facta est, & ligamẽta ob intensum dolorem, & ob muccores, quos in pręcedenti aphorismo superuenire dicebat, & ob frigiditatem inductam, quo illorum meatuũ obstructiones fiunt, per quos nutrimentum ad cruris partes deferri oporteret, hique claudicant. nam hac parte imbecilliore reddita supra quam totum corpus firmari debet, & cum coxa simul acetabulum exiuerit, claudicare necesse est nisi urantur. nam per ustionem pituitosæ materię resoluũtur, & crus fortius redditur, atque ligamenta, & obstructi meatus aperiuntur: propterea per hunc curationis modum sanari possunt, & non per alium. Tamen Paulus Aegineta libro sexto capite 120. oppositum dicere uidetur. nam dicit, eos quibus diu exciderit coxa, non posse sanari. hoc tamen non est aphorismo oppugnans, quia nunc excidere posset, & longum præfuisse dolorem.

ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος φοχλουμένοισιν χρονίως. idest, Quibuscunque à coxendicum dolore infestatis diuturno.] Vt hæc particula diuturno coxarũ dolorem determinet. nam non est opus, coxam iamdiu exiuisse, sed tunc exiuisse satis est, & hoc factum sit absque inflammatione, & absque casu, sed sponte ex emollitione in loco ob humores superuenientes facta, qui ligamenta irrigant, & emolliunt.

τὸ ἰσχίον ἐξίσταται. idest, Excedit os coxæ uel coxa.] Exit inquam proprium acetabulum ratione humidorum humorum, qui illuc decurrerint.

τούτοισι φθίνει τὸ σκέλος. idest, Iis crus tabescit.] Idest, extenuatur, & nutrimentum non recipit, ob imbecillitatem & obstructionem à pituita factam, quæ nutrimentum ad crus ire non sinit, unde extenuari opus est.

Καὶ χωλοῦνται. idest, Et claudicant, ob imbecillitatem, quam in crure habent, potissimum in coxa. & Hippocrates in libro De locis in homine, dicit: cumque humoris plurimum illuc defluxerit, multum claudicant: cum parum, non adeo afficiuntur. Notaque nullum esse remedium, quo curari possit, quia sunt confirmati, præter id quod ab Hippocrate statim dicitur.

Εἰ μὴ καυθῶσιν. idest, Nisi urantur.] Quod fit cādenti ferro, cū hi sunt in hoc confirmati, idque ut Paulus dicit li. tertio ca. septuagesimoseptimo tribus aut quatuor locis fiat. In sexto aūt lib. adustionē supra crus facit. Hippocrates ipse in lib. De morbis qui extra, de coxendicū dolore uerba faciens dicit: si uero locum unum dolor uexet, quem medicamenta non pellant, linamento locum perurito. Aetius libro duodecimo cap. tertio multos ustionis modos in hoc casu refert, qui tum per ferreos cauteres igni candefactos fiunt, tum per ea quibus uice ignis utimur, & quæ uocantur potentialia cauteria, qualia nunc fiunt etiam potentiora quàm antiquitus inuenta essent. Tamē Aetius omnia hæc facit supra coxæ iuncturam, & Celsus libro quarto capite uigesimosecundo dicit: ultimum est, & in ueteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramētis exulcerare. Celsus igitur supra coxam adurit. Hoc dixi quoniam recentes in capitis commissura hoc faciunt. Illud autem est, quando defluxus à capite prouenit. Philotheus & ipse aphorismum hoc modo interpretatur, καὶ διὰ πλῆθος μύξης, ὑπὸ πλεῖον ἐξιστηκὸς μένει τὸ ἰσχίον γίνηται χώλανσις τοῦ σκέλους, ἀκολουθήσει δὲ ἐξ ἀνάγκης καὶ ἀτροφία, ὥστε τῆς κατὰ φύσιν στερηθῆναι κινήσεως. οὕτω μὲν φθίνει τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦται τῶν ἀπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένων, ἐὰν μὴ καυθῶσιν. εἰ μέν τοι καυθῶσιν, οὐδὲν τούτων πάσχουσιν. ἡ γὰρ καῦσις τὴν μύξαν ἐμπίπτουσαν ξηραίνει καὶ ἐκδαπανᾷ, καὶ στερέμνιοι γίνονται οἱ σύνδεσμοι, καὶ τὸ δέρμα, καὶ εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἀποκαθίστανται. καὶ λοιπὸν οὐκ ἔτι ἐκπίπτει ἡ κεφαλὴ τοῦ μηροῦ ἀπὸ τῆς κοιλότητος. idest, Et si ob mucoris multitudinem coxa plena eo quod detritum est manet, cruris claudicatio fiet, sequitur aūt de necessitate & mala habitudo quæ ἀτροφία dicitur. Quamobrem motu secundum naturam priuatur, sic quidem contabescit crus, & claudicat ob ea quæ coxendicem perturbant, nisi urant. Si uero urant, nihil horum patiuntur. ustio enim mucorem illapsum exiccat, & consumit, & solida fiunt ligamenta & cutis, & in id quod est secundum naturam restituuntur, & deinceps coxæ caput à cauitate amplius non excedit.

GALENVS

HVNC aphorismum non debemus à superiore seiungere, sed ipsum cōiungentes, ita unum audire sermonem. Vult enim dicere quòd à coxendicum morbo molestatis, quibus propter muccoris multitudinē articulus excidit & rursum incidit, necessarium est processu temporis os contabescere, nisi prius urendo muccorem exiccemus, quod in libro de articulis consulit fieri in brachio iugiter excidente. nam & nunc eadē est sermonis uis, cū ipse suadeat aduri quod secundum coxā, ut in lib. de articulis docebat, ut & id quod muccosum absumatur, & ut laxitas cutis ad quā articulus lubricabat, magis ex adustione cōtracta, arctet, & prohibeat trāsponi. Quod si ob multitudinē muccoris extra suum locū diu coxa steterit, est quidē iam hoc cruris claudicatio, necessario contabescet, ut etiā alijs solet accidere priuatis motibus qui illis sunt secundum naturā.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum nō esse à præcedenti seiungendum, sed illi hoc modo continuandū: à coxendicū morbo molestatis, quibus ꝑpter mucoris multitudinem articulus excidit, & rursus incidit, necessariū est processu tēporis crus cōtabescere, nisi prius urētes mucorē exiccemus. quod in li. De articulis Hippocratē docuisse testatur Galenus in brachio iugiter excidēte: sed inquit, eandē esse uim sui sermonis hic in coxa, quæ aduri debet, ut id quod muccosum est, absumatur, & cutis laxitas, propter quā articulus lubricabat, ex adustione contracta magis arctet, & transponi prohibeat.

Vbi legitur

Vbi legitur, Necessarium est processu temporis os contabescere, legendum est, crus, non os: nam grece habetur, ἀναγκαῖον δὲ χρόνῳ φθίνειν τὸ σκέλος. idest, necessarium est processu temporis crus contabescere.

SECVNDO docet, Si ob muccoris multitudinem, diu coxa extra suum locum perseuerauerit, hæc est claudicatio, & crus non nutrietur, ut alijs partibus contingere solet, quæ suis motibus secundum naturam priuantur.

Quod legitur necessario contabescet, græce est ἀκολυθήσει δὲ ἐξ ἀνάγκης αὐτῇ καὶ ἀτροφία. idest, consequetur autem & ipsi ex necessitate innutritio, uel (ut Plinius exponit hoc uerbum ἀτροφία) non sentire nutrimentum.

Quod etiam legitur, Vt etiam alijs solet accidere, legendum est, ut etiam alijs omnibus solet accidere. Græce etenim est, καθὸ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν.

SEXTI LIBRI FINIS.

AD MAGNIFICVM COMITEM BONIFACIVM BIVILAQVAM COMPATREM CARISSIMVM, ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS.

NVLLVS EST in hac inclyta urbe Magnifice Compater, quantumuis à Musis & Gratijs auersus, qui te non colat, ueneretur, ac obseruet. Id uero potissimum faciunt litterarum cultores, quibus liberali quodam animo faues, quorum dignitatem, quãtum in te est, tueris & amplificas. Quid igitur ego acturus sum, cui tuæ præstantes uirtutes ex longa consuetudine, quàm alteri cuiquam notiores sunt: & tui probissimi mores familiariter perspecti, ex illa, quę iam diu inter nos coaluit, amicitia: non possum te nõ summopere amare, suspicere, atque obseruare, & ueluti tuba & clarissimo præconio de te passim prędicare, tuaque gesta promulgare. At cum hæ amoris, & beneuolentiæ coniunctiones nullius prope momenti esse uideantur: certe nõ adeo sint futurę diuturnę, nisi aliquo certo testimonio innotescant: propterea ut animum nostrum (quem tamen scio te iam diu, uel à primis radicibus, ut quidam inquiunt, nouisse) certius ac illustrius cognoscas, statuimus hunc septimum laborem tibi inscribere ac dicare: tibi inquam benemerenti, & qui gratiam aliquam ipsi operi tuo iudicio es allaturus. Accipe igitur Compater Magnifice munusculum hoc, non quidem te tanto uiro dignum, sed qualecunque ab amiculi manu prodire poterit. Speramus tamen tibi non displiciturum, nõ tam suo genio, suaque elegantia, quàm tua singulari humanitate ac modestia: tum ob uehementem, quo me prosecutus es amorem. Qualecunque ergo sit hoc munus, speramus te læta fronte accepturum. Quod si feceris, & nos interim alia forte in tui gratiam meliora moliemur. Vale mi Compater benignissime.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN SEPTIMVM LIBRVM APHORISMORUM Hippocratis & Galeni, Commentaria & Annotationes.

IN HOC SEPTIMO APHORISMORVM LIBRO multa ab Hippocrate edocentur, & illa quidem adeo distincta, ut certum aliquod dici non possit quod agatur. Tamen in ipso nihil ferè scriptum est, quin ad prædictoriam partem duci possit, propterea hic uniuersus liber prognosticus censendus est. etenim plura quæ in Prognosticorum libro ab Hippocrate dicta sunt, referuntur, & idem plerunqꝫ repetit quod in alijs libris prædictum erat, multosqꝫ superuenientes morbos enarrat. Nos uero Hippocratis seriem interpretandam suscipiemus, si prius Galeni præfationem exponemus.

GALENVS

OMNES ferè qui antea scripserunt expositiones aphorismorum, circa initia quidem, ultra id quod utile fuerit, sermonem extendunt, sed in processu remittũtur, ita quòd primũ quidem ad utile tantum progrediuntur, mox citra hoc, & tandem supra modum abbreuiant expositiones, adeo quòd neqꝫ animaduertãt plures aphorismos esse nothos, & in propatulo falsos. Verum ut qui sunt in disputationbus fatigati prompte ad omnia annuunt, ita & ipsi omnes admittũt quoscunqꝫ scriptos inuenerint aphorismos, & ad ultimam ueniunt in suis expositionibus breuitatẽ obliti prioris loquacitatis. Nos uero & alias ipsorum absurditates conati sumus euitare, & omnes ex æquo studuimus facere expositiones, quæ & ueritatem, & artis intenderent utilitatem, & interpretando neqꝫ ad extremam se breuitatem contraherent (Hoc enim libro conuenit non libri expositioni) neqꝫ ad tantam prolixitatem, quantam illi faciunt in principio expositionũ protraherentur. Optimum uero in sermonibus omnibus, quod & seruat mediocritatem in una quaqꝫ tractatione, hoc à principio usqꝫ ad finem seruare laborauimus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus interpretum quorundam morem arguit, qui in suarum commentationũ principijs sermonẽ suum etiam præter utilitatẽ extendunt. deinde in progressu solum utilia ponunt. cum mox magis progrediuntur, adeo expositiones abbreuiant, ut nihil ferè in ipsis considerent; nec animaduertant, plures aphorismos nothos esse, alios in propatulo falsos. Sed hi ita faciunt, ut illi qui in longis disputationibus sunt fatigati, hi enim ad omnia annuunt, ita & ipsi omnes admittunt, quoscunqꝫ scriptos inuenerint aphorismos, & ad ultimã ueniunt in suis expositionibus breuitatẽ, cum tamẽ in principijs fuerint loquacissimi, nec considerãt an sentẽtię sint Hippocrate dignæ, uel nõ sint.

Quod legitur adeo quod neqꝫ animaduertant plures aphorismos esse nothos, legi debet quosdã aphorismos. græce enim est ὡς μὴ δὲ ὅτι νόθοι τῶν ἀφορισμῶν εἰσιν ἔνιοι, idest, Adeo ut neqꝫ animaduertant quosdam aphorismos esse nothos.

SECVNDO docet, se expertũ esse alias horũ absurditates euitare, & studuit omnes suas expositiones ex æquo facere, quæ & ueritatem, & utilitatem artis intenderent. ut dum interpretaremur, ad extremam breuitatem non ueniamus, quia hoc non conuenit expositioni, sed libro, neqꝫ etiam faciamus tantam prolixitatem, quantam illi faciunt in principijs suarum expositionum. Nam nos studuimus seruare id quod est optimum, & in omni re, & in omni tractatione, scilicet mediocritatẽ seruare. Hoc igitur & Galenus, & nos in nostra commentatione usqꝫ in finem seruare contendemus.

APHORISMVS I

IN morbis acutis frigus partium extremarum malum.

BRASAVOLVS

MORBI acuti breues sunt, ac uehementes, & raro fiunt, quin febrem non intermittentem iunctam habeant. Si quis tali morbo affectus sit, conueniens est totum corpus incalescere, nisi facta sit in uisceribus inflammatio, ad quã sanguis totius corporis fluat. tunc enim extrema sanguine priuata atque calore manent, sed extrinsecæ partes, ad quas sanguis & humores omnes confluunt, uruntur. unde cum in morbo acuto extremarum partium frigus persenties, de hoc patiente male iudicato, quia opus est magnã esse in uisceribus inflammationẽ, & uires imbecillas. Galenus libro tertio in primum Epidemiorum ad hoc propositum dicit, extremorum frigus à morbi initio, simul cum uehemẽtissima febre factũ, summe perniciosum est indiciũ. sed hoc ferè idem in nõ intermittẽte febre ab eodem Hippocrate aphorismo quadragesimo octauo quarti libri scriptũ est. nam qui in febribus non intermittentibus, exteriores partes frigidas habẽt, necessarium est, ut interiores habeãt calidas, & siti premantur, quod experiẽtia constat. nam extrinsecæ partes frigidę persentiuntur, præsertim extrema, sed intus ipsi dicũt persentire ustionem & calorẽ uehementissimũ. Celsus quoque lib. secundo ca. octauo in fine, ubi de notis quę in quoque morbi genere, uel specie pericula ostendunt, inquit periculum mortis esse, si in magno dolore extremæ partes frigeant. & in fine decimiquarti capitis eiusdem libri dicit: in malis iam ægrum esse testatur, ubi exterior pars corporis friget, interior cũ siti calet. immo & ipse Hippocrates uigesimosexto huius libri aphorismo de particulari morbo acuto agens dicit, in forti dolore uentris partium extremarum frigiditas malum. Galenus uero in eodem loco aphorismi causam facit, magnam in uisceribus inflammationem. Immo & Celsus lib. secundo ca. quarto de malis ægrotantiũ signis uerba solũ faciens nõ dicit malũ esse si extrema frigeãt, & intrinseca sint calida, sed & è contrario si extrema calida sint, & uentrẽ, atque latera frigeãt. eius uerba hęc sunt: mali etiã morbi signũ est, nimis celeriter emacrescere, caput, & pedes, manusque calidas habere, uentre & lateribus frigentibus, aut frigidas extremas partes acuto morbo urgente.

Philotheus uero hic dicit περὶ τῶν ἐπιγινομένων διαλέγεσθαι. idest, de superuenientibus disputari. de his uero ipse in præcedenti libro disseruit, & ea τετραχῶς. idest, quadrupliciter dici exposuit.

Ἐν τοῖσιν ὀξέσιν νοσήμασι. idest, In morbis acutis.] In illis inquam qui cum febre sunt, immo & Philotheus febres ipsas acutas intelligit, inquiẽs, ὑποτίθεται οὖν ἐνταῦθα νόσημα ὅπερ ἐστὶν ὀξὺς πυρετός, καὶ ἐπὶ τούτου σύμπτωμα, ὅπερ ἐστὶν ψύξις ἀκρωτηρίων. idest, hic igitur supponit morbum, qui est febris acuta, & in hac symptoma, quod est extremitatum frigus. Tuque per morbum acutum illum intellige, qui uehemens est, & qui sæua habet symptomata, uel dolorem, uel anxietatem miram.

Ψύξις ἀκρωτηρίων. idest, Frigus partium extremarum.] Philotheus ita exponit frigus partium extremarum, τουτέστι δακτύλων, ῥινός, ὤτων, καὶ ἁπλῶς τῶν ἐπιπολαίων μορίων ἄνευ φανερᾶς αἰτίας. idest, hoc est digitorũ, narium, auriũ, & simpliciter superficialiũ partium sine manifesta causa. nam si manifesta causa adesset, ut si aqua frigida se abluisset, aut in loco frigido & detectus permansisset, nõ esset adeo malũ. Sed cũ Recentes dicãt frigus hoc priuatiuum esse, nos illud facimus, & uerũ, & positiuum frigus, ex caloris defectu factum. nam & hic imbecillis est, & calor naturalis simul cũ sanguine & spiritibus intus ad inflammationem retractus est, uel ad dolorem, quando dolor ob aliam causam, quàm sit ipsa inflammatio, adfuerit.

Κακόν. idest, Malum.] Quia significat uirium defectum, & morbi intensionem. unde & Philotheus dicit, κακὸν ἐστὶν καὶ ὀλέθριον, δηλοῖ γὰρ ἀσθενὲς εἶναι τὸ ἔμφυτον θερμόν. οἶδε γὰρ ὁ πυρετὸς κατασβεννύναι αὐτό, ἢ φλεγμονὴ ἀξιόλογος ἐν ἥπατι καὶ τῇ γαστρί, ἥτις τῇ ζέσει δίκην σικύας ἕλκει τὸ αἷμα πρὸς ἑαυτόν, κἀντεῦθεν λειπόντα τὰ ἄκρα ψύχεται. idest, Malũ & perniciosum, ostenditur enim naturalem calorem imbecillem esse. febris etenim ipsum restinguere nouit; uel inflãmatio memorabilis in iecore & uentriculo, quæ feruore more cu-

curbitulæ

cucurbitulæ ſanguinem ad ſe ipſum trahit, & ideo extremæ partes derelictę infrigidantur. Scito autem de hac extremorum frigiditate, quandoq; dici ab Hippocrate malum quandoq; letale, quicquid uero dicatur, nihil refert. quoniã & cum letale dicit Hippocrates, neceſſario mori non intelligit, ut in quarto libro Galenus bis docuit.

GALENVS

IN morbis diuturnis, qui præſertim ſunt ſine febre, & hyeme, & ætate ſenili partes extremas corporis, ueluti nares, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri nihil abſurdum. Non tamẽ in acutis eſt mediocre malum, ſed caſus ſatis exitialis, quod magnis accidit uiſcerum inflammationibus. Acutos autem ipſe ait uocari morbos quorum febres magna ex parte continuæ ſunt, in quibus cum fuerint ſine magna inflammatione, nedum extrema frigeſcere, ſed exuri contingit. Cum uero inflammationis calor adeo uehemens fuerit, ut ad ſe trahat per modum cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinẽ, his qui ita ſe habent uiſcera peruruntur. Extremæ autem partes frigeſcũt propter defectum ſanguinis ad uiſcera ſe recipientis, & eorum pleriq; neq; tegumenta tolerant propter incendium quod in uiſcere ſentiunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in diuturnis morbis, pręſertim qui ſine febre ſunt, non eſſe abſurdũ in hyeme, & ætate ſenili extremas partes, hoc eſt nares, aures, pedes, & manus frigidas fieri, propterea ab Hippocrate non ab re dictum eſt, in acutis morbis.

SECVNDO docet, hoc in acutis non eſſe mediocre malum, ſed ſymptoma exitiale. nam iſtud in uehementiſſimis uiſcerum inflammationibus contingit.

Vbi legitur, Quod magnis accidit uiſcerum inflammationibus, legendum eſt quod uehementiſſimis accidit uiſcerum inflammationibus. nam græce dicitur *φλεγμοναῖς σφοδροτάταις σπλάγχνων ἐπιγινόμενον.*

TERTIO docet, ab Hippocrate illos uocari morbos acutos, qui ut plurimum habent febres non intermittentes ſimul annexas, in quibus etiam ſi inflammatio nõ ſit magna, non ſolum non frigent extrema, ſed peruruntur.

QVARTO docet, cum accidat inflammationis calorem adeo uehementem fieri, ut ex ſe ſanguinẽ ex toto corpore ueluti cucurbitula trahat, his uiſcera peruruntur, & extremæ partes frigeſcunt ob ſanguinis defectum, qui ad uiſcera ſe recipit, & ex his aliqui neq; tegmẽta tolerare poſſunt, ob incendiũ, quod in uiſcere eſt. Adde, naturã ad locum illum dolore affectũ ſanguinem & ſpiritum tranſmittere, etiã ſi locus ille nõ attraheret, ut malo occurrat. Adde, uires ipſas, quæ tunc neceſſario imbecillæ ſunt.

APHORISMVS II

IN oſſe ægrotante caro liuida malum eſt.

BRASAVOLVS

IN humano corpore oſſa omnia carne contecta ſunt, præter dentes. Si igitur os ęgrotet, & caro quę os tegit liuida effecta ſit, malum eſt. Nempe ſignificat in oſſe putrefactionem eſſe peſſimam, & naturalis caloris quandam ueluti extinctionem & defectum.

Ἐπὶ ὀστέῳ νοσήσαντι, ideſt, In oſſe ægrotãte.] Quæcũq; ſit illa oſſis ęgritudo, uel fractio, uel putredo, uel ſimile quid. Celſus capite ſecundo octaui libri de omnibus oſſium ægritudinibus hæc dicit, Omne autem os ubi iniuria acceſſit, aut uitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut loco mouetur. Id quod uitiatum eſt, primo ferè pingue fit, deinde uel nigrum uel carioſum.

Σὰρξ πελιδνή, κακόν, ideſt, Caro liuida malũ.] Niſi oſſa fracta ſint, uel colliſa, uel ſciſſa, uel à ſuo loco dimota, nihil aliud poteſt ipſis contingere, quin & carni contingat, & prius caro fuerit male affecta: uel raro eſt quod oſſa putredine afficiantur, niſi ortũ habuerint à carne. unde & à Celſo prædicto loco dicitur, quæ ſupernatis grauibus ulceribus aut fiſtulis, hiſq; uel longa uetuſtate, uel etiam cancro occupatis, eueniunt. Cum ergo os male affectum eſt, & ſuperiorem carnem liuidam uideamus, ſignũ eſt putredinis, &

naturalis caloris defectus, & putredinis etiã ossis effatu dignę: quia opus nos intelligere carnẽ ratione ossis liuidam effectã esse, & nõ ratione propria, nec etiã ab extrinseco, ut à percussione, uel à re aliqua simili. & ideo hoc malũ est, quia malã putredinẽ in osse significat, & etiam talem, quæ carnem putrescere faciat. postea è contrario caro in os reaget, & os ipsum magis putrefieri faciet, quàm si ex se ipso corruptionem haberet. Philotheus malum esse dicit, quoniam δηλοῦται σβέσις δὲ τῆς κατὰ φύσιν ἐν τοῦ θερμασίας, καὶ κακόηθες εἶναι τὸ νόσημα. idest, declaratur hic caliditatis secundum naturam extinctio, & morbum mali habitus esse. Scito etiam multa alia esse signa, quibus deprehendi potest, os corruptũ esse, uel quæ mala sint in osse corrupto, ut sunt loci fetor, nimia carnis mollities, sensus in carne superiori, uel ablatus, uel hebetior redditus. Celsus octauo libro capite secundo in hoc casu hęc dicit: oportet autem ante omnia os nudare ulcere exciso. intellige uero totum illum liuorem esse hulcus. postea sequitur: & si latius eius uitium est, quàm hulcus fuit, carnem subsecare, donec integrum os undiq; pateat. de liuido colore in quarto libro egimus, is est qui plumbo assimilatur.

GALENVS

NON enim in mediocribus ossium lęsionibus, sed fortibus putrilaginibus, talis species coloris circũstãtibus aduenit carnibus, extincto in eis scilicet calore natiuo.

BRASAVOLVS

DOCET in præsentiarum Galenus talem coloris speciem, scilicet liuidam in carne fieri non posse, nisi adsit putrilago uehemens. nam in mediocribus putrilaginibus, & in mediocribus ossium læsionibus hic color fieri non potest, nec aduenire consueuit. etenim fit in eis extincto calore natiuo, propterea opus est esse magnam putrilaginem, quę etiam carnem corruperit, & eius natiuum calorem extinxerit. hic uero per colorem pallidum etiam subnigrum intelligimus, & nigrum & uiridem, & omnem breuibus colorem, qui naturalis caloris mortificationem significet.

APHORISMVS III

A uomitu singultus, & oculorum rubor, malum.

BRASAVOLVS

SI contingat aliquem euomere, tunc materiæ, quæ in uentriculo sunt, expurgantur. At si post uomitũ singultus, uel fit, uel iam factus perseueret, & simul sit cum oculorum rubore, prauum signum est. nam ex his abscessum, uel in cerebro, uel in uentriculo esse significatur. nempe uomitus materias illas, quę in uentriculo sunt, euacuans, à singultu potius liberare deberet. cum uero hoc non faciat, necesse est aut cerebrum quod est neruorum principium, aut uentriculum pati non mediocrem inflammationẽ. At ex horum duorum membrorum passionibus, & singultus fiunt, & circa oculos rubores, tamen hi magis sequuntur cerebri inflammationem, quàm uentriculi.

Ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ. idest, A uomitu singultus.] Ac si dicat singultus qui uomitum sequitur, malum est, ut particula ἐπὶ pro post interpretanda sit, non tamẽ quod sit opus quando uomit, singultum habere: quia uel habeat, uel nõ habeat, modo uomitũ sequatur, malum est. unde & Celsus capite quarto secundi libri de malis ægrotantium signis agens hunc aphorismum ita refert. multa mali morbi signa affert. postea hoc addit aut post uomitum singultũ esse, uel rubere oculos. ipse uertit particulã ἐπὶ, idest post. Si uero singultus uomitũ sequatur, necesse est secũdum Galenũ, aut cerebrũ, aut uentriculum inflammationem pati. propterea malum est. At nos alio etiam modo interpretemur: cum uomitus materias in uentriculo existentes euacuet, conueniens est ut illas excellenter euacuet, quare uentriculi partes adeo exinanitas relinquit, ut in singultum ex inanitione incidant. Cum uero singultus sit conuulsionis species, & conuulsio ex inanitione mortalis sit, etiã singultus hic malus erit, ut totã malitiæ causam in id solũ referamus, quod fiat ex inanitione conuulsio, & non quod ob repletionem sit facta in uentriculo inflammatio, quæ singultum excitet. tamen si more Galeni intelligere placeat, nihil refert. In

singultu

ſingultu etiã ex inanitione oculi rubri fieri poſſunt ratione cõpaſſionis. Philotheus hoc modo exponit: ἔμετος καὶ λύγξ ἄμφω πάθος ἐστὶν στομάχου, ἀλλὰ διαφέρει τῷ τόπῳ. ἐπὶ γὰρ τοῦ ἐμέτου ἐν αὐτῇ τῇ κοιλότητι τοῦ στομάχου ἐστὶν ἡ ὕλη. ἐπὶ δὲ τῆς λυγγὸς ἐν αὐτῇ τῇ οὐσίᾳ τοῦ στομάχου. ἐὰν οὖν ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ ἐπιγένηται, κακόν, ἐπειδὴ ἀπὸ ἀκυρωτέρου μορίου λέγω δὲ τῆς κοιλότητος, ἐπὶ κύριον μόριον, ἤτοι ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ στομάχου μετῆλθεν ἡ ὕλη. idest, uomitus, & ſingultus ambo ſtomachi paſſiones ſunt, ſed loco differunt. in uomitu enim materia eſt in ipſa ſtomachi cauitate, at in ſingultu in ipſa ſtomachi ſubſtantia. Si igitur poſt uomitum ſingultus ſuperueniat, malum, quoniam à parte nõ principali, dico à cauitate, ad principalem partem, ſcilicet defertur, ideſt materia in ſtomachi ſubſtantiam tranſit: propterea inflammationem inducit, uel abſceſſum, & hoc per ſe eſt malum, etiam abſq; oculorum rubore. nam à Galeno hoc addi dicitur ut augeatur affectio.

Καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροί, κακόν. ideſt, Et oculi rubri, malum.] Non eſt autem opus oculos ſemper eſſe rubros: ſed ſi ſint, malũ eſt. Celſus diſiungit dicẽs, uel oculi rubri. poſſunt aũt oculi rubri fieri & cum materia, & ſine materia, & à cauſa extrinſeca, & ab intrinſeca, de quo rubore perplura in tertio li. egimus, cũ de lippitudine ſermonẽ habuimus. hic oportet ſecundum Galenũ de rubore intelligere ex fumis eleuatis facto, uel ab inflammatione, quę in uentriculo ſit, uel à diſpoſitione, quæ in cerebro ſit, inflammationi ſimilis. Philotheus uero ſentire non uidetur, quod inflammatio ſit aliquo pacto in cerebro, ſed ex uentriculo compati cerebrum affirmat, & propterea oculos fieri rubros. eius uerba hęc ſunt, καὶ μὴν καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ ἐπιγινόμενοι ἐπὶ ἐμέτῳ κακόν, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. συνέπαθε γὰρ ὁ ἐγκέφαλος τῷ στομάχῳ φλεγμαίνοντι, καὶ δῆλον ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν. οὗτοι γὰρ δεξάμενοι τὴν ὕλην καὶ διατεθέντες ὡσαύτως ἐρυθροὶ γίνονται. ideſt, & certe oculi poſt uomitum rubri ſuperueniẽtes, malum, ob eandem cauſam. Cerebrũ enim uentriculo inflammato compatitur, & id manifeſtum ex oculis. hi enim materiam ſuſcipientes & ab ipſa affecti, eodem modo rubri fiunt. ut Philotheus unum ſignum ab alio diſtinguat, quod ante ipſum fecerat Galenus: etenim malum eſt, ſi poſt uomitum ſingultus fiat, & malum, ſi poſt uomitum oculi rubri efficiantur, & perſeuerent. nam ſi non perſeuerarent, malũ non eſſet, ſed id ſolum ex uomitus uiolentia conſecutum eſſet. At ſi utrunq; adfuerit, peius eſt.

GALENVS

QVALIS paſſio eſt conuulſio muſculis, talis eſt ſingultus ſtomacho, qui humoribus infeſtantibus aduenit, nonnunquam totum ipſum uentriculum, nõnunquam os eius, & gulam: quos per uomitiones abijciens, ſtatim à ſingultu liberatur: qui ſi neq; per iſtas ceſſauerit, duorum alterum oſtendit, uel ſcilicet cerebrum neruorum principium, uel uentriculum pati non mediocrem inflammationem. Rubor uero oculorum utranq; ſequitur diſpoſitionem, ſed præcipue illam, quæ in cerebro exiſtit ſimilis inflammationi.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, talem fieri paſſionem ſtomacho ſingultum, qualis conuulſio eſt paſſio muſculis.

Quod legitur, Talis eſt ſingultus ſtomacho, lege talis fit ſingultus ſtomacho. nam gręcę legitur τοιοῦτον ἐν τῷ στομάχῳ γίνεται ἡ λύγξ. ideſt, Talis fit ſingultus in ſtomacho.

SECVNDO docet, ſingultũ fieri quandoq; totum uentriculum humoribus infeſtantibus, quandoq; os uentriculi, & gulam. at quando hoc contingit, iubemus fieri uomitum, ſi ſponte non fiat. ut his materiebus euacuatis, ſtatim à ſingultu liberetur.

Quod legitur, Nonnunquam totum ipſum uentriculum, nonnunquam os eius, & gulam, græce eſt ποτὲ μὲν ὅλην τὴν κοιλίαν, ὡς τὰ πολλὰ δὲ τό τε στόμα, καὶ τὸν στόμαχον αὐτῆς. ideſt, quandoq; quidem totum uentriculum, ut plurimum autem os uentriculi, & ſtomachum, uel ut Leonicenus, gulam. nam quod gręci uocant Oeſophagum & ſtomachum, latini gulam & fiſtulam cibalem dicant.

TERTIO Galenus docet, Si ob uomitum ſingultus non ceſſauerit, unum duorum neceſſario oſtendi, uel cerebrum, quod eſt principium neruorum, uel uentriculum pati non mediocrem inflammationem.

QVARTO docet, oculorum ruborem ad utranq; ſequi diſpoſitionem, ſed illam præſertim ſequitur, quæ in cerebro eſt, inflammationi ſimilis.

APHORISMVS IIII

A sudore horror, non bonum.

BRASAVOLVS

CVM natura iudicationem aggreditur, si perfecta esse debeat, opus est in finem usque perseueret. Cum igitur aliquis æger sudauerit, & natura ab hoc opere cesset, & materias illas, quas expellere deberet, retrahat, illæ inquam horrorem faciũt, quod malum est: quia significatur aut naturam impotentem esse ad expellendam materiam, aut esse tantam copiã, ut magna pars intus manens horrores faciat. Celsus capite quarto secundi libri hunc aphorismum ita refert. primo ponit multa mali morbi signa, inter alia dicit: aut post sudorem horrescens, scilicet malum signum est.

Ἐπὶ ἱδρῶτι, idest, A sudore.] Hoc est post sudorẽ, qui sit iudicatorius, & in die etiam iudicatorio, in quo natura omnem uim suam ponit, ut materias per sudores emittat, & emittere non potens, supra musculos manent, & horrorem faciunt.

φρίκη, idest, Horror.] Ita Theodorus atque Leonicenus interpretantur, & ante hos uiros Celsus, qui etiã id quod à Græcis ῥῖγος dicitur, horror, uertit. Nos alias docuimus hæc tria per ordinem se habere περίψυξις, ῥῖγος, φρίκη. idest, frigus, rigor, & horror, si recentes sequamur, si Celsum, frigus, horror, inhorror, ut per hoc nomẽ maius quid denotetur, quàm sit horror. Philotheus ita hic dicit ὁ ἱδρὼς ἐπιγινόμενος ἀπαλλαγὴν φέρει νοσημάτων, πλὴν ἀλλ' οὐχ ὁ τυχὼν, ἀλλ' ὁ προνοίᾳ φύσεως γινόμενος. ἐὰν οὖν ἱδρὼς γένηται, καὶ οὐκ ἀκολουθήσει εὐφορία, ἀλλὰ μᾶλλον φρίκη, κακόν ἐστιν. δηλοῖ γὰρ ὕλης πλῆθος ὑποκειμένης, καὶ λόγῳ κακοηθείας γίνεσθαι τὸ νόσημα. idest, sudor superueniens morborum liberationẽ fert. At non quicunque contingens, sed qui à prouidentia naturæ factus est. Si igitur sudor fiat, & non sequatur alleuatio, sed horror potius, malum. ostendit enim subiacentis materiæ multitudinem, & morbum ratione mali habitus fieri.

οὐ χρηστόν, idest, Non bonum.] Dicere autem noluit malum esse: quia aliquo interueniente casu, & si bonum non erit, tamen nec malum dici poterit.

GALENVS

QVOD iudicatoria quæ non iudicant, partim mortalia, partim male iudicãtia sunt, ab ipso dictũ est, quoniã natura in huiuscemodi dispositionibus morbo succũbit.

BRASAVOLVS

GALENVS hic docet, aliàs dictum esse, iudicatoria quæ non iudicant, partim esse letalia, partim male iudicare: & ratio est, quia in his dispositionibus, in quibus ita contingit, natura succumbit morbo: etenim contra naturam agere non potest, contra quam si potuisset, sudorem expulisset, & rigores non inferret.

APHORISMVS V

A furore difficultas intestinorum, uel aqua intercutem, uel mentis alienatio, bonum.

BRASAVOLVS

SI QVIS furore, quem græci μανίαν dicunt, captus sit, & intestinorum difficultas superueniat, materia, quæ furorẽ faciebat, diuertitur, atque euacuatur. At si fiat aqua intercus, saltem diuertitur. si uero ex furore fiat ecstasis, idest mentis alienatio, materia furorem faciens ad coctionẽ uelociter mouetur: propterea quodcunque horũ sequatur, bonum signum est. nam significat, uel diuerti, uel euacuari, uel concoqui materiam.

Ἐπὶ μανίῃ, idest, à furore, uel mania, uel in ipso furore.] Fit aũt furor (ut liber Galeni introductorius Galeno adscriptus docet) ex bile flaua superassata, unde & Philot. dicit κυρίως μανία ἐκ ξανθῆς χολῆς πλεοναζούσης ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ γίνεται. idest, furor propriè ex flaua bile redundante in cerebro fit. intellige uero flauam bilem superassatam esse.

Δυσεντερίη, idest, Intestinorũ difficultas.] Quæ cum post furorẽ fit, uel in ipso furore

materiam à capite ad infernas partes diuerti significat, atq; euacuari, quod bonũ est. Superius uero dictũ est, intestinorum difficultatẽ quandoq; à bile flaua ortũ habere, quandoque ab atra, & illa est ualde sæua, quæ ab atra bile fit ex bile superassata. hoc igitur erit bonũ ratione furoris, at ratione difficultatis intestinorũ non erit bonũ, quia intestinorũ difficultas est morbus satis sæuus. Philotheus hoc modo sequitur, ἀλλὰ αὕτη ἡ ὕλη εἰ ἐκρυῇ πρὸς τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα, ποιεῖ δυσεντερίαν, idest, Sed ipsa materia, si ad uentrem & intestina defluxerit, intestinorũ difficultatem facit, tamẽ soluit furorem. Celso etiam libro quarto capite tertio dicente, Aluus quoq; ducta sæpe superiores partes resoluit.

ἢ ὕδρωψ. idest, uel aqua intercus.] hæc quoq; affectio materiã à capite diuerti significat. non fit aũt aqua intercus ex materia illa biliosa superassata, sed quia illa tendit ad iecur, & eius uim concoctricẽ adeo subuertit, ut malas coctiones incipere faciat, & cõsequẽter aquam aggregare incipiat. unde & à Philotheo dicitur: εἰ δὲ πρὸς τὸ ἧπαρ, ἀσθένειαν ποιεῖ τῆς αἱματοποιητικῆς δυνάμεως καὶ ὕδρωπα ἐργάζεται μέτριον, idest, Si uero ad iecur (scilicet materia illa quę furorẽ faciebat decurrat) potestatis sanguinẽ facientis imbecillitatẽ facit, & aquã intercutẽ inducit mediocrẽ. hocq; bonũ est ratione furoris, tamẽ non simpliciter bonum, quia significatur naturam robustam principalẽ partem exonerare.

ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν. idest, uel mentis alienatio, bonum.] Galenus, & alij interpretes uolunt ecstasim, idest, mentis alienationem esse passionem intẽsiorem, quàm sit furor. hoc autem bonum est, licet sit morbus intensior, quia causæ efficientes uehementiori motu mouentur, & morbum ita finire faciunt. Galenus in introductorio sibi adscripto uidetur furorem ἐκστάσεως speciem facere. Verba eius hæc sunt τῆς δὲ περὶ τὴν διάνοιαν ἐκστάσεως, δύο μὲν τὰ ἐξέχοντα εἴδη, μανία τε καὶ μελαγχολία, idest, duæ quidem sunt alienationis mentis insignes species circa mentis excursum, furor, & atra bilis. Tamen credendum est, quod in hoc loco Hippocrates aliud diuersum intellexerit à furore, uel maius quid secundum Galenum, ut uocabulum ecstasis significare uidetur, et hoc sit bonum, quia acceleret sanitatem & aliquid minus, quod scilicet minus malum sit, quàm furor. Si antiquiores percurramus, quid de ecstasi loquantur, apud eos, hos phanaticos nuncupari inueniemus. nam aliqui erant, qui circa templa discurrentes uaticinabãtur, postquam tympanorum, tibiarum, aut cymbalorum sonitum audiere. & in nostris sacris literis illi sunt ecstatici, qui diuino afflati spiritu extra se rapiuntur, ut de diuo Paulo legitur. unde & diuus Augustinus in sua supra psalmos interpretatione dicit: ecstasis excessum mentis significat, quæ fit uel pauore, uel aliqua reuelatione in qua omnes sancti fuere, quibus arcana Dei mundum istum excedentia reuelata sunt, ita ut de eorum memoria laberentur interna. Nos igitur in proposito intelligamus ἔκστασιν, maiorẽ morbum esse, quàm furorem, sed breuiorem, & qui coctionem & iudicationem acceleret, propterea bonum esse. unde & à Galeno in Definitionibus sibi adscriptis definitur ἔκστασις per ὀλιγοχρόνιον μανίαν, idest, ad breue tẽpus furorẽ. Philotheus hic dicit ἔκστασιν δὲ ποιεῖ, τουτέστι κίνησιν καὶ ταραχὴν μέλλουσαν κρίνεσθαι κατὰ τὸ εἰρημένον, ὁκόσοισι κρίσις γίνεται, ἡ νὺξ δύσφορος, ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ. idest, Mentis alienationem uero facit, hoc est motum & perturbationem iudicium facturam, secundum quod dictum est, Quibuscunque iudicatio fit, his nox difficilis ante accessionem. unde Philotheus per ecstasim perturbationem talem intelligit, qualem illi habẽt, quibus statim futura sit crisis: de qua nocte nos in secundo libro abunde scriptum reliquimus. & non intelligit aliquam mentis alienationem, quæ sit longe maior quàm μανία, idest, furor. Infertq; Philotheus, ἐὰν οὖν τι τοιοῦτον ἐπὶ μανίᾳ γένηται, ἀγαθόν ἐστιν. ἀπὸ κυριωτάτου γὰρ μορίου τοῦ ἐγκεφάλου, ἐπὶ ἀκυρώτερον μετήνεγκται ἡ ὕλη. idest, Si igitur in furore tale quid fiat, bonum est, à cerebro enim principalissima parte, ad minus principalem materia conuertitur. Nec ego possum à Philothei sententia digredi. nam satis absurdum uidetur, Hippocratem uoluisse, bonum esse si maius malum accrescat: quamuis excusationem illam habeamus, esse quidem maius, sed postea breuius, & finit cum ea mentis alienatione simul furor.

GALENVS.

DIFFICVLTATEM quidem intestinorum, uel aquam intercutem, transmutationis ratione, esse furoris sanationem, non est extra rationem, cum à capite noxij

humores transferantur ad inferiora. Mentis autem alienatio tantũ abest, ut sit furoris so lutio, quod quispiã magis diceret esse incremẽtũ, & quidẽ si uere Hippo. continuũ, atq; uehementẽ furorem alienationẽ mẽtis nominauit. Quẽdã nouimus à furore mediocri quo prius detinebatur fuisse liberatum, unde ratiotinando perpendimus ex uehementi motu causarum efficiẽtium furorem, solutionem fuisse subsecutam, quemadmodum in morbis acutis, uehementissimi casus solent aliquando bonas crises operari.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, rationabile esse difficultatẽ intestinorũ, & aquam intercu tem esse furoris sanationẽ ratione trãsmutationis materiȩ ad has partes, quia humores à capite ad infernas partes transmittantur, sed de alienatione mentis non solum non uide tur quod sit furoris solutio, immo potius uidetur esse furoris augmentum.

SECVNDO ambiguitatem soluit inquiens, Si Hippocrates uehementem furorẽ, & continuum, ἔκστασιν, idest, mentis alienationem uocauit, nos unum uidimus qui à fu rore mediocri quo detinebatur, ἐκστάσει, idest, uehementer furore superueniẽte liberatus est. unde ex hoc nos collegimus, ob uehemẽtem motum causarum furorẽ efficientium solutionem subsecutam fuisse, ut in acutis morbis plerunq; contingit, quod symptoma ta uehementissima solent quandoq; bonas iudicaiones facere.

Quod legitur, Quendam nouimus, lege, Sic quendam nouimus, Grȩce enim est, οἴδαμεν οὕτω τινά.

APHORISMVS VI.

IN morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sincerae, malum.

BRASAVOLVS

IN morbo diuturno, tali uictus genere uti debet æger, ut in finẽ usq; perdurare pos sit. nam diuturnus morbus quadragesimum diem excedit. Si quis ergo sit, cui in morbo diuturno satietas quædã superuenerit, & cibi fastidiũ, & præter hoc, ea quæ excernit, sin cera sint, humiditati non mixta, hæc malũ portendunt, & de isto sperare non oportet, quoniã uis appetitiua imbecilla effecta est, & intrinsecæ partes exustæ sunt. In sexto etiã libro aphorismo tertio malum esse iudicauit in longis intestinorum difficultatibus ine dias ex fastidio, utiturq; eodem loco, sicuti & hic uocabulo ἀποσιτίη.

ἐν νόσῳ πολυχρονίῃ. idest, In morbo diuturno.] cuiuscunq; generis sit hic morbus uel intestinorum difficultas, ut in sexto libro: uel sola febris, uel quæcunq; alia passio etiam sine febre.

ἀποσιτίη. idest, Fastidium cibi, uel appetitus deiectio,] cibum quodãmodo uidere nõ posse, malum. nam uirtutis cõcoctricis imbecillitas significatur, & tunc potissimũ pra uum signum est, quando id simul fuerit, quod sequitur. Philotheus uero dicit malũ esse cibi fastidium διότι ἡ δύναμις ἐκ ταύτης ἀσθενὴς ὡς οὐ δύναται ἔτι πλείονα χρόνον αὐταρκέσαι, ἢ καὶ μέχρι ἀπαλλαγῆς τοῦ νοσήματος. idest, Quoniam uis ex hac imbecillis effecta, ad lon gius tempus sufficiens esse non potest, uel usq; in morbi liberationem.

Καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες κακόν. idest, Et deiectiones sincerȩ malum.] ac si dicat, fasti dium cibi malum est, sed longe peius est, si deiectiones sinceræ fuerint. Galenus uocat sinceras deiectiones illas quæ non sunt mixtæ aquosȩ humiditati, sed sunt puræ, uel mo do sit bilis flaua, uel atra, uel prasinea, uel illa quæ æruginí assimilatur, semper unus so lus humor ab Hippocrate sincera deiectio uocatur: quæcunq; prædictarum sit, omnem naturalem humiditatẽ à febrili calore exustã esse significatur. Antiqua translatio non le git, deiectiones sinceræ, sed legit Deiectiones cholericæ. Idemq; in codice Græco hago nensi habetur, scilicet καὶ χολώδεες ὑποχωρήσιες, idest, biliosæ deiectiones: quod etsi uerũ sit, nã biliosæ deiectiones malũ portendunt: tamen Hippocrates ita arcte non loquitur: quia & multa alia excrementa pura id facere possunt. Philotheus ita exponit, malũ esse deiectiones sinceras, διότι δηλοῦσιν ἀσθένειαν παντελῆ τῆς δυνάμεως, μηκέτι κατεχούσης ὡς λοιπὸν ἐπὶ φύσιν τὰ διαχωρήματα φέρεσθαι. idest, Quoniam ostendũt perfectã potentiæ im becillitatẽ non amplius alterantis, neq; amplius concoquẽtis, neq; amplius cõtinentis, ut deinceps

ut deinceps secundum naturam deiectiones deferantur. unde nihil prohibet per sinceras deiectiones illas intelligere, quæ non sunt alteratæ, sed est cibus parum, uel nihil immutatus, quod ostendit adhuc maiorem uirtutis imbecillitatem.

GALENVS.

FASTIDIVM cibi ipsum per se ipsum prauũ est signũ in morbis diuturnis. Nã in his qui à talibus morbis sunt euasuri, contrarius affectus solet accidere, uehemens scilicet ciborum appetentia. Quare cibi fastidium haud quaq̃ bonum est signum. Multo uero magis quando fuerint prauę deiectiones. Sinceras uero deiectiones nominauit impermixtas aquosæ humiditati, qm̃ solus humor euacuatus deicitur, siue sit biliosus, siue melãcholicus, siue porri colorẽ præseferẽs, siue bilis quæ eruginosa nominatur. Nã deiectiões huiuscemodi exustã esse oẽm natiuã humiditatẽ à calore febrili demõstrant.

PRIMO Galenus docet, ἀσιτίαν, idest, cibi fastidium in longis morbis per seipsum esse prauum signum, & si non adfuerit aliud symptoma.

SECVNDO docet, Illis qui in morbis longis sanari debent, non contingere cibi fastidium, sed potius oppositum, scilicet uehementem ciborum appetentiam: unde fastidium cibi non est bonũ signum, sed multo peius est, quãdo deiectiones sinceræ fuerint.

TERTIO docet, Illas uocari sinceras deiectiones, quæ non sunt mixtæ aquosæ humiditati. Sed is humor qui euacuatur, sit solus, quicunq; ille sit, uel biliosus, uel atrabilarius, uel prasinus, uel æruginosus, quoniam istæ deiectiones ostendunt omnem natiuam humiditatem à calore febrili esse exustã. nam humores ab ipso enumerati sunt ex adustione facti, quamuis prasinus & æruginosus color possint etiam fieri ex frigiditate, ut apparet in parietibus quos sol illustrare non potest, & in humido loco siti sunt. Tamen hi humores ex frigiditate facti biles dici non poterunt, sed humores qui potius erunt pituitosi.

APHORISMVS VII

EX multa potatione rigor, & desipientia, malum.

BRASAVOLVS

SI quis ex multa uini potatione desipiat, non mirum: quia fumi, qui ex uino eleuantur simul cum spiritibus & sanguine caput implent, calefaciunt, & phantasiã, atq; communem uocatũ sensum corrumpunt. Sed mirũ in hoc est, quod rigor contingat, qui ex frigore fieri solet, & inq̃ ex frigore. nam nimia uini copia natiuũ calorẽ suffocat atq; extinguit, qui suffocatus calorẽ à uino inductũ per corpus non defert, sed potius extrema frigent, & rigores ac tremores fiunt: non quod hi, cũ insaniãt, id dicere sciant sese rigere, sed assistẽtes extremitatũ frigus persentiũt, & ipsum tremere uidẽt: hocq; malũ esse certũ est, cũ significet caloris natiui suffocationẽ & defectũ. Nec mirũ sit si uinũ calidũ rigorem, & frigus inducat, cum Galenus libro secundo De morborũ causis idẽ facere calorẽ & frigus hoc exẽplo utens ostẽdat. Magna quidẽ lignorũ strues, si cõfertim exiguæ flãmæ inijciatur, ob immodicæ quantitatis excessum, eã suffocabit. At si nulla penitus, aut pauca admodũ ligna suppeditabis, tabescere flãmã uidebis. unde & Aristoteles tertio Problematũ libro problemate primo dubitat Cur uinũ, cum calidũ sit, uinolẽti non calẽt, sed frigent, & dolore laterũ, cæterisq; huiusmodi uitijs excipiũtur. Respõdet, An quod multũ humoris cũ refrigeratũ est, multũ frigoris cõcipit, ita ut calorẽ superet naturalẽ: fit etenim simile intrinsecus carni, ut si uestis nimio madefacta humore, rigorem proinde acrius frigoris admittat. Idẽ proponit in quinto problemate eiusdẽ libri, sed in quarto problemate diffusissime hãc rẽ peragit, ita dubitãs, Cur ebriosi tremũt, & eo magis quo liberalius merũ hauserint. absurdũ eñ id esse uideri potest, quandoquidẽ uinũ calefaciẽdi uim habeat, & tremor ex frigore præcipue soleat prouenire. Itaq; qui rigent maxime tremũt, sed tamen multi cũ mero tantũ cibi gratia uterẽtur, tremores uehementes adeo excẽperũt, ut homines premẽtes reijcerẽt, & aqua perfusi calida nihil sentirẽt. Idẽ repetit problemate uigesimoquarto eiusdẽ libri, quod ostẽdit Aristotelẽ librũ illum non expurgasse mẽdis, nã quater eandem cantilenã non cecinisset. Omnes tamen solutiones

tiones

tiones in hoc uergũt, quod naturalis calor suffocatur, propterea post multũ potũ rigor malũ, et desipiẽtia. q̃uis desipiẽtia simpliciter nõ esset magnũ malũ. Tu Aristotelis solutiones cõsidera: nã in huius aphorismi explicatiõe, & copiosissimus & cõfusissimus est.

ἐκ πολυποσίης. idest, ex multa potatione,] scilicet uini, nõ aquæ. Multa tamẽ sunt ceruisiarũ & zythorũ genera, quę ferè ęque inebriãt ut uinũ facit, tamẽ uino nihil excellentius, & quod hominibus æque placeat. Cũ uero Hippocrates simpliciter dicat potationẽ, de uini potatione, & nõ aquæ (ut notat Galenus) intelligere oportet, q̃uis nõ addat uinũ, quia ille effectus, scilicet desipiẽtia, non fit ex aqua, q̃uis rigor ex aqua fieri possit.

ῥῖγος. idest, Rigor.] qui fit, quoniã naturalis calor à nimia uini copia ingesti suffocatũ, & per rigorem frigus intelligo atq; tremorẽ, ut Aristoteles etiam in problematibus ampliat. Ipse enim tam de frigore, quàm de rigore & tremore dubiũ facit. Philotheus uero dicit rigorem fieri ὑλῶν θερμῶν δριμέων τε καὶ δακνωδῶν κεχυμένων ἐπὶ τὰ προαιρετικὰ μόρια καὶ αἰσθητικὰ τῇ θερμότητι τοῦ οἴνου. idest, calidis materiebus, acutisq;, & mordicantibus ad rationales & sensitiuas partes uini caliditate diffusis.

Καὶ παραφροσύνη, κακόν. idest, & desipiẽtia, malum.] præsertim si adfuerit rigor, nam rigore absente non est adeo malũ. At tu ne intelligas desipientiã confirmatã, sed talẽ, qualem habent ebrij, de quibus Aristoteles tertio Problematũ differẽs dubitat, cur magis errent qui non sunt exquisite ebrij, quoniã de ebrijs exquisite dici non potest quod desipiant, cum sint ueluti lapides sopiti, tamẽ & in his uerũ est si rigeant, esse malũ: immo & magis malũ quàm in semiebrijs, qui lingua errãt. nam hi qui sunt perfecte ebrij, ampliorẽ uini copiã ingessere, quæ naturalẽ calorem facilius suffocare potuit. Aphorismus ergo de utrisq; ebrijs, scilicet & de his qui perfecte ebrij sunt, & de semiebrijs intelligi potest. ueruntamẽ cum de perfecte ebrijs dici non possit, quod desipiãt, propterea Hippocratẽ de his potius intelligamus, qui non sunt exquisite ebrij. Philotheus dicit desipientiam in his fieri τῇ οἰκείᾳ θερμότητι τοῦ οἴνου, ἐπὶ θερμὴν δυσκρασίαν τρεπομένου τοῦ ἐγκεφάλου, idest, propria uini caliditate, cerebro ad calidam intemperiem conuerso. Deniq; Philotheus infert, ἄμφω οὖν ταῦτα κακὰ ἐπιγενόμενα τῇ πολυποσίᾳ, καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς θερμασίας, idest, Ambo igitur hæc mala superueniunt multæ uini potationi, & ob caliditatis excessum. tamen ratio ultima & uera est naturalis caloris suffocatio, quæ ex copia ingesti uini fit: eo enim ita natiuus calor extinguitur, ut à nimio oleo accensus lychnus suffocatur.

GALENVS

QVOD quidem multa potatio, non aquæ, sed uini potionem significat, unicuique manifestum. Desipiunt autem ex talibus potionibus aliqui capite oppleto plurimo sanguine, ac spiritu calido. Ob hanc ipsam uero causam & calidiores reddũtur, pręcipue quidẽ caput, sed & corpus uniuersum. Pauci enim ex ipsis sunt, qui cũ desipientia rigeant, in quibus calor natiuus non accẽditur, sed ob multitudinẽ extinguitur, sicuti ignis lignorũ multitudine superiniecta, & lucernæ flãma oleo uniuersim superfuso.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hic ab Hippocrate per πολυποσίην, idest, potationem, uini potationem intelligi, & non aquæ, ut unicuiq; intelligenti patere potest.

SECVNDO docet, aliquos ex his potibus desipere, quoniã caput plurimo sanguine ac spiritu calido oppletur, unde & ob hanc causam calidiores redduntur, sed potissimum caput, & etiam totum corpus ex uaporibus uini spiritibus & sanguini cõmixtis.

TERTIO docet, paucos ex his esse, qui cum effecti desipientes rigeant, calor natiuus non sit accẽsus, sed ob multitudinẽ extinguitũ. Sicuti ignis facit, qui lignorũ multitudine superiecta extinguitur, & lucernæ flãma oleo uniuersim superinfuso. Idẽ facit naturalis calor magna uini copia ingesta, quæ ipsum suffocet, & rigores, atq; frigus faciat.

APHORISMVS VIII

A Tuberculi intus ruptione, exolutio, uomitio, aut animi defectio fit.

BRASAVOLVS

IN omni humani corporis parte tubercula fieri possunt, tamen in pręsentiarum Hippocrat

pocrati placuit de eo tumore solum uerba facere, qui in uentriculo est, & hoc ex uomitu ostenditur. nam tumore in quacunq; alia parte disrupto, euomi necessarium non est: nisi quis dixerit etiam in fistula cibali, si rumpatur, uomitũ inferre: sed nos hic per uentriculum, totum intelligimus usq; ad os. Cum igitur tuberculũ intus in uentriculo rumpitur, necessario hæc symptomata consequuntur, exolutio, & animi defectio, quæ sunt symptomata omnibus tuberculorum disruptionibus communia, & uomitio, quod est symptoma proprium ostendens in uentriculo uel uentriculi partibus adesse tuberculũ. Id uero quod euomitur, est pus è tuberculo exiens.

τοῦ φύματος ἔσω ῥήξιος. idest, à tuberculi intus ruptiõe.] hoc est ad tuberculum, quod intus in uentriculo, uel adiacentibus partibus disruptum sit. Illas uero adiacentes partes esse intelligo, è quibus pus manãs in uentriculi fundum colligitur. disruptio autem uel per uim medicamenti facta est, uel à natura ipsa, quæ tuberculum ad caput deduxerit, et deniq; ad exituram. Quid uero sit tuberculum φῦμα à Græcis nuncupatum, satis in tertio libro dictum est. ad hanc disruptionem necessario hæc symptomata consequuntur.

ἔκλυσις. idest, exolutio.] quæ est symptoma consequens disruptionem cuiuscunque tumoris præter naturam, in quacũq; sit parte, modo puris effatu digna copia exeat, quæ exolutio est quidam semidefectus animi, & quæ potissimum fit quando pus uniuersim & affatim exiuerit, simul etenim spiritus exeunt.

ἢ ἔμετος, idest, uel uomitus.] quoniã materia ista quæ abscessum egreditur, à uẽtriculi cauitate rũpitur, & nauseã inducit, ad quã sequitur uomitus. & hoc est propriũ indiciũ, quo significatur abscessum esse in uẽtriculo, uel in partibus ad uentriculũ attinentibus.

ἢ λειποψυχίη. idest, uel animæ defectio.] alij contextus habent λειποθυμίη, idest, animi defectus. eædem sunt passiones ob exitũ spiritus factæ, qui cum pure exit, hæcq; ab exolutione differt, quia magis intensa est. Noster antiquus codex, & ille quem Theodorus atq; Leonicenus habebant, & multi alij, hunc aphorismũ disiunctim legunt, hoc inquã modo, exolutio, uel uomitus, uel animi defectio. tamẽ Aldinus codex copulatiue legit, exolutio, & uomitus, & animi defectio. Necessariumq; (meo quidẽ iudicio) copulatiue legere, quia exolutio, uel animi defectus ad ostendendum esse in uentriculo disruptnm abscessum non sunt satis. nã in quocunq; loco disrũpatur, exolui possunt, & ad animi defectũ puenire. Si disiunctim intelligere uelimus, non est opus nos ad uẽtriculi tuberculum determinare, sed & de alijs partibus intrinsecis est uerũ, nam in alijs partibus exolutio, & animi defectio fiũt. nobis magis placet, quod copulatiue legatur. Philotheus per tuberculum intus, id intelligit, quod uel in uentriculo, uel in thorace fit. eius uerba hæc sunt, τὸ λεγόμενον τοιοῦτον ἐστιν, ὅτι ἐὰν φῦμα τὸ ἔσω, εἴτε ἐν τοῖς θρεπτικοῖς, εἴτε ἐν τοῖς ἀναπνευστικοῖς τυχὸν ἐπὶ τὴν γαστέρα, ἢ τὸν θώρακα, καὶ ἐξαίφνης ῥαγῇ, φέρεται τὸ πῦον ἐπὶ τὸν πνεύμονα, καὶ τὴν καρδίαν ἢ ποιότης τις ἐξ αὐτοῦ, καὶ ποιεῖ ἔκλυσιν, καὶ λειποθυμίαν. ταῦτα οὖν πάντα χαλεπά, πλὴν Ἱπποκράτης ὡς ὁμολογούμενον οὐκ εἶπε. idest, Quod (in aphorismo scilicet) dictum est, tale est, Quod si tuberculũ intus, siue in his quæ nutriunt, siue in his quæ respirant partibus, fortuitu ad uentriculũ uel thoracẽ, & repente disrumpatur, pus ad pulmonem, & ad cor fertur, uel aliqua qualitas ex ipso, & exolutionẽ facit, atq; animi defectum. hæc igitur omnia infesta, ueruntamen Hippocrates non dixit, tanq; confessum. Forte de omni tuberculo intrinseco intelligi posset, de illo quod in uẽtriculo est per uomitum, de illo quod in alijs partibus per exolutionẽ & animi defectum. In iecore enim & liene dissolutionẽ, in thorace animi defectũ, & quãdoq; mortẽ, in uẽtriculo uomitũ inducit. Nos illustrissimũ Alphonsum Ferrariæ Ducẽ in cura habuimus, in cuius uentriculo tuberculũ disruptũ est, hic habuit copulatim omnia symptomata enumerata, immo & mentis alienationẽ, & alia multa symptomata, & secũda die à disruptione mortẽ.

GALENVS

TVBERCVLVM nominauit, quod in alijs ipse solitus est uocare suppurationem. Intus uero ipsius ruptionem, ad uentriculum dicit, ad hanc enim consequitur uomitus, sicuti tuberculorum in thorace, atque pulmone ruptio, non uomitiones, sed ex necessitate quidem tussim excitat, sed sæpius etiam strangulat, quemadmodum suppurationum ad intestina ruptiones, puris faciunt deiectionem. Commune aũt omnium

ruptionum

ruptionum est exolutioq́; et animi defectus, propter uitalis spiritus excretionem, ut alibi à nobis est demonstratum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, φῦμα, idest, tuberculũ hic ab Hippocrate dici, non id quod proprie phyma dicitur, idest, tuberculum cito ad exituram ueniẽs, sed suppurationem, idest, quodcunq; genus tumoris, quod ad suppurationem uenerit.

SECVNDO docet, ruptionem intus intelligendam esse ad uentriculum, quoniã ad hanc consequitur uomitus. Sicuti ad ruptionem tuberculi in thorace & pulmone non sequitur uomitus, sed bene tussis, & sępe strangulat: & sicuti quando suppuratio in intestinis fit, puris deiectio sequitur, propterea opus est intelligere disruptionem in uentriculo factam.

TERTIO docet animi defectum, & exolutionem esse cõmunia symptomata omnium ruptionũ, quoniã uitalis spiritus cum pure simul excernitur ut alias ab ipso superius demonstratum est.

APHORISMVS IX

A Profluuio sanguinis, desipientia, ac conuulsio, malum.

BRASAVOLVS

A QVACVNQVE nostri corporis parte sanguis adeo copiose profluxerit, ut desipientiam faciat, malum est: quia id fieri non potest, nisi uires imbecilles effectæ sint. Si etiam ex profluuio conuulsio contingat, malũ esse constat: quia est ex inanitione conuulsio, de qua & in quinto libro aphorismo tertio dicebat, Vbi sanguis plurimus fluxerit singultus aut conuulsio suprauenienis, malum. hic uero desipientiam addit, de qua in quinto libro mentionem non fecerat.

ἐπὶ αἵματος ῥύσει. idest, A sanguinis defluxu.] hoc est, post sanguinis defluxũ, sit à quacunq; parte, uel à naribus, uel ab hęmorrhoidibus, uel ob illatũ uulnus, & copiose fluat.

παραφροσύνη. idest, Desipientia.] per quam intellige uniuscuiusq; uirtutis intrinsecæ iudicatiuæ defectũ, qui defectus ex uirium imbecillitate consequitur. imbecillitas uero ex sanguine amisso fit, propterea Hippocrates in fine primi libri De morbis, dicit, Sanguis qui in homine est, plurimã prudentiæ partẽ confert, quidam totum dicũt. Non est aũt hęc desipientia, de qua hic sermo est, uel furor, uel ecstasis, sed potius obtusio quędã intellectualiũ uirtutũ, ad quã sensuum etiã obtusiones consequũtur. Quendã uidimus, qui ob defluxũ sanguinis nariũ obijt, hic anteq; obierit, ad insensibilitatẽ quandã ferè et corporis stuporẽ deuenerat, nullaq; medicamẽtorum ope iuuari potuit, tamen probos medicos habebat, & doctiores qui tunc Ferrarię extarent, cum semper alma patria nostra probissimis medicis scateat. Alium uidimus, cui temporũ uenę abscisæ fuere, & hic conuulsus mortuus est, cum nullo præsidio, nec igne sanguis restingui & sisti potuit.

Καὶ σπασμὸς, κακόν. idest, Et conuulsio, malum.] utrunq; per se malũ est, sed si ambo in uno reperiantur, peius. hæc autẽ conuulsio est ex inanitione intelligenda, quã Galenus putauit sanari non posse. Philotheus idem sentit inquiens, ἐνταῦθα λέγει ὅτι ἐὰν αἱμοῤῥαγία γένηται δὲ οἵου δήποτε μορίου τοῦ σώματος, ἐπὶ ταύτῃ ἀκολουθήσει σπασμὸς, κακόν. οὐ γὰρ ἐπὶ πληρώσει ἕπεται, ἀλλὰ ἐπὶ ξηρότητι. εἰ δέ ποτε καταξηραινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἀγρυπνίας δηλονότι προγεγονυίας τῇ κενώσει, γένηται καὶ παραφροσύνη, ἔτι πλέον κακόν. i. hic dicit, quod si profluuiũ sanguinis ex aliqua corporis parte fiat, & ex hac cõuulsio consequetur, malum. non enim ex plenitudine, sed ex siccitate sequitur. Si autem exsiccato cerebro (uigilia uidelicet superueniente euacuatione) fiat & desipientia, etiam maius malum.

GALENVS

HIC aphorismus magnam nobis affert utilitatem ad persuadendũ, quod aliquando fiat desipientia ex defectu, quo manuũ, ac pedum tremores. Hæc siquidẽ membra propter potentiæ ipsa mouentis imbecillitatem infirmas habent motiones, & cerebrum uacillat, propter quod neq; uehemens est hoc desipientiæ genus, sed mediocris, atq; ut quispiam diceret delirantis. Ipse siquidem solet mediocrẽ insaniam, deliriũ nominare. Si ergo cõuulsio aliquando tali desipiẽtię cõiungatur, omnino salus est desperata.

Quædam

Quædam igitur exemplaria cum Et, coniunctione scripta sunt. quædam uero cum illa, quæ ob disiunctiua nominatur, Vel: secundum quam, etiam desipientia non bonus est casus post sanguinis fluxum, etiam si sola contigerit: multo autem magis conuulsio, uel si absque desipientia facta fuerit. Maximum uero malum est ambarum conuentus, quando & ex immoderata euacuatione cõuulsio casus est admodum exitialis, nam desipientia minus mala est.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nos ex hoc aphorismo hanc utilitatẽ habere, quod ex eo persuadere possumus, desipientiam aliquando ex defectu fieri, eo modo quo manuum & pedum tremores fiunt: nam hæc membra, ob potentiæ imbecillitatem ipsa mouẽtis, motus imbecilles habent, & cerebrum uacillat: unde & hoc desipientiæ genus, de quo hic mentio fit, non est uehemẽs, sed mediocre: ac si ipse dixerit delirium, quippe mediocrem insaniam solet Hippocrates nominare delirium.

Quod legitur, Quo manuum & pedum tremores: legi debet, Simili modo quo manuum & pedum tremores. nam Græce habetur, παραπλησίως τρόπῳ τοῖς περὶ κῶλα τρόμοις. Vbi per κῶλα, pedes & manus intelliguntur.

Quod etiam legitur, Delirantis: Græce est, ληρώδης. Et quod dicit, Delirium: Græce est, λῆρου. Hoc autem uocabulum λῆρος, nugas significat: & ληρώδης, nugator. Vnde & apud Aristophanem in Pluto habetur, λῆρου λήρεις, idest Nugas nugaris. Tamen Leonicenus egregie ad aphorismi propositũ, deliriũ interpretatus est; quod forte ex nugarũ genere cognoscitur: nam hunc nugari audientes statim dicimus desipiẽtia captum esse.

SECVNDO docet, si conuulsio aliquãdo tali desipientiæ iuncta fuerit, salus est omnino desperata. Quædam sunt exemplaria quæ copulationẽ Et, habent; alia habẽt Vel: sed etiam si desipientia sola sit, non est bonum symptoma post sanguinis fluxum. Conuulsio uero si sola facta sit, est multo peior desipientia. At si ambo conueniant, maximũ malum est: quoniam cõuulsio ex immodica euacuatione simpliciter symptoma est ualde letale, etenim desipientia minus mala est.

APHORISMVS X

AB ileo, uomitus, singultus, desipientia, uel conuulsio, malum.

BRASAVOLVS

RARISSIME fit ileos, quin illi occumbant, qui ileo correpti sunt: at tunc illos cognosces in summo discrimine esse, quando aliquod horum superuenerit, uomitus, singultus, desipientia, uel conuulsio: nam cum hæc apparuerint, significatur ægritudinem in uigore summo esse, & uires ualde imbecillas. Ex aliquo igitur horum malum prædicere oportet. Peius uero est, si ex his nonnulla iuncta sint: pessimum, si omnia concurrant, & in unum concertent.

ἐπὶ εἰλεῷ. idest, in ileo.] dum hic uehemens dolor uexat. Est autem ileos grauissimus morbus, qui grauissima symptomata secum fert. nam, ut Paulus libro tertio, capite quadragesimoquarto dicit, Miserabili siquidem morte tandem enecantur, eo morbo detenti, alui retrimẽta per os reddentes. unde & Philotheus dicit, εἰλεός ἐστιν ἔμετος τῆς κόπρου. idest, ileos est uomitus stercoris: ac si ipse per stercoris uomitũ ileum definire uideatur. Tamen Galenus hic in Commẽtatione dicit, quandoque ileum sine uomitu esse. Nos uero, usque ad hoc tempus (sunt autem uigintiduo anni, quod hanc artem exercemus) nondum uidimus ileon sine uomitu: fitque, ut dicit Paulus, ex cruditatibus retentis & corruptis, & obstructo excrementorum exitu: fit quandoque ex letalium uenenorum potu: fit & ex intestinis in scrotum descendentibus: fit etiam ex intestinorum inflammatione: & Galenus ut plurimũ ex intestinorũ inflammatione fieri iudicauit. Sunt autem in nostro corpore diuersa intestinorum genera, in tenuibus intestinis fit ileos, ut Celsus dicit capite decimotertio quarti libri, ex inflãmatione. Diocles Carystius tenuioris intestini morbum uocauit χορδαψὸν, plenioris εἰλεόν, ut Celsus notat: tamen, ut deinde dicit, qui suo tempore de hac re loquuntur, morbũ tenuioris intestini εἰλεὸν uocant, plenioris χορδαψόν.

Græci authores non distinguunt ileon in species aliquas ueras: sed id faciunt Arabes: nam Auicenna decimasexta tertij, tractatu quarto, quinque huius passionis species enumerat. una, in qua stercus per os exit cæteris peior. secunda, in qua fetidus sudor per totum corpus. tertia, in qua anhelitus est fetidus. quarta, in qua eructatio est fetida. quinta, in qua exit fetidus flatus per infernas partes. Verum hæc sunt somnia, potius quàm huius passionis species. In ileo enim semper spiritus fetet: & hæc specierũ distinctionem facere non possunt. Celsus exquisitius fecit, qui distinxit non quidem in species, sed in partes ex loco obstructionis: nam si obstructio sit in parte superiori gracilioris intestini, exit cibus per uomitum: si in parte inferiori, exit stercus.

ἔμετος, idest uomitus.] malum signum est, & letale. nam quæ descendere deberent ascendunt. Sed hic dubium fieri posset, an si hi euomant, semper stercus euomant. Respondemus, Celsum egregie scriptũ reliquisse, si in parte superiori sit inflammatio, non exire stercus, sed cibum: si in inferiori, exire stercus. Tamen posset hic ambiguitas incidere, de loco in quo stercus recipit formam stercoris: nam si esset in colo, cum colon sit post gracile intestinum, nunquam uideretur posse exire per uomitum stercus: sed quia hic non est locus disputandi hanc materiam: propterea dicamus, omnino non esse perfectum stercus, sed cibum corruptum, qui nondum stercoris perfectam formam acquisiuerit. Stercus enim in intestinis formam acquirit, & ultimam perfectionem habet in colo. Nos in his quos ex ileo curauimus, fetidissimas materias exire uidimus. Recentes hanc passionem ex sui uehemẽtia uocant, Domine miserere mei. An uero hæ materiæ, quas exire uidebamus, essent perfectum stercus, an non essent, iudicent alij. Id certum est, tetrius olere, quàm stercus. credo ob corruptionem additam: erantque stercore liquidiora in mediocritatem redacto. Celsus præcitato loco dicit, in ileo adijcitur periculo uomitus biliosus, mali odoris aut uarius aut niger.

λύγξ, idest singultus.] Et ipse malus est, quippe qui fit ex compassione oris uentriculi: sicuti etiam uomitus fit ex compassione magna uentriculi, adeo ut uentriculus ipse pati uideatur. Nos semper uidimus in his euomentibus alui recrementa speciem aliquam singultus habere: unde in hoc morbo ut plurimum simul iunguntur uomitus & singultus. Philotheus dicit, εἰ οὖν ἅψηται τῆς οὐσίας τῆς γαστρὸς ἡ κόπρος, δῆξιν ποιοῦσα λύγγα ποιεῖ. i. si igitur stercus uentriculi substãtiam attigerit, morsus inducens, singultum facit.

Παραφροσύνη, idest desipientia.] Quæ & malum est, nam ea significatur nocumẽtum cerebro communicari. unde & à Philotheo dicitur, εἰ δέ ποτε ἀτμοὶ δριμύτεροι ἀνεχθῶσιν ἄνω παρὰ τὸν ἐγκέφαλον, εἰ μὲν παρὰ τὴν οὐσίαν αὐτὴν χωρήσουσιν, παραφροσύνη γίνεται. idest, si autem quandoque acuti uapores sursum ad cerebrum elati fuerint, siquidem ad substantiam ipsam peruenerint, desipientia fit. tamen non solum ex uaporibus ascendentibus hoc fit, sed etiam ex compassione: quãdoquidem gracile intestinũ, & uentriculus membra neruosa sint, quæ à cerebro ortum habent.

ἢ σπασμός, κακόν. idest, Vel conuulsio, malum.] Fit uero cõuulsio tum quia cerebrum compatitur, quod est neruorum principium: tum ob dolorem pungitiuum, quo neruosa pars afficitur. Philotheus cum dixisset, si fumi illi acuti circa cerebri substantiam uersentur, desipientiam fieri, addit, εἰ δὲ παρὰ τὰ νεῦρα τότε σπασμός. idest, si uero ad neruos, scilicet peruenerint uapores, conuulsio. Tamen non est necessarium hæc omnia in ileo simul adesse: imò Galenus docet, uomitum quandoque abesse: quod tamen nos nondum uidimus, nisi intelligat in remississimis ilei doloribus.

GALENVS

IN ILEIS nihil descendit ad inferiora, & hoc est proprium inseparabile passionis. Vomitus autem non semper adest, sed quando exitiales sunt, & si uehemẽtius distorqueantur, stercus eis ascendit, atque singultiunt. Quidam uero desipiunt, & cõuelluntur compatiente neruorum principio stomachi passioni. hæc uero mihi fieri uidentur intestinis, in quibus passio talis existit, à se expellere stercus appetentibus, quando longitudine temporis cœpit molestare, & non potentibus se exonerare, propter eam quæ facta est in partibus inferioribus obstructionem, sed coactis contra naturam uiolenter moueri, & ad loca superiora materiam noxiam extrudere.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nihil descendere in ileis, imo hoc esse proprium quarto modo huius passionis, ob inflammationem, uel obstructionem tenuioris intestini.

SECVNDO docet, in hac passione uomitum semper non adesse, sed solum adesse, quando sunt exitiales, & si uehementius discrucientur, atque stercus eis ascendat, ac singultiant.

Quod legitur, Et si uehementius distorqueantur, stercus eis ascendit. Græce est, καὶ ἐπὶ πλέον δὲ σπαράττονται, καὶ κόπρος αὐτοῖς ἐπανέρχεται. idest, Et si plus lacerantur, & stercus eis ascendit. Tamen noster antiquus codex in prima lectione ita habet, καὶ ἢν ἐπὶ πλέον δὲ σπαράττονται, κόπρος αὐτοῖς ἐπανέρχεται.

TERTIO docet, quosdam desipere, & conuelli, quia neruorum principium stomacho compatitur.

QVARTO docet, uideri sibi hæc fieri intestinis, in quibus talis passio est stercus expellere appetentibus, quando temporis longitudine uexare cœperit, at non possunt se exonerare ob obstructionem, quæ in inferioribus partibus facta est, unde coguntur uiolenter contrà naturam moueri, & ad superiora loca noxiam materiam extrudunt.

APHORISMVS XI

A Morbo laterali, inflammatio pulmonis, malum.

BRASAVOLVS

VARII sunt huic aphorismo sensus attributi: unus est, si hæc particula Malum, auferatur, sensusq́; sit, pulmonis inflammationem morbum lateralem plerunq́; sequi, & an malum sit, uel non malum, ab Hippocrate non dicatur. Celsus uidetur hanc sententiam sequi: nam capite septimo secūdi libri hunc aphorismum ita refert, Post lateris dolores uitia pulmonū. Constat deinde malum esse, quia pulmonis inflammatio peior morbus est, quàm lateralis morbus: quia materia in pāniculo tegente costas contenta minus periculosa est, quàm in pulmonis substātia. Alter sensus est, addendo particulam Malum, uel non addendo, & illam subintelligētes. Si post lateralem morbum pulmonis inflammatio sequatur malum, quoniam materia de loco minus periculoso in magis periculosum transit, & tunc pulmonis inflammatio laterali morbo aduenire dicitur, & non superuenire. Philotheus idem sentit inquiens, ἡ πλευρῖτις ἐν τῷ τὰς πλευρὰς ὑπεζωκότι ὑμένι γίνεται. περιπνευμονία δὲ ἐν τῷ πνεύμονι. κακὸν οὖν ὑπὸ πλευρίτιδι περιπνευμονίαν γενέσθαι, διότι ἀπὸ ἀκύρου μορίου πρὸς κυριώτερον μεταβαίνει ἡ ὕλη τὸν πνεύμονα. i. lateralis morbus in pellicula subcingēte costas fit. Pulmonis autem inflammatio in pulmone. malum igitur à morbo laterali pulmonis inflammationem fieri, quia à parte ignobili ad magis principalem materia cōuertitur, pulmonem inquam. Tertius sensus est, præsente laterali morbo, pulmonis inflammationem superuenire malum esse: quoniam & notatur adeo magnam materiæ copiam abundare, ut satis sit pro laterali morbo, & pulmonis inflammatione inducenda: & quia malus morbus & sæuus malo & sæuo morbo superadditur.

ὑπὸ πλευρίτιδι. Noster antiquus codex habet, ὑπὸ πλευρίτιδος, idest à morbo laterali, uel in morbo laterali.] Si primam interpretationem sequamur post morbum lateralem pulmonis inflammatio sequetur. Si secūdam, pulmonis inflammatio laterali morbo superueniet, nam illo etiam præsente fiet.

περιπνευμονίη, κακόν. idest, Pulmonis inflammatio malum.] Vel quia morbus morbo addit, uel quia ex minus periculoso in magis periculosum mutatio fit. Celsus libro quarto, capite septimo, huius morbi hanc esse cōditionem dicit, Pulmo totus afficitur. hunc casum eius subsequitur tussis, bilem uel pus trahēs, præcordiorum, totiusq́; pectoris grauitas, spiritus difficultas, magnæ febres, continua uigilia, cibi fastidium, tabes. Id genus mali plus periculi, quàm doloris habet. Hic autem morbus, ut Paulus docet capite trigesimo tertij libri, est pulmonis inflammatio, quæ fit uel ex ualentiore à capite in eam partem destillatione, uel ab angina, uel ab asthmate, uel à morbo laterali, uel ab alijs morbis plerunq́; ortum habet. de ipsa uero superius, his plura egimus.

GALENVS

IN PLVRIBVS quidem exemplaribus, in fine aphorismi adiectum est, malum. In quibusdam uero ita simpliciter scribitur, A morbo laterali inflammatio pulmonis: uolentibus illis, qui in hunc modum scribunt, non quod sit bonum uel malum, pulmonis inflammatio morbo laterali superueniens, ipsum docere: sed simpliciter hoc unum tantummodo, quod morbus lateralis soleat in pulmonis inflammationem transmutari, uel morbo laterali pulmonis inflammatio superuenire. Hæc autẽ transmutatio fit quando priore cessante morbo, aduenit alter. Superuenit autem quãdo altero manente alter adijcitur. uerum hoc in loco uidetur Hippocrates de superueniẽtibus agere, quibus statim hoc inest quod mala sint, adeo quod si etiam hoc uerbum Malum, non adijciatur, uel subaudiendum est, secundum modum à communi dictum, uel potentia ostendi est existimandum. Omnis enim huiuscemodi superuenientium consistentia, neque paruos, neque mites insequitur morbos, sed malos atque malignos. Exempli gratia, statim in dictis in aphorismo passionibus, quãdo non potest is qui morbum facit lateralem in costis humor cõtineri, pars eius aliqua ad pulmonem fertur. Ad inflammationẽ quidem pulmonis morbus lateralis non admodum consequi solet, quoniam si mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per sputum expurgatur: in perniciosis uero, antequam costæ patiantur, strangulat ægrum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat, in pluribus exẽplaribus additam esse particulam Malum, in aphorismi fine: in quibusdam uero nõ additur: uolunt ab Hippocrate dici, neque quod bonum sit, neque quod malum, pulmonis inflammationẽ laterali morbo superuenire: sed hoc solum ab Hippocrate simpliciter dicitur, Morbũ lateralem in pulmonis inflammationem transmutari solere, uel morbo laterali pulmonis inflammationem superuenire.

SECVNDO Galenus docet, quãdo transmutatio fit priore cessante morbo, & alio adueniente, utimur uocabulo Aduenire: at quando primus morbus permanet, & alter etiam fiat, dicitur superuenire.

TERTIO docet, Hippocratem de morbis superuenientibus loqui, ut consideranti præcedẽtes aphorismos, & alios consequẽtes patet. unde Galenus potius laudat, quod intelligamus manẽte laterali morbo, & pulmonis inflammatio superueniat, cui morbo hoc statim inest, quod malus est: propterea superfluum uidetur, si malum addatur, quoniam iam explicatum est, etiam si non adijciatur: nam subintelligere opus est, ut communis est intellectus, & potentia ostenditur.

QVARTO docet, quando morbis alijs morbi superueniũt, suam consistẽtiam non sequi mites morbos, sed magnos & malignos, ut est in præsenti Aphorismo scriptum, quando humor qui morbũ lateralẽ facit, in costis contineri non potest, aliqua eius pars ad pulmonem fertur, & simul cum morbo laterali pulmonis inflammationem facit.

Quod legitur, Sed malos atque malignos: Græce est, ἀλλὰ μεγάλοις τε καὶ κακοήθεσιν, id est, sed magnos atque malignos, non autem malos.

Quod etiam statim sequitur, Exempli gratia: Græce est, οἷον, idest sicuti.

QVINTO, quia aliquis dubitare posset, nunquid ad pulmonis inflammationem lateralis morbus consequatur. Galenus respondet, non admodum consequi solere, licet quandoque possit, sed rarissime. & hæc est causa, quia si pulmonis inflammatio sit mitis, omnis humor noxius per sputum expurgatur. Si uero sit intensa inflammatio & perniciosa, æger strangulatur antequàm materia illuc perueniat, ut costæ patiantur.

Quod legitur, Patiant̃: legi potius debet, Compatiant̃. nam Græce habet, συμπαθεῖν.

APHORISMVS XII

A Pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

BRASAVOLVS

ET HIC morbus ex superuenientibus intelligi posset, & etiam ex aduenientibus: ex superueniẽtibus quidem, ut Galeno placet, si pulmo à calido humore inflammationem

nem patiatur, multi uapores ad caput deferuntur, qui cerebrum implent & phrenitim inducunt: tamen potest & aduenire, si materia transmutatur (quod difficillimum est) à pulmone ad cerebrū, & post pulmonis inflammationē phrenitis sequetur, hoc inquam malum est, quia ad nobilius membrum materia transmutatur. Tamen melius est intelligere quod morbus sit superueniens. Secundam expositionem datam Philotheus sequitur: nam dicit, ἀλλ' ἐνταῦθα κυριώτερον γὰρ μόριον μετάστασις γέγονε τῆς ὕλης. ὅσον γὰρ τὸ περὶ τὰς πλευρὰς ὑπεζωκότος ὑμένος, ὁ πνεύμων κυριώτερος, τοσοῦτον ἐγκέφαλος κυριώτερος. idest, ad principaliorē partem materiæ transitio facta est: quanto enim pulmo principalior est pellicula tegente costas, tāto cerebrum principalius est, scilicet pulmone. Celsus capite septimo secundi libri aduenientem morbum esse indicat, ubi præcedentem aphorismum, & istum ita refert, post lateris dolores uitia pulmonum: post hæc, insania.

ἐπὶ περιπνευμονίᾳ. idest, à pulmonis inflammatione.] Vel in pulmonis inflammatione: de qua aliàs in hoc libro uerba fecimus.

φρενῖτις, κακόν. idest, Phrenitis, malum.] De phrenitide etiam superius abunde disseruimus, quam Celsus insaniam uocant.

GALENVS

QVANDO à calido humore fit inflāmatio pulmonis, quæ multos uapores transmittit ad caput, cerebrum implet uaporibus, & facit phrenitidem, alia autem communia sunt ad prius dictum aphorismum, non huic solum, sed etiam sequentibus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus modum docet, quo fit phrenitis: fit inquam, si à calidis humoribus pulmonis inflammatio fiat: nam tunc uapores multi eleuātur, qui cerebrum petentes ibi conglobantur, & phrenitim faciunt.

SECVNDO docet, esse multa alia communia ad dictum aphorismum, non huic solum, sed etiam sequētibus: unde multa alia sunt, quæ superueniūt, uel superuenire possunt his morbis, & morbis consequētibus in alijs aphorismis: tamen de his solum mentionem facit Hippocrates, qui frequenter contingunt.

Quod legitur, Sed etiam sequentibus: noster antiquus contextus in una lectione eodem modo habet, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐφεξῆς. In alia uero lectione idem legit, quod Aldinus contextus, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐφεξῆς, idest, sed etiam hoc in sequentibus.

APHORISMVS XIII

AB æstibus fortibus conuulsio aut distentio, malum.

BRASAVOLVS

DVPLEX erat huius aphorismi lectio apud antiquos: quidam legebant, Ab æstibus fortibus: quidam, à uulneribus fortibus: quicquid dicatur, uerum est, & in bonum sensum duci potest. Marinus antiquus Aphorismorum interpres intelligebat de uulneribus fortibus: quoniā de capitis ictu aphorismus etiam qui sequitur, pertractat. Illa uero sunt fortia uulnera, quæ in membris maxime sentientibus & principalibus fiunt, & quia difficulter curantur & sæua faciunt symptomata, si in hoc uulnere conuulsio fiat, aut distentio, malum. nam si ex nimia sanguinis euacuatione sint, ex inanitione sunt. hæ uero conuulsiones letales iudicantur. Vnde & in secundo quinti libri aphorismo dicebat, Conuulsio ex uulnere letalis est. At quia posset etiam ex repletione fieri conuulsio ex forti uulnere, in quo sit punctus neruus, & illuc tāta materiæ copia fluxerit, ut facta sit ex repletione conuulsio. Nos uero putamus Hippocratem de uulnere non esse locutum, quia in quinto libro idem fere dixerat: quamuis & si de uulnere intelligamus, uerus sit aphorismi sensus. Alij codices legunt, à fortibus æstibus: quam lectionem Galenus laudat, & ita antiquissimi medici legebant. Tuncq; sensus est, In uehementibus caloribus si conuulsio, aut distentio fiat, malum est: quia necessario sunt ex siccitate & inanitione, hæ uero sunt letales.

ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖς. idest, ab æstibus fortibus.] Vel post fortes æstus. nam Celsus ca-

pite septimo secundi libri hunc aphorismum ita refert, Post magnos feruores corporis, neruorum rigor aut distentio. tamen ipse non dicit, quod malum sit, uel bonum: sed solum hæc sequi, & in illo capite de notis loquitur, quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit. Sed ambigere posses, quid intelligendum sit per fortes æstus: an scilicet caliditates extrinsecæ, uel intrinsecæ. Celsus intelligit, magnos corporis feruores. Per feruores uero apud ipsum, intelligo febres intensas. Quam sententiam & Philotheus sequutus est, inquiens, πυτέσι ἐπι καυσώδη πυρετῷ, διὰ τὸ ἐπὶ ξηρότητι γίνεσθαι. idest, Hoc est ab ardente febre, quoniam ex siccitate fiunt. Alij intelligunt, calores extrinsecos intensos ex aere ambiente: alij, calores ex cauterijs, & candentibus igne ferris factos. Quomodocunq; intelligatur, semper est malum, quando sunt ex siccitate conuulsiones.

σπασμὸς ἢ τέτανος, κακόν. idest, Conuulsio, aut distentio (aut rigor, secundum Celsum) malum.] Nempe sunt ex inanitione, quæ letalia esse Hippocrates prodidit.

GALENVS

MVLTI expositores ita scribi hunc aphorismum cognouerunt. Marinus uero à uulneribus scribit. Et enim sequentem aphorismum ait sibi adstipulari. Verum quidem quod à uulneribus fortibus fiunt inflammationes, ac conuulsiones. Sed quum omnes ferè expositores, præcipue uetustissimi, illam norint scripturam, quæ habet, Ab æstibus fortibus, Melius est, ut nos etiam eandem exponamus. Quidam igitur pro æstibus, febres intellexerunt: nonnulli uero ambientis feruorem ita nominari dixerunt: alij, pro cauterijs & escharis. & omnes uerum dicunt. Superueniūt enim his omnibus haudquaquam ad bonum distentiones ac conuulsiones, propter neruorum siccitatem, quas diximus esse difficillimas.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum à multis expositoribus ita legi, ut superius scriptum est.

SECVNDO docet, Marinum antiquum Aphorismorum interpretem non legere, à fortibus æstibus, sed à fortibus uulneribus. & dicebat sequentem aphorismū huic suæ sententiæ adstipulari: nam de ictu loquitur.

TERTIO docet, id omnino uerum esse, in fortibus uulneribus inflammationes atque conuulsiones fieri. At quia omnes expositores, & potissimum uetustissimi habuerunt hanc scripturam, à fortibus æstibus: propterea ita iubet intelligendum Hippocratem atq; legendum. Celsus, qui longo tempore ante Galenum scripsit, non legebat uulneribus, sed feruoribus.

Quod legitur, Verum quidem quod à uulneribus fortibus. legi debet, Verum quidem quod & à uulneribus fortibus. ubi uides illam particulam Et, esse ferè necessariā, quæ in Græco codice ponitur ita dicente, ἀληθὲς μὲν οὖν καὶ τὸ τοῖς ἰσχυροῖς τραύμασι. idest, Verum hoc & in uehementibus uulneribus.

QVARTO accingit se ad exponēdam illam particulam, ab æstibus fortibus. & notat aliquos per fortes æstus febres intellexisse: alios, aeris ambientis feruorem: alios, cauteria & escharas. iudicatq; omnes uerum dicere: quia ad hæc omnia, conuulsiones & distentiones ex siccitate sequuntur, quas difficiliores esse dixit.

Quod legitur, Difficillimas: Græce est, χαλεπωτάτους.

APHORISMVS XIIII

IN capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum.

BRASAVOLVS

SI QVIS capite percussus sit, & obstupescat uel desipiat, signum est cerebrum esse læsum, quod malum est. nam principalissimum est nostri corporis membrum. Celsus capite septimo secundi libri hunc aphorismum ita refert, Vbi caput uulneratum est, delirium

lirium. Ipſe intelligit delirium ſequi: ſed an bonum uel malum ſit, hoc loco non determinat. Conſtat uero nunquam eſſe bonum, ſacratiſſimā partem atq; perfectiſſimam pati.

ἐπὶ πληγῇ ἐν τὴν κεφαλὴν. idest, In ictu ad caput.] Alij codices habent, ἐπὶ πληγῇ τῆς κεφαλῆς. idest, in capitis ictu: ut Leonicenus uertit. Per ictum uero, percuſſionem intellige, quæ uel contuderit, uel inciderit. Et ſi petas, de qua parte capitis loquatur: nos ſimpliciter in omni parte hoc intelligimus. Tamen Philotheus, particulariter temporales partes ſpecificat, inquiens, δηλοῖ γὰρ τοὺς κροταφίτας μῦς πεπονθέναι. τούτων γὰρ πληττομένων, συμπάσχει ὁ ἐγκέφαλος, ἐντεῦθεν παραφροσύνη καὶ ἔκπληξις, ἤτοι ἔκστασις ἀκολουθεῖ. ἀδύνατον γὰρ τὸν ἐγκέφαλον λέγειν πεπονθέναι. τοῦτο γὰρ οὐ μόνον κακὸν, ἀλλὰ θανατῶδες. idest, Oſtendit enim temporales muſculos paſſos eſſe. his enim percuſſis, cerebrum compatitur. hinc deſipientia & ſtupor, idest mentis alienatio ſequitur. Impoſſibile enim eſt dicere, cerebrum pati: nam hoc non ſolum malum, ſed etiam letale. Nos uero unumquenq; capitis ictum in quacunq; ſit parte intelligimus, etiam ſi facta ſit inciſio uſq; ad cerebri ſubſtantiam, & membranæ abſciſæ ſint.

ἔκπληξις, idest ſtupor.] uel obſtupeſcentia. Ita ut apertis oculis maneant, nihilq; loquantur, quod ex ictu fit, qui cerebrum concuſſerit. Poteſt autem hic ſtupor magis & minus eſſe intenſus: ideo maius & minus malum ſignificabit.

ἢ παραφροσύνη, κακόν. idest, Vel deſipientia (uel delirium, ut Celſus interpretatur) malum.] Potiusq; legendum eſt diſiunctiue, ut Græcus contextus habet, quàm copulatiue, ut Leonicenus uertit. quia unum horum adeſſe ſatis eſt: imò ſi unum adſit, aliud abeſt, ſi ita ſint, ut à Galeno in Commentatione declarantur. Per deſipientiam uero, delirium intellige, ita ut ea dicant, quæ non ſint rationi conſentanea.

GALENVS

DESIPIENTIA quidem agnoſcitur loquentibus, agentibus ue nihil conſentaneum rationi. Obſtupeſcentia uero, quando neq; aliquid dicunt, neq; agunt, ſed apertis oculis quieti manẽt, ſimiles his qui ex timore ſunt attoniti. Quod uero hæc omnia huiuſcemodi fiant cerebro patiente, manifeſtum. Oſtenſum enim eſt in eo eſſe animæ principatum. Si igitur in fine aphoriſmi ſcriptum ſit, malum, liquet quod recte dictum fuit, indicio enim ſunt, quod ictus intra ad cerebrum penetrauerit. Si uero non ſcribatur, nos nihilominus poſſumus ſubaudire, ſicuti antea diximus à cõmuni. Poſſumus autem & quia huiuſcemodi caſus una indicant cerebri læſionem, magnitudinem paſſionis conſiderare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid intelligendum ſit per παραφροσύνην, idest deſipientiam. nos deſipientiam cognoſcimus, quando uidebimus homines, aut nihil loqui, aut nihil agere quod rationi conſentaneum ſit. unde non ab re Celſus interpretatus eſt, delirium. nempe qui ita agunt, delirant.

SECVNDO docet, eſſe ἔκπληξιν, idest obſtupeſcentiam, quando nihil agit homo & nihil dicit, ſed quietus apertis oculis manet, ijs ſimilis, qui ob timorem ſunt attoniti.

Quod legitur, Sed apertis oculis. Græce habetur, ἀλλὰ ἀναπεπταμένοις τοῖς ὀφθαλμοῖς. idest, Sed recluſis oculis.

Quod etiam legitur, Similes ijs qui ex timore ſunt attoniti: Græce habetur, ὁμοίως τοῖς ὑπὸ δέους ἐκπλαγεῖσιν. idest, Similes ijs qui præ timore obſtupeſcunt.

TERTIO docet, certum eſſe omnia hæc cerebro patiẽte fieri, nam declaratum eſt, in cerebro eſſe partem animæ principalem.

Quod legitur, Animæ principatum: Græce eſt, τῆς ψυχῆς ἡγεμονικόν. idest, animæ principalis pars.

QVARTO dicit, ſi addita ſit particula Malum, in fine aphoriſmi, recte dictum eſt: nam ſignum eſt, ictum ad cerebrum uſque penetraſſe. At ſi non ſcribatur, illam ſubaudire oportet: ut ſuperius diximus, ſubintelligendam eſſe tanquam communem particulam multis aphoriſmis.

Deniq; addit, quum hæc ſymptomata cerebri læſionem indicent, nos paſſionis magnitudinem conſiderare poſſumus, & ſecundum illam iudicare.

APHORISMVS XV

A Sanguinis ſputo, puris ſputum.

BRASAVOLVS

NOSTER antiquus codex non habet particulam, malum, Aldinus habet: tamen uel adſit, uel abſit, ſemper ſubintelligenda eſt. Si poſt ſanguinis ſputum, puris ſputum ſequatur, malum eſt, quia ſignificatur pulmonem ad ſuppuratione͂ deueniſſe: quoniam de ſanguine à pectore ueniente uerba facit, nempe, ut Philotheus dicit, νῦν ἐκ τῶν θωρακικῶν μορίων ὑποτίθεται φέρεσθαι τὸ αἷμα. ideſt, Nunc ex partibus thoracis ſanguinem deferri ſupponit. Galenus in introductorio ſibi adſcripto, de locis ex quibus ſanguis emanat agens, tres eſſe dicit. primus iuxta tonſillas, unde minore cum periculo ſanguis reijcitur, faciliusq; ſiſtitur: ſecundus aſpera arteria, atq; hic morbus curationem difficulter accipit, plenusq; periculi eſt: tertius pulmo, ubi minus omnibus præſidij, magis periculi affectus habet: comitatur enim maxime ſuppuratio, & tabes, ſi Hippocrati fidem adhibemus, cuius uerba hæc ſunt, Sanguinis ſputationem pus, hoc tabes, tabem uero mors ſequitur. præſentis & ſequentis aphoriſmi ſente͂tiam ponit, imò & ſimul legi deberent.

ἐπὶ αἵματος πτύσει. ideſt, A ſanguinis ſputo.] Qui ſanguis aut à pulmone, aut ex aliqua thoracis parte exeat, uel per uenæ fractionem, uel per exeſionem, uel per reſudationem, uel per oris uenarum apertionem, & perſeueret. nam ſi aut ſemel, aut bis contingeret, puris ſputum ſequi non eſſet opus.

πύου πτύσις. ideſt, Puris ſputum.] Aldinus codex addit, κακόν, ideſt malum, non poteſt autem puris ſputum contingere, niſi facta ſit aliqua in pulmone exulceratio, uel in aliqua thoracis parte. ſed conuenientius erit Galeni Comme͂tatione perlecta, in ſequenti aphoriſmo hunc etiam conſiderare.

GALENVS

QVOD omnis hæc enumeratio ſit eorum quæ proprie ſuperuenientia uocantur, de quibus Praxagoras unum uolumen ſcripſit haud paruum, manifeſtum eſſe arbitror ex ipſo aphoriſmo. Neq; enim omne ſputum ſanguinis ſeque͂s habet ſputum purulentum, ſed quod malignum exiſtit: tale autem eſt omnino ex pulmone.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, manifeſtum eſſe ex aphoriſmo, quod ὅτι ὁ κατάλογος, ideſt, hæc enumeratio, eorum ſit quæ proprie ſuperuenientia uocantur: de quibus Praxagoras magnum uolumen ſcripſit.

Quod legitur, De quibus Praxagoras. lege, De quibus & Praxagoras. nam contextus Græcus ita dicit, καὶ πραξαγόρας. quod conuenit: nam & hic de ſuperuenientibus loquitur Hippocrates.

SECVNDO docet, no͂ omne ſanguinis ſputum poſt ſe puris ſputum habere, ſed ſolum ſanguinis ſputum malignum: quod magna ex parte, ex pulmone eſt.

Vbi legitur, Sed quod malignum exiſtit: deeſt particula, ſolum. nam Græce legitur, ἀλλὰ ἡ κακοήθης μόνη. ideſt, quod malignum ſolum exiſtit.

Quod etiam legitur, Omnino: Græce eſt, τὸ ἐπίπαν. ideſt, magna ex parte. itaq; potius interpretandum eſt, q̃ omnino. quoniam, ex magna parte ita eſt, & non ſemper.

APHORISMVS XVI

A Puris ſputo phthiſis, & fluxus: quum uero ſputum retinetur, moriuntur.

BRASAVOLVS

SI HVNC aphoriſmum recte conſiderare uoluerimus, & neceſſitatem co͂ſequentiæ unum ex his ad aliud, opus eſt intelligere ſanguinis ſputum eſſe ex pulmone. deinde puris ſputum ex pulmone. tu͂c enim poſt puris ſputum ſequitur phthiſis, quia pus illud ex pulmonis exulceratione prodibat. Pulmonis uero exulceratio conſumptionem & phthiſim facit: in phthiſi uero quandoq; capilloru͂ defluxus, quandoq; unguiu͂, qua͂doq;

uentris fiunt, quando scilicet sunt morti propinqui. Tunc uero potissimum moriuntur, quando sputa retinentur; etenim facilius eo tempore suffocantur. Philotheus præcedentem aphorismum, & istum, unum facit: simulq; hoc modo commentatur, dicens, supponi sanguinem ex thoracis partibus deferri, φέρεται δὲ ἢ διὰ ῥῆξιν, ἢ διάβρωσιν, ἢ ἀναστόμωσιν. ἐπὶ οὖν τῇ τοῦ αἵματος πτύσει εἰς διπλοῦν ὁδεύουσιν τῆς φύσεως, καὶ εἰς πῦον μεταβαλλούσης τὴν ὕλην καὶ πύου πτύσις ἕπεται. ταύτης δὲ ἐπιμενούσης τῆς πτύσεως τῇ παρόδῳ ἀμβλυνούσης τὸ ζωτικὸν πνεῦμα, καὶ μὴ χορηγεῖσθαι παρ' ὅλον τὸ σῶμα, ἔκτηξις γίνεται, ἥ τις φθίσις προσαγορεύεται. idest, Defertur autem uel per uenæ fractionem, uel exesionem, uel apertionem. In sputo igitur sanguinis multiplicās iter facit materiæ, & materiam in pus mutat, & sanguinis sputum sequitur. Hoc autem sputo in transitu permanente uitalem spiritum hebetante, & cum non suppeditetur per totum corpus (scilicet spiritus uitalis) eliquatio uel tabefactio fit, quæ phthisis nuncupatur. Tamen uidetur in secundo uersu deprauatus Philotheus. Pro perfectiori autē huius aphorismi intellectione, id annotare oportet, quod à Paulo capite trigesimoprimo tertij libri scribitur, sanguinis sputum ex multis partibus fieri posse, ex capite, ex uentriculo, ex ore, ex cāna. Cum uero à pulmone est, ita cognoscitur: est sanguis spumosus, subcandidus, & ex interuallo absq; dolore, angustiaq; extrahitur. ex nullo sanguinis sputo phthisis fieri potest, nisi uel ex pulmone sit, uel ex altera parte tamen ad pulmonem descēdat, & illum exulceret. An uero hi sanari possint, præsertim quando sunt in principio, Hippocrates in primo libro De morbis, docet, inquiens: pulmo & ex his purulentus redditur, cum eius uenæ labore franguntur: quæ si crassæ sunt, plus sanguinis emittunt: si tenues, minus, qui in pulmone putrescit, pusq; efficitur. tempore uero procedente pus syncerum quandoq; spuit, quandoq; cruentum sanguinem, purum quandoq;. Quæ uena si crassior est, cum plena est, sanguinis frustula spuit, pusq; crassum, pituita putrefacta. hic si per morbi exordia hoc corripiatur prius quàm uena sanguinem emittat, ualdéue laxetur, priusquam extenuatus iaceat, caputq; corrumpatur corpusq; tabescat, curetur, morbum hunc euadet. Si uero negligat, hæcq; omnia uel plurima patiatur, uel ijs quæ dixi ante, uel plurimo sanguinis uomitu peribit. Hæc Hippocrates. Aetius libro octauo capite quinquagesimonono usq; ad caput sexagesimumsextum de sputo sanguinis, & quid ipsum sequatur, ubertim agit.

ἐπὶ πύου πτύσει. idest, à puris sputo.] Quod potissimum à pulmone prodeat.

φθίσις, idest phthisis.] Quam nonnūquam Celsus tabem uocat, sequitur. Etenim pus pulmonem exulceratum esse significat: eo autem exulcerato phthisis sequitur.

Καὶ ῥύσις (noster antiquus codex habet ῥύσιες) idest & fluxus.] Galenus per fluxum capillorum profluuiū intelligit, uel etiam uentris defluxum. nam cum in extremo uitæ sunt, uentris defluxū incidunt, atq; capillorum, Hippocrate in quinto libro, aphorismo duodecimo dicente, Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, ijs alui profluuio superueniente, moriuntur. & aphorismo decimoquarto, à tabe habito profluuium alui superueniens, letale. Hic igitur opus est per fluxum uel capillorū profluuium intelligere, quod fit ex nimia corporis & capitis siccitate, quia capilli amplius nutrimētum non habent. uel alui profluuium, quod fit ex nimia uirium imbecillitate. de his uero nos plura egimus libro quinto. Philotheus etiam hic dicit, εἰ δὲ τοσαύτη γίνηται κατάπτωσις, ὡς καὶ ῥύσιν τριχῶν γίνεσθαι, ἢ κοιλίας χαλεπώτερον. δηλοῖ γὰρ κατάπτωσιν τῶν δυνάμεων. idest, Si autem talis fiat defluxus, ut uel capillorum uel uentris fluxus fiat, peius: nam uires prociduas ostendit.

ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται. idest, cum uero sputum retinetur.] Ob eam causam quia in pulmone congregatur, & uis expultrix non est amplius apta expurgare.

ἀποθνήσκουσιν, idest moriūtur.] Nam tanta huius materiæ copia in pulmone abundat, ut moueri non possit, sed necessarium sit patientes cito suffocari.

GALENVS

QVAM proprie Græci, & præsertim Athenienses nominant phthoen, hanc nunc Hippocrates phthisim nominauit, quę pulmonis ulcera insanabilia consequitur, totius corporis cum febre parua extenuationem. Fluxum autem aut de capillorū defluuio, aut de humida dixit deiectione: ambę enim consueuerūt euenire, cum tabidi ad extremū mali perducuntur, alterū ex siccitate, altera ex potentiæ debilitate. Quod uero in

fine scribitur, Si autem sputũ retineatur, moriũtur, modum mortis ostendit illorum qui ex phthoe moriuntur. Eo usq; enim extenuati uiuunt, donec per ea quæ expuunt, possunt pulmonem expurgare. Cum uero intus manent, obserantur quidem uiæ spiritus, patientes uero strangulantur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, nunc ab Hippocrate phthisim uocari, totius corporis extenuationem cum pauca febre, quam insanabilia pulmonis ulcera sequuntur, & quam Græci uocabulo proprio, & præsertim Athenienses φθόην nominant.

SECVNDO docet, quod per ῥύσιν, idest fluxum, aut capillorum defluuium, aut alui profluuium intelligit. nam hæc duo tabidis contingere solent cum in extremo sunt: capillorum quidem profluuium ex siccitate, alui uero profluuiũ ex uirium imbecillitate.

TERTIO docet, id quod in fine aphorismi scribitur, Si sputum retineatur, moriuntur. Mortis modum quo moriuntur ostendere, hi qui tabidi occumbunt: nam eousq; uiuunt extenuati, quousq; possunt per ea quæ expuunt, pulmonem expurgare. Sed cum intus manent, uiæ spiritus clauduntur, & patientes strangulantur, unde mortis modus strangulatio est.

APHORISMVS XVII

IN hepatis inflammatione singultus, malum.

BRASAVOLVS

OMNES hi aphorismi & qui partim dicti sunt & partim dicuntur, absque particula Malum, legi possent, ut solum superuenientia edocerent: tamen & quia illa semper mala sunt, propterea non ab re est, si etiam malum addiderimus. Si iecur inflammationem patiatur, quæ effatu digna sit, & intenso calore affecta, singultum superuenire certũ est. nam si esset parua inflãmatio, non superueniret, est uero malum: quia superueniente singultu ostenditur magnam esse inflammationem, quæ uentriculo etiam communicatur. Hippocrates quinto Aphorismorum libro, aphorismo quinquagesimooctauo, huius aphorismi mentionẽ facit. uel hic aphorismus est illius pars: nam dicit, Recto intestino, aut utero inflammationẽ patiente, urinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis urinæ accidit stillicidiũ; hepati autem inflammato singultus superuenit. In illo aphorismo ubertim docuimus, quomodo singultus iecoris inflammationem sequatur, & quam inflammationem sequeretur cuiusq; partis, an gibbæ, an concauæ: nam multum differt in gibba, uel in concaua inflammationem fieri: nam in gibba hoc efficere non posset, scilicet singultũ, nisi inflammatio tam magna esset, ut ad concauam partem perueniret, imò neq; ex inflammata cõcaua singultus fieri potest, nisi inflammatio sit magna. Celsus capite septimo secũdi libri, inquit, frequens singultus, & præter consuetudinẽ continuus, iecur inflammatum esse significat. ut hic Celsus non de superuenientia singultus ad iecoris inflammationem loquatur: sed ex hoc signo, quod est singultus, iecoris inflammationem esse iudicat: & omnes antiqui medici in magna iecoris inflammatione, singultum pro signo ponunt.

ὑπὸ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος. idest, in iecoris inflammatione.] Sub qua & erysipelam intellige, & opus est magnam inflammationem intelligere, quam Græci φλόγωσιν uocant ab æstu quem facit, de quibus Paulus capite quadragesimosexto tertij libri, & Aetius libro decimo, capite tertio, in quo loco præter singultum multa alia signa refert.

λύγξ, κακόν. idest, Singultus, malum.] Nam singultu superueniente opus est inflammationem esse magnam: & ideo malum est, & causa est, ut Philotheus dicit, quoniam δηλοῖ ὅτι πολλή ἐστιν ἡ πλήρωσις, καὶ ἡ διάτασις, ὥς τε φθάσαι τὴν συνοχωρίαν μέχρι τούτης τῆς γαστρὸς, καὶ συνοχωρουμένης αὐτοῦ, γίνεσθαι τὴν λύγγα. ἢ ὅτι δηλοῖ φλόγωσιν πολλήν, ἥ τις ἐκθερμαίνουσα τὰ περὶ τὴν γαστέρα, καὶ στόμα αὐτοῦ, τὴν λύγγα ποιεῖ. idest, multam esse plenitudinem ostendit atq; extensionem, ut angustia usq; ad ipsum uẽtriculum perueniat, & ipso coarctato fit singultus; uel quoniam ostendit igneam inflammationẽ, quæ partes quæ circa uentriculum sunt, & eius os calefaciens, singultum facit.

GALE-

GALENVS

DIXI antea quod & omnes hi seriatim scripti aphorismi, de casibus docet, qui passionibus auctis, & iam deterioribus factis, superueniũt. Quomodo igitur nunc singultus hepati inflammationẽ patiẽti dicitur superuenire? non semper, neque quomodolibet patiente, sed quando ad magnitudinem attollitur, feruẽte inflammatione, in quo feruore stomachus ad compassionem trahitur, nonnunquam communium neruorum ratione qui sunt, ut ipse docuit in secũdo Epidemiarum, breuissimi. Quare tunc solum compassio fit stomacho ad hepar, quando inflammatio, & maxima, & pessima fuerit, & quidem bile satis calida, & multa in huius uisceris inflammationibus genita, ac cõfluente ad intestinorum principium, atque ita superfluitante, atque ad uentriculum recurrente contigit os eius morderi, atque ideo singultire. Nonnulli uero arbitrantur magnitudinem inflammationis uentriculum premere, ac singultum facere, non habente exitum spiritu, quemadmodum inquiunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, se antea dixisse, quod omnes aphorismi seriatim scripti de passionibus & symptomatibus loquuntur, quæ superueniunt passionibus ipsis auctis: unde & in præsentiarum dicitur singultum inflammationi iecoris superuenire, & hoc non semper, nec in omni passione, sed solum quando passio magna fuerit, & inflammatio adeo ignea, ut simul stomachus compatiatur.

Quod legitur, Quomodo igitur nunc singultus. Græce est ὅπως οὖν καὶ νῦν ὁ λύγξ. id est, Sic igitur & nunc singultus.

SECVNDO docet, quomodo stomachus compatiatur, uolens quod nonnũquam communium neruorum ratione id fiat, qui sunt breuissimi, ut in secũdo Epidemiorum dixit. In hoc autem casu solum fit compassio in stomacho à iecore, quando inflammatio maxima & pessima fuerit. quandoque uero compatitur, quando bilis calida & multa in iecoris inflammatione genita, & ad principium intestinorum confluens, deinde ad uentriculum regurgitans, os eius mordet, & singultire facit.

Quod legitur, Superfluitante. Græce est ἐπιπολαζούσης. i. emergente in superficiem.

TERTIO quorundam rationem ponit, qui dicebant, magnitudinem inflammationis uentriculum premere, & singultum facere, spiritu exitum non habente. hos tamen potius despicit, quam probet. nam in fine addit, quemadmodum inquiunt, ac si dicat, ipsi ita dicunt, quamuis uerum non sit.

Quod legitur, Inflammationis, legi debet, inflammationis iecoris. nam Græce habetur, τῆς φλεγμονῆς τοῦ ἥπατος.

APHORISMVS XVIII

IN uigilia, conuulsio, uel desipientia.

BRASAVOLVS

VIGILIÆ humana corpora extenuant, & exiccant, unde illud Ouidianum,
Extenuant iuuenum uigilatæ corpora noctes.
Quæ si diu perseuerent, conuulsionem inducere possunt: exiccatis etiam neruosis partibus, uel cerebro exiccato desipientiam. Quę mala sunt, etiam si ab Hippocrate in aphorismo, malum non addatur. nam ab eodem Hippocrate in calce libri secundi De ratione uictus in morbis acutis, de uigilia hæc dicuntur, Ingens uigilia, ut cruditatem, incoctionemque tum ciborum, tum potionis efficit: sic in diuersam partem transmutatio corpus resoluit, & uelut decoctum reddit, capitis grauitatem inducit.

ὑπὸ ἀγρυπνίῃ, idest in uigilia] Quæ scilicet magna sit, & perseuerans: nam si per unam solam noctem quispiam uigilaret, hæc non sequerentur. Vigilia uero & cum febre, & sine febre fieri potest. de ea quæ cum febre fit, Paulus libro secundo, capite quadragesimosecũdo disserit. De illa uero quæ sine febre, libro primo, capite nonagesimooctauo. Si cum febre sit, hæc quæ dicuntur ab Hippocrate citius fieri possunt, quia febris ipsa ad siccitatem adiuuat.

Σπασμός, idest conuulsio.] Quæ scilicet ex siccitate est. Mala autem est, ut Philotheus dicit, διότι ἐπὶ ξηρότητι δηλοῦται γίνεσθαι, ἡ γὰρ ἀγρυπνία ξηρότητα ποιεῖ. idest, Quoniam à siccitate fieri ostenditur. uigilia enim siccitatem facit.

ἢ παραφροσύνη, κακόν. idest, Vel desipiétia, malum.] Quoniam & ipsa ex siccitate est. imò, ut Philotheus dicit, εἰ δὲ καὶ παραφροσύνη ἐπιγένηται, χαλεπώτερον. δηλοῖ γὰρ ἐπίτασιν τῆς ξηρότητος. idest, Si aũt & desipientia superueniat, peius. nam siccitatis intensionem ostendit. Galenus autem uidetur ferè uoluisse conuulsionem desipientia peiorem esse, nam in fine commenti dicit se uidisse aphorismos diligenter scriptos, in quibus deerat particula desipientia: additq́;, hic Hippocratem solum enumerasse pessima, quæ superueniunt. ac si dicere uoluerit, desipientiã non esse adeo malum. propterea dicamus, per desipientiam duo intelligi posse, & ueram desipientiam ex siccitate factam, quæ est longe peior conuulsione: & quandam mentis alienationem, & quodammodo uacillationem, quæ est potius quædam cerebri lassitudo ex uigilia, hæcq́; non est peior conuulsione, nam ex somno cito abijt, uera autem desipientia facile non abit. Celsus & ipse, qui ante Galenum scripsit, hunc aphorismum referens non ponit hanc particulam desipientia. nam libro secundo capite septimo dicit, ubi uigilia torsit, neruorum distentio. In capite autem quarto eiusdem libri dicit, pessimum tamen est, si somnus, neq́; noctu, neq́; interdiu accedit, id enim ferè sine continuo dolore esse non potest.

GALENVS

QVIDAM & hoc loco malũ subiungunt. Nos uero prius diximus, quod si etiam non subiungatur, potentia continetur. Cur uero immoderatis uigilijs conuulsio succedat, aut desipientia, manifestum est huic qui priora meminerit. nam dictum est ab ipso Hippocrate, conuulsionem ita à repletione fieri, sicuti ab euacuatione. Ex his autem quæ maxime euacuant, & exiccant, uigiliæ sunt, atq́; ideo conuulsionem ex siccitate faciunt, ac desipientiam immodicæ siccitatis ratione, ac præterea quia in longis uigilijs biliosior redditur sanguis. In quibusdam tamen exemplaribus, & quidem diligentissime scriptis, hic aphorismus scriptus est sine uerbo, desipientia, hoc modo uidelicet: In uigilia conuulsio, quia ut arbitror, pessima quæ superueniunt, ab Hippocrate scribuntur hoc loco.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quosdã huic aphorismo addere malum: & nos nullũ exemplar uidimus: cui hæc particula defuerit: tamen & si non addatur, subintelligenda est.

SECVNDO dicit, manifestum esse, cur ex immoderatis uigilijs conuulsio uel desipientia fiant, si quis in memoriam illa repetat quæ ab Hippocrate superius dicta sunt. Ipse uero conuulsionem distinxit, in eam quæ est ex repletione: & eam quæ est ex inanitione. Vigiliæ uero ex ijs sunt quæ maxime euacuant & exiccant: propterea conuulsionem ex inanitione & siccitate facere possunt, & etiam ex siccitate desipientiam. Adde, quod in longis uigilijs sanguis biliosior efficitur.

Quod legitur, Manifestum est huic qui priora meminerit, potius legendum est, ei.

Quod etiam legitur, Nam dictum est ab ipso Hippocrate, legendum est, & ab ipso Hippocrate. quoniam Græce legitur, καὶ πρὸς αὐτοῦ ἱπποκράτους.

TERTIO docet, in aliquibus exemplaribus etiam diligentissime scriptis abesse illam particulam Desipientia: & id in causa esse iudicat, quia pessima quæ superueniunt, ab Hippocrate scribuntur, ac si uelit conuulsionẽ esse peiorem: tamen & superius Celsum adduximus, qui hunc aphorismũ referens, particulã illam Et desipientia, præterijt.

APHORISMVS XIX

IN ossis exutione, erysipelas.

BRASAVOLVS

IN hoc loco potissimum addendam esse particulam malum, Galenus iudicat, quia simpliciter uerum non est, post ossis exutionem erysipelas consequi. imò plerunq́; sunt exuta ossa absq́; erysipelate: tamen si fiat, dum os exutum est, malum est. nam hoc fieri

non potest, nisi cum uehementi putrefactione, quæ in carne cõsolidationem prohibet, & os adeo male afficit, ut opus sit os ipsum abscedere: propterea fiunt ulcera annua, & etiã diuturniora, de quibus in sexto libro agit. At ne ideo putes erysipelam in detecto osse malam esse, ut in tecto bona sit. Philotheus ante hunc aphorismum alium habet, quem huc adducere non erit molestum: quamuis in nullo Græco contextu ipsum inuenerim: hic uero est, ἐπὶ ληθάργῳ τρόμος, κακόν. idest, In lethargo tremor, malum. At ne quicquam desideres, & nihil nos intactum relinquamus, hæc est Philothei commentatio, quam huic aphorismo facit, ὁ λήθαργος πάθος ἐστὶ περὶ τὸν ἐγκέφαλον συνιστάμενος, ἐξ ὑγρᾶς καὶ ψυχρᾶς ὕλης τὴν γένεσιν ἔχων, ἐξ ἧς καὶ τὸ δυσέγερτον, σὺν ἀτονίᾳ τοῦ φυσικοῦ πνεύματος ἐπικέκτηται. πλὴν μετὰ βληχροῦ πυρετοῦ τὸ πάθος γίνεται. ἐὰν οὖν ἐπὶ ληθάργῳ τρόμος φανῇ, κακόν, ἤτοι ἐπισφαλές. δηλοῖ γὰρ τοσαύτην εἶναι τὴν ψυχρὰν ὕλην, ὡς καὶ τὸ νωτιαῖον μεταλαμβάνειν, κἀκεῖθεν τὸ νευρῶδες γένος τῇ πληρώσει σπᾶσθαι. ἄλλος δέ τις τῶν ἀφορισμῶν ἐξηγητὴς τὸν τρόμον ἐπὶ ληθάργῳ κακὸν ἔφη, διὰ τὸ δηλοῦν ἄμετρον ξηρότητα. idest, lethargus passio est circa cerebrum constituta, ex humida & frigida materia generationem habens, ex qua & inexpergiscibilis & uix expugnabilis sopor cum imbecillitate naturalis spiritus acquiritur. uerũtamen post lenem febrem passio fit: si igitur in lethargo, tremor appareat, malum, idest periculosum. Nam ostendit tantam esse frigidam materiam, quę & dorsi partes occupet, & hinc neruosum genus ob repletionem conuellitur. Quidam uero alter aphorismorum expositor, tremorem in lethargo malum dixit, quoniam immodicam siccitatẽ ostendit. Hæc Philotheus in hoc aphorismo, quem in nullo Græco codice inuenire potui. & quod mirum est, in antiqua Constantini Aphricani translatione adest Galeni commentatio supra eundem aphorismum, quam hic referre statuimus, ne aliũde quærere cogaris, si tibi animo sit illam uidere. Dicit igitur (in illa barbara translatione) Galenus, Lethargia est apostema in puppi cerebri, ex materia phlegmatica generatum: tremor igitur in ea malum est. significat enim materiam propter incontinentiam sui, ad neruos motiuos deuenisse, qui à parte posteriori sunt magis, ut dictum est alibi, ex cuius infusione nerui sunt remolliti, ut spiritu non omnino, sed aliqualiter deficiente, nec neruis ut in paralysi omnino remollitis uirtute regitiua membra sursum ferantur. & quia nerui remolliti non sufficiunt dare membris sufficientem & firmam sedem & stabilem, membra iterum sua grauedine descẽdunt, ex quibus motibus contrarijs fit tremor, quia materia uentositatis resoluta miryngas, & neruos, qui ab eis oriuntur, mouet, & concutit, unde tremor fit. Hæc est antiqua huius Commentationis Galeni interpretatio, quæ & si barbara sit, & Apolline indigeat, tamẽ melius est illam ita habere, quàm nullo modo habere. nam putamus hunc aphorismum Hippocraticum esse, præsertim si hoc modo intelligatur, Si manente lethargia, tremor fiat, malũ. nam significatur, tantam materiæ copiam, ut una portio satis sit pro lethargia seruanda, & alia ad neruos transmitti possit. At si post lethargiam tremor fieret, uel superueniẽte tremore, lethargia abiret, bonum esset: quia materia, quæ in nobiliori loco erat, ad ignobiliorem transmittitur. Nunc uero ad aphorismum in principio propositum redeamus.

ἐπὶ ὀστέου ψιλώσει, uel ψιλώσιος, ut alij contextus habent. i. in ossis exutione.] Hoc est quãdo os detectum fuerit. nempe omnia nostri corporis ossa, præter dentes, tecta sunt.

ἐρυσίπελας. idest, Erysipelas, uel ignis sacer.] qui ex biliosa materia fit. Adde malum esse, quia uehemens putredo significatur, in qua necessarium est, os male affici, postea difficulter in sanitatẽ perducitur. Intellige uero erysipelam esse in carne & non in osse: tamen Paulus capite septuagesimoseptimo sexti libri iubet, quando os spoliatum est, esse desecandum. Philotheus hunc aphorismum hoc modo interpretatur, ψίλωσις ἐστὶν, ἡ τοῦ φυσικοῦ παραβλήματος στέρησις. ἐὰν οὖν ἐπὶ ὀστέου ψιλώσει, ἢ τῇ στερήσει σαρκῶν καὶ δέρματος ἐπιγένηται κακόν ἐστιν. δηλοῖ γὰρ ἐπίρροιαν αἱματικωτέρας ὕλης, ἥ τις διαβιβρώσκει, καὶ ἐκδαπανᾷ τὰς ἐπικειμένας σάρκας. ὁ γὰρ ἐρυσίπελας ὑπὸ αἵματος ξανθοχολικωτέρου γίνεται. idest, Denudatio est priuatio naturalis indumenti. Si igitur in ossis denudatione, uel carnium & pellis priuatione superueniat (scilicet erysipelas) malum est. Ostendit enim affluẽtiam materiæ magis sanguineæ, quæ suprapositas carnes exedit atq; absumit. erysipelas enim à sanguine flauibiliosiori fit.

GALENVS

HOC IN loco maxime oportet subaudire malum. neq; enim hoc dicit quod semper, aut magna ex parte exutis ossibus erysipelas superueniat: nam potius contrarium uerum est, quod ita patiētibus ossibus raro superuenit erysipelas. Sed quod casus prauus est, osse nudato carnem circunstantem uideri ab erysipelate apprehensam.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in hoc aphorismo potissimum subaudiendum esse, particulam malum.

SECVNDO docet, hic ab Hippocrate nō dici, quod semper, uel ut plurimum exutis ossibus erysipelas superueniat. nam hoc falsum est, imò potius contrarium. nam ossibus denudatis, raro superuenit erysipelas.

TERTIO docet, hunc esse Hippocratis sensum, Osse denudato, si circumiacens caro ab erysipelate capiatur, esse casum prauum. nam uehemens putredo significatur, ob quam & os compati necessarium erit.

APHORISMVS XX

AB erysipelate, putredo, aut suppuratio.

BRASAVOLVS

HI DVO aphorismi ita se consequuntur, non quod per ordinem necessario fiant, sed si erysipelas in ossis detectione adsit, malum est: si uero erysipelas uel cum ossis detectione, uel sine detectione adfuerit, cui putredo aut suppuratio superueniat, malum est: nam significatur ignem hunc sacrum malignum esse, aliter non haberet iunctam tam magnam putredinem. & quando huc perueniūt, Celsus libro quinto capite trigesimo sexto, dicit, quod igne indigent, ut locus aduratur.

ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδών. idest, Ab erysipelate putredo.] scilicet malū est: quia ostenditur naturā adeo imbecillam esse, ut has materias præseruare nō possit, ne putrescant, uel saltem impotentem esse ad ipsas resoluendas. & adde, putredinem in hoc casu fieri non posse, nisi simul membrum, in quo fit, corrumpatur & exedatur.

ἢ ἐκπύησις. idest, Vel suppuratio, malum est.] Quia simplicis erysipelatis natura est cutaneas partes cum paucissima corruptione exulcerare: deinde paulatim procedere, & cutaneas partes impetere, & quoad putredo fiat, & membrum in pus conuertatur, erodere, ut plerunq; adustione opus sit, quam Celsus præcitato loco fieri docet. Philotheus hoc modo aphorismum interpretatur, ἐὰν ἐρυσίπελας γένηται, καὶ κατὰ μέρος πᾶν σήπεται, δῆλον ὅτι τὸ αἷμα σήπεται τῷ χρόνῳ, καὶ ἐντεῦθεν νομή τις καὶ σῆψις γίνεται, ἣν σηπεδόνα Ἱπποκράτης λέγει. εἰ δὲ ποτε ῥωσθῇ ἡ δύναμις, καὶ ἄρχεται μετακοσμεῖν τὴν σαπεῖσαν ὕλην, καὶ ἐς πῦον μεταβάλλειν, κἀντεῦθεν ἐκπύησις, ἐπὶ ἐρυσιπέλατι οὖν ταῦτα ἐπιγινόμενα, κακόν. δηλοῦται γὰρ κακοήθης εἶναι ὁ ἐρυσίπελας. idest, Si erysipelas fiat & partiliter totum corrumpit, manifestum est sanguinem tempore corrumpi, & hinc noma (idest ulcus depascens quoddam) & corruptio fit, quam putredinem Hippocrates uocat. Si autem uis permutetur, & corruptam materiam mutare incipiat, & in pus cōuertere, & hinc suppuratio. In erysipelate igitur si hæc superueniant, malum. nam ostenditur erysipelas malignum esse.

GALENVS

CLARVM est & in hoc sermone, quòd malignis erysipelatis hæc superueniunt.

BRASAVOLVS

GALENVS in hoc breui commento id solum dicit, certum esse & sine dubio, hæc scilicet putredinem & suppurationem malignis erysipelatis superuenire.

APHORISMVS XXI

A Forti in ulceribus pulsu, profluuium sanguinis.

BRASAVOLVS

MIRVM est de recentibus, qui hunc aphorismum interpretari tentant: nam quod malum est, bonum faciunt: itaque aphorismum intelligunt, profluuium sanguinis à forti pulsu in ulceribus bonũ est: etenim per ipsum defluxum, & pulsus ipse, & læsio tolluntur: propterea bonum est. Sed quàm mire hallucinẽtur, unicuique Hippocratis uerba intelligenti clarum est. nam & si Galenus non cõcludat an bonum uel malum sit, tamen Philotheus malum esse edocet. & re uera malum est, quia per uiolentiã uenæ rumpuntur, & sanguis profluit, idest uehementer exit. Vnde hic aphorismus & cum particula An, & sine illa legitur, & intelligi potest. nam si in ulceribus fuerit pulsus fortis, ut arteriæ quę in ulceribus mouentur, ob læsionem quam ulcus infert, motum frequentent, & magis eleuent, præsertim quia illuc multi humores calidi mouentur, necesse est hæc uasa disrumpi, & sanguinem prodire: qui quum ab arteria exeat, non potest nisi uehementer exire, & ab eius pulsu excitari: uel quum hic pulsus sit cum aliquo dolore, hoc uiolento arteriarum motu aliquæ uenæ frangantur, & ita sanguis profluat. ac si Hippocrates ostẽdere uelit, profluuium sanguinis fortem in ulceribus pulsum sequi, & non se determinet an bonum sit uel malum. Quam sententiam Celsus sequi uidetur libro secundo, capite septimo: nam hunc aphorismum ita refert, Vbi uehemẽter uenæ super ulcera mouẽtur, sanguinis profluuium erit. Tamen ab re non erit, si malum subintelligere uoluerimus, præsertim quum Hippocrates de superuenientibus passionibus uerba faciat: superuenientes uero uel semper augent præcedentes, uel sunt eis peiores.

ὑπὸ ἰσχυρῶ σφυγμῶ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν. idest, à forti in ulceribus pulsu.] qui fit ab arteria in ulcerosa parte existente, in qua caro arteriæ motum ferre non potest: sed dolet dum attollitur & deprimitur arteria: propterea pulsus, motus quidam est arteriarum. unde & à Philotheo dicitur, ἰσχυρὸν σφυγμὸν καλεῖ, τὴν σφυγματώδη ὀδύνην, ἥτις οὐ γίνεται ἄλλως, εἰ μὴ συνδράμῃ μεγάλη φλεγμονὴ τῇ ἀρτηρίᾳ παρακειμένη. ἐὰν οὖν ἐπὶ ἕλκει σφυγματώδης ἐστὶν ὀδύνη, καὶ αἱμοῤῥαγία γένηται, κακόν ἐστιν. πρῶτον μὲν, ὅτι φλεγμονὴν μεγίστην ἐνδείκνυται περὶ ἕλκει οὖσαν. δεύτερον δὲ, ὅτι ὑπὸ τῶν τοιούτων σφυγμῶν ἡ αἱμοῤῥαγία δηλοῦται, ἀρτηρίας ἀναστομωθείσης γίνεσθαι. ἄμφω οὖν κακά. idest, fortissimum pulsum uocat dolorem pulsatilem, qui aliter non fit, nisi magna inflammatio concurrat arteriæ adiacens. Si igitur supra ulcus pulsatilis est dolor, & sanguinis profluuium fiat, malum est. primum quidem, quoniam inflammationem maximam ostendit ulceri existentem. secũdum uero, quoniam in talibus pulsibus profluuium sanguinis fieri demonstratur, ore arteriæ adaperto, ambo autem mala.

αἱμοῤῥαγίη, idest sanguinis profluuium.] scilicet fit. quod & malum est, quum de superuenientibus in præsentiarum agat Hippocrates.

GALENVS

IN VLCERIBVS inflammatis pulsus fit non ferente carne incumbente arterijs illarum motum, sed dolente quãdo se attollentes exciderint. Est enim huiusmodi pulsus sensus quidam cum dolore ex arteriarum motione factus, quas neque ab initio sentiebamus, quum membra se haberent secundum naturam, tum quia eorum adhæsus non est molestus, tum quia in spatio laxiore mouẽtur. Membris uero inflammatis, & loci angustatio & dispositio dolorifica, tristem afferunt laborantibus sensum ex motu arteriarum, quem nõ solum medici, sed omnes homines pulsum appellant. Videtur autem & hic arteriarum motus augeri in talibus dispositionibus. Ostẽsum siquidem est in Commentarijs de potentijs naturalibus, quod est quædam in ipsis uis aliena excernens, quæ & sudores criticos, idest iudicatorios facit, & profluuia sanguinis, & alui inferioris deiectiones, & quæcunque alia huiuscemodi. Secundum hanc igitur uim, nonnunquam uehementius natura operans, magnum & uiolentum arteriarum efficit motum, appetens illa quæ molestant expellere, atque ita profluuium sanguinis facit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in inflãmatis ulceribus ob id fieri pulsum, quia caro quæ incumbit arterijs, earum motum non fert, sed dolet, quia arteriæ se attolentes incidunt. Quod legitur, Exciderint: legi debet, inciderint. nam Græce est, ἐμπίπτωσιν.

SECVNDO docet, hunc pulsum esse sensum quendam cum dolore ex motione arteriarum factum. At si ambigeres, cur prius non offendebat hic motus, tamen aderat.

Respondere uidetur, non sentiri antequam adfuisset ulcus, quia membra erant secundum naturam: cum uero ita sunt, earum adhæsus non est molestus, & etiam in laxiore spatio mouetur. Sed cum membra inflammata sunt, & locus angustatus, & dispositio; quæ dolorem affert, adfuerit, laborantibus tristis affertur sensus ex arteriarum motu, quem non solum medici, sed omnes etiam homines pulsum uocant.

Quod legitur, Adhæsus. Græce est ὁμιλίας, idest conuersatio, consuetudo.

TERTIO dicit, hunc arteriarum motũ in his dispositionibus augeri, nam in commentarijs De potentijs naturalibus dictum est, in ipsis uim quandam esse aliena excernentem, & hanc uim iudicatorios sudores facere, & sanguinis profluuia, & alui inferioris deiectiones, & quæcunque eiusdem generis alia.

QVARTO docet, naturam ui illa expultrice, quandoque uti uehementiore, & magnum ac uiolentum motum arteriarum efficere, ea expellere uolentem, quæ infestant, unde sanguinis profluuium facit.

Quod legitur, Vehementius, in una nostri antiqui codicis lectione, & in Aldino habetur, σφοδρότερον: in alia legitur, σφοδρότερα, & tunc ad δυνάμεως .i. ad uim referri debet.

APHORISMVS XXII

A Ventris dolore diuturno suppuratio.

BRASAVOLVS

IN PRÆSENTIARVM per κοιλίαν, idest uentrem, uel ipsum uentriculum intelligamus, uel totum inferiorem uentrem, parum refert. nam in his omnibus aphorismus uerus esse potest. Si quis in uentre, uel in partibus, quæ circa uentrẽ sunt, dolorem habeat diuturnum, suppuratio consequitur: quoniam dolor ex his solum causis fit scilicet uel ex frigore, uel ex aliqua inæquali intemperie circa uẽtrem, uel à flatu, uel ab acrimonia mordaci, uel ab inflãmatione. At si diu perseueret, & non abeat, omnibus etiam à medico adhibitis quæ opportuna erunt, à flatu fieri non potest, nec ab aliqua intemperie, nec ab acritudine mordaci, quoniam hæc omnia facile remouẽtur, nec diu perseuerare possunt his adhibitis quæ conueniunt: igitur ab inflammatione fiet, sed inflammatio temporis processu ad exituram & suppurationem necessario ueniet, nisi is qui patitur, morte præueniatur, antequam ad suppurationem perueniat. per inflammationem uero nõ solum ueram inflammationẽ intelligimus, quæ ab humore calido fit, sed etiam abscessum, qui à pituita fiat. unde & à Philotheo dicitur, ἡ ὀδύνη γίνεται περὶ τὴν κοιλίαν, ἢ πνευμάτων περιουσίᾳ, ἢ λεπτῇ καὶ δριμείᾳ ὕλῃ, ἢ παχείᾳ καὶ φλεγματικῇ. ἐν τοῦθα οὖν διὰ πάχος χυμῶν ὑποτίθεται τὴν ὀδύνην. αὕτη γὰρ ἤδη πολὺν χρόνον παρατείνεται. ἐφ᾽ ἧς καὶ προσδοκία πυοποιήσεως. σήπεται γὰρ τῷ χρόνῳ, καὶ εἰς πῦον μεταβάλλεται. idest, Dolor circa uẽtrem fit, uel à flatuum multitudine, uel à tenui & acuta materia, uel à crassa & pituitosa. Hic igitur ob humorum crassitudinẽ dolor supponitur, ipsa enim in longum tempus porrigitur, à qua est suppurationis expectatio. tempore enim corrumpitur, & in pus transmutatur.

ὑπὸ ὀδύνης πολυχρονίης. idest, A dolore diuturno.] Qui uel ob inflammationem, uel ob abscessum ex crassa & glutinosa materia factus sit.

τῶν περὶ τὴν κοιλίην, idest, Eorum quæ circa uentrem sunt.] Non autem, ut Theodorus, & Leonicenus, à uẽtris dolore diuturno. nam esse posset in partibus quæ circa uentrem sunt, & non in ipso uẽtre. imò & aphorismus ad omnes nostri corporis partes ampliari debet, Philotheo etiam dicente, καὶ ἔστιν ὁ λόγος οὐ μόνον ὑπὸ τῆς ὑποδόχου κοιλίας ἁρμόδιος, ἀλλὰ καὶ ἤδη παντὸς μορίου. idest, Et sermo est, non solum in uentre cibum suscipiente congruus, sed & in omni parte.

ἐκπύησις, idest suppuratio.] scilicet sequitur, si morte non præueniantur: subintelligendum uero est, malum esse.

GALENVS

SIVE frigus, siue omnino aliqua inæqualis intemperatura circa uentrem fuerit, siue uentus flatuosus, siue acritudo mordax, fieri non potest ut in longum extendantur, si

tur, si omnia circa ægrũ oportune fiant, quia hoc in omnibus sermonibus talibus subaudire oportet. Relinquitur igitur quod adhuc dolor perdurat propter inflammationẽ, quæ temporis processu scilicet suppurabit, nisi hominem morte præripiat: nam & hoc subaudire oportet in omnibus sermonibus talibus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus causas referẽs, ex quibus dolor fieri potest, omnes excludit, præter inflammationẽ: nam si dolor fiat ob frigus, uel (ut breui complectatur) ob aliquam inæqualem intemperiẽ circa uentrem, uel ob flatum, uel ob acritudinem quãdam mordacem, fieri non potest ut in longum tempus dolor protẽdatur, si medicus omnia agat circa ægrũ quæ expediũt: nam in omnibus talibus sermonibus hoc intelligere oportet.

Quod legitur, Siue acritudo mordax: Græce est, ἢ τι δριμύτης τις δακνώδης. idest, siue acritudo quædam mordax.

SECVNDO docet, dolorem hunc propter inflammationẽ adhuc perseuerare, quæ temporis processu, scilicet suppurabit. hoc autẽ faciet, nisi homo prius moriatur, quàm ad suppurationem perueniat. Etenim necessarium est & hoc in omnibus talibus sermonibus subaudire.

Quod legitur, Nisi hominem morte præripiat: Græce est, μὴ φθάσαντός γε ἀποθανεῖν τοῦ ἀνθρώπου. idest, Nisi homo morte præueniatur. ad uerbum ita est, Ni præueniente mori homine.

APHORISMVS XXIII

A Deiectione sincera, difficultas intestinorum.

BRASAVOLVS

QVVM puri & sinceri humores dejiciuntur, necessarium est, uel esse purum sanguinem, uel pituitam, uel bilem, uel atram bilem. Sanguis purus non biliosus intestinorum difficultatem facere non potest, nec pituita non salsa eandem facere potest, sed sola bilis, uel atra bilis, uel salsa pituita id facere possunt. Quãdo igitur sinceri, idest puri dejiciuntur hi humores, bilis scilicet, uel atra bilis, uel salsa pituita, & intestinorũ difficultas sequatur, malum est: quia difficultas intestinorũ ex bile facta, periculosa est. eodem modo ex salsa pituita, ex atra bile letalis. unde Paulus libro tertio, capite sexagesimosecundo, de difficultate intestinorũ ex excrementis facta dicit. Quæ primum quidem biliosa sunt, & uaria, deinde iuxta proportionẽ cruenta, & postremo purulenta, cuiusmodi ex cadaueribus effluere consueuerũt: sed quæ ex atra bile ortum habet difficultas intestinorum exitialis est, cum exulceratione cancrum insinuans. Et Aetius libro nono, capite quadragesimotertio, Si à flaua bile dysenteria oboriatur, ferè in totum ipsam curamus: si uero ab atra bile initium sumat, siquidem ratione iudicationis febrilium morborum atra bilis excernatur, transituq; suo intestinum distendat, etiam hanc curare non desperamus: si uero sua sponte, nullo præcedente febrili morbo, neq; concoctione bona apparente, atra bilis excernatur, immedicabilis dysenteria ex ea oborta existit, nihilq; à cancro exulcerato differt, estq; omnino letalis.

ἀπὸ ἀκρήτου ὑποχωρήσιος. idest, à deiectione sincera & pura.] Quæ non sit mixta aquosæ humiditati, sed sit unus purus humor. non potest autem esse solus & dysenteriam inferre, nisi sit biliosus uel atrabilarius uel pituitosus salsus, unus ex his humoribus solus, sincerus uocatur: ut etiam superius aphorismo sexto dictum est, In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum. Antiqua translatio non legit, sincera, sed biliosa. & aliqui Græci codices habent, ἀπὸ χολώδεος ὑποχωρήσιος. quod certe uerum est, sed aphorismus magis arctatur, quàm ab Hippocrate fiat: nam ipse in omni sincera intelligit. hi uero codices, solam biliosam specificant: nisi uocabulum illud tam ad atram, quàm ad flauam ampliemus. Incidimus & codicem quẽdam, in quo legitur, ἀπὸ ἀμίκτου ὑποχωρήσιος, idest, à deiectione immixta: tamen idem sunt immixtum & sincerum. Philotheus uero dicit, ἄκρητον ὑποχώρησιν λέγει τὴν παντὸς χυμοῦ ἀνόθευτον καὶ ἀμιγῆ γινομένην, ἢ τῆς τῶν παρόδων δήξεις ἢ ἀναβρώσεις ποιοῦσα τὴν ἐντέρων δυσεντερίαν εἰκότως ἐργάζεται, ὅπερ καὶ χα-

 λεπόν ἐστι

λεπτὴν ἐοῦ. idest, Sinceram deiectionem uocat, euacuationem omnium humorum expertem & immixtam, quæ transitu suo super intestina morsus & exesiones faciens, difficultatem intestinorum merito facit, quod molestum est.

Δυσεντερίη. idest, Intestinorum difficultas.] scilicet superuenit. Et siue Malum, additum sit, uel non sit additum, subintelligere oportet.

GALENVS

DEIECTIONES sinceras solet (ut dixi) Hippocrates nominare, impermixtas aquosæ humiditati; quę solum habent sincerum illum, qui infra deijcitur humor, siue sit flaua bilis, siue atra. Nihil igitur mirum, si in talibus deiectionibus aliquod intestinum exedatur.

BRASAVOLVS

IN HAC breui Commentatione Galenus docet, ab Hippocrate dici deiectiones ἀκρήτους, idest sinceras, illas esse quæ sunt impermixtæ aquosæ humiditati, quæ unum solum humorem excernunt, & illum quidem purum & sincerum, uel sit flaua bilis, uel atra. Nihil igitur mirum sit, si in his deiectionibus aliquod intestinum exedatur, & difficultas intestinorum fiat.

APHORISMVS XXIIII

IN ossis præcisione, desipientia, si in uacuum apprehenderit.

BRASAVOLVS

MVLTA sunt humani corporis ossa, tamen & si Hippocrates simpliciter de ossis præcisione sermonẽ habeat, opus est intelligere in capitis osse, si præcisio facta sit, quæ usq; ad illam cauitatem pertingat, quæ miningas & cerebrum continet, stupor & desipientia consequi possunt: quæ si consequantur, indicium est aut miringas ipsas, aut cerebrum esse læsum. Possunt uero esse læsa, uel quia simul incisa, uel quia materia sit sub osse collecta, & putrefacta stuporem & desipientiam faciens, quod malum est. nam ex hoc multi pereunt: & ideo uel malum expresse positum sit, uel non positum, subintelligẽdum est. In decimoquarto huius libri aphorismo de percussione loquebatur, dicens, In capitis ictu stupor, uel desipientia, malum. hic uero de præcisione loquitur, quamuis & ille locus in pręcisione intelligi posset. imò Celsus libro secũdo, capite septimo, aphorismum ita refert, Vbi caput uulneratum est, delirium.

ἐπὶ ὀστέου διακοπῇ (alter contextus habet παρακοπῇ) idest, In ossis præcisione.] quando scilicet uulnus alicui illatum fuerit per rem incidentem.

ἔκπληξις, idest stupor.] Hæc particula in Leoniceni codice non aderat, neq; in Aldino, neq; in prima lectione nostri antiqui adest: in secunda uero lectione habetur, & in Philothei contextu: imò ipse in sua Commentatione illam repetit, inquiens, ἐνταῦθά φησιν, ὅτι ἂν τὸ τῆς κεφαλῆς ὀστοῦν διακοπῇ, ὡς φθάσαι τὴν διαίρεσιν μέχρι αὐτοῦ τοῦ κενεῶνος, ἤτοι τοῦ παντὸς τοῦ περιέχοντος τὸν ἐγκέφαλον, ἐξ ἀνάγκης παραφροσύνη γίνεται, καὶ ἔκπληξις. idest, Hic dicit, quod si capitis os præcisum fuerit, ut diuisio usq; ad ipsam cauitatem perueniat, idest usq; ad omnia quæ cerebrum continent, desipientia ex necessitate fit; & stupor. uel modo adsit, uel non adsit, nihil refert.

Καὶ παραφροσύνη. idest, Et desipientia.] scilicet superuenit; non quia id necessarium sit, sed si superueniat.

ἢν κενεὸν λάβῃ. idest, Si in uacuum apprehenderit.] Alij codices habent κενεόν, alij κενεῶνα. at quo ad rem ipsam, nihil est: nam Hippocratis sensus est, In ossis capitis præcisione, quæ usq; ad illam cauitatem peruenerit, in qua cerebrum continetur, stupor, & desipientia superuenit, non quidem necessario: sed uel si collecta materia sub craneo ibi putrescat, uel si membranæ ipsæ læsæ sunt, & hoc malum est: etenim mors plerũq; consequitur: nam & cerebrum ipsum compati, necessarium est.

GALENVS

IN OSSE quod in capite est præciso uidelicet, non simpliciter, neq; utcunq; contigerit, sed usq; ad interiorem superficiem, quam uacuus excipit locus qui cerebrum

continet

continet, si desipientia fiat: nam iam passio proxima existit membranis, & cerebro. Marinus autem nescio quomodo legẽdum seorsum existimat, In ossis præcisione desipientia: & rursus seorsum facit principiũ aphorismi secundi, Si uacuum apprehenderit: adijciens ipsi, Ex potu medicamenti conuulsio, mortale. ita quod totus aphorismus talis fiat, Si uacuum apprehenderit ex medicamenti potione conuulsio, mortale. Rationabiliter enim (inquit) hoc dici, Semper enim factam ex euacuatione conuulsionem damnari ab Hippocrate. Sed hoc quidem recte Marinus inquit, quod propter immodicã euacuationem facta conuulsio est exitialis. sic igitur & facta ex potione medicamenti, est exitialis. Verum non animaduertit, quod sermonem priorem falsum ostendit: nam aperte falsum est, quod in ossis præcisione desipientia fiat. Neq; enim ex alicuius ossis alterius, neq; eius quod cerebrum tegit, præcisione dementia sequitur, antequàm ad membranas passio pertingat.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, os capitis intelligẽdum esse, quod simpliciter non sit præcisum, neq; utcunq; contigerit, sed usq; ad intrinsecam superficiem, quæ cerebrum continet, si desipientia fiat, malum est. nam passio est propinqua membranis & cerebro, ut necessarium ferè sit hæc passionem communicare.

SECVNDO docet, Marinum fecisse hunc unum integrum aphorismum, In ossis præcisione desipientia: deinde facit secundam partem, alium esse aphorismum, simul illam coniungens cum sequenti aphorismo, inquiens, Si uacuum apprehenderit ex potu medicamenti conuulsio, letale. Et hoc non esse extra rationem dicebat Marinus, quia conuulsionem ex inanitione factam semper damnauit Hippocrates.

TERTIO Galenus in hoc Marinum laudat, qui dixerit, cõuulsionem ex inanitione factam ob immodicam euacuationem esse exitialem. nam & exitialis est, si ex potu medicamenti facta sit. Tu uero intellige medicamentum egregie euacuans: nam si moueret, & non euacuaret, sed humores ad aliquas neruosas partes duceret, opus esset ex repletione potius fieri conuulsionem, quàm ex inanitione.

QVARTO Marinum reprehendit in suo primo aphorismo, qui erat, In ossis præcisione desipientia fit. nam nullum os est, quod præcisum demẽtiam inducere possit: imò neq; ad os, quod cerebrum tegit, si incidatur, sequitur dementia, nisi passio ad membranas saltem perueniat.

APHORISMVS XXV

Ex medicamenti potione conuulsio, letalis est.

BRASAVOLVS

QVINTO Aphorismorũ libro, aphorismo primo & quarto, huius loci sententiam adeo enucleate explicauimus, ut in præsentiarum interpretatione non indigeat: simulq; omnes conuulsionis causas adduximus, ostendentes quomodo ex epoto medicamẽto conuulsio fiat: & quod illa de qua nunc agit, ex inanitione fit, quam Hippocrates letalem semper prædicauit. & nunc ne mente excidat, iterum repetit: ut medicus in prædicendo sit prouidus: nempe uidens ex potione medicamenti supra modum euacuantis, & neruos exiccantis conuulsionem fieri, mortem futuram prædicat. Vnde & Hippocrates in Epistola ad Democritum de helleborismo dicit, conuulsio post ueratrum letalis est: si in magna purgatione superueniat, malum est. Philotheus uero letale dicit, quoniam δηλοῖ ἄμετρον ξηρότητα, idest immodicam siccitatem ostendit.

ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες. idest, Ex medicamenti potione conuulsio, letale.] Nam fit immodica euacuatio, quæ præter modum nerueas partes exiccat, & adeo contrahit, ut ex inanitione conuulsionem inducat.

GALENVS

MEDICAMENTI potiones, & medicationes, consueuit Hippocrates propriè nominare eas tantum, quæ cum purgantibus fiunt medicamentis. Quod uero conuulsio quæ fit istis supra modum euacuantibus, letalis existat: si quis eorum meminit, quæ sæpius à nobis sunt dicta, non ignorat.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratē per φαρμακοποσίας, i. medicamēti potiones, & medicationes, illas proprie solum appellasse, quæ cum purgantibus fiunt medicamētis.
SECVNDO docet, si quis illa memoriæ seruet, quæ ab ipso sæpius dicta sunt, non ignorat conuulsionem quæ his fit supra modum euacuatis esse letalem.

APHORISMVS XXVI

IN forti dolore uentris, partium extremarum frigiditas, malum.

BRASAVOLVS

IN PRIMO huius libri aphorismo, qui hoc modo incipiebat, In morbis acutis frigus partium extremarū, malum esse, pręsentis aphorismi causam assignauimus, qui uniuersalis non est, sicuti primus: sed in uno acuto morbo, qui est uentris dolor, frigus partium extremarū malum esse dicit: nam hoc frigus fieri non potest, nisi sit magna inflammatio in uisceribus, ad quam totus sanguis & spiritus eant, ut morbo oppugnent: propterea extremas partes sanguine & spiritu, & consequenter calore uacuas relinquunt. Celsus uero in fine octaui capitis secundi libri, Illum præter spem ponit, cui in magno dolore extremæ partes frigent. Ipse uero uentris dolorē non specificat, tamen nulli sunt uehementiores dolores ijs qui circa uentrem sunt: quāuis Plinius libro uigesimoquinto Naturalis historiæ, prope capitis tertij finē de doloribus, ita distinguat & dicat, Qui grauissimi ex his sint, discernere stultitia proprie uideri potest, quum suus cuiq; ad præsens quisq; atrocissimus uideatur. Et de hoc tamen iudicauere aui experimento. Asperrimos cruciatus esse calculorum à stillicidio uesicæ, proximū stomachi, tertium eorum qui in capite doleant, non ob alios fere morte conscita. Nos uero stomachi dolorē omnibus alijs præmittimus, & per stomachū intestina etiam intelligimus, experientia hoc monstrante: quoniam nec ex capitis dolore, nec ex calculorum dolore, ita cito obeunt homines, ut ex stomachi, uel gracilioris intestini dolore faciunt. hocq; indicium est, calculi dolorem non esse adeo grauem, ut gracilioris intestini uel stomachi est.

ἐν ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν παρὰ τὴν κοιλίαν. idest, In forti dolore eorum quæ sunt circa uentrem.] Tuq; intellige omnium eorum quæ sunt circa uentrem. nam hic dolor in uentriculo, in iecore, & in intestinis esse potest: sed non est fortis, nisi magna adsit in illis partibus inflammatio, ad quam sanguis & spiritus decurrunt, & partes extremas, & quæ in circunferentia sunt, exangues dimittunt. Philotheus dicit hunc dolorem fieri, διὰ φλεγμονὴν, ἢ ἕρπητα, ἢ ἐρυσιπελατώδη ὄγκον. idest, Ob inflammationem, uel herpeta, uel tumorem erysipelatodem.

ἀκρωτηρίων ψύξις, κακόν. idest, Partium extremarum frigiditas, malum.] Nam hæc frigiditas fieri non potest, nisi adsit magna inflammatio, ad quam ob dolorem & caliditatem spiritus & sanguis mouentur: uel ob uirium imbecillitatem, quæ ex doloris intensione sequatur. Vnde à Philotheo malum esse dicitur, quoniam δηλοῖ ἀσθένειαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, ἢ φλεγμονὴν ἀξιόλογον, ἥ τις δίκην σικύας καθέλκουσα τὸ αἷμα ἕλκουσα, ψυχρὰ καταλιμπάνει τὰ ἄκρα. i. ostendit caloris innati imbecillitatē, uel insignē inflammationē, quæ cucurbitulæ modo, ut dictum est, sanguinem trahens extrema frigida derelinquit.

GALENVS

FIT QVIDEM & sicuti suprà dictum est, ob magnitudinē inflammationis in uisceribus partium extremarū frigiditas. Fit autem & propter animæ defectum, uel quia calor natiuus extinguatur, uel quia propter multitudinē strangulετur, & tum præcipue, quum frigida fuerit: fit autem & propter dolorem uehementem, medias corporis partes occupantem, ob quem natura in seipsam contrahitur, & ad eam consequitur sanguis, non solum extremas corporis partes derelinquens, ueluti pedes & manus & caput, sed & cutem uniuersam. Causam igitur quandam particularem dixit Hippocrates hoc in sermone partium extremarum frigiditatis, sicuti & in pluribus alijs sermonibus hoc ipsum fecisse ostendimus: & nihil mirandū illum, qui primus multa adinuenit, non omnium simul, sed singulorum particulatim fecisse inuentionem.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet (ut superius etiam fecerat) extremorũ frigiditatem, ob inflammationis magnitudinem, quæ in uisceribus est, quandoq; fieri, & quandoq; ob animæ defectũ. & in defectu animæ frigiditas illa ex duobus fieri potest, uel quia natiuus calor extinguitur, uel quia ob multitudinem strãgulatur, & hoc præsertim si multitudo sit frigida. Fit etiam hæc extremorum frigiditas, & ob uehementẽ dolorem medias corporis partes occupantem: nam in dolore natura contrahitur, ut affectioni occurrat. naturam uero non solum sanguis ille qui in extremis est partibus cõcomitatur, sed etiam ille qui in uniuersa cuti & toto corpore continetur.

SECVNDO Galenus docet, hic ab Hippocrate particularẽ causam frigiditatis extremarum partium dici: nam solius fortis doloris mẽtionem facit, & aliarum causarum non meminit, ut in alijs etiam rebus plerũq; fecit Hippocrates. Tu q; in hoc Hippocratem reprehendere non debes, quoniam quum ipse primus multa adinuenerit, non facit omnium simul mẽtionem, sed singulorum quandoq; particulatim: ut ex his Hippocratem excuset, qui causas omnes frigiditatis extremorum hic non enumerauerit.

APHORISMVS XXVII

MVlieri utero gerenti si tentio superuenerit, facit aborsum.

BRASAVOLVS

NOS superius quinto libro, aphorismo quinquagesimoprimo ostendimus, in antiqua translatione esse hunc aphorismum cum quadam commentatione Galeno adscripta, quam tamen in Græcis codicibus nũquam inuenire potuimus. Sed uidimus illam esse Philothei commẽtationem, propterea in hoc loco Philotheus præsentis aphorismi nullam mentionem facit, utpote qui ipsum quinto libro interpretatus sit, Si mulieri utero gerenti tentio superueniat, quæ à Græcis τεινεσμὸς dicitur, abortit. nam opus est supra uterum comprimi, & ualde commoueri mulierem, atq; frequenter exurgere, quæ omnia abortum procurare solent.

γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ. idest, Mulieri in utero habenti] scilicet fœtum.

τεινεσμὸς ἐπιγενόμενος ἐκτρῶσαι ποιεῖ. idest, Tentio superueniens abortum facit.] Est uero tentio inanis & crebra egerendi uoluntas & appetẽtia. Leoniceno placuit uti hoc nomine tentio. Paulus libro tertio, capite quadragesimoprimo, eodem ferè modo definit, Tenesmon multũ esse desidendi impetum & cupiditatẽ, paucis admodum sequentibus excremẽtis. Aetius etiam libro nono, capite quadragesimotertio, ita definit: Est autem tenesmos egerendi promptitudo, quæ differri, atq; euitari non potest. Dicitur uero ἐκ τοῦ τείνεσθαι, quod est conari. Vnde & Galenus in Isagoge sibi adscripta tinesmon fieri dicit in recto intestino, quem Latini longanonem uocant: nempe intestinum hoc inflammatur & conatus continuos, & cupiditates desidendi facit. At in Definitionum libro, qui etiã Galeno adscribitur, facit hanc passionẽ in ultima longanonis parte, quando multos habet desidendi impetus & cupiditates, & exigua profluant excrementa.

Celsus libro quarto, capite decimooctauo, Græco nomine utitur, dicens: Est autem aliud leuius omnibus proximis, de quibus suprà dictum est, quod τεινεσμὸν Græci uocant: id neq; acutis neq; longis morbis annumerari debet, quum & facile tollatur, neq; unquam per se iugulet. In hoc æque atque in torminibus frequens desidendi cupiditas est, æque dolor ubi aliquid excernitur: descendunt autem pituitæ, muccisq; similia: interdum etiam leuiter subcruenta, sed his interponuntur nonnunquam ex cibo quoque recte coacta. Si hic Celsum consideremus, uidebimus comparationem facere inter tinesmon, & tormina, idest difficultates intestinorum, quod ab antiquis accepit: nam ut ex Galeno sumi potest in Commentatione primi aphorismi sexti libri, Erasistratus leuitatem intestinorum in tres partes diuidebat: in difficultatem intestinorum, in leuitatem intestinorum, & in τεινεσμὸν, quem Leonicenus tentionem uertit, Erasistratusq; tinesmon esse dicebat, cum biliosa mixta cum sanguinolentis atq; muccosis excernũtur.

Vnde

unde apud Erasistratum erat species profluuij alui ab alijs distincta. & re uera nos quandoque tinesmon uidimus, tamen ad aliquam profluuij uentris speciem duci non poterat, & in meipso expertus sum pati tinesmon, & nihil unquam exiuit per quod modicissima illa defluxio, uel intestinorum leuitas, uel difficultas, uel diarrhœa nominari possit: tamen si ad unam speciem ducere uoluissem, ad diarrhœam potius quàm ad aliam speciem deduxissem, quia parum quid albi cum fecibus exibat, id salsam pituitam esse constabat. Plinius etiam semper Græco uocabulo utitur tenasmos, & per c, quia ipse legit τῄνασμός, non τενεσμός. sed hoc ad rem nihil facit, uel tenasmos, uel tinesmos dicatur. Plinius libro uigesimooctauo, capite decimoquarto, tenasmon definire uidetur, uel saltem describere, inquiens: Tenasmos, idest crebra & inanis uoluntas egerendi. uideturque colligi posse ex Plinio libro trigesimosecũdo, capite sexto, duplex esse tenasmi genus: unum cum exulceratione, aliud absque exulceratione: nam de ostreis agens dicit, eadem cocta cum mulso, tenasmo, qui sine exulceratione sit, liberat. ut alium esse constet, qui cum exulceratione sit. Hippocrates post principium libri De morbis qui extra, inquit, quum tenesmos capit, sanguen, muccum, saniemque demittit, uentriculusque inferior laborat: tuncque maxime quum uti egerat, desidet. Paulopost dicit, Morbus autem hic ijsdem fit, quibus & difficultas intestinorum: mitior tamen est, & breuior, minus'ue letalis. Puto Celsum ex hoc Hippocratis loco accepisse, in quo & ipse Hippocrates tenasmon inter alui profluuia numerare uidetur, tamen tinesmos uere est egerendi uoluntas sine aliqua uel minima emissione. At ipsa affectio consistit solum in continua egerendi uoluntate, fitque humoribus acutis & salsis, qui sui uestigium relinquunt supra intestinũ, ideo ut plurimũ simul cũ alui profluuijs fiunt, & potissimũ cum difficultate intestinorũ.

GALENVS

CIRCA intestinum quod rectum nominatur tentio fit, eãdem habens causam, ac dispositionem quam in difficultatibus intestinorum suscipiunt illa quæ superius iacent intestina. Hæc autem passio nomen accepit, ut inquiunt ab illa quæ fit in ea tentione, ob quam cum cacare uehementer appetant continue exurgunt. Ob talem igitur tentionem, atque molestiam, & totum aliud corpus laborat, sed præ cæteris matrix, quæ cognata est recto intestino. Nihil autem mirum si propter uehementes, atque frequentes exurrectiones, conceptus abortitur, quando & ex alijs omnibus fortibus motibus, atque doloribus mulieres grauidæ solent abortire.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, τενεσμόν. idest tentionem fieri circa intestinum illud quod ἀπευθυσμένον, idest rectum uocant.

SECVNDO docet, eandem esse tinesmi causam, quæ est in intestinorum difficultate, & eandem esse dispositionem: nam illa suscipit, quæ in superioribus intestinis sunt.

Quod legitur, Suscipiunt illa quæ superius iacent intestina: Græce est, λαμβάνει τῶν ἄλλων τι τῶν ὑποκειμένων ἐντέρων. idest, Suscipit aliquod ex his quæ intestinis supraposita sunt.

TERTIO docet, hanc passionem nomen habere ab ea tentione quæ in ea est, ob quam quum uehementer excernere appetunt, continuo exurgunt.

QVARTO docet, ob eam tentionem uniuersum corpus laborare, sed potissimum matricem, quæ intestino recto cognata est, atque propinqua. Vnde non mirum est, si ob uehementes & frequentes exurrectiones cõceptus abortitur, nam & utero gerentes ex omnibus alijs fortibus motibus atque doloribus abortire solent.

APHORISMVS XXVIII

QVando os, aut chartilago, aut neruus abscinditur in corpore, non augetur.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus nulla interpretatione indiget, quoniam libro sexto, aphorismo decimonono, ipsum diffuse interpretati sumus: nempe seminaria membra neque augentur, neque

neque coalescunt abscisa, ob siccitatem suam, exceptis quibusdam pueris.

ὅτι αὖ ὀστέον ἢ χόνδρος ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὐκ αὔξεται. idest, Quādo os, aut chartilago, aut neruus abscinditur in corpore, non augetur.] Quia sunt membra seminalia, frigida & sicca, Philotheo etiam dicente, διὰ τὸ εἶναι ψυχρὰ καὶ ξηρά, ἢ ὅτι ὡς εἴρηται ἐκ σπέρματος ἔχει τὴν γένεσιν. idest, Quoniam sunt frigida & sicca, uel quoniam ut dictum est, à semine generationem habent.

GALENVS

Et hic aphorismus iam scriptus est antea, his uerbis, Quando discissum fuerit os, uel chartilago, uel neruus, uel maxilla tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coalescit, & nos in sexto Commentario ipsum antea exposuimus.

BRASAVOLVS

GALENVS huius aphorismi interpretationē prætermisit, quoniam in sexto libro, aphorismo decimonono eius rationē edocuerat, quādo ab Hippocrate dicebatur, cum discissum fuerit os, uel chartilago, uel neruus, uel maxilla tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coalescit. scito tamē quod hic dicit, uel maxilla tenuis, Græce est, ἢ γνάθου τὸ λεπτόν. idest, Vel tenue maxillæ. Leonicenus uero in aphorismo sexti libri præcitato eammet particulam interpretabatur, genæ particula tenuis. sed quomodocunque interpretetur, uel de gena, uel de maxilla, uerus est aphorismus: nam & oculi gena, & tenuis maxillæ pars, & labia si abscindantur, non coalescunt, neque augentur.

APHORISMVS XXIX

Qui alba pituita detinetur, si fortis uentris fluxus superuenerit, à morbo liberatur.

BRASAVOLVS

ANTIQVIORES medici leucophlegmatiam speciem quandam hydropis nominarunt, quam posteriores & hyposarcam & anasarcam dixere, ex pituitosis humoribus utplurimum factam. Si quis igitur hac detineatur, & fortem uentris fluxum incidat, ab hoc morbo liberatur: quoniam materiæ illæ quæ morbum faciebant, euacuantur.

ἢν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ. idest, Si ei qui ab alba pituita detinetur.] hoc est, ab ea aquæ intercutem specie, quam leucophlegmatiam antiqui uocant. nam Celsus libro tertio, capite uigesimoprimo, de aqua intercutem agens, in tres species illam distinguit. Nam modo uentre uehementer intento creber intus ex motu spiritus sonus est modo corpus inæquale est, tumoribus aliter aliterque per totum id orientibus: modo intus in unum aqua contrahitur, & moto corpore ita mouetur, ut impetus eius conspici possit. primum τυμπανίτην, secundum λευκοφλεγματίαν uel ὑποσάρκα, tertium ἀσκίτην Græci nominant. Est ergo alba pituita, species illa aquæ intercutem, quæ etiam subcarnosa uocatur, & à Græcis λευκοφλεγματία. Vnde & Philotheus dicit, περὶ λευκοφλεγματίας ὕδρωπος οὗτος ὁ λόγος τῷ ἱπποκράτει. idest, De aqua intercute leucophlegmatia hic sermo Hippocrati est. Hippocrates in ultima parte quarti libri De ratione uictus in morbis acutis, de duabus solum aquæ intercutis speciebus mentionē facit, scilicet subcarnosæ, & eius quæ ex flatibus fit, de aquosa non agit: tamen in alijs multis locis, & in quarto libro De morbis, de aquosa speciatim tractat. Paulus libro tertio, capite trigesimooctauo: & Aetius atque Trallianus suis locis, de leucophlegmatia, idest alba pituita differūt.

διάρροια ἐπιγένηται ἰσχυρή. idest, Fluxus uentris superuenerit fortis.] Et non modo fortis, sed etiam qui diu perseueret, & in quo pituita & materiæ crassæ hunc morbū facientes exoluantur. Vnde à Philotheo dicitur, fortem diarrhœam, τουτέστι τὴν παράτασιν χρόνου γινομένην. idest, Hoc est per extensionem temporis factam: nam si solum per unum uel duos dies fieret, non esset necesse consequi quod dicit, scilicet

λύει τὴν νοῦσον. idest, A morbo liberatur.] Quia tota illa materia exit, quæ leucophlegmatiam inducebat: Philotheo etiam dicente, A morbo liberari, τῷ λόγῳ τοῦ ἐκκενοῦσθαι τὴν νοσοποιὸν αἰτίαν. idest, ea ratione, quod causa quæ morbum facit, euacuatur

euacuatur, scilicet pituita illa. Hic uero unum annotare debes, quod alias à probis uiris dicitur, profluuium uentris in aqua intercute esse letale indicium. Sed considerandum est profluuiũ an sit cum integris uiribus, uel cum imbecillibus. Si cum integris sit, semper prodest: si cum imbecillibus letale, quia non est naturæ excretio, sed potius uiolentus quidam exitus ob uirtutis contentiuæ imbecillitatem.

GALENVS

CONSVEVERE & alij medici quandam aquæ intercutis speciem albam pituitam nominare, quasi uidelicet sit etiam pituita liuida, uel tanquam sui quidem ratione sit semper alba, sed propter mixtionem quorũdam aliorum humorum uerum mutet colorem. Potest autem & sicuti in libro De articulis scripsit, uertebræ quæ in spina sunt, non tãquam sint alibi uertebræ, uolens distinguere, sed simplici utens adiectione, ita & hoc in loco absque distinctione, albi fecisse adiectionem. Hoc autem ex forti alui profluuio, uel diuturno (utrunque enim scribitur) solui albæ pituitæ superabũdantiam commune est ad multa alia, quæ ita ab eo dicta sunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, non solum Hippocratem, sed etiam alios medicos unam aquæ intercutis speciem, consuetos esse nominare λευκοφλεγματίαν, idest albam pituitam: ac si dicere uelint esse etiam pituitam liuidam: uel tãquam ipsa ex sui natura sit semper alba: sed ob mixtionem aliorum humorũ uerum colorem mutet. Tamen intelligere possemus, sicuti in libro De articulis intellexit, quando dixit, Vertebræ quæ in spina sunt, non tanquam essent aliæ uertebræ extra spinam, quæ ab his distinguerentur, quæ in spina sunt, sed utens illa simplici adiectione: eodẽ modo & hic sine aliqua distinctione albi fit adiectio. Philotheus & ipse dicit, λευκὸν δὲ εἶπεν φλέγμα, ἢ πρὸς ἀντιδιαστολὴν ἄλλου· ἔστι γὰρ καὶ πελιδνὸν φλέγμα, ἢ διὰ τὸ ὂν ὡς τὸ γάλα λευκόν. idest, Albam uero pituitam dixit, uel per distinctionem alteri oppositam: nam & reperitur liuida pituita, uel quod ita existat, ut lac album.

SECVNDO Galenus docet, hanc particulam Ex forti alui profluuio, uel ex diuturno, ut alij contextus habent, solui albam pituitam, esse commune ad multa alia, quæ ita ab eo dicta sunt: nam superius in sexto libro multa dixit quæ curantur, si alui profluuium superuenerit. Ideo huic albæ pituitæ hoc non est propria cura, sed est communis & multis alijs.

APHORISMVS XXX

QVibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc aphorismum indistinctum esse iudicauit, & eius sentẽtiam apud antiquos interpretes satis dubiam fuisse, quoniam ipsi uiam inuenire nesciuerunt, quomodo excrementa spumosa ex capite defluunt: tamen Hippocratis sensus est, Qui profluuijs alui uexati, excrementa spumosa habent, his necessarium est pituitam facientem profluuiũ ex capite defluere: nam spuma fit, tum ex flatu pituitæ mixto, tum ex uia longa: nam & magna atq; longa rei humidæ agitatio, spumam facit, ut in mari uentis agitato contingit. Fit uero spuma ex humiditate & flatu. Philotheo hic etiam dicente, ἀφρὸς δὲ ὑγροῦ καὶ πνεύματος σύγκειται. ἐὰν οὖν ἐν ταῖς διαῤῥοίαις φανῇ, εἰκότως ἀπὸ τῆς κεφαλῆς καταῤῥεῖ. καὶ γὰρ ὁ ἐγκέφαλος, τούτων τῶν δύο εὐπορεῖ, τοῦ μὲν κατὰ οὐσίαν, τοῦ δὲ κατὰ κρᾶσιν. κατ' οὐσίαν μὲν ὅτι ὑγρός ἐστιν, κατὰ κρᾶσιν δὲ, ὅτι ψυχρός ἐστιν, ἡ δὲ ψυχρὰ κρᾶσις πνεύματός ἐστιν γεννητική. idest, Spuma ex humiditate & flatu componitur. Si igitur in profluuijs appareat, consentaneum est à capite profluere. etenim cerebrum his duobus abundat, eo humido quidem per substantiam, hoc flatu uero per temperaturam. per substantiam quidem, quoniam humidum est, per temperaturam uero quoniam frigidum est. Frigida autem temperatura flatuum est generatiua.

ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ ὑποχωρήματα ἐν τοῖς διαῤῥοίαις. idest, Quibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt.] Illa uero sunt excrementa spumosa, in quibus sunt multæ bullæ, quæ fieri non possunt, nisi ex cōmixtione humiditatis & flatus per multum motum, ut in mari fit, quando commouetur: & in lebetibus, quando feruent, nam & commotio, & calor agitans, atq; attenuans in lebetibus spumam facit.

τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς φλέγμα καταῤῥεῖ. alter contextus habet ἀποκαταῤῥέει, at sensus est, ijs ex capite pituita defluit. nam à longinquo loco defluere oportet, si spumosa esse debeat, ut ex uehementi motu & impetuoso, longaq; uia bullæ fiant, uel quia necessario pituita flatui mixta est. Sed de re ipsa, an hoc sit certum signum, uel incertū. Dicimus, omnino in alui defluxibus à capite prouenientibus semper uidimus excremēta spumosa, & causam esse putamus pituitę naturā, quæ ex capite ad uentriculum, deinde ad intestina transmittitur, quæ facile in flatū pro sui parte uertatur, immo hoc fiat in uia, postea descendens cum mixtione pituitæ simul & flatus bullæ fiunt, quæ multæ simul collectæ, spuma sunt. tamen si flatus in uentriculo sit, aut in intestinis, profluuium spumosum esse potest, & tamen à capite non prodibit. propterea quādo cognoscere uolueris an à capite prodeat, præter hoc signum, etiam considera, an doleat uel doluerit prius caput, & profluente humore minuatur, aut cesset.

GALENVS

HOC indistincte dictum est, forent enim aliquando excremēta spumosa spirituoso humore ex capite ad uentriculum defluente. Fieret autem & uasis, qui ad ipsum perueniunt illum effundentibus. Fieret etiam quando in ipso uentriculo unam habens, ut quispiam diceret causam contentiuam, quomodocunq; excernatur, aut fiat, antecedentes uero plures. Est autem huius pituitæ causa cōtentiua flatuosus spiritus, dum humori commiscetur uehementem habens motum & inæqualem, ita quod & ipse disrumpitur & pituitam frangit in multas partes & paruas. Talis uero motus ipsius est causa, & propria natura, & nonnunquam multitudo caloris. Sic & in his quæ elixantur apparet spuma, & maximè cum tenacem habuerint naturam. In mari etiam uiolentia uentis agitato. Qui uero arbitrātur à pulmone ad uentriculū peruenisse, atq; ideo ipsam uideri spumosam, nescio quid inquient de his, quibus fiunt à capite ad pulmonem fluctiones manifestæ. Oportet enim & in his alui excrementa esse spumosa, uerum hi neq; spumosa per sedem excernunt, neq; cum tussi expuunt, & tamen sæpius manifeste quæ sunt in uiscere asperæ arteriæ sunt eo oppletæ, quod defluxit à capite, quod iam concoctum est puri simile, sed spumosum minime. Sed neq; omnino ex pulmone spumosum sanguinē expuunt. Videtur itaq; cum ex propria substantia uisceris simul quicquam effertur, sanguinem esse spumosum. Sed & qui morbo laterali laborant aliquando spumosum expuunt, sed raro. His uero etiam rarius qui inflammationem pulmonis patiuntur, calore autem, ut mihi uidetur, intemperato, atq; igneo in patientibus partibus aggregato. Si uero quod à capite defluit ad asperas pulmonis arterias, ut nōnulli uolunt, permeat ad inferiora, primum ad uentriculos cordis ipsum peruenire oportebit, post hoc duorum alterum, primum per cauam uenam ad gibba hepatis, deinde illinc ad caua, & ita per portas ad intestinorum inuolucra: aut primum quidem, ad magnam arteriam, deinde sic ad illam quæ est in mesenterio. Et quomodo adhuc spumosum remaneret sanguini mixtum, & tot cum eo uenas pertransiens?

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Aphorismi sententiam indistinctam esse. nam & si alui profluuium spumosum sit, statim inferre non debemus, quod ex capite sit nisi alia quædam signa prænouerimus. Nam hoc uerum est, quandoq; spirituoso humore ex capite ad uentriculum defluente, excrementa spumosa fieri: tamen & fiunt excrementa spumosa, uasis quæ ad uentriculum perueniunt illum effundentibus. fit & quandoq; una existente in uentriculo (ut ita dicam) contentiua causa, & pluribus antecedentibus. est uero huius pituitæ contentiua causa, flatuosus spiritus, habens uehementem motum & inæqualem dum uentus alicui humori commiscetur, unde necessarium est ipsum spiritum flatuosum disrumpi, & qui etiam pituitam in multas paruas partes disrumpat, & ideo talis motus est illi causa spumæ, & propria sua natura. quandoq; etiam caloris mul-

titudo spumam facit, ut cum res aliquæ ebulliunt, sicuti in his quæ elixãtur, ob calorem spuma uidetur. In mari uero uiolentis uentis agitato, fit propter motum & commixtionem simul flatus & aquæ portionibus fractis.

Quod in principio legitur, forent enim aliquando. Græce est, γίνοιτο μὲν γὰρ ἄν ποτε, idest, fiunt enim aliquando, fieri enim possunt aliquando.

Quod etiam legitur, fieret enim quando in ipso uentriculo unam habẽs ut quispiam diceret causam contentiuam, Græce est συσταίη δ' ἂν γίνοιτε καὶ περὶ τὴν γαστέρα, μίαν μὲν, ὡς ἂν εἴποι τις, ἐχομένην αἰτίαν συνεκτικήν, idest, Fieret eñ quandoq; & in ipso uentriculo unã, ut quispiam dixerit, habens causam contentiuã. Cum autem in præsentiarũ de contẽtiua causa, sermo inciderit, Scire oportet apud recentiores medicos magnam atq; miram difficultatem exagitari, de ęgritudinum causis. Nam qui Arabes sequuntur, simul cum Arabibus in omni morbo tria causarum genera inueniunt. unum uocant primitiuam causam, & illa est quæ extrinsecus morbum facit, aut ad morbum mouet. Aliud dicitur antecedens causa, & est illa causa, quæ in corpore existens morbum facere apta est, & nondum facit. Tertium uocant coniunctam causam, & hanc dicunt esse quamcunque causam quæ in corpore est, & iam actu morbum facit: ut exempli gratia, si quis per solem ambulet, & humores accendantur, qui alioqui ad inducendam febrem apti erant, sed re aliqua mouente indigebant, causa primitiua est sol: antecedens uero est ille humor, qui ad febrem inducendam aptus erat, antequàm induceret: coniuncta causa est humor, qui iam actu febrem facit, si per aliquot dies hæc febris perseueret: humor qui est in corpore, & qui febrem facere debet antequàm faciat, semper est causa antecedens, cum uero facit, est causa coniuncta. Sed Recentiores qui Galeni dogmata sequuntur, dicunt, apud Galenum non inueniri nisi duo genera causarum, antecedẽtem scilicet & primitiuam. & re uera, si Galenum considerare uoluerimus, ubi de causis mentionem facit, uidebimus omnino duarum causarum mentionem facere. nam in secundo De morborum causis libro post principium, cum de multis morborum causis in specie pertractasset, dicit, πάλιν οὖν ἐπανελθόντες ἐχώμεθα τῶν προκειμένων. ἦν δὲ οἶμαι προκείμενον, ἑκάστου τῶν ἁπλῶν νοσημάτων εἰπεῖν τὰς προηγουμένας αἰτίας, ἄχρι καὶ τῶν προκαταρκτικῶν. οὐδὲν γὰρ χεῖρον τοῖς οὕτω διαστειλαμένοις τὰς προσηγορίας, τοῦ σαφοῦς ἕνεκα ἀκολουθῆσαι, τὰς μὲν δὴ κατ' αὐτὸ τὸ ζῶον, εἴτ' οὖν διαθέσεις, εἴτε καὶ κινήσεις παρὰ φύσιν, αἰτίας ὀνομάζουσι προηγουμένας νοσημάτων. τὰ δὲ ἔξωθεν προσπίπτοντα καὶ ἀλλοιοῦντα καὶ μεταβάλλοντα μεγάλως τὸ σῶμα, προκατάρχοντά τε καὶ προκαταρκτικὰ καλοῦσιν αἴτια. idest, (Si Copum imitari uelimus) redeamus igitur ad id quod propositum nobis erat. nempe ut singulorum simplicium morborum causas explicemus, tum præcedentes, tum procatarcticas, idest, euidentes. neque enim fuerit absurdum dilucidioris doctrinæ gratia eas huiusmodi nominibus distinguere. eas igitur quæ in animali ipso consistunt, siue affectus sint, siue actiones præter naturam, causas nominant morbum præcedentes. Quę uero extrinsecus adueniunt, si uehementer alterantur, immutantq; corpora, ea interim procatarchontas, interim procatarcticas causas appellant. Vt ex hoc Galeni loco facile coniicere posis solum esse duas causas, προηγουμένας, quas aliqui interpretantur pręcedentes, aliqui antecedentes, alij corporales. προηγουμένας Cicero in tertio De finibus interpretatur productas, promotas, præpositas, uel præcipuas. Sed de nominibus cura non sit, modo re ipsa conueniamus. & προκαταρκτικάς, quas aliqui interpretantur euidentes, aliqui extrinsecas, alij primitiuas. has etiam hic uocat Galenus προκατάρχοντας, quas aliqui interpretantur præincipientes, alij initiãtes, ut Hermolaus facit. Apud Galenum igitur manifeste apparet, in hoc loco solum esse duas causas, & in hoc loco nullam aliarum causarum mentionem facit, cum tamen id facere debuisset, & ad perfectam doctrinam necessarium fuisset, si alias causas præter has duas esse putaret, præsertim quia hic liber est De morborum & symptomatum causis, prius igitur causarum genera distinguere oportebat, postea ad particulares causas descendere. Præterea in primo Methodi medendi libro, cum de morborum causis tractaturus sit, dicit. Quartum uero ab his genus statuito, quod sit insalubrium causarum, atque harum, quæ quidem in animalis corpore consistunt, προηγουμένας, idest, præcedentes, uel (ut Recentes dicunt) antecedentes. Quæ extrinsecus προκαταρκτικά, idest, (ut Recentes inquiunt) primitiuas

primitiuas, uel externas: & in hoc loco, in quo potissimum de omnibus causis mentionem facere debuisset, solum meminit antecedẽtis, & primitiuæ. coniunctam uero præterijt ac si nunquàm nouisset, quod & in alijs multis locis facit. Adde & hoc, librum de causis procatarcticis fecisse Galenum, in quo quidem de antecedentibus mentionem facit, nunquàm uero de coniunctis. Immo, quod maius est, in libro De plenitudine, contra Herophili quosdam sectatores disputat, & probat non dari causam συνεκτικὴν, idest, contentiuam, uel (ut Recentes dicunt) coniunctam. Dicitq; se disputasse contra recentes quosdam stoicos de hac re, & ostendisse, illos ignorare quid per causam contentiuam intelligant. At quia Recentes dicunt, causam coniunctam illam esse, inter quam, & morbum nullæ intersunt causæ, propter hoc probemus hanc causam, inter quam & morbum nulla interiacet causa, esse causam præcedentem apud Galenum. nam in libro Artis medicinalis capite octuagesimooctauo secundum Leoniceni partitionem hoc modo legitur, Iam enim factum atque existentem morbum curare oportet, sed qui nondum quidem est, at futurus est, eum ne fiat, ab illo qui in corpore est, affectu prohibere conuenit. eius aũt qui adhuc fit, quod quidem factum est, curare: quod autem futurum est, ne fiat, prohibere oportet. prohibebitur autẽ sublato affectu, à quo quidem consueuit. Talis uero affectus causa antecedens uel præcedens nominatur. Factus uero iam morbus curabitur soluto eo affectu, à quo primum ea quæ secundum naturam est actio læditur, quem quidem & ipsum morbi essentiam dicimus esse. Ex quibus Galeni uerbis facile colligitur, inter morbum & antecedentem uel præcedentem causam nihil esse medium. nam is affectus apud Galenum, à quo primũ læditur actio, & à quo fit morbus, causa antecedens uel præcedens uocatur. Illud etiam addere decreuimus. Causæ coniunctæ naturam esse (si illam quis esse putet) cum adest, morbum adesse, & cum abest, abesse. Tamen Galenus libro primo Methodi medendi dicit, eius affectus qui actionem impedit, causæ possunt quidem etiam non esse, possunt autem & adhuc manere. at cum coniuncta causa non posit abesse, quin morbus auferatur, etiam hæc coniuncta causa, apud Galenum causa non erit. Et si fugiat quis dicens illam non esse coniunctæ causæ naturam, is à toto scopo aberrat. nam Auicena, & mox Recentes omnes illam per hoc definiunt. Hæc sunt quæ causam συνεκτικὴν, idest, contentiuam apud Galenum inueniri negant. Tamen sunt alia, quæ ex opposito certant. nam commentatio quam præ manibus habemus, non solum ostendit causam contentiuam esse, sed cuius affectionis sit, docet. Adde, non esse nomen nouum hoc αἰτία συνεκτική, idest, causa contentiua, sed apud antiquos extitisse, et erat ante Galenum, immo Galenus in libro contra Iulianum dicit, hoc nomen causæ contentiuæ à stoicis cœpisse: docetq; sui temporis recentes id nomen non recte usurpasse, tamẽ ne ipse de uocibus contendere uideatur, illo nomine utitur. Potest & in hũc ordinem introductorius liber adduci Galeno attributus, in quo de hac causa ita differit, συνεκτικὸν αἴτιον ἐστὶν οὗ παρόντος πάρεστι καὶ τὸ νόσημα, καὶ ἐξαιρουμένου, λύεται, ὡς σκόλοψ, καὶ βέλος, idest, causa contentiua illa est, quæ cum præsens est, & morbus præsens est: & cum aufertur, etiam morbus soluitur, ut spina, & telum. Certum uero est hanc definitionem causæ præcedenti competere non posse, quoniam plerunq; ea ablata, morbus adhuc perseuerat. Igitur contentiuæ uel coniunctæ solum competit, & consequenter una erit causa apud Galenum à præcedente distincta. In hunc ordinem illud referendum est, quod in Definitionum libro Galeno adscripto legitur, scilicet συνεκτικὸν αἴτιον, ὃ παρὸν μὲν παροῦσαν φυλάττει τὴν νόσον, ἀναιρούμενον δὲ συναναιρεῖ, ὡς ὁ ἐν κύστει λίθος. idest, Cõtentiua causa illa est, quæ cum præsens est, præsentem quoque morbum seruat. cum uero abest, morbum quoque aufert, ut in uesica lapis. Ex quo loco non solum habetur contentiuam causam esse, sed etiam definitur. Nos igitur hanc dubitationem soluere uolentes dicamus cum Nicolao Leoniceno causam coniunctam apud Galenum non inueniri. At cum constet in aliquibus locis à Galeno contentiuam uel cõiunctam hanc causam poni, propterea simpliciter proferẽdum non est, ut fecit Leonicenus, non esse apud Galenum causam coniunctam: sed ut in libro contra Iulianum habetur, ipse non uult nos eo nomine simpliciter uti debere, sed solum in his quæ esse habent dum fiunt. In his enim dicere potes, illam esse antecedentem causam, quæ opem morbo subministrat: & contentiuam, uel

coniunctam illam, quæ sub ipso iam est. Illæ uero sententiæ, quæ ex Galeno adducuntur in libro de plenitudine, ad aliud propositum esse uidentur, & quæ ex libro definitionum uel introductorio referuntur, Galeni non sunt. nam cōstat in illis libris multa esse, quæ Galeni dogmati ex diametro oppugnant. immo in his ipsis Definitionibus exempla & uana sunt, & Galeni dogmata peruertunt. nam lapis in uesica est morbus, non morbi causa apud Galenum: spina uero, aut telum, sunt extrinsecæ causæ. Breuibus igitur inferamus, apud Galenum solum esse contentiuam causam in his quæ esse habent, dum fiunt. In morbis uero qui iam constant, non est alia causa quàm præcedens, & si quis contentiuam in his etiam inuenire uoluerit, certe constabit esse morbum ipsum, & à morbo non differre. Hæc obiter in hac Galeni commentatione dicta sint. nam alias hanc rem diffusissime tractaturi sumus, præsertim cum inciderimus magna circa hanc rem doctissimorum uirorum dissidia, scilicet doctissimi uiri Sebastiani Montui, & celeberrimi Leonardi Fuchsij Marchionum Brandenburgensium Archiatri. Nunc igitur Galeni commentationem prosequamur.

Quod etiam legitur, talis uero motus ipsius est causa, lege ipsi est causa & non ipsius. nam grece dicitur αὐτῷ.

SECVNDO Galenus nonnullos reprehendit, qui dicebant ideo esse spumosa excrementa, quia à pulmone ad uentriculum deueniāt, sed de his miratur Galenus, quoniam cum à capite ad pulmonem fluctiones fiant, oportet in his alui excrementa esse spumosa: sed non sunt spumosa illa quæ per sedem excernuntur, neq; cum tussi expuuntur: tamen sæpe uidemus asperas arterias quæ in pulmone sunt, illius materię esse plenas quæ à capite defluxit. nam concoctum est, & puri simile, & nullam habet spumam, immo ex pulmone semper spumosum sanguinem nō expuunt, ac solum spumosus tunc est, quando ex propria pulmonis substantia simul quicquam effertur: immo & hoc experientia uidetur, eos qui morbo laterali laborant, quandoq; spumosum expuere, sed id est raro: & illi qui pulmonis inflammationē patiuntur, possunt quidem spumosum expuere, sed rarius quàm laterali morbo laborantes. Et ratio est cur quandoq; expuant, quia calor intemperatus atq; igneus in patientibus partibus aggregatur.

Vbi legitur, Quod iam concoctum quidem est puri simile, græce habetur ὃ πεφθὲν μὲν, ἀναπτύεται πύῳ παραπλήσιον. idest, quod coctum quidem est puri simile.

Quod etiam legitur, Sed neq; omnino ex pulmone spumosum sanguinem expuunt, legi debet, sed neq; semper ex pulmone. grece enim est, ἀλλὰ οὐδὲ αἷμα διαπαντὸς ἀφρῶδες ἀναπτύουσιν ἐκ πνεύμονος. Melius est interpretari hanc particulam διαπαντὸς semper, quàm omnino.

Quod etiam legitur, calore scilicet ut mihi uidetur, hęc particula Scilicet uacat.

TERTIO Galenus prosequitur, si id quod à capite defluit, ad asperas pulmonis arterias, & ut nonnulli uolunt, ad inferiora defluit, uideamus per quam uiam tendit. nam oportebit primum ad cordis uentriculos peruenire, deinde necessarium erit duorum alterum sequi: uel quod primum per cauam uenam ad gibbam partem hepatis, & à gibba ad concauam perueniat, & ita per portas ad intestinorū inuolucra, uel primum quidem ad magnam arteriam, deinde transeat ad illam quæ est in mesenterio. Sed quicquid sit, quomodo adhuc spumosa remaneret pituita sanguini mixta, cum eo tot uenas pertransiens. Reperitur quidam contextus, in quo ubi legitur primū ad uentriculos, habetur ἢ, idest, aut ad uentriculos. magis probo ut legatur primum, quàm aut. nam & Aldinus codex, & noster antiquus, & alij multi habent πρῶτον, idest, primum.

APHORISMVS XXXI

QVibuscunq; febricitantibus, in urinis fiunt sedimina, ueluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.

BRASAVOLVS

DE urinis in præsentiarū quædam ab Hippocrate edocentur, quæ scitu egregia sunt, & quæ forte in quartū librū reponenda uiderentur, immo & Oribasius hæc in quarto libro inter-

interpretatus est. Qui ergo febre correpti sunt, si in urinis fiant sedimina ueluti farina crassior, ægritudinem diuturnam futuram iudicato. quoniã significatur materiam esse crassam, quę hanc febrem facit, & ideo breui tempore resolui non poterit, immo, ut dicit Galenus, Si uires sint imbecilles, hi cito moriuntur: si robustæ, morbus diu perdurabit. Oribasius uero dicit hæc sedimina ob multas causas fieri, uel ex humoris cruditate, uel ex inflatione quæ corrumpit, uel ex defluxu humorum è capite, quem rheumatismum dicunt. Tamen si petas de quibus hic sermo sit. Respondet, de his quæ ex crasso fiunt humore, unde diutinam significant ægritudinem. Philotheus etiam dicit, ἐὰν ἀδρομερῆ τινὰ εὕρεθῶσιν, ἔχοντα περιγραφὴν κριμνώδη, ἢ διὰ σύντηξιν σώματος γίνονται, ἢ διὰ παχεῖαν ὕλην οὖσαν ἐν τῷ σώματι καὶ θερμασίαν περιφράττουσαν αὐτήν. περὶ τούτου οὖν τοῦ σημαινομένου ὁ λόγος ἐστὶ τῷ ἱπποκράτει, idest, Si partes quasdam crassas inueneris, circunscriptionem habẽtes ueluti farinam, uel ob corporis colliquationem fit, uel ob crassam materiam in corpore existentem, & ob ipsam caliditatem circũobstruentem. de hoc igitur significato sermo Hippocrati est.

ὁκόσοισι πυρέσσουσιν, idest, Quibuscunque febricitantibus.] nam in his qui febre correpti non sunt, & si mala sit hæc urina, quia præter naturam est, tamen non considerabitur: nec qui hanc mingunt sani alioqui mentem habent, & plerunque renes expurgantur sponte sua.

ἐν τοῖσι οὔροισι κριμνώδεες ὑποστάσιες γίνονται. idest, In urinis sedimina, uel subiecta, uel hypostases ueluti farina crassior fiunt.] dictum est superius in quarto libro, hypostasim esse id contentum in urina, quod in fundo iacet. Quid uero κριμνώδης ὑπόστασις hypostasis sit, considerare oportet. Idq; facile fiet si quid sit κρίμνον, cognouerimus. Philotheus hoc loco dicit, κρίμνον καλοῦσι οἱ παλαιοὶ τὸ ἀδρομερέστερον τοῦ ἀλφίτου, ἢ τοῦ σίτου. ἀπὸ τούτου μεταφορικῶς ἐν τῷ οὔρῳ, idest, κρίμνον ueteres dixerunt robustiorem partem farinæ uel tritici, ab hoc per similitudinem in urina dicitur. Forte Celsus de hac intellexit, quando in secundo libro capite quarto dicit: pessima ex his si tanquàm ex furfuribus factas nubeculas repręsentat: ut per furfura crassam farinam intelligat: tamen de urina furfurea sedimina habente in quarto egimus. Dioscorides libro secundo capite octuagesimoprimo de crimno uerba facit, à Latinis puls dicitur, fit ex crassa tritici farina, uel zeę, prius fiebat ex hordeo, unde nomen habet ἀπὸ τῆς κριθῆς, idest, ab hordeo. unde illi decipiuntur, qui hic interpretati sunt κριμνώδεες, idest, similę, nisi idem intellexerint, quod à Leoniceno interpretatum est. Paulus libro septimo, & omnes antiqui de crimno eodẽ modo agunt, quo Dioscorides. Actuarius libro primo De differentijs urinarum uocat has hypostases crimnodes. eius interpres absurde dixit similas, quoniam simila est farinæ flos, non crassum quod in farina residet, iuxta illud Martialis,

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus.

quæ ex male molito tritico, ordeóue cribrata uidentur furfures, quæ nunquam furfuribus sunt pleniora, hæ crimnodees uocantur, non ut furfures tenues. Forte Celsus ut superius diximus, furfureas uocauit, à quo Plinius libro uigesimooctauo, capite sexto prope finem accepit: tamen furfuream à crimnodi distinguunt. Actuarius libro secundo De iudicijs urinarum, cum locutus esset de hypostasi orobea, furfurea, & laminea, inquit, harum autem trium prauarum hypostasium pessima est illas excedens crimnodis, tantum ab hisce prauitate differens, quantum ipsa uicina est mortificationi. nanque febris præueniens etiam usque ad cõcisionem partium amplarum, crimnodem eiusmodi hypostasim reddidit. ueruntamen hic est distinguenda crimnodes hypostasis ab assato sanguine. Nanque si contenta fuerint alba, tum signum est crimnoidem esse: si uero sint rubra, signum est sanguinis assati. Idem Actuarius primo De causis urinarum libro capite uigesimo causas hypostaseum crassarum ueluti farina crassior ostendit, dicens, factas esse ex calore febris, quando calor solidiora corpora attigerit. unde dicit, quemadmodum à mediocri atque genuino calido fingitur atque perficitur unumquodq; horum, ita ab extraneo calore, ac immoderata febre distrahitur atq; colliquefit, & cõsumptionis corporum febris est causa penetrans ad usque profunditatem. Sed ut appareant frustulorum species quædam diuersæ, à liquefacta materia suborta est differentia. Quã-

obrem habes etiam rationem hypostasis furfureæ, & lamineæ, atque crassam ueluti farina crasſior, creditam ijs qui sufficienti pollent ingenio. At similis farinæ crasſiori, de qua nunc agit Hippocrates, propter hanc causam non fit, propterea statim ab Actuario additur: ueruntamen non ignorare oportet interdum humorũ crudorum spissatorum effigiem quandam apparere uergentem ad species similes prædictarum hypostasium; & hæc proprie est causa hypostasis farinæ crassæ similis, de qua in præsenti aphorismo agit Hippocrates, & quæ febrem futuram longam ostendit. Idem Actuarius in fine capitis decimiquinti primi libri De præuidentijs urinarum, hanc præuidentiam tribuit. Nanque si eiusmodi contenta plura fluxerint, atque in peiora processerint, fas est pronuntiare mala esse, atque naturam lassatam deficere, quod illa corporis habitum, & cõpagem corrumpat. Contra uero si pauca apparuerint, atque ad minus mala asſidue uergant, pronuntiandum salutem ægri aduentare, atq; sperandum esse.

Μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν. idest, longam ægritudinem significant.] Quia & simul materiam crassam esse significant, quæ longo tempore indiget, ut coquatur. unde & à Philotheo dicitur *χρόνου γὰρ δεῖται ἡ φύσις ἐκλεπτῦναι τὴν παχεῖαν ὕλην*, idest, Natura enim longo tempore indiget ad crassam materiam attenuandam.

GALENVS

Et hic sermo adhibita distinctione fit uerus, ab experientia comprobatus, quia tales urinæ exitiales sunt, sicuti etiam in prognostico dictum est, & plurimi morte præripiuntur, antequam ægritudo diutius protrahatur: & quicunque ex ipsis sunt liberati, his omnibus in longum producta est ægritudo, cum dispositio multam requireret coctionem, in qua talis urina mingitur. Dictum autem est à nobis in libro De crisibus, siue iudicijs, plenius de urinis omnibus. In Epidemijs autem (sufficit enim mihi de duobus ægris tantummodo fecisse mentionem) In primo quidem libro de Sileno secundo conscripto post tres constitutiones, de quo in sua enarratione, sic inquit. Minxit totum simul subcrassum euacuatum sedimen instar farinæ crasſioris album, extrema rursus frigida, undecima mortuus est. In tertio autem de ægro ordine tertio, de quo ipse ita scripsit in suæ enarrationis initio, Qui iacebat in horto Dealcis, deinde paulo infra. Vrinæ tenues uariæ habẽtes sublitamenta parua, instar farinæ crasſioris. Hunc autem dicit quadragesimo die fuisse iudicatum. Liquet igitur ex his exemplis, quod quicunq; mingentes urinam similẽ farinæ crasſiori, si saluari debeant tarde liberãtur. Quicunq; uero exitialiter se habent, contingit hos quàmcito interire.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum fieri uerum, si distinctio quædam adhibeatur, nam & experientia ipsa uerum esse comprobat, quoniam urinæ habentes hypostases crassæ farinæ similes, sunt exitiales. immo Hippocrates in libris Prognosticorum idem dixit, unde plurimi has urinas habentes prius obeunt quàm ægritudo diutius protrahatur, & si qui sint qui liberentur, ægritudinem in longum produci necessarium est, & hoc ratione, quia dispositio, in qua talis urina mingitur, multam coctionem requiret. at de omnibus urinis in libro De crisibus plenius à nobis pertractatum est. est autem capite sexto primi libri, in quo tamen loco de urinis imperfectisſime atque mutile agit, immo nullus est particularis locus, in quo urinarum scientiam faciat Galenus.

Quod legitur, Quia tales urinæ exitiales sunt, legi debet: Quia urinę in modum farinæ crasſioris. nam Græce est *ὀλέθρια μὲν γὰρ δὴ τὰ κριμνώδη τῶν οὔρων.*

SECVNDO Galenus casus quosdam refert apud Hippocratem in libro Epidemiorum positos, de nonnullis qui hanc urinam habebant. Primo refert Sileni casum, qui in primo libro est, in tertia constitutione, & est secundus languens. nam hic minxit totum simul euacuatum sedimen, instar farinæ crasſioris album, extrema rursus frigida, undecima mortuus est. Sed hic casus non uidetur multum ad propositum, quoniam & si Silenus in decimo die talem hypostasim minxerit, & in undecimo mortuus sit, in præcedentibus

cedentibus uero diebus non habuit illam hypostasim, nec similem urinam, sed primo die urina fuit nigra habens sedimentum nigrum. Secundo die habuit etiam lotia nigra. Tertio die lotia fuere turbulenta & nigra. Quarto die eodem modo. Quinto die lotia tenuia & perlucida habuit. Sexto die non minxit. Octauo die cum dolore uellicantia minxit, lotia tenuia, perlucida. Nono die eodem modo, decimo die, multum simul subcrassumque minxit cum sedimẽto candido instar farinę crassioris. Alij interpretantur simi lagineo, quod Leonicenus uertit instar farinę crassioris, græce uero est κριμνώδεα. Vides igitur Hippocratem non posuisse illam urinam, nisi cum fuit morti propinquus. At opus esset, si ad aphorismi propositum hoc Galeni exemplum conueniret, quod in principio etiam talem urinam habuisset, sed omnes aliæ urinæ, quas minxerat Silenus, mortem futuram prædicebant.

Quod legitur, Minxit totũ simul, sunt Hippocratis uerba in primo Epidemiorum, est tertius casus apud Hippocratem de illo qui erat in horto Dealcis, quem casum etiam si considerare uolueris, non uidetur satis ad propositũ Hippocratis hic, quia Hippocrates in primo Epidemiorũ de Hypostasi non loquitur, sed de enæoremate. uerba eius sunt: ἐναιωρήματα ἔχοντα σμικρά, οἷον κρίμνα. idest, enæoremata uel sublationes habentes paruas, instar farinæ crassioris partes. libri Epidemiorum interpres uertit ἐναιωρήματα idest, superfluitãs. At hæ urinæ secunda die apparuere.

TERTIO Galenus ut seipsum forte de primo exemplo excuset, dicit ex his exemplis manifestum esse, quod quicunque talem urinam mingunt, si saluari debeant, tarde liberantur: si uero exitialiter se habeãt, cito moriuntur, ut in primo exemplo patuit, & pro secundo exemplo forte dicendum est, hic Hippocratem per hypostasim intelligere tam ueram hypostasim, quàm enæorema, & nebulam.

Quod legitur, liquet igitur ex his exemplis, legi debet, liquet igitur & ex his exemplis. nam grece habetur δῆλον οὖν κἀκ τούτων παραδειγμάτων.

APHORISMVS XXXII

QVibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significant.

BRASAVOLVS

VRINÆ quę hypostasim biliosam habent, & in superiori parte tenues sint, morbum acutum significãt, idest talem qui cito terminabitur, quoniam materia biliosa calida est, & quæ morbos accelerat. Vnde ab Oribasio dicitur, tales urinas ex biliosa materia fieri, & sicuti humor biliosus est acutus, ita acutum generat morbum. Philotheus his paucis hunc aphorismum exponit, inquiens, ὃ λέγει τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι οἷς χολώδεις αἱ ὑποστάσιες εἰσιν, τοιοῦτοι κεχρωσμένοι ὑπὸ χολῆς. ἄνωθεν δὲ ἤτοι ἐξ ἀρχῆς τοῦ νοσήματος, λεπταὶ καὶ ὑδατώδεις, σύντομον δηλοῦσι τὸ νόσημα, καὶ ἡ αἰτία, ἐπειδὴ ἤρξατο γίνεσθαι σύμπεψις, καὶ ἡ ὕλη ἐκφράττεσθαι. idest, Quod dicit tale est: quibus biliosæ hypostases insunt, his coloratæ sunt à bile. superius autem, idest ex principio ægritudinis tenues, & aquosæ, breuem morbum significant. & causa est, quoniam concoctio fieri incipit, & materia deobstrui, idest aperiri.

ὁκόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες. idest, Quibuscunque autem biliosæ hypostases,] & bilis colorem habentes, qui flauus est. Actuarius libro secundo De urinarum iudicijs capite sexto dicit: bilea contenta etiam mala habentur, quippe quæ exauctam bilem rubeam in coctione tertia significant. At capite decimosexto primi De causis urinarum libri causam contenti biliosi edocet, quam dicit esse huius humoris abundantiam, uel quia sanguis ipse in bileam qualitatem corrumpitur, uel quia multa fit ciborum inculcatio bilem gignentium, uel quia hi humores in corpore creuerint. Actuarius uero has semper iudicat malas. Hippocrates autem hic potius illas bonas iudicat, quia morbum acutum significant, qui cito terminaturus est, & quia iam

accelerant ad coctionem, tamen malæ sunt, quia morbum significant.

ἄνωθεν δὲ λεπταί. idest, Superius autem tenues.] Si quis intelligat superius, hoc est in superiori parte, opus est ita intelligere quod hypostases in parte inferiori ad crassum tendant, in parte superiori ad tenue. tunc enim significatur coctionẽ iam fieri & esse in procinctu. intelligo aũt tenues nõ simpliciter, sed respectu crassitiei quæ est in parte inferiori. uel dicamus, ut Galenus intelligit, & post ipsum Philotheus. Superius autẽ tenues, idest, quæ in præcedenti tempore tenues fuerint, postea biliosę appareant. & hæc expositio à Galeno laudatur. quia Hippocrates semper aquosas urinas, tenues uocat.

ὀξεῖαν τὴν ἀρρωστίαν σημαίνουσιν. idest, acutam ægritudinem significant.] non quidem acutam, idest, sæuam, & quæ grauia symptomata habeat, sed acutam, idest, breuem, & quæ cito terminatura est.

GALENVS.

Biliosvm quidem semper acutos morbos operatur, dictum enim à nobis est, quod amarę bilis humorem ita medici prisci cõsueuere appellare, sicuti melancholicum semper cum adiectione dicunt, non simpliciter bilem proferentes, sicuti flauam, sed atram bilem nominantes. Quod autẽ dicitur, supra tenues, hoc est aquosæ, sic enim consueuit uti tenuis appellatione Hippocrates, non bene utique dictum uideretur. Vrina siquidem aquosa, cruda est, & diuturna. Equidem nunquàm uidi urinam cuius sedimen biliosum esset, pars uero superfluitãs aquosa. Non absq; ratione igitur nonnulli expositores dixere aduerbium, supra, non locum, sed tempus hoc in loco significare, ac si ita diceretur. Vrinarum sedimina quando ab initio tenuia sunt postea uero biliosa fiunt, acutum morbum significant.

BRASAVOLVS

Primo Galenus docet, quod biliosum est semper acutos morbos facere. nam bilis est humor qui cito & impetuose mouetur.

Secvndo docet, antiquos medicos consuetos esse per hoc uocabulum χολὴ, id est, bilis, amaram bilem intelligere, sed humorem melancholicum non simpliciter significant, immo semper addunt particulã atra, ut bilis atra, quod in flaua non faciunt, quia ipsam simpliciter bilem uocant.

Tertio considerat illam particulam, supra tenues, quam si uelimus exponere, ut Hippocrates consueuit, dicere oportet, tenues, idest, aquosæ. At si hoc modo exponamus, absurdum uidetur, quia urina aquosa est cruda, & morbum diutinum significat, non autem acutum. adde, quod nunquàm uidit Galenus urinam, cuius sedimẽ esset biliosum, & pars superfluitans esset aquosa.

Quod legitur, equidem nunquàm uidi urinam, cuius sedimen, hæc particula, Sedimen, Græce est ὑφιστάμενον, idem significat, quod hypostasis.

Quod etiam legitur, superfluitans, Græce est ἐπιπολάζον.

Qvarto illos Galenus laudat, qui exponunt hoc aduerbium ἄνωθεν, idest, supra pro tempore, & non pro loco: ac si diceretur, quando urinarum hypostases ab initio tenues sunt, deinde biliosæ fiunt, acutum morbum significant, idest, talem, qui cito terminaturus sit. immo & si diceremus impetuose moueri, forte non esset ab re dictum.

APHORISMVS XXXIII

Qvibuscunq; urinæ distantes sunt, his turbatio fortis in corpore fit.

BRASAVOLVS

Vocat Hippocrates urinas distantes illas, quæ suam substantiã ita diuersam habent, ut in una parte tenues, in alia crassæ uideantur. necessarium est eum qui has urinas minxerit, turbationem fortem in corpore habere, quia necesse est aliquas materiæ partes esse coctas, alias esse renitentes atque tumultuantes, ex quo fit perturbatio, &

batio. & ideo Philotheus dicit, διεστηκὸς οὖρον, καλεῖ τὸ ἀνώμαλον τὸ κατά τι μὲν πεπεμμένον ὑπάρχον, κατά τι δὲ ἄπεπτον. οἷσιν τοιαῦτα οὖρα γίνεται, χαλεπά εἰσιν. δηλοῖ γὰρ τοῦ μὲν εὐκρασίαν τῆς φύσεως, τοῦ δὲ παρὰ φύσιν διαθέσεως. ὅθεν ἱπποκράτης εἰκότως ἔφη τὰ τοιαῦτα ταραχὴν σημαίνειν. idest, Distantem urinam uocat inæqualem, quæ secundum quid sit cocta, secundum quid cruda. quibus hæ urinę fiunt, malæ sunt. ostendit enim alicubi naturæ temperiem, alicubi uero dispositionis præternaturalitatem, unde Hippocrates decenter dixit, tales turbationem significare.

Oribasius has distantes urinas tribus modis fieri dicit, aut ex meatuũ obstructione, aut ex crassa materia, aut ex uirtute imbecilli, quę coctione non operatur. hę, de quibus nunc mentionem facit Hippocrates, ex crassa materia fiunt, atq; meatuum obstructione, quia dicitur turbatio, hoc est cõfusio humorum. unde uidentes indocti medici tales urinas, existimãt esse quasi frigidas. dum enim uident, mox relaxationem corporis moliuntur, idest, uenæ sectionem. hæc Oribasius.

ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται idest, Quibuscunq; urinę distantes sunt.] Vel instabiles, uel ut Theodorus, disiectæ, quia habeãt diuersas partes, aliquas crassas, aliquas tenues, alias mediocres.

τούτοισι ταραχὴ ἐν τῷ σώματι ἰσχυρὴ ἐστιν. idest, Iis turbatio uehemẽs in corpore est.] Nã urina, quæ partes uarias habet, diuersas in corpore motiones significat, quę ipsum omnino turbant. sed tu ambigere poteris in qua parte hæc diuersitas considerãda sit, an in urinę substãtia, an in cõtentis. Respõdemus, Actuariũ diuersitatẽ in urinis ponere, tum ex parte ipsius substantiæ urinæ, tũ ex parte cõtentorũ. sed nos hanc distantiã potissimum in contentis intelligimus, quia hoc frequenter uidetur, partem cõtentorũ esse tenuem, partem crassam, partem mediocrẽ, & hoc in eodem tẽpore intelligimus. idq; à nobis dictum est, quoniam Actuarius diuersitatem facit in urinis etiã secundum dies diuersos. nam hodie crassa, cras tenuis, altera die mediocris. immo & diuersitatem facit penes colores, tamen in eodem urinæ corpore eodem tempore non uidentur hi diuersi colores, sed bene in contentis. Si etiam intelligeremus esse distantes secundum colores, eadem ratio esset, quia colorum diuersitas coctionis diuersitatem ostendit.

GALENVS

SI VERBVM distantes in propria significatione accipiatur, rem impossibilem ostendet: urina si quidem semper est sibi ipsi continua, nullum spatium uacuum habens interiectum. Si uero per id substantiæ inæqualitatem dici intellexerimus, recte dixit fortem significari perturbationem, nam superante natura, omnia æqualiter unita sunt: ęgris uero causis tumultuantibus, ac renitentibus ei, illud quod obtinetur, atq; concoquitur aliam habet formam. Renitens uero, atq; tumultuans aliam, & quando plura huiuscemodi fuerint, uariam magis ostendunt urinarum inæqualitatem, & eius causam perturbationem.

BRASAVOLVS.

PRIMO Galenus docet, si hoc uerbum τὰ διεστηκότα, idest, distantes in propria significatione accipiatur, rem impossibilem ostendere. nam uocabulum distantes discontinuationem quandam significare uidetur, quę in urina inueniri non potest. nam urina semper est sibi ipsi continua, nullum spatium habens uacuum interpositum.

SECVNDO docet, si per hoc uerbum distantes intelligatur substantiæ inæqualitas, tunc recte dictum est significari perturbationem fortem, quia in coctione quando natura uincit, omnia æqualiter sunt unita. Sed cum causæ ægritudinis tumultuantur, & naturæ renituntur, illa pars quæ coquitur, aliam habet formam à parte renitente. nam hæ renitentes aliam habẽt formam, & quanto plures fuerint renitentes materiæ, tanto magis erit urina uaria & inæqualis, quæ ita fit ob perturbationem.

Quod legitur, Si uero per id substantiæ inæqualitatem dici intellexerimus, græce est, εἰ δὲ κατὰ τὴν σύστασιν ἀνώμαλον εἰρῆσθαι δεχοίμεθα, ubi uides particulã σύστασιν à Leoniceno interpretatam esse substantiam. Nos potius interpretandum putamus, si uero per id coniunctionis inæqualitatem.

Aphori-

APHORISMVS XXXIIII

QVibus in urinis bullæ subsistunt morbum renalem & longum significant.

BRASAVOLVS

DE BVLLIS, quæ in urinis apparent, multa ab Actuario differuntur. nam primo libro de urinarum differentijs capite decimooctauo bullas distinguit, in magnas, paruas, & mediocres. & in aliquas quę per totã urinæ superficiẽ apparent, & quę solum in corona, & harum quę sunt in corona, aliquæ sunt in tota corona, aliquæ in una eius parte, aliquæ in pluribus partibus: uel manent in corona & in superficie media urinæ, uel manent in altera sola medietate superficiei, uel habent alium modum inordinatum & complicatum, tam per superficiẽ, quam per coronam. Earum quæ sunt in corona, aliæ singulæ, aliæ binę, aliæ ternæ, aliæ alio numero, uel omnes in eadem magnitudine, uel non omnes sunt. eodẽ modo bullæ quę in ipsa superficie sunt, aut singulæ, aut binæ, aut in alio sunt numero. sed ab Actuario unũ notatur, intelligendũ esse nõ de bullis quę fiunt dum mingimus, postea abeunt, sed de illis quę perseuerant etiam refrigerata urina, nam istæ à fortiori causa factę sunt. In secundo uero de urinarum iudicijs libro ca. decimoquarto hæc bullarum iudicia ponit. Primo supponit, quod cũ nimiũ albis urinis bullę non sunt uisæ. Secundo, quod neq; sunt uisæ cum rubris, aut semel, aut bis, quia cum excessiuis qualitatibus non uidentur, unde solum sunt in urinis albis, spiceis, aureis, & subrubris. Bullæ igitur, quæ sunt in corona sola integra serie circumsistunt, si contigerit ut colore humoris urinę tinctæ sint, significãt maiorem capiti affectionẽ adesse, atq; dolorem non mediocrẽ: quę uero sparsim in corona manent, hæ à debiliore causa generãtur, atq; similiter significant debiliorẽ dolorem. Bullę albæ in coronæ ambitu significãt aut paruum aut nullũ dolorẽ. At in urina tenui, & absq; hypostasi potius indicãt renũ oppilationem. In his qui habẽt seminis fluxũ bullæ apparent densius in urinis per coronã. In secũdo uero De causis urinarũ li. ca. quarto docet, bullas fieri spiritu cõtento circa renes, inquiẽs: quin etiã eadem motione circa renes & uesicam facta ab aliqua contingente locorum angustia spiritus ingenerãtur, & bullę excitãtur. Non minorẽ motionẽ quoq; circa uasa seminaria facta generantur spiritus, atq; transmittuntur ad uasa urinaria. De bullarũ uero præuidentijs in primo De præuidentijs urinarũ lib. egit capite decimosexto. Sed de hac de qua hic pertractat Hippocrates nullam mentionem fecit. Est igitur Hippocratis sensus, Quibus in urinis (scilicet quæ tenues sint, & absq; hypostasi secundũ Actuariũ) bullæ insidunt, hæ significãt morbũ renalẽ, idest obstructionẽ in renibus, quæ fit ab humore crasso & crudo. propterea hic morbus erit diuturnus. Oribasius in suo Hippocratis codice habuit phrenesim, & nõ morbũ renalem. Est aũt facilis transitus ex uocabulo νεφριτικὴ in uocabulum φρενιτικὴ, itaq; hunc aphorismũ cõmentatur Oribasius. Istud ex pituita accidit in spiritũ flatulentũ resoluta, cuius qualitas ad cerebrũ ascendens phrenitidem facit. Longã uero ęgritudinẽ significat, quia crassa materia tardius attenuatur. Sed meo iudicio longe aberrat Oribas. nã phrenitis à pituita fieri nõ potest, neq; ab ipsius fumis. potius dicere debuisset, luteas bullas bilẽ in capite significare, ex qua possit induci phrenesis. At supposito hoc esse uerũ, quomodo dici poterit ęgritudinẽ esse longã, quia phrenesis acutus est morbus. ꝑpterea legere oportet νεφρῖτις. idest renalis morbus.

ὁκόσοισι δὲ ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίσανται πομφόλυγες. idest, Quibus in urinis bullæ insident.] Leonicenus in suo codice habebat ὑφίσανται, non ἐφίσανται, propterea interpretatus est subsistunt, & non insistunt. immo & prima lectio nostri antiqui codicis ita habuit. Si in urinis tenuibus & sine hypostasi bullę insideant. tamẽ & si Actuarius eo modo intelligat, non est necessarium quod hypostase careant.

Νεφριτικὰ σημαίνουσιν (alter codex habet νεφριτικὴν σημαίνει.) idest, morbũ renalẽ significat.] De quo superius etiam disseruimus, quid uere esset νεφρῖτις, ostendentes.

Καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι. i. Et lõgã ęgritudinẽ futurã.] Quia ex humorib. crassis frigidis glutinosisq; fit. & flatu cõmixto. Philoth. hoc modo totũ aphoris. exponit: πομφόλυξ ἐστὶ πνεῦμα φυσῶδες ὑπὸ ὑγρότητος καταλαμβανόμενον. ἀλλ' αὕτη γίνεται ὑπὸ πνεύματος καὶ ὑγρότητος.

ὑγρότητος, ἢ παχείας ἢ λεπτῆς. ἵστανται δὲ ἐπάνω τοῦ οὔρου, διὰ τὸ ἀνωθεῖσθαι ὑπὸ τοῦ πνεύματος. ὅσοις ἂν ἐνεχθῇ πομφολυγῶδες οὖρον μὴ εὐθέως ἀποκαθιστάμενον, δηλοῖ μακρὴν τὴν νοῦσον. τὸ γὰρ πάχος, εἰς μῆκος χρόνου εἴωθεν ἐκτείνειν τὰ νοσήματα. ἀλλὰ μὴν καὶ νεφρῖτιν. ἐκ τῶν πλησίον γὰρ φέρεται. εἰ γὰρ ἐκ τῶν πόρρω ἐφέρετο, τυχὸν ἐκ γαστρὸς ἢ θώρακος, λεπτυνόμενον τῇ κινήσει, ταχὺ ἂν ἀπεκαθίστατο. idest, Bulla est ſpiritus inflatus ab humiditate cõceptus, ſed ipſa fit à ſpiritu & humiditate uel craſſa, uel tenui. Inſidẽt aũt in ſuperficie urinę, quoniã ſurſum impellunt à ſpiritu. Quibus igitur adfuerit urina bullarũ plena, nõ ſtatim deſidẽs, longũ morbũ indicat: craſſitudo enim in longũ tempus morbũ extendere conſueuit: ſed certe & renalem morbum. ex propinquis enim partibus fertur. Si enim ex meatibus deferretur, puta ex uentre uel thorace, attenuatũ motu deduceretur, & cito deſideret. Vnum eſt bullas perſeuerantes intelligi, & quæ in ſuperficie ſint. Plinius etiam libro uigeſimooctauo ca. ſexto prope finem de urinis agens dicit: mala bullantis & craſſæ. unde bullas pro malo habet, ſed mox ſequitur: in qua quod ſubſidit ſi album eſt, ſignificat circa articulos aut uiſcera dolorem imminere.

GALENVS

BVLLAE fiunt circumnectendo humore ſpiritui flatuoſo. Solet autem hoc magis accidere, quando humor aliquid tenacitatis habet: tunc autem & bullæ ipſæ ſunt ſtabiles, & difficulter ſolubiles. Cum igitur ſpiritus flatuoſus una cum urinis excernitur, ſignum eſt frigidæ ægritudinis renum. Hæc enim aggregat ſpiritum flatuoſum, atq; ideo aiũt ęgritudinem fore longam. Frigidum enim omne eſt difficulter ſolubile, & uix coctionem admittit, atq; ideo diu durat. Nonnulli autem ab acritudine urinarum aperiri ora arteriarum quæ ſunt in renibus, atq; ita excerni ſpiritum aliquem, qui cum urinis exit, & bullas facit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, bullas fieri, quando flatuoſus ſpiritus ſub humiditate extenditur, At hoc magis contingit, quando humiditas tenax eſt, tunc enim bullę ſunt ſtabiles, & difficulter ſolubiles.

SECVNDO infert cum ſpiritus flatuoſus una cum urinis excernitur, ſignũ eſſe frigidæ renum ęgritudinis, ſpiritũ quę flatuoſum aggregat: & propter hoc ęgritudo erit longa, quia uix coctionem admittunt, unde diu perdurant.

TERTIO quorundam ſententiam refert qui dicebant, ab urinarum acritudine ora arteriarum quæ ſunt in renibus aperiri, & hoc modo ſpiritum aliquem excerni, qui exiens cũm urinis bullas facit.

APHORISMVS XXXV

QVibus inſidens pingue, ac ſimul totum, his renum uitium acutũ ſignificatur.

BRASAVOLVS

QVI huius generis urinas meiunt, quibus pingue quoddam ſupernatet, & hoc paulatim non profluat, ſed totum una uice, uitium renum ſignificatur. ſæpius ſupra urinam quædam innatantia uidentur uelamini ſubtili ſimilia diuerſorum colorum, de quibus differit Actuarius libro primo De urinarum differentijs capite decimoſeptimo dicens, quandoq; fieri in ſuperficie urinæ puncta olei nũc pauca, nunc plura, nunc tenuia, nunc craſſa, ut fit in pingui iure refrigerato. hæc pinguedo, quæ eſt oleo ſimilis, eſt uel totius ſubſtãtia quod eliquatur, uel de renũ ſubſtantia. uideturq; ſimilis oleo hæc pinguedo. unde & Actuarius oleaceas urinas has uocat, & in primo De iudicijs urinarũ capite decimonono dicit, harũ urinarũ eſſe tres ſpecies nominib. diſtinctas, oleapparẽs, oleicolora, oleacea: dicitq; pingui liquefacto, cũ ipſa incẽderit adulterina caliditas, nõ modo in principio, & augmento, uerũ etiã in ſummo manẽte ægritudine, urinæ eiuſmodi aſpiciũtur, ſiquidẽ in principio oleicolora præſentatur. Nondũ enim exacte eo colore tinctæ ſunt urinæ, ubi etiã paucũ pinguis liquefactũ ſit. At in augmento ſpectatur oleapparens, cũ liquefactio iam maius ſpatiũ habuerit: ſed ubi exacte pingue colliquatũ ſit, tũ urinæ colorem oleaceũ præ ſe ferunt. hoc enim indicatur paſſionẽ eſſe in ſummo, ob in totũ colliquefa-

liquefactionem factam esse pinguis. Notatq; Actuarius, hanc esse differentiã liquefactę pinguedinis totius corporis, & ipsorum renum. Quia si hic color paulatim procedat, & multo tempore hi colores confirmentur, signum est febris per totum corpus diffusę. sed si breui atq; tumulatim idem appareant, passio renum solorum demonstratur adesse. & hæc est differentia, quã assignat Galenus in cõmentatione. Alia tamẽ differentiã Actuarius etiam assignat: quia si à renibus proueniat, in renibus persentitur magna caliditas: si à toto corpore, in toto corpore ardor persentitur. In lib. uero De urinarũ prouidentijs capite decimoseptimo uocat hanc pinguedinem colliquamenta, iubetq; si colliquamenta continua innatantia apparuerint, malum esse: atq; proferendũ est, uel renes læsos esse, uel corpus non ali colliquatione præsente. Opus est ergo si supra renes pinguedo hęc quę supernatat, significare debeat, cõprehẽsim & una uice excerni, nõ paulatim, & renes uehementer calidi esse debent. Oribasius in hoc aphorismo pingue non legit, sed crassum, unde dicit, quibus crassum & copiosum fuerit sedimẽ, nephriticã affectionẽ significat, & acutã ægritudinẽ. quia quod crassum est, infra decurrit: ueniẽs aũt ad renes, exhalari nõ potest, unde acutos excitat dolores, quare intelligit acutum morbum non qui cito terminetur, sed eum qui habet dolores uehementes. re autem uera hæc non est Hippocratis mens, sed illa, quam superius diximus.

ὁκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις. idest, Quibus insidens pingue.] Et hic est uerus Hippocratis cõtextus, alij legunt λιπαρὴ ἡ ὑπόστασις. idest, pinguis hypostasis, ita habuit antiqua translatio, & Theodorus, qui uertit sedimen pingue: sed de hypostasi intelligi nõ debet, quoniam pingue non subsidet, ut Galenus in commentatione edocebit, immo supernatat, propterea insidens scribendũ est, non subsidens: sicuti etiã in præcedenti aphorismo dicebat bullas insidere, quia in superficie erant: ita hic intelligi debet pingue insidens, quod scilicet in urinæ superficie natet.

Καὶ ἀθρόα, uel ἀθρόον, uel ἀθρόη. idest, Et simul totum.] Secundum Leonicenũ, Theodorus uero congestum exponit. nos una uice iniectum, exponendum censemus, & comprehensim. quia ex hoc quod una uice simul ejcitur, in renibus uitium esse denotatur, nam cum pinguedo ab alijs corporis partibus defluit, simul non defluit, & comprehensim una uice & uno tempore, sed in multo tempore paulatim.

τουτέοισιν νεφριτικὰ καὶ ὀξέα σημαίνει. idest, Iis renum uitium & acutum significatur.] Quod quidem uitiũ est, quia renum pinguedo ex nimio calore colliquatur, & quæ breui & facile exit. nam uijs exitus proxima est. At si alia corporis membra colliquentur, longa indigent uia, antequam per uenas ad renes perueniant, & deinde per urinam exeant. Philotheus hunc aphorismum ita aggressus est: λιπαρὰν ὑπόστασιν λέγει τὴν πιμελώδη καὶ ἐλαιώδη, ἥτις ἄνω ἐπίσταται. ἡ οὖν τοιαύτη ὑπόστασις, νεφριτικὰ σημαίνει, ἐὰν ἀθρόα ἐστίν. τουτέστι ταχεῖα, ὡς πρὸς ἅπαξ ἢ δεύτερον ἐκκριθῆναι. ἐπεὶ γὰρ τῶν νεφρῶν τηκομένης τῆς πιμελῆς ταχέως ἐκκρίνεται. ἐπεὶ δὲ τῆς ἐν ὅλῳ τῷ σώματι, βραδέως. αὕτη καὶ ὀξεῖαν τὴν ἀρρωστίαν δηλοῖ, σφοδρὰν θερμασίαν ἐν τοῖς νεφροῖς ἐπαγγέλλουσα τὴν τὸ πιμελῶδες συντήκουσαν. idest, pinguem hypostasim dicit, pinguem, & oleaceam, quæ superius insidet. talis igitur hypostasis renum uitium significat, si simul collecta & comprehensim est, hoc est festina, ut semel uel iterum excernatur. pinguedine enim in renibus eliquata cito excitatur. In toto autem corpore, tarde. ipsa & acutam ægritudinem ostendit, uehementem caliditatem in renibus pinguedinem colliquefacientem prænuntians. Philotheus legit hypostasim, non insidens: tamen deinde exponens dicit, esse superius insidentem pinguedinem, propterea non potest esse uera hypostasis, unde uel opus est impropriè intelligere uocabulum hypostasis, uel legere ἐπίστασις, idest, insidentia uel supersedimentum, fuisseq; librarium qui nomen unũ pro alio posuerit: notaq; esse acutam ęgritudinem, quia cito terminatur, & etiam quia potest dolores effatu dignos inferre.

GALENVS

SIVE alui excrementũ, siue urina pinguis fuerit, ex colliquatione adipis fit, nõ magis in renibus, quã in toto corpore existentis: quare neq; omnino morbi renalis est signum, Sed commune omnis adipis ab igneo calore colliquati. Aut igitur ita audiendum est, sicuti in his de quorum uitio renali non ambigitur, non passionis genus, sed acutiem dignoscente, ac prædicente in hoc aphorismo Hippocrate. Vel pro uerbo, nephritica

phritica, quod significat uitium renum, scribendum est phrenitica, sicuti quidam scripse re expositores. Atqui neq; hoc solius phrenitidis signũ existit, neq; simplicis, neq; incen dentis, sed cuiuscunq; febris colliquantis. Quod uero, totum simul, sermoni adiectum est, potest & breuitatem temporis significare, & nihilominus potest & loci. Quod enim adstrictum est, & in se ipsum contractum, simul totum nominamus, contrarium exi- stens distracto, atq; disperso. Hæc igitur usq; ad hoc etiam à nostris præceptoribus fue- re interpretata. Quod uero mihi uidetur, iam dicam. Simul totum sermoni adiectum mi hi uidetur de tempore dictum, atq; ideo adipis renum ostendere colliquationem. In a- lijs enim partibus corporis adipes colliquati paulatim, & non uniuersim cum urina exeunt, primum colliquatione participata à uenis illi uicinis, deinde ab his quæ conti- nuantur, & rursus ab alijs & alijs, donec ad renes perueniat. Adipis uero circa renes colliquati transumptio ad urinas celerrima est, & non paulatim, sed simul tota fit, atq; ideo in renibus ipsis dispositionem esse monstratur, cui rei & experientiam inuenies, si diligẽtius animaduerteris, cõsentientem. Cum uero duplex scriptura sit, in quibusdam quidem exemplaribus epistasis, idest insidens, in quibusdam uero subsidens, scribitur. Primam dicimus esse ueriorem. Insidet enim semper quod pingue est & non subsidet, & quidem prioris aphorismi dictioni magis consonat ista scriptura. In illa enim Hippo crates dixit. Quibuscũq; aũt in urinis bullę insident, morbum renalem, & longum signi ficant. Consentaneum igitur ei quod dixit insident, quod deinceps dictum est, Quibus insidens pingue, & simul totum, his renum uitium, & morbum esse acutũ significatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, siue sint alui excrementa, siue urina, quę pinguia sint, sem- per adipis colliquationem significant, & hanc quidem colliquationem non magis in re nibus, quàm in toto corpore esse. unde hoc non est morbi renalis signum necessarium, sed est cuiuscunq; adipis in quacunq; corporis parte à calore igneo colloquati commu- ne signum.

SECVNDO docet, uel audiendum esse Hippocratem, qui ex hoc morbi acutiem notet, morbus uero notus sit: uel pro hoc morbo nephritica, quod renum uitium signifi cat, legamus phrenitica, ut quidam expositores faciunt.

TERTIO docet hanc expositionem non conuenire, quia hoc non est signum soli- us phrenitidis, neq; simplicis phrenitidis neq; incendentis, idest, incendentem febrem habentis, sed est signum cuiuscunq; febris colloquantis.

QVARTO docet, hanc particulam ἀθρόον (quam Leonicenus interpretatur simul totum, Theodorus congestum, nos uero una uice) posse & temporis, & etiam loci bre uitatem significare. nam quod est adstrictum, & in se ipsum cõtractum, ἀθρόον, idest una uice comprehensum, nominamus: idq; est distracto atq; disperso contrarium. pręcepto res nostri usq; adhæc cognouere.

Quod legitur, Quod enim adstrictum est, in se ipsum contractum simul totum no- minamus, contrarium existens distracto atq; disperso: gręce est τὸ γὰρ ἐσφιγμένον, ἑαυτοῦ τὸ συνεχόμενον ἀθρόον ὀνομάζομεν ἐναντίον ὑπάρχον τοῦ διεσπασμένῳ.

QVINTO Galenus sententiam suam aperit dicens, τὸ ἀθρόον, idest, una uice, quod in aphorismo additur, de tempore dici, propterea renũ colliquationem significat. nam adipes in alijs corporis partibus colliquati nõ exeũt ἀθρόως, idest uniuersim & una uice cum urina, sed primo uicinę uenæ colliquationem participant, deinde alię his uicinæ, quoad renes attingant. Si uero in renibus colliquatio fiat, pinguedinis transumptio ad urinas celerrima est, & nõ fit paulatim, sed ἀθρόως, idest una uice, cõprehensim. itaq; adi pis colliquatio, quæ fit in renibus, ab illa quæ fit in omni corporis parte distinguitur: quod si experientia obseruare uolueris, uerum esse deprehendes.

SEXTO notat, cum duplex scriptura inueniatur, una quæ dicit ἐπίστασις, idest, insi- dens, alia ὑπόστασις, idest subsidens, primam lectionem magis probat Galenus: quia pin guedinis natura est insidere, non subsidere. & hoc ex præcedenti aphorismo cõfirmat, in quo Hippocrates usus est uocabulo insidens, inquiens: quibuscunq; autem in urinis bullæ insident, morbũ renalem & longum significant. unde ut illi consentiat, hic etiam dixit quibus insidens pingue.

Quod legitur, in quibusdam uero subsidens scribitur, legitur in quibusdã uero ὑφι-στάσις, idest, subsidens scribitur.

APHORISMVS XXXVI

QVibus autem morbo renali laborantibus, prædicta accidunt signa, doloresq; circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiãt, abscessus quoq; exterius futuros expecta. Si uero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interius.

BRASAVOLVS

DVO precedentes aphorismi signa quędam prosequuntur, quibus renum uitia deprehendi possunt. Nunc uero homine supposito, qui renali morbo laboret, ut ex præcedẽtibus signis dignoscit̃, si dolores insuper habeat perseuerãtes, cõsiderãdi scilicet sunt hi dolores, an sint circa spinæ musculos. & quia spinæ musculi intrinseci esse possunt, atq; extrinseci, propterea si in extrinseca parte sint, circa illam fient abscessus: si uero circa loca intrinseca doleat, in eisdem intrinsecis locis futuros abscessus expectato. nam ubi dolor est, ibi collecta est materia, & ob perseuerantẽ dolorem noua materia illuc currens coadunatur, quæ partes illas extendens abscessus facit, ibiq; materia perseuerante necessario putrescit, & abscessus ad exituram uenit.

ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖς ἐοῦσι. idest, Quibuscunq; autem morbo renali laborantibus.] longo scilicet & cognito.

Τὰ προειρημένα συμβαίνει σημεῖα. idest, Prædicta accidunt signa. Scilicet in præcedentibus aphorismis scripta. Oribasius intelligit dicta solũ in præcedenti aphorismo, scilicet si sit crassum, & multũ sedimen. nã ipse ita legebat, quod dicitur pingue ab Hippocrate.

Πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται. idest, Doloresq; circa spinæ musculos fiũt.] Qui dolores perseuerent.

Ην μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνονται, καὶ τὰ ἀποστήματα προσδέχου ἔξω ἐσόμενα. idest, Siquidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta.] Idest, in musculis extrinsecis, de quibus in libro De usu partium abunde scripsit Galenus.

Ην δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι περὶ τοὺς ἔσω τόπους γίνωνται, καὶ τὰ ἀποστήματα προσδέχου ἔσω ἐσόμενα. idest, Si uero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus interius expecta.] In intrinsecis inquã musculis, uel in ipsis renibus. De Oribasio plurimũ mirari oportet, qui dicit si dolores sint in exteriori parte, abscessus expectãdus sit in interiori parte. uerba eius hæc sunt: si signa illa fuerint, hoc est, crassum & multũ sedimẽ, & dolores fiant circa spinę musculos, idq; loco exteriore, expectato abscessum parte interiore. quatuor enim sunt musculi, quorum nomina in Aggressibus anatomicis habentur, duo uidelicet qui per spinam descendunt, & corpus dirigunt. Duo item qui intus ad inguina ueniunt, qui mulieris uuluam continent, & ossa illa quæ in partu dilatantur, unde graues patiuntur dolores. Duo illi qui per spinam ueniunt, à renibus descendunt, & ob hoc dicit si fuerit nephritica affectio, & dolor, horum musculorũ abscessum faciunt ex ipso humore in parte interiore. forte Oribas. ita dicit, quia in suo Hippocratis aphorismo hoc legebatur: quibus nephriticis prædicta signa eueniunt, dolores autem acuti circa musculos spinæ fiunt, abscessus magis expecta in interiore parte. Nos autem in nullo græco codice lectionem istam inuenimus, & Galenus fidus Hippocratis interpres hoc modo non legit, nec etiam Philotheus. unde habuerit codicem illum Oribasius, nescimus. nam oppositam habet Hippocrati sententiam. Philotheus uero aphorismi expositionem ita exorditur, νεφριτικοὺς καλεῖ τοὺς ἔχοντας φλεγμονὴν, ἢ ἔμφραξιν ἐπὶ τοὺς νεφρούς. ἐὰν οὖν ᾖ νεφριτικὴ διάθεσις, καὶ τὰ προειρημένα σημεῖα πολλάκις συμβῶσιν, τουτέστι, ἢ οὖρον λεπτὸν καὶ ὑδατῶδες, τουτέστιν ἡ ὑπόστασις πομφολυγώδης, γίνονται δὲ πόνοι περὶ τοὺς μῦς τοὺς ῥαχιαίους, διὰ τὴν ἐν νεφροῖς ὕλης πρὸς αὐτοὺς μετάστασις. εἰ μὲν περὶ τοὺς ἔξω ῥαχιαίους μῦς πόνοι γίνονται καὶ ἀπόστημα ἔξω δεῖ προσδέχεσθαι. idest, Renum morbo correptos uocat inflammationem

mationem uel obstructionem in renibus habentes: si igitur dispositio nephritica adsit, & prædicta signa sæpe contingant, hoc est uel urina tenuis & aquosa, iisdem hypostases bullis plenæ, fiant autem dolores circa spinales musculos, mutatio materiæ in renibus ad ipsos fit: siquidem circa spinales musculos extrinsecos, dolores fiant, & abscessus extra accipi oportet.

GALENVS

IN PRIORIBVS quidem aphorismis signa docuit per quæ renum uitia possemus dignoscere, in hoc uero de his docet quos longo tempore scitur morbo renali laborasse, inquiens in ipsis futurum abscessum dolore cum signis prædictis antea ueniente, hoc est circa musculos, quos & spinæ musculos, & spinales medici nominant. Duplex autem est horum musculorum genus, unum quidem retro sub cute, totam spinam utrinque complectens, alterum uero in partibus anterioribus, non per totam spinã extentum, sed solum per partes ad lumbos attinentes. In utris autem horum se firmauerit dolor, illic quoque abscessum futurum expecta. Nunquid uero renibus ipsis suppuratis, aut solis musculis, aut aliquando utrisque, nondum præfiniuit. Experientia uero hæc omnia fieri ostendit, nam & musculi soli nonnunquam hoc patiuntur, interiores scilicet & anteriores, uel posteriores & exteriores, & sine musculis renes, nonnunquam introrsum, nonnunquam extrorsum uergente in ipsis abscessu.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in præcedentibus aphorismis signa illa posita esse, per quæ renum uitia cognosci possunt. Nunc uero de his agit, quos scimus iam longo tempore renalem morbum pati, dicens: si dolor cum prædictis signis ante uenerit in musculis spinæ, in illis futurus est abscessus.

Quod legitur, Inquiens in ipsis futurum abscessum labore, hoc est dolore, cum signis prædictis antea ueniente. Græce habetur πόνυ τυτέσιυ ἀλγήματ☉. idest, labore, hoc est dolore. Deinde quod legitur hoc est circa musculos, illa particula, hoc est, uacat. quoniam in græcis codicibus non ponitur, puto à Chalcographo fuisse transpositam.

SECVNDO docet, Musculorum spinaliũ duplex esse genus, unũ est retro sub cute, totam spinam utrinque complectens, & hic musculus non est multum crassus, sed bene latus. Alterum uero genus in partibus anterioribus, tamẽ non est extentum per totam spinam, sed solum extenditur per partes ad lumbos attinentes. In quocunque horum musculorum se firmauerit dolor, in eo futurum esse abscessum iudicato.

TERTIO uidetur fere dubitare, cum ab Hippocrate præfinitum non sit, in quo loco debeat fieri abscessus ex his in quibus adest dolor: propterea dubitare possemus, an in renibus solum suppuratis, an in solis musculis, an in utrisque fiant, Respondetque experientiam ostendere, hæc omnia fieri posse: nam quandoque musculi soli hoc patiuntur, interiores scilicet & anteriores, uel posteriores & exteriores, & quandoque id patiuntur renes sine musculis, & hoc quandoque introrsum, quandoque extrorsum in ipsis abscessu uergente.

APHORISMVS XXXVII

QVicunque euomũt sanguinem, si sine febre quidem, salutare: si uero cum febre, malum. Curare uero acerbis, & refrigerantibus.

BRASAVOLVS.

ALIAS ab Hippocrate simpliciter dictum est, sanguinẽ undequaque manantem malum esse. hic uero dicit, sanguinem per uomitum eiectum, si sine febre sit, bonum esse. tu uero ne simpliciter intelligas esse bonum, sed simpliciter malum est. Nam ut Celsus docet libro quarto capite quarto, ubi de tussi agit, Authores medici sunt, qui nunquam exire sanguinem fatentur, nisi uel exesa parte aliqua, uel rupta, uel ore alicuius uenæ patefacto: primam διάβρωσιν, secundum ῥηγμοχασμὸν, tertiam ἀναστόμωσιν appellant. At quando quis sanguinẽ euomit, necessariũ est ob aliquid horũ trium fieri, id uero semper

ſimpliciter eſt malum. Sed ob hoc bonum eſſe poteſt, quia corpus emundari ſignificat, & à ſanguinis multitudine liberari, & forte ab inflammatione, quæ fieret. Vnde Celſus eodẽ loco proſequitur, Vltima minime nocet, prima grauiſſime: ſcilicet primus modus exitus ſanguinis enumeratus grauiſſime nocet, ſecũdus & tertius minime. Intellige uero minime, ideſt facile poſſe prouideri. hic ergo ab Hippocrate dicit, qui ſanguinẽ euomunt, ſi ſine febre quidem ſit, ſalutare eſt, ideſt facile curari poteſt, ſi proceſſerit: ſi non proceſſerit, nihil agere oportet. At ſi cum febre ſit, malum eſt. nam abſceſſum præfuiſſe ſignificatur, qui ante maturationem diſruptus ſit. propterea curatione indiget, quę per res acerbas fieri debet atq; refrigerantes, quales ſunt omnes acerbæ res. Celſus præcitato loco quandoq; exire ſanguinem ex humano corpore bene iudicat, modo ſine febre ſit. nam dicit neq; ignorare oportet eos quibus fluere ſanguis ſolet, aut quibus ſpina dolet, coxæue, aut poſt curſum uehementẽ, uel ambulationem (dum febris abſit) non eſſe inutile ſanguinis mediocre profluuiũ, idq; per urinam redditũ, ipſam quoq; laſſitudinem ſoluere. Paulo poſt de uomitu addit, de quo in aphoriſmo agitur, inquiens: neq; uomitum huius afferre periculum etiã cum repetit, ſi ita confirmare & implere corpus licuit, & ex toto nullũ nocere qui in corpore robuſto, neq; nimius eſt, neq; tuſſim aut calorem mouet. Philotheus ſic dicit, νῦν ἱπποκράτης ὑποτίθεται τοῦ αἵματος τὴν κένωσιν ἀπὸ τῶν θρεπτικῶν γινομένην. ideſt, Nunc Hippocrates ſupponit ſanguinis euacuationem à partibus altricibus, ſeu nutritiuis factam.

ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν. ideſt, Quicunq; euomunt ſanguinem.] Intellige ſine magna uiolentia, ſed quia ſponte profluat. Aliqui intelligunt ſanguinem etiam euomi, qui uenit ab aſpera arteria, atq; pulmone, quod ex ipſo Hippocrate in quinto Epidemiorũ libro confirmari poteſt, ubi caſum ponit cuiuſdam uirginis in Lariſſa, quę cum ſanguinis nõ multum uomuiſſet, purulenta facta eſt, Apparet autem ſanguinem in pectore eſſe debuiſſe, ſi purulenta effecta fuit. Sed Galenus illos reprehendit qui ita hic per uomitum intelligunt, quia hæc paſſio non eſt ſalubris, ideſt curari facile poteſt, quando non febricitauerint. immo Galeno uidetur difficillima curatio, & ita re uera eſt.

ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ, σωτήριον. ideſt, Si ſine febre quidem ſalutare.] Hoc eſt facile adhibetur remedium, ſi opus ſit, uel etiam confert, quia corpus mole hac ſanguinis exoneratur, modo ut dicit Philotheus, ſit πλὴν μέτριον. ideſt, ſecundum mediocritatem. ex hoc uero ſalutare eſt ut idem Philotheus dicit, quoniam δηλοῖ φλεγμονὴν, ὅθεν ἀναφέρεται τὸ αἷμα, ἀλλὰ μόνον ἀναστόμωσιν. ideſt, inflammationẽ oſtendit, unde ſanguis ſubleuatur, ſed ſolum oris alicuius uenæ apertionem.

ἢν δὲ σὺν πυρετῷ, κακόν. ideſt, Sin autem cum febre, malum.] Philotheus in ſuo contextu legit ὀλέθριον κάρτα. ideſt, ſi autem cum febre, ualde pernicioſum, & exponit quid intelligat per κάρτα, τουτέστι πάνυ, hoc eſt ualde. nam cum febris adfuerit, inflammatio neceſſario adeſt, quæ difficillima curatu eſt. unde & Philotheus δηλοῖ γὰρ φλεγμονὴν εἶναι ἐξ ὧν τὸ αἷμα ἀναφέρεται διὰ ἀνάβρωσιν. ideſt, oſtendit enim inflammationem eſſe è partibus è quibus ſanguis per exeſionem attollitur. & facta eſt exeſio ante maturationem.

θεραπεύειν δὲ τοῖσι στυπτικοῖσι, καὶ τοῖσι ψυκτικοῖσι. ideſt, Curare autem ſtypticis, & frigidis.] Aliqui hoc referũt ad ſanguinis uomitum cum febre, quod ſtypticis & frigidis curari debeat. ſed Galenus intelligere uidetur, quod is uomitus, qui cum febre eſt, in qua ſit inflammatio, non ſolum non curetur, immo & exaugeatur inflammatio, ideo hęc curatio ad uomitũ ſine inflammatione referenda erit. Idem uidetur ſentire Philotheus inquiens, εἶτα καὶ θεραπείαν ἐν τῷ τέλει παραδίδωσιν. λέγει γοῦν ὅτι θεραπεία δὲ τοῖς στύφουσι καὶ ψύχουσιν, πλὴν οὐ πάσης αἱμοῤῥαγίας, ἀλλὰ τῆς διὰ ἀναστόμωσιν γινομένης, ταύτην γὰρ τὰ στύφοντα, καὶ τὰ ψύχοντα θεραπεύουσιν, ὡς ἀναστολὴν ποιοῦντα. ideſt, Deinde & curationem in fine præbet. dicit enim curatio autem obſtringentibus, & refrigerantibus. ueruntamen non omne profluuium ſanguinis, ſed illud quod per oris uenæ apertionem factum eſt, curatur. hoc enim frigida & ſtyptica curant, tanquam repreſſionem facientia.

Aliqui codices non legunt copulatiue ſtypticis & frigidis, ſed diſiunctiue. Theodorus, & Leonicenus interpretantur hanc particulam στυπτικοῖς, ideſt acerbis, idq; uerũ eſt acerba eſſe ſtyptica, tamen multa ſunt ſtyptica, quę non ſunt acerba. nam acerbus ſapor is potius

is potius est qui in re immatura est, ut in fructibus, immo Galenus tertio De medicamentis secundum loca libro, differentiam inter repellentia ponere uolens, inquit, repellunt austera & acerba, quæ communi uoce styptica dicuntur. discutiunt calida & sicca. ut hinc facile colligi possit, austera etiam esse styptica, propterea non esse conueniens interpretari acerba, de quibus diffuse Galenus agit libro quarto De simplicium medicamentorum facultatibus, capitibus sexto & septimo. Nos igitur gręco uocabulo potius uteremur, & diceremus, stypticis, & frigidis, quamuis styptica omnia sint frigida, ut Galenus in eisdem locis docet. Si uero petas in quo corporis loco oris uenæ apertio esse possit, quando sanguis euomitur, Respondemus, posse esse in iecore, in uentriculo, in Liene. unde & Hippoc. in lib. De fœminarum natura, de uomitu sanguinis in muliere post partum agens dicit: si fœmina post partum sanguen uomat, læsa est iecinoris fistula, dolorq; uexat intestina, corq; uellicat, & conuellit. hanc multa calida lauato, calidaq; fomenta, quæ potissimum admittet, apponito, lacq; asininum quinq; dies potato, deinde lac uaccæ nigræ ieiuna quadraginta dies potato, uesperi autem sesamon tritum bibito: hic uero morbus periculosus est. tamen non dicit Hippocrates quod sit cum febre. Intellige uero per iocineris fistulam uiam illam quæ ad uentriculum tendit, nisi per grandem uenam intellige uolueris. Idem Hippocrates in eodem libro deinceps eisdem uerbis utitur, inquiens: si uero sanguinem post partum uomat, fistula iocinoris saucia est, debilitant intestina, cor uellicatur. hanc multa calida lauato, quæq; calefacientia suscipiet, apposito. Lac asininum quinq; uel septem dies potato. deinde lac nigræ uaccæ (si potis est) quadraginta dies ieiuna potato, sesamum uero tritum uesperi propinato. Nam hic morbus periculosus est. Vides eadem præcise esse uerba, quæ superius citata sunt, sed quod mirum est, deinceps etiam tertio eadem repetit, breuius tamen, inquiens: si post partum sanguinem uomat, huius iocineris fistula lęsa est. Quare lac asininum ieiuna potato. postea bubulum quadraginta dies (si facile possit) sesamumq; tritũ, donec bene habeat. hæc uero sunt in puerperis.

Nos Magnificum & illustrem Iulium Boiardum Scandiani comitem curauimus, qui cum uehementissima febre bis terq; in die sanguinem copiosissime euomebat, tamen egregie euasit.

GALENVS

VOMITVS quidem fit è gula, & uentriculo, cum tussi autem expuitur ex aspera arteria, atq; pulmone relata. Quidam uero huius libri expositores aiunt sub uerbo euomunt comprehensos esse, & illos qui ex aspera arteria atq; pulmone sanguinem educunt. Atqui salubrem esse hanc passionem, hoc est curari posse, quando ægri non febricitauerint, haud quaquã uerum. Si enim uel quàm maximè absq; febre ex pulmone cum tussi sanguinem emiserit, periculum imminet, ne curatio fiat, & si perdurauerit casus, omnino postea febres succedent. Ob hoc igitur melius est, ut audiamus uerbum, euomunt, in proprio accipi significato. Considerare autem, atq; distinguere, & quod periculo uacat in ipso, & quod est cum periculo ex febris præsentia, uel absentia: nam qui febre uacant, liquet nullam adesse inflammationẽ in loco unde emittitur sanguis. Quare uel alicuius uasis ore adaperto fit sanguinis uomitus, uel cum ulcere quidem, sed sine inflammatione. Curantur autem quæ sunt abque inflammatione ulcera facile acerbis. Quæcunque uero cum inflammatione sunt, ac febribus ne dum curari possint, neque in eadem possunt magnitudine permanere, semper enim maiora fiunt, ac maligniora.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, uomitum fieri ἐκ στομάχου καὶ γαστρὸς idest, à gula, & uentriculo, intellige immediate: nam & à iecore & liene in uentriculũ regurgitantibus fit uomitus, sed illa quæ ex aspera arteria atq; pulmone referuntur, cum tussi expuuntur. hic etiam immediate intellige, quia omnia quę à pectore ueniunt, cum tussi exeunt.

Quod legitur, expuitur. In plurali legi debet expuuntur.

SECVNDO expositores quosdam refert, qui sub hoc uerbo, uomunt, illos etiam intelligunt, qui ex aspera arteria atq; pulmone sanguinem educunt.

TERTIO hos reprehendit Galenus, quia hæc passio, quando ægri non febricitant, haud facile curatur. nam si ex pulmone sanguis emittatur, etiam sine febre, periculum imminet ne curatio fiat. immo si hic casus perdurabit, febrem necessario incidet.

QVARTO docet, Verbum euomunt intelligendum esse in proprio significato. nam febris præsentia, atque absentia docet qui in ipso periculo sit. nam qui febre carent, certum est, quod habent inflammationem in loco unde emittitur sanguis: propterea opus est uel fieri hunc uomitum alicuius uasis ore adaperto, uel cum aliquo quidem ulcere, sed absque inflammatione.

Vbi legitur, Nam qui febre uacant, addi debet particula, his, hoc modo: nam his qui febre uacant. grece enim legitur τοῖς μὲν γὰρ ἀπυρέτοις.

QVINTO docet, Vlcera quæ sunt absque inflammatione, acerbis facile curari posse, sed quę cum inflammatione sunt & febribus, non solum curari non possunt, immo nec in eadem magnitudine permanent, quoniam semper & maiora & maligniora fiunt. Ex hoc tamen ne putes Galenum horum curationem euitare, immo & suscipi debet, & curantur, ut in magnifico Iulio Boiardo uisum est.

Quod legitur, acerbis, græce est τοῖς συπτικοῖς, nos potius interpretandum ducimus stypticis. Leonicenus in libro eius manu scripto, qui apud nos est, deleuit hanc particulam acerbis, & eius loco scripsit densantibus. nobis uero magis placet græco nomine uti, scilicet stypticis.

Quod etiã legitur, nedum curari possint, neque in eadem possunt magnitudine permanere. græce est, μὴ ὅτι θεραπείας τυχεῖν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ δύναται διαμένειν μεγέθους. idest, nedum ut curari possint, sed neque in eadem possunt magnitudine permanere.

APHORISMVS XXXVIII

Destillationes in uentrem superiorem suppurantur intra uiginti dies.

BRASAVOLVS.

HVMANVM corpus in tres uentres diuisum esse constat, in superiorem, qui est caput, in quo animalia membra continentur, in medium, qui est pectus, in quo membra uitalia insunt, in inferiorem qui naturalia membra capit. In hoc loco Hippocrates de capite nullam mentionem faciens, uocat superiorem uentrem thoracem, in quem destillationes à capite fluentes colliguntur. hæ uero destillationes intra uiginti dies suppurantur, idest cum in pectore collectę sunt, uigesimum diem non transeunt, quod suppuratæ sunt. nam ob loci caliditatem, & si sint frigidæ materiæ, tamen non transeunt uigesimum diem, postquam sunt collectæ, Si uero quandoque transeant, id rarissime contingit, & in aliquo casu, in quo materia frigidissima sit crassissima, & mire glutinosa atque multa, tamen non multum pertransit uigesimum diem. nempe quadragesimum non attingit. At si materia calidior fuerit, id citius fit, propterea bene dicit, intra uiginti dies: nam in hoc spatio fit, hoc est aliquo die à uigesimo contento, ut decimoquarto uel decimoseptimo.

κατάῤῥοι. idest, destillationes.] Destillatio autem est commune uocabulum materiæ defluentis ad nares, quod leue est: ad fauces, quod peius est: ad pulmonem, quod pessimum est, ut notat Celsus capite secundo libri quarti. hic de illa loquitur, quæ & in pulmone, & in thoracis cauitatibus continetur, unde dicit,

Ες τὴν ἄνω κοιλίην. idest, In uentrem superiorem.] Per quem thoracem intellige, & ideo hic à Philotheo dicitur, κατάῤῥουν λέγει τὴν σύῤῥοιαν τῆς ὕλης, καὶ τὴν ἐν τῇ τραχείᾳ ἀρτηρίᾳ, ἢ τὰς κοιλότητας τοῦ θώρακος, ἢ παρ᾽ αὐτὸν τὸν πνεύμονα γινομένην. κοιλίαν δὲ τὴν ἄνω, θώρακα, παραβάλλων πρὸς τὴν κοιλίαν, idest, Destillationem dicit materiæ confluxum, & quę in aspera arteria, uel in thoracis cauitate, uel ad ipsum pulmonem factum. uentrem autem superiorem, thoracem dicit, ad aluum comparans.

Εκπυοῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν, idest, In uiginti diebus suppurãtur.] Terminũ assignare uidetur

uidetur. Atqui citius quandoq; fit, propterea Theodorus & Leonicenus interpretati sunt, Intra uiginti dies. uigesimus autem dies medius est quidam terminus inter simpliciter acutos, & inter principium diuturnorum morborum. Philotheus dicit, in uiginti diebus suppurari τὸ μήκιστον, idest, quod longissimum est, & huius causa est, inquit, διὰ τὴν περιουσίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, ἔστι γὰρ ὅτε τῇ ὀγδόῃ ἢ τῇ δεκάτῃ τετάρτῃ ἐκπυΐσκεται. τοῦτο δὲ γίνεται πρὸς τὴν δύναμιν τοῦ ὑποκειμένου σώματος, καὶ πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὕλην. idest, Ob innati caloris abundantiam. contingit enim quod & octauo uel decimoquarto suppuratur. hoc autem fit secundum potentiam suppositi corporis, & secundum subiectam materiam.

GALENVS.

VENTREM superiorem nunc nominat, qui à thorace præfinitur, quę pulmo obtinet, atq; ideo à capite distillatio fertur per asperam arteriam. Suppuratur aũt magna ex parte in uiginti diebus, & non ut multi scribunt in uigintiduobus. Semper enim Hippocrates diem uigesimum iudicatorium facit non uigesimumsecundum, quemadmodum in libris de diebus iudicatorijs ostendit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet quid per superiorem uẽtrem Hippocrates intelligat. nempe eum intelligit qui à thorace pręfinitur, in quo est pulmo: ad hunc uentrem destillatio à capite per asperam arteriam descendit.

SECVNDO docet, huius destillantis materię suppurationem ut plurimum in uiginti diebus fieri, & non in uigintiunũ, ut plures dicunt. nam Hippocrates diem uigesimũ semper iudicatorium facit, & non uigesimumprimum, ut in libro De diebus iudicatorijs ostendit.

Quod legitur, Suppuratur autem magna ex parte in uiginti diebus, & non, ut multi scribunt, in uigintiduobus. semper enim Hippocrates diem uigesimum iudicatorium facit, & non uigesimumsecundũ. In prima nostri antiqui codicis lectione, ita præcise scriptum est de uigintiduobus diebus εἴκοσι δύο. In Aldino autem codice, & in secunda nostri antiqui lectione scriptũ est ἐκπυΐσκεται δὲ τὸ πλεῖστον ἐν ἡμέραις εἴκοσι, καὶ οὐχ ὡς οἱ πλεῖστοι γράφουσιν, ἡμέραις. κα. διὰ παντὸς γὰρ ὁ ἱπποκράτης τὴν κ ἡμέραν κρίσιμον, οὐ τὴν κα. οἶδεν, idest, suppuratur autem magna ex parte in uiginti diebus, & non ut plurimi scribunt, in uno & uiginti. Semper enim Hippocrates uigesimum diem iudicatorium facit & non uigesimum primum. Et hoc magis conuenit, quia nullus antiquus uigesimum secundum diem iudicatorium facit, sed bene uigesimum primum. ut ergo ad illos alludat, potius legendum est uigesimum primum, quàm uigesimum secundum.

APHORISMVS XXXIX

SI quis sanguinem minxerit, & grumos, & stillicidio ruinæ laboret, & dolor inciderit in femur, & imum uentrem, pectinemq;, quæ circa uesicam, male se habere significatur.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismum libro quarto aphorismo octuagesimo ubertim exposuimus. In hoc aũt & in illo quædã uidetur differentia, quia ille disiunctim legebat, quæ hic cõiunctim scripta sunt. Si quis sanguinem minxerit, & globos uel sanguineos, uel pituitosos etiam, & stillicidio ruinæ laboret, & dolorem habeat in ea parte quæ est inter anum & testes, & in imum uentrem atq; pectinẽ, ex his iudica illa quæ circa uesicã sunt male se habere. In Aphorismo autem quarti libri legitur circa uesicã labor est. Philotheus hunc aphorismum non habuit, & de eo nullam mentionem facit.

ἢν οὐρέῃ αἷμα, καὶ θρόμβους, idest. Si quis sanguinem minxerit, & grumos.] uel intellige sanguinem liquidum & compactum in grumos, uel grumos etiam pituitosos. hoc fieri non potest, nisi uel alicuius uenæ ore adaperto, uel exesa uena, uel fracta, & hoc potest tam à partibus superioribus, hoc est iecore, & toto corpore, quàm inferioribus prodire,

ſed additis alijs conditionibus quæ enumerantur, partes inferiores eſſe cognoſcitur.

Καὶ στραγγουρίην ἔχῃ. ideſt, & ſtillicidio urinæ laboret.] ob grumos impedientes.

Καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ εἰς τὸ περίναιον, καὶ τὸ ὑπογάστριον. ideſt, & dolor incidat in partem quæ eſt inter anum & teſtes, & in imum uentrem.] unum ex his eſt in parte anteriori, aliud in parte poſteriori. Leonicenus interpretatur περίναιον, ideſt, femur, quod an recte faciat, tu ipſe conſidera. nos ſcimus περίναιον partem illam eſſe quæ inter anum & teſtes interiacet.

Καὶ τὸν κτένα. ideſt, & pectinem.] ut ſcilicet hic dolor pectinem uexet.

Τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσεῖν σημαίνει. ideſt, Quę circa ueſicā, male ſe habere ſignificatur.] Intellige uero & ipſam ueſicam, & penem, & circum uicinas partes, ut in quarto libro in huius propoſiti aphoriſmo edocuimus.

GALENVS

IN OMNIBVS ferè exemplaribus hic aphoriſmus ſcriptus eſt. Eximere autē oportet propter alterum qui prius eſt dictus, quem nos expoſuimus in quarto horum commentariorum per hæc uerba ſcriptum. Si ſanguinem mingat, ac grumos, & urinæ ſtillicidio laboret, & dolor inciderit in imum uētrem, & pectinem, quæ ſunt circa ueſicam male ſe habent. In propoſito autem aphoriſmo eſt ultima ſcriptura duplex, una quæ antea ſcripta fuit, altera talis. Veſicam male ſe habere ſignificatur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphoriſmum eſſe ab hoc loco eximendum, quamuis in omnibus exēplaribus ferè ſcriptus ſit, & cauſa cur eximi debeat eſt, quia in quarto libro expoſitus eſt.

Vbi legitur, eximere autem oportet, addi debet particula eum. nam Græce habetur περιελεῖν δὲ αὐτὸν χρή. ideſt, eximere autem oportet eum.

SECVNDO dicit, ultimam huius aphoriſmi partem habere duplicem ſcripturam, unam, quam dicebat referens octuageſimū aphoriſmum quarti libri, ſcilicet Quæ ſunt circa ueſicam male ſe habent: alia uero talis eſt, ueſicam male ſe habere ſignificatur.

APHORISMVS XL.

SI lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit, tale eſt melancholicum.

BRASAVOLVS

SI quis nunc uſum loquendi habeat, & promptam linguam ad hoc opus, tamen repente uel impediatur, uel hic uſus remoueatur, uel aliqua noſtri corporis pars apoplectica fiat, ideſt, ſtupida, hunc uirum melancholicum eſſe iudicare debemus, nam hęc ab humore melancholico fieri nihil impedit.

Ἢν γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται. ideſt, Si lingua repente incōtinens fiat.] & adeo intemperata ut non poſsit uel integre uocem dearticulare, uel immobilis ſit, uel omnino reſoluta: & hoc repente fiat, & abſq; temporis interuallo, quod indies fieri uidemus in potatoribus. unde Ariſtoteles in tertio Problematum libro problemate uigeſimonono dubitat cur uinolentorum lingua oberret. Reſpondet, utrum quemadmodum corpus totum in uinolentia titubat, ita etiam lingua labens oberrat, nec explanare poteſt. An quoniam caro linguæ mollis & inſtar ſpongiæ eſt, ampliatur madeſcens atque extollitur, itaq; ob molem retardior fit, exprimereq; ſincere non ualet. An quod ut in aqua ob aeris abſentiam loqui non poſſumus, ita neque cum nimium in os humorem indidimus. Igitur quod uinolentorum lingua in nimio humore ſe uoluit, iccirco exprimere ſincere non poteſt. An animus quoque uinolentorum compatiens errat. At ſi animus ita affectus eſt, linguam etiam pariter affici conſentaneum eſt: inde enim omne loquendi initium ducitur. quo fit ut etiam ſine uinolentia quenquam hauſit affectum, lingua etiam ſentiat, atque compatiatur, ut in metuentibus patet. fit ergo incontinens lingua, & ebrijs, & ijs qui iraſcūtur, & habent affectus aliquos in anima, & propter humorem

rem atrabilarium implentem neruos linguam mouentes, & propter pituitosum idem agentem. Philotheus uero hic dicit, πολλάκις ἔμφραξις γίνεται περὶ τὰς ἀποφύσεις τῶν νεύρων, τὰς φερομένας παρὰ τοὺς μῦς τῆς γλώττης, καὶ μηκέτι δυνάμεως ἐπιχορηγουμένης τοῖς μυσὶν ἀναίσθητος καὶ ἀκίνητος ἡ γλῶττα γίνεται, ἣν ἀκρατῆ γλῶσσαν ὁ ἱπποκράτης λέγει. ὅτι δὲ ἐξ ἐμφράξεως γίνεται, οὕτω δῆλον, ἐκ τοῦ εἰπεῖν ἐξαίφνης. οὐ γὰρ φλεγμονή, οὐδὲ ξηρότης ἐξαίφνης ἀκίνητον δύναται ποιῆσαι τὴν γλῶτταν. λοιπὸν οὖν, ὡς εἴρηται, ἔμφραξις ἐκ τῆς ταχυτάτης ὕλης, idest, Sæpe obstructio fit circa neruorum complantationes ad musculos linguæ delatas, & quum non amplius uis suppeditetur eius musculis, insensibilis fit, & immobilis lingua. Hippocrates hanc impotẽtem linguam dicit, quod uero ex obstructione fiat, manifestum ex eo quod dicit, repente. non enim inflammatio, neq; siccitas repente immobilem possunt facere linguam. Relinquitur ergo, ut dictum est, obstructio ex ocyssima materia. erit igitur impotens lingua, ad quam materiæ fluentes illam implent.

ἢ ἀποπληκτόντι τοῦ σώματος. idest, uel aliqua corporis pars apoplectica fit.] uel (ut Leonicenus dicit) stupore elãguit. nam Hippocrates membra paralysim & dissolutionem patientia apoplectica dicere consueuit, ut quandoque apud ipsum crus apoplecticum scriptum inueniatur, pro eo quod est resolutum & paralysim patiens. Tamen Celsus capite uigesimoseptimo tertij libri dicit, quando sunt resoluta tota corpora, à ueteribus apoplexiam nuncupari: quando uero partes aliquæ, paralysim. At nos apud Hippocratem etiam inuenimus apoplexiam in parte dici. Hippocrates in præsentiarũ per apoplexiam, alicuius partis corporis dissolutionem, & si dicere mauis stuporem intelligit.

μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. idest, Tale est melancholicum.] Galeno uidetur hoc absurdum esse: quomodo aliqua corporis resolutio repente facta, uel lingua incontinens, hunc esse melancholicum significent. nam re uera & hæc à pituita fieri possunt. Philotheus exponit, quid intelligendum sit per ἀπόπληκτον, τουτέστιν ἀκίνητον καὶ ἀναίσθητον. μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον, ἀντὶ τοῦ μελαγχολικοῦ χυμοῦ ἐμφράττοντος γίνεται, idest, Apoplecticum, hoc est immobile & insensibile, tale melancholicum, pro eo quod à melancholico humore obstruente fit. Sed quomodo lingua incontinẽs significare posit aliquem esse melancholicum, non uidetur ratio Galeno necessaria: & re uera non est, nisi intelligamus ut de ebrietate ab Aristotele dicitur, quam qui habent, lingua oberrant, ut qui irati sunt, & qui aliquam habent animi affectionẽ, cum repente lingua fiat incontinens, idest ob aliquam animi affectionem quæ est melancholica. Dubitat idem Aristoteles decima Problematum particula, problemate sexagesimotertio, Quid est quod linguam faciat hæsitare? Respondet utrum calor efficiat ut procaciores sint, itaque offendendo aberret, quasi insalubris, quomodo iratos homines nouimus: incenduntur enim, incitantur, anhelitant, spiritu redundant. Igitur præ nimio caloris feruore: anhelant autem, quoniam frequens spiritus est, nec anticipat, quatenus se tempore respirandi promere posit. An potus contra, ut loci quo uocem mittimus refrigeratio causam det, tanquàm membrum id attonitum obstupescat, itaque afficiatur, ut uel concalefacti à uino, aut perpetua oratione uerba expeditius posint copulare. Sed quod ex Aristotele sumi potest, idest, quod nona Problematũ particula problemate trigesimooctauo querens quã ob causam qui lingua hæsitãt, melancholico habitu cõstant. Respondet, An quod propere sequi imaginationẽ non nisi esse melancholicum est. hæsitãtes autem illi tales proculdubio sunt. impetus nanq; dicendi præruit, anteceditq; facultatẽ eorum, utpote cum animus uisa sequatur. Balbis etiã idem accidit. hos etenim oẽs membra uoci accõmodata tardiora habere certum est. Indicium uero quod tales uinolenti redduntur, cũ suas maxime imaginationes, non rationes sequuntur. Nos hoc modo linguæ incontinentiam intelligere possemus, itaq; significaret hunc esse melancholicũ. Quod uero linguæ hæsitantia talis fiat, Hippocrates in fine libri De præceptis docet, inquiens, Linguę uero non clara dissertatio, hæsitãtiaue morbo uel propter aures fit, quod priusquàm prima enuntiet, secunda, & alia superinijcit, uel antequàm quod mente uoluebat, dicat, mẽte alia uoluit. Quod cũ dicitur peritis artis, cõsiderandum est morbo necne fiat. forte in hoc sensu intelligere possemus, linguam esse continentem, & ita melancholiã significare. uel dicamus, quod id quandoq; significat, & non semper. Idem de alicuius membri resolutione quãdoq; significat Melancholiam, quia talis resolutio ex melancholico

etiam

etiam humore fieri potest, ut in commentatione sequentis aphorismi docebit Galenus.

GALENVS

INCONTINENTEM quidem nominat linguam quæ infirma est, ita ut non possit integre dearticulare uocem, aut immobilem, & omnino resolutam. Stupore autem elangues aliquid corporis quod resolutum est. Cur uero hæc repête facta, dicat esse melancholica ignoro. Melancholiæ enim in cuius nomine omnes Græci cōsentiunt, recte ab ipso talia indicia sunt dicta.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem hic nominare linguam ἀκρατῆ, idest, incōtinentem illam quæ uel non possit integre uocem dearticulare, uel immobilem & omnino resolutam.

Commentationis principium, quod habet. Incontinētem quidem nominat linguam quæ infirma est. legi debet, quæ aut infirma est, & hęc particula Aut pro continuatione necessaria est. In Græco præterea adest particula ἢ, idest, aut.

SECVNDO docet, ἀπόπληκτον, idest, Stupore elanguens aliquid corporis uocari, quod resolutum est.

TERTIO dicit se ignorare cur hæc repente facta significent esse melancholicum. Nam ab ipso aliàs dicta sunt Melancholiæ indicia, quando Aphorismo uigesimotertio sexti libri dixit, Si timor, aut tristitia multum tempus habentia perstiterint melancholicum tale est. Notaq; in nostro antiquo codice, sequētem aphorismum, & hunc pro uno haberi. At si distinxerimus, opus est sequentem aphorismum in calce etiam sequentis commentationis subscribere. Tamen si recte perpendas, aphorismus qui sequitur poni non debet in ordine aphorismorum, sed solum à Galeno in sua commentatione in testimonium affertur. est uero aphorismus uigesimustertius sexti libri, postea Galenus suam commentationem sequitur, & docet quo Hippocrates saluari possit, & debeat à dubitatione, quam fecerat. In Aldino etiam codice cōtinuatus est, & Philotheus in sua commentatione sequentem aphorismum non habet, quod indicium est non esse hic ab Hippocrate positum, & in illis codicibus, in quibus non sunt Galeni commentaria, aphorismus ille non adest. Tamen quia ita consuetum est ipsum legere, nos tanquàm distinctum legamus, huic tamen coniungentes.

APHORISMVS XLI

SI timor, atq; mœstitia longo tempore hominem habentes perseuerauerint, tale est melancholicum.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus in hoc ordine ab Hippocrate non ponitur, sed à Galeno in medio suæ commentationis pro expositione præcedentis refertur. At nonnulli commentationem partiētes ex uno duo fecere, & duos aphorismos. hunc uero aphorismum exponere minime opus est, quia ipsum superius aphorismo uigesimotertio sexti libri ubertim exposuimus: eius enim sensus est, Cum timor atquæ mœstitia in homine longo tempore perseuerauerint, cum sint symptomata melancholici humoris, hunc iudica esse melancholicum.

ἢν φόβος ἢ δυσθυμίη πολὺν χρόνον ἔχουσα διατελῇ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. Si timor atque mœstitia longo tempore habentes perseuerauerint, tale est melācholicum.] de quo aphorismo, in Sexto diffusissime egimus. Celsus capite septimo secundi libri hunc aphorismum ita refert. At si longa tristitia cum longo timore & uigilia est, atræ bilis morbus subest.

GALENVS.

ALITER autem & melancholicas dicemus esse passiones, Cancros, Elephātes, adhuc autem Scabies, & Lepras, & Vitiligines nigras. Sed neq; ullā aliquam talium

lium paſsionum, neq; illam quæ ab omnibus nominatur melancholia, linguæ inconti-nẽtia uidetur antecedere, ſicuti neq; alicuius partis ſtupor. Quare ſupereſt ut dicamus, quod quemadmodũ quartani circuitus cauſa eſt humor melancholicus, ſic & dictarum paſsionũ, & linguę intẽperamẽti, & partis reſolutionis. Et fieri poteſt quod propter humoris craſsitudinem tales paſsiones conſequantur, quales ex craſſa, & lenta eueniunt pituita. Non igitur dicemus ſimpliciter utrunq; dictorum eſſe melancholicum, ſicuti neque pituitoſum ſimpliciter, ſed pituitoſum ſimul, & melancholicum. Additum autem eſt ſermoni aduerbium, repente, propter mala quę paulatim fiunt, ſicuti ex inflammatione duritiem admittente, & intemperatura difficulter ſolubili.

BRASAVOLVS

HÆC cõmentationis pars ad præcedentem partem talem habet continuationem: dicebat prius, ſe non uidere quomodo incontinẽs lingua, & reſoluta pars, humorẽ melancholicũ ſignificarẽt. nã alias Hippocrates indicia melancholiæ in ſexto libro edocuerat aphoriſmo uigeſimotertio, ubi dicebat, Timor atq; mœſtitia perſeuerantia id ſignificare. Tamen præter timorem & mœſtitiã aliæ ſunt melancholiæ paſsiones, ut cancer, elephas, ſcabies, lepra, nigra uitiligo, de quibus egimus in tertio libro. tamen nulla harum paſsionum, neq; illa quæ proprie, & peculiari nomine melancholia dicitur, habent præ ſe linguę incontinẽtiam, neq; alicuius partis ἀπoπληξίαν, ideſt, ſecundum Leonicenum, ſtuporem, nos potius reſolutionem diceremus.

SECVNDO nititur inuenire cauſam, ſi qua ſit, inquiens, Sicuti humor melancholicus eſt cauſa quartani circuitus, eodem modo eſt cauſa dictarum paſsionũ, ſicuti intemperamenti linguæ, & etiã reſolutionis alicuius partis. unde ſicuti hę paſsiones ex craſſa & lenta pituita fiunt, etiam ex humorũ craſsitudine fieri poſſunt. & ideo non dicemus utranq; paſsionem eſſe melancholicam, ſicuti etiam non dicemus utranq; pituitoſam, quia fiat à pituita, ſed dicemus pituitoſam ſimul & melancholicã: nõ in hoc ſenſu quod ſimul ſint eodem tempore pituitoſa & melancholica, ſed quod modo pituitoſa, modo melancholica ſit. immo & apoplexiam ex atra bile fieri ſexto libro aphoriſmis quinquageſimoſexto & quinquageſimoſeptimo edocuit.

Quod legitur, & linguæ intemperaturæ, Græce eſt καὶ τῆς γλώττης ἀκρατείας, ideſt, & linguæ intemperamenti.

TERTIO docet Galenus, additam eſſe illam particulã repente, propter mala, quæ paulatim fiunt, ſicuti inflammatio, quæ duritiem admittit, & ſicuti eſt intemperatura difficulter ſolubilis.

Quod legitur, Sicuti & inflammatione duritiem admittente, Græce eſt ἐπὶ τῆ φλεγμονῆ σκιρρωμένῃ.

Tu igitur ex te ipſo cognoſcere potes hanc commentationis partem pręcedenti iungendam eſſe, ut aphoriſmi expoſitio perficiatur.

APHORISMVS XLII

SI ſenioribus ſupra modum purgatis ſingultus ſuperuenerit, non bonum.

BRASAVOLVS

QVINTO Aphoriſmorum libro aphoriſmo quarto ſimpliciter in omni ætate, in omni temperatura, in omni conditione dicebat, ex ſuperflua purgatione conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum. At quanto peius erit, ſi hoc in ea ætate contingat, quæ cæteris imbecillior eſt, atq; magis defecta. propterea ſi ſingultus ſenioribus ſupraueneri, ex purgatione, quæ ſupra modũ ſit, nõ eſt bonum, immo peſsimũ eſt, quia ſignificatur ex ſiccitate factũ eſſe, & uiriũ imbecillitate. Eſt uero ſingultus ad conuulſionẽ pertinens, quã ſemper ex ſiccitate factã, ſuſpectã habet Hippocrates. eſt ergo malũ ſingultus ſeniori ſuprauenienẽs uehemẽter purgato, Philotheo etiã dicẽte: καὶ ἐπὶ τῶν ἀκμαζόντων καὶ τῶν ἄλλων ἡλικιῶν κακὸν τὸ τοιοῦτον. δηλοῖ γὰρ ἄμετρον ξηρότητα. πάνυ δὲ κακὸν ἐπὶ τῶν γερόντων, καὶ διὰ τὴν κατάπτωσιν τῶν δυνάμεων, ideſt, Et in uigore ætatis, & in alijs ætatibus conſtitutis

constitutis tale malum est: ostendit enim immodicam siccitatem: in senioribus autem ualde malum & propter uirium defectum.

Ἢν ὑπερκαθαιρομένων πρεσβυτέρων. idest, Si senioribus supra modum purgatis.] Intellige uero per seniores tam primos, quàm secundos. tamen in secundis peius est, quia imbecilliores sunt. At si uocabulum, quo utitur, consideremus, scilicet πρεσβυτέρων, ultimos senes significare uidebimus, ut ex Galeno colligi potest, ultimo aphorismo tertij libri. per purgationem uero supra modum factam, superfluam purgationem intellige, uel ratione symptomatis factam, uel ui medicamenti.

Λὺγξ ἐπιγένηται οὐκ ἀγαθόν. idest, Singultus superuenerit, non bonum.] Nam est ex inanitione singultus, qui apud Hippocratem semper suspectus est.

GALENVS

COMMVNIS est hic sermo secundum utrunque: & quatenus omnibus supra modum purgatis non est bonus singultus: & quatenus senioribus omnia mala peiora fiunt propter ætatis imbecillitatem.

BRASAVOLVS

GALENVS docet, & ob senium, & ob nimiam euacuationem hunc singultum esse malum: ob nimiam quidem euacuationem, quia ut libro quinto dictum est, aphorismo quarto, singultus ob euacuationem malus est: ob senium uero, quia omnia mala ob ætatis imbecillitatem in senioribus sunt peiora.

APHORISMVS XLIII

SI febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa solutio fit febris.

BRASAVOLVS

SI QVIS febre correptus sit, non autem ex bile, multa aqua calida capiti superinfusa febrem soluit. nam ab hac aqua calida, febrilis præter naturam caliditas remouetur, & simul causa quæ febrem faciebat. Scito autem in præsentiarum per febres non ex bile factas, omnes illas intelligere, quæ non sunt humorales.

Ἢν πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ. idest, Si febris nō ex bile habeat.] Idest, si non sit febris humoralis, sed uel ephemera, uel ethica. Hippocrates per bilem omnes humores intelligere solet. nam in fine libri De hominis natura, quatuor febrium genera ponit, & omnia ex bile, Non intermittēs, Quotidiana, Tertiana, Quartana: & omnes has ex bile facit, quod manifeste ostendit bilem omnes humores significare. & Galenus hic in commentationis fine bilem ad pituitam deducit. Idem Hippocrates in secundo Aphorismorum libro aphorismo decimoquinto cum dicit, ubi fauces ęgrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet: nam si biliosæ fuerint, corpus unà ægrotat. Certum est in præsenti loco bilem pro omni humore accipi, quia tubercula fiunt, & ex pituita, & ex atrabile quandoque, & tunc excrementa debent esse pituitosa, uel atrabilaria. Philotheus quoque hic dicit: χολῆς μνησθεὶς λόγῳ παραδείγματος ὡς βραχυλόγος, τοὺς λοιποὺς χυμοὺς προσυπακούεσθαι δεδήλωκε, τουτέστι φλέγμα, αἷμα, μέλαιναν χολήν. ἀπ' ἄλλου οὐ διά τινος χυμοῦ. ἀλλ' ἐπὶ πνεύμασιν, ἢ στερεοῖς. τότε ὠφελεῖ ἡ κατάχυσις τοῦ θερμοῦ ὕδατος, καὶ δυνατὰ τοσαῦτα. οὐ γάρ ἐστιν ὕλη ἡ ὀφείλουσα χύσιν ὠδίνειν. εἰ δέ τις λέγει γίνεσθαι, λέγει μὲν, ἵνα ἐκ ταύτης, παρ' ὅλον τὸ σῶμα πρῆν. idest, de bile mentionem faciens, ratione exempli utpote breuiloquus, reliquos humores subaudiendos significauit. hoc est, pituitam, sanguinem, nigram bilem. ab alio solo quodam humore, sed in spiritibus, uel in solidis membris, tunc utilis est aquæ calidæ infusio, & potens & probe calens. etenim non adest materia quę fusionem facere debeat. Si uero quis petat, quomodo fiat, dicit quidem, ut ex hac ad totum corpus adsit. Tamen est adeo obscurus, & corruptus græcus contextus, ut nullus possit sensus perfecte colligi, nos prædictū collegimus qualiscunque sit, lector ipse iudicet, & meliorem sententiam eliciat. Si ergo sit febris non humoralis, sed uel ephemera in spiritibus, uel ethica in solidis membris,

ὕδατος πολλοῦ καὶ θερμοῦ καταχεομένου ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται. idest, Multa aqua & calida capiti superinfusa, solutio fit febris.] Tum quia calor præter naturam remouetur, tum quia causa etiam quæ febrem facit, uel obstructio sit, uel aliud simile. Hoc autem quod dicitur, infundendam esse aquam calidam, non solum de infusione intelligere oportet, sed etiam de ingressu in balneum. nam Paulus libro secundo, capite decimosexto, de his qui laborant febre diaria ex feruoribus atque adustionibus dicit, quod inclinante febre opus est caput his perfundere atque lauare: id autem non fit, nisi aqua calida. Et in eodem loco multas ponit febrium diariarum species, in quibus balnea fieri docet: & in febre ethica capite trigesimotertio eiusdem libri, sæpe balnea fieri oportere monet. Aetius preterea capite sexagesimoseptimo quinti libri, in ephemeris febribus lotionibus utitur: & capite nonagesimotertio eiusdem libri, in ethicis balnea ex aqua calida facit. Sed hæc notissima sunt, & talia, ut in illis nemo ambigat. At in humorali febre dubium est, nunquid aquæ calidæ perfusione, aut balneo uti possimus. Nunc balneorum distinctiones à Galeno, decimo Medendi methodo positas, quia hic per balneũ aquæ calidæ lauacrum intelligimus, quod in tertio De sanitate tuenda Galenus dicit, duras densasque partes emollire, excremẽta putria, si quæ intus ad cutem hærent, euocare. In decimo uero Methodi dicit, Si quis balneum ingressus non inhorruit, sed remissa est illi laxataque cutis, huic sane necessario prædicta succedent, excrementorum uacuatio, æqualis per omne corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, densatorum fusio. Sed quid opus est uerbis? in plethora balneo utitur libro decimotertio De arte curandi, & in octauo & in decimo multa de balneis agit, modo materia sit cocta. Sed ut ad rem ueniamus, Galenus ad Glauconem balnea ex aqua potabili laudat, tum quia aliquid bilis educunt, tum quia qualitate sua plurimum iuuant. Idem Galenus in undecimo Methodi cum fiducia balneo lauat febricitantes ex bile, & multa ibi notanda sunt, quæ de balneis in putridis febribus dici possunt. Tamen Galenus hoc potius facere uidetur cocta materia, quod tamen fieri posset illa nõ penitus cruda, sed aliquam coctionem habente. Quin & Celsus capite decimoseptimo secũdi libri, dicit, balneum modo discussis febribus, initium cibi plenioris, uinique firmioris ualetudini facit, modo febrem ipsam tollit, fereque adhibetur, ubi summã cutem relaxari, euocarique corruptum humorem, & habitum corporis mutari expedit. Antiqui timidius eo utebantur: Asclepiades audacius. & multa de usu balnei in febribus prosequitur Celsus. At tu fortè contra balnea Galenum in tertio De ratione uictus in morbis acutis, adduces, qui inquit, Si balneum administretur ante euacuationem, attrahet ad loca quæ sunt sub precordijs materiam. Sed hoc non negamus in ualde pleno homine, quando materia cruda sit: propterea euacuatione facta, uel saltem concocta materia, balneũ adhibeto. At quum non sit magna plenitudo in inclinatione uniuersali fieri cõuenit. Et si etiam dicas Galenum in tertio De sanitate tuẽda, dixisse: Sane cogit, clauditque tum frigida, tum feruens aqua. Igitur intus morbi causam claudet. Respondemus, nos uti balneo non ex feruenti, neque ex frigida, sed ex calida. Dices etiam Galenũ in decimo Methodi medendi dicere, Qui laborant ethica febre, atque ex his præcipue, qui iam marasmode febriunt, modo ijs alia nulla febris, nec ex putrescente humore, nec ex inflammatione sit adiuncta, eos omnes audacter lauabis. Febris igitur putrida causa est cur lauari non debeat. Igitur tanto minus in ipsa lauandum. Adde quod in primo ad Glauconem de his loquens qui ex multitudine laborant, dicit, à uino uero & cibis abstinendum, & balneis etiam si febricitauerint. In febre igitur balneo uti non debemus. Sed ob quam causam uerbis uerba inculcamus? Certum est in materiæ crudæ copia, nos balneo uti non debere. In his authores & Galenus balnea fieri uetant, tamen de hac materia nos peculiarem tractatum agemus, quum inter nos & alios medicos in tertiana febre cõtrouersia inciderit: nempe illi uolebant cruda etiam materia existente, & non pura biliosa, reuerendissimum Cardinalem Rauennatem in aquæ calidæ balneum intrudere, quibus nos ob ægri utilitatẽ obstitimus: imò ex his unus, qui in seipso cum materiæ cruditate balnea experiri uoluit, pene consumptus est. Sed hæc in præsentiarum tumultuose dicta sint, quæ aliàs distinctius comprobabimus.

GALENVS

EX HOC sermone manifeste declarat non omnes febres ex bile fieri. Ostendit autem quod reliquę omnes exceptis his quæ ex bile factæ sunt, aqua multa capiti superinfusa soluuntur. Secũdum hunc sermonem igitur in primo libro Epidemiarum de Melitone scripsit, balneis usus supra caput. febres si quidem quæ ab exustione, ac frigiditate factæ sunt, à talibus balneis utilitatem sentiunt, & nihilominus quæ ex lassitudinibus fiunt, nihilominus & quæ propter foraminum angustationẽ, siue propter obstructionem, siue ob clausuram fuerint angustata. Respicere si quidem per ipsa oportet, & dissolui calorem febrilem. Non tamẽ ubi inflammatio aliqua, aut absq; inflammatione humoris putredo igneum calorem accẽderit, balneæ utiles sunt antequam noxij humores euacuentur, aut concoquantur. Verum tales morbos, aut laterum inflammationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis antiqui nominabant, uolẽtes febrem non esse morbum ipsum, sed casum morbi. In quibus autem sine partis inflammatione, qui in uenis putrent humores febrem accendunt, in illis solis dicebant hominem à febre molestari, & ipsum à febre haberi. In illis autem & febrium scripsere differentias, hepialon, & lipyriam, eloden, & typhoden, pestilentem, & ardorem nominantes. Hepaticam autem, febrem, uel lienosam, aut pulmoniam, aut lateralem nemo dixit, adeo quod nunc sermo ab Hippocrate habetur de febribus ipsis quæ sunt absq; partium inflammatione. In diuersis uero exemplaribus, non aqua, sed sudor scribitur, talem habente scriptura intellectum. Si febris non ex bile habeat, multus sudor à capite defluẽs febrem soluit, non ex solo capite sudorem fundi dicente Hippocrate, sed à prima parte quæ subijcitur oculis de toto monstrante corpore. Quantum igitur ad hanc scripturam attinet, hi qui ex bile febricitant, à talibus sudoribus nihil iuuabuntur. Atqui sæpius manifeste soluuntur, & aliæ plurimæ febres, & in quibus flaua bilis plurima est, tertianæ, & ardores. Verior igitur est prima scriptura, quæ ueram docet curationem earum febrium, quæ ex dicto genere sunt, quæ uidelicet uel ob lassitudines, uel exustiones, uel refrigerationes, uel omnino cutis fiunt angustationes. Quod autem à bile dicitur, & de rufa, & de atra bile intelligi potest, non tamen in his solis ostendebamus, sed & ob pituitam putrescentem fieri febrem: & in hac sola uidebitur aphorismus non esse uerus, nisi quis existimauerit pituitæ putrefactionem in humorem biliosum conuerti.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hic ab Hippocrate duo edoceri, unũ, quod omnes febres ex bile non fiunt. Aliud, quod omnes aliæ febres, his exceptis quæ ex bile fiunt, aqua multa calida superinfusa sanantur, unde & secundum hunc sermonem in primo Epidemiorum libro de Melitone scribens dicit, balneis usus supra caput. Tu casum quære, si inuenire poteris.

Quod legitur, Ostendit autem, quod reliquæ omnes, legi debet, Ostendit aũt, quod & reliquæ omnes. nam Græce habetur, δηλοῖ δὲ καὶ ὅτι.

SECVNDO docet, febres ex adustione factas, & ex frigiditate ab his balneis utilitatem sentire. Sunt uero hæ omnes ephemeræ. Adde etiam illas, quæ ex lassitudinibus fiunt, & quæ ex meatuũ obstructione, quæ & ipsæ ephemeræ sunt, iuuari ab hac aqua superinfusa. nam per has occlusas partes, respirare oportet, & calorẽ febrilem dissolui.

Quod legitur, Siue propter obstructionem, in Aldino codice legitur, ἔτι δὲ μυῶν στεγνωθέντων. idest, Siue propter obstructionem musculorum.

Quod etiam legitur, Respicere si quidem per ipsa oportet, legi debet respirare, nam Græce est, ἀναπνεῦσαι.

TERTIO ipse regulam dat, de qua superius mentionem fecimus, quando sit usus balneorum in febribus humoralibus probus. ubi adest aliqua inflãmatio, aut putredo humoris absq; inflammatione, quæ febrem fecerit, balneo uti non debemus, antequam noxij humores euacuentur, aut concoquantur: sed morbi illi ab inflammationibus facti secundum inflammatam partem denominantur, & febres ipsæ non habent denominationem à partibus. nam dicunt lateris inflammationem, aut iecoris, aut pulmonis, febris uero non est morbus, sed horum morborum symptoma, unde hi non dicuntur febre uexari, sed inflammationibus, quamuis febris iuncta sit, imò & in nostro uulgari

usu, nulla fit in his inflammationibus febris mentio. In febribus autem sine inflammatione suas differentias habebant, ut hepialos, lipyria, elodes, typhodes pestilens ardor. Nullus autem antiquus febrem aliquam uel hepaticam, uel lienosam uel lateralem uocauit. Vnde Galenus infert Hippocratem hic de his febribus sermonem fecisse, in quibus nulla est inflammatio: sed etiam non de omnibus, uerum de his solum quæ nō sunt à bile, idest ab humore aliquo ex his qui corrupti febrem faciunt.

Vbi legitur, Volentes febrem non esse morbum ipsum. Græce est σύμπτωμα τιθέμενοι τὸν πυρετὸν αὐτὸν, οὐκ αὐτὸ πάθος. idest, symptoma ponentes ipsam febrem, non morbum ipsum. In aliquibus contextibus legitur, πυρετὸν αὐτῶν. Postea deest illa particula αὐτὸν, ante illam πάθος, ut sensus sit, uolentes febrem ipsorum (scilicet membrorum inflammatorum) non esse morbum, sed morbi symptoma.

Vbi Galenus febrium differentias enumerat, dicit hepialon. est uero hepialus, genus febris ex pituita factum: eodem modo lipyria est genus febris. Recentes corrupto uocabulo hanc uocant lypariam, illam empialam. putantq; in hac interiora frigescere, & exteriora calere: in lipyria uero, exteriora frigescere, & interiora calere. Sed nos q̄d apud antiquos sint hæ febres, edocere tentemus: primo ab hepialo exordientes. Aetius libro primo, capite octuagesimosexto, talia de hac dicit: prædicti generis, pituitosi inquam, febris est quæ priuatim hepialos nuncupatur, quando ægri febrientes eodem tempore in singulis corporis partibus calorem simul & frigus percipiunt. gelidissima enim pituita quam uitream uocant, si sine putredine fuerit, solum rigorē inferet: sin putredo mediocris accesserit, hepialos generabitur: exuberante uero putredine, rigor quidem præcedit, sed pura subinde febris subsequitur, frigore à caloris multitudine superato, ut in exacerbationis incremento aut uigore, ne tantillum quidem supersit. Sæpe etiam contingit, ut uitrea pituita aciditatis simul particeps sit. Curatio qualem in quotidiana diximus, adhibenda est, nisi quod hæc maiori indiget incisione. Hæc Aetius de hepialo. Paulus libro secundo, capite uigesimosexto, de hepiali nomine hæc differit, λέλεκται δὲ ἠπίαλος, ἢ ἀπὸ μεταφορᾶς τῆς ἅλος, λέγω δὲ τῆς θαλάσσης, ἠπίας μὲν φαινομένης ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, χαλεπῆς δὲ αὐτῆς ὑπαρχούσης. ἢ παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, ὅπερ ἐστὶ θερμαίνειν. idest, Hepialos autem dicta est, uel per translationem ab hale, dico autem à mari, quod à principio tranquillum, difficile postea fit. uel dicitͬ ab ἠπίως, idest blande & leniter, & ἀλεαίνειν, quod est calefacere. Ipse etiam Paulus inter quotidianas illam numerat, & à pituita hyalode, idest uitrea fieri dicit: dicitq; quum non est corrupta, facere cum tremore algores: quum uero pars aliqua corrupta sit, alia non corrupta, fit hepialos, in qua simul algescunt & febricitant. De lipyria & typhode & crymode Aetius hæc dicit libro quinto, capite octuagesimooctauo: erysipelata in uisceribus quoq; nonnunquam fiunt, ardentem febrem & ethicam inferentia. Si ergo erysipelas in uentriculo sit, febris quæ inde incenditur, lipyria nuncupatur: si in hepate, typhodes: si in pulmone, crymodes. Galenus in Lycum ita differit de his febribus, ut ostendat typhodem non fieri ab inflāmatione uel erysipelate alicuius partis. Nam dicit, febrium quædam sunt exacte siccæ, ut causi exacti: quædam extreme humidæ, ut quæ typhodes aut helodes uocantur. Deinde inquit, humidæ febres, in quibus laborantes primo die sudant. At ex ipsis sudoribus, aut modice, aut nihil iuuantur.

Quod legitͬ, Adeo qđ nunc sermo: legi debet, Quia & nunc sermo. Græce est, ὡς τι.

QVARTO Galenus docet in multis exēplaribus non legi aqua, sed sudor: ut hic sit sensus, Si sit febris non ex bile, multus sudor à capite defluens febrem soluit. Et si tibi forte uideatur ex solius capitis sudore febrem non abire, Intellige per caput, totū corpus. nam per illam primam partem quæ oculis obijcitur, totum intellexit. Vnde quantum ad hanc scripturam, illi qui erunt febre biliosa correpti, ab his sudoribus non iuuabuntur: tamen nos experientia uidemus, per sudores alias plurimas febres solui, & in quibus flaua bilis plurima est, ut tertianæ & ardores.

Quod legitur, In diuersis uero exemplaribus non aqua, sed sudor scribitur. Græce est, ἐπὶ μέν τοι τὰ πλεῖστα τῶν ἀντιγραφῶν οὐχ ὕδατος, ἀλλ' ἱδρῶτος γέγραπται. idest, In pluribus uero exemplaribus non aquæ, sed sudoris scribitur.

QVINTO docet, priorem scripturam ueriorem esse, quæ docet febres curare ex prædicto genere, scilicet quę uel ob lassitudines, uel ob exustiones, uel refrigerationes, uel cutis στεγνώσεις, idest angustationes.

SEXTO docet, hoc nomen bilis esse commune & ad flauam & ad atram: at quia aliquis dicere posset, febrem quoq; à pituita fieri, & in hac aphorismus uerus esse non uidebitur, nam aqua calida superinfusa non iuuat: propterea dicit Galenus, fortè aliquem posse existimare pituitæ putrefactionem in humorem biliosum cōuerti, quod tamen non asserit Galenus, sed dicit aliquis forte ita existimare poterit. At breuius est dicere, quod hic utitur uocabulo bilis pro quocunq; nostri corporis humore.

APHORISMVS XLIIII

MVlier ambidextra non fit.

BRASAVOLVS

DVORVM alterum consequi opus est, aut Hippocratem sapientissimum uirum, aut Platonem summum philosophum aberrare. nam Hippocrates hic docet, mulierem non uti utraq; manu tanquam dextra, idest æque potente & apta ad exercitationes: sicuti homines inuenti sunt, & indies inueniuntur, qui utrasq; manus dexteras habent, idest æque robustas & aptas. Plato autem in septimo De legibus libro in uiros atq; mulieres inuehitur, quæ ambidextræ non fiunt, cum tamē facile fieri possent. Platonis uerba hæc sunt, Atheniense loquente. Quod uidelicet dextera à sinistris, qđ ad manus pertinet, differre iam uideantur in singulis operationibus naturæ. pedes enim, inferioresq; partes ad opera nihilo differre uidentur. Manibus autem, matrum, nutricumq; simul ignorantia quasi claudi facti sumus. Nam cum natura ferè ad utranq; partem æque se habeat, ipsi per consuetudinem non recte utentes, differentiam fecimus, & certe in quibusdam parum id refert. Nihil enim interest ad uitā, si lyra in sinistra sit, in dextera plectrum, in cæterisq; huiusmodi similiter. Quorum exemplo idem in reliquis omnibus facere, dementia est. Hęc ita esse lex Scytharū ostendit. non enim sinistra solum arcum, dextera sagittam tenent, sed utrisq; similiter ad utrunq; utuntur. Multa exempla huiusmodi in aurigarum, aliorumq; operibus reperiūtur, ex quibus intelligere licet, eos qui dextris sinistra imbecilliora reddunt, præter naturam id facere. Quæ res, ut diximus, in corneis plectris, instrumentisq; talibus impedimento non est, sed per multum interest, quando in pugna, ferro, arcu, hasta, cæterisq; huiusmodi uti necesse est, plurimū autem quando armis arma pelluntur: differt aūt multum qui didicit ab eo qui non didicit, & exercitatus, ab eo qui minime exercitatus est. Nam quemadmodū qui aut in pugilum certamine, aut lucta, aut utroq; simul perfecte se exercuit, potis est congredi à sinistris & præsto se accommodat, quando ad partem alteram transferre se cogitur: id ipsum arbitror in armis ac cæteris rebus rectissimum esse. quare oportet si duo quædā quis possidet, quibus se defendat, & alios cædat, ut nihil horum pro uiribus otiosum, inexercitatumq; relinquat: & si quis aut Geryonis, aut Briarei naturam habeat, cum centimanus sit, totidem oportet ab eo iacula mitti posse. horum omnium curam habeant principes, tam mulieres, quàm uiri. & mulieres quidem ludos, alimentaq; considerent: uiri autem disciplinas, ut omnes pedibus manibusq; utrinq; æque potentes facti per consuetudinem naturæ non noceant. Alibi quoq; idem Plato dicit: si sint in aliqua urbe uiginti millia animarum, quum mulieres ad pugnam non eant, solum erunt decem millia. At quia senes & pueri ad pugnam inepti sunt, propterea solum sunt duo millia quingenti. Verumtamen quia non utuntur nisi dexteris, propterea sunt semihomines: & ideo in hac urbe erunt solum mille ducenti quinquaginta integri homines. Plato igitur putat tam mulieres, quàm uiros fieri posse ambidexteros. Quod hic negat Hippocrates, fortè Plato intelligit, arte fieri posse. Hippocrates, quod nullæ mulieres ambidextræ nascantur, nisi arte fiant: quod tamen in uiris contingit quandoq;, etiam si arte non fiant. Vel Hippocrates intelligit, non inueniri mulierem, quæ æque robustas habeat utrasq;

manus

manus; quamuis ex assuetudine possent utrisque æque uti. In uiris autem hoc quandoque inuenitur.

γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίνεται. i. mulier ambidextera non fit]. i. non habet ęque manus robustas. Philotheus hic dicit, ἀμφιδεξίους ὀνομάζουσιν τοὺς ἀμφοτέρας τὰς χεῖρας εὐκινήτους ἔχοντας, καὶ τούτου αἴτιον, ὁ συνεθισμός, ὡς εἴ γε τις συνήθισο ἐκ παίδων τὴν ἀριστερὰν κινεῖν, αὕτη δὲ ἐπιτηδειοτέρα γίνεται εἰς κίνησιν. εἰ δὲ ἀμφοτέρας, ἀμφιδέξιος γίνεται. ὡς γὰρ εἴρηται, κίνησις μετρία τὸ ῥωννύει. ἀργία δὲ τήκει. καὶ οὐ μόνον δὲ τοῦτο, ἀλλὰ καὶ διὰ ῥώμην φύσεως, ὅθεν μᾶλλον ἄῤῥενες ἀμφιδέξιοι, ἢ γυναῖκες. ἄλλοι δὲ οὕτως τὸ ἀμφιδέξιον ἐκλαμβάνουσιν, ὅτι γυνὴ περὶ τὸν δεξιὸν κόλπον οὐ γίνεται. idest, Ambidextros nominant utrasque manus bene mobiles habentes, & huius causa assuetudo, ut si quis ex pueritia cõsuetus sit sinistram mouere, ipsa quidem ad motum aptior fit: At si utrasque, ambidexter fit. etenim, ut dictum est, moderatus motus roborat. otium uero corrumpit. & non solum hoc, sed & ob naturæ robur, unde mares magis ambidextri, quàm mulieres. Alij autem sic ambidexterum accipiunt, quod mulier in dextero sinu non fiat scilicet uteri.

GALENVS

AMBIDEXTERVM Euripides nominat ferrum utrinque incidens. Circumdextrum autem Homerus Asteropæum ambabus manibus similiter utentem, ac si utrinque dextrũ dixisset. Eodem modo ambilæuum Aristophanes in Tagenitis, utrinque sinistrum. Hipponax ambidextrum dixit in hoc uersu,

Ambidexter enim sum, & non aberrans.

Homines itaque qui ambabus manibus pro dextris utuntur, sæpius uisi sunt. Mulier uero nulla ad hunc usque diem ob naturæ imbecillitatem. Si enim ambabus manibus, ob neruorum robur, ac musculorum quidam uiri utuntur, rationabiliter nulla mulier utetur, quæ satis habeat, si sola dextra modice utatur. Amazonidas quidẽ ipse inquit mammam dextram exurere, ut plurimo alimento ad manum uicinam perueniente, ei maior adsit uigor, ut quæ & ipsa sit natura debilis. Quidam tamẽ aiunt ambidextram dictam esse quę parte uteri dextra genita sit. Et his adhuc magis à ratione alienum aiunt de his qui Hermaphroditi nominantur Hippocratem fuisse locutum, quod mari quidem pudendum insit muliebre, mulieri uero uirile minime.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, ἀμφιδέξιον, idest ambidexterum ab Euripide nominari ferrum utrinque incidens. nos gladium ancipitem, & ancipitem ensem uocamus.

SECVNDO docet, Homerum dixisse Asteropæum ambabus manibus similiter utẽtem, ac si dixisset utrinque dextrum, & Aristophanes in Tagenitis dicit ambilæuum utrinque sinistrum, & in hoc uersu Hipponax ambidextrum dicit,

Ambidexter enim sum, & non errans.

Quod legitur, In Tagenitis, legi debet, In Tagenitis hominibus. nam Græce est, ἐν ταγηνίταις ἀνθρώποις.

Quod etiam legitur, Dixit in hoc uersu: adde, iambo. nam Græce legitur, περὶ τὸν ἴαμβον. idest, In hoc uersu iambo. Carmen Græcum est,

ἀμφιδέξιος γάρ εἰμι, καὶ οὐχ ἁμαρτάνω. idest,

Ambidexter enim sum, & non aberrans.

TERTIO docet Galenus, sæpe uisos esse homines, qui utrisque manibus pro dexteris uterentur: sed nulla mulier ad hanc usque diem ob naturæ imbecillitatem inuenta est. Si enim aliqui uiri ob neruorum robur ac musculorum ambabus manibus utantur, rationabile est nullam mulierem uti, quæ satis habet, si sola dextera modice utatur: unde Galenus totam rationem ex uiribus facit, non ex assuetudine. At Plato hoc esse assuetudinis munus edocet. Tamen nullus it inficias, assuetudinem ad hoc multum facere: at tamen & robur in parte dextera maius est, quàm in sinistra.

QVARTO ad eorum quæ dicta sunt corroborationem Galenus addit Hippocratem dixisse, Amazonidas mammam dexteram exurere, ut multo alimento ad uicinam mammam proueniente, ei maior adsit uigor, nam & ipsa est natura imbecillis.

QVINTO quorundam expositionẽ refert, qui dicebant, uocari ambidexterã, quæ parte uteri dextera genita sit. nam mulieres in sinistris, mares in dextris concipiuntur.

SEXTO aliorum sententiam ponit, quæ præcedente peior est. nam aliqui dicunt Hippocratem de hermaphroditis loqui, quod scilicet mas muliebre pudẽdum habeat, mulier uero uirile nõ habeat: quod nihil aliud est dicere, nisi hermaphroditos inter mares inueniri. Plinius tamen scribit equas, quibus Nero uehebatũ, fuisse hermaphroditas.

Vbi legitur, Et his adhuc magis à ratione alienum, addi debet particula alij. nam Græce adest particula ἕτεροι, ut hoc modo legi oporteat, & his adhuc magis à ratione alienum alij aiunt.

APHORISMVS XLV

QVicunque suppurati uruntur, uel secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt. Si uerò subcruentum, & feculentum, ac fetidum, pereunt.

BRASAVOLVS

LIBRO sexto aphorismo uigesimoseptimo de suppuratis abunde egimus, ostẽdentes, quomodo antiquitus inciderentur, & urerentur, ut non sit opus eadem iterũ recantare. Satis nunc sit hic ab Hippocrate edoceri, quãdo aliqui adeo suppurati sunt, ut non sufficiant pus in pectoris cauitate contentum expellere, sed ustione, uel sectione indigeant: si cognoscere uolueris, an conualiturus sit, an non conualiturus, pus quod effluxit, considerato. nam si purum, & album sit, hi euadunt: Si uero subcruentum, & feculentum, & fetidum, pereunt. Illi sanantur, quia uis intrinseca robusta est, quæ eius actione materiam in pus bonum conuerterat: in alijs uero, in quibus pus subcruentum, & fetidum, & feculentum est, magnam corruptionem esse significatur, & materiã a uiribus superari non posse, imò potius uires ipsas succumbere.

ὅσοι ἔμπυοι καίονται. idest, Quicunq; suppurati uruntur.] Suppurati illi sunt qui collectum pus in thorace habent, ut Galenus inquit. & Philotheus dicit, ἔμπυοι κυρίως εἰσὶν, οἱ μεταξὺ θώρακός τε καὶ πνεύμονος ἔχουσι τὸ πύον. idest, Suppurati proprie sunt, qui inter thoracem & pulmonem pus habent. ustio fit inter quartam & quintam costam secundum recentes. At secundum Celsum libro tertio capite uigesimosecundo, exulcerandus est ferro cãdenti, uno loco sub mẽto, altero in gutture, duobus ad mãmam utranq;. Item sub imis ossibus scapularũ, quæ ὠμοπλάτας Græci uocant, sic ne sanescere ulcera sinamus, nisi tussi finita. Philotheus uero hic dicit, ἰστέον δὲ, ὅτι ἱπποκράτης ἔκαιεν τοὺς ἐμπύους μεταξὺ τῶν δύο πλευρῶν, καὶ τοσοῦτον διὰ βάθους, ὡς καὶ αὐτὸν ὑπεζωκότα διατετρᾶν, ἵνα ἐκ τῆς διαπυήσεως ἐκχυθῇ τὸ πύον. idest, Sciendum autem quod Hippocrates in medio duarum costarum suppuratos inurit, & hoc per profundum, ut & ipsam pelliculam præcingentem perforet, ut ex suppuratione educatur pus. ut recẽtiorum ustionem sequi uideatur, non antiquorum. De his uero nostra lege in uigesimumseptimum libri sexti aphorismum Commentaria.

ἢ τέμνονται, idest uel secantur.] Sectio fit inter quartam & quintam costam.

ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται. idest, Si pus purũ fluxerit & album, euadunt.] Nam significatur, fortes atq; robustas uires pus ad perfectionem deduxisse. Est uero perfectum pus (ut Hippocrates in fine primi libri Prognosticorum docet) si candidum æquale, leueq;, & quàm minime fetidum est: maxime uero contrarium huic deterrimum est. Philotheus hic dicit, τούτοις οὖν καιομένοις, εἰ μὲν λευκὸν καὶ ὁμαλὸν συμβῇ ῥυῆναι τὸ πύον, ἀγαθαὶ ἐλπίδες. δηλοῖ γὰρ ὅτι ἡ φύσις ἔρρωται, καὶ κατεκράτησε τῆς παρὰ φύσιν διαθέσεως. idest, his igitur ustis siquidem album & æquale fluere contingat pus, bonæ spes: ostendit enim quod natura fortis est, & dispositionem præter naturam uincit.

ἢν δὲ ὕφαιμόν τε καὶ βορβορῶδες καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται. idest, Si uero subcruentum & feculentũ ac fetidum, pereunt.] Quoniam significatur putredinem uires superare: Philotheo etiam dicente, δηλοῖ γὰρ τὴν κράτειαν τοῦ νοσήματος, κατάπτωσιν δὲ τῶν δυνάμεων, idest ostendit enim uictoriam morbi, procidentiam uero potentiarum.

GALE-

GALENVS

SVPPVRATIONES consueuit nominare, non eas tantum quæ sunt in thorace, sed in quauis alia parte ad pus alterata tubercula. Solos uero præcipue omnino suppuratos nominat, quibus inter thoracem atque pulmonem aceruatũ est pus, quos urere cõsuetos esse ueteres, discere licet, ex his quæ dixit Plato comicus de Cinesia, hisce uerbis: Post hæc concionatus filius Euagoræ ex morbo laterali Cinesias aridus, puris expers, calamacea gerens crura, tabis procera, plurimasque inustus escharas ab Euriphonte in corpore. Quod quidem pus album bonum sit, feculentum uero & fetidum malum, nemo ignorat.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, quid significet uocabulum Suppuratio: nam Hippocrates suppurationes nominare solet in quacunque corporis parte sint tubercula, quæ ad pus alterentur. At in præsentiarum solos illos suppuratos uocat, qui inter thoracem atque pulmonem aceruatum habent pus, quos antiqui urere consueuerunt.

Quod legitur, Omnino: lege, Magna ex parte. τὸ πλεῖστον.

SECVNDO ex Platonis Comici sententia docet, antiquos urere suppuratos: nam dicit Cinesiam inustum plurimas escharas ab Euriphonte in corpore ex morbo laterali: ex quo loco habetur, antiquos fecisse multas escharas: ut Celsus docet.

Quod legitur, Concionatus: in prima nostri antiqui codicis lectione habetur, ἀγόρευσε: in secunda, ἀγήρας: in Aldino codice nihil adest, solum legit μετὰ ταῦτα.

Quod etiam legitur, Puris expers: Græce est, ἄπυος.

Quod etiam legitur, Calamacea gerens crura: Græce est, calamina: alij codices habent καλάμινα, idest arundinacea gerens crura. Leonicenus à calamo calamaceũ fecit.

Quod etiam legitur, Tabis: Græce est φθόης.

Et quod legitur, Procera: Græce est προφήτης, idest propheta.

TERTIO Galenus docet, neminem ignorare pus album esse bonum, feculentum uero & fetidum, malum.

APHORISMVS XLVI

QVorum hepar suppuratũ aduritur, si pus purum fluxerit & album, euadunt: in tunica enim his pus continetur: si uerò qualis amurca fluat, pereunt.

BRASAVOLVS

PAVLVS libro tertio, capite quadragesimosexto, de iocineris affectionibus, inflammationibus, suppuratiõibus copiosissime tractat: sed quo'nam modo, & quo loco ustio fiat, non edocuit: imò nec an fiat, ex ipso colligi potest. Idem etiam ex Aetio haberi non potest, qui tamen libro decimo rem agit diffusius, quàm Paulus de iocinoris affectionibus. Nec apud Trallianum de hac ustione quicquam habetur: solus Celsus de illa mentionem facere uidetur libro quarto, capite octauo. Sed unum notare debes, Celsum iubere ustionem fieri, quando uomica laborat: nam quando ita laborat, quidam contra id scalpello aperiunt, ipsam uomicã adurunt. Quod igitur hic ab Hippocrate dicitur, Qui suppuratum iecur habent, & aduruntur: quia secundum Celsum adsit uomica, Si pus purum fluxerit & album, euadunt: quoniam uis intrinseca materiã uincit: nam istis pus continetur in tunica in superiore iecoris parte, adeo ut eius substantia nihil patiatur. At si pus exeat, qualis est amurca, hi pereũt: quia corruptio usque ad iecoris carnẽ peruenit.

ὁκόσοι τὸ ἧπαρ διὰ πύου καίονται. idest, Quibus iecur ob pus uritur.] quando scilicet uomicam patiuntur, & perpetuum puris defluxum: nam in hoc solum casu fit ustio, fitque supra iecoris regionem. pus etenim illuc inter intestina & peritonæum colligitur: unde & aliqui incisionem faciebant, ut præcitato loco dicit Celsus. sed incisio in eodem erat loco, in quo eorum incisio, qui aquam intercutẽ habent. unde Philothei contextus non solum dicit καίονται, idest urũtur: sed etiam addit, ἢ τέμνονται, idest inciduntur: ut hanc aliam operationem etiam notet.

εἰ μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται. idest, Si pus purum fluxerit & album, euadunt.] Nam uires materiam superare significatur. Hippocrates uero dicit, ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τουτέοις ἐστίν. idest, In tunica enim his pus continetur.] Quid uero intelligendum sit per tunicam, ambiguum uidetur. Aliqui peritonæum intelligunt: & re uera peritonæum pus continet, quod à iecore effluit: nam inter intestina & peritonæum colligitur. Quippe hoc pus nisi per meseraicas uenas ad intestina uertatur, necessario implet iam dictam partem. Galenus per tunicam, superiorem partem intelligit, & pelliculam illam iecoris carnem tegentem, quia in illa tunica pus esse potest, & tamen non esse affecta iecoris substantia. Itaq; nos putamus intelligendum esse hic Hippocratem per tunicam, in qua pus cõtineatur. quamuis & id possit esse uerum de peritonæo: sed propter hoc inciduntur potius. nam propter uomicam, & continuum puris defluxum non inciduntur, sed uruntur.

ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται. idest, Si uero qualis amurca fluat, pereunt.] Hoc est, si ichor & sanies quædam quæ amurcæ assimiletur, exeat, hi pereunt. nam ex hoc significatur uires imbecillas esse & impotentes non solum ad coquendam, sed neq; ad alterandam materiam illam quæ in pus conuerti deberet. Est uero amurca, olei fex. Philotheus hunc aphorismum ita exponit, ἐνταῦθα φησὶ ζητητέον τὸ ἐκκενούμενον πῦον. ἢν γὰρ ᾖ λευκὸν, καὶ καθαρὸν περιγίνεται. σημαίνει γὰρ τὸ τοιοῦτον πῦον ῥώμην τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως, καὶ τὴν φλεγμονὴν ἔξω περὶ τὸν ὑμένα τοῦ ἥπατος εἶναι. ἢν δὲ οἷον ἀμόργη, τουτέστι στάθμη ἐλαίου ῥυῇ, ἀπόλλυνται. idest, Hic dicit quærendum quale sit excretum pus: si enim album exit & purum, euadunt. tale enim pus immutantis potentiæ robur significat, & inflammationem extrà circa iecoris pelliculam esse; si uero qualis amurca, hoc est olei sedimentum, fluat, pereunt.

GALENVS

IPSE causam dixit, ob quam nonnulli pereunt, qui ita se habent: nonnulli uero euadunt. Quibus enim in tunica est pus, nihil patiente substantia hepatis, saluantur omnes. Quibus uero usq; ad carnem hepatis corruptio pertingit, non absque ratione moriuntur. Quod autem ἀμόργην, amurcam, Græci nominent fecem olei: & quod talem par est esse incoctam putredinem hepatis, liquet unicuique.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hic ab Hippocrate causam edoceri, quare aliqui pereunt, aliqui euadunt, in aphorismi casu: qui pus habent in iecoris tunica, eius substantia nihil patiente, omnes saluantur. At quibus usque ad iecoris carnem corruptio pertingit, hi non absque ratione moriuntur.

SECVNDO docet, liquere per ἀμόργην apud Græcos olei subsidentiam significari: & etiam liquet ex eo ostendi, iecoris putredinem esse incoctam.

Quod legitur, ἀμόργην, amurcam: legi debet, ἀμόργην, idest amurcam.

Quod etiam legitur, Fecem olei: Græce est, τὴν ὑπόστασιν τοῦ ἐλαίου.

APHORISMVS XLVII

DOlores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, uenæ sectione curato.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismum libro sexto exacte interpretati sumus: erat autem illius libri trigesimusprimus. Hic uero solum ab illo differt, quia illo quinq; dolorũ oculorũ presidia disiunctim ponit. Hic uero tria simul cõiungit, inquiens, dolores oculorũ uenæ sectione curari post meri potionẽ, & aquę calidæ balneum: ac si uelit merum potandũ esse, & corpus balneũ ingrediendũ, deinde uenam secandam. Galenus tamen casum aliquẽ inuenire nescit, in quo hæc uenæ sectionẽ præcedere debeãt. Scito aũt casus quosdã inueniri, in quibus hæc tria cõuenient, sed à uenæ sectione initiũ sumere oportet: non à uini

potu

potu & à balneo incipiendum, deinde ad uenæ sectionem progrediēdum. propter hæc Galenus existimat, hunc aphorismū adiectum esse, & ab Hippocrate non factum. Philotheusq; dicit, οὗτος ὁ ἀφορισμὸς εἴρηται ἀνωτέρω. ἰστέον δὲ, ὅτι ὅσοι ὅμοιοι, εἰσὶν παρεντιθέμενοι ὑφ᾽ ἑτέρων, οὐχ ἱπποκράτους. idest, Hic aphorismus superius dictus est. sciendum uerò; quod quicunq; similes, ab alijs, & non ab Hippocrate interserti sunt, & addititij.

ὀφθαλμῶν ὀδύνας. idest, Oculorum dolores.] qui ex repletione totius facti sint.

ἄκρατον ποτίσας, καὶ λούσας πολλῷ θερμῷ φλεβοτόμει. idest, Post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, uenæ sectione curato.] Aphorismus uerus est, si disiunctim intelligatur, & non copulatim; uel sit copulatum diuisiuum, ut recentes dialectici dicunt.

GALENVS

HIC APHORISMVS mihi uidetur ex his unus esse, qui fuere interiecti, nō consentiens uni ex illis qui antea scripti fuerūt, huic scilicet: dolorem oculorum meri potio, balneum, uel fomentum, uel uenæ sectio, aut medicamentum soluit. Hunc itaq; aphorismum in sexto exposui Commentario, ostensis dispositionibus in quibus oporteat singula ad usum afferre remedia. Propositus uerò aphorismus in una uult dispositione tribus uti remedijs. Si quis igitur nos sciat docere dispositionem, in qua tria hæc remedia conueniant, ei habebimus gratias. Quousque uero exposuerint aphorismum quasi legitimum: nos uerò non docuerint quę nam sit dispositio, eorum expositionibus nullam præstabimus fidem, & si parum sit probabile. Quæ igitur dicūt, qui omnino aliquid conantur dicere, sunt huiuscemodi, In quibus crassum est id quod superabundat, atq; ideo euacuatione indiget, melius putant fundere prius, deinde secare uenam. Fusile autem fiet si ægri uinum biberint, & se balneauerint. Qui uero hæc aiunt, quod nunquam experientia nouerint, illa quæ dicunt, sciunt in artis operibus exercitati. Neque enim uinum neq; balneum tolerat plethorica dispositio, absq; maximo detrimento. Verum hæc auxilia sunt sanguinis crassi in aliqua parte compacti, sine totius corporis repletione. Sic igitur Asclepiades utitur uino post totius corporis euacuationem pro remedio extentionum. Si uero adsit in toto corpore plenitudo, prius disrumpētur oculorum tunicæ inter bibendum atq; lauandum. Quare si absq; multitudine dolor fiat, propter obstructionē ac compactionem crassi sanguinis, recte quidem lauabunt, & uinum dabunt, non recte autem secabunt uenam. Si uero multitudo fuerit, recte quidem uenæ utentur sectione, non recte autem lauabunt, & uinum dabunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismū sibi uideri unum ex illis qui prius adscripti fuere: & re uera ita est: tamen uni ex illis non consentit, qui antea scripti sunt, scilicet trigesimoprimo sexti libri, qui dicit: dolorem oculorū meri potio, balneum, uel fomentum, uel uenæ sectio, uel medicamētum soluit: quem ipse exposuit in sexto libro dispositiones ostendens, in quibus singula remedia afferre solet. sed præsens aphorismus in uno casu uult tria afferre remedia.

Quod legitur, Hic aphorismus mihi uidetur ex ijs unus esse qui fuere interiecti. nos potius legeremus, adscripti. nam Græce habetur, τῶν παρεγγεγραμμένων.

SECVNDO Galenus aperte fatetur, se nescire hunc aphorismū in rectum sensum ducere. Propterea si quis sit, qui uelit edocere Galenum dispositionem, in qua hæc tria remedia simul conueniant: & per hunc ordinem, ut potus uini & balneum præcedant, ipse huic gratias habebit: quia ipse Galenus excogitans casum aliquē inuenire non potuit. At illis expositoribus qui hunc aphorismum ac si legitimus sit, exponunt: non præstabimus fidem eorum expositionibus, prius quàm ostenderint dispositionē in qua hęc conueniant præsidia, per ordinem enumeratum.

Illa particula, Et si parum sit probabile: poni non debet post illam, Eorum expositionibus nullam præstabimus fidem: sed post illam, Quæ igitur dicūt qui omnino aliquid conantur dicere. Postea sequi debet, Et si mediocrem habeat probabilitatem. Postea sequatur, Sunt huiuscemodi. Nam Græcus contextus ita habet, ἃ γοῦν λέγουσιν οἱ ὅλως τὶ χειρήσαντες εἰπεῖν τι κἂν μετρίως πιθανὰ ᾖ, ἐστὶ τοιαῦτα. Et si modice sint probabilia.

Quod

Quod etiam legitur, Quousq; uero exposuerint aphorismum; lege, exposuerint quidem aphorismum.

TERTIO docet, illa quæ dicuntur ab his qui aliquid dicere conantur, quãuis mediocrem habeant probabilitatem, hæc sunt: illi quando habent sanguinem crassum, qui euacuari debeat, primo debet fundi & eliquari, postea uena secari debet. Funditur autem si ægri uinum biberint, & se balneauerint.

Quod legitur, In quibus crassum est id quod superabundat. Græce est, ἐφ᾽ ὧν αἷμα παχὺ τὸ πλεονάζον ἐστὶ, διὰ τοῦτο κενώσεως χρῆζον. idest, In quibus crassus est sanguis is qui superabundat, atq; ideo euacuatione indiget.

Vbi statim sequitur, Melius putant fundere prius; hic addi debet particula, ipsum. Græce enim legitur, ἄμεινον νομίζουσι χέαντες πρότερον αὐτό. idest, Melius putant fundere prius ipsum.

Quod etiam legitur, Fusile autem fiet si ægri uinum biberint; legi debet, merum, non uinum. nam Græce habetur, τὸ ἄκρατον.

QVARTO docet, exercitatos in operibus artis, ea scire quæ illi qui hæc dicunt nunquam experientia nouere. nam dispositio plethorica, neq; uinum, neq; balneum tolerat, sine magno detrimento. unde hæc sunt præsidia crassi sanguinis in aliqua parte compacti, sine totius corporis plenitudine; propterea Asclepiades pro remedio tentionum post totius corporis euacuationẽ, uino utitur. At si in toto corpore plenitudo sit, prius oculorum tunicæ disrumpentur inter bibendum, atque lauandum, quàm ad uenæ sectionem perueniatur.

Vbi legitur, Quod nunquam experientia nouerint illa quæ dicunt, addi debet hæc particula, exacte. nam & in Græco codice adest hæc particula, ἀκριβῶς.

Deniq; Galenus infert: si dolor sit absq; plenitudine, sed solum ob obstructionem & compactionem sanguinis crassi, in hoc casu lauare conueniet, & uinum bibere, uenam autem secare non conuenit. At si multitudo adfuerit, recte uenæ sectione utentur, non recte autem lauabunt, nec recte uinum dabunt.

APHORISMVS XLVIII

AQua inter cutem laborans, si à tussi habeatur, desperatus est.

BRASAVOLVS

IN SEXTO Aphorismorum libro, aphorismo trigesimoquinto scriptũ est: aqua intercute laborantibus, tussis superueniens malum: in quo loco Hippocrates de superueniente tusse loquebatur, & non de illa quæ prius adfuerit, dicebatq; malum esse. At in hoc loco istum præter spem ponit, in quo nulla sit salus; Celso etiam libro secundo capite octauo de aqua intercute dicente, æque in ea quoq; tussis spem tollit, & hoc potissimum, si tussis ab aqua intercute proueniat, quæ adeo impleuerit, ut usque ad septum transuersum comprimat.

ὑδρωπιῶντα. idest, Aqua intercute laborans.] scilicet prius quàm tussim incidat.

ἢν βηξ ἔχῃ. idest, Si à tussi habeatur.] Quæ ratione aquæ intercutis superueniat.

ἀνέλπιστος γίνεται. idest, Desperatus est.] Tamen noster antiquus codex in lectione prima habet, κακόν, idest malum. Quicquid autem dicatur, nihil refert, uel malum, uel desperatus est.

GALENVS

ET HOC prius dictum est ab ipso in hoc aphorismo, Aqua intercutem laborantibus si tussis superueniat, malum.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc aphorismum silentio præterijt, lectorem ad trigesimumquintum sexti libri aphorismũ remittẽs, cuius expositio etiam est præsentis aphorismi expositio.

APHO-

APHORISMVS XLIX

VRinæ ſtillicidium, & mingendi difficultatem, uini potio, & uenæ ſectio ſoluit: incidere autem interiores.

BRASAVOLVS

DE VRINÆ difficultate in ſexto libro aphoriſmum habuimus, qui eſt trigeſimus ſextus in ordine, in quo illam ſanat uenæ ſectione & uenæ interioris. Hic uero non ſolum urinæ difficultatẽ, ſed & urinæ ſtillicidium per uini potionem, & per uenæ ſectionem ſoluit: in hocq; loco interiores uenas ſecat.

Στραγγουρίην, id eſt urinæ ſtillicidium.] De quo in tertio libro ubertim egimus. Eſt quum urina per ſtillas emittitur.

Καὶ δυσουρίην, id eſt & urinæ difficultatem.] De qua in eodem tertio diſſeruimus. Eſt autem hæc paſſio, quoties homo cum dolore mingit.

Θώρηξις καὶ φλεβοτομίη λύει. id eſt, Vini potio & uenæ ſectio ſoluit.] Sunt duo præſidia quæ conueniunt difficultati urinæ & ſtillicidio per diuerſas cauſas. Etenim urinæ ſtillicidium ex urinæ acritudine fit, & ex potentiæ contentiuæ imbecillitate, quæ potiſſimũ fit ob frigidam intemperiem, & huic uinum ſuccurrit. Vrinæ difficultas ſi ex potentiæ imbecillitate fiat, uel ob tumorem præter naturã, quum hæc à frigiditate magna ex parte proueniant, ideo à uini potione ſanabuntur. imò & ſi inflammatio contingat ob craſſioris ſanguinis obſtructionem, & quæ ſit citra multitudinem, hæc etiam uino ſanatur. At ſi inflammatio ſit ex multitudine, uenæ ſectione ſanatur. Vnde & à Philotheo hic dicitur, στραγγουρίαν τὴν φλεγμονὴν οὖσαν ἐν τῇ κύστει, ἢ διὰ πλῆθος ὑγροῦ καταλύουσαν τὴν δύναμιν αὐτῆς, ἡ φλεβοτομία λύει, τὸ κενοῦν τὴν νοσοποιὸν ὕλην. πλὴν χρὴ τὰς ἔσω τῶν ἰγνύων ἢ σφυρῶν τέμνειν φλέβας. δυσουρίαν δὲ τὴν διὰ ἔμφραξιν φυσωδῶν πνευμάτων τῶν γλίσχρων χυμῶν ἡ θώρηξις. ὁ γὰρ οἶνος ὁ ἄκρατος ὡς θερμὸς ἀναλύει καὶ διαφορεῖ αὐτά. id eſt, Vrinæ ſtillicidium inflammationem in ueſica exiſtentem, uel ob humidi multitudinem ipſius uim diſſoluentem, ſectio uenæ ſoluit, materiam facientem morbum euacuans. Sed opus eſt interiores poplitum uel talorum uenas incidere. Vrinæ uero difficultatem per obſtructionem flatuoſorũ ſpirituum ex humoribus glutinoſis, uini potio. (ſcilicet ſoluit) nempe uinum merum, ut calidum, diſſoluit & diſcutit ipſas.

Τέμνειν δὲ τὰς ἔσω. id eſt, Incidere autem interiores.] De quibus ſexto libro egimus, & intelleximus uenas inferiores, quæ in pedibus ſint quæcunq; : tamen quæ interiores ſunt, maiorẽ habent ad ueſicam rectitudinem: quuis ab eodem trunco & aliæ deriuetur.

GALENVS

QVOD quidem urinæ ſtillicidium ſignificet urinæ ſtillatim expreſſionem, nomen ipſum oſtendit. Mingendi autem difficultas poteſt & quæ cum dolore fit, mictio dici: poteſt autem & quæ cum difficultate aliqua, adeo quod uix ueſica operetur. Vrinę autem ſtillicidium ipſius urinæ acritudo facit, & potentiæ retentiuæ in ueſica imbecillitas, quæ ob intemperaturã fit, præſertim frigidam. Vrinæ uero difficultatem, ſiquidem cum dolore fuerit inflammatio, & abſceſſus, & ulceratio, & inæqualis intemperatura, & ſpiritus flatuoſus. Si uero motus difficilis aliquis, uel potẽtiæ imbecillitas, uel tumor contra naturam, ex omnibus hiſce diſpoſitionibus, Frigiditatem quidem uini potio ſoluit: hoc eſt uel ſimpliciter uini potio, uel meracioris, & quidem talem inflammationem quæ propter obſtructionem ſanguinis craſſioris citra multitudinem facta fuit. Illam uero quæ cum multitudine fit inflammationem, adhuc autem & aliam quæ ſine defectu eſt, & cum potentiæ robore, uenæ ſectio ſanat. De eo autem quod dicitur, Incidere uenas interiores: dictum eſt à me & in libro præcedente, in quo hunc aphoriſmum expoſui, Vrinæ ſtillicidium uenæ ſectio ſoluit, incidere autem interiores.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus oſtendit στραγγουρίαν, id eſt urinæ ſtillicidium, ſignificare τὴν κατὰ στράγγα τῶν οὔρων ἀπόκρισιν. id eſt, urinæ per ſtillas excretionẽ: non expreſſionem, ut Leonicenus uertit. hoc uero oſtendit ex ipſo nomine, quod erat κατὰ στράγγα, id eſt per guttas.

SECVNDO docet, δυσουρίην, idest urinæ difficultatē, quandoq; mictionem illam significare, quæ cum dolore est: quādoq; illam, quæ est cum difficultate aliqua, adeo ut uix uesica operetur.

TERTIO docet, urinæ stillicidium fieri ab urinæ acritudine, & à uis retētiuæ quæ in uesica est imbecillitate, quæ fit ob intemperaturam, & potissimum frigidam.

QVARTO docet, urinæ difficultatem cum dolore fieri, aut ab inflammatione, aut ab abscessu, aut ab ulceratione, aut ab inæquali intemperie, aut à spiritu flatuoso.

QVINTO docet, si fiat urinæ difficultas ob motū difficilem, ita ut uix uesica operetur, uel ob potentiæ imbecillitatem, uel ob tumorem præter naturam: quum hæc omnia uideantur à frigiditate fieri, uini potione soluentur, uel uini simpliciter, uel uini meracioris: imò etiam talis inflammatio, quæ ob crassioris sanguinis obstructionem citra multitudinem facta est, potu uini sanatur.

Quod legitur, Et quidem talem inflammationē: legi debet, Et quidem talem etiam inflammationem. Græce enim est, καὶ μήν τοι καὶ τὴν τοιαύτην φλεγμονήν.

SEXTO docet, urinæ difficultatem cum inflammatione & multitudine, & illam quæ sine defectu est, & cum potentiæ robore, uenæ sectione sanari.

SEPTIMO docet, se exposuisse hanc particulam, Secare uero interiores, in præcedente libro, ubi illum aphorismum exponebat, Vrinæ difficultatem uenæ sectio soluit, incidere autem interiores.

Quod legitur, Vrinæ stillicidium: in nostro antiquo codice legitur, στραγγουρίην. In Aldino uero habetur δυσουρίην, idest urinæ difficultatē: quod magis probo: nam aphorismus trigesimussextus libri sexti, quem refert, de urinæ difficultate pertractabat.

APHORISMVS L

AB angina habito, tumor & rubor in pectore superueniens, bonum: extrà enim uertitur morbus.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus à trigesimoseptimo sexti libri parum differt: etenim hoc loco addit extra enim uertitur morbus, quod nō erat in illo. In illo uero dicitur si tumor in collo fiat. Hic autem dicit in pectore, & Hippocrates sensum facit, si quis anginam patiatur, quæ est peracutus morbus, & in parte extrinseca pectoris tumor & rubor appareant, bonum est. nam significatur, morbum qui erat intus in periculoso loco extra ad circunferentiam uerti. bonum uero est ob uniuersale theorema, quod est, omnem materiam quæ mouetur à parte principali ad minus principalem, ab intrinseca ad extrinsecam, semper bonum portendere. propterea Philotheus hic dicit, ἔοικεν ἡ αἰτία ἀπὸ κυρίου εἰς ἄκυρον μόριον μετελθεῖν. i. Causa dicitur à principali ad ignobilē partē transferri.

ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ. idest, Ab angina habito.] quæ cynanche appellatur. nam talis inter anginæ species pessima est, qua qui affecti sunt, caninam uocem emittunt. hic intelligi non potest, quod hæc particula, habito, de longo tēpore intelligatur, quia est morbus peracutus, sed intelligitur de morbi intensione.

οἴδημα, καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγινόμενον ἀγαθόν. idest, Tumor, & rubor in pectore suprauenie ns, bonum.] Vel in pectore sit, uel in collo, nihil refert. Pectus autē est pars superior sub iugulo, quamuis pro toto quādoq; accipiatur. tamen quomodocunq; sit, & ad quamcunq; partē exteriorem materia uertatur, bonū est, quia ad ignobiliores partes, & ad illas quæ offendere non possunt, mutatur. propterea Hippocrates ipse addit,

ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα. idest, Extrà enim uertitur morbus.] Hæc particula in multis codicibus posita non est, quam Galenus addendam iubet, ut ab illo sexti libri differat. quidam enim hanc particulam in hoc addidere, extrà enim uertitur morbus.

GALE-

GALENVS

ET HIC aphorismus antea dictus est per hæc uerba, Ab angina habito tumorem fieri in parte colli anteriore, bonum. Exposui uero in quarto horum Commentariorum. Hic igitur uidetur fuisse interiectus uolente aliquo adiungere: extrà enim conuertitur morbus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum fuisse antea dictum per hæc uerba, Ab angina habito tumorem fieri in parte colli anteriore, bonum. & ipsum exposuit in quarto Commentariorum. Omnes Græci codices dicunt, ἐν τῷ τετάρτῳ, idest in quarto: tamen legi debet, In sexto: nam est trigesimusseptimus aphorismus libri sexti.

SECVNDO suspicatur aliquem interponere uoluisse hunc aphorismum, ut adderet hanc particulam, extrà enim uertitur morbus. Ex hoc igitur colligi potest, hanc particulam, extrà enim uertitur morbus, in aphorismo sexti libri non esse ponendam. Non desunt tamen antiqui codices, qui hic non ponunt hanc particulam, nec istam secundam Commentationis partem.

APHORISMVS LI

QVibus cerebrum sphacelatum (idest corruptum) est, in tribus diebus pereunt. Si uero hos euaserint, sani fiunt.

BRASAVOLVS

HVIVS aphorismi sensus est, qui cerebrum habent corruptum, cum sit nostri corporis principalissima pars, cũ qua non potest stare corruptio, in tribus diebus pereunt: Si uero diem tertium effugiant, sani fiunt. nam uis robusta est, & apta morbum superare, si hos dies pertransire poterit.

ὁκόσοισιν ἂν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος. idest, Quibus cerebrum sphacelatum est.] Hoc est in principio corruptionis secundum Galenum. imò & Philotheus dicit, σφακελισμὸν ἐνταῦθα ἀκουστέον τὴν ἀρχομένην νομὴν καὶ σῆψιν. οἷς οὖν ὁ ἐγκέφαλος σφακελισθῇ, τουτέστι νομὴν καὶ σῆψιν ἄρξηται δέχεσθαι. idest, Sphacelismum hic audiẽdum hulcus depascens incipiens, & corruptionem. quibus igitur cerebrum sphacelismo affectum est, hoc est, quod hulcus depascens & corruptionem suscipere incipiat, & (utt inquit Galenus) si principium cangrenæ & corruptionis.

ἐν τρισὶν ἡμέραις ἀπόλλυνται. idest, In tribus diebus pereunt.] Nam & in tribus diebus corruptio perficitur, nec amplius spatium expectare potest principalissimum membrum affectum, quale est cerebrum: Philotheo etiam hos perire dicente, διὰ τὸ πάθος χαλεπὸν, καὶ τὸ μόριον κυριώτατον. idest, Ob molestam passionẽ, & principalissimã partem.

ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται. idest, Si uero has effugerint, sani fiunt.] Nam ostenditur uires robustas esse, & corruptionem iam superare. Idem Philotheus dicit, δηλοῦται γὰρ ῥώμη δυνάμεως, idest ostenditur enim potẽtiæ robur. imò cum in tribus diebus non occubuerit, euadet. Theodorus Gaza quod dicitur σφακελισθῇ, interpretatur, syderatum est, sed (meo quidem iudicio) decipitur. nam aliud est sphacelus, aliud syderatio. De cerebri syderatione Hippocrates libro secundo De morbis dicit: si cerebrũ syderetur, dolor de uertice in occipitium, spinamq; tendit, cor algitat, sudatq; repente ualde, sanguen per nares fluit. plurimi uero, & uomunt. tribus hic diebus perit, qui si septem dies euadat (plurimi uero non euadunt) sanguenq; uomat, uel de naribus fluat, calida ne lauato, nec calida porrigito, sed acetum album dilutum potato. Si uero debilis esset, ptisanæ succum sorbeto. ut hinc manifeste appareat, syderationem diuersam esse à sphacelo. Idem Hippocrates in principio tertij libri De morbis, dicit, si cerebrum syderetur, caput dolet, ceruix, spinaq;, nec audit, friget, totus tumet, repẽte mutescit, sanguis de naribus defluit, liuescit. At quid significaret apud antiquos nomen sphacelus, incertum ancepsq; est, cum & ipsi inter se longe dissiderent. Nos legimus apud Theophrastum & Plinium de sphacelo arborum morbo, & Galenus in secũdo De locis affectis libro, capite secundo Archigenem reprehendere uolens, qui dixerit sphacelodes hemi-

cranias uasorum dissectio intercipit, omnia significata huius uocabuli sphacelus refert, inquiens: nõ enim inter omnes cõuenit, quid hæc uox sphacelos, significet. Sunt enim qui dicunt ipsam uehementem dolorem declarare. Alij tantum inflammationis excessum, ut partem ad corruptionis periculum inducat, quæ dispositio à nõnullis cangrena appellatur. alij partis affectæ corruptionem ipsam sphacelon dici uolunt. alij conuulsionem. Nonnulli non iam factam conuulsionem, sed eam quæ neruosorum corporum inflammationi superuenit. alij simpliciter fortem tentionem. alij putredinem. Hæc Galenus, ex quibus uerbis cognoscere potes, quantum esset uarium apud antiquos uocabulum sphacelus, in præsentiarum uero à Galeno intelligitur principiũ corruptionis. Ad aphorismi uero sentẽtiam redeuntes, nos multos uidimus, qui cerebrum sphacelatũ in Galeni sensu habebant, tamen nonnulli peruenere ad .xiiij. diem antequàm morerentur, alij ad septimum, alij ad decimum, & non sunt restituti sanitati, & horum caluarias aperientes, totum cerebrum penitus sphacelatum, idest corruptum inuenimus. Hoc mihi uidere contigit, proh dolor immensus & infanda res, in magnifico atq; illustri Alphonso Contrario comite nobilissimo, hic sexto die à sphacelismo obijt. Cum Galeno igitur in genere dicimus, cerebrum corruptum habentes nullo modo posse superuiuere, imò breui moriuntur, non tamen in tribus diebus. nam uirum quendam robustum uidimus, qui usq; ad decimũquartum diem peruenit, is Baptista nũcupabatur, qui magnifico Ioãni Petro Obicio erat à cubiculo, & si petas quo nam modo cognosci potuit iam cœpisse corruptionem. Respondemus, ex uehemẽtissimo dolore, quem patiebatur æger, tunc putamus sphacelum & corruptionem cœpisse, quarta die effectus est attonitus, octaua die omnes sensus amisit, decimoquarto die obijt. huic ablata caluaria, totum cerebrum corruptũ inuenimus. propterea non putamus uerum esse aphorismum, si ita simpliciter exponatur, ut dictum est, & Galenus intelligit. nam tres dies pertranseunt, & quatuor, & decem. Hippocrates forte neminem uidit, sed ratione principalitatis membri, id coniectatus est. imò cum sint uariæ naturæ, quia aliqui robustiores, alij imbecilliores sunt, propterea aliqui citius, alij tardius ex sphacelo moriuntur: arbitramurq; Galenum hos casus non uidisse, aliter illos ad hoc propositum retulisset, sicuti alibi facit, ubi etiam casus refert, qui sunt minoris momenti, quàm prædicti. Forte hic sensus, quem nunc adducemus, aphorismo conuenire poterit: qui cerebrum sphacelatum, idest perfecte corruptum habent, in tribus diebus pereunt, idest in hoc spatio. nam & in duobus, & in uno perire possunt. Si uero hos effugiant, sani fiunt, nam cerebrum non est sphacelatum: etenim si sphacelatum fuisset, in tribus diebus perijsset. & ideo necessario pereunt in trium dierum spatio, qui cerebrum sphacelatum, idest integre corruptum habent. At hoc trium dierum spatium effugere, nil aliud est, quàm ostendere cerebrum non esse sphacelatum, propterea non moriuntur, sed pristinæ sanitati restituuntur, quoniam cerebrum corruptum non est.

GALENVS

SPHACELARE ossa sæpius dixit in libro De articulis, pro corrumpere utens eo uerbo. Hic uero non contingit cerebri audire corruptionem, cum adiectum sit, Si uero has effugerint sani fiunt. Si enim sphacelus est corruptio substantiæ uniuscuiusq; partis quæ sphacelari dicitur, non cõtingit hunc qui ita ægrotet persanari. Ne forte igitur aliquando abutantur hoc uerbo ad significandũ huius dispositionis incœptionem, cum nondum completa est. Talia enim quædam etiam carnosis partibus in gangrenis accidunt, passione ob magnitudinem inflammationis insensibilitatem quãdam, atq; nigritiem, aut omnino morticinum colorem afferente parti patienti, dicẽtibus autem nobis illos qui in passionem incidunt, ad gangrenam ire. Sicuti igitur gangrenam iam ita completam, ut pars sit intermortua, sanare est impossibile, dum uero adhuc fit, possibile est, sic & sphacelum: & quidem carnosæ partis morticinium quæ prouenit ex magnitudine inflammationis, quam proprie medici gangrenam nominant. Hanc etiam Græci sphacelum appellabãt, sic igitur mihi uidetur & Herodotus dixisse, coxam Cambysis sphacelari. sed & cerebrum ita quispiam diceret sphacelari tantũmodo. & quidem propter quod uelox sit in ipso mors, manifestum, tanquam passione partis principalissimæ grauissima existente. Quod si ægri mors in tribus primis diebus non anticipauerit, sed

ad diem quartum peruenerit æger, ſperandum eſt morbum declinare, & uires eſſe fortes, ita quod ipſum omnino peruincunt.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratẽ in libro De articulis, ſæpius dixiſſe σφακελίζειν, ideſt ſphacelare oſſa, pro corrumpere. In hoc autem loco cerebri corruptionem intelligere non poſſumus, quãdo dictum eſt: ſi uero hos effugerint, ſani fiunt. Nam ſi ſphacelus corruptionẽ ſignificaret, impoſſibile eſſet eum qui ſphacelatum, ideſt corruptum cerebrum haberet, poſſe ſanari: unde uel effugiat, uel nõ effugiat tres dies, omnino peribit, quando cerebrum corruptum fuerit.

Quod legitur, In libro De articulis: Græce eſt, ἐν τῷ περὶ ἀγμῶν καὶ ἄρθρων. ideſt, in libro De fracturis & articulis. Sũt uero duo libelli, alter De fracturis, alter De articulis.

SECVNDO docet, quandoq; idem nomen dici de diſpoſitione incipiente, quamuis nondum ſit completa.

Tota hæc pars, Ne forte igitur aliquando abutantur hoc uerbo ad ſignificandum huius diſpoſitionis incœptionem, cum nondum completa eſt. Græce ita habetur, μή ποτε οὖν ἐνίοτε οὕτω καταχρώμενοι φάσκωσι τοὔνομα, καὶ ἐπὶ τῶν ἀρχομένων μὲν ἐμπίπτειν τῇ διαθέσει, μηδέπω δὲ ἀκριβῶς ἐχόντων αὐτὴν ἐμπεπληρωμένην. ideſt (ſi ad uerbum referre tentemus) Non quidem igitur interdum ſic abutentes dicunt nomen etiam de incipiẽtibus quidem incidere in eam affectionem, nondum autem exacte eam completam habentibus.

TERTIO Galenus docet, in cancrenis idem contingere in carnoſis partibus, paſſione ob magnitudinem inflammationis, inſenſibilitatem afferente, atq; nigritiem, uel omnino colorem, qualem habent morticinia parti patienti. unde nos dicimus, illos qui in paſſionem incidunt, ire ad cancrenã. & ideo ſicuti impoſſibile eſt ſanare cancrenã in qua pars ſit premortua, ita impoſſibile eſt ſanare cerebri ſphacelũ in quo corruptum ſit cerebrũ. At dum fit cãcrena, ſanari poteſt: eodẽ modo dum fit ſphacelus, ſanari poterit.

QVARTO docet, quod partis carnoſæ diſpoſitio, quæ ex inflammationis magnitudine prouenit, quam proprie medici cancrenam uocant, hanc eandem Græci appellabunt ſphacelum, in quo caſu Herodotus dixit, coxam Cambyſis ſphacelari.

Vbi legitur, Dicentibus autem nobis illos qui in paſſionem incidunt: in noſtro antiquo codice ſunt duæ lectiones: una, quã habuit Leonicenus λεγομένων, καὶ τῶν ἀρχομένων ἐμπίπτειν τῇ διαθέσει. Altera lectio eſt illa, quam etiam in Aldino codice inuenire poteris, ſcilicet λέγομεν καὶ τοὺς ἀρχομένους ἐμπίπτειν τῇ διαθέσει. ideſt, Dicimus autem illos qui in paſſionem incidere incipiunt.

Quod legitur, Morticinium: Græce eſt, νέκρωσιν. In aliis codicibus legitur Diſpoſitionem. Si legamus Morticiniũ, relatiuũ quod ſequitur debet eſſe Quod, & non Quæ.

QVINTO notat, aliquos dicere poſſe, ob quid in his ſit adeo feſtina mors: quia nõ tranſeunt ſpatium trium dierum. Reſpondet id fieri, quia eſt paſſio principaliſſimæ partis, & etiam eſt paſſio grauiſſima.

Quod legitur, Grauiſſima exiſtente: legi debet, Et grauiſſimã exiſtente.

Deniq; docet, ſi in primis tribus diebus mors non anticipauerit, ſed æger ad quartũ diem perueniat, ſperãdum eſſe morbum declinare, & uires eſſe robuſtas, quæ morbum omnino peruincunt. uel intellige, ut ſuperius fecimus, non adeſſe corruptionem, quando in tribus diebus non pereunt: intelligeq; perfectam. nam cum aliqua corruptione aliquos uidimus uſq; ad quatuordecim dies ſuperuiuere: uel forte erãt corrupti humores, & nondum ſubſtantia cerebri erat affecta: cum uero ſubſtantia cerebri corrupta ſit, tres dies pertranſire non poſſint.

APHORISMVS LII

STernutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aer enim intus contentus extrà erumpit. Sonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus.

BRASAVOLVS

GALENVS in tertio libro De ſymptomatum cauſis, quum de tuſſi uerba fecerit,

addit, Atque huius generis est sternutamentum quoque, expellendo ea quæ in naribus relicta fuerunt, quæ & ipsæ, ut respirationis meatus essent, à natura inuentæ sunt: quippe spiritus uehementer admodum motus meatus ipsarum expurgat, tibicinum exemplo, tibias fistulasque purgantium. Infertque alibi, esse prȩter naturã, & ualidiorem quàm tussis habere spiritus impetum. Sed aliam habẽt generationis suæ causam, quippe non ob ea quæ asperis arterijs, sed naribus molesta sunt, spiritus uiolenter emittitur, cum quo ex prioribus quoque cerebri uẽtriculis nonnihil emitti solet, proinde tussis capiti nihil conducit. Sternutamẽta uero, nisi ob destillationem euenerint, haud mediocre præsidium afferunt capiti uaporibus oppleto. Neque mirum uideri debet spiritum unico impetu, & ex pulmone, & ex capite mitti. etenim in tractatu De musculis indicauimus, cerebrum thoraci principium motionis transmittere, à thorace uero distingui, contrahique pulmones. Quum igitur insurgit, ut ea quæ nares infestãt, expellat, utroque utitur expirationis meatu, altero quidem quem ipsum per se fecit, altero uero neruis, ueluti longis quibusdam manibus, in thoracem demissis. per hos enim illum contrahit. per ossa uero, quæ à percolandi officio ethmoida uocantur, ipsum uaporantem emittit spiritum. Hæc Galenus de sterrnutamento quinto De symptomatum causis libro. Hic uero ab Hippocrate dicitˀ fieri ex capite calefacto cerebro, aut humectato, eo quod in capite inani: ob calorem enim humiditas efficitur flatus, qui intus contẽtus extra erumpit, per quandam excussionem naturæ ad expellendum superflua: in hac autem expulsione sonat, & id facit, quia exitus huius flatus per angustum fit, & quasi per tibiam.

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς. idest, Sternutamentum fit ex capite.] Hic ab Hippocrate locus notatur, in quo fit sternutamentum. potest uero sternutamentum multis ex causis fieri. si quis intra nares pennas, aut festucas posuerit, sternutat, hoc fit, quoniam ex hac re pungente musculi illi narium ad concussionem, & expulsionem stimulantur. fit etiam sternutamentum, quando cum tussi spiritus deorsum ueniens ad naris meatus pertingit. fit & sternutamentum à natura, ea superflua quæ in capite sunt, expellere uolente, & de hoc solo est hic Hippocrati sermo. Nam & iritantur sternutamenta ex pipere, castoreo, sinapi, sed fortè hæc fiunt calefacto cerebro. quandoque in febribus adeo infestant, ut necessarium sit ope medica uti. Paulus libro secundo capite quadragesimonono horum sternutamentorum curationem ponit.

Διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ. idest, Calefacto cerebro, uel humectato eo quod in capite inane est.] Vt duas hic sternutamenti causas assignare uideatur. una est caliditas, quæ uel fit ob solem, nam multos uidemus ob solem sternutare, & hoc esse omnium proprium quando solem inspiciũt, & radij nares ingrediãtur, sternutare. Aristoteles de hac re problema facit libro uigesimo problemate quadragesimoseptimo, inquiens, Quam ob causam qui solem aspexerint, sternutare magis consueuerunt. Respondet, an quia sol calefaciens mouet, perinde atque qui nares penna solicitant. Idem enim utrique agunt, quippe qui per motum calefacientes ocius spiritum ex humore eliciant, cuius excursio spiritus sternutatio est. & quod calor sternutamentũ faciat, ex quadragesimosexto problemate eiusdem libri colligi potest, ubi dubitat, Cur si quis sternutaturus oculum perfricauerit, minus sternutet. Respõdet, an propterea quod sternutamẽtum, à quodam excitatur calore. frictio autem calorem ciere potest. Qui calor quoniam locus, quo sternutamus, oculis in propinquo est, alterum sternuendi calorem tollit, quẽadmodum minor ignis ab ampliori emarcescit atque absumitur. & in problemate quadragesimooctauo dubitat, cur sternutamẽtũ nobis uigilãtibus fiat, non aũt dormientibus. respondet, an quia fieri sternutamẽtum non potest, nisi à calore, qui partem eam commoueat, qua effici solet: ex quo faciem soli obijcimus cum sternuere placet. dormientibus autem calor intus circũobsistit. quamobrem imæ dormiẽtium partes calidiores redduntur, spiritusque abundat; quæ quidem res causam etiam habet, cur genitura in somnis præ libidine profluat: merito igitur dormientes non sternutamus: ex quibus certe habetur, sternutamentũ calefacto cerebro fieri. imò quærens eodem loco cur singultus sternutamento desistere possit, causam reddit ex caliditate. Sed quid opus est uerbis? experientia ostendit ea esse calida, quȩ sternutamẽta mouent, ut piper, castoreũ, euphorbium; nam ex hac caliditate humores qui in cerebro continentur, præsertim humidi

midi, rareſcunt, & in flatus uertũtur, quos deinde uis expultrix impetuoſe mouet, itaq; expellit: & cum per arctas uias tranſeat hunc ſonitum facit, qui ſternutamentum uocatur: hæc eſt una ſternutamẽti cauſa ſcilicet cerebri caliditas, uel ex naturali calore intus uigorato, uel ex extrinſeca re calefaciente. Alia cauſa eſt humectato eo quod inane eſt, ideſt capite humiditate pleno. per inane uero intellige aut cerebri uẽtriculos, aut totam caluariæ cauitatem, quæ miringas & cerebrum continet, quam uacuum nũcupet: non quidem in qua nihil ſit, ſed in qua non ſint oſſa. nam re uera in quacunq; capitis parte humiditas fuerit, caliditate agente, neceſſario in ſpiritus reſoluit̃, & à ui expultrice cum uehementia tranſmittuntur. Notaq; & ſi dictum ſit hane eſſe aliam cauſam ſcilicet humiditatẽ, tamen humiditas ſola abſq; caliditate id efficere non poſſet. Sternutamentum igitur & humido & calido indiget, qui humidum ſolum habẽt, his defluit per nares humiditas ſine ſternutamento: nam caliditate indiget, ut experientia oſtendit. quippe illa ſternutamẽta mouent, quæ calefaciunt & humiditatem cient, uel ea quæ calidos & humidos uapores emittunt. Erant apud antiquos in ſummo honore ſternutamẽta, adeo ut Ariſtoteles præcitato libro problemate quinquageſimo quærat, cur ſternutamẽtum pro numine habeatur, non tuſſis, neq; grauedo. & problemate quinquageſimoſecũdo amplius quærit, cur eruptio cæterorum, ut flatus, ructus, ſacra haudquaquã habentur, ſternutamenti ſacra habita eſt. Reſpondet, utrum quoniam tres partes principes noſtri corporis, caput, thorax, & aluus, flatusq; alui expiratio ſit, ructus uentriculi, ſternutamentum capitis, quæ pars ſacra præcipue eſt, ſpiritum hinc exeuntem ut ſacrum ueneramur, & adoramus. An quoniam ſpiritus omnis eruptio partes, quas modo dixi, melius ſe habere ſignificat. cum enim minus excernere queunt, ſpiritus erumpens, leuat, & mitigat. Ergo ſternutamẽtum quoq; bene caput ualere, poſſeq; concoquere indicio eſt. cum etiam capitis calor humorem ſpiritum'ue conuincit, tunc moueri ſternutamentum ſolitum eſt. Quamobrẽ moribundos interdum ſternutatorio excitamus, tanquam ſi hoc affici nequeant, ſpes nulla ſalutis ſit. perinde igitur quaſi bonæ indicium ualitudinis, partis optimæ atq; ſacerrimæ ſternutamentum adorant, beneq; ei augurantur, multaq; ab Ariſtotele de ſternutamẽto eodem loco dicuntur, quæ huc afferre non eſt opus, ſatis eſt, quod ex humiditate, atq; caliditate fiat, quæ in cerebro ſunt, quando uis ſuperflua expellere tentat, quæ & in ipſo ſunt, & in narium uia.

ἐξορ́χεται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω. ideſt, Aer enim intus contentus, extra erumpit.] At erumpit ui expultrice incitata expellente. Aer uero, uel iam adeſt, uel fit. nam eſt uapor quia ab humida materia fit ex ui naturalis caloris.

ψοφέει δὲ. ideſt, Sonat autem.] Nunc Hippocrates rationem reddere uidetur illius ſonitus, qui fit in ſternutamento.

ὅτι διὰ στενοῦ αὐτῷ ἡ διέξοδός ἐστιν. ideſt, Quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus, nam per hanc narium uiam, quæ anguſta eſt ratione ſpiritus & humiditatis, cum impetu exire debet. Non eſt uero ſimpliciter anguſta hæc uia, aliter Ariſtoteles ex huius uiæ latitudine, cuiuſdam problematis rationem non recte aſſignaſſet. etenim ſectione uigeſima, problemate quinquageſimotertio, dubitat, cur homo omnium maxime animantiũ ſternutare ſolitus eſt. Reſpondet, an quia foramina ſui corporis obtinet latiora, per quæ ſpiritus interrũpere poteſt. His enim ſpiritu impletis ſternuimus: latiora autem eſſe indicium, quod omnium minime animantium homo olfactu ualet. foramina quippe tenuiora ſentiunt exquiſitius. Quod latiores meatus plus humoris ac ſæpius ſubeat neceſſe eſt, quo in ſtatu ſternutamentum moueri ſolet. Taleſq; homo maxime animãtium habet, merito ſępiſſime ſternuat, pręſertim qui naribus breuiſſimis eſt. Sic enim humor concalefactus celerius effluere conuerſus in ſpiritum poteſt. Cæteris uero præ longitudine narium, ante refrigeratur, quàm effluat. Ex quibus apparet ſecundum Ariſtotelem meatus non eſſe anguſtos in homine, ſed latos. At tu intellige Hipp. quod arcti ſint ratione materiæ & flatus, quæ cum impetu & una uice ac comprehenſim exire debet.

GALENVS

TALES ſermones duo ſignificant, unum quidem in omni re propoſita uniuerſaliter dictum, ueluti hoc in loco de ſternutamentis, alterum particulatim, ueluti hic de ſternutamentis ex cerebro factis. Primus igitur ſermo talis erit, Omne ſternutamentum

tum fit ex cerebro calefacto, uel humectato eo quod est in capite inani. Secũdus uero, Sternutamẽtum ex capite eueniens fit cerebro calefacto, uel humectato capitis inani, quod uerius existit. Non enim omnis sternutatio fit calefacto cerebro, uel humectato in capite inani. Pennis igitur quidam nares iritantes sternutant. Sed & cum tussi spiritus desubter ueniens ad naris meatus, causa fit sternutamenti. Præterea opinari solum aerem qui ex capite excernitur esse quod sonat, est manifeste falsum, nam liquido apparet desubter ex pulmone elatus aer uniuersim se comprimente thorace: sed & antecedente inspiratione fieri sternutamentum, natura aggregante aeris copiam ad sternutamenti generationem, his quæ dicta sunt adstipulatur. Solum itaq; illud quod habet suæ generationis principium naturam appetentem flatuosum spiritum ex capite excernere, hoc modo fit, quem docere aggreditur aphorismus, neq; forte hunc omnem: nam ait, humectato, superfluum est ad sternutamẽti generationẽ. Si enim & aliquis humor in capite superabundat, non facit sternutamentum, nisi in uentum conuertatur: & hoc manifeste uidetur in multis, qui copiam humoris per nares excernunt, & tamen propterea nõ necessario sternutant. Soli enim illi sternutãt, qui ita affecti sunt, quibus mordax est ea quæ à capite fluit humiditas, ceu si q̃d mordax naribus imponas: sicuti enim tussis, casus quidam naturalis est ad expurgandas eas quæ sunt in pulmone asperas arterias, sic sternutamẽtum manifeste uidetur expurgare narium meatus. Duplici autem existente ipsa perforatione, lata quidem ad os, sed per meatus tenuiores ad cerebrum, quę quidem est ad os perforatio, ab eo qui desubter spiritu effertur: qui uero ad cerebrũ meatus pertingunt, ab illo qui ab ipso prodit, expurgantur. Et si diligenter aduerteris, uidebis sternutamenta, quæ ex capite motus habent initium, leuare caput. Fiunt enim, & rarefactis his qui sunt in capite humoribus, & naturæ impetu excretis. Rarefieri uero ipsis accidit concalefactis. Calefiunt autem natiuo calore excitato, ob cuius imbecillitatem prius erant superfluitates aggregatæ. Cum igitur ait, Calefacto eo quod est in capite inani, maxime audiendum est, de eo quod est in uetriculis cerebri. adhuc autem & de illo quod ipsum ambit exterius: facile enim est & illi per cerebrum, primum quidem ad ipsos uentriculos, hinc uero subire ad nares. quia uero uniuersim excidit, sonitum ædi, Hippocrates inquit, Est autem commune hoc, undecunq; uenerit, siue ex pulmone elatus, siue ex capite deorsum actus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, tales sermones duo significare: unum uniuersaliter, aliud particulariter. Vniuersaliter, est in omni re proposita uniuersaliter quippiã loqui, ut in sternutamẽto hoc quod ab Hip. dicitur hoc modo, uniuersaliter intelligat̃, Omne sternutamentum fieri ex cerebro calefacto, uel humectato eo quod in capite inani. Particulariter uerò hoc modo intelligitur, Non quidem omne sternutamentum, sed id sternutamentum quod ex capite euenit, fit cerebro calefacto, uel inani capitis parte humectata. Hic particularis sensus, uerus est: primus uero & uniuersalis non est uerus, quia omnis sternutatio non fit calefacto capite, uel humectato eo quod in capite inani: nam aliqui pennas aut festucas capiti admouentes sternutant, imò per se in his qui tussiunt spiritus ad nares tendit & incitat sternutamentum.

SECVNDO docet, falsum esse putare aerem qui ex capite excernitur, eum esse qui sonat: nam si quis bene perpendat, is uidebit etiam concurrere aerem illum, qui desubter uenit à pulmone, & simul cum illo qui in capite est, & cum materia impetũ facere.

TERTIO illa confirmat quæ dicta sunt, per hoc quia quum sternutare uolumus, prius semp inspiramus, ut aeris copiã cõgregemus, quã deinde cũ impetu expellamus.

QVARTO docet, aphorismũ solum in eo sternutamento intelligendum esse, quod à natura fit appetente ex capite flatuosum spiritum emittere: imò nec totus aphorismus est necessarius: nam quod inquit, humectato eo quod in capite inani, ad sternutamenti generationem superfluum est: quoniam humor etiam qui in capite est, sternutamentum non facit, nisi in flatum conuertatur. quod ex eo manifeste apparet: nam multos uidemus, qui humoris copiam per nares excernunt, tamen per hoc non sternutant: unde capitis uacuum, humiditate plenũ habent, tamen non sternutant: nam soli illi sternutant, quibus humiditas à capite descẽdens mordax est: uelut si aliq̃d mordax intra nares posueris

fueris. Et ideo sicuti tussis est naturale symptoma ad expurgandas asperas arterias, quæ in pulmone sunt, ita sternutamentum manifeste uidetur narium meatus expurgare.

Quod legitur, Nam ait humectato, legi debet, Nam quod ait humectato.

QVINTO docet, esse duas perforationes, una lata, quæ est ad os, & alia stricta. lata quæ ad os est ex spiritu qui desubter uenit, scilicet à pulmone expurgatur. stricta uerò uia, quæ ad cerebrum pertingit, ab illo flatu expurgatur, qui superius uenit, & in cerebro calefacto est excitatus. habemus nares latas extra, sed cum peruenit ad caput, strictiores sunt, & ita arcte in cerebrum tendũt. pars latior expurgatur ex spiritu ascendente à pulmone, pars stricta à flatu in cerebro facto. Vnde si tu diligenter inspicere uolueris, uidebis sternutamenta, quæ à capite motum habent, capitis pondus leuare. nam fiunt his humoribus calefactis qui in capite sunt, & naturæ impetu excretis. At contingit, quod ipsis calefactis rarescant. calefiunt uerò natiuo calore excitato, ob cuius imbecillitatem, prius erant superfluitates aggregatæ.

Quod legitur, Leuare caput, græce est τὰ βάρη τῆς κεφαλῆς, idest capitis grauitatem.

SEXTO docet, cum ab Hippocrate dicitur, calefacto eo quod est in capite inani, per inane id intellige, quod est in uentriculis cerebri: sed etiam de illo intellige, quod ipsum ambit exterius. nam facile est primum per cerebrum ad uentriculos peruenire, inde ad nares.

Denique dicit sonitum edere secundũ Hippocratem, quia uniuersim excidit, & hoc commune est, undecunque euenire, uel ex pulmone elatus, uel ex capite deorsum actus.

APHORISMVS LIII

QVicunque hepar circundolent, his febris superueniens soluit dolorem.

BRASAVOLVS

QVI dolorem iecoris habẽt, & à tali causa, quæ à caloris augmento remoueri possit, febre superueniente liberantur. nam febrilis caliditas iecoris dolorem soluit, qui uel à flatu, uel ab aliqua pituitosa materia, quæ in flatum conuertitur, fit.

ὁκόσοι ἧπαρ περιωδυνέουσι. i. Quicunque iecur circũdolent] Duas solũ doloris iecoris causas hic refert Galenus, flatus & inflammatio, sed quia ob multa alia dolere potest, ut ex erysipelate, ex scirrhis, ex abscessibus, ex ulceribus, & ex obstructionibus, quę omnia à Paulo libro tertio, capite quadragesimosexto referũtur: propterea dicere oportet, duas solum causas à Galeno proponi ueluti generales, ad quas omnes alias deducere oporteat. nam ad inflammationẽ & erysipela & omne genus abscessus deducitur, ad flatus obstructio. hic intellige, quod iecur circundolet ex flatu, & absque febre, quod & fieri potest, & plerunque fit, ex inflammatione uero & alijs absque febre non fit.

Τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην, id est His febris superueniens soluit dolorem.] Quia febrilis calor aptus est flatus resoluere, & obstructiones aperire.

GALENVS

VERBVM Superueniens, indicio est quòd prius cum circundolebant ipsi non febricitabant. Si igitur hepar uehementer dolebat, uel propter fortem inflammationem, uel propter spiritum flatuosum, non aderat autem ipsis inflammatio, alioquin omnino febricitassent, par igitur est quòd flatuosus spiritus sit causa doloris in ipsis. Dolet igitur hepar & propter obstructionem, uerum mediocriter, & cum quodã ponderis sensu potius, quàm uehementis doloris. Dolor autem uehemens propter flatuosum spiritum, uel inflammationem, quæ scilicet maxima est, aut suppurata, accidit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hoc uerbũ Superueniens, ostendere prius fuisse dolorem antequam febricitarent. Si ergo iecur uehementer dolebat, uel ob fortem inflammationem, uel ob spiritum flatuosum id faciebat. Sed ob inflammationem dolere non potest, quia febris non aderat. Inflammatio uerò absque febre esse non potest, propterea flatuosus spiritus est causa doloris in ipsis.

Quod legitur, Par igitur est quod flatuosus spiritus sit causa doloris in ipsis: Græce est, εὔλογον οὖν ὑπὸ φυσώδους πνεύματος ὀδυνᾶσθαι τὸ σπλάγχνον αὐτοῖς. idest, par igitur est quod flatuosus spiritus sit causa doloris uisceris in ipsis, scilicet dolentibus.

SECVNDO quia aliquis ambigere posset, dolorẽ etiam ex obstructione fieri, ideo causas omnes non esse assignatas. Respondere possemus, ut superius dictum est, ad spiritum flatuosum reduci. Sed Galenus aliter dicit, quod scilicet dolor ex obstructiõe est mediocris, & cum quodam sensu ponderis, potius quàm cum uehementia doloris. ac si dicat, non intelligi hic ab Hippocrate esse dolorem: potius laudamus ut ad flatuosum spiritum deducatur: nam febrilis caliditas materias flatuosas obstruẽtes resoluens dolorem soluit. Deniq; docet, uehementem dolorem contingere, uel ob spiritum flatuosum, uel ob inflammationem, quæ uel sit magna, uel deuenerit ad suppurationem.

APHORISMVS LIIII

QVibus à uenis sanguinem mittere confert, his uere uenam oportet secare.

BRASAVOLVS

IN NOSTRIS sexti huius uoluminis libri Commẽtarijs hunc aphorismum ubertim interpretati sumus. nam quod eo loco tam in medicamẽtis, quàm in uenæ sectione proponebat, hic in sola uenæ sectione repetit, quibus conuenit nunc actu sanis sanguinem mittere, ijs uere uenam secare oportet, aliter æstate morbos aliquos sibi consuetos incidere solent.

ὁκόσοισι συμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν. idest, Quibuscunq; à uenis sanguinem mittere confert.] Quia scilicet sint pleni, & multo abundent sanguine.

τούτους ἔαρι χρὴ φλεβοτομέεσθαι. idest, Iis uerno tempore uenam secare oportet.] Prius q̃ æstas superueniat, & sanguinem abundantissimũ ebullire faciens ipsum corrumpat. Si plura de hoc aphorismo scire cupias, ad quadragesimũseptimum sexti libri recurras.

GALENVS

HIC aphorismus pars est eius qui prius dictus fuit in hæc uerba, Quibus medicamentum epotum, uel uenæ sectio confert, his uere secare uenam, uel purgare medicamento opus est. In quibusdam uero exemplaribus non est scriptus omnino: & quidam libri expositores ipsum sciunt, bisq; ipsum scribunt: nõnulli uero neq; omnino meminere. Mirari uero de illis oportet, qui non modo bis eundem scribunt aphorismum, uerum & in eisdem Commentarijs expositiones apponunt, nulla facta significatione, quod his qui antea scripti fuerunt quidam sunt ex toto ijdem: quidam uero ex parte, cuiusmodi hic est. Quid igitur uisum fuit, uel his qui hos adiecere aphorismos, circa finem libri: uel ipsi Hippocrati bis de eisdem facere mentionem, & quibusdam expositoribus geminam facere expositionem, deos testor me non posse coniectari. Neq; enim uerisimile fit ipsum scriptorem Aphorismorum tãtarum rerum obliuione fuisse correptum, quando præsertim talis fuerit, qualem fuisse Hippocratẽ nouimus: neq; illorum qui apposuerunt, uel tantum obliuium, aut aliquam aliam malignitatem possumus excogitare, qua moti de eisdem scribere non dubitauerint. Adhuc autem & magis de illis liceat admirari expositoribus, qui cum bis eosdem exposuerint Aphorismos, neq; hoc ipsum adiecerunt, quod secundam faciunt expositionem: & adhuc multo magis de illis qui differentes scripsere expositiones, & in his qui circa finem, & in illis qui per initia de eisdem sunt dicti.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc aphorismum esse partem aphorismi quadragesimiseptimi sexti libri.

SECVNDO notat, in quibusdam exemplaribus non esse scriptam particulam illam, Omnino.

TERTIO dicit, quosdam expositores ipsum scire, & ipsum bis ponere: sed alij ipsius nullam mentionem faciunt.

QVARTO de illis mirari dicit, qui & bis eundem ponunt aphorismũ, & bis commentantur, & nullam mentionem faciunt, quod hic aphorismus sit pars alterius, & in alijs aphorismis, quod sint idem omnino cum alijs.

QVINTO dicit, se non posse coniectari quid uisum fuerit illis, qui circa finem libri hos aphorismos posuere: uel si fuit Hippocrates, quid uisum sit Hippocrati, quidq; his uideatur qui bis exponunt hunc aphorismum.

SEXTO docet, non esse uerisimile aphorismorum scriptorem obliuione fuisse corruptum, præsertim quum scriptor sit Hippocrates, quem nouimus fuisse summum uirum: imò de his dubitat, qui hos aphorismos apposuerunt, quod id non fecerint ob obliuionem, sed potius ob aliquam malignitatem.

Vbi legitur, Qualem fuisse Hippocratem: deest particula ἐν ἅπασιν: idest, In omnibus. nam dicit, οἷον ἴσμεν ἐν ἅπασιν ὄντα τὸν ἱπποκράτην. idest, Qualem in omnibus fuisse Hippocratem nouimus.

Quod etiam legitur, Aut aliquam aliam malignitatem possumus excogitare: Graece est, ἤ τινὰ ἄλλην πανουργίαν ἔστιν ὑπονοῆσαι: ubi uides uocabulum πανουργίαν, astutiam significare, & improbitatem cum calliditate.

Vbi etiã legitur, Qua moti de eisdem scribere non dubitauerint. deest particula Bis, ut legi debeat, Qua moti de eisdem bis scribere non dubitauerint. Græce enim legitur, δι᾽ ἣν δὶς ἔγραψαν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν.

SEPTIMO, de illis expositoribus magis admirandum iudicat, qui quum bis exponunt aphorismos aliquos, quod prius exposuerint, mentionem non faciant.

Deniq; de illis adhuc magis admiratur, qui eisdem aphorismis in diuersis locis positis diuersas fecere expositiones, tamen aphorismi illi de eadem re penitus loquuntur.

APHORISMVS LV

QVibus inter uentriculum & septum pituita reposita est, & dolorem affert, non habens exitum, neque ad alterum uentrem, his per uenas ad uesicam pituita uersa soluitur morbus.

BRASAVOLVS

ANTIQVI Aphorismorum interpretes in hoc aphorismo dubitauerunt, & à nobis non minus dubitandum uidetur, per quam uiam hæc pituita exire possit, nam dicit, Qui inter uentriculum & septum pituitam repositam habent, & ex partium extẽsione, præter naturam suam dolorem faciat: tamẽ non sit exitus aliquis per quem iri possit ad alterum uentrem, pituita uertitur per uenas ad uesicam, & ea per mictum exeunte soluitur morbus. At quomodo fieri possit, statim edocere conabimur.

οἷσι μεταξὺ τῆς γαστρὸς, καὶ τῶν φρενῶν φλέγμα ἀπόκειται. idest, Quibus inter uẽtriculum & septum pituita reposita est.] Antiquiores hoc modo aphorismũ legebant, unde Marinus antiquus interpres dubitabat, & merito, quomodo inter uentriculũ & septum possit contineri pituita, quia descenderet usq; ad ossa pubis: quod certum est. propterea ipse intelligit inter septum & uentriculum, idest inter peritonæi uerticem & septi carnosum. nam dicebat, Si intelligamus inter uerum uentriculum & septum: non habemus uiam, per quam transeat ad uenas. Sed Galenus ipsum reprehendit, tum quia nec intelligentes ut Marinus intelligit, adest uia: nec etiã bene utitur uocabulo uenter, sed nimis abusiue utitur: propterea Galenus ipse spatium intelligit, quod est quidẽ intra septum, sed intra eam peritonæi partẽ, quæ ad epigastriũ attinet. Et si tu ambigas de uia, per quam natura possit trãsmittere ad uenas. Galenus dicit, naturam occulte operari per angusta foramina secundũ Hipp. Nam & natura per ossa facit etiã abscessus. Tamen sunt alij codices, qui non legunt τῶν νεφρῶν, sed τῶν φλεβῶν. i. uenas: sensusq; est, quibus inter uentriculum & uenas pituita reposita est. quem sensum hoc modo intelligere possumus, cum uentriculus crassitiẽ habeat, & per illam crassitiẽ uenæ permeent, Hipp. intelligit pituitam esse inter crassitiem uẽtriculi, & uenas quæ sunt in hac crassitie, & non sit in uenis:

hæc pituita illas partes extendit, & dolorem affert, neq; habet exitum, neq; uiam habet ad alterum uentrem. hæc pituita attenuata uenas ingreditur per insensibiles uias, & per has uenas ad iecur, ad renes & ad uesicam tendit, & deniq; soluitur morbus. Sed tu ambigere poteris, quomodo in hunc locum, & per quam uiam hæc pituita perueniat: nam si mihi uiam assignabis per quā hic collecta sit, ego per eandem uiam illam ad uesicam deducam. Scito in illo loco paulatim cōgregatam esse per uenas capillares defluens, & postea adeo condensatam esse, ut talem extensionē faciat, quæ dolorem inferat. At quia crassior reddita est, non potest per easdem uenulas redire, nisi prius iterū attenuata fuerit, & in tenuem fere aquam redacta, itaq; exire potest. Si hæc expositio tibi arrideat, illam sequere: sin minus, precedentem accipito, quæ Galeni est interpretatio. Hoc tamen uerum est, in antiquis codicibus legi νεφρῶν. i. renes: non φλεβῶν. i. uenas. tamen non desunt codices, qui habēt φλεβῶν: & in secūda nostri antiqui codicis lectiōe habēt φλεβῶν.

Καὶ ὀδύνην παρέχει. idest, Et dolorem præbet.] Quia partes illas in quibus est, extēdit: propterea non potest esse in lato loco, quia dolorem non inferret, si amplus esset locus. & ideo non ab re intelligere oportet inter uentriculi carnositatem, & suas uenas.

Οὐκ ἔχον διέξοδον. idest, Non habens exitum.] scilicet postquàm illuc delata est & glutinosior atque crassior effecta.

Οὐδὲ εἰς ἑτέραν τῶν κοιλιῶν. idest, Neque ad alterum uentrem.] scilicet transmitti potest: neq; ad aliam cauitatem demandari, ut est constituta: nam attenuata quidem uenas insensibiliter ingreditur. Propterea statim sequitur,

Τούτοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τρεπομένου τοῦ φλέγματος, λύσις γίνεται τῆς νόσου. i. Iis per uenas ad uesicā pituita uersa, soluitur morbus.] Nam pituita hæc attenuatur, & uenas per insensibiles uias ingreditur, & ad uesicā deducitur, morbusq; soluitur. Si uero petas, quomodo id fiat, nec Galenus explicare scit, sed modus est insensibilis, & qui percipi non potest, forte ora capillariū uenarū ingreditur, quæ in carnem finiunt, & deinde ad maiores uenas peruenit: postea ad maximas, quousq; in uesicam perueniat.

GALENVS

NON absq; ratione mihi uidetur dubitare Marinus, impossibile existimās inter septum & uentrem pituitam constitui. Defluet enim deorsum usq; ad ossa pubis: neq; tamen fieri posse arbitratur, ut trajciatur ad uenas, sicuti in aqua intercutē, tenuis & aquosus humor transsumptus excernitur per urinas. Quare audiendum esse inquit, quod dicitur inter septum & uentrem, pro eo quod est inter septi corpus carnosum, & interioris membranę abdominis uerticem. Verum & si ita audierimus ô Marine, transsumptionem ad uenas similiter facilem esse, non est possibile. Nam huic ad renes peruenire per uenas, neq; ex eo spatio quod est sub mēbrana abdominis interiore est impossibile. Adde quod omnino impropria est eius, quæ est secundum uentrem appellationis abusio. Nihil enim est simile uētri, & membranæ abdominis interiori, cuius gratia eandem participent appellationē. Melius igitur ita audire sicuti omnes audierunt, illud spatium laxius ab eo dici, quod est quidē infra septum, sed intra eam mēbranæ abdominis interioris partem, quæ ad epigastrium attinet: & cōsiderandū, si possibile est illud quod dicit: noscentibus nobis, ꝙ uiam semper materiebus inuenire naturam Hipp. opinatur, quādo ualida fuerit, & si illæ sint crassiores, & per angusta foramina debeāt permeare, quādo & per ossa fieri inquit abscessus. Videmus aūt & humorē illum, qui est inter thoracem atq; pulmonem in suppuratis expui cum tussi, nonnunquam uero & per cutem sanam existentem excidere sanguinem in ossibus quæ fracta occalluerunt. Non igitur neq; in ea de qua nunc Hippocrates dixit pituita, omnino impossibile oportet arbitrari, fieri ad urinas transsumptionem. Verum & hoc ipsum agi à natura contingit paulatim pituitam extenuante, quemadmodum pus in suppuratis.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus dicit, Marinum antiquum Aphorismorum interpretē non absq; ratione dubitare, putantem impossibile esse inter septum & uentrem pituitam cōstitui: nam necessario deorsum defluet usque ad ossa pubis. Adde, quod arbitratur non posse transmutari ad uenas, sicuti fit in aqua intercute tenuis & aquosus humor trāssumptus per urinas excernitur.

Quod

Quod legitur, Inter septum: in aliquibus Graecis codicibus legitur φλεβῶν, idest inter uenas. in alijs legitur φρενῶν, idest inter septum.

SECVNDO Marini expositionem ponit, qui intelligebat esse inter septum & uentrem, hoc est inter partem septi carnosam, & peritonaei uerticem.

Quod legitur, Inter septi corpus carnosum, & interioris membranae abdominis uerticem: Graece est, τοῦ μεταξὺ, καὶ τοῦ τῶν φρενῶν ἰδίου σώματος, ὃ σαρκῶδες ἐστι, καὶ τῆς τοῦ περιτοναίου κορυφῆς .i. inter propriū septi corpus, quod carnosum est, & peritonaei uerticem.

TERTIO Galenus Marinum reprehēdit, quia si intellexerimus ut Marinus facit, erit dubia transumptio ad uenas. Adde, quod improprie utitur uocabulo Ventriculus, & nimis abusiue.

Quod legitur, Transumptionē ad uenas similiter facilem esse, non est possibile: nam hinc ad renes peruenire per uenas, neq; ex eo spatio quod est sub membrana abdominis interiore, est impossibile. Graece est, τό γε τῆς εἰς τὰς φλέβας μεταλήψεως, ὁμοίως ἄπορον εἰ, ἢ δυνατόν. ὥσπερ οὖν καὶ τὸ εἰς νεφροὺς ἀφικέσθαι διὰ φλεβῶν οὐκ ἐκ τῆς ὑπὸ τὸ περιτόναιον εὐρυχωρίας, ἀδύνατον. idest, ad uenas transmitti similiter dubium est, an sit possibile: inde ad renes peruenire, per uenas ex lata uia, quae est sub peritonaeo, idest membrana abdominis, impossibile.

Quod etiam legitur, Ventre & uentri: lege, Ventriculum & uentriculo, γαστὴρ, γαστέρ.

QVARTO Galenus iubet intelligēdum esse aphorismum, ut uerba prae se ferunt, intelligendum scilicet spatium illud quod est infra septum: sed inter eam partem peritonaei, quae ad epigastriū attinet, & postea considerare, an possit per hanc uiam transmitti.

QVINTO Galenus probat, posse transmitti pituitam hic contentam per uenas ad partes infernas: supponitq; quod ab Hippocrate tanquam uerum recipitur, naturā semper inuenire uiam transmittendi materias inutiles ad uias expulsionis, & extra corpus. Et hoc intellige, quando natura sit fortis: nam tunc etiam si materia sit crassa, à natura extenuatur, & inuenit uiam illam expellendi.

SEXTO Galenus per exempla probat, à natura inueniri uias arctas & strictas, & per ipsas transmittere: nam quandoq; uidemus fieri abscessus per ossa, & per suam substantiam transmitti materiam. Per aliud exemplum idem probat. uidemus humorē qui est inter thoracem & pulmonem, expui per tussim: tamē non adest uia, nisi transeat per pulmonem. Aliud exemplum. uidemus quandoq; per sanam cutem sanguinem in ossibus quae fracta occaluerant, excidere.

Denique infert, non esse putandum in pituita, de qua hic agit Hippocrates non esse aliquam uiam, quam scit inuenire natura: & hoc paulatim fit natura pituitā extenuante, & per occultas uias transmittente, sicuti facit de pure in suppuratis.

APHORISMVS LVI

QVibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his uenter aqua repletur, & moriuntur.

BRASAVOLVS

AQVA quandoq; in iecore colligitur, quandoq; in iecoris uenis, quandoq; in uesicas per totum iecoris substantiam sparsas: sunt autem paruae hae uesicae: quandoq; colligitur intra pelliculam iecur circundantem & ipsius iecoris carnem. Hic potissimum intelligere oportet de aqua inter pelliculam tegentem iecur collecta & iecoris carnem. Qui iecur habent aqua plenum, si in omentum erumpat, necessariū est inferiorem uentrem aqua impleri, & hos denique mori.

ὅσοις τὸ ἧπαρ ὕδατος πληρωθὲν. idest, Quibus iecur aqua plenum.] Vt pellicula quae ipsum tegit, plena sit.

εἰς τὸν ἐπίπλοον ῥαγῇ. idest, In omentum exciderit.] Galeno mirum uidetur, quomodo possit in omentum excidere haec aqua, nisi omentum fractum sit. Propterea exponit in quo est omentum, nisi dixerimus per eius substantiam resudasse, quod difficillimū est.

τέτοιο

τούτοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπίπλαται, καὶ ἀποθνήσκουσιν. idest, Iis uenter aqua repletur, & moriuntur.] Moriuntur quidem temporis processu ex aqua intercute, & etiam sanari possent: sed rari sunt qui sanentur. nam in hoc casu iecur imbecillius redditum est, quam in his sit, in quibus paulatim aqua colligitur. Hic uero intellige per κοιλίαν, non uentriculum, sed uentrem inferiorem in quo aqua colligitur.

GALENVS

APTISSIMVM hepar est hydatidas, idest uesicas aqua plenas in ea quæ ipsum ambit exterius membrana generare. Videtur itaque & in iugulatis animalibus aliquando plenum. Si aliquando contingat uesicas aquosas rumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris, epigastrio, hoc est parti supra uentrem positę respondentem, in quo etiam aqua hydropicorum cōgregatur. Ad omentum autem non potest aqua effluere, nisi aliquo modo ipsum exedatur: est enim solidum & firmum undequaque, ita quod nihil in ipsum ex aliqua parte possit incidere, nisi ex uentriculo, colo intestino, ac liene, illisque partibus unde ipsum enascitur. Vel igitur uult omentum exedi in partibus, scilicet dextris ipsius, secundum quas est hepati uicinum, uel ad omentum audire oportet, hoc est ad ipsius locum. Ventrem autem aqua impleri, non de illo uentre dictum est, in quo cibi recipiūtur, sed de tota cauitate quæ est infra thoracem, secundum quod significatū uentrosi nominantur, & mulieres dicuntur gestare uentrem. Mori autem eos quibus in hoc loco aqua colligitur considerādum, an perpetuo sit uerum, an magna ex parte. Seruantur enim & quidam aqua intercutem laborātes, quamuis & hic locus ipsis aqua repleatur. Sed neque impossibile est, sicuti in illis, & per medicamenta purgantia aquositates, & præterea per epithemata, hoc est impositiones eorum quæ uim habēt ciendi urinā, & in uapores soluēdi humorē talē, ita & in his fieri curationē.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, iecur esse membrum aptissimum ad generandas uesicas aqua plenas per totam eius substantiam & cauernas: sed potissimum hoc facit in pellicula ipsum circundante: imò si animalia iugulata spectabimus, hoc idem in ipsis uidebimus. Quod legitur, Ambit: Græce est περικείμενον, idest circumambit.

SECVNDO docet, si quandoque contingat aquosas uesicas rumpi, aqua ad peritonæum circa epigastrium effunditur: hoc est parti illi, quæ supra uentrē posita est, in qua parte aqua hydropicorum congregatur.

Quod legitur, Si aliquando contingat: lege, Si igitur aliquādo contingat. nam Græce habetur, ἐὰν οὖν ποτε συμβῇ.

Quod etiam legitur, Effunditur aqua ad locum membranę abdominis interioris epigastrio: Græce est, ἐκχεῖται δηλονότι τὸ ὕδωρ εἰς τὴν τοῦ κατ' ἐπιγάστριον περιτοναίου χώραν. idest, Effunditur uidelicet aqua in locum peritonæi, qui in epigastrio est, idest in parte peritonæi quæ est supra umbilicum. Hæc particula, Hoc est parti supra uentrem positæ respondentem: à Leoniceno addita est.

TERTIO Galenus docet, non posse aquam effluere ad omentū, nisi aliquo modo exedatur & frangatur: quia undequaque στεγανόν .i. solidum & firmum est, unde in ipsum nihil ex aliqua parte potest incidere, nisi ex uentriculo, intestino colo & liene, illisque partibus unde ipsum enascitur: uel igitur in dextera parte uult omētum exedi, in qua iecur est: uel opus est intelligere ad omentum, idest ad locum in quo est omentum.

QVARTO exponit quid intelligēdum sit per κοιλίαν, idest per uentrem: non enim intelligere oportet uentrem illum, in quo cibi colliguntur, idest uentriculum: sed intelligere oportet totam cauitatem, quæ est infra thoracem, in quo significato homines προγάστορες, idest uentricosi nominantur, & mulieres dicuntur ἔχειν ἐν γαστρί, idest habere in uentre, non gestare uentrem. quamuis & hoc dici possit.

Quod legitur, Sed de tota cauitate: Græce est, ἀλλὰ τοῦ παντὸς κύτους. idest, sed de tota profunditate, de tota latitudine, de toto uase.

QVINTO dubitat Galenus, an semper moriantur qui ita affecti sunt, an non semper, sed sit magna ex parte: nā & qui aqua intercute laborant, & si is locus aqua impleri uideaт, tamē aliqui seruanт. Respōdet, in hoc casu posse aliquos seruari, curatos per aquæ eductionē, & per urinę prouocationē: sicuti quoque illi curanт qui aqua intercute laborāt.

APHO-

APHORISMVS LVII

ALyce, anxitudo, oscitatio, horror, uinũ æquale æquali potũ soluit ęgritudinẽ.

BRASAVOLVS

QVI inquietudines habent, ut uno loco stare non posint, quas angorem uel anxie tatem Latini uocant, & qui habent oscitationes atq; horrores, hi sanantur, & ab his liberantur, si uinum temperate sumptum biberint: quoniam materiæ à uino resoluuntur quæ hæc symptomata faciebant.

ἀλύκην, idest, Alycem] quam Leonicenus anxitudinem exponit, Theodorus pandiculationem. Sed re uera si quis recte consideret, & quid de ea in cõmentatione dicat Galenus, pandiculatio non est, fitq; tam in sanis, q̃ in ægris. In sanis, illi habent alycem qui semper præsentibus cruciãtur, & ab uno negotio in aliud transeunt. eodem modo in ægris, illi habent alycem, qui accubitum non perferentes figuras uariãt. nam semper præsens figura eos aggrauat, ideo in aliam mutãtur. hi proprie à Latinis anxij dicũtur. Sunt qui scribunt aspirate, & qui non. fit uero ab humoribus per corpus sparsis, & potisimum frigidis, eius causa ex quinto De symptomatum causis apud Galenum colligi potest, ubi monet fieri alycas ex pauca materia in uẽtriculi ore inter tunicas cõtenta.

χάσμην. idest, oscitationem.] fit oscitatio ex humiditate flatuosa, quæ in hoc motu & oris apertione expurgatur, unde & Aristoteles sexta Problematũ particula problemate secundo dubitat, cur oscitanti sæpe in oscitando respondemus, & cum mingentẽ uidemus, prouocamur ad mictum. Breuibus rationẽ reddit ex mente & phantasia, uultq; Aristoteles oscitationem esse motum spiritus & humiditatis. Immo aliud problema facit, propter quid oscitantes minus audiunt. & causam reddit: quia oscitantes spiritu implentur, unde solent tinnire aures. ex hoc eodem spiritu alterius problematis rationem reddit in secundo libro, propter quid nemo oscitãs aurẽ scalpit. fiant uero oscitationes, cum quispiam materiam in musculis imbibitam habet, uel sit flatuosa, uel spiritus uaporosus, musculi has materias excutientes ut exeant, os aperire cogunt.

φρίκην. idest, Horrorem.] de quo superius ubertim dictum est. fit à prauis humoribus, qui per cutem dimouentur.

οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος λύει τὴν νόσον. idest, uinum æquale æquali potũ ægritudinem soluit.] Galenus dicit intelligendum esse uinum aqua temperatum. duo enim habentur, uinum calidũ est, ideo resoluit materias. At aqua temperatũ facilius ad omnes partes penetrat. uel intelligamus uinum æquale æquali potum, idest, mediocre uinũ, quod temperate epotum sit: nam & ita sumptũ hæc tria soluere potest. Alludit fortasse ad antiquam diluendi uini stuperstitionẽ, quæ iubebat aut tres uini partes uni aquæ: aut tantundem utriusq; admisceri: plus aquæ neutiquam esse infundendum.

GALENVS

SOLOECOPHANES uisa est quibusdam rationabiliter figura sermonis, atq; ideo nonnulli casu accusatiuo, scripsere, Anxitudinem, horrorem uinum æquale æquali soluit. Nihil autem refert ad præsens utrauis scriptura aphorismus exponatur. Primũ cum illud sciri oportet quod halycen nominauit, quam multi Græci halen appellant, deinde & quæ sit faciens hunc casum dispositio. Dicunt igitur halyein, idest, anxitudinem habere illos sanos, qui semper præsentibus molestantur, & ab uno negotio, atque actione ad aliud transeunt. Eodẽ modo & ægros illos anxios esse aiunt qui accubitum non perferentes, figuras euariant, quia semper præsens aggrauat eos. Hoc uero præcipue illis euenire consueuit, quibus in ore uentriculi, quod nos abutẽtes uocabulo sępe solemus stomachum nominare, humoris aliqua propria qualitas continetur, uentriculo molesta, quæ neq; plurima est, neq; in uẽtriculi fluitat cauitate, sed eam ipsę imbibere tunicæ. Sed & oscitare sicuti & pandiculari, contenta aliqua in musculis per quos tales fiunt motus quos pãdiculationes, & oscitationes nominamus, uel humiditate flatuosa, uel spiritu uaporoso fieri est à nobis demonstratũ. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Liquet autẽ quod nunc à nobis habetur sermo de horrore,

qui ex corpore prouenit insalubri, & non de illo qui causam extrinsecus habet. Singu la igitur hæc quæ dicta sunt, potus uini meracioris sanat. Moderatam autem temperaturam ipse monstrauit inquiens, Vinum æquale æquali potum. aqua enim uidelicet uult uinũ æqua portione tẽperari, ut hæc quidẽ pellat, & euacuet ex materia infestante quicquid cesserit uini motui cũ impetu lati, reliquũ tẽperet. Calefacit eñi uinũ, ut nouimus, corpus totum, & cito mouetur ad oẽs partes, cum hoc ꝙ oẽs humores optimos reddit.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus notat Solœcophanem esse figuram sermonis. nonnulli sunt, qui uolunt in accusatiuo legi halycem, oscitationem, horrorẽ. at quia non est casus, qui conuenire uideatur, propterea solœcophanes est. Sẽsus uero est, halycẽ, oscitationẽ, horrorem, uinum æquale æquali potum soluere. At quia dicit, ægritudinem, propterea nomina prædicta in accusatiuo posita secundũ Galenum solœcophanẽ faciũt. habet aũt hæc figura solœcismi speciẽ, & ab aliquibus alio modo dicitur Allœosis, putãtq; per hanc figuram dictum esse apud Virgilium, Præneste sub ipsa, cum præneste sit generis neutri, at ille retulit ad ciuitatem. ita in proposito hæc accusatiua referuntur ad uerbum soluit.

Vbi legitur, anxitudinem, horrorem, deest oscitationem. nam Græce ita habetur ἀλύκην, χάσμην, φρίκην.

SECVNDO Galenus docet, quid sit halyce, dicitq; illam esse, quam multi Græci ἄλην, idest, halen uocant: & deinde dispositionem, quæ hunc casum facit, unde Græci ἀλύειν, idest, habere anxitudinem illos sanos dicunt, qui semper pręsentibus discruciantur, & ab uno negotio ad aliud transeunt. Ita etiam illi ægri sunt anxij, qui in uno situ, & in una iacendi figura stare non possunt, sed semper ab una figura aggrauati, figuras euariant: & hunc casum illi præcipue habent, quibus in tunicis oris uentriculi aliqua materia molesta quidem, sed pauca contenta sit.

Quod legitur, primum cum, legi debet, primum enim.

Quod etiam legitur, molestantur, Græce est δυσχεραίνονται.

Quod etiam legitur, Quæ neque plurima est, legendum, Quæ neq; multa. nam Græce habetur ὅτι πολλῆς.

TERTIO docet, oscitare esse materias flatuosas expellere, uel flatus uaporosos, quæ sunt in musculis, per quos fiunt motus, qui per electionem sunt, sicuti & pandiculari est eadem expellere.

Quod legitur, contenta aliqua in musculis, per quos tales fiunt motus, quos pãdiculationes & oscitationes nominamus, in Leoniceni codice, & in nostro antiquo hoc pręcise modo legitur, περιεχομένης τινὸς ἐν τοῖς μυσὶν δι᾽ ὧν αἱ κατὰ τὸ χασμᾶσθαι καὶ σκορδινᾶσθαι γίνονται κινήσεις. Sed nos putamus hanc lectionem non esse probandam, & Aldinum codicem potius probamus, in quo habetur περιεχομένης τινὸς ἐν τοῖς μυσὶν, δι᾽ ὧν καὶ κατὰ προαίρεσιν γίνονται κινήσεις, idest, contenta aliqua in musculis, per quos & fiunt hi motus, qui sunt per electionem.

QVARTO docet, horrorem fieri à prauis humoribus per cutẽ currentibus. unum uero hic notat Galenus, quod iste sermo de horrore sit, qui ex corpore νοσώδους, idest, insalubri uel ægro dependet, & non de illo horrore, qui causam extrinsecam habet. Singula igitur prædicta potus uini ἀκρατεστέρου, idest, meracioris sanat.

QVINTO Galenus docet, moderatam temperaturam ostendi, cum dicitur, uinum æquale æquali potum. nam uult uinum æqua aquæ portione tẽperari, ut quicquid cesserit motus uini cum impetu lati, id pellat, & euacuet, reliquum uero temperet.

SEXTO, uini dotes prosequitur. nam calefacit totum corpus, & ad omnes partes cito mouetur, & propterea humores bonos facit.

Quod legitur, Cum hoc quod omnes humores optimos reddit, Græce est μετὰ τοῦ χρηστοὺς ἐργάζεσθαι τοὺς χυμούς, idest, cum hoc quod humores bonos facit.

APHORISMVS. LVIII

QVibus in urinario meatu tubercula fiunt, his suppuratione facta, & eruptione, soluitur dolor.

Brasauolus

BRASAVOLVS

HIC aphorismus iterum ab Hippocrate libro quarto positus est, & est septuagesimus secundus. Eius autem sententia est; Quibus in urinaria fistula tubercula nascũtur, ijs impeditur urina, & dolor inducitur, qui non cessat, nisi posteaquàm suppuratione facta & eruptione exeat pus, & uia illa adeo aperiatur, ut urina exire possit.

ὁκόσοισι ἐν τῇ οὐρήθρῃ φύματα γίγνεται. idest, Quibuscunque in urinario meatu tubercula fiunt.] Quæ occupant ne urina transire possit.

Τούτοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύεται ὁ πόνος. idest, Iis suppuratione facta & eruptione, soluitur dolor.] Qui ex retentione urinæ inducebatur.

GALENVS

ET HVNC aphorismum in præcedentibus Hippocrates scripsit: nos autem exposuimus per hæc uerba scriptum, Quibus in urinario meatu tubercula fiunt, his suppuratione facta & eruptione, solutio.

BRASAVOLVS

GALENVS dicit, hunc aphorismũ superius scriptum esse, & ipsum exposuisse per hæc uerba scriptum; Quibus in urinaria fistula tubercula fiunt; ijs suppuratione facta & eruptione, solutio.

APHORISMVS LIX

QVibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

BRASAVOLVS

CEREBRI concussio, est magna cerebri commotio, quæ fit uel ob ictum supra caput, uel ob casum ab alto: præsertim quando quispiam ex dorso terram impegerit, ita ut spinalis medulla quæ cerebro adnata est, patiatur. Quicunque habent ita concussum cerebrum, quacunque de causa id factum sit, necesse est statim mutos fieri, & sensum atque motum amittere, & omnes uirtutes quæ per electionem fiunt. nam spiritus per neruos ad corporis partes peruenire prohibentur, & etiam ad sensuum instrumenta.

ὁκόσοις ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος. idest, Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum est.] Hoc est, uehemẽter commotum atque agitatum ob magnam percussionem, uel ob magnum casum.

ἀνάγκη ἀφώνους γίνεσθαι παραχρῆμα. idest, Necesse est statim mutos fieri.] Per mutos uero intellige non solum illos qui uocem amiserint, quos ἀφώνους ipse uocat, sed etiam illos qui habent uires omnes quæ per electionẽ sunt, amissas, & qui ob illam magnam commotionem motum & sensum amittunt.

GALENVS

ETIAM in hoc aphorismo, in quibusdam exẽplaribus possumus inuenire uerbum Mutos, scriptum in numero plurali, casu accusatiuo: in quibusdam uero Mutum, in numero singulari, per modum figuræ solœcophanis. Nihil autem hoc loco ad præsentia refert, si modo nouerimus quòd consuetudo Hippocratis ab uno accidente notissimo sæpius, scilicet à uocis amissione, nominare & ostendere illos qui nullum alium motum seruant secũdum electionẽ, uel nihil omnino sentiunt. Iacent aũt eodem modo quo apoplectici sine sensu, pariter & motu. Fit autem hoc & propter alias causas. Nunc uero cõcussionis cerebri Hippocrates meminit, & hanc ipsam talem fore ait totius corporis dispositionem. Concuti autem hoc modo cerebrum cõtingit, propter aliquem casum totius corporis uiolentũ ex locis altioribus factum. Tales enim casus solent in spinæ uertebris facere concussionem, quando ipsarum harmoniæ fuerint commotæ, spinalis uero medulla quæ in earum cauitate cõtinetur, laborauerit: cerebrũ uero ualde concussum periculum adduxerit, ne aliquis neruus eorum qui ab ipso nascuntur, abrumpatur, quod non minus & in ipso fit cerebro, & tãto magis quanto plus uacui loca habẽt, quæ ipsum circunstant, quod etiam uacuum magis est in senibus, quẽadmodum in tractationibus De sectionibus, diximus. Contrahitur autem uis animalis in seipsam in talibus dispositionibus à motu periculoso molestata: orta uero nonnulla quidẽ sufficienter

tenduntur: quædam uero ex parte distrahuntur, iuxta hoc, donec se rursus uis animalis collegerit, mutũ atq; immobile totũ iacet, quod ita afficitur animal. Si uero cerebrũ conuelli contigerit, aut secundũ aliquã eius partẽ conuelli, qui ita patiuntur, non referũtur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hanc particulam Mutos, in aliquibus exẽplaribus in plurali scriptã inuenimus in casu accusatiuo: in aliquibus in singulari Mutum. & si in singulari sit, est per modum figuræ solœcophanis: nam est uitium in sermone.

SECVNDO docet, hæc nihil referre, modo sciatur esse Hippocratis cõsuetudinem à uocis amissione, quod est notissimum symptoma, illos significare, qui nullum habent motum per uirtutem electiuam. hi enim iacent tanquam apoplectici, sine sensu pariter & motu: hocq; potest ob multas causas fieri. Nunc Hippocrates de eo solum loquitur, quod fit ob cerebri concussionem: & dicit in hoc casu ita corpus totum disponi.

TERTIO inquit, posse ita concuti cerebrum ob aliquem casum ab alto totius corporis. hi autem casus solent & in uertebris spinæ cõcussionem facere, quando ipsarum harmoniæ commotæ fuerint, & medulla spinalis, quæ in earum cauitate continetur, laborauerit: nam ipsa multum concussa, periculum est, ne aliquis neruus eorũ qui ab ipsa nascuntur, abrũpatur: quod non minus & in ipso cerebro fit, & hoc tanto magis, quanto plus uacui loca habent, quæ ipsum circunstant: hocq; uacuum magis est in senibus, sicuti in Aggressionibus anatomicis dixit.

Vbi legitur, In spinæ uertebris: adest particula καὶ, idest & in spinæ uertebris.

Quod uero legitur, Cerebrum uero ualde concussum periculum adduxerit: Græce est, διασεισθεὶς δὲ σφοδρῶς, εἰς κίνδυνον ἄγει ῥήξιος. idest, quæ (scilicet spinalis medulla) ualde concussa, periculum adducit. Postea sequitur, Ne aliquis neruus eorum qui ab ipso nascuntur, abrumpatur.

QVARTO docet, in tribus dispositionibus uim animalem in seipsam contrahi, à motu periculoso molestatam, & propter istud quiescit: sed illa quæ orta sunt, nonnulla læduntur sufficienter, quædam ex parte distrahũtur, quousq; uis animalis rursus se collegerit, & animal quod ita afficitur, mutum iacet. At si cerebrum auelli contigerit, uel secundum unam earum partium conuelli: hi qui hoc patiuntur, non referuntur, sed potius efferuntur ad tumulum.

Vbi legitur, A motu periculoso molestata: hæc uerba sequi debent, Et propter hoc quiescit. nam in Græco codice additur hæc particula, καὶ διὰ τοῦτο ἡσυχάζει.

Et quod dicit, Periculoso: Græce est, τῇ σφαλερᾷ.

Quod legitur, Orta: legerem, Ortorum autem. τῶν δὲ ἐκφύντων.

Quod etiam legitur, Distrahuntur: Græce est διασπῶνται, idest dilaniantur.

Quod etiam legitur, Iuxta hoc: legi debet, Et iuxta hoc. nam Græce est, καὶ κατὰ τοῦτο.

Quod etiam legitur, Conuelli contigerit: Græce est ἀποσπασθῆναι φθάσῃ, idest auelli præuenerit.

APHORISMVS LX

CORporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit, fames enim corpora siccat.

BRASAVOLVS

COMNVNE theorema est, Contraria contrarijs curari. At quia aliqua sunt, quę & si ut talia, contraria non sint, tamen quia oppositum operantur, propterea inter contraria numerari possunt, licet effectus per accidens sequantur. Qui igitur carnes humidas habent, siccitate ad mediocritatem deducũtur, quæ per se hoc facit. At si hunc famescere faciamus, nutrimento prius accepto exiccato, humiditas quæ in toto est, exiccari incipit. propterea iubet his adhibendam esse famem, qui carnes humidas habent. nam fames corpora exiccat, licet id per accidens faciat, & secundario, non per se & directe.

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς σάρκας ἔχουσι. idest, Corporibus humidas carnes habẽtibus] Sunt uero humidæ, carnes pituitosæ, molles, quæ ita suapte natura esse possunt, & ab ineunte

ineunte ætate, & etiam ex cibis sumptis: nam cibi in copia ingesti carnes humidas faciunt, præsertim si humidi sint

λιμὸν ἐμποιέειν. i. famem adhiberi conuenit] Non tamen diuturnam, sed famem, quantum conuenit. nam ut Hippocrates in libro De prisca medicina docet, Non minor est error, nec minus hominē lędit, si quis det minus, tardiusue q̄ satis est, et expediat: pars enim famis & inediæ plurimum in hominis natura potest, & ualentem facere, & infirmum, ac perimere.

λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα. i. fames enim corpora exiccat] quod per accidens fit. nam cum famescimus, si in fame perseueremus, naturalis calor qui pabulum nō habet, quo depascatur, carnium humiditatem exiccat.

GALENVS

QVOD quidem omnia quæ exiccant sint passionum humidarum remedia, manifestum, si quidem contraria contrariorū remedia sunt. Quod autem fames ex accidēti corpora exiccat, est minime dubium. Si enim aliquid defluit à corpore, sicuti & antea, nō amplius aūt ab alimēto suppleatur id quod fuerit euacuatū, necessariū est hoc modo corpus effici siccius, liquet. neq; in animalis corpore prius illæ partes absumuntur quæcunq; sunt humidiores, quando & ipse defluxus idcirco fit, quia quæ sunt in corpore extenuantur, atq; in uapores resoluuntur. Idq; ex duplici causa, extrinsecus quidem ab aere ambiente. Intus uero à calore natiuo. Quæ autem in latibulis iacent animalia, ut quæ neq; extrinsecus calefiant, neque intrinsecus, uel nihil, uel parum dissoluūtur: atque ideo nōnulla eorum, neq; egent alimento, nonnulla uero paucissimo omnino. Post præscriptos aphorismos alij duo fere in omnibus exemplaribus inueniuntur, cum hoc quod & huius libri expositores fere omnes eorū meminere, et quidā differentes fecere expositionibus ab illis quas antea scripserunt, neq; hoc ipsum adiecerūt, q̄ ijdem aphorismi superius sint scripti. Nos uero in quarto commentario illos exposuimus, parum uerbis differētes. Alter enim eorum qui nunc scripti sunt superfluo adiectum habet, ut deuorare non possit, sed uix. Alter uero contra, uacat uerbo uix, ut prior quidē sit talis. Si à febre habito, tumore non existente, in faucibus strāgulatio repente superueniat, & non possit deuorare, nisi uix, letale. Secundus uero sic, Si à febre habito collum conuertatur, & deuorare non possit tumore non existente in collo, letale. Priores uero quos dixi in quarto horum commentariorum fuisse expositos, ita se habebant. Si à febre habito tumore non existente, in faucibus strangulatio repēte superueniat, letale. Deinde qui deinceps sequitur, Si à febre habito collum conuertatur, & uix possit deuorare, tumore non existente in collo, letale. Quod igitur in priore aphorismo dictum est esse, superfluere nunc cōsideremus. Et enim id fieri uidimus ubi ægri omnino exitialiter à morbo haberentur. Quare siue nullo modo possint deuorare, siue uix, non existente tumore in faucibus, nam hoc licet perspicuo cognoscere, si plurimum os aperiatur, & lingua uersus mandibulam inferiorem prematur, In tali igitur constitutione, quod difficulter deuoretur causam esse suspicandum communionem tunicæ quæ subnata est ex partibus gulæ, et gutturis interioribus. nam ostensum est hanc cibo os permanente ipsam quidem trahi ad inferius, guttur uero totum retrahi superius. Tumescente igitur in gutture inflammatione, nonnunquam quidem nullo modo, quandoq; uero uix, uentriculum sequitur attrahentem: atq; ob hanc causam, uel nullo modo deuorat, uel uix.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, omnia auxilia quæ exiccāt, esse passionum humidarum remedia, per commune theorema, contraria contrarijs curantur.

Vbi legitur, quod quidem omnia quæ exiccāt, adde auxilia βοηθήματα, postea sequatur, sint passionum humidarum remedia.

SECVNDO docet, famem ex accidenti corpora exiccare. nam à corpore semper aliquid defluit & consumitur, & nihil additur per nutrimentum, ideo necesse est corpus effici siccius. Sed in hac descriptione certum est primo humidiores partes exiccari, nam & ita fit defluxus, quia partes quæ in corpore sunt extenuantur, & in uapores resoluuntur, idq; duplici fit de causa, ab aere ambiente extrinsecus, & à calore natiuo intrinsecus.

TERTIO, quia ambigere posset de animalibus quæ in latibulis iacent, & per totam hyemem non comedunt, tamen non exsiccantur extreme, dicit, ab extrinseco non calefieri, & parum etiam ab intrinseco, quia naturalem calorem paruum habent, propterea uel parum, uel nihil dissoluuntur, unde nonnulla eorum neque egent alimento, nonnulla paucissimo.

QVARTO Galenus duorum aphorismorum hic positorum mentionem facit, quos interpretes exponunt, tamen in quarto libro iterum expositi sunt. Sunt uero trigesimus quartus & trigesimus quintus eiusdem libri, propterea de his interpretibus iterum miratur, qui hos aphorismos exponant, & nullam mentionem fecerint, quod illos iterum in quarto libro exposuerint: & de his magis mirandum, qui hic aliter exponunt, quam in quarto libro fecerint. Sed ipse Galenus dicit, se hos aphorismos in quarto libro ex posuisse parum uerbis differentes. Tamen alter eorū qui hic scripti sunt, superflue adiectum habet, ut deuorare non possit, sed uix. alter uero cōmutatus habet uerbum uix, ut primus aphorismus sit talis, Si à febre habito tumore non existente in faucibus strangulatio repēte superueniat, & non possit deuorare, nisi uix, letale. Secūdus uero sic, Si à febre habito collum conuertatur, & deuorare non possit tumore non existente in collo, letale. Sed illi quos in quarto libro exposuerat, dicunt, Si à febre habito tumore non existente in faucibus strangulatio repente superueniat, letale. Postea si à febre habito collū conuertatur, & uix possit deuorare tumore non existente in collo, letale.

Quod legitur, alter uero contra, uacat uerbo, uix. legi debet, commutatus habet uerbum uix. nam Grçce est ὁ δὲ ἕτερος πάλιν ὑπαλλαγμένον ἔχει τὸ μόγις. Sed hoc est in antiquo nostro codice, quem in hoc loco mēdosum putamus, nam prçcise habet Leoniceni sensum, qui falsus est, nempe uerum non est, quod careat uerbo uix: immo illud habet, ut legenti patet. propterea magis probo Aldinū codicem, qui legit ut nos correximus, scilicet ὁ δὲ ἕτερος ἔμπαλιν ὑπαλλαγμένον ἔχει τὸ μόγις. Alter aūt rursus cōmutatus habet uix.

QVINTO cōsiderat, in priore aphorismo dictum esse superfluere. Id enim uidit fieri, quando ægri exitialiter se habent, ita ut non possint deuorare, uel uix, quando non adest tumor in faucibus. Quod si tu oculis cognoscere uolueris, iube ægrum aperire os, & preme linguam uersus inferiorem mandibulam.

Quod legitur, dictum est esse superfluere, lege dictum est esse superfluū, Græce περιέλκον εἴρηται.

Quod etiam legitur, Quare siue nullo modo possint deuorare, uel uix, Græce est ὡς μηδόλως δύνασθαι καταπίνειν, ἢ μόγις, idest, Ita qđ nullo modo poterāt deglutire, uel uix.

SEXTO causam reddit, cur in illo casu difficulter deuoretur, causa inquit est communio tunicæ quæ subnata est ex partibus gulæ & gutturis interioribus. nam hæc pars ad inferius trahitur, quando cibus per os permeat, & totum guttur superius retrahitur. Cum ergo inflammatio in gutture intumescat, quandoq; nullo modo, quandoque uix sequitur uentriculum attrahentem, unde ob hanc causam, uel nullo modo deuorat, uel uix. Nos multos uidimus hoc habere dum morerentur, & multos mori cum trāsglutiendi difficultate ex sola siccitate, quæ conuulsionem quandam ex inanitione fecerat.

APHORISMVS LXI

VBi in toto corpore mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

BRASAVOLVS

IN quarta huius libri sectione aphorismo quadragesimo hunc præsentem interpretati sumus, quando in toto corpore mutationes uidentur, quæ huius generis sint, ut corpus refrigeretur & calefiat, postea iterum refrigeretur: uel fiat modo nigrum, modo pallidum, modo rubrum, ita ut colorem in colorem transmutet, morbi longitudo significatur, quia etiam materierum diuersitas in hoc corpore significatur.

ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολή. idest, Vbi in toto corpore mutatiōes.] et si petas de quo genere mutationum loquatur, statim sequitur,

Καὶ τὸ σῶμα κατεψύχεται, καὶ πάλιν θερμαίνεται. idest, Et corpus refrigeratur, & rursus calefit.] Hocq; frequenter faciat.

Η χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλει. idest, Aut colorem alium ex alio commutat.] sæpe scilicet.

Μῆκος νόσου σημαίνει. idest, morbi longitudinem significat.] nempe significatur esse uarios humores heterogeneos, idest diuersarum naturarũ in hoc corpore, qui ita breui domari non poterunt, atq; euinci.

GALENVS

ET hunc aphorismum in quarto commentario exposuimus, ijsdem fere uerbis scriptum, quibus & hic. Est enim scriptura talis. Et ubi in toto corpore mutationes, & si corpus frigescat, uel rursus calescat, & si alius ex alio color fiat, morbi longitudo significatur.

BRASAVOLVS

GALENVS hic refert se interpretatum esse hunc aphorismum in quarto libro per eadẽ ferè uerba, qualia & hic sunt, scilicet Vbi in toto corpore mutationes, & si corpus frigescat, uel rursus calescat, & si alius ex alio color fiat, morbi longitudo significatur.

Quod legitur, in quarto commentario, legendum est in quarto cõmentariorum. nam græce dicitur ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ὑπομνημάτων.

APHORISMVS LXII

Sudor multus, calidus, uel frigidus, semper fluẽs, humorem abduci, robusto quidem supra, debili uero infra significat.

BRASAVOLVS

ETSI quadragesimus secundus huius libri aphorismus cum isto similitudinẽ quandam in principio sententiæ habere uideatur, tamen in fine longe diuersus est. Ille nanq; dicebat, sudorẽ multũ calidum uel frigidum, semper fluentẽ, frigidum magis, calidum minus significare morbũ. hic uero dicit, sudorẽ multũ calidũ uel frigidũ semper fluẽtem, significare humorẽ abducendum esse, sed ita abducẽdum, ut uiro robusto per superius, idest per uomitum abducatur, debili uero per inferius, idest per secessum. At an hoc uerum sit, ambigit Galenus, & putat fuisse adiectum hunc aphorismum. nulla enim est causa cur magis robusto per superius, quàm debili per inferius, cũ humores eò ducendi sint, quò uergũt, & quò facile euacuãtur. Nos aphorismũ in hunc sensum ducere possemus, Cũ sudor multus multã humiditatẽ & multũ humorẽ in corpore significet, uel calidus sit, uel frigidus, cũ semper fluat, hanc humiditatẽ à corpore abducendam esse significat. & quomodo? per sudorem, sed sudor hoc seruat quod robusti homines in partibus superioribus sudant, debiles uero in inferioribus & in extremis, quæ ob relaxationem potius sudant. tamen nec hic sensus uerus est, propterea cum Galeno dicamus, hunc aphorismum adiectum esse, sicuti multi alij adiecti sunt, & non esse Hippocratis.

Ἱδρὼς πολὺς θερμὸς, ἢ ψυχρὸς ἀεὶ ῥέων. idest, Sudor multus calidus, uel frigidus, semper fluens.] Hoc enim significatur humiditatum copiam esse in corpore, propterea indicat remoueri oportere. nam dicit.

Σημαίνει ὑγρὸν ἀπάγειν. idest, significat humorẽ abduci.] nã humorũ copiã significat.

Ἰσχυρῷ μὲν ἄνωθεν. idest, Robusto quidem supra.] debet hic humor duci.

Τῷ δὲ ἀσθενεῖ, κάτωθεν. idest, Debili uero infra.] scilicet hic humor abduci debet. At quia Galenus causam inuenire nescit, quare debili infra, robusto supra abduci debeat, propterea putat hunc aphorismum unum ex illis esse, qui huic libro additi sunt.

GALENVS

ANTEA alium aphorismum in quarto horum commentariorum exposuimus hoc modo scriptũ. Sudor multus, calidus, uel frigidus, semper fluens, frigidus maiorẽ, calidus minorẽ morbũ significat, & talium sudorũ diximus esse dispositionẽ, multitudinem humiditatis quæ in ægri corpore cõtinetur. Propterea igitur qui nunc proponitur

aphorismus, abduci præcipit superfluũ humorẽ, robustis quidẽ supra, hoc est per uomitus, debilib. aũt infra, quod & ipsum significat per alui inferioris subductionẽ. Quod quidem igitur semper sit necessarium superfluas corporis humiditates euacuare, manifestũ. Si uero robustis supra tantum, debilibus uero infra, mihi dignũ uidetur animaduersione: nam forte sit melius, nõ hac ratione distinguere remediorũ usum, sed ueluti in tractatione curatiua de talibus omnibus fuit à nobis distinctũ. Quare & hũc Aphorismũ arbitror fuisse adscriptũ. Post supra scriptos aphorismos, alij tres inueniũtur in plurib. exẽplaribus, qui pariter, & ab expositorib. scripti sunt, & parum uerbis euariant ab illis qui quarto horũ cõmentariorum habẽtur. Scribunt aũt eos hoc modo. Febres quæcunq; non intermittẽtes, tertia die fortiores fiunt periculosæ, quocunq; aũt modo intermiserint, significãt φ nõ sint periculosæ. Quibuscunq; febres lõgæ, his uel tubercula, uel ad articulos dolores decumbunt. Quibuscunq; tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decũbunt, hi cibo pleniore utũtur. Liquet aũt, φ et hi interiecti fuerũt, à priorib. nihil, aut parũ admodum uerbis differẽtes, nos uero ipsos exposuimus in quarto horum commentariorum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, in quarto libro alium aphorismũ exposuisse, qui ita dicebat, sudor multus calidus, uel frigidus, semper fluens: frigidus maiorẽ, calidus minorem morbũ significat. Ibiq; dixit, multitudinẽ humiditatis, quæ in ægri corpore cõtinetur, esse dispositionẽ taliũ sudorũ. unde hic aphor. iubet abduci superfluum humorẽ robustis quidẽ supra. i. per uomitus, debilib. uero infra, quod significat p alui inferioris subductionẽ.

SECVNDO docet, semper esse necessariũ superfluas humiditates euacuare. At an robusti semper supra, imbecilles autem infra sint euacuandi, Galeno uidetur animaduersione dignum. nam melius forte erit, non distinguere per hãc uiam, remediorum usum, sed ita distinguere, ut ipse dixit in libro De arte curandi. propter hæc ipse putat hunc aphorismum non esse Hippocratis, sed fuisse adiectum.

Quod legitur, si uero robustis supra tantũ: legi debet, si uero robustis semper supra tantum, nam græce habetur, εἰ δὲ τοῖς μὲν ἰσχυροῖς ἄνωθεν μόνον ἀεί. Robustis ex parte superiore solum & semper.

TERTIO Galenus docet, post prædictos aphorismos tres alios esse adscriptos in multis exemplaribus, sunt uero quadragesimustertius, quadragesimusquartus, et quadragesimusquintus libri quarti. Ipse uero hos non interpretatur, quia in quarto libro illos egregie interpretatus est.

APHORISMVS LXIII

SI quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic laboranti morbus

BRASAVOLVS

SI corpora non pura sint, sed ægra & male affecta, quanto magis illa nutries, tantò magis lædes. unde si quis cibum febricitanti dare uoluerit, ut is cibus homini sano uires reficit, ita laboranti morbum facit.

ἢν τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ. i. si quis cibum febricitanti dederit] Cibum scilicet abundantem, & qui corpus multum nutriat

τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχύς. i. ut sano robur] Scilicet ab hoc cibo fit.

τῷ κάμνοντι νόσος. i. sic laboranti morbus] Scilicet ab eodem cibo fit. Galenus ob sermonem putat hunc aphorismum non esse Hippocratis, sed esse adiectum, quoniam hoc genere sermonis uti non consueuit Hippocrates.

GALENVS

SCRIBITVR autem & sic aphorismus. Si quis febricitanti cibum dederit, sano quidem cibus est, laboranti uero morbus. utraq; uero locutio ab ea quæ secundum naturam, ad hoc quod cacozelum nominatur, interpretatione recessit, nescio quid sibi uolentibus illis qui ita libri finem tam uarijs modis disposuerunt, nõnulla quidẽ per eadem uerba scribentes, quibus ipse antea usus erat, nõnulla uero paululum cõmutantes, aliqua uero tota interponentes, ueluti hunc propositũ aphoris. qui neq; prope accedit ad Hippo. interpretationẽ. Ipse siqdẽ prius dixit. Nõ pura corpa quãto magis nutries, magis lędes: Et si ex morbo cibũ assumens aliquis non corroboratur significat corpus pluri uti alimento. Si

to. Si uero cibum non assumente hoc fiat, significat, quod euacuatione indiget, & quædam alia huiuscemodi quæ secūdum naturam habent interpretationem. Qui uero propositum apposuit aphorismum, male æmulando, in cibo dixit: Qui sano robur, hic laboranti morbus. Vult enim dicere cibum robur quidem in sanis efficere, nocere autem ægris: uel per Iouem, sanis quidem augere robur, morbum uero laborantibus. Absurde autem interpretatus est, inquiēs, Cibum ipsum robur esse sanis, morbum uero laborantibus, qui neq; robur est, sed roboris effectiuus, neq; morbus, sed morbi effectiuus, uel quod rectius sit dicere, auctificus.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus aliam huius aphorismi scripturam ponit, quæ est, Si quis febricitanti cibum dederit, sano quidem cibus est, laboranti uero morbus: sed uel sit prima scriptura, uel secunda hæc, differt à naturali Hippocratis sermone. nam hic qui ita imitatus est Hippocratem, fuit κακόζηλος, idest malus æmulator, malus imitator: nam non est mos Hippocratis ita dicere. Propterea de his mirat̃ Galenus, qui hos aphorismos adiecerunt, qui finem huius libri tam uarijs modis disposuerunt: nonnulla per eadem uerba scribentes, quibus ipse prius erat usus, aliqua parum immutantes, alia tota interponentes: sicuti est præsens aphorismus, qui neq; ad Hippocratis interpretationem propè accedit, si quis bene considerare uoluerit, quando de rebus huius propositi differit. nam uno in loco dicit, non pura corpora, quanto magis nutries, magis lædes. in alio loco: & si ex morbo cibum assumens quis non corroboratur, significat corpus pluri uti alimento. Si uero cibū non absumente hoc fiat, significat quod euacuatione indiget: & in alijs locis multa dicit Hippocrates, quæ habent germanam & natiuam interpretationem.

SECVNDO docet, eum qui præsentem aphorismum apposuit κακόζηλον, idest male æmulando modum loquendi Hippocratis dixit, in cibo qui sano robur, hic laboranti morbus: uult hic κακόζηλος, idest malus imitator dicere, cibum robur quidem in sanis efficere, ægris uero nocere. Aut hoc, sanis quidem augere robur, ægris uero augere morbum. At si hunc suum loquendi modum consideremus, absurde dicunt: nam cibus sanis non est robur, neq; est morbus laborātibus, sed est roboris effectiuus & morbi effectiuus, aut si rectius dicere uoluerimus, est auctificus morbi, & etiam roboris.

APHORISMVS LXIIII

QVæ per uesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minime similia sunt his, hæc morbosiora. Quæ uero sunt sanis similia, hæc minime morbosa.

BRASAVOLVS

HOC perpetuum est atq; indubitate uerum, apud Hippocratem, & omnes probos authores, quæcunq; sunt sibi sano similia, ea esse bona: quæ uero dissimilia, mala. Vnde & in primo Prognosticorum, faciem sano similem laudat: diuersam uero à se sano probris impetit. Quod in omni re intelligere oportet, & in excrementis, & in urinis, & in sputis, & in effigie, & in omni re alia. Et ideo cum alicui opem medicam præbes, ea inspicere oportet, quæ excernit, si talia qualia sani excernunt, uel ipsemet sanus, eijciuntur. nam quæ sunt sanis dissimilia, ea morbosiora esse constat: quæ uero sanis similia, morbosa non sunt. Tamen Galenus hunc aphorismum ex his esse iudicat, qui sunt suppositītij: non quia uerus non sit, sed quia Hippocratis phrasim non sapit: & quæ dicit morbosiora, dicenda erant morbosissima.

Τὰ διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα. idest, Quæ per uesicam excernuntur.] Vel urina sit, uel sedimēta, uel nebulæ, uel bullæ, uel humores, uel crassa sint, uel tenuia, uel alba, uel rubra, uel alterius cuiuscunq; coloris, uel fetida, uel redolentia, uel sabulosa, uel lapidosa, uel quæcunq; illa sint quæ per uesicam excetnuntur.

ὁρῆν δεῖ, ἢν οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. idest, Inspicere oportet, si talia qualia sanis excernuntur.] Vel sint ab his quæ sana sunt, longe dissimilia.

τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τούτοισι, ταῦτα νοσερώτερα. idest, Quæ igitur minime similia sunt his, hęc morbosiora] Imò ut Galenus docet, dicere oporteret hæc morbosissima esse: & quãto à naturali similitudine accedũt & recedũt, tanto sunt magis morbosa atq; minus.

τὰ δὲ ὁμοιότερα τοῖς ὑγιαίνουσιν. idest, Quæ uero sunt sanis similia.] In urinis, imò & in omni alia re, sit cuiuscunque generis illa.

ἥκιστα νοσερά. idest, Hæc minime morbosa.] Et quanto sunt magis similia, tanto sunt minus morbosa: si uero sint præcise talia, sunt sana.

GALENVS

OMNIA quæ sunt sanis similia in toto corpore, dictum est ab Hippocrate & in Prognosticis, & in omnibus alijs libris, bonum aliquod significare. Quæ uero dissimilia cõtrarium. Hoc igitur nunc conatur dicere, qui hunc composuit aphorismũ. Suspicor enim neq; hunc esse Hippocratis, ex ipsa elocutione, quæ non habet eandem cum Hippocratica formã, & ex dictis ipsis, quæ non æque sunt (ut ipsius authoris alia) exquisita. Cum igitur inquit, minime similia his hæc morbosiora: quis non reprehenderet ipsum dicentem illa Morbosiora, pro eo quod Morbosissima? Nam uerbum Minime, cum quadam exuperãtia dicitur, & multam significat ad id quod præter naturam, euersionem. Vnumquodq; enim quod præter naturam est, quãtum recessit ab eo quod secundum naturam, tantum habet prauitatem: quæ igitur minime his quæ secundũ naturam similia sunt, his quæ secundum naturã, contraria maxime, & ideo morbosissima.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, omnia quæ sunt sanis similia in toto corpore, ab Hippocrate & hic & in Prognosticis, & in omnibus suis libris iudicari bonum aliquod significare: quæ uero sunt dissimilia, contrarium.

SECVNDO docet, illum qui hunc aphorismum composuit (nempe non putat ab Hippoc. factum esse: nam eloquutio nihil habet cum Hippocratis elocutione, & etiam dicta ista non sunt ita exquisita, ut alia Hippoc.) id conari exprimere quod dictum est.

Vbi legitur, Ex ipsa elocutione: adde particulam conijciens: nam Græce dicitur, τῇ λέξει τεκμαιρόμενος οὐκ ἐχούσῃ τὴν αὐτὴν ἰδέαν ταῖς ἐκείνου. idest, ex ipsa elocutione conijciens, quæ non habet eandem cum Hippocratis formam.

TERTIO ostendit, legendum esse Morbosissima, non Morbosiora. nempe legendum est νοσερώτατα, non νοσερώτερα: quia hæc particula minime cum quadam exuperantia dicitur, & significat multam euersionem ab eo quod est præter naturam: nam quod est præter naturam, quantũ recedet ab eo quod est secundum naturam, tantam habet prauitatem. unde illa quæ sunt minime similia his quæ secũdum naturam sunt, sunt maxime contraria illis quæ secundũ naturã sunt: nam νοσερώτατα sunt. i. morbosissima.

APHORISMVS LXV

ET quibus deiectiones, si stare permiseris, & non moueris, ueluti strigmenta subsistunt: & si pauca, paucus est morbus: & si multa, multus. his confert alui purgatio, quod si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis tanto magis nocebis.

BRASAVOLVS

GALENVS hunc aphorismum adiectum esse iudicat: multæ enim sunt particulæ, quæ de alui deiectionibus ipsum loqui ostendunt, aliquæ de uesicæ excrementis uerba fecisse monent. Dicit uero, Qui deiectiones excernũt, & posteaquàm excretæ sunt, stare permittis, & non moues: in uasis autem fundo strigmenta appareant: si hæc strigmenta pauca sint, paucus est morbus: & si multa sint, multus est morbus. ijs uel sint pauca, uel sint multa strigmenta, alui purgatio confert. nam si uolueris non purgata aluo sorbitiones dare, hunc lædes: quia omnia in strigmenta & in prauos humores transiliunt, & quanto plures dederis sorbitiones, tanto magis nocebis.

Καὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα ἢν ἐάσῃς στῆναι, καὶ μὴ κινέῃς. idest, Et quibus subductiones si stare permiseris, & non moueris.] Noster tamen antiquus codex in prima lectione habet

bet ὑποχωρήματα, idest, deiectiões, intellige si stare permiseris in uase, in quo sunt excreta.

ὑφίσταται οἷον ξύσματα. idest, Veluti strigmēta subsistunt, in fundo, scilicet uasis. Sunt uero strigmenta, quæ à græcis ξύσματα à deradendo dicta sunt. in omni enim re ramentum, quod ex eius rasura exteritur, ξύσμα à græcis dicitur. Celsus uocat strigmenta, unde & in intestinorum difficultate, quando intestina abraduntur, & exit caro, & nescio quid adipis, & intestinorum abrasiones à Græcis hæc ξύσματα uocātur, à latinis ramenta, & à Celso strigmenta, de quibus in aphorismo intelligere possumus, tam in urinis, quàm in his quæ per aluum eijciuntur.

Καὶ ἢν ὀλίγα, ὀλίγη ἡ νόσος γίνεται, ἢν πολλὰ, πολλή. idest, Et si pauca, paucus est morbus: & si multa, multus.] Idest, si hæc strigmenta sunt pauca, morbus non potest esse intensus. Si uero sint multa, multus est morbus, & intensus.

Τουτέοισι ξυμφέρει ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην. idest, Iis confert alui purgatio, uel subducere aluum.] Noster antiquus codex in prima lectione habet ἀποκαθῆραι.

Ἢν δὲ μὴ καθήρας ποιήσας, διδῷς τὰ ῥοφήματα, idest, Quod si aluo non purgata dederis sorbitiones.] Aldinus codex habet διδῷς τὰ ῥοφήματα βλάψεις. idest, dederis sorbitiones, lædes. nam in prauum humorem omnes transibunt. Sunt uero sorbitiones cibus per modum potus acceptus.

Καὶ ὁκόσῳ ἂν πλέω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις. idest, Et quanto plures dederis, tanto magis oberis.] Nam praui humores tanto magis crescunt. Galenus uero iudicat hunc aphorismum non esse ab Hippocrate factum, quia eius modum non sapit.

GALENVS

PER aluum exeuntia solet Hippocrates deiectiones, ac subductiones, nominare, & propterea quidam hoc loco acceperūt eius sermonem, esse de his quæ per aluum euacuantur. Verum his aduersantur uerba illa quæ in sermone proponuntur, si stare permiseris, & non moueris. Hoc enim proprie conuenit humidis, atque ideo alij rursus in urinis eundem accepere sermonem. Vtrique uero diuisi, nonnulli scribunt subsistunt, nonnulli uero insistunt. Neutrum uero horum uerborū urinis repugnat, quia & per ea quæ subsistunt, & etiam ipsis insistunt, consueuimus, & præsentium aliquid, & etiam futurorum cognoscere. In alui autem excrementis uerbum, insistere, cōpetit magis: neque enim sicuti in urinis prompta est, atque expedita subsistentium cognitio, ita & in alui excrementis. In urinis & enim & ipsum uas ex uitro factum ostendit eorum quæ subsistunt naturam, & si in alio uase etiam continerentur, possumus id quod superfluitat abijcientes, sola subsistentia relinquere. In alui autem excrementis neutrum probabile. Rursus id quod deinceps dicitur, ueluti strigmenta, his quę per aluum excernuntur congruit, illis uero quæ quouis modo urinæ inferuntur, siue superius, siue inferius, non congruit. Nam quædam strigmentis similia per aluum sæpius excernuntur, & ita ea non modo Hippocrates sed etiam alij medici nominare consueuerunt, non tamē in urinis. Hic igitur tam nominum, quàm etiam uerborum usus improprius ostenditur, fuisse interiectus in præsenti aphorismo. Adhuc autem magis, cum dicit his conferre alui purgationem: neque enim simpliciter, neque quouis modo illi cuius strigmentis similia alui excrementa sunt, confert aluū purgare, sicuti neque hi qui ita affecti sunt, necessario lædūtur in aliquo, si cibum acceperint. Videmus si quidem cū alui inferioris excremēta biliosa fiunt, quædam similia strigmentis per aluum excerni, in quibus neque omnes læduntur sorbitiones accipientes, neque prius eos purgare est necessariū, si iam quidquid bilis inest fuerit euacuatū. Adhuc autem magis, neque si urinis aliquid inferatur, quod sit ueluti stigmenta, purgare conuenit. Accedit ad hoc quod difficile est formam agnoscere, qualem esse uelit eorum quæ ueluti strigmenta inferūtur urinis. Verum qui hos aphorismos interposuerūt, mihi uidentur ad hunc finem fecisse, ut sermonem confunderent, tanquā ęnigma quoddam, & ut multa indigeret inquisitione, in qua se ipsos eorum quæ dicuntur expositores constituentes, apud adolescentes laudem assequerentur. Quod autem omnes obscuri sermones dant sophistis garrulitatis occasionem, fiet tibi in hoc ipso aphorismo manifestum. Quidam enim eorū qui eum exposuere, aiunt non uetare Hippoc. quin dentur sorbitiōes hoc modo affectis, sed plures sorbitiones, cū dicat: quāto plura dederis magis lædes: quasi & nō alij quicūque indigent sorbitionibus, nō lædantur à pluribus, uel quasi

non

non consequatur ad illum qui dicit. Quanto plura dederis, magis nocebis, putare ex paucioribus minorem fore læsionem. Verum tamen propter malum interpretationis modum sophistis datur facultas inueniendi solutiones, & magis quando licuerit addere aliquid, uel adimere, & scribendo transponere, quod in obscuris sermonibus facere consueuerunt. Statim enim in hoc aphorismo quidam ipsum exponentes, coniunctionem Et abijciẽtes, quod alij sequentis aphorismi fecere principium, id huius fecere finem, ut sermo ita se habeat. Si uero aluo non purgata dederis sorbitionẽ, magis nocebis, & quibus infra cruda deijciuntur, quanto uidelicet plura dederis, magis lædes: deinde aliud initium facientes scribunt, quod ubi atra bilis inest, si plus, maior est morbus, si minus, minor. Plures uero expositores scribunt eo modo, quo sub scriptum est. Quibuscunque cruda infra deijciantur, atrabilis inest, si plura maior, si pauciora, minor est morbus. Dictum autem est antea, quod & alij quidam sunt, licitũ est enim in obscuris unicuique pro arbitrio scribere, cum nulla lex sit transcribentibus posita. Sæpius autem non propter obscuritatem, sed propter sermonis falsitatem coguntur aliquid addere prius inuentis, aut adimere, aut scripturam transponere: ueluti exempli gratia in hoc aphorismo, cuius uerba primi expositores aphorismorum, sicuti Herophilus Bacchius, & Heraclides, ac Zeuxis empirici, in hunc modum scripsere: Quibuscunque inferius cruda deijciuntur, atræ bilis sunt, si plura, pluris, si pauciora, paucioris. Quia uero hic sermo particulare quoddam interpretatur, dictus autem est tanquam ex uniuersali, ideo prębuit dubitandi occasionem, quia id quod dicitur, quantũ ad uerba attinet nullam habet quęstionem: cum eorum scriptor uelit ostendere quibus cruda deijciuntur, in eorũ instrumentis quę concoquendi uim habent, esse atram bilem ex qua refrigerata deterius concoquunt: & modum incoctionis secundum cruditatem, cui flaua bilis contrariũ agit. nam quæ propter eam incocta remanent, fumosa sunt. Quidam uero, & hunc sermonem etiam de urinis dictum arbitrantur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, Hippocratem consuetũ esse nominare ea quæ per aluum exeunt ὑποχωρήματά τε καὶ διαχωρήματα. idest, & subductiones, & deiectiones: unde aliqui intellexere aphorismum in alui deiectionibus. Sed contra hos faciũt illa uerba: si stare permiseris, & non moueris. nam hoc proprie conuenit humidis. propter hoc aliqui intelligunt aphorismum in urinis. sed & primi, & secundi rursus distinguuntur, quia aliqui scribunt ὑφίσανται, idest, subsistunt, alij ἐφίσανται, idest, superstant. sed neutrum horum uerborum urinis repugnat: nam per illa quę subsistunt, & per illa quę insistunt, consueuimus & aliquid præsentium & aliquid futurorum cognoscere. In alui autem excrementis uerbum insistere, aliquo modo magis competere uidetur. nam non est ita prompta in secessibus cognitio, sicuti in urinis: quia in urinis uas ipsum ex uitro factum eorum quæ subsistunt naturam ostendit, & etiam si in alio uase contineretur, possumus abijcientes id quod supernatat sola subsistentia relinquere. In alui autem excrementis neutrum horum probabile est.

Quod legitur, utrique uero diuisi, lege utrique uero rursus diuisi. græce enim est ἑκάτεροι δὲ πάλιν σχισθέντες. In gręco etiã alia uerba sunt, quę latine recte dici non possunt. quando enim dicit, nonnulli scribunt subsistunt, nõnulli uero insistunt, græce habetur: nonnulli scribunt ὑφίσανται, idest, subsistunt per υ in prima syllaba: nõnulli uero ἐφίσανται, idest, incumbunt per ε. alterum ab ὑπὸ, alterum ab ἐπὶ, descẽdit, mutata π tenui in φ aspiratam: quia ἵσαμαι habet flatilem hoc est aspirationem.

Quod legitur, uerbum insistere competit magis, lege uerbum insistere competit aliquo modo magis. grece enim est τὸ ἐφίσασθαι μᾶλλόν πως πρέπει. idest incumbit uel superstat magis congruit.

Quod etiam legitur, Id quod superfluitat abijcientes, potius legerem supernatat, quàm superfluitat.

SECVNDO quod dicitur ueluti alui strigmenta, excrementis congruit, quæ per aluum deijciuntur, sed illis quæ quouis modo urinæ inferuntur, siue superius, siue inferius, nõ cõgruit: quia per aluũ sæpe quædam strigmentis similia excernuntur, & eo modo & ab Hippocrate, & ab alijs medicis nominari consueta sunt, non tamen in urinis.

Tertio

TERTIO docet, usum improprium tam nominum quàm uerborum hic ostendere, hunc aphorismum esse adiectum. Sed hoc magis ostenditur, cum dicit, his conferre alui purgationẽ. nam neq; simpliciter, neq; alio quouis modo sunt purgandi illi quibus strigmenta exeunt per aluũ: imò neq; hi læduntur, qui habent in excrementis strigmenta si comederint: imò opus est comedant, & non possunt purgari. Videmus enim si alui excrementa sint biliosa, aliqua tanquã strigmenta exire, & si acceperint sorbitiones omnes non læduntur, neq; euacuari debent, si sola bilis sit euacuata. Adde, multo minus illos purgandos esse, in quorum urinis appareant strigmẽta. Adde etiam, difficile esse cognoscere formam, quomodo illa esse debeant quæ in urinis sunt ueluti strigmenta.

Quod legitur, Cum dicit his conferre aliam purgationem: legi debet, Alui purgationem, non Aliam: nam Græce est, ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην.

QVARTO putat, illos qui interposuere hos aphorismos id fecisse, ut sermonẽ confunderent, tanq; ænigma quoddam, & ut indigeret ille sermo multa inquisitione: unde ipsi postea facientes suas expositiones laudem apud adolescentes assequerentur.

QVINTO docet, omnes obscuros sermones dare sophistis occasionẽ πολυλογίας, idest garrulitatis, & multorum sermonum: quod probat per hunc aphorismum. nam aliqui expositores dixere, Hippocratem non prohibere dare sorbitiones in talibus affectibus, sed prohibet dare multas sorbitiones, cum dicat, Quanto plura dederis, magis lædes: quasi & quod illi qui indigent sorbitionibus, non lædantur à pluribus, uel quasi ad id non consequatur, Quanto plura dederis, magis oberis. Sed ob malum interpretationis modũ datur sophistis facultas inueniendi solutiones, & magis quando licet aliquid addere uel adimere, & scribendo transponere, ut in sermonibus obscuris fieri cõsueuit.

SEXTO docet, aliquos statim in hoc aphorismo ipsum exponentes coniũctionem & abijcere. alij faciunt principium sequentis aphorismi, id quod huius finem fecere: ut sit ita hic sermo, Si uero aluo non purgata sorbitionem dederis, magis nocebis: & quibus infra cruda deijciuntur, quanto plura dederis, tanto magis lædes. postea aliud principium facientes dicunt, Vbi atra bilis inest, si plus, maior est morbus: si minus, minor.

SEPTIMO docet, plures expositores eo modo scribere quo scriptum est, Quibuscunque cruda infra deijciuntur, quoniam atra bilis inest: si plura, maior: si pauciora, minor est morbus.

Quod legitur, Deinde aliud initium sumentes scribunt: Græce est, ἔπειτ' ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς πάλιν γράφουσι. idest, postea ab altero principio rursus scribunt. Est quidam codex, qui legit, Deinde aliter exponunt & scribunt.

Quod statim sequitur, Quod ubi atra bilis: illa particula Quod, uacat.

Vbi etiam legitur, Quibuscunq; cruda infra deijciuntur, atra bilis inest: deest particula, quoniam. legi enim debet, Quoniam atra bilis inest: nam Græce scriptum est, ὅτι χολῆς μελαίνης ἐνεστιν. Quibus cruda deijciuntur, signum est bilem atram inesse.

OCTAVO dicit, dictum esse, alios etiam esse qui aliter dicant: nam in obscuris unicuiq; pro arbitrio scribere licitum est: quia non est imposita aliqua lex transcribẽtibus. Sæpe autem non obscuritas sermonis, sed eius falsitas cogit aliquid addere prius inuentis, uel adimere, uel scripturam transponere. Et ne longe exempla petamus, in hoc ipso aphorismo antiqui eius interpretes, ut Herophilus, Bacchius & Heraclides ac Zeusis, qui fuere empirici, & interpretati sunt Aphorismos, hoc modo scribunt, Quibuscunq; inferius cruda deijciuntur, atræ bilis sunt: si plura pluris, si pauciora paucioris.

NONO docet, quia hic sermo particulare quoddam dicit, tamen dictus est tanquam ex uniuersali, & ueluti sermo uniuersalis. Propterea occasionem quandam dubitandi præbet. nam id quod dicitur quantum fit ratione ipsorum uerborũ nullam habet quæstionem. nempe author nihil aliud ostendere uoluit, quàm id quod quibus cruda deijciuntur, in eorum instrumentis, quę concoquendi uim habent, esse atram bilem, ex qua refrigerata deterius concoquuntur: faciuntq; illum incoctionis modum, qui secundum cruditatem est, quia multi humores crudi generantur: cui bilis flaua contrarium agit. nam illa quæ ob bilem incocta manent, κνισώδη, idest nidorem & graueolentiam habentia sunt. Quidam etiam sunt, qui intelligunt hunc sermonem de urinis. Tamen in Aldino codice hic ponitur, ac si sit distinctus à præcedente aphorismus.

Quod legitur, Et modum incoctionis secundum cruditatem: legi debet, Et modum incoctionis agunt secundum cruditatem. Græce enim est, καὶ τρόπον ἀπεψίας ἐργάζεται τὸν κατ' ὠμότητα.

APHORISMVS LXVI

EXcreationes in febribus non intermittentibus, liuidæ, sanguineæ, biliosæ, & fetidæ, omnes malæ. Cum uero bene excernuntur, bonũ est, & per uentrem, & per uesicam, & ubi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.

BRASAVOLVS

LIBRO quarto, aphorismo quadragesimoseptimo hunc aphorismum exposuimus: propterea non est opus in præsentiarum adamussim ea repetere quæ eodem loco dicta sunt. Sensus breuis est, In febribus non intermittentibus excreationes liuidæ, sanguineæ, biliosæ & fetidæ, omnes malæ sunt, & tanto peiores, quanto peius excernuntur. Cum uero bene excernũtur, bonum est: & quia excretio per multas partes fieri posset, ideo uel per uentrem fiat, uel per uesicam, bonum. Cumq; illa quæ deberent secedere, stant in corpore, & non purgantur, malum est.

Αἱ ἀποχρέμψιες ἐν τοῖς πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν. idest, Excreationes in febribus non intermittentibus.] Amplia uero hic excreationes ad omnia cuiusuis partis corporis excrementa.

Πελιδναὶ καὶ αἱματώδεες καὶ χολώδεες καὶ δυσώδεες, πᾶσαι κακαί. idest, Liuidæ & cruentæ & biliosæ & fetidæ, omnes malæ.] Quia significant malam affectionẽ uel corruptionem intrinsecam: & hoc præsertim si male excernantur.

ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς. idest, Cum uero bene excernuntur.] Et commode, & absq; impedimento.

ἀγαθαὶ καὶ ἐπὶ κοιλίην καὶ κύστιν. idest, Bonæ & per uentrem & per uesicam.] Et etiam per alias partes.

Καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένον, κακόν. idest, Et ubi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.] Ex his scilicet quæ secedere deberent, & non permanere in corpore, quia sunt mala. Ideo malum est si permaneant.

GALENVS

ET HIC aphorismus suprà scriptus est hoc modo, Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, sanguineæ, fetidæ, omnes malæ. Sed si bene excernitur, bonũ est, & per aluum inferiorẽ, & per urinas. Si uero aliquid per hæc loca excernitur quod non conducat, malũ. Nos uero ipsum exposuimus in quarto horũ cõmentariorũ.

BRASAVOLVS

GALENVS nihil aliud facit, quàm quod dicit, hunc aphorismum in quarto libro expositum esse: tamen finis aphorismi est aliquo modo diuersus: tu considera.

APHORISMVS LXVII

COrpora oportet ubi quis purgare uoluerit, fluida facere: & si supra, sistere aluum: si uerò infra, humectare.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismum in secundo libro interpretati sumus: est uerò nonus. tamen ab illo differt, quia in hoc addita est particula hæc, Et si supra, sistere aluum: si infra, humectare. Quando igitur quispiam corpora purgare uoluerit, idest medicamento purgante uti, prius debet fluida reddere corpora, idest uias præparare. & quia purgatio per uomitum, & per secessum fieri potest; nam frequẽter per uomitum purgabant antiqui: propterea

propterea si supra purgare uolueris, aluum sistere oportet: si uero per inferius, intestina humectanda sunt, & uia, per quas materia fluere debet.

Τὰ σώματα χρὴ ὅκου τις βούλεται καθαίρεσθαι. idest, Corpora oportet, ubi quis purgare uoluerit,] medicamento scilicet purgante.

Εὔροα ποιεῖν. idest, Fluida facere, uel bene fluida.] Quod est præparare uias.

Καὶ ἢν μὲν ἄνω, στῆσαι τὴν κοιλίην. idest, Et si quidem supra sistere aluũ.] scilicet oportet, quia si aluus fluida esset, euacuatio per superius apte fieri non posset. tamen opus etiã est uentriculum ad uomitum præparare, ut Galenus in libello, quos oporteat purgare, quando, & quibus medicamentis, ostendit.

Ἢν δὲ κάτω, ὑγρῆναι. idest, Si uero infra, humectare.] Hoc est, quando per infernas partes purgare uolueris, humecta intestina, ut materiæ facilius transcurrant. hoc autem & potionibus fit, & uictus genere.

GALENVS

Et huius sermonis pars prior fuit in præcedentibus scripta, non adiecto uerbo, supra, & sequentibus: quæ quispiam uolens adijcere hoc in loco, rursus scripsit aphorismum, cũ expositione per quã uerus esset. Quod autẽ sit altera expositio uerior, quam nos multa experientia inuestigauimus, dictum est superius in quarto cõmentariorum.

BRASAVOLVS

GALENVS docet, primam huius sermonis partẽ fuisse in præcedentibus scriptam, in nono inquam secundi aphorismo. fuit uero quispiam, qui secundam partem addere uolens, posuit etiam primam, unde hic aphorismus simul positus est cum expositione. tamen iudicat expositionem datam in secundo libro esse ueriorẽ, nam ipsam multa experientia inuestigauit. & quod dicit esse superius in quarto commentariorum, lege in secundo, quamuis omnes græci codices quos uiderim dicant, περὶ τὸ τέταρτον ὑπόμνημα, Quom περὶ τὸ δεύτερον sit scribendum.

APHORISMVS LXVIII

Somnus, uigiliæ, utraq; modum excedentia, morbus.

BRASAVOLVS

HIC EST tertius secundi libri aphorismus, qui in hoc solum differt, quia in illius fine dicitur malum: hic uero dicitur, morbus. Id uulgatum adagium habetur, nihil nimis. Si somnus sit præter naturam illius qui dormit, uel uigiliæ, malum significatur, quia omnia extrema sunt uitiosa. uel morbus est, quia hęc ab aliquibus intemperiebus quæ ægritudines sunt, pendent.

Ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα γινόμενα μᾶλλον τοῦ δέοντος, νοῦσος. idest, Somnus, uigiliç utraq; modum excedentia, morbus.] Nam fiunt ob aliquam malam affectionem quæ in capite est. Intellige modum excedere, sua natura, potestq; hic excessus esse tam in excessu, quàm in defectu.

GALENVS

Et hic aphorismus in quibusdam exemplaribus fuit interiectus, qui prius dictus est totus eisdem uerbis, preterquam in fine. hic enim morbus, illic autem malum scribitur, quæ est scriptura melior.

BRASAVOLVS

GALENVS docet, hunc aphorismum prius fuisse dictum, & in quibusdam exemplaribus fuisse interiectum solum in uno uerbo differentẽ, quia ibi dicitur malũ: hic, morbus. sed melior scriptura, inquit, est dicere malum, quàm morbus.

APHORISMVS LXIX

In febribus non intermittentibus, si exteriora frigent, interiora uruntur, & febris habeat, letale.

BRASAVOLVS

NOS hunc aphorismum libro quarto interpretati sumus, erat autem quadragesimusoctauus in ordine. Si in non intermittentibus febribus exteriora frigent, & interiora calent, necesse est esse magnam inflammationẽ, aut uires imbecilles effectas, propterea letale signum est.

Εν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖς. idest, In febribus non intermittentibus.] quarum materia in uenis continetur.

Ην τὰ ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται. idest, Si exteriora frigent, interiora uero calent.] Quod fieri non potest, nisi adsit magna inflammatio in uisceribus, & uirium imbecillitas. Inflammatio enim illa sanguinem & spiritum ad se trahit tanquam cucurbitula & partes extremæ frigidæ remanent.

Καὶ πυρετὸν ἔχῃ, θανάσιμον. idest, Et febrem habeat, letale.] Hanc particulam iudicat Galenus, & uere, superfluam. Quia si in principio dicat, in febribus non intermittentibus, cur in fine diceret, & febrem habeat? Tamen noster antiquus codex duas habet lectiones: prima est καὶ πυρετὸν ἔχῃ, quam habuit Galenus: secunda, καὶ δίψαν. idest, & sitim habeat: tuncq; hic aphorismus præcise idem est cum quadragesimooctauo quarti libri. Celsus libro secundo capite sexto de mortis indicijs agens dicit, Aut cui febre atque non quiescente exterior pars friget, interior sic calet, ut etiam sitim faciat.

GALENVS

ET HIC aphorismus incassum scriptus est, cum melius supra dicatur, sine uerbis illis, & febris habeat. Nam cum in principio dixerit, in febribus non intermittentibus, uana rursus in fine sermonis adiectio, & febribus habeat.

BRASAVOLVS

GALENVS docet, frustra adiectum esse hunc aphorismum, quoniam superius, in quarto scilicet libro, melius dictum est sine illis uerbis, Et febris habeat. Cum enim in principio huius aphorismi dictum sit, in febribus non intermittentibus, frustra additur in fine aphorismi, & febrem habeat. Tamen noster antiquus codex in secunda lectione habet, & sitim habeat.

APHORISMVS LXX

IN febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non uideat, si non audiat, & iam debilis sit, quicquid horum fuerit, mors prope est.

BRASAVOLVS

NOS & hunc aphorismum in quarto libro interpretati sumus, est uero quadragesimusnonus, si labra, aut nasus, aut oculus, aut superciliũ peruertitur, si non uideat, si non audiat, & debilis sit æger, quicquid horum fuerit, mors prope est. nam cito moriuntur, quia hæc imbecillitati iuncta, mortem in limine esse significant.

Εν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥὶς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ. idest, In febre nõ intermittente si labrum, uel nasus, uel oculus, uel supercilium peruertatur.] Quod fieri non potest, nisi ex magna illarum partium & cerebri siccitate.

Ην μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἀσθενὴς ἐόντος. idest, Si nõ uiderit, si nõ audierit, debili existẽte.] In aphorismo quarti libri dicitur, debili existente corpore.

Ο τι ἂν τούτων γίνηται. idest, Quicquid horum fuerit.] Tamen quanto plura sunt, tanto magis prope mortem sunt.

Εγγὺς ὁ θάνατος. idest, Mors prope est. Nam cum hæc fiunt, sunt in actu moriẽdi. Celsus capite sexto secundi libri de indicijs mortis agens, dicit, eademq; labra, & nares, oculiq; & palpebræ, & supercilia, aliquaue ex his peruertuntur, isq; ob imbecillitatem iam non audit, aut non uidet, eadem mors denuntiatur.

GALENVS

ET HIC aphorismus antea dictus est, his uerbis: In febre non intermittente, si labrum

labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non uideat, si non audiat, & iam debilis sit quicquid horum fuerit mors prope est.

BRASAVOLVS

NIHIL aliud facit in hac commentatione Galenus, quàm quod refert Aphorismum quadragesimum nonum quarti libri, qui idem est cum isto.

APHORISMVS LXXI

A pituita alba, aqua intercutem superuenit.

BRASAVOLVS

HVIVS aphorismi apud Galenum sensus est, qui per totum corporis habitũ albam pituitam habẽt, hi genus illud aquæ intercutis incidunt, quæ leucophlegmatia dicitur, quam & Anasarcam & hyposarcam uocant. Tamen nihil impedit & talem sensum huic aphorismo assignare: qui habent albam pituitam, idest illam hydropis speciem ita uocatam, processu temporis aquam intercutem incidunt, idest genus illud hydropis, quod ascites nuncupatur. Galeni sensum magis probo. quia illi qui hydropem carnosam incidunt, prius malum totius corporis habitum habent, & pituitę plenitudinem.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι. idest, A pituita alba.] Quæ, scilicet per totum corpus abundet.

Ὕδρωψ ἐπιγίνεται. idest, Aqua intercus superuenit.] Et cum tres sint aquę intercutis species, quę fit ab alba pituita leucophlegmatia uocatur.

GALENVS

QVOD dicitur tale est. Quibus in uasis, & in totius corporis habitu pituita alba fuerit aceruata, his aqua intercutem, quæ leucophlegmatias ab alba pituita nomen habet apud græcos, superuenit.

BRASAVOLVS

BREVIBVS à Galeno huius aphorismi sensus exprimitur, quibus in uasis, ut in uentriculo, iecore, intestinis, & in toto habitu corporis, in omniq; etiam capillari uena alba pituita aceruata fuerit, his illa aquæ intercutis species cõtingit, quæ à græcis à pituita alba leucophlegmatia nuncupatur.

APHORISMVS LXXII

Ab alui profluuio, difficultas intestinorum.

BRASAVOLVS

CVM quis alui profluuium habet, quod diuturnum sit, intestina paulatim exeduntur, & fit intestinorum difficultas, & hoc præsertim si alui profluuium fuerit deiectio sincera, hoc est bilis, uel atra bilis, uel salsa pituita, quæ sint impermixta aquosæ humiditati.

Ἐπὶ διαῤῥοίῃ. idest, Ab alui profluuio.] Quod diarrhœam uocant. est uero humorum profluuium.

Δυσεντερίη. idest, Intestinorum difficultas.] scilicet sequitur, quando diarrhœa perdurauerit, & præsertim si deiectiones sinceræ sint, ut superius exposuimus

GALENVS

A COMMVNI uidelicet subaudire oportet, superuenit, abrasis paulatim intestinis, deinde in profundum malo subeunte, atq; ita ulceratis. Prius uero in aphorismo legitimo melior scriptura est, hoc modo. A sincera deiectione, difficultas intestinorum, & nos hunc aphorismum exposuimus in quarto horum commentariorum.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet hoc Hippocratis dictum intelligendum esse, ut talia dicta

communiter intelliguntur, cum particula, scilicet superuenit. nam paulatim intestina abraduntur, deinde in fundum tendit exulceratio, intestinis autem exulceratis difficultas intestinorum uocatur.

Quod legitur, ablatis paulatim intestinis, græce est ξυομένων τῶν ἐντέρων κατὰ βραχύ, idest, Abrasis paulatim intestinis.

SECVNDO docet, in legitimo aphorismo, idest in eo, à quo hic depromptus est, meliorẽ scripturam esse hoc modo, A sincera deiectione difficultas intestinorum. Post hæc inquit, se hunc aphorismum exposuisse in quarto horum cõmentariorum. At hic mendosus est Galenus, & omnes greci codices, quos uiderim. nam aliqui legũt in quarto, ut Leonicenus habebat, alij in sexto, ut noster antiquus codex, & Aldinus habent ἐν τῷ ἕκτῳ, tamen nec est in quarto, nec in sexto, sed est uigesimustertius aphorismus huius septimi libri. propterea nos hoc modo legẽdum putamus ἐν τῷ ἑβδόμῳ, idest in septimo, & nos hunc aphorismum exposuimus in superioribus.

APHORISMVS LXXIII

A Difficultate intestinorum, leuitas intestinorum superuenit.

BRASAVOLVS

HVNC aphorismum partem esse aphorismi quadragesimitertij sexti libri iudicauit Galenus. nam cum intestinorum difficultas perseuerat, iecore male affecto uel aqua intercus, uel intestinorum leuitas superuenit, leuitas inquam intestinorum intestinis debilitatis, & ui concoctrice imbecilliore reddita.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ. idest, A difficultate intestinorum.] uel post intestinorũ difficultatem. Λειεντερίη ἐπιγίνεται. idest, Leuitas intestinorum superuenit.] quando diu perseuerauerit. Sed etiam potest superuenire aqua intercus, de qua tamen hic nullam mentionem facit.

GALENVS

ET HIC aphorismus est pars prius dicti, per hæc uerba. Qui lienosi à difficultate intestinorum corripiuntur, his superueniente longa difficultate intestinorum, aqua intercutem superuenit, aut leuitas intestinorum, & pereunt. Nos uero ipsum exposuimus in sexto horum commentariorum.

BRASAVOLVS

GALENVS dicit hunc aphorismum partẽ esse aphorismi quadragesimitertij sexti libri, in quo habetur, qui lienosi à difficultate intestinorum corripiuntur, ijs superueniente longa difficultate intestinorum, aqua intercus superuenit, aut leuitas intestinorum, & pereunt. hic igitur aphorismus nulla interpretatione indiget, quia in illo loco, scilicet in sexto libro à nobis expositus est.

APHORISMVS LXXIIII

A Corruptione abscessus ossis.

BRASAVOLVS

IN quacunq; nostri corporis parte corruptio fiat, uel in osse, uel in carne fit ossis abscessus consequitur. nam si corruptio in carne sit, & perseueret, necessariũ denicq; est os subiectum corrumpi, & male affici, & partem illam abscedere. Si etiam corruptio in osse sit, & non in carne, necesse est abscedat, & exsquametur, parsq; illa ab osse remoueatur, & superinducatur noua caro.

Ἐπὶ σφακελισμῷ (alij codices habent ἐπὶ σφακέλῳ, alij ἐπὶ σφακελίσμῳ.) idest, A corruptione & putrefactione.] ut superius de sphacelo uerba fecimus aphorismo quinquagesimoprimo huius libri.

ἀπόστασις

ἀπόστασις ὀστέου. idest, abscessus osis,] & exquamatio ipsius.

GALENVS

A COMMVNI hic quoque subaudiendum est, superuenit. Vtrum uero ad osis corruptionem, ipsius osis sequatur abscessus, uel carnis circunstantis, non manifestauit. Vtrunque autem potest esse uerum.

BRASAVOLVS

IVDICAT Galenus & hic subnectẽdam esse particulam cõmunem scilicet superuenit, sed an ad osis corruptionẽ sequatur abscessus, uel carnis circunstantis, non est dictum ab Hippocrate: tamẽ nos dicemus, utrunque uerum esse, nihil impedire, & quod ad corruptionem circunstantis carnis, & ad corruptionem osis sequatur osis abscessus.

Vbi legitur, Ipsius osis sequatur abscessus, In Aldino codice, & in prima lectiõe nostri antiqui legitur ἀπόστασιν. In secunda uero lectione nostri antiqui legitur ἀπόπτυσιν.

APHORISMVS LXXV

A Sanguinis uomitu, tabes, & puris purgatio supra.

BRASAVOLVS

IN Leoniceni pasim impresis codicibus hæc uerba, quæ præscripta sunt, Hippocratis aphorismum esse constat, tamen in Grecis omnibus codicibus multa alia adsunt uerba, quæ à Leoniceno in Galeni commentatione posita sunt. hic enim est secundum Græcam ueritatem aphorismus, ὑπὸ αἵματος ἐμέτου, φθόη καὶ τοῦ πύου κάθαρσις ἄνω, ὑπὸ τῆς φθόης ῥεῦμα ἐκ τῆς κεφαλῆς, ὑπὸ τοῦ ῥεύματι διάῤῥοια, ὑπὸ τῇ διαῤῥοίᾳ, σχέσις τῆς ἄνω καθάρσεως, ὑπὸ τῇ σχέσει, θάνατος, idest, à sanguinis uomitu phthisis, & puris purgatio supra, à phthisi fluxus ex capite, à fluxu alui profluuium, ab alui profluuio, adstrictio purgationis superioris, ab adstrictione mors. Ex his uidere potes, in Leoniceni aphorismo multa deesse, tamen si principium commentationis Galeni perlegeris, hæc omnia in illo contineri percipies. Forte in Leoniceni codice ita scriptum erat, ut illa uerba essent commentationi coniuncta, & non aphorismo. Illa igitur uerba, Aphorismo coniungas, & commentationis principium hoc facias. In pluribus exemplaribus, & apud plures expositores, & reliqua. Est ergo hic Hippocratis sensus, post sanguinis uomitũ phthisim sequi, quod simpliciter uerum non est. nam sanguinis uomitus fieri potest ex sanguinis redundantia à iecore, uel liene ad uentriculum. propterea opus est intelligere, quod per uomitum uelit sanguinem ex pectoris cauitate exeuntem, & qui à capite destillet, nisi fuerit uena in pectore disrupta, aut exesa. Sanguis enim, qui à capite destillat, potest & in uentriculum, & in pectus descendere. Si una pars ad uentriculum tendat, uomitum faciet: si deinde alia pars ad pectus meet, pulmonis exulcerationẽ facere nihil impediet, & tabẽ: deinde puris expuitio consequitur, & per superiora, idest, per os purgatio. Post hæc talem ordinem facit Hippocrates, à tabe sequitur ex capite defluxio, quod intelligi potest de capillorum profluuio tabem sequente, quando hi qui affecti prope mortem accedunt: & etiam de materierum defluxu à capite intelligi potest, & cum hæ materiæ ad uentriculum transeant per intestina, alui profluuium inducunt cum uero alui profluuium fit, purgatio, quæ per sputum erat, adstringitur. At cum in tabe hæc purgatio cessat, breui mors sequitur. Si quis modum procedendi huius aphorismi recte consideret, statim intelliget ab Hippocratis incessu aberrare, sed & ipsum unum esse ex adiunctis.

GALENVS.

IN TABE fluctio ex capite, in fluctione alui profluuium, in alui profluuio adstrictio purgationis superioris, in adstrictione mors. In pluribus exemplaribus, & apud plures expositores scriptum est, In sanguinis uomitu corruptio. In quibusdam tamen exemplaribus hæc habetur scriptura, In uomitu sanguinis, tabes. Videntur autem & hæc ex pluribus Hippocraticis enuntiationibus fuisse collecta, & corrupte composita, ab illis præcipue aphorismis: In sputo sanguinis puris, & fluxus, cum uero sputum retinetur moriuntur.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, In pluribus exemplaribus apud uarios expositores scriptum esse, In sanguinis uomitu corruptio. In alijs uero exemplaribus habetur, In uomitu sanguinis tabes.

SECVNDO docet, hæc quæ in hoc aphorismo dicuntur, esse collecta ex pluribus Hippocratis enuntiationibus, & corrupte etiam esse composita. Sunt uero decerpta ex illis aphorismis. A sputo sanguinis puris sputum, & fluxus, cum uero retinetur, moriuntur.

Quod legitur, In sputo sanguinis puris & fluxus, lege in sputo sanguinis puris sputū & fluxus. nam Grece est ὑπὸ αἵματος πτύσει, πύου πτύσις, καὶ ῥύσις. In exputatione sanguinis, puris exputatio, & fluxus.

APHORISMVS LXXVI

QValia fuerint uesicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à natura corpus exierit, si parum, paucus est morbus: si multū, multus: si ualde multum, letale est.

BRASAVOLVS

DILIGENS medicus omnia contemplari debet quæ circa ægrum contingunt, & præcipue excrementa. At quia excrementa per uesicam, per aluum, per sudorem, per os, per nares, per aures, per oculos exeunt: propterea hæc omnia diligenter consideret. nam si pauca sint quæ excernuntur, & parum affecta, paucus est morbus. Si multa, & multum affecta, multus & uehemens est morbus; si ualde multa sint, & ualde affecta, lethale est.

ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖς περὶ τὴν κύστιν, καὶ ἐν τοῖς περὶ τὴν κοιλίην ὑποχωρήματα. idest, Qualia fuerint & in his quæ per uesicam, & in his quæ per aluum excremēta.] idest, Quam habuerint qualitatem, & quanto ipsa abundauerint.

Καὶ ἐν τοῖς περὶ τὰς σάρκας. idest, & in his quæ per carnes,] ut sunt sudores.

καὶ ἤν πη ἄλλη τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα. idest, & sicubi alibi à natura corpus exierit,] scilicet uel per nares, uel per palatum, uel per aures, uel per oculos, uel per uterum, uel per hæmorrhoidas.

ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίγνεται. idest, Si parū, paucus est morbus.] hoc est si id quod exit, sit parum, & paucam habeat affectionem, malum. nam posset esse parum, & pessime affectum.

ἢν πολὺ δὲ, πολλή. idest, Si multum, multus,] scilicet est morbus.

ἢν πάνυ πολὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον. idest, Si ualde multum, tale lethale est.] Intellige uero ualde multum & in qualitate, & in quantitate. In quantitate, quo ad molem: in qualitate, quo ad malitiam.

GALENVS

HIC ultimus aphorismus in multis exemplaribus scriptus est, in quibusdam uero, & alij adiecti sunt, apparati eodem modo quo & illi omnes quos decurrimus ex legitimis existentes, adeo quod nonnulli eisdem uerbis scribuntur, nonnulli parum uariantes, nōnulli parua facta adiectione, similes sunt his quos scripsit Hippocrates. Quare nos neq; ipsos duximus adijciendos, nam neq; hic statim propositus aliquid plus nobis ostēdit his quæ sæpius Hippocrates manifestauit. Sed & modus interpretādi, haudquaquam Hippocrati conuenit, nam qualia uesicæ fuerint, aut alui excrementa, redditione indigent. Summa tamen ut dixi uera est, nam si paruus sit à natura exitus in quauis parte, minorem morbum, si uero plus maiorem, si uero admodum multus sit à natura recessus, mortalem debemus morbum iudicare.

BRASAVOLVS

PRIMO Galenus docet, hunc ultimum aphorismum in multis exemplaribus esse scriptum. In alijs autem exemplaribus alios multos aphorismos esse adiunctos. Immo nos non uidimus aliqua Græca Hippocratis exemplaria, in quibus non sint multi alij aphorismi

aphorismi, quorum nos statim mentionem faciemus in alio libro, quem octauũ Aphorismorum librum nuncupabimus. At Galenus aphorismos illos commẽtari despexit. quoniam, inquit, eodem modo apparati sunt, quo & illi legitimi à nobis interpretati. nam aliqui eisdem uerbis scribuntur, alij parum uariantes, alij parua facta adiectione similes sunt illis, quos scripsit Hippocrates, ob id Galenus iudicat non esse adijciendos.

Quod legitur, Quos decurrimus, Græce est, ὃς διεληλύθαμεν.

Quod statim sequitur, ex legitimis existentes, in nostro antiquo codice duæ sunt lectiones. prima eadem est cum illa Leoniceni, scilicet ἐκ τῶν γνησίων ὄντες: secunda est, ἐκ τῶν γνησίων οὕτως, idest, ex legitimis sic. Sed Aldinus codex utrasq; particulas ponit hoc modo, ἐκ τῶν γνησίων ὄντες οὕτως, idest, ex legitimis sic existentes.

SECVNDO docet, neq; aphorismum, quem interpretandum suscepimus, aliquid plus dicere, quàm aliàs ab Hippocrate ostensum sit.

TERTIO ostendit, modum interpretandi huius aphorismi Hippocrati non conuenire. nam opus est explanare qualia fuerint alui, & uesicæ excrementa. Tamen aphorismi summa est uera, quę talis est: si exitus à natura in quauis parte sit paruus, morbus minor est: si uero admodum multus sit à natura recessus, morbus est letalis. Tu intellige errorem esse in quantitate atque qualitate.

Quod legitur, Si uero plus maiorem, legendum est maior, ut correspondeat particulare paruus. nam Græce dicitur, ἢν δὲ πλέον, πολλὸν ἀπολυπτέον.

LIBRI SEPTIMI
FINIS

AD MAGNIFICVM COMITEM NICOLAVM TASSONVM ESTENSEM ANTONIVS MVSA BRASAVOLVS

OMNES ferè qui nostri huius libri, Magnifice Comes, inscriptionem legunt, non sine causa admirantur, & intra se mussitãt, cur ego septem librorum interpretationem pollicitus, octo nunc præstem: & quomodo nunc prodeant octo aphorismorum libri, uel sectiones, cum hactenus septem extiterint, & non plures: immo & Galenus integer Hippocratis interpres solas septẽ sectiones interpretatus sit, & nullos alios esse Hippocratis aphorismos asseruerit ab his quos interpretatus est. Verum hi ex tam leui inscriptionis lectione, in admirationem uerti non debent, nisi librum ipsum perlegerint. Quod si fecerint, statim deprehendẽt, hunc octauum librum Hippocratis aphorismis suum numerum non auferre. Nempe uerorum Hippocratis aphorismorum septem solum sunt libri. Nos uero in octauo aphorismos illos reiecimus, atque exposuimus, quos interpretandos prætermiserat Galenus, quoniam ab Hippocrate non editos, neque in ordinem collectos putaret. Immo ferè perierant. Nos igitur ne deinceps perire possint, uel Hippocratis sint, (quod tamen non putamus) uel alterius, eos ita digessimus, ut uides, neq; nobis graue erit, etiam si supposititio partu nati sint, eos referre, ut eorum sententias euitare possimus, si quandoq; tanquàm ab Hippocrate dicti in disputationem adducentur. Prius igitur octauum librum legant, quàm insolitam inscriptionem admirentur. At cum nouerim te, Comes Magnifice, esse nouarum rerum sedulum inquisitorem, statuimus hoc opus noua fœtura apud me natum, in tui nominis decus emittere: quod & si breue ac exile, idem tamen nouum est, & nunquàm prius in hunc ordinem redactum. Accipe igitur munusculum ab amici & tui amantissimi manu traditum: quod si pro tua consuetudine serena ista fronte exceperis, magnas mihi faces admouebis, ut in tui gratiam in posterum maiora ac meliora comminiscar. Vale.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS IN OCTAVVM LIBRVM APHORISmorum librum Commentaria.

NVLLVM VIDIMVS AD HÆC VSQVE TEMpora Græcum Hippocratis codicē, in quo plures alij aphorismi non scriberētur, ab his quos Galenus in septem enarratis libris interpretatus est: imò & ipsemet in Commentatione ultimi aphorismi septimi libri hoc idem fatetur. Ob tria uero eorum expositionē prætermisit. Primo, quia idem dicūt præcise in aliquibus quod dictum est, & eisdem prope uerbis scribuntur. Secundo, quia si euarient, parum euariant. Tertio, quia aliquo addito in eundem sensum facile ducuntur. At nobis utile uisum est, omnes hos Aphorismos quos Galenus prætermisit intactos, in unum congerere, & breuissimis uerbis interpretari, ne uel tantillum ex his quæ ad hunc librum spectant, in terram cadat, aut inconsideratum prætermittatur. An uero Hippocratis sint, uel non sint, in præsentiarum disputare non est opus. Illos qui falsi erunt, Hippocratis non esse constabit: qui autem ueri, si quicquid indicant, cōmodissime expresserint, Hippocrate digni erunt. Hunc uero ordinem in præsenti expositione seruabimus. Primo aphorismum, ut in Græcis codicibus scriptus est, proponemus. Deinde in Latinam linguam uertemus. Postea, expositionem nostram subscribemus. In quibusdam Aphorismorum Græcis codicibus, ante sequentes aphorismos scriptum est, ἐντεῦθεν οἱ νόθοι idest, Hic nothi & spurij, scilicet aphorismi, incipiunt.

APHORISMVS PRIMUS

Ὁκόσοι ὑπὲρ τὰ τεσσαράκοντα ἔτεα φρενιτικοὶ γίνονται, οὐ πάνυ τι ὑγιάζονται. ἧσσον γὰρ κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος καὶ τῆς ἡλικίης ἡ νοῦσος ᾖ.

QVi supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non omnino sanantur: minus enim periclitantur, quorum & naturæ & ætati morbus sit conueniens.

BRASAVOLVS

PHRENITIM à biliosa materia fieri, in tertio libro ostendimus. At bilis (ea scilicet de qua in præsentiarum sermo est, quæ flaua est) in iuuenili ætate atq; uigenti abundat. In primo senio, in quo calor diminui incipit, imò iam diminutus est, biles cessant, & amplius non generātur, nisi modice. Quum uero ab Hippocrate dictum sit, morbos illos minus periculosos esse, & facilius curari qui ætati conueniunt, tempori & consuetudini: qui uero his non cōueniunt, magis periculosos esse, & difficilius curari. At quū phrenitis morbus sit biliosus, in iuuentute fieri congruum est, atq; conueniētius, quàm in primo senio, uel in ætate etiam prouectiori. Nam in iuuentute & uigenti ætate bile abundamus, in senio minime. Ob eam rem si phrenitis supra quadraginta annos fiat, rari sunt, qui euadere possint. nam morbus est qui non conuenit naturæ, neq; ætati, uel saltem ætati. ideo minus sanantur, quippe ægri illi minus periclitantur, quorum & naturę & ætati morbus sit conueniens: idest, non sit præter ætatem, sed ab eo humore dependeat, qui in illa ætate uiget. Antiquum quendam codicem incidimus, in quo hoc solum de hac sententia scriptum est, ὁκόσοι ὑπὲρ τεσσαράκοντα ἔτεα φρενιτικοὶ γίνονται, οὗτοι οὐ πάνυ σώζονται. idest, Qui supra quadraginta annos phrenitici fiunt, non adeo seruantur. Nihilq; aliud adest: quod magis probamus.

APHO-

APHORISMVS II

OΚόσοισιν ἐν τῇσιν ἀῤῥωστίῃσιν οἱ ὀφθαλμοὶ κατὰ προαίρεσιν δακρύουσιν, ἀγαθόν. ὁκόσοισι δὲ ἄνευ προαιρέσεως, κακόν.

QVibuſcunque in morbis oculi ex cauſa illachrymant, bonum: quibuſcunque autem ſine cauſa, malum.

BRASAVOLVS

NON eſt opus hunc aphoriſmum interpretari, quum de eo ubertim actum ſit libro quarto, aphoriſmo quinquageſimoſecundo. Tu illuc reuertaris, ubi integram expoſitionem habebis. Illud ſolum adnotare conuenit, in aliquibus codicibus non legi ἀγαθόν, ſed οὐ κακόν, ideſt non malum: quod magis probo.

APHORISMVS III

OΚόσοισι ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἐοῦσιν, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῇ, πονηρόν.

QVibuſcunque in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit, malum eſt.

BRASAVOLVS

OB ID forte malum eſt, quia quum quartana febris ab atra bile fiat, cuius frenum eſt ſanguis, ſicuti etiam bilis frenum dicitur, eo exeunte, atræ bilis frenum exit: propterea malum eſt: & etiam quia ex ſanguinis defluxu uires imbecilliores redduntur: nam opus eſt intelligere defluxum effatu dignum, quia ſi parum quid flueret, nihil referret: tamen & è naribus & hæmorrhoidibus prodire, idem eſt.

APHORISMVS IIII

IΔρῶτες ἐν τῇσι κρισίμοισιν ἡμέρῃσι γινόμενοι σφοδροὶ καὶ ταχέες, ἐπικίνδυνοι, οἱ ὠθεύμενοι ἐκ τοῦ μετώπου, ὥσπερ σταλαγμοὶ καὶ κρουνοὶ καὶ ψυχροὶ σφόδρα καὶ πολλοί. ἀνάγκη γὰρ τὸν τοιοῦτον ἰδρῶτα πορεύεσθαι μετὰ βίης καὶ πόνου ὑπερβολῆς, καὶ ἐκθλίψιος πολυχρονίου.

SVdores in diebus iudicatorijs, uehementes & celeres ſi fiant, periculoſi: præſertim qui ex fronte tanquam guttæ & fiſtulæ ſalientes pelluntur, frigidique ualde atque multi, neceſſe enim eſt talem ſudorem, multa ui & labore & longa expreſſione exire.

BRASAVOLVS

SI Hippocratis loquendi modum conſideremus, ſtatim nobis exploratum compertumque erit, hunc aphoriſmum non eſſe Hippocratis. Tamen ſi alicui magis curioſo in rectum ſenſum deducere placuerit, id dicat, Si in diebus iudicatorijs magni & celeres ſudores contingant, quum natura mutationes repentinas non ferat, ſed ipſa paulatim incedat, ob id periculoſi ſunt: & maxime periculoſi, ſi à fronte adeo copioſi exeant, ut uideantur canaliculi. nam ſignificatur magnam materiæ copiam in capite eſſe, uel in ipſum defluere: & tunc potiſſimum malum ſignificant, ſi ualde frigidi ſint, quia frigidi eſſe non poſſunt, niſi ex magna frigidæ materiæ copia, & uirium imbecillitate: nam hi ſudores exire non poſſunt, niſi cum multa uiolentia atque labore: neque exire poſſunt, niſi per longam & uehementem expreſſionem.

APHORISMVS V

EΠὶ χρονίῳ νοσήματι ἡ κοιλίης καταφορὴ, κακόν.

POſt longum morbum, alui defluxio, malum. Vel,
In morbo diuturno fluxa aluus, malum.

BRASAVOLVS

HÆC inquam defluxio malum portendit, quoniam significat concoctrices uires adeo imbecillas esse, ut earum officio fungi non possint, & relaxatas id prodire, quod absque coctione insumitur. Tamen si interpretemur καταφορὴν, idest depressionem, tunc malum est, quia significat magnam extenuationẽ harum partium, & talem ut uix possit æger restitui.

APHORISMVS VI

ΟΚόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται. ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται. ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα.

QVoscunque morbos medicamẽta non sanant, ferrum sanat: quos ferrum non sanat, ignis sanat: quos uerò ignis non sanat, hos sanari non posse putato: uel hos incurabiles existimari oportet.

BRASAVOLVS

HIC aphorismus in ulceribus potissimum uerus est, quando ulcera putrida sint, & mali habitus, adeoque exedentia, ut nullis medicamentis sanari possint. Intellige uero medicamenta tam quæ euacuant, quàm quæ exterius applicantur, qualia unguenta & cataplasmata, pulueres, & eiusdẽ generis reliqua. cum ulcera in curatione habeamus, quæ medicamentis sanari non possint, ad ferrum transeamus, & id quod corruptum est, abscindamus, ut in carcinomatibus fit in illis locis, in quibus abscisio fieri potest. At si ferrum, incisio ue satis nõ sint: nam adhuc mala qualitas putrida perseuerat, igne uti oportet: quippe qui putrentes qualitates puriores reddat, quæ in aliquibus nostri corporis partibus insunt. At si nec ignis ipse putredinem euincere potuit, atque domare, statim hunc sanari non posse iudicabimus, & cum præfatione aliqua honestiori à curatione desistemus.

APHORISMVS VII

ΦΘίσιες μάλιστα γίγνονται ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν μέχρι τριήκοντα καὶ πέντε.

TAbifici morbi, uel tabes, à decimooctauo anno usque ad trigesimumquintum potissimum gignuntur.

BRASAVOLVS

HIC est nonus quinti libri aphorismus nunc iterum repetitus. Tu in eo loco expositionem quære.

APHORISMVS VIII

ΤΑ δὲ κατὰ φύσιν γιγνόμενα κατὰ φθίσιν, πάντα μὲν ἰσχυρὰ, τὰ δὲ καὶ θανατώδεα. δεύτερον δὲ ἦν μὲν ἐν τῇ ὥρῃ νοσέῃ αὐτὴ ἡ ὥρη ξυμμαχέει τῇ νούσῳ, οἷον καύσῳ θέρος, ὑδρωπικῷ χειμών. ὑπερνικᾷ γὰρ τὸ φυσικὸν, φοβερώτερον δὲ σπλὴν.

QVæ secundum naturam ad phthisin uergunt, omnia quidem uehementia. Quædam etiam lethalia. Secundum autem erat morboso in tempore: quando ipsa hora morbo opitulatur. Sicuti ardenti febri æstas, hydropico hyems: superuincit enim quod est à natura: idque spleni plus affert timoris.

BRASAVOLVS

SI HIC idem uelit Hippocrates, quod alibi ab ipso dictum est, uerus erit aphorismus, scilicet minus periclitari ægrotantes, quando morbi tempori conueniunt, magis quando non conueniunt: ut si in æstate febris biliosa contingat, magis conuenit, & facilius curatur, quàm si in hyeme contingat. E contrario, si in hyeme fiet pituitosa, magis conuenit, quàm si in æstate contingeret. Nam quum morbi in oppositis temporibus fiunt, non possunt nisi à uehemẽtiori causa contingere. Nec simpliciter uerum est, Ea quæ naturaliter sunt, partim mitia esse, partim uehementia, partim mortifera. Nam quæ naturaliter fiunt, semper mitia sunt: nisi in hoc sensu intellexerimus, quòd etiam ægritudines quæ fiunt in tẽporibus sibi proportionatis, ut febris biliosa in æstate quandoq; est mitis, quandoq; uehemens, quandoq; mortifera. Verumtamen facta comparatione huiusmet febris in eodem gradu ad eandem in hyeme, semper illa quæ hyeme apprehẽdet, erit minus mitis, uel magis uehemens, uel magis mortifera. Hanc ob causam si nobis curæ sit hanc sentẽtiam in hunc sensum ducere, opus est dicamus aliqua tempora conuenire ægro, aliqua morbo. Ardens febris si in æstate fiat, illi fauet æstas, tamen æstas non fauet ægro. Vnde ratione morbi æstas fauet, quia uehementem accessionem facit: sed ægro non fauet: quia si æger eo tempore hyemem habere posset, hyems illi magis conueniret. E contrario, aquæ intercuti fauet hyems, sed habenti aquam intercutem non fauet, imò est illi contraria, & lienoso est magis uerenda. Quippe theorema illud uerum est, Naturale semper uincere. Si ita intelligamus, hæc sentẽtia in uerum sensum deducetur: tamen non erit digna Hippocrate, alioqui in dicendo breui atque celebri. In hac uero expositione, Rauennatis interpretationem sequuti sumus: tamen Græcus codex aliam habet sententiam, hanc scilicet, Quæ secundum naturam ad phthisin uergunt, omnia quidem uehementia, quædam etiam letalia. Secundum autem erat morboso in tempore, quando ipsa hora morbo opitulatur: sicuti ardenti febri æstas, hydropico hyems. Superuincit enim quod est à natura, idq; spleni plus affert timoris. Si recte consideres, alia est hæc Hippocratis sententia, quàm à Rauennate sit relata.

APHORISMVS IX

ΓΛῶσσα μελαινομένη καὶ αἱματώδης, ὅταν τούτων ἀπῇ τῶν σημείων, καὶ τὸ πάθος ἀσθενέστερον δηλοῖ.

LIngua nigra atque cruenta, quum quid horum signorum abest, malum ualidum non est, & imbecilliorem luctum significat.

BRASAVOLVS

LINGVA ob uehementem earum partium quæ circa os sunt, atque caput siccitatem nigra fit, quod in omni morbo pessimum est signum, & præsertim in febre. At si lingua non sit nigra, febris uehemens esse non potest, sed mitior est. Nam uehemens febris (nisi destillatio ad os descenderit) semper oris nigrorem atq; linguæ facit, & ariditatem. idq; semper in febribus malum iudicauit Hippocrates. Oppositũ uero, idest non esse nigram & aridam, salutem quidem non significat, sed ægritudinem non esse multum uehementem ostendit: & hoc præsertim quum destillatio ad os absuerit.

APHORISMVS X

ΤΑῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ὀξέσι σημειοῦσθαι χρὴ, ὁπότε μέλλει ἀποθνήσκειν καὶ ὁπότε σωθήσεσθαι.

HÆc quidem in acutis febribus obseruentur, uti si quis moriturus uel euasurus sit, dignoscamus.

BRASA-

BRASAVOLVS

HIC non est uere aphorismus, sed potius inscriptio ad eos qui sequi debent Aphorismos. nam dicit, Hæc quæ sequuntur in acutis febribus obseruanda esse, ut eos facile cognoscere possimus qui morituri sunt, uel qui à morte sunt euasuri.

APHORISMVS XI

Ὄρχις δεξιὸς ψυχόμενος καὶ ἀνασπώμενος, θανατῶδες.

TEstis dexter frigidus conuulsusque, mortiferum est.

BRASAVOLVS

EXPERIENTIA hoc ostendit, Si quis ægrotet, huic oscreum extendi, atque relaxari: in sanis uerò, collectum manere. Quod uero in præsentiarum dicitur, neque unquam experientia didicimus, neque ratione aliqua exquisita comprobatum inuenimus. Tamen si aliqua sit ratio, hæc est: Quum testis dexter contrahitur, id fieri non potest, nisi ob neruum qui conuellitur. Si etiam frigidus sit, signum est spiritus ad ipsum transmitti non posse, neque sanguinem: ideo uirium imbecillitas significatur: propterea mortiferum est. Et si petas, cur idem non sit in sinistro. Respondemus, quia dexter calidior est sinistro, & quandam habet cum iecore affinitatem. Propterea non mirum, si quum dexter frigidus est, peius sit, quàm quum sinister.

APHORISMVS XII

Ὄνυχες μελαινόμενοι, καὶ δάκτυλοι ποδῶν ψυχροὶ καὶ μέλανες καὶ ἐκκύπτοντες, ἐγγὺς τὸν θάνατον δηλοῦσιν.

VNgues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, demissi uel proclinati, mortem proximam esse portendunt.

BRASAVOLVS

DE FRIGIDIS pedibus primo Prognosticorum libro, sectione decimanona, scriptum habetur. Hæc uerò omnia quæ in præscripta sententia posita sunt, præter febris initium intelligere oportet. Nam in febris initio, si ungues nigri fiant, & digiti pedum frigidi atque contracti, mors non significatur. At si in alijs temporibus hæc adfuerint, caloris naturalis mortificationem atque extinctionem significant: contractioque digitorum præsertim cum nigredine, nihil aliud est quàm ex siccitate conuulsio. Tria igitur in præsentiarum mortis signa colliguntur: nigredo, quæ mortificationem significat: & frigiditas, quæ naturalis caloris extinctionem: & contractio, quæ conuulsionem ex inanitione significat.

APHORISMVS XIII

Σημαίνουσιν καὶ τὰ ἄκρα τῶν δακτύλων.

QVod etiam digitorum extrema frigida præ se ferunt.

BRASAVOLVS

QVVM in præcedenti aphorismo digitos pedum frigidos, mortis signum posuerit, quispiam putare posset, non esse mortis signum, si in digitis manuum idem contingat. Hanc ob rem, ut hoc remoueat, inquit: Hoc idem etiam (scilicet mortem) proximam ostendunt, postremæ partes digitorum manuum frigidæ.

APHORISMVS XIIII

Καὶ χείλη πελιδνὰ, ἢ καὶ ἀπολελυμένα, καὶ διεστραμμένα, καὶ ψυχρὰ θανατώδεα.

ET labia liuida, resoluta, inuersa, frigida si sint, mortiferum est.

BRASAVOLVS

ET HÆC uirium imbecillitatem & caloris extinctionem ostēdunt. Hippocrates libro primo Prognosticorum, sectione decima, idem in aure dixit: & sectione decima quinta, idem in palpebra. nunc uero in labio, si præter naturam suam liuidum fuerit, & resolutum: quumq; erit resolutum, necessario contortū est. si frigidum quoq; sit, signum mortiferum est.

APHORISMVS XV

Καὶ σκοτοδινιῶν, καὶ ἀποστρεφόμενος, καὶ ὕπνῳ καὶ καύματι πολλῷ κατεχόμενος, ἀνέλπιστος.

SI oculi caligant, uel lucem auersantur, qui somno multo & æstu detinetur, extra spem est.

BRASAVOLVS

MELIVS est hæc omnia in uno solo homine simul esse intelligere, quàm quod ipsorum singulum satis sit, quando ob ægritudinem oculi obscurantur, uel lucem ferre non possunt, & habent intensam caliditatem, ac simul somno graui premantur, hic iam extra spem est. nam hæc fere omnia ob imbecillitatem contingunt. Vel hoc modo sententiā interpretemur, Cui tenebræ obuersantur, & auersus est, & somno & ardore multo percitus est, pro deplorato habetur.

APHORISMVS XVI

Καὶ πλυνασίων ἀτρέμα, καὶ ἀγνοέων, καὶ μὴ δὲ ἀκούων, μὴ δὲ ξυνιεὶς, θανατώδης.

SI quis sensim rabie quadam efferatur, si quis non cognoscit, non audit, non intelligit, mortiferum est.

BRASAVOLVS

HIC ob bilis accensionem in rabiem uertitur, Non cognoscit uero, non audit, & non intelligit, ob uirtutis animalis imbecillitatem: ex qua deinde aliæ uires imbecilles fiunt. Propterea quum hæc uidebis, iudica hunc omnino moriturum.

APHORISMVS XVII

Μέλλουσιν ἀποθνήσκειν ταῦτα σαφέστερα γίγνεται, ἢν αἱ κοιλίαι ἐπαίρονται καὶ φυσῶνται.

PAulo post morituris signa hæc sunt clara magis, uentriculi si tolluntur, tumescunt & inflantur.

BRASAVOLVS

FORTE quum hæc fiunt, tanta est in uentriculo imbecillitas, ut concoquere non possit, & ex consequenti iecur non sanguificet, & per corpus nutrimentum non distribuat. Hanc ob rem paulopost morietur: & quicquid insumitur, totum in uentriculis recipiatur atque retineatur.

APHO-

APHORISMVS XVIII

Ὅρος δὲ τοῦ θανάτου, ἐὰν τὸ τῆς ψυχῆς θερμὸν ἐπανέλθῃ ὑπὲρ τοῦ ὀμφαλοῦ, εἰς τὸν ἄνω τῶν φρενῶν τόπον, καὶ συγκαυθῇ τὸ ὑγρὸν ἅπαν. ἐπειδὰν ὁ πνεύμων, καὶ ἡ καρδία τὴν ἰκμάδα ἀποβάλλωσι τοῦ θερμοῦ ἀθροοῦντος ἐν τοῖσι θανατώδεσι τόποις, ἀποπνέει ἀθρόον τὸ πνεῦμα τοῦ θερμοῦ, ὅθεν περ συνέστη τὸ ὅλον εἰς τὸ ὅλον. πάλιν τὸ μὲν διὰ τῶν σαρκῶν, τὸ δὲ διὰ τῶν ἐν κεφαλῇ ἀναπνοῶν, ὅθεν τὸ ζῆν καλοῦμεν, ἀπολείπουσα ἡ ψυχὴ τὸ τοῦ σώματος σκῆνος, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ τὸ θνητὸν εἴδωλον ἅμα καὶ χολῇ καὶ αἵματι καὶ φλέγματι καὶ σαρκὶ παρέδωκεν.

TErminus uero mortis hic eſt, quum animæ calor ſupra umbilicum præcordiaq; recurrit & aſcendit, ac omne humidum humorem exurit & ſiccat: quum autem cor pulmoq; humiditatem caloris collecti mortiferis in locis ſentiunt, totum caloris ſpiritum efflant, unde totum in toto conſiſtit. præterea quidem partim per carnem, partim per ſpiracula capitis ſpirant, quod uiuere dicimus: corporiſq; capſulam & alueum anima frigidum mortuumq; unà ſimulacrum relinquit, ſanguiniq;, bili, & pituitæ, & carni concedit.

BRASAVOLVS

NVLLVS EST qui ambigere poſſit, hunc aphoriſmum Hippocratis non eſſe, & in eo eſſe quædam abſurda: niſi quis ſenſum extorquere uoluerit. Cui igitur illum exponendum placuerit, relinquimus. nam & aliquæ partes ſunt etiam in ipſo ueræ.

HI SVNT APHORISMI, qui in Græcis Hippocratis codicibus inueniuntur, quos in unum colligere uoluimus, & in hunc ordinem diſtribuere, ne quicquam dimitteremus in hac noſtra Commentatione, quod uel faciat ad Aphoriſmos, uel non faciat, ſed facere uiſum ſit. Tamen ad perfectiorem intellectionem poteſt hoc ſubſcripto modo hæc ſentẽtia uerti: Terminus autem mortis, ſi animæ calor redeat ſupra umbilicum in ſuperiorem præcordiorum locum, & ſimul aduratur omne humidum: poſtquàm pulmo & cor omnem uaporem abiecerit, calore collecto in locis morti obnoxijs, uniuerſus ſpiritus caloris expirat: unde conſiſtit totum in toto. rurſus quidem hoc per carnes, hoc uero per exhalationes in cerebro: unde uiuere appellamus. relinquens anima corporis umbraculum & frigidum & mortale ſimulachrum ſimul & bili & ſanguini & pituitæ & carni reddidit. Tamen id uerissimum eſt, naturalem calorem redire ad præcordia quando homines moriuntur, & adeo intendi, ut omnia propinqua conuellantur eo conuulſionis genere, quod ex inanitione eſt, & plerũq; ex eadem cauſa fiunt ſingultus: ultimumq; quod frigeſcit in corpore, cor eſt.

APHORISMORVM

LIBRI VLTIMI

FINIS.

ANTONII MVSAE BRASAVOLI MEDICI FERRARIENSIS INDEX COPIOSISSIMVS EORVM

quæ ab Hippocrate & Galeno hoc libro dicuntur. Ad Reuerendissimum præsulem Cælium Calcagninum.

AD DOCTISSIMVM ATQVE REVERENDISSIMVM PRÆSVLEM CÆLIVM CALcagninum Ferrarienſis Academiæ primarium, Antonius Muſa Braſauolus.

NOſtra in octo Aphoriſmorum libros Commentaria mira cum uoluptate perlegiſti reuerendiſsime Cæli, & ubi nodus aliquis incidit, uel inuolutus ſcrupus, tuo emunctiſsimo iudicio emendaſti, & ab erroribus uindicaſti, propterea ſtatueramus, & id fixa mente, tibi ueluti huius almæ urbis in re literaria primario, primũ huius uoluminis librum dicare, atq; deuouere: ſed meliori numine ducti, id fruſtra fieri cognouimus, quandoquidem & tu in ipſo opere non mediocriter laboraſti, ut æque tuus dici poſsit, ut meus hic labor. Sententiam igitur mutauimus, & hunc copioſiſsimum indicem in tui gratiam prodire decreuimus, quem cum æderemus, non parum inſudauimus. Cum igitur in cõtinuis ſtudijs occupatiſsimus ſis, tamen Hippocratis & Galeni operibus incumbere non recuſes, ut quaſcunq; materias, quæ in hoc libro ſcriptæ ſunt, facile inuenire poſsis, en index, in quo non modo ea quæ ab his autoribus apertè dicta ſunt, inuenies, ſed plerunq; coniecturis incedimus, & ea aperte referimus, quæ ab ipſis quodammodo adumbrata uidentur & tegmine quodam uelata. Quæ uero à nobis in Aphoriſmorum Commentarijs, præter horum authorum ſententias dicta ſunt, alio indice indigent, quem aut librarius, aut alius quis in bonorum gratiam parabit. nam tantum ocij in præſentiarum non habemus, ut indices colligere poſsimus. Quippe alias omnibus Galeni operibus copioſiſsimum indicem parare cœperamus, & res felici pede ſuccedebat, niſi multæ & magnæ occupationes auocaſſent, & ampla negotiorum copia prope obruti eſſemus: propterea cœptum laborem medio in curſu reliquimus, reſumendum tamen, ſi quando aliquid otij nacti fuerimus. Tamen hæc pars Aphoriſtica iam perfecta erat, quàm tuæ excellentiſsimæ Magnificentiæ dicare ſtatuimus, ut omnium noſtrorum laborum particeps ſit, & ipſa abſq; labore, ea quæ uel ab Hippocrate, uel à Galeno in hoc libro ſcripta ſunt, inueniat. Vale Ferrariæ decus.

INDEX OMNIVM TAM IN HIPPOCRATIS APHORISMIS QVAM GALENI COMMENTARIJS OBSERUATU DIGNORUM COPIOSISSIMUS, AB IPSO ANT. MUSA BRASAUOLO DIGESTUS.

Abdominis membrana interior Peritonium dicitur aph.58. lib.6
aborsus quando maxime fit mulieribus, & si nõ fiat, infantes sunt debiles aph.12. lib.3
aborsus quo tempore facilius fiat, & quot modis fiat aph.1. lib.4
aborsus fit si sanguis mittatur ex uena prægnanti aph.31.lib.5
aborsus fit si prægnans habuerit alui profluuium aph.34.lib.5
aborsus fit si mammæ prægnantis fiant repente graciles aph.37.ibidem
aborsus causæ febris uehemens, alui fluxus, sanguinis fluxus, erysipelas uteri, saltus uehemens, clamor, ira, timor, uictus parcus, seu alia passio similis, Muccor in acetabulis uteri aph.45.lib.5
aborsum facturis, mammæ extenuantur, quæ si rursus durescãt, dolores fient mammarũ, aut coxarũ, aut oculorũ, aut genuũ: & nõ infestabit aph.53.lib.5
aborsus causæ iterum ponuntur licet ad aliud propositum ibidem
aborsus fit propter inediam ibidem
aborsum difficilem habent grauidæ febricitantes sine occasione manifesta aph.55.lib.5
aborsus qui non fit propter defectum alimenti, talibus mammæ graciles præfiunt aph.53.lib.5
aborsum facit mulieri utero gerenti, si tentio superuenerit aph.27.lib.7
aborsus fit propter multas causas ibidem
abortit marem, prægnans ex gemellis, si mamma dextra gracilis fiat: si sinistra, fœminã aph.35.ibid.
abortiunt grauidæ tenues præter naturã priusquam crassescant aph.44.lib.5
abscessus articulorum fieri in laborantibus, qui propter motum habuerint calidos articulos, non mirum aph.31.lib.4
abscessus articulorum aut maxillarum fiunt lassitudinem habentibus in febribus ibidem
abscessus incidunt ibi, ubi laborauerint qui ex morbis inualescunt aph.32.lib.4
abscessus in pulmone est passio diuturna aph.34.l.4
Abscessus iudicant morbos longos ultra quadragesimum aph.36.lib.4
abscessus aurium uel articulorum, si fiãt in die iudicatorio, uel incipiant, bonum: & notãtur qui sint isti dies in quibus fieri debent & in quibus non aph.36.lib.4
abscessum sequuntur labores & dolores aph.44.l.4
abscessus diruptus quandoq; fit pus bene expurgans partes aph.47.lib.4
abscessus in febribus qui non soluunt ad primas iudicatiões longitudinẽ morbi significãt aph.51.l.4
abscessus faciunt uiscerum dolores aph.66.lib.4
abscessu futuro ad articulos, liberantur urina multa crassa facta uel fluxu sang. narium apo.74.lib.4
abscessus cito fiunt in febribus laboriosis ibidem
abscessus in utero non iuuatur sternutatiõe ap.51.l.5
abscessus potest facere angustationem partiũ adeo ut nihil possit ad eas transire aph.44.lib.6
abscessus crassitudo quanta fuerit, tanta erat cauitas ulceris aph.45.lib.6
abscessus facit urinæ difficultatem cum dolore aph.49.lib.7
abscessus potest fieri in ossibus aph.55.lib.7
abscessus ossis à corruptione aph.74.lib.7
abscessus in uesica, causa est stillicidij urinæ aph.16.lib.3
abscessus malos cruda conuersa significant iudicationis carentiam labores, tempora, mortes, uel eorundem malorum reditus aph.22.lib.4
abscessus renum interius quomodo cognoscantur futuri aph.36.lib.7
abstinentia à cibo, idem significat quod inappetentia aph.17.lib.4
abstinens à cibo, id est, non appetens, debet per superiora purgari ibidem
abstinens à cibo sanus, præsertim si sit cholericus quid patiatur aph.50.lib.6
accesio particularis morbi potest prægnosci aph.11.lib.1
accesiones quomodo fiant aliquibus morbis ibidem
accesio quid significet ibidem
accesiones quomodo doceant regulari ægrum in uictu aph.17.lib.1
accesionibus quod nihil dandum aph.19.lib.1
accesio febris dicitur annotatio aph.1.lib.2
accesionum causa si fuerit fixa, longus est morbus: si non, breuis aph.30.lib.4
accesionibus uehemẽtiorib. iudicia fiunt aph.36.l.4
accesiones in diebus imparibus cito iudicantur, in diebus paribus tarde ibidem
accesiones in diebus imparibus, fiunt uehementiores in diebus paribus si morbus debeat tardare ibid.
accesionem primam morbi peracuti uehemẽtissimam habent ibidem

accessio in febribus tertianis non puris quanto longior accessione puræ tanto morbus est longior aph. 43.lib. 4
accessio in interpolatis est idem quod una dies in continuis aph.59.lib.4
accessio tertianarũ, præsertim purarum nunq̃ transit duodecim horas ibidem
accessionum principijs cur interiora calent exteriora frigent aph.48.lib.4
accessiones febrium dicuntur accidentia aph.30.li.2
accessio, lege paroxismus, & circuitus
accidentalis euacuatio dicitur ea quæ fit per inediam aph.17.lib.2
accidentia sanantur remotis causis aph.22.lib.2
accidentia quo tempore fortiora & imbecilliora aph.30.lib.2
accidentia præter naturam sunt dispositionũ corporis si in principio morbi aliq̃d excernatur aph.22.l.4
accidentia sexto die difficiliora aph.29.lib.4
accidentia, lege casus
accidente notissimo captus sæpius ab Hippocrate dicitur pro toto morbo aph.59.lib.7
accubitus cum ratione notat bonã crisim aph.71.l.4
acerba augent famem aph.20.lib.2
acerbus cibus uel qualitas exiccant corpora, acer cibus uel qualitas exiccant corpora aph.13.lib.4
acerba sanguinis uomitum sanant aph.27.lib.7
acerbis curantur ulcera sine inflãmatione aph.37.l.7
aceto cõparatur atra bilis in mordacitate ap. 23.l.4
acetabula uteri plena muccore aborsum faciunt aph.45.lib.5
acetabula sunt ora uenarum & arteriarum quæ feruntur ad uterum ibidem
acetabulorum muccor est causa aborsus aph.54.l.5
acidi humores in ore uentriculi sunt causa appetitus canini aph.21.lib.2
acidus ructus significat pituitam aph.2.lib.4
acidum esse, est sapor atræ bilis aph.21.lib. 4
acidus ructus in lõgis leuitatibus intestinorum bonum aph.1.lib.6
acidum qui eructant, non ualde morbo laterali corripiuntur aph.33.lib.6
acredo est sapor atræ bilis aph.21.lib.4
acritudo excitat ad excretionem aph.18.lib.2
acritudo urinæ causa stillicidij urinæ aph.16.lib.3 & aph.50.lib.7
acritudines malorum humorum lædunt uesicam aph.22.lib.3
acritudinem purgantium medicamentorum non fert natura exhausta ætate aph.5.lib.4
acris & tenuis humor causa exulcerationum aph.12.lib.4
acritudo abradit in summa parte intestina aph.24.lib.4
acritudo humorum facit difficultatem intestinorum aph.3.lib.6
acritudo puris ora uasorum arteriosorum aperit aph.27.lib.6
acritudo pituitæ iritat intestina ad deiectionem aph.33.lib.6
acritudo eorum quæ soluũtur prouocat hæmorroidas, ex quo sumi potest illius sententiæ fundamentum, aloen non prouocare hæmorrhoidas, sed ea quæ euacuantur aph.47.lib.6
acritudo acquiritur in melancholia quando supra modum exuritur aph.56.lib.6
acritudo mordax fieri nõ potest ut in lõgũ extẽdatur si omnia circa ægrũ opportune fiant aph.22.l.7
acritudo urinæ aperit ora arteriarum quæ sunt in renibus aph.34.lib.7
acrocordona græce est genus uerrucarum & tuberculorum aph.26.lib.3
acrocordona cur fiant in pueris ibidem
actus aliquis aborsum facit aph.45.lib.5
acuti morbi qui aph.12.lib.1.
acutis morbis principio, id est, prima die euacuandum uel non post secundum aph.24.lib.1
in acutis morbis raro uti purgationibus ibidem
acuti morbi qui, & quod magni sint & cito iudicentur aph.19.lib.2
acutorum morborum natura duplex ibidem
acuti morbi rari sine febre ibidem
acuti morbi habent febres continuas ibidem
acutorum morborum præcognitionibus fidere non debemus ibidem
acuti morbi in 14. diebus iudicantur aph.23.lib.2
acuti qui transeunt usq; ad quadragesimum appellantur à Galeno acuti, qui in quadraginta diebus iudicantur acuti ex decidentia ibidem
acuties quousq; procedat in morbis continuis ibidem
acuti morbi quandoq; sine febre, potest ex illis uerbis colligi, In omnibus acutis morbis quicunq; febres habent ibidem. lege etiam aph.30.lib.5
acuti morbi, lege, morbi acuti, & ægritudo acuta aph.23.lib.2
acuties urinæ, causa stillicidij urinæ aph.16.lib.3
acuti humores tẽpore æstiuo, à uenis exicatis trahuntur qui faciunt febres ardentes aph.58.lib.4
acutum si quis comedat ut piper, & aqua calida dilutum uinum bibat singultum incidit aph.39.lib.6
adenes ubi sunt ibi fiunt tubercula aph.26 lib.3
adenes sunt prõpti ad suscipiẽdas superfluitates ibid.
adenes multi in inguinibus ibidem
adenes circa maxillas suscipiũt ea quæ in febrib. transmittuntur ad caput aph.31.lib.4
adenes insunt alis & insunt inguinibus ibidem
adenes qui insunt mammis, quales sunt & quam uim habent aph.39.lib.5

adenum

adenum materia est exanguis & frigida, præsertim eorum qui sunt in mammis aph. 40. li. 5
adenes quanto sunt frigidiores hepate, tanto lac frigidius sanguine aph. 40. lib. 5
adenes alas habent, quæ suscipiunt superfluitates aph. 31. lib. 4
adiectio semper fit à natura aph. 3. lib. 1
adiectio citissima per quæ fieri debeat aph. 11. lib. 2
adipis colliquatio est, si alui excrementum sit pingue aph. 35. lib. 7
adipis colliquatio commune signum ibidem
adipis renum colliquatio quomodo cognoscatur ibidē
adipis omnium partium corporis colliquatio quomodo cognoscatur ibidem
admodum si habeat ante se negationem quid significet aph. 72. lib. 4
adolescentia est optima ætas aph. 18. li. 3
adolescentes melius se habent uere ibidem
adolescentia quando sit aph. 29. li. 3
adolescentia quando incipiat & finiat aph. 9. l. 5
adstringentia reprimunt aph. 66. l. 4
adstrictum simul totum est aph. 35. lib. 7
adustio minus toleratur in consistentibus quàm in iuuenibus aph. 30. lib. 3
ægrotare lege annis singulis
æger lege eger
ægyptus uide literam e
æqualitas uide literam e
æquinoctium uide literam e
aer ambiens facit nos deuenire in cognitionem morborum aph. 12. lib. 1
aer delatus per gulam ad uentriculum si paucus non lædit aph. 17. l. 2
aeris temperatura non est sola causa morborum, aliter semper haberemus ægritudines complexionis aeris tunc existentis aph. 19. lib. 3
aer ambiens tēpore æstatis trahit humores extra, quos intra trahit medicina aph. 5. lib. 4
aer ambiens humidus chordas implet aph. 39. l. 6
aeris feruor æstus appellatur aph. 13. lib. 7
aer intus contentus, id est in cerebro, erumpens facit sternutamentum aph. 52. lib. 7
aer ambiens facit defluxus è corpore aph. 60. l. 6
æs uide literam e
æstas quære in litera e
æstus uide literam e
ætas uide in litera e
agglutinatio semper fit à natura aph. 3. lib. 1
agitatio rigoris in quartanis est sufficiens excernere humorem aph. 70. lib. 4
alba pituita est species aquæ intercutis aph. 29. l. 7
albicans color significat pituitam aph. 2. li. 4
album si uideatur palpebris cōmissis, in dormientibus est letale, nisi ab extrinseco aduenerit aph. 52. li. 6
alexandrinorum uictus aph. 20. li. 2
algor minus toleratur in consistentibus quàm in iuuenibus aph. 30. lib. 3
alica facit uictum plenum aph. 4. lib. 1
alica difficilis coctionis aph. 18. lib. 2
alica ex quibus paretur ibidem
alienatio mentis à furore bonum, de quo ambigit Galenus aph. 5. lib. 7
alienatio mentis est uehemens furor ibidem
alimentum triplex aph. 4. lib. 1
alimenta cur fomenta dicantur aph. 14. lib. 1
alimento multo indigemus calido superabundante aph. 15. lib. 1
alimenti necessitas ibidem
alimenta cur proportionanda ibidem
alimentum humidum & præsertim natura calidum magis nutrit aph. 11. lib. 2
alimentum maxime proprium quod aph. 17. lib. 2
alimentum proprium habet unaquæq; pars corporis ibidem
alimentum uitiosum facit sanguinem uitiosum aph. 36. lib. 2
alimento uitioso uescentes facilè exoluuntur in purgationibus ibidem
alimentum, lege cibus & nutrimentum
alimentum habet partem serosam propter distribuendum aph. 15. li. 3
alimenti partes singulis diebus expurgādæ quæ ibidē
alimentum plurimum humectat corpora aph. 13. l. 4
alimenti magnus defectus ostēditur ex capillis cadentibus aph. 12. li. 7
alimenti defectus fœtum interficit aph. 30. & 31. li. 5 & aph. 37. eodem 5
alimento maiori indiget maior fœtus aph. 31. lib. 5
alimento indigens fœtus calcitrat, & membranas frangit, unde facit initium partus aph. 37. li. 5
alimentum sibijpsi alterat quælibet pars animalis aph. 39. lib. 5
alimentum & quod alit, & quod alere debet ibidem
alimentum quod est ex pluribus partibus ibidem
alimento ægrorum debent esse remoti humores mordaces aph. 18. lib. 2
alimento pluri utitur, si quis ex morbo cibum assumēs non corroboratur aph. 63. lib. 7
alopecia est passio capillorū, & quomodo generetur aph. 34. lib. 6
alteratio nulla corporis fieri debet ægris cum inedia aph. 16. lib. 2
alteratio sanguinis habet similitudinē cum uinis quando acescunt aph. 17. l. 2
alteratio facilius fit à similibus aph. 50. l. 2
alteratio motus aph. 14. li. 4
alteratio facile suscipitur in re molli ut cerebrum aph. 69. lib. 4

alui humiditatis tres causæ aph.20.lib.2
alui profluuium facit famem aph.21.lib.2
alui profluuium, lege uentris fluxus, fluxus uentris, & profluuium alui
alui profluuia in temporibus pluuiosis fiunt aph.16.lib.3
alui excrementa si fiant in die iudicatorio, uel incipiant bonum, & notat eos dies in quibus non aph.36.lib.4
alui profluuium si tabidis, quibus capilli à capite fluunt, superueniat, moriuntur aph.12.lib.5
alui profluuium superueniens tabido letale, sed non ita ut quando fluunt capilli aph.14.lib.5
alui inferioris subductio quibus & quando fieri debeat aph.62.lib.7
alui purgatio fieri debet iis quibus deiectiones uelutì strigmenta aph.65.lib.7
alui excuntia quæ sint apud Hippocratem ibidem
alui in excrementis non est expedita subsistentium cognitio, quia non fiunt in uase uitreo ibidem
alui excrementa possunt habere strigmenta, sed non urinæ ibidem
alui excrementa biliosa si sint quædam similia excrementis per aluum excernuntur ibidem
alui à profluuio difficultas intestinorum aph.72.l.7
alui fluctio ex tabe profluuium aph.75.lib.7
alui profluuium districtio purgationis superioris, in adstrictione mors ibidem
alui excrementa qualia fuerint, si parum paruus est morbus, si multum multus, si ualde multum letale aph.76.lib.7
alui excrementa redditione indigent aph.76.l.7
aluo non purgata quanto plures dederis sorbitiones, tanto magis lædes & an uerum sit aph.65.l.7
aluus humidior & aluus siccior, unde aph.20.l.2
aluus cohibetur in aquilonia tempestate aph.17.l.3
alui humidiores fiunt in australi tempestate ibidem
aluos duras habentes cur incidant conuulsionem facilius aph.25.lib.3
aluus humida ut plurimum senibus aph.31.lib.3
ad aluum pertinentia instrumenta quæ sint a.12.l.4
alui cur humectãtur his quib. in febribus sanguinis fluxus inest aliqua ex parte cũ reficiũtur ap.27.l.4
aluum interiorẽ si praua exeant, si bene exeant ad bonum terminantur aph.47.li.4
aluus turbata in febrib. surditatẽ soluit aph.60.l.4
aluus humida paucas significat urinas aph.83.l.4
aluus sicca multas urinas significat ibidem
aluum humidam habentes plus comedunt minus bibũt & è contra in sicca ibidem
aluus humectatur his qui habent ilia suspensa lumborum dolore adueniente, nisi multitudo urinæ, aut flatus erumpant aph.73.l.4
aluus, lege corpus
aluus citatur sero lactis sale et melle cõdito a.64.l.4
aluus debet sisti quando uolumus purgare per uomitum aph.67.lib.7
aluum quando uis purgare, id est per aluum, humectare debes ibidem
alui profluuium facit aborsum pregnãti aph.34.li.5.& 45.eodem 5
alui tormina si fiant dormienti post potum aquæ mulsæ concepit, si non minime aph.41.li.5
alui profluuium longum uomitu spontaneo soluitur aph.15.lib.6
alui profluuium adueniens morbo laterali aut pulmonia tabido malum aph.16.li.6
alui profluuio corripi, lippienti bonum aph.17.li.6
alui profluuium fit quandoq; à cibo & potu, quãdoq; morbi ratione aph.16.lib.6
alui profluuio maxime capiuntur balbi, & quare aph.32.lib.6
alui profluuium longum, est passio propria uentriculi humidi, quod potest ex lingua esse ibidem
alui profluuium facit apparere quid album in oculis dormientium commissis palpebris aph.52.li.6
alui deiectiones ex qua ui fiant aph.21.li.7
alui profluuijs quibus excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit aph.30.li.7
alui excrementum si pingue sit, adipis colliquatio est aph.35.lib.7
aluus humida in iuuentute, fit sicca in senio, & è conuerso aph.53.lib.2
aluus dura fit in aquilonijs aph.5.lib.3
amaritudo oris uentriculi significat cholericum humorem aph.2.lib.4
amara qualitas siccat corpora aph.13.lib.4
amaritudo oris unde sit, & quomodo aph.17.lib.4
amaritudo oris notat purgatiõem debere fieri per superiora ibidem
amara bilis quàm difficultatem intestinorum faciat aph.3.lib.6
amaram dicit choleram quàm aliquibus euacuari conuenit aph.47.lib.6
amara bilis simpliciter ab antiquis dicitur bilis, sed melancholia non dicitur simpliciter bilis, uerum cum additione atra aph.32.li.7
Amazonidum meminit Galenus, et quare sibi mãmam incidebant aph.44.li.7
ambidextrum quid sit secundum Euripidem ibidem
ambidextra nõ est mulier, sed bene uir & quare ibidẽ
ambileuum quid sit secundum Aristophanem ibidem
ambulare cur nequeant pueri & crura habent aph.32.lib.9
amomus est aroma calidum aph.28.li.5
ἀμόργην græci nominant amurcam fæcem olei aph.54.lib.7

amurcam

amurcam fecem olei Græci dicunt ἀμόργην ibid.
amylo fiunt quædam anodina, id est, sedantia dolorem aph.31.lib.6
angina morbus peracutus est aph.12.li.1
angina est morbus acutus qui fit in aliquo loco aph.19.li.2
angina unde fit & quomodo procedat aph.16.lib.3
anginæ cur fiant in uere aph.20.lib.3
angina fit ex duobus humoribus & quomodo aph.22.lib.3
anginæ ueris differunt ab anginis autumni ibidem
anginam aliqui patientes habebant colli uertebras intro, & collum extra apparebat habere cauitatem, & hoc tactum dolebat aph.35.lib.4
angina liberati si ad pulmonem uertitur in septē diebus pereūt, quod si hoc effugerunt suppurantur. aph.10.lib.5
anginæ fiunt ex humiditate cerebri ap.2.lib.6
angina habito si tumor fiat in collo bonum aph.37.li.6
angustiā uasorū pulmonis facit asthma aph.26.li.3
angustia strangulationis quid & unde fit aph.34.lib.4
angustia loci est causa cur uramus suppuratos aph.27.lib.6
angustia alicuius partis à quot causis fieri potest aph.44.lib.6
angustatio loci facit tristem sensum laborantibus ex motu arteriarum aph.21.li.7
angustia foraminum facit febrem quæ sanatur balneo aph.43.lib.7
angustus exitus aeris facit sonitum aph.52.li.7
angustia partium obstruit ora uteri aph.62.lib.5
anhelitus crebri, id est, asthmata concomitantur senes ad mortem aph.40.lib.2
anhelatio fit autumno, & quomodo aph.22.li.3
anhelitum nemo potest cohibere, ex quo elice non esse motum uoluntarium aph.23.li.3
anhelitus crebri cur fiant in puerulis accedentibus ad pubertatem aph.26.li.3
anhelitus crebri fiunt ob exercitia quomodo ibidem
anhelitus crebri cur fiant in consistentibus aph.30.li.3
anhelitus crebri cur fiāt in senibus, & quomodo ibidem
anhelitus carentia unde fit, & quomodo fiat aph.34.li.4
anhelitus defectus est strangulatio uterina aph.35.li.5
anhelitus difficiles fiunt humoribus, & quibus aph.1.li.6
anhelitus difficilis fit per compassionem quomodo aph.16.li.6
anhelitus difficultas causa est cur uramus suppuratos aph.27.lib.6
anhelitus difficultatem quæ faciunt perniciosa sunt, quæ sint & quot aph.46.li.6
anhelatio est morbus pituitosus in quo debet euacuari pituita aph.47.li.6
animalia quæ sine cibo possunt perdurare aph.15.lib.1
animalium corpora difflari occulte ibidem
animalium corpora qua re augeantur, formentur, & nutriantur ibidem
animalium natura quæ sit secundmum Hippocratem ibidem
animi ad defectum quandoq; euacuandum secundum Galenum aph.23.li.1
animi defectio multiplex ibidem
animi defectus ex ore uētriculi pleno humoribus quandoq; fit ibidem
animi defectus quandoq; fit per sectionem uenæ ibidem
animi ad defectum quando euacuandum ibidem
animus, mens idem, uel pro eodem à Galeno sumuntur aph.6.li.2
animalia qua potentia regantur aph.17.li.2
animalis uis in statu fatigata, non naturalis uel uitalis aph.29.li.2
animi passiones sunt quidam dolores: si sint uariarum rerum, altera alteram obscurat: si eiusdem rei, magis augentur aph.46.li.2
animalis partes quo sanguine nutriantur aph.47.li.2
animæ operationes in aquilonia tempestate melius fiunt aph.17.li.3
animæ ad opera, & ad uitā est maximum malum dissolutio corporis ibidem
animalis per solidas partes fiunt operationes ibidem
animalia quæ non generantur ex semine, non sat habent putredine ut generentur, sed etiam indigent magno calore aph.26.li.3
anima etiam est causa aborsus aph.1.li.4
animalis natura æstate propter aerem ambientem magis ad superiora mouetur aph.4.li.4
animalis solidæ partes ex accidenti quiete humectātur aph.13.li.4
animalis motus in somno otiantur aph.15.li.4
animæ opera detrimentum patiuntur ex passione uentriculi aph.17.li.4
animi defectus, ad quos sequitur mors, fiunt ex calore aph.16.li.5
animalium partes quæ penitus sunt exangues frigido læduntur aph.18.li.5
animalis partes quæ aptæ sunt generare aliquos humores propter quid eos generent aph.39.li.5
animalis opifex pars habet intellectum, ut gubernator ciuitatis ibidem

animalis quælibet pars habet naturales potentias plures, sed præcipue etiam habet potentiam per quam alterat alimentum sibi ipsi ibidem
animal habet potentiã, & quælibet pars animalis quæ quodammodo habeat intellectum ibidem
animi defectus si in fluxu muliebri fiat malum aph.56.li.5
animi defectus est communis casus omnis immodicæ euacuationis ibidem
anima deficit in euacuatione uniuersa aph.27.li.6
animalis appetitu fiunt motus musculorũ aph.39.l.6
animi defectio fit à tuberculi intus ruptione ap.8.l.7
animi defectio fit propter uitalis spiritus excretionem ibidem
animæ principatus in cerebro est aph.14.li.7
animæ defectus facit frigiditatem extremarum partiũ aph.26.li.7
animalis in corpore prius illæ partes absumũtur quæcunq; sunt humidiores aph.60.li.7
animalia latentia in latibulis alimento nullo aliqua indigent, aliqua pauco ibidem
anni tempora ad uictus rationem conferunt aph.15.li.1
anni constitutio calida habet conuenientes morbos calidos: frigida frigidos: humida humidos: sicca siccos aph.34.li.2
anni constitutio lege tempora
anni totius constitutionis consideratio uniuersalis aph.16.li.3
anni iudicant de annis, dies de diebus, menses de mensibus, septimanæ de septimanis aph.28.li.3
anni tẽpus dat indiciũ bonæ euacuationis aph.2.l.4
anni tempus docet bonam excretionem aph.47.li.4
annis singulis qui solebant ægrotare præseruauit Galenus in uere purgãdo aut secãdo uenã ap.47.l.6
annus constans qui sit aph.8.li.3
annus inconstans facit recidiuum ibidem
annotatio est accessio febris aph.1.li.2
anodina, id est, sedantia dolorẽ ex amylo aph.31.li.6
anteriora sunt uenosa & arteriosa aph.65.lib.4
anterioribus partibus si tumor in ulceribus repente euanescat insaniunt ibidem
anteriora an conuellantur, & quare & quomodo ibi.
anteriores partes diuertũt à posteriorib. ap.68.l.4
anterioribus partibus nõ inchoãt rigores ap.69.l.4
antecedentes causas ponit Galenus aph.30.li.7
antiquos mordet Galenus in uocabulo inflationis aph.34.li.4
anthrax, id est, carbo est ulcus escharosum, & quomodo fiat aph.45.li.6
anus lege sedes
anxitudo uino soluitur & quomodo aph.57.li.7
anxitudo quid sit, & quomodo fiat, & quomodo dicatur Græcis ibidem
anxitudinem habent sani, & ægri ibidem
ἀπαρτὶ significat perfecte aph.20.li.1
aperientia colligi possunt aph.20.li.2
aphoristica doctrina qualis aph.1.li.1.& eius laus in medio, & in fine, & aph.14.eiusdẽ 1.li.& aph.28.lib.2.& aph.47.li.4
aphorismorum liber an sit primus liber Hippocratis aph.1.li.1
aphorismi tertij libri ordinãtur à Galeno ap.15.l.3
aphorismos alij exposuere præter Galenum aph.34 lib.2.& aph.65.li.4.& aph.76.li.4.& aph.13.li.5.& aph.33.li.6.& in prohœmio.7.li.& aph.37.li.7.& aph.54.li.7.& aph.60.& 65 & 75.li.7.& aph.1.li.1.& aph.72.li.4
aphorismi ab interpretibus ampliãdi sunt aph.18.l.3
aphorismorum quorundam ordo aph.62.li.5
aphorismi fuere interpretati à probatissimis ibidem
aphorismus qui nõ est Hippocratis aph.62.& 63. lib.5.& aph.35.& 44.lib.6.& aph.64.li.7 & sequentes
aphorismis Hippocratis plura fuere addita aph.64.lib.5
aphoristica breuitas quod non seruetur ab Hippocrate, & quænam sit ibidem
aphorismi uarij bis aut ter cur idem dicant ibidem, & aph.54.li.7
aphorismorum plurium communis quædam glossa aph.16.li.6
aphorismos Hippocratis legenti quid obseruandũ sit aph.58.li.6
aphorismos uerificari ut in pluribus satis esse ibidem
aphorismos interpretatus est Marinus aph.13.& 24.li.7.& 55.eiusdem 7
aphorismis in, uniuersalem causam ponit Hippocrates aph.26.li.7
aphorismorum sermones quomodo intelligendi aph.22.li.7
aphorismus interiectus aph.47.li.7
aphorismum non intelligit Galenus 47.lib.7.& quærit interpretem
aphthæ, id est, oris ulcera in pueris aph.22.lib.3
aphthæ quid sint, & unde habeãt ortũ aph.24.li.3
aphthæ, id est, pustulæ in ore aph.12.li.4
apoplexia totũ corpus sensu repente priuat ac motu, solus restat anhelitus aph.42.li.2
apoplexia acutissima quæ sit, et multi modi ipsius ibi.
apoplexiæ omnes unde sint ibidem
apoplexia potest fieri sine oppilatione, per solam inflammationem ibidem
apoplexia à quo humore fiat ibidem
apoplexia omnes musculi thoracis operantur aph.42.li.2
apoplexiæ & comitialis morbi differentia, & in quo loco fiant & à quo humore apho.45.li.2

apoplexia morbus est ex pituita ortum habens aph.16.lib.3
apoplexia unde sit & quomodo fiat ibidem
apoplexiã quomodo possimus per exercitium incidere aph.20.lib.3
apoplexiæ cur fiant hyeme aph.23.lib.3
apoplexia familiarissimus morbus senectutis,& quomodo fiat aph.30.lib.3
apoplexia est morbus acutus sine febre aph.30.lib.5
apoplexia est diutina passio quam remouit Galenus per euacuationem aph.47.lib.6
apoplexia est morbus pituitosus in quo debet euacuari pituita ibidem
apoplexia est ex crassis humoribus, qui hanc patitur debet in uere purgari ibidem
apoplexia qui effectus sit aph.51.lib.6
apoplexia duplex est, fortem soluere est impossibile, debilem uero non facile ibidem
apoplexiæ fortis indicium est stertere ibidem
apoplexia est morbus longus aph.47.lib.6
apoplexiæ febris superueniens confert quare aph.51.lib.6
apoplexia quæ fit ab humore pituitoso,& etiam è melancholico aph.56.lib.6
apoplexiæ fiunt maxime à quadragesimo anno usq; ad septuagesimum aph.57.lib.6
apoplexia quæ fit à 40 usq; ad 60. annum fit ab atra bile sola ibidem
apoplexia plures senes laborant ex sola atra bile ibidem
apoplexia potest esse sine febre aph.19.lib.2
apoplectici sine sensu iacent aph.59.lib.7
appetitus plus hyeme quàm æstate aph.15.lib.1
appetere cibum idem est apud Asianos quod assumere cibum,è contrario non assumere aph.8.lib.2
appetentes minime post morbum sunt euacuandi aph.12.lib.2
appetendi uis ubi sit aph.20.lib.2
appetitus cur deficiat in senibus ibidem
appetitus defectus causa quæ, & quod caliditas, & quando frigiditas ibidem
appetitus caninus unde procedat, & quomodo sanetur aph.21,lib.2
appetentes in principio morborum peius euadunt q̃ non appetentes aph.32.lib.2
appetitum permanere est bonum signum in omni morbo aph.33.lib.2
appetitus defectus significat cholericum humorem aph.2.lib.4
appetitiui motus sunt motus musculorum aph.15.lib.4
appetentia est opus ad uitam necessarium aph.3.lib.6
appetitus animalis fiunt motus musculorum aph.39.lib.6
appetitus uehemens ciborum in morbis longis his inest qui debent sanari aph.6.lib.7
appetentia minime idem est quod abstinentia à cibo aph.17.lib.4
appetens minime debet per superiora purgari ibidẽ
aqua intercus morbus chronicus est aph.12.lib.1
aquæ dulcis uapores quales aph.14.lib.1
aqua humida, & ex qua adueniente calore multi uapores eleuantur ibidem
aqua frigida lotis hominibus quid accidat aph.15.lib.1
aqua intercus & febris,qui sunt morbi contrarij,quomodo curentur aph.16.lib.1
aqua intercus,lege hydrops
aqua intercus fit quando exit multus sanguis,quandoque aut ex utero mulieris uel ex hæmorrhoidibus, aut ex uenis, aut ex ulcere aph.22.lib.2
aqua intercus qua tempestate sequatur quartanam aph.11.lib.3
aqua nullo modo sumpta uel per potum uel extra partes solidas corporis humectat aph.13.lib.4
aqua frigida quomodo mordax dicitur aph.20.l.5
aqua frigida densat cutem ibidem
